203. 1. J. 2

R. BIBLIOTECA NAZ. CENT. VITT. EMAN. II ROMA
203
1 I
2

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

17.5.1
II II
6 6
B B

203. 1. J. 2

LEXICON THEOLOGICVM

COMPLECTENS VOCABVLORVM DESCRIPTIONES, DIFFINITIONES & interpretationes, omnibus ſacræ Theologiæ ſtudioſis ac Diuini verbi Concionatoribus magno vſui futurum, ſummo ſtudio & labore concinnatum à Ioanne Altenſtaig Mindelhaimenſi, ſacræ Theologiæ Doctore.

Coll: Rom: Societ. Iesu

OPVS HOC QVOD VETVSTATE CONSEnuerat, noua hac editione, ab infinitis penè mendis & erroribus, quibus antea ſcatebat, repurgauimus.



ANTVERPIÆ,
In Ædibus Petri Belleri ſub ſcuto Burgundiæ, 1576.
Cum Gratia & Priuilegio.

PRIVILEGII SVMMA.

REGIO Priuilegio cautum, ne quis proximo quadriennio, præter Petrum Bellerum, Lexicon Theologicum Ioannis Altenſtaig, ſacræ Theologiæ Doctoris, imprimat, vel alibi impreſſum importet, venale've habeat, ſub pœnis in Regio diplomate expreſsis.

Conceſsis 6. Iunij 1575.

Subſignatis

I. de Perre.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI ET DOMINO D. BALTASARI, ABBATI ET PRINCIPI FVLDENSI, D. AVGVSTAE Archicancellario, & per Germaniam, Galliamque Primati, &c. Domino ac Principi ſuo clementiſsimo S. P. D.

IAM pridem Reuerendiſsime Princeps, ſæpius apud me conſideraui, quánam aliquando occaſione poſſem aliquod animi mei Celſitudinis tuæ ſtudioſiſsimi teſtimonium edere. Nam, cùm erga omnes illuſtres viros ſingulari quodam modo affectus ſim, in primis verò eos, qui nobis dignitate ac virtute quaſi luce quadá in Eccleſia Catholica prælucent, ab eo tempore, quo primo de Celſitudinis tuæ ſingularibus animi dotibus, heroicis moribus, mirabilique Catholicæ fidei noſtræ tuendæ ſtudio ac conſtantia audiui: profectò vehementer incenſus ſum ad C.T. in primis amandam, omnique reuerentia dignè colendam. Hinc accidit, cùm aliquoties C.T. neſcio quibus argumentis adducta, curarit per literas mihi quædam demandari in hiſce partibus procuranda, tametſi ego & priuatis rebus occupatiſsimus parum vacarem, & nihil ferè, aut admodũ parum pro mea tenuitate poſſem, quod te Principe dignum videatur: tamen adeò id mihi gratum fuit (magnopere enim me affecit, nomen meum tali Principi innotuiſſe) vt non dubitarem ex meis, ſi opus fuiſſet, quædam potius prætermittere, quàm non præſtare quæ C. T. mandabat. Nunc itaque cùm hunc authorem, quum non ſolùm Theologiæ ſtudioſis, verùm ipſis etiam profeſſoribus vtiliſsimum eſſe mihi perſuaſum habeo, adeò etiam, vt demirari ſatis nequeam, quî fieri potuerit, vt tanto tempore ab omnium oculis reiectus, & quaſi ſepultus iacuerit, cùm, inquam, hunc iam ad communem Reipub. vtilitatem, cui iam pridem nos atq; omnia noſtra deuouimus, in lucem dare ſtatuerem, de Patrono ei omnino prouidendum eſſe cenſui. In hac deliberatione de variis mecum cogitando, C.T. vna ſeſe animo meo obtulit, cuius Patrocinio hunc Scriptorem, ſi quo fortè hac ærumnoſa tempeſtate indigeret, optimè commendarem. Cùm enim Germanus fuerit, & ſacræ Theologiæ ita doctus, vt viuus reipſa, id eſt vita nõ minus, quàm voce Catholicam fidem docuerit, promoueritq;, nemini ſanè magis conuenire videbatur, quàm ei qui & eiuſdem nationis eſt, & ita Catholicæ fidei noſtræ ſtudio atq; amore inflammatus, vt tametſi Principem locum dignitate obtineat, ita tamen omni cura promouere contendat, vt nec vlli labori, nec ſumptui parcat, imò nec vlla pericula ſubire dubitarit. Quamobrem, Princeps Reuerendiſs. ſpero C.T. non modò nõ ægrè laturam, quod animo meo obſecutus hunc Auctorem C.T. auſus fuerim dedicare, verũ etiam mihi perſuadeo C.T. ei tua tum auctoritate, tum exemplo (eadẽ enim egregia tam in C.T. quæ in ipſo quondam elucent) contra omnes zoilos lubenter defenſurũ. Deum Opt. Max. oro atq; obteſtor, vt C.T. Reip. & nobis ad ſui nominis honorem diutiſsimè incolumem ſeruet. Antverpiæ, Idibus Iulii. 1576.

Excellentiſs. Celſitudinis tuæ clientulus
Petrus Bellerus.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI ET DOMINO D. CHRISTOPHORO EPISCOPO AVGVSTENSI,

Ioannes Altenſtaig Mindelhaimenſis, Domino ſuo obſeruandiſsimo S. D. P. & ſe commendat.

ET ſi, Pater Præſul digniſsime, quum renunciatum fuit mihi de communis illius Patris noſtri antiſtitis Henrici de Lichnaw obitu, viri magni, planeq́ ſapientis, cuius vniuerſa vita totius fuerat probitatis & honeſtatis exemplum: non potui, vt par fuit, non dolere, angi & torqueri, grauiterq́ue & acerbè ferre: tum, quod putaueram nobis non paruum diſpendium & iacturam oblatam & iniectam, præpoſitamq́ue, eò quòd quàm optimè Reipublicæ Chriſtianæ præfuit, quam etiam conſilio, prudentia, & ſapientia, quæ ad hanc rem gerendam ſunt neceſſariæ (vt tuam non fugit amplitudinem) quàm pulcherrimè moderatus eſt, gubernauit & rexit: tum quod bonis & eruditis beneficus fuit & liberalis. Multò tamen plura ſunt quæ me conſolantur, quæq́ue mœrorem, quem ex eius morte conceperam, leuant, minuunt & tollunt, vel ſaltem leniunt. In primis quod fuerat annorum plenus vel grandæuus, qui ſi modò non commutaſſet vitam cum morte, poſt hac tamen ſibi vel breui ex hac luce migrandum fuiſſet, cùm ſenes non longè à morte abeſſe poſſunt: ſtatuit quoque Deus optimus maximus, vt tuam præſtantiam minimè latet terminum vitæ, quem nulli præterire licet. Quicquid autem à Deo eſt, id non niſi optimum eſſe non poſſe exiſtimandum eſt. Cuius imperio & voluntati nulla ratio, nulli humani conatus, terrenæq́ue vires aduerſari vnquam poſſunt. Omnes etiam qui gignuntur, non alia lege quidem quàm gignuntur reliqui partus confuſione elementorum, mortales, ſcilicet & periculis omnibus, fortunæq́ue telis, languoribúſque ſubiecti. Nec quiſquam vitæ diuturnitatem vel valetudinem, niſi variam & perfunctoriam habere poteſt. Et quæ (vt liberius loquar cum tua magnificentia) in hac vita ſuauitas, cùm ne vnus quidem præterit vnquam dies ſine aliqua corporis vel animi offenſione. Et quis mundanæ vitæ miſerias & moleſtias, incommodáque enumerare valet? Quis non videt in quantis fluctibus & procellis verſamur, & præſertim qui in altiore conditione & gradu collocantur, quos venti nonnunquam vehementiſsimi, qui alta perflare ſolent, afflant, commouent & perturbant. Ex quibus miſerrimis calamitatibus huius vitæ ad melioris vitæ tranquillitatem Epiſcopus modeſtiſsimus receptus eſt, ad humaníque generis rediit Redemptorem, euolauítque in ſempiternum cæleſtis gloriæ domicilium, vbi gaudij plena ſunt omnia, vbi nulla mutabilitas, nulla varietas, ſed omnia plena tranquillitatis, ſecuritatis & beatitudinis, vbi nullus eſt factioni, nullus inuidiæ, nullus ſimultati locus. Corpore itaque humi reſtituto vnde conſtabat, immortalis tamen & nitidus illius, quem cœleſti ab origine hauſerat, ad cœleſtem gloriam rediiſſe putandus eſt animus, eóque loci ſublatum vbi decorus de manu Dei diademate Regali ſit coronandus, & cæteris ſempiternis cumulandus delicijs, quibus fruuntur hi, qui cum pietate dormitionem accipiunt, vbi & fruitur illo bono, quo nihil eſt maius, nihil optatius, nihil iucundius.

Quamobrem

Quamobrem cùm præclarè cum illo actum eſſe ſperamus & credimus, noſtri officij erit moderatè ferre hanc naturæ neceſſitatem, & magis gaudendum quàm triſtandum eſſe. Nec ob noſtrum vllum commodum doleamus, id quod neque amantis, neque liberalis, ſed potius inuidentis eſſet. Idcirco magis lætandum eſt de felici eius egreſſu ad felicitatem ſempiternam, vbi ſuorum innocentiſſimorum & ſanctiſſimorum operum mercedem accipit exoptatam. Id quod ex ſancta & immaculata ipſius vita & exitu mihi certò perſuaſerim: fuit enim vt certiſſima fide & narratione percepi, Epiſcopus noſter integerrimus, bonas literas vel optimas egregiè doctus, carnali mente vacuus, bonorum operum ſectator, omnium virtutum norma, omnia veritate perſpexit, omnia prudentia, conſilióque (vt fuit prudentiſſimus) metitus eſt & fecit, iuſta & digna animaduerſione malos puniuit & caſtigauit, & vt Eccleſiæ nocuos, vt morbidam pecudem, ne alios ſanos corrumperent & macularent, ſicut bonus Paſtor in populo de medio tulit, bonos & iuſtos dignis meritis & præmiis honorauit & proſecutus eſt. Caſtitate denique ſplenduit, parſimonia nituit, cuius vita præclara & vicariatui Chriſti conueniens, gregem excitauit ad innocentiam & probitatem, qui Chriſtifidelibus ſapientia, qua claruit, conſulere ſtuduit. Et vt ſemel dicam, tanta ingenij bonitate & animi dotibus, tantaque laude præſtabat, vt Deo eſſet & hominibus illius vita, conuerſatióque gratiſſima. Vigilauit iuxta illud: Vigilate, neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit. Quem & Dominus ex hac luce reuocauit, qui ſana mente, ſanóque conſilio teſtamentum laudabile condens optima ratione & voluntariè, quod ſine diuina gratia & benignitate non conceditur homini, oculos clauſit in mortem. Quare qui prius dolore affecti ſumus, gaudere & lætari conuenit quàm rectiſſimè: quoniam bene cum eo actum eſſe credimus. Quæ autem in nauarcho illo præclaro amiſerimus, in te nauclero optimo affatim reperimus. Quare neſcio quid & alis Chriſtianis Auguſtenſis diœceſis contingere potuiſſet gratius & optatius, quàm quod diuina prouidentia, qua omnia gubernantur, tuam amplitudinem totius Eccleſiæ Auguſtenſi præfectum didicerim. Iamque tandem priuatim eruditis, omnibusque viris optimis, tuo faſtu atque felici ductu pulcherrimè conſultum, & ad rem & dignitatem animaduerto. Nam qui generis claritudine, vel potius ſola ingenij virtute præſtantia atque doctrina incomparabili & iuriſprudentia ſingulari ad Epiſcopatum ſublatum forè, te qui dubitat puto eſſe neminem. Sed quid memorem generis nobilitatem, ſecundum quam natus es ex vtroque parente. Ex patre enim & domo ſatus es de Stadion, ex qua familia, tanquam ex equo Troiano, multi viri nobiles, & rebus geſtis præclari Equites aurati, ſplendidi, militaribus armis ſtrenui & honorati prodierunt apud Cæſaream Maieſtatem, & alios Principes auctoritate & gratia florentes, quæ quidem nobilitas ſaltem generis non magni eſſet pendenda: quoniam ab extrinſeco venit, quæ laudis rationem non magnam habet, niſi accedat animi nobilitas, quæ in animi bonis perſpicitur & intelligitur, qua tuam dignitatem eſſe ornatam liquidò ex veriſſimis auctoribus cognoui & didici, & tua opera honeſtiſſima omnibus nota perſpicuam faciunt. Sed quid dicam de Iuriſprudentia & ſtudio Legum & Canonum, cuius vtriuſque inſignibus es ornatiſſimè decoratus, qua iuſtitiæ & æquitatis amantiſſimum, humanitatiſque & amicitiæ ſeruantiſſimum, te ex hoc ipſo præſtare poteris. Pro qua re conſequenda & eruditione dies, noctéſque laboraſti. Sed quid magno viro & nobili genere procreatus (vt tu es) illuſtrius? quid iucundius & melius, vel dignius, & laudabilius, & præſertim qui in regimine aliquo vel Magiſtratu collocatur, vel ſeculari vel Eccleſiaſtico, quàm aſſiduè animum alere bonis artibus, ſapientia & prudentia, ſine qua nulla res (vt omnes ſentiunt) publica bene regi poteſt, quæ fortuna appellantur bona, fluxa omnia, caducáque, vel momentanea, quo ad ſempiterna bona ducenda ſunt. Solum animi bonum, vt Pater ampliſſime noſti, quod in

virtute poſitum eſt, & in rerum incommutabilium, totiúſque naturæ perſpicientia reddit humanum genus & immortale & beatum. Quid memorem de tua præſtabili memoria, qua te vigere cognoui, qua omnia conſeruamus, quæ diſcimus, & conſeruata ſuggerit ac ſubminiſtrat, iuréque eloquentiæ theſaurus dicitur. Omitto alia ingenia bona, quibus niteſcis, iuſtitiam ſcilicet & benignitatem, qui in agendis negotiis es expeditiſſimus & ſolertiſſimus. Qui denique vita laudabili, honeſtáque conuerſatione polles, optimis moribus præditus, in diuinis officiis frequens & creber. Quibus virtutibus & bonis gratuitis, quæ tibi optimus maximus Deus dederit, hactenus ad vtilitatem Chriſtianorum es vſus. Magis credendum eſt te illis ad commoditatem aliorum, & præſertim eorum, quibus es præfectus, vſurum arbitramur. Taceo quod prioris noſtri Epiſcopi reuerendiſſimi fuiſti à ſcretis, vel Conſiliarius, & familiaris: à quo & multa, quæ ad rem gerendam conducunt, accipere potuiſti. Qui denique pro tuis meritis per venerabile Eccleſiæ Auguſtenſis Capitulum electus es in Canonicum, & per Epiſcopum in Officialem receptus in negotiis grauibus & arduis cauſis Eccleſiæ Auguſtenſis apud ſummum Pontificem agendis vrbem miſſus, virum quem omnes vt ament, venerentur & obſeruent, diligentem & prudentiſſimum præſtitiſti. Et tandem in Decanum memoratæ Eccleſiæ electus es. Qui denique Cæſareæ Maieſtatis ac reuerendiſſimi Domini Cardinalis & Epiſcopi Gurcenſis Conſiliarium egiſti prudentem. Has præclaras & nobiles virtutes tuas, & animi bonitatem, & eruditionem optimam, Henricus Epiſcopus, qui nuper è viuis exceſſit, animaduertens, dum vitam hanc mortalem ageret, de ſui honorandi Capituli voluntate & conſenſu Eccleſiæ Auguſtenſi quàm optimè conſulere & prouidere volens, quam viuus dilexerat, & cui fideliter ſeruierat vt bonus paſtor non dubitans res, & ne corpus quidem pro animarum ſalute exponere ſe relinquere breui exiſtimans: tuam benignitatem in coadiutorem recepit, cui & poſt eius mortem & modò in Epiſcopatum ſuccedis. Quapropter gratulor tuæ egregiæ & honeſtiſſimæ ſubuectioni, virtuti, ſummæque ſapientiæ, qua factum videmus, vt ſis digniſſimus iudicatus à viris venerabilibus & probatiſſimus, & vniuerſis Capituli Auguſtenſis, qui inter Principes Chriſtianæ religionis noſtræ prouinciæ loco ſplendido conſpiciare. Quid enim eſt aliud eſſe Epiſcopum quàm Regem haberi in Eccleſia, & vinea Domini Dei optimi maximi, & eam regere, augere & amplificare pro diuino honore, gloria & cultu, vt cùm tempus reuocationis aduenerit, vnà cum grege ſibi credito in ouile Chriſti lætus ingrediatur. Quæ omnia à me ſine adulatione quapiam dicta eſſe velim. A quo vitio ſemper abhorrui, adulari enim non didici. Adulatio verò eſt peruerſa (vt vult Auguſtinus) laudatio, vel fallaci laude ſeductio. Adulator autem non verè laudat, ſed vanè, falſo & quæſtus & ventris gratia. Virtus autem per ſe eſt laudanda & extollenda. Virtus enim ſui amans eſt, & propter ſe amatur & extollitur, quam ſi quiſpiam in altero cuiuſcunque conditionis & dignitatis extiterit, perſpexerit & laudauerit: laus vera eſt non aſſentatio, quam virtutem in te eſſe didici non ſine vero auctore. Viri quoque magnanimi, boni, & conſtantes, laude non efferuntur nimium, nec peiores, ſed ſummiſſiores, melioreſque efficiuntur, qui maximopere conantur, vt quæ de ipſis bona dicuntur, ea aliis impertiant & communicent, & tales ſint, quales prædicantur, vt bona illa, quæ à Deo acceperint, non fruſtrà ſe accepiſſe probentur, aliiſque inſeruire & benefacere ſtudeant: quoniam Deus mandauit cuilibet de proximo ſuo, & vt vnus alteri ſit adiumento. Quàm ſæpiſſimè hortatur Apoſtolus Tharſenſis: Diuiſiones autem ſunt gratiarum. Quare qui plus gratiæ à Domino acceperit, plus & eam cæteris communicet neceſſe eſt. Virtutibuſque & donis bene vtatur, ne rationem talentorum à Domino commiſſorum perdifficilem & grauem reddere cogatur, quæ longè melius & perſpicacius noſti quomodo peragenda ſunt, quàm ego: quem ingenij & conſilij pauperrimi me iudico. Dominus quoque potiſſimum laudandus eſt in virtutibus & donis,

quæ

quæ ipſe largitus eſt hominibus, qui propter eas, vt cæteri imitentur, & bonorum operum exemplum ſumant & præponant, laudandi ſunt. Virtutibus itaque illis, quas in tua dominatione cognoui, Pater clementiſsime, motus, Vocabularium Theologiæ, quem ex multis Theologiæ proceribus & Doctiſsimis compilaui, tibi dedicare conſtitui: quem enim alium eligerem, repperi neminem. quem quidem Vocabularium pro vtilitate & commoditate multorum, etiam vt me in ſacris literis exercerem, ne ingenium meum naturâ hebes, nihil agendo ſitu & mucore obduceretur, ſcribere volui. Nam cùm mecum memoria repeterem, me non debere ociari, qui nulla annnarum cura vel pondere graui eſſem oppreſſus vel grauatus, meum officium eſſe ratus, vt poſt varios & multos labores & moleſtias, ocio quod tandem nactus ſum, non abuti viderer: & ne in vinea Domini, qui ſacris initiatus eſſem & ceremoniis addictus, nihil tanquam Eunuchus gignere vel parere putarer. Et ne ocio torpeſcerem ignobili, & ne cum ſeruo pigro & inutili inertis & mali ocij damnarer, ſed cum vſura talentum redderem. Tandem mihi cogitanti elegi id, quod meæ profeſsioni congrueret, & in ſe plurimum honeſtatis & vtilitatis habere arbitrarer. Non quod exiſtimarem me tantum eſſe vt id ſufficienter præſtare potuerim, quod facere inſtitueram: ſed vt glaciem frangerem, literas ſacras amantibus & diſcere cupientibus, aliosque ad legendum excitarem, qui ingenuè eruditi, & varia, multiplicique doctrina ſubnixi tanto pondere ſufficerent: hoc labore meo & aliis me profuturum ſperabo, gratiusque & vtilius, iucundiusque me facere quicquam exiſtimabam, quàm ſi in humanioribus literis quippiam legerem vel ſcriberem: in quibus tamen legendis, & ſi multum temporis conſumpſerim, & in quo ſtudio diu verſati iuuenes erudiebamus, non tamen putaui meo officio vel vitæ quam incœperam, congruere, vt diutius in hiſce morarer & manerem. Non quod hoc ſtudium vilipendam & contemnam omnino, quod & aliàs laudaui, ſi modus certus adhibetur, & quod ad alia multum prodeſſet, vt vult Lactantius, quod veritas luce orationis ornata, & maiori copia & facultate dicendi, & claritate & nitore ſermonis potentius in animos influat, ſed quod ſacris initiatis non conueniret, & quod ad ſalutem, quam Chriſtiani quærunt, non perduceret, magisque delectaret quàm prodeſſet talum petentibus. Ad ſtudium itaque ſacrarum literarum me contuli, quod omnium optimum præcipuè Sacerdotibus iudicauerim. Sed cùm Theologia & ſapientia omnium ſcripturarum eſt profundiſsima, cæterisque omnibus aliis, & artibus, & ſcientiis longè præſtat, cuius eſt docere veritatem, arguere falſitatem, eripere à malo, inducere ad bonum, & perducere ad perfectum, qua fideles, quæ ſunt ſalutifera, & quæ ad vitam ducunt, cognoſcere poſſunt, quæ oſtendit doctrinæ vberrimum fontem ac pleniſsimum, cuius hauſtu atque potu (vt cum Lactantio loquar) conceptam viſceribus ſitim ſedent, ardorémque reſtringuant. Et quæ (vt ſemel dicam) nunquam ſatis dignè laudari poterit, cui qui pareat, omne tempus ſuæ ætatis ſine moleſtia poſsit degere, & tandem venire ad optatiſsimum ſalutis & felicitatis æternæ portum. Mea itaque intereſſe ratus, vt huius ſaluberrimæ Theologiæ & optimæ doctrinæ vocum ſignificatus ſcriberem, & in vnum cogerem volumen, vt multis prodeſſem. Et ſi non ſum neſcius, plures eſſe me multò doctiores, & ad hoc quod facere inſtitui, longè meliores, quique abſolutius de hac re ſcribere poſſent, & in vnum colligere. Sed quia laborem ſeu onus qualia ego maxima habui, ſuſcipere hactenus recuſarunt, vel aſſumere neglexerunt, nec tentauerunt. Ego prouinciam iſtam ſubiui, ab aliis libentius vidiſſem hoc factitatum, quoniam ingenij mei tenuitatem & penuriam conſidero. Et quamuis ingenio tenui & perquam exigua doctrina ſim præditus, & Theologorum minimus, vel nullus. Non enim tali nomine me dignor, quique nondum latum clauum in ea ſuſceperim. Vel potius dicendus ſum pumilis inter diſcipulos Theologiæ, tamen ſemper huc ſpectaui, vt ſi poſſem aliis prodeſſe meis laboribus, vel docendo vel ſcribendo: Sin minus neque læderem vel tempus

infructuoſe ad laborem datum contererem. Adde quod aliæ diſciplinæ habent ſuos dictionarios, Theologiæ verò vocabularium nondum ab aliquo ſcriptum vidi. Quamobrem Theologiæ vocabularium ex multis Theologis doctiſsimis & præcipuis ſcribentibus in Ducem & Principem ſententiarum congeſſi in vnum opus, vt Sacerdotes aliqui, qui non omnes vel admodum paucos legerunt Theologos, ad hunc librum recurſum habeant, & Doctorum ſcripta melius intelligant. Acuta quoque & difficilia dicta eorum facilius cognoſcant, à quibus ſcriptis abhorreri & deterreri ſolent, quòd dictionum vis eos latet, vocabulorum autem ignorantia, errorem & difficultatem parit & gignit, & inextricabiles tenebras inuoluit, & implicat & oberrare facit. Cognitio verò dictionum Theologicarum ſenſum abſtruſum & abſconditum aperit & recludit, quem earum inſcitia claudit. Vt igitur melius ſacra ſcriptura intelligatur, ſalubriusque & rectius Paſtores animarum ſuas oues per doctrinam veram paſcant, & ne animarum ad ſanctitatem genitarum, quæ cæteris rebus ſunt præferendæ, ſalus negligatur, quibus plus eſt ſubueniendum ne damnentur, quàm fameſcenti Lazaro ne moriatur, iuxta doctrinam Gregorij in homel. Plus eſt, inquit, animam in æternum victuram pabulo verbi reficere, quàm ventrem morituræ carnis terreno pane ſatiare. Et ne denique Theologia contemnatur & peſſundetur propter vocabulorum ignorantiam, præſens opus ament, legant, & manibus contrectent. Erunt legentibus ſcripturam ſacram omnia facilia intellectu, prona dictu, honeſta ſuſceptu, & manifeſta ſingula. Modò ne pigeat ad percipiendum ſapientiæ diuinæ, diſciplinam legendi vel audiendi patientiam accommodare, & animum ad intelligendum præſtare & intendere. Quod quidem opus ad vtilitatem orthodoxæ fidei & totius Chriſtianæ religionis, & ad laudem omnipotentis Dei, cuius auſpicio præcipuè & ductu & gratia omnia fiant, compoſui, & ad edendum curaui. Quod onus tam arduum & laborioſum à me ſuſceptum non contemnant, floccifaciant, velim: & rogo omnes Mineruam ſacrã amantes. Quod quidem opus maximi laboris, Antiſtes Pater humaniſſime, tuæ præſtantiæ dedicare decreui. Quippe qui literas ſacras amares, eoſq; diligeres, qui illis eſſent ornati. Accipe igitur vir præſtantiſſime, benigno animo haſce meas lucubrationes & ſedentariam operam, monumentum mei laborioſi ocij. Accipe, inquam, Pater benemerentiſſime, hoc munuſculum tuo nomini ſacratum, & fac vt tuis auſpicijs, quibus id quantulumcunque eſt, auſpicatus ſum, legatur, vigeat, ametur, & per te edatur, & illis proſit, qui ſacras literas amore amplectuntur, & ſtudioſe legunt ſine inuidia, quíque alios in fide Chriſtiana inſtituere & docere laborant, & debent. Et velim & rogo, reuerendiſſime Pater, te plurimum, Ioannem tuum tuæ paternitati ſubditum, ab inuidis & malis hominibus defendas, & tuearis, qui te & veneratur, colit, & obſeruat. Non enim ignoro, Pater benigniſſime, permultos literatores, & inuidos eſſe, & fore, qui meos labores & vigilias aſpernabuntur, & contemnent, & arguent, ſicut qui inani Philoſophia tumentes, conculcant pedibus ſuis ſordidis, quicquid non ſapiunt, quicquid etiam non intelligunt canino dente lacerant & diſcerpunt, qui veluti tubera ſine radice viuunt, & charitatis & veræ eruditionis, qui vt lippi quibus omnia apparent alba, marmor à topho ſecernere neſciunt, quorum pectora felle virent, & lingua (vt Ouidij verbis vtar) eſt ſuffuſa veneno. Quare omnia peruertunt, & præſtantiora, & optima in peſſima mutant ſeu vertunt, quibus bonum malum, & malum bonum dicitur, putantes ſibi eſſe laudi, ſi optimè factis allatrent. Verùm hos nihil timeo, ſed nihilifacio, ſi te tutorem & defenſorem habuero. Sed ſi indoctis & malis non placeo, non eſt quod querar: nam his diſplicere laudi dandum eſt magis quàm vitio, ipſi enim quod bonum eſt, vituperant: malum verò laudare conſueuerunt: qui & doctiſsimis & præſtantiſsimis non parcunt. Sin doctis non probabor, eſt fateor quod doleam, non quod mirer. Scio enim quis ſum, non Theologus, ſed Theologiſta vel Theologaſter, aut Theologiæ vel diuinæ Mineruæ imitator & amator, non magno, ſed

exiguo præditus ingenio. Ab his malis hominibus, Pater celeberrime, Ioannem tuum defendas, quorum morſus effugere me non poſſe exiſtimo. Quicunque enim aliquid ſcribere molitur, & literis mandare perpetuis, & edere inuidiæ, & odio ſe obnoxium reddit, cui omnis præſtantia & claritas eſt odioſa & inuiſa, bonorum correctionem patientiſſimè & æquo animo fero: malorum autem iniuriam, calumniam & conuitia paſſurus ſum propter eum, qui & pro nobis multa vel maxima tormenta pertulit, quos tamen tu Pater pientiſſime, compeſcere, contundere & opprimere, & me adiuuare potes. Voluit autem Deus ſic res eſſe conditas, vt maiores iuuarent minores. Id quod & tua paternitas pro me contra aduerſarios, ſi quos habuero (vt timeo) facere poterit. Ego autem quod vnum poſſum, tibi meum omne ſtudium, & operam, & diligentiam meam, & obſeruantiam, polliceor & voueo. Vale quàm diutiſſimè & feliciſſimè Pater & Præſul clementiſſime, qui quo felici auſpicio rem cœpiſti gubernare publicam Eccleſiæ, eo fine concludas opto, ſcilicet feliciſſimo. Deumque immortalem, quibus maximè poſſum precibus oro, atque obteſtor, vt debeo, vt quàm diutiſſimus ſis in vita & incolumis ad multorum vtilitatem & commoditatem Eccleſiæ Auguſtenſis. Ex Mindelhaim intra Kalendas Octobres. Anno Virgine pariente ſeſquimilleſimo decimo ſeptimo.

IOANNES

IOANNES ALTENSTAIG
THEOLOGIÆ AMATORIbus & Studioſis S. D. P.

E ſi Lector candidè, illa præclara & magna videantur, quæ manu & arte conſtant, & à plurimis ſummo ingenio, diligentia parantur: tamen præſtantiora habenda erunt, quæ ſtudiis adiuncta, & quæ ingenio conficiuntur, & induſtria, monumentis conſeruantur literarum: & vt aliis vtilia ſint, in lucem edantur. Bonum namque quo magis ad multos ſe extendit, & pluribus prodeſt, eò præſtabilius & melius cenſetur: Id quod fiet, quando quiſquam ſua ſcripta aliis per publicationem communicabit, & ad multorum manus exire curabit. Quamobrem quum ego legerem ipſos Theologiæ profeſſores & Doctores, plura inueni vocabula, quæ ipſos vel plures Sacerdotes (qui, vt populum doceant, ſunt conducti in vinea Domini, quorum multi ſolummodo Sermocioniſtas, vt ipſi dicunt, ſine vero fundamentò legere conſueuerunt) latere poſſent, & eſſe obſcura: quorum ignorantia magnam gignit confuſionem & errorem in Eccleſia Dei. Ego eorum conſulens vtilitati, inſtitutum enim meum eſt quàm plurimis prodeſſe velle: rem perutilem facturam me exiſtimaui, ſi vocabula Theologorum & notamina quædam, quibus & diligens Lector multa Theologorum ſcripta difficilia, poſſet facilè intelligere, in vnum colligerem volumen: ſine quorum cognitione nullus rectè ſcripturam ſacram intelligere poterit. Nec omnia, quæ digna annotatione viſa ſunt, & mihi inter ſcribendum occurrerunt, inſerenda inſtitui: nullus enim operi ipſi inuentus fuiſſet finis. Sed de maximo electorum aceruo, quæ potiora viſa ſunt, elegi: & quæ Theologiæ ſtudioſis non parum profutura putaui: licèt Gentilium & Philoſophorum quandoque acceptiones vocabulorum inſerui, quibus & Theologi in ſuis libris & ſcriptis in Magiſtrum Sententiarum ſcribentes vſi ſunt: vt & clarius veritas intelligi poßit, nec inuſicata vocabula ſcribere volui. Terminis enim vſitatis in diuinis vel in ſacra ſcriptura vtendum eſſe dicit Gerſon. Nec eloquentiam Oratorum, quam Lector deſiderabis, in hoc opere ſum ſecutus, ſed Theologorum communium imitatus ſum morem, nec verborum elegantium curam modò habui: quoniam qui verborum exquiſitorum ſolummodo ſonum & elegantiam ſectari conati ſunt, inſigniter lapſi ſunt. Nec ibi curandum eſt de verborum ſplendore & ornatu, cùm de rebus altißimis & optimis fit ſermo. Satis autem habet venuſtatis ſermo Theologicus, etiam vbi vilibus verborum panniculis operitur: quemadmodum veritatem, dum de terra orta eſt, non auro vel ſericis, ſed panniculis Virgo mater inuoluit, vt dicit Gerſon parte ſecunda, ſermone facto in Concilio Conſtantienſi. Et ſicut mihi quærenti, & in ordinem ponenti vocabula occurrerunt, ita ſine ornatu & elegantia ſcripſi, & verbis quibus Doctores vſi ſunt: & ego. Nec quicquam meorum addidi, magis enim placuit confitendo ignorantiam ſilere, quàm impudenter propria ingerere. Vſus itaque ſum verbis non Grammaticorum, non Rhetorum vel Oratorum, & Poëtarum, ſed Theologicis: & vt puto, & potißimum Latinis in hoc opere, & imitatus ſum præcipuè Auctores, quos cum diligentia legi, vel pro maiore parte Gabriëlem Byel Præpoſitum primum in Schonbach, ſanctum Bonauenturam, ſanctum Thomam Aquinatem, Thomam Argentinenſem, Alexandrum de Ales, Albertum Magnum Sueuorum gloriam, Petrum Paludenſem, Petrum de Aliaco Cardinalem Cameracenſem, Cancellarium Pariſienſem Gerſonem, Ioannem Scotum, Richardum de Media Villa, VVilhelmum Occam, Franciſcum Mayronis, Gregorium de Arimino, Robertum Holkot, Pelbartum Themeſuuar, Stephanum Bruliferum, Iacobum de Valentia Epiſcopum Chriſtopolitanum, Guilhelmum Minatenſem Epiſcopum in Rationali ſuo diuinorum, Doctorem Eckium in ſuo Chriſopaſſo, Auguſtinum, Hieronymum, Gregorium, Ambroſium, Lactantium, & Paulum Corteſium, qui inter cæteros magna clares eloquentia & elegantia, & putares Ciceronem loqui, quoniam ipſe ſcribit elegantißimè. Et Petrum Longobardum ſententiarum ducem, quorum omnium & aliorum etiam dicta & ſcripta adduxi & allegaui. Si autem à me in aliquo erratum fuerit, aut ſi Doctores ſacræ Theologiæ non bene concordauerim, aut ſecundum propoſitum eorum ſcripta adduxerim, ſiq; Doctoribus debitum honorem & reuerentiam minus exhibuerim, veniam date optimi viri, & laborem, quem maximum die ac nocte habui, cauſamini. Nec voluntati meæ, quæ prompta eſt prodeſſe omnibus, ſed imprudentiæ meæ tribuite, qui errare facilè poſſum, ſed non pertinaciter paratus corrigi ab omni pio & libero correctore. Corripiat autem me iuſtus in miſericordia & increpabit me, vt cùm Pſalmographo loquar: Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Corripiat, inquam, zelo

charitatis,

charitatis, non inuidiæ. Nec ſi erra uero, hæreticus cenſeri volo, quum nullius pertinaciæ & temeritatis & inobedientiæ argui volo & contendo. Cedere enim paratus ſum perlibenter, vt debeo, Doctoribus Theologiæ bonis & eruditis: malos verò nihil timeo, nec curo, qui omnia etiam meliora & optima in peius vertunt. Nec ignoro me morſibus multorum eſſe obiectum, ſed iacula præuiſa minus nocebunt, quos me viciſſe exiſtimabo. Si bonis & doctis probabor in charitate, in Domino quoque gloriabor, cui omnia mea tribuo, non meis infirmitatibus. Et vt loquar cum Propheta Regio: Non nobis Domine, non nobis: ſed nomini tuo da gloriam. Victoriamq́ de inuidis & malis conſecutum arbitrabor, quando me profuiſſe videbo & vtilis fuiſſe dicor à rectis & iuſtis hominibus. Omnem autem meum laborem in finem vltimum, qui eſt Deus Optimus, Maximns, refero, & ad vtilitatem populi Chriſtiani: quicquid mali & facinoroſi ſentiunt, non facio pili. Valete Lectores & ſacræ Scripturæ amatores Chariſſimi, & meum laborem magnum pro vtilitate multorum ſuſceptum non aſpernemini, rogo. Vel ſi nulla aut parua fuerit vtilitas & commoditas, volnntatem tamen benefaciendi & commodandi, facilem non improbate.

Valete iterum, & me amore, quo ego cæteros bonos & doctos, & Chriſtifideles proſequi ſoleo, amate. Ex Mindelhaim intra Kalendas Octobres, Anno ſalutis noſtræ M. D. XVII.

GLORIA
DEO.

AD

AD REVERENDISSIMVM IN CHRISTO PATREM AC DOMINVM, D. Chriſtophorũ de Stadion, Epiſcopum Auguſtenſem, pro libri Auctore, Ioannis Piniciani Presbyteri Carmen.

Surge, age cum ſacra Præſul venerande caterua,
Quæ colit æterni numina ſancta Dei.
Surge citò, propera, vade obuiam, & excipe currus
Quos mittit dono Mindala parua tibi.
Ecce venit doctis ſeptem comitata puellis,
Aurea fragranti Theologia coma.
Hinc atque hinc graditur Doctorum turba virorum,
Qui Pean ſacrum nocte, dieque canunt.
Et ne parte aliqua poſsis errare, videbis
Agricolam dominæ ſtrata parare ſuæ.
Nanque humeris habilem cultor fert ille ſecurim,
Sed falcem ruris ſuſtinet arma manu.
Illa nodoſas ſtirpes excîdit & aufert,
Implicitos ſpinis falx ſecat ipſa vepres.
Hæc agit, vt facilem nullo diſcrimine curſum
Reginæ & dominæ præparet ipſe ſuæ.
Aſperaque fuerat, magnoque adeunda labore,
Illius ingenio ſtat patefacta via.
Accedet tutò nihil impediente magiſtram,
Quicunque ex animo dogmata ſancta petit.
Summe pie Antiſtes deuoti dona Ioannis
Altenſtaig fidei credita ſummæ tuæ.

IACOBI HENRICHMANNI CARMEN IN LAVDEM AVCTORIS.

Noſſe neceſſe fuit voces quas ruſticus effert,
Ruricolas inter ſi bonus eſſe velis:
Noſtratûm fidei doctorum voluere libros,
Si cupias & ſi dogmata ſcire velis:
Noſſe decet voces & rarò verba latina,
En quibus vtuntur, qui ſacra ſcripta docent.
En voces quibus & ſunt vſi Scotus & Occam,
Atque horum ſimiles te docet iſte liber.
Noſter Ioannes libro iſto barbara multa
Expoſuit verba: non ſine laude tamen,
Qui monſtrat cœnum quo fuluum clauditur aurum
Laudatur, nec ſic ſordidus auctor erit.
Sic meritò laudandus erit, qui barbara monſtrat
Verba, quibus certè dogmata ſacra latent.

VOCA-

VOCABVLARIVS THEOLOgiæ, complectens vocabulorum deſcriptiones, diffinitiones, & ſignificatus, ad Theologiã vtilium, cõpilatus à Ioãne Altenſtaig Mindelhaimenſi, ſacræ ſcripturæ vero amatore.

De litera A.

A*Bba*, Id eſt pater. De hoc Apoſtolus ad Rom.8. & ad Galat.4.dicit: Accepiſtis ſpiritũ adoptionis filiorũ, in quo clamamus: Abba pater. Et Marc.14. Abba pater, omnia poſsibilia ſunt tibi, transfer hunc calicem à me, ſed nõ quod ego volo, ſed quod tu. Vnde Lyra vbi ſupra in Apoſtolũ dicit, quod Abba pater duo ſunt nomina idẽ ſignificantia: vnũ Hebraicũ, ſcilicet Abba, ſiue Syrũ, vt dicit Hieron. in interpretationibus nominũ Hebraicorũ, & non merè Hebraicum. Alterũ, ſcilicet Pater, eſt Latinũ. Per hæc duo deſignat Apoſtolus, ſecundũ eundem Lyrã, duplicẽ paternitatẽ Dei. Vnam quæ eſt cõmunis bonis & malis, qua Deus eſt pater omniũ per creationem. Alia quæ eſt ſpecialis, qua Deus eſt pater iuſtorũ per gratiæ adoptionem. Ideo ibidem ſubdit Apoſt. Ipſe enim ſpiritusſanctus teſtimoniũ reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filij Dei. Et accipiendo perſonaliter, accipitur pro Patre, ſcilicet Deo, ſecundũ æternam generationẽ verbi. Ita accipitur Marc.14. vbi ſupra. Quandoq; Abba vel Pater accipitur eſſentialiter, id eſt pro eſſentia diuina, quę eſt vnica in Trinitate, & Pater ſecundum creationem. Malach.2. Nunquid nõ Pater vnus omnium noſtrũm: & iſto modo Deus Trinitas tota dicitur Abba vel Pater noſter, ita accipimus cùm oramus: Pater noſter, qui es in cœlis, &c. ſcilicet pro tribus perſonis, quæ ſunt in vna eſſentia, creatrice diuina, & non pro ſolo Deo Patre, quia totam Trinitatem adoramus.

Eſt autem diuina eſſentia, id eſt ipſe Deus Trinitas Abba vel Pater noſter. Primò creatione, & ſic dicitur Abba vel Pater, non ſolùm rationalium, ſed & omnium creaturarũ. Secundò eſt Pater imaginis participatione, & ſic eſt pater omnium Angelorum, etiam malorum, & omnium hominum, tam fidelium quàm infidelium. Deut.32. Nunquid non ipſe eſt Pater tuus, qui creauit te? & fecit, ſcilicet ad imaginẽ. Tertiò eſt Pater prædeſtinatione: & ſic eſt Pater omnium Angelorum beatorum, & hominum ſaluãdorum. Vnde de Angelis dicit Dominus Iob 38. Vbi eras cùm me laudarent Aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei. Quartò Deus eſt Pater adoptione, facta in Chriſti incarnatione: & ſic nõ eſt Pater Angelorum, ſed Dominus. Eſt autem Pater tantummodo hominum. ad Heb.2. Nuſquã Angelos apprehẽdit, ſed ſemen Abrahę, &c. Vltimò Deus dicitur Abba vel Pater gloriæ hæreditatione, & ſic eſt Pater omnium beatorum, Rom.8. Si filij, & hæredes. Quare autem Deus voluit vocari à nobis Abba pater, potes videre Raynet. in Summa. Chryſo. & alios Doctores, qui plures ponunt cauſas. Dicitur enim Pater, tum ratione reuerentiæ & timendæ offenſæ, tum ratione prouocãdæ amicitiæ quippe qui à nobis magis vult amari quàm timeri. Tum ratione penſandę gratię, tum ratione præſtandæ confidentiæ, vt confidentiam haberemus ad petendum, & ſpem largam ad impetrandum. Has rationes longiùs deducit & declarat frater Pelbartus lib.iij. Roſarij Theologiæ.

Abyſſus variè accipitur in ſcripturis. Vnde Alexãder de Ales: Abyſſus dicitur ab à quod eſt ſine, & byſſos quod eſt genus lini candidiſsimi: & ſic abyſſus dicitur quaſi ſine claritate. Vel abyſſus, id eſt abſque viſu, quia eius altitudo videri non poteſt. Vnde accipitur in ſcripturis præcipuè bifariam. Vno modo literaliter, & ſic ſecũdum Lyram illud Eccleſ.1. Abyſsi profundum quis dimenſus eſt: exponitur quod abyſſus eſt ipſa profunditas impenetrabilis maris Oceani. Vnde abyſſus eſt pelagus immẽſum, vel ſpelunca profundiſsima aquarum latitantium: vnde fontes & flumina procedunt. Ambroſ. libro Hexam. Abyſſum & multitudinem, & profundum aquarum dici lectio Euangelica, docet, vbi rogabãt Saluatorem dęmonia ne iuberet illis, vt in abyſſum irent. Et Auguſtinus: Vbi altitudo, ibi profunditas, quæ penetrare vſque ad fundum non poteſt. Omnis aqua, omnis humida natura, atque ſubſtantia circumquaque diffuſa per maria, & flumina, & antra occulta, ſimul vno nomine abyſſus vocatur. Gerſon Chriſtianiſsimus Cancellarius tractatu xj. ſuper Cantico Mariæ, dicit: Abyſſum eſſe profunditatem, cuius fundus aut terminus non poteſt ab inſpicientibus intueri. Vnde & Deus benedictus, trinus, & vnus, cuius iudicia ſunt incomprehẽſibilia, ſecundum eundem, abyſſus dici poteſt, vt paulò pòſt dicetur. Capitur alio modo metaphoricè, & aliquando pro peccatis. Vnde ſecundum Anſelm. Abyſſus ſunt peccata mea. Ex hac abyſſo nullus exit niſi per gratiam Dei. Nam qui ſponſè peccat, meritò in profundiſsimum infernum cadit, ſi hic per Dei miſericordiam non liberatur. Hinc Gerſon ſuper Magnificat vbi ſupra, dicit: Peccata ſua vix totus poteſt capere mundus. Sunt enim abyſſus multa & tenebroſa nimis, quæ altam ſibi damnationis abyſſum meruerunt & inuocant: & hoc Domine Deus in voce cataractarum tuarum, hoc eſt viarum tuarum inſcrutabilium, & iudiciorum occultorum, in quibus homo conſtitutus videre non poteſt an amore vel odio dignus ſit, neque agnoſcere de ſuis operibus quantumcunque iuſtus videatur quo terminentur fine, aut qua diſtrictione iudicentur. Hæc Gerſon. Accipitur quandoq; pro pœnis inferni. Pſalm.41. Abyſſus abyſſum inuocat, in voce cataractarũ tuarum. Abyſſum autem inuocare abyſſum ſecundum Iſidorum, eſt de iudicio conſcientiæ ire ad iudicium damnationis: in voce cataractarum tuarum, id eſt in prædicatione ſanctarum ſcripturarum tonantium ſuper peccatores. Iacobus de Valentia Chriſtopolitanus Epiſcopus, illud Pſalm. Abyſſus abyſſum inuocat, exponit de perſecutione & afflictione Eccleſiæ, quæ affligebatur à Iudæis, Tyrannis, & Regibus infidelibus, quæ perſecutio durauit vſq; ad cõuerſionem Conſtantini, in qua occiſa fuit infinita multitudo martyrum, &c. Accipitur & tertio modo abyſſus pro diuinis iudiciis, ſecundũ illud Pſalm.35. Iudicia tua abyſſus multa. Dicitur quandoque Theologia ſapientię profunditas. Vnde Apoſtolus ad Rom.11. O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei,

quàm incóprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viȩ eius, ſcilicet non tantùm humano, ſed etiam Angelico ſenſu. Vnde Aug. ad Voluſian. Tanta eſt Chriſtianorú profunditas ſcripturarú, vt ſi in eis quotidie proficeremus: nec tamen plenè poſſemus etiá ſi eas ſolas ab ineunte pueritia vſq; ad decrepitam ſenectuté maximo ocio, ſummo ſtudio, meliori ingenio conaremur addiſcere. Verùm hoc mirabile quod dicente Greg. Pelagus ſacrarú ſcripturarú profundiſsimum ouis peditat, ſed camelus natat, hoc eſt humilis attingit, non ſuperbus: quia Prouerb. 11. dicitur: Vbi humilitas, ibi ſapientia.

Ablatiui iſti, voluntate, neceſsitate, & natura, poſſunt capi dupliciter, nominaliter vel aduerbialiter, vt notat Dominus Cardina. Camer. Gerſonis præceptor, q. vij. at. j. ad rationé iiij. lib. j. Et Gab. d. vj. q. vnic. art. j. lib. j. ſent. Primo modo aduerbialiter. Vnde voluntate valet, id eſt volútariè, vel ſecundú quod ſignat idé quod liberè libertate cótingentiæ. Primo modo pater genuit filium voluntate, id eſt voluntariè, quia non eſt aliud dicere, niſi quod genuit filiú volens, vel quod voluit generare. Sed ſecundo modo nó genuit voluntate, id eſt liberè contingenter: & hoc intendit Magiſt. di. vj. quádo dicit, quod Deus nec volens, nec nolens genuit, &c. Et exponit de volútate præcedéte, vel antecedente, ſcilicet ipſi patri de nouo, & ſic hæc eſt intétio ſanctorú cótra hȩreticos, vt ait Petrus Cameraceñ. Sed neceſsitate aduerbialiter valet, id eſt neceſſariò, & hoc dupliciter. Vel neceſsitate immutabilitatis ſiue ineuitabilitatis, quæ opponitur contingentiæ: vel neceſsitati coactionis vel violentiæ. Vnde licet pater (vt Aliacenſis dicit) volens genuerit filium, non tamen genuit voluntate, id eſt contingenter, ſed neceſsitate, id eſt neceſſariò & immutabiliter: non quidem neceſsitate intelligentiȩ vel coactionis, ſed neceſsitate ineuitabilitatis. Concordat Gabriel vbi ſupra. Nominaliter capiuntur iſti ablatiui, & dupliciter. Vel quia conſtruuntur in ratione alicuius formaliter denominantis: ſicut dicimus, homo eſt albus albedine, & ignis eſt calidus calore, vel conſtruitur in ratione alicuius principij elicientis: ſicut dicimus, quod ignis calefacit calore, & albú diſgregat viſum albedine, quia calor eſt principiú elicitiuú calefactionis, & albedo diſgregationis. Vnde pater genuit filiú, nec voluntate, nec neceſsitate, neq; etiá intellectu, neq; natura, tanq̃ eo quo formaliter denominatur generás: pater enim nó dicitur generás à voluntate, natura vel intellectu, eo modo quo à fortitudine aliquis fortis dicitur. Sed hoc modo dicitur generás à generatione, ſicut calefaciens à calefactione, vt dicit Occam. Nam ſi Intellectus, vel voluntas, vel natura, formaliter denominaret patrem generare ſeu generátem, tunc etiam denominaret ſicut quodlibet ſuppoſitú in quo eſſet, & ita filius & ſpirituſſanctus eſſet generans: ſicut in quocunq; eſt caliditas ipſum denominatur calidú, &c.

Abſolutio. Abſolutio, vt notat Gerſon parte ij. eſt quadruplex. Quædam eſt ſacramétalis in foro conſcientiæ. Quædá iuridicialis in foro Eccleſiæ. Quædam ſatisfactoria. Quædam deprecatoria. Abſolutionis ſacramentalis forma eſt; ego abſoluo te in nomine patris, & filij, & ſpirituſſancti, amen. & ſufficit cum intentione abſoluédi. Expedit autem vt hȩc intentio ſit latiſsima, quȩ feratur ſuper omni caſu, in quo poteſt confeſſor abſoluere tam de ſententiis quàm de peccatis, & ita ſufficit hæc forma pro omnibus ſine multiplicatione verború. Ex quo habetur ſecundú eundem multa à pleriſq; adduntur fruſtrà in abſolutione ſacramentali, ad abſolutionem penitus nihil facientia. In hoc enim quod cóſeſſor quilibet cú intétione actuali, vel habituali dicit: Ego te abſoluo in nomine patris & filij & ſpirituſſancti, omnia cóprehendit, ſcilicet auctoritate mihi cómiſſa, vel qua fungor. Hanc enim códitionem præſupponit ipſa abſolutio. Item: à peccatis tuis mihi cóſeſsis, ſuperfluè additur, quoniá de non cóſeſsis nó abſoluit. Item & reſtituo te vnitati ſanctæ Eccleſiæ & ſacramentis eius. Si enim abſolutus eſt ex ſe, quia fidelis eſt iam reſtitutus eſt. Cȩtera latiùs vide apud Gerſ. Verú ſi quis fuerit à iure vel ab homine ſuſpéſus, aut maiori excómunicatione innodat⁹, ſeu irregularitate irretitus notoria, aut contumaci, aut certè illa, quæ ſedi Apoſtolicæ eſt reſeruata, in taliú caſuú abſolutiona prȩſcriptus eſt modus: videlicet in ſacris canonibus, vt eo nodus religetur, quo quis fuerat alligatus. Et hæc abſolutio ſimpliciter ſacerdotis tranſcendit poteſtaté ſalté ex iure poſitiuo, &c. Forma itaq; ſufficiés & neceſſaria eſt: abſoluo te, ſed ſatis cóuenienter prȩmittitur: auctoritate Eccleſiæ, à qua cóſeſſor accipit poteſtatem: vel auctoritate qua fungor: cóuenienter quoq; apponitur in forma ſupradicta: à peccatis tuis, ad denotandú de quo fiat abſolutio vel de quibus. Cætera nó addátur, ſuperfluú auté additur: & à circunſtantiis eorú, ſcilicet peccatorú. Nec adiungatur: de cótritis, periculoſum hoc eſt, & poteſt eſſe damnoſum. Et quod dicatur, de oblitis, ſimiliter ſuperfluú eſt, quia nó poteſt cóſitens de peccatis oblitis abſolutè abſolui, quin etiá teneatur cóſiteri, ſi in futuro recordetur. Nec valet dicere, quæ libéter cóſitereris ſiue quæ velles cóſiteri, ſi eorú haberes memoriam. Item malè exprimitur, inquantú poſſum & debeo, quia ſi nó poteſt, nó debet ſe ingerere ad audiendú: & ſi fortè occurrit caſus ſibi impertinens, debet remittere ad ſuperioré, ſed ſufficit quod intétio ſacerdotis ſit bene regulata. Illa auté particula: In nomine patris & filij & ſpirituſſancti, additur, ad denotandú, quod à Deo eſt quod abſoluit; vel quia omnia ſacramenta fiunt in virtute fidei, Trinitatis & paſsionis Ieſu Chriſti Domini noſtri. Nec eſt (vt Tho. dicit in iij. part. ſum.) de ſubſtátia abſolutionis, ſed relinquitur arbitrio ſacerdotis. Latiùs declarantur hæc à Gerſ. qué quæſo legas de abſolutione.

Abſolutio peccatorú eſt duplex, vt notat Gabr. diſt. xvij. q. j. ar. iij. dub. ij. lib. iiij. Quædá eſt recóciliáns peccatoré Deo: & hæc nó poteſt fieri de vno mortali & nó de alio, aliàs idé ſimul tempore eſſet Deo recóciliatus & inimicus, vt arguit Aug. Hæc abſolutio fit à Deo in inſtáti cótritionis, qua etiá peccator pœnitens abſoluitur, priuſquá cóſiteatur ſacerdoti, tá inferiori q̃ ſuperiori. Alia eſt abſolutio quo ad Eccleſiá, ſcilicet qua remouet cauſam ſeparationis ab Eccleſia. Ná omnis qui mortaliter peccat, ſeparatus eſt & excómunicatus, quantú ad ſe ab Eccleſia & à cómunione ſanctorú. Et ſicut excómunicatus plurib⁹ excómunicationibus, poteſt ab vna abſolui manéte alia: ſic quantú ad Eccleſiá ſacerdos poteſt abſoluere ab vno mortali & nó ab alio, ſicut

poteſt iniungere ſatisfactionem pro vno mortali & nõ pro alio. Hæc abſolutio nihil aliud eſt quàm iudicium ſiue ſententia prolata à ſacerdote; quod confeſſus non eſt ſeparatus ab Eccleſia propter hęc certa peccata, licèt fortè ſeparatus ſit propter alia. Hæc Gabriël vbi ſupra.

Abſolutum ſecundum Guilhelm. Scoti imitatorem ſuper j. diſt.xxvj. dicitur vno modo, vt diuiditur contra reſpectiuum: & ſic dicitur poſitiuè, ſicut dicimus quod ſubſtantia eſt abſolutum prædicamentum, ſed ad aliquid reſpectiuum. Secundò dicitur abſolutũ purè priuatiuè, ſcilicet pro cõceptu abſtracto ab abſoluto & reſpectiuo, ſicut ſi abſtrahimus ens finitũ à ſubſtãtia & relatione, tunc ens finitum nec eſt abſolutũ nec reſpectiuũ, loquendo poſitiuè, ſed ſolũ dicitur priuatiuè abſolutũ: quia nõ eſt actu reſpectiuũ, ſed poteſt eſſe. De his duob⁹ modis abſolutè loquitur Frãciſcus Mayro. Tertio modo abſolutiuè dicitur purè negatiuè pro eo cui conuenit ſic eſſe ad ſe, q, nullo modo ad aliud: & ſic in diuinis diuina eſſentia eſt abſoluta, & quidditates ſubſtantiæ & qualitatis in primo ſigno, ſicut humanitas, æquanimitas, &c. Hæc Guilhel. Vorrilũg. Et eſt regula, quod abſolutum non cõſtituit perſonam diuinam, vt & ſcribit Pelbar. de Themeſwar ordinis Minorum de obſeruãtia. Aliàs abſolutum idem eſt quod perfectum, quo perſæpè vtitur Paulus Corteſius Theologus ille eloquentia clarus in libris ſuis ſententiarum. Vnde diſt.x.lib.iiij. de beatitudine ait: Verius dicemus extremum, abſolutumq; bonorum diuinæ naturæ ſpectatu contineri, cùm perſpicuum ſit hominem nunquã eſſe poſſe cumulatè abſolutum quo ad ei appetendi aut indagandi quippiam reſideat. A quo abſoluere, id eſt perficere. Vnde idem Corteſius: Quod ſenſuum, ait, cognitione non exit, nec felicitatem quidem hominis abſoluere poteſt. Et aliàs in multis locis id quod ratione efficit, id nec abſolutũ eſſe poſſe, &c.

Abſtinentia ſecundum Richardum diſt.xv.artic.iij. q.j.lib.iiij. poteſt accipi ſecundum quod importat ſubtractionem cibi & potus abſolutè: & hoc modo non dicit virtutem, nec actũ virtutis, quia hoc poteſt fieri bene & malè. Alio modo poteſt accipi ſecundũ quod importat ſubtractionem cibi & potus regulatam ratione: & hoc modo eſt virtus, quia per eam carnis vitia reprimũtur, vt tamẽ natura corporis nõ deſtruatur, & eſt virtus ſpecialis ab aliis diſtincta: ſuũ enim formale obiectũ, quod eſt mediũ in delectationibus ſecundũ guſtũ per cõparationem ad cibũ diſtinctũ eſt à formalibus obiectis aliarum virtutũ: & eſt pars ſubiectiua temperantiæ, ſicut & ipſe declarauit li.iij. Prima & originalis cõditio abſtinẽtiæ, ex qua ferè omnes aliæ cauſantur, eſt, quia carnẽ & ſpiritũ in ſua natura cuſtodit, vt ſcribit Antoninus par.iiij.tit.iiij.c.iiij. natura enim carnis, ſecundũ ordinem rationis eſt, quod ſpiritui ſit ſubiecta, & natura ſpiritus eſt, quod ſibi dominetur eam dirigendo, & vertendo ad virtutis exercitium. Et hoc expreſſit Deus, qui eſt naturæ auctor, loquens ad Cain, Geñ.4. Subter te, inquit, erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius: quod intelligendũ eſt de dominio rationis, & ſubiectione appetitus ſenſitiui, vt Anton. ait. Nam ſecundũ quod dicit Tullius lib. Offic. duplex eſt vis animæ, Vna eſt ratio, altera appetitus rationis eſt dominari & dirigere. Appetitus autẽ obtemperare & dirigi. Multa de abſtinẽtia vbi ſupr. Anto. Floren. Quandoq; autẽ eſt abſtinẽtia immoderata, & ne talis ſit in aliquo prudens rector attendat, quæ quãdoq; periculoſior eſt quàm edacitas immoderata: de qua vide Gerſo.ij. parte operum tract. de nõ eſu carniũ. Eſt præterea abſtinentia hypocritalis, quam idem Gerſon reprehendit part.iij. tractatu de diuerſis tentationibus diaboli, & inter cætera dicit: Legimus de multis ita ſeductis peſſimo fine terminantibus vitam, vt ſunt iſti, qui ſingularitate quadam abſtinentiæ volunt videri, & laudari ab aliis, ſicut & idem ponit exemplum de quadam muliere abſtinentiam ſingularem habẽte, &c. quam & reprehendit. Dicit enim repperi hanc abſtinentiã non ſobrietatem, ſed vanam, ſuperbamque pertinaciam. vide eum latiùs part.j. tractatu de diſt. verarum viſionum à falſis. Sic dicendum eſt de iſta puella vel muliere, quę abſtinuit à cibo & potu, quæ ſe omnino nihil comedere dicebat: quam plures pro ſancta & beata habuerunt, ſed qualem res exitum habuit, compertum eſt nobis omnibus.

Abſtractum & concretum differunt, vt clarum eſt ſecundum Logicos, quia abſtractum dicit ſolam formam in ſe, ſicut caſtitas, veritas, albedo, &c. Sed concretum dicit duo, ſcilicet formam cum ſubſtrato vel cum ſubiecto ſimul, ſicut caſtum, verum, albũ. Vnde Aug. li.j. Solilo. dicit: Aliud eſt caſtitas, aliud caſtum: aliud veritas, aliud verum. Non enim caſto, caſtitas, ſed caſtitate ſit caſtum. Et cùm caſtus quis moritur, non moritur caſtitas. Auguſt. Genera abſtractionum videto apud Logicos, & Occam, Scotum, Petrum de Aquila, & Gerſonem part.iiij. de modis ſignificandi.

Actus pro operatione capitur, ſed plerunq; interiori, vt actus voluntatis. Eſt autem duplex actus voluntatis, vt notat Gab. di.xxiij.q.ij.art.iij.dub.iiij. lib.iij. vnus elicitus, qui eſt velle & nolle. Ille enim propriè eſt voluntatis, vt talis eſt non alterius potentiæ. Alius eſt imperatus, & eſt actus cuiuſcunq; potentiæ, ſcilicet intellectus ſenſus, vel motiuæ ad voluntatis imperiũ, quod eſt velle cauſatus vel conſeruatus aut productus. Magna autem eſt differentia inter actum voluntatis elicitum & imperatũ, vt idem ſcribit Gabr. lib.iiij.di.xvj.q.j.art.iij. dub.j. quo ad eius bonitatem, & malitiam. Nam actus elicitus eſt intrinſecè vitioſus aut virtuoſus: & ideo mutari nõ poteſt, vt primò ſit vitioſus, pòſt virtuoſus, vel econuerſo ſaltẽ naturaliter, quoniã ſecũdum Occã circunſtantiæ & maximè finis, ſunt obiecta actus eliciti: & ideo mutata circunſtãtia prior actus elicitus non cõtinuatur, ſed nouus elicitur, ne dum nouus numero, ſed ſpecie. Nam velle aliquid propter vitare pœnã, & velle idẽ propter cõſequi gloriam, vel propter amorem Dei id præcipientis ſunt diuerſi actus ſpecie, etiam in ſpecie naturę. Et quoniam attritio & contritio ſunt actus eliciti habentes diuerſa obiecta, quia diuerſos fines, ideo differunt ſpecie. Nec vnus poteſt fieri alter nec ambo partes vnius, &c. Actus verò imperati ſunt extrinſecè, & accidentaliter vitioſi & virtuoſi, & denominatione extrinſeca, & reſpectu horum finis eſt circunſtantia: & hi poſſunt mutari, vt

primò ſint virtuoſi, deinde vitioſi vel econuerſo, ſicut actus vindicādi peccatū (puta punire peccatum vel ſuſtinere pœnā inflictam) eſt actus imperatus, & ille poteſt continuari idem numero, ſicut eadem pœna poteſt cōtinuari diuerſis tamen finibus, & ita fieri ex vitioſo virtuoſus.

Actus voluntatis eſt duplex, ſcilicet velle & nolle (vt ſcribit Scotus d.vj.q.ij.li.ij.& Gab. eadē di.q.vnic.ar.j.nota.j.) Eſt autē nolle actus poſitiuus volūtatis quo fugit diſcōueniens vel quo reſilit ab obiecto ſibi diſcōueniente, vt nolo infirmitatē. Nolle verò odire, deteſtari, deacceptare, reprobare, refugere, reſilire, idem ſunt, vt ait Stephanus Bruleſ. Et eſt (vt ita dicam) quoddā velle negatiuū, ſcilicet velle aliquid nō eſſe, vel nō ſic, aut ſic eſſe. Velle eſt actua quo acceptat aliquid, vt bonū vel cōueniens, & eſt velle affirmatiuū quo aliquis cōplacet in obiecto, vt volo ſanitatem, volo ſtudere, volo ſcientiā, eò quòd ipſa ſit perfectio animæ. Idē autē ſecundū Scotum ſunt velle diligere, amare, acceptare. Amare enim vel diligere eſt alicui velle bonum. Eſt autē duplex velle, vt idē ſcribit Dominus Præpoſ. Gab. vbi ſup. ſcilicet amicitię, & velle cōcupiſcentię, & hoc reſpectu vnius obiecti, quia idē actus poteſt ſimul eſſe amor cōcupiſcentiæ & amicitiæ reſpectu diuerſorum obiectorū finis, ſcilicet & medij propter finē. Velle ſeu amor amicitiæ eſt quo alicui volo bonū, velle cōcupiſcentię, eſt illius obiecti, quod volo alij amato, amore, amicitiæ, vel cōcupiſcentiæ, vel quo volūtas amat aliquid nō in ſe, ſed propter aliud magis amatū, vt diligo bonū vinum propter aliquod, quod magis accepto, quia quodcunq; amatur amore concupiſcentiæ, amatur propter aliquod magis amatū, vt amo ſcientiā propter animā: eſt enim perfectio animæ. Eſt autē ordo illorū actuū, quia regulariter omne nolle præſupponit velle, vt etiā vult Scot. A nullo enim refugio niſi quia nō poteſt ſtare tanquā conueniens ei quod diligo. Exemplū ponit Aug. Auarus, nummus, panis: auarus enim refugit panē, vt reſeruat nummū. Aliud exemplū, nolo eſſe ocioſus, quia diligo ſtudere. Nullū autē nolle poteſt eſſe primus actus voluntatis, quia ſemper præſupponit aliom actū priorem, ſcilicet velle. Item duorum velle ſimiliter eſt ordo: quia velle concupiſcentiæ præſupponit velle amicitiæ tanquam volitio medij volitionis finis. Non enim volo aliquid tanquam bonum, & cōueniens alicui, niſi illud velim, & amem cui bonū volo. Et ſimilis proceſſus eſt in actibus voluntatis deordinatis. Et primus actua voluntatis ordinatus, eſt ordinatus amor, ſeu velle amicitię. Et primus actus inordinatus eſt inordinatum velle amicitiæ. Et ſi primus amor amicitiæ ordinatus eſt, omnes actus eum ſequētes velle & nolle ordinari niſi contingeret error in intellectu. Vide & infra plura in dictione *Velle*.

Actus imperatiuus dicitur dupliciter, vt ſcribit Gab. di.xxxvj.q.vnic.ar.j.lib.iij. formaliter & virtualiter ſeu æquiualenter. Actus formaliter imperatiuus executionis eſt actualiter velle exequi aliquid ſimpliciter, aut velle ſuſtinere actualiter ſine rebellione: vt ſi quis intēta ſibi morte pro defenſione fidei imperat potentiis inferioribus ſuſtinere mortē, ſine rebellione iſtud imperiū (quod nihil aliud eſt quàm velle actualiter ſuſtinere mortē, dū infertur prò defenſione fidei) eſt actus imperatiuus. Similiter habēs multas diuitias, qui vult actualiter & efficaciter illas dare pauperib⁹, quod eſt imperare mēbris exterioribus executionē. Nā illud imperare mēbris nihil aliud eſt q̄ actualiter velle per mēbra dare pauperibus. Actus imperatiuus nō formaliter, ſed æquiualenter eſt velle aliquid nō abſolutè cōditionaliter, ſcilicet amoto impedimēto, vt pauper qui vellet dare omnia ſua propter Deum, ſi haberet danda: iſtud velle non eſt velle ſimpliciter, & abſolutum, non enim poteſt rationabiliter velle ſimpliciter, & abſolutè dare, qui danda nō habet propter impedimentum, ſcilicet carentiam doni dandi. Similiter velle ſuſtinere mortē, ſi immineret pro fidei defenſione propter Deum: licèt modò non immineat. Illud velle eſt actus imperatiuus, ſed non formaliter, ſed æquiualenter, & ex illis actibus generantur habitus ſpecie diſtincti, vt Gabr. latiùs ibi dicit.

Actus voluntatis vt ſit rectus requiritur quod fiat conformiter ſuæ regulæ. Regula voluntatis eſt ratio, id eſt dictamen rationis non culpabilis, non dico rectæ, ſed non culpabilis, quia etiam voluntas tenetur ſe conformare rationi erroneæ: ſi error fuerit inuincibilis, quæ tamen non eſt recta, ſed inculpabilis: tenetur ergo ſe conformare dictamini rationis non culpabilis. Et actus voluntatis eſt vitioſus, quando fit contra regulam rationis non culpabilis inexiſtentis, vel in eſſe debētis. Gabriēl diſt.xxij.quæſt.ij.libr.ij. quando autem ratio dicatur culpabilis, vide infra in dictione *Ratio*.

Actus liber, vel eſſe in libera poteſtate voluntatis, poteſt intelligi tripliciter ſecundū quod actus à voluntate procedētes ſunt in triplici differētia, vt ſcribit Dominus Cardinal. Camera. in principio in iij. ſent. Quidā enim ſunt, qui fiunt immediatè ab ipſa voluntate, & à quibus anima rationalis denominatur volūtas, ſicut ſunt actus volēdi: & iſti ſunt primi & principaliter, & propriiſsimè liberi. Alij ſunt actus intelligendi, qui fiunt ab intellectu mediante actu volendi & nolēdi, & à quibus anima rationalis denominatur intellectus ſeu intelligens, ſicut ſunt actus credendi articulos fidei, quia vt ait Aug. Cætera poteſt homo nolens, credere aūt nō niſi volens: & ideo actus credendi licèt ſit actus intellectus, ſeu actus intelligendi, tamen ſit particulariter à voluntate, ſeu mediante actu volendi. Et propter hoc licèt intellectus intelligendo agat vt potentia naturalis, & non liber, tamen aliqui actos eius poſſunt aliquo modo dici liberi, quia aliqualiter fiunt mediante actu libero voluntatis concurrente ad hoc apparentia rationis, licèt non cogentis. Alij ſunt actus potentiarum ſenſitiuarum imperati à voluntate libera: ſicut currere, ambulare, ire ad Eccleſiam, dare eleēmoſynam, & ſic de ſimilibus: & iſti actus licèt ſint naturales, tamē poſſunt dici eſſe in poteſtate voluntatis, pro quanto fiunt ex eius imperio. Et licèt (vt idem ait) nullus actus intelligēdi, qui nō fit à voluntate ſeu mediāte actu volēdi ſit virtuoſus, vel meritorius, aut etiam vitioſus, nec demeritorius, quia talis eſt purè, & merè naturalis: tamē actus intelligendi, qui fit mediāte actu volendi, poteſt eſſe meritorius, quia talis licèt non ſit propriiſsimè liber, ſeu in libera poteſtate voluntatis, tamē eſt aliquo modo liber & in poteſtate volun-

voluntatis, pro quāto dependet ab ea, & hoc ſufficit ad hoc quod in eo cadat ratio meriti, vel demeriti, ſicut etiā dici poteſt de actu exteriori. Et ita dicendū eſt, quod actus credēdi articulos fidei eſt meritorius, & eſt in poteſtate voluntatis. hæc Aliaceñ. Ille verò actus ſolus formaliter, & intrinſecè eſt liber (vt ſcriptis reliquit Gerſ. par. iij. trac. ij. de canticordo) qui elicitur à volūtate libera formaliter, & eſſentialiter. Sunt alij actus qui dicūtur liberi participatiuè, eò quòd imperātur à voluntate libera, & hoc diuerſis ordinib' vel gradibus proximis, aut remotis in ordine ad ſpiritualis cordis imperiū. Exemplū in cantico, quod elicitur primò à mente cordis, hoc enim vtitur verbo Maria in ſuo Mag. deinde formatur in corde carnis per imaginariuā virtutē canticum ſimile: per imperiū volūtatis procedit deinceps ad ſenſus exteriores, præſertim ad os vbi fit ſonus vocalis, aut progreditur vſque ad percuſsionem inſtrumentorū muſicorum: in quibus fit reſonantia, quæ licèt fiat in rebus nō animatis, nec vllo modo libertatem habentibus. Dicuntur tamen hæc cantica libera, quia ſunt ſaltem mediatè à libero arbitrio imperata. Exemplum de ſagitta, quam ad occiſionem hominis miſſam dicimus liberè moueri, quia mors inde ſecuta, liberè facta iudicatur & punitur. Hæc Gerſon.

Actus dicitur tripliciter, ſicut potentia, quæ opponitur actui, vt ſcribit Gabriël di. xij. q. j. lib. ij. Primo modo actus vel eſſe in actu dicit rem exiſtentem, de qua, ſcilicet eſſe ſimpliciter prædicatur: puta, quę eſt extra cauſas, & intellectum. Secundo, quod agit præſentialiter aut perficit. Tertio modo, quod de præſente recipit vel perficitur: vnde materia eſt ens in actu primo & tertio modis capiēdo actum, non autem ſecundo modo: patet quo ad primum, quia eſt ens actualiter exiſtens: quo ad tertium, quia actualiter recipit in ſe formam, à qua actu perficitur, non autem ſecundo modo: quia non agit, nullius enim eſt actiuitatis. Alioquin non eſſet materia prima. De quo latiùs vide Gab. vbi ſupra.

Actus humanus eſt actus hominis deliberatiuus, id eſt actus liberè productus cum certa apprehēſione obiecti. Vnde caſualis fricatio barbæ, aut motus manus aut pedis factus non à propoſito, nō dicitur humanus. Et actus human' bonus eſt duplex. Quidam eſt intrinſecè bonus & virtuoſus, quidam extrinſecè. Intrinſecè virtuoſus ſeu bonus eſt, qui eſt bonus neceſſariò, ita quod non poteſt eſſe actus humanus, & non eſſe bonus. Extrinſecè virtuoſus eſt, qui eſt virtuoſus per coexiſtentiā alicuius alterius actus, ſine quo eſſe poteſt: & ita eſt contingenter bonus: quia poſſet eſſe idem numero, & eſſe non bonus. Gabriël diſtin. xlj. quæſt. vnica, libr. ij. Et actus intrinſecè bonus, vel eſſentialiter, vel formaliter, non poteſt fieri vitioſus, ſicut omnis actus voluntatis elicitus cōformiter rectæ rationi. Actus virtuoſus, contingenter eſt actus, qui idem numero naturaliter non poteſt fieri nō virtuoſus, vt ſunt actus imperati à voluntate. Et dicitur naturaliter, quia ſupernaturaliter actus intrinſecè virtuoſus poteſt fieri non virtuoſus, vt qui à ſolo Deo conſeruaretur. Vide latiùs Gabriëlem diſtin. xxiij. qu. j. lib. iij. Et Occam qu. vj. iiij. quodlib. & iij. quodlib. quæſt. xiij. Item q. x. & xij. tertij ſenten.

Actus virtuoſus eſt actus bonus. Ad actum autem virtuoſum tria requiruntur ſecundū Philoſophum 2. Ethic. cap. 4. Vide ad hoc Gabriëlem diſt. xxxvj. q. vnica, libr. iij. Primum eſt quod eliciens actum, operetur ſciens non caſu, vel ignoranter, ſed ex ratione ſciēs quid faciat. Et ſic requiritur quod actus talis ſit eliciendus ſecundū dictamē rationis. Secundum quod operetur cligēs, ſcilicet ex electione libera, & hoc pertinet ad voluntatē ſicut primū ad intellectū ſeu rationē. Oportet enim quod volūtas liberè eligat operationē ſuā, hoc eſt liberè velit oſtēſum vel dictatū à ratione, nō neceſſariò ex ſurreptione, vel paſsione, vel timore, ſcilicet aut dolore aut coactione. Itē nō propter lucrū, cōmodum, vel delectationem, aut aliquā quācunq; cauſam, quā nō dictat recta ratio. Tertiū quod ponit Philoſoph. eſt quod firmè & immobiliter operetur: & hoc quidē reſpicit rationē habitus, qui eſt difficulter mobilis, ſecundum quē habens eū operatur cōſtanter quo ad ſeipſum, & immobiliter quo ad exteriora impedimēta, aut quod per nulla exteriora moueatur, quin operetur eligēs propter hoc, quāuis illa tertia conditio nō requiritur ſimpliciter ad omnē actū virtuoſum, verū reſpicit ſolū actum ab habitu procedentē. Ex quo ſequitur (vt vult idē Gabr. d. xxiij. q. j. lib. iij.) quod nullus actus poteſt eſſe virtuoſus ſine recta ratione, oportet enim quod eliciēs ſit ſciēs: ſciētia autem pertinet ad intellectū & rationę: vnde carentes vſu rationis, actus virtuoſos habere nō poſſunt, vt pueri, amētes, furioſi. Vide ad hoc plura Occā q. xiij. & q. xij. tertij, & in q. vj. iiij. quodlib. & in aliis locis. Et actus humanus dicitur virtuoſus, quia actus hominis eſt. Nam homo agēs inquantū homo agit per rationē & voluntatē (vt ſcribit Richar. di. xlix. ar. j. q. j. lib. iiij.) quia per hoc diſtinguitur à brutis. Vnde actus hominis nō procedēs ex ratione & voluntate, & ſi poſſent actus hominis dici, non tamen propriè loquendo dici poſſunt actus vitæ humanæ, ſed magis vitæ brutalis. Et vt actus elicitus ſecundum dictamen rectæ rationis dicitur virtuoſus, ita per oppoſitum actus vitioſus eſt contra dictamen rectæ rationis, vt ſcribit Gabriël diſtin. xxxvj. q. vnica, artic. ij. libr. iij.

Actus conformis rationi rectæ aptitudinaliter (vt ſcribit Gabriël diſtin. xxiij. quæſt. j. libr. iij.) eſt qui elicitur, ſicut ratio dictaret eum eſſe eliciendum ſi ineſſet, licèt non inſit de facto. Vnde ad actum eſſe virtuoſum ſecundum Occam lib. iij. ſenten. nō ſufficit conformitas ad rationē rectā aptitudinalem, quia nō habens vſum rationis poteſt elicere actum conformem rationi rectæ, ſi ineſſet, vt poteſt indigenti dare eleēmoſynam: & tamen talis actus non eſt virtuoſus, quia non operatur ſciens. Hinc dicit Philoſophus 2. Ethic. cap. 4. Iuſtus & temperatus eſt, non qui hæc, ſcilicet iuſta & temperata operatur, ſed qui ſic operatur, vt iuſtè & temperatè operatur. Actum autem elici conformiter rationi rectæ ſecundum Occam quæſt. xiij. libr. tertij ſenten. eſt ipſum elici ſecundū rectā rationē regulātem, & dictantē talē actū eſſe eligendū, quod quidē dictare ſiue regulare non eſt aliud q̄ ſpeciali modo actū illū cauſare. Si quidē ſuſpenſa actiuitate voluntatis, vel prudentiæ, nullo modo diceretur actus ille virtuoſus, quia virtuoſum & vitioſum ſunt nomina

connotatiua, & ſignificant actum non abſolutè, ſed connotãdo, cum hoc actiuitatem voluntatis & prudentiæ: & quando aliquid horum cõnotatorum deficit: nõ dicitur eſſe actus virtuoſus, vt Occã ait.

Actus indifferẽs dupliciter accipitur. Vno modo pro actu humano, qui nec eſt virtuoſus, nec vitioſus: puta, qui nõ eſt elicit⁹ vel imperatus, cõformiter rectę rationi, & propter hoc q̃ ratio ſic dictauit fiendum neq; difformiter cõtrariè: licèt difformiter cõtradictoriè: vt ſi quis actũ aliquẽ elicit, vel imperat: non quia ſic fieri debere recta ratio dictauit, nec oppoſitũ. Sed quia ita facere placuit vt operari aliquid pro delectatione, quod recta ratio neq; dictauit, neque eius contrariũ. Secũdo actus indifferẽs accipitur, vt eſt actus primò indifferẽs, nec bonus, nec malus moraliter, potẽs idẽ numero fieri bonus & malus, non ſimul, ſed ſucceſſiuè, vt eſt actus primò nõ ordinatus in finẽ aliquẽ ordinabilis, tamen in finẽ bonũ, & etiã in finẽ malũ, vt ire ad Eccleſiã, quod primò nõ ordinatur in finem virtutis, & poſt fieri poteſt propter finẽ laudabilẽ, vel vituperabilẽ. Occã in multis locis, & poſt eũ Gab. d. xlj. q. vnic. li. ij. Ad hoc autẽ vt actus indifferẽs fiat virtuoſus, vt ſcribit Gab. di. xxiij. q. j. ar. j. li. iij. nõ ſufficit aſsiſtẽtia rectæ rationis cui cõformetur, ſed oportet q̃ eliciatur actus nouus voluntatis intrinſecè virtuoſus eius continuationẽ cõformiter ad rectã rationẽ imperãs, hoc eſt nouũ velle, quo volũtas vult actũ illũ indifferentẽ, vel priùs malũ cõtinuare cõformiter ad rectã rationem, & hoc velle eſt eſſentialiter virtuoſum. Et hoc latiùs declarat poſt Occam, Gabr. vbi ſupra.

Actus vt ſit bonus requiruntur nouẽ, vt ſcribit Bruleſer d. xiiij. q. xj. li. ij. Primò, quid agis? oro. Secundò dicit circunſtantiã agẽtis, vt ſacerdos debet celebrare Miſſam, nõ autẽ alius quicunq;. Vnde Ozias fuit percuſſus lepra, quia vſurpauit ſacerdotiũ. Tertiò, cui: ſoli Deo eſt offerendũ ſacrificiũ: ideo errauit Salomon in fine vitæ, adorãdo Idola: & eſt circunſtantia obiecti. Quartò, quantũ, in hoc defecit Loth, quia nimis bibit, ideo cecidit in inceſtũ cognoſcendo proprias filias, & eſt circunſtãtia quãtitatis. Quintò, qualiter: & dicit circunſtantiam modi agẽdi: iſto modo Eſau defecit nimis feſtinãdo comedere cibũ Iacob fratris ſui. Sextò, quãdo in iſta circunſtantia, defecit ille qui collegit ligna in die ſabbati. Septimò, vbi, dicit circunſtantiã loci, iſto modo defecerunt duo Reges Amazias & Azarias, qui non amouerunt excelſa poſt ædificationẽ templi. Octauò, per quid, dicit circunſtantiã mediãte quo, & iſto modo defecit Saul conſulens Phitoniſſam. Nonò, propter quid, iſto modo deficiũt omnes hypocritæ ordinãtes facta ſua ad laudẽ hominũ: hæc Bruleſer. Sed actus non poteſt eſſe perfectè bonus, vel virtuoſus, niſi fuerit in finẽ vltimũ ordinatus, vt ſcribit Gab. d. xv. q. xij. dub. v. li. iiij. & idẽ in iij. vt procurare vitalitia ſiue reddit⁹ annuos, ſiue perpetuos, ſiue temporales, ſi huiuſcemodi ordinãtur in vltimũ finẽ, vt quietius poſsit ſeruire Deo, intereſſe diuino cultui, ac orationi, ac meditationi, atque ſalubribus exercitiis vacare, aut vt poſsit diuinũ cultum in aliquo loco de nouo inſtituere, vel inſtitutũ cõſeruare, augere, vel lapſum reformare, ſiue vt liberalius pauperib⁹ eleẽmoſynã dare, vel hoſpitalia fundare, vel pro repub. vt populus quietius Deo ſeruiat, vel vt ſenio prouideat, vel infirmitati: ſic licet emere, aut poſsidere redditus. Si verò deficit circunſtãtia vltimi finis, & adeſt alius finis reprobus: puta, ſi ordinatur ad fugiendũ labores, vt poſsit in otio viuere, aut voluptatibus, & põpis fomẽta præſtare, aut cũ damno reipub. & pauperũ ditari, vel theſauros ſuperfluos perſonæ, & ſtatui congregare: & ſic de ſimilibus illicita eſt redditũ emptio & venditio. Sicut omnis commutatio & generalius omne medium ordinatũ in finem malum, malũ eſt ex circunſtantia finis indebiti: & ſic de aliis actibus, vbi circunſtantia finis deficit, non poſſunt dici perfectè boni. Aſtipulatur Gerſon parte iij. de vita ſpirituali animæ lectione j. Probabile eſt, inquit, nullum actum creaturæ de per ſe, & intrinſecè eſſe bonum, bonitate moris, aut meriti, aut ſimiliter malum, niſi per reſpectum ad diuinam rationem, & voluntatem: quia videlicet diuina volũtas & ratio dignificat hominem pro tali actu, & pro alio indignificat: imò dicimus, quod ſine actu quocunque poſſet dignificare creaturam. Et paulò pòſt dicit idem, quod non eſt in poteſtate libera voluntatis creatæ facere aliquod bonum morale, aut gratuitum, niſi ex dignificatione voluntatis primæ legis. Ex quo patet gratiam eſſe neceſſariam ad omne bonum, ſupra gratuitam largitionem bonitatis naturalis, &c.

Actus referri in vltimum finem, tripliciter poteſt intelligi, vt ſcribit S. Bonauen. quem imitatur Scotus, & poſt eos ſcribit Gabr. di. xlj. q. vnica, libr. ij. ſcilicet actualiter, virtualiter, & habitualiter. Actualiter dum actu cogitans de fine diligit illum: & vult aliquid propter illum. Virtualiter, quando ex cognitione & dilectione finis deuentum eſt ad volitionem huius entis ad finem, licèt tunc cùm actum producit, non cogitat de fine. Exemplum ponit Scotus, & recitat Gab. ponit aliud S. Bonauentura, vt ſi aliquis intendit propter Deũ dare decem marcas, & incipit dare, & cogitat de Deo, nihilominus omnes illæ dationes aliæ virtualiter referuntur in Deum, quia conſequenter ſe habet ſiue conſequuntur ad illam operationem, quę actualiter fuerat relata in Deum. Si tamen, inquit, opus alterius generis, id eſt impertinens ad primam intentionem inciperet, oportet quod intẽtio renouaretur ad hoc quod opus ordinaretur in finem. Habitualiter omnis actus refertur in finem, qui ſimul manens cum charitate, eſt referibilis in finem, quod additur propter peccatum veniale, quod ſtat cum charitate, ſeu gratia, & tamẽ non refertur habitualiter in Deum. Sic aliquis actus dicitur non referre negatiuè: quia nec virtualiter, nec actualiter refertur. Priuatiuè, quia non eſt natus referri, vt actus peccati venialis. Contrariè, vt peccatum mortale, quod corrumpit principium referendi. Veniale verò & ſi ſtet cum gratia, non tamen eſt natum referri in Deum. Vide Scotũ di. xlj. lib. ij. Nullus autẽ actus, vt ſcribit Gabriël, habens charitatem, relatus in finem vltimum virtualiter, ac actualiter eſt indifferens. Nam omnis talis eſt meritorius: ergo non indifferens. Ex quo infert S. Bonauentura, valde conſolatorium viris religioſis, ſcilicet quod qui in principio ex charitate Deo vouerunt, portare religionis pondus, quicquid faciunt quod ad ſuæ religionis obſeruantiam ſpectat ex prima intentione, eſt eis meritorium ad ſalutem, niſi fortè (quod abſit) contraria

inten-

intentio ſuperuenerit. In aliis autem quæ ad religionem non ſpectant, ſecùs eſt, quia illa intentio ſe non extendit ad alia virtualiter. Ex quo infert Gabriël, quod quicquid facit religioſus ex obedientia ſui Prælati, etiam ſi fuerit labor corporalis pertinens ad vitæ ſuſtentationem, ſi fuerit in gratia, eſt ſibi meritorium, licèt tunc non ordinet in Deum ex prima intentione, qua ſe propter Deum ſubdidit obedientiæ, propter quod non eſt parux ſecuritatis religionem introire. Actus qui habitualiter tantum, & non virtualiter, nec actualiter, refertur ad Deum in habẽte charitatem, non eſt meritorius nec demeritorius, ſed indifferens, vt Gabr. dicit.

Actus, quidam eſt exterior, quidam interior. Actus exterior nullam propriam bonitatem moralem habet, propter quã magis imputatur voluntati, quàm ſolus actus interior, ſecundum Occã primo quodlibet. q. xx. Item in quodlibet. iij. qu. xiij. xiiij. & xv. Et in iij. ſenten. Occam qu. x. Et Gregorius de Arymi. contra Scotum in quodlibet. quæſt. xviij. qui tenet quod actus exterior vel imperatus habet bonitatem moralem propriam aliam quàm actus interior elicitus: & hoc copioſè probat Gabriël diſtin. xlij. q. vnica, artic. ij. libr. ij. & contra Scotum, & ponit exemplum, vt ſi aliquis voluntariè mittat ſe in præcipitium, actus ille deſcenſus non eſt vitioſus, niſi quatinus actus præcipitandi elicitus fuerit in voluntate. Nam ſi pœniteat in caſu ſeu præcipitio: & eliciat actum contrarium, quo vellet ſeſe non præcipitaſſe, iam deſcenſus præcipitij non eſt vitioſus. Alioquin talis cadens ſimul eſſet virtuoſus & vitioſus: virtuoſus propter actum pœnitentiæ: & vitioſus propter motum deorſum. Item actus ille non habet propriam bonitatem vel malitiam, qui non imputatur agenti ad ſpecialem laudam vel improperium, meritum vel demeritum, talis eſt actus exterior. Probatur, nam cuilibet bonitati debetur laus propria: ſicut & malitiæ ſpeciale improperiũ, probatur & minor: quia actus interior cum exteriori non eſt ad maius meritum, vel demeritum, quàm ſine exteriori. Hinc Gerſon parte ij. tractatu de pollutione diurna notabili iij. ait: Iuxta communem doctrinam, actus exterior ſuper interiorem nihil addit malitiæ, vel mortalis culpæ, ea propter circa pollutiones, vel fœdas diſtillationes ex membris genitalibus plus inſpicere conuenit originem moralem, quàm naturalem: licèt conſideratio naturalium proficiat ad moralium cognitionem pleniorem, quemadmodũ circa iram, inuidiam, gulam, & circa alia vitia præcipuè carnalia, quæ materiam vel fomentum trahunt à carne, ſatis patet. Hæc Gerſon. Nec operatio interior voluntatis cum exteriore, vt ſcribit Gabriël diſtin. xlij. quæſt. vnica, artic. ij. concluſione ij. libr. ij. magis eſt meritoria vel demeritoria, quàm ſit ſola interior ſine exteriore imperata. Quod intelligendum eſt, ſtante ſemper æqualitate actus interioris, cùm fuerit cum exteriore, & ſine interiore. Et probat hoc pacto: Sit homo volens occidere, & occidat: ille non eſt maiori pœna dignus apud Deum, quàm ſi vellet occidere, non occideret ſuppoſito quod æquè plenam, & in omnibus ſimilem voluntatem occidendi haberet, & pariformiter dico de diuerſis hominibus habentibus æquè plenam, ac intenſam voluntatem occidendi; quorum vnus occideret, alius impeditus non occideret. Nam vnus non plus demeretur quàm alius. Et hoc probatur auctoritate beati Auguſtini libro primo de libero arbitrio capite iij. dicens: Si cui non contingit facultas concumbendi cum vxore aliena, planum tamen aliquo modo ſit eum cupere, & ſi poteſtas non detur ſibi eſſe cum ea, non minus reus eſt quàm ſi in ipſo facto deprehenderetur. Quid eſt autem non minus reus eſt, niſi quòd non minori pœna dignus eſt: probat & aliis Gabriël ibidem, & concluſione iij. dicit, quod homo plus peccat extenſiuè concomitante exteriore operatione quàm ſola interiore voluntate, quia peccat pluribus peccatis. Nam tam voluntas interior mala peccatum eſt, quàm etiam operatio exterior imperata: & hæc ſunt duo realiter diſtincta, etiam ab inuicem ſeparabilia, & vtrunque eſt peccatum: ergo diſtincta peccata. Ex quo patet, quod non ſolùm actus interior voluntatis, qui intelligitur per concupitum, cùm Auguſtinus diffinit peccatum, quod eſt dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei. Sed actus exterior dictum vel factum dicitur eſſe peccatum, quamuis actus interior peccatum eſt intrinſicè: exterior verò denominatiuè tantùm, & ſic videtur poſſe intelligi, quòd Magiſter ſent. vult, quòd licèt interior & exterior actus ſint diſtincti, actus tamẽ ſunt vnum peccatũ, quantum ad imputabilitatem: quia non plus imputatur actus interior cum exteriore, quàm interior ſine exteriore. Hæc Gabriël.

Actus iuſtitiæ etiam cuiuſlibet virtutis moralis poſſunt poni quinq; gradus, non quidem numero, ſed ſpecie diſtincti, ſecundũ Occã in iij. q. xij. ar. ij. & in iiij. quotli. q. vj. & poſt eũ ſcribit Gab. li. iij. q. vnic. ar. j. largè accipiẽdo virtutẽ, & actũ virtuoſum. Primus gradus eſt actus voluntatis elicitus ſecundum dictamen rectæ rationis propter honeſtatẽ, vel vtilitatem talis operis, ſicut propter finẽ: vel habitus ad ipſum inclinans. Exemplũ, vt ſi ratio dictat tale opus iuſtum eſſe faciendum tali loco & tempore, cum cæteris circunſtantiis, reſpicientes præciſe ipſum opus iuſtum, propter honeſtatem operis vel pacem reipublicę aut aliquod tale: & voluntas eliciat actum volendi tale opus conformiter, vt dictatum eſt à ratione recta. Hic actus volendi eſt actus virtuoſus, & habitus ex ſimilibus actibus genitus eſt virtus moralis primi gradus, largè accipiendo virtutem & actum virtuoſum. Secundus gradus eſt velle ſic elicitum cum intentione nullo modo dimittendi tale pro quocunq; cõtra rectã rationem, etiã nõ pro morte fugienda ſi recta ratio dictet tale opus nõ eſſe dimittendũ pro morte. Exemplum, vt ſi quis velit honorare patrem ſecundũ dictamen rationis rectæ, cum intentione & volũtate nõ dimittendi vllum honorẽ pro morte ſi immineret. Primi duo gradus (vt idem Gab. dicit art. ij.) virtutis cõpatiuntur ſecũ tam habituale vitium quàm actum vitioſum: probatur, quia aliquis poteſt temperatè agere ſecundũ primos duos gradus temperantiæ, & tamen velle iniuſtè agere, etiã ſtantè rectæ rationis dictamine, quo dictat, quod talia opera iniuſta non ſunt facienda. Latiùs rem proſequitur Gab. Tertius gradus eſt velle elicitũ ſecundũ rectã rationẽ & cũ tali intentione, & vltra hoc præciſe & ſolũ, quia ſic dictatũ eſt à recta ratione. Iſte gradus virtutis non

ſtat cum vitio cuicunq; virtuti oppoſito, & pruden tię illius virtutis dictamine recto. Patet, quia quantumcunq; aliquid eſt volitũ, quia tale præciſe nihil ſcitum eſſe tale poteſt eſſe nolitũ. Omnis autẽ actus vitioſus eſt cõtra dictamen rectę rationis: ergo nullus talis ſtat cum virtute tertij gradus: pluribus egit hæc Gabriël. Quartus gradus eſt velle ſic, & cum intentione hac: elicitum propter amorẽ Dei præciſe: puta, quia ſic dictatũ eſt, quod tale opus ſic volendum eſt præciſe propter amorẽ Dei, & iſte gradus ſolũ eſt perfecta & vera virtus moralis de qua ſancti loquuntur. Et quod dicitur præciſe, intelligendũ eſt nõ quod excludit alios fines, vt honeſtatẽ operis, aut bonũ reipub. ſed ſic præciſe, quod ſi ille finis tantũ oſtẽderetur volũtati à recta ratione ſine quocunq; alio fine, adhuc voluntas eliceret huiuſmodi velle. Quod autẽ gradus ille quartus pertinet ad virtutẽ moralẽ, licèt habeat Deũ pro fine, patet: quia habet obiectũ morale: puta, creaturã aliquam, quę nõ eſt Deus: variatio quoq; finis nõ variat virtutem quantum ad eſſe morale vel non morale. Et virtus quarti gradus repugnat omni vitio & errori culpabili: quia virtus quarti gradus habet annexam charitatẽ, quia elicit actũ ſuum finaliter & præciſe propter Deum ſuper omnia dilectum: ſed charitati repugnat quicquid eſt culpabile, ſiue ſit actus voluntatis ſiue error intellectus culpabilis, &c. Quintus gradus eſt velle efficaciter vel imperatiuè facere opus aliquod ſecundum dictamen rectæ rationis, quia ſic dictatum eſt à ratione recta propter Deum ſiue alium finem honeſtum, quod opus ſic facere excedit cõmunem ſtatum hominum, & eſt contra inclinationẽ naturalem, vel ex natura actus, vel ex aliqua circunſtantia vel habitus ad huiuſmodi velle inclinãs, & talis habitus eſt propriè virtus heroica. Et huiuſmodi velle imperatiuũ talis operis eſt actus eius, hoc eſt talis virtutis heroicè generatiuus, vel ab ea elicitus. Exemplũ: Aliquis vult actualiter & efficaciter ſeu imperatiuè (quod idẽ eſt) imminẽte morte mortẽ ſuſtinere pro defenſione fidei. Similitèr ſiquis habẽs iuſtitiã ita quod quicquid eſt cõtra rationẽ rectã vult deſerere, & in omnibus iuſtitiam facere, ſi ille exponitur igni aut perpetuo carceri, nõ faciat iniuſtitiam: ſi tunc ille vult actu imperatiuo magis ſuſtinere ignem vel carcerẽ perpetuũ quàm facere iniuſtitiam, habet virtutem heroicam, & eſt verè heroicus. Licèt enim nolle facere iniuſtitiam, non excedat cõmunem ſtatum hominum, tamen velle cum tali circunſtantia excedit omnem hominum ſtatum. de virtute quinti gradus, hoc eſt heroica: quia illa poteſt includere ſecundum gradum tantum, & nõ tertium nec quartum, vel tertium, & nõ quartum: & ſecundum hoc dicẽdum eſt de virtute heroica, ſicut de virtute illius gradus quẽ præſupponit: ſi ille ſtat cum vitio, poteſt & heroica ſtare cum vitio: ſi nõ, non. Et licèt ſine charitate haberi poſſit vera virtus moralis, tamẽ non perfecta, quia ſola virtus quarti gradus eſt perfecta, quia illa ſola ordinat ad finẽ, in quo eſt ſumma noſtra perfectio. Et licèt heroica eſt perfectiſsima in ſuo gradu ſeu genere, & hoc perfectione inteſiua, nõ tamẽ quælibet perfecta eſt perfectione finis vltimi, niſi includat quartum gradum. Vnde apud Gentiles potuit eſſe virtus heroica, quæ tamen non fuit ſimpliciter perfecta. Hinc eſt quod ſcribit Auguſtinus, & poſt eum Iacobus de Valentia, quæſt. finali poſt cõmentaria in Cantica, quod Philoſophi Gentiũ, & Romani nunquam habuerunt veras, ſed fictas morales virtutes: inquantum vna paſsio vincebat aliam in eis, quandoque luxuriam, aut auaritiam, & cætera vitia aut paſsiones, vt æſtimarentur & honorarentur apud vulgus, &c.

Actus dicitur bonus vel malus tripliciter, ſcilicet ex genere, ex circunſtantia, ex principio meritorio, quod eſt dictu. Actuum bonorum quidam eſt bonus ex genere, quidam bonus moraliter, quidã bonus meritoriè, de quo vide Gab. di. vij. lib. ij. & di. xxxvj. q. vnica, lib. iij. Actus bonus ex genere eſt, qui elicitur circa debitã materiam ſine aliis circunſtantiis, vt velle dare eleẽmoſynam de ſuis bonis. Comedere cibum naturæ conuenientem. Reſtituere non ſua: iſti enim actus ſine aliis circunſtantiis eliciti, non ſunt moraliter boni, ſed boni ſunt ex genere, quia cadunt ſuper debitam materiam quam recta ratio determinat. De actu bono ex circunſtantia, vt actus elicitus circa debitam materiam cum omnibus circunſtantiis ſecundum quas recta ratio dictat eliciendum propter honeſtatem actus, vel propter conſeruationem naturæ proprij ſuppoſiti, aut pacem, vel aliud bonum, aut vtilitatem Reipublicæ, tanquam propter finem, quem, ſcilicet recta ratio dictat. Sed iſte actus ſic elicitus non eſt meritorius: quia non eſt ordinatus in Deum tanquam in finem ſecundum inclinationem charitatis & gratiæ, eſt tamen moraliter bonus. Eſt enim elicitus ſecundum omnes circunſtantias, quas naturalis Philoſophus (vt talis) dictaret adeſſe debere. Sic exponere ſe pro conſeruatione reipublicæ ſecundum dictamen rationis rectæ eſt bonus moraliter, & ita de aliis. De actu meritorij bono, vt dum actus elicitur ſecundum rationem rectam, quantum ad materiam, & omnes circumſtantias ineſſe debitas propter Deum tanquam propter finem ſecundum inclinationem charitatis, & gratiæ inexiſtentis, ille enim actus eſt Deo gratus, & ad præmium acceptatur, & nullus alius. Sic orare, abſtinere, imò & comedere ex charitate, propter Deũ ſecundũ dictamen rationis rectæ, ſunt actus boni gratuita bonitate, & meritorij, de quo videre potes & in dictione *bonitas* infra. Sic ſunt quidam actus de genere ſuo ſimpliciter mali (vt & ſcribit Gab. vbi ſup. & Gerſ. part. ij. de reſolutione ſuper caſu, conſider. iij.) & cõfeſtim nominati includunt ſecũ malitiã, ſicut dicit Philoſo. vt ſunt furtũ, fornicatio, homicidiũ, velle adulterari, etiam nulla alia circunſtãtia attenta, quia cadunt ſuper indebitã materiam, puta rem non ſuam, & illa nomina fornicari, adulterari, &c. connotant malitiam & deformitatem, ideo per nullam circunſtantiam poſſunt bene fieri. Sic facere bonum ex genere, non bene, non ſecundum debitas circunſtantias, puta dare eleẽmoſynam de ſuis, non in tempore debito vel loco, vel fine, eſt malum ex circunſtantia. Poſitiuè ſi ſit cum circunſtantia contraria contra dictamen rectæ rationis, & tunc eſt malum vitioſum. Aut priuatiuè ſi careat circunſtantia ad bonitatem requiſita, licèt non aſsit contraria, & tunc non eſt malum vitioſum, ſed malum priuatiuè, id eſt non bonum, niſi fortè circunſtantia non inexiſtens, tunc eſſet debita ineſſe. Similiter facere

bonum ex circunſtantia debita non propter Deum ex charitate, eſt malum oppoſitum bono meritorio, poſitiuè ſi ſit propter finem contrarium, vt propter vanam gloriam, aut alium finem prohibitum, vel tantum priuatiuè ſi nõ ſit propter finem charitatis, ſed propter alium finem licitum, & tunc non eſt meritorium, ſed nec demeritorium. Gabr.

Actus contrariè malus, quando deficiţ circunſtantia ad eſſe debita, & ad quam eliciens pro tunc renetur. Secùs ſi pro tunc non obligatur ad illam. Verùm defectus circunſtãtię requiſitę ad hoc, quod actus ſit moraliter bonus tollit eius bonitatem, & facit eum non bonum negatiuè, non autem malum contrariè ad bonum, ſed indifferentem, alias nullus actus eſſet indifferens. Gabr. diſtinct. j. qu. j. dubio j. libr. j. Et vt idem ait diſtinct. xlvij. qu. vnica, libr. j. Idem actus poteſt eſſe bonus & malus, iuſtus & iniuſtus, quia idem actus poteſt fieri à duobus, ab vno bene, ab alio malè, vt ſi idem actus vni principiatur, alij prohibeatur, faciant tamen ambo, vt ſi ſubditus neſciens ex obedientia, bellat cum Domino ſuo habente cauſam malam. Ex quo ſequitur quod conſequentia non valet, ille actum malum facit, ergo eſt malus, quia non malũ actum facere, facit hominem malum, ſed actum malefacere. Gabr. Omnis autem rectitudo moralis, vt ſcribit Gerſon de vita ſpirituali animæ. lection. j. ipſius voluntatis reſultat ex conformitate eius, aut ſuorum actuum vel omiſſionum ad diuinam legem, & eius rectam rationem, ſicut actus exteriores non dicuntur boni, niſi per conformitatem ad interiores elicitos. Et in eodem actu (vt idem ait) concurrere poſſunt multiplices rectitudines, aut bonitates. Vna naturæ, alia moris de genere, altera gratiæ, altera gloriæ, & hoc eſt ſecundum diuerſas habitudines conſiderandi eundem actum conformari multipliciter diuinæ legi ſeu bonitati, vt latiùs deducit ibi Gerſon.

Actus poſitiuus, qui opponitur priuatiuo actui. Et nullus eſt actus poſitiuus, cui eſſentialiter annexa eſt malitia, vt ſcribit Gabr. diſtinct. xxxvij. quæſt. vnica, dubio iij. libr. ij. Nam deformitas aut malitia non eſt aliquid, ſed priuatio iuſtitiæ debitæ, & illa nulli poſitiuæ entitati eſt inſeparabiliter annexa. Vnde ſicut dicit Gerſon de vita ſpirituali lect. j. Omnis actus poſitiuus habet cõformitatem naturalem ad primum bonum, & ideò bonus eſt ſaltem bonitate naturali, &c.

Actus exercitus intelligitur actus ſignatus, hoc eſt, frequenter eſt, accipitur pro ſignificat, vt cum dicitur, differentia eſt forma rei valet differentia ſignificat formam rei, frequenter enim quæ ſignatorum ſunt attribuuntur ſignis, & econuerſo, vt dicit Gabr. di. viij. qu. ij. lib. j.

Actus ſuſpenſiuus (vt ſcribit Dominus Præpoſitus Gabriel. libr. iij. diſtinct. xxvij. quæſt. vnica, art. j.) eſt quoddam velle, quia velle non elicere. Nam voluntas præſente obiecto per apprehenſionem intellectus, quandoque auertit ſe ita quòd nullum actum circa hoc obiectum elicit, & ſuſpenditur ab obiecto illo acceptando, vel reſiliendo nõ per actũ poſitiuum, ſed non aduertendo, vel ſe ad aliud conuertẽdo. Aliquãdo volẽs ſe ſuſpendit per actũ poſitiuũ, quia vult non elicere, vel quia imperat intellectui, vt magis inquirat de obiecti conuenientia & bonitate, vel ex ꝓpria libertate. Et actus ſuſpẽſiuus eſt quoddã velle, quia velle nõ elicere. Hæc Gabr.

Actus meritorius (vt ſcribit Gabr. di. xxvij. q. vnic. lib. ij. & lect. lix. cano.) eſt actus à voluntate liberè procedẽs ſiue elicitus ſiue imperatus ad retributionem alicuius præmij acceptatus. Aſtipulatur Scot. q. xvij. quodlibet. qui ait: Actus meritorius eſt actus Deo ſpecialiter acceptus tanquã, ſcilicet dignus pręmio reddẽdo pro illo actu. Specialiter dixi, quia omnia acceptat acceptatione generali diligendo ea ſecundũ bonitatem ſuam, & ordinãdo ea ad ſeipſum vt ad finẽ, ſed actũ meritoriũ ſpecialiter acceptat in ordine ad aliquod bonũ iuſtè reddendũ pro eo, hæc Scot. Acceptatur autẽ actus (vt idem Gab. dicit vbi ſupra.) ad præmij retributionẽ, quãdo aliquis bonũ aliquod ſeu præmiũ retribuit operãti, vel alteri pro quo operatur intuitu talis operationis, ita quod tale bonũ nõ retribueret niſi actus præceſsiſſet. Ex quo patet, quod homo iuſtus operibus iuſtitiæ nõ meretur illuminationẽ à ſole, quia æquè facit Deus ſolẽ ſuum oriri ſuper iuſtos, & iniuſtos. Mat. 5. Et actũ eſſe meritorium (vt ſcribit Occam & Gab. di. xvij. q. ij. lib. j.) depẽdet ex ſola Dei gratioſa volũtate, eũ liberè ad præmiandũ acceptãre, & nõ ex quacũque cauſa creata. Et vt ibidẽ dicit quod ſine gratia nullus actus poteſt eſſe meritorius. Gratia dico, nõ formaliter voluntatẽ, vel animã informante quæ creatura eſt, ſed ſine gratia increata (quę eſt gratioſa Dei voluntas) liberè & miſericorditer actum tanquam meritoriũ acceptãre, & hæc eſt ratio formalis meriti, & nulla alia. Hac enim exiſtente nullis aliis ab actu & voluntate eliciẽte poſitis, actus eſt meritorius & eã nõ poſita omnibus aliis poſitis, actus nõ eſt meritorius. Et ad actũ meritorium non oportet, quod tota lex impleatur, ſed quod aliquod mandatũ impleatur, vel conſiliũ, id eſt opus debiti vel ſupererogationis, & quod cõtra nullũ mandatũ fiat trãſgreſſio. Hæc Gab. poſt Occã. Et actũ meritoriũ ex duobus dependere (vt idem ſcribit Gab. in ij. di. xxvij. ar. iij. & repetit hoc idẽ di. xxx. q. vnic. li. iij.) ſcilicet à gratia & lib. arbit. hoc eſt à voluntate liberè ſecundũ inclinationẽ gratiæ actũ eliciente, latiùs ibi perquire de hoc, &c. Et ad actus meritorij rationẽ duo requiruntur in genere vt notat Gab. lect. lix. cano. Primũ eſt libera eius electio. Secundũ eius ad præmij retributionẽ acceptatio. Primum requiritur ex parte eliciẽtis, eius, ſcilicet qui meretur. Secundũ ex parte eius, à quo pręmiũ redditur. Propter primum actus naturali neceſsitate productus non eſt meritorius, ſicut curſus ſolis & aſtrorũ. In inuoluntariis enim neque laudamur neq; vituperamur 3. Ethic. Propter ſecundũ actus bonus bonitate morali tantum, nõ gratuita, non eſt meritorius ad vitã ſeu reſpectu beatitudinis, talis enim nõ acceptatur à Deo ad beatitudinẽ conferendã, quando actui moraliter bono facto extra gratiã nullus beatitudinis gradus correſpõdet in præmio. Cũ dicat Apoſtolus: Gratia Dei vita æterna. Rom. 6. Et ad Ephe. 2. Gratia eſtis ſaluati per fidẽ, nõ ex vobis, Dei enim donũ eſt, nõ ex operibus, ne quis glorietur. Sed Franciſ. Maro. in confla. li. j. di. xvij. q. j. ad actũ inquit meritoriũ vitę æternę ex Dei ordinatione requirũtur iſta quatuor. Primò voluntas hominis diligens Deum. Secundò influentia ſpiritusſancti. Tertiò charitas ipſa qua diligimus

ligimus Deũ ſuper omnia. Quartò diuina acceptatio. Scot. di. xvij. primi. & poſt eum ſcribit D. Prępoſ. Gab. d. xxij. q. vnic. ar. iij. li. ij. & lect. xxix. can. iſti volũt, quod in actu meritorio duo cõſiderantur, ſcilicet illud quod præcedit rationem meriti, puta ſubſtantia actus, intenſio eius, & rectitudo moralis, id eſt quod ſit elicitus vel imperatus cõformiter rationi rectæ. Secundum eſt ratio meriti, quæ eſt acceptatio diuina in ordine ad pręmium tanquam dignum tali præmio, & actus meritorius quãtum ad ſubſtantiam eius, intenſionem & moralem rectitudinem, quæ eſt à voluntate tanquam à cauſa prima, ſiue principali, & à gratia tanquã à cauſa ſecũda, ſiue minus principali, qualis eſt generaliter habitus reſpectu potentiæ. Idem dicit di. xvij. q. iij. ar. iij. dub. iij. quod actus meritorius quantum ad ſubſtãtiam, eſt principaliter à volũtate liberè producẽte, quantum ad rationẽ meriti, eſt principaliter à charitate ex diuina ordinatione. Principaliſsimè tamẽ & verè à Deo liberè acceptante. Nullus autẽ actus eſt meritorius, niſi referatur in Deũ tanquã vltimũ finem, hoc eſt dictu (vt ſcribit Gab. di. xviij. q. vnica, ar. j. nota iij. li. iij.) niſi fiat principaliter propter Deum ſuper omnia dilectũ. Nullus enim actus eſt meritorius niſi fuerit à charitate elicitus vel imperatus. Ille autẽ elicitur à charitate, qui elicitur à volũtate, ſecũdum charitatis inclinationẽ cuius eſt omnia finaliter ordinare. Hinc Scot. di. xxxiij. lib. iij. dicit. Nullus actus elicitur ex charitate, niſi cui⁹ obiectũ ad quod ſiſtitur, eſt Deus, licèt per alia obiecta media. Ille autem actus charitatis (vt idẽ ait Gab. vbi ſupra) pertinet ad ſuperiorem portionem, ſicut & ipſa charitas. Et actus meritorius, vt idẽ ſcribit Gab. di. xvj. q. vnica, ar. iij. dub. ij. in fine.) cùm ſit actus voluntatis eſt in eius poteſtate non obiectũ. Sic martyres licèt violenter occiſi ſunt, meruerunt tamen acceptando pęnam propter Dei honorem. Ita & Chriſtus meruit acceptando voluntariè paſsionem propter bonum ex ipſa conſequens. Et quia fuit placita Deo, licèt certo modo fuit violẽta. Idem ſcribit di. xviij. q. vnica, nota vj. li. iij. Ad producendũ actum meritorium tria ſufficiunt, ſcilicet potentia perfecta, intellectiua & volitiua, nõ impedita. Secũdo obiectum præſens intellectui per cognitionem, nõ enim poteſt voluntas velle, vel nolle incognitum. Et tertio charitas ſeu gratia, in quocunque inſtanti illa concurrunt, pro eodem poteſt voluntas elicere actum ſuum circa obiectũ præſentatum per cognitionem intellectus, quia poſitis cauſis ſufficiẽtibus, poteſt poni effectus. Poſſunt autem cauſę illæ poni in inſtanti (vt latiùs ibi ſcribit Gabriel.) Et dicunt doctores actum cum voto factum eſſe magis meritorium, quàm ſi ſine voto fiat.

Actus meritorius & actus moraliter bonus differũt: Actus meritorius loquendo de merito vitæ æternę eſt actus à voluntate elicitus liberè à Deo ad præmium beatificum acceptatus, & hic ſecundum legem Dei ſtatutam requirit gratiam gratumfacientem tanquam ſui partiale principium. Actus moraliter bonus, eſt actus à voluntate liberè elicitus ſecundum dictamen rectæ rationis, conformiter ad diffinitionem virtutis 2. Ethic. Nam & moraliter bonus eſt actus moraliter virtuoſus. Elicitur autem actus ſecundum dictamẽ rectę rationis, qui elicitur propter hoc q, ratio ſic dictauit. Vide latiùs Gabr. di. xxviij. q. vnica, ar. j. li. ij. & di. xxxiij. q. j. lib. iij.

Actus, actum exerceri contingit tripliciter (vt recitat Occam in prima parte dial. li. vj. c. lxxix. & poſt eum Gab. di. xxviij. q. vnic. li. ij. & di. xxxvj. q. vnica, li. iij.) ſicut paſcere pauperem, dicere veritatem, vel propter Deũ, vel quia dictatur à ratione recta, vel propter aliquod bonũ vtile vel delectabile cõſequendum, aut incõmodum vel periculum vitandũ. Actus tertio modo eliciti ſeu producti dicũtur boni ſecundũ genus, vel ex genere, pro quanto cadũt ſuper debitã materiã, aut ſeruãtur aliquę circũſtãtię loci vel tẽporis, aut fortè elicitur abſolutè ſine omni circũſtantia, hi tamen actus non ſunt virtuoſi neq; perfecti, neq; imperfecti, neq; ex eis generãtur virtutes, nec ipſi generãtur ex virtutibus, imò quãdoq; ſunt vitioſi. Vnde quãdo ambitioſus dat eleẽmoſynã, aut loquitur veritatẽ, vt honoretur & laudetur, vel auarus ponẽs Euangeliũ in quæſtũ, ſicut de hypocritis Dominus loquitur, qui omnia ſua faciũt vt honorẽtur ab hominibus, vel pecunias adquirãt, aut infamiã, vel confuſionẽ tẽporalem euadãt. Actus verò primis duobus modis eliciti ſunt verè virtuoſi, & habitus eis correſpondentes ſunt veræ virtutes, ſed primi perfecti, ſecũdi imperfecti. Primũ patet, quia vterq; elicitur ſecundũ dictamẽ rectę rationis, quãtum ad finẽ & oẽs circũſtantias. Et propter hoc quia dictatum eſt ſic à ratione. Et quia habẽs eũ nõ compatitur ſecũ aliquẽ actũ vitioſum & culpabilẽ, habet etiã ſecundũ cordis pręparationẽ omnẽ actum virtuoſum & virtutẽ. Secundũ patet, quia actus primi ordinãtur in finẽ perfectiorẽ propter quẽ eliciũtur quã ſecũdi. Multò enim perfectius eſt agere propter Deũ qui eſt ſummũ bonũ, & æternã fœlicitatẽ, quã propter amorẽ virtutis, honeſtatis, aut propter cõmunẽ pacẽ naturæ vel reipublicæ conſeruationẽ tẽporalem. Et perfectius eſt agere propter Deũ, quã propter hoc q, recta ratio ſic dictat, pro quãto Deus perfectior eſt recta ratione, vterq; tamẽ finis honeſtus eſt & bonus. Et ſecũdum hoc diſtinguitur triplex bonũ, ſcilicet bonũ meritoriũ, bonũ morale, & bonũ ex genere. Primũ nunq̃ eſt ſine gratia & charitate. Secundum nõ ſine virtute à qua procedit vel quam generat. Tertiũ inuenitur ſine vtroque. Gab. Et (vt inquit Scotus.) melior eſt vnus bonus actus intenſus à volũtate quàm mille remiſsi. Sicut ſi aliquis daret eleẽmoſynam vnam ex maximo feruore & charitate, plus meretur quàm alter dans mille eleẽmoſynas ex voluntate remiſſa & tepida, quia Deus non penſat quantum, ſed ex quanto.

Actus primus dicitur (ſecundũ Guil. Scot. in primo di. iij. & etiã in ſecũdo d. iij.) potẽtia animę antequã operetur actualiter, vt dicit Phil. 2. de anima. Vnde actus primus generaliter eſt, qui ineſt habitualiter in quocũq;, veluti in anima, ſciẽtia, vel cognitio habitualis, vel ſcire eſt actus primus ſimiliter intellect⁹, ab hoc actu primo procedit actus ſecũdus, videlicet cõſiderare vel ſpeculari actualiter, ſecundũ iſtã ſcientiã vel intellectũ ſimiliter in volũtate, velle eſt primus actus, à quo procedit actus ſecũdus: puta, volitio actualis, vel amare, actualiter placere & eligere. Itaq; primus actus dicitur res in habitu, & ſecũdus actus dicitur operatio eius ſicut lucere eſt primus effectus ignis, & ſecundus actus eius eſt illuminare, &c.

Actus formatus dicitur ille qui Deum finem habet, id

bet, id eſt qui ordinatur in Deũ tanq̃ in finẽ vltimũ & bonũ in ſe ſummũ. Et dicitur formatus, quia elicitur ex charitate, quę eſt forma cęterarũ virtutũ, vel quia habet charitatẽ ſibi inſeparabiliter iũctã. Gab. di. xiiij. q. j. ar. j. lib. iiij. A ſola autem inhærentia & inclinatione charitatis & gratiæ ad actũ, actus dicitur formatus, vt dicit Scotus di. xiiij. qu. ij. lib. iiij.

Actus fidei eſt credere, actus ſpei eſt deſiderare, vel amor concupiſcentię, actus charitatis eſt diligere, & actus charitatis proprius eſt amor amicitiæ mediatus vel immediatus. Gabr. di. xxvj. qu. vnica, art. ij. lib. iij. Et actibus meremur non habitibus.

Actus glorioſi ſiue beatifici, vt ſcribit S. Bona. d. xlix. ar. j. q. v. li. iiij. nõ tantũ ſunt in Deũ, vt in obiectũ, ſed etiã in bona creata. Gaudebit enim homo & diliget proximũ. Sed quia ſubſtantiale præmiũ beatitudinis in Deo cõſiſtit, ideo actus glorię principales ſunt ſecundũ quos anima vnitur Deo, tanq̃ ſponſa ſponſo, & in his ditatur & repletur, nõ ſolũ vigoratur. Et ideo dicũtur dotes, quaſi diuitię animę deſponſatæ. Hos autẽ actus quidã dicunt eſſe tres, quia tria requirũtur ad hoc, quod anima perfecte gaudeat de Deo, ſcilicet perfecta viſio, perfecta dilectio, & perfecta ipſi⁹ fruitio. Omnes autẽ vires (vt ait Bona.) quę habẽt per gratiã actũ in Deũ, habebunt per gloriã actus perfectos, euacuatis imperfectis. Vnde rationalis cuius eſt modò credere per fidẽ, tũc videbit apertè. Concupiſcibilis cuius eſt amare, diliget tunc perfectè. Iraſcibilis cuius eſt erigi & initi per ſpẽ, tũc tenebit cõtinuè & certè. Vnde ſecundũ hos tres actus diſtinguũtur tres dotes, ſcilicet viſio, dilectio, cõprehenſio, ſiue tentio, ſiue fruitio per appropriationẽ. Nã fruitio iſta tria cõplectitur. Hęc S. Bona. Et iſti tres actus, vt idẽ ait, ſunt omnino cõiuncti & cõnexi. Vnde qui perfectè videt, perfectè audit & habet. Et ideo in ſanctorũ verbis per cõnexionẽ quod eſt omniũ, attribuitur vni: magis autẽ viſioni attribuitur propter hoc, q. in viſione diſtinguitur ſtatus patriæ à ſtatu viæ, non ſic in dilectione, quia vtrobiq; eſt dilectio, ſed in patria eſt viſio, non in via, ſed credulitas de nõ viſo, &c. Hæc Bona. Et reſpectu actus beatifici ſolus Deus eſt cauſa effectiua. Vide de hoc Scot. d. xiiij. tercij, & d. xiij. Nec includit contradictionẽ (vt ſcribit Gab. di. xviij. q. vnic. ar. j. nota. v. li. iij.) actũ beatificũ eſſe meritoriũ neq; in Chriſto, neq; in Angelis, nec in cęteris beatis. Et hoc neq; ſibi beatis neq; aliis, etiã neq; quo ad beatitudinẽ eſſentialẽ, nec quo ad aliud bonũ. Patet primũ, quia omnis actus acceptus à Deo tanquã actus bonus & laudabilis, pro quo velit Deus aliquid retribuere, vel illi cuius actum acceptat, vel alteri pro quo fit, eſt meritorius: ſed talis poteſt eſſe actus beatificus, ergo poteſt eſſe meritorius, quia poteſt talẽ actũ acceptare, tãquam dignũ retributione alicuius boni ipſi beato. Poteſt namq; Deus tribuere bona omni capaci cui voluerit. Latiùs probatur Gabr. Item ſancti ſuis orationibus nobis merentur pro quibus intercedunt. Vide latiùs aliàs.

Actus coniugalis de quo multa ſcribit Petrus de Palud. di. xxxj. q. iij. lib. iiij. Qui quidẽ actus ſecundũ eundẽ quandoq; eſt meritorius, vt cùm quis habẽs gratiã reddit debitũ quod eſt iuſtitiæ, & quãdo petit cauſa prolis tempore & loco & modo debitis; quod eſt latriæ. Et quãdo cauſa preſeruãdi cõpatrẽ

à fornicatione, quod eſt charitatis, & quarto quãdo cauſa vitãdæ fornicationis in ſe, q̃ probabiliter credit aliter nõ vitandã. His modis actus cõiugalis eſt meritorius, quia omnis actus virtutis charitate informatus eſt meritorius. Huiuſmodi eſt actus cõiugalis in quatuor caſibus dictis. Quandoq; autẽ ille actus eſt indifferẽs, Id eſt nec meritorius nec demeritorius, puta cũ cõiunx carẽs gratia vno de quatuor modis dictis, actũ illũ exercet, quia omnis actus qui eſt meritorius habẽti gratiã, eſt indifferẽs nõ habẽti. Nõ enim eſt meritorius propter carentiã gratię, nec demeritorius propter carentiã culpæ, cui ſolũ debetur pœna, &c. Quãdoq; ille actus cõiugalis eſt mortale, & in ſex caſibus, quos diffuſè recitat Paluden. pauca ex dictis ſuis multis referã. Primus propter inordinationẽ intẽtionis efficiẽte libidine, quãdo limites matrimonij excedit, id facturus cũ quacunq; alia, dũ tamẽ æquè pulcra, ſed quia habitibus nõ meremur ſed actib⁹, hoc eſt quãdo actu ſic cogitat. Secũdus ratione aborſus tẽpore cõceptus vel partus ſi pbabiliter timetur, quia cõtra charitatẽ eſt quod quis velit delectari cũ pernicie vitæ prolis. Tertius ratione periculi infectionis tẽpore menſtrui, tunc enim ſecũdũ quoſdã exigere ſciẽter eſt mortale, ſed reddere cũ dolore & diſplicẽtia, nõ. Vel dicendũ q. non eſt mortale, etiam ſciẽter exigere. Vide latiùs. Quartus locus ſacer, ſi poteſt alius locus haberi, tũc enim nõ ſolũ petẽs peccat mortaliter, ſed etiã reddẽs in loco ſacro, quod eſt hereticos imitari in ſuis cõnueticulis, qui ad ſe vt porci indiſtinctè accedũt. Vide latiùs Petrũ Palud. Quintus caſus ſi mutat naturalẽ vſum in eũ qui eſt cõtra naturã, vt quãdo vas debitũ prætermittit, quod ſemper eſt peccatũ mortale, quia proles ſequi nõ poteſt, & totaliter intẽtio naturæ fruſtratur. Alio modo quo ad ſitũ, & tũc excuſatur, quãdo diſpoſitio corporis vel infirmitas alium modũ nõ patitur. Sextus quãdo cõiunx voluptatẽ pręuenit, & prouocat eã manib⁹, vel cogitatiõe, vel vtẽdo calidis & incẽſiuis, vt poſſit pluries cũ vxore coire, id tamẽ poteſt quandoq; fieri ſine peccato & tripliciter, vt idẽ recitat. Vide ibidẽ. Quandocũque autem voluptas quæritur, ſemper eſt veniale. Ponit tamẽ ſpeciales caſus & ſex idẽ Palud. vbi ſup. quãdo actus cõiugalis eſt veniale. Primus quãdo præcedit aliqua deordinatio rationis, ſed nõ tãta ſicut in prędictis caſibus: puta, ſcilicet petere tẽpore ſacro, & ſi reſpectus ſit ad delectationẽ, grauis eſt culpa, ſi ad lubricũ vel infirmitatẽ ſuã, cuius eſt ſibi cõſcius vel cõſcia, veniale eſt; tamẽ vix cõtingit quod in præcipuis diebus nõ ſit graue peccatũ ſecundũ Bonau. Secũdus eſt petere cauſa delectationis infra limites, tamẽ ſemper eſt veniale, ſicut comedere propter voluptatẽ. Quod enim cibus ad ſalutem hominis, hoc coitus ad ſalutẽ generis, inquit Aug. Tertius petere cauſa fornicationis vitãdę, licèt hac intentione contrahere nõ ſit veniale. Quartus cauſa infirmitatis vitãdæ, quia quãuis vtrũque ſeorſum liceat appetere, nõ tamẽ vnũ propter alterũ, quia iſta cauda nõ eſt iſtius vituli. Quintus ſi quãdo incępit petere vel reddere bona intentione, poſtea mutet intentionẽ, ita, ſcilicet quod nũc vellet iſtã libidinẽ propter ſe etiã, ſi quidẽ actu hoc cogitet extra horã deciſionis ſeminis, quia tunc non habet vſum rationis. Sextus quãdocunq; aliud intendit quã ad quod ordinatur cõiugium, ſcilicet vel ad prolem vel ad reddẽdum debitum.

debitum. Hęc Palud. bene frugi Theologus vbi ſupra, & de actu coniugali. Vide & in dictione *Debitum*, & in dictione *Matrimonium*.

Actus quos habent angeli vide infra in dictione *Angelus*.

Actio eſt multiplex ſecundū S. Bona. Quędā eſt inordinata propter inordinatā conuerſionē volūtatis ad creaturā. Quędā nō ordinata propter operantis negligentiā, quędā propter operātis infirmitatem. Prima mala eſt malitia cōmiſsionis, ſecūda mala eſt malitia omiſsionis, tertia indifferēs, & illa eſt quādo aliquis circa creaturā nō afficitur inordinatè, nec tamē actū circa illā cōparat ad Deū, hoc eſt ordinat in Deū, ſed facit propter aliquē finē qui reſpicit indigentiā naturæ, vt cū quis ambulat vt recreetur, aut comedit vt reficiatur, talis actio eſt indifferēs, quia Deus nec illā remunerat nec imputat in culpam, & hoc, quia in tali actione nō eſt malitia cōmiſsionis: quia nō eſt inordinata delectatio, nec etiā omiſsionis, nō enim ſemper omittit homo, ſcilicet omiſsionis peccato, quādo actiones ſuas nō refert in Deū. Indulgetur enim naturæ fragili & infirmæ vt multa talia poſsit facere, nec Deus requirit in tali ſtatu diſtractiōis & miſeriæ, quod oīa dū facit referat ad ſe, requirit tamē aliquādo quādo eſt locus & tēpus, & tūc ſi homo nō referat, omittendo peccat, vt ait Gab. di. xlj. q. vnic. li. iij. Et ſecundū opinionē quæ temperatior eſt & cōmunior dicitur, q̄ nō omnis actus elicitus eſt meritorius vel demeritorius, ſed aliquis eſt indifferēs tā in habēte gratiā quā nō habēte. Nō enim omnis actus peccatoris peccatū eſt. Nā peccator honorādo parentes, benefaciēdo indigēti, credēdo verum, nō peccat, licèt hęc agendo nō mereatur. Similiter exiſtēs in gratia & hæc faciens propter naturalē honeſtatē, cōpaſsionem & veritatis apparentiā, nō meretur, eo q̄ nō per gratiā hæc refert in Deū. Sed nec demeretur, quia à Deo nō obligatur omnē actū ſuū referre in Deū. Nō enim pręcepta quæ ad certos actus certo modo agēdos obligāt pro ſemper obligāt, ſed pro certo tēpore, loco vel cauſa, cū quibus exiſtētibus ſi nō referret, peccaret. Poſſet quidē Deus ſecundū iuſtitię rigorē omnē noſtrā vitā & actionē exigere, vt in eū referremus, ſed nō exigit per miſericordiā. Hæc Præpoſ. Gabr. Hinc ſumpſiſſe Cancel. Pariſ. eſtimo ait Gab. quod in ſuo tripartito c. iiij. ſcribit. Cognoſcēs inquit ipſe piiſsimus pater noſtrā fragilitatē & exiguā potētiā, nō requirit à nobis omne ſeruitiū quod ſecundū iuſtitiæ rigorē exigere poſſet. Quin potius dedit certū numerū præceptorū, quorū obſeruatio ſibi ſufficiēs eſſet, quæ etiā legis decalogo cōtinentur. Sic & gratiæ diuinæ ac miſericordiæ deputat quod nō omnē offenſam vult de facto imputare ad mortē æternā, cum id iuſtiſsimè poſſet, quia omnis Dei offenſa de ſua indignitate eſt mortifera, & ſecundū ſtrictā iuſtitiam Dei à vita gloriæ excluſiua, imò de facto excluderet niſi remitteretur, vt idem Gerſ. probat de vita ſpirituali animæ, lectione prima.

Actionum humanarum multiplex eſt differentia, vt ſcribit Gab. di. xv. q. viij. ar. iij. dub. ij. li. iiij. poſt S. Tho. quodl ix. ar. xv. Quędā habēt deformitatē inſeparabiliter annexā, quæ vt Philoſ. dicit mox nominata cōuolutæ ſunt malitia, quemadmodū ſupra dictū eſt in dictione *Actus*, vt fornicatio, adulteriū, furtū & huiuſmodi, quæ nullo modo poſſunt bene fieri. Quędā ſunt actiones quæ de ſe indifferētes ſunt vel ad bonū, vel ad malū, vt leuare feſtucā de terra, & huiuſmodi. Quędā ſunt actiones quæ abſolutè cōſideratæ deformitatē vel inordinationē important, quæ tamē aliquibus circūſtantiis aduenientibus bene effici poſſunt, ſicut occidere hominem vel percutere, in ſe deformitatē quandā importat. Sed ſi addatur occidere malefactorem propter iuſtitiā, vel percutere delinquentē cauſa diſciplinæ, nō erit peccatū, ſed virtuoſum. Actio autem mala vt ſentit S. Bona. di. xxxvij. ar. ij. q. j. lib. ij. nō eſt à Deo. Nihil enim vt ipſe dicit eſt attribuendum Deo niſi quod cōdecet potentiā ſuā, ſapientiā & bonitatem, ideo actionē malā Deo tribuere nō ſolū falſitatis eſt, ſed etiam blaſphemię & impietatis, &c. Actio itaq; mala & iniuſta ſecundū quod huiuſmodi à Deo nō eſt, licèt act⁹ poſitiu⁹, & omnis ſit à Deo. De quo aliàs.

Acceptio perſonarum eſt iniuſtitia qua præfertur perſona perſonæ propter cauſam indebitā, vt ſcribit Gab. di. xv. q. vij. ar. j. lib. iiij. poſt Alex. de Ales par. ij. q. cxxxvj. ar. j. Et dicitur iniuſtitia. Ex quo patet quod acceptio perſonarum includit deformitatē & vitium. Vnde dicitur Leuit. 19. Nō facies quod iniquū eſt, nec iniuſtè iudicabis. Et ſequitur ſtatim. Nō cōſideres perſonā pauperis, nec honores vultū potētis, ſcilicet in iudicio faciēdo iniquū. Et Deut. 16. vbi dicitur. Iudices cōſtitues in omnibus portis tuis vt iudicent populū iuſto iudicio. Et ſequitur. Nec accipies perſonam, nec munera. Quid autem eſt accipere munera? Reſpōdet Aug. ſuper Pſal. 25. Propter munera laudare hominem, adulari homini, palpare blandiendo, iudicare cōtra veritatem, propter munera, nō ſolū propter aurū & argentū & huiuſmodi aliquid, ſed etiam propter laudē. Qui iudicat malè, munus accipit, & munus quo nihil inanius. Patuit enim illi manus ad accipiendū iudiciū linguę alienæ, & perdidit iudicium conſcientiæ ſuæ. Vnde Dauid Pſal. 25. Ne perdas cū impiis animam meam, & cū viris ſanguinū vitā meam, in quorū manibus iniquitates ſunt, & dex. eo. reple. eſt mūne. Qui autem nulli eſt debitor, nō poteſt eſſe acceptor perſonarū, quia qui præferendo perſonā perſonę non eſt debitor, quare nulli facit iniuſtitiā, quia nec ſubtrahit debitū, neque irrogat indebitū cōtrarium, id eſt iniuriam, & per cōſequens nō accipit perſonā. Sic Deus quantūcunque ſublimet, aut eū alteri præfert, nō accipit perſonā, quia nullius eſt debitor, nec aliquid poteſt iniuſtè agere, quia eo ipſo quod aliquid vult & facit, iuſtè vult & facit, & ſua volūtas eſt regula omnis iuſtitiæ. Item in his quæ dātur merè liberaliter nō ex debito, nō habet locū acceptio perſonarū, vt latiùs declarat Gabr. vbi ſupra. Et dicitur propter cauſam indebitā, hoc eſt propter aliquam conditionem perſonę ad iacentem, nō cōgruentem ad rem ipſam in qua præficitur. Vnde ſi in perſona attenditur, per quā eſt idonea ad rem in qua præfertur, vt eſt ſcientia in doctore, probitas in rectore, potentia in defenſore, nō eſt acceptio perſonarum. Sed ſi attendūtur in præferendo paſtorem populi cōſanguinitatem, diuitias, potentiā, ſecularem nobilitatem, & huiuſmodi quæ ſunt impertinentia ad regimen ſpirituale, ibi eſt vitiū acceptionis perſonarum. Ideo oportet varias conditiones attendere in præficiendis hominibus ad varia, in cōferendis be-

neficiis

neficiis & prælaturis, vitæ ſanctitatem & doctrinam, in diuidenda hæreditate cõſanguinitatem, in diſtribuendis præmiis, meritorũ qualitatem, vt videtur acceptio perſonarũ. Vnde duo requiruntur ad acceptionem perſonarũ. Primũ quod id quod cõfertur ſit indebitũ illi, vt ſi officiũ prædicationis committitur ignoranti, quod eſt debitum alteri, ſcilicet docto. Secundũ quod cõferens nõ attendat ad conditionem congruentẽ ad rem quam confert, ſed cõditionem impertinentem, quæ non habet aliquem ordinem congruentiæ ad rem quæ confertur: puta, cõditionem quæ non reddit ipſum idoneum ad id quod cõfertur, vt patet in exẽplis. Vnde apud Deũ nõ eſt acceptio perſonarum, quia nõ attendit Deus impertinẽtes cõditiones, dicẽte Apoſtolo ad Gal. 3. Nõ eſt Iudæus neque Græcus, nõ eſt ſeruus neque liber, nõ eſt maſcul' neq; fœmina. Omnes enim vos eſtis vnũ in Chriſto Ieſu. Simile habetur ad Col. 3. Solet autem acceptio perſonarum in tribus cõtingere, ſcilicet in promotione ad dignitates. Vnde 1. Reg. 16. dixit Dominus ad Samuẽlẽ vnctutũ ex filiis Iſai regem. Nõ reſpicias vultũ eius, nec altitudinem ſtaturæ eius, quoniã abieci eum. Secundò in executione iudicij. Vnde iudicibus dicitur Deut. 16. Nõ accipies perſonã nec munera, nam iuſtus iudex cauſas diſcernit, nõ perſonas. Tertiò in exhibitione honoris Iacob. 2. Nolite in acceptione perſonarum habere fidem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Etenim ſi introierit in conuentũ veſtrũ vir aureũ annulũ habens, &c. Et poteſt addi quartum in præmiorũ diſtributione. Vnde Apoſtolus. Reddite omnibus debita. Alij annumerãt octo in quibus poteſt fieri acceptio perſonarũ. Et hæc refert Gabr. vbi ſupra. Et quantũ ad rationem nominis, vt idẽ notat Gab. acceptio perſonarũ nõ attenditur ſecundũ illud quod eſt perſona vel intrinſecũ perſonæ, ſed ſecũdum ea quæ extrinſecè adiacent perſonæ, vt ſunt diuitiæ, amici, potentia, nobilitas generis, cõſanguinitas, ſeruitus, & huiuſmodi. Vnde B. Greg 25. moral. Plerumque hominem non ex eo quòd ipſe eſt, ſed ex his quæ circa ipſum ſunt veneramur. Cumque non intuemur quod ipſe ſit, ſed quod poſsit in acceptione perſonarum non ex perſona, ſed ex rebus adiacẽtibus ducimur. Et ratio, quia ex adiacẽtibus deuenire cõſueuimus in cognitionẽ perſonę, vt & latiùs ibi ſcribit Gab. Et per hoc qui interiora attẽdit ſcientiã & virtutes, quę frequenter ad rem faciunt, nõ dicitur accipere perſonas, ſed quæ adiacentia, quæ cauſę ſunt impertinentia cõſiderata, perſonam accipiunt. Et acceptio perſonarũ in dignitatibus, in iudiciis, in exhibitione honoris, ac in cæteris, peccatum eſt & culpabile, quia acceptio perſonarũ ꝓhibetur, Vnde Deut. 1. dicitur. Quod iuſtũ eſt iudicare, ſiue ciuis ſit ille ſiue peregrinus, nulla erit diſtantia perſonarum, ita paruũ iudicetis vt magnũ, nec accipiẽtis cuiuſquam perſonam. Et Eccleſ. 42. Ne accipias perſonam vt delinquas. Quicquid præterea opponitur virtuti, vitiũ eſt: acceptio perſonarũ opponitur virtuti, ſcilicet iuſtitiæ diſtributiuæ, iuſtitia autẽ diſtributiua cauſam attendit nõ perſonã, imitãs diuinam iuſtitiam. De qua Gloſſ. ad Eph. 6. ſuper illud. Non eſt perſo. ac. apud Deum. Deus iudex iuſtus cauſas diſcernit, nõ perſonas. E conuerſo perſonarũ acceptor perſonas diſcernit, nõ cauſas. Itẽ dãnificans per acceptionem perſonarum prẽferẽdo in idoneos tenetur reuelare à iactura damnificatos. Probatur per dictũ Car. in clemen. j. de ætate & quali. dicẽtis quod vltra peccatũ mortale quod cõmiſit conferẽs beneficiũ indignè, tenetur ad reſtitutionẽ totius intereſſe Eccleſiæ quã læſit ad inſtar magiſtratus, qui minus idonea tutelam pupilli cõmiſit ff. de Magiſt. cõue. per totũ. Probat & alio medio Gabr. vbi ſup.

Acceptare eſt gratum & acceptum habere. Aliquid autem acceptari à Deo contingit dupliciter, vt ſcribit Bona. q. j. di. xxix. lib. ij. ſentent. Vno modo acceptione generali, quoniã idem eſt acceptare & bonũ æſtimare & in bono cõſeruare, & hac acceptione Deus acceptat omne opus bonũ. Alia eſt acceptatio ſpecialis, qua acceptat aliquid tãquam dignũ vita æterna, quo modo acceptat ſolam rationalẽ creaturam, illa enim tantum capax eſt beatitudinis. De hoc latiùs Occã in primo di. xvij. q. 1. Acceptat autẽ rationalem creaturam tunc (vt ſcribit Gab. d. xxix. q. vnic. ar. iij. dub. j. li. ij.) cùm cõſecrat eam in templum, adoptat in filiũ & aſſumit in coniugium. Animæ quippe ſanctæ quæ Deo placẽt, dicuntur templũ Dei, filiæ & ſpõſæ, vt patet ex ſcripturis vtriuſque teſtamenti. Et cum Deus immenſus habitare velit in anima vt in templo, ſeruum reputare pro filio, ancillam aſſumere pro coniugio, dubitare nemò poteſt illud eſſe meræ gratiæ & condeſcenſionis liberaliſsimæ. Hęc omnia facit gratia gratumfaciens, quæ quia eſt ſummũ donũ Dei creatum, animã cui infunditur ſanctificat, Deo aſsimilat, ipſamq; venuſtat. Vide latiùs ibi Gabriẽlem. Et primum genus acceptionis nõ requirit ſuper additum donum gratiæ, vltra ea quæ ſunt de conditione naturæ. Secundum verò genus non poteſt non eſſe gratuitũ, &c.

Acephalum, id eſt ſine capite. Vnde vt ſcribit Stephanus Bruleſ. di. ix. q. v. lib. iij ſent. Eccleſia veteris teſtamenti nunquã fuit acephala. Et dicitur ab a quod eſt ſine, & cephalũ quod eſt caput, quia ſemper habuit Chriſtũ pro capite, cũ eſſent eius mẽbra. Ad hoc enim quod Chriſtus dicatur caput Eccleſię myſticũ vete. teſt. nõ requiritur quod habeat actualiter naturã humanã ſibi vnitã, nec oportebat quod eſſet ſecundũ naturã humanã, ſed ſufficit quod eſſet præuiſus ſecundũ illam, & quod merito paſsionis eiũs præuiſæ infunderet Deus hominibus fidem & gratiam, & hoc ſic fuit in Chriſto. Vide & de hoc infra in dictione *Caput*, &c.

Acedia per e ſcribi deberet in medio, & per ſimplex c. Ita enim ſcribitur in Gręco ἀκηδία, vſus tamẽ aliter habet, plerumq; enim accidia ſcribitur. Et acediã dicimus (vt ſcribit Gerſ. part. ij. in reg. moral.) eſſe tędiũ interni boni, quę ex genere ſuo venialis eſt, quia cõtrariatur nõ charitati, ſed eiuſdem feruori. Fit autẽ mortalis dũ per eã aut ex ea mortale crimẽ incurritur, vt omiſsio eorũ quæ ſunt de neceſsitate ſalutis, aut deſperatio de diuino auxilio, aut ſuiipſius interfectio. Sola negligẽtia mortalis per quã id quod ſub præcepto cadit, omittitur, quãuis culpabilior in exercitiis ſpiritualib' & hierarchicis, vt in miſſa, quã prophanis. Et ſecundũ aliquos ſic deſcribitur. Acedia eſt de virtutum laudabili exercitio vtriuſq; hominis languida deiectio, vt inquit Grego. in hom. Aliter ſic deſcribitur. Acedia eſt diffidentia de propriis viribus, & Dei auxilio, quo ad ardua bona implenda, ſecundũ alios ſic. Acedia eſt torpor mentis

bona

bona inchoare, aut perficere negligentis, ſecundum Rich. Iſid. acediã à triſtitia diſtinguit, dicens triſtitiã eſſe inquãtum homo recedit à bono ad quod tenetur tanquam à graui & laborioſo. Acediã verò dicit eſſe inquãtum homo ab illo diuino bono ſeu ſpirituali ſe cõuertit ad quietẽ indebitã. Et inquantũ (vt ait Gerſ. in cõpendio Theologiæ de ſeptẽ vitiis capitalibus) eſt vel dicitur triſtitia, opponitur lætitiæ ſpirituali, ſed prout eſt & vocatur acedia, opponitur virtuti fortitudinis, quæ cõſiſtit in arduis aggrediendis, & in ſuſtinendis aduerſis. Et denominatur Acedia ab acedine, quia per eã anima habet quandã acedinem, quandamque guſtus ſpiritualis indiſpoſitionẽ de bono diuino ſeu ſpirituali difficili. Tho. ſ.ij. qu. xxxv. dicit acediam eſſe tædium bene operandi & triſtitiam de re ſpirituali, vel receſſus mentis à bono ſpirituali diuino, cui oportet mẽtem inhærere ex neceſſitate. Hugo dicit, Acedia eſt ex cõfuſione mentis nata triſtitia ſiue odium, & amaritudo animi immoderata. Ioannes Damaſceñ. lib. ij. ait: Acedia eſt triſtitia aggrauans mentem vt nihil boni ei agere libeat. Et ſecundm Greg. xxxj. moral. ſex aſsignantur acediæ filię, ſcilicet malitia, rancor, puſillanimitas, deſperatio, torpor circa præcepta, euagatio mentis circa illicita. De his latiùs Gerſon vbi ſupra.

Accidens quod Paulus Corteſius vocat aduentitium, capitur dupliciter (vt ſcribit Dominus Cardi. Cameraceñ. q. vj. ar. iij. lib. iiij.) Vno modo ſtrictè, & ſic ſupponit pro aliqua re ſiue entitate quæ non eſt ſubſtantia cõnotandi quod talis alicui alteri entitati accidat. Vel vt ait Gabr. capitur pro forma reali alicui ſubiecto inhærente, vt albedo, caliditas, & ſic albedo panis & quodlibet eius accidens licèt poſsit ſeparari à ſubiecto, tamẽ quãdo eſt ſeparatũ, non eſt accidens, quia non accidit ſubiecto ſiue nõ ineſt. Iſto modo accepit Ariſtot. qui credebat quod tale accidens non haberet eſſe niſi per ineſſe, & ſic quod non poſſet eſſe niſi ineſſet, ſed hoc nõ eſt verum ſecundum fidẽ. Hoc modo accidens inhærere ſubiecto (vt ſcribit Gabriel di. j. qu. j. libr. iij.) nihil eſt aliud quàm accidens eſſe in ſubiecto per intimã præſentiam. Alio modo capi poteſt largè prout ſupponit pro tale entitate, connotando nõ quod de facto inſit vel accidat alicui, ſed tantum connotando aptitudinẽ, ſcilicet quod ſit aptũ natũ alteri accidere. Et ſic albedo panis etiamſi ſit ſeparata à ſubiecto, eſt accidens, vt dicit Aliaceñ. vbi ſupra. Hoc modo ſecundũ cõmuniorem opinionẽ & cui magis fauet doctrina Eccleſiæ, accidẽtia in ſacramẽto quę fuerũt panis remanẽt ſine ſubiecto, & in illis fit fractio. Et hanc opinionem tenet ipſe D. Card. vt ibidẽ oſtendit. Accipitur quandoque vt ſcribit Gab. pro termino accidentaliter connotatiuo, prædicabili de alio contingenter ſic creare hoc modo dicitur accidere Deo, quia aliquãdo eſt vera Deus creat, aliquando nõ, & ita cõtingenter creare de Deo prędicatur, nec idẽ eſt ſecundũ eundẽ prędicari accidẽtaliter, & prędicari cõtingẽter. De qua acceptione vide in logica.

Acutus a, um, quod acumen habet, transfertur ad incorporea, vt acutum ingenium, actus viſus. Interdum ponitur pro aſpero. Et acutã vocẽ tenuem & altam vocamus, à quo venit acutiſsimus. Et iſte ſuperlatiuus ſicut & omnis dupliciter poteſt exponi, vt ſcribit Bruleſer di. xvj. qu. ij. lib. iij. Vno modo negatiuè, vt dolor Chriſti fuit acutus, & nullus eo acutior. Alio modo affirmatiuè, vt dolor Chriſti fuit acutus, & omni alio acutior.

Adam ſecundum Guil. Scoti imitatorẽ, & Pelbart. lib. ij. Roſa. Theol. Adam inquam vocabulũ vt ſcribunt accipitur tripliciter in Biblia. Vno modo dicitur idẽ quod homo, ſicut eſt illud Geñ. 5. Vocauit nomẽ eorũ Adã in die qua creati ſunt. Vbi dicit Ly. quod hoc nomẽ Adã eſt cõmune ſeu appellatiuũ in Hebræo, ſicut hoc nomẽ homo in Latino. Et Hier. ſuper Mat. dicit quod vbicunq; in ve. teſt. apud nos ſcriptũ eſt filij hominũ, in Hebręo habetur filij Adã, vt in Pſal. 4. Filij hominũ vſquequo graui corde, &c. Secundò accipitur pro proprio homine. Tertiò pro Chriſto Domino, iuxta illud Apoſtoli. Sicut primus Adã de terra terrenus, ſic ſecũdus Adã de cœlo cęleſtis. Et capiẽdo Adã pro homine vt & habet Apoſt. 1. Cor. 15. (nã quẽ nos hominẽ vocamus, Hebręi appellãt Adã) Et ſic reperitur duplex Adã, vt ſcribit Iacob. de Valen. in Pſal. 37. Vnus dicitur primus Adam, qui eſt principiũ carnis & omnis peccati, in quo omnes peccauimus, quia tranſtulit peccatũ ſuũ & omnes pœnalitates per generationẽ libidinoſam in omnes poſteros, & iſte fuit forma futuri & ſecũdi Adã, ſcilicet Chriſti. Secundus Adã fuit Chriſtus, qui fuit figuratus per oppoſitũ in illo primo. Nã ſicut primus fuit principiũ omnis peccati & miſerię, ſic ſecundus principiũ fuit omnis gratiæ & fœlicitatis, quare & primus dicitur homo vetus, quia omnes in peccato inueterauit. Secundus verò dicitur Adam nouus, quia omnes nos renouauit. De hoc latiùs Chriſtopolitanus Epiſcopus vbi ſupra.

Adorare ſecundum Rabanum eſt eum qui adorandus eſt tota mentis intentione quærere. Vnde iſta differunt Orare, adorare, & colere. Orare ſiue oratio eſt quædam eleuatio mentis in Deũ per cognitionem & amorem. Adorare autem vltra hoc addit quod quęramus Deũ tota intẽtione, quęrere credẽdo, & firmiſsimè ſentiẽdo ipſum habere ſummam bonitatẽ, & ab ipſo omne bonum emanare, & ſine ipſo nihil boni poſſe haberi. Colere dicit omnia prędicta, addẽdo ceremonias exteriores, vt ſunt genuflexiones, ſacrificia, &c. Sed capiendo largè cultus, honor, reuerentia ſunt idem quamuis differunt aliquo modo. Vnde Iacob. de Valent. ſuper Pſal. 104. hæc habent ſe per ordinem, ſcilicet, revereri, honorare, laudare, glorificare, confiteri, adorare. Nam revereri eſt aliquod maius bonum in alio quàm in ſe exiſtimare. Honorare autem eſt reuerentiam exhibere propter illud bonum. Laudare eſt honoratum commendare. Glorificare eſt laudes ipſius honorati largè lauteque præconizare. Confiteri eſt Deum & Dominum vniuerſalem affirmare coram hominibus. Adorare eſt reuerendum, honorandum & glorificandum propter eminentiam omnipotentiæ & ſanctitatis colere, & omni alia ſpe poſtpoſita, ſe totũ illi ſubiicere, & hoc ſoli Deo pertinet & conuenit. Ex quo patet ſecundũ eundẽ quod adoratio continet in ſe omnia alia, ſcilicet reuerentiã, honorẽ & laudẽ & gloriã ſiue glorificationẽ & confeſsionẽ.

Adoratio quãdoque accipitur largè pro qualibet veneratione qua aliquid veneratur. Sic tres ponuntur ſpecies adorationis, quæ Græcè theoſebia ſeu

latria,

latria, dulia & hyperdulia nominantur. De quibus Gab.d.ix.q.vnic.l.iij.ſen. Et valde multa de his lec. xlix.cano. & parũper lect.xviij. Latria ſiue theoſebia eſt cultus ſoli Deo debitus, quæ & adoratio ſtrictè ſumpto vocabulo dici poteſt. Vel latria eſt reuerentia exhibita alteri, vt ſummo & vniuerſali omniũ principi. Et quia Deus colitur actu interiori & exteriori, duplex eſt latria, interior & exterior. Item vtraque eſt duplex, habitualis & actualis. Actus latriæ interioris eſt actus fidei, ſpei, & charitatis, ſecundũ B. Aug. in Enchi. id eſt actus intellectus vel affectus, quo feror in Deũ vt in ſummũ bonũ omniũ rerũ principiũ atq; finẽ. Et omnis talis actus aut eſt actus fidei, extendendo nomẽ fidei ad omnẽ aſſenſum intellectus veri, ſiue ſit euidens, ſiue nõ: vel eſt actus voluntatis quo diligo Deum vt ſummum bonum in ſe ſiue vt ſummum bonũ mihi. De quo vide copioſius Gabr. in canone vbi ſupra lect. xlix.

Latria exterior ſignũ eſt aliquod ſenſibile, in proteſtatione latriæ interioris exhibitũ, vt ſunt oblatio, ſacrificium laudũ, & canticorum voces, capitis inclinatio, pectoris tunſio, manuum complicatio vel extenſio, genuflexio, in terram proſtratio, luminarium accenſio, thuris accenſio, aliarumque rerum oblatio, quibus foris proteſtamur nos in Deum credere, ſperare, vel eum vt ſummum bonum amare. Verùm quod ſigna illa exterior æquiuoca ſunt, quia & Deo exhibentur & creaturę, non tamen ſimili, ſed diuerſa intẽtione. Et ſecundũ hoc quinque ſunt ſigna actus adorationis latriæ, quãdoq; duliæ. Et quia vt dicit Biel Spirenſis lect. xlix. ex actibus frequenter elicitis generatur habitus. Latria nõ ſolum accipitur pro actu ſummæ adorationis, ſed etiã pro ipſo habitu, ſecũdum quam acceptionem dicitur virtus ad religionem pertinens. Et vt Rich. ſcribit di.xv.ar.iiij.q.ij.lib.iiij. Ad virtutem latrię pertinet Deo exhibere honorem teſtificantẽ in ipſo ſummum dominium, inquantum ipſe ſolus eſt creationis & conſeruationis mundi principium. Tres autem perſonæ diuinæ (vt ſcribunt doctor. Bonauen. di.ix.libr.iij.& Thom. & cæteri) vnica & ſimplici adoratione ſunt adorandæ. Vnde canitur. Qui cum patre & filio ſimul adoratur & conglorificatur, quia vnus Deus, vna maieſtas, &c. Nec maior debetur veneratio vni perſonæ quàm alteri, &c. De latria paulò plura videbimus de litera L.

Dulia dicitur à dules, id eſt ſeruus Latinè, inde dulia id eſt ſeruitus. Sumit autem Gab. lect. xlix. can. duliã tripliciter, propriè, cõmuniter, & cõmuniſsimè, propriè pro ſeruitute ſiue reuerẽtia quã ſerui & ſubiecti impẽdere debẽt Dominis ſuis & ſuperioribus. Dulia cõmuniter ſumpta dicitur ſeruitus quędã reuerẽtialis, qua ſe mutuò homines præueniũt & venerãtur, propter aliquod egregiũ in ipſis repertum. Dulia cõmuniſsimè ſumpta extẽdit ſe etiã ad latriã, prout dicit reuerentiã & honorẽ exhibitos, & minoribus & parib⁹, & ſuperioribus, nedũ participatũ dominiũ habẽtibus, puta creaturis, ſed etiã vniuerſaliſsimo creatori habẽti illimitatã & vniuerſalẽ pręſidentiã. Vnde B. Aug. ſuper illud Mat. 4. Dominũ Deũ tuum adorabis & illi ſoli ſeruies: dicit. Seruitus duobis modis ac diuerſa ſignificatione ſolet appellari, dicitur enim latria, dicitur & dulia. Sed dulia intelligitur ſeruitus cõmunis, hoc eſt, ſeu Deo, ſeu homini, ſeu cuilibet rerũ naturę exhibita. A qua etiam ſeruitus, id eſt dules Græcè nomen accipit. Latria autẽ appellatur ſeruitus illa quæ ſola diuinitatis cultui debita, nec vlli eſt participãda creaturę, vnde idolatræ nuncupãtur. Hæc Aug. qui duliã in hac auctoritate accipit, tertio modo ſiue largiſsimè. Diuiditur autẽ cõmuniter dulia primo modo, vel ſecundo modo accepta, vt tantum creaturæ debetur, in duliã maiorẽ & duliã minorẽ. Vnde actus dulię (vt inquit Dominus Prępoſ. in Schonbach Gab. di.ix.q.vnic. libr.iij.) eſt actus venerationis creaturæ exhibitus propter eius excellẽtiam vel perfectionẽ ſiue interior ſiue exterior, & illo modo eſt genus ad hyperduliã, quę eſt dulia maior & ad duliã minorẽ. Vnde hyperdulia eſt ſeruitus quædã reuerẽtialis exhibita creaturæ ratione excellentiæ eminentis & ſingulariſsimæ. Et dicitur ab hyper quod eſt ſuper, quaſi excellens dulia, qualis eſt reuerentia exhibita virgini glorioſæ, vt eſt mater Dei, quo excellit Cherubin & Seraphin & omnes angelicos ſpiritus. De quo latiùs vide S. Bonauen. di.ix.q.iij.lib.iij. Dulia minor ſiue ſimpliciter dicta eſt reuerentia communis alicui exhibita creaturæ ratione excellentię communis multis aliis, ſicut prælatis inferioribus vel in ſacris ordinibus conſtitutis, aut in dignitatibus, & hominibus ſapientia præditis. Item & beatis angelis, & animabus ſanctis. Et habitus ex actibus cuiuſlibet harũ ſpecierũ adquiſitus dicitur latria vel dulia habitualis. Et de ſingulis his breuiter hic dictis abundè & copioſius vide Gabr. lect. xix. cano. Et vt idem dicit diſt.ix.quæſt.vnica, libr.iij. Adoratio ſecundum quamlibet ſpeciem ſupra dictam aliquando exhibetur naturæ intellectuali ſiue rationali, ratione cuiuſdam excellentiæ, vel ſuperioritatis tanquam obiecto per ſe venerando, etiamſi ad aliud nõ referatur, licèt non tanquã fini vltimo. Aliquãdo etiã reuerẽtia exhibetur creaturæ, nõ per ſe nec propter ſe, ſed per accidens propter aliud, nec principaliter ad ea terminatur veneratio, ſed ad aliud per ea quæ habent aliquẽ ordinẽ cõtinentiæ, repręſentationis, cõiunctionis, vel alterius huiuſmodi habitudinis, & horũ adoratio ſeu veneratio eiſdẽ nominibus veneratur, quibus veneratio naturarum intellectualiũ, & ad eaſdem ſpecies reducitur. Et talis adoratio eſt veneratio alicuius non propter ſe, ſed propter aliquã habitudinẽ ſpecialem quam habet ad aliquod principaliter adorandum. Et ſecundum hoc quod adoratio ſic accepta poteſt ſimiliter diſtingui in latriã, duliã maiorem ſiue hyperduliã, & duliã minorẽ quæ ſimpliciter dulia dicitur. Vt latria dicitur reuerẽtia alicui exhibita, nõ tanquã ſumma, ſed tanquam habenti ſingularem habitudinem ad ſummum, latria propriè dicta adorandum. Et ſic ſuo modo de aliis ſpeciebus. Eſt autem hæc habitudo rei inanimatæ aut inſenſibilis ad naturam intellectualem vel rationalem adorabilem duplex in genere, ſcilicet habitudo repręſentationis, vel ſpecialis coniunctionis ſeu vnionis. Repræſentationis ſicut imaginis ad prototypum. Coniunctionis ſpecialis, vt quia fuerunt partes earum ſicut reliquiæ ſanctorum vel pulueres in quos reſoluta ſunt corpora, vel quia fuerunt arma triumphi, vt crux Chriſti, flagella, claui, &c. Vel quia fuerunt veſtes aut aliæ res in ſanctorum vſum per corporum aut membrorũ cõtactum venientes. Adoratio ergo horum quo ad

interiorem

interiorem actum nihil aliud eſt quàm recognitio interior, quo huiuſmodi creduntur habere vel habuiſſe habitudinē repræſentationis vel cōiunctionis ad ſanctos, aut complacentia voluntatis conſequens talem actum intellectus. Gabr. vbi ſupra.

De adoratione & veneratione quorundam, & primò de Chriſto. Homo Chriſtus (vt ſcribit Gab. di. ix. li. iij. ſen. & lect. l. cano.) vna adoratione quę eſt latria propriè dicta, eſt adorandus, quia homo Chriſtus eſt perſona verbi, & ita Deus, & per cōſequens ea adoratione quæ ſolius Dei eſt, adorandus eſt, hęc autē eſt latria propriè dicta. Itē credendū eſt & profitendū hominē Chriſtū eſſe ſummū & vniuerſale omniū principiū, quia Deū, ſecundū illud ſymboli Dominus noſter Ieſus Chriſtus Dei filius, Deus & homo eſt, & vt tale eſt diligēdus vt ſummū bonū in ſe & etiā ſummum bonum nobis, ergo latria homo Chriſtus eſt adorandus. Ab hoc nōn diſcrepat Iaco. de Valent. ſuper illud Pſal. 71. Adorabunt eū omnes reges, cùm ita ſcribit. Latria verè competit Chriſto quia creator, & vniuerſalis Dominus, & iudex, & redēptor, & verus Deus. Idē ſuper illud Pſal. 94. Venite exultemus, &c. ait: Quia Chriſt⁹ venit in mundum verus Deus & homo, ideo debetur ſibi latria, &c. Ab hac adoratione natura humana nō eſt ſecludēda, vt ait Gabr. vbi ſupra, & in ſen. & can. nō quod natura humana ſit terminus, id eſt obiectum huius adorationis, ſed quia tota perſona verbi in humana natura ac diuina ſubſiſtēs adoratur tanq̄ terminus, id eſt obiectū adorationis, hęc enim perſona quę eſt verè homo, eſt vniuerſale omniū principiū. Dama. Adoro ſimul vtrāq; naturā, id eſt adora Chriſti perſonā in vtraq; natura ſubſiſtentē. Sed humana natura per ſe cōſiderata adorāda eſt dulia maiore ſiue ſumma quæ dicitur hyperdulia, quia humana natura eſt creatura, ſed ſecūdum gratiā & gloriam omniū creaturarū perfectiſſima quia redēpti ſumus, ac patri recōciliati, ergo fuſius ſcribit Gab. Sed qua ſpecie adorationis humanitas Chriſti ſit adorāda variæ ſunt opiniones ex diuerſis ſanctorū auctoritatibus ortū trahētes. Vnde in hoc omnes vidētur cōcordare quod humanitati Chriſti in ſe conſideratę, nō vt vnitæ, debetur dulia maior vel minor ſecundū diuerſas eius cōſiderationes. Cōſiderata autē vt à verbo aſſumpta, & naturæ diuinę in verbo hypoſtaticè vnita, ſic de eius adoratione innuuntur tres opiniones. Vna tenet quod vt ſic adorāda eſt dulia maiore, quę hyperdulia vocatur, quia ſolus Deus eſt adorādus latria, ſed natura humana nō eſt Deus, ergò, &c. Secūda opinio tenet quod humanitas Chriſti cōſiderata vt vnita verbo, latria eſt adorāda. Allegāt illud Ioan. Damaſ. & habet Magiſt. ſen. di. ix. li. iij. nō inadorabilē carnē dicētes, adoratur enim in vna verbi hypoſtaſi, & ſequitur. Nō vt nudā carnē adoramus, ſed vt vnitum diuinitati in vnam hypoſtaſim Dei verbi duabus reductis naturā. Plura videto apud Gabr. lect. l. cano. Et hanc approbat ſan. Bona. in iij. di. ix. Vnde dicit. Cōcedendū eſt quod Chriſtus homo non ſolus adorandus eſt latria, ſed etiā eius humanitas inquantū verbo eſt vnita, quāuis prout in ſe cōſideratur nō debetur ei niſi dulia. Quoniā autē Chriſti humanitas nunquā eſt à verbo ſeparata, ideo ſemper cōſideranda eſt vt coniuncta, & ſemper adoranda eſt latria. Hęc Bona. Tertia opinio q̄ humanitas Chriſti vt verbo vnita adoratur latriā, ſed non propriiſſimè, ſed largè ſumpta. Hæc videtur eſſe Rabani dicentis. Caro Chriſti latria adoranda eſt, ſicut verbum, ſed non omni ſpecie latriæ, quoniā adoramus eum omnino proſtrati in terrā, ſic quod credamus quod nos creauit de nihilo, nec ſacrificamus ei ſicut Deo, ſed adoramus eā, quia per ipſam redempti ſumus. Sic ergo dicitur latria extenſo nomine ſiue largè, vel analogicè, primę duæ opiniones accipiūt latriam propriè, tertia verò largè. Multū autem refert loqui vt poſt Alexan. de Ales ſcribit Gabr. lect. l. canonis de humana natura in Chriſto, & de homine Chriſto. Nam homo nomen eſt ſuppoſiti ſiue perſonæ, non ſic humana natura. Vnde homo Chriſtus eſt ſuppoſitū verbi ſubſiſtētis in natura humana, perſona enim verbi, quia ſubſiſtit in duabus naturis, ſcilicet humana & diuina, eadē vna & indiſtincta eſt Deus æternus propter diuinā naturā, & homo verus propter naturā humanā. Humana autē natura in Chriſto eſt cōpoſitum ex carne & anima, quod manens creatura aſſumptū eſt à perſona verbi, ſicut idem homo eſt credens in Deū & diligēs Deum, credens per actū fidei, diligēs per actum charitatis, nec tamē actus fidei eſt actus charitatis, nec etiā actus fidei eſt homo credens, ſed aliquid in nomine diſtinctum ab homine. Ita duo ſunt realiter & eſſentialiter diſtincta natura, & humana, & diuina, hæc tēporalis, iſta æterna, hæc creatura, iſta creatrix eſſentia. Vna autem eſt perſona & penitus indiſtincta verbi ſeu filij Dei, quæ ſubſiſtit æternaliter in natura diuina, & ex tempore aſſumpſit humanam, & per hoc eadem & indiſtincta eſt Deus & homo, Deus ab æterno, homo ex tempore. Refert igitur loqui de adoratione humanitatis Chriſti & de adoratione hominis Chriſti, licèt nōnunquam ſancti vno vtātur pro alio, prout eſt frequens id apud Aug. Verbum ſuſcepit hominem, accipitur pro natura humana, quia verbū nō ſuſcepit perſonā, ſed naturā. Humana itaq; natura in ſe conſiderata, adoranda eſt dulia maiore ſeu ſumma, quæ hyperdulia dicitur, ſed vt eſt diuinæ in Chriſto hypoſtaticè vnita, nō eſt adorāda latria propriè dicta, quia latria ſolus Deus adoratur, humana autē natura vnita deitati in Chriſto nō eſt Deus. Accipiēdo verò latriam communiter, humana natura in Chriſto adorāda eſt latria, quia hæc adoratio nihil aliud eſt quā recognitio eius, vt ſummè & ſingulariter vnitę Deo. Hic autē act⁹ intellectus & volūtatis eſt actus latriæ largè acceptæ. Ex hoc habetur quomodo adorāda ſit humanitas Chriſti. Et quod dictū eſt de humanitate, pariformiter intelligendū eſt de partibus eius, ſcilicet corpore & anima, attribuendo cuilibet quod ſuū eſt. Vide latiùs Gabr. lect. l. can. Alex. qui ſub epilogo dicta reſumēs dicit. Reſpiciendo perſonā vna eſt adoratio, ſcilicet naturæ & perſonæ, reſpiciendo diuerſitatē naturarū, differēs eſt adoratio. Diuina enim natura ſemper adoratur latria humana conſiderata in ſe, ſemper maiore dulia, quia ſanctus ſanctorum. Cōſiderata verò vt diuinitati vnita, adoranda eſt latria, extenſo nomine latrię. Hęc ille. Per hoc poſſunt concordari opiniones & ſic ſecundum aliam & aliam conſiderationē ſic vel ſic mutatur actus adorationis, ſed non obiectū adorationis.

De imaginibus & veneratione earum.

Imaginum introductio non fuit abſque rationabili cauſa. Propter triplicē enim cauſam introductæ

fuerunt:

fuerũt: videlicet, propter ſimpliciũ rudiratẽ, propter affectuum rarditatẽ, propter memoriæ labilitarem. Id quidẽ pulchrè declarat S. Bona. di. ix. q. ij. lib. iij. Sed præcipua ratio cur humana religio admitrit ſacras, venerandasq; ſanctorũ imagines eſt, vr ſcribit Gabriël lect. xix. canon. vt ſcilicer ſimplicioribus eſſet memoriale perpetuum, & deuotionem ſapientium excitarent. Propter quod nemo credat ſanctorum imagines (ſicut quidam hæretici ſenſerũt) eſſe contemnendas (vt ſcribir Gerſon parte iij. tractatu pro deuotis ſimplicibus: qualiter in exercitiis ſe cautè habere debeant) ſed ſunr potius reuerenter tractaodæ, & ea intẽtione qua Eccleſia Dei eas inſtituir, dignè honorandæ. Et ſic diſcamus ab his viſibilibus mente tranſire ad inuiſibilia, corporalibus ad ſpiritualia: ille namque eſt finis imaginũ. Vnde Paulus Corteſius lib. iij. ſenren. diſt. iij. air: Nos ſimulacrorum cultum inductum eſſe volumus, tum ad incolumitatis noſtræ memoriam excitandam, tum ad heberiorum hominum ingenia admonenda, quandoquidem vehementius in mentes hominum influat aſpectus quàm audirio. Idque genus cultus à Chriſto inductum puratur, quem Abagaro Regi effigiem ſuam in linteo pictum non ignobilis auctor Euſebius miſiſſe ſcribit. Quod quidem genus cultus poſtea eſt Senaruſconſulto confirmatum, promulgatumq;, vt diuorũ imagines pingerentur in delubris. Ex quo facilè intelligi poreſt, diuorum eſſe ſimulacra colenda. Quod ſi hæ imagines colendæ dicũrur, nemini dubiũ eſſe poreſt quin ſoſpitarorum Chriſti crux anguſtius, ſanctiusque coli debear. Nimius autem vſus imaginum reprobarur. Air enim Apoſtolus: Scimus enim quia idolũ nihil eſt in mundo, & nullus Deus niſi vnus. Poſſent namq; ſimplices & infirmi per nimium & indiſcretum vſum facile ad idolartiam trahi, credẽdo in eis aliquid numinis ineſſe. Videatur ad hoc Magiſter in Rarional. diuin. lib. j. Imagines autem rerum adorandarum (vt ſcribiţ Gabriël di. ix. quæſt. vnica, libr. iij.) eadem ſpecie adorationis adorandæ ſunt, qua res repræſentatæ, tam capiendo ſpecies illas propriè quàm communiter ſiue analogicè, vt imago Chriſti, vel beatæ Virginis, vt repræſentat mihi Chriſtum crucifixum, adoranda eſt latria largè accepta: ſed cùm formo actum quo credo Chriſtum Deum & hominem per ralem imaginem repræſentatum eſſe crucifixum, & diligo eum talem, illi actus ſunt latria propriè dicta. Suo modo dicendum eſt de imagioe Virginis glorioſę, quę hyperdulia adorarur, & cæterorũ ſanctorũ, qui dulia venerantur. Latiùs Gabr. vbi ſupra. Et vt ſcribit Bruleſ. di. ix. q. j. lib. iij. imagines factæ, ad repræſentãdum patrem in diuinis vel ſpiritum ſanctũ, quo ad deitatem nullo honore ſunt venerandæ, nec adorandæ adoratione latriæ, ſed potius ſunr deſtruendæ. Rationem ibidem aſsignat.

De cruce Chriſti adoratione. De cruce Chriſti dupliciter loqui poſſumus ſecundũ S. Tho. in iij. ſcripto d. ix. q. ij. Aut de cruce quæ eſt imago crucifixi, ſiue picta ſiue ſculpta, ſiue de quacunque materia fabricata, etiam ſi fuerit de ligno Dominico. Et ſic dicendum eſt ſicut de aliis imaginibus Chriſti quod adorãda eſt latria, ſicut prototypus ad ſenſum prius dictũ. Vnde Gerſon tract. viij. ſuper Cantico Mariæ ait: Sciunt hæc fideles, ſciunt & Philoſophi omnes, nihil habet lignũ crucis diuinitatis, etiã in qua pependit Dominus, ſed in cruce tanq̃ in ſigno ſurgit fides noſtra ad Dominũ noſtrũ Ieſum Chriſtũ Deum verũ, qui ſalurem noſtram operatus eſt in ea. Sic de imaginum venerarione verus habet doctorum determinatio. Sic per figurã ſignum accipitur pro ſignato, vt nomẽ pro nominato, imago pro imaginaro. Hæc Gerſon. Aliter verò dicendum eſt de beara Virgine quàm de cruce, vr ſcribir frater Pelbart. lib. iij. Roſarij Theolo. quia Matri Chriſti debetur adoratio propria, cùm ipſa ſit rationis capax. Vnde cùm Virginem adoramus, eius beneuolentiam captamus & deſideramus. Cùm verò crucem adoramus, non intendimus placere cruci, ſed crucifixo, ergo crux ſecundum eum adoranda eſt latria. Secũdo modo loqui poſſumus de ipſo crucis ligno in quo ſalus noſtra Chriſtus pependir, non vt imago, ſed vr tale lignũ membris Chriſti in eo ſuſpenſis conſecratũ. Et ſic dicit Tho. non eſt adorandum latria, ſed hyperdulia, quia nõ pertinet ad perſonam verbi, ſicut pars eius: ſed eſt res quædã eius in qua ſalutẽ operatus eſt in medio terræ. Sanctus Bona. dicit, quod vtroq; modo cõſiderata debetur ſibi duplex ſeruitus, adorationis & venerationis. Adorationis latriæ, & venerationis ſpecialis, quæ nec eſt latria nec dulia. Nam ſecundum eum honor exhibitus in famularum conplacentiæ, eſt honor adorationis latriæ. Ille verò qui exhibetur in obſequium reuerentiæ, eſt honor venerationis. Brulefer di. ix. libr. iij. ſcribit, quod crux Chriſti in qua paſſus eſt Chriſtus, non eſt veneranda adoratione latriæ, quia nec inquanrum eſt res in ſe, nec inquanrum repræſentat Chriſtum, nec inquantum tetigit ſacratiſsima Chriſti membra, nec quantum in ea Chriſtus exercuit myſterium noſtrę redemptionis, quia pura creatura & lignũ. Nam ſi crux eſſet adorãda latria, ſequeretur quod beata Virgo magis eſſet adoranda, quę maiorem habet habitudinem ad filiũ ſuum, qui eſt Chriſtus, Deus & homo, quã habeat crux. Itẽ ſi talis habitudo eſſet ratio adorãdi crucẽ, ſcilicet ſigni ad ſignatũ, ſequitur quod accidentia in ſacramẽto altaris eſſent adorãda tali adoratione: quia illa accidentia ſunt verè ſacramẽtum & ſignũ corporis Chriſti Deitate vniti, & ſub illis eſt in præſentia propria ſicut eſt in cœlo, qua nõ eſt in imagine crucis. Et clarũ eſt, quod nullo modo debẽt adorari cũ ſint puræ creaturæ, ſed ipſe Deus ſub ſpeciebus ipſis cõtentus adoratur: ergo crux inquantũ repræſentat Chriſtum nõ eſt adoranda adoratione latriæ. Hæc Brulefer. Et vt idẽ dicit, cùm crucẽ adoramus, ipſum Chriſtum adoramus, ita quod loco crucis intelligitur eſſe Chriſtus, quaſi cõcretum loco abſtracti, vt ibi: O crux, aue ſpes vnica, &c. ſenſus eſt, O Chriſte crucifixe. Huic aſtipulari viderur Holkot libro ſapientiæ, qui dicit quod latria eſt honor Deo ſoli debitus: ergo talis honor non debet exhiberi cruci vel imagini: quia qui honorat aliquid honore latriæ, cõfitetur illum eſſe Deum, & aliud à Deo eſſet Deus. Ideo inquit Ioan. Holkot li. ſapien. mihi dicendũ quod nec adoro crucem, nec imaginem, quia eſt imago vel crux Chriſti, ſed adoro Chriſtum coram imagine vel cruce, quia excitat me ad orãdum Chriſtum. Hinc Iacobus de Valentia tractatu iij.

regula vj. prologi ſuper Pſal. dicit: Iſta propoſitio, Crux adoratur, nõ eſt intelligẽda ad ſenſum quem facit: quia nulla creatura per ſe adoratur, ſed eſt intelligẽda ad ſenſum in quo fit, ſcilicet Chriſtus crucifixus adoratur. Gabr. tamen loquit lec. l. can. Dici poteſt, quod crux Chriſti, & cætera ſalutis noſtræ arma, quia res quædã ſunt ad Chriſtum pertinẽtia. Ipſa enim, vt Anſel. loquitur, ſunt inſtrumẽta fortiſſima, quibus omnipotẽs virtus & inueſtigabilis ſapiẽtia Dei reſtaurationem mũdi potẽter ac mirificè operata eſt, ipſaq; attactu membrorũ Chriſti dedicata, & tanq̃ precioſiſsimis margaritis ornata ſunt. Et ideo adoratio eorum ad eandem ſpeciem adorationis reducitur, qua adoratur Chriſtus cui ſpeciali quadã habitudine coniungũtur, hoc eſt adoratione latria nõ propriè dicta, ſed analogicè, quæ adoratio quantũ ad interiorem actũ nihil aliud eſt, niſi actus intellectus, quo talia recognoſcuntur tanq̃ res quędam ſiue arma ſpeciali quadã habitudine ad Chriſtum pertinẽtia: vel etiã actus voluntatis ſibi in his vt talibus cõplacentis. Hęc Gabr. lec. l. cano. Quare autẽ aſinus cui Chriſtus inſedit, non adoratur ſicut crux? Reſpondit Gerſon tract. viij. ſuper Magnificat. vt vitemus ſcandalũ vel irriſionem infideliũ, aut ſimplicium ſi coleretur aſinus ſicut colitur crux. Non enim æquè faciliter honorẽ referrent ad prototypũ, id eſt ad ſignificatũ Chriſtũ: nec ad redemptionis noſtræ myſteriũ, quemadmodũ fit de cruce, prolixè eſt Gerſon de cruce, quem vide ſi placet. Et vt dictum eſt de cruce, ſic de clauis, coronaq; dicendũ eſt. Item lancea & cæteris Chriſti ſanguine rubricatis. Sed quod variè ſentiãt Theolog. profeſſores de adoratione crucis, &c. id fieri arbitror ex vocabuli adoratione diuerſitate, quod largè & ſtrictè accipi (vt dictum eſt) poteſt.

De præputio & ſanguine Chriſti. Si præputium & ſanguis Chriſti de corpore eius in cruce fluens (vt literis mandauit Gabr. lec. l. cano.) ſi adhuc in terris conſeruantur, ſicut vtrunque in Eccleſia Lateranenſi vrbis Romę cõtineri dicitur, & in die ſanctæ Paſchæ populo adorandum oſtenditur. Si, inquam, Dominus reſurgẽs nõ reaſſumpſit totũ ſanguinem fuſum: & quicquid fuit de veritate humanę naturę eadẽ adoratione adorãda ſunt qua humanitas Chriſti non vt coniuncta verbo. Nam præputiũ ſi reſeruatur in terris, non eſt vnitũ diuinitati: quia nõ eſt actu pars corporis Chriſti, ſed quoddã ſuppoſitum per ſe, ſicut quælibet pars integralis ſeparata à toto eſt per ſe ſuppoſitũ, nõ autẽ ſunt plura ſuppoſita verbi. Nec hoc eſt cõtra Damaſ. di. Quod ſemel aſſumpſit, nõ dimiſit. Verũ enim eſt quantũ ad partes eſſentiales totales humanitatis Chriſti: oã totũ corpus nunq̃ dimiſit, nec in ſepulchro, nec animã dimiſit etiã in inferno. Nã dubiũ nõ eſt quin partes corporis naturalis per actionẽ caloris naturalis reſolutè dimiſſæ ſint: ſimiliter & pręputiũ poſt circũciſionem vbicunq; fuerit ante reſurrectionẽ, nõ fuit vnitum hypoſtaticè deitati. De ſanguine Chriſti ſcribit Brulef. di. ix. lib. iij. di. Sanguis Chriſti verus & nõ tantũ miraculoſus qui remãſit ſuper terrã poſt reſurrectionẽ, nõ eſt adorãdus adoratione latrię. Ille autem dicitur ſanguis Chriſti verus, qui aliquãdo fuit in corpore Chriſti, & vnitus deitati. Et quod nõ ſit adorãdus, patet: quia nõ eſt vnitus diuinitati. Sanguis autẽ Chriſti in altari poſt conſecrationem eſt adorãdus latria, eò q, vnitus eſt diuinitati ſicut corpus Chriſti. Sanguis autẽ Chriſti miraculoſus, qui, ſcilicet nunquã fuit vnitus Chriſto, ſed de nouo à Deo eſt creatus, vt Pariſiis dicitur eſſe, qui effuſus ab vna hoſtia gladio per quendã Iudæũ vulnerata: talis, inquam, ſanguis non eſt adorandus nec venerandus tanta veneratione, quanta ſanguis qui ſemel vnitus eſt Chriſto. Hæc Brulefer.

De reliquiis ſanctorũ, veſtimẽtis ac rebus quibus ad Dei honorẽ vſi ſunt, per ea merẽdo, adorandæ, ſunt dulia vel hyperdulia. Quod nihil aliud eſt, inquit Gab. li. iij. d. ix. niſi recognitio eorũ vt partiũ, vel cõiunctorũ ſanctis, eſt dulia vel hyperdulia: ſimiliter & cõplacentia in eis, vt talibus. Animab[9] autẽ ſanctorũ debetur eadẽ adoratio quę ſanctis: nã propter animas ſanctas totũ cõpoſitum eſt ſanctũ. Reliquię ſanctorũ (vt literis prodidit idẽ Gab. lec. l. can.) ſunt venerãdæ tanquã ea quæ fuerũt partes corporũ ſanctorũ, ſaltẽ ſecundũ materiã earũ: partes autẽ ſolum adoratione adorãdæ ſunt cum toto. Cùm ergo ſancti dulia adorãdi ſunt, ſimili adoratione duliæ eorũ reliquiæ ſunt adorãdę. Simili dixi, ſed nõ eadẽ adoratione, quia adoratio duliæ analogicè attribuitur ſanctis & partibus, quę nõ ſunt creaturę rationales, hoc eſt partibus materialib[9] propter animã rationalẽ, cui debetur dulia propriè dicta, ſiue ſit actu pars ſiue fuerit pars. Cæteris partibus: puta, corpori vel parti eius, debetur dulia analogicè, ſiue ſit actu pars ſancti, ſiue aliquando fuerit pars eius. Et ſecundum Hiero. cõtra Vigilan. reliquię ſanctorũ ſunt venerabiliter honorãdę. Nã per contactũ illorũ multa Dominus beneficia cõtulit ad eorũ dignitatẽ declarandã, vt per exẽpla probat Gab. in can. vbi ſupr. vide. Suo modo dicendũ eſt de cęteris, vt armis triõphalibus, veſtibus, ſepulchris, & aliis olim ad vſum ſanctorũ pertinẽtibus. Generaliter igitur omnia cõiuncta adorãdis eadẽ ſpecie adorationis analogicè adorãda ſunt, quib[9] ea ad quę cõiuncta fuerũt, adorantur propriè. Si latria, latria: ſi hyperdulia, hyperdulia: ſi dulia, dulia, &c. plus Gabriël.

De adoratione Eucharistiæ ſcribit Scot. di. xj. q. iij. li. iiij. quod ſpecies, hoc eſt accidẽtia ſacramẽti altaris, quia creatura, nõ ſunt adorandæ. Non enim eſt adorandũ ſenſibile cõtinens, ſed Chriſtus cõtentus: & ita nõ panẽ cõgruit adorari, ſed Chriſtũ contentum in pane, vt in ſigno. Simplices autẽ qui nõ diſtinguũt accidẽtia illa à corpore Chriſti, illi adorãt in fide Eccleſiæ, & hoc ſufficit eis ad ſalutem. Et vt Gab. ait lec. l. cano. totus Chriſtus in ſacramẽto debet adorari latria propriè dicta actu interiore & exteriore: partes verò & totũ, quia ſimili adoratione adorantur ea adoratione qua adoratur humanitas Chriſti, adoratur etiã eius anima benedicta, corpus glorioſum, & membra eius. Vide latiùs Gabr.

Hoſtia autẽ ſiue Eochariſtia in altari debet adorari ſub conditione, ſi ſeruata ſunt ſeruanda, hoc eſt omnia requiſita ad conſecrationẽ, & hoc habituali, hoc eſt tacita vel expreſſa, vt volunt Alexand. part. iij. q. xxx. memb. iij. ar. j. §. iij. & poſt eum B. Tho. & S. Bona. in iij. di. ix. & Gerſon part. ij. in regulis moral. vbi dicit: In omni adoratione ſacramẽti altaris ſubintelligitur conditio iſta vel ſimilis, ſi conſecratio

ſecratio ritè & debitè ſecundũ inſtitutionẽ Chriſti fuerit celebrata, ac perinde adorãs alienus eſt ab idolatria, quamuis celebrans & non cõſecrans eſſet in culpa. Nec opus eſt (ait Gabr. vbi ſupra) vt adorãs hoſtiã in Miſſa actualiter ſeu expreſſe conditionem apponat, nec fortè expedit, maximè ſimplicibus, ne dubitationi circa fidem ſacramenti, locum dare aſſueſcant. Sed ſufficit quod habeat conditionem illam habitualiter ſiue tacitè, ita quod intentio ſua taliter ſit inſtituta, quod ſi ſciret defectum circa neceſſaria ad conſecrationem requiſita fuiſſe cõmiſſum, non adoraret. Vel ſi cõditio prędicta tempore adorationis in cogitatione occurreret, ipſam apponeret. Paulò plura videre potes apud Dominũ præpoſitum Gabr. Theologum eruditiſsimum, & multa aliàs leguntur de adoratione, pauca ex multis ſcribere volui.

Adoptare eſt aliquem in filium recipere: & quandoq; ordinate ad vitã largè accipiendo, vt vult Gabriel diſt. x. q. vnica, lib. iij. Vnde adoptio eſt duplex, vt ſcriptis reliquit Bruleſet di. x. q. vj. libr. iij. quædam eſt humana, alia diuina. Trãſfertur autem nomen adoptio ab humana ad diuinã, à Iuriſtis ad Theologos. Adoptio humana eſt alicuius perſonæ extraneæ in filiũ vel nepotem, aut deinceps ſecundum gradus conſanguinitatis legitima aſſumptio: Adoptio diuina eſt alicuius naturæ intellectualis extraneæ in filiũ Dei vel filiam, ſeu in hęreditatem æternam gratuita ipſius Dei aſſumptio. Et eſt duplex Dei gratuita aſſumptio, ſcilicet per prędeſtinationem æternam, & charitatem temporalem.

Adoptio, vt ſcribit Richardus diſt. xlij. artic. ij. qu. j. lib. iiij. eſt voluntarius motus, quo de non filio fit filius non naturalis: ſicut generatio naturalis eſt naturalis mutatio, qua de non filio fit filius naturalis, & quãuis iſta filiatio aliquo modo naturalem imitetur, non tamen attingit: quia ſicut dicit Philoſophus 4. Meteor. Ars debilior eſt quàm natura: nec ſequitur, id eſt attingit eam, licèt multum elaboret. Et per filium vel nepotem in diffinitione adoptionis intelligitur filius & filia, nepos & neptis: quia tam maſculus quàm fœmina poſſunt adoptari, non autem quilibet poteſt adoptare, vt idem vult, ſed tantum ille cui à lege permittitur. Vnde mulier adoptare non poteſt niſi in ſolatium amiſſorum liberorum, hoc ei à Principe concedatur: nec etiam filiusfamiliàs, nec etiam ille qui non poteſt generare, vt ſpado vel caſtratus: nec minor ſexaginta annis, niſi ex aliqua neceſſaria cauſa: quia ante tempus id debet vacari generationi naturali ſi vult habere filium. Oportet etiam quod adoptans plena pubertate præcedat adoptatum, id eſt 18. annis, ita quod poſſet ipſum naturaliter generaſſe, & non eſt idem aliquem in domo nutrire, ſicut filij nutriuntur, & aliquem in filium adoptare. Richardus, & per perſonam extraneam ſecundum eundem intelligitur omnis qui non eſt in poteſtate adoptantis, ſiue ſit de eius cognatione carnali ſiue nõ. Adoptare ſecundum Thomam, eſt admittere ex gratia ad participandum hæreditatem, in iij. parte qu. xxiij. artic. j. & ſecundum eum adoptio ex extraneæ perſonæ in filiũ vel nepotem, & deinceps legitima aſſumptio. Thom. in iiij. ſen. di. xlij. q. ij. ar. j.

Adoptio diuina differt à prædeſtinatione, vt ſcribit Gabr. di. x. q. vnico, artic. iij. lib. iij. Adoptio dicit perſonã, quia filiationem, quæ non eſt niſi perſona. Prædeſtinatio verò conuenit tam naturæ quàm perſonæ. Prædeſtinatio enim non ſolùm reſpicit perſonam, ſed omne beatificabile per gratiã: non enim ſolũ Petrus, ſed & anima Petri prędeſtinata eſt ad gloriam, quę tamen non eſt perſona. Et vt ibidẽ dicit Chriſtus ſecundũ hominem prædeſtinatus eſt eſſe filius Dei. Hoc probatur per Apoſtolũ Rom. 1. dicentẽ de filio, qui, ſcilicet filius factus eſt ei, ſcilicet patri ex ſemine Dauid ſecundũ carnẽ, qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute & ratione. Nam natura humana prædeſtinata eſt vnire Deo, per quã vnionẽ verbũ factũ eſt homo, & homo eſt Deus & filius Dei. Et ſic verbũ vel Chriſtus prędeſtinatus eſt ſecundũ hominem eſſe filius Dei. Prædeſtinatus eſt ergo Ieſus vt qui futurus eſt ſecundũ carnẽ filius Dauid, eſſet in virtute filius Dei, in virtute, ſcilicet deitatis. Vide latiùs Gabr. vbi ſupra.

Adoptio humana differt ab arrogatione (vt ſcribit Richar. d. xlij. ar. ij. li. iiij.) in quatuor. Primò, quod arrogatur, qui eſt ſui iuris, adoptatur qui eſt alieni. Secũdò quia arrogatus trãſit in poteſtatẽ arrogãtis. Adoptatus nõ tranſit in poteſtatẽ adoptãtis. Tertiò quia arrogatio nõ fit niſi auctoritate Principis: adoptio autẽ fit per quẽlibet Magiſtratũ. Quartò differunt, quia arrogatus habet de neceſsitate legitimã in bonis arrogatoris: vnde ſiue eũ emãcipet ſiue decedat, debet ei relinquere legitimã ſuã. Adoptatus verò nõ habet legitimã in bonis adoptantis: vnde nõ tenetur ei aliquid relinquere: ſi tamẽ ab inteſtato moriatur ſuccedit ei adoptatus. Et prædictę duę ſpecies ſunt adoptionis generalis. Arrogatio quandoq; in iure dicitur adoptatio, vt dicit Richar. Vide de hoc S. Bona. di. xlij. ar. ij. lib. iiij. Scot. di. x. li. iij. dicit quod vocabulũ illud filius adoptionis tranſlatum eſt à Iuriſtis, qui filiũ adoptiuũ dicũt illum, qui nõ eſt naturaliter genitus ab aliquo certo homine: nec ex naturali generatione habet ius ſuccedẽdi in hæreditate eius, ſed ex gratia præordinatur, vt habet ius ſuccedẽdi. Nam quod illa tria cõcurrunt ad rationẽ adoptionis, extraneitas ex generatione naturali, & gratia quæ eſt gratuita volũtas adoptãtis, & bonũ ad quod præordinatur ex iſta gratia, ſcilicet hæreditas ad quã habet ius ſuccedendi ex adoptione. Vide latiùs Gabr. eadem diſt.

Aduentus. Duos aduentus Domini ponit Aug. ſuper 9. Pſal. Vnum præteritũ, quem Iudæi non intellexerunt: alterum futurum, quem vtiq; ſperamus. Gerſon verò part. ij. ſer. de verbis Domini: Venite ad me omnes qui labora. &c. ponit quatuor aduentus Domini: & hos notat frater Pelbart. lib. iij. Roſarij Theo. Primus eſt incarnationis. Ioã. 1. In propria venit. & verbũ caro factũ eſt. Secundò aduenit in mentẽ. Ioan. 14. Si quis diligit me, ad eũ veniemus, ſcilicet tam pater & ſpirituſſanctus quàm Dei filius. Tertiò aduenit ad hominis mortem. Mar. 13. Eſtote parati, quia qua hora nõ putatis, filius hominis venturus eſt. Quartò venit ad iudicium finale. Luc. 21. Videbunt filium hominis venientem, &c. Hinc Eccleſia quatuor Dominicis celebrat de Aduentu, & vltima ſeptimana ſæpius eſt incõpleta ad

ſignificandum prædictum aduētum quadruplicem. Et quartus aduentus ad iudicium erit electis ad vitam, quæ nunquam finem habebit, & reprobis, ſecundum Bernardum, terribilis, quia iuſtæ damnationis. Electis autem æternę retributionis vel præmiationis. Primus eſt maximę humilitatis ex charitate ad homines. Secundus, ſcilicet in mentem in homines eſt deſiderabilis amoroſitatis. Tertius eſt ad mortem contra homines, ſcilicet reprobos amariſsimæ formidoloſitatis propter rationem reddendam: ſed electis eſt aduentus conſolabilis charitatis propter vocationem in cœlū, & traductionem. Et dicitur Deus venire in mundum, non ſic quod priùs ibi non fuit, cùm ipſe eſt vbique ſemper præſens per eſſentiam & potentiam, ac præſentiam in omnibus, ſed per efficientiam nouam apparendo nouo modo, ſecundum quod incipit eſſe alibi vbi priùs latebat, talem effectum nouum anteà non faciendo. Ita Chriſtus per carnem aſſumptam dicitur adueniſſe: & ſimiliter in mente per gratiam vbi priùs ſic non erat, id eſt ſecundum talem effectum. Sic ſimiliter in aliis: puta, in throno iudicij mortis & finalis.

Adulter dicitur alieni thori violator. Vnde adulterium alieni thori violatio. Et dicitur adulterium quaſi ad alienum thorum acceſsio. Richardus libr. iiij. Adulterium (vt ſcribit ſanctus Thomas ij.ij.q. cliiij.artic.viij.) eſt illicitus concubitus coniugati, vel coniugatæ. Eſſe adulterum (vt ſcribit ſanctus Bonauentura di.xxxj.lib.iiij.circa textum) contingit duobus modis, aut ratione actus, aut ratione intentionis, vt ſi iſta eſt adultera (ratione actus) quod ille qui eam cognoſcit, eſt adulter. Si ratione intentionis, tunc ſi vna perſona intendit cognoſcere affectu maritali, & alia cognoſcit aliam ratione libidinis, vel in vno vel in vtroque ſit intentio: extra generandi prolem, eſt adulterium, non ratione generis actus, ſed ratione intentionis, pro eo quod facit cōtra bonum prolis, & ita aduerſetur matrimonio, & non excuſatur. Hæc Bonauent.

Adultus, vt narrat Brulefer di.j. parte ij.qu.iij.libr. iiij.ſentent.ſecundum Iuriſconſultos eſt ille homo qui cōpleuit 25.annos, quia vſq; ibi creſcit, & tunc dicitur adultus. Alio modo adultus eſt viator habens vſum rationis, per quem poteſt diſcernere inter bonum & malum. Adultus enim connotat ſtatum, in quo homo creſcit. Dicitur, habens vſum rationis, ad differentiam fatuorum & ratione carentiū. Dicitur, per quem, &c. & hoc citiùs in vno quàm in alio: vt patet de illo puero, de quo loquitur Gregorius iiij. Dialog. Concorditer loquitur Scotus di.xvij.libr.iiij. qui ait: Adultus dicitur qui habet vſum rationis, & qui cognoſcit peccatū quod commiſit, per quem adultum non tantum intelligo, inquit, tantæ vel tantæ ætatis, ſed quod habeat ætatē ad cognoſcendū iuſtum vel iniuſtū, contra legem Dei: in multis enim ante ætatem conſuetā malitia ſupplet ætatē: & nō tantū in malis (vt dicunt cōmunia verba) quia fortè habet citius prudentiam ad malū, vnde dicitur doli capax, ſed etiā in bonis, iuxta illud in legenda S. Agnetis: fides non in annis computatur. Is confiteri tenetur, ſi peccata habeat mortalia, ad conſequendam ſalutem.

Aduerbium eſt orationis pars, de qua apud Grammaticos videtur. Iſta autem aduerbia donec & vſque, tripliciter ſumuntur in ſacra ſcriptura, vt notat Iacobus de Valentia ſuper Pſalm.109. Primo modo præciſiuè & determinatiuè. Et ſic ſumuntur Geñ.44.cùm dicitur: Non auferetur ſceptrum de Iuda, donec veniat qui mittendus eſt: quaſi dicat, quod poſt aduētum Chriſti non erit Rex temporalis de tribu Iuda. Item eodem modo dicimus, quod mulier eſt alligata coniugio donec vir moriatur. Et ſancti Patres fuerunt in limbo donec Chriſtus venit. Et Apoſtolus ad Galatas 4. Quanto tempore hæres paruulus, & ſub tutoribus, & actoribus eſt vſque ad præfinitum tempus à patre, id eſt donec emancipetur, & donec ſit finitum tempus, pater ſubmiſit ipſum tutoribus. Secundo modo ſumitur donec, & tenetur abſolutè, & indeterminatè, & ſic ſumitur Pſal.124. cùm dicitur: Oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum donec miſereatur noſtri, quia non ſequitur, quod poſtquam Deus miſertus fuerit noſtri, non amplius habeamus oculos ad Deum. Item eodem modo indeterminatè & abſolutè ſumitur Matth.1. cùm dicitur: Ioſeph non cognoſcebat Virginem donec peperit filium ſuum primogenitum. Ita accipitur Pſal.109. Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum: quia non ſequitur, quod poſtquam pater ſubiecerit filio omnes inimicos ſuos, quin filius ſedeat à dextris patris. Tertiò ſumitur donec infinitè & æternaliter: & ſic ſumitur Pſalm. 71. cùm dicitur: Orietur in diebus eius iuſtitia & abundantia pacis, donec auferatur Luna. Sed quia Luna nunquam auferetur, nec annihilabitur, ideo pax Chriſti nunquam ceſſabit, ſed erit in æternum: ita accipitur Matth.18. cùm dicitur, quod iratus Dominus tradidit illum ſeruum nequam & ingratum tortoribus, donec redderet debitum, ſed quia nullus poteſt reddere debitum in inferno: ergo in æternum cruciabitur. Poteſt & accipi pro quamdiu, ſicut & in prædicto Pſalmo: Dixit Dominus, &c. donec ponam, &cæ. quaſi dicat, quod in æternum ſubiiciam tibi inimicos tuos, quia in æternum ſedebis à dextris meis. Hæc Chriſtopolitanus Epiſc.

Aër vnum ex elementis, habet tria interſtitia, vt notat Brulefer diſtinct.vj.quæſt.iiij.libr.ij. Supremum quod dicitur æter, & eſt pars aëris vicina, & contigua ſphæræ ignis calidiſsima & ſubtiliſsima, ideo inhabitabilis. Infimum interſtitium eſt pars aëris contigua terræ, vbi ſumus, & temperatur propter reflectionem Solis. Medium interſtitium eſt media pars aëris obſcura & tenebroſa, vbi fiunt tonitrua, coruſcationes, & aliæ impreſsiones metheoricæ, quibus dæmones frequenter immiſcent ſe, & cauſant in eis effectus mirabiles, qui non poſſunt fieri purè naturaliter, eò quòd fiunt à dæmonibus applicatiuè: tamen & quare ſint in hoc aëre dæmones dicunt, propter humanum exercitium: ſicut enim dicit Auguſtinus: Nunquam Deus quos præſciebat futuros malos eos feciſſet, niſi pariter noſſet, quibus vſibus eos accommodaret. Aër enim caliginoſus propter caliginē conuenit tenebroſitati culpæ, ſed

propter nobilitaté & ſubtilitaté cõuenit velocitati Angelicæ. Vnde Greg.dicit, quod frequenter circa nos volant ſicut muſcæ,&c.

Affectio eſt cupiditas, lætitia, &cæ. & ſunt quatuor principales, vt & habet Gerſ.tract.j.ſuper Magnif. Prima eſt amor vel gaudium. Secunda ſpes vel deſideriũ. Tertia timor vel diffugiũ. Quarta dolor vel odium. Et ſecundũ S.Bonauen.di.xvij.in dub. literal.li.j.affectio dicitur quadrupliciter. Vno modo dicitur ipſa vis affectiua. Alio modo dicitur affectio paſsio vis affectiuæ, vt gaudiũ & dolor, & huiuſmodi. Tertio dicitur actus potentiæ affectiuæ. Quarto modo dicitur habitus affectiuus ſicut intellectus. Vno modo dicitur habitus principalior, & eſt regula intellectus: & hoc modo accipitur cũ dicitur, quod charitas eſt affectio, & ſimiliter accipit Bernat. cùm dicit, quod virtus eſt affectio ordinata. Eſt autem affectio animi & corporis ex tempore, aliqua de cauſa mutatio, vt ſunt gaudiũ, lætitia, miſericordia, cupiditas, metus, moleſtia, & alia, quę à noſtris modò affectus, modò affectiones dicũtur, Græci πάθος, hoc eſt morbum, vocant. Hinc affectare eſt nimio affectu & anxiè quætere.

Affectio eſt duplex, ſcilicet iuſti & cõmodi, vt ſcribit Gab.d.j.q.vj.lib.j.& in ij.di.vj.& xxxvj. Affectio cõmodi eſt ipſa voluntas naia inclinari ad cõmoda, & bona ſibi, vel quia ſibi conueniens aut delectabile non habito reſpectu ad rationem rectam. Et actus eius eſt velle cõmoda, & fundatur in amore amicitiæ ſui ipſius. Affectio iuſti eſt moderatrix affectionis commodi, vnde patet ſecundũ tem affectio commodi, & affectio iuſtitiæ, eſt ipſa voluntas quæ inquantum eſt appetitus intellectiuus, præciſe nata eſt velle commoda. Et inquantum eſt libera nata, eſt moderati ſeipſam, ne effrænatè velit. Et affectio iuſti eſt, quæ eſt cõformis rectæ rationi, qua voluntas vult aliquid: qnia iuſtum, qnia rationi rectæ conſonum. Et affectio iuſti appetit bonũ propter finem vltimum: affectio commodi appetit bonum propter ſeipſam. Et affectio commodi reſpondit amori concupiſcentiæ, ſed affectio iuſti amori amicitiæ. Vide latiùs Gabr. vbi ſupra.

Affectus idẽ eſt quod paſsio vel perturbatio. Nam vbi vetus tranſlatio Ariſtotelis habet paſsiones, noua habet affectus. Affectus autem eſt actus potentiæ affectiuæ: nihil enim poteſt poni in appetitu, niſi actus, quem præcedit apprehenſio obiecti, & conſequẽs delectatio, vel triſtitia & habitus. Nam poſita apprehenſione ſeu cognitione obiecti ſenſibilis ſiue intuitiua, ſiue abſtractiua, ſtatim generatur actus in potentia appetitiua, quo proſequitur, amat ſeu deſiderat, ſi fuerit conueniens: aut quo fugit, odit vel timet ſi apprehẽditur vt diſconueniẽs, & illum ſequitur delectatio vel triſtitia: nec aliud ponitur in potentia appetitiua excepto habitu. Gabriël libr.iij.di.xxiij. q.j. artic.j. qui & latiùs rem proſequitur. Gerſon parte iij.tractatu de paſsionibus animæ ait: Affectus vel eſt paſsio ab agente derelicta in potentia cognoſcente, vel ſimilitudinem habet paſsionis. Non eſt autem deuotio ſine affectione: nam deuotio quid aliud eſt quàm extenſio, vel eleuatio mentis in Deum, per pium & humilem affectum. Rurſus omnis virtus cùm ſit affectio moderata & ordinata, vitiũ ex defectu modi & ordinis in affectibus proueniat, nunquid non ſalubris erit affectionum paſsionalium cognitio. Paſsionum quippe ignorata qualitate, neque virtutum neque habituum, imò nec ipſius hominis, neque tentationum ſuarum multiplicium, poterit ſufficiens notitia vel ars adipiſci. Gerſon.

Affectus eſt duplex, ſcilicet naturalis & deliberatiuus, vt ſcribit ſanctus Bonauentura diſtin.xvij. in dubiis literalibus libr.iij. Affectu naturali nemo vult mori, imò omnis homo refugit mortem. Affectu deliberatiuo poteſt quis appetere mortem & effugere vitam: non quia illa ſit mors, ſed ratione alicuius, quod eſt annexum, vel æſtimatur eſſe annexum, ſicut deſperari, & vehementer confuſi in vita fugiunt vitam, ſic etiam de aliis incommodis, ſecundum hunc modum etiam alij appetunt mortem, qui poſt mortem credunt quieſcere & gaudere. Vnde Auguſtinus libr.iij. de Ciuit.Dei, dicit de quodam, qui lecto Platonis libro de immortalitate animæ, ſe præcipitem dedit de muro, vt dè hac vita migraret, ad eam quam credidit meliorem.

Affinitas eſt attinentia vel propinquitas perſonarum ex carnali copula, vel commixtione mediante, ex conſanguinitate proueniens. Vel vt Bruleſet dicit, præſuppoſita conſanguinitate omni carens parentela. Et dicitur affinitas (vt ſcribit Petrus de Palude diſtinct.xlj. quæſt.j.libr.iiij.) quia accedit ad fines, id eſt terminos. Vnde & idem ait: per hoc aliquis ſit affinis meus, quia ipſe eſt conſanguineus vxoris vel concubinæ meæ: vel per hoc, quod ego ſum conſanguineus vxoris ſuæ vel concubinæ. Et inter cognatos coniugum nulla eſt affinitas, vt idem dicit. Nam ſocius ſocij mei, non eſt meus ſocius. Vnde vt ſcribit ſanctus Bonauentura: Si quis cognoſcit mulierem, efficitur affinis omnibus conſanguineis mulieris per illam commixtionem: & econuerſo in muliere. Et quia carnalis commixtio eſt, non tantum in concubitu matrimoniali, ſed etiam fornicario. Ideo generaliter dicẽdum, quod per omnem carnalem copulam per quam vir & mulier dicuntur effici vna caro, affinitas contrahitur. Et quia per carnalem pollutionem factam non in vaſe naturaliter ad illum vſum ordinato, ſed extra per fractionem clauſtrorum ſine ſeminis effuſione, non efficiuntur vir & mulier vna caro: ideo per tales actus affinitas non contrahitur, xxxv. qu.iij. extra ordinaria in textu & gloſſ. expreſsius ita ſcribit Richardus di.xlj. artic. j.qu.j.lib.iiij. Cui aſſentit Bonauentura cùm ait: Affinitas non ſolùm contrahitur per matrimoniũ, ſed etiam per coitum fornicarium: & generaliter contrahitur per omnem coitum, in quo eſt commixtio ſeminum, tunc enim fiunt vna caro. Et affinitas non conſurgit (vt idem dicit) ex conſanguinitate & affinitate, ſed ſolùm ex conſanguinitate & carnis commixtione. Poteſt autem affinitas (vt idem Richar.ſcribit q.ij.vbi ſupr.) & aſſentit Scotus accipi propriè & cõmuniter. Primo modo nõ cõtrahitur niſi mediãte carnali cõmixtione. Secũdo modo cõtrahitur nõ tantũ per matrimoniũ nõ conſummatũ, ſed etiã per ſpõſalia. Per matrimonium enim conſummatum contrahitur aliqua pro-

pinquitas cum conſanguineis coniugis impediens matrimonium. Vnde in effectu impediendi matrimonium conuenit cum affinitate propriè dicta. Et affinitas impedit matrimonium in aliquo gradu de iure diuino, vt idem ſcribit Richardus artic. ij. quæſt. j. vbi ſupra. Ius enim diuinum prohibet, vt habetur Leuit. 18. filium non cõtrahere cũ vxore patris, nepotem cum vxore patrui, patrem cum vxore filij in aliquo gradu de iure poſitiuo. Vnde de iure poſitiuo non licet contrahere cum affine infra quartum gradũ: extra de cõſang. & affi. non debet. vbi dicitur: Prohibitio copulæ cõiugalis quartum conſanguinitatis & affinitatis gradum de cætero non excedat, qui in vlterioribus gradibus iam non poteſt abſque graui diſpendio huiuſmodi prohibitio generaliter obſeruari. Hæc Richard.

Agens dicitur quod aliquid operatur vel facit. Eſt autem duplex agens ſecundũ Doctores, ſcilicet primum vel primarium. Et dicitur eſſe ipſe Deus, qui eſt cauſa cuiuſlibet effectus primaria. Aliud eſt agẽs ſecundum ſiue ſecundarium, & dicitur omne agens creatum quod dicitur cauſa ſecunda, & hæc dependet à primo agente. Et hoc eſt duplex. Quoddam eſt naturale, quoddam liberũ. Agens naturale quod neceſſario producit, & eſt illud, quod poſitis omnibus neceſſario requiſitis ad agendum, & nullo impedimento exiſtente ad hoc, vt poſſit agere, non poteſt non agere, vbi nõ eſt in poteſtate ſua non agere. Aliud eſt agens creatum liberum, quod contingenter producit, & eſt illud, quod poſitis omnibus neceſſariò requiſitis ad agẽdum nullo impedimento exiſtente ad hoc, vt poſſit agere, non neceſſariò agit, ſed in eius poteſtate eſt, vt agat vel non agat. Exemplũ de homine agẽte à propoſito: vnde actio agentis naturalis nõ eſt in eius poteſtate, ſed actio agentis liberi eſt in eius poteſtate. Et ſicut in poteſtate agẽtis naturalis nõ eſt eius actio, ita nec modus actionis vel agẽdi: vnde nõ eſt in poteſtate ignis cõburere vel vrere intenſe vel remiſſe. Itẽ ſicut eſt in poteſtate agentis liberi ſua actio, ita etiã modus agẽdi. Vnde ſicut in poteſtate mea eſt ire ad Eccleſiã, dicere horas: ita etiã eſt in poteſtate mea dicere diligẽter debitè. Agẽtia tamẽ naturalia, vt ſcribit Gerſ. part. iij. de conſo. Theol. li. ij. ſi ad primã cauſam retuleris, illa nõ neceſſariò, ſed cõtingenter efficiunt motus ſuos, hoc eſt miraculis factis circa Solẽ, circa ignem, circa mare & beſtias, perſpicuũ fidelibus eſt. Datur itaque regula quod in omni productione ſi cõcurrit aliqua cauſa liberè cõtingenter agẽs, quotquot fuerint naturaliter coagentes, effectus ille cõtingenter producitur: quare in te patet quod actus elicitus creatę voluntatis ſortitur contingentiam ex duplici radice ex ſua intrinſeca, & ex ſuperiore diuina. Hæc Cancellarius vbi ſupra.

Agens rationale & ſecũdum propoſitum, idem eſt, & vocatur liberũ. Agens irrationale, & non ſecundum propoſitum, & hoc dicitur neceſſarium ſecundum Philoſophum 2. Phyſic.

Agere liberè, eſt agere per voluntatẽ, & ita omnis actio volũtatis, ſiue ſit neceſſaria, ſiue cõtingens, dicitur libera: & ita libertas compatitur neceſſitati.

Agere naturaliter, eſt agere non per voluntatem, & ita nihil aliud eſt dicere: filius producitur naturaliter, & ſpiritusſanctus liberè, quàm ſpiritusſanctus producitur per modum voluntatis, filius non.

Agere dicitur de facere & creare, quia omne quod quis creat vel facit, hoc agit. Et actio ſecundũ Magiſt. di. j. lib. ij. & omnes Doctores ac Philoſophos dicitur æquiuocè de Deo & creaturis: quia creaturę actio cõſiſtit in motu. In Deo autem nullus motus eſſe poteſt, ſicut nec nutatio. Pelbar. li. Roſarij ſui.

Agere rectè & moraliter, vt notat Petrus de Aliaco di. j. q. ij. ar. ij. lib. j. ſent. eſt agere cõformiter dictamini rationis, quã Philoſophi morales, ſicut Ariſto. Tullius, Seneca, aut alij ſimiles vocaſſent rationem rectã: ſic aliquis exiſtens extra gratiã poteſt agere rectè & moraliter, ſed non ſimpliciter & abſolutè. Nam nullus homo (vt idem Camerac. ait) poteſt ſtante lege per purè naturalia ſine gratia rectè agere ſimpliciter & abſolutè, quia nullus ſimpliciter & abſolutè agit rectè, niſi qui agit cõformiter legi diuinæ, ſed nullus ſic agit niſi ſit in gratia ſecundum legem ſtatutã. Et hoc valet ad multas auctoritates ſanctorũ, quæ ſibi inuicẽ videntur repugnare. Nec vt idem Aliacenſis dicit: Homo poteſt ſtante lege per pura naturalia rectè agere meritoriè: & loquor meritoriè vitæ æternæ: & ideo ſi quis per pura naturalia eliceret actum dilectionis Dei ſuper omnia, non eſſet ſic meritorius.

Agere aliquid principaliter poteſt intelligi dupliciter, vt notat Scotus di. j. q. j. lib. iiij. Vno modo excludendo omnem cauſam ſuperiorẽ agentẽ: vt ſic agere principaliter ſit agere independenter à cauſa ſuperiore agente. Alio modo poteſt intelligi agere principaliter, id eſt per formã propriã & intrinſecã agenti, licet in agendo per eã ſit ordinata cauſæ ſuperiori agenti. Sumendo primo modo nihil aliud à Deo poteſt principaliter agere in quacũq; actione: & hoc planum eſt ſecundum Theologos, qui dicũt Deum principaliter agere in omni actione.

Agilitas, vt notat Bruleſ. di. xlix. q. penul. li. iiij. eſt facilitas exiſtens ſubiectiuè in corpore animato ad promptè mouendũ ipſum motu progreſſiuo, cuius principiũ eſt anima. Agilitas in corporibus glorioſis inclinabit ea ad omnem differentiã poſitionis: ita quod æquè bene inclinabit ad ſurſum ſicut deorſum: & ecõtrà ad ſiniſtrũ ſicut ad dextrũ, & ad antè ſicut ad retrò: ita quod vbi voluerit ire anima, nullũ habebit reſiſtẽs nec impedimentũ à corpore glorificato: de quo latiùs vide infra in *Dote agilitatis*.

Agnus, vt literis mandauit Gabr. lect. lxxxj. canon. vbi dicit poſt Alex. de Ales, quod agnus dicitur ab agnon, quod Grecè ſonat pium, eò quòd agnus animal piũ ſit & manſuetũ. Vel Latinè dicitur ab agnoſcendo, eò quòd agnus in multo grege matrẽ ſuam ſolo balatu agnoſcit. Secundum hoc Chriſtus ſimilitudinarie agnus dicitur propter pietatem ad ignoſcendũ, & manſuetudinẽ ad patiendũ. Piiſſimus ſiquidem eſt ad ignoſcendũ, quoniã pro ſuis crucifixoribus patrem exorauit, dicẽs: Ignoſce illis pater, quia neſciunt quid faciunt. Manſuetiſſimus fuit ad paſſionem, dum iuxta vaticiniũ Iſaiæ 53. quaſi ouis ductus eſt ad occiſionem, non aperiens os ſuũ. Rurſus agnus eſt propter ipſius ſimplicitatẽ, innocentiam, & ſinceram cognitionem. Simplex fuit Chriſtus, quia peccatũ non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore.

in ore eius. Cognouit matrem ſuã in vita, ſibi tanquam agnellus matri obediendo. Erat enim ſubditus illis, Ioſeph, ſcilicet & matri. Cognouit eam in morte ſua, eam diſcipulo quem diligebat, commendando: vnde pendens in cruce, inquit ad diſcipulum: Ecce mater tua. Cognouit eam reſurgens, primò omnium ſe ſibi manifeſtando, vt dicit Ambroſius. Cognouit eam poſt ſpiritusſancti miſsionem, eam ad æternã pacem deducendo, & ad ſuam dexteram collocando, dicens: Veni de Libano, veni coronaberis. Dicitur itaque Chriſtus agnus non ſecundum rei proprietatem, quia agnus verus animal eſt fragile, ſtolidũ, &c. quæ Chriſto Deo omnipotenti non conueniunt, in quo habitat plenitudo diuinitatis, & theſauri ſapientiæ & ſcientiæ. Sed agnus ſecũdum metaphoram & ſymbolicè ac tranſſumptiuè, ſicut dicitur petra, lapis angularis, leo, ſol, paſtor, oſtium, quæ omnia dicuntur per ſimilitudinem. Gabriel vbi ſuprà.

Alimentum, vt ſcribit Bruleſer diſt. xij. quæſt. iiij. lib. iiij. eſt aliquod conceſſum à Deo & naturæ, animalibus & plantis, propter reſtaurationem humorum, qui per actionem caloris in corpore continuè diſſoluuntur & deperduntur. Et dicitur alimentum, quia alit & nutrit. Accidentia quoque ſacramenti altaris (vt idem ait) poſſunt conuerti in alimentum, & percipiens ſacramentum alitur & nutritur: manifeſtum enim eſt percipienti, quod per ſumptionem vini ſiue illius ſpeciei, ſitis extinguitur: quod ſi non extingueretur, fides non haberet meritum, quia ibi eſſet experimentum, &c.

Alius & Aliud differunt. Alius reſpicit ſuppoſitum, aliud eſſentiam, vt ſcribit ſanctus Bonauentura diſtinct. iiij. lib. j. in dubiis literal. Vnde pater differt à filio & in ſuppoſito, & in proprietate: ideo poteſt dici alius, & poteſt dici alter. Vnde Augu. & recitat Magiſter in tex. diſt. iiij. li. j. Deus pater ſe alterum genuit, quod ita intelligi poteſt, id eſt de ſe alterum à ſe genuit, non vtique alterum Deum, ſed alteram perſonam. Vel genuit ſe alterum, id eſt genuit alterum, qui hoc eſt quod ipſe. Nam & ſi alius ſit pater quàm filius, non eſt tamen aliud, ſed vnum. Hæc Magiſter. Vnde alius dicit diſtinctionem perſonalẽ, ideo in ſymbolo Athanaſij conceditur hæc: Alius pater, alius filius, &c. ſed negatur hæc: Aliud pater, aliud filius, &c. Aliud enim dicit diuerſitatẽ eſſentiæ. Vnde Auguſtinus, Arrius dixit: Aliud eſt pater, aliud filius, aliud ſpiritusſanctus. Si dixiſſet alius non aliud, rectè dixiſſet. Quod autem dicit aliud, contradicit Chriſto, qui dixit: Ego & pater vnum ſumus. Hæc Auguſtinus. Notanter enim dicit vnum, & non vnus ſumus: verum tamen aliquando ratione additi ly alius, ſignificat diuerſitatem eſſentiæ, vt dicendo: Alius Deus eſt Pater, alius Deus eſt filius, &c. & tunc negatur, quia ſic dicit diuerſitatem in deitate. Similiter ly aliud, ratione addiri poteſt ſignificare diuerſitatem perſonæ tantum vel ſuppoſiti: puta, dicendo: Aliud ſuppoſitũ eſt Pater, aliud ſoppoſitum eſt Filius: & ſic conceditur, quia tunc denotatur ſolummodo diſtinctio in eſſe ſuppoſitali, & hoc eſt verum. Ita ſcribit Goilhel. Scoti imitator in primo diſt. iiij. & Pelbartus poſt eum. Verba autem Anſelmi vbi dicit de incarnatione verbi, non eſt alius Deus, alius homo in Chriſto, quamuis ſit aliud Deus, aliud homo ſunt referenda ad naturam, id eſt alterius & alterius naturæ. Vel eſt idem: Chriſtus eſt aliud à Patre, id eſt aliam naturam accepit à Patre: & aliud, id eſt aliam naturam aſſumpſit de Virgine, ita exponit ſanctus Thomas in tertio ſcripto. diſt. vj. quæſt. iiij. Et Alexander parte iij. quæſt. vj. memb. ij. art. j. Per idem, vt ſcribit Gabriel diſtinct. vj. quæſt. ij. art. iij. lib. iij. ſoluitur auctoritas Anſel. & ſimiles Auguſtin. quæ habentur in text. Magiſter diſtinct. vij. & v. lib. iij. Eſt autem in Deo ſingularis alietas, vt ſcribit Bonauentura diſtin. ix. lib. j. circa textum, quia alietas ſuppoſiti cum omnimoda vnitate naturæ, ideo ſingulari modo oportet exprimi. Et quoniam maſculinum genus quãdam diſtinctionem vel diſcretionem importat, ideo reſpicit perſonam: ſed neutrum genus propter indiſtinctionẽ reſpicit naturã, ideo alius importat alietatẽ in perſona, aliud alietatẽ in natura, & ideo in diuinis nõ idẽ ſignificãt. Et quod Auguſtinus dicit in libro de fide ad Petrum, & refert Magiſter di. xxvj. li. j. Aliud eſt genuiſſe quàm natum eſſe, aliudque eſt procedere quàm genuiſſe vel natum eſſe. Vnde manifeſtum eſt: Alius eſt Pater, alius Filius, alius Spiritusſanctus: ibi aliud non dicit diuerſitatem à parte rei (vt vult Bonauentura abſolutè) ſed per comparationem ad dicentem & intelligentẽ, quaſi dicat, aliud eſt intelligere ſiue dicere Patrẽ generare, & huiuſmodi, & huic alietati nõ ſubeſt diuerſitas eſſentię, ſed alietas proprietatis.

Altare poteſt capi multis modis, vt notat Bruleſer di. x. q. j. lib. iiij. Primò capitur pro ipſo Deo vero, trino & vno. De iſto altari dicit Pſal. Introibo ad altare Dei, id eſt ibo ad Deum meũ. Secũdò capitur pro ipſo Domino noſtro Ieſu Chriſto. Apoc. 6. Vidi ſub altare Dei animas interfectorũ, id eſt vidi ſub protectione Chriſti animas interfectorũ, id eſt martyrũ. Tertiò capitur altare pro glorioſa & benedicta cruce in qua pepẽdit Chriſt[9]. Vnde canitur in Hymno Paſchali. Cuius corpus ſanctiſsimũ in ara crucis torridũ, id eſt altare. Quarto modo pro anima cuiuſlibet iuſti exiſtẽtis in gratia. Quinto altare poteſt capi pro anima peccatrice, & iſtud altare eſt ſacrilegũ. Sexto pro ſtatu Eccleſiæ militãtis. Septimo pro illo loco in quo in lege veteri offerebãtur victimę. Octauo pro Paradiſo vbi ſunt animę beatę. Nono capitur pro illo loco in quo vel ſuper quem ſacerdos in noua lege offert corpus Chriſti. Et iſtud eſt duplex. Quoddã eſt fixũ, ſicut eſt communiter in Eccleſiis: tamẽ requiritur quod ſit lapideũ. Aliud eſt altare viaticũ, quod poteſt portari. Et ſimiliter hoc debet eſſe lapideũ vt primũ, tũ propter lapidis cõmunitatem, fortitudinẽ ſiue durabilitatẽ, tũ propter ſignificationẽ. Nã petra Chriſtũ ſignificat, & Chriſti fidem: vide latius de hoc Alexan. de Ales part. iiij. q. xxxvj. mẽb. j. Et dicitur altare quaſi alta ara ratione ſitus, quia eleuatũ eſt ſuper terrã, vt ſcriptis reliquit Gab. lec. xiij. can. Itẽ ratione ſacrificij altiſsimi corporis, ſcilicet & ſanguinis Domini. Vel dicitur altare, vt ibidẽ dicit ab ardore, quia in lege veteri holocauſta cremabãtur in altari, ex qua lege traxit originẽ: veruntamẽ Noë primũ altaris ritũ exhibuiſſe creditur. Gen. 8. Ædificauit Noë altare Domino: deinde Abrahã vſum altaris in oblationib[9] habuit.

Exhinc ritus legalis ſacrificij in altaribus inoleuit. Decimò capitur, vt Brulef.ſcribit vbi ſup. pro ſpeciebus panis & vini cõſecratis, quę ſpecies cõſecratę verè cõtinent corpus Chriſti: & vt ibidem dicit, eſt corpus Chriſti verũ quod natũ eſt de Maria virgine, quod circũciſum octaua die, quod crucifixũ eſt, quod fuit ſepultũ, quod reſurrexit tertia die, quod aſcẽdit ſuper omnes cęlos, quod eſt in gloria patris, & veniet cũ eadẽ iudicare viuos & mortuos. Et vt ſcribit Guil. Epiſc. in Ration. diui. li. j. quáuis altaria & aræ aliquotiẽs indifferẽter inueniũtur, intereſt tamẽ, nã altare quaſi alta res, vel alta ara dicitur, in quo ſacerdotes incẽſum adolebãt. Ara verò quaſi area, id eſt plana, vel ab ardore (vt prius dictũ eſt) quia in ea ſacrificia ardebãt: potes apud eundem & alios altaris videre acceptiones, ſcilicet pro mẽſa templi, de qua dicitur: Cõſtituite diẽ ſolennẽ in cõdenſis vſq; ad cornu altaris. Item pro mundo corde vel mortificatiooe in quo carnales motus feruore ſpiritusſancti cõſumuntur. Itẽ altare ſignificat Eccleſiaſtica ſacramẽta, de quibus dictum eſt: Altaria tua Domine virtutũ, &c. Item ſignificat Eccleſiã ſpiritualem: quatuor eius cornua ſignãt quatuor mundi partes per quas Eccleſia dilatatur, ſignificat & menſam in qua Chriſtus cum diſcipulis conuiuatus eſt. Hæc Guilhel. in Rationali ſuo.

Alteratio eſt per quã alicui cõmunicatur eſſe ſecnndũ quid, id eſt accidẽtale, & ad hoc quod aliquid alteretur nõ oportet quod ipſum de nouo ſit poſtq̃ non fuerit, ſed ſufficit q; recipiat de nouo aliquod accidẽs quod priùs nõ habuerit: & hoc latiùs tractari ſolet apud Philoſophos. & Gabr. di. iiij. q. vnica, lib. iij. & differt à generatione, vt ibidem dicitur, quia per generationem acquiritur eſſe ſubſtantiale, &c.

Amare eſt alicui velle bonum, & amando tendimus in bonum. Vnde Philoſophus 2. Rhetor. Amor, inquit, eſt velle alicui bonum. Amari propter ſe, ſecundum Gabriëlem, quod amaretur ſi nihil aliud oſtenderetur voluntati.

Amor ſecundum Auguſtinum xiiij. de Ciuit. Dei, cap. vij. eſt principium & cauſa cæterarum paſsionum in voluntate: vnde ait, Amor inhians habere, quod amatur, cupiditas eſt. Idem autem habens, eoque fruens, lætitia eſt, fugiens, quod aduerſatur ei, timor eſt. Idque ſi acciderit ſentiens, triſtitia eſt: proinde mala ſunt iſta, ſi malus eſt amor: bona, ſi bonus. Et loquitur Auguſtinus non formaliter, ſed cauſaliter: qoia amor non eſt realiter cupiditas, id eſt ſpes ſiue deſiderium, neque lætitia, timor, aut triſtitia: quia amor eſt actus liberè elicitus in voluntate, cętera ſunt paſsiones, amorem tanquã cauſam immediatã vel mediatã naturaliter conſequentia.

Amor generaliter ſecũdum Rayne. cum Thom. iij. ſcriptis ſent. diſt. xxvij. quæſt. j. art. ij. & quęſt. ij. artic. j. eſt illud principium quo appetitus tendit ad ſuum finem, id eſt in bonnm amatum. Et vt ſcribit Brulefer diſt. iij. lib. j. Amor eſt actus quo voluntas diligit, vel acceptat aliquod obiectum conueniens, vel quod intellectus iudicat tanquam conueniens, quamuis non ſit conueniens, vt eſt amor cœcus. Sed ſecundum Richardum de Med. Vil. diſt. xxvij. lib. iij. art. j. qu. j. Amor generaliſsimè dictus comprehendit quamlibet inclinationẽ vel tendentiam in bonum, & ſic extenſo nomine talis inclinatio dicitur amor: & ſic amor eſt triplex ſicut appetitus, ſcilicet naturalis, ſenſibilis ſiue animalis, & rationalis.

Amor naturalis eſt ipſamet res aut forma ſubſtantialis rei, aut qualitas naturaliter eam formã continens, quibus ad ſibi conuenientia poteſt tendere & moueri aut in habitis quieſcere ac corrumpere nitenti reſiſtere. Capitur quandoque amor naturalis pro qualibet complacentia potentiæ appetitiuæ in obiecto per cognitiuam apprehẽſo, qui eſt actus vel paſsio ad quam appetitus non habet ſe liberè: neceſſariò enim elicit aut eam recipit: de qua vide Gabri. di. xxvij. q. vnica, lib. iij. & d. xv. & xxiij.

Amor animalis eſt illud quo appetitus (vt idem Gabriël dicit vbi ſupra.) ſenſitiuus tendit in ſuum bonum ſe ad ipſum mouẽdo, vel in eo quieſcendo. Et eſt realiter delectatio de conueniente adepto, vel actus deſiderij, quo tendit in bonum apprehenſum abſens nondum adeptum, qui dici poteſt amor animalis vel ſenſitiuus, qui communis eſt hominibus atque brutis.

Amor rationalis vel intellectiuus, ſecundum Gabriëlem, eſt actus volũtaris quo liberè acceptat obiectum per intellectum ſibi præſentatum: & iſte amor vſitato vocabulo poteſt dici amor arbitrarius vel liberalis (vt inquit Gabriël) & nomine amoris illius intelligitur: vel dicitur aliquis amans ſiue amare: ſicut calor eſt id quo aliquid dicitur calens ſiue calere. Amare autem ſecundum naturales & Theologos pertinet ad appetitũ intellectiuum, ſicut intelligere ad intellectum: & ſicut intelligere actus eſt intellectus, ita amare eſt actus voluntaris. Sunt autem in voluntate tantum duo actus, ſcilicet velle & nolle. Velle quo voluntas acceptat obiectum, vt conueniens ſibi vel alteri. Nolle ſimiliter eſt actus poſitiuus, quo voluntas fugit vel reſilit ab obiecto tanquam diſconueniente. Et vt frater Pelbartus notat, amor intellectiuus eſt triplex ſecundom Dionyſium. Quidam dicitur naturalis voluntatis & indeliberatus, quidam deliberatus & electionis, qui propriè dicitur dilectio: & quidam dicitur amor Deo acceptabilis & gratuitus dignus præmio cœleſti.

Amor arbitrarius ſecundum Gabriëlem d. xxvij. q. vnica, libr. iij. quidam eſt affectiuus, quidam effectiuos, quidam amicitiæ, & quidam cõcupiſcentiæ, quidam amicitiæ & concupiſcentiæ ſimul, quidam complacentiæ & deſiderij, de qnibus ſecundum ordinem dicendum eſt.

Amor affectiuus eſt actus voluntatis elicitus, quo volo alicui bonum.

Amor effectiuus eſt actus à volũtate imperatus, quo procuratur bonũ illud quod amato optatur, aut habitum conſeruatur, ſiue id fiat verbo ſiue opere exteriore. Et effectus amoris ſolet quandoq; dilectio appellari, ſicut & Propheta Dominũ dicit ſuam potentiã, ſpẽ atq; virtutẽ, quia Dominus in eo efficit potentiã, ſpẽ & virtutẽ: quapropter locutiones huiuſmodi nõ debẽt intelligi ſimpliciter vt ſonãt ſeu formaliter, ſed cauſaliter. Dicit tamẽ ibi Gab. quod amor effectiuus propriè nõ dicitur amor, quia non eſt actus volũtatis immanẽs, in qua tamẽ ſola amor ſubiectatur, ſed eſt effectus dilectionis impropriè,

tamen

tamen dicitur amor, quia effectus amoris, &c.

Amor amicitiæ (vt ſcribit Gab.li.ij.ſen.di.j.q.v.& di.xxvij.qu.vnica lib.iij.)eſt amor quo volo alicui bonum propter ipſummet amatum ſine relatione eius in aliud, vt ſi volo alicui ſanitatem, ſcientiam, virtutes,gratiam,&c.quia ſunt illi bonũ pręciſe,nõ referendo illud in me vel in alium, id eſt nõ attendendo quod is cui volo vlterius,poteſt mihi vel alteri proficere. Et dicitur amor ille amor amicitiæ, quia ſecundũ Philoſophũ viij. Ethic.c.iij. perfecta amicitia eſt quãdo volumus bona amicis illorũ gratia propter ſeipſos amicos & nõ ſecundũ accidens, id eſt nõ propter aliquod quod ſibi ex amicis proueniat delectabile vel vtile,& illud accidat amico,ſcilicet,eſſe tale vnde amãs cõſequatur tale. Vel amor amicitiæ eſt quo diligitur obiectum non præſupponendo aliquem alium actum volendi, vel nolendi in voluntate, vt ſi quis diligit potum dulcem vel vitam ſuã abſolutè,nullo alio actu volũtatis neceſſario præuio,quo,ſcilicet nõ exiſtente nõ diligeret. Et amor amicitiæ(vt ſcribit Rich.di.xlix.ar.j.q.vj. libr.iiij.)ſemper nobilior eſt quàm amor concupiſcentiæ cæteris paribus. Et amor quo vetuſtior,eo abſolutior eſſe ſolet ait Paulus Cort.l.iij.ſen.di.vij.

Amor concupiſcentiæ eſt quo aliquid amatur propter aliud dilectum, id eſt quo alicui optatur bonũ propter alterũ cui proficere poteſt ad delectationẽ, vtilitatẽ vel honeſtatem,vt cum quis diligit equum volens ſibi ineſſe robur,ſanitatem,induſtriam, &c. vt poſſit eo vti ad proprium profectum,aut ſuę voluntatis libitum. Sic qui diligit Dominũ ſuum volens ipſum eſſe diuitem, potentem,beneuolũ, &c. ſibi benefaciat largiendo dona & ab aduerſariis defendendo,ſic ſi quis bene volt famulo amici,vel beſtiæ eius propter amicum, omnis hæc dilectio eſt amor concupiſcentiæ. Vel amor concupiſcentiæ eſt quando aliquid diligitur amore genito ab actu voluntatis præuio,quo nõ præuio nõ diligeretur. Exemplũ, aliquis diligit Deum propter ſe Deum, & quia nouit diuinum eſſe præceptũ de diligẽdo proximo,ideo diligit proximũ ſpeciali actu dilectionis diſtincto à dilectione qua diligit Deũ, ita quod in voluntate ſunt duo actus amoris diſtincti,quorum vno diligitur Deus propter ſe præciſe, & alio actu præciſe proximus,qui tamen actus non fuiſſet elicitus niſi præuio actu dilectionis Dei. Gab.di.xxvij. q.vnica,lib.iij.& di.j.q.v.lib.ij.

Amor amicitiæ & concupiſcentiæ ſimul ſecundum eundem Gab.vbi ſupra,eſt quando voluntas fertur in finẽ & in medium,ſicut ſimul eſt fruitio & vſus. fruitio quãdo tendit in finẽ, vſus inquantũ rẽdit in media propter finẽ ordinata. Vel amor amicitiæ & cõcupiſcentię ſimul,eſt amor quo diligitur vnũ propter aliud,& ſimul eodẽ illud aliud, ita quod ibi eſt tantũ vnus actus elicitus,qui tamẽ habet duo obiecta. Vnũ dilectum propter quod aliud diligitur,& aliud quod diligitur propter ipſum. Vnde gratia exempli,amor quo diligo Deũ propter ſe,& proximũ propter Deũ vno actu vt habet Deum pro obiecto dicitur amor amicitiæ, vt autẽ habet proximõ pro obiecto dicitur amor concupiſcentiæ. Similiter idẽ actus poteſt eſſe amor & odiũ,velle & nolle, vt dũ peccatũ meritoriè nolo, ſeu odio propter Deũ, illè actus reſpectu peccati eſt nolitio & odiũ, & reſpectu Dei eſt amor & velle. Et ſecundum hoc aliquis actus voluntatis eſt volendi tantũ, aliquis nolendi tantũ,aliquis volendi & nolendi ſimul, primus eſt quo volo aliquid propter ſe,vel quo volo vel diligo plura vnũ propter aliud. Secũdus quo nolo vnũ abſolutè, vel nolo plura vnũ propter aliud nolitum. Tertius quo aliquid volo propter aliud volitũ, vel econuerſo,vide latiùs Gab. vbi ſupra. Amor autem amicitiæ pręſupponit amorẽ cõcupiſcentię,& ideo eſt prior,& eſt perfectior & nobilior ſecundũ Rich. vt dictum eſt. Tum quia amor amicitiæ(vt inquit Gab.)ineſt volũtati ſecundũ affectionẽ iuſtitiæ,ſed amor concupiſcentiæ ſecundum affectionem commodi,ſecundũ Anſel.in de caſu diaboli c.iiij. Nobilior autẽ eſt ſecundũ rationẽ affectio iuſtitię, quam affectio cõmodi,quoniam affectio iuſtitiæ regulatrix & moderatrix eſt volũtatis,& propria volũtati vt eſt libera. Nõ ſic affectio commodi, quę etiã eſſet voluntatis ſi libera eſſet, vt patet in brutis. Tũ quia actus amicitiæ tendit in obiectum, vt eſt in ſe bonum, amor autẽ cõcupiſcentiæ tendit in obiectum vt eſt bonũ alteri,nobilior autẽ eſt ratio boni in ſe quàm vt boni alteri. Amor quoq; amicitię eſt cauſa efficiẽs amoris cõcupiſcentiæ. Gabr.di.xxvij.li.iij.

Amor complacentiæ eſt velle alicui bonũ iam habitũ ſiue propter ipſum,ſiue propter aliud,hoc modo amat eũ cui congratulatur & cõdelectatur in bono adepto, quemadmodũ homo cõgratulatur ſibiipſi, filijs vel amicis de aliquo bono iã conſecuto, ſiue propter ipſum ſiue propter aliud. Nõ tamen gaudiũ vel delectatio eſt amor,ſed velle,quod eſt actus voluntatis. Gaudiũ autẽ & delectatio eſt paſſio & effectus continẽs amorẽ cõplacentiæ Gab.li.iij.vbi ſupra. Amore cõplacentiæ amat quiſquã aliquẽ (vt ſcribit S.Bona.di.xxix.l.iij.circa text.)quãdo quis eius facta acceptat,& ipſum approbat & etiã in bonitate eius cõplacet ſibi. Amore verò beneficentiæ amat quis aliquẽ quãdo vult ei benefacere, & diligit eũ non tantũ quia ſit bonus,ſed vt ſit bonus. quantum ad primum amorem ponderat bonitas, quantũ ad ſecundum propinquitas. Vnde eſto quod pater meus ſit malus, & alius extraneus ſit bonus, magis debeo velle & deſiderare & procurare quod pater meus ſit bonus & in charitate permaneat quã alius extraneus,licèt ipſum & facta eius quamdiu eſt in ſtatu peccati,non debeam approbare. Hæc Bona.

Amor deſiderij (vt ſcribit Gab.di.xxvij.lib.iij.)eſt actus voluntatis,quo alicui volo mihi vel alteri bonũ abſens,ſiue propter ſe amatũ,ſiue propter aliud, hunc autem amorem ſi aſsit fiducia de re abſente, quandoque conſequenda ſequitur paſsio ſpei, ſicut amorem cõplacentiæ gaudium. Et quilibet amorũ ſecundũ has triplices diuiſiones poteſt eſſe ordinatus, vel inordinatus, vel indifferẽs. Ordinatus ſi elicitur ſecundũ regulã rationis rectæ. Inordinatus ſi eliciatur cõtra dictamen rationis rectæ. Indifferẽs ſi nec ſecundum nec contra rationem elicitur, vt quia nondũ completè dictauit de omnibus circumſtantiis ad actum virtuoſum requiſitis. Item amor ordinatus ſecundũ omnes ſpecies poteſt eſſe gratuitus vel nõ meritorius. Gratuitus qui liberè quidẽ, ſed gratia concurrente elicitus eſt, & ideo meritorius.

Non meritorius nec gratuitus ſi non cõcauſet gratia, licèt ſit moraliter bonus. Et omnia quæ dicta ſunt de amore, intelligẽda ſunt de dilectione, eandẽ enim rem importãt, quãuis quidã dicere volebant quod amor tantũ importat amorẽ inordinatũ, dilectio verò ordinatum, quã diſtinctionẽ nominũ B. Diony. c. iiij. de diui. no. Et poſt eũ B. Aug. xiiij. de ci. Dei c. vij. Ex intẽtione allegatis ſcripturis reprobãt oſtendentes quod vtrũque nominũ amor & dilectio, tam in bono quàm in malo accipitur in ſcripturis. Sed B. Thom. j. ij. qu. xxvj. art. iij. ac cæteri doctores aliam innuũt differentiam inter amorem & dilectionẽ, quæ ſumitur ſecundũ nominũ interpretationẽ, vnde ait. Quod quatuor nomina inueniũtur quodãmodo ad idẽ pertinẽtia, ſcilicet amor, dilectio, charitas, & amicitia. Differũt tamẽ in hoc quod amicitia ſecundum Philoſ. viij. Ethi. eſt quaſi habitus. Amor autẽ & dilectio ſignificãt actum vel paſsionẽ, charitas autẽ vtroq; modo accipi poteſt. Differẽter tamẽ ſignificatur actus per iſta tria, nam amor cõmunius eſt inter ea. Omnis enim amor dilectio eſt vel charitas, ſed nõ ecõuerſo. Addit enim dilectio ſuper amorẽ electionẽ præcedentẽ, vt ipſum nomẽ ſonat. Vnde dilectio eſt in ſola volũtate rationalis creaturæ. Charitas autẽ vltra amorẽ addit perfectionẽ quandã amoris, inquantũ illud quod amatur carũ, id eſt magni precij æſtimatur. Hęc Thom. Verũ freqũẽter vnũ pro alio accipitur. Nã & amor & dilectio pro habituali amore accipiuntur, & charitas quandoque pro actu diligendi capitur. Dilectionis quoq; nomẽ etiã brutis attribuitur. De charitate pro actu dicitur 1. ad Tim. 1. Finis pręcepti eſt charitas, non vtique habitus ſed actus. Nã de actibus qui ſunt in noſtra poteſtate libera dãtur præcepta. Vnde. 1. Ioan. 5. Hęc eſt charitas Dei, vt mãdata eius cuſtodiatis. Cuſtodiuntur mãdata per actuum præceptorum impletionẽ. Sic dilectio brutis attribuitur Eccl. 13. Omne animal diligit ſimile ſibi: ſic omnis homo ſimilem ſibi. Et pro habitu accipitur Canti. 8. Fortis vt mors dilectio. De amore pro habitu dicitur Canti. 2. Nunciate dilecto, quia amore langueo. Et 1. Pet. 1. Animas veſtras caſtificate in obedientia charitatis. In fraternitatis amore ſimplici ex corde inuicem diligentes. Concordat ſanctus Bonauen. di. x. in dubiis literalibus lib. j. ſenten. Et vt ſcribit Aug. in Pſal. 9. Amor cum prauus eſt vocatur cupiditas vel libido. Cum autem rectus, dilectio vel charitas. Amor præterea odium, ira & huiuſmodi paſsiones ſecundũ Tho. j. parte. q. xx. ar. j. capiũtur vno modo inquantũ ſunt actus appetitus ſenſitiui, & ſic dicũtur paſsiones propriè, & vt ſic nullo modo poſſunt eſſe in Deo, quia aliàs Deus eſſet alterabilis quod eſt impoſsibile. A Deo autẽ remouetur omnis paſsio, ſecundũ Philoſophos. Alio modo accipiuntur inquantum ſunt actus appetitus intellectiui, & ſic non ſunt paſsiones. Vnde ſic ponuntur in Deo. Cùm enim Deus charitas eſt eſſentialiter ſecundum Aug. ergo in Deo charitas amor eſt. Dicitur & Deus iraſci ſuo modo, quod ſuo loco patebit.

Amor eſt duplex. ſcilicet amor ſui & amor Dei. Amor ſui quidã eſt naturalis, iſte nec eſt laudabilis nec vituperabilis, quo quis abſolutè ſeipſum amat, quod ineſt vnicuique à natura. Secũdo eſt amor ſui ordinatus qui cõcordat rationi cũ quis diligit in ſe imaginem & ſimilitudinem, & vult ſibiipſi bonũ, quod cõgruit, & ſic quilibet debet diligere ſeipſum, talis amor eſt debitus & rect⁹ & bonus, de quo Aug. xiiij. de Trin. Rectus amor oẽs affectiones animę rectas habet. Metuit enim peccare, cupit perſeuerare, dolet in peccatis, gaudet in operibus bonis, talis amor placet Deo, & ordinat ad diuinum amorẽ inflammandũ. Tertius amor ſui eſt inordinatus & vitioſus, de quo Pſal. Qui diligit iniquitatẽ, odit animã ſuã. Nã talis amor eſt odiũ ſui, de quo latiùs colligit Frater Polbart. lib. iij. Roſarij Theologiæ. Iſte amor ſui & amor Dei ſecundũ Aug. xiiij. de ciuit. c. vlt. fecerunt duas ciuitates, terrenã, ſcilicet amor ſui vſq; ad contemptũ Dei. Cœleſtẽ verò amor Dei vſque ad contemptũ ſui, vnus diſpergit, alter vnit, vt dicit Gerſ. tract. x. ſuper Magnificat. ſunt itaque iſti duo amores radices duarũ ciuitatũ, iuſtorũ, ſcilicet & reproborum. Illius amorẽ Dei vſque ad cõtemptum ſui, & iſtius amorẽ ſui vſque ad cõtemptum Dei. Contẽptus autẽ Dei eſt cauſa peccati ſecundũ Aug. Vnde omnis iuſtus habet in ſe amorẽ Dei vſq; ad cõtemptũ ſui. Et omnis reprobus amorẽ ſui vſque ad cõtemptum Dei. Vnde neceſſariò ſequitur (vt ſcribit Gabr. di. xiiij. q. ij. ar. j. li. iiij. quod in iuſtificatione impij relinquitur amor ſui, qui dictus eſt, & aſſumitur amor Dei, & per cõſequens ad iuſtificationẽ impij requiritur motus li. ar. in Deum per amorẽ Dei. Vnde 1. Ioã. 3. Qui nõ diligit manet in morte, ergo ſine dilectione Dei nõ ſuſcitatur à morte. Interroget igitur quiſq; (inquit Aug.) Quid amet & inueniet, vnde ſit ciuis videlicet cęleſtis an infernalis, &c.

Amor Dei eſt duplex. ſcilicet mediatus & immediatus, vt literis prodidit Gab. di. xxviij. q. vnic. ar. j. li. iij. Amor Dei immediatus eſt amor Dei terminatus in Deo præciſe, quo Deus in ſe & propter ſe diligitur & nõ creatura, ita quod illo actu ſolus Deus diligitur propter ſe. Amor Dei mediatus eſt quo amo proximũ propter Deũ, quo, ſcilicet primo proximus & per proximũ amatur Deus. Omnis enim charitatiua dilectio, & ſi quãdoq; ad creaturã terminatur, nõ tamẽ ibi ſiſtit, ſed vltra refertur in Deum. Vnde actus quo amo creaturã propter ſe, præciſe nõ referẽdo in Deũ, nunquã eſt actus charitatis, neq; amor creaturæ propter Deũ eſt actus charitatis propter amorẽ creaturæ, ſed propter amorem Dei in amore creaturæ propter Deũ incluſum. Non eſt enim ille actus charitatis, vt terminatur in proximũ, ſed vt refertur vltra in Deũ tanquã in finẽ propter ſe ſumme dilectum. Ideo Aug. loquẽs de dilectione proximi charitatiuè diligendi dicit eum diligendum non in ſe ſed in Deo vel propter Deum. Actus autem charitatis proprius eſt amor amicitiæ Dei mediatus vel immediatus. Hæc Gabr. vbi ſupra.

Amor Dei dupliciter poteſt intelligi quod poſsideat totum cor, vt ſcribit S. Bona. di. xxvij. q. vlt. lib. iij. Aut ita quod excludat omnem effectum extraneũ & tũc dominatur plenè & perfectè cordi. Hoc autẽ eſt quãdo omnes motus cordis per amorẽ referũtur in Deũ, & hæc totalitas ponit dominiũ plenũ. Alio modo dicitur amor Dei totũ cor poſsidere, quando excludit omnẽ affectũ contrariũ, hoc eſt q. nihil diligitur ſupra Deũ vel ęqualiter ipſi Deo. Et ſic diligit

Deum

Deum ex toto corde qui diligit eum propter ſe & ſuper omnia. Et totalitas quæ excludit omnẽ motũ extraneũ eſt perfecti dominij, nec poteſt haberi ante adeptionẽ gloriæ, niſi ad ipſum Deũ aſpiciamus, & in ipſum feramur continuè. Secunda verò totalitas poteſt haberi per infuſionẽ gratiæ, quæ eſt expulſiua omnis mortalis culpę. Et primus modus nõ obligat ad implendum præceptum Dei de dilectione, ſed bene ſecundo modo tenemur ad illum modum implendum, vt dicit S. Bonauen. vbi ſupra.

Ambitio (vt ſcribit Paulus Corteſius lib. iij. ſenten. diſt. viij.) eſt immoderatior honoris cupiditas. Ambitio ſecundũ Gabr. di. vj. li. ij. Eſt qua vult volũtas bonum q; habet vel habere cupit excellere alios, & eis dominari. Et vt aliàs dicit Gab. Nõ q; poſsit, ſed quod velit attendit ambitionis flagitiũ, &c. A quo ambitioſus qui vario modo aſpirat ad dignitates, de quo videre potes Gerſ. parte iij. tract. de paſsionibus conſid. xx. Eſtque ambitio cauſa omnis belli vt idem Gerſon dicit parte iiij. ſerm. de angelis.

Amen ſecundũ Aug. Dictio nec Græca nec Hebraica quæ ſicut quędã aliæ dictiones Hebraicè in libris interpretatæ nõ ſunt, quales ſunt Alleluya, Oſanna, Racha. nõ quidẽ (vt ipſe ait. ij. de doctrina chriſtiana) quia illud fieri non potuit; ſed propter ſanctorũ auctoritatẽ, vt ſeruaretur antiquitas. Sumitur autẽ hęc dictio amẽ tripliciter, vt ſcribit Gab. lect. lxxix. canon. & Gerſ. par. ij. in expoſitione. xij. articuli fidei. Primò nominaliter, & ſic valet tantũ ſicut verax vel veritas, hoc modo accipitur in Apoc. 3. vbi dicitur. Hęc dicit amẽ teſtis fidelis & verus. Amen, id eſt veritas, vel amẽ, id eſt veritatẽ annunciãs. Secũdo accipitur verbaliter, vt eſt verbũ Hebraicũ, valẽs tantũ ſicut fiat, & ita capitur cõmuniter in fine orationũ, vbi exprimit deſideriũ orãtis, quia optatiuũ eſt reſpectu bonorũ præcedentium, vt optatio impletionis reſpectu omniũ petitorũ. Deut. 27. Et dicet omnis populus amẽ. Tertiò accipitur aduerbialiter, & ita frequenter accipitur in Euangelio, cũ dicitur: Amen dico vobis, valet tantũ, id eſt verè vel fideliter, & eſt aduerbiũ affirmandi, id eſt ita eſt vel verũ eſt ſecundũ Amb. de conſ. d. ij. Reuer. in ſi. &c.

Amicus vt ſcribit Gab. di. xxx. q. vnic. lib. iij. Connotat actũ virtutis, ſcilicet dilectionẽ in amãte, quo tendit in amatum propter virtutẽ amati. Inimicus connotat actum odij vitioſum in inimico, quo odit eum cui eſt inimicus propter bonum virtutis quod eſt in eo. Nã qui odit vitiũ alterius nõ eſt inimicus. Inimicus ergo inquantũ talis eſt malus & vitioſus & per cõſequens nullo modo, vt ſic diligẽdus. Hoc enim modo virtuoſe odiuit inimicũ, qui dixit. Verte impios, & nõ erunt. Prou. 12. A quo amicitia & inimicitia. Et ſicut amicitia connotat bonũ virtutis in amato cõueniens actui virtutis in amãte, ſic inimicitia connotat malũ vitioſum in inimico diſconueniens bono, quod eſt in eo cui eſt inimicus. Dilectio autẽ gratuita (vt idẽ Gab. ſcribit) pro nõ odire accepta quantum ad bona ſpiritualia quo natus eſt quiſquã attingere Deũ, vel bonũ eſt inimico de neceſsitate pręcepti impendẽda, tamẽ quantũ ad bona indifferẽtia nõ eſt neceſſaria ad ſalutẽ. Bona autẽ indifferentia ſunt diuitiæ, ſanitas, honor, poſſum velle huiuſmodi bona inimico & etiã aduerſa inimico & mihi, vt ipſe emendetur, & peccata puniatur, copioſius rem probat Gab. vbi ſupra. Non tamen eſt volenda inimico ſimpliciter, & ſine conditione extinctio corporalis vitę, vt ibidem vult vbi ſupra. Quia nullus poteſt velle inimico ablationẽ facultatis pęnitentiæ, vel diligẽdi Deũ, & cõuerſionis vitæ, quia hoc eſſet ei nolle ſpiritualia bona. Sed poſt mortem nõ eſt pęnitẽtię locus, nec cõuerſio ad diligẽdũ Deũ & ad emendationẽ peccatorũ, ſicut poſt ablationẽ ſanitatis, & bonorũ fortunæ, quorũ ablatio nõnunquam eſt occaſio cõuerſionis & pęnitẽtiæ. Nunquã autẽ ablatio vitæ corporalis per quã ſimpliciter excluditur à poſsibilitate cõuerſionis, & diligẽdi Deũ. Et dicitur notãter volẽda ſimpliciter ſine conditione, quia cũ cõditione ſiue volũtate conditionata poteſt quis velle mortẽ inimici. Imò etiã nõ offendẽtis proximi tamẽ mali, puta ſi credit finaliter eũ futurũ malũ, & tunc poteſt ſibi optare mortem vel vt det locũ ſanctis quos impedit, vel ne addat peccatã peccatis, propter quæ poſt mortẽ acrius puniatur. Et nota quod ſcribit Scot. de iudice di. xxx. quod in omnibus caſibus inquit propter quod mors inimico eſſet aliquantulũ volita eſt ſimpliciter nolitũ, tenetur enim iudex in cauſa, & ſimiliter actor nolle eũ eſſe reũ, & velle eũ nõ punire, quãtũ eſt ex ſe. Quia ſi faciat hoc ex libidine, vel odio aut ſponte, peccat mortaliter. Vnde Aug. in li. retract. & habet Magiſt. di. xxix. li. iij. Duo inquit ſunt diligenda in homine, natura & virtus: vitiũ verò & peccatum odiendũ. Parentes ergo inquantũ mali odiẽdi ſunt, & inimici diligendi inquantũ homines. Diligamus ergo inimicos lucrandos regno Dei, & odiamus in propinquis ſi impediãt nos à regno Dei, & in omnibus cõmuniter naturã diligamus quã fecit Dominus. Nõ ergo poteſt odiri natura. Et p hoc ex odio & libidine extingui ſine trãſgreſsione præcepti, & per conſequens ſine mortali. Sic in alio caſu tenetur patiens perſecutionẽ tyrannicã nolle eſſe tyrãnum contra Eccleſiã, & quantum in ſe eſt nolle eũ ſimpliciter eſſe reprobũ. Tyrãnus quoque nõ poteſt in perſecutionẽ niſi exteriorẽ, iuxta illud Saluatoris. Mat. 10. Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem occidere nõ poſſunt. Talis autẽ perſecutio exterior, frequenter eſt electis materia proficiẽdi in virtutibus, & præcipuè eſt patiẽtia quę perfectũ opus habet Iacob. 1. Hoc enim modo Eccleſia profecit & creuit. Itẽ non eſt ſimpliciter neceſſariũ actui poſitiuo, quãrum ad bona ſpiritualia diligere inimicũ, quia nõ tenetur quis cogitare de inimico. Sed in caſu neceſsitatis tenetur quilibet inimicũ ſuũ quantũ ad bona temporalia vel ſpiritualia actu poſitiuo (ſi poteſt) diligere, niſi aſsit alius paratus illi pręſtare. Vnde Ioan. Si quis habet ſubſtantiam huius mũdi, & videt f. ſuum ne. ha. & clau. viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo. 1. Ioã. 3. Sed inimicus frater eſt & proximus, ergo. Et per conſequens multò magis tenetur quantum ad bona ſpiritualia, vt ſi fidelis indiget doctrina, per quam conuerti poſſet ad veritatem, & ſic de aliis. Sic de correctione fraterna & de oratione. Item aliqua dilectione inimicorum magis meritoria eſt amicorũ dilectio. Aliqua minus meritoria, aliqua æquè meritoria, & econuerſo, ſingula fuſius perpendit, proſequitur & tractat Gabr. di. xxx. q. vnic. ar. ij. lib. iij.

Amicitia eſt humanarum, diuinarumque rerũ cum beneuolentia & charitate conſenſio, ſecundũ Aug. epiſtola xlv. & Cicero libr. de amicitia. Idem Cice. in Rhetor. ait: amicitia eſt voluntas erga aliquem bonarum rerum illius ipſius cauſa quẽ diligit cum eius pari volũtate. Amicitia vt dicit Ariſt. viij. Ethi. eſt beneuolentia pacis non latens. Vel ſic. Amicitia eſt ſtudiorũ omniũ voluntatumque cõſenſus, cuius contrarium inimicitiæ in plurali, licet etiam in ſingulari inueniatur. Ennius Poëta, amicitiam atque inimicitiam in fronte promptam gero. De amicitia humana plura apud Ciceronem videãtur in Lelio. Et Ariſtotel. in Ethicis, & non parum multa colligit de amicitia frater Pelbar. libro tertio, Roſarij Theologiæ.

Amicus Dei (vt ſcribit Dominus Cardin. Camera. q. ix. ar. ij. lib. j. dicitur. Quem Deus ſpecialiter diligit, & ad ſpeciale bonum, ſcilicet ad vitã æternam, ſed generaliter loquendo quilibet eſt amicus Dei, ſiue bonus ſit ſiue malus, in hoc Deus diligit ipſum ad aliquod bonum, &c. Hæc Aliacenſis.

Amicus Dei aliquis poteſt dici dupliciter, vno modo ab habitu vel actu charitatis vel gratiæ animam ipſius informante. Alio modo denominatione extrinſeca ab ipſa diuina voluntate acceptante, vel magis propriè loquendo, vel quia diligit Deum, vel quia diligitur à Deo. Primo modo poteſt aliquis eſſe amicus Dei vel charus & gratus ſine aliqua qualitate ſupernaturali infuſa, quæ ſit charitas vel gratia, non tamen ſine aliqua qualitate creata quæ ſit dilectio, & quæ poteſt dici charitas vel gratia. Secũdo poteſt eſſe aliquis charus & gratus ſine aliqua qualitate informãte, nec eſt ſimile de eſſe albũ & albedine. Et illo modo ſecũdo aliquis poteſt dici amicus Dei dupliciter, ſicut dupliciter poteſt intelligi eũ aliquẽ diligere. Vno modo generaliter, quia vult ſibi aliquod bonũ. Et ſic omne bonũ inquantũ bonũ Deus dicitur diligere, iuxta illud. Diligis enim omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti. Alio modo ſpecialiter, quia vult ſibi aliquod ſpeciale bonũ, & ſic Deus magis diligit illũ, cui facit maius bonũ, quia quãuis oẽs eadẽ dilectione diligat, nõ tamẽ ad æquale bonũ, & illo modo vltimo adhuc aliquis poteſt dici amicus Dei dupliciter. Vno modo quia Deus vult illũ pro tũc habere aliquod magnũ donũ quod nõ eſt vita æterna, ſicut eſt charitas vel gratia vel originalis iuſtitia, ſiue velit quod ſemper permaneat in tali bono ſiue nõ, & hoc volũtate beneplaciti, & hoc vocamus diligere ſecundũ præſentẽ iuſtitiã, & ſic Deus diligit ſolũ rationales creaturas, quę ſunt in gratia gratũfaciente, ſiue ſint electæ ſiue reprobatæ. Alio modo quia Deus vult illũ nõ pro illo tũc, tamẽ aliquãdo habere vel habiturũ eſt illud ſpeciale donum, q́ eſt vita ęterna, & ſic Deus diligit ſolùm rationales creaturas, nõ tamẽ omnes illas quę ſunt in gratia gratumfaciẽte, ſed ſolũ illas quæ ſunt electæ & non reprobæ, ſiue ſint in gratia ſiue in mortali culpa. Et hoc voco inquit Aliacenſis dilectionem ſecundum æternã præſcientiam, de qua ad Rom. 9. Iacob dilexi: Eſau autẽ odio habui. Et iſta poteſt vocari dilectio ſimpliciter prima, aut dilectio ſecundũ quid, quia in ſcriptura ſimpliciter loquendo, dicitur: Eſau autẽ odio habui, licèt forte & ſine forte Eſau quãdoq; habuerit charitatẽ ſaltẽ quando fuit nouiter circuncisus, & ita de quolibet reprobo poteſt dici ſimpliciter quod Deus odit ipſum, licèt ſecundũ quid, ſcilicet pręſentẽ iuſtitiã diligat ipſum quando habet charitatẽ vel gratiã, &c. Hæc omnia Cardina. vbi ſupra. Et vt ipſe paulò ante ſcribit eſſe amicum Dei ſiue Deo charũ aut acceptũ ad vitam ęternam, poteſt dupliciter intelligi, vno modo idem eſt quod eſſe ordinatum ad vitam æternam finaliter obtinendam, & ſic quilibet electorũ in quocunque ſtatu ſit, gratię vel culpę, eſt Deo charus & acceptus & Dei amicus, & nullus reproborũ, licèt ſit in ſtatu gratiæ eſt Dei amicus. Alio modo idẽ eſt quod eſſe in ſtatu vel diſpoſitione, in qua ſi perſeuerauerit, Deus dabit ſibi vitam æternam, & ſic non quilibet electus eſt Deo gratus vel acceptus, nec Dei amicus, ſicut ille qui eſt in ſtatu culpæ mortalis. Et aliquis reprobus eſt Deo charus & Dei amicus, ſicut ille qui eſt in ſtatu gratiæ. Simili modo Magiſt. iij. ſent. di. xxxj. dicit quod aliquẽ eſſe ſcriptũ in libro vitę, poteſt intelligi dupliciter, ſcilicet ſecundũ ęternã præſcientiã, vel ſecundũ pręſentẽ iuſtitiã, & multi ſunt ſcripti primo modo, & nõ ſecũdo modo, & ecõuerſo. Sic aliquẽ eſſe amicũ Dei (vt dicit Cardin. vbi ſup.) poteſt intelligi dupliciter. Vel ſecũdũ æternã Dei dilectionẽ, vel ſecũdũ pręſentẽ diſpoſitionẽ. Et aliquis poteſt eſſe amicus Dei primo modo, & nõ ſecũdo modo, & ecõuerſo. Et ſecũdũ eundẽ, nullus poteſt eſſe amicus Dei de lege ordinata non habẽdo in ſe aliquã qualitatẽ infuſam quæ ſit charitas vel gratia, quãuis aliquis poteſt eſſe amicus Dei de potẽtia abſoluta, nõ habẽdo aliquã qualitatẽ infuſam quę ſit charitas vel gratia. Poteſt & aliquis nõ eſſe amicus Dei de potẽtia abſoluta, habẽdo aliquã qualitatẽ infuſam quæ ſit charitas vel gratia. Singula abundè probat Petrus vbi ſupra.

Amidum (vt ſcribit frater Pelbartus lib. ij. Roſarij Theologiæ in dictione *Grana*. §. j.) ex omni genere tritici fit ponendo in aqua donec putrefiat, poſtea deſiccando dealbatur.

Amita ſoror patris. Paludenſis diſt. xlj. qu. j. lib. iiij. Amita magna eſt ſoror aui, vt ibidem dicit de nominibus conſanguinitatis, aliàs dicetur.

Anathema quod ſeparatio ſonat, eſt excommunicatio maior, vt literis mandauit Gab. li. iiij. ſent. di. xviij. ar. ij. concluſ. j. Vnde Apoſtolus ad Gala. 1. dicit. Si quis ex vobis Euangelizauerit præter illud quod accepiſtis, anathama ſit. vbi anathema exponit Rich. di. xviij. ar. v. qu. j. lib. iiij. pro perditione ſeu maledictione. Anathematizare enim vno modo idẽ eſt quod maledicere. Et Apoſtolo licuit maledicere angelo ſub illa conditione quam appoſuit, quia ſi ponitur per impoſſibile quod angelus bonus peccaret, dignus eſſet maledictione. Et 1. Cor. vltim. dicitur. Si quis non amat Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum ſit anathema. Et quod Apoſtolus optabat anathema eſſe à Chriſto, intelligitur illud ad tempus & ſub conditione, videlicet ſi optabile eſſet, vt dicit S. Bonau. di. xxix. q. iij. in fine lib. iij.

Analogum ſecundũ Doctores, & clarius Rich. ſuper j. di. xxv. ar. ij. q. ij. quod analogicè dicitur, quãdo idẽ nomẽ eadẽ ratione pręDicatur de pluribus, tamẽ per prius de vno quã de alio, eo quòd principaliter &

liter & ſecundũ ſe dicitur de vno, de aliis autẽ non dicitur niſi inquantũ habent habitudinẽ ad illã rem de qua principaliter dicitur, & ſecundum ſe. Exemplũ ponit idẽ Rich. de ente quod principaliter (inquit) & ſecundũ ſe cõuenit Deo, creaturis autẽ nõ conuenit niſi inquantum imitantur Deum, ideo ens analogicè dicitur de Deo & creatis. Item ens creatum analogicè (inquit) dicitur de ſubſtantia & accidente, quia accidentia non ſunt antia, ſed entis. vij. Metaph. Vnde patet quod analogia eſt media inter æquiuocationem puram & vniuocationem puram. Et ſecundũ Occam, ens ęquiuocè dicitur de Deo & creaturis. Et Henricus de Gãdauo & Tho. vidẽtur ſentire ſolam analogiam, & nullam vniuocationem in ente ad Deũ & creaturas. Scoteorũ turba (quos Scotiſtas vocant) dicunt quod ens prædicamentale licèt non ſit vniuocum, tamen ens tranſcendens vniuocè dicitur de Deo & creaturis, ita tamẽ quod non negatur eſſe analogum. Nam ens in communi latiſsimum habet conceptum, de quo latiùs videatur apud Doctores.

Angelus Græcè, Latinè valet nuncius. Eſt autẽ triplex angelus (vt ſcribit Brulef. di. xij. lib. ij. Eſt angelus officio, & eſt quilibet nuncius miſſus à Deo ad homines propter aliqua miniſteria implenda, & ſic angelus nõ ſolũ dicitur de ſpiritibus angelicis, ſed etiã de hominibus. Vnde Malach. 3. Ecce ego mitto angelum meum, id eſt Ioan. Baptiſt. Et poſt iudiciũ non erunt ángeli officio, quia non mittũtur ad homines. Sic Chriſtus vocatur magni cõſilij angelus. Vnde in canone dicitur. Iube hæc perferri per manus ſancti angeli tui, intelligendum eſt vt exponit Innocentius, vt refert eum S. Bonau. di. xj. lib. iiij. Angelus ille magni conſilij eſt Chriſtus, per manus illius oramus ſacrificiũ perferri, id eſt ipſius meritis & precibus noſtrũ ſacrificium Deo acceptari. Vnde ipſe eſt põtifex & aduocatus noſter, & apparet cõtinuè vultui Dei ad interpellandum pro nobis, &c. Eſt itẽ angelus dignitate, & ſic eſt ſacerdos cõſecrãs corpus Chriſti. Vnde Malac. 2. dicitur. Labia ſacerdotis cuſtodiũt ſcientiã, & legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituũ eſt. Dicitur & angelus natura, & licèt ſit nõ officij angelus ſecundũ vocis proprietatẽ (vt vult Greg.) accipitur tamẽ vt dicit ſubſtantiã ſiue naturã angelicã: Et deſcribitur à Damaſce. ſic angelus eſt ſubſtantia incorporea intellectualis, ſemper mobilis, arbitrio libera, Deo miniſtrans, gratia nõ natura immortalitatem ſuſcipiens. Et ſubſtãtia incorporea ponitur pro genere, & accipitur incorporea ſtrictè pro ſubſtãtia, quę neque eſt corpus in ſe, nec corpori vnibilis, vt forma. Et per hoc excluditur anima intellectiua tã cõiuncta quàm ſeparata. Dicitur intellectualis, ad excludendum quãcunque naturam nõ cognoſcentẽ, poſſet enim Deus de nouo producere ſubſtantiã ſpiritualẽ nõ cognoſcentẽ, quę per hoc nõ eſſet angelus. Dicitur ſemper mobilis, & hoc quantũ ad motũ localẽ, quia tali motu infatigabilis eſt, per hoc innuitur quod nõ determinat ſibi locum naturalẽ in quo naturaliter quieſcat, quia de ſe eſt indifferẽs ad omnem locum corporalẽ. Dicitur arbitrio libera, quantum ad motũ affectionũ. Dicitur Deo miniſtrans, vbi tãgitur cauſa finalis de cuius miniſterio tractatur, di. ix. lib. ij. ſen. Dicitur ſuſcipiens immortalitãtem, nõ natura, ſed gratia diuina: quia angelus ſicut quælibet creatura de ſe habet vertibilitatẽ in nihil, eo ipſo enim quod de nihilo creatus eſt, poteſt redire in nihil, & rediret in nihil niſi à Deo cõſeruaretur, quod ergo perpetuum eſt nõ habet ex ſe, ſed ex dono cõditoris cõſeruantis, & per ſubſtractionem cõſeruationis eſt annihilabilis, cõſeruatur tamẽ benigniſsima & gratioſa Dei voluntate, & ita dono gratiæ. Gabr. di. iij. q. j. lib. ij. Et licèt breuius poſſet deſcribi dicẽdo. Creatura intellectualis incorporea, tamen reliquæ particulæ nõ ſuperfluũt, quia eis exprimitur cauſa finalis, operatio & duratio angelorũ. Aliã ponit deſcriptionẽ S. Diony. de di. nominibus, ſcilicet. Angelus eſt imago Dei, manifeſtatio occulti luminis, ſpeculũ purũ, ſplendidiſsimũ, immaculatũ, incontaminatũ, incoinquinatũ, recipiens totã (ſi iuſtũ eſt dicere) ſpecioſitatem boniformitatis & deiformitatis, & purè declarans in ſeipſo, ſicut poſſibile eſt bonitatem, quæ eſt in abditis. Hãc per ſingula verba latè proſequitur Alex. de Ales part. ij. q. xx. memb. iij. ar. ij. Et Bona. di. ix. lib. ij. circa text. An autem angeli creati ſint in gratia. Dicit idem S. Bonà. di. iiij. q. ij. lib. ij. Iſta quæſtio facti eſt, & non inuenimus aliam rationem quã cõgruitatis, probabiliter poſſumus vtrũque opinari ſicut & alij ante nos. Vnde duæ ſunt de hoc opiniones, quas diffuſe recitat Gab. di. iiij. l. ij. & innuit hoc ſer. j. de ſancto Michaële. Vna eſt, quod angeli creati ſunt in gratia gratũfaciente. Alia, quod ſunt creati in puris naturalibus, & quod nõ habuerunt gratiã ab inſtanti creationis. Primæ fauet S. Thom. part. j. q. lxij. ar. iij. & Greg. de Arimi. Secundæ aſſentit Magiſter in text. & etiam di. v. Hugo, Alex. de Ales. q. xix. memb. ij. & S. Bonauen. di. iiij. qu. ij. lib. ij. Vtraque opinionum innititur auctoritatibus & rationibus perſuaſiuis. Prima auctoritate S. Aug. iij. de ciuit. Dei c. ix. ſimul in eis condens naturam, & largiens gratiam. Ratione ſic probatur. Deus cũ ſit liberaliſsimus, paratus eſt dare omnibus gratiã diſpoſitis ad recipiendum, ſed nulla videtur melior diſpoſitio ad gratiam quàm innocentia & volũtas recta, & hęc erãt in angelis à ſui creatione. Adducit plures rationes & auctoritates pro illã opi. Gab. Secũda opinio firmatur ſimiliter auctoritatibus & rationibus, quas refert idẽ Gab. Vnde Aug. ſuper Geñ. ad literã dicit, quod angelica naturã primo erat informis creata, & cœlũ dicta, deinde dicit eã formatã & lucẽ appellatã, nõ autẽ fuit informis niſi per defectũ gratiæ. Rationẽ probatur. Gratia eſt mediũ inter naturã & gloriam, ideo primò angeli fuerunt in puris naturalibus, deinde adepti ſunt gratiã, vltimò gloriã, pręterea ſicut ſe habet culpa ad damnationẽ, ita gratia ad gloriam, ſed ſtatim vt habuerũt culpã mali, fuerũt dãnati & obſtinati, ergo ſtãtes ſtatim vt habuerũt gratiã, ſunt glorificati & cõfirmati. Nõ autẽ habuerũt gloriã in inſtanti creationis, ergo nec gratiam. Vtraque opinionũ probabiliter teneri poteſt, vt idẽ ait Gabr. & Bona. ſine pertinacia & temeritate, quia ad neutrũ ſunt rationes cogẽtes, neq; ſufficientes auctoritates neque conſtat de reuelatione, aut Eccleſię determinatione. Probabilius tamẽ videtur ſecundũ Sco. & vt ſcribit Gab. ſer. j. de S. Michaële quod omnibus appoſita eſt gratia & omnibus cõcreata, & ea aliqui bene vſi ſunt, alij eã deſeruerunt, &c. Haſce opiniones tan:

nes tan

nes tangit Gerſon part.iiij.ſerm.de angelis,cum ſic ſcribit. Poſtquã omnipotentiſsimæ ac liberaliſsimę Dei bonitati placuit ſeipſum in creaturas diffundere, mundum hunc tãquam regnũ aliquod pulcherrimum ac maximũ non naturali quadã & æterna neceſsitate (vt Phil. ſomniãt) ſed ſpõtanea libertate fabricauit,in quo cõdidit palaciũ pręclariſsimum ac permagnificũ, quale decebat habere vniuerſalem ac ſummũ imperatorẽ. Illic quoq; exercitũ ſuũ & inclytã magnatũ ac militũ ſuorũ familiã mox creauit,cõdens videlicet angelorũ naturam, & ſimul largiens gratiã vel gratumfaciẽtem,vt Prępoſitinus S. Tho. Durand. Holkot tenẽt vel tantũmodo gratis datã, vt Magiſtri & Domini antiſio.multorũque eſt opinio. In qua cõtrarietate id quod certũ eſt teneamus, eos in magno lumine cognitionis tã ſupernaturalis de Deo,quã naturalis de cęteris entibus creatos extitiſſe. Et vt idem ait Gerſ.paulò pòſt, fuerunt autẽ primitus angeli,quos loquimur ante gloriæ cõſummatæ largitionem viatores conſtituti, ſcilicet in ſtatu & viæ & meriti, vt beatitudinem per ſtrenuos actus infra certam temporis morulam mererentur, vel non merentes illa perpetuò priuarentur, &c.

Angelorum moræ poſſunt poni multipliciter, vt habet Sco. & poſt eũ ſcribit Gab.di.v.q.vnic.l.ij. Vnde poſſunt poni morę tres, ita quod omnes in prima mora creati fuiſſent in gratia & meruerũt, in ſecũda boni ſteterũt in merito, & mali ceciderunt, in tertia omnes fuerũt in termino. Poſſunt poni & quatuor morę, & hoc dupliciter. Primo q, in prima fuerunt omnes in naturalibus. In ſecũda mali ceciderũt. In tertia bonis appoſita eſt gratia, & meruerũt. In quarta boni pręmiati, & mali ſũnt dãnati. Vel ſecũdo, in prima mora fuerũt omnes angeli in naturalibus. In ſecũda omnes in gratia, & in tertia boni meruerũt ſtãtes in gratia & mali deliquerũt. In quarta fuerũt oẽs in termino. Ponũtur & alio modo iſtę morę ſecundũ alios. Quis autẽ horũ modorũ ſit pbabilior, ſubiũgit Scot. aliquas ppoſitiones probabiles, quas vide diffuſe apud Gab. vbi ſup. Bona. dicit ſecundũ opinionẽ cathol.cã veriorẽ & tenendã, quod morula fuit inter creationẽ & lapſum, licèt paruula, propter quã ſancti & expoſitores & ipſa ſcriptura loquitur de malitia diaboli, quæ ſemper fuiſſet in ea, quia illud modicũ quaſi pro nihilo reputatur. Vnde 1. Ioan.3. dicitur. Diabolus ab initio peccauit, ſenſus eſt vt dicit Aug. Diabolus ab initio peccauit, id eſt ſtatim poſt initium. Angelis verò bonis pro magno merito aſcribitur quod vicerũt prœliũ tẽtationum. De quo Apoc. 12. Factũ eſt prœliũ magnũ in cœlo, Michaël & angeli eius pugnabant cũ dracone, &c. Fuit enim peccatũ malorũ incentiuũ tentationis in bonis, q̃ boni ad magnã eorũ laudẽ vicerũt. De quo latiùs Gab. vbi ſupra, du. ij. Videtur autẽ probabile (vt ibidem dicit) quod in primo inſtanti fuerunt vniformes creati in ſtatu naturæ ſiue gratia. In ſecunda mora erant vniformes in gratia. In tertia morula viæ mali multipliciter demeruerunt, & boni n. multipliciter meruerunt. In quarto fuerũt in termino, & hoc videtur rationabile, quia ſic experti erant de omni ſtatu, & maiorem occaſionem habuerunt intenſius eliciendi actum meritorium poſtea, quia experti erant quod hoc non poterant in primo inſtanti. Gabr.

Angeli dicũtur ſancti propter duo, vt notat Brulef. di. vij. q. iij. h. ij. Propter finem principalem, qui eſt ipſe Deus. Et finem minus principalem, qui eſt homo. Voluit enim Deus vt res ſic eſſent cõditę, quod maiores iuuarẽt minores. Et quia angeli ſunt multo maiores, quàm homines, ideo ab initio voluit Deus quod angeli eſſent miniſtri hominũ. Et licèt (vt idem ait) mater carnalis quãtumcunque diligat & nutriat filium ſuum dulciter & diligenter, adhuc ſancti angeli habent maiorem curã de nobis, & nos cõſolantur in omnibus tribulationibus noſtris, & hoc per vim adminiſtratiuã. Et angelus (vt ait Gab. diſt. xj. lib. ij.) non homini propter ſe miniſtrat, ſed propter Deum cuius imaginem gerit, &c.

De actibus angelorum. Actus quos habent angeli ſuperiorum ordinum reſpectu inferiorũ ſunt tres, vt habet Diony. De cęleſt. hierar. c. iij. prope finem, ſcilicet purgare, illuminare, & perficere, qui dicũtur actus hierarchici, quia cõueniunt ſuperioribus hierarchiis reſpectu inferiorum, ita ſcriptis prodidit Gabr. di. ix. q. ij. lib. ij. ſent. angelus autem ſuperior aliquid ignoratum inferiori notificans illo vno actu notificãdi, prius incognitum inferiorem purgat, nõ quidem à fœditate peccati, ſed ab ignorantia negationis illuminat noua cognitione, & notitia perficit actuando eum ad cognita. Et differũt illi actus in cõnotato. Nam in ſubſtrato ſupponunt pro eodem, ſcilicet inductione ſcientiæ. Purgare autẽ connotat præcedentis ignorantiæ remotionem. Illuminare obiecti manifeſtationẽ. Perficere ſubiecti eleuationem & meliorationem, & hoc vult ſanctus Diony. de cœleſt. hierar. c. vij. Plura vide in Occam q. xx. li. ij. & qu. vij. primi quotlibet. Vide & Gab. vbi ſupra. & Bona. di. x. ar. ij. lib. ij. ſent. &c.

De angelorum cognitione, de qua etſi plura ſcribant doctores, tamẽ multa paucitate perſtringã. Eſt autẽ angelorũ duplex cognitio, ſcilicet matutina, & veſpertina. Cognitio matutina eſt cognitio rerum in verbo, quæ eſt beatifica. Cognitio veſpertina eſt cognitio rerũ in lumine naturę. Diſtinguit autẽ Alex. de Ales par. ij. q. xxiij. triplicẽ cognitionẽ angelorũ. Vna qua cognoſcit verbũ, & ſe ac creaturas ſibi in verbo relucentes. Vna indiſtincta cognitione in lumine gloriæ & beatificę. Alia qua cognoſcit per ſpecies ſibi cõcreatas Deũ, ſe & alia. Tertia qua cognoſcit per ſpecies à rebus cognitis acceptas, quam ipſe vocat cognitionẽ rerũ in proprio genere. Vltimæ duæ dicũtur cognitiones veſpertinæ, prima ſola matutina, quia iſta eſt cognitio in creatore, qui eſt principiũ omnis creaturæ, ſicut mane principiũ diei. Sequentes duæ dicũtur veſpertinę, quia his cognoſcitur res in creatura, quę de ſe tendit ad occaſum. Nec dicitur matutina vel veſpertina per admixtionem tenebrarum ignorantiæ, ſed ex cauſa dicta. Prima, ſcilicet matutina eſt ſupernaturalis & beatifica. Secunda, ſcilicet veſpertina dicitur naturalis, licèt medium non habet ex propria natura ſiue vigore ſui intellectus, quia habet eam per ſpecies à Deo infuſas. Gabr. videto eum latiùs di. iij. qu. ij. lib. ij. & di. xiiij. q. vnica, ar. j. li. iij. & lect. xxxj. cano. & Bona. diſtin. iiij. lib. ij. quæſt. vltim. & penult. Et quia inferiores angeli à ſuperioribus purgantur ab ignorantia, & illuminantur, ergo aliquid inferiores ignorant,

ignorant, quod ſuperiores nouerunt. Et videntes verbũ, tantum vident in verbo, quantũ in eis verbũ oſtendit, oſtẽdit autẽ quantũ vult. Eſt enim ſpeculũ voluntarium quo ad creaturas extra, licèt ſit neceſſarium quo ad perſonas intra. Hæc Gab. di. ix. q. ij. dub. iiij. li. ij. vbi & poſt alia hęc adiungit, quod aliqui angeli à principio cognouerunt myſterium incarnationis Alij verò non cognouerũt à principio, ſed poſt plenè cognouerũt dum impletum fuit. Vel poteſt dici quod à principio omnes cognouerũt in verbo, ſed innotuit eis per Eccleſiam dum factum fuit & impletum, ac per Apoſtolus mundo prædicatum. Vnde Aug. 5. ſuper Geñ. Non in Deo tantum innoteſcit angelis quod abſconditum eſt, verùm & hoc eis apparet cũ manifeſtatur & propalatur. Sed quid de dæmonibus an cognouerunt Ieſum fuiſſe filium Dei. Ad hoc dicitur quod ipſi cognouerunt Dominum veniſſe in carne, vt dicit Gloſſ. Luc. 8. Sciebãt dęmones per aduentũ Domini ſe aliquãdo in abyſſum mergendos, non futura prædiuinantes, ſed ſecundum prophetarum dicta recolentes. Et Aug. ix. de ciuit. Dei ca. j. Innotuit dęmonibus non per id quod eſt vita æterna & lumen incommutabile quod illuminat pios, ſed per temporalia quædam ſuæ virtutis effecta, & occultiſsima ſigna ſuæ præſentiæ, quæ angelicis ſenſibus malorum ſpirituum poſſent eſſe conſpicua potius quàm infirmitati hominum. Et dicit Alex. de Ales par. ij. q. xxvj. memb. v. quod aliquo modo cognoſcũt angeli mali, quo nõ cognouerunt boni, quia quædam eſt cognitio in pœna vel impedimento malæ operationis. Aut cohibitione poteſtatis, & hoc modo poterant angeli mali Chriſtum in carne veniſſe cognoſcere, quo nõ cognouerũt boni qui pœnam nõ habuerunt, & eorum poteſtas non eſt impedita per Chriſti aduentum, ſed aucta, licèt tamen cognitio bonorum quam ex naturalibus & gratuitis habuerunt dę Chriſto veniente in carne fuit clarior & nobilior quàm cognitio malorum. Sed quod dicit Paulus 1. Corinth. 2. Si cognouiſſent dicit Gloſſ. nunquam crucifixiſſent. Ad hoc dicitur quod non nouerunt per certitudinem ſcientiæ, ſed per coniecturam opinionis firmæ. Vnde Hilla. ſuper Matth. magis ſuſpicari, quã noſſe credẽdi ſunt. Et S. Greg. Diabolus redemptorem in carne veniſſe ſenſerat, ſed propter humilia quę paſſus eſt, quicquid de deitate ſuſpicatus eſt, ei in dubium venit pro ſuperbia ſua, & non Dei natum, ſed Dei gratia cuſtoditum credidit. Quod autem non habuit euidentem notitiam, ſignum eſt manifeſtum tentatio, qua tentare auſus eſt Dominũ, qua experiretur an eſſet filius Dei. Latiùs vide Gabr. di. ix. q. ij. lib. ij.

De miſsione angelorum, Angeli eſt vt mittatur. Angelum autem mitti (vt ſcribit D. Præſitus Gabr. di. x. q. vnica, lib. ij.) nihil aliud eſt, quàm angelum miniſterium aliquod diuina auctoritate circa aliũ exercere, ſiue ipſum illuminando, ſiue auxiliũ quodcunque præſtando. Illa autem miſsio fit quãdoque cum motu angeli locali, vt cum de cœlo mittitur ad terras, & expleto officio legationis, redit in cœlum, quæ nõ fiũt ſine locali mutatione. Sic legitur de angelo Manue apparenti. Cumque aſcenderet flamma altaris in cœlum, angelus Domini pariter in flamma aſcendit. Iudic. 13. & Luc. 2. de angelis Dominicam natiuitatẽ paſtoribus nunciãtibus dicitur. Cùm diſceſſerunt angeli ab eis in cœlũ. Fieri etiã poteſt ſine locali motu, vt dũ Deus angelũ vnũ illuminat per aliũ angelũ, à priori localiter nõ diſtãtem. Mittuntur autẽ angeli beati à Deo ad viatores, vt cœleſtis regni aſcribantur hæredes. Vnde ad Hebr. 1. Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus miſsi, propter eos qui hęreditatẽ accipiunt ſalutis, &c. Denique plena eſt vtriuſq; teſtamẽti pagina. Mittũtur & angeli tanquã mediatores inter Deũ & hominẽ, vt per eos homo inferior ad beatitudinis ſumma reducatur. Hęc etiã miſsio ſecundũ S. Bona. cõcordat charitati diuinæ, angelicæ & humanæ. Diuinæ quę in hoc nobis manifeſtatur dũ nobiliſsimos ſpiritus intima ſibi charitate cõiunctos mittit ad procurandum ſalutẽ noſtram. Angelicæ dũ videntes nos ſuo auxilio indigere cõtra malorũ angelorũ impugnationes multiplices & fraudulentas charitate, quæ in eis feruet, & perfectiſsima eſt tanquã deſiderantes noſtrã ſalutẽ, ſe pronos ad noſtram miniſteriũ Deo offerunt, dicẽtes illud Eſa. Ecce ego Domine mitte me. Congruit etiam charitati humanę, quę quia debilis eſt, quãdiu ſumus in via indiget foueri, nutriri & excitari. Congruit ergo quod angeli quorũ conciues ſumus futuri, cum non poſsint per naturæ ſimilitudinem nos excitare ad amorem, ſaltem hoc faciant nobis iuncti per obſequij beneficentiam.

De locutione angelorum. Angelus loquendo alteri nihil facit, niſi quod cauſat cogitationẽ alicuius obiecti in ſe, quæ cogitatio in loquẽte cauſata tanquã obiectũ, cauſat effectiue in angelo audiente notitiã intuitiuã ſuimet cogitationis, vide copioſe de hoc apud Gabr. di. ix. q. ij. ar. iiij. lib. ij. & Bonauen. di. x. art. ij. libr. ij. Vnde ſecundum eundem Bonauen. Angelus audit & videt, & tam audire, quàm videre eſt in angelo intelligere. Sed tunc videt eũ quando ex proprio motu intelligit aliquid, tunc audit quando per oblationem ſpeciei intelligibilis ab eo intelligẽte excitatus ipſum quod profertur intelligit, & ſic competit angelo non ſolum reſpectu ſuperioris ſedentis reſpectu patis vel inferioris, quia ſic audit ſupremus angelus ab infimo, ſicut Magiſter audire poteſt à diſcipulo, non quod ab eo ſuſcipiat doctrinam ſiue illuminationem, ſed quia melius cognoſcit eius defectus per ſuiipſius detectionem. Hæc Bonauen. vide & Gabr. di. ix. vbi ſupra, latiùs.

De angelorum cuſtodia, dę qua notãda ſcribit Gab. di. xj. q. vnic. li. ij. licèt homo habeat lib. arbit. ita vt quantum ad interiores voluntatis actus violenter non poſsit per potentiam creatã. Eſt tamen inconſtãs & citò mobilis, & in vtraq; parte vertibilis, & poſt primi hominis peccatũ pronior ad malũ, multaque habet inclinãtia ad lapſum, inter quæ numerãtur imperceptibiles dęmonũ ſalutẽ hominũ impedire molientiũ doli & fraudes, quorum nulla quies in tentando. Circũeunt enim tanquam leones rugientes, quærentes quẽ deuorent 1. Pet. 5. Indiget igitur angelica cuſtodia & præſidio. Indiget vt S. Bona. poſt Alexa. innuit ad quatuor in genere. ſcilicet ad perficiendũ in gratia, ad præſeruationem à culpa, ad reſurgendũ à noxa perpetrata, & à facinorũ multiplici pluralitate cõmittenda. Nã in profecto impeditur, ad caſum impellitur, in lapſu detinetur, & ad

vlteriora

 A N

vlteriora committenda peccati admiſsi pődere aggrauatur. Ad cuſtodiá autě cuiuſlibet hominis viatoris deputatur angelus bonus à principio natiuitatis. patet per Magiſt. in tex. li. ij. di. xj. Vnde Hiero. Magna eſt dignitas animarű vt vnaquęque ab ortu ſuæ natiuitatis in ſui cuſtodiam habeat angelum ſibi deputatű. Quod poteſt intelligi vel de natiuitate in vtero, quæ eſt cű anima in ſui creatione fœtui infunditur, vel de natiuitate ex vtero. Item Eſa. 62. Super muros tuos Hieruſalem conſtitui cuſtodes. Muri ſunt Apoſtoli, cuſtodes ſunt angeli. vt dicit Gloſſ. Et Eccle. 17. In vnamquanque gentium prępoſuit rectores Gloſſ. id eſt angelos. Ponit ad hoc ſanct. Bonauen. rationes congruitatis tam ex parte Dei quàm ex parte hominis, quas & videre potes apud Gab. vbi ſup. di. xj. Et in omni ſtatu hominis effectű habere poteſt angelica cuſtodia, in vtero, extra vterű, ante rationis vſum, & poſtquá peruenerit ad rationis vſum. Vnde Tho. in ij. ſcripto d. xj. q. iij. angelus incipit cuſtodire homině in vtero materno ne dæmő ipſum puerű interficiat, vel cőplexionem mutet, vnde puer pronior efficeretur ad peccádű, de quo & latiùs vide Gab. Et dicitur cuiuſlibet viatoris propter Chriſtű qui fuit cőprehenſor. Ná Chriſtus nő habuit angelos cuſtodes, ſed bene miniſtros, vt & ſentit Alex. Rich. Tho. & hoc patet Mat. 4. Acceſſerunt angeli & miniſtrabant ei. De quo vide Gab. latiùs dub. j. di. xj. lib. ij. Sed quod non habuit angelű cuſtodě ratio eſt, quia non indiguit angelica cuſtodia ſicut nos, quia erat plenus gratia & ſciétia ab inſtáti cőceptionis, etiá Chriſtus eſt ſupra angelos omnes. Nec beata virgo habuit angelos cuſtodes, quia & ipſa erat plena gratia, ſed bene habuit angelos miniſtros, & hoc (vt inquit Franciſ. Maro.) ex priuilegio beata virgo nő habuit angelű cuſtodě ſuper eű præſidětě. Et ſicut cuilibet homini deputatus eſt angelus ad cuſtodiá, ita cuilibet prouinciæ deputatus eſt angelus bonus ad cuſtodiá & exercitium, qui dicűtur principes eo quòd ſunt de ordine principatus. Et non ſolű bonis hominibus, ſed & malis deputatur angelus bonus ad cuſtodiédű, ſicut & antichriſto, vt vult Rich. Tho. & alij. Nec dimittit angel⁹ bonus etiá quantűcunq; obſtinatos quantű ad actű cuſtodię qui reſpicit malű, quia ſemper ſubtrahit hominem ne labatur in peius, vel in tot mala in quot caderet ſemota cuſtodia angelorű. Quantum verò ad actű qui reſpicit bonű, obſtinatos deſerit, & antichriſtum nő cuſtodiet. Et ſic exponédę ſunt auctoritates multorű cùm loquuntur de angeli derelictione, &c. Intelligitur enim angelus diſcedere, nő quod nő defendat ab aduerſario, vel nő retrahat à malo, ſed quia nő perducit ad bonum exhortando & monendo, & ad cuſtodiæ principalem finem. Et vt arguit Alex. de Ales q. xlj. ſecűda per měb. v. Feruentior eſt bonus angelus in cuſtodiendo & iuuando, quàm malus in nocendo. Etiam licèt cuſtodia non ſemper habeat effectum in promotione boni, tamě hoc nő ſtat per angelű, ſed per homině nolentě adquieſcere. Nő enim cuſtodit neceſsitádo liberű arbitriű ad bonű, ſed perſuadendo, inclinando, &c. Et per hoc dicitur derelinquere quo ad iſtos effectus, qui propter lib. arb. hominis nő cőſentientis & ſe auertentis nő conſequuntur. De quo latiùs Gab. vbi ſupra. Credendű quoque eſt quod multis modis angeli nos cuſtodiát, ſtudeantq; promouere ad bonű, & retrahere à malo, quamuis hoc nő percipiat hebetudo ſpiritus noſtri, propter quod multi ſuperbiűt, multi ingrati frequenter ſibi attribuunt quod ex angelico habét beneficio, & ex hoc minus efficiuntur digni vt ab angelis adiuuentur, proptera perutile eſt noſſe & intelligere effectus angelicę cuſtodiæ, vt dicit Gabr. vbi ſupra.

Angelicæ cuſtodiæ effectus principalis cőſueuit quadruplex aſsignari circa animas (vt ſcribit ſanct. Bonauen. di. xj. q. vlt. lib. ij.) Vnus eſt vt proficiat anima in bonű gratiæ. Alius eſt vt nő cadat in malum culpæ. Tertius eſt ſi cadat, quod poſtmodum reſurgat. Quartus ne totiens vel in tantum malum cadat quotiens vel ad quantum aduerſarius incitat. Communiter tamen aſsignantur xij. qui colliguntur ex diuerſis paſsibus ſcripturæ: quos recitat Gabr. noſter illuſtri gratia Theologus. di. xj. lib. ij. ſent. Primus pro delictis increpare Iudic. a. Aſcédit angelus de Galgala ad locum flentium, & ait. Eduxi vos de terra Ægypti. Et poſt, & nő audiuiſtis vocě meam. Secűdus eſt à peccatorű vinculis abſoluere. Act. 12. de Petro dicitur. Angelus aſtitit, &c. Et ſequitur, & ceciderunt catenæ de manibus ſuis, quod intelligendum eſt diſpoſitiuè. Tertius eſt impedientia à bono auferre, quod figuratur Exod. 12. vbi angelus percuſsit primogenita Ægypti. Quartus eſt arcere dęmones. Tobi. vlt. Dęmoně ab vxore mea cőpeſcuit. Dicit Tob minor de angelo Raphaële. Quintus eſt docere & intus illuminare. Dań. 9. Núc egreſſus ſum vt docerem te vt intelligeres. Sextus eſt ſecreta reuelare. Geń. 18. Tres angeli apparuère Abrahę dicentes. Nő celare potero Abraham quæ facturus ſum. Septimus eſt conſolari afflictos. Tob. 5. & 6. Forti animo eſto, in proximo eſt vt à Deo cureris. Octauus in via Dei confortare 3. Reg. 19. angelus ad Heliam dicit. Surge & comede, grandis enim tibi reſtat via. Nonus eſt in via deducere & conducere. Tobi. 5. Ego ducam & reducam eum ad te: Raphaël ad Tobiam ſeniorem de filio ſuo. Decimus hoſtes deiicere. Eſa. 37. Egreſſus angelus Domini percuſsit in caſtris Aſſyriorum. Vndecimus tentationes mitigare. Geń. 32. Iacob luctatus eſt cum angelo, vbi benedictione accepta confortatus eſt, poſt luctum tetigit neruű femoris eius, & ſtatim emarcuit. Duodecimus eſt orationes deferre. Quando orabas cum lachrymis ego obtuli, &c. Tob. vltim. Hi omnes ſunt (inquit Bonaue.) effectus cuſtodiæ angelicæ, ex quibus omnibus tá Deo quàm angelis debemus eſſe obnoxij & grati, &c. Gerſ. Cancella. Pariſ. reducit effectus illos ad numerű ſeptenarium ſumptum ex his quæ angelus miſſus ad Petri liberationem operatus eſt. Actuum 12. Aſtat vt ponderemus in trutina cordis quis ſit finis. Fulget in carcere meritis huius, vt ſciat vnuſquiſque poſitus in tenebris quærere auxilia morborum. Pulſat incitans ad bonum. Iubet ſurgere velociter dum per ſpeciem diuinam mandata ſeruari ſuggerit. Soluit à catenis vitiorum vinctum, à mendicitate & ferro. Aperit portum ferreum pœnitentiæ. Hæc latiùs recitantur à Gabriël. diſtinction. xj. quæſt. vnica, libro ſecundo. De angelis multa plura ab aliis ſcripta inuenies.

Anima ſecundū Ariſt.lib.2.de anima, eſt actus primus corporis Phyſici organici, vitā habētis in potētia. Et dicitur actus, quia habet ſe per modū perficiētis in corpore. vide & illā differentiā apud Gerſonē tract.2, ſuper Magnificat. Item anima eſt principium quo viuimus, ſentimus, & ſecūdum locum mouemur, & quo intelligimus primum.

Anima rationalis ſecundū Caſsiod. ſic diffinitur: Eſt ſubſtātia ſpiritualis à Deo creata proprij ſui corporis viuificatrix. Aug. in li. de cognitione veræ vitæ, diffinit animā rationalē ſic: Anima eſt ſubſtātia incorporea, corporis ſui vita inuiſibilis, mutabilis, paſsibilis, illocabilis, nec quātitatis mēſuræ, nec qualitatis formæ ſuſceptibilis, memorabilis, rationalis, immortalis, ex qua deſcriptione patēt plures cōditiones nobiles animæ. Et anima, inquit Guil. Scotiſta dicitùr ab animādo: ſicut ſpiritus dicitur à ſpirādo, diſt. xvij. lib. ij. Vnde anima rationalis debet quàm maximè ſpirare ad cœleſtia bona, &c.

Anima cùm ſit potētia & principiū multarū operationum, & actuū in homine diuerſa ſortitur vocabula, quorū aliquod ſignificat ipſam animæ eſſentiā ſimpliciter, & abſolutè nō connotādo aliquod diſtinctū ab anima, vt eſſentia vel ſubſtātia animę: vel anima ſi capitur abſolutè, aliquod ſignificat eandē animæ eſſentiā, & cōnotat certā eius operationē, vt intellectus ſignificat eſſentiā animæ cōnotando notitiā ſiue actū intelligēdi: ita ꝙ intellectus tantū ſignificat, ſicut hęc oratio. Anima potēs intelligere, ſiue ꝓducere actū intelligēdi, quod idē eſt. Volūtas ſignificat illā eandē eſſentiā connotādo aliā operationē quæ eſt velle, vt ſignificat tantū quantū hęc oratio: Anima potēs velle. Memoria ſignificat animā potentē memorari. Gab. d. xvj. q. vnica. li. ij. qui & plura alia ibi de anima cōmemorat. Et anima inquantū poteſt in ipſa dicitur talis potētia, inquantū poteſt in aliud dicitur alia potētia. Vnde Aug. in ſpiritu & anima ca. 8. Tota animæ eſſentia in ſuis potētiis cōſiſtit, nec per partes diuiditur cùm ſit ſimplex & indiuidua: & ſi aliquādo partes habere dicitur, ratione potius ſimilitudinis q̄ veritate cōpoſitionis intelligendū eſt. Simplex ſubſtantia eſt anima. Sed vna eademq; ſubſtātia ſignificat diuerſas potētias, id eſt ſecundū quod diuerſa poteſt, diuerſa ſortitur vocabula. Significāt ergo nomina intellectus, & volūtas diuerſa formaliter, quia diuerſos actus, à quibus anima denominatur. Et ſecundū Theolog. hoc tenendū eſt, ꝙ in homine anima intellectiua & ſenſitiua ac vegetatiua ſunt idē in ſubſtātia, licèt habeāt diuerſas rationes. Et anima dicitur intellectus agēs, inquantū nata eſt ꝓducere actū intelligēdi, quia eadē nata eſt in ſe recipere actū à ſe ꝓductū. Dicitur intellectus poſsibilis. plura in lib. de anima, & apud Gab. vbi ſup. vide. Et quādo dicitur ꝙ anima ſit tota in toto corpore, & in qualiber parte, & abſciſo membro, an anima regrediatur? Dicendū ꝙ abſciſo mēbro anima deſinit informare illud membrū, nec migrat aut regreditur ad corpꝰ. Et vt ſentiūt Occā. & Petrus de Aliaco d. iij. q. iiij. li. j. ſenten. Potētiæ animæ nō diſtinguūtur ab anima. Nā eadē ſubſtātia animæ dicitur memoria, intellectus & volūtas. Dicitur intelligētia inquantū poteſt ipſa ꝓducere verbū ſeu actū intelligēdi: ſicut pater poteſt producere filiū. Et dicitur memoria inquantū ipſa retinet habitū de obiecto cognito per verbū, ſicut filius eſt æternaliter verbū patris, & dicitur volūtas inquantū ipſa cū verbo poteſt ꝓducere actū volēdi: ſicut pater cū filio producunt ſpiritū ſanctū, & ſic ſicut in diuinis eſt cōſubſtantialitas, ſic aliquo modo eſt hic. ꝙ in mēte noſtra ſint aliqua tria quæ ſunt vnū, ſed ſic ꝙ iſti tres termini pro vno ſupponūt, ſcilicet pro ipſa anima: & ſicut in diuinis eſt diſtinctio realis triū ſuppoſitorū, ſic iſti tres termini diuerſa connotant. Et in potētiis animę poteſt poni imago Trinitatis, ſed imperfectè. Expreſsius tamē ponit in ſubſtātia & actibꝰ, ſecundū ꝙ ponit Occā. & Petrus de Aliaco vbi ſup. &c. Vnde habetur in li. de ſpir. & anima ca. 14. Anima ſecundū diuerſa officia variis nūcupat nominibꝰ. Dicitur namq; anima dū vegetat: dicitur ſpiritus dū cōtemplatur, ſenſus dū ſentit, animus dū ſapit prudēter, mēs dū intelligit, ratio dū diſcernit, memoria dū recordatur, voluntas dū cōſentit. Iſta tamē nō differunt in ſubſtātia, quia omnia iſta ſunt vna ſubſtātia, ꝓprietates quidē diuerſę ſunt, ſed eſſentia vna. Itē anima ſecundū ſui ſubſtantiā dicitur ſpiritus, ſed reſpectu corporis, quod animat dicitur anima, vt & ſcribit frater Pelbar. li. 2. roſarij Theol. his cōcordat Gerſon part. iij. & de myſtica Theol. part. ij. cōſideratione. ix. Dicimus, inquit, de anima rationali, quod ipſa pro diuerſitate officiorum & agibiliū diſtinctas vires habet: diſtinctas, inquam, non re, ſed nomine: ita enim virtuoſa eſt, ita ſecunda quodammodo ipſa eadem exiſtens, &c.

Anima eſſe extraduce dupliciter poteſt intelligi, vt ſcribit Gab. noſter maturus & ſanus Theol. d. xvij. q. j. li. ij. Vno modo eſt animā eſſe deciſam ab anima, ſeu forma generātis, aut animā ſecundū aliquā ſui partē in ea realiter manentē fuiſſe in principio ſuo ꝓductiuo, illo modo corpus animale per ſeminis transfuſionē propagatū, cuius ſeminis materia manet in corpore ꝓpagato, dicitur eſſe extraduce, ſimiliter totū cōpoſitum propter eius partē, quę eſt corpus. Secūdo modo aliquid eſſe extraduce, eſt aliquid educi de potētia materię cōcurrente aliqua virtute naturali effectiuè deciſa à principio generāte, illo modo anima bruti ſentiua eſt extraduce, quia educitur de potētia materię virtute ſeminis à principio generāte deciſi actiuè ad productionē animæ brutalis cōcurrēte: vide latiùs Gab. vbi ſup. Anima autē rationalis immediatè à Deo creatur, & creādo materię præparatę infunditur, & nō educitur de potētia materię: hęc eſt Catholica opinio, nec eſt producta de ſubſtātia Dei, nec effectiuè ab intelligentia, nec extraduce, vt quidā errauerūt, quos copioſè reprobat Gabr. & multis ſcripturis & teſtimoniis probat animā eſſe à ſolo Deo. Vnde Iſa. 27. Omnē flatum ego feci: loquitur de flatu ſpirituali, qui eſt anima rationalis. Sicut ergo ſolus Deus inſufflauit ſpiraculum vitæ in faciem Adæ, ita creat animā cuiuſſibet hominis. Hinc dicitur in Pſalm. 32. Qui finxit ſigillatim corda eorum. Item Zachar. Qui plaſmauit animam hominis in eum. Et in Gen. 2. Hoc nūc os ex oſsibus meis, & caro de carne mea: non dicit anima ex anima mea. Vnde datur intelligi quod quędā animę rationales non ſunt de anima primi hominis, ſed caro de carne. Vide & alias apud Gabr. auctoritates: & Auguſt. & Hugo. &c.

Et Paulus Corteſius ille eloquentiſsimus Theologus libr.ij.ſenten. diſtin.v. ſcribit, animam rationis participem ſine procreatione fieri poſſe negamus, eamque ab auctore rerum Deo, nullo intermedio eductam dicimus, nec ad animæ rationalis productionem (vt idem Gabriël ſcribit vbi ſuprà.) concurrit actiuè virtus aliqua naturalis, puta vis paterni ac decisi ſeminis, quia anima rationalis, ſecundum ſuam naturam eſt incorruptibilis: ergo non producitur ab aliquo corruptibili, quia incorruptibile & perpetuum non dependet à corruptibili, neque in fieri neque in eſſe, vt latiùs ibi probat Gabriël. Anima inſuper neque ſeparata, neq; coniuncta eſt perſona, quod non coniuncta omnes dicunt. Quod nec ſeparata poteſt ex diffinitione perſonæ. Nam vt ibidem dicitur perſonam importare quadruplicẽ incõmunicabilitatem, tres in actu, ſcilicet, qua aliquid cõmunicatur alteri, vt pars toti natura ſuppoſitãti & cõſtituens cõſtituto. Quartò tã in actu quàm potentia, ſcilicet vt forma ſubiecto. Cùm ergo anima ſeparata ſit cõmunicabili materię, nõ cõuenit ei ratio perſonæ, vt ſcribit Gabr.d.v.q. vnica.ar.iij.li.iij. & cõmunis tenet ſchola, quę & oppoſitũ tenet cõtra Magiſt. & Hug. qui voluit, q, anima ſeparata ſit perſona vt Angelus. De cognitione autem animæ ſeparatæ, vide infrà in litera C.

Animam eſſe gratam vel charam, aut acceptã Deo, (quod pro eodem habetur) nihil aliud eſt, vt ſcribit Gabriël d.xvij.q.j.lib.j. Quam eam eſſe in tali ſtatu, in quo (niſi per mortale peccatum delinquet) Deus vult ei dare vitam æternam. Exemplum eſt de paruulo baptizato, cuius anima eſt in tali ſtatu, quod niſi poſteà peccet mortaliter, Deus dabit ſibi vitam æternam. Secus eſt de eo antè baptiſmum, & etiam de actu exiſtenti in peccato mortali, quia ſiue poſteà tales peccent mortaliter ſiue non, niſi baptiſentur aliquo baptiſmo, vel agant pœnitentiam, non habebunt vitam æternam.

Anima verò polluitur dupliciter (vt ſcribit ſanctus Bonauen.diſt.xlij.ar.ij.q.j.lib.ij.) Aut macula mortalis peccati, quæ quidem expellit nitorem gratiæ, aut macula venialis peccati, quæ quodammodo retardat actum dilectionis gratuitæ. Et prima pollutio eſt per mortale, & facit ad deformitatem imaginis, quia aufert ei formã ſecundũ imaginẽ recreationis. Secunda verò eſt pollutio venialis, quæ etſi aliquo modo polluat, non tamen animã deformat.

Anima Chriſti de qua Gabriël diſt.xiiij.quæſt.vnica, libro iij.dicit, quod in ea ponitur triplex agnitio, ſicut & in quolibet beato, ſcilicet, cognitio ſiue ſcientia rerum in verbo, quæ eſt beatifica, quæ & matutina dicitur. Secunda cognitio rerum infuſa. Tertia cognitio rerum acquiſita: vltimæ duæ dicuntur cognitio rerum veſpertina, ſiue rerum in proprio genere. Et quamuis quæcunque cognoſcit anima Chriſti proprio genere, clarius cognoſcit in verbo. Non tamen ideo cognitio rerum in proprio genere ſuperfluit, nam per hoc intellectus perficitur, cum ſua operatione naturali non priuatur: latiùs ibi ſcribit Gabriël, & recitatis opinionib' quibuſdam: dicit ſecundum opinionem Occam, quam ponit quęſt.xij.quarti. Quod anima Chriſti in verbo poteſt cognoſcere omnia, nedũ præſentia, præterita, & futura, ſed etiã poſsibilia. probatur Ioan. 1. Plenum gratia & veritate: veritas refertur ad ſapientiam ſecundum Auguſtinũ 13. de Trinit. Non autem eſſet plenus, ſi aliquod foret poſsibile quod non poſſet cognoſcere. Item Apocalyp.5. Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere deitatẽ & ſcientiam. Gloſa, id eſt, omnem cognitionem. Et poſsit perſuaderi. Nam ipſe eſt à Deo conſtitutus omnium Iudex, quia filius hominis eſt, Ioan.5. ergo cognoſcet omnia, etiam occultiſsima, cogitatus, ſcilicet, & intentiones hominum. Quod autẽ omnia poſsibilia cognoſcere poſsit, patet quia poteſt cognoſcere in verbo, quod aliquod eſt poſsibile, quod nunquam producetur: & qua ratione vnum, eadem ratione quodlibet. Sed anima Chriſti non cognoſcet omnia in verbo diſtinctè & ſingulariter, quia infinita ſunt cognoſcibilia in verbo, ſed infinita non ſunt cognoſcibilia ſimul & actualiter: ſingulariter & diſtinctè ab intellectu creato, vt latiùs probat Gabriël. Et intellectus animæ Chriſti eſt potẽtia finita, ergo, &c. Omnia verò quę verbũ nouit naturaliter ab æterno, intellectus animæ Chriſti aptitudinaliter cognoſcit diſtinctè in verbo. Probatur: Quia anima Chriſti omnia ſcit, quæ Deus ſcit: & nõ actualiter, ergo aptitudinaliter. Vnde ad Colloſ.2. dicitur: In eo ſunt omnes theſauri ſapiẽtiæ & ſcientię abſconditi: & quãuis quælibet anima beati poſſet cognoſcere omnia in verbo, ſecundum Dei abſolutam potentiam, quia quicquid Deus poteſt producere in vno intellectu creato, poteſt & producere in alio, quia ſunt eiuſdem capacitatis, & æqualiter in potentia obedientiali reſpectu Dei: tamẽ multò plura cognoſcit intellectus animæ Chriſti in verbo, ſecundum ordinatam Dei potentiam: & omnia quæcunque volet cognoſcere, poteſt quoque ordinatè velle cognoſcere in verbo, omnia præſentia, præterita, & futura, quia illa omnia ſunt finita & multa poſsibilia. Et quodcunque poſsibiliũ cognoſcere voluerit diſtinctè, licèt non omnia ſaltem collectiuè, quia nulla ſunt collectiuè omnia. Hoc autẽ nulli alij creato intellectui conuenit, nec humano, nec angelico. Gabr. vbi ſup. de cognitione animę Chriſti nõ parũ: multa ſcribit S.Bonauen.d. xiiij.q.iij.li.iij. quę vide latiùs: & Gabr. vbi ſuprà ar.ij. vbi inter cętera dicit: Nihil perfectionis intellectui creato poſsibile negatũ eſt intellectui Chriſti verbo vniti. Vnde credendũ quod nihil, quod Angelis, & Prophetis, & Sanctis reuelatũ eſt, negatum intellectui animę Chriſti, ſed longè plura & perfectiora, de quo & latiùs ibi perſpice & notanda de cognitione Chriſti.

Animal à quo animalis. Vnde Apoſt.1.Cor.2. Animalis homo non percipit quę ſunt ſpiritus. Animalis homo, id eſt, qui habet animã ad carnalia depreſſum, nõ percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei, id eſt, ſpiritualia. Vnde ſecundũ Petrũ de Palude di.xliiij.q. iij.li.iiij. Corpus animale dicitur ab animalitate, & motus animales magis ſunt in nobis, ſecundũ imperũ ſenſualitatis, quàm ſecundũ dictamẽ rationis, quoniam caro cõcupiſcit aduerſus ſpiritũ. Corpus verò dicitur ſpirituale, quia ſubiectũ eſt ſpiritui. Et ſicut animalis appropriatur quodãmodo his, qui habent animã cibatiuã. Ideo Aug. & habet Magiſt.d. xix.li.ij. Voluit appellare corpus animale, id eſt, corpus ali-

pus alimoniis egens,& ſic animale ab anima venit. Alio modo vt dicit Bona.d.xix.circa tex.li.ij. dicitur Animale licèt minus ꝓpriè ab hoc quod eſt animal: & cũ animal appropriatur beſtiis,diceret corp⁹ animale,id eſt beſtiis ſimile. Vnde Adã erat in ſua cõditione,quantũ ad corp⁹,cũ ſimilis beſtiis,in hocq́ indigebat refici cibis. Quantũ ad mentẽ verò erat in honore & beſtiis diſsimilis, ſed quia cũ in honore eſſet,nõ intellexit:imò peccauit,ideo cõparatus eſt iumẽtis inſipiẽtib⁹,& ſimilis fact⁹ eſt illis,vt & nõ ſolũ ipſe,& eius poſteri beſtiis eſſent ſimiles indigẽtia cibi,ſed etiã in beſtialitate & appetitu mentis.

Animal eſt genus, & inter animal quod eſt genus & ſpeciẽ ſpecialiſsimã animalis poteſt dari mediũ, vt A.ſi abſolutè ſignificaret omnia greſsibilia: B.omnia volatilia: C.omnia reptilia: D.omnia aquatilia: & ſic de aliis Gabriẽl diſt.viij.q.ij.lib.j.

Anna mater Mariæ,habuit tres viros,vt ſcribit Bruleſer d.xxx.q.ij.li.iiij.Primus fuit Ioachim,de quo habuit vnã filiã,ſcilicet ipſam virginẽ Mariã matrẽ Dei,quæ deſponſata fuit Ioſeph. Mortuo Ioachim accepit Cleophã fratrẽ Ioſeph,& genuit ex eo aliã filiã,quã ſimiliter Mariã nominauit.Hæc autẽ Maria ex Alpheo viro ſuo quatuor filios genuit,ſcilicet Iacobũ minorẽ,Ioſeph iuſtũ,qui & Barſabas dictus eſt,Simonẽ & Iudã. Mortuo ſecundo viro, Anna tertium accepit,nomine Salome,ex quo aliã filiam genuit,quam rurſus Mariã vocauit,& Zebedæo in coniugẽ tradidit.Hæc autẽ Maria tres filios genuit ex viro ſuo, ſcilicet Iacobũ maiorem,& Ioannem Euangeliſtam: ex his patet Genealogia Chriſti.

Annihilare accipitur dupliciter,vt ſcribit Gabr.d.j.q.iiij.ar.iij.dub.iij.li.ij.Vno modo pro mutatione, qua deſtruitur aliqua forma,ita q̃ nihil ipſius manet:ſic forma per corruptionẽ veriſsimè annihilatur: ſicut enim ante ſui productionẽ fuit purũ nihil,ita & poſt erit purũ nihil, & ideo veriſsimè annihilatur. Vel vt idẽ ait lect.xlj.Can.Annihilatio primo modo eſt deſitio rei ſecundũ ſe, & quodlibet ſui, qua redigitur in purũ nihil.Sicut fuit purum nihil ante mundi creationẽ, & ſic diſtinguitur à corruptione cõpoſiti ſubſtantialis,quia illud in ſua corruptione nõ deſinit ſecundũ ſe& quodlibet ſui,manet enim materia. Diſtinguitur etiã à corruptiõe formæ ſubſtãtialis vel accidẽtalis in materia naturali:quia licèt talis forma ſimpliciter trãſit in nihil,quia tamẽ hãc deſitionẽ cauſat cauſa,quæ requirit materiã,ideo nõ annihilatur.Alio modo accipitur annihilatio,vt opponitur creationi,& ſic illud tantũ dicitur annihilare quod rẽ reducit ad nihilũ,& ſic nõ requirit materiã,& illo modo:quia creatura in omni ſua actione præſupponit materiã,nõ poteſt annihilare. Vel alio modo & ſecũdo.vt dicit Gabr.lect.xlj.accipitur annihilatio,vt nõ ſolũ negat eſſe annihilati,ſed etiã negat ſucceſsionẽ cuiuſcũq; poſitiui. Et illo modo nihil,quod cõuertitur in aliud,q̃uis ſimpliciter deſinat eſſe annihilatur.Accipiẽdo primo modo ſubſtãtia panis verè annihilatur in cõuerſione eius in corpus Chriſti, quia verè redigitur in purũ nihil, ſecundũ ſe & quodlibet ſui, vt latiùs ibi ꝓbat Gabr. Sed accipiẽdo ſecũdo modo, vt; ſcilicet negat ſucceſsionem entitatis poſitiuæ,panis ſubſtãtia in corp⁹ Chriſti cõuerſa,nõ annihilatur,quia licèt ſecundũ ſe totũ deſinat,tamẽ ſuccedit corp⁹ Chriſti,ad cuius ſucceſsionẽ ordinatur totalis deſitio panis. Plura de hoc videre potes apud Gab.Aſtipulatur Petrus de Aliaco q.vj.ar.ij.ad dub.iiij.li.iiij.vide & de annihilatione Scotũ d.xj.q.iiij.li.iiij.& infrà in dictione Creare, & in dictione Tranſſubſtantiatio in fine,&c.

Antichriſtus dicitur quaſi cõtra Chriſtũ.Et Antichriſtus q veniet ante iudiciũ,vt teſtatur Apoſt.1.Tim.2. Naſcetur de tribu Dan, vt ſcribit Fran.Maro.& refert frater Oſwald.li.iiij.roſarij Theol.iuxta illud Geñ.49.Dan coluber,&c.naſcetur & Babylone veniet,& lubricus,& infect⁹ turpitudine vitiorũ,ſed eius ſuggeſtione peccata virtutes cõputabuntur & fictione ſanctus dicetur:dæmonũ inſup miniſteriò ex moniali ſeu meretrice generabitur per incubum ſicut legimus de Merlino.Videtur tamẽ melius dicere Damaſ.in 4.Quod generabitur ex adulterio & modo naturali,eritq; verus homo nõ diabolus incarnatus.2.Theſ.2.Donec reuelatus fuit homo peccati fili⁹ perditionis. Greg.tamẽ dicit:Corpus eius intrabit ſatanas,nõ ad informandũ, ſed ad inhabitandũ & inſtigandũ ad opera mala,& ille dæmõ erit Lucifer.Erit præterea Rex potẽtiſsimus,& Monarcha auxilio Goth & Magoth,vel vndecim tribuũ, licèt dicat Aug.Goth & Magoth certũ nõ deſignare populũ:faciet quoq; ſtupẽda nõ vera miracula,permittẽte Deo. Alexã.de Ales in trac.de miracul.dicit q̃ faciet miracula,ſed per malũ finẽ.Ideo 2.Theſ.2. dicitur,q̃ veniet in ſignis & ꝓdigiis mendacib⁹,& in omni ſeductione iniquitatis. Vnde Gerſ.part.j. tract.de diſtin.verarũ viſionũ à falſis,ait:Quod miracula Antichriſti nõnulli vera cõtendunt,ad ꝓbationẽ electorũ,& reproborũ ſubuerſionẽ,licèt tamẽ Antichriſtus miniſtet miraculi mendaciſsimus erit, & in vita ſceleratiſsimus.Sed Deus ipſi ſuiſq; miraculis,ne crederetur,per ſuas,aliorumq; prænunciationes innumeris,reclamauit atq; cõtradixit, ꝓpter quod inexcuſabilis erit ſibi credẽs:vide latiùs Gerſ. Habebit autẽ is multos diſcipulos prædicãtes ſectã ſuã,& faciet ſe prædicare eſſe Deũ,pſequeturq; Eccleſiã.Et dicit Greg.q̃ erũt inclytiſsima martyria,& talia antè nõ fuerũt. Regnabit quoq; trib⁹ annis cũ dimidio, iuxta quod Apoc.12.dicitur:Per tẽpus & tẽpora & dimidiũ tẽporis. Enoch autẽ & Elias inſurgẽt cõtra eũ.De Enoch dicitur Eccle.44.Enoch placuit Deo, & tranſlatus eſt in Paradiſum, vt det Gentib⁹ ſapientiã.De Elia,Matth.17.Elias venturus eſt,& reſtituet omnia:& interficiet eos,& poſt duos dies reſurgent: & ſic de qualibet lege pugnet vnus contra eum. Enoch de lege naturæ: Elias de lege Moyſi: & Ioannes de lége gratiæ. Sic enim Apocalyp.10.dicitur: Iterum oportet te prophetare Gentibus multis: & quaſi toto mundo ſibi ſubiugato ipſe cum exercitu ſuo ad montem veniet Oliueti,vt propria virtute in cœlum aſcendat: & Chriſtus deſcendet eum viſibiliter interficiens,ante extremũ iudicium. Vnde Ezech.38.dicitur:Pluam ſuper eum & exercitum eius ignem & ſulphur: & tunc totus mundus conuertetur ad fidem Chriſti: nec ſtatim poſt eius obitũ erit dies iudicij,ſed poſt multos annos relaxabitur mundus ad peccandum, & ipſis ignorantibus, veniet Chriſtus. Hæc frater Oſwaldus colligit: vide & Antonium plura de eo ſcribentem parte.iiij.titu.xiij.cap.iiij.

Antropoſpatos figura dicitur ſecundum Theologos quoſdam, quæ eſt, quando id quod eſt hominis, attribuitur Deo vel Angelis, aut ſpiritibus. Sic etiam dicitur Deus tactus dolore cordis intrinſecus, Geñ. 6. & hoc ideo, quia aliquam conformitatem indicat in effectu vel ſigno exteriori, ſine tamen aliqua paſsione intrinſeca. Verbi gratia: In Deo pœñitere vel dolere non ſunt ſecundum rem, ſed ſecundum ſimilitudinem. Et ſic dicit ſcriptura Deum pœnituiſſe & doluiſſe quod fecerit hominé, quia ad modum pœnitentis & dolentis ſe habuit, volendo diſſipare vel delere quod priùs fecerat. Sic ſuo modo dicendum de Angelis, quod ſe habuerunt ad modum flentium de Chriſti paſsione admirantiũ, Inde Angeli dolent de damnatione hominis, prout dolor & triſtitia dicitur nolitionem ſimplicem ſine aliqua paſsione vel affectione: & de huiuſmodi dolore intelligendum eſt illa auctoritas Eſaiæ 33. Angeli pacis amarè flebunt. Vnde Richardus de Media-villa dicit, quod per fletum Angelorũ ſignificatur admiratio, quá habent Angeli de iudicio diuino in puniendo peccatorem: & ſic dicuntur flere.

Apathia Græcè, Latinè dicitur carentia paſsionum vel impaſsibilitas, vt & notat frater Pelbartus libro 2. roſarij Theologiæ in dictione paſsio. §. iiij. Vnde Auguſt. 14. de Ciuit. Dei, dicit, quod in ſtatu huius vitæ nõ habet locum apathia, id eſt ſine affectione paſsionis viuere, vel ad bonũ vel ad malũ, πάθη enim Græcè valet, id eſt, affectio. Inde pathetica oratio, id eſt, plena affectionum. Et dicitur (credo) apathia ab a, id eſt, ſine, & pathe, id eſt, affectio, quaſi ſine affectione.

Appetitus ſecundum Gabriëlem diſt. xxiij. quæſt. j. libro iij. Eſt potentia actiua & paſsiua, reſpectu paſsionum, quia ipſas efficit & incipit. Ipſe enim primò iraſcitur, ipſe miſeretur, ipſe triſtatur, ipſe amat, audit, &c. producendo huiuſmodi actus, & in ſe recipiendo: & vtrunque tangit Philoſophus: potentiam recipiendi, cùm dicit: Paſsibiles harum dicimur: tranſlatio noua habet: Quibus ad hos affectus ſuſcipiendos idonei eſſe dicimur: potentia agendi, cùm addit, puta: iraſci, miſereri, &c. Nam iraſci eſt appetere vindictam: miſereri petere ablationem miſeriæ, & ſic de aliis. Et appetitus duo dicit: vt vult ſanctus Bonauentura diſtinct. xlix. parte ij. artic. j. quæſt. j. libr. iiij. ſcilicet amorem alicuius rei, & carentiam illius, &c.

Appetitus ſecundũ quoſdam, eſt duplex. Vnus inhiantis, & eſt appetitus deſiderij, quo homo deſiderat aliquid habere. Inhiare enim eſt deſiderare, iſte appetitus eſt ante cognitionem habitam. Alius eſt complacentis vel fruentis, vt eſt appetitus, quo amatur aliquid ſibi præſens, & delectatur in eo, vt dicit Bruleſ. diſtinct. xij. quæſt. iiij. libr. j. Et appetitus apud Philoſophos & Sanctos, ac Doctores, communiter diuiditur in concupiſcibilem & iraſcibilem, quod non ſolùm verùm eſt de appetitu ſenſitiuo, ſed etiam de appetitu intellectiuo: de qua re verè loquuntur Doctores. Et quia appetitus diuerſos habet actus & obiecta, propter quos etiam diuerſa nomina ſibi attribuuntur, vt ſcribit Gabriël diſtin. xxvj. quæſt. vnica. artic. iij. dub. j. & licet variè de hoc loquuntur Doctores, ſequitur tamen ipſe Doctorem ſubtilem, qui clariùs & fundamentaliùs (vt ipſe dicit) de hac materia loquitur in ſuo tertio, diſtinct. xxvj. & xxxiiij.

Diſtinguuntur hi appetitus penes obiecta & actus. Nam obiectorum appetibilium quædam ex ſe, & primò ſunt appetibilia, quæ, ſcilicet ex ſe ſunt conuenientia vel diſconuenientia, ita quod apprehenſa (omni alio circunſcripto) mouent potentiam ad proſecutionem vel fugam, quia ſtatim delectant vel contriſtant. Alia ſunt appetibilia non primò & ex ſe, ſed quaſi ſecundario, propter illa primò appetenda vel fugienda, vt quia impediunt appetitum circa primò conuenientia vel diſconuenientia. Exemplum: Cibus proportionatus eſt primò, & per ſe cõueniens appetitui animalis: ideo nullo alio poſito, animal ipſum proſequitur, præuia tamen eius apprehenſione. Impediens verò animal ne cibum aſſequatur, ſcilicet cibum auferendo, vel animal ab eius conſecutione prohibendo, diſconuenit animali & offendit: non quidem primò & ex ſe, puta, quia tale ens in ſe præſens, ſed quia impedit proſecutionem cibi: vnde ſi non impediret quantumcunque præſens eſſet non offenderet, nec appetitum moueret: primum appetibile pertinet ad concupiſcibilem, ſecundum appetibile pertinet ad iraſcibilem (vt latiùs ſcribit Gabriël vbi ſuprà.) Diſtinguuntur etiam hi appetitus penes actus. Nam actus concupiſcibilis eſt proſequi vel fugere, delectans vel cõtriſtans, ſed actus iraſcibilis eſt iraſci. Iraſci autem eſt appetere vindictam, vt vult Philoſophus ſecundo Rhetor. Vnde non eſt contentum animal fugere offendens (quod ad concupiſcibilem pertinet, reſpectu primo diſconuenientis) ſed appetit repellere & ſe vindicare: non enim iratus appetit impediés amouere tantum, ſed amouere & vltrà punire, in tantum quod nunquam omiſſo primo concupiſcibili, in cuius proſecutione impeditus eſt, etiam impedimẽto ceſſante, tendit in vindictam offendentis. Satis concordat ſanctus Thomas part. j. quæſt. lxxxj. artic. ij. Vnde ait, quod iraſcibile eſt quaſi propugnatrix & defenſatrix, dum inſurgit cõtra ea, quæ impediunt conuenientia, quæ cõcupiſcibilis appetit: & ingerũt nociua, quæ cõcupiſcibilis refugit. Hæc ille. Vide latiùs Gabriëlem d. xxvj. q. vnica, art. iij. dub. j. libr. iij.

Appetitus eſt triplex, ſcilicet, naturalis, animalis, & rationalis. Vel ſub aliis verbis: naturalis, ſenſitiuus, & intellectiuus, (vt ſcribit Gabriël d. xxvij. quæſt. vnica, artic. j. libr. iij.)

Appetitus naturalis eſt qui non requirit apprehenſionem eius, quod appetitur in ipſo appetente, ſed alterius. Res enim naturales non cognoſcitiuæ appetunt quidem, quæ ſibi conueniunt, ſecundum ſuam naturam, & ad conſeruationem ſui eſſe conferunt: ſed nõ per apprehenſioné propriá, ſed per apprehenſioné inſtituẽtis naturá. Diuina enim prouidẽtia (vt dicit Boët. 3. de cõſo. Proſa. 11.) dedit creatis à ſe rebus hanc vel maximè mouendi cauſam, vt quoad poſſunt, naturaliter manere deſiderant: & ideo vnicuique natura dat quod conuenit, vt ne (dum manere poſsit) intereat, laboret: ob hoc diuerſos appetitus rebus indidit. ad diuerſa ſibi cõuenientia, vt ad loca naturalia qualitates motiuas

etiam

etiam naturales actiuas & paſsiuas, & cætera ſibi conuenientia. Appetitui autem vnicuiq; (vt idem Gabriël ſcribit diſtinct.iij.quæſt.j.libr.ij.) naturale eſt ferri in ſuum appetibile, & ſi eſt appetitus non liberè, tunc naturale eſt ei ſumme ferre inquantum poteſt. quia ſicut talis appetitus, ſecundum Damaſcenum, ducitur, & non eſt in poteſtate ſua eius actus; ita non eſt in poteſtate ſua intentio actus, quin agat quantum poteſt.

Appetitus animalis eſt appetitus præſupponens apprehenſionem appetentis ſenſitiuam, natus tendere in obiectum apprehenſiue, aut in eo quieſcere neceſſariò, & non liberè, & hic vocatur appetitus ſenſitiuus, qui eſt in brutis & in hominibus, licèt in hominibus aliquid libertatis participet, pro quanto natus eſt obedire rationi. Gabriël.libr.iij. ſentent.diſtinct.xxvij.libr.iij. Vnde Cicero in libro Offic. Ita agendum, vt appetitus pareat rationi. Gerſon ita diffinit, parte iij. de myſtica Theologia: Appetitus animalis vel ſenſualis eſt, inquit, vis animæ effectiua, apta moueri immediatè ſolum ab apprehenſione ſenſitiua.

Appetitus rationalis eſt appetitus præſupponens iudicium intellectus, natus liberè actum ſuum elicere. Et vocatur appetitus rationalis, vel intellectiuus ſeu voluntas: de quo ita ſcriptis reliquit Gerſon vbi ſuprà: Appetitus rationalis eſt vis animæ affectiua, apta moueri immediatè ab apprehenſione cognoſcitiua rationis. Hic appetitus ſi ſit reſpectu poſsibilium, & impoſsibilium, nominatur quandoque voluntas. Si conſideretur reſpectu actus à ſe eliciti, dicitur libertas: ſi ſit reſpectu obiectorum non finalium & poſsibilium, dicitur electio vel appetitus electiuus. Et reſpectu actuum imperatorum, dicitur appetitus dominatiuus vel executiuus. Si ſit voluntas exequendi ea quæ iam electa ſunt, dicitur propoſitum. Et inclinatio ad hæc exequenda, dicitur conſcientia. niſi dicamus quod conſcientia duo importat ſimile: iudicium & affectionem comitem. Si verò conſideremus paſſiones motiuas huius appetitus rationalis, ſic dicitur generali nomine appetitus rationalis affectiuus, vel affectio rationalis. Si autem ſit reſpectu boni vel mali, vt ſic apprehenſi per rationem, ipſe appetitus dicitur concupiſcibilis. Si verò illud bonum vel malum præſentetur vt arduum iraſcibile appellatur. Hæc Gerſon. Quamuis ſecundum Philoſophum, & ſequaces, hæ duæ vires & cõcupiſcibilis & iraſcibilis in ſola ſenſualitate propriè radicentur. Sed Auguſt. & Theologorum aliter vſus habet, &c. De his Cicero lib.1.offic.ita ſcripſit: Duplex eſt vis animorum atque naturæ, vna pars in appetitu poſita eſt, quæ hominem huc & illuc rapit: altera in ratione, quæ docet & explanat quid faciendum, fugiendumve ſit: ita fit, vt ratio præſit, appetitus verò obtemperet, &c.

Appetitus quandoque voluntas nominatur. Vnde ſecundum Scotum diſtinct.xlix.quæſt.x. libr.iiij. Duplex eſt appetitus in voluntate, ſcilicet naturalis & liber. Naturalem ſolum dico potentiam voluntatis abſolutè, ſed non aliquid ſuperadditum voluntati. Sicut enim quælibet natura habet inclinationem naturalem ad ſuam perfectionem: ſic etiam natura intellectualis, ſcilicet voluntas habet naturalem inclinationem ad ſuam perfectionem. Alius eſt appetitus liber, qui eſt velle liberum. Primus appetitus, ſecundum Scotum, non eſt actus aliquis elicitus à voluntate, ſed tantum inclinatio quædam, & hoc probat ibi: Poteſt autem aliquis appetitu naturali refugere mortem, quia nolimus expoliari ſecundum Apoſtolum, actu verò liberè elicito eligere mortem, ſicut Martyres. Vnde dicit Apoſtolus: Cupio diſſolui, &c. Sequitur ex hoc quod appetitus naturalis non eſt niſi inclinatio quędam ad perfectionem ſuam, nec eſt magis actus elicitus in voluntate quàm in lapide. De illo appetitu loquitur Ariſtoteles 1.Phyſicor. quod materia appetit formam: vt vniuerſaliter imperfectũ ſuam perfectionem. Hoc appetitu naturali (vt ſcribit Scotus) voluntas neceſſariò & perpetuò, & ſummè appetit beatitudinem. Hoc declarat Scotus art. ij. vbi ſuprà. Qui & ſi voluntas liberè velit, vt in pluribus beatitudinem apprehenſam in vniuerſali vel in particulari, quando intellectus nõ dubitat in illo particulari eſſe beatitudinẽ, non tamen neceſſariò vult, nec in vniuerſali nec in particulari. Ratio, quia neceſsitas in cauſa ſuperiori non poteſt eſſe à neceſsitate cauſæ inferioris, quia cauſa inferior non poteſt determinare modũ agendi cauſæ ſuperioris. quia nõ poteſt ipſum determinare ad agendũ. ergo cauſa ſuperior ſi neceſſariò agit, hoc habet aliquid intrinſecũ formę ſuæ, vel ex natura ſui. Si ergo voluntas habet neceſsitatem ad volendũ aliquid, illa neceſsitas cõueniet ſibi ex natura ſui, & non à cauſa inferiori. Scotus.

Appetere, cupere, deſiderare. Et aliquis poteſt appetere ſeu deſiderare aliquid tripliciter ſecundũ Tho. arg.d.xlix.li.iiij. Vno modo deſiderio efficaci, puta quando ita deſiderat, quod etiam cogitat media per quæ poſsit cõſequi ipſum deſideratum. Alio modo deſiderio ſimplici, puta ſine cogitatione huius mediorũ. Tertio modo deſiderio cõditionali, puta homo quandoq; appetit ſi eſſet poſsibile, quandoque libẽter velle volare. Sic intelligitur dictum Aug.4. de Trin. Nullus appetit id de quo penitus deſperat. Et vt idẽ ait: Omnis homo naturaliter rectè conſiderás, quid importetur nomine beatitudinis naturaliter appetit eam, quia quilibet naturaliter deſiderat illud in quo eius ſumma cõſiſtit perfectio, iocunditas, cõmoditas, delectatio. Vnde Anſel. in lib. de concordia prædeſtinationis, & gratiæ cũ libero arbitrio: vbi ait, quod voluntas non poteſt non velle ſummũ cõmodum. Et beatitudo omne bonũ hominis includit, vel eſſentialiter vel cõcomitanter, &c.

Appetibile quod appetitur. Res autẽ pro tanto eſt appetibile (vt inquit Gabr. lect.lxxviij.canon.) pro quanto participat rationẽ boni, quia bonũ cõmuniter ponitur obiectũ appetitus. Eſt autẽ aliquid appetibile dupliciter, vt ibidẽ dicit, & ſecundũ Philo. ſcilicet propter ſe, etiã ſi nullũ aliud bonũ inde ſequeretur: tale bonũ eſt felicitas. ſimiliter & virtutes quę ſunt bona honeſta & delectabilia. Aliud eſt bonũ appetibile non propter ſe, ſed propter aliud ſibi adiunctũ per ſe appetibile ſeu ꝓpter bonũ ad quod ordinatur: ſicut medicina amara bona eſt, quia inductiua eſt ſanitatis: ita tentatio, quia inductiuũ ad malum, nõ eſt per ſe bonum. Item aliqua tentatio,

 quæ non

quæ non poteſt fieri ſine peccato: vt illa quæ fit intentione fallendi, & in peccatũ inducẽdi qualis eſt quæ fit ab homine malo, aut ſpiritu maligno, qui per tentationem ſatagit tentatum ad peccatũ pertrahere. Non enim quis delinquit duntaxat in ſe malum operando, ſed etiam delinquit malum alterius procurando: quod autem fieri non poteſt ſine peccato, nequaquam habet rationem per ſe appetibile. Tentatio igitur non eſt appetibile per ſe ſeu propter ſe. Gabriel.

Aper eſt animal iracundum & ſæuiſſimum, nec poteſt manſuefieri etiam ſi caſtretur. Vnde in ſcriptura quandoq; accipitur pro perſecutoribus Eccleſiæ. Pſal, 79. Exterminauit eam aper de ſilua.

Apoſtata à quo apoſtaſia, & eſt triplex, vt ſcribit Petrus de Palude diſt. xiij. q. iij. art. iij. libr. iiij. Vna à fide, ſecunda à clero, tertia à monaſterio. De prima dicendũ eſt, quod licet omnis hæreticus ſit apoſtata, ſcilicet, quod non tamen ſimpliciter, ſed magis econuerſo. Omnis apoſtata eſt hæreticus, quia propriè apoſtata qui ex toto dimittit legẽ Chriſti, & fit Iudæus, vel Saracenus, vel Paganus. Vnde apoſtaſia ſecundũ Gerſonem parte ij. in regulis moralibus eſt receſſus à vera religione. Et murmur cõtra diuinam prouidentiam, & blaſphemia Deo indigna aſcribẽs. Et vt ait Paludenſis vbi ſuprà: Omnis pœna quæ debetur hæretico, debetur iſti, & maior. Qui verò metu tormentorum non corde, ſed ore apoſtatant mentientes, etiam mortaliter peccant, quia Deum blaſphemant: ſicut & illi, qui contra alios metu tormentorum mentiuntur, accuſando, quod pernicioſum eſt mendacium: ſimiliter omnes qui dicunt ſe falſo crimine quodcunque commiſiſſe, quia ſeipſos diffamant. Secunda apoſtaſia poteſt eſſe ſine peccato. Vbi ſciendum, quod ſi homo transferat ſe ad actum omnino incompaſsibilem, puta ad bigamiam, ſtatim exuitur omni priuilegio clericali. Similiter ſi in iudicio cõuentus recuſet reſpondere coram iudice Eccleſiaſtico, publicè ſe negans velle clericaliter viuere, nudatur etiam omni priuilegio clericali. Tertiò ſi laicaliter ſe gerens admonitus tertio, redire noluerit. Item quartò ſi ſic agit per omnia vt laicus non vt clericus, & de hoc diſt. xviij. De tertia apoſtaſia, ſcilicet, à religione dicendum quod ipſo facto ſunt excommunicati ſi habitum reliquerunt, & requirendi & recipiendi ſunt, niſi ſit tale crimen propter quod poſſent expelli: quia cui damus actionem, multò magis exceptionem. Quando autẽ inuitè reducuntur, incarcerantur ne fugiant, ſicut dicit lex. Serui fugitiui pede amputato debilitentur, qui autem ſponte redeunt, nequaquam. Bona verò in apoſtaſia acquiſita ſunt monaſterij, quod non eos expulit, nec recipere recuſauit. Hæc Paludenſis creber & argutus Theologus vbi ſuprà.

Approbare eſt aliquem iudicare dignum vita æterna, talis autem iudicatur omnis habens gratiam. Et indignus omnis carens ea eſt reprobare, hoc eſt iudicare indignum vita æterna.

Appropriatio (vt ſcribit Brulefer diſtinct. xxxiiij. quæſt. iij. libr. j.) eſt alicuius prædicati communis tribus perſonis vni ſoli attributio propter conuenientiam illius prædicati cum proprio illius perſonæ, vel propter erroris amotionem ab intellectu viatoris. Exemplum: Amor conuenit cum proprio ſpiritus ſancti: ideo appropriatur ipſi: Sapientia autem cum proprio filij. Et differunt proprium & appropriatum. Illud enim eſt proprium quod vni ſoli vel ad plus duobus conuenit. Appropriatum ſemper eſt commune tribus. Et appropriatio poteſt fieri duabus de cauſis. Vna eſt conuenientia appropriatorum cum propriis. Secunda eſt excluſio erroris ab intellectu: vide latius ibidem Bruleferum, &c. Et eſt appropriatio perſonarum (vt habetur in textu diſt. xxxj. libr. j. ſenten.) quam Hilarius facit, qua patri attribuit æternitatem, filio ſpeciem & ſpiritui ſancto (qui & munus eſt ſiue donum) vſum: quæ non ſunt propria, ſed appropriata perſonarum. Non enim appropriatur patri æternitas, quaſi magis realiter conueniat quàm filio aut ſpiritui ſancto. Sed quia æternitas magis videtur habere, ſaltem apparentem ſimilitudinem cum proprio patris, quod eſt nõ eſſe ab alio principio, quàm cum proprio filij vel ſpiritus ſancti. Qui licet non habet initiale principium ſicut pater, habent tamen principium originale ſicut ſpecies (quod dicit ſpecioſitatẽ vel pulchritudinem.) licet omnibus conueniat, tamen quandam ſimilitudinem habet cum imagine, quæ expreſſe repræſentat patrem, cui eſt perfectè æqualis & ſimilis. Vſus autem actus eſt amoris, ideo ſpiritus ſanctus qui amor eſt patris & filij appropriatur: ſicut omnia quę ad amorem pertinent. Secunda appropriatio, beatus Auguſtinus: Qui patri appropriat vnitatem, filio æqualitatem, & ſpiritui ſancto concordiam. Vnitas patri attribuitur? quia ſicut vnitas dicitur principiũ numeri, ſic pater eſt principiũ filij & ſpiritus ſancti. Æqualitas verò filio, quia filius eſt perfecta imago, de cuius ratione eſt vt ſit æqualis ei cuius eſt imago, alioquin non eſſet perfecta. Et etiam quia filius non æqualis & ſimilis ex modo productionis gignendi. Concordia ſpiritui ſancto, quia ipſe eſt amor & nexus patris & filij, vt in textu claret Magiſter. Hæc recitat & Gab. diſtin. xxxj. quæſt. vnica, arti. iij. dub. vj. lib. j. ſenten.

Aqua in ſcriptura variè ſignificat, vt & notat frater Pelbartus libro ſecundo roſarij Theologiæ. Primò ſignificat ſpiritum ſanctum. Ioan. 17. Qui credit in me (ſicut dicit ſcriptura) flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de ſpiritu ſancto. Secundò ſignificat ſcientiam diuinorum. Eccleſ. 15. Aqua ſapientiæ potabit illum Dominus. Tertiò doctrinam hæreticam, Prouerb. 19. Aquæ furtiuæ dulciores ſunt, id eſt, doctrina peruerſa, & panis abſconditus ſuauior, ſcilicet, furantibus. Quartò tribulationes, Pſalmus 68. Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam. Quintò populum multum. Apocalyp. 17. Aquæ multæ populi multi, & Gentes. Sextò ſignificat aqua iuſtos. Pſalm. 28. Vox Domini ſuper aquas Deus maieſtatis intonuit: Dominus ſuper aquas multas. Septimò ſignificat chorum Angelorum. Pſalm. 148. Aquæ quæ ſuper cœlos ſunt, laudent nomen Domini. Hæc Gregorius 19. Moral. Et ſuper Ezechielem homil. 19. Octauò, ſecundum Auguſtinum lib. 9. ſuper Geneſ. ſignificat totam materiam confuſam elementorum corporalem.

lem. Vnde ſecundum Gabrielem diſtinctione decimaquarta, articulo primo, libro ſecundo. Aqua in prima rerum materia diſtinctione aliquando accipitur pro informi rerum materia: vt ibi: Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Nam vbi dicitur: In principio creauit Deus cœlũ & terram, &c. Illa nomina cœlum, terra, abyſſus, aqua, pro eodem accipiuntur, ſcilicet pro materia informi, poſteà per formas ſpeciuocas diſtinguenda. Et aquæ quę ſunt ſuper cœlos, nominantur aquæ nomine, propter proprietatem quam habent cum aqua elementari. habet enim perſpicuitatem, frigiditatem & grauitatem. Aliquãdo accipitur pro materia tranſparenti ſiue perſpicua & luminis retentiua: vt cùm dicitur: Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. Aliquando accipitur pro elemento aquæ: vt ibi: Congregentur aquæ in vnum, & appareat arida. Capitur & pro polo aqueo. Quandoque capitur pro Baptiſmate. Vnde Dominus ad Samaritanam mulierem loquitur, dicens: Omnis qui biberit ex aqua iſta, ſitiet iterum: qui autem biberit ex aqua quam ego dedero, non ſitiet in æternum. quo & ipſo Baptiſma ſalutaris aquæ ſignificatur, quod ſemel, ſcilicet ſumitur, nec rurſus iteratur, vt ſcribit ſanctus Cyprianus ad Cecilium.

Aqua eſt triplex, vt notat Bruleſer diſtinctione iij. quæſt. vij. libr. iiij. Quædam eſt artificialis, & eſt illa quæ fit per actionem ignis decoquentis & reſoluentis ex miniſterio artificis applicantis actiua paſſiuis, & paſſiua actiuis. & iſta aqua non eſt elementum, ſed eſt corpus mixtum: vt aqua roſacea. Hæc aqua nullo modo (vt infrà videbitur) conueniens eſt ad ſacramentũ Baptiſmi. Alia eſt aqua naturalis, & eſt aqua elementaris pura tam per mixtionem quàm per iuxtapoſitionem. Tertia eſt aqua vſualis pura per immixtionem, licèt non ſit pura per iuxtapoſitionem. Aqua vſualis & aqua naturalis ſunt eiuſdem ſpeciei: & ſunt conuenientes ad ſacramentum Baptiſmi.

Aqua benedicta vt ſcribit in iiij. roſarij Theologię. Aliquando fit ad reconciliationem Eccleſiæ pollutæ ſanguine vel ſemine, & hæc benedicitur ab Epiſcopo ſolò cum vino & cinere. vt patet de cõſecratione Eccleſiæ vel altaris. c. aqua. & propoſuiſti. Aliquando fit ad aſpergendum homines vel domos: vel remouendum ſterilitatem rerum humanarum: & ad multiplicationem cæterorum bonorum, & ad defenſionem hominum aduerſus inſidias diaboli: & ad delenda peccata venialia. Vnde Richardus diſtinct. j. artic. j. quæſt. iij. libr. iiij. in ſolutione argumen. Et concordat Paludenſis diſtinct. xj. quarti. qui ait, quod per aſperſionem aquæ benedictæ remittuntur venalia per modum meriti: inquantum excitat motum voluntatis, ſeu feruorem charitatis, per quam fit venialium remiſsio non tanquam per vim ſacramenti. Sacramentum autem ſignificat rem vt ſacramentalem, non per modum meriti. Aqua etiam benedicta (vt idem vult) non eſt ſpecialiter diuinitus inſtituta ad illam rem ſacrám. & hæc benedicitur à Sacerdotibus cum ſale. vt patet de conſecr. diſtinct. iij. cap. aqua. Et conſuetudo habet, quod omni die Dominico benedicatur, & non niſi à Presbyteris. vt & habet Magiſter Guilielmus in ſuo rationali diuinorum. Aqua autem non ſacrata addita ſacratæ efficitur ſacra: quia ſacrum tanquam dignius trahit ad ſe non ſacrum. xiij. q. ij. Non exiſtimemus. Nec eſt curandum an ſit maior quantitas aquę non benedictæ quàm benedictæ. Non ſic eſt in Sacramento ſanguinis Chriſti, cui liquor additus non miſcetur ſanguini, cùm ſit ibi ſanguis in venis, ſed ſolùm commiſcetur accidentibus illis, vt notatur extra de celebrat. Miſſ. Cum Marthæ. Sunt autem quatuor genera aquæ benedictæ, vt notat Guilielmus Epiſcopus in rationali diuinorum. Prima in qua fit iudicium purgationis, quæ in vſu non eſt. Secunda aqua quę ſanctificatur in dedicatione Eccleſiæ & altaris. Tertia eſt qua in Eccleſiis aſpergimur. de qua paulò antè. Quarta, aqua Baptiſmi, de qua aliàs dicetur. Eſt præterea aqua lachrymarum piarum, de qua Gerſon parte ſecunda, ſermone de dominio Euangelico facta in cœna Domini. Hæc hauritur (vt ipſe ait) à puteo contritionis profundę cauato per acutum ligonem meditationis: ſitula fidei illam cõtinet, chorda ſpei ſurſum trahit, fornax ardens charitatis eam calefacit, miſcet cineres recordatio peccatorũ. Hæc Gerſon.

Aquila ſecundum Iſidorum, ab acumine oculorum vocata in ſacra ſcriptura: vt & refert frater Pelbartus libro ſecundo roſarij Theologiæ, variè inuenitur ſignificare. Nam primò, ſignificat malignos ſpiritus, qui rapiunt animas. Threnorum 4. Velociores aquilis perſecutores noſtri. Secundò ſignificat quandoque poteſtatem terrenam. Ezechiël. 17. Aquila grandis magnarum alarum, id eſt, Rex Babylonis (quia ſicut ſolent Reges) habuit aquilam in vexillo ſuo. Tertiò ſubtilem ſanctorum intelligentiam. Ezechiël. 1. vbi Ioannes Euangeliſta per aquilam deſuper eminentem ſignificatur à ſimilitudine volatus illius auis. Quartò aquila ſignificat iuſtorum animas, ſecundum Ambroſium ſuper Lucam: quia ſicut aquila poſt longam vitam, ſcilicet centum vſque annorum ſenio grauata (vt dicit Auguſtinus ſuper Pſalmum 102.) ſe renouat, roſtrum vetus nimis excreſcens ad petram collidendo, & plumas veteres deponendo, nec vnquam percutit aquilam fulmen: ſic ſancti renouant vitam per pœnitentiam, & tandem in reſurrectione renouabuntur, nec timent fulmen ſententiæ finalis damnationis. Pſalm. 102. Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua. Quintò aquila ſignificat quandoque Chriſtum, propter nobilitatis Regiæ dignitatem, quam aquila habet ſuper aues. Vnde Prouerbiorum tertio dicitur, quod viam aquilæ in cœlo difficile eſt ſcire. Lyra & expoſitores dicunt, quod hæc intelliguntur de via quam tenuit Chriſtus in aſcenſione. Item Deuteronomij trigeſimo ſecundo dicitur de Deo: Sicut aquila prouocans filios ad volandum expandit alas ſuas: & aſſumpſit eum, atque portauit in humeris ſuis. Dominus ſolus dux eius fuit, & non erat cum eo Deus alienus, &c.

Arbor. Arbor bona in ſcriptura iuſtum ſignificat, mala verò peccatorem. Matth. 7. quia illa facit bonos fructus boni operis, iſta malos: & in ignem excidetur. Multa de arboribus & lignis ſcribit colligendo frater Pelbartus libr. 2. roſarij Theolog. in dictione lignum multis. §.

BIBLIOTECA NAZ. ... ROMA

Aries eſt animal manſuetum, & quandoque ſignificat Chriſtum. Gen. 22. Abraham vidit arietem hærentē inter vepres cornibus, quem immolauit pro filio. (Quandoq; ſignificat aries Eccleſiam Chriſti. Daniel. 8. Aries ſtabat, id eſt, Eccleſia) & hircus ſignificat Antichriſtum, qui efferatus eſt contra illum, vt exponit Lyra.

Arbitrium liberum, vide infrà in dictione liberum.

Argumentum dicitur dupliciter, videlicet propriè & tranſſumptiuè (vt ſcribit S. Bonauen. diſt. xxiij. q. v. li. iij. in ſolutione argumenti) propriè quidem argumentum accipitur quadrupliciter. Vno modo dicitur argumentum ratiocinatio, ſecundum quod diuiditur in quatuor ſpecies: videlicet, in ſyllogiſmum, inductionem, enthymema & exemplū. Alio modo argumentum dicitur prolixæ ſententiæ breuis collectio. Tertio modo dicitur argumentū ipſum medium, in quo conſiſtit tota vis argumentationis. Quarto modo dicitur argumētum ipſa maxima propoſitio, in qua cōſiſtit firmitas totius illationis, & in omnibus iſtis acceptionib⁹ argumentum dicitur, quia mentē arguit & illuminat ad aliquid intuendū, & ei firmiter adhærendum. Et ſecundum hanc proprietatē poteſt tranſſumptiuè dici argumentū quicquid illud ſit quod mentem arguit, & illuminat ad videndum aliquid occultum, & hoc modo fides dicitur argumētum rerum non apparentium: quoniam ita facit intellectū eis aſſentire, ſicut argumentum verum facit aſſentire concluſioni probatæ. Hæc ſanctus Bonauentura.

Arrogantia (vt ſcribit Paulus Corteſius Theologorum eloquentia lib. iij. ſitarum ſenten. diſt. viij.) eſt inſolens ſupra naturā ſuam elatio. Gerſon parte ij. in regulis moralibus dicit, quod præſumptio, arrogantio, iactātia, & hypocriſis generaliter & propriè ſunt de illis, quæ non conueniunt homini taliter ſe habenti, ſi illa habere vel credit, vel ordinatè appetit, propterea ſemper habent errorem vel malitiam inuolutam, quandoque venialem, & ſæpè mortalem, ſecundū genus obiecti, & iuxta circunſtantias intentionis, & finis atq; cæterorū: & præſumptiō, arrogantia, & iactantia, & hypocriſis circa bona naturæ aut fortunæ, minus habent peccati & periculi quàm circa bona gratiæ, præſertim gratiæ gratumfacientis cum illa minus cognoſci poſſit ineſſe, &c. Gerſon: Eſt autem arrogantia quædam filia ſuperbiæ, qua quis multum ſe exiſtimās, cæteros quos infra ſe videt, deſpicit: & quibus non conſulendo loqui, ſed vix dominando dignatur: vt habetur in decretis diſt. xlvij. ca. j. Vel ſic: Arrogantia quæ modeſtiæ contraria eſt, eſt per quam temeritas atque impudentia vanam ſibi comparat authoritatem. Arrogans eſt, qui ſibi attribuit quod non habet, ſecundum beatum Thom. ij. ij. q. cxij. artic. j. vel ſic: Arrogans eſt, qui ſibi temerè atque inſolenter tribuit, quæ in eo non ſunt.

Ars Græcè τέχνη, techne, & technicos, artificioſus: & eſt principium agendi in alio, ſecundum Ariſtotelem libr. 12. Metaph. & ſecundum eum, libr. 6. Ethic. Ars eſt habitus quidam faciendi cum vera ratione. Thomas prima ſecundæ quæſt. lxx. vij. artic. iij. Ars eſt recta ratio factibilium, & habitus operatiuus: & 6. Ethicor. Ars eſt habitus quidam faciendi vera cum ratione.

Ars magica (vt ſcribit Bruleſer diſt. vij. quæſt. xij. lib. ij.) eſt quædam noticia vel quoddam genus artis habens ſub ſe multas ſpecies, id eſt, ſeptem principales, de quibus & ſcribit Dominus Cardinalis Camera. in principio in curſum Bibliæ. Prima dicitur Mantica, & dicitur à mechos, quod eſt diuinatio, & icos, quod eſt ſcientia, quaſi ſcientia de natura, & habet ſeptem ſpecies. Prima dicitur Pyromantia, quia diuinatio facta circa ignem. Secunda Aëromantia, in aëre. Tertia Hydromātia, in aquis. Quarta Geomantia, in terra & corporibus groſſis. Quinta Cyromantia, circa manus. Sexta Ornigomātia, fit in gutture vel pectore pullorum vel gallinarum. Septima Nigromantia, fit circa cadauera mortuorum, & dicitur à nigros, quod eſt mors. Alij dicunt (& vt credo melius) Necromantia. Secunda ſpecies Magica dicitur Mateſis, quæ fit tripliciter. Primo modo in horis, & dicitur Horiſpicium temporum. Secundo modo fit in aris, & eſt Auriſpicium, quæ fit ex inſpectione ad aras vel altaria. Tertio modo in auibus fit, & eſt Augurium, quæ fit in garritu auium, vel volatu auium, & eſt Auſpicium. Tertia ſpecies Magicæ artis eſt Sortilegium, quod fit per ſortes, vel per oſſa mortuorum, vel per verba, & ſic de aliis. Quarta ſpecies eſt Præſtigium, & eſt quædam illuſio humanorum ſenſuum: & dicitur à perſtringo, quia perſtringit ſenſus humanos. Quinta eſt maleficium ſimpliciter. Sexta eſt maleficium ad tempus: & de his infrà vide latius. Et dicitur virtutum animalium faſcinatio, id eſt quædam tremor vel obſtupentia. Artes autem Magicæ (vt idem Bruleſer dicit & ſanctus Bonauent. diſt. vij. part. ij. artic. ij. quæſt. iij. lib. ij.) ſiue diuinationes, non poſſunt eſſe, nec ab aliquo fieri abſque peccato, nec Catholicus à diabolo auxilium ſiue miniſterium voluntate propria, abſque peccato mortali poteſt requirere, niſi fortaſsis (vt inquit Bonauentura in hoc caſu) vbi Deus diabolū ſubiiceret homini iuſto ſuo iudicio: & ſicut de aliquibus viris ſanctis audiui errare, voluntario autē commercio non poteſt ſine peccato. Aut enim ibi eſt peccatum infidelitatis, vtpote ſi dæmonio credendo attribuat diuinum aliquid: aut eſt ibi peccatum idolatriæ, vtpote in oblationibus & ſacrificiis: aut inobedientiæ ſaltem, quia facit contra prohibitionem diuinam & Eccleſiæ. Ratio autem huius prohibitionis (ait Bonauent.) eſt, quia talis peccat in ſeipſum, dum ſe committit diſcrimini: peccat in Eccleſiam, quia hoc commercium eſt cum illo, qui eſt omnino præciſus & Eccleſiæ aduerſarius: peccat etiam in Maieſtatem diuinam, dum recurrit ad diabolum, quaſi non ſit omnipotens & omnino ſufficiens & benignus Deus Chriſtianorum, & ideo ſemper prohibitum eſt, & ſine peccato fieri non poteſt. Bonauen. probatur & authoritate Domini Leuit. 20. vbi ille præcipitur occidi à Deo, qui ſuſcitatur Magos & Ariolos. Et 4. Regum 25. vbi reprehenditur & punitur Rex Iſraël Ochoſias, qui miſit ad conſulendum Deum Acharon. Et Auguſtin. de vita Chriſtiana, dicit eſſe damnandas & fugiendas diuinationes, quia ibi intercidunt pacta dæmonum. Potes & hanc rem, & quomodo prohibeantur artes Magicæ, videre apud Gerſonem

Gerſonem parte. j. tractatu de erroribus, circa artẽ magicam, qui diffuſe rẽ proſequitur. Quamuis autem Albertus Magnus in pluribus ſuis operibus dicat, quod ars magica non ſit penitus interdicta: puta illa quæ fit virtute herbarum & lapidum. Credit tamen Gulhelmus Scoti imitator: & poſt eum Pelbartus: quod ſecurius eſt Chriſtiano abſtinere: ne in laqueum cadat diaboli: maximè quia præceptum Eccleſiæ videtur ſe extendere ad omnem ſpeciem artis magicæ quando prohibet. vt habetur in decretis. xxvj. q. iiij. &. v. per totum. Carmina autem magorum nullam habent in ſe vim effectiuam reſpectu effectus conſequentis. illa enim non ſunt niſi voces & ſcripta certo modo prolata, aut certis caracteribus deſcripta: quæ non habent ex ſe maiorem vim, quam ſonus ex aere fracto cauſatus aut atramentum, vel alia ſubſtantia vnde cauſantur: quæ manifeſtum eſt ad talem effectum vim vel ordinẽ naturalẽ non habere. Sequitur autem effectus tales operationes dæmonũ veræ vel illuſoriæ hũc cauſantibus, propter quoſdã priuatos cõtractus ſeu pacta cũ ſibi adhærẽtibus, vt dicit Aug. Habet enim ſpiritus maligni (vt ſcribit Gab. di. viij. q. ij. ar. iiij. dub. ij. lib. ij. ſent.) pactiones cũ aliquibus hominibus: & cõſeruãt pacta æ promiſſa: nõ quia veraces, ſed vt alij eis adhæreãt, quia ſi nulla pacta ſeruarẽt, nulli eis ſeruirent: & vt hi quibus promiſſa ſeruantur, eos colant. quia ex ſua ſuperbia præcipuè appetunt dęmones diuinos honores. Permittit autem Deus (vt idem ait) eos in aliquos propter eorum peccata, vel aliam occultam cauſam exercere ſuam poteſtatem nõ tamen iniuſtam. Habent ergo pactũ cum maleficis. vt dum hæc verba proferunt tali modo: puta ante ſolis ortum, vel in tali loco, tali geſtu. Aut faciunt hoc: puta curuant acum, percutiunt pallium, &c. ſequitur ille effectus, quem non verba vel acus incuruata, aut pallij percuſſio: ſed ipſe diſcurrens operatur imitans in hoc peruerſe Chriſtũ Dominũ, in Eccleſia ſacramenta inſtituentẽ: per quorũ vſum gratia animæ confertur. nõ à ſacris effectiuè, ſed à Chriſto ſuo ſacramento tanquam ſigno efficaci aſſiſtenti. & ſic gratia talis nõ conferretur ſine ſacramento, ita diabolus non operatur talia ex ſuo pacto ceſſante maleficio. Hæc Gab. & latius infra in maleficio videbitur. & Scotus in iiij. diſt. xxxiiij. &c.

Articulus eſt coaptatio partium diſtinctarum. ſecundum ſan. Thom. 2. ij. q. j. arti. vij. Articulus (vt dicit Iſido.) eſt præceptio diuinæ veritatis tendens in ipſam. Articulus (vt ait Rich.) eſt indiuiſibilis veritas de Deo artans nos ad credendum. Et articulus quantum eſt de ratione ſui nominis dicitur ab artando, & hoc eſt dupliciter. actiue videlicet & paſſiue. Dicitur enim articulus (vt ſcribit ſanctus Bonauen. di. xxiiij. li. iij.) quia eſt quid in ſe artatum. Et dicitur articulus, quia alios artat: prout paſſiue dicitur articulus, quod in ſe artatum eſt: eſt terminus reſolutionis. Prout autem actiue dicitur, eſt principium diſtinctionis & diſcretionis. Vide latius ibi Bonauen.

Articulus fidei (vt ſcribit Gab. di. xxiiij. q. vnica artic. iij. dub. iij. libro iij.) eſt veritas reuelata in ſe vel in ſuo antecedente: pertinens ad religionem. Et ita omnis veritas credenda eſt articulus fidei. Et dicitur articulus, quia artat nos ad credendum explicitè vel implicitè. Tenetur enim quilibet fidelis implicitè credere omnem veritatem fidei: quia tenetur credere principia: ex quibus quælibet veritas fidei infertur. Oportet itaque multa credere quæ nõ ſunt articuli: maximè ea quę articulos præcedunt. Credere enim Deo non eſt articulus, ſed articulos præcedit. & tamen oportet Deo credere, quia antecedit articulos. Gerſon parte. ij. de articulis fidei. Et articuli nõ ſunt de quacunq; veritate. ſed de veritate ſũmma, vt dicit Bon. di. xxv. li. iij. & quicunque articulus fidei pro certo habẽdus eſt, periculũ eſt ipſum relinqui ſub dubio. Vnde optimè factũ eſt (vt ſcribit Bruleſ. di. xj. q. j. li. j.) q; declaratũ eſt beatiſſimã Virginẽ eſſe conceptã ſine originali peccato. Articulos autẽ fidei explicare (vt ſcribit ſan. Tho. di. xxv. q. iij. ar. iij. lib. iij.) cõtingit dupliciter. Vno modo quantum ad ipſorum articulorũ ſubſtantiam: ſecundum quod homo articulos diſtinctè nouit. Alio modo quantum ad ea quæ continentur in articulis implicite, quæ, ſcilicet ex articulis inferri poſſunt ab impugnatione defendi. De articulis fidei & expoſitione eorundem videto Gerſonem parte. ij. tractatu de articulis fidei, &c.

Aſcendere, Vno modo (vt ſcribit ſanctus Bonauen. diſt. xxij. lib. iij. circa textum) idem eſt quod propria virtute ſcandere ſine adminiculo virtutis alienæ. & hoc modo ſoli Chriſto cõuenit. Alio modo aſcendere idem eſt quod ſurſum ſcandere. & hoc modo conuenit aliis ſanctis. Vnde Iaco. 3. Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui de cœlo deſcendit: vbi aſcendere accipitur primo modo. Vel aliter eſt aſcendere in cœlum empyreum: & eſt aſcendere in cœlum trinitatis. Cũ ergo dicitur: Nemo aſcendit, &c. nõ dicitur hoc quantum ad aſcenſum in empyreum, ſed quantum in cœlum trinitatis. & iſte aſcenſus non eſt aſcenſus ad locum, ſed potius ad dignitatem & æqualitatem patris. Nec eſt ſecundũ acquiſitionem nouæ dignitatis in Chriſto, ſed propter manifeſtationem eius quod habuit ab æterno. Vnde ſicut dicitur deſcendiſſe, non propter hoc quod in eo fuerit diuinitas minorata, ſed propter hoc quod in aſſumptione humanitatis apparuit minorata. Sic etiam dicitur aſcendiſſe, quia in aſcenſione eius ſublimitas eſt manifeſtata. Vnde iſte deſcenſus & aſcenſus conueniebat diuinæ perſonæ ſecundum diuinam naturam, relatam tamen ad humanam. Hæc ſan. Bonauen. vbi ſup. E migrationẽ autem Chriſti in cœlum (vt ſcribit Paulus Corteſius lib. iij. ſen. di. vj. in fine.) incolumitatis noſtræ cauſam fuiſſe: ob eamq; nobis patefactum eſſe iter in cœlum. De aſcenſione Chriſti in cœlum aliis habetur abunde in ſermonibus concionatorum, &c.

Aſſiſini ſunt quidam infideles, qui pro pecunia faciliter quærentes interficere homines: non curantes ſi ipſi interficiantur, ſed quod ſub dominio alicuius vel non fideles vel infideles: dummodo pro pecunia eis data homines interficiunt, non refert. Et qui per aſſiſinos aliquem interficiunt, excommunicantur. Frater Oſualdus li. iiij. roſarij theo. in dictione Excommunicatio: quidam ſcribunt ſicut Dominicus, Narius Mirabellins, Aſciſinus: & propriè eſt qui non ſubeſt dominio alicuius: ſed pro pecunia hominis occidit ad alicuius inſtantiam. Et dicitur

BIBLIOTECA NAZ. DI ROMA

citur à ſcindo,is:quia ſcindit animam à corpore.ſecundum Arch. in capite pro humani.de homici.libro vj. Aſſiſius verò dicitur beneficiatus,quaſi aſſiduus.vt habet Gab.di.xv.q.viij.dub.ij.lib.iuj.

Aſtrologia eſt ſcientia de aſtris. Et dicitur ab ἄστρον quod eſt ſydus: & λογὸς ſermo. Diciturque aſtronomia ab aſtron quod eſt ſydus: & νόμος lex & norma. Hæc primum inuenta dicitur ab Athlante rege Mauritaniæ teſte Plinio libro vij.natu. hiſto. Et vt referunt doctores: & poſt eos ſcribit frater Pelbartus libro ij.roſarij theólog.quod ſicut Ptolomeus libro quadripertito dicit. Aſtrologia quæ eſt de euentibus ex aſtris diuiditur in quatuor partes. Prima pars eſt de iudiciis,ſcilicet,pluuiarum & tempeſtatum:ac huiuſmodi. Secunda de electionibus horarum, ſcilicet, pro minutionibus faciendis & medelis. Tertia de natiuitate hominis vel fato. Quarta de interrogationibus. Primæ duæ partes bene & ſane intellectæ admittuntur:ſed aliæ duæ omnino reprobantur vtpotè ſuperſtitioſæ & erroneæ. Vnde de fato Bonauentura & Rich.in ij.diſt.xiiij. quod ſi fatum accipitur ſecundum quod Bonauentu. iiij.de conſol. dicit fatum ordinem rerum ad diuinam prouidentiam relatum,ſic habet veritatem. Si autem accipitur vt accipit Aug.5.de ciui.Dei ſecundũ exiſtimationẽ phiſicorum & mathematicorum: videlicet,pro vi conſtellationis ſyderum:ex qua pronunciant cuncta, vel aliqua contingentia neceſſario euenire in inferioribus:ſic erroneum eſt. Vnde idem Aug. & habetur in Decretis.xxvj.q.ij.Illud,& in pluribus locis dicit:omnes huiuſmodi artes ex quadam peſtifera ſocietate hominum & dæmonum (quaſi pacta infidelis amicitiæ) à Chriſtiano penitus repudiandas,&c. & ſic patet quod mortale eſt ſata obſeruare. Similiter & illam partem aſtrologiæ,quæ nominatur de interrogationibus: videlicet, an furata reperiat,& vbi talis perdita recuperet, vel bonam fortunam hac hora conſequitur,& huiuſmodi omnino ſunt ſuperſtitioſa & damnabilia & chriſtianæ fidei contraria. Quare huiuſmodi diuinatio puta in fortuna propria,vel hora bona ad itinerandum huiuſmodi eſt illicita,&c. Et huiuſmodi diuinationi ſæpè immiſcet ſe diabolus,vt decipiat in fide ſecundum Augu.ſuper Geneſim. ad literam. Vnde & in decretis legitur di. xxxvij.5. Sed contra.xxvj.q.j. c.illud dicit. Aſtrologia nil confert ad ſalutem: ſed in errorem mittit, ergo eſt poſtponenda à fidelibus.

Aſtronomus eſt qui nouit aſtra, ſanctus Bonauen. de aſtronomis ſcribẽs di.vij.li.ij.dicit: Quare aſtronomi de contingentibus,habẽtibus cauſam fallibilem & indeterminatam non præſciunt vera,niſi ex coniectura, & diabolus ex maiori coniectura illa præſentit,non tamen certitudinaliter præſcit: ideo propter eorum ignorantiam(vt ait Gabriel.d.xiiij. quæſtio vnica. articulus iij.dub.iij.lib.jj.etiam de naturalibus effectibus,& ſi quandoq; talium præſumptores quædam vera dicunt,tamen multo plura falſa. Vnde manifeſtum eſt quod vera quę dicũt. non arte ſed caſu,aut diabolica reuelatione dicunt. Et ſi dicis,multa vera dicunt:reſpondet Cancellarius:ſed multo plura falſa: & ideo quæ dicunt incerta ſunt & falſis plurimis permixta. Gabr. vbi ſupra. Sed quia vt Bonauentura ait:diſt. xiiij.q. vj.libro. ij. in fine multi ſunt inſecutores paſſionum, & eis quibus poſſunt dominari ſeipſos ſubiiciunt. Hinc eſt quod multi ſe ſubiiciunt impreſſionibus aſtrorum, & ideo frequenter aſtrologi vera prædicunt maximè circa homines animaliter viuentes:circa verò ſpiritualiter ſapientes,qui dam nantur paſſionibus pauca poteſt vera prædicere, imo ſicut dicit magnus aſtronomus Ptolomeus: ſapiens homo damnabitur aſtris. Nullam igitur neceſſitatem aſtra imponunt, quamuis inclinare poſſint:ſed non neceſſitare (vt dicunt) de quo latius videre potes apud Bonauen.& alios. Videatur & Gerſon in libello quem trilogium aſtrologiæ theologizatæ inſcripſit, quem videat qui ſuperſtitioſas quaſdam aſtrologicas obſeruationes cauere voluerit. Et idem parte j. de libris aſtrologicis ait. Libri aſtrologici in quibus plura inutilia & ſuperſtitioſa & falſa,imo impia & ſacrilega continentur quàm vera & vtilia: debent à Chriſtianis omnibus euitari, damnari, & penitus aboleri. Vide & eum latius ibi, & qui libri legantur & tolerantur apud Chriſtianos. Sed breuitati ſtudemus, nec tamen prætereundum eſt quod ſcribit Stephanus Bruleſer. diſt. vij. quæſt. ix.libro ij. vbi ait, quod omnis viator ſiue aſtrologus quantumcunque doctus: aſſerens pertinaciter & defendens quod ipſe per ſeipſum, vel per acquiſitam ſcientiam, poſſit futura quæ dependent à libero arbitrio noſtro certitudinaliter præcognoſcere eſt hæreticus, blaſphemus, impius, infidelis: & comburendus, quia quod ſolius Dei eſt, ſibi vſurpat impiè & attribuit. Et ſi quandoque aſtronomi & mathematici verum dicunt de futuris contingentibus dependentibus.Hoc tamen non eſt niſi coniecturando,ſiue per legẽ aſtrorum, ſiue per diabolica commercia. Hæc Bruleſer, &c. De aſtronomia & aſtrologis aliàs à ſanctis doctoribus permulta ſcribuntur & præcipuè Bonauen.diſt.xiiij.q.iij.& vltima.lib.ij. vide & Gerſonem parte iiij. tract. an fortuna bona vel mala ſiat ex influxu ſydetum.

Aſſimilatio,comparatio,ſimilitudo. Eſt autem triplex aſſimulatio ad Deum (vt ſcribit Gabr. lectio.lxiiij.canonis. Vna qua receditur à Deo. Alia qua acceditur ad Deum. Tertia qua ſiſtitur in Deo. Prima eſt multorũ quę peruerſè imitantur Deum: volentes Deo eſſe ſimiles per magnitudinem potentiæ,per ſingularitatem reuerentiæ permittentes & appetentes ſibi diuinos honores exhiberi per infinitam opulentiæ, & per ſimilia, tales ſic imitando non efficiuntur filij Dei, nec Deo accepti: ſed hac imitatione recedunt à Deo:efficiuntur ſocij Luciferi qui dixit: Ponam ſedem meam in aquilone,& ſimilis ero altiſſimo. Secunda ſimilitudo eſt bonorum viatorum, & conſiſtit in participatione ſimilium virtutum virtutibus Dei, quæ ſunt iuſtitia,miſericordia,liberalitas,veritas,charitas,& cęterę virtutes huiuſmodi quę perfectiſſimæ in Deo ſunt,verius ipſę Deus ſunt,& eſſe debẽt participatiue in omni rationali creatura, de quo intelligitur illud Auguſt. viij.de trini. Non locorum interuallis, ſed ſimilitudine acceditur ad Deum. Et ſi diſſimilitudine oppoſita recedit à Deo. Hac ſimili-

Hac ſimilitudine volens nos accedere ad Deum dixit Chriſtus: Eſtote miſericordes: ſicut & pater veſter miſericors eſt. Tertia ſimilitudo eſt beatorum, de qua.1.Ioan.3. Scimus quod cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, ſcilicet, in gloria æternæ viſionis & fruitionis, quæ eſt beatitudo perpetua, ad quam nunc aſpiramus, ad eam autem per ſecundam ſimilitudinem peruenimus ad quam exhibendam, cùm dicimus: Pater noſter qui es, &c. excitamur. hæc Gabr. vbi ſupra.

Aſſumere, ſuſcipere vel accipere. Voluntas poteſt aliquid aſſumere in facultatem ſuam quadrupliciter: videlicet, operando, vt quando homo operatur opera meritoria exterius, vt dare eleēmoſynam. Acceptando quando voluntas acceptat interius nihil exterius operãdo vt diligere proximum. Tolerando, & ſic mala pœnæ ſunt patienter ferenda. Hæc Bruleferq.j.lib.j.diſt.j. Vnde ſecundum eundem voluntatem aliquid aſſumere in facultatem ſuam: eſt aliquid ipſam amare, id eſt, velle, vel aliquid odire, id eſt, nolle. peccatum igitur ſumit in facultatem ſuam, cùm ipſum odio habet. Eſt autem facultas voluntatis ſecundum Bonauen. dominium voluntatis quo faciliter poteſt in actum ſuum tanquam illius princeps.

Aſſumere aliquid in facultatem voluntatis poteſt intelligi dupliciter, vel propter ſe & ſine relatione in aliud, vel propter aliud, & cum relatione in aliud actu vel habitu ſecundum modum loquendi Grego.di.j.q.j.ar.j.lib.j. aſſumere aliquid in facultatem voluntatis eſt voluntatem circa ipſum habere actum aliquem tanquam circa obiectum ipſum, ſcilicet, acceptando, vel deacceptando, volendo vel nolendo. Aſſumere in facultatem voluntatis propter ſe, & ſine relatione in aliud eſt, quando aliquid aſſumitur in facultatem voluntatis: etiam ſi nihil per intellectum præſentaretur voluntati. Sed aſſumere in facultatem voluntatis propter aliud eſt quando aſſumitur aliquid alio coaſſumpto, quod niſi per intellectum voluntati præſentatum fuiſſet, aut præſentaretur voluntas non haberet circa ipſum talem actum. Primus eſt non referens in aliud. Secundus verò eſt referens. Exemplum primi, velle bibere delectantem potum, & dulcem ſine relatione ad ſanitatem conſequendam. Exemplum ſecundi, velle huiuſmodi potum præciſe propter ſanitatem, ſiue dulcis ſit ſiue amarus, dum, ſcilicet, nollet potum talem ſi non præſumeret ſe per eum conſequi ſanitatem. Primus actus qui non eſt referens, duplex eſt. Nam illud obiectum quandoque aſſumitur à voluntate tanquam ſummum ſibi poſſibile præſentari: ita quod in eo ponit terminum lętitiæ ſuæ, ſiue verè ſit ſummum, ſiue ſolum in ęſtimatione & appreciatione hominis errantis: ſi eſt verè ſummum, tunc ille propriè dicitur fruitio. Vnde Aug.1.de doctrina chriſtiana. Si verò inhęſeris, finē in ea ponens lætitiæ tuæ: tunc verè & propriè dicendus es frui. Quandoque verò talis actus non referens fertur abſolutè in obiectum: ita quod actu nec acceptatur vt ſummū, nec vt nō ſummū. Et ſi nihil aliud præſentaretur volūtati per intellectū, nihilominus acceptaretur vel deacceptaretur. Sicut enim intellectus ſimpliciter poteſt fieri in aliquid quod placet vel diſplicet: ita volūtas ſimpliciter poteſt ipſum acceptare vel deacceptare, ſub cōtextu boni placentis vel delectãtis. & nec ſub ratione ſummi, nec vt non ſummi: & ſic tenet Adam (vt ſcribit Gabr. di.j. q.j.ar.j.lib.j.) quod alio à Deo eſt fruendum: puta ſi res aliqua abſolutè amatur: ſine relatione quacunque in aliud: & etiam non vt ſummum aliquod amandum, ſic dicuntur virtutes propter ſe appetendæ. Secundus actus quo, ſcilicet, aliquid acceptatur vel deacceptatur propter aliud, poteſt etiam fieri dupliciter. Vno modo ſic quod tale obiectum præciſe acceptetur propter aliud acceptum, ita quod eius acceptatio ſit cauſa effectiua acceptationis alterius propter ipſum, & quod ſine eo actu nō fuiſſet acceptum: & hic amor ſolet dici amor cōcupiſcentiæ tantum, & prçſupponit neceſſario actū amicitiæ à quo cauſatur effectiuè, & habet ſolum vnū obiectum: vt cū diligo proximum propter Deum: actus dilectionis Dei cauſa eſt effectiua: actus dilectionis proximi, & habet ſolum proximū pro obiecto. Et vt idem Gabr. vbi ſupra dicit: quicquid aſſumitur in facultate voluntatis, aſſumitur ſiue propter ſe ſiue propter aliud: ita omnis actus voluntaris poteſt dici vſus vel fruitio largè ſumptis terminis & ſumitur propter ſe: vt tantum valet, id eſt, non propter aliud, ſiue ſine relatione in aliud. Si enim voluntas diligit obiectū propter ſe, poteſt dici fruitio, ſi propter aliud vſus. ita habet Greg.di.j. q.j.ar.j.propoſitione.iiij.li.j. Ita plerique vtuntur vocabulis & termini ſunt ad placitum: & hoc modo nō datur actus medius. Vide latius Gabr. & Dominum Cardinalem diſt.j.quæſt.j.li.j.ſenten.

Aſſumens dicitur quod aliquid accipit vel aſſumit. Aſſumens autem non eſt idem cum aſſumpto vt habet & Gabr.diſt.vj.queſt.j.li.iij.ar.iij. quia aſſumēs verbum eſt æternum, aſſumptum eſt productū de virgine, & eſt temporale. Filius autem Dei aſſumpſit humanam naturam ex genere Adā, & hoc cōgruentius quàm aliundè (vt habet, ſcilicet, Bonauen.di.xij.) & poſt eum Gabr.eadē di.lib.iij.q.vnica. tamen propter ſeruandam rectitudinem iuſtitię: vt, ſcilicet, eiuſdem generis eſſet ſanctificator, cuius erat præuaricator, iuſtè ſiquidē ab eo exigitur emēda in quo reperta eſt offenſa. Secundò propter manifeſtandum dulcorem miſericordiæ, quæ maximè apparet in tantæ miſericordiæ cōdeſcenſione quod contemptus ab aduerſario: vt eum redimeret ſuo genere perſonaliter vniretur. Tertiò ad declarandum ordinem ſapientiæ quæ ſic decreuit, vt omnes homines deſcenderent ab vno ad repræſentandum illud vniuerſale principiū quod Deus eſt à quo ſunt omnia. Quartò ad conſeruandum altitudinem humanæ naturæ quam Deus in tanta dignitate creauerat, vt nulli alterius generis eſſet obnoxia ob quā etiam cauſam Deus ipſe voluit eſſe redemptor qui creauit. quia nō minus eſt redimere quā creare, &c. Sed non aſſumpſit naturam humanam de viro: ſed de fœmina Virgine, vt qui in cœlis habuit patrem ſine matre, in terris haberet matrem ſine patre, nec paternum nomen confundaretur, ſi alius eſſet pater Chriſto in terris, alius in cœlis. Latius ſcribunt de hoc doctores. Aſſumpſit autem ſexum virilem; quia caput futurus erat Eccleſiæ: quod non conuenit fęminę ſed viro, qui eſt caput mulieris: ne quoque in aſſumptione peruerteret ordinem inſtitutū:

Si

Si enim ſexum fœmineum aſſumpſiſſet, iá fœminas viris prętuliſſet, & viros ſua naturali dignitate priuaſſet: nunc autem vtrumque dignificáuit, quia ipſe naturá in ſexu virili aſſumpſit, & eam de virgine matre accepit. Gabriél, vbi ſupra.

Aſſumere, & aſſumi vide in dictione vnire infra.

Attributum, quod alicui attribuitur. Sunt autem attributa quædam prædicabilia mentalia, vocalia, vel ſcripta nata ſecare: & ſupponere pro Deo, quę poſſunt naturali ratione inueſtigari & concludi de eo. Vide Petrum de Aliaco. q. vj. ar. ij. li. j. ſen. Et Greg. di. viij. per totum. Et vt ait Occa. q. ij. tertij. quotlibeti. Antiqui ſancti non vtebãtur hoc vocabulo attributa: ſed hoc vocabulo nomina. Vnde ſicut modò dicimus attributa diuina: ita ipſi dicebãt nomina diuina. Et quid perfectio attributalis. vide infra in litera P. Et ſunt quædã attributa vel cõceptus attributales ſoli Deo cõuenientes, vt infinitus, æternus qui dẽ Deo: & creaturis cõmunia, vt viuens, exiſtens, vnus, intelligẽs, &c. Vide de hoc Henricũ de Gan. q. v. articulus iij. primi ſenten. Et propriè loquendo: vt ſcribit Dominus Cardinalis camera. quęſt. vj. artic. ij. libro j. ſententiarum. Differentia eſt inter attributa diuina: rationes attributales, & perfectiones attributales. Nam attributa propriè ſunt nomina ſiue ſigna vocalia: ſupponentia immediate pro perfectione diuina: ſed rationes attributales ſunt conceptus mentales prædictis attributis correſpondentes. Sed perfectio attributalis eſt illud pro quo ſupponit immediate ratio attributalis. Vide latius Cardinalẽ vbi ſupra, & infra in dictione Perfectio.

Attritio, Vide in dictione Contritio.

Auaritia, licet ſit propriè in bonis exterioribus: tamen communiter accipiendo dicitur generaliter quilibet inordinatus appetitus boni vtilis, quomodo etiã inordinatus ſcientiæ appetitus dicitur auaritia, vel inordinatus appetitus ſufficientiæ, vt ſcire plus quam opus: eſt auaritia, licèt impropriè. Gabr. diſ. vj. q. vnica, & ij. q. q. j. libro ij. Et (vt idem dicit) ſeptenaria vitiorum diſtinctio, quæ capitalia dicuntur: non videtur omnino ſufficiens ſi ſtrictè & propriè accipiãtur in omnibus malis actibus. Nam infidelitas & deſperatio, idolatria: non comprehenduntur ſub illo numero ſeptenario ſic accepto: ſed ſunt radices quædam multum communes, ex quibus vt frequentius peccata oriuntur. Auaritiæ obiectum (vt ſcribit Gerſon parte ij. de reg. moral.) eſt immoderata poſſeſſio: quod ex genere ſuo nõ videtur eſſe mortale vniuerſaliter, ſed in mortale tranſit dum ex deliberatione efficaci & abſoluta appetũtur, vel quærũtur, vel rapiuntur, aut retinentur aliena inuitis dominis, qualicunq; modo fiat clam vel palam, vi vel fraude, conſilio vel auxilio: præſertim ſi res ſit notabilis detrimenti. Et dum appetitu ſuffocante rationem, & à Dei ſeruitio penitus impediente etiam licita vel propria bona nimia libidine vel ſollicitudine appetuntur, quæruntur, ſeu retinẽntur, quaſi in eis ſpes totius auxilij velut in Deo poneretur: mortale eſt. Quam auaritiæ ſpeciẽ Apoſtolus ob hoc appellauit idolorum ſeruitutem. Vnde Aug. Nec auri vitium eſt auaritia, ſed hominis peruerſe amantis aurum, iuſtitia derelicta: quæ incomparabiliter auro debuit anteponi. xij. de ciui. Dei. c. viij. Idem ita diffinit auaritiam. lib. iij. de lib. ar. eſt rerum quarumlibet inſatiabilis & inhoneſta cupido. Ita & theologi in ij. ſen. di. xxij. præſertim ſanctus Tho. ſecunda ſecundæ. q. cxviij. ar. ij. & Albertus Magnus in compendio theo. li. iij. c. xix. & ſan. Tho. prima parte q. lxiij. ar. ij. Auaritia generaliter eſt inordinatus amor hãbendi. Cice. li. Tuſcu. quæſtio. Auaritia eſt opinio vehemens de pecunia quaſi valde expetenda ſic inhęrens & penitus inſita. Et auaritia ſuperabundat in amando, acquirendo & retinendo, ſed deficit in dando, &c.

Auctor dicitur quaſi operum factor: vel qui eſt cauſa alicuius. Et cum dicit Augu. lib. lxxxiij. q. iij. Deo auctore non fit homo deterior. Verum eſt quod Deus non eſt auctor huius formalis quo aliquis fit peccator, quia non eſſe iuſtitię ſeu rectitudinis non habet cauſam efficientẽ quæ propriè dicitur actor: ſecundum Greg. de ari. di. xxxiiij. ar. iij. iuxta finẽ. dicitur quod non quæcunque cauſat actum peccati eo actore fit homo deterior. Nã ſi plures homines ex ęquo cõcurrunt ad idẽ opus malum: neuter dicitur alteri auctore peccare, vel deterior fieri. Similiter ſi vnus principaliter, alius inſtrumentaliter vel ſecundariò concurrit: qui principaliter concurrit nunquã dicitur reliquo auctore peccare. Sed quando aliquis eſt alij cauſa faciendi id vnde deterior fit, vel eſſet vnde melior erit: ille eſt auctor. vtputa monens alium inducendo ipſum conſilio, vel præcepto. Sic autem Deus non mouet voluntatem hominis ad faciendum malum. non enim eſt ei cauſa vt faciat malum: licèt ſecum tanquã cauſa partialis producat actum malum, nec quantum eſt ex ſe concurrit, ſed quia voluntas liberè hũc producit: Deus conproducit. Eſt autem homini auctor vt fiat melior: quia ad hoc inducit, monet conſilio, promiſſione & pręcepto: vt ſcribit Gabr. di. xxxvij. q. vnica. li. ij. dub. ij. Scotus di. v. li. ij. ait: Nõ poteſt Deus eſſe cauſa vel auctor mali. Dicitur & auctor propriè principium alterius, non ab alio, vt dicit ſan. Bonauen. diſt. xiij. in dubiis literalibus. lib. j. Sic pater quod filius nunquam dicitur auctor ſpirationis, quamuis ſpiret, quia non habet à ſe, ſed ab alio. Auctoritas autem eſt in patre, quia quod habet, ab alio non habet, & ideo dicitur auctor ab auctoritate. Et auctor dicit formalem plenitudinem in patre, eo quod non eſt ab alio, ſed alij ab ipſo. &c.

Auctor alicuius libri quis ſit oſtendit ſan. Bonauen. q. iiij. prologi. Vbi notat quadruplicem modum faciendi librum. Aliquis enim ſcribit alienam materiam, nihil addendo vel mutando: & iſte merè dicitur ſcriptor, aliquis ſcribit aliena addẽdo, ſed non de ſuo: & iſte cõpilator dicitur. Aliquis ſcribit aliena & ſua: ſed aliena tanquam principalia, & ſua tanquam annexa, ad euidẽtiam: & iſte dicitur commentator. Aliquis ſcribit & ſua & aliena, ſed ſua tã quam principalia: aliena tanquam annexa ad confirmationem: & talis debet dici auctor. Talis fuit magiſter Petrus Longobardus epiſcopus Pariſiẽ. quoniam ſententias ſuas ponit, & patrum ſententiis confirmauit. Vnde verè debet dici auctor libri ſententiarum: qui à ſcientia quam acquiſierat longo tempore vel labore, opus ſententiarum compoſuit: & per doctrinas patrum ſuas ſententias cõfirmauit. Et quod ſunt ibi multa dicta aliorum, non

tollit

tollit magiſtro auctoritatē, ſed potius eius auctoritatem commendat & humilitatem.

Auctoritas quandoque accipitur pro ſententia imitatione digna, quandoque pro poteſtate, quandoq; pro eſtimatione. Et ſecundum Petrum de Aliaco artic.iij. quæſt. prologi, poteſt dupliciter ſumi. Vno modo pro aſſenſu qui adhibetur dicto, ſeu ſermoni alicuius. Sicut dicimus aliquid eſſe magnæ auctoritatis, cui adhibetur magna fides. Alio modo poteſt ſumi pro ipſomet dicto vel ſermone. Eſt & auctoritas ſacræ ſcripturæ: quæ excedit omnem certitudinem rationis; vt ſcribit ſanctus Bonauen. q.ij. prologi. & ideo Gregorius & Hieronymus volunt quod non ſunt inducenda argumenta dialectica: quibus homo principaliter innitatur, quia inniten dum eſt auctoritati principalius quàm rationi. Nec debemus (vt idem ait Bonauen. diſt.xv.q.iiij.lib.j. ſen.) auctoritates ſanctorum ad noſtram trahere rationem: ſed magis econuerſo, rationem noſtram auctoritatibus ſanctorum ſubiicere, vbi non continet expreſſam ſurditatem. Magis inſuper credendū eſt auctoritati ſacræ ſcripturæ, quàm Ariſtotelis. Vnde Dominus Cardinalis di.ij.q.iij.art.iij.lib.j. ſenten. inquit. Valdè ſunt reprehenſibiles qui nimis renaciter adhærent auctoritati Ariſtot. quoniam ſecūdum eum Philoſophia Ariſtotelis ſeu doctrina magis debet dici opinio, quàm ſcientia.

Auctoritas ſeu principatus eſt duplex: vt ſcribit Scotus di.xv.q.ij.li.iiij. ſcilicet, paterna, & politica. Politica eſt duplex, ſcilicet, in vna perſona, vel in communitate. Prima, ſcilicet, paterna, iuſta eſt ex lege naturæ: qua omnes filij tenentur parentibus obedire. Nec iſta per legem Moſaicam vel euangelicam eſt reuocata, ſed magis confirmata. Auctoritas verò politica quę eſt ſupra extraneos: ſiue in vna perſona reſideat, ſiue in communitate: poteſt eſſe iuſta ex communi conſenſu, & electione ipſius communitatis. Et prima auctoritas reſpicit deſcenſum naturalem: quamquam non cohabitantes ciuiliter. Secunda reſpicit cohabitantes, quantumcunque, nulla conſanguinitate vel propinquitate coniunctos, vtpote ſi ad ciuitatem aliquam ædificandam, vel habitandam occurrerent extranei aliqui, videntes ſe non poſſe bene regi ſine aliqua auctoritate: poterant concorditer conſentire vt vel vni perſonæ, vel communitati committerent illam cōmunitatem, &c. & iſta auctoritas politica iuſta eſt, quia iuſtè poteſt quis ſe ſubmittere vni perſonæ, vel communitati in his quæ non ſunt cōtra legem Dei, in quibus poteſt dirigi per illum cui ſe ſubmittit, quàm per ſeipſum. Hæc Scotus.

Audire Deum. vide infra in dictione. Videre Deū.

Auertere Auerti à Deo) vt ſcribit Magiſter diſt.v. libro ij.) eſt odio habere, vel inuidere. Conuerti ad Deum, eſt ei charitate adhęrere. Sed non diffinit (vt Bonauen. ait;) ibi, Magiſter quācunque auerſionē, ſed auerſionem conſommatam: in qua eſt obſtinatio, & rebellio contra Deum: quæ fuit in diabolo. ex quo vidit ſe non poſſe conſequi quod ambiebat. Et auertere à Deo (vt dicit Bonauen.) eſt mortalis peccati propriè quaſi tergum vertere ad illum in quem debebat per mandatum tendere. Vnde qui facit contra diuinum mandatum, auertitur à Deo: quia mandatum eſt via rectè perueniēdi ad Deum, & rendendi in Deum. ſanctus Bonauen. diſt.xlij. lib.ij. Item qui ſtatuit ſibi creaturam tanquam finem vltimum: rectè dicitur auerti à Deo. Vide latiùs ſan. Bonauen.

Auerſio propriè loquendo (vt ait Bonauen. diſt.xlij. quæſtione iij. libro ij.) importat Dei contemptum, & contemptus Dei iram meretur, & mortem: & propterea communiter tenetur quod auerſio propriè loquendo reperitur in peccato mortali, non veniali.

Auerſio poſt Scotum di.xxxvij.li.ij.) à fine vltimo: qui eſt bonū incommutabile, poteſt dupliciter intelligi, formaliter & virtualiter. Formaliter, quando in auertendo habet vltimum finem pro obiecto poſitiuè, vel priuatiuè. Poſitiuè, ſcilicet, vt voluntas nolit illum finem actu poſitiuo, & hoc nolle eſt odire Deum. Et negatiuè, vt, ſcilicet, non velit, cùm deberet velle vltimum finem, & tale non velle eſt mittere illud præceptum. Dilige Dominum Deum tuum, &c. In his formaliter auertitur voluntas à Deo quia non habet aliud obiectum à Deo. Virtualiter autem auertitur à Deo, quando auertitur ab aliquo neceſſario ad conſequendū vltimum finem, ſicut intellectus negans concluſionem virtualiter auertitur à principio. Sic etiam infirmus dicitur ſe auertere à ſanitate, quando ſe auertit à potu amaro, ſine quo non poteſt haberi ſanitas. Auerſio formalis non includitur formaliter in quolibet peccato. Eſt enim odium Dei ſpeciale peccatum, & omiſſio illius præcepti, diliges Dominum, &c. eſt aliud ſpeciale peccatum. Auerſio ſecundo modo, ſcilicet, virtualis, communis eſt in omni peccato mortali, quia in omni tali peccato voluntas inordinatè ſe habet reſpectu alicuius neceſſarij ad finem. Neceſſarij dico ad finem, ex voluntate diuina præcipiente illud obſeruari. Si vis ingredi ad vitam, ſerua mandata. Et huiuſmodi auerſio virtualis eſt eſſentialis omni peccato mortali, quia omne peccatum mortale eſt contra mandatum: ſine cuius obſeruantia finis aſſequi non poteſt. Et nihil eſt aliud auerſio hoc modo, niſi inordinatio voluntatis circa aliquid ordinatum ad finē ex præcepto diuino circa quod debet ordinari. Hæc Scotus di.xxxvij. & poſt eū Gab. di.xxxv.q.vnica.ar.iij.dub.j.li.ij. Vnde (vt ibidē ſcribit) Auerſio ab incōmutabili bono quod eſt finis, id eſt, Deus, eſt eſſentialius peccato, hoc eſt de ratione formali peccati. Vnde Aug. 12. de ciui.c.viij. Scio inquit in quo ſit mala volūtas, id eſt, id in eo fieri: quod ſi mallet, nō fieret. Et ideo nō neceſſarios, ſed volūtarios defectus iuſta pœna conſequitur. Deficit enim non ad mala, ſed malè, id eſt, non ad malas naturas, ſed ideo malè: quia contra ordinem naturarum ab eo quod ſummè eſt, ad id quod minus eſt. Neque enim auri vitium eſt auaritia, ſed hominis peruerſe amantis aurum iuſtitia derelicta: quæ incomparabiliter auro debuit antepo ni, & ſequitur c.ix. Nec talem, ſcilicet, malam voluntatem facit niſi defectio, qua deſeritur Deus, quaſi diceret Augu. (inquit Gabr.) Iſte actus poſitiuus volendi creaturam, nō eſt formaliter malum & peccatum, ſed carentia ordinis debiti in illo actu quo illud amari debet propter ſummum bonum: quem ordinem deſerit voluntas quieſcens in bono crea-

no creato: & ille defectus eſt formaliter peccatum. Vnde ſi quis deficeret à fine formaliter contrariè nolens finem, ſiue odiens, non conuerſus ad creaturam: peccaret, & grauiſſimè propter ſolam auerſionem. Sed fortè impoſſibile eſt ſummum bonum in ſe nolle & odire, & non in ordine ad creaturã. Gabriël. Nec (vt Augu. ait de ciui. xij. c. viij.) Luxuria vitium eſt pulchrum ſuauiumque corporum, ſed animę peruerſę amantis corporeas voluptates, neglecta temperantia. Nec iactantia vitium eſt laudis humanæ, ſed animæ peruerſæ amantis laudes ab hominibus ſpreto teſtimonio conſcientiæ. vbi beatus Auguſtinus diſtinguit auaritiam, luxuriam, iactantiam penes virtutes ſiue virtutum rectitudines in actibus deficientibus, &c. Gabr. vbi ſupra. Vide & Scotum de auerſione à fine quæſtio. xviij. quotlibet. vbi ſcribit quod auerſio à fine poteſt intelligi actualis nolitio ipſius finis. Et patet quod nõ omnis peccans auertitur iſto modo: cùm fortè frequẽter peccãs non actualiter cõſideret finem, vel ſi conſiderat, non illum in ſe ex malitia reſpuit. Alio modo poteſt intelligi auerſio non ſic formalis, ſed quaſi virtualis: quæ poteſt poni acceptatio aliqua voluntatis incompoſſibilis volitiua finis: ſaltem efficaci vel conſecutioni finis, ſicut quando voluntas vult omnino aliquid inordinatum, & deordinans à conſecutione finis. puta aliquid contra præceptum diuinum: ſine cuius obſeruatione poſſibile non eſt conſequi finem. Adhuc iſto modo intelligendo, auerſio eſt ſolius voluntatis. Tertio modo largius poteſt dici auerſio quandoque malitia ſeparans à fine efficaciter volendo vel conſequendo, & talis malitia poteſt eſſe in actu voluntatis imperato, quia cũ imperare actum ſit malum: non ſtat voluntatem efficaciter velle finem vltimum, nec etiam conſequi ipſum. Et ſicut (vt idem dicit) referebilitas vel quaſi ordinabilitas ad finem poteſt dici conuerſio: ſic inordinabilitas poteſt dici auerſio. Hæc Scot. in quolibet. xviij. Vide & Gerſon. de auerſione. parte ij. de conſenſu in actum: an ſit peccatum, & quod.

Auertere faciem à peccatis eſt ea ad pœnam non reſeruare. Vnde Pſalmus. 31. Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates: & quorum tecta ſunt peccata. Et dicit peccata tecta à Deo: non quod non videat, ſed vt nolit animaduertere. Idem autem eſt tegere peccata, & remittere peccata. Et Aug. Tecta ſunt, id eſt, abolita ſunt, &c.

Augmentatio. Et quia de augmentatione ad phyſicos & Philoſophos ſpectat præcipuè tractare, pauca referam quæ copioſe ſcribit Gabr. diſtin. xvij. quæſtio. iiij. ar. j. libro j. Vnde ſecundum eum duplex eſt augmentatio, vt & notat Occã. di. viij. li. j. ſcilicet, intenſiua, & extenſiua. Augmentatio extenſiua eſt per quam illud quod augetur, occupat maiorem locum poſt, quàm ante. & hæc eſt duplex. Quædam fit per additionem partis ad partem facientis per ſe vnum: diſtincta ab ea loco & ſitu, vt cum aqua additur aquæ, vel alicuius ſuperficiei pars vna prius dealbatur quàm alia. Alia augmentatio extenſiua fit in eodem ſubiecto præciſe: vt in rarefactione qua aliquid ſecundum ſe totum fit maius extenſiuè. Augmentatio intenſiua eſt additio partis ad partem facientis cum illa vnum indiſtinctè ab ea loco & ſitu abſque eo quod per ſe ſequitur maior quantitas. Quidam verò ponunt augmentationem triplicem: vt refert Petrus de Aliaco. quęſtio. ix. artic. iij. libro. j. ſcilicet, purè intenſiuam, quæ eſt in formis ſpiritualibus, non corporalibus: vt eſt charitas. purè extenſiuam: ſicut rarefactio vel augmentatio corporum ſolidorum. Intenſiuam & extenſiuam: vt augmentatio formarum corporalium caliditatis, ſcilicet, & frigiditatis.

Augmentatio quæ eſt extenſiua ſubdiuiditur, vt ſcribit Gabr. vbi ſupra, ſcilicet, in diſcretã ſiue numeroſam, & in continuã. Exemplũ primi poteſt poni cũ grex ouiũ numeraliter augetur. Exẽplum ſecundi: in rarefactione aëris vel alterius. De augmentatione vide latius Gabr. vbi & propoſitione. vij. vult q̧ charitas poſſit augeri, quia aliqua charitas prius eſt minor, & poſteà eſt aliqua charitas maior: cuius pars eſt charitas prior. Hinc Apoſtolus ad Philip. 1. ait: Oro vt charitas veſtra ſic magis abundet, id eſt, creſcat: ſecundũ glo. nõ autẽ oraſſet Apoſtolus pro charitatis incremento, ſi non eſſet poſſibile eam augeri. Et 2. Theſ. 1. Gratias ago, quoniã ſupercreſcit fides veſtra, & abundat charitas. Itẽ Eccleſia ait, dicens: Omnipotens ſempiterne Deus: da nobis fidei, ſpei & charitatis augmentum. Itẽ Auguſt. dicit in Enchi. c. penul. Minuitur cupiditas charitate creſcente. Et charitas non ſolùm ſubitò & inſtantaneè, ſed etiam in tẽpore cõtinuè poteſt augeri, vt probat idem Gabr. propoſitione. viij. Vide & diffuſe habentur in Camera. Charitas præterea augmẽtabilis eſt in viatore per actus ex gratia procedentes meritoriè: quia charitas habet in ſe latitudinem: ergo augmentatur, ſicut omnis forma habẽs in ſe latitudinẽ, augmẽtatur. Et latius vide apud Gabriëlem. Sed quo ad ſecundam partẽ patet, quia ex diuina ordinatione quicunq; exiẽs in gratia: ſecundũ gratiæ inclinationẽ meritoriè operatur: meretur gratię prioris augmentũ. Creat enim Deus nouum gradũ charitatis: quẽ infundẽdo prioribus adiuuat. Vnde Aug. Charitas meretur augeri, vt aucta mereatur & perfici. Reſpectu autem huiuſmodi augmẽti ſolus Deus eſt cauſa efficiens: anima autem meritoriè ſaltem concurrit. Gabr. vbi ſupra.

Auguror ſecundum Alexan. parte ij. q. cxxxix. mẽb. vj. quandoque ſumitur ſtrictè: & ſic ſonat in malum tantum. Aliquando communiter ad bonum & malum pro ſcientia futurorum, ſic verum eſt quod Ioſeph habuit ſcientiã augurandi, qui fuit præſcius aliquorum futurorum. Sicut patet Gen. 40. & 41.

Aureola ſecundum Pet. de pal. diſt. xlj. li. iiij. eſt gaudium quoddam de operibus à ſe factis, quæ habẽt rationem victoriæ excellẽtis. Vnde patet quod differt ab aurea, q̃ eſt gaudiũ de Deo: & debetur victoriæ cõmuni, & ſicut illa in anima eſt principaliter, ſic & iſta, ſed per redundantiã in corpore erit quędã decẽtia & pulchritudo ſingularis repręſentatiua aureolę, prædicatori in ore, virginib⁹ in illa parte, martyribus in cicatricibus: vel aliis partibus corporis ſecundum genus martyrij vt ſtatim ex aſpectu corporis ſciatur qualis quiſque fuit virgo, martyr, aut doctor. Sanctus Bonauen. diſt. xxxiij. artic. ij. quæſt. iij.

q.iij.lib.iiij.dicit quod decor quidam erit doctori-
bus de conuerſis per ipſos. & quidam etiam decor
& gaudium erit martyribus in corpore qui ſe pro
Chriſto paſſionibus expoſuerunt, quidam decor
virginibus in corpore quod pro Chriſto incorru-
ptum ſeruauerunt, & ille decor vel gaudium de il-
lo decore aureola rectè dicitur. Credo tamen me-
lius (inquit ipſe) quod ille decor aureola dicatur
quàm gaudium: quia omnes gaudebunt de decore:
non tamen omnes habebunt aureolam. Sed vt to-
tum vnum dicant, melius eſt dicere quod vtrum-
que, ſcilicet, decor cum gaudio, & gaudium cũ de-
core. Videbis de aureola in dictione Præmiũ. De-
betur autem ſecundum eundem aureola martyri-
bus, virginibus & doctoribus. Sunt autem tres au-
reolæ ſecundum tres animæ vires, & tres victorias
excellentes, vt ſcribit Petrus de Pal. Præeminet au-
tem ſimpliciter aureola martyrum: poſtea illa do-
ctorum. Vna autem præfertur alij eiuſdem ſpeciei
ſecũdum excellentiam actus, vt qui acerbius mar-
tyrium, aut qui puriorem virginitatem vitando oc
caſiones, aut qui plures ſaluat prædicando: aut qui
frequẽtius prædicat, ſicut Paulus: qui aliis plus labo
rauit. Vnde & ipſe dicit. De reliquo repoſita eſt mi-
hi corona iuſtitiæ. Sed non conuenit Angelis: quia
in eis non eſt pugna cùm ſint immortales & incor-
ruptibiles. Et ideo ſecundum Rich. etiam di. xlix.
ar. v. q. vj. Angelis, non debetur eis: quia aureola eſt
gaudium de operibus à ſe factis habentibus ratio-
nem victoriæ excellentis: vt dictum eſt. Angeli au
tem connaturale eſt virginitas: & ipſos impoſsibi-
le eſt pati martyrium: quia ſunt immortales, &c.
Nec Chriſto competit (vt ait Paludenſis) propriè:
quia nihil eſt illud cui eſt ſimile. Sed de hoc paulò
poſt videbis. Debetur aureola (vt Paludenſi placet)
non ſolum Prælatis & Magiſtris in Theologia, ſed
aliis: dum tamen miſsis, nec illis niſi actu prædican-
tibus de his quę pertinent ad ſalutem. Nec aduoca-
tis, nec Medicis ac Prophetis: imò nec theologis
dum phyſicam docent, debetur aureola: niſi prout
vtuntur ad declarationem theologis, captiuan-
tes omnem intellectum in obſequium fidei.
Paulus etiam dictis Poëtarum vtitur prædicando.
Item ſcripto vel verbo, legendo vel prædicando:
dum tamen publicè merentur eam. Vnde mulier
hanc aureolã habere non poteſt, cui prædicare non
licet: nec fraternę correctioni debetur, ſi qui autem
propter vanam gloriam vel lucrum temporale ver
bum Dei adulterat, recipit mercedem ſuam: vt ait
Paludenſis.

De aureola virginum, Primò in generali debetur
canticum nouum, non coniugatis, nec viduis: ſi-
cut & fructus centeſimus præ illis. In ſpeciali au-
tem beata virgo habet propter pugnam hoſtis. Vn
de Ropertus ſuper li. Sapien. iſte terminus victo-
ria, debet dominium rationis ſuper carnem: & con
notat reſiſtentiam quæ non fuit in Chriſto, nec in
beata Virgine: ſed quia fuit in eis plenum dominiũ
rationis. ideo Chriſtus & Maria habent aureolam:
ex alia tamen cauſa eis debita quàm nobis, non au-
tem Abel habuit vel debetur (vt ſcribit Paludenſis)
quia habuit propoſitum nubendi & procreandi ſi
vixiſſet. Alioquin peccaſſet niſi & ipſo ſpiritu con-
tinuit. Et ſimiliter Hieremias. Virginitas autem eſt
à natura inquantum eſt materiale: ſed propoſitum
perpetuę ſeruandę virginitatis eſt à libero arbitrio,
quod eſt formale in virginitate. Sed de oppreſsis (vt
idem ſcribit Paludenſis) ſi ex poſt facto conſentiãt
& finaliter pœniteant, recuperant aureolam: quia
conſenſus ſequens non poteſt eſſe actus præceden-
tis. Vnde per carnis corruptionem ſolam non per-
dit virginitatem: per conſenſum autem perdit, ſed
recuperabiliter. Sed quando iſta duo ſimul concur-
runt, tunc irrecuperabiliter perditur. Pet. Palu. vi-
de & ibidem de eunuchis. Vnde ipſe ait quod in no
uo teſtamento habent illi qui vellent actum illum
exercere, etiam ſi poſſent: nec illam potentiam vel-
lent habere ad vſum. Qui verò dolent de ſua impo-
tentia, & vellent eſſe potentes ad hoc vt volupta-
tes experirentur, non habent. primi etiam qui mi-
nus habent de pugna quàm alij, minus habent de
corona: habent tamen aliqualem. Sed de eunuchis
veteris teſtamenti ſecùs eſt. Vnde Daniël & ſocij
Eunuchi non habent eam, quia id propoſitum nõ
habebant: cùm tunc non eſſet tempus virginitatis.
Et aureola debetur actui, & non habitui nec pri-
uationi. Et hoc dicitur propter pueros: qui nullum
habent actum. vide latius Petrum de palude.

De aureola martyrum (vt idem ſcribit Petrus de pa
lu. concluſione. iiij. diſt. xlix. lib. iiij.) ad hanc tria
requiruntur. Pœna, cauſa & voluntas. Nã conditio
vel diſpoſitio charitatis omnibus aureolis eſt com-
munis: quia aureola præſupponit auream. Debe-
tur ergo ſolum propter pœnã mortis. Ita nec obe-
dientibus ſolum debetur: quamuis per obediẽtiam
mactetur propria voluntas: etiam ſi duret obedien-
tia vſque ad mortem. Nec pauperibus, quãuis mo-
riatur mundo. Nec per pœnitentiam, quamuis cru-
cifigant carnem ſuam. Nec beata Virgo, quamuis
plus doluerit quàm martyr eam habet. Nec beatus
Dominicus: qui ſitiebat martyrium. Nec beatus Io
annes Euangeliſta, qui calicem paſsionis volunta-
riè bibit. Nec pueri in camino ignis. Nec Silueſter:
qui non ex paſsionibus obiit. Nec Lucretia, quæ ſe
illicitè interfecit. Aliæ ſic conſilio ſpiritusſancti, ne
corrumperentur, ſe ſubmiſerunt. De quibus dicit
Augu. de ciui. Dei. & Samſon, & Machabæi aliis:
nõ quia martyrium eſt circa mortẽ ab alio illatam.
Si quis autem genus mortis ſibi eligat, vt ſanctus
Petrus qui petiuit vt verſis pedibus crucifigeretur:
ne ſimili pœna ſeruus puniretur vt Dominus: non
perdit. Si autem propter ſeipſum vt tolerabiliorem
habeat: perdit. Sicut dicit Hieron. de Seneca quem
Nero occidit quod fuiſſet martyr, niſi genus mor-
tis elegiſſet, optione data ſibi: vt, ſcilicet, in balneo
vtroq; brachio minueretur: & ſic inſenſibiliter mo
reretur. Nec refert vtrum mors ſtatim, aut poſteà
ſequitur: dum tamen propter illud cauſetur, vel ac-
celeretur. Vnde de mortuis in carcere vel in exilio
martyria aguntur, quia huiuſmodi in eis mortes ac-
celeraſſe præſumuntur. Si autem martyr ſuſcitetur,
& iterum martyrizetur, certum eſt quod de vtra-
que morte gaudium habebit, & duplicatum vel na
turaliter vel virtualiter. Et ſic propter duas mortes
videtur beatus Sebaſtianus duas aureolas martyrij
habuiſſe. Ad hoc (inquit) me Dominus ſuſcitare di-
gnatus eſt. Secũdo requiritur cauſa, quia enim mar
tyr teſtis eſt in cauſa fidei pro Eccleſia pro quocun
que arti-

que articulo fidei, vel iure Eccleſiæ, aut quacunque virtute: quia virtutibus deſpõſatur Eccleſia, Chriſto moriatur, martyr eſt. Tertiò requiritur voluntas, quia ſi dormiens quis occidatur, aut fugiens vel ſe defendens: inuitus martyr non eſt. Vnde Mauricius cum ſociis ſuis ſe vna proiecit vt fieret martyr. De innocentibus tamen Eccleſia, ſicut de martyribus ſolennizat, & certum eſt quod gaudium ſpeciale non habenr de morte propter Chriſtum ſuſcepta, licèt non electa: vnde non eſt completa ratio aureolæ. Qui autem cruce ſignati in bello hoſtium Chriſti pugnando pereunt: martyres fiunt, quia non ſe, ſed Chriſtum & Eccleſiam defendendo moriuntur: vnde mortem non fugiunt. Hęc omnia Petrus de pal. vbi ſupra. Et in ſequentibus dicit de fructibus. Vnde aurea eſt gaudium de Deo. Aureola de triumpho: fructus vero eſt gaudium & delectatio de ſpirituali exercitio: quia delectatio ſpiritualis debetur ſpecialiter illi, qui abdicauit à ſe carnalem affectum, & caſtitati coniugali debetur xxx. caſtitati viduali, quæ abſtinet à iocundis nuptiis debetur fructus. lx. Continenti autem ſimpliciter, & vniuerſaliter quod eſt per perfectionem virginalem, debetur fructus centeſimus: & ſicut ad aureolam non ſufficit votum ſeu propoſitum ſine effectu, ſic nec ad fructum. Vnde ſi quis incontinés in morte pœniteat cum propoſito continendi, auream quidem habet, ſed non fructũ. Qui verò corruptus peccato pœnitens vixit ſanus cum propoſito continendi ſimpliciter habet fructum ſexageſimum. Nam centeſimum habere non poteſt ſicut nec aureolam ex quo corde & corpore ſemel corruptus eſt. Paluden.

Aureola (vt ſcribit Richar. di. xlix. ar. v. q. v. li. iiij. ſen. poteſt cõſiderari dupliciter vel ſecundũ id quod eſt vel ſub ratione qua militi datur à principe. Primo modo eſt in Chriſto perfectiſſimè triplex aureola, quia perfectiſſimè fuit virgo: quãuis enim cõtra eius ſpiritũ carnalis cõcupiſcentia nunquã bella gerit, quia in ipſo radix eius nõ fuit nec eſſe potuit, tamen quia perfectè eius caro ſuæ animæ obediens fuit & pugna ordinatur ad victoriã: victoria ad dominium pacificum, non debet negari, ſed concedi in eo eſſe aureola virginitatis, præterea Chriſtus pugnauit contra exercitum carnalis concupiſcentiæ, non in ſe exiſtentis, ſed in aliis, & in illo exercitu carnalẽ concupiſcentiam vicit, ſicut aliquis vincit principẽ vincẽdo robur exercitus ſui. Fuit etiam perfectiſſimus doctor, & perfectiſſimè vicit per ſuã doctrinã diabolicas fraudulẽtias, per quas diabolus nitebatur bellare contra Chriſtum, & contra ſuos. Vnde dixit & habetur. Io. 18. Ad hoc veni in mundũ, vt teſtimoniũ perhibeã veritati, q. teſtimoniũ nõ tantum verbo, ſed mortẽ ſuſtinendo prohibuit, & ſic vicit tyrannicas violentias. Vnde debet diſcipulis ſuis, & habetur Io. 17. Confidite quia ego vici mundum. Quia ergo excellentiſſimam victoriam habuit contra carnales concupiſcentias vincendo eas, non in ſe: quia in ſe nunquam fuerunt nec eſſe potuerunt, ſed in aliis in quibus fuerunt intelligendo vt expoſitum eſt, & contra diabolicas fraudulentias & contra tyrannicas violentias: ideo excellentiſſime ſibi debetur triplex aureola, ſcilicet, aureola, ſecundum id quod eſt. Accipiendo autem ſub ratione qua datur militi à principe: ſic Chriſtus nõ habet aureolam, quia Chriſtus princeps militum eſt: quamuis ſummus principatus ſibi debebatur ratione diuinæ naturæ. Hæc Richar.

Auris Dei, Auris Dei (vt ſcribit Augu. in 9. Pſal.) non membrum corporeum, ſed potentiam eſſe qua exauditur atque ita quibusque nominatis membris eius, quæ in nobis viſibilia & corporea ſunt potentias operationũ oportet intelligi. Vnde Hieronymus epiſtola prima ait: Aures dicitur habere Dominus propterea quia omnia audit, nihil eum ſub ſilentio latet: de quo in libro Sapien. 1. dicitur: Auris cœli audit omnia: & tumultus murmurationum non abſconditur.

Aures piæ quæ re turpi & obſcœna offenduntur & clauduntur, ſed re iuſta, bona & digna recreantur: & aperiuntur: vel aures piæ ſunt, quæ non offenduntur aliquo quod videtur lędere. Sic Deus eſt factus mortalis, fœminæ filius, crucifixus, mortuus, ſepultus: quamuis aures (vt ſcribit Gab. diſtin. 4. q. ij. lib. iij.) multorum infidelium Iudæorum & gentilium offendit hoc dicere: nihilominus tamen vera ſunt, & ab omnibus fidelibus concedenda, nec aures pias intelligentes, & diſcretas ſiue prudentes offendunt, ſed indoctas & rudes. Sic ſecundum vnam opinionem, quæ dicit quod Deus poſſit aſſumere quamcumque naturam tam rationalem quam irrationalem, & etiam inſenſitiuam concederent illas tanquam poſſibiles: Deus eſt lapis: Deus eſt aſinus: Deus eſt homo damnatus: Deus eſt diabolus, nec eſſent offenſiuæ piarum aurium: bene eas intelligendo. Sicut & illæ, Deus eſt homo crucifixus, mortuus, ſanctus, beatus, quæ concedendę ſunt per communicationem idiomatum. Adducit & Gabr. aliam opinionem oppoſitam: quæ vult quod incongruum ſit Deum irrationalem creaturam aſſumere: & non gratificabilẽ. vide latius Gabr. vtráque opinionem recitantem.

Azymus dicitur ab à quod eſt ſine: & zyma quod eſt fermentum: quaſi ſine fermento. Vnde panis dicitur azymus, quando in ipſo pane non ponitur fermentum. Inuenitur autẽ azymus in ſacra ſcriptura multis modis. vt notat Stephanus Bruleſer diſt. xj. q. xj. libro iiij. Primo modo cum lactuca. Exod. 12. Et edent carnes nocte illa aſſas igni: & azymos panes cum lactucis agreſtibus, id eſt, cum pœnitentia. Secundo modo inuenitur cum polenta, & ita capitur cum polenta pro quodam grano rotundo. Ioſue 5. Comederunt de fructibus terræ, & azymos panes cum polenta. Et in hoc notatur quod debemus ſumere ſacramentum Euchariſtiæ cum polẽta, id eſt, cum multitudine bonorum operum. Tertio modo inuenitur azymus cũ oleo. Leuit. 7. Offerent panes ſine fermento conſperſos oleo: & lagana azyma vncta oleo. Et in hoc notatur quod debemus ſumere ſacramentum Euchariſtiæ cum oleo, id eſt, cum charitate. Quarto modo inuenitur azymus cum cinere. Exod. 12. Coxerunt farinam: & fecerunt ſubcinericios panes azymos. Et in hoc notatur quod debemus ſumere ſacramentũ Euchariſtæ ſanctiſſimum cum mortalitatis futuræ conſiderata mœſtitudine, & etiam cum meditatione mortis Chriſti. Quintò inuenitur azymus

cum car-

cum carne. Iudi.6. Ipſe appoſuit coram Angelo azymos panes & carnes. Chriſtus autem confecit in pane azymo & non fermentato: & qui aliter faceret, licet conſecraret, tamen peccaret, quia non conformaret ſe Eccleſiæ Romanæ. diſtin.xij. quæſt.xiij.

De litera B.

B*Aptizare* Græcè, Latinè eſt lauare. Et baptiſmata apud Iudæos, dicebantur lotiones corporum & vaſorum. Hinc Marci ſeptimo: Iudæi niſi baptizentur non comedunt: & ſequitur: Baptiſmata calicum & vrceorum. vbi per baptiſmata intelliguntur lotiones. Et baptiſmus dicitur à βαπτίζω, quod eſt immergo. Baptizare, id eſt, lauare. Vnde Iudith 12. Deſcendebant in vallem Bethuliæ, & baptizabant ſe. Ab eo autem quod eſt lauare oritur lauacrum & lotio. Lauacrum eſt aqua deputata ad lauandum: ſicut balneum eſt aqua deputata ad balneandum humano artificio. Lotio verò eſt vſus vel effectus aquæ. Bonauentura diſtinct.iij.quæſt.j. libr.iiij. Baptiſmus igitur (vt idem ait) accipitur pro lauacro. vt Canticorũ quarto: Dentes tui ſicut greges tonſarũ quæ aſcenderunt de lauacro. Gloſ. loti in baptiſmo. Et Apoſtolus ad Titum tertio: Per lauacrũ regenerationis & renouationis. Similiter ablutio pro baptiſmo. Ioannis 13. Qui lotus eſt, non indiget, &c. Lotus, id eſt, baptizatus. Cùm ergo nomẽ baptiſmi, æquiualeat lauacro & etiam lotioni, dixerunt aliqui quod baptiſmus, ſecundum quod eſt nomen ſacramenti, idem eſt quod lauacrum. Alij quod eſt idem quod tinctio. Primæ opinionis videtur fuiſſe Magiſter Hugo: ſed ſecundæ Magiſter Sententiarum diſtinctione decima. Vide de hoc latiùs ſanctum Bonauen. vbi ſuprà.

Baptizari & agere pœnitentiam, vt ſcriptis reliquit Iacobus de Valentia ſuper Pſalmum quinquageſimum, nil aliud eſt niſi effici membrum Chriſti, & eius ſanguine aſpergi, & eius paſsionem participare.

Baptiſmus, &c. Sunt autem nouem baptiſmi ſecundum Damaſcenum, vt & notat poſt eum Bruleſer diſtinct.iiij.quæſt.ix. libr.iiij. Primus baptiſmus eſt diluuij tempore Noë. Secundus eſt maris rubri. Vnde Apoſtolus 1.Corinth.10. Omnes baptizati ſunt in nube, &c. Tertius eſt baptiſmus luſtrationis, qui fiebat ex aqua & cineribus vitulæ rufæ combuſtæ, & ſignabat paſsionem Chriſti. Quartus baptiſmus Ioannis, de quo paulò pòſt dicetur. Quintus eſt baptiſmus Chriſti paſsiuè, quando, ſcilicet, fuit baptizatus à Ioanne. Sextus eſt baptiſmus pœnitentiæ, qui eſt purgatiuus à culpa, & non à pœna. Et ſecundum aliquos notatur baptiſmus fluminis. Septimus eſt baptiſmus fluminis, qui fuit inſtitutus à Chriſto, & purgat à culpa & à pœna. de quo latiùs infrà videbitur. Octauus eſt baptiſmus linguis igneis, quem receperunt in die Pentecoſtes, & iſte purgat à culpa & pœna, & etiam à ſequela pœnæ. Nonus eſt baptiſmus ſanguinis. & iſte eſt perfectiſsimus: quia facit hominem euolare ad cœlos: de quo infrà. Vide de hoc Gabriëlem quæſtione ſecunda, diſtinct.iiij. libro iiij.

Baptiſmus Ioannis dicitur ideo, quia primus promulgator fuit baptiſmatis, & ſolus miniſter huius baptiſmi. Erat enim (vt ſcribit ſanctus Bonauentura diſtinctione ſecunda, libro quarto.) præcipuus adminiſtrator: ideo baptiſmus Ioannis dicebatur. Non enim diſcipuli Ioannis, ſed ſolus ipſe baptizauit, qui & ſolo tempore Ioannis durauit. Dicitur & baptiſmus Ioannis, quia Ioannes fuit auctor totius, quod agebatur per ſuum baptiſma. nam totum quod ibi fiebat, Ioannes operabatur. Fuit enim ibi tantùm lotio exterior corporis, quam totam Ioannes operabatur, non autem lotio interior animæ, quam Deus ſolus operatur. Nam per baptiſmum Ioannis non conferebatur gratia ex opere operato, nec ex conſequenti remiſsio peccatorum. Vnde Matthæi primo: Ego baptizo vos in aqua, ille baptizabit vos Spiritu ſancto. Simile habetur Lucæ tertio, & Ioannis primo, & Actuum primo, & aliis. Ad hoc eſt Magiſter & Auguſtinus, Hugo, Damaſcenus, & alij. Et quod dicitur: Fuit Ioannes in deſerto baptizans & prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſsionem peccatorum, non eſt intelligendum quod Ioannes baptiſmus pœnitentiam & remiſsionem peccatorum contulerit, ſed quod baptiſmum in aqua tantùm dedit, & baptiſmum pœnitentiæ in remiſsionem peccatorum prædicabat. Et dicitur baptiſmus Ioannis, baptiſmus pœnitentiæ, quia baptizando docuit pœnitentiam, vel quia baptizatis impoſuit dignos fructus pœnitentiæ, ſecundum Thomam. Sed non poteſt dici baptiſmus remiſsionis peccatorum, quia hunc non dabat, nec decuit, cùm non ſit opus hominis, ſed Dei. Hinc Gloſa Marci primo: Pœnitentiæ baptiſmum dedit, baptiſma in remiſsionem peccatorum tantùm prædicauit, non dedit. Ex quo patet quod baptiſmus Ioannis non fuit ſacramentum propriè dictum, non enim fuit ſignum efficax gratiæ, ſed quotiens à ſanctis dicitur ſacramentum, ſacramentum capitur largè pro ſigno ſacræ rei. Hinc Hugo libro ſecundo, parte ſexta, capite ſexto. Solum ſacramentum fuit ibi in baptiſmate Ioannis, ſed non remiſsio peccatorum. Dicitur & quartò baptiſmus Ioannis, quia non dabatur in forma in qua inſtituit Chriſtus, vt ſcribit Gabriël diſtinctione ſecunda, quæſtione ſecunda, articulo primo, libro quarto. Baptizabat autem Ioannes in forma futuri, vt tenet Magiſter, & poſt eum Alexander, Petrus de Palude, & Thomas. Fuit autem hæc forma baptiſmi Ioannis: Ego baptizo te in nomine venturi. & exponit Alexander, id eſt, in fide venturi. Fuit & alia opinio quam tangit Durandus, qui tenet, quod Ioannes non baptizauit ſub aliqua forma verborum, & quia ſcriptura nihil expreſſe determinat, probabiliter dici poteſt quod non vtebatur aliqua forma verborum. Vtraque opinio (vt inquit Gabriël) poteſt probabiliter teneri, & vtramque tangit Scotus quæſtione ſecunda, diſtinct.ij. libro iiij. Verum vt dicit Scotus: Si Ioannes baptizaſſet in forma baptiſmi Chriſti, quam poterat ſcire à diſcipulis Chriſti, vel aliis audiẽtibus eos baptizare:

ille baptiſmus non fuiſſet dicendus Ioánis, ſicut nec Petri nec Pauli, ſed baptiſmus Chriſti. Eſt autem opinio Magiſtri, quam nititur ſaluare Alexan. quod baptizati baptiſmate Ioannis, ſi non habebant fidẽ Trinitatis: illi erant baptizádi baptiſmate Chriſti. Qui verò ſpem in baptiſmo Ioannis non fixerunt, & fidem Trinitatis babuerunt, non ſunt baptizati denuò baptiſmo Chriſti, ſed per impoſitionem manuum Apoſtolorũ receperunt ſpiritum ſanctum in robur. Aliter ſentiunt & tenent S. Tho. & ſanctus Bonauen. Scotus, Petrus de Palud. & pleríque alij, & communiter omnes: quod baptizati baptiſmatę Ioannis iterum baptizádi erant baptiſmo Chriſti. Nec ſufficit Ioánis baptiſmus ad ſalutem, quia non contulit gratiam, ſed erat tantum præparatio ad baptiſmũ Chriſti, etiam quantumcunq; baptizati haberent fidem Trinitatis, nec ſpem ponerent in eo, ſed ipſum referrent ad baptiſmum Chriſti. Et cùm baptiſmus Ioannis (vt ſcribit Richar. diſt. ij. art. ij. q. iiij. lib. iiij.) eſſet quædá præparatio ad baptiſmũ Chriſti, ſicut ad medicinam ſanatiuam: ideo ſic acceptą pręparatione, nihilominus eſt infirmo neceſſaria medicina. ſic illis qui baptiſmum Ioannis ſuſceperãt, neceſſaria erat baptiſmi Chriſti ſuſceptio. Vnde Brulefer diſt. ij. q. vj. libr. iiij. dicit, quod errauit Magiſter, qui dicit quod baptizati à Ioanne, qui habebant Trinitatis fidem, non erant rebaptizandi baptiſmo Chriſti, ſed ſufficiebat manuum impoſitio per Apoſtolos Chriſti: & in hoc non tenetur Magiſter. Vnde Auguſtinus: *Baptizauit Iudas, & rebaptizatum non eſt: baptizauit Ioannes, & rebaptizatum eſt.* Item legitur Act. 19. quod Paulus rebaptizauit baptizatos baptiſmo Ioannis.

Baptizari iterum, & iterato baptiſmo baptizati differunt, vt notat Gabr. diſtin. ij. q. ij. artic. j. libr. iiij. Nam iterum baptizatur, qui poſt primam ablutionem, ſecũdò abluitur: ſiue prima ablutio fuerit verum baptiſma, ſiue non, ſed tantum exterior ablutio. Sed iterato baptiſmo baptizatur, qui poſt verum baptiſma receptum, ſecundo baptizatur. Ex quo ſequitur, quod licèt baptizati baptiſmo Chriſti poſt baptiſmum Ioannis, iterum baptizabantur, non tamẽ iterato baptiſmo, quia baptiſma non iterabatur. quia primus baptiſmus, ſcilicet Ioannis, non fuit verũ baptiſma, ſed præparatio ad verũ baptiſma. Hanc differentiá tangit Magiſt. in fine d. ij. li. iiij. cùm dicit: Baptizati ſunt in nomine Chriſti: nec in his iteratum eſt baptiſma, ſed nouatum: loquitur de his qui poſt baptiſmà Ioannis receptum, baptizati ſunt baptiſmo Chriſti. Vniuerſaliter itaq; omnes baptizati baptiſmate Ioannis, poſt ſufficientem baptiſmatis Chriſti promulgationẽ, erant iterum Chriſti baptiſmate baptizandi. Et dicitur vniuerſaliter, propter Chriſtum, qui legi non eſt ſubiectus, ſed qui eſt ſuper omnem legem. Probat hoc Gabriël, vbi ſuprà. & cõcordat Paludenſis, Richardus, &c. Copioſe Gabriël rem tractat. fuit autem baptiſmus Ioannis vtilis, vt ſcribit Gabriël, vbi ſuprà. art. iij. dub. j. Tum ad configurãdum baptiſma Chriſti, propter quod & ſacramentũ largè dici poteſt, quia ſacrę rei, ſcilicet baptiſmi Chriſti ſignum. Tum ad præparandum populum ad Chriſti baptiſmum. Tum tertiò ad manifeſtandum Chriſtum, & ſacri baptiſmi materiam conſecrandam. vide latiùs S. Bonauent. Addit Alexander quartam rationem, vt, ſcilicet, Iudæi reuocarentur à circuncißione. & ſic poſſet dici baptiſmus Ioannis finis veteris teſtamenti, ſecundum illud Matth. 11. Lex & Prophetæ vſque ad Ioannem. Plura de baptiſmate videre potes apud Alexandrum, Petrum de Palude, & Tho. & alios, qui quidem baptiſmus Ioannis fuit præparatorium baptiſmatis Chriſti, qui non fuit ſacramentalis, nec habuit virtutem peccatorum ſacramentaliter deleturam, vt & innuit Gerſon parte. j. lect. ij. ſuper Marcum.

Baptiſmus ſacramentalis vel Chriſti, ſic deſcribitur, eſt lotio hominis viatoris non diſſentientis facta in aqua elementari, fluida ab alio, ſimiliter formã debitam cum intentione debita proferente. Et poteſt addi, ex inſtitutione diuina efficaciter ſignificás ablutionem animæ à peccatis. Hæc diffinitio collecta eſt ex diffinitionibus Scoti, Occã & Petri Aliacenſis, qui inter ſe ſatis concordant. Húgo ſic diffinit: Baptiſmus eſt aqua abluendis criminibus ſanctificata per verbũ Dei. Varie à variis deſcribitur. Aliter enim deſcribit Auguſt. aliter ſanctus Dionyſ. aliter Damaſce. aliter Hugo, aliter Magiſter. Aliter dico, quantum ad verba, non quantum ad ſententiam. Quas deſcriptiones colligit Alexand. part. iiij. q. xj. & poſt eum ſanctus Thom. quæſt. j. diſt. iij. lib. iiij. Deſcriptionem primò poſitam quæ cauſalis eſt, ſimilem indicás quidditatẽ baptiſmi, ſubiectum, materiam, formam, ſuſcipientem, conferentẽ, & finem ſatis benè & diffuſe declarat Gabriël noſter diſt. iij. q. vnica. artic. j. libr. iiij. Et declaratur hæc diffinitio hoc modo. Dicitur primò lotio vel ablutio, quod ponitur pro genere, & indicat quidditatem baptiſmi eo modo quo habet quidditatem: Eſt enim baptiſmus lotio circunſtantionata debitis forma & intentione, vel aggregatũ ex lotione aquæ & verbis, & intentione baptizantis, & ſi qua alia requiruntur ad baptiſmum. De quo vide Sco. quæſt. j. diſtinct. iij. libr. iiij. Et lotio non accipitur hic ſtrictè prout includit amotionem ſordium à corpore per contactum aquæ, ſed capitur generaliter pro omni contactu corporis ab aqua fluida, ſiue ille contactus fiat per aſperſionem, ſiue per immerſionem, ſiue per ſuperfuſionem. Et vt diſtinctione iiij. quæſt. ij. dub. iiij. dicit Gabriël. Lotio in diffinitione baptiſmi dicitur generaliter omnem contactum aquæ fluidæ, quæ humectat nudum corpus vel eius partem. Et dicitur, ablutio in aqua, non aqua, quia baptiſmus non eſt aqua, quæ eſt res permanens, ſed lotio in aqua, quæ eſt operatio tranſiens. Omnia enim ſacramenta præter ſacramentum Euchariſtiæ, conſiſtunt in quadam operatione tranſeunte, qua ceſſante, definit ſacramentum. Dicitur, hominis viatoris, ad excludendũ, ſecundum Gerſonem part. ij. de ſacramento baptiſmi Angelos vel dæmones & bruta. Per quod (vt ait Gab.) tangitur ſubiectũ recipiens baptiſmũ: nõ enim niſi viatoribus inſtituta ſunt ſacramenta, nec aliis niſi viatoribus miniſtrari poſſunt. Omnis autẽ homo qui lauari ſeu tangi poteſt, ſecundũ ſe totum vel partem principalem vel minus principalem, eſt aptum ſubiectum baptiſmatis. Dicitur, non diſſentientis, ad differentiam adultorum, qui deberit venire cum deuotione & diſplicentia de vita veteri:

Nolens

Nolens itaq; baptizari, nec ſacramentum, nec rem ſacramenti ſuſcipit, vt infrà latiùs dicetur. Dicitur, facta in aqua elementari fluida, vbi notatur materia baptiſmi, & ibi materia non accipitur propriè pro altera parte compoſiti, ſicut nec forma ibi, quia in ſacramẽtis nõ eſt aſsignare nec materiã nec formam. Sacramentum enim non eſt compoſitum ſubſtantiale per ſe vnũ, ſed vel operatio quædam circunſtantionata verbis & intentione, &c. Aut aggregatum ex his, & hoc quo ad ſex ſacramenta. Vel ſpecies accidentales permanentes, vt in ſacramento Euchariſtiæ. Sed hic accipitur materia metaphyſicè, ſimiliter & forma. Sic omnia ſenſibilia in ſacramentis, res, operatio & verba, puta in baptiſmo aqua, lotio verba dicuntur materia, & ipſa ſignificatio forma. Sic autem non communiter loquuntur Doctores de materia & forma ſacramẽtorum, ſed communiter accipiunt Doctores materiam & formam in ſacramentis noui teſtamenti pro re aliqua ſenſibili vel corporali, quam Auguſtinus & Hugo nominant elemẽtum & verba, ſine quibus elementum non eſt ſacramentum, ſaltem in aliis ab Euchariſtia. Vnde Auguſtinus: Accedat verbum ad elementum, & fit ſacramentum. Elementum autem quia magis materiale ſiue corporale, dicitur materia: & verba quia magis ſpiritualia, dicuntur forma. Verùm quia in re ſenſibili etiam duo frequenter ſunt, operatio tranſiens, & res in qua fit operatio. Permanens, vt aqua, oleum, chriſma, &c. Operatio, vt lotio, vnctio dicitur materia propinqua, aqua, oleum, chriſma, &c. materia remota. Ratio patet, quia in rebus illis vt permanentes ſunt, non eſt ſacramentum, ſed in operatione accedente, ideo baptiſmus non dicitur aqua, ſed lotio in aqua. Vtranque ergo materiam tangit diffinitio baptiſmi propinquam cùm dicitur: baptiſmus eſt lotio. Remotam, cùm additur: in aqua. Et de iſta materia remota hîc videndum eſt. Dicitur itaque in diffinitione baptiſmi, aqua elementaris. & per hoc excluditur omnis humor, qui ſpecie differt ab aqua elementari. Vnde in aquis artificialibus diſtillatis non poteſt fieri baptiſmus, nec in quocunque humore mixto, vt vino, ſanguine, flegmate, ſputo, vel ſaliua, vrina, quæ ſpecie differunt ab aqua elementari. Si verò non mutatur ſpecies, poteſt in ea baptizari. Vnde Paulus Corteſius diſertiſsimus diſtinct. j. libro iiij. dicit: Ex quocunque genere laticis hunc ſalutarem fieri poſſe aſperſum, modò ne ſpecies laticis in nihilum intereat, id eſt, aquæ ſpecies maneat. Vnde (inquit Gabriël vbi ſuprà) Si dubium foret de humore vtrum ſit aquæ elementaris vel non: vt de ceruiſia, brodio, iure carnium, mulſo ſiue medone & aqua formoſa, & ſimilibus, non debet in eis aliquis baptizari, quia dubium eſt an lotio in talibus ſit baptiſmus. Si enim differunt ſpecie ab aqua elementari, non eſt baptiſmus. Si non differunt ſpecie, eſt baptiſmus. Vnde ſi quis in aliquo horum baptizatur, cautiùs foret hunc iterum baptizari in aqua pura, id eſt, non mixta ſub conditione. Aqua paludoſa poteſt eſſe materia baptiſmi, ſecundum Richardum diſtinct. iij. ar. iij. quæſt. iij. in fine, libr. iiij. quia quamuis immineat corpus accidentaliter propter eius confuſionẽ cum immunditiis groſsis, tamen in ea ſaluatur ſpecies aquæ, cui ex ſui natura per ſe conuenit humiditas ad abluendum, & etiam in ea aliquo modo manet actu proprietas ablutiua. Quod ideo dico, quod ſi in aqua nullo modo remaneat actu proprietas ablutiua, vt in glacie, grandine & niue, quamdiu ſic diſpoſita eſt, non poteſt in ea celebrari baptiſmus. Eodem modo dicendum eſt de aqua turbida (vt inquit Bonauentura) niſi mutauerit ſpeciem aquæ vel proprietatem, &c. Dicitur fluida, quia in niue vel glacie: vt & priùs patuit ſecundum Richardum, niſi priùs reſoluantur non poteſt in eis fieri baptiſma. in his enim non poteſt fieri lotio, licèt ab aqua non differant ſpecie. Et ſimili ratione in luto ſpiſſo non poteſt fieri baptiſmus: ſecus ſi fuerit fluidum & tenue. Quod autem in aqua tantùm, & non in alio humore fieri poſsit baptiſmus, ratio eſt inſtitutio diuina. Licèt plures ad hoc congruitates aſsignentur, quia aqua pura, id eſt, elementaris, congruit ſignificationi effectus baptiſmi & vſui. De quo Scotus quæſt. iij. diſtinct. iij. libr. iiij. ait: Aqua eſt frigida, fluida, lucida, communis, neceſſaria, quæ proprietates conueniunt illi humori in quo debet fieri baptiſmus, qui eſt ad reprimendum æſtum concupiſcentiæ, ad flectendum rigorem inobedientiæ, ad illuſtrandam claritatem fidei, ad introducendum in viam ſalutis. Concordat Dominus Cardinalis Cameracenſis. quæſt. ij. artic. j. libr. iiij. Dicitur in diffinitione vlterius facta ab alio, quia nemo baptizari poteſt à ſeipſo, vt dicit Gerſon parte ſecunda in regulis moralibus. Nemo ſeipſum baptizat. Cuius ratio (inquit Gabriel) eſt diuina inſtitutio: ſicut omnium quæ ſunt eſſentialia in quolibet ſacramento. Ait enim Dominus Matthæi vltimo: Ite, docete omnes Gentes baptizantes eos, &c. Dicit eos, & non voſmetipſos. Et quia baptiſmus eſt regeneratio ſpiritualis. Niſi quis renatus fuerit, &c. ait Dominus Ioannis tertio. Nemo autem generat ſeipſum. Auguſtinus de Trinit. Propter quod etiam in diuinis, vbi eſt ſumma veritas generans, & genitus perſonaliter diſtinguuntur. Et dicitur ab alio ſingulariter, & non ab aliis pluraliter, quia duo ſimul non poſſunt eundem baptizare. Et videbis infrà de hoc. Dicitur, ſimul debitam formam proferentis. Vbi duo tanguntur, ſcilicet, forma debita, id eſt, verba ad hoc à Deo inſtituta. Tangitur etiam ſimultas prolationis formæ cum lotione. Forma baptiſmi exprimitur de baptiſmo & eius effectu. Si quis. cap. j. vbi dicitur: Si quis puerum ter in aqua merſerit in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti. & non dixerit: Ego baptizo te in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti, non eſt puer baptizatus. in qua forma quatuor notantur, perſona baptizans ego, actus baptizandi baptizo, perſona baptizata te, inuocatio Trinitatis in nomine patris, &c. Vbi vnitas ſignificatur eſſentiæ in nomine, & diſcretio hypoſtaſum ſeu perſonarũ patris & filij & ſpiritus ſancti. Amen non ponitur in hac cõſtitutione Alexan. ſed nec in Euangelio Matth. vlt. vbi forma traditur: Euntes, docete omnes Gentes, baptizantes eos, &c. Et ideo nihil refert ſiue addatur, ſiue omittatur. Vnde Dominus Cardinalis Cameraceñ. q. ij. artic. j. libr. iiij. ait:

Ego & Amen non ſunt ſimpliciter de neceſsitate formæ, nec de eſſentia, ſed de decentia vel honeſtate. Poteſt autẽ forma multipliciter variari. de quo licèt videre Gabr. d. iij. q. vnica. art. j. lib. iiij. Et Petrum de Palude eadẽ diſt. q. j. lib. iiij. Et Petrum de Aliaco q. ij. lib. iiij. quæ diffuſe rem commentátur.

De forma Græcorum hęc eſt. Baptizetur ſeruus Chriſti in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti, qua ideo vſi ſunt, ne gloriarentur de miniſtris baptizantibus, contra eos qui dixerunt: Ego ſum Pauli, ego Apollo. 1. Cor. 1. quos ibi reprehendit Paulus. De hac forma Græca quamdiu tollerata fuit ab Eccleſia Romana, & pro tempore pro quo inſtituta fuit, fuit rationabilis. Si verò poſteà ab Eccleſia Romana alia fuiſſet eis impoſitã, & eorũ prohibita, peccarent vtendo ſua. Sin autem Eccleſia ſic permittit, non peccant, ſed ſiue ſic, ſiue ſic, verè baptizant, vt dicit Durandus diſtinct. iij. quæſt. j. libr. iiij. quia in forma ſua ſunt omnia ſubſtãtialia formę. ergo, &c. Et de hoc vide Petrum de Palude. quæſt. j. artic. ij. libr. iiij. Scribit & plura de hoc Gabriël, vbi ſuprà. Baptizabant & Apoſtoli ex diuina diſpenſatione, & familiari ſpiritus ſancti conſilio in principio naſcentis Eccleſię, in nomine Chriſti. vt habetur Actuum ſecundo & decimo, in quo implicitè Trinitas tota deſignatur & inuocatur. Nam qui dicit Chriſtum, id eſt, vnctum dicit, & eum qui vnxit, id eſt, patrem: & eum qui vnctus, id eſt, ſpiritum ſanctum. & hoc factum eſt vt nomen Chriſti Ieſu, in quo ſalus diuulgaretur, & amabile redderetur. quod tunc plurimis odioſum erat incredulis, & erubeſcibile infirmis. Sic enim dum videbant ſuper baptizatos in nomine Chriſti deſcendere ſpiritum ſanctum in ſigno viſibili, excitabantur ad amorem & venerationem nominis Chriſti, vt dicit Alexan. Sed ratione illa ceſſante, & nomine Chriſti diuulgato, Eccleſia rediit ad priorem formam à Chriſto promulgatam. quia ceſſanre ratione diſpenſationis, etiam ipſa diſpenſatio ceſſauit, vt dicit ſanctus Thomas & cæteri Doctores. Pòſt quos vide Gabriëlem diſtinct. iij. quæſt. vnica. artic. ij. libr. iiij. Et ſi quis nunc baptizaretur in nomine Chriſti, non eſſet baptizatus, quia deficeret forma, & diſpenſatio nunc locum non habet, & ſic veniret iterum baptizandus. Conſonat ſanctus Thomas, ſanctus Bonauentura, & Durandus, & Aliaco. quæſt. ij. quarti. art. j. Scotus videtur dubitare: dicit enim: Non audeo dicere quod baptizatus hodie in nomine Chriſti eſſet baptizatus: ſed nec audeo omninò dicere contrarium quod non eſſet baptizatus. Non lego vbi fuit illa diſpenſatio reuocata: in hoc ergo caſu reputo dubium an talis ſit baptizatus. vnde circa ipſum agendum foret ſicut in dubiis, hoc eſt, rebaptizandus eſſet ſub conditione. vt habetur de baptiſmo. cap. de quibus. Sed dicit Petrus Aliacenſis, vbi ſuprà. quod non venit dubitandum, quia licèt non legatur quando fuerit illa diſpenſatio reuocata: tamen quia diſpenſatio facta eſt ex cauſa, ſatis cenſetur reuocata, quando diſpenſationis cauſa ceſſauit, ſcilicet, quando nomen Chriſti fuit ſufficienter promulgatum. quia ceſſante cauſa, ceſſat & effectus. vt dicit ſanctus Thomas & ſanctus Bonauentura. Et ab illo tunc nec illa forma baptizare licuit, nec valuit. Et licèt dubium ſit quando illud primò fuerit: tamẽ nunc nõ eſt dubiũ quin ita ſit. Hæc Aliacenſis. Itẽ ſi quis baptizatur in nomine Trinitatis, aut in nomine genitoris & geniti & procedẽtis ab vtroq;, nõ eſt baptizatus, ſed venit rebaptizandus. Hoc cõcorditer ſentiunt ſanctus Tho. Bonauen. Richar. Petrus Paludenſis. q. j. ar. iij. Holkot, Tho. Argenti. Scotus, Durand. & Petrus de Aliaco. q. ij. artic. j. li. iiij. & cæteri Theologi cõmuniter, quia hìc mutantur verba principalia, & alia verba eis nõ ſynonyma. Nõ enim eſt ſynonymũ hoc nomẽ trinitas huic copulato, pater & filius & ſpiritus ſanctus. Nec illa nomina, genitoris, geniti, ſpirati ſeu procedẽtis his nominibus, patris & filij & ſpiritus ſancti, vt aliàs dicitur. Nec ſufficit quod debet eandẽ rem intelligere, vt videtur velle Paludẽſis. Chriſtus verò tradẽdo formã ſacramenti fidei, talẽ dedit & obſeruari voluit, in qua expreſſa fidei Trinitatis profeſsio, ſub propriis diuinarum perſonarũ nominibus explicatur, qualis eſt hæc forma: In nomine patris & filij & ſpiritus ſancti. & non illa: in nomine Trinitatis, ſeu in nomine genitoris. & tota ratio eſt inſtitutio diuina. Vide latiùs poſt Scotũ, Gab. vbi ſuprà. Et vt idem ſcribit Gab. Intentio mutãdi formã à Chriſto inſtitutã, vt de eſſentia ſacramẽti, impedit ſacramentũ: eò q̨ ſubſtantialia mutãtur, & quę ſunt de neceſsitate ſacramẽti. non enim cõpatiuntur ſe intẽdere baptizare & nõ velle vti forma ſine qua non cõfertur baptiſmus ex Chriſti inſtitutione. Si verò intentio mutãdi formam reſpicit ſolũ ea quę ſunt de neceſsitate pręcepti ſeu miniſtri, & includit velle facere quod Chriſtus inſtituit, & nõ fit mutatio circa ſubſtãtialia: licèt ſic faciens credat Eccleſiã Catholicã errare, & ſe benè ſentire: verũ ſacramentũ confert, quicquid addatur vel ſubtrahatur à baptizãte. Aliàs enim Gręci & hæretici non poſſunt baptizare. Et eſt de mente Petri. q. j. ar. iij. Vnde idẽ ait Petrus de Palude: Ne quis in verbis erret, Eccleſia verba certa ſtatuit in formis ſacramentorũ. Vnde qui verba mutat, ordinationi Eccleſiæ repugnat, & ſic peccat per inobedientiã & ſuperbiã: de quo extrà de cõſtitutionib. Ne innitaris prudentiæ tuæ. Prudentiæ ſuæ innititur, qui ea quæ ſibi agenda vel dicenda videntur, decretis patrum præponit. Item intentio dicit, ne dum finis volutionem, ſed etiam mediorũ rectam ordinationem: igitur non intendit baptizare qui formam præciſam non acceptat. Item mutatio principalium verborum formæ, quæ ſunt in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti, per alia verba eius nõ ſynonyma loco eorũ poſita, niſi ſacramenti auctor Deus diſpenſet tollit ſacramenti veritatẽ, & priuat ſacramẽtali efficatia. Probant hoc Durandus & Paludenſis: vide & poſt hoſce Gabriël. diſtinct. iiij. q. vnica, art. ij. lib. iiij. Quare ſi quis vnam perſonam omiſerit Trinitatis, non eſſet verum baptiſma. Et quamuis in omni lingua Latina, Hebraica, Græca, Teutonica, poſsit tradi baptiſmus. Dum tamen verba (cuiuſcunq; linguæ ſint) fuerint ſynonyma his Latinis: In nomine patris, &c. tamen Latinus Sacerdos ſub Romana Eccleſia conſtitutus, peccaret in alia lingua baptizando ex officio ſolemniter, ſicut etiam ſi conſecraret Euchariſtiam in alia lingua: quia ordinauit Eccleſia Romana quod officia Eccleſiaſtica dicantur & miniſtrentur in Latina,

& Græca, & hoc rationabiliter, quia in hoc poteſt diſtinctiùs ſcribi & proferri, vt dicit Scotus. Præterea ſi ex imperitia aut linguæ lapſu aliquãtulum verba illa, In nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, corrumpuntur. Dum tamẽ circunſtantes plenum capere poſſent ſenſum, nihilominus ſi aſsit debita intẽtio, verũ eſt baptiſma: quãdo verba hæc corrupta, licèt nõ ex propria impoſitione, tamen ex vſu ſint verbis integris ſynonyma idẽ cũ eis, & eodem modo repręſentatiua. Vnde Papa qui ex imperitia linguæ baptizauerat, In nomine patria filia & ſpiritus ſancta, verũ baptiſma cõtuliſſe diſcernit In ca. retulerũt. de cõſe. d. iiij. Secus ſi tanta eſſet corruptio verborũ quod ſenſus eorũ nõ caperetur ab audiẽtibus, & Latinũ intelligẽtib⁹, quod cõmuniter accidit, quando in principio dictionis litera vel ſyllaba corrũpitur. Variatio quoq; formę in nõ ſubſtantialibus per pronominis ego ſubtractionẽ ſiue per aliarum dictionũ additionẽ ſeu partium formæ tranſpoſitionẽ, dummodo nõ tollit verũ formę intellectũ, neq; vnitatẽ, neq; adeſt intẽtio inducẽdi in errorẽ, nõ impedit ſacramenti efficatiã, nec baptiſmatis veritatẽ. Id quod ſufficiẽter probat Gab. cõcluſ. v. ar. ij. q. vnica. lib. iiij. d. iij. Et ſi additur quod repugnat formæ, aut aliũ ſenſum inducit, nihil fit. Similiter ſi vnitatẽ formæ per incorruptionẽ minimam tollit, nõ eſt ſacramentũ, nec intẽtio adſit inducendi errorẽ. Nam & ſenſus verus formæ eſt de ſubſtantia ſacramenti, quoniã ſacramẽta ſigna ſunt ſignificãtia effectũ gratuitũ, quæ ſignificatio ſi tollitur, tollitur ratio ſacramẽti. Itẽ ſi quis addat ad formã baptiſmi B. Mariæ, exiſtimans baptiſmũ ſortiri effectũ ex nomine Marię, iſte cõtrarius eſt veritati, & non eſt baptiſmus. Si verò S: Mariæ additur ad honorem S. Mariæ, tunc verũ eſt baptiſma, dũ addit nõ vt partẽ formæ, ſed ex deuotione, licèt addẽs grauiter peccet. Imò dicit Angelus in Summa: Si quis ex malitia dicit in nomine diaboli: ego baptizo te in nomine patris, &c: nõ vt aliquid formę verè baptizat: nec eſt baptizatus, ſi quis dicit in nominibus patris, quia nõ eſt ſynonymũ cũ nomine, & licèt ſint tria nomina perſonalia, vnum tamẽ eſt nomẽ eſſentiale. Vnde pater & filius & ſpiritus ſanctus nõ ſunt tres baptizatores, ſed vnus baptizator, ſicut vnus creator, vnus ſanctificator: vel dicitur ſecundũ Alexan. q. xiij. part. iiij. Quod nomẽ ibi non accipitur pro voce ad ſignificandũ ſeu nominandũ aliquid impoſita, ſed pro notitia, prout dicitur à notamine. Eſt autẽ noticia Trinitatis per fidẽ, quæ eſt vna, ſecundum illud Apoſt. ad Epheſ. 4. Vna fides, vnũ baptiſma. Gab. dub. ij. vbi ſuprà. Nec præpoſitio in, debet omitti, vt idẽ dicit dub. iij. Niſi ex idiomatis proprietate idem valeret nomine ſicut in nomine: piè credi poteſt quod eſſet baptiſmus, vt vult Aſtenſ. Nec cõiunctio &, omitti debet, quia ſi omittitur, dicendo: in nomine patris filij & ſpiritus ſancti, nihil fit. Nam ad denotãdum perſonalẽ diſcretionẽ inter patrẽ & filiũ, requiritur cõiunctio copulatiua, & licèt poſſet ſubintelligi, tamẽ forma ſacramentalis debet eſſe expreſſa & ſenſibilis. Si autẽ loco &, ponitur que, vel ac, quia ſunt ſynonyma, eſt baptiſmus. Item ſi diceretur: ego linio, vel lauo, vel abluo te in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti. dicitur quod nõ eſt baptiſmus, quia nõ ſunt illa ſynonyma cùm baptizo, quum baptizo, non omnem ſignificat lotionẽ, ſed illam ſolùm quæ fit cùm certa intentione verbis, & in certa materia, ſcilicet in aqua, vt dicit gloſa in can. Multi. de cõſe. d. iiij. Item ſi loco te ponitur nomẽ proprium, dicendo: Baptizo Ioannem in nomine patris, &c. eſt baptiſmus, quia idem valent demõſtratiuum & demõſtrabile. vide & alios fuſiùs ſcribentes. Hæc ſufficiant, &c.

De inſtitutione Baptiſmi, de qua vide ſanctum Bonauent. diſt. iij. part. ij. q. j. lib. iiij. & Dominũ Cardinalem q. ij. artic. lij. lib. iiij. Richard. Scotum, &c. & patet quod à Chriſto eſt inſtitutus. Quando verò ſit inſtitutus, ſunt opiniones Doctorũ, & tangit Magiſter in text. Et breuiter poſt Scotũ dicendum quod dubium eſt quando primò fuit inſtitutus. Non enim quando Chriſtus baptizatus eſt à Ioanne, vt quidam dixerunt, quia ille non fuit baptiſmus in forma Chriſti. Dicit tamẽ Alexander quod Chriſtus tunc inſtituit baptiſmum potẽtialiter vel materialiter, quia materiam dedicauit, nec illo verbo, niſi quis renatus fuerit, &c. Ioan. 3. dicit tamen Alexander, quod ibi inſtitutus eſt quo ad finem: quia ibi oſtenditur finis baptiſmi, qui eſt ingreſſus Paradiſi. Nec Marc. vltimo, dum præcepit Dominus diſcipulis: Docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine patris, &c. Licèt ſecundum Alexandrum ibi inſtitutus ſit formaliter, quia ibi formam expreſſit, quantum ad principalem partem eius: nec cùm Marc. vltimo Apoſtolis dixit: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Eadem ratione, quia ante paſsionem inſtitutus eſt. Hæc autem locutus eſt Dominus poſt reſurrectionem: poteſt tamen dici quod ibi inſtitutus eſt quo ad effectum, qui eſt ſaluare à culpa & pœna, nec in cruce, dum de eius benedicto latere exiuit ſanguis & aqua: quia, vt dictum eſt, inſtitutus eſt ante paſsionem. Et licèt dici poſſet ſecundum Alexandrum inſtitutus quantum ad ſignificationem, quia ſanguis ille & aqua ſignificabant ſacramentum Euchariſtiæ & Baptiſmi, nec dum diſcipulos miſit binos & binos ad prædicandum & baptizandum, quia miſsio ad baptizandum præſupponit eius inſtitutionẽ, tunc ſecundũ Alexandrum inſtitutus eſt officialiter, quia tunc officium baptizãdi eis commiſit, ſicut officium prædicandi. Inſtitutus eſt ergo baptiſmus priuſquam baptizandi officium diſcipulis cõmiſſum fuerat: licèt quando & vbi determinatè ex ſcriptura non ſit certum, & hæc ſententia eſt Magiſtri. Licèt autẽ Alexander partiatur inſtitutionẽ baptiſmi, non eſt accipiendũ quaſi baptiſmus diuerſis temporibus partialiter ſit inſtitutus. Cùm enim baptiſmus ſit vnũ ſacramentũ, vnica eſt inſtitutione inſtitutũ, & quantum ad materiam, & formam, finem & effectum. licèt potuit poſt inſtitutionem ſignificari, & officium cõmitti. Ideo Richardus dicit diſtinct. iij. quæſt. v. artic. j. quod Chriſtus baptiſmi ſacramentum priùs inſinuauit inſtituendo facto, dum à Ioanne baptizatus eſt. Et Verbo, Ioan. 3. Niſi quis renatus fuerit, &c. Secundò inſtituit facto, dum per diſcipulos baptizauit. Ioannis tertio & quarto. Verbo quando miſit diſcipulos binos & binos prædicare & baptizare, vt dicit Marcus. Tertiò confirmauit in ſigno, cùm de latere aquam emanare fecit.

Et præcepto cùm poſt reſurrectionem diſcipulis præcepit : Ite, docete omnes Gentes, baptizantes eos, &c. Rationabilitatem tangit Scotus huius inſtitutionis, & ſcribit poſt eum Gabriël diſtinct.iij. artic.iij.dub.vltimo.libr.iiij.quia Sacramentũ principale legis Euangelicę per quod, ſcilicet intratur in eius obſeruantiam, debuit eſſe nouum & proprium ipſi legi: debuit & eſſe euidẽs in ſignificatione, quia iſta eſt lex veritatis euacuans vmbram, & debuit eſſe copioſiſſim in gratiæ collatione, quia hæc lex gratiæ. Ioannis 1. Gratia & Veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Debuit etiam eſſe facile, quia iugum Chriſti ſuaue, & onus leue. Matth.11. Debuit eſſe commune, quia lex noua communis erat omni populo & toti mundo, & omni ſexui & ætati. Omnium horum vna eſt ratio, quia Sacramenta legis debent congruere legi, maximè illud per quod quis coadiuuatur populo legis. Hæc autem quinque inueniuntur in hoc vnico baptiſmatis Sacramento, ſcilicet ablutionis in aqua cũ verbis. Hoc enim euidenter ſignificat mundationem animæ, quæ eſt effectus eius principalis : dat gratiam copioſe. Et facile, quia ſine periculo, & communi omni ſexui & ætati, & ideo rationabiliter de nouo inſtituta. Ita poſt Scotum ſcribit Gabriël vbi ſuprà.

De effectu Baptiſmi. Capiendo effectum largè, vt ſcribit Petrus de Aliaco. q.iij. artic.j. libr.j. triplex eſt effectus baptiſmi, ſcilicet characteris impreſſio, gratiæ infuſio, culpæ & pœnæ remiſsio. Cui aſtipulatur ſanctus Bonauentura diſtinct.iiij.art.j. quæſt.iij.lib.iiij. Prima res baptiſmi eſt character. Secunda infuſio gratiæ. Tertia eſt reſtitutio innocentiæ, propriè tamen loquendo effectus baptiſmi (vt ſcribit Gabriël) diſtinct.iiij. quæſt.j.artic.ij.libro.iiij. In ſuſcipiente eum non indignè eſt vniuerſalis remiſsio culpæ, id quod ratione naturali & efficaci probari non poteſt, ſed fide creditum eſt, & auctoritate ſcripturæ probatum. Vnde Marci vltimo: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Solus autem credens actu vel habitu fide propria aut aliena dignè baptiſmum ſuſcipit : ergo omnis dignè ſuſcipiens ſaluus erit vtique per baptiſmum: ergo à peccato ſoluitur, & per conſequens introibit in regnum cœlorum. Nihil autem intrabit in id aliquid inquinatum, Apocalyp.21. Et dicitur vniuerſalis remiſsio, quæ nullam culpam excludit, nec originalem, ad cuius remiſsionem principaliter ordinatus eſt baptiſmus, nec actualẽ mortalem, quia culpa non remittitur niſi per gratiam. Sed omnis culpa mortalis ſiue actualis, ſiue originalis, ſecundum inſtitutum Dei, ordinem repugnat gratiæ: ergo vna non poteſt remitti manente alia. Et baptiſmus non tantum tollit mortalia : ſed etiam venialia commiſſa. Nam baptiſmus in ſpiritu ſancto ſufficit ad ſalutem. Vnde moriens innocentia baptiſmali euolat, & per conſequens impedimenta adipiſcendæ ſalutis tollit. Impedit autem peccatum veniale ingreſſum regni, quare tollitur per baptiſmum non tanquam repugnans gratiæ, ſed tanquam repugnans gloriæ. Ratio autem huius non eſt niſi diuina liberalitas, quę tanto huic Sacramento voluit cõferre efficaciam. Ponit autem Alexan. parte.iiij. quæſtione xx. artic.ij. huius plures congruentias. Et poſt eum ſanctus Bonauentura diſtinct.iiij. quæſt.j. poſt eos recitat has Gabriël diſtinct.iiij. quæſt.j.artic.ij. libr.iiij. quem vide copioſe ibi. Potiſsima tamen cauſa eſt ſupererogatio Chriſti in humana redemptione. Chriſtus enim ſatisfaciendo pro homine damnato, multum ſupererogauit in ſatisfaciendo, quia incomparabiliter maius fuit pretium redemptionis quàm delictum. vide latiùs Gabriël. Et dicitur non indignè, quia in fictè accedentibus baptiſmus non habet hunc effectũ. Accedit autem non indignè, qui non accedit fictè, neq; actu peccat peccato actuali. Non enim capit mens humana (vt dicit Alexand.) quod Deus remittat aliquod peccatũ ei, qui eſt in actuali voluntate peccandi. in talibus enim baptiſmus non habet effectum, nec dimittitur peccatum volenti continuare peccatum, vt ſi vnum mortale placet, nullum peccatum dimittitur, quia gratia penitus excluditur. Hæc eſt ſententia ſancti Thomæ quæſt.v.diſtinct.iiij.libr.iiij.artic.j.in ſolutione.iij.rationis. Ad veritatem autem baptiſmi paruulorum ſufficit aqua, forma, & intentio miniſtri, & fides Eccleſiæ. Baptiſmus præterea ritè ſuſceptus, remittit omnem pœnã æternam originali & actuali debitam: & temporalem pro actuali peccato, vt tali ſatisfactoriam. Ratio eſt diuina voluntas & ordinatio, quæ voluit hæc per baptiſmum tolli. Probat latiùs Thomas & Gabriël concluſione.ij. vbi ſuprà. Et dicitur notanter, æternam, propter pœnam temporalem inflictam pro originali, quæ facta eſt velut naturalis hominum miſeria, ſcilicet, & mortalitas præſentis vitæ, eſurire & ſitire. Durat igitur poſt baptiſmum ſicut antè, nec aufertur per baptiſmum. De quo vide Dominum Cardinalem Cameraceñ.quæſt.iij.artic.iij.libr.iiij. Vnde Auguſtinus in de baptiſmo paruulorum, libro.j. Non hoc præſtatur adulto in baptiſmo, niſi fortè miraculo Dei : vt lex peccati repugnans legi mentis penitus extinguatur, vt manifeſtum eſt, quod ita voluit Dominus. Et huius ſanctus Bonauentura ponit octo congruitates. Valent enim pœnæ illæ ad humilitatis perfectum, ad timoris diuinorum iudiciorum incuſsionem, ad ſuiipſius cognitionem, ad peccati fugam, ad boni ſtimulationem, ad virtutum exercitationem : in ſignum adoptionis, vt nemo accipiat baptiſmũ in præmium retributionis. Hoc ignorauerunt Philoſophi, vt vult Iacobus de Valentia, ſcribens in quæſt. finali, poſt commentaria ſuper Cantica. Vide & de hoc Magiſtrum diſtinct.iiij.libro.iiij. Vt fideli (inquit ipſe) ſit certandi materia, & vincendi occaſio, qui non vinceret ſi non pugnaret. Et dicitur, & temporalem pro actuali, &c. quia licèt baptiſmus tollat temporalem pœnam pro originali omnibus inflictam, remittit tamen omnem pœnam ſatisfactoriam pro peccatis actualibus commiſsis. Vnde adultus non tenetur ad aliqualem exteriorem ſatisfactionem. Multis firmat auctoritatibus Gabriël, quem videto, & concordat Paludenſis diſt. iiij.quæſt.j.libro.iiij. Et quamuis fomitem peccati in ritè baptizato non penitus extinguat ipſum, tamen minuit & remittit. Nam rebellio aduerſus ſpiritum manet. Vnde Apoſtolus Romanorum ſeptimo : Video aliam legem in membris meis repugnantem legi, &cæt. Et Auguſtinus in de baptiſmo paruulorum.

paruulorum. & habetur de conſecrat. diſtinct.iiij. Non ex equo. In baptiſmo quamuis fiat plena remiſſio peccatorum, nondum tamen plena eſt nouitas & mutatio perfecta, quia adhuc remanet corruptio, non ſolùm in corpore, ſed etiam in anima, qui eſt homo interior. In quo ſi perfecta non eſſet nouitas, non diceret Apoſtolus, quod de die in diem renouetur, &cæt. Sed ſecundum Scotum, Fomes dicitur diminui, non quantum ad eius eſſentiam, ſed quantum ad effectum quem conſueuit cauſare in anima, ſcilicet peccatum, & quantum ad illum minuitur per gratiam, quia cum gratia augetur, fomes minorem habet efficatiam inclinandi ad peccatum. puta victus à fortiore inclinatione gratiæ ad meritum, &c.

Per Baptiſmum inſuper ritè ſuſcipientibus gratia gratum faciens, ſi non ineſt, de nouo infunditur: ſi præfuit, augmentatur. Et dicitur ritè, ad excludendum indignè & fictè accedentem. Per ritè ſuſcipientem intelligit Dominus Cardinalis Cameraceñ.quæſtione iij.artic.iij.illum qui non ponit ſe obicem, ſcilicet, qui pœnitet de peccatis. probat hoc Gabriël. Nam ritè ſuſcipiens regeneratur in adoptionem filiorum Dei, & redditur dignus vita æterna. Remittitur etiam omnis culpa & pœna: vt dictum eſt: ſed nihil horum fieri poteſt ſine gratia, ſecundum legem Dei ordinatam. Et Magiſter d.iiij.cap.vij.& viij.qui colligit quid efficiat baptiſmus in iam iuſtificatis per contritionem antequam baptiſmum percipiunt. vide eum, &cæt. Infunditur & talibus ſuſcipientibus ritè charitatis virtus. Omnibus enim talibus infunditur gratia. ergo & charitas, quia idem ſunt. Item per baptiſmum baptizatus conſtituitur in ſorte filiorum regni. Sed ſola charitas diuiditur inter filios regni & carceris: vt vult Auguſtinus ſuper canon. Ioannis. Item baptizatus ſi moritur in eo ſtatu ſaluatur, ſed ſine charitate nullus ſaluatur.1.Corinth.13. Si linguis hominum loquar & Angelorũ, charitatem non habuero, factus ſum ſicut æs ſonans, aut cymbalum tinniens, &c. ergo in baptiſmate charitas infunditur. vt vult & ſcribit Gabriël concluſione quinta.vbi ſuprà. Vide & alia in ſequentibus concluſionibus. Gratiam item cum virtutibus Theologicis infuſam in baptiſmate cõcomitatur intellectus, illuminatio, affectus, fœcundatio & incorporatio baptizati Chriſto & Eccleſiæ. Per baptiſmum enim, vt Gabriël ſcribit concluſione ix.quiſquã aſcribitur familiæ Chriſti, quæ aſcriptio eſt incorporatio ad minus numero: & ſi non meritò ſi impediret fictio. Similiter charitas fœcundat, quia dat animæ potentiam meritoriè operandum. Operari verò meritoriè eſt parere fructum vitæ. Hinc gloſa Pſalm.22. Per baptiſmum anima ariditate peccatorum ſterilis fœcundatur. Et Dionyſius & Damaſcenus illuminationem attribuunt baptiſmo. Vnde & baptiſmus ſacramentum fidei dicitur, quia fides in baptiſmo infuſa, lumen eſt quo aptatur ad videndum credenda: qui quidem baptiſmus (vt ait & probat Gabriël concluſione.iiij.diſtinct. iiij.quæſt.j. libro.iiij.) aperit ianuam regni cœleſtis. Et licèt hæc porta aperiatur principaliter à Deo meritoriè à paſſione Chriſti: tamen ſic inſtrumentaliter & diſpoſitiuè à gratia baptiſmali. Et per hoc differt baptiſmus à circuncisione, quod baptiſmus aperit ianuã regni cęleſtis, nõ autem circuncisio. Plura ibi Gab. Effectus itaq; baptiſmi ſunt plures, vt viſum eſt & videndũ, temitto ad alios. Sed præcipuus eſt gratia animæ ſuſcipiẽtis infuſa, & cæteri effectus gratiã conſequentes virtutes, ſcilicet & fomitis remiſsio. Ad effectũ illum baptiſmi cõcurrunt plures cauſæ, ſcilicet, principalis effectiua gratię, quę eſt Deus. Meritoria, quæ eſt paſsio Chriſti, vnde ſacraméta trahunt efficatiã. Et diſpoſitiua ſubiecti, & eſt diſpoſitio ſuſcipientis baptiſmũ. Poſſet addi congruitas ſiue habitudo aut diſpoſitio miniſtri & circunſtantiũ. Et ſecundum quodlibet horum poteſt variari gratia in baptiſmo collata. Gab.d.iiij.q.ij.artic.j.lib.iiij.

De fictè accedentibus vel ſumentibus ſacramentum baptiſmi. Sunt autem ficti qui aliud prætendunt fôris, aliud intus habent. Vnde baptizatus diſſentiens contrariè ſimpliciter nolens baptizari, nec ſacramentum ſuſcipit, nec rem ſacramenti. Probatur auctoritate Innocentij.iij. in cap.maiores. de baptiſmo. Qui nunquam conſentit, ſed penitus contradicit, nec rem, nec characterem ſuſcipit Sacramenti. Nam per ſuſceptionem baptiſmatis (vt vult Richardus) intrat homo Eccleſiam militantem, & aſcribitur exercitui eius: ad hoc autem requiritur conſenſus actu vel habitu, ſi eſt in ſtatu in quo poſſit conſentire. Vnde legitur in Euangelio: Nemo ex aqua & ſpiritu renaſcitur niſi volens: quod non de paruulis, ſed ſciolis & adultis, & ſuæ voluntatis arbitris intelligendum eſt. Et Prouerbiorum tertio dicitur: Præbe mihi fili, cor tuum. Vnde non vult Deus aliquem inuitum aſcribi ſuæ familiæ. Latiùs vide Gabrielem diſtinctione quarta, quæſtione ſecunda, artic.ij.concluſione.j. Scilicet qui conditionaliter ſuſcipit baptiſmum metu pœnæ, ſuſcipit Sacramentum, licèt non rem: non inquam ſimpliciter violentata, ſed metu pœnæ. qui ergo vt pœnam euaderẽt baptizari cõſenſerunt, licèt vellent magis non baptizari ſi euadere pœnas poſſent, ſacramentum accipiunt. Is autem non recipit ſacramentum, qui metu vel promiſsione inductus, conſentiret in illam lotionem tanquam in quoddam balneum, non vt baptiſmum, nec in eam illo modo quo illam intendit facere Eccleſia. Sicut nec is qui pro ludo ſe baptizari conſentiret: ſic diſſentiens mente actu poſitiuo, nolẽs baptizari ſimpliciter cedente fictione, erit iterũ baptizãdus. Hinc ait Paulus Corteſ.libr.iiij.diſtin.j.ferè in fine. Eodem modo affirmamus laticis effectum diſsimulatione impediri. Qui verò conſentit, vt ſcribit Gabriël, ſe baptizari eo modo quo Eccleſia baptizat, etiam ſi non credat habere effectum, verè baptizatur. ſicut de incantatione ibi probat Gabriël. Qui itaque diſſentit ſimpliciter, baptizatus non eſt. & ſi poſteà incipit conſentire, & Eccleſiæ obedire, rebaptizandus eſt: & hoc primo modo, ſed ſecundo modo fictè accedens, volens tantum baptizari, ſacramentũ recipit, ſed nõ rem neq; effectum. Per effectũ intelligitur gratia, & cõſequentia eam, & nõ character: quia quicunq; recipit ſacramentũ, recipit etiã characterẽ. Probat hoc Sco.quæſt. v.d. iiij.libr.iiij. Si quis igitur fictè accedit, non habens cordis contritionẽ, verum ſacramẽtum ſine gratia

vel recipit. In paruulis requiritur fides aliena non offerentium, ſed Eccleſiæ. In adultis tamen requiritur fides propria: non vt recipiant ſacramentum: ſed vt conſequantur gratiã, quæ eſt res ſacramenti. Propter diuerſitatem tamẽ cauſarũ contingit inæqualem gratiam cõferri non fictè recipientibus baptiſmum, vt probat Gabriël concluſione.vij. vbi ſuprà. Vide & de hoc Petrum de Aliaco.quæſt.ij. artic.j.lib.iiij. qui in quibuſdam dictis videtur diſſentire. Item habens vſum rationis diſſentiens actu negatiuè, & quoniam nec habitualiter, nec virtualiter conſentit, nec baptiſmum, nec eius rem vllam ſuſcipit: quia oportet quod vtens ratione, deuotionem aliquam habeat ad ſacramentum, ſi debet ſibi valere. Aliter videtur contemnere, ſecundum Scotum quæſt.iiij.diſtinct.iiij.libr.iiij. Hinc Auguſtinus ait: Qui creauit te ſine te, non iuſtificat te ſine te. ſic nec aſcribit te ſine te.ſuæ familiæ. Vide latiùs & Gabriël. vbi ſuprà. Requiritur tamen quandoq; (vt idem vult) intentio actualis in ſuſcipiente per accidens, ſcilicet, vel ad remouendum prohibens. Vnde ſi in accedẽte ad baptiſmum eſt actu vel habitu intentio non recipiendi baptiſmum. Huiuſmodi intẽtio quia prohibet Sacramẽti ſuſceptionem, neceſſarium eſt illam intentionem expelli per contrariam intentionem in actu volendi recipere baptiſmum ad hoc, vt recipiat ſacramentum. Similiter ſi priùs nunquam actualiter conſenſiſſet, neceſſe foret quod tunc actualiter conſentiret, quia ſine conſenſu actuali præſenti vel præterito in habente vſum rationis non ſuſcipitur ſacramentum. Carens verò vſu rationis ſi baptizatur, ſacramentum ſuſcipit, niſi priùs immediatè actu poſitiuo diſſenſerit. vt declarat Innoc.iij.c.Maiores.de Baptiſmo. Et latiùs declarat Gabr.cõcluſione.iij.vbi ſup. Dicitur autẽ ibi actus immediatus ante vſus rationis priuationẽ, inter quẽ & illã nõ interuenit actus cõtrarius: licèt etiã illa diu ante priuationẽ vſus rationis ceſsiſſet. Vnde generaliter nunc nõ vtens ratione, qui tamẽ aliquãdo vſus eſt: iudicatur cùm nõ vtitur ratione habitualiter conſentiens vel diſſentiẽs, ſecundũ Sco.in iiij.q.d.iiij.ſecundũ quod ſe habuit actualiter in ſanitate ante illud impedimentũ vſus rationis immediatè. puta ſi tũc actualiter conſentit, & iudicatur nunc habitualiter cõſentiens. ſi tunc actualiter diſſenſit, iudicatur nunc habitualiter diſſentiens. Et dicitur, actu poſitiuo, quia ſi tantum negatiuè diſſenſerit, ita quod ante impedimentum rationis nunquam reſpectu baptizationis actum poſitiuum habuerit, tunc aut ſemper priuatus fuerit vſu rationis, ſicut infantes, & fatui, & furioſi à natiuitate. & tunc ſi baptizatur, recipit ſacramẽtum & characterem. ſi verò vſus fuerit ratione, nihil recipit. Qui ſi fuiſſet in ſtatu illo, quo vſus eſt ratione, baptizatus nihil recepiſſet. defeciſſet enim conſenſus actualis vel habitualis? Vide & de hoc Petrum de Aliaco q.ij.ar.j.libr.iiij.

Baptiſmus eſt triplex, ſcilicet flaminis, ſanguinis, & fluminis. Et ſi plures ſunt baptiſmi modi, vt dictum eſt, & quos ſcribit Gabriël diſtin.iiij.quæſt.ij.nota.ij.libro iiij. tamen Doctores communiter loquuntur de tribus iſtis. Sed propriè loquendo de baptiſmo prout eſt ſacramentum nouæ legis, non eſt niſi vnus baptiſmus ſecũdum ſpeciem, qui fit in aqua ſub determinata verborum forma, vt ſuprà diximus. De quo Apoſtolus ad Epheſ.4. Vnus Dominus, vna Fides, vnum Baptiſma. Cætera quæ dicuntur baptiſmus, dicuntur baptiſmus æquiuocè & ſecundum quandam attributionem, ſicut vrina, medicina & diæta. Dicitur ſana, quia per attributionem conſtituitur ad ſanitatem animalis. vrina, quia eſt ſignum ſanitatis. medicina, quia eſt cauſa ſanitatis efficiẽs. diæta, quia eſt cauſa ſanitatis conſeruans, &c. Baptiſmum ſanguinis dat martyrium (inquit Gerſon parte.ij. in regulis moralibus) & flaminis contritio de peccatis, aut ſatisfactio gratuita. Baptiſmus fluminis ab obligatione, ſi facultas affuerit non excuſat, ait Gerſon.

Baptiſmus flaminis vel pœnitentiæ eſt cõtritio cordis, aut præparatio ſufficiens ad gratiæ infuſionem, per quam de congruo meretur remiſsionem peccatorum. Iſte baptiſmus ſolus eſt iterabilis. Et baptizati hoc baptiſmate, licèt recipiant effectum baptiſmi aquæ, quantum ad remiſsionem culpæ & infuſionem gratiæ, non tamen regulariter quantum ad remiſsionem pœnæ. Probat hoc Gabriël quæſt.ij.artic.ij. concluſ.viij. ſufficienter. Facienti enim quod in ſe eſt Deus aſsiſtit conferendo neceſſaria ad ſalutem: habens enim fidem, deſiderium baptizandi, & contritionem in caſu impoſſibilitatis recipiendi baptiſmum, facit quod in ſe eſt: ergo ei aſsiſtit Dominus in neceſſariis. Hæc autem ſunt gratiæ collatio, & peccatorum remiſſio. Et baptiſmus flaminis (vt ſcribit Brulefer diſtinctione. iiij. quæſt.x. libro.iiij.) fit quotienſcunque quis per miſericordiam Dei ſanctificatur à peccatis ſuis, ſiue fiat in vtero, ſicut de Ieremia & Ioanne Baptiſta legitur: ſiue extra vterum, ſiue virtute pœnitentiæ. Sed (vt ait Gabriël) baptiſmus eſt via ad iuſtificationem, & iuſtificatio effectus baptiſmi. Videtur magis congruum quod ſanctificati in vtero non ſanctificantur per aliquod genus baptiſmi, ſed per miraculũ & potentiã ſancti ſpiritus, qui ſuam potentiam non alligauit Sacramentis. Et an tales in vtero ſanctificati ſint baptizandi: dicit Scotus quod ſic. quæſt.vj.diſtinct. iiij. libro.iiij. Et Paludenſis diſtinct.vj. quæſt.j. artic.ij. &.iij. Nam quilibet viator quantumcunque iuſtificatus, tenetur ad baptiſmi ſuſceptionem, niſi Deus diſpenſauerit. quia hoc eſt mandatum Chriſti. Vide de hoc Gabriëlem diſtinctione.iiij. quæſt.ij.artic.iij.dub.j.lib.iiij. Et Dominum Cardinalem quæſt.ij. libr.iiij. Tres autem fuerunt in vtero ſanctificati, ſcilicet Ieremias, Virgo beata, & Ioannes Baptiſta. vt dicit Paludenſis diſtinct.vj. quæſt.j.libr.iiij.

Baptiſmus ſanguinis eſt martyrium pro Chriſto, ſeu iuſtitia ſuſceptum, dummodo non fuerit contemptus baptiſmi, ſed impoſſibilitas ſuſcipiendi. Suſceptum intellige voluntate propria, vel principij coniuncti, quod dicitur propter paruulos in matrũ vteris pro fide Chriſti extinctos. Et dicitur martyriũ baptiſmus ſanguinis, licèt nõ ſemper ſanguis fundatur in martyrio, quia tamen ſemper vita extinguitur in martyrio, quæ ſecundũ legem eſt in ſanguine. Effuſio itaq; ſanguis capitur pro quocũq; tormẽto de quo homo moritur pro Chriſto vt ſuf-

focatione

focatione ſuſpenſiua, & fit baptiſmus ſanguinis (vt ſcribit Bruleſer. di. iiij. q. x. l. iiij.) quotieſcunq; quis moritur pro fide catholica, vel pro veritate. Et quãuis baptiſmus ſanguinis nõ ſit ſacramentũ, quia deſunt ſibi conditiones ſacramenti: tamen effectum baptiſmatis ſacramentalis nedum æquat, ſed abundanter vincit & ſuperat, vt vult Gabr. concluſione ix. q. ij. diſt. iiij. lib. iiij. Nam baptiſmus ſanguinis tollit omnem culpam: tollit etiam omnem pœnam: adimit recidiuam: confert ſine mora præmium: & tribuit maiorem gratiam, & per conſequens gloriam ampliorem. Nam qui martyriũ propter Deum ſuſcipit, ſe totum Deo offert. & facit quantum poteſt, quia maiorem charitatem nemo habet vt animam ſuam ponat, &c. & per hoc maiorem gratiam conſequitur. Martyres quoque euolant ad patriam. Vnde ſanctus Augu. Qui orat pro martyre, iniuriam ſibi irrogat: in eo vtique quod eum nondum putat beatum, ſed ſuffragio indigentem. Item baptiſmus ſanguinis, quia ſolus meretur aureolam, conſummat gratiam, & introducit ad gloriam. habet etiam in Eccleſia honorabiliorem ſepulturam. Baptiſmus aquæ ſolus imprimit characterem. pœnitentiæ verò ſolus baptiſmus eſt iterabilis, &c. Baptiſmus aquæ ſolus eſt ſacramentum. Baptizati inſuper baptiſmate ſanguinis, non tenentur rebaptizari, quia non manent viatores: martyrio enim finiunt vitam hanc, & ad terminum viæ perueniunt. ſi tamen per miraculum reſuſcitarentur, tenerentur ad baptiſmum aquæ eadem ratione qua cæteri, ita tenet Holkot q. j. quarti. talis enim baptiſmus iuſtificatorum non eſt fruſtra: vt ſcribit Petrus de Aliaco. q. ij. ar. ij. lib. iiij. quia per eum ſeruatur obedientia diuini præcepti. Sed quid de beata Virgine, an ſit baptizata? De ea enim dubium eſt (inquit Gabri. dub. j. diſt. iiij. [illegible]ſt. ij. lib. iiij.) licet probabilius ſit eam eſſe baptizatam quàm eius oppoſitum. quod ſi ea non eſt baptizata, diſpenſatum eſt cum ea. Et fuit ratio diſpenſandi, quia fortè habuit in conceptione filij iſtam plenitudinem gratiæ, ad quã diſpoſuit eam peruenire. Et Petrus de Aliaco. q. ij. artic. ij. lib. iiij. dicit quod beata virgo, & Apoſtoli Chriſti fuerunt baptizati: licèt hoc non legatur expreſſe: quia ad hoc tenebantur niſi cùm eis fuerit diſpenſatum. Nam erãt in tempore quo baptiſmus fluminis erat promulgatus per modum præcepti, & non apparet quare Chriſtus cum eis diſpenſauerit, imò nec illud fuiſſet conueniens, quia exẽplo Chriſti debuerunt facere quod docebant. Nec vlla ratio diſpenſandi videtur cum Apoſtolis, vt inquit Gab. Nec vlla vtilitas conſecuta. Non enim baptiſmo carentes fuiſſent per hoc Deo gratiores, aut Eccleſiæ vtiliores: imò minus grati, & minus idonei. Itẽ fuerũt à Chriſto ſacerdotes facti. ergo meritò prius habuerunt ianuã omniũ ſacramentorũ baptiſmum: vt arguit Scotus. Cõformiter reſpondet Petrus de Palude di. vj. q. j. arti. ij. & latè proſequitur Scotus.

De paruulis in vtero matris, dicendum quod paruulus in vtero matris non poteſt baptizari: licet poſſit in eo ſanctificari, quia non poteſt aqua lauari, nec contingi: ſecundum Alexan. Tho. Sco. vide eos, & poſt hos ſcribit Gabr. q. ij. dub. ij. li. iiij. diſt. iiij. qui & plura de paruulis ſcribit in vtero latentibus, & eorum martyribus: quæ non debent ſcindi, nec occidi vt puer viuus baptizetur: propter præceptum. Non occides. Vnde Petrus de Palu. di. vj. q. j. ar. j. Mater viua non debet ſcindi vt puer viuus baptizetur, & ſi mulier eſt ad mortem damnata, differatur executio vſque poſt partum: ne pereat innocens cum nocente. ff. de pœnis. l. prægnantis. Nec licet matrem ſic damnatam occidere vt puer viuus extrahatur. Et ſi mortua eſt, ſepelire non debet donec fœtus extrahatur. Si verò (vt aliquibus placet) puer ad huc latens in vtero matris quamuis matri coniunctus aqua corpus eius contingẽs, ablueretur vel aſpergeretur cum debita intentione & forma, verè puer baptizaretur & ſaluaretur, vt innuit ſanctus Tho. reddens rationem quare mater ſcindi non debet. ſi tamen matre mortua, præſumeretur puer adhuc viuere: aperienda eſſet mater, & puer baptizandus: vt dicit Ataxanus. Ex illo ſequitur (vt dicit Gabr.) ſi puer corio inuolueretur, & in aqua volutus perfunderetur. ita quod aqua non tangeret pueri nudum corpus cæteris adhibitis: intentione, ſcilicet, & forma, puer non baptizaretur. Quid ſi aliqua pars apparet extra vterum? Dicunt concorditer doctores: ſi apparet pars principalis, vt caput vel pectus, poteſt in illa parte baptizari. Et hoc ſimpliciter dicit Scotus diſt. iiij. q. iij. ita quod ſi poſtquam naſcitur, non debet rebaptizari. Non eſt enim veriſimile quod in die Pentecoſtes baptizati Actuum. ij. numero 3000. fuerint toto corpore abluti, ſed ſecundum faciem aqua aſperſi, vel quã tum ad caput perfuſi. Si autem minus pars principalis apparet, puta manus vel pes: quamuis quidam dicat quod vel illa pars, vel paruulus ſecundum illam partem non ſit capax baptiſmatis, dicit tamen Scotus quod illa pars ſit baptizanda, quia in illa parte eſt tota anima, licet non omnis ſenſus ſicut in capite. Si autem naſceretur ad cautelam ſub cõditione, rebaptizandus eſſet. Satis cõſonat Tho. di. vj. ar. j. Credendum eſt autem (vt ſcribit Gabr.) quod deus ſuppleret id quod impotentia impediret. talis etiam ſi mortuus naſcitur: ſepeliendus eſt in polian dro benedicto. Quod autem paruulis in vtero matris non eſt prouiſum de remedio, dicit Alexan. & ſanctus Thomas vbi ſupra, non eſt ex defectu miſericordiæ Dei: ſed quia non ſunt capaces illius remedij: puta baptiſmatis ordinati ſecundum legem communem contra originale peccatum. Sed hoc non ſatisfacit (vt vult Gab.) quamuis Eccleſia non manifeſtat aliquod remedium. Sed ſenſum Domini quis cognouit, aut quis eius conſiliarius fuit? Hinc conſulit Ioannes Gerſon parentibus, quatinus deuotis orationibus paruulis ſuis gratiam impetrare nitantur. Potẽs enim eſt Dominus in vtero ſanctificare quos nouit ad natiuitatis ortum nõ peruenturos. licèt de hoc certitudinem non habeamus. Miſeretur enim cui vult, & quem vult indurat. Quod verò ſancti dicunt nullum niſi regeneratum ſaluari poſſe: loquuntur ſecundum legem communem non præiudicando ſpecialibus priuilegiis, ac diuinis diſpenſationibus.

De immerſione. Cum baptiſmus ſit lotio. Lotio autem fieri poſt immerſione, ſuperfuſione, & aſperſione, quocunque modo aqua tangitur corpus baptizandi, ſiue totum ſiue pars cum debitis intentione & forma verum baptiſma confertur: vt vult

Alexan. & Thò. Et quælibet immerſio ſufficit vna vel trina, vt ſcribit Cardinalis Camera. Quælibet enim ſufficit ad neceſſitatem ſacramenti, ſed miniſter tenetur ſeruare modum Eccleſiæ in qua baptizat. Aloquin grauiter peccat. Vtraque immerſio (vt ſcribit Gabr. di. iiij. q. ij. dub. iij. libro iiij.) Vna & trina myſticas habet ſignificationes, quæ tamen non ſunt de neceſſitate ſacramenti. de hoc beatus Gregorius ad Leandrum Epiſcopum. de conſe. di. iiij. de trina.

De paruulis expoſitis ſiue inuentis dicitur ſecundum Scotum dì. iiij. q. vlti. li. iiij. Et Robertum Holkot q. j. lib. iiij. & habetur de conſe. di. iiij. Paruulos, & cap. Placuit. Quod ſi inueniuntur certa ſigna quod non eſt baptizatus, ſicut mulierculæ ſolent cum eo ponere ſal, ſicut eum deportantur ad baptiſmum: & tunc abſque hæſitatione eſt baptizandus paruulus abſolutè. Si autem non inueniuntur aliqua ſigna, nec habentur vicinarum teſtimonia quod baptizatus eſt, baptizandus eſt, & tutius ſit ſi addatur conditio. Si baptizatus es, non rebaptizo. in ca. de baptiſmo. Itẽ timens mortis paruuli periculum, nec aquam propter putei vel fluminis altitudinem habere non poteſt, non proiiciat eum in puteum vel flumen, quia hoc faciens peccaret mortaliter occidendo: & quilibet tenetur magis vitare peccatum mortale in ſeipſo quàm quærere ſalutem proximi, quia ordinata charitas magis eſt ad ſeipſum. Imo ſecundum Sco. in caſu non eſſet ſic baptizatus ſic proiectus: quia non ablutio, ſed ſubmerſio diceretur. In caſu poſſet pannus dimitti, vel peplum ſi vas ad hauriendum haberi non poſſet, ex quo exprimeretur aqua ad baptizandum. Vide latius Scotum quæſtio. iij. diſtin. v. libro iiij. Conſonat Paludenſis. diſtin. vj. quæſtio. j. ar. iij. Et Holkot. quæſtione j. quarti. Et Gabr. diſt. iiij. quæſtio. ij. artic. iij. dub. iiij. Nec eſt de neceſſitate baptiſmi quod baptizans puerum manibus contrectet, ſufficit quod abluat immerſione, vel aſperſione, dum tamen idem ſit, qui abluat & verba proferat, nec ſit curæ ſi multum vel parum aquæ habeatur ſecundum Holkot. q. j. quarti. de conſe. diſt. iiij. Nequaquã. Vnde de cribro tãtundem poteſt exprimi: vt puer aſpergatur. Sed an infantes infidelium inuitis parentibus ſint baptizandi. Videatur de hoc Scotus. quæſtio. vlti. diſt. iiij. libro iiij. Et Richar. di. vj. art. iij. q. iij. Durandus & Paluden. quæſt. iiij. artic. iij. Diſcrepant autem doctores inter ſe. Vide de hoc per multa apud Gabr. dub. v. vbi ſupra qui conſentit Scoto, qui dicit quod principibus non ſolùm licet: ſed debent auferre paruulos à dominio parentum, volentium eos educare contra cultum Dei: dum hoc facere poterunt cum bona cautela, ne parentes cognoſcentes hoc futurum, occidant paruulos ſuos: priuatæ autem perſonæ non liceret. Vide & de hoc Petrum de Aliaco q. ij. ar. j. lib. iiij. probat Gabri. ſecundum Scotum: Nam in paruulo Deus habet maius dominiũ quàm parentes, & vniuerſaliter in poteſtatibus ordinatis. Poteſtas inferior non obligat in his, quæ ſunt contra ſuperiorem, vt dicit Augu. de verbis Domini. homel. vj. & allegat magiſter di. vlti. lib. ij. Si illud iubet poteſtas quod non debes facere: in hoc ſane contemne poteſtatem timendo poteſtatem maiorem. Dicit quoque Scotus. Crederem religioſe fieri, ſi ipſi parentes paruulorum cogerentur minis & terroribus ad ſuſcipiendum baptiſma, & ad ſeruandum poſt ſuſceptum: quia eſto quod ipſi non eſſent veri fideles in animo: tamen minus malum eſt eis non poſſe impunè legem ſuam illicitam ſeruare quàm poſſe eam liberè ſeruare. Item filij eorũ ſi bene educarentur in tertia & quarta generatione eſſent verè fideles. Vide latius Gabriẽlem vbi ſupra. Richardus autem videtur oppoſitum tenere, qui dicit quod homines non licitè poſſunt cogi ad ea, quæ nec illis proſunt, neque Eccleſiæ, &c.

Baptiſma verum dicitur cui nihil deficit requiſitum ad eſſe ſacramenti, & quod imprimit characterem. Et baptiſmus à miniſtro quantumlibet malo ſecundum formam Eccleſiæ collatus verus eſt, & efficax cuiuſlibet ſui effectus, niſi fuerit per malitiam ſuſcipientis impeditus. Hæc eſt ſententia omnium doctorum, Scoti, Petri & aliorum. Et dicitur ritè ſecundum formam Eccleſiæ per quod intelligitur, quod nihil deſit eorum quæ ad ſubſtantiam requiruntur. hoc eſt qui fit in debita materia elementari, ſcilicet, aqua, ac integra verborum forma, ſimul cum ablutione prolata, ac baptizantis intentione qua velit baptizare, nec malitia miniſtri impedit ſacramentum, nec eius effectum, ſi fiunt quæ fieri debent, quæ modò dicta ſunt, probat hoc auctoritate & ratione diffuſe Gabri. diſtin. v. quæſtione vnica. artic. ij. libro iiij. Et ſecundum eundem concluſione ij. Sine peccato in neceſſitate ineuitabili baptiſmus à quolibet ſumi poteſt, fideli & infideli. Eſt autem ineuitabilis neceſſitas, quãdo mora baptizandi eſt in periculo vt niſi ſtatim baptizetur, periret: & non eſt qui velit aut poſſit baptizare, niſi (gratia exempli) vnus ab iſto recipi poteſt & debet baptiſmus. Si tamen in forma Eccleſiæ baptizare velit, ſiue ille ſit gentilis, idolatra, ſiue hæreticus, aut aliàs ab Eccleſia præciſus perpetuò, vel ad tempus, ſiue bonus ſiue malus. Hæc probantur à Gabriẽle. Concordat beatus Thomas, Durandus, Richard. Scotus, Palud. Petrus de Aliaco. Nam baptiſmus eſt ſacramentum neceſſitatis: ideo à nullo debet omitti, dum poteſt ſuſcipi, ſed à præciſo poteſt ſuſcipi verus baptiſmus: ideo ab eo eſt ſuſcipiendus in neceſſitate, & in tali neceſſitate communicando cum præciſo, non tranſgreditur præceptum Eccleſiæ: quia plus ligat præceptum ſuperioris quàm inferioris. Deus autem præcepit baptiſmum ſuſcipi, Eccleſia prohibet communicare cum eo, quem præſcindit, ergo magis tenetur obedire præcepto diuino quàm pręcepto Eccleſiæ. Imò verius obediendo præcepto diuino non tranſgreditur præceptum Eccleſię: quia omnia præcepta Eccleſiæ intelligenda ſunt obligare, inquantum non obuiant præceptis legis diuinę, aut legis naturæ, etiam ſi non ſemper exprimatur in præcepto. Non enim intentio Eccleſię eſt (quæ eſt ſponſa Chriſti) aliquid contrarium ſponſo pręcipere: ita ſcribit Gabr. vbi ſupra: qui latius rẽ diſcutit. Sed extra caſum neceſſitatis ſcienter petens baptiſmum à præciſo non excuſatur à mortali, quia quantum eſt in ſe contemptibilẽ reddit ſententiam

Eccleſiæ,

Eccleſiæ, quod ſcienter ſine peccato mortali non poteſt fieri: vt vult Richardus & poſt eum Gabri. vbi ſupra concluſione iij. Extra tamen neceſsitatis articulum poreſt quilibet à ſuo ſacerdote non præciſo petere baptiſmum, quamuis probabiliter æſtimet eum malum eſſe. In hoc concordant omnes doctores, non enim peccat, qui a malo debitum petit & accipit, ſed ſacerdos eſt debitor ſuis parochianis in ſacramentis miniſtrandis. Etiam ſi fuerit ſacerdos notoriè malus: puta fornicator, luſor, vel vſurarius publicus: quia de occulto malo, cuius vita nõ eſt ſcãdaloſa, nõ eſt dubium quin à tali ſine peccato poſsit recipere ſacramẽta. Imò debet (dicit Scotus di.v.q.ij.) ab eo recipere baptiſmũ. Debet autẽ à ſuo ſacerdote recipere, quia ſi ab alio, cui nõ incumbit ſacramenta miniſtrare, peccat: vt dicit Scotus. vide latius Gabr. concluſione. iiij. vbi ſupra.

Ad veritatem baptiſmi aliqua dupliciter dicuntur requiri: vt notat Gabr. diſtin. vj. quæſt. j. li. iiij. Vno modo neceſſario ſiue de neceſsitate ſacramenti ſine quibus non eſſet ſacramentum, neque baptiſmus. Secundo modo de congruo: & ſic illa requiruntur: ſine quibus nõ ſeruaretur debita honeſtas, aut impediretur aliquis fructus, & vtilitas ſacramẽti, & vtroque modo aliqua requiruntur ex parte ſacramenti in ſe quæ reſpiciunt materiam & formã ſacramenti. Aliqua ex parte ſuſcipientibus baptiſmum. Aliqua ex parte miniſtrantis ſacramentum. De primis duobus dictum eſt: ex parte verò miniſtri requiritur actio, qua corpus baptizandi contingatur ab aqua vel immergendo vel aſpergendo, quam actionem dicimus lotionem. Vide Paluden. di. iij. q. iij. & ideo dicit Scotus neceſſario requiritur virtus motiua in baptizante quæ poteſt aliquo illorum modorum actiuè abluere. Et quia ad ſubſtantiam baptiſmi requiritur forma verborum, neceſſe eſt miniſtrum poſſe loqui. Et quia locutio eſt actus naturæ rationalis requirens intentionem in eo qui loquitur: vt ſit perfecta & intelligibilis locutio: neceſſe eſt baptizantem habere rationem per quam poſsit intendere agere ea, & proferre quæ ad baptiſmum requiruntur. Requiritur autem intentio baptizantis, & ſecundum Scotum non requiritur intentio actualis, nec ſufficit habitualis, ſed virtualis. Hoc eſt quod baptizans quandoque habuerit intentionem actualem, ex qua deſcendat actus baptizandi, & non requiritur intentio miniſtri reſpectu effectus baptiſmatis in ſpecie, ſed ſufficit intendere quod Eccleſia intendit in genere.

Quis autem poſsit baptizare oſtendit Gabr. di. vj. ar. ij. concluſione. j. lib. iiij. cùm ait. Omne ſuppoſitũ naturæ intellectualis poteſt verè baptizare quod ſub debitis materia & forma, & intentione valet baptizandum abluere. Ex quo habetur quod Angeli, dæmones, animæ ſeparatæ, & homines viatores, & comprehenſores poſſunt baptizare. Vt diffuſe probat Gabri. quamuis probabile eſt quod illam potentiam de facto non conceſsit, niſi viatoribus. Et tamen ſi Angelus baptizaret in aſſumpto corpore cum debitis forma & intentione ac aqua elementari ſupponendum eſt verum eſſe baptiſma, nec ſic baptizatus eſſet rebaptizandus. Dum tamen ſufficienter conſtaret baptizantem fuiſſe Angelum bonum. Sic Angelus Michaël prohibuit Epiſcopo dedicare Eccleſiam ſuam in monte Gargano: aſſerens eam à ſe fuiſſe dedicatam. Si etiam malus Angelus in corpore aſſumpto baptizaret, & conſtaret quod hoc faceret ex præcepto Dei: quia oportet Angelum malum etiam inuitum obedire Deo. talis habendus eſſet pro baptizato, nec iterum baptizandus. Sed non eſſet ſine certa reuelatione credendum quod malus Angelus verè baptizaret: quia odit ſalutem hominis. Et quod dictum eſt de Angelis bonis, ſimiliter dicendum eſt de animabus & hominibus beatis: & quod dictum eſt de dæmonibus, locum habet de animabus & hominibus damnatis: ſi aliqui damnati eſſent in anima & corpore. Item nec mutus nec mancus nec vſu rationis carentes poſſunt eſſe miniſtri huius ſacramẽti baptiſmalis: quia deficit potentia proferendi, lauandi, & intendendi, nec requiritur ſexus certus, nec fides, nec baptiſmus, quia tam laicus quàm ſacerdos poteſt baptizare, fidelis ſiue infidelis & hæreticus: vt habet Paludenſis. diſtinct. v. quæſt. ij. artic. j. quia nulli horum deficit aliquid quo non poſsit miniſtrare omnia ad verum baptiſma neceſſaria. Sed nec laicus nec mulier præſumat baptizare, etiam docta vel ſancta niſi neceſsitate cogente, vt habetur diſt. iiij. Mulier. imò extra caſum neceſsitatis nulli licet baptizare, qui non habet miniſterium ſacerdotale. Si autem alius à ſacerdote baptizat: verus eſt baptiſmus: ſed baptizans peccat, & hoc extra caſum neceſsitatis. Probat Gabri. & concordat Richardus diſtin. v. quæſtione iiij. artic. j. Et dicit Angelus in ſumma quod non ſacerdos ſine neceſsitate baptizans efficitur irregularis. Contrarium tenet Paludenſis diſt. v. quæſt. ij. artic. j. Scotus vult quod ſoli ſacerdoti congruit baptizare, & illi præſertim cui incumbit ex officio præſidere: quia per baptiſmum recipitur baptizatus in collegium Eccleſiæ militantis: plura Scotus. & probatur auctoritate canonis de conſecra. diſt. iiij. Conſtat & xciij. diſt. Diacones. Vide de hoc latius Gabri. di. vj. q. j. ar. ij. concluſione ij. Paulus Corteſius non diſſentit. diſt. j. lib. iiij. in fine. vbi dicit. Idque munus baptizandi, ſcilicet, ad flaminem dialem pertinere placet, quamquam id temporum anguſtiis à prophanis & fœminis obiri poſsit. Poſſunt & præterea plures eundem baptizare: dum tamen quilibet eorum perficit totum, quia vnus totum faciens, non annihilat per hoc factum alterius. Sed ſi vnus faceret totum quod plures faciunt: baptizatus eſſet nihilominus alio ſimiliter faciente. Si verò vnus ablueret: & alter verba proferret: nihil facerẽt. Cuius ratio nõ eſt niſi inſtitutio diuina: vt dicit Scotus. Vnde ſi mutus & mancus concurreret: mutus ablueret, & mãcus verba proferret, & vterque baptizare intenderet, nõ eſſet verum ſacramentum. Vide & Petrum de palu. diſt. iij. quæſt. ij. ar. ij. quia non quilibet eorum perficit totum. Sed ſi duo baptizantes dicunt. Nos baptizamus te in nomine, &c. non baptizant: quia ſic mutaretur forma. vt ſentit Alexã. parte. iiij. q. xvj. memb. vij. Nam baptizans miniſter ſignificat Chriſtum. Vnus autem eſt Chriſtus, qui principaliter baptizat: & ideo debet eſſe vnus miniſter, vel plures vt vnus. Et quamuis (vt ait Gabri. di. vj. concluſione. vij. lib. iiij.) Vnus plures perfundes

vel

vel aſpergens ſimul, dicens: Ego vos baptizo in nomine, &c. verè omnes aſperſos baptizat. extra tamen neceſſitatis caſum hoc faciens, mortaliter peccat. Nemini enim præcluditur via ſalutis: quare in periculo mortis hoc liceret. Nec illa mutatio verbi importantis perſonam recipientis mutat veritatē & efficaciam baptiſmi. vt habet Paludēſis di.iij. quæſt.ij. Et etiam videtur in die Pentecoſtes: cùm Petrus vel Apoſtoli baptizarunt multos, &c. vt & ſupra tactum eſt. Nam verba ſignificantia perſonam conferentis & ſuſcipientis non ſunt determinata à Chriſto, ſed ab Eccleſia, ideo in eis poteſt fieri aliqua mutatio. Nec videtur quod Eccleſia voluerit aliquem pręciſe arctare ad iſtam formā: quod per hoc alicui præcluderetur via ſalutis. Si quis autem extra neceſſitatem attentaret, peccaret mortaliter, quia non conformaret ſe Eccleſiæ in ſacramentorum miniſterio niſi neceſſitas excuſet. Excuſat autem à peccato mortali neceſſitas cum imminet. Alioquin in caſu poſito quis eſſet perplexus. Vide latius Gabri. vbi ſupra. Nec eſt par ratio mutationis te in vos, & ego in nos. Nam vos, includit ſuum ſingulare geminatum, ſcilicet, te & te: non ſic nos. cùm dicitur nos: non valet tantum ſicut ego & ego, ſed ego & tu vel ille. & ideo cùm dicitur. Nos baptizamus, mutatur forma. Sed cùm dicitur vos, non eſt mutatio formæ, ſed quædam geminatio, id eſt, baptizo te & te. Verùm Paludenſis di.iij. q.j.ar.iij. aliud ſentit exemplificans de Prælatis qui ſolent ſe pluraliter nominare. Item de modo loquendi aliquorum qui more patriæ ſe, per nos denotant. Ad veritatem item baptiſmi ſimultas lotionis & formæ ac intentionis requiritur, quod neutrum eorum ſine aliis perfectè finiatur. Ratio huius eſt inſtitutio diuina. Latius de hoc Gabr. concluſione viij. vbi ſupra. Iudicatur autem ſimultas inter factum hominis, & verbum, vt dicit Scotus quæſt.iij. diſt.vj. li.iiij. quando incipit vnum antequam totaliter finiat aliud. Fuſius Gabr. vbi ſupra. Conſiderandum præterea eſt ſecundum Alexan. q.xiij. parte.iiij. mem.j. quod cùm aliquis debet baptizari adhibenda eſt diligentia quod baptizandus non committatur ſuſpecto & notato de hęreſi, ſed probato in fide, non quod hæreſis impediat baptiſmum ſi fuit intentio baptizandi, ſed quia de ſuſpecto magis timetur: ne malicioſe intentionem ſubtrahat. Dum autē nō ſuſpecto offertur, licet intētio baptizantis non innoteſcat certitudinaliter & euidenter: tamē innoteſcit vehementi præſumptione, & hoc ſaluti baptizati adulti cum propria fide & intentione, & ſic ſatis præcauetur periculum, quoniā & ſi nō intenderet miniſterialiter baptizare, & ſic nō eſſet ſacramentum. ſaluatur tamē adultus baptiſmo flaminis. Sed quid de paruulo: ſi non intendit baptizans non eſt baptizatus, & ſi decedit ante vſum rationis, damnabitur. Dicit idem quod ſine præiudicio in iſto caſu piè ſupponi & credi poteſt quod ſummus ſacerdos ſuppleat quod deficit ſacramento. Cùm enim virtus ſua non ſit alligata ſacramentis: ſupponendum eſt quod ſuperabundantia liberalitatis & gratiæ illius ac merito Eccleſiæ in nullo negligētis aliud remedium ſalutis adhibebit. Huic conſonat Tho. vt refert Gabri. diſt.vj. q.j. ar.iij. dub.ij. libro iiij.

Baptiſmus eſt regeneratio ſpiritualis: in qua Eccleſia mater eſt, Deus pater. Eccleſia verò copulatur Deo per fidem. Datur ergo gratia fidei à Deo patre: in qua iuſtificatur diſponente fide Eccleſiæ matris: vt ſit conformitas geniti ad gignentem. De quo latius Gabr. dub.vj. vbi ſupra. Sic ergo in fide Eccleſiæ miniſtratur baptiſmus. Et additur Alexan. Et ſi militans Eccleſia erret (quod tamen non cōtingit) nihilominus tamen triumphans ipſa adiuuaret: in qua eſt fides largè ſumpta, quia clariſſima cognitio veritatis. Et dicitur baptiſmus ſacramentum fidei. vt habet. Gabr. diſt.vj. q.j. dub.vj. lib.iiij. quiá in illo datur ſignum fidei, ſcilicet, character, quo diſtinguuntur fideles ab infidelibus, quandoque re & nomine quando non indignè accipitur, quandoque nomine & non re dum fictè acceditur. Dirigit quoque fides (vt idem ait) intentionem in operibus virtutum quibus quis meretur opera dirigendo in vltimum finem, & ad hoc dirigit fides perſonalis exercentis huiuſmodi opera. In ſacramētis autem dirigit fides Eccleſiæ intentionem, eò quòd intentio requiſita eſt intēdere facere id quod Eccleſia credit vel intendit. Vnde ſic intendendo quod Eccleſia intendit, baptizans fit miniſter Eccleſię, etiam ſi fuerit hæreticus, facit enim opus Eccleſiæ. Si enim non intenderet quod intendit Eccleſia, ſed quod intenderet hæreſis: non baptizaret. Sicut igitur quando baptizat fidelis, intentionem eius dirigit fides propria. Sic quando baptizat Hæreticus, intentionem eius dirigit fides Eccleſię, quia intendit quod Eccleſia intendit. Hæc Gabr. Et vt idem ſcribit poſt Scotum. di.vj. q.ij. ar.iij. dub.viij. Scienter ſuſcipiens vel conferens iterato baptiſmū eſt irregularis, vt habetur de apoſtatis. c. ex literarum. vbi dicitur quod talis ad maiores ordines nō poteſt promoueri ſi publicum eſt: niſi ad religionem intrauerit, vt fauore religionis circa eum valeat diſpenſari. Et hoc eſt verum ſi fiat iteratio abſolutè. Secus ſi ſub conditione fiat. Si autem baptizatio fiat ignoranter ſuſcipiens iterato licet ignoranter: eſt irregularis, & non conferens. vt habetur de conſecra. diſtinctione iiij. qui bis. vbi dicitur. Qui bis ignoranter baptizati ſunt, non indigent pro eo pœnitere niſi quod ſecundum canonem ordinari non poſſunt, niſi magna neceſſitas cogat: in tali enim neceſſitate diſpenſari poſſit. Et loquitur c. de ignorantia facti, quia ſi eſſet ſola ignorantia iuris, oporteret eū pœnitere. Vide latius Scotum. Inſuper non baptizatus credens ſe baptizatum, ſaluatur. vt patet de presbytero non baptizato. c. apoſtolicam, non tamen ſuſcipit characterē ordinis, nec eſt verè presbyter, vt patet de preſby. non bap. c.j. & Veniēs. Si tamen celebrat ignorās, creditur quod cōficiat nō poteſtate ordinis quē non habet, ſed virtute Eccleſiæ: ſecundum Innocē. Albertus etiā dicit & putat talē conficere non in poteſtate ſua, ſed in poteſtate Eccleſiæ. Deſcēdit enim tunc à virtute ſpiritusſancti vegetantis Eccleſiam poteſtas in illum: ne Eccleſia decipiatur, & illum excuſat ignorantia inuincibilis. Vnde dicit Allacēſ. q.ij. artic.j. lib.iiij. quod iſta per eum tanquam per ſacerdotem geſta rata fuerunt: tamen ea non fecit. ſed quod ipſe facere credidit, ſummus ſacerdos per ſuam gratiam ſuppleuit. Ponit & plures alios caſus

ſus ibidẽ Dominus Cardinalis Camera. Scotus vbi agit de forma baptiſmi, ponit tres regulas in dubiis. Prima eſt: ſi poſſibilitas adeſt, via tutiſſima eſt tenẽda. Secunda: ſi nõ adeſt poſſibilitas, via tutiſſima proxima. Tertia: ceſſante poſſibilitate, cautè ſupplendũ eſt quod impoſſibilitas prohibebat, & hoc in caſibus quibuſdam eſt tenendum.

Baptiſmum præcedentia ſunt tria. vt recitat Hugo lib.ij.de ſacramentis.parte.vj.c.iiij. Hæc ſunt catechiſmi & orationes. Primum itaq; catechizatur baptizandus vt ad fidem proprio moueatur voluntatis arbitrio. Deinde exorcizatur vt ab eo diaboli poteſtas iniqua pellatur. Additur etiam oratio, vt præueniat & ſubſequatur: quæ vires tribuat libero arbitrio: & qua procul fiat vniuerſa maligni ſpiritus illuſio. Vnde Paulus Cor.diſ.j.lib.iiij.ait. Eidemque, ſcilicet muneri baptizandi catechiſmus & exorciſmus additur, quorum alter diſciplinæ traditio: alter ſontis dæmonis afflictor & exturbator dicatur. Repetaturque vterque, tum à flamine, tum ab eo qui ſit pro puerperio vas factus, vt ritualibus eſt libris mandatum. Et ſecũdum Alex.q.x.partis.iiij. & Hugo. In adultis præcedit cathecisſmus: vt ipſi inſtruantur non ſolùm ad baptiſmũ, ſed etiã exorciſmũ. Qualiter enim intelligerent exorciſationem ſupra ſe, niſi prius inſtructi intelligerent quid eis fieret. Alius autem eſt ordo in paruulis qui non habent vſum rationis, nec intelligere poteſt. Vnde primo datur exorciſmus: ne diabolus impediat proceſſum ad baptiſmum. Hæc Alex. & poſt eum vide Gabr.di.vj.q.iij.lib.iiij. Et illa quæ ſic præcedunt ſiue cõcomitentur, ſiue ſequantur baptiſmum: non ſunt ſacramenta propriè dicta, quia non conferunt gratiam ex opere operato efficaciter ex diuina inſtitutione. Sed ſacramẽtalia dici poſſunt pro quanto præparãt ad congruam ſacramentorum ſuſceptionem, vel ad ſignificationem effectus ſacramenti, aut ad vſum vel exercitium gratiæ in ſacramento ſuſceptæ: vel impedientium remotionem, quæ effectum habent ex inſtitutione Eccleſiæ & eius oratione, & hoc in lege gratiæ. Et nec quantum ad baptiſmi ſubſtantiam, nec quantum ad eius effectum neceſſe eſt præcedere catechiſmũ vel exorciſmum: quia ſine his verus eſt baptiſmus & efficax. Alioquin non ſufficeret ad ſalutem his qui vrgente neceſſitatis articulo aliis ritè baptizantur. Contra illud Marc.vlt. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Expedit tamen eum prius catechizari qui debet per baptiſmum ad vitam ſpiritualem regenerari. Id quidem probat Gabri. ratione & auctoritate vbi ſupra.ar.ij.concluſio.ij. Vnde Marc. vl. dicitur: Ite, docete omnes gẽtes baptizãtes, &c. Præmiſit autem Dominus docete: vt notetur quod inſtructio præcedat baptiſmũ. Vnde Hugo: Docete ad fidem pertinet, baptizantes ad emẽdationem. per catechiſmum quoq; diſponitur catechuminus, vt ſit magis idoneus ad baptiſmi ſuſceptionem: & ſpecialiter quantum ad adultos, oſtenditurque congruitas ex parte paruulorum. Nam ſicut paruulus poteſt conſequi ſalutem ex fide aliena per ſacramentum baptiſmi, ſic congruum eſt vt poſſit obligari ad ea quæ ſunt fidei obligatione aliena. Hæc autem fit per Anadochum, id eſt, patrinum: cui præponuntur rudimenta fidei, & obligatio obſeruandi quæ ſunt fidei: quæ ex perſona pueri reſpondet & profitetur: & ipſum puerum licet ignorantem & non conſentientem obligat. Videantur latiùs Gabr. & alij. Alexan. Tho. Paludenſis, Durandus.

De baptizandi ritu vide Hugo.lib.ij.de ſacramentis.parte.vj.x.xj.capitulis. Et poſt eũ Gabr. qui ſatis clarè & bene refert d.vj.q.iij.ar.iij.dub.iij.li.iij. vbi oſtẽdit quid ſignificẽt ea quæ circa baptiſmum fiunt. In ceremonialibus autem (vt ait Richardus) ſeruanda eſt conſuetudo: quia illa non pertinent ad eſſentiam baptiſmi: quia ſine illis verum conferri poteſt baptiſma, ſed pertinent ad ſacramenti ſolennitatem: peccaret tamen ſacerdos hæc cum propoſito omittens contra morem ſuæ Eccleſiæ caſu neceſſitatis excepto. Hæc de ſacramento fidei quo initiamur vt ſimus Chriſtiani dicta ſufficiant, modica ſunt quæ notauimus ex doctoribus reſpectu eorum quæ ipſi diffuſe & latè pertractant. legant ſtudioſi plura de baptiſmate apud theologiæ profeſſores.

Beatitudo ſecundum theologos & phyſicos vt dicit Gabr.di.xxiiij.q.vnica ar.ij.li.ij. eſt optimum hominis bonum. & vt Brule. ait: beatitudo eſt bonum glorioſum, copioſum & delitioſum quod omnis homo naturaliter appetit.di.xxij.q.j.li.ij. & beatitudo ſecũdum S. Tho.4.ſen.di.xlviij.ar.ij. eſt ſummum bonum, & vltimus finis rationalis naturæ tantum. Idem ſecunda parte.q.xxvj.ar.j.& ij. & prima ſecundæ.q.iij.ar.ij. Beatitudo eſt vltima perfectio hominis. Beatitudo ſecundum Boëtium li.iij. proſa.ij. & Sco. in iiij.di.xlix. eſt bonum, quo habito completè eſt bene habenti. Et cui fœlicitas adeſt, nihil prorſus deeſt (inquit Beroaldus poëta & orator.) Scotus enim dicit quod beatitudo eſt bonum ſufficiens excludens, ſcilicet, defectum & indigentiam. Eſt & bonum perfectum & completum excludẽs imperfectionem ſeu diminutionem. Eſt bonum vltimatum excludens tendentiam & ordinabilitatem ad aliud completius bonum. Boëtius dicit: Beatitudo eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus. Et Augu. in 5. de ciuit. Dei dicit. Beatitudo eſt omnium rerum optandarũ plenitudo.

Beatitudinis nomen multipliciter accipitur ſecundũ Occam.ij.parte ſui dialogi. & poſt eũ ſcribit Gabr. lectione lxvij.canonis. Vno modo pro beatitudine patriæ. Alio modo pro beatitudine viæ. Beatitudo viæ dupliciter accipitur. Vno modo pro operatione ſeu diſpoſitione perfecta, qua quis diſponitur in via ad beatitudinis patriæ conſecutionem. Sic dicitur Iaco.1. Beatus vir qui ſuffert tentationẽ: quia cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitę. Et Matth.5. Beati pauperes ſpiritu. Secundo modo accipitur beatitudo vię pro mundana ac temporali proſperitate: ſecundum quam beatum dixerunt populum: cui hæc ſunt. vt habetur in Pſal. Prima beatitudo nec deſiderium maioris commodi aut perfectionis: nec afflictionem & pœnam, ſed tantum futuræ beatitudinis patriæ impedimentũ: puta peccata mortalia excludit. Secunda tantum apparens eſt & falſa: & ideo nominis beatitudinis indigna. Beatitudo patriæ ſecundum Occam & Gabr. vbi ſupra accipitur dupliciter. Vno modo pro operatione intellectuali opti-

optima ſecundum ſpeciem: qua, ſcilicet, obiectum beatificum diuina eſſentia nude & immediatè ac perfectè attingitur, ſiue illa ſit viſio clara diuinæ eſſentiæ, ſiue fruitio. non enim ab inuicem ſeparantur. Et ſic beatus eſt quicunque clarè intuitiuè videt Deum. Aliter accipitur beatitudo patriæ pro ſtatu huius intellectualis naturæ optimo ſecundum ſpeciem omne bonum tam eſſentiale quã accidentale: & ad quam vnquam eadem natura intellectua lis perueniet includente. Iſta beatitudo excludit deſiderium ad vlteriorẽ perfectionem, delectationem & gaudium: etiam de aliquo citra Deum attingendum. Sic dicitur beatitudo ſecundum Boëtium ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus: cui ſcilicet, nihil deeſt de omnibus bonis quæ talis natura intellectualis vnquam habebit. Et hanc quidem vocant beatitudinem conſummatam, ſiue integram.

Beatitudo (vt ſcribit Petrus de Aliaco. q. xij. ar. iij. li. j.) poteſt ſumi dupliciter. Vno modo præciſe pro actu viſionis Dei claræ & fruitionis vel vtroque ſimul: nõ connotando æternitatẽ illorum actuum. Alio modo poteſt ſumi magis propriè pro illis actibus connotando ęternitatẽ illorũ ſiue credulitatẽ firmã & verã quod illi actus in quibus cõſiſtit eſſentialis beatitudo durabũt ſine fine, & ita ſumit cõmuniter.

Beatitudo ſecundum Rayne. in ſumma ſua, & ſecundum alios. Et vt colligit frater Pelbartus. lib. iij. roſarij theo. generaliter loquendo poteſt conſiderari triplex. Prima falſa & deceptoria. Secunda vera & meritoria. Tertia perfecta & præmiatoria. Prima beatitudo falſa & deceptoria ſecũdum diuerſorum opiniones erroneas ponitur in diuerſis ſecundum quod declarat Philoſophus. 1. Ethic. Et Boëtius iij. de conſo. phi. Aug. 10. de ciuitate Dei. c. xviij. & Philippus Beroaldus de fœlicitate ſcribens. & Baptiſta Mantuanus in li. de patientia. Paulus Cor. Lactantius, &c. per multa illi: qui & reprehendunt prauorum hominum ſententias vel opiniones de beatitudine, quorũ: Quidã in deuitiis tẽporalibus colloca uerũt: vt Chreſus: Quidã in voluptate, vt Epicurus. & in bonis corporis: vt diues epulo. Quidam in potentia & damnatione: ſicut Alexander. Alij in honore & dignitate & nominis fama, de quo aliàs vi- deatur. Secunda beatitudo, ſcilicet, vera & meritoria, de qua dicitur: Beati immaculati in via, qui ambulãt in lege Domini, id eſt, præceptorũ obſeruãtia & fide vera. Vnde & ſaluator Matth. 5. annumerat octo beatitudines: de quibus infra, ſed talis beatitudo non eſt perfecta. Tertia dicitur beatitudo perfecta & præmiatoria: & hæc habetur in patria in Dei viſione & fruitione & tentione. Vnde ſecundum Rich. in iiij. di. xlix. & ſecũdum Reyneriũ in ſumma: cum Tho. li. iij. contra gentiles. c. xlvj. & alios, vera & perfecta beatitudo in hac vita non poteſt haberi, ſed ſolùm in patria: quia hæc conſiſtit in diuinæ eſſentiæ viſione & fruitione: quã in pręſenti habere nequimus niſi per fidei cognitionẽ: quę eſt per ſpeculum & in ænigmate: vt dicit Apoſtolus: Hæc beatitudo vera nõ poteſt obtineri aliter quã per virtutes theologicas: quę ſunt fides, ſpes & charitas. Et beatitudo ſecundum ſanctum Bonauen. dupliciter poteſt ſumi. Vno modo propriè pro ſtatu perfecto plenitudine omnis boni: vt loquitur Boëtius, vt dictũ eſt ſupra. Hæc includit clarã Dei viſionẽ, perfectam fruitionem, & firmam tentionẽ, vt dictũ eſt. Alio modo accipitur pro ſtatu priuatione priuato omnis mali & culpæ. Accipiendo primo modo poſitiuè, nulli Angelorũ in principio creationis fuerunt beatitudine perfecti. vt habet Magiſter di. iiij. li. ij. Nam neq; Angeli cadentes nec ſtantes fuerunt in principio creationis beati, quia ſecuritas & certitudo eſt de ratione beatitudinis. Hæc autem non fuit in cadentibus. Nam Ioan. 8. dicitur de Lucifero. Ille in veritate non ſtetit. Vide latius Gabr. diſtin. iiij. quæſtione vnica. libro ij. Sed in beatitudine ſecundo modo dicta, per priuationem omnis culpæ & pœnæ omnes Angeli ſunt creati: quia omnes fuerunt creati innocentes & ita ſine malo culpæ, & per continens ſine malo pœnæ. Non enim Deus prius eſt vltor quã ſit aliquis peccator. prętereà creator optimus nõ potuit auctor mali eſſe. Vnde Gene. 1. dicitur: Vidit Deus cuncta quæ fecerat: & erãt valde bona. Igitur boni erant angeli omnes quos fecerat bonitate innocentiæ, quæ omnẽ excludit culpam. De hoc pulchrè Magiſter diſt. iij. allegans manifeſtas auctoritates Auguſt. & Origen. Et (vt ſcribit Gabr. diſtinctione v. quæſtio. vnica. lib. ij.) tam Angelus quàm homo beatitudinem ſuam meretur. Glorioſiuſque eſt accipere donum ex merito quàm ſine metiro; & hoc particulariter verum eſt, non vniuerſaliter. Inſtantia eſt de Chriſto.

Beatitudo (vt ſcribit ſanctus Bonauen. diſt. xxxviij. quæſt. j. libro ij.) quæ eſt finis omnium bonarum voluntatum, eſt beatitudo vera. Beatitudo verò quæ eſt finis malarum voluntatum non eſt beatitudo vera, ſed ſimulata. Auarus enim æſtimat beatitudinem eſſe in diuitiis & deliciis, ſuperbia & honoribus, & ſic de aliis. Vnde ſicut finis malarum voluntatum quæ habet imaginem veri boni, vtputà beatitudinis ſiũ. ſic etiam malæ voluntates prætendũt ſpeciem virtutis. Quando ergo dicitur quod omnis voluntas tendit ad beatitudinem. hoc intelligitur de beatitudine in ſua generalitate conſiderata, in cuius appetitu omnes (vt dicit Aug.) communicant. Sed prout beatitudo determinate accipitur pro illa quæ conſiſtit in viſione Dei, nec ab omnibus appetitur, nec omnes in illam tendunt.

Beatitudo ſecundum aliquos (vt refert Gabr. diſt. j. q. vj. lib. j. ſen.) eſt triplex, ſcilicet obiectiua, formalis, & ſubiectiua. Beatitudo obiectiua eſt obiectum beatitudinis formalis, & eſt ſummum bonum, ſcilicet, Deus glorioſus, & dicitur beatitudo increata. Et ſecundum Richar. dicitur bonum in quo perfectè & plenariè requieſcit humana vita. diſt. xlix. artic. j. quæſtio. iij. libro iiij. In nulla enim creatura poſſet homo inuenire perfectam ſufficientiam ad quietandum & perficiendum eum totum. Et dicitur beatitudo finalis, eò quòd ſit vltimus finis. Beatitudo formalis eſt perfectiſſimus actus quo anima vnitur obiecto beatifico, ſcilicet, clara viſio & fruitio & tẽtio. Et dicitur formalis (vt dicit Bruleſer diſtinctione. iiij. queſtione. j. libro ij.) quia conſiſtit in actibus quæ ſunt accidentia, & ſunt ſubiectiuè in beato, & informant ipſum beatum.

Eſt enim

Eſt enim ſic accepta vt ſcribit Rich. aliquid exiſtẽs in beato: tanquam eius vltima, & plenaria perfectio, & eſt aliquid creatũ, & dicitur beatitudo creata, & conſiſtit (vt dicit Bruleſer. di. xlix. lib. iiij.) in clara Dei viſione, & intentione Dei per amorem, & in fruitione & amore amicitiæ: quia ſi electi viderent Deum, & non diligerent, propriè non eſſent beati. Et vt dicit Thomas de Argentina. Beatitudo formalis eſt quo formaliter beatus dicitur eſſe beatus. Et ſecundum eundem vtraque iſtarum beatitudinum replet & quietat ipſius beati omne deſiderium. Vna tamen formaliter, & ideo quandoque appellatur finis intrinſecus, qui dicitur finis quo alia replet & quietat finaliter & effectiuè, & ideo dicitur finis extrinſecus ſeu finis in quo. Quem finem alloquens Aug. in lib. confeſſi. ait: Ad te nos feciſti Domine, & inquietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te. Et quia deſiderium non quietatur niſi bonum deſideratum adipiſcatur. Ideo dicit beatus Aug. Beatus eſt qui habet quicquid vult, & nihil mali vult. Hinceſt etiam quod aliqui beatitudinem deſcribentes dicunt. Beatitudo eſt ſufficientia omnis boni. Nam cùm deſiderium ſit reſpectu boni, igitur omne deſiderium non poteſt quietari, niſi per illud quod in ſe habet bonitatem omnium generum. Vnde ſanctus Bonauen. diſt. xlix. ar. j. li. iiij. ait: Beatitudo eſt finis ſatians noſtrum appetitum. Satians autem noſtrum appetitum eſt dupliciter, vel ſicut obiectum, vel ſicut informans. Primum ſolus Deus eſt, ad quem capiendum humana anima ordinatur. Secundum eſt ipſa influentia Dei in animam, quæ eſt ipſa Dei formitas, & ſatietas, & vt ait q. vj. vbi ſupra. Si dicatur ſicut obiectum omnino vna eſt merces, vnus Deus, vna beatitudo, vnũ præmium. Vnde Matth. 20. dicitur: Omnes acceperunt ſingulos denarios, & tantum Dominus dedit nouiſſimo quãtum primo. Et gloſa. dicit 1. Cor. 15. ſuper illud. Stella differt à ſtella. eundem denarium paterfamiliàs dedit omnibus, qui operati ſunt in vinea, quo vtique non aliud ſignificatur quàm id quod omnes communiter habebunt, quod eſt beatitudo. Si autem formaliter dicitur beatitudo, vna vnitate conformitatis, vnitate connexionis, ſed tamen differens eſt quantitate gaudij & remunerationis. Vnus enim alio clarius videt Deum, & magis de illo gaudet & ſtrictius tenet. Beatitudo ſubiectiua eſt natura beatificabilis. Et hæc impropriiſſimè dicitur beatitudo, ſed propriè dicitur beata ſicut ſubiectum albedinis, non dicitur albedo ſed album. Gabr. lib. j. diſt. j. q. vj. Sunt autem (vt idem ſcribit Gabr. di. iiij. q. vnica. ar. iij. dubio iij. lib. iij. quædam cõcomitantia beatitudinem: vt gaudium, ſecuritas, & illa meruit, qui meruit beatitudinem. Quædam verò antecedentia & beatitudinem inducentia, & de illis non oportet quod merens beatitudinem mereatur antecedentia. Hæc enim ſunt ipſa merita, & gratia meriti principium, quæ non cadunt tanquam præmium ſub merito.

Beatitudo eſt duplex (vt ſcriptis reliquit Richardus di. xlix. ar. v. q. ij. lib. iiij.) ſcilicet, animæ & corporis. Dicitur autem eſſe de eſſentia beatitudinis animæ omne illud ſine quo non eſſet verè beata, & nihil eſt de eſſentia beatitudinis ſuæ ſine quo poſſet eſſe verè beata, & quia ſine corpore verè beata eſt, beatitudo corporis pertinet ad præmium animę accidentale non eſſentiale. Sed illud ſine quo corpus non poſſet eſſe beatum videtur eſſentialis eius beatitudo, vel ad ipſum pertinere, & ita poteſt dici quod beatitudo corporis aliquo modo eſt eſſentialis ſimpliciter & principaliter, quia eſt eſſentialis corpori, inquantum ſine illa corpus non poſſet eſſe beatum, tamen nõ eſt eſſentialis ſimpliciter & principaliter eò quòd ſine illa pars hominis principalior eſt perfecta propter ſui cum Deo coniunctionem. Richar. Et (vt idem vult) beatitudo hominum electorum maior erit poſt iudicium quàm ante extenſiuè & etiam intẽſiuè, quia nõ habet modò niſi beatitudinẽ animæ: tunc autem erunt beati & in anima & in corpore: gaudebitque tunc de ſuo bono & corporis bono. Et etiam intenſiuè: quia clarius Deum videbit. Vnde magiſter diſtin. xlix. ca. vltimo dicit. Peracto iudicio ampliorem gloriam ſuæ claritatis Deus monſtrabit electis. tunc enim naturalis animæ virtus perfectior erit. Vide latius Richar. diſt. xlix. ar. ij. q. vij. &c. Poteſt autem creatura dupliciter participare beatitudinẽ, vt literis prodidit Gabr. di. xxviij. q. vnica ar. j. lib. iij. Vno modo formaliter, quia poteſt per actum beatificũ formaliter tendere in Deum, ipſum videndo, & eo fruendo. & ſic ſola creatura rationalis eſt capax beatitudinis. Alio modo poteſt participare Deum beatificè, non formaliter fruendo Deo, ſed quia poteſt participare aliquem effectum beatitudinis ſeu gloriæ in ipſum redundantis. Sic corpus noſtrum participando dotes gloriæ ex beatitudine animæ in ipſum redundantis (quæ ſunt effectus gloriæ) dicitur participare Deum beatificè. Et quo ad beatitudinis obiectum, ſcilicet, bonum increatum, quod vnum & idem exiſtens ab omnibus participatur, vt ſcribit Rich. di. xlix. ar. ij. q. viij. Sic vnus non eſt beatior alio: quia idem eſt obiectum quod omnes participant, ſed ex parte diſpoſitionis beatorum vnus eſt beatior alio, inquantum vnus videt alio clarius Deum, & diligit perfectius. Vnde gloſ. ſuper illud Ioan. 14. In domo patris mei mãſiones multæ ſunt dicit, id eſt diuerſa pręmia meritorum. Vide clarius Richar. ibi.

Conſiſtit verò ſecundum eundem ar. j. q. v. vbi ſupra beatitudo in actibus nobiliſſimis: qui ſunt actus animæ. Vnde qui beatitudinem eſtimauerunt eſſe in corporalibus diuitiis ſeu deliciis vel honoribus: ſuæ naturæ nobilitatem non recognoſcebant. Et ſecundum Tho. Argent. Beatitudo conſiſtit in actu potentiæ volitiuæ: quia actu voluntatis intimius & perfectius coniungimur & vnimur Deo: qui eſt beatitudo increata. In hoc enim conſiſtit ſumma perfectio, quod ſummè coniungimur perfectiſſimo fini ſuo, ſed ſumma perfectio hominis eſt beatitudo formalis ſeu creata, & vltimus ac perfectiſſimus finis hominis eſt beatitudo increata ſeu finalis, qui eſt ipſe Deus. Item nullo actu magis vnimur quàm actu voluntatis. vt idem ſentit. Item totus homo dicitur ſimpliciter bonus bonitate ſolius voluntatis: etiam ſi habuerit obtuſum intellectum & hebetem. Conſiſtit quoque beatitudo in actu ipſius intellectus aliquo modo: quamuis non æquè principaliter, ſicut in actu voluntatis, quia quilibet actus animæ tantum eſt beatificus quantum per ipſum attingitur

attingitur ipſe Deus, ſed actu intellectus attingitur Deus: quamuis non ſic intimè & perfectè ſicut actu voluntatis. Item in actu viſionis intellectiuæ aliquo modo conſiſtit vita æterna, ergo aliquo modo beatitudo. Vnde Ioan.17.dicitur: Hæc eſt vita æterna vt cognoſcant te Deum, &c. Aſſignat & rationem Thomas ille Argētinenſis. Richardus verò di.xlix.ar.j.q. vj.li.iiij. vult quod beatitudo cōſiſtat in actu intellectus & voluntatis ſimul, quia eſſe beatitudinis vitæ humanæ conſiſtit in perfecta vnione animæ rationalis cum Deo. Hæc autem vnio includit animæ vnionem cum Deo ſecundum omnem ſui potētiam, ſecundum quam vnibilis eſt cum eo immediatè. Potentia autem animę rationalis non tantum eſt intellectus, ſed voluntas, & per qualibet illarum vnibilis eſt cum Deo immediatè. Latiùs probat ibi Richar. Habetur & in Decretali quod vera beatitudo animæ conſiſtit in viſione & fruitione diuinæ eſſentiæ: quorum primū eſt actus intellectus, ſed ſecundum eſt actus voluntatis. Plura & alia de beatitudine ſcribit Tho. Argent. Scotus diſt.xlix.q.v.lib.iiij.inquit, in ſolo actu qui eſt fruitio conſiſtit beatitudo ſimpliciter naturæ intellectualis. Probationem vide ibi.

De beatitudinis perpetuitate habetur ex ſcriptura. Matth.25. Ibunt iuſti in vitam æternā. Et Mat.22. Erunt ſicut Angeli Dei. Et Pſal.83. In ſecula ſeculorum laudabunt te. Et alibi ſæpè. Et ſimiliter ad hoc ſunt dicta ſanctorum multa. Sufficiat adducere illud Aug.13.de tri.c.viij. Beata vita eſſe non poteſt niſi ſit immortalis. Quod probat, quia ſi amitti poteſt, aut ergo beatus amittit iam nolens: & tunc nō eſt beatus, quia non habet quicquid vult. Aut volens, aut neque nolens, neque volens, & ad vtrunq; illorum duorum membrorum ſequitur quod non eſt beatus, quia non amat beatitudinem, imò ſi volens amittit, odit eam, ſi neutrum, nō appreciat eā, nec ergo eſt vita beata. De hoc latiùs vide Scotum di.xlix.q.vj.li.iiij. Cauſa autem huius perpetuitatis (vt idem ait poſtea) nec eſt forma beatitudinis, quaſi per ipſam beatitudo formaliter ſit neceſſaria, nec natura potentiarum illarū quaſi circa obiectum neceſſario perpetuo operetur: nec habitus in potentiis quaſi neceſſario determinans potentias ad perpetuo operandum, ſed eſt ex ſola voluntate diuina, quæ ſicut perficit naturam intenſiuè: ita conſeruat eam in tali perfectione perpetuo. Hæc Scotus. Beatitudo itaque eſt vita æterna. Nec homo ex puris naturalibus poteſt conſequi beatitudinem (vt idem Scotus dicit.q.xj. vbi ſupra: & copioſe ibidē oſtendit. In hoc aſſentiūt omnes doctores. Hinc Richar. di.xlix. ar.ij.q.vj.lib.iiij. dicit quod ex ſolis naturalibus homo nec ante mortem, nec poſt mortem poteſt veram conſequi beatitudinem. probat ibidem & concludit. Cùm ergo vt oſteſum eſt beatitudo vera non poſſit haberi ſine clara & immediata Dei viſione, & perfecta eius delectatione, homo ex ſolis naturalibus, nec ante mortem nec poſt mortem poteſt veram conſequi beatitudinem. Vide latiùs ibi Richar. Vnde tenet Scotus & ſentit ipſe, & dicit in fine vbi ſupra, quod ſaltem neceſſe eſt ponere charitatem propter operationem eliciendam, & per conſequens aliquam poteſt voluntas cum charitate elicere, quam non poteſt ita intenſe ſine charitate elicere. Et ſic patet ſecundū eundem quod aliquam operationem beatitudinis poteſt habere homo, quam non poteſt habere ex puris naturalibus. Et vt idem ait, quod anima in puris naturalibus eſt immediatum ſuſceptiuum beatitudinis, ſed non eſt actiua anima humana ex puris naturalibus ſufficienter ad conſequendum actum viſionis: quia impoſſibile eſt intellectum eſſe cauſam viſionis niſi intellectus habeat in ſe obiectum cognitum, vel aliud in quo eminentius continetur, &c. Gratia igitur requiritur ſiue charitas ad conſequendum vitam æternam. Vnde ad Rom.6. Gratia Dei vita æterna. Item naturalia non ſufficiunt ad vltimam eius perfectionem quæ eſt in anima rationali. igitur nec ad perfectionem, quæ eſt gratia & gloria. Et vt Scotus dicit. Hæc eſt maior hæreſis quàm hæreſis Pelagij, qui poſuit quod homo ſine gratia poſſet iuſtificari, ſcilicet, hominem ex naturalibus poſſe ſaluari. Omnis præterea homo beatitudinem naturaliter appetit quod eſt bonum, glorioſum, copioſum, & delicioſum, vt ſcribit Gabr. di.xxij.q.j. lib.ij. Et ideo omnis homo naturaliter appetit excellentiam, ſufficientiam & lætitiam. de quo latiùs alias dicitur, &c.

Beatitudo Nomina beatitudinum quæ nominantur ſiue numerantur Matth.5. ſunt nomina habituum virtuoſorum ſecūdum aliquos heroicorum aut intentione perfectorum (vt ſcribit Gabriēl di.xxxiij. q.vnica.ar.j.lib.iij.) poſt Scotum eadem diſt. Vnde ſanctus Bonauen.diſt.xxxiiij.q.j.lib.iij. ait: Habitus perficientes rectè dicuntur beatitudines, pro eo quod tales habitus faciunt hominem proximum Deo & conformem ipſi gloriæ ſummæ & beatitudini in qua eſt reperire ſummam perfectionem. Enumerantur autem vt Gabr. dicit vbi ſupra quinque ſpecies ſpecialiores virtutum. duas quippè ſpecies temperātiæ enumerat ſaluator inter beatitudines. Vna eſt humilitas quæ moderatur circa primum delectabile, quod eſt honor. & hanc exprimit ibi. Beati pauperes ſpiritu. Vnde Aug. Rectè hic intelliguntur pauperes ſpiritu humiles ac timentes Deum, id eſt, non habentes inflatum ſpiritum. Aliā ſpeciem moderantem voluptatem in communi exprimit per hoc: Beati mundo corde. Munditia cordis eſt immunitas voluntatis, ab omni inordinata delectatione: tam ratione ſui quàm ratione appetitus ſenſitiui, cui coniungitur. Fortitudinem exprimit in ſua perfectiſſima ſpecie quæ eſt ipſa patientia. ibi: Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, &c. Iuſtitiæ exprimit tres ſpecies: vnam quæ eſt in communicando ſeipſum per amicitiam, cùm dicit: Beati mites inſinuat. quamuis enim amicitia ſit plus quàm beneuolentia ſecundū Ph. viij. ethi. latēte in contrapaſſis, & beneuolentia plus ſit quàm mititas: quia mites ſunt, qui non offendunt nec reſiſtunt in malo, tamen per hoc minimum quod eſt quaſi infimum in amicitia exprimit illa, qua quis ſeipſum communicat proprio. Aliam ſpeciem iuſtitiæ, quæ, ſcilicet, diuiditur in damnationem iuſtam, & obedientiā exprimit per hoc quod dicit. Beati pacifici. Pax enim in hoc ſeruatur quod præſidens rectè regit, & ſubditus rectè obedit. Tertia ſpecies iuſtitiæ quæ eſt quantum ad exteriora exprimitur. Beati miſericordes. Nullo enim alio modo

modo poteſt quis eſſe perfectus circa exteriora cō-municando ſe proximo, quàm vt ſcit miſericors qui ſua communicat non vt rehabeat, nec vt priùs beneficiatus ab eo cui communicat: liberalis enim & ſi communicat amico, aliqua tamen poteſt eſſe liberalitas, aliqua inferior quàm ſit miſericordia, expectat enim quandoque ipſe liberalis gratitudinē pro benefactis: & ita liberalitas eſt imperfectior ſpecies iuſtitiæ quàm miſericordia. Hanc igitur iuſtitiam quæ eſt circa temporalia, exprimit Deus in ſpecie. Beati miſericordes: & ita habentur tres virtutes morales expreſſe in ſuis ſpeciebus, vel in ſe. Theologicas duas exprimit ibi: Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam. Eſurire non eſt ſine miſericordia, ſed habitus quo elicitur, eſt charitas. Propriiſsimè enim charitas viæ, eſt habitus, quo eſurimus iuſtitiam. Et diligere Deum in ſe, quæ eſt quædam dilectio, eſt vera iuſtitia: ſpem verò exprimit per illam: Beati qui lugent. Luctus enim eſt habitus deſiderandi. Sic ergo in octo beatitudinibus exprimuntur duę virtutes, appetitiuę Theologicæ, & tres morales: fortitudo in ſe, & temperantia in duabus ſpeciebus, & iuſtitia in tribus ſpeciebus.

Duæ autem virtutes intellectuales Theologica, ſcilicet, fides, & cardinalis quæ eſt prudentia, non exprimuntur in ſe, nec in ſuis ſpeciebus, ſed dantur ſatis intelligi per appetitiuas, quia non eſt voluntas ſatis diſpoſita ſine virtute in intellectu correſpondente: quod etiam dicuntur beatitudines, non eſt intelligendum quod habitus illi, vel actus eorum ſint beatifici in re, ſed in merito, quia per actus eorum meremur beatitudinem: ſicut in pleriſque locis loquitur ſcriptura de beatitudine in ſpecie ſiue in merito, vt ibi: Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem, &c. Sic de donis intelligendum eſt, quod ibi numerātur quatuor virtutes cardinales, & tres Thelogicæ. Prudentia per illud: Spiritus conſilij. Nam prudentia propriè eſt habitus conſiliatiuus, quia eſt habitus ſyllogizandi practicè, & ſic ſyllogizare eſt conſiliari. Vnde habitus quo quis eſt conſiliatiuus, eſt prudentiæ. Fortitudo exprimitur nomine ſuo inter dona. Timor eſt ſpecies temperantiæ. Idem enim eſt omnino timor quod humilitas, licèt alio nomine nominetur. Vnde Auguſtinus ſuper illud: Beati pauperes ſpiritu. Quod ſcriptura frequenter commendat timorem Dei initium ſapientiæ: nihil aliud eſt quàm quod humilitas eſt initium virtutum. Quod etiam inter dona numeratur pietas hæc, eſt miſericordia, & eſt illa ſpecies iuſtitiæ, vt dictum eſt.

Charitas autem exprimitur per illud: Spiritus ſapientiæ. Vbique enim in ſcriptura per ſapientiam charitas intelligitur. Sapiētia enim eſt habitus quo ſapit habenti obiectum quod eſt in ſe ſapidum: quo, ſcilicet mihi placet illud bonum in ſe, & illud volo mihi, & ita in illo bono etiam includitur ſpes: fides autem exprimitur per duo dona, ſcilicet intellectum & ſcientiam: de hoc latiùs videre potes Gabriëlem diſtinct. xxxiiij. quæſt. vnica, artic. j. libr. iij. Dicuntur & ſecundum eundem beatitudines illæ hoc eſt habitus virtutum fructus & dona, quæ omnia hic includuntur dona ſpiritus ſancti dupliciter. Vno modo quia immediatè infunduntur à ſpiritu ſancto, & nec illi, nec aliqui habitus eiuſdem ſpeciei cum illis circa eadem obiecta poteſt acquiri per naturam. Secundò dicuntur dona ſpiritus ſancti, quia licèt infundātur à ſpiritu ſancto, poſſunt tamen ipſi vel alij eiuſdem rationis naturaliter acquiri, & idem ſunt eiuſdem rationis cum acquiſitis, & poſſunt immediatè inclinare ad eoſdē actus, ad quos habitus acquiſiti ſine acquiſitis. Sicut donū linguarū datum Apoſtolis in die Pentecoſtes, fuit habitus per quem poterant intelligere, & loqui omnia linguarum genera, qui potuiſſet naturaliter acquiri per ipſam & doctrinam, & ita de dono ſcientiæ & intellectus, quo nouerunt omnem veritatem neceſſariam ad ſalutem & ſcripturarum intellectum: qui habitus licèt poterant acquiri per ſtudium & doctrinam longi temporis & exercitij, tamen de facto infundebantur à ſpiritu ſancto. Sed tales habitus virtutum non infunduntur regulariter cuilibet baptizato, ſicut docet experientia: non enim infunduntur ſine ſpeciali & nouo miraculo. Et fortè (vt inquit Gabriël diſtinct. xxxiiij. quæſt. vnica, artic. j. libro iij.) de his ſecundo modo dictis habitibus loquitur Apoſtolus, dum vult dona gratiæ & ſpiritus ſancti non omnia ſingulis infundi, ſed eſſe diuiſiones gratiarum, & vnum ſpiritum diuidentem ſingulis, prout vult 1. Corinth. 12. Vide latiùs Dominum præpoſitum Gabriëlem, Scotum, Thomam, & alios. Et de differentia beatitudinum, donorum & virtutum, & de comparatione donorum ad virtutes acquiſitas, quæ breuitatis gratia relinquo, quamuis per beatitudines non diſtinguantur realiter à ſeptem virtutibus: differunt tamen nomine vel ratione donum, beatitudo, virtus: de quo conſulas Gabriëlem diffuſe hæc ſcribentem. Nam virtus generale eſt ad donū & beatitudinem: donum importat habitum infuſum: tamen beatitudo vt hic, habitum infuſum & perfectum.

Beatificabile dicitur, quod poteſt beatitudinem conſequi: vel quod poteſt beatificari, vt eſt homo. Et vt ſcribit Scotus diſtinct. xlix. quæſt. viij. Nulla natura inferior humana eſt beatificabilis ſimpliciter. Cuius ratio eſt, quia nulla natura eſt beatificabilis niſi quæ poteſt attingere obiectum immateriale, ſed nulla natura inferior natura humana poteſt hoc: ergo licèt ſecundum quid natura aliqua inferior humana eſt beatificabilis, vt omnis natura quæ per ſuam operationem poteſt ſuo fini immediatè coniungi: & ſic ſuo optimo, non optimo ſimpliciter, ſed omnia habentia operationes proprias & immanentes: vt ſenſus poſſunt coniungi ſuo optimo: ergo ſic poſſunt beatificari, licèt non ſimpliciter. Item illa quæ non habent potentiam operatiuam non ſunt ſimpliciter; nec ſecundum quid beatificabilia, quia non habent operationem coniungentem cum ſuo optimo, ſed in operatione conſiſtit beatitudo: & alia etiam tantum factiua ſunt, non imperatiua, quia habent operationes immanentes eis. & tales formæ ſunt omnes formæ ſub ſenſitiua. Dico igitur (inquit Scotus) quod homo eſt beatificabilis ſimpliciter, & nihil aliud eo inferius, &c. Beatificatio autem perfecta complectitur gloriam corporis & animæ, quæ confertur poſt reſurrectionem carnis in vita æterna, vt ſcribit Gabriël noſter.

Beatus eſt (vt inquit Aug.13.de Trinit.) qui habet omnia quæ vult, & nihil malè vult. Ex quo habetur ſecundũ Gab.d.xv.li.iij. nullum quátumcunq; virtuoſum poſſe eſſe hoc beatũ, quia hoc poteſt pati aduerſa: & ita non habere quicquid vult, quia alterum optat quantũ in ipſo eſt, ſcilicet proſperum. Vnde Sco.explanans diffinitioné Augu.Beatus eſt qui habet quicquid vult, &c. inquit: Beatus igitur non eſt, niſi qui & habet quicquid ordinatè poteſt velle: nõ tantũ quicquid nunc actu vult, tunc enim aliquis viator poſſet eſſe beatus qui nunc quádo de vno tantũ ordine habito cogitat, poteſt autem voluntas ordinatè velle habere charitaté. Scotus di.j. q.iiij.li.j.& di.xiij. q.ij.li.iij. Beatus verò (vt vult Cice.in lib.Tuſcu.quęſt.) vir dicitur omnibus virtutibus inſtructus & ornatus. Et ſecundũ eundem: Beatus dicendus eſt qui ſit in bonis nullo adiuncto malo. Et vt idem dicit: Beata vita virtute cõficitur. Dicitur etiá beatus ſecundũ aliquos qui rebus omnibus ad vitę vſum, ornatumq; ſpectantibus abundat: dictus, vt quidá volunt, quaſi benè auctus. ideo locupletes viros aliquando beatos vocamus.

Beare eſt beatum facere, eiusq; oppoſitũ eſt Ebeare, quod eſt beatitudine priuare.

Belial interpretatur apoſtata, cum quo Chriſtus nõ conuenit, vt ſcribit Richar.ſecundũ gloſ.ſuper 2.ad Corith.6.d.v.ar.iij.q.ij.li.iiij.quia ille omnia malè, Chriſtus autem omnia benè agit.

Bellum, vt ſcribit Paulus Cor.li.iij.ſen.d.vij.eſt hominum diſsidentiũ armata decertatio, at bellorum æquitas ſic tripartito diſcerpitur, vt in principũ auctoritate, in cauſa & dimicantiũ volũtate verſetur. Principũ auté haud ſecus intereſt ferro hoſtes à finibus arcere, ac nefarios & ſontes punire domi. Cauſarũ autem iniuſtarũ multa ſunt genera. Nam quædam appetentium, quædam vafertimè eripientiũ, quædá iniuſtè laceſſentiũ nominátur. Voluntas verò dimicantiũ legitima putatur, cùm adhuc nec cupidè nec acerbè bella geruntur, ſed bellũ ita ſuſcipitur, vt pax ſola quæratur. Ideoq; iure ſancitũ eſt, vt initiati & flamines exleges dicantur, ſi temerè in acie & dimicatione verſentur, aut ea prœlia ineant quibus humanus cruor profundatur. Eſt enim bellum ritualis cultus & precationũ hoſtis: hæc Corteſius. Per bellũ, vt ſcribit Theologorũ lux Gabr. d.xv.ar.j.li.iiij. intelligitur impugnatio hominum violenta quæ fit gladio & armis, ſiue fiat homini, perſonis, ſiue in rebus. Et eſt duplex, bellum iuſtum, & iniuſtum.

Bellum iuſtum (vt colligit Archidiaconus xxiij.q.ij. in principio ex verbis S.Auguſt.contra Fauſt.) eſt quod auctoritate Dei vel Principis geritur à conuenienti perſona, cõtra inuaſores & oppreſſores boni ſtatus reipublicæ, nõ humana cupiditate, ſed amore pacis habendæ, & cõmunis ſalutis procurádæ. Alij ſic deſcribunt. Bellum iuſtũ eſt, quod interueniente legitima auctoritate ex cauſa iuſta, intẽtione recta, cum moderamine debito geritur. Prima tria ponit S.Tho.ij.ij.q.xl.art.j. Quartũ addit Artaxanus in ſumma. Rayne.verò & Goff.addunt duo, rem, ſcilicet & perſoná. Hæc enim quinq; dicũt requiri ad iuſtum bellũ: perſoná, rem, cauſam, animũ, auctoritatem. Hoſtienſis (vt enim refert Gab.) dicit iuſtũ bellũ eſſe illud quod ex edicto geritur de rebus repetendis, aut propulſandorũ hominum cauſa. Et ſunt verba Iſid.li.2.Ety. Et breuiter qui auctoritate ſui iudicis rectè interueniẽte accipit gladiũ, ſiue iubentis ſiuę cõſentientis, iuſtũ eſt. Nõ enim præſumitur quod ius vel iudex auctoritaté cõferat bellandi, niſi concurrant omnia ad iuſtũ bellum requiſita. Requiruntur autem quatuor cõditiones ad iuſtũ bellum. Prima eſt legitima auctoritas, quoniá vt dicit Tho. non pertinet ad perſoná priuatam bellum mouere. Tum quia poteſt ius ſuũ in iudicio ſuperioris conſequi. Tum quia conuocare multitudinem (quod in bello oportet fieri) non pertinet ad priuatá perſoná. Et eſt duplex auctoritas, iuris & iudicis, quarum altera ſufficit. Iuris auctoritas interuenit vbicunque ius concedit humanum, naturale vel diuinum, vt latiùs ſcribit Gabr.d.xv.q.iiij.libr.iiij. Ius humanum interuenit quádo bona alicuius poſſunt occupari. Ius naturale quod procedit vim vi repellere. diſt.j. Ius naturale. Ius quoque diuinum interuenit, dum bellare lex diuina præcipit. Sicut præceptũ fuit filiis Iſrael exterminare inhabitatores terræ promiſsionis, & contra Amalachitas ac alios arma ſumere, vt habetur in veteri teſtamento in pluribus locis. Auctoritas iudicis interuenit, dum bellum geritur de mádato Eccleſię vel Principis. Vnde Auguſt.contra Fauſt. Ordo naturalis mortaliũ paci accommodatus hæc poſcit, vt ſuſcipiendi belli auctoritas & cõſilium apud Principes ſit. & habetur xxiij.q.j.quid culpatur. & S.Tho.vbi ſuprà. Cùm cura reipublicæ cõmiſſa ſit Principibus, ad eos pertinet rempublicá ciuitatis, regni vel prouinciæ tueri. Et ſicut licitè defendũt cauſam materiali gladio, cõtra interiores perturbatores & malefactores puniunt, ſecundum illud Rom.13. Non ſine cauſa gladium portat, miniſter enim Dei eſt vindex in iram qui malè agit. Ita etiam gladio bellico rem tueri ab exterioribus hoſtibus ad eos pertinet auctoritas Principis. Princeps auté qui nõ habet ſuperiorem, ſiue ſit Rex ſiue Imperator, poteſt auctoritate propria (ſi ſit cauſa iuſta) mouere bellũ, quam auctoritatem etiam ſubditis dare poteſt ſi cauſa ſubſit, & videtur expedire. Et hoc contra extraneum Principem, vel contra ſubditos eius, ſed non contra ſubditos proprios, quamdiu volunt coram eo vel ſuo iudice (ſi ſit iudex medius inter Principem & iniuriantẽ) ſtare. vide latiùs Gab.vbi ſuprà. Nec ſacerdotes (vt habetur xxiij.quęſt.viij.Clerici, &c.ſeq.) propria manu arma arripere non debent, niſi fortè ad proprij corporis defenſionem, tamé vel his quibus huiuſmodi officia cõmiſſa ſunt, perſuadere, vel quibuſlibet vt ea accipiant ſua auctoritate valẽt imperare, vt dicit Gratianus xxiij.q.viij.quicunq; ex clero.§.his ita. Poſſunt & bellis intereſſe, vt iuſtè pugnátibus ſpiritualiter ſuis exhortationibus ſubueniant & abſolutione & cæteris ſpiritualibus ſubſidiis, vt vult S.Tho. Ex his patet primum ad iuſtum bellum requiſitũ, ſcilicet legitima auctoritas, ſine qua quiſquis accipit gladium, gladio peribit. Matth.26.id eſt, peccato gladij, ſeu occiſionis damnabitur. Secundò requiritur ad iuſtum bellũ cauſa iuſta. Sunt autem plures cauſæ, ſed ad tres in genere reducũtur, ſcilicet defenſio legũ humanarũ ac diuinarũ, ac patriæ & hominũ, vt patet 1.Machab.2.& 3.c.Secun-

3.c. Secundò correctio vel coërtio maleſactorũ & iniuriantium Deo & hominibus, ac correctionem negligentium cùm ad illam teneantur, aut iniuſtè impedientium. Et propter hanc cauſam iuſsit Dominus pugnare cõtra habitatores terræ promiſsionis, eosq́; interficere. Deuter. 20. Et contra Beniamitas Iudic. 19. & 20. Tertiò recuperatio iniuſtè ablatorum vel detentorũ ac læſionis, ſiue in rebus, ſiue in fama, ſiue in corpore, ſiue in perſonis. Sic Abraham iuſtè pugnauit contra Reges, qui Loth filium fratris ſui captiuum duxerunt, & ſpolia rapuerunt. Gen̄. 14. Et filij Iſraël iuſtè bellabant contra occupatores terrę promiſsionis poſtquam Dominus illam eis dederat. vt habetur Ioſue 1. & c. ſequent. Hoc autem intelligendum dummodo iniuriatores perſeuerant in delicto: & ſatisfacere, aut iuri ſtare (ſaltem coram arbitris aut viris bonis ſi iudicem ſuperiorem non habent, recuſant.) Sic Dominus Deuteronom. 20. præcepit filiis Iſraël: Si quando acceſſeris ad expugnandum ciuitatem, offeres ei primò pacem. Tertia conditio requiſita, eſt intentio recta, vt, ſcilicet, non ex ira, odio, vindictæ appetitu, aut alia inordinata paſsione moueantur. Vnde Auguſtinus 22. lib. contra Fauſtum: In bello culpatur nocendi cupiditas, vlciſcendi crudelitas, implacatus animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & ſi qua ſunt ſimilia. Eſt autem recta intentio, quæ ex charitate procedit: puta ex amore Dei, proximi, aut virtutis pacis, ſcilicet, iuſtitiæ vel obedientiæ. Charitate proximi non ſolùm amici dico, ſed etiam inimicorum, contra quos bellatur: vt, ſcilicet corrigantur, & ad pacẽ redeant. De quo latiùs vide Gabriëlem, vbi ſuprà. Quarta conditio requiſita ad iuſtum bellum, eſt debitum moderamen, ne fortè cùm bellum geritur, lædantur innocentes, aut doloſè vel plus debito inimici & nocentes. Nec debent hoſtes doloſè decipi, quanuis contra eos liceat inſidiis vti: quoniam falſum ſiue mendacium hoſtibus dici non debet, nec promiſſa violari. Vnde Ambroſius libro de offic. Sunt quædam iura bellorum & fœdera, etiam inter ipſos hoſtes ſeruanda. Et Auguſtinus: Fides quãdo promittitur etiam hoſti, ſeruanda eſt, contra quem bellum geritur. Inſidias verò ponere poſſunt, & propoſita ſua ac inuadendi conſilia occultare, quæ non propriè vocantur fraudes. Sic mandauit Dominus Ioſue ponere inſidias habitatoribus ciuitatis Hai. eiuſdem 8. Similiter cauendum eſt, ne inimici plus iuſto lædantur, ſiue in perſonis, rebus, locis, vel poſſeſsionibus. De hac re latiùs legere potes Gabriëlem noſtrũ illuſtri gratia Theologum diſt. xv. libr. iiij. queſt. vnica. Aſtipulatur prędictis Corteſius (vt ſuprà dictũ eſt.) Ex his poſſumus per oppoſitum cognoſcere quid ſit bellum iniuſtũ. Vnde bellum Iniuſtũ ſecundũ Gerſonẽ part. ij. in dialog. duorũ militũ, Franci & Angli eſt bellũ iniquũ, quia fundatũ eſt in libidine dominãdi, & voluptate ditandi tyrãnica cõtra Chriſtianos, & qui ſcienter peccat, quærit ſibi gehennam. Ponunt autem quidam differentiam inter bellum & prœlium, quod bellum eſt ipſa pugna, tamen totum tempus quo in militia ſumus, quod illiterati guerram dicunt. Prœlium eſt ipſum tantummodo armorum certamen. Nam pugna & certamen etiam citra arma fit interdum etiam nudis verbis.

Behemoth, id eſt, Lucifer. Vnde Iob 4. Behemoth quem feci tecum, quaſi bos fœnum comedit. Gabr. diſtinct. xvij. quæſt. j. lib. iij.

Beneficium largiſsimè acceptum eſt beneuola actio gaudium tribuens accipienti. Accipitur & ſtrictius beneficium pro Eccleſiaſtico beneficio, ſcilicet pro iure recipiendi prouentus officio Eccleſiaſtico annexos. Et ſic comprehendit dignitates, prælaturas maiores & minores, ac perſonatus, qui frequenter etiam accipitur pro dignitate, & econuerſo. Licèt magis propriè dignitas dicitur adminiſtratio rerum Eccleſiaſticarum cum iuriſdictione. Perſonatus verò eſt quędam prærogatiua in Eccleſia ſiue iuriſdictione: vt habere ſtallum honorificum in choro, vel in capitulo, vel in vocibus dandis, & ſimilibus. Comprehendit enim beneficium canonicatus præbendas, capellanias ſiue datas in titulum, vt ſunt perpetuæ, vel ad vota amouibiles. Et licèt hoc modo beneficia (vt ſcribit Gabriël diſtinc. xv. quæſt. viij. artic. j. libro iiij.) multipliciter diſtinguantur: tamen hoc pro nunc ſufficit, quod quædam ſunt curata, quædam ſunt ſimplicia. Curata, quibus cura animarum eſt annexa. Simplicia, quibus cura non eſt annexa animarum, ſed aliquid aliud officium, vt Miſſarum celebratio, canere ac legere in choro, & ſimilia. Nam generaliter datur beneficium propter officium. cap. fina. de reſcriptis. libr. vj. Quandoque autem beneficium poſsidetur iuſto titulo, quandoque iniuſto. De quo lege Gabriëlem vbi ſuprà. qui & dub. iij. vbi ſuprà dicit, quod beneficium eſt ſequela officij. Vnde ſi clericus ex culpa ſua non poteſt dicere officium, non debet recipere beneficium: vt habetur lxxxj. diſtinct. Eos autem, &c. Et (vt ait Gerſon parte. ij. tract. de ſimonia.) quod in beneficio præſertim habente curam animarum ſunt hæc duo, officium & beneficium. Beneficium autem (ſicut dici ſolet, & verum eſt) datur propter officium: vnde ad ius & obligationem officiandi cõpetit ius beneficium recipiendi, &c. Hinc xvj. q. j. generaliter, dicitur: Propter hoc ipſum beneficia eis indulgemus, vt aliis omnibus derelictis, Dei omnipotẽtis inhæreant miniſteriis. Vnde obuentiones beneficiorum ſtipendia ſunt officiorum. Ob quam rem (vt ſcribit Gabr. dub. ij. vbi ſuprà.) Omne beneficiũ tam curatum quàm ſimplex requirit reſidentiam, niſi cauſa rationabilis excuſet. Non enim debet viuere de altari qui altari non deſeruit. Ex hoc dicit Panar. in c. fina. de cleri. non reſid. poſt Innocen. Hoſtien. & Ioan. And. dicens: Omnia beneficia quæ dantur in titulũ, ſiue ſint vicariæ, ſiue modicæ æſtimationis: vt viginti ſolidarum, requirunt reſidentiam de iure communi. Nec ſufficit deſeruire per alium, quoniam illi dicuntur aſsiſij in textu iuris quaſi aſsidui. Nec releuantur ponendo vicarium ibi. Sunt tamen caſus quos ponit Angelus, in quibus abſens habetur pro reſidente: vt ſi eſt in ſeruitio Papæ vel Epiſcopi, vt inquit Angelus. Vel ſi fuerit infirmus tali infirmitate, quæ impedit eum reſidere vel intereſſe diuinis. Secus ſi infirmitas non præſtat cauſam non reſidentiæ vel abſentiæ à diuinis. Sunt & alij caſus rationabiles:

ſcilicet tenuitas beneficij,nō ſufficiēs ad ſuſtētatio-nē beneficiati. Aut quia beneficiatus eſt ratione officij Eccleſiaſtici occupatus, aut ad prædicationem miſſus,aut ſtudio,aut in peregrinatione cōſtitutus, & ſimilibus multis,in quibus duo cōcurrere debet, ſcilicet rationabilis cauſa & honeſta, & licentia ſui Prælati. Nec ſufficit ſoli Prælati licētia ſine honeſtate cauſæ,quia Prælatus nō poteſt ſine cauſa diſpenſare contra ius,vt Panormitanus vult. Plura Gabr. vbi ſup. Vnde reprehēditur pluralitas beneficiorū: vt videre potes in multis locis apud Gerſ. Et Gabr. lect.xxviij.circa.vſq; ad finē. Et eundē d.xv.q.viij. art.iij.dub.ij.li.iiij. Vnde poſt multa ſcribēs,dicit: Tenēs plura beneficia ſiue iuris,ſiue iudicis diſpenſatione: non excuſatur à mortali crimine, multa enim pericula cōcomitantur habentē multa beneficia. Qui autē amat periculū,peribit in illo,Eccleſ.3. Vnde Ioan.Cancel.Pariſ.in regulis moral.hanc regulā ponit: Agere incertū & dimittere certū in materia morali eſt peccatū mortale. Et ſpecificat eā addēs: Si tale ſit incertū quod ſit mortale nō ſolū per coniecturas leues , aut ex ſuperſtitione trepida & ſcrupuloſa proueniēte ex nimio timore cadendi in via Dei. Sed intelligitur dum tale eſt vehemēter & probabiliter incertū q̃uē,ſicut oppoſitū vel magis: tunc enim illud quod agitur nō carebit mortali peccato. Hæc Gerſ. Nunc autē quod habere plura beneficia extra caſus dictos,ſit peccatum mortale, eſt ſenrētia plurimorū ſanctorū & famoſorū doctorū: plus cōcordans ſacræ ſcripturę & Patrū canonib' quàm eius oppoſitum: ergo oppoſitū,ſcilicet poſſe habere ſine mortali plura,eſt valde incertū,& longè minus ꝓbabile q̃ oppoſitū: ergo tenēs plura beneficia extra caſus,cōmittit ſe incerto mortalis peccati,& dimittit certū, quia apud omnes certū eſt, quod non habere plura beneficia nō eſt peccatū: multa Gabr. vbi ſup. Periculoſum itaq; eſt habere plura beneficia,nec optare vel ꝓcurare præſertim curata ſemper licet. Vnde ſecundū Tho. & Ray. beneficiū cū cura animarū nō licet ſibi procurare, quia idoneū nō poteſt adminiſtrare ſine gratia ſeu charitate,quā ſcire ſe habere nō poteſt: ergo eſſet præſumptioſus, ſecus de aliis beneficiis: quia ſi indiget poteſt ſibi petere. Aug. tamē de Anchona ſi.de poteſt. Papæ, tenet generaliter nō poſſe ꝓcurare ſine peccato. Quod verū æſtimandū eſt, quādo principaliter ꝓcurat vt habeat beneficiū: ſecus quādo principaliter procurat, vt poſſit prodeſſe: de quo videre potes Gerſ.par.ij. de intētione ac fine actionis,regul.viij.&c. Gloſator verò Rayne.dicit, quod hęc opinio videtur dura: Vnde credit q̃ aliquis pro ſe petere poteſt, niſi ſit indignus. Si verò ſit dignus etiā beneficiū cū cura animarū petere poteſt, exeplo Eſa.dicētis: Ecce ego mitte me. Sed prima tutior eſt, quia q petit beneficiū,aut ſe credit dignū, aut indignū: Si credit ſe dignū,iā eſt præſumptuoſus: ergo indignus, & preces porrigit pro indigno, & ſic dat munus à lingua. Si verò credit ſe indignū, fatuus eſt & peruerſus, etiā ſi petat propter bonū opus, quia ſine tali beneficio poteſt benefacere. Fatuus verò eſt, qui animā ſuam obligat pro animabus aliorū ſpōtè. Habēs inſuper beneficiū (vt ſcribit Panor.extra de cle.reſi.c.cōquirētes) quantūcunq; ſimplex, quod per ſe ſufficit ad vitā beneficiati, nō poteſt aliud tenere ſine mortali peccato. vt patet in ca.dudū.de elect. quod limitat Panor. ſi propter ſe ſolū habet: ſecus verò ſi collata eſſent nō ratione ſui, ſed ꝓpter vtilitatē beneficiorū; vt quia eſt homo induſtrius & bonę cōſcientię: vt notat in c.iamdudū.de præb. Beneficiatus quoq; de beneficio viuere debet nō luxuriari. Multa aliàs ſcribunt de pluralitate beneficiorū, quę hic omitto. Et notandū quod ſcribit frater Oſwal.li.iiij. Roſarij Theol. in dictione Miſſa.§.xj.inſtitut. Miſſæ, q̃ quis celebret, non obligat omni die ad celebrandū, ſecundū Panor. extra de cele. Miſſę ca.cōſuluiſti. & extra de præben.ca.ſignificatū: & ſi quis inſtitueret omni die celebrādum, illicita eſſet inſtitutio: daret enim materiā peccādi: ideo talis inſtitutio debet interpretari per dictū ca.ſignificatum: vt, ſcilicet, intelligatur quāto frequētiùs poteſt, ſalua honeſtate ſua, & debita reuerētia, & deuotione ad ſacramentū: & ſic intelligendum de quocunq; beneficiato. Idē eſt dicendum quando inſtitueretur ad dicendum Miſſam peculiarē quotidie, quia hoc nō obſtante, poteſt & debet dici de feria vel feſtiuitate, extra de celebr. Miſſ. ca. quidam laicorum.

Beneuolentia vt diffinit Hugo de S.Victor. & poſt eum frater Pelbar.li.ij. Roſarij Theol. eſt bona erga aliquē voluntas. Anto. Floreñ.part.iiij. Summæ, tit.vj. Et Rayne. Iſta (ſecundū iſtos) inter ſe differunt, amor, beneuolentia, amicitia, & charitas, dilectio, cōcordia, & beneficētia. Nā amor eſt quid generale ad omnē amorē licitū & illicitū, & cōmune eſt etiā brutis. Beneuolētia (vt dicit Philoſ.8.Ethi. eſt qua alicui benè volumus & optamus voluntate rationali, & ſic non eſt in brutis. Amicitia differt à prædictis, quia dicit amationē mutuā cum reamatione, ſed beneuolētia dicit ſolā amationē, qua quis bonū vult alteri, etiā ſi ille nō reamaret iſtū. Vnde etiā poteſt fieri ad ignotos homines, de quibus audit aliquid boni: ſed amicitia nō poteſt eſſe ad ignotos, licet amicitia fundetur ſuper beneuolētia, vt dicit Philoſoph.8. Ethic. Charitas differt à prædictis, quia eſt amor fundatus ſuper beatitudinis diuinæ communicatione. Eſt enim charitas, qua diligimus Deum propter ſe, & ſuā bonitatē, & proximum in Deum, & propter Deum. Nam inimicū diligimus ex charitate propter Deum ad beatitudinem. Sed amicitia eſt ſolum inter amicos in honeſtate virtutum fundatus: propriè accipiendo dilectio differt, quia eſt actus primus & principalis procedens ex habitu charitatis. Vnde charitas dicit habitum. Sed dilectio propriè dicit actum diligendi ex charitate. Concordia differt, quia conſiſtit in conformatione voluntatis mutuæ perſonarum. Beneficentia differt, quia conſiſtit in exteriori effectu charitatis, & liberalitatis, vel pietatis, qua quis alteri benefacit effectualiter. Concordia autem conſiſtit propriè in ſolo affectu interiori voluntatis: ſimiliter & beneuolentia.

Beſtiæ dicuntur quaſi vaſtię, eò quòd hominibus manifeſtè noceant, ita ſcribit ſanctus Bonauen. di.xv. lib.ij. circa textum. Et vt dicit Guil. Scotiſta lib.ij. diſtinct.ix. Beſtia dicitur quaſi vaſtia, quia vaſtant: & vaſtæ & vagabundæ ſunt huiuſmodi à vi quaſi viſtia ex ferocitate. Propterea beſtia dicitur tripliciter, vt notat Pelbartus libro ij. Roſarij Theolog.

Primò

Primò propriè, & ſic capitur pro animalibus ferocibus crudelitate. Secundò cõmuniter, & ſic quodlibet animal in terra gradiens, & factũ pro ornatu terræ dicitur beſtia præter hominem. Tertiò communiſsimè, & ſic diuiditur in greſsibile, volatile, & natatile. Ita etiam aues, & piſces, nomine beſtię deſignantur in ſcriptura.

Bigamia vt ſcribit Petrus de Palude diſtin. xxvij. q. iiij. libr. iiij. eſt defectus ex ſecundis nuptiis. Et vt monogamus dicitur à monos quod eſt vnũ, & gamos, qnod eſt coniugium, mulier vel vxor, quaſi vnius coniugij mulieris vel vxoris. Sic bigamus quaſi bini: pergama à pir, quod eſt ignis, & gamos, quod eſt mulier, quaſi igne mulieris deſtructa, ſcilicet pergama Troiæ. xvj. diſt. vnius vxoris virũ, id eſt, monogamũ. Vnde eſt defectus veri ſacramenti, & duo vera matrimonia eſt vera & propria bigamia, aliter non. Latiùs ſcribit Palu. vnde concubinarius cum vna, vel cum pluribus, in ſacris vel non ſacris regulariter vel ſeculariter nunquam fit bigamns: nunquam enim videtur vera bigamia, niſi ex nuptiis veris, vt Petrus ſcribit. Et bigamus dicitur, qui contrahit cum duabus, vel corrupta. Et nunquam contrahitur bigamia ſine carnali copula. Et bigamus (vt ſcribit Scotus diſt. xxxiij. quęſt. ij. lib. iiij. & in hoc omnes concordant) ſiue ante baptiſmum ſiue poſt, eſt irregularis, & iſte neceſſariò excluditur ab ordinibus, quia bigamus qui habuit duas, vel vnam quæ fuit duorum, habet aliquid repugnans coniunctioni Chriſti & Eccleſiæ. Sacerdos autem tanquam Chriſti vicarius in Eccleſia repræſentans perſonam Chriſti, nõ debet habere aliquid repugnans Chriſto in cõparatione Chriſti ad Eccleſiam, & econuerſo. Nunc autem Chriſtus eſt vnicus ſponſus vnius Eccleſiæ, & Eccleſia eſt vnica ſponſa vnici ſponſi Chriſti: ergo, &c. Et cauſa irregularitatis non eſt niſi ex ſtatuto Eccleſiæ. Scotus hæc. Non ſic eſt de homicida, qui ante baptiſmũ nõ poſt eſt irregularis, & cauſa nõ eſt niſi ſtatutũ Eccleſiæ volẽtis iſtã pœnã remitti, & nõ aliã. Vide latiùs Scot. vbi ſup. Contrahitur autẽ quatuor modis bigamia, vt vult Palud. & cõcordat Richar. d. xxvij. ar. iiij. q. j. li. iiij. Primus eſt habere duas vxores, & tripliciter. Primò ambas de iure. Secũdò ambas de facto, vnã de iure, alterã de facto: quomodocunq;, & nunq̃ matrimoniũ iuris vel facti cauſat bigamiã, nec verã, nec interpretatiuã, niſi fuerit conſummatũ aliqualiter. Secũdus modus, quãdo vnus cõtrahit cũ vidua de iure vel de facto, vt in ſacris vel profeſſus. Dico aũt viduã, id eſt, corruptã, aliàs maritus viduæ virginis bigamus nõ eſt. Itẽ corruptã ab alio, etiã ſi à primo nõ ſuſcepit ſemen, etiã ſi cõtrahens credat virginẽ. Dico aũt viduã, inquit Petrus, ſiue propriè, vt quãdo vir mortuus eſt: ſiue impropriè, vt repudiata: ſiue iuſtè, vt adultera: ſiue iniuſtè, vt aliter odio habita. Dũ tamẽ & ipſa fuerit cognita à primo viro vel adultero. Et cũ hoc ab iſto de quo quæritur. Nunq̃ enim virgo bigamus fieri poteſt, nec maritus virginis, q̃diu vterq; vel alter virgines ſunt. Et ideo ad hoc requiruntur tria. Primò, quod ſit ab alio corrupta. Secũdò, quod ſit ab iſto cognita. Tertiò, quod ſit matrimoniũ contractũ verũ, vel præſumptũ. Tertius modus, quãdo recõciliat ſibi adulterã quo ad thorũ, id eſt, cognoſcit eã poſt adulteriũ, quã in matrimonio defflorauit, etiã ſi ignorãter, vnde multi ſunt bigami & ignorant. Quartus modus eſt, quãdo poſt votũ ſolenne ordinis ſacramentalis, vel regularis aliquis cõtrahit de facto, cũ vnica & virgine, & deflorat eam. qui cle. vel vo. c. j. vbi dicit, quod diacono ſic contrahente poteſt Epiſcopus diſpẽſare, quod nõ poſſet ſi illa priùs fuiſſet ab alio corrupta: vt extra e. ca. vlt. Ergo fuit virgo, nec eſſet neceſſaria diſpẽſatio, niſi fuiſſet bigamia. Item quãdo conuerſus contrahit de facto cum vnica, & virgine, & cognoſcit eam per eandẽ rationẽ. Itẽ nõ eſt vera bigamia, vbi nõ fuerunt duæ veræ vxores. vide latiùs Petrũ de Palud. Et ar. iij. dicit de pœnis bigamiæ. Prima eſt, quod nudãtur omni priuilegio clericali. Secũdò priuãtur tonſura clericali excepto ſubdiacono, & religioſo. Nam ſi intrãt religionem, poſſunt portare tonſuram monachalem. Tertia pœna, non debent deferre habitum clericalem, ſcilicet deferre ſuperpelliceum, & ſimilia. Qui verò habet virginem vnicam, tenetur deferre tonſuram & habitum clericalem, aliàs perdet priuilegium: poteſt tamen tegere tonſuram ne ſit ſcandalum vxori. Quarta pœna, quod non ordinatur ad aliquem ordinem niſi diſpenſatiuè, imò nec corona ſibi dari poteſt, quia ſi non poteſt vti antiqua corona, vel ordine: multò minus poteſt accipere de nouo. Quinta non eſt capax alicuius beneficij Eccleſiaſtici, nec ſecularis, nec regularis, quia non confertur laico; ſed tantum clerico. Latiùs ſcribit Paludeñ. Item ad contrahendam bigamiam, etiam in foro conſcientiæ ſufficit matrimonium in foro Eccleſiæ. Sic cognoſcens illam, cum qua contraxiſſet ſponſalia, fit bigamus, ſi eſt corrupta, vel vidua, vel poſt ordinem cognoſcit, vel fornicario vel maritali affectu, fit bigamus pari modo ac ſi per verba de præſenti: plura alia videre potes ibi apud Petrum. Et ſecundum eundem artic. v. quæſt. iiij. vbi ſuprà. lib. iiij. cum omni bigamo Papa ad omnia totaliter & vniuerſaliter diſpenſat, id eſt, cum vero: & interpretatiuo ad omnes ordines, beneficia & dignitates, vt Lucius Papa cũ Panormitano Epiſcopo, qui fuit bigamus. Non autem diſpenſat Papa: vt vult Richar. diſtinct. xxvij. artic. iiij. quęſt. iiij. cum bigamis, niſi exigente neceſsitate.

Blaſphemia Græca dictio eſt *βλασφήμια*. Et eſt quando aliquis attribuit Deo quod ei non conuenit, vel de Deo negatur, vel detrahatur; quod ei conuenit, ſecundum Auguſtinum & beatum Tho. ij. ij. q. xiij. artic. iiij. Blaſphemia eſt cõtumelia, vel conuitiũ in iniuriam creatoris. Vel blaſphemia eſt verbũ in contumeliã Dei prolatum, vel blaſphemia eſt per quam de Deo falſa dicuntur, & ſecundum S. Bonauẽn. poſt Hugonẽ di. xliij. li. ij. circa textũ: blaſphemia eſt de ſe indifferens, quantum ad hoc, quod ſit peccatum in ſpiritũ ſanctum & non in ſpiritum ſanctũ. Alij enim blaſphemãt ex infirmitate & coactione, & hi peccãt in patrẽ. Alij ex deceptione, & hi peccãt in filium. Alij ex certa malitia, & hi peccãt in ſpiritum ſanctum, & hoc eſt ſceleratiſsimum genus peccati, in vituperiis Dei delectari. Ita ſcribit Hugo. Et pòſt ſubiungit: quid eſt ſpiritus blaſphemiæ, niſi affectus & deſiderium vituperationis diuinæ. Spiritus enim blaſphemiæ ſuſpirat ad odiũ Dei, ſicut ſpiritus ſanctus ad Dei amorem.

Differunt itaq; blaſphemia & ſpiritus blaſphemiæ: blaſphemia remittetur, ſpiritus aut blaſphemiæ nõ remittetur. Et quod grauius ſit peccatum ſpiritus blaſphemiæ quàm blaſphemia: non enim differunt ſicut voluntas & actus, ſed ſicut generale & ſpeciale. Hæc ſanctus Bonauentura.

Blaſphemare (vt ſcribit Frater Pelbertus lib. ij. Roſarij Theolog. in dictione Peccatum. ¶. xl.) eſt derogare diuinæ bonitati ex quacunque cauſa, aut attribuendo Deo quod ſibi non conuenit, ſiue corde ſiue ore: puta dicendo immiſericordem, vel iniuſtum Deum. Item blaſphemare eſt deſpicere ac denegare Deum, & ſanctos & ſanctas eius, cauſa iræ ſuæ, eſt blaſphemia, vt ſcribit Gerſon parte ij. tractatu de cognitione peccatorum venialium & mortaliũ, conſideratione octaua. & part. iiij. de peccato blaſphemiæ tractatum paruum ſcribit: vbi ait conſideratione prima: Peccatum blaſphemiæ eſt, quando non rectè dicitur de Deo, contra verã eius religionem Chriſtianam, aut quando quicunque dicitur in diffamiam nominis ſui ſancti, vt maledicendo ei, vel deſpiciendo eum, aut inhoneſtè & turpiter loquendo de eo, vel iurando per eum, ſanctoſq; eius & ſanctas benedictas. Et peccatum blaſphemiæ, ſecundũ eum, peius eſt ac horribilius quàm furari alteri, aut comedere carnes die Veneris vel in Quadrageſima. Et eſt propriè peccatum & idioma infernalis inimici & damnatorum. Eſtq; (vt idem vult) peccatum blaſphemiæ magna cauſa peſtilentiarum, bellorum, famis, & aliarum tribulationum in Chriſtianitate. Peccatum quoque blaſphemiæ non eſt excuſandũ, per hoc quod verſum eſt in malam, peruerſam & damnabiliſsimã cõſuetudinem, tam in generali quàm in ſpeciali: nec per hoc quod blaſphemi ſe abſtinere non poſſe, dicunt, etiã cum ira inuadit eos & ſuperat: quia ſi mox punirentur, benè cauerent blaſphemare. Peccatũ item blaſphemiæ cadit omninò ſuper eos, qui ipſum audiunt libenter, vel qui irrident, vel qui non ponunt impedimentum. Vnaqueque perſona ſecundum poſſe ſuum, & facere debet officium ſuum: imò expedit vnicuique qui habet inferiores & ſubditos, vt ipſi caueant omni modo blaſphemiã. Gerſon part. iiij. qui & de peccato blaphemiæ plura ibi ſcribit. & aliàs de hoc videatur.

Bonitas eſt quadruplex, vt ponit Doctor ſubtilis diſtinct. vij. lib. ij. & idem tangit in quodlibet. quæſt. xviij. Ad hoc valent dicta Occam. quæſt. xiij. ſententiarum. & diſt. xix. libr. ij. ſententiarũ. & ad hoc videatur Gerſon part. iiij. ſerm. de pace & vnitate Græcorũ. Bonitas naturalis eſt triplex & moralis. Prima eſt bonitas ex genere. Altera eſt bonitas ex circunſtãtia ſiue virtuoſa. Tertia bonitas meritoria ſiue gratuita: vel bonitas ex acceptatione diuina.

Bonitas naturalis eſt quæ conuenit rei inquantum eſt ens poſitiuum, ſecundum gradum ſuæ entitatis, ſecundum quam res eſt melior, quę eſt eſſentialiter perfectior. hæc eſt in omnibus rebus, ſecundũ magis & minus, & reliquæ tres bonitates propriè, & primò conueniunt actui voluntatis elicito, & per illum actibus imperatis. Et illa (vt inquit Gerſon part. iiij.) in donis naturæ fundatur: ſicut eſt intellectus, memoria, ratio, & libertas. De hoc dictant Metaphyſici, quod ens & bonum conuertuntur, vnaquæque res tantum habet bonitatis, quantum habet eſſe vel entitatis. Et ſecũdum eundem vnuſquiſque homo quantumcunque malus vel damnatus habet illã bonitatẽ naturalem, quilibet homo ad imaginem Dei formatus eſt, quãuis aliqui eam turpem faciant & immundam per eorũ peccata.

Bonitas ex genere eſt bonitas quę conuenit volitioni ex hoc quod tranſit ſuper obiectum conueniens tali actui, ſecundum dictamen rectæ rationis. Sic omnis ſumptio cibi potentis naturaliter nutrire, eſt bona ex genere. Nam volitionis comedendi obiectum, ſecundum rectam rationem, eſt cibus potens nutrire. Sic velle comedere venenum vel arcillam, eſt actus malus ex genere. Et dicitur bonus ex genere, quia ſicut genus ſpecificatur: & contrahitur per differentias ad ſpeciem, & eſt primum in diuiſione ſpecierum: ita obiectum eſt primum quod requiritur ad actũ voluntatis, ſine quo actus voluntatis eſſe non poteſt. Et ex eo contrahitur prima ratio bonitatis, quæ eſt cõuenientia actus ad obiectũ: & hæc eſt quaſi materialis & formalis ſiue perfectibilis per rationes circunſtantiarum, &c.

Bonitas ex circunſtantia ſiue virtuoſa, eſt quę conuenit actui ex hoc quod elicitur à voluntate, ſecundum omnes circunſtantias, quas recta ratio dictat ſibi debere competere in eliciendo: bonum enim eſt ex cauſa integra, ſecundum Dionyſiũ cap. iiij. de diuinis nomin. & eſt bonum quaſi ex ſpecie moris, quia iam actus habet omnes differẽtias contrahentes bonum ex genere: & illa bonitas moralis, ſecundum Gerſonem parte iiij. fundatur in virtutibus moralibus politicis, & ciuilibus, vt ſunt prudentia, temperantia, fortitudo, & iuſtitia, propter quas ſeruandas facti ſunt fortes, ciuiles. Et quamuis huiuſmodi virtutes non ſint perfectè ſine gratia Dei, ſunt tamen laudandæ. Et in his virtutibus communicationem habent omnes hi qui benè viuunt ſecundum leges, & ordinationes vitæ præſentis. Et in hac bonitate vniti eſſe debent omnes homines cuiuſcunq; fuerint legis, Pagani, Turci, Iudei, Saraceni, debẽt enim viuere prudenter, temperatè, fortiter, & iuſtè. In hac vnione fundantur temporalia dominia, Regna, Imperia, Ducatus, Comitatus, & alia: vbi ſunt plures qui legem Dei non habent. Hæc Gerſon.

Bonitas gratuita ſiue meritoria, ſiue theologicalis, eſt quæ conuenit actui ex hoc, quia elicitur virtuoſe, & conformiter principio merendi, quod eſt gratia, ſiue charitas, hoc eſt, actus bonus meritorie, eſt actus virtuoſus, elicitus à voluntate, ſecundum inclinationem charitatis ſibi inexiſtentis. Exemplum primi. Sic omnis actus poſitiuus eſt bonum naturale, imò id quod eſt poſitiuum in peccato, eſt bonum bonitate naturali. Exemplum ſecundi bonitatis, dare eleẽmoſynã, rem vtilem ei cui datur. Exemplum tertij, dare eleẽmoſynam de propriis indigenti, in loco quo ſibi poteſt competere, & propter Deum. Exemplũ quarti, iſtud opus facere non tantũ ex inclinatione naturali, ſicut potuit fieri in ſtatu innocentiæ, vel fortè hoc fieri poſſet à peccatore nondũ pœnitente ex pietate naturali moto ad proximum, ſed ex charitate, ex qua faciens eſſet amicus

Dei

Dei reſpiciẽtis opera eius ad pręmiandũ. Hęc bonitas quæ propriè ſola eſt bonitas ſpiritualis gratię, & theologica virtutũ fidei, ſpei, & charitatis. (vt ſcribit Gerſ. part. iiij.) quæ quidẽ bonitas cõmunicatur per ſancta Eccleſiæ ſacramẽta. De hac bonitate, & vnione loquebatur Apoſt. cùm dixit: Vnus Dominus, vna fides, vnũ baptiſma. Et quoniã omnes homines in hac bonitate vniti eſſe debẽt vnius fidei, vnius ſpei, & vnius charitatis per idẽ ſacramentum baptiſmi, & alia ſacramẽta. Infideles nõ habẽt illã vnionẽ, ſed ſolùmodo fideles & Chriſtiani, qui faciũt & nominãt Eccleſiã vnã. Alij ſunt tanq̃ membra mortua præciſa, vel abſciſa, & putrida. Huic triplici bonitati opponitur triplex malitia. de qua vide ſuo loco in litera M. Eſt & bonitas ſecundũ Gerſo. quę eſt iuſtitię originalis. itẽ bonitas glorię, de quibus aliàs dicitur. Eſt itaq; triplex bonum (vt ſcribit Gabr. d. xxviij. q. vnica. lib. ij.) ſcilicet bonũ meritorium, bonum morale, & bonum ex genere. Primum nunquam eſt ſiue gratia & charitate. Secundum non ſiue virtute à qua procedit, vel quam generat. Tertium inuenitur ſine vtroque.

Bonum ſecundũ Durand. & Paludeñ. q. ij. art. ij. d. v. libr. iiij. refert dicere de malo, ſiue bono ſimpliciter ſiue ſecundũ quid. Nam bonus ſimpliciter ſecundũ cõmunem acceptionẽ dicit̃ bonus moraliter: & malus ſimpliciter dicitur vitioſus. Vnde bonũ bonitate moris (vt inquit Palud.) eſt bonitas ſimpliciter. Eſſe verò bonũ artificẽ, eſt bonitas ſecundũ quid: & bonus ſecundũ quid dicit̃ bonus, ſecundũ id quod ſibi addit̃, vt bonus faber, bonus Grãmaticus, & patet differẽtia, quia aliquis eſt bon⁹ faber, aut bonus Grãmaticus, qui non eſt bonus ſimpliciter, nec bonus homo: & ecõuerſo, aliquis eſt bonus homo, qui nõ eſt bonus faber, nec Grãmaticus, verũ hoc poſſit magis Logicè exprimi ſecundũ appellationẽ, ſicut in Logica ſcripſimus. & videre potes de hoc Gab. d. v. q. vnica, ar. j. li. iiij. Bonus verò per eſſentiã, dicitur ſolus Deus. Vnde Matth. 29. Nemo bonus niſi ſolus Deus. Gloſ. Nemo bonus, ſcilicet per eſſentiã, niſi ſolus Deus. Alia autẽ omnia ſunt bona à Deo per participationẽ, vt dicit Boët. lib. de hebdomad. nec habet bonitatẽ ab alio, nec deitatẽ. Omnis autẽ bonitas creaturæ participatiuè, eſt ipſa bonitas diuina, ſecundũ Diony. Tho. quia ſolus Deus habet omnimodã perfectionẽ, ſecundũ ſuã eſſentiã. ergo ſolus Deus eſt bonus eſſentialiter. Et cũ dicit̃ baptiſmus dari à bono miniſtro aut malo miniſtro de rigore verborũ importatur bonitas, vel malitia, nõ hominis miniſtrãtis, ſed ipſius miniſterij, id eſt, modi miniſtrãdi. Nullus autẽ, vt Durand. & Petrus Palud. ſcribũt, eſt malus miniſter, in quantũ miniſter, niſi qui deficit in aliquo particulari requiſito ad ſuũ miniſteriũ. Qui autẽ deficit in aliquo requiſito ad ſuũ miniſteriũ, nõ poteſt ipſum perficere. Requiruntur autẽ hęc tria generaliter ad miniſteriũ: ſcire, velle, poſſe, ſecundũ eoſdẽ. Et ſic malus miniſter eſſet baptiſmi, qui neſciret modũ & formã baptiſmi: aut nollet, id eſt, nõ intẽderet baptizare. Aut nõ poſſet, quia nõ poſſet proferre verba, aut nõ poſſet aſpergere aut immergere, vt mutus aut mãcus, ſic accipiẽdo nõ cõferret talis verũ baptiſma, quia deficeret in neceſſariis: & ideo ſi attentaret, nihil faceret. Sed plerunq; Doctores loquẽtes de malo & bono miniſtro, per malũ miniſtrũ intelligit miniſtrũ, qui eſt malus malitia moris, id eſt, q eſt in peccato mortali cõſtitutus. Et talis eſt duplex, quidã eſt pręciſus ab Eccleſia, vt hęreticus, aut excõmunicatus, ſuſpenſus, vel interdictus, aut nõ eſt pręciſus, adhuc habetur vt membrũ Eccleſiæ numero, & ſi nõ merito: baptiſmus autẽ à miniſtro quãtumlibet malo, ritè ſecundũ formã Eccleſiæ collatus, verus eſt & efficax cuiuſlibet ſui effectus, niſi fuerit per malitiã ſuſcipientis impeditus: & hoc eſt de mente omnium Doctorum, Sco. Pet. & aliorum. vide de hoc Gab. di. v. q. vnica, artic. ij. libr. iiij.

Bonum eſt triplex, ſcilicet vtile, honeſtũ, & delectabile (vt & Philoſophi ſcripſerũt) vt Ariſt. 1. Ethic. Cice. li. Offic. & Theol. Alexã. de Ales, part. j. collatione de bono. Et cõcordat Tho. & Brulef. d. xlvj. q. iij. li. j. ſen. Et Gerſ. tract. x. & xij. ſuper cant. Mariæ. Bonũ vtile eſt illud, quod propter ſe nõ eſt appetibile, ſed propter aliquẽ finẽ conſequendũ, vt potio amara infirmo. Bonũ honeſtũ, ſecundũ Tulliũ, eſt illud, quod ſua vi nos attrahit, & ſua dignitate nos allicit ad ſui amorem. Et dicitur honeſtũ, quaſi honoris ſtatus, id eſt, per bonũ per ſe; vel propter ſe diligibile: aut ſimpliciter, ſicut eſt Deus: aut ſecundũ quid, vt ſunt virtutes: quia de ſeipſis habent vnde deſiderẽtur. Bonũ autẽ honeſtũ præcipuè reperitur virtutibus infuſis, ſecundũ Tho. j. part. q. v. arti. vj. Vnde & Sapien. 7. dicitur: Venerunt autẽ mihi omnia bona pariter cũ illa, ſcilicet ſapiẽtia infuſa: & innumerabilis honeſtas. Bonum delectabile eſt quod cauſat delectationẽ in potẽtia, & quietat eã vt pulcherrimũ viſibile. Et illud eſt duplex, quia aliud eſt delectabile honeſtũ, aliud verò inhoneſtũ, cùm ſint aliquãdo etiã noxia & inhoneſta, ſicut delectationes ciborũ, ludorũ, venereorũ & honorũ, diuitiarũ, & huiuſmodi. Alexã. & Tho. Et ſecundũ eundem Tho. part. j. q. v. ar. vj. Bonũ per prius prędicatur de bono honeſto. Nã bonũ analogicè dicitur de iſtis: & primò de bono honeſto, quia illud eſt verè bonum, & proptet ſe deſiderabile: & ſic eſt præcipuũ, in quo inuenitur vtilitas maxima, vtpote in diuinis & virtutibus, ſcilicet cõſecutio ſalutis, pax mentis, ac ædificatio proximi: ideo præfertur bono vtili, de quo bonũ prædicatur: præfertur & à fortiori bono delectabili, de quo bonum prædicatur. Nam in bono honeſto eſt vtilitas, & delectatio maxima, & veriſsima. Sed in bono delectabili eſt bonitas ſæpè fallax, & minus vera, &c. Stulti ergo qui præelegunt hæc præ illis, &c.

Bonum maius aliquid poteſt dici dupliciter, aut intenſiuè, vtpote quia plus Deo placet. Aut extenſiuè, vtpote quia pluribus prodeſt: ſanctus Bonauen. diſtin. xl. q. iiij. libr. iiij.

Bonum vnum eſt melius altero multis modis, vt & videre licèt apud Rayne. in Sũma ſua. Primò, quia eſt diuturnius, ſic beatitudo cœleſtis melior eſt omni bono mũdi. Secũdò, quia purius: ſic ſecundũ Philoſophũ, bonũ quod eſt ſine omni malo permixtũ, maius eſt, ſicut gaudiũ ſine triſtitia. Tertiò quia cõmunius. Nam 1. Ethic. dicitur: Bonũ quãto cõmunius, tantò diuinius & melius. Vnde bonũ reipublicæ præfertur bono priuato. Quartò, quia eſt ſufficientius. Sic charitas melior eſt quàm caſtitas.

Quinto, quia honorabilius, vel laudabilius, quia maior laus & honor debetur meliori bono.3.Ethi. Sexto,quia eſt precioſius,ſic aurũ præfertur argento.Septimo,quia eſt diuinius.Nam bonũ diuinum eſt per eſſentiã bonũ. Alia autẽ per participationẽ: ideo bonũ quod eſt Deo ſimilius, & proximius eſt melius aliis,ſicut melius eſt eſſe verè ſanũ,quàm ap parenter ſanũ: & ſic gratia præfertur omni bono. Octauo, quia eſt efficacius in cauſando maius bonum,& ſic medicina licèt amara,quę eſt magis cau ſatiua ſanitatis, melior eſt cibo dulci. Sic amicitia diuitiis eſt melior, quia efficacior ad cauſandum maius bonum, ſcilicet, delectationem, pacem, & alia bona, quæ diuitiæ nõ in tantum efficiunt,quoniam quandoque cauſa ſunt diſcordiæ. Vnde Ariſtoteles 8.Ethicorum: Amicitia melior eſt multò quàm pecunia: nullus enim ſanè eligeret viuere ſine amicis,reliqua bona habens. Nono,quia ordinabilius vel fini propinquius, ſiue ipſi finis alterius. Nam finis eſt melior ordinatis in finem,ſicut ſanitas melior eſt quàm medicina. 1.Ethicorum. Sic etiam virtus melior eſt quàm ſcientia:quia virtus immediatè ordinatur ad finem vltimum, ſcilicet beatitudinem. Scientia autem mediante virtute,&c. Decimo,quia vtilius:vnde equus melior eſt quàm ſimia.Copioſius ſcribit Rayner.in Summa.

Bonum arduum poteſt dici bonum (vt ſcribit Gabriel diſtinct.xxvj. quæſt.vnica. artic.iij.dub.j.libro iij.) cuius aſſecutio eſt difficilis, & ſic poſſet aliquo modo ſuſtineri,quod iraſcibilis eſt reſpectu ardui: non quidem obiecti, ſed actus,ſcilicet velle vindicare offendens, cuius executio fit cum difficultate quadam, & hoc videtur innuere ſanctus Thomas.Vnde dicitur: Quod obiectum iraſcibilis eſt arduum, quia,ſcilicet tendit ad hoc quod ſuperet contraria,& ſuperemineat eis.Hoc autem non fit ſine difficultate,&c.

Bonum ſummum (vt notat Thomas de Argen. diſtinct.xlix.libr.iiij.) vno modo dicitur ſimpliciter, & ſic ſola diuina bonitas, eſt ſummum bonum. Alio modo dicitur ſummum bonum in genere,puta in genere delectabilium ipſi delectato formaliter inhærentium,&c.Et vt ſcribit ſanctus Thomas parte j. quæſt.vj.art.ij.Deus dicitur ſummum bonum,reſpectu quidem aliorum non per comparationem vel cõnumerationem cum aliis bonis,quia vniuerſa bona alia non poſſunt Deo connumerari.Sed Deus dicitur ſummum bonum reſpectu omnium per exceſſum, quia eſt extra omne genus,& principium omnium bonorũ.Et quia excedit omnia improportionabiliter,& incomparabiliter,ſicut infinitum bonum finita bona.Nam finiti ad infinitum, nulla eſt proportio: & per conſequens nec comparatio aliqua,id eſt,cœli.Deus itaque veriſſimè & ineffabiliter eſt ſummum bonum,quod purgatiſſimis mentibus cernitur, & ad hoc eſt Richardus ſuper j.diſtinct.xlv.artic.j.quæſt.iij.& vj. & Thomas vbi ſuprà. qui volunt quod Deus ſit ſummum bonum ex eo, quia eſt bonum habens omnes entium perfectiones ſimpliciter per ſeipſum,& à ſeipſo, & in eo ſunt omnia bona deſiderabilia in ſummo. Item in ſecundo, quia ab eo effluũt omnia bona in creaturas,ſicut à fonte,& prima cauſa omnis boni,& ab ipſo omnia alia participant eſſe bonum: ergo ipſe Deus eſt ſummum bonum, ex quo ſunt omnia,ſicut à ſummo principio. & in quo eſt ſumma bonitas. Ponunt & ipſi alias rationes, ſed ſufficiant hæc breuiter dixiſſe, & hoc bonum ſummum dicitur bonum increatum.

Bonum increatum eſt Deus: & deſcribitur ſecundum Dionyſiũ de diuin.nomin.cap.4.& poſt eum Rayn.in Summa. Primò ſic:Bonum increatum eſt in quo omnia præexiſtunt,ex quo habet rationem omnia continentis. Secundò ſic eſt,ex quo omnia ſubſiſtunt, ex quo habet rationem omnia efficientis,& conſeruantis. Tertiò ſic eſt,quod omnia appetunt,ex quo habet rationem vltimi finis. Omnia autem creata deſiderant Deum, vt ſuum auxilium,quo in eſſe cõſeruantur. Hebr.1.Portans omnia verbo virtutis ſuæ. Omnia quoque deſiderant Deum naturaliter,vt finem vel terminũ vltimum: in quo omnis appetitus quietatur. Raynerius. Et Antoñ.&c. Sunt præterea alia bona, ſcilicet, bona Epiſcoporum,bona Eccleſiæ,bona corporis, & ſpiritualia bona,& bona animi,& bona matrimonij,de his quædam & breuiter diſſeremus.

Bona Epiſcoporum (vt ſcribit poſt beatũ Thomam ij.ij. quæſt.clxxxv. artic.vij. Gabriel diſtinct.xv. quæſt.viij. libr.iiij. ſunt triplicia.) Quædam propria,vtputa quę non habent de prouentibus Eccleſiæ,& in illis habent verum dominium,& poſſunt ea pro libito elargiri. Alia ſunt bona Eccleſiaſtica ſiue prouentus,aut fructus Eccleſię;& horum ſunt diſpenſatores vel procuratores. Et hæc bona ſunt duplicia. Quædam ſunt ſpecialiter vſui Epiſcopi deputata, diſtincta ab his quæ clericis, fabricæ, & pauperibus debentur. De qua partitione habetur xij.quæſt.ij.Vobis enim,&c.Vbi ergo facta eſt talis diuiſio, & diſtincta ſunt bona, quæ debent in vſum Epiſcopi cedere,& Epiſcopus aliquid ſibi retinuerit:de aliis partibus clericis, fabricæ,aut pauperibus deputatis, non eſt dubium quin contra fidem diſpenſatoris agit, & mortaliter peccat, & ad reſtitutionem tenetur. De his verò quæ ſunt ſpecialiter ſuo vſui deputata videtur eſſe eadem ratio, quæ eſt de propriis bonis,ſcilicet quod ſi immoderatè ſibi retineat, & aliis ſicut charitatis debitum requirit,non ſubueniat, peccet: non tamen ad reſtitutionem tenetur. Alia autem ſunt bona indiſtincta, vnde quando eorum diſtributio fidei eius committitur, & ſi in modico deficiat vel ſuperabundat, poteſt hoc fieri abſque bonæ fidei detrimento: quia non poteſt homo in illis punctualiter accipere quod fieri oportet. Si verò fuerit multus exceſſus, non poteſt latere: & ideo videtur bonæ fidei diſpenſatoris repugnare. & ideo non eſt abſque mortali peccato. Hinc beatus Thomas per illud Matth.25. quod ſi dixerit malus ſeruus in corde ſuo: Moram facit dominus meus venire: quod pertinet ad contemptum iudicij diuini: & cœperit percutere conſeruos ſuos: quod pertinet ad ſuperbiam. Manducet autem & bibat cum ebrioſis: quod pertinet ad luxuriam. Veniet dominus ſerui illius in die qua non ſperat, & diuidet eum à ſocietate, ſcilicet bonorum, & partem eius ponet cum hypocritis, ſcilicet in inferno. Hæc Thomas.

Vnde

Vnde Gerſon in tractatu de temperantia Prælatorum, ait: Si bona Eccleſiaſtica ſunt data generaliter & indiſtinctè alicui Eccleſiaſtico, tam pro ſuſtentatione ſua, quàm pro exercitio pietatis, tunc poteſt huiuſmodi Eccleſiaſticus mediocriter vti illis bonis ſecundum decentiam ſui ſtatus, etiam vbi nihil reſidui ſupereſſet. Vnde vt notat Innocen. iij. in ca. Cùm ab omni. de vita & honeſt. Clericis aſſignantur redditus Eccleſiaſtici principaliter, vt ex ipſis honeſtè viuere poſſint: vt in ca. iam allegato: nec tenentur pauperibus potius ſubuenire quàm ſibiipſis: nec prius reficere ædificia. Sed quoniam nimis afficimur ad noſipſos, & ad excellentiam oculorum noſtrorum; tutius eſt atque ſalubrius cuilibet Eccleſiaſtico declinare ad frugalitatem: & parcitatem ſui ſtatus vt aliquid relinquat pauperibus. Et quod beatus Tho. dicit de Epiſcopis Gerſon generaliter extendit ad omnes prælatos, imò locũ habet in omnibus beneficiatis: vt dicit Gabr. di. xv. q. viij. ar. ij. concluſio. iiij. lib. iiij.

Bona Eccleſiæ dicuntur omnia quæ intuitu Eccleſię: vel de facultatibus Eccleſiæ quiſquam acquiſiuit: vt in ca. j. de teſta. in tex. & Glo. vt recitat Gab. di. xv. q. viij. ar. iij. dub. ix. lib. iiij. de his immobilibus bonis quæ alienare non poteſt clericus: non poteſt teſtari: ſecundum omnes. de fructibus verò perceptis: vbi currit conſuetudo teſtari poteſt in pios vſus. Aliàs non: vt Angelus in verbo clericus xiij. vide latius Gabr. vbi ſupra.

Bona corporis, vt ſunt pulchritudo, bona conſtitutio corporis, ſanitas corporis, &c. Et ſecundum Scotum bona corporis vel exteriora nõ ſunt diligenda, niſi in ordine ad bona animę, & ad Deũ: hoc autem non eſt niſi inquantum poſſunt iuſtè competere illi qui diligit. Gabr. latius ſcribit di. xv. q. xvj. arti. iij. dub. j. libro iiij.

Bona ſpiritualia vt habet Gabr. di. xv. q. xvij. ar. j. li. iiij. intelliguntur bona animæ: quæ animæ conueniunt ſecundum ſe, id eſt, non vt vnita corpori: quoniam de bonis, quæ conueniunt animæ ex corpore dicendum eſt, ſicut de bonis corporis. In his enim anima lædi non poteſt: niſi lædatur corpus, talia bona ſunt perſpicacitas ſenſuum, qua non poteſt lædi, niſi organum ſenſus corporeum lædatur. Non enim poteſt viſus hominis lædi, niſi lædatur oculus, aut alia pars corporis ad videndum requiſita.

Bona animæ ſunt duplicia ſecundum eundem ibidẽ. Quædam ſunt eſſentialia animæ: quæ ab anima ſeparari non poſſunt: vt ſunt potentiæ animæ: & vires naturales, ſcilicet, intellectus, memoria, voluntas lib. ar. Hæc enim quia vel identificantur animę, aut inſeparabiliter inhærent ſunt incorruptibilia. Sed anima eſt incorruptibilis, & per conſequens non poteſt à nobis lædi, vt corrumpatur ſeu vt bona animæ corrumpantur, poſſunt tamen per accidens bona animæ impediri, vt non valeant exire in actus, & operationes ſuas. vnde enim operatio intellectualis pro ſtatu viæ dependeat ex operationibus ſenſus, & operatio ſenſitiua ex diſpoſitione organorum, læſio organorum redundat mediatè in potentias animæ, quantum ad vſum earum: etiam in parte rationali. Alia ſunt bona animæ accidentalia & ſunt operationes, & habitus in potentiis animæ acquiſiti tam intellectuales quàm morales. Sunt & dona gratiæ à Deo infuſa: hæc enim aſſunt, & abſunt animæ. Item acquiruntur, & corrumpuntur. Et quia anima in ſe eſt incorruptibilis, creata ad poſſidendum beatitudinem æternam, dum ab hoc fine impeditur, damnificatur. Dum autem ad hunc finẽ promouetur: proficit, & in ſpiritualibus bonis augetur: impeditur autem per vitia & peccata, promouetur per dona, virtutes, & merita. Anima igitur in ſpiritualibus bonis damnificatur, quotiens peccat, & per opera frequentata vitia acquirit: & ſimiliter dum gratiam perdit, & merita negligit. In bonis autem animæ, gratia, ſcilicet, & virtutibus & meritis nullus poteſt ab alio directè damnificari. quoniam illa non poſſunt auferri ab homine, niſi per propria demerita vitia & peccata. Nullus autem actus eſt meritorius, aut virtuoſus: vt & ſupra patet, neque vitioſus aut peccatum: vel demeritorius, niſi qui procedit à libera volũtate. In inuoluntariis enim neque laudamur neque vituperamur. iij. Ethi. Et Aug. in de vera religione. Omnis actus vitioſus ideo eſt peccatum: quia voluntarius, ergo ſola voluntate propria poteſt homo peccare, & nunquam contra voluntatem propriam ad peccatum compelli. de hoc latè Chry. in home. Nemo læditur niſi à ſeipſo, poteſt tamen aliquis alium in bonis animæ damnificare indirectè ipſum inducendo ad actus vitioſos, & peccata quibus vitia generantur, virtutes corrumpũtur, & bona gratuita deperduntur. Et illa inductio quandoque fit iubẽdo, quandoque minis aut pœnis compellendo, quandoque conſulendo, perſuadendo, rogando, donis & promiſſionibus alliciendo aut à bonis impediẽdo, & huiuſmodi. Et damnificans (vt inquit Gabr. vbi ſupra ar. ij. concluſione. j.) proximum in bonis ſpiritualibus animæ tenetur ſibi modo poſſibili damnũ reſtituere, quoniam bona animæ maxima ſunt ſecundum Aug. j. retract. & vj. q. j. plurimi. Et Anacletus papa e. q. Deteriores inquit ſunt qui doctorum vitam, moreſque corrumpunt his, qui ſubſtantias aliorum prædiaque diripiunt: ipſi enim ea quæ extra eos ſunt, auferunt, noſtri verò corruptores, noſipſos decipiunt. Si verò reſtitutio requiritur in bonis vilioribus, exterioribus, ſcilicet, multò magis in bonis animæ, quæ maiora ſunt: neceſſaria eſt. Et debet reſtitutio bonorum animæ modo damnificationis in eiſdem reſpondere. Et dicitur: quantum poſſibile eſt: quia bona animæ non ſunt in poteſtate alterius ad immediatè conferendum ſicut nec ad immediatè auferendum. Ideo ſuo modo oportet fieri in illis reſtitutionem. Vide de hoc & aliis latiùs Gabr. vbi ſupra. Vnde ſecundũ Scotum patet quãtum periculum eſt alium ſolicitare, & inducere ad peccatum, quia vix poteſt inducens dignè reſtituere: cùm voluntatem iam ad peccatum allectam vix poſſit perſuaſionibus, & aliis viis multis reducere ad virtutes, &c.

Bona fortunæ dicũtur: vt ſunt diuitię, honores, opes, & id genus quæ minora bona dicuntur, & ab aliis nuncupantur reiecta.

Bona coniugatorum ſecundum Gabr. di. xv. q. iij. ar. iij. dub. ij. li. iiij. ſunt triplicia. Quędam ſunt propria viri, quædam propria vxoris, quædam communia vtriſque.

vtriſque. Communia vtriſque ſunt quæ communibus laboribus lucrantur: vt fructus dotis, ac donationis propter nuptias. Eſt autem dos id quod datur viro à parentibus vxoris, aut ipſa vxore, vel aliis ad ſubleuationem onerum matrimonij. Sed donatio propter nuptias eſt, quod ſpõſus ſponſę donat, quando ab eo dotem accipit, & idem ſi dotem non acciperet. Bona viri ſunt cætera bona, quæ vir ſua induſtria, ac labore, vel aliàs (non concurrente vxore) collaborando habet vel acquirit: vt ſunt etiam paterna aut hæreditaria: præter dotem, & donationem propter nuptias. Bona vxoris ſunt bona paraphernalia, id eſt, quęcunq; habet mulier præter dotem, à para quod eſt iuxta: & pherna quod eſt dos: quaſi iuxta dotem: vt ſucceſſiones hæreditariæ, legata ei vel donata. Item ſi mulier vltra gubernationem domus exercet artem aliquam lucroſam: vt quia textrix eſt, vel lanaria, nutrix, vel negociatrix: & ſimilia. Hæc Gabr. vbi ſupra. Qui & ibidẽ oſtendit in quibus & in quibus nõ ipſe vxor tenetur reſtituere viro & vir mulieri. Itẽ de filiofamiliàs quãdo tenetur reſtituere auferens aliqua de bonis parentum. Dos profectitia, vt ibidem notatur eſt quę à patre, vel auo, aut nomine eorum, ac eorum bonis datur. Dos aduentitia eſt dos data ab ipſa muliere, vel à quocunque alio à patre, & auo, &c. De bonis autem matrimonij quæ ſunt fides, proles, ſacramentum, infra quando de matrimonio agetur videbimus aliqua.

Bos quandoque in ſacra ſcriptura ſignificat Prædicatores verbi diuini, qualis fuit etiam Lucas Euangeliſta per bouem figuratus. Vnde Apoſt. 1. Cor. 9. non alligabis os bouis triturantis, de prædicatoribus exponit. Vnde Aug. in Pſalm. 8. dicit. Homines non ob aliud boues dicti ſunt niſi quod Euangelizando verbum Dei, Angelos imitarentur: vbi dictum eſt boui trituranti os non infręnabis: quanto faciliùs ipſos Angelos nuncios veritatis boues accipimus quando Euangeliſtæ participatione nominis eorum vocati ſunt.

De litera C.

C*Alciamentum quandoque* (vt ſcribit S. Bonauentura diſtinctione xxij. libro tertio circa textum) intelligitur humanitas Chriſti tegens pedem diuinitatis, vt eſt illud Magiſtri epilogando qui dixit diſtinctione vigeſimaſecunda libro tertio. Hæc de corrigia calciamenti dominici dicta ſufficiant ne oſſa regis Idumææ conſummantur vſque ad cinerem. Corrigia autem vt idem dicit Bonauẽ. calciamenti eſt vnio diuinitatis, & humanitatis. Rex Idumææ eſt Chriſtus ratione naturæ mortalis aſſumptæ: iuxta illud quod dicitur in Pſal. In Idumęam extendã calciamentum meũ. Oſſa Regis Idumęæ ſunt ſacramenta Chriſti occulta, & difficiliora ad perſcrutãdum. Hæc vſq; ad cinerẽ cõſumuntur, quando per ignẽ curioſitatis adeò vult quis ea penetrare, vſq; ad minima, vt deuotio extinguatur. Et dicit Magiſter nõ eſſe faciẽdum hoc, quia cũ loquimur de Chriſto, quantum ad eius incarnationẽ, & paſſionẽ, vel etiã cogitamus, repleri debemus deuotione: ne dum tã magna & immẽſa beneficia corde arido cogitamus, per elationẽ inflemur: & per ingratitudinem areſcamus, ſed ſanum conſiliũ reputet dicere cum Ioanne. Non ſum dignus, vt ſoluam corrigiam calciamentorum eius. Credo enim quod huius calciamenti alligatura, quantò curioſius & audacius eam quis ſoluere voluerit, tãtò arctius alligatur. ideo ſequendo medium finis imponatur circa ſermonem de Chriſto quantum ad incarnationis & paſſionis myſterium quod exuperat omnem ſenſum. Bonauen.

Calix ſecundum Alber. à calore dicitur: quia calore charitatis accendit. Hinc in Pſalmis dicitur: Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Et accipitur tripliciter (vt ſcribit Gabr. lectio. lij. canon.) Vno modo pro vaſe receptiuo liquoris vel potus. Et ſecundum Bruliferum diſtin. xvij. quæſtio. vj. libro iij. accipitur pro vaſe argenteo, vel aureo, ſtanneo, vel calibeo, in quo conſecratur ſanguis Chriſti. Secundo accipitur pro paſſionis amaritudine vel pro morte aut paſſione. Hoc modo accipitur Matth. 20. cùm dixit Dominus filiis Zebedæi: Poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum, hoc eſt, poteſtis ſubire paſſionem, & mortem quam ego patiar pro redemptione humani generis. ita capitur cùm dixit Dominus: Pater ſi fieri poteſt tranſeat à me calix iſte. Sic omnes martyres calicem Domini biberunt. ita accepit etiam Chriſtus quando dixit: Calicem quidem meum bibetis. Et dicitur calix paſſio: quia iuxta veterem conſuetudinem ad mortẽ cõdemnatis, potus in calice offerebatur, ſecundũ illud Prouer. 31. Date ſiceram męrentibus, & vinum his qui amaro ſunt animo. Bibant & obliuiſcantur ægeſtatis ſuæ, & doloris ſui non recordentur amplius. & Amos 2. Vinum damnatorum bibebant. Tertio modo ſumitur pro poculo in calice cõtento. Et ſic accipitur Hiere. 49. Quibus non erat iudicium, vt biberent calicem. Et Marc. 9. Quiſquis potum dederit vobis: calicem aquæ frigidæ, quia Chriſti eſtis. Amen dico vobis non perdet mercedem ſuam. Sic in communi locutione accipitur quo dicimus. ille ebibit totum calicem, id eſt, totum potum, vel liquorem, vel vinum, quod fuit in calice: & ita videtur accepiſſe Chriſtus, cùm dixit. Hic eſt calix ſanguinis, vbi calix accipitur pro precioſo ſanguine Chriſti, & ſignificat propriè ſanguinis Chriſti effuſionẽ in cruce. Et in Euangelio dicit: Accipiens & hunc præclarum calicem in ſanctas & venerabiles manus ſuas, id eſt, vas non vtique vacuum, ſed cum vino: quia præmiſit. non bibam amodò de genimine vitis, per quod expreſſit vini liquorem fuiſſe in calice contentũ. Accipitur & calix pro genere poculorum quod fiebat ex quodam ligno aromatico. vt dicit Bruleſer di. viij. q. ix. libro iiij.

Calliditas. Vide in dictione Prudentia.

Cambium dicitur commutatio. Fit autem cambium tripliciter: vt ſcribit poſt Antoninum & Angelum Gabriẽl di. xv. q. xj. ar. iij. dubio. xij. li. iiij. Primo cum pro moneta aurea recipio monetam alterius generis. Secundo fit cambium per literas, vt quis habet pecuniam in certo loco, puta cẽtum aureos quos vellet transferre in alium locum: accedit campſorem; tradit ſibi centum florenos, recipit ab

eo literas, per quas in alio loco recipit, xcv. poſt ali quos menſes. Tertiò fit cambium ſiue traditione pecuniæ, vt quis indiget Romæ pecunia, vadit ad banccarium ſiue trapezitum, petit ſummam centum ducatorum in partibus ſuis, puta Coloniæ reſtituẽdum in moneta ibi currente, poſt ſex menſes, aut alium terminum conſtituendum, &c. Et illud tertium cambium tertij generis, dicitur cambium ſiccum ſecundum Angelum, quia ſiccum eſt charitate proximi, & ſiccat animam à gratia Dei, &c. Vide latiùs Gabrielem vbi ſupra.

Caracter hoc nomen non eſt multum vſitatum in ſcriptura, nec apud originales doctores: nam in toto canone bibliæ non inuenitur niſi Apocalyp. 13. & ſequentibus vbi fit mentio de charactere beſtiæ in manibus aut fronte habendo, vbi non intelligitur aliquod impreſſum animæ: ſed ſignum aliquod in exteriori cõuerſatione aut profeſſio ſectæ erroneæ, aut etiam figura aliqua in fronte, vel in manu: qua ſignatur illum pertinere ad ſectam beſtiæ. Intelligitur & character beſtiæ peccatum mortale, cui contrariatur gratia: vt ſcribit Rich. di. v. ar. ij. q. iij. in ſolutione ſecundi argumenti. concordat ſanctus Bonauen. di. vj. li. iiij. & di. viij. q. vlt. li. ij. Vnde vt ipſe dicit, peccatum dicitur character quando ſcribitur in fronte, hoc autem eſt cùm peccat ſine rubore & publicè: vt iam poſſit ei dici: Frons mulieris meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubere: & tũc abſque dubio peccatum noſtrum eſt cognitũ à diabolo: quia iam nõ eſt ſecretum ſed manifeſtum. Eſt & character nomen græcum, valens in latino ſicut figura. Hebr. i. Cùm ſit figura ſubſtantiæ eius. Accipitur & character pro quolibet nota exteriori, ſigno, vel figura, quæ facit venire in cognitionem aliquid in mentem alicuius. Hiero. Sermo Chaldaicus & Hebraicus ſolum differunt characteribus. Hoc modo literæ ſcriptæ dicũtur characteres: & ſimiliter ablutio baptiſmalis etiam forma baptiſmi poteſt dici character, eò quòd eſt ſignum ſignificatiuum. Hæc ſanctus Bonauen. di. vj. li. iiij. & Scotus eadem diſt. q. ix. & Bruleſer. q. ij. eadem di. Characteres verò quæ fiunt in arte magica & prohibita, ſunt prohibiti: & in his maximum eſt peccatum, quia ad hoc fiunt, ſcilicet, ad miniſterium dæmonũ implorandum: quod non licet. & ideo malo ſine fit: nec ex ſe habent virtutem, ſed ſolum ex diabolica pactione. De hoc ſanctus Bonauen. q. vlti. diſt. vij. li. ij. Capitur autem character etiam pro quolibet diſtinguente ab alio. Capitur & vltimo pro aliquo ſigno impreſſo animæ, quod eſt præuium gratiæ in ſuſceptione ſacramenti interabilis. Et notandum vt tãgit. Alexan. de Ales parte iiij. q. xix. membri ij. Et poſt eum cæteri doctores: & Gabriel diſt. vj. q. ij. li. iiij. plures effectus ſeu conditiones attribuuntur characteri: quas Occã in quarto reducit ad ſex. Et Dominus Cardinalis Cameracẽſis. q. iij. quarti: quæ ſunt ſignificare, configurare, ſeu aſſimilare, diſtinguere, diſponere, rememorare, obligare. Eſt primo ſignum gratiæ, non quidem ex natura: ſed ex inſtitutione diuina, ſicut & ſacramentum gratiæ, ſcilicet, inexiſtentis. vel quia inexiſteret, ſi non poneretur obex ſeu impedimentum impediens. Secundo eſt ſignum configuratiuũ ſeu aſſimilatiuum Chriſto, & cæteris characterem ſimiliter habentibus. Configurat Chriſto: quia per ipſum habens characterem aſcribitur familiæ Chriſti. Etiam vt dicit Alexan. & poſt eum ſanctus Bonauen. configurat Chriſto per imitationem. Eſt etiam ſignum diſpoſitiuum ad gratiam ſacramenti per quod imprimitur tanquam cauſa ſine qua non: & hoc ſolum ex voluntate & ordinatione diuina, & non ex rei natura. Eſt & ſignum rememoratiuum ſeu recordatiuum ſacramenti percepti, ſimiliter ex diuina ordinatione qua per characterẽ inducere voluit ſuſcipientem in notitiam ſeu memoriã ſacramenti ſuſcepti. Et ſextò ſignum obligatiuum ad obſeruantiam diuinæ legis, eo modo quo ſuſcipiens ſacramentum per eius ſuſceptionẽ plus obligatur quàm non ſuſcipiens, ſicut habitus religionis eſt ſignum, quod portans eum obligatur ad obſeruandum legem Chriſti, & ordinis ſiue religionis. Eſt quoque character quid indelebile in anima reddẽs ſacramẽtum, per quod imprimitur initerabile. De quo conſulas Gabrielem diſt. vj. quæſt. ij. artic. j. lib. iiij. & Scot. eadem diſtinct. quæſt. ix. & Gabr. lectione ſecunda canonis.

Caracter vt accipitur à Theologis breuiſsimè ſic deſcribitur. Character eſt ſignum ſpirituale à Deo ſolo animæ impreſſum, in ſuſceptione interabilis ſacramenti manens indelebiliter, de lege communi. Dicitur ſpirituale ſignum animæ. per ſacramenta enim quibus ponitur homo in certo ſtatu, imprimitur immediatè à Deo quoddam ſpirituale ſignum in anima ſuſcipientis ſacramentum, quo cognoſcitur ſuſcipiẽs eſſe in tali ſtatu. Et dicitur à ſolo Deo: quia reſpectu characteris nulla creatura habet cauſalitatem actiuam. Et ſicut gratia à ſolo Deo creatur: ita & character à ſolo Deo creatæ animæ imprimitur. Et ille character imprimitur in ſuſceptione ſacramenti interabilis: puta baptiſmi, confirmationis, & ordinis: & non aliorum. Imò nihil iterabile, nec virtus, nec gratia, imprimit characterem: quia character eſt indelebilis: ideo nõ poteſt imprimi niſi per ſacramentum, quod non iteratur. Latius Gabriel. Item quia character eſt quædam ſpiritualis poteſtas ad agendum aliquid ſecundum circunſtantiam. Nunc autem tantum tria ſunt ſacramenta quæ ponunt hominem ad certum ſtatum fidelium, & membrorum Eccleſiæ quo diſtinguitur ab infidelibus. Confirmatio ponit in ſtatu bellantium quo diſtinguitur ab infirmis, & ordo ponit in ſtatu miniſtrantium in templo Domini, ſiue multiplicãtium proles ſpirituales: & mẽbra Eccleſiæ quo diſtinguitur à laicis: & ideo tantum per hęc tria ſacramenta imprimitur character. Dicitur manẽs indelebiliter: per hoc excluditur virtus & gratia: quę licet conferantur per ſacramenta, non tamen manẽt indelebiliter, nec per ſacramentum interabile cõferuntur: nec ſolum per tale. Et ratio indelebilitatis characteris eſt ſola diuina voluntas & ordinatio, qua ordinauit quod character poſt impreſsionẽ nõ deleatur: ſicut ordinauit quòd Angelus vel anima poſt ſui productionem non deſinat eſſe, licèt ipſum annihilari poſſet. Et ideo additur in diffinitione: de lege communi, id eſt, ſecundum ordinatam Dei potentiam. Ex quo ſequitur (vt ſcribit Bruleſer. di. vj. q. j. lib. iiij.) quod in damnatis non deletur character: & hoc ad opprobrium ipſorum & maiorem confuſio-

C H

confuſionem. nec etiam debetur in beatis ad maiorem eorum gloriam & pulchritudinem, intelligitur tamen id de potentia Dei ordinata vt dictũ eſt: quia poſſet Deus delere. Fuerunt autem plures opiniones de quidditate characteris, ſuppoſito quod ſit ponendus, vt recitat Alex. q. xix. membra v. Ipſe tamen tendit ad illam opinionem quod ſit qualitas abſoluta, quem imitatur ſanctus Tho. & ſanctus Bonauen. Ponunt & rationes quas & recitat Gabriël diſt. vj. quæſt. ij. ar. j. li. iiij. quas apud eundem videre licet. Sed neque auctoritates ſacræ ſcripturæ neque ſanctorum patrum, originalia cogunt ponere characterem ad hunc intellectum: in quo accipitur à rectoribus, doctoribus, nec experientia probat characterem eſſe: quia omnia attribuuntur characteri: puta ſignificare, cõfigurare, diſtinguere, diſponere, rememorari, obligare, ęquè ſaluantur ſine charactere ſicut cum charactere. Omnia enim operatur ſacramentum, præterea hæc ita inueniuntur in ſacramento euchariſtiæ & cæteris non imprimentibus characterem, ſicut in his quæ imprimunt characterem. Nam ſignificare eſt de ratione ſacramenti: & configurare, diſtinguere, &c. manifeſtè conuenit Euchariſtiæ & cæteris ſacramentis. prętere a hæc omnia conueniunt circuncifioni, & tamen negatur quod circũciſio imprimat characteré. Quare ponere characteré eo modo quo diffinitus eſt, nec ratio neceſſaria demonſtrat, nec euidens auctoritas probat. Et omnes rationes quæ adducuntur, perſuaſiones ſunt, non procedentes ex neceſſariis. Poteſt tamen per rationes perſuaſiuas & Eccleſiæ auctoritatem oſtendi probabiliter ponendum eſſe characterem. Et perſuaſiones ponit Scotus, & poſt eum Gabriël diſt. vj. q. ij. libro iiij. Videtur tamen magis conſonare determinationi Eccleſiæ ponere characterem quam eius oppoſitum, & communiter ſchola theologorum tenet, & ad hoc ſunt congruentiæ quas videre potes apud Gabriëlem. Præſumptuoſum itaque foret negare characterem; & character eſt in anima ſubiectiuè. Eſt etiam in eſſentia, potentia, intellectu & voluntate: quia omnia idem ſunt, tenendo quod potentiæ animæ non diſtinguuntur ab anima, & inter ſe ſunt omnibus modis idem. Si verò tenetur alia opinio, ſunt diuerſę opiniones. Vnde ſanctus Thom. ponit characterem in intellectu: Scotus autem in voluntate. Bonauentura autem & Alexã. de Ales ponunt eum in tota imagine. meminit hoc Brulefer diſt. vj. q. iij. li. iiij. Probabiliter verò poteſt dici, vt ſcribit Gabriël dubio ij. vbi ſupra, quod eſt in eſſentia, & aſtipulatur Dominus Cardinalis Camera. q. iij. ar. j. q. v. li. iiij. Nec vt dicit Scotus character eſt gratia, nec virtus aliqua infuſa: puta fides, ſpes, charitas. quia tales virtutes non ſemper imprimuntur ſuſcipienti ſacramentum, non iterabile: vtpote fictè ſuſcipienti ordinem, vel confirmationem: character autem ſemper imprimitur. Item character eſt indelebilis: virtutes autẽ ſunt delebiles: vt patet de peccante mortaliter in quo non remanent illę virtutes. Hæc Scotus di. vj. q. ix. lib. iiij. Et ſecundum Alex. character eſt habitus relucens in anima impreſſus perpetuò: non ad agendum, ſed ad diſponendum ad gratiam: & ad diſcernendum ouem dominicam à lupis: & ſic erit in prima ſpecie qualitatis. Si autẽ eſt quoddam infuſum ſupernaturaliter diſponẽs ſubiectum naturaliter ad ſuſcipiendum cætera ſacramenta, erit in ſecunda ſpecie. Si vt qualitatem inhęrentem, erit in tertia ſpecie. Et ſi vt productũ à Deo, erit in prædicamento paſſionis. Si vt obligatiuum diſtinctiuum, erit in prædicamẽto relationis, quæ veris ſunt logicis manifeſta. Sunt autem tria ſacramenta quæ ſolùm imprimunt characterem: vt inquit Gabriël dub. iiij. vbi ſupra, ſcilicet, baptiſmus, confirmatio, & ordo. Nec ſecundum beatum Tho. & Palu. diſt. iiij. q. iij. libr. iiij. & ſanctum Bonauen. circunciſio impreſſit characterem. Diſſentit Scotus, qui vult quod circunciſio imprimebat characterem ſicut baptiſmus, quia ſecundum eum circunciſio ita erat prima ianua ſalutis in lege Moyſaica, ſicut baptiſmus in noua. De quo latius videto Gabriëlem dubio. v. vbi ſupra, nec baptiſmus flaminis & ſanguinis, vt dicitur cõmuniter ab omnibus imprimũt characteré, quia character nõ imprimitur niſi per ſacramentũ ſenſibile. ſic nec virtutes & cætera dona imprimunt characteré, cuius ratio finalis eſt diuina inſtitutio. Omnia autem quæ de charactere dicuntur, pro magna parte ſunt voluntaria, & modica ratione fulcita. Nec character fuit impreſſus Chriſto, quia fuit baptizatus baptiſmo Ioannis, qui nõ impreſſit characterem, quia non fuit ſacramentum, nec contulit gratiam ex opere operato, ſed fuit quædam præparatio ad baptiſmum Chriſti. Gabri. dubio vj. vbi ſupra. Nec baptiſmus beatæ virginis, quæ creditur baptizata (ſed non legitur à quo) impreſſit characterem, quia plena gratia. Et per hoc quia baptiſmus nullam gratiam addidit, characterem nõ impreſſit. Videtur tamen (inquit Dominus præpoſitus Gabriël) probabile quod etiam recepit characteré baptiſmalem, licèt non recepiſſet gratiæ augmentum in eius baptizatione. Multo plura alij de charactere literis mandarunt. Hęc pauca ex multis dicta ſufficiant. non enim ſingula referre inſtitui, ſed ſolùm incipientibus aliquo modo eſſe adiumento, & vtilitati volui: doctiores plus legant.

Charitas ſecundum theologos in iij. ſen. diſt. xxvij. eſt rectiſſima animi affectio qua diligitur Deus propter ſe: & proximus propter Deum: quæ charitas eo ſplendidius (vt inquit Paulus Corteſius lib. iij. di. vij.) ex omni virtutum genere floret: quo propior eſt Deo. Nam cum ortum ex fœlicitate naniſcatur, nullo modo nobis naturæ vi parta ineſt, ſed ſpiritus afflatu illabitur. Itaque intelligendum eſt eam ditius in vita locupletari poſſe. Sed cũ omne contrarium alterius interuentu adimatur, ſcire neceſſe eſt, eam quoque capitalis tabis interuentu tolli. Nam quemadmodum lucem in aëre deeſſe dicimus, ſi ſoli caligo offundatur, ſic eã in anima deeſſe volumus, ſi Dei afflatus ſceleris tabe tanquam velo quoddam obtendatur. Sed cum charitas latiſſimè pateat, maximè in generis humani ſocietate cernitur. Itaque ob eam cauſam nefariorum etiam hominum eſt ſeruanda cõmunitas: propterea quod fœlicitas ſit eorum naturæ capax. At cum culpæ cõtractæ ratio expenditur, qua fiunt homines fœlicitatis expertes: tamen non modò hi cum quibus nulla eſt nobis propinquitatis colligatio, ſed etiam parentes & liberi odioſi eſſe debent. Hæc Corteſius. Charitas autem dicitur quaſi chara vnitas, vt inquit

Gerſon

Gerſon tractatu.ix.ſuper Magnificat.quæ(vt idem ait)purificat hominem & gratum reddit Deo, ambulantem in omnibus mandatis eius ſine querela: ait Gerſon lectione,j.de vita ſpirituali animæ. Et charitatis ordo ſecundum eundem eſt ordo vnitatis. Vnde ſecundum ſanctum Bonauen. diſt.xxix. q.j.lib.iij.charitas eſt vinculum ligans: iuxta illud quod dicit Apoſtolus Col.3: vbi vocat eum vinculu perfectionis. Et Diony.in quarto & diuinis nominibus dicit:quod amor eſt virtus vnitiua. Vnde cum amor charitatis ſit,amor maximè liberalis multa complectitur,& in vnum colligit. Vnde charitas non tantum vnit fini eum in quo eſt, ſed etiã quodammodo ligat ei quod natum eſt ad eundẽ finem peruenire.

Charitas eſt triplex,ſcilicet,Prima increata.Secunda infuſa. Tertia adquiſita. Charitas increata eſt ipſe Deus. Vnde quicquid eſt charitas vel dilectio increata eſt ipſe Deus in diuinis,ergo ſolùm reperitur. Et capitur tribus modis. Vno modo eſſentialiter, & eſt quoddam commune tribus perſonis. & eſt illa dilectio qua quælibet perſona in diuinis diligit ſe & alias perſonas.Alio modo notionaliter,& eſt ipſa ſpiratio actiua, qua pater & filius ſpirãt ſpiritum ſanctum concorditer. Tertio modo capitur perſonaliter,quę producitur per voluntatem.Pater enim & filius eandem habẽtes voluntatem, & eſſentiam diuinam ſibi præſentem(concordia quæ eſt amor & eſt notio)ſpirant ſpiritum ſecundum.Secundo autem modo appropriatur patri.Vnde canitur in quadam proſa. Charitas eſt pater. Ratio appropriationis eſt: quia ſolus pater ſecundum Rich. de ſancto Victo.dicitur habere amorem gratuitum:quia tribuit & non accipit ab aliquo.Item quandoque appropriatur filio,quia charitate incarnatus eſt.Gabr. iiij.Tertio modo appropriatur ſpiritui ſancto.Ratio huius eſt, quia ſpiritusſanctus in diuinis eſt per modum voluntatis procedens, cuius voluntatis habitus eſt charitas.Hoc modo dicimus quod potentia appropriatur patri,ſapientia filio, charitas ſpiritui ſancto.ita ſcribit Guilhel. Scotiſta:Pelbartus:Bruleſer.diſt.x.ar.iij.q.j.lib.j.Charitas itaque increata eſt voluntas diuina ſine qua nullus eſt Deo gratus vel acceptus, nec actus quicunque meritorius. Et charitas ſecundum magiſtrum (& ſi non tenetur à doctoribus, qua meritoriè diligimus Deũ & proximum, eſt ſpiritusſanctus. non ſic intelligendo vt ſcribit Gabr. poſt Occam diſt.xvij.q.iij.li.j.quod ſpirituſancto formaliter diligamus Deum & proximum. Hoc enim quo ſic diligimus eſt actus à noſtra voluntate elicitus:vel habitus derelictus vel infuſus:ſed ratio formalis præciſe. Vnde actus dicitur meritorius aut agens Deo charus eſt gratuita Dei voluntas,quę eſt ſpiritusſanctus.Et ſi hunc intellectum habuit magiſter cũ dixit quod charitas qua diligimus Deũ, & proximũ eſt ſpiritusſanctus: verũ dixit. Et ſic ſaluat eum Occam. Nec vult magiſter negare quin præter illud donum quod eſt ſpiritusſanctus etiam aliud donum creatum donetur, quod ſit habitus inclinans ad diligendum.

Charitas infuſa dicitur illa quæ ab increata charitate diuinis influxibus ſolùm in voluntates aut angelicas aut noſtras mittitur:hoc eſt à Deo infunditur.Et habet tria nomina de cõmuni. Dicitur enim charitas infuſa,quaſi intus fuſa,inquantũ à Deo infunditur mẽtibus.Itẽ dicitur effuſa quaſi extra fuſa,inquantum ad extra per bona relucet opera.Dicitur etiam charitas diffuſa quaſi deintus fuſa, inquantum ad interiora bona opera diffunditur.Charitas verò adquiſita eſt quæ ex dilectione Dei frequenti adquiritur ex naturalibus,quam etiam multi gentiliũ habere potuerunt:vt ſcribit Guil.Scotiſta.Vnde ſicut fides diſtinguitur in infuſam & adquiſitam:ita de charitate dicendum eſt.

Charitas creata ſumitur dupliciter. Vno modo pro habitu quodam abſolutè infuſo: & ſic non eſt nomen connotatiuum,ſed abſolutè ſignificat illã qualitatem:& ſic aliquis poteſt eſſe charus ſine charitate. Alio modo ſumitur pro termino connotatiuo: vt eſt abſtractum illius concreti charus, vt, ſcilicet, cõnotat aliquẽ eſſe gratum Deo,& ſic ſine charitate nemo poteſt eſſe charus Deo.Eſſe autem charum ſiue acceptum ſiue dilectũ Deo: nihil eſt aliud quã velle diuinum quo vult aliquem beatificare,ſi manſerit in ſtatu perfectionis, non ponens obicem per peccatum.& illo modo omnis paruulus poſt baptiſmum prius quàm actualiter peccet eſt charus ſeu acceptus Deo:quia tali vult (ſi non impediet perſequens peccatum mortale) dare vitam æternam:nõ autem ſic eſt acceptus ante baptiſmum, quia illum non vult beatificare ſi manſerit in ſtatu illo ſine baptiſmo.Gabr.di.xvij.q.j.ar.j.li.j. Sic per oppoſitũ odimus Deo dicitur:qui eſt ordinatus ad pœnã niſi pœnituerit. Et vt ibidẽ ſcribit artic.ij.quamuis aliquis de potentia Dei abſoluta poſſit eſſe acceptus Deo,& charus ſine omni forma inhęrente ſibi.Nullus tamen poteſt eſſe charus Deo ad vitam de lege ordinata,non habendo in ſe qualitatem aliquam infuſam quæ ſit charitas vel gratia.Et Paulò pòſt dicit:Deus quemcunque beatificat merè contingenter,liberè & miſericorditer beatificat ex gratia ſua & non ex forma,vel dono còllato.Hinc Petrus de Aliaco.q.ix.ar.ij.lib.j.ait. Impoſſibile eſt placere Deo ſine gratia. Hinc error Pelagij oſtenditur,qui dixit quod Deus neceſſitetur habenti actum moraliter bonum dare vitam æternam, & non ex gratia ſua:ita quod ſi non daret,eſſet iniuſtus,quod eſt falſum.non itaque oportet ponere formam neceſſitatem Deum contra Pelagium.

Charitas(vt ſcribit Bruleſer diſt.xvij.q.j.li.j.)eſt habitus ſupernaturalis inhęrẽs formaliter naturæ beatificabili, per quem ipſa acceptatur à Deo ad vitam æternam,tanquam digna tanto præmio,& per quẽ ipſa eſt amica Dei,& ſibi grata & chara, & per quẽ actus eius elicitus ſecundum inclinatiõnẽ talis habitus eſt meritorius vitæ æternæ. Et charitas communiter ab omnibus doctoribus dicitur vita ſpiritualis: quamobrem omnis exiſtens in peccato mortali eſt mortuus. Nam ideo dicitur peccatum mortale: quia demeritoriè priuat vitam ſpiritualem.Et vt ſcribit Scotus diſt.xxvij.lib.ij.Charitas eſt habens eam, habet Deum charum:ita quod reſpicit Deum non in ratione diligentis: ſed in ratione diligibilis. Gratia eſt qua Deus habet aliquẽ gratum:ita quod ipſa reſpicit Deũ acceptãtem ſiue diligentem, non autem dilectum. non autem dicitur gra-

nit gratia propter quodcunque Deus diligit: quia tunc [illegible] cientia diuina in filio poſſet dici gratia, quia propter eam diligit filium, ſed illud propter quod Deus acceptat habẽs vt dignum beatitudine dignitate quæ eſt in correſpondente meriti ad prœmium: id dicitur gratia. Et paulò ſupra dicit idẽ Scotus. Gratia formaliter eſt virtus quæ eſt charitas, & quæcunque excellentiæ attribuuntur gratiæ & charitati, & ecõtra: vtraq; enim formaliter diuidit inter filios regni & perditionis. xv. de ciui. Dei. c.xviij. vtraq; eſt forma virtutis, & neutra poteſt eſſe informis. Vtraque etiã cõiungit vltimo fini perfecta cõiunctione, qualis poteſt eſſe in via. & ſi poneretur diſtincta, altera ſuperflueret: quia reliqua ſufficeret. Hẽricus vero quotli. xix. q. xiij. dixit aliter, ſcilicet, gratiã eſſe quoddã lumen ſupernaturale ſe habens ad virtutes theologicas ſicut lumen ad virtutes adquiſitas, ſicut anima ponitur idem ſuis potentiis: vel ſic, gratia eſt radix earum. ſed hoc improbat Scotus vbi ſupra.

Charitas vt habet Aug. (& ſuprà dictum eſt) in moribus Eccleſiæ, ac in. iij. ſententiarum. di. xxvij. diffinitur ſic. Charitas eſt rectiſſima animi affectio, qua diligitur Deus propter ſe, & proximus propter Deum & in Deum. Idem in ſoliloqui. Charitas eſt virtus qua Deum videre, eoque perfrui deſideramus. Idem de ſpiritu & anima. Charitas eſt vita copulans amantem cum amato: vt dicit etiam idem. viij. lib. de trini. Et dicitur vita charitas beata animarum & Angelorum, ſine qua nec anima, nec Angeli viuunt. Dicitur copulans amantem cũ amato, quia charitas vnit Deo per gratiam & gloriam. Apoſtolus. 1. Tim. 1. dicit: Charitas eſt finis præcepti de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta: vbi tanguntur radices originis charitatis. Oritur namque ex bona conſcientia in præceptorũ impletione: ideo dicitur finis pręcepti. Secundo oritur ex corde puro, ſcilicet, à viciis. Tertio ex cõſcientia bona. Glo. ibi dicit quod cõſcientia accipitur pro ſpe in bono opere. Quarto oritur ex fidei veritate, ideo dicitur, fide nõ ficta, quia iuſtus ex fide viuit. Rõ. j.

Charitas dicitur forma virtutum & formare virtutes; nõ quod inhæreat virtutibus & det ſpeciem, ſicut forma ſubſtantialis inhæret materiæ, & dat ſpeciem non materiæ, ſed compoſito: ſed dicitur forma virtutum pro quanto per charitatem actus virtutum perficiũtur, quia per charitatem in debitum finem vltimum, ſcilicet, ſummum bonum propter ſeipſum (quod Deus eſt) referũtur. Perfectior autẽ actus in Deũ relatus eſt quã relatus in aliũ finẽ: vt honeſtatẽ aliquam moralẽ citra Deũ. Sola autẽ charitas qua diligitur Deus ſuper omnia & propter ſeipſum refert actus eius in quo eſt in eũ, quẽ ſuper omnia diligit. ideo ſola charitas format virtutes pro quanto perducit virtutũ actus ad vltimã perfectionẽ. Vnde habitus fidei informis nihil eſt aliud quàm habitus fidei, cui nõ aſſiſtit in eodẽ ſubiecto charitas. De quo aliàs dicitur. Et gratia perdita (inquit Aug.) omnes virtutes deficiũt à vita. Vnde Gabriël ſermone dominicæ. xx. Omnis habitus carens charitate: virtus non eſt perfecta, ſed mortua & inanis. Hinc charitas nõ poteſt eſſe informis, vt multis probat ſanctus Bonauen. di. xxvij. q. iij. li. iij. quia charitas non ſolùm inquantum gratuita, ſed etiam inquantum affectio recta, ſiue quantum ad habitum ſubſtratum repugnat omni peccato, ſicut fides ſpecialiter peccato oppoſito.

C H

Charitas, amor & dilectio, propriè loquendo ſunt termini eſſentiales. vt inquit Cameracen. q. viij. ar. iij. lib. j. & ſi quandoque à ſanctis vel doctoribus capiantur perſonaliter: hoc non eſt ſecundum ſermonis proprietatem, ſed eſt ſecundùm quandã appropiationem. ſicut appropriatur patri potentia, & filio ſapientia, &c. tamen in diuinis non eſt aliqua potentia vel ſapiencia aliquo modo diſtincta à communi potentia vel ſapientia trium perſonarum.

Charitas autem creata poteſt augeri vt ſuprà dictum eſt in dictione Augmentatio. ſed effectiuè augetur à Deo, ſed meritoriè per bona opera. Bruleſ. & Rich. diſt. xvij. lib. j. ar. ij. q. iij. Gabriël eadem diſt. q. iiij. & Aliacenſis. quæſtione ix. articu. iij. libro j. Non autem poteſt minui per peccatum demeritoriè, quia nec per peccatum mortale, quia hoc ſimpliciter tollit, cum ſibi repugnat, nec per veniale, quia veniale ſtat cum charitate. Et ſi veniale minueret charitatem, per multa venialia tota tandem auferetur, quod nõ conceditur. Vide Gabriëlẽ. di. xvij. q. iiij. ar. iij. li. j. tamen feruor eius per peccatum veniale remittitur. Sed quia venialia vt ſcribit Dominus cardinalis Cameracenſis quidã multum diſponunt ad lapſum & ruinam in mortalia per quæ perditur charitas. per culpam igitur venialem poteſt diminui charitas quantum ad eius firmitatem & ſtabilitatem. vel poteſt minui quantum ad eius feruorem. Aliacen. q. ix. ar. iij. lib. j.

Charitatis autem proprietates ſunt plures quas colligit Gabriël diſt. xxvj. q. vnica ar. j. libro ij. ſcilicet, inſtituere imperium., Charitas operit multitudinem peccatorum, placat & acceptum facit Deo. Idẽ dicitur de gratia. Vide latius Gabr. vbi ſuprà.

Charitas viæ dicitur perfecta quatuor modis, ſi charitas intelligitur ex partę diligentis. Nam ſi intelligitur ex parte diligibilis ſolùm charitas Dei qua ſeipſum diligit, eſt perfecta. Primò cauẽdo omne vicium: & talis perfectio eſt conſequens omnibus charitatem. Vnde Matth. 5. Eſtote perfecti ſicut & pater veſter. Secundò contemplando Deum, ſcilicet, vacando diuinis aliis curis temporalibus dimiſſis, niſi quantum exigit neceſſitas. Tertio modo nõ timendo ſupplicium. 1. Ioan. 4. Perfecta charitas foràs mittit timorem, ſcilicet, tam ſeruilem quàm mundialem, quàm humanum ſiue carnalem quàm initialem, ſed non timorem filialem nec naturalem. Quartò perfecta charitas viatoris eſt affectando præmium Phil. 2. Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Charitas autẽ patriç dicitur perfecta: quia habet impoſſibilitatem offenſæ, tranquillitatem ab omni ſollicitudine: actualem continuitatem in Dei contemplatione, claritatem in Dei lumine, libertatẽ ab omni paſſione, & ſecuritatem ab omni tentatione: atque perpetuitatẽ in omnis boni poſſeſſione. Vnde talẽ perfectã charitatẽ nullus poteſt habere in hac vita, qualẽ De' ex charitate immẽſa dabit electis in patria, &c. Rayne. in ſum. cũ Tho. 3. ſcripto d. xxix. & ij. ij. q. xxiiij. ar. viij. Et poſt eos videatur Pel. li. iij. Roſarij theologię in dictione Charitas. ¢. lxxiiij.

Charitas quandoque ſtrictiſſimè accipitur pro habitu quo

bitu quo

bitu quo diligimus alterum in beatitudine communicatiuum nobiſcum. Et illo modo loquitur Greg. homel. xiij. Nemo ad ſeipſum charitatem habere dicitur, ſed charitas in alterum tendit vt charitas eſſe poſſit. Alio modo accipitur largius pro habitu quo diligimus aliquod beatificabile, ſiue ſit à nobis diſtinctum ſiue non. Sic accepit beatus Aug. & magiſter di. xxviij. li. iij. Charitas inſuper vt dicit Greg. eſt in cuius radice omnia præcepta ſunt vnum, & charitas ad obſeruantiam omnium præceptorũ inclinat. Itẽ charitas nõ quærit quę ſua ſunt. 1. Cor. 10. & 13. Verum eſt ſecundum glo. hoc eſt: nemo quærit quæ ſua ſunt cum iactura & ſcãdalo cæterorum.

Charitatis ordo, qui quidem ordo non dicit ordinem tẽporis, ſed perfectionis. Et illa perfectio attenditur vno modo quo ad charitatis affectum, id eſt, ad actum imparatum, quo effectus alicuius impẽditur amato: & illa ſe non neceſſario conſequuntur, quia poteſt aliquis actu multum intenſo alicui impẽdere modicum bonum, qualia ſunt bona corporis & fortunę, quæ minima ſunt ſecunduoı beatũ Aug. Et poteſt quis affectu remiſſo alicui velle impendi maxima bona, ſcilicet, beatitudinem & gratiam, &c. Illa quoque perfectio actus charitatis attenditur ibi non ſecundum intenſiooem actus gradualem ſimpliciter, ſed magis ſecundum appreciationem actus. vel quia ſortior & firmior. Gabriël diſt. xxix. q. vnica. ar. j. lib. iij. Vide & de ordine charitatis ſanctum Bonauen. eadem diſt. q. v. Ordo autem debitus charitatis requiritur de neceſſitate ſalutis: vt Gabriël ſcribit ar. ij. vbi ſupra, quia diligens non diligenda aut æquè diligẽs quod minus vel amplios diligendum eſt: aut minus vel amplius quod æquè diligendum eſt, contra ordinem charitatis diligit: vt dicit Aug. & per cõſequens cõtra legẽ charitatis peccat. Lex autem ſiue præceptum charitatis eſt maximum præceptorum, à quo cætera dependent, & ideo tranſgreſſio eius eſt culpa mortalis.

Et non ſolùm actus charitatis ſed etiã ordo & modus eſt in præcepto: vt dicitur: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. & proximum ſicut teipſum. Hinc magiſter. Peccat, inquit, qui pręposterè agit. Nam ſcire quid facias & neſcire ordinem faciendi, non eſt perfectæ cognitionis. Ordinis nanque ignorantia cooturbat meritorum formam. Idem ſecũdum Dionyſium & Philoſophum. Bonum eſt ex cauſa integra: malum autem vnifariam. ideo cuiuſcunque defectus circunſtãtiæ ineſſe debitæ reddit actum vicioſum. Ordinem diligendorum ſic aſſignat beatus Ambro. ſuper Cantic. 1. & ſuper illud: Ordinauit in me charitatem. Multorum ait charitas inordinata eſt, quod in primo eſt ponunt tertio vel quarto. Primò Deus eſt diligendus. Secundò parẽtes: inde filij, poſt domeſtici. Qui ſi ſint boni, malis filiis ſunt præponendi. hoc in Euangelio ad cuiuſlibet dilectionem proprium ponit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, & ex tota anima, & ex omnibus viribus tuis, & proximum ſicut teipſum. Et inimicos non ex tota virtute: non ſicut teipſum, ſed ſimpliciter, ſufficit enim quod diligamus & non odio habeamus. Deus itaque præ omnibus affectiuè & effectiuè eſt diligendus, in quo eſt ratio bonitatis pleniſſimè, vt ſcribit Gab. Sed poſt Deum omnia æquè ſunt diligenda ex charitate quantum ad obiectum principale dilectio volendum. nam & nobis & proximis, amicis, & inimicis volendum eſt vt beatificè poſſideant Deum. Optanda quoque eſt omnibus gloria & gratia: vt vult beatus Aug. allegãs illud Apoſtoli: Volo omnes eſſe ſicut meipſum. 1. Cor. 7. Sed quo ad obiecta ſecũdaria, & quo ad particularia bona poſſunt plus vel minus velle vni quã alteri: & vni cõuerſionem à malo: alteri conſeruationem in bono. Item quilibet plus ſeipſum diligere debet charitate affectiua & effectiua quàm quæcunque alia. De quo videatur ſanctus Bona. quia ſecundum rectum rationis iudicium magis diligẽda eſt ſalus propria quàm aliena, & bonum proprium quàm proximi. Probat & Scotus pluribus: legito latiùs Gabriëlem vbi ſupra. Et ſecundum ordinem gratuitę dilectionis parentes præponendi ſunt filiis: & quantum ad amorem affectiuum ſimul & effectiuum. Item dilectione gratuita magis ſunt diligendi extranei boni quã propinqui mali, ſecus tamẽ dilectioni naturali. quia Deus magis vult à oobis diligi quos ipſe magis diligit. Magis autem diligit bonos quàm malos, &c. Item magis eſt diligendus proximus quàm propriũ noſtrum corpus, quia plenior eſt ratio diligibilis in proximo. participatio autem beatitudinis eſt ratio dilectionis partialis charitatiuè. corpus enim nõ eſt capax beatitudinis niſi per redundantiam, ſed proximus eſt capax beatitudinis formaliter. De ordine charitatis ita ſcriptis reliquit Paulus Corteſius diſt. vij. lib. iij. ſententiarum cùm ait. Quare pertinet ad omnes ſcire in hac hominum ſocietate ordinem oportere ſtatui quandoquidem ordo prius & poſterius complectatur. Gradus igitur ſocietatis hominum hoc modo deſcribuntut: vt arctior ſit ſocietas propioquorum, à qua diuelli natura nequeamus, cùm princeps ſit & natura ſolidior. Si autem diſceptatio aut collatio fiat, quibus plus ſit charitatis impertiendum, dicendum erit: ob initium plus parenti quàm libero eſſe tribuendum. At ſi verius neceſſitudo expendatur nemini dubium eſſe poteſt id plus amoris flagitare quod arctius aſtringitur: ex quo vt ait Ariſto. cauſa eſt vt plus amoris filio quã parenti debeatur. ſiquidem pater liberum amat tanquam quippiam ex ſe manans quod idem filio nullo modo contingit. eodem accedit quod parentis diuturnior eſt amor. Nam liberi à parentibus in crepundiis primoque naturæ ortu diliguntur. contra quæ parentes à liberis ſerò & ætatis progreſſiooe amantur. At amor quo vetuſtior eo abſolutior eſſe ſolet. Itaq; dubitari nõ poteſt quin iure plus amoris ſit à parente quã à matre repoſcendũ, cũ pater in præſtãtiori originis ratione verſetur, & mater patibilem naturam nanciſcatur. Eodem quoque modo de omni propinquorum genere diſſeritur qoo modo ſit quiſque minus magisue colendus. Hæc Corteſius. Neceſſitas itaque obſeruantiæ ordinis in dilectione ſecundum prædicta eſt moderanda. Item iſte ordo quantum ad dilectionem Dei præ omnibus & ſuper omnia manet in patria, quia ipſum pręceptum dilectionis Dei ſuper omnia perfectiſſimè implebitur, & beatus perfectè eo fruetur, & ſic arctiſſimo amore vnietur. De his latiùs Gabriël. ar. iij. dubio. j. vbi ſupra.

Charitatis gradus quos ponit Magiſter diſt. xxix.

in fine lib.iij.ſunt charitas incipiens, charitas proficiens, & charitas perfecta. Et iſti gradus charitatis accipiuntur ſecundum augmẽtum charitatis. Nam charitas & quælibet virtus (non ſtatim nata) perfecta eſt. Nam ſecundum ſanctum Greg. home. xv. ſuper Ezech. Nemo repentè fit ſummus, ſed in bona conuerſatione animi vnuſquiſque inchoat, vt ad magna perueniat. Alia enim ſunt virtutum exordia, aliud profectus, aliud perfectio. Latius Gabriel ibi ſcribit. Et ſecundum hos tres gradus triplex eſt ſtatus hominum Deo placentium & ſeruientium, quorum alia & alia ſunt officia & ſtudia conuerſandi. Hi ſunt ſtatus incipientium, proficientium, & perfectorum. Incipienti cùm in eo naſcitur charitas, incumbit principaliter à peccato recedere & eius reliquiis vitioſum habitibus & concupiſcẽtiis (quæ adhuc militant in eo & in contrarium charitatis fortiter mouent) diligenter reſiſtere: ne adquiſita charitas corrumpatur, ſed foueatur & nutriatur. Hoc autem fit operibus pœnitentiæ contritione, confeſſione, & ſatisfactione: quia ſtatus incipientium, eſt ſtatus pœnitentium. Et licet ſic agendo etiam creſcat per huiuſmodi opera in virtute: principalis tamen eorum ſollicitudo eſt: non quomodo creſcant ſed quomodo peccatis reſiſtant, & hic labor præcipitur incipientibus Hiere. 4. Nouate nobis nouale, & nolite ſerere ſuper ſpinas. Circuncidimini & auferte præputia cordium veſtrorum. Nouatur nouale per contritionem: euelluntur ſpinæ per confeſſionem: auferũtur cordis præputia vitiorum per ſatiſfactionem. Priuſquam autem aliquantulum creuit charitas & decreuerunt concupiſcentiæ & vitia impugnantes, vt iam non ſic acriter fortiterque impugnent, ſuccedit ſecundum ſtudium & cura ad hoc principaliter tendẽs, vt proficiat in gratia & virtutibus: & hoc proficientium eſt. non tamen ita proficiẽtes virtutum profectum intendũt, vt contra dæmonum oppugnationes defenſionis gladium deponant. Sicut figuratum eſt in ædificatione Hieruſalem ab Eſdra & Zorobabel, de quibus ſcribitur Neemiæ. 4. quod vna manu ædificabant, & altera tenebant gladium. Principalius opus fuit ædificare: tenebatur tamen gladius ad obuiandũ impugnationibus inimicorũ. Horum ergo ſollicitudo eſt per opera virtutum adquirere virtutes, & ornare animam ſuam in tẽplum beneplacens Domino. Fortificata verò ſic charitate, ac virtutibus roboratis, quibus ligantur paſſiones, & humanus quietatur animus, ſuccedit tertium mẽtis ſtudiũ ad hoc principaliter intendens: vt dimiſſis creaturis, ſoli Deo inhæreat contemplatione & amore, quantũ vitę præſentis neceſſitas patitur & admittit, qui gradus perfectorum eſt. De quo paulò plura ſcribit Gabriel dubio. ij. quæſtione vnica. diſtinctione xxix. libro. iij.

Carena Vide in dictione Indulgentia.

Caro dupliciter ſumitur in ſcriptura: vt ſcribit ſanctus Bonauen. diſt. xxxij. ar. ij. q. j. lib. ij. Aliquando dicitur homo exterior, carnalis, ſenſibilis, & ſic comprehendit carnem cum potentia animæ ſenſitiuæ, & hoc modo propriè eſt ſubiectum concupiſcentiæ carnalis. Alio modo caro dicitur pars hominis conſtitutiua, ſic concupiſcentia non eſt in carne niſi dicatur ineſſe ſicut in cauſa. Et pro homine accipitur cum dicitur Ioan. 1. Verbum caro factũ eſt. Ita etiam refert Petrus Aliacenſis. quæſtione vnica ar. j. li. iij. Et habetur in glo. Ioã. j. ponitur quãdoq; pro affectione carnali, vt dicit ſanctus Bona. Vnde Apoſtolus ad Galat. 5. dicit: Manifeſta ſunt opera carnis. Accipitur & pro natura, vt idem ait Bonauen. diſt. j. li. ij. Vnde Ephe. 5. dicitur. Nemo carnẽ ſuam vnquam odio habuit. Accipitur & pro vitio & corruptione quæ eſt in carne. Vnde Apoſtolus: Prudentia carnis mors eſt. Et ad Gal. 5. Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum. Et largè accipiendo capitur pro omni concupiſcentia quę inhæſit animæ ex cõiunctione ſui ad carnem. Et ſic nomine carnis intelligitur concupiſcentia quæ eſt mater omnium malorum. Et ſine hac non generat in nobis diabolus aliquod peccatum. Bonauen. diſt. xxj. ar. ij. quæſt. ij. libro ij.

Caro Chriſti multipliciter conſideratur. Vno modo dicitur totus ille homo: iuxta illud quod dicitur Ioan. 1. Verbum caro factum eſt. & hoc modo, quia ille homo Deus eſt ratione perſonę vnius, adorandus eſt adoratione latriæ. Alio modo caro Chriſti conſideratur prout nominat ipſam partem humanitatis per ſe, nõ vt vnitam: & hoc modo carni conſideratę, non debetur adoratio latriæ, ſed duliæ. Tertio modo cõſideratur caro Chriſti quaſi medio modo prout nominat ipſam naturam creatam diuinitati, & hoc modo dixerunt quidam quod eſt adoranda dulia digniori, quę quidem eſt hyperdulia. Et ratio huius eſt, quia ſolius Dei eſt adorari latria: & natura non communicat alteri naturæ ſua idiomata. Alij verò dixerunt aliter: quòd ſi conſideretur caro & anima, prout vnita illi perſonæ, adoranda eſt adoratione latriæ pro eo quod ſecus eſt de exhibitione honoris & proprietatibus aliis. Honor enim nõ reſpicit hanc partem vel illam, ſed reſpicit ipſam perſonam. Vnde quamuis purpura & veſtimentum non participet proprietates regis abſolutè, communicat tamen in honore & reuerentia, ſicut dicit Auguſt. & Magiſter recitat diſt. ix. lib. iij. Et ideo quia eſt vna perſona in Chriſto cui debetur reuerentia ſumma, vna adoratione eſt adoranda, ſcilicet, latria, quantum ad vtramque naturam, ſcilicet, deitatem & humanitatem. ſicut eadem adoratione adoratur in vno homine caput & pedes. Hæc ſanctus Bonauen. diſt. ix. quæſt. j. lib. iij. De qua vide in dictione Adoratio, &c.

Caro dicitur obnoxia peccato, quæ eſt ſubiectum peccatricis animæ. Vnde quærere an caro Chriſti fuerit aliquando caro patrum, dum animæ carni huiuſmodi inhęrenti inſuit peccatum. Vnde aduertẽdum quod carnem fuiſſe in patribus dupliciter intelligitur: vt ſcribit Gab. diſt. iiij. q. vnica. ar. iij. dubio. iij. lib. iij. Vno modo ſecundum deſignatã materiam, id eſt, ſecundum certam & ſignabilem ſui materiam, ita quod eadem materia carnis ſecũdum numerum fuit in patribus. Alio modo quod fuit in parentibus tanquam in quodam principio, hoc eſt: quod in parentibus fuit aliqua virtus eis communicata à ſuis parentibus: per quam poterat caro iſta propagari, ſeu in matris vtero formari. Quod breuius ſic dici poteſt: quod caro aliqua fuiſſe in parente intel-

te intelligitur, vel in principio materiali, ita quod materia huius carnis fuit pars animata parentis: vel vt in principio actiuo, id eſt, quod in parente fuerit vis aliqua generatiua huius carnis. Et caro Chriſti in patribus obnoxia fuit peccato: ad hunc ſenſum, quod caro Chriſti formata eſt de ſanguinibus ex nutrimento deforis aſſumpto, digeſto & præparato virtute ſuſcepta in propagatione à patribus, qui fuerunt obnoxij peccato. Sic etiam dicitur fuiſſe in Adam ſecundum corpulentam ſubſtantiam, quia virtus digerendi nutrimentum & conuertendi in ſemen vel ſanguinem vnde formatum eſt corpus Chriſti, deſcendit in Virginem ab Adam per ſeminis propagationem: & ſic fuit in Adam tanquam in principio effectiuo mediato & remoto. Item Chriſtus deſcendit ex ſemine Dauid, ſed non ſecundum rationem ſeminalem. Corpus enim Virginis de quo corpus Chriſti formatum eſt, deſcendit à Dauid per ſeminis propagationem, nec tamen ſecundum ſeminalem rationem corpus Chriſti. Non enim paternum ſemen concurrit vel virtus ſeminis virilis & fœminei commixtorum in formatione corporis Chriſti: defecit enim virtus paterni ſeminis. Gabriel vbi ſuprà.

Carnale poteſt dici dupliciter, vt ſcribit ſanctus Bonauentura diſtinct.xx. quæſt.j. libro ſecundo, vel à carne, ſecundum quod dicit naturam: vel à carne ſecundum quod dicit vitium. ex hoc vltimo modo in primo ſtatu ſexuum commixtio non eſſet carnale opus, eò quòd non eſſet ibi vitioſitas, eſſet tamen opus carnale ſecundum quod caro ſonat in naturā: & nihilominus eſſet ſpirituale opus, quia naturaliter & opus naturale concordat ſpiritui & gratiæ. Hæc Bonauen. in fine quæſtionis.

Caſus. De quo vide in dictione *Fortuna*. Caſus fortuitus (vt ſcribit Gabriel diſtinct.xv. quæſt.x. articul.iij. dub.ix. libro quarto) dicitur repentinus rei euentus, qui nec præuideri poteſt, nec ei reſiſti, vt incurſus hoſtium, pyratarum, naufragium, incendium, euerſio domus ex terræ-motu ſeu tempeſtate vel ventorum impetu. Vnde caſus quem diligentiſsimus cauere poſſet, non dicitur caſus fortuitus. Vnde furtum clandeſtinum factum à perſona, à qua diligentiſsimus præcauiſſet (vt à vili ſeruo) non eſt caſus fortuitus. Secus de rapina violenta, niſi ſpoliatus eſſet in culpa, tranſeundo per loca periculoſa. Caſus, vt ſcribit Boëtius de Conſolat. eſt inopinatus rei euentus. vbi ſimul tangit poſitionem & priuationem, vt dicit ſanctus Bonauentura diſtinctione trigeſimaſeptima, articul.ij. quæſtione ſecunda, libro ſecundo. Poſitionem per hoc quod dicit euentus. Priuationem in hoc quod dicit, inopinatus. Et illa quidem priuatio non eſt reſpectu Dei, quia Deus nihil poteſt facere inopinatè ſiue improuiſè, nec etiam à Deo eſt, cùm ſit defectus, ſed potius à defectibilitate creaturæ. Nullum igitur caſuale vel fortuitum ſecundum quod huiuſmodi eſt à Deo, licèt ſecundum id quod eſt, ſit à Deo. Et hoc vult Auguſtinus lxxxiij. quæſt. cùm dicit: Quod caſu fit, temerè fit. Et ideò ſicut non concedimus quod temerarium ſecundum quod huiuſmodi ſit à Deo, ſic non eſt concedendum, ait Bonauentura, quod caſuale ſecundum quod huiuſmodi ſit à Deo.

Caſſum. Illud dicitur caſſum, vel fruſtrà, quod fruſtratur ſuo effectu quem intendit facere. Vnde nulla voluntas Dei poteſt caſſari, vt ſcribit Bruleſer di.xlvij.q.j.libr.j.

Caſtitas, vt ſcribit Paulus Corteſius libro tertio Sententiarum diſtinct.viij. eſt libidinoſarum cupiditatum domitrix, cuius aſſectatrix eſt virginitas, quæ à Græcis παρθενία nominatur. Eſt enim hæc illibatus flos & puritas venereæ talis expers, cum perpetua animi inductione carendi, quo in cœlibatu ſit contemplandum aptior. Ioannes Gerſon parte ij. de caſtitate Eccleſiaſticorum, ait: Caſtitas eſt virtus moderatiua paſsionum partis concupiſcibilis circa venereas voluptates: ſicut ſobrietas circa delectationes guſtus in cibis & potibus moderatur. Diuidit is caſtitatem in moralem, heroïcam, & diuinalem. Item in caſtitatem matrimonialem, vidualem, & virginalem. Caſtitas virginalis, vt idem ſcribit parte iiij. Sermone de Caſtitate eſt integritas corporis & mentis ſeu cogitationis, nunquam habendi conſenſum probandi vel experientiam faciendi carnalis voluptatis quæ ſequitur, & tactus pudendi membri, ad generationem ordinati. Caſtitas matrimonialis eſt abſtinentia ab opere carnali, niſi inquantum matrimonij termini ipſum patiuntur & requirunt. Exemplum de homine qui ieiunat, quamuis in prandio manducet. Caſtitas viduitatis in generali eſt continētia, quæ ſeruatur in corde & corpore, poſtquā perſona fuerit in matrimonio, vt Domina noſtra: vel poſtquam expertus eſt carnalem voluptatem, ſiue in matrimonio, ſiue extra. Et hoc modo Sacerdotes poſſunt dici habere caſtitatem vidualem, qui viuunt caſtè poſt eorum corruptionem. Hæc Gerſon parte iiij. Vnde actus virginitatis, vt ſcribit Gabriel diſtinct.xxxvj.quæſt.vnica, articul.iij. dubio.j. libr.iij. eſt abſtinere à concubitu propter Deum, hoc eſt, illo modo quo Deus vult talem abſtinere. Et actus caſtitatis coniugalis, eſt velle vti actu matrimoniali, eo modo quo Deus vult talem vti actu matrimoniali: & illi actus, ſcilicet, virginitatis & caſtitatis, non repugnant ſecundum eundem. Nam ſic habens voluntatem abſtinendi à concubitu eo modo quo Deus vult eum abſtinere: & conſtat ei per reuelationem vel ſcripturam, quod Deus velit eum contrahere, & actui coniugali operam dare, tunc velle contrahere propter Deū in tali generat caſtitatem coniugalē, manēte nihilominus caſtitate virginali, quia ſemper manet velle abſtinere ab omni concubitu, ſi ita Deo placet: vbi ergo actus non contrariatur, multò minus habitus. Eodem modo dici poteſt de paupertate & liberalitate, & ſic de aliis, &cæt. Et vt dicit Bruleſer diſtinctione prima, libro quarto. niſi tuo imbre extincta fuerit flamma libidinis, non poteſt animus peruenire quò tendit. Errat etiam qui propriis viribus putat ſe caſtitatem obtinere. Vnde Sapiens: Scio quod continens eſſe non poſſum, niſi Deus dederit, & hoc ſcire donum Dei eſt. Et caſtitas, vt dicit beatus Thomas, virtus dicta eſt à caſtigatione concupiſcentiæ. Et differt caſtitas à pudicitia, vt idem

 C A

vt idem ſcribit ij.ij.quæſt.cxliij. quia pudicitia eſt præcipuè circa ſigna venereorum, vt ſunt tactus, oſcula, & huiuſmodi: caſtitas verò circa veneream commixtionem.

Catechizare Græcum eſt, valens tantum ſecundum Magiſtrum & Hugonem lib.ij.de ſacramentis parte vj.cap.ix.ſicut inſtruere. Vnde catechizatus interpretatur inſtructus vel audiēs. Et accipitur quādoq; generaliter pro qualibet inſtructione, quādoque ſpecialiter pro illa quando baptizādi priùs inſtruuntur & docētur, quæ ſit forma fidei Chriſtianæ, in qua eos ſaluos fieri & ſacramentum ſalutis ſuſcipere oportet. Et in primitiua Eccleſia, vt ſcribit Brulefer diſtinct.vj. quæſt.xj. catechizabantur adulti ante baptiſmum, & inſtruebantur de his quæ ſunt neceſſaria ad fidem Catholicam obſeruādam. Paruuli verò & ſi non poſsint doceri, poſſunt tamen per patrinos obligari. Et patrini obligantur ad inſtruendum puerum, vel ad faciendum inſtrui puerum, ſi non habeant alios parentes vel doctores docentes eum.

Catechizatio ſiue inſtructio eſt triplex (vt notat Gabriël d.vj.q.iij.art.j.lib.iiij.) Vna ad conuerſionem fidelium. Alia ad dignius ſuſcipiendū ſacramentum baptiſmi, quæ ex vſu dicitur catechizatio. Tertia ad inſtruendum baptizatum. Et quāuis illæ fieri poſſunt per ſacerdotes, prima tamen eis maximè conuenit, quia ad eorum effectum pertinet fidem prædicare, iuxta illud Aggęi 2. Interroga ſacerdotes legem. Secunda etiam quamuis fuerat antiquitus per diaconos exhibita, propter occupationes ſacerdotum, ne in maioribus impedirētur, ſed tamen quicquid poteſt diaconus, poteſt & ſacerdos, quia & ad eoſdem ſacerdotes pertinet, maximè modò: quia conſuetum eſt, vt habetur de conſecr. diſtinctione quarta. Catechiſmi. Tertia pertinet ſpiritualiter ad anadochum, id eſt, patrinum in particulari, quamuis pertineat ad Prælatum in communi. Hæc Richardus, diſtinctione ſexta, artic.v. quæſt. iij. libro quarto. & poſt eum Gabriël vbi ſuprà. Inſtructio autem catechizandorum varia eſt, ſecundum diuerſas conditiones eorum. Vnde dicit Alexander de Ales: Aliter rudes, aliter intelligentes, aliter paruuli, vſum rationis habentes, aliter adulti. Generaliter autem debent habere inſtructionem allectiuam ad baptiſmi ſuſceptionem. Et ſi intelligentes fuerint, inſtruendi ſunt qualiter à principio mundi Deo cura eſt de ſalute humana: & qualiter præfigurauit noſtram redemptionem & ſalutem per ſacramenta habendam: & pueri per baptiſmi ſacramentum, & ad fidem noſtræ redemptionis factæ per Chriſtum, & glorificationis in anima & corpore per ipſum futuræ. Et ſecundum hoc beatus Auguſtinus edidit libellum de catechizandis rudibus. Plura Gabriël vbi ſuprà. Et obſeruandum eſſet hodie, dum Iudæus vel Gentilis ad fidem conuerſus, baptiſandus eſſet, aliquot diebus ante baptiſmi ſuſceptionem, vt ad quæſtiones ante baptiſmum mouendas, (Credis in Deum patrem, &cæt.) poſſet ex intentione reſpondere. Modò verò cum paruuli baptizantur, ſufficit formam ſeruare, quæ in agendis deſcribitur. Latiùs Gabriël vbi ſuprà.

Catechiſmus, vt dicit Petrus de Palude diſtinct.vj. q.iiij.lib.iiij.eſt inſtructio circa fidei rudimenta, id eſt circa generalia fidei, & quæ pertinent ad fidem Catholicam.

Cathedra Moyſi capitur pro auctoritate iudicādi populum, vel pro doctrina quam docuit Moyſes, vt habetur Matth.23. Super cathedram Moyſi ſedent Scribæ & Phariſæi. Omnia quęcunq; dixerint vobis, ſeruate & facite, &c. Quod verum eſt, niſi contra legem diuinā dixerint, tunc enim locū habet illud Petri, Act.5. Obedire oportet Deo magis quàm hominibus: nec ſic præcipiendo ſedent ſupra cathedrā Moyſi, quum pręcipiunt quod eſt cōtra Deum. Non enim procedunt hæc de cathedra, id eſt, doctrina Moyſi, ſed de cathedra peſtilentiæ & erroris. Ita poſt Scotum ſcribit Dominus præpoſitus Gabriël diſt.j.quæſt.iiij.artic.iij.libr.iiij. Cathedra verò peſtilentiæ dicitur regnum terrenum cum ſuperbia, vt dicit ſanctus Auguſtinus ſuper primum Pſalmum, quæ ideo cathedra peſtilentiæ rectè intelligitur, quia non ferè quiſquam eſt qui careat amore dominandi, & humanam non appetat gloriam. Peſtilētia enim eſt morbus latè peruagatus, & omnes aut penè omnibus inuoluens, quanquā accommodatius accipitur cathedra peſtilentiæ pro pernicioſa doctrina, cuius ſermo vt cancer ſerpit. Hæc Auguſtinus.

Catholicus, vt notat Brulefer diſtinct.v. quæſt.iij. libro iiij. eſt ille qui credit implicitè vel explicitè, actu vel habitu omnia quæ pertinent ad fidem orthodoxam formatam vel informem. Vnde paruuli baptizati, ſunt Catholici cenſendi habitu. Item omnis homo habens charitatem, eſt Catholicus: quia non poteſt habere charitatem ſine fide infuſa. Item omnes exiſtentes in gratia etiam quādo dormiunt, ſunt Catholici, quia habitu credunt. Item omnis peccator Chriſtianus exiſtens in peccato mortali, alio à peccato hæreſis, dicitur Catholicus, quia licèt non habeat fidem formatam, habet tamen fidem informem. Sed nec Iudæi, nec Saraceni, & non baptizati, dicuntur Catholici: vnde Catholica fides, & Catholica veritas dicitur. Et dicitur fides Catholica & Apoſtolica, vt ſcribit Theologorum lux Gabriël lectione xxiiij.canonis. Catholica, quia eius principia non particulariter, ſed vniuerſaliter toti mundo ſunt tradita: non ſicut lex vetus, quæ duntaxat vni populo Iſraëlitico, ſemini, ſcilicet Abrahæ, data, cæteros non obligabat. Nam Abrahę dictę ſunt promiſsiones ſalutis, & ſemini eius. Galath.3. Et dicitur fides Apoſtolica, hoc eſt per Apoſtolos toti mundo concorditer promulgata. Vel Apoſtolica, id eſt in Apoſtolis tanquam firmis radicibus fundata. Latiùs Gabriël. Veritas autem Catholica, vt idem ſcribit lectione vigeſimaſecunda canonis, cui quilibet viator actu vel habitu, explicitè vel implicitè aſſentire tenetur.

Cauſa vno modo accipitur pro re ad cuius poſitionem ponitur aliud, ſiue ad cuius eſſe ſequitur aliud tanquam effectus. Sic in prædeſtinato vel reprobato, non eſt cauſa prædeſtinationis vel reprobationis, quia prædeſtinatio eſt diuina voluntas, quæ illi vult dare vitam æternam, iſti pœnam perpetuam, quæ voluntas eſt ipſe Deus. Alio modo ca-

pitur

pitur pro propoſitione habente quandam prioritatem ad aliam, ſecundum conſequentiam, ſecundum quam antecedens dicitur cauſa conſequentis. Sicut ſi dicimus quod cauſa quare ignis non calefacit, eſt, quia non habet paſſum combuſtibile ſibi approximatum. Et ſic dicitur frequenter antecedens eſſe cauſa conſequentis: & tamen non eſt propriè cauſa in aliquo quatuor modorum cauſandi ab Ariſtotele poſitorum. Ita Petrus de Aliaco quæſtione xij. artic. ij. libro primo. poſt Occam & Gabriël. diſtinct. xlj. quæſt. vnica, libro primo. poſt Occam. & diſtinct. j. quæſt. ij. libro ij. capiendo primo modo ad rationem cauſæ, vt vult Occam quæſt. iij. diſtinct. j. libro primo, & diſtin. xlv. libro primo. Et infrà in iiij. diſtinct. j. requiritur, quod ipſo poſito, omnibus aliis circunſcriptis ponitur effectus, & ipſo non poſito, omnibus aliis poſitis, non ponitur effectus. Propter primum tam ignis quàm Sol ponitur cauſa caloris. propter ſecundum aſinus ponitur cauſa aſini: & obiectum eſt cauſa notitiæ intuitiuæ, capiendo cauſam ſecundo modo, dare eſt aliquam cauſam reprobationis, vt & ſentit Occam, & poſt eum ſcribit Gabriël quæſt. vnica, artic. ij. libro primo, diſtinct. xlj. quæſt. ij. ſequitur. Iſte peccabit finaliter: ergo damnabitur. Non enim Deus prius eſt vltor, quàm ſit aliquis peccator. Auguſtinus vndecimo ſuper Geneſim ad literam: Et videtur eſſe crudelitatis punire innocentem. Item alicuius prædeſtinationis eſt aliqua cauſa vel ratio, ſecundo modo cauſando cauſam, quia aliqui propter meritum ſaluantur: ita quod ſi non voluntariè mererentur, non ſaluarentur. Item alicuius prædeſtinationis nulla eſt cauſa vel ratio totalis, quia aliqui ex gratia ſpeciali ordinati ſunt ad vitam: ſicut beata virgo Maria, & Paulus à Domino percuſſus, & illuminatus: longior eſt Gabriël vbi ſuprà. Non diſcrepat à prædictis Aliacenſis, qui dicit, quod non omnes prædeſtinantur eodem modo: ſic, ſcilicet quod omnium ſit ratio prædeſtinationis, vel nullorum: ſicut non omnes eodem modo receperunt gratiam. Aliqui enim fuerunt ſanctificati ante natiuitatem ſuam, alij non: & quare iſti, & non illi? nulla eſt ratio, niſi voluntas Dei. Cardinalis Cameraceñ. quæſt. xij. libro primo ſententiarum: Et capiendo cauſam primo modo, propriè dicitur cauſa, ſcilicet ad cuius eſſe ſequitur aliud, vel quo poſito ponitur aliud: & eo non poſito, non poneretur. ſic malum (vt ſcribit Gabriël libro ſecundo, diſtinct. xxxiiij. quæſt. vnica, artic. ij.) quantum ad formale, non habet cauſam deficientem. Secundo modo capitur impropriè cauſa, ſic dicimus Petrum non moueri, eſſe cauſam manendi in eodem loco: & ignem nõ approximari paſſo, eſt cauſa non calefaciendi, vt dictum eſt.

Cauſa eſt duplex, mediata & immediata. Cauſa mediata eſt cauſa cauſæ, vt Abraham dicitur cauſa Iacob nepotis. Cauſa immediata eſt, qua poſita aliis circunſcriptis, ponitur effectus, vel qua non poſita omnibus aliis poſitis, non ponitur effectus. Et cauſa mediata propriè non eſt cauſa, quia non requiritur ad eſſe effectus: nec ea poſita, ponitur effectus: vt patet de auo reſpectu nepotis. Sed omnis cauſa propriè dicta eſt cauſa immediata ſiue cauſa vniuerſalis ſiue particularis, quæ non minus eſt cauſa, quàm vniuerſalis, nec idem eſt cauſa immediata, & cauſa præciſa, ſiue totalis. Gabriël diſtinct. xlv. quæſtione vnica, libro primo. & in iiij. diſtinct. j. quæſt. j.

Cauſa totalis eſt, qua poſita, omnibus aliis circunſcriptis, poteſt effectus ſufficienter poni, & hæc dicitur cauſa ſufficiens: vel accipitur pro cauſa præciſa, quæ non habet aliquid ſibi concauſans. Sic cauſa partialis eſt, quæ cum alia cauſat effectum. Vnde Deus producens aſinum, cùm cauſa ſecunda eſt cauſa partialis: ſic & cauſa ſecunda. Sed vtraque cauſarum totalis & partialis eſt cauſa immediata, & cauſa totius effectus. Item in pluribus trahentibus nauem, quilibet illorum concurrentium eſt cauſa partialis, ſiue vniuerſalis, ſiue partialis, & omnes ſimul ſunt cauſa præciſa, ſiue totalis. Et diuiſio cauſæ in cauſam mediatam & immediatam eſt diuiſio analogi, in ſua analogata. Vide latiùs Gabriëlem diſtinctione prima, quæſtione ſecunda, libro ſecundo. Nulla autem creatura eſt cauſa totalis ſui effectus, vt ſcribit poſt Scotum Gabriël, diſtinctione trigeſimaſeptima, quæſtione vnica, libro ſecundo: quia ſemper concurrit Deus immediatè tanquam cauſa partialis. Solus Deus eſt cauſa totalis efficiens effectuũ creatorum. Et quod dicitur Eccleſiaſtici decimoquinto: Deus ab initio creauit hominem, & reliquit eum in manu conſilij ſui, &cæt. non vult illa auctoritas, quod ſic relinquatur homo in manu conſilij ſui, vt aliquid poſſit ſine Deo, ſed quod poteſt vtrunque, ſcilicet bonum & malum eligere. Quodcunque autem elegerit, concurrit Deus ad eliciendum huiuſmodi velle. Sic ad multas alias auctoritates eſt dicendum, vt refert Gabriël diſtinct. xxxvij. quæſtione vnica, libro ſecundo, quas ibidem videre potes.

Cauſa immediata quædam dicitur talis immediatione cauſæ, quædam immediatione effectus. Cauſa immediata immediatione cauſæ, eſt inter quam, ſcilicet & effectum non mediat alia cauſa, quæ ſit cauſæ effectus, & ipſa tantum cauſa illius cauſæ. Sed cauſa immediata immediatione effectus, eſt cauſa potens producere effectum ſine alio effectu concurrente, ſiue præuio. Sic ignis non eſt cauſa immediata ignis, quia producit immediatione effectus, quia non poteſt producere formam ignis in materia, niſi priùs producat calorem in ea, etiam ſi calor productus non agit ad formam ignis: Gabr. di. j. q. ij. lib. ij.

Cauſa prima dicitur (vt ſcribit Dominus Cardinalis Cameraceñ. quæſtione decimatertia, articulo ſecundo, lib. primo) non quia poſſit ſe ſola quicquid poteſt cum alia, ſed dicitur prima, quia à nulla alia eſt cauſata, & quælibet alia eſt cauſata ab ea, vel immediatè vel mediatè. Et vt ſcribit Gabriël diſtinct. j. quæſt. ij. libro ſecundo. & diſtinct. xlv. quæſt. vnica, libro primo. Cauſa dicitur prima, vel primitate perfectionis, vel primitate illimitationis, vel primitate durationis. Prima perfectione dicitur, quæ eſt cæteris perfectior: prima illimitatione, quæ concurrit vel concurrere poteſt ad plures effectus producendos, vt Sol reſpectu ignis.

C A

Primum duratione accipitur dupliciter, vel quod procedit ſecundum ſuam naturam, vel quod priùs duratione cauſat, vt ſi aliquis plus traheret nauem quàm alius, & poſteà traheret cum alio. Voluntas diuina eſt cauſa immediata omnium, quæ fiũt, quamuis hoc ratione naturali probari non poſsit. Eſtque Deus cauſa prima perfectione, illimitatione, & duratione, quantum ad eſſe, quia perfectiſsimus, infinitus, æternus. Sed non eſt cauſa prima duratione in cauſando, quia dum cauſa ſecunda cauſat, non priùs cauſat, quàm cauſa ſecunda, ſed ſimul cauſant, quamuis Deus poſsit & priùs, & ſe ſolo cauſare. Gabriël diſtinct.xlv. quæſt.vnica, libro j. Vnde vt idem ait diſtinct.xiiij.lib.ij. In omni operatione Deus operatur intimè, & immediatè, cùm Dei voluntas ſit prima, & ſumma cauſa omnium ſpecierum, & motuum, vt dicit Auguſtinus de Trinit.3.cap.5. In aliquibus autem ſic operatur, vt ipſe ſit tota cauſa in aliquibus cauſat partialiter, & virtutem cauſandi communicat creaturæ. Prima dicuntur mirabilia, ſecunda naturalia, & vtraque quo ad Deum voluntaria, vt vult ſanctus Bonauentura. Præterea Deus eſt prima cauſa efficiens omnium effectuum immediata immediatione cauſæ. Probatur multis auctoritatibus ſcripturæ, vt diffuſe oſtendit Gabriël diſtinct.j. quæſt.ij. libr.ij. artic.ij. Vnde Ioannis 1. dicitur: Omnia per ipſum facta ſunt, &c. Et in Symbolo Nicæ. Credo in vnũ Deum, patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ, viſibilium & inuiſibilium. Et extra de tri.& fi.catho.firmiter: Ipſe creator omnium viſibilium, & inuiſibilium ſpiritualium, & corporalium. Item Rom.11. Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia: & cætera innumerabilia ſcripturæ teſtimonia, quamuis hoc ratione naturali probari non poſsit, vt multis probat Gabriël: poteſt tamen rationabiliter ſecundum Occam quæſt.iiij.& v.lib.ij. perſuaderi, vide ibidem. Et Auguſtinus 2.de Trinit. verius attribuit cauſalitatem inferiorum Deo, quàm cauſis ſecundis. Sed cauſæ ſecũdæ ſunt immediatæ, ergo Deus, &c. Hinc Proculus dicit, quod cauſa prima plus influit in effectum quàm ſecunda, id eſt de cauſis. Item ſuſpẽdente cauſa prima ſuam actionem, nihil agit creatura, vt patet in eclipſi Solis tempore Dominicæ paſsionis, & in igne pueros non lædente in fornace Regis Chaldæorum, Daniëlis 3. quia Deus non concurrebat immediatè cum igne in camino ignis, ideo ignis non potuit agere. Eſt igitur Deus cauſa immediata. Item Sol eſt cauſa immediata iſtorum inferiorum, patet in effectibus productis à Sole, dũ accedit ad nos tempore æſtatis: ideo ſequitur, quod Sol ſit cauſa immediata talis effectus inferius producti. igitur multò magis dependet effectus à Deo tanquam à cauſa immediata. Sine Deo autem cooperante nihil poſitiuum fieri poteſt, vt idem probat Gab.diſt.xij.libr.iij.& quęcunq; poſitiua permittit hæc & facit. Hinc Cardinalis Camer. ait: Plus Deus facit faciẽdo aliquem effectum mediante cauſa ſecunda, quia facit cauſam ſecundam eſſe cauſam effectus. Et ij.quotlib.q.j. Occam ait: Niſi Deus eſſet cauſa efficiens, vel mouens effectiuè alicuius effectus, videtur quod fruſtra poneretur in vniuerſo. Et Richar.diſtin.xxiiij. artic.iij.quæſt.j.libr.iiij.dicit, quod Deus non tantùm eſt ens, ſed eſt omnium entium cauſa effectiua, & gubernatiua: vt & latiùs ibidem declarat, vide & de hoc Dominum Cardinalem Cameraceñ. copioſius. quæſt.xiij. libr.j. Item Auguſtin. in de concordia præſcientiæ, poſt alia facit igitur, inquit, Deus omnia quę iuſta, vel iniuſta voluntate fiunt, id eſt, bona opera, & mala in bonis quidem facit quod ſunt, & quod bona ſunt. In malis verò facit quod ſunt, ſed non quod mala ſunt. Vnde actus malus qui eſt materiale in peccato immediatè, cauſatur à peccatore ſimul & ab efficiente Deo, vt ſcribit Gabriël diſtinct.xxxvij. quæſt.vnica, libro ij. de quo vide & Aliaco.quæſt.xiij.lib.j. Deus autem non eſt cauſa defectiua, ſicut voluntas humana, quamuis eo modo eſt cauſa effectiua actus peccati, quo voluntas, ipſe enim non eſt cauſa deformitatis actus, quod eſt formale peccati. Mali itaque culpæ Deus non eſt cauſa efficiens, neque deficiens, ſed fortè poſſet dici cauſa permittens deſerendo voluntatem à ſe auerſam, vt poſt Scotum ſcribit Gabriël diſtinct.xxxvj. quæſt. vnica, artic. iij.dub.ij.&cæt. De qua quidem re ſanctus Bonauentura diſtinct.xxxvij.circa textum libr.ij.ponit aliquas proponens tanquam regulas infallibiles.

Prima, omne id quod dicit poſitionem aliquam eſt à Deo. Secunda eſt, omne id quod aliquem ordinem dicit inquantum huiuſmodi eſt à Deo. Tertia, nullus defectus ſecundum quod huiuſmodi eſt à Deo propter hoc quod repugnat diuinæ potentiæ. Quarta eſt nullum inordinatum ſecundum quod huiuſmodi eſt à Deo, quia repugnat diuinæ ſapientiæ. Vnde Anſel. in libro de concordia prædeſtinationis, & præſcientiæ: Omnis qualitas, & omnis actio, & quicquid habet aliquam eſſentiam, eſt à Deo, à quo eſt omnis iuſtitia & nulla iniuſtitia, &c. Eſt inſuper Deus cauſa prima omnium primitate perfectionis, & illuminationis, quia Deus eſt perfectior omnibus, & eſt cauſa omnium effectuum, quod nulli conuenit alij. Eſtque cauſa prima duratione primo modo accipiendo primitatem durationis, vt dictum eſt, quia ſecundum ſuam naturam præcedit duratione omnes cauſas ſecundas, & effectus. fuit enim ab æterno quod nulli alij conuenit, ſed non ſecundo modo, quia non præuenit cauſando cauſas ſecũdas ſecum concauſantes, poteſt tamen Deus in ſe eminenter habere cauſalitatem effectiuam omnium cauſarum ſecundarum, & ſupplere omnem eorum cauſalitatem, & ſic etiam poſſet eſſe cauſa prima effectiua omnium duratione ſecundo modo. Sed vide de hoc Gabriëlem libro ſecundo, diſtinctione prima, quæſt.ij.artic.ij. omnium enim effectuum abſolutorum poteſt eſſe cauſa effectiua, & ſe ſolo poteſt producere in genere cauſæ efficientis, quicquid poteſt producere cum cauſa ſecunda. Hinc illud commune dictum: Deus poteſt ſupplere cauſalitatem cuiuſlibet cauſæ extrinſecæ. Item Deus eſt cauſa immediata omnium effectuum immediatione effectus: effectuum dico (inquit Gabriël) abſolutorum, quia ad productionem cuiuſcunque effectus non indiget alio effectu, quia poteſt quemcunque effectum abſolutum producere ſolum, ſine productione cuiuſlibet alterius effectus, quia licèt aliquæ qualitates requirantur ad materiæ diſ-

poſitionem pro receptione formæ, ſecundum Philoſophum 2. de anima, actus actiuorum ſunt in patiente prædiſpoſito, tamen Deus poteſt omnem effectum abſolutum producere immediatè, etiam extra materiam. Gabr.

Cauſa cōmuniter diuiditur in cauſam principalem, & inſtrumentalē. Cauſa principalis dicitur quatuor modis, ſecundū Sco.q.j.& iiij.d.j.li.iiij. Primo modo per excluſionē cauſæ ſuperioris agentis, & hoc modo agere principaliter, eſt agere independenter, & illo modo ſola cauſa prima eſt cauſa principalis, & ideo omnis cauſa ſecunda inſtrumētalis. Secundo modo cauſa principalis dicitur totū ſuppoſitum agens per aliquam ſui partē, & pars per quā totum agit, dicitur inſtrumentalis, & ſic totus homo dicitur cauſa principalis viſionis, oculus verò inſtrumētalis. Tertio modo cauſa principalis dicitur cauſa quæ attingit effectū principalē, ſecundū aliquam præuiā diſpoſitionem: ſic calor dicitur cauſa inſtrumentalis reſpectu ignis, ſuppoſito quod non attingat formā ignis generandi, ſed tantū calorē. Quarto modo dicitur cauſa principalis, quæ agit per formā propriā intrinſecam, ſiue in ſic agendo ſit ſubordinata agēti ſuperiori, ſiue nō. Et cauſa inſtrumētalis eſt, quæ non agit per propriā formā, ſed tantū per motionē alterius mouentis, vt in ſciētia artis, vt ſerra vel ſecuris: & illo modo omnis diſpoſitio neceſſitans ad formā, quæ non eſt ratio receptiua, poteſt dici cauſa inſtrumentalis actiua quodammodo. Sic merita ſunt cauſa inſtrumentalis præmij, nam propriè dicitur per meritū acquiritur præmiū, & tamē meritū eſt diſpoſitio præuia ex ordinatione diuina ad præmium, non tamen ſicut ratio receptiua: ita & poſt Scotum notat Gabr.li.iiij.diſt.j.q.j.

Cauſa efficiens eſt triplex, vt notat Brūle.d.xj.q.iij. li.iij. quędā eſt propriè effectiua, alia eſt diſpoſitiua, tertia eſt excitatiua. Omne enim quod efficit, vel diſponit, vel excitat diſponentē, vel efficientē, aliquo modo poteſt dici efficere, vel cauſare; vt cōuerſionis S. Pauli fuit triplex cauſa, ſcilicet propriè effectiua, quæ fuit Deus, qui ꝓpriè etat & dat gratiā. Cauſa diſpoſitiua per modū ſupplicationis fuit ſanctus Stephanus, exorās Deū deuotè pro lapidātibus ſe, inter quos principalis fuit Paulus. Cauſa excitatiua fuit cōuerſionis magnitudo, & fuit prædicatio Chriſti. Et poſſet dici quod cauſa excitatiua Pauli, fuit Chriſti dictū, dicentis: Saule, Saule, quid me perſequeris? Et Bona.diſt.xl.art.j.q.j. in ſolutione vlt.argu.li.j. quædā eſt cauſa efficiēs, quæ operatur ſecundū materiā præiacentē, & iſta quidē, quia alio indiget, non dicitur præparare quando ſolū vult, & diſponit intus, ſed quando materiā aptat exterius. Quædā eſt cauſa efficiēs, quę nullo indiget ad operandū, ſed ſtatim cùm vult operatur, & in tali præparatione, non eſt aliud quàm diſponere, & proponere, & talis eſt Deus, quia nullo alio indiget ad ſe operandum.

Cauſa finalis eſt illud, quo agēs mouetur ad operandum. Et poteſt dupliciter accipi. Vno modo ſtrictè, alio modo largè. Strictè dicitur illa quæ ſimpliciter eſt finalis, & vltima: & ita quod non ordinatur in aliam, ſed aliæ in eam. Largè dicitur illa, in quā alia ordinatur, ſiue ipſa ordinetur vltra in aliā, ſiue non. Primo modo ſtrictè cauſa finalis eſt aliquid amatū amore amicitiæ ab agente propter ipſum aliquem effectum producente. Gabr.diſt.j.q.v.libr.ij. Et vt ibidem dicit, cauſa finalis eſt vltima in executione, non ita quod vltimo acquiratur, quia præexiſtit operationi. Sed eſt vltimū in executione, id eſt, dirigit agēs ad vltimum effectum, quia eſt illud propter quod omnia alia fiunt. Cauſa finalis largè, eſt aliquid amatum amore amicitiæ vel concupiſcentiæ, vel etiam oditum ab agente, propter quod agens aliquem effectum producit. Declarationem vide in Gabriēle. Ad Phyſicos quoque ſpectat lucidior declaratio. Et eiuſdem effectus poſſunt eſſe plures cauſæ finales ſubordinatæ, quia primi effectus, vtputa euulſiones herbæ; omnes ſequentes effectus ordinati: confectio, potio, ſanitas amati amore concupiſcentiæ, & vita dilecta amore amicitiæ ſunt cauſæ finales. Et dicitur oditum, quia aliquando obiectum nolitionis ſiue oditum eſt cauſa finalis alterius noliti vel etiam voliti. Exempli gratia ponamus: Sanus odit mortē, propter quam nolitam odit infirmitatem, propter illam oditam vult recipere potionem amaram, vt non contingat ſiue accidat infirmitas. Eadem infirmitas eſt cauſa finalis volutionis, qua volo bibere potionem amaram, quia propter illam oditam vt non contingat ſiue accidat vult bibere potionem amaram, aliàs non bibiturus. Cauſatio cauſæ finalis eſt mouere efficiens ad agendum: iſtud mouere realiter non eſt aliud niſi ipſum finem amari ab agente, & propter amorem eius aliud amari vel fieri. Vide Gabriēlem vbi ſuprà. Sed cauſatio cauſæ efficientis eſt efficere, agere, producere extrinſecè aliud cuius ipſum non eſt pars. Cauſatio cauſæ materialis eſt eſſe materiam compoſiti, hoc eſt tanquam partem materialem compoſiti ſuſcipere eius formam. Cauſatio formæ eſt dare formaliter eſſe ſpeciuocum compoſito, vel aliquid huiuſmodi. Item in effectibus ordinatis ad eundē finem, ſemper effectus poſterior eſt cauſa finalis prioris, quia primus effectus producitur propter ſecūdum amatum; vt collectio herbarum fit propter earum decoctionem, decoctio propter potionem, potio propter ſanitatem, &c. Plura Gabriēl. Item cauſæ ſunt ſibiinuicem cauſæ. Nam ſanitas eſt cauſa finalis potionis, & potio cauſa efficiens ſanitatis. Verum hoc eſt in diuerſis cauſarum generibus, in eodem genere eſt impoſſibile. Et de cauſa finali dupliciter loqui poſſumus. Vno modo de ea quæ eſt præſtituta ab ipſo agente particulari. Et iſto modo cauſæ meræ naturales non agunt propter finem. quia cùm non cognoſcunt (has enim intelligo per cauſas meræ naturales) non præſtituunt ſibi finem quem intendunt. Alio modo loquitur de cauſa finali, quæ eſt præſtituta & intenta ab illo agente, vel ab agente ſuperiore dirigente. Hinc in agendo (loquendo de cauſa finali) primo modo Deus non eſt cauſa finalis omnium effectuum à cauſis ſecundis productorum. Probatur, quia cauſæ meræ naturales agētes effectus non cognoſcunt, nec amant Deum: igitur nō intendunt Deum tanquā cauſam finalē ſuarum operationū, quia ad hoc quod aliquis ſit finis primo modo, oportet eū præcognoſcere & amari, ꝓpter ipſam vt amatā cauſam

parti-

particularem agere, &c. Nec naturali ratione poteſt probari Deum eſſe cauſam finalē omniū effectuū, quia nō poteſt probari ratione naturali, quod Deus propter amorē ſui producat omnē effectū, ſed certa fide tenendū eſt Deū eſſe cauſam finalē omniū, quia Deus operatur omnia in omnib⁹, & nō irrationabiliter: ergo ꝓpter finē. probat Gab. vide eū. Probatur & auctoritate ſcripturæ, Prouer. 16. Vniuerſa ꝓpter ſeipſum operatus eſt Dominus. Et Rom. 11. Ex ipſo & per ipſum tanq̃ perfectiſsimo exēplari: In ipſo tanq̃ in vltimo & optimo fine. Vnde Origines ſuper locū iſtū: Quod dicitur in ipſo, perfectio omniū & finis deſignatur. Itē Apoc. 1. Ego ſum Alpha & ω, principiū & finis, dicit Dominus. Ad idē Magiſter in textu diſt. j. lib. ij. ſent.

Cauſa eſt duplex; ſcilicet per ſe & per accidēs (vt notat Gabr. d. ij. q. x. ſi. j. ar. iij. dub. iij. Cauſa per ſe eſt aliquod quod cauſat nō per aliud realiter diſtinctū ab eo, ſed per ſe, ita quod ipſo poſito, circunſcripto omni alio, quod nō eſt cauſa in aliquo genere cauſæ, poteſt ſequi effectus, & ſic calor per ſe calefacit, anima per ſe intelligit vt per. non excludit circunſtantiā partialis cauſæ cōcurrentis. Nam ſecundum multos accidētia non habent actiuitatē ſuam extra ſubiectū ſicut in ſubiecto: & pro ſtatu illo oportet intelligentem phantaſmata ſpeculari.

Cauſa per accidens eſt illud quod cauſat per aliud ab eo diſtinctū. Sic anima intelligit per corpus. Ignis calefacit per calorē, homo intelligit per animā. Totum agit per partē. Quandoq; autē per accidens, & per ſe dicunt cōtra dictionē propoſitionis, vt ædificator per ſe ædificat. Statuā faciens eſt cauſa per ſe ſtatuæ. Albū per accidens ædificat, policletus eſt cauſa per accidēs ſtatuæ, vt innuit Cōmentator 1. Phy. Sic enim ſenſus eſt: Hæc propoſitio eſt per ſe, ædificator ædificat. Hęc eſt per accidens: album ædificat; vt etiam habet Philoſophus 2. Phyſic.

Cauſæ eſſentialiter ſubordinatę, ſecundū Sco. eſt quarum poſterior dependet à priore in cauſando, & eſt imperfectior ea, & ſimul requiruntur ad cauſandū, oppoſitū eſt in accidentaliter ordinatis. Et cauſarū concurrentiū ad determinatum effectū, ſi vna non poſsit cōcurrere, niſi alia cōcurrat: ita dependat vna ab alia in cauſando, ſicut ecōuerſo; verbi gratia. In generādo hominē homo eſſentialiter à Sole dependet, & ecōuerſo: quia nec homo ſine Sole, nec Sol ſine homine poteſt hominē generare, ſed tamē Sol ſine ſorte poteſt hominē generare: & ſic cauſa vniuerſaliter & illimitatior, nō dependent ab inferiori, ſcilicet Sol ab homine, quia Sol non requirit hoc ſingulare, ſicut inferior à ſuperiori & vniuerſaliori. poteſt & quandoq; Sol generare murē ſine mure: vide latiùs Gab. d. ij. q. x. lib. j. Et (vt notat Dominus Cardinalis Came. q. iij. art. iij. ſi. j.) inter cauſas eſſentialiter ordinatas, & accidētaliter ordinatas eſt triplex differentia. Prima eſt quod in cauſis eſſentialiter ordinatis: ſecunda dependet à prima in cauſando. Cauſæ autē accidētaliter ordinatæ ſunt, quarum neutra ad productionē alterius effectus aliam requirit naturaliter in cauſando. Secunda differētia eſt quæ ſequitur ex prima, quod in cauſis eſſentialiter ordinatis eſt cauſalitas alterius rationis, & alterius ſpeciei, quia ad cauſationē vniut effectus ſufficit vnum vnius rationis. Tertia differentia quod omnes cauſæ eſſentialiter ordinatę ſimiliter requiruntur ad cauſandū effectum. In cauſis autem accidentaliter ordinatis, non requiritur earum ſimultas in cauſando, vide latiùs Aliaceñ.

Cauſa ſine qua nō, vt notat Petrus Paludeñ. d. j. q. j. lib. iiij. eſt qua poſita, aliud ponitur aliunde, quamuis ſecundū eundē idem videatur eſſe cauſa per accidens. Et cauſa ſine qua non. hinc in naturalibus nō datur cauſa ſine qua non, ſed tantū in voluntariis, quoniam, ſcilicet cauſa voluntaria determinat ſe ad præſentiā alicuius (quod nō eſt naturaliter productiuum certi effectus) producere illū effectū, & nō ſine illius præſentia: vide & de hoc Gabr. d. j. q. j. libro iiij. & Petrū de Aliaco q. j. libr. iiij. Et vt ſcribit Gabr. ār. iij. dub. iij. vbi ſuprà. ſi cauſa ſine qua nō dicitur cauſa ad cuius eſſe ex ſola voluntate alterius ſequitur aliud eſſe, omnis cauſa ſecunda eſt cauſa, ſine qua non, quia omnis cauſa ſecunda ſic ſe habet quod ad poſitionē eius ex ſola volūtate diuina determinātis producere aliud ad illius cauſæ poſitionem ſequitur aliud, quia circūſcripta diuina voluntate contingenter agēre, nunquā ad poſitionē cauſę ſecūdæ, ſequitur aliud. Ex quo videtur ſequi, quod ita propriè ſacramēta poſt diuinā inſtitutionē ſunt cauſę gratię, & effectus gratuiti, ſicut quęcunq; cauſa naturalis, eſt cauſa ſui effectus. Quod patet; quia vtræq; cauſæ ſunt, cauſæ ſine qua non, & inter cauſas ſine qua non; nō eſt diuerſitas, quantū ad rationem cauſæ. Et quāuis ſacramēta cauſent gratiā tanquā cauſæ ſine qua nō, non tamē creant gratiā: patet, quia non cauſant gratiā, nec cauſarēt eam niſi in ſubiecto ſuſceptibili, ſcilicet anima intellectiua, Deus autē creat, quia in producendo gratiā, nō innititur ſubiecto, poſſet enim ita producere extra ſubiectum, ſicut in ſubiecto, nec eſt inconueniens eundem effectum creari à Deo, & produci à creatura, vel de ſubiecto, vt aliàs dicetur. Et hæc imaginatio (vt ait Gabr. vbi ſuprà.) magnifacit potentiam actiuam in Deo, quia ponit ſolum Deum omnem effectum poſitiuum ſecundum ſe, & quodlibet ſui cauſare principaliter & ꝓpriè per actū proprium ſui liberæ voluntatis. Creaturam verò tantum concurrere ex diuinæ voluntatis determinatione tanquā cauſam ſine qua non: & hoc ſatis concordat ſcripturæ, & dictis ſanctorū. Ait enim Apoſtolus: Non quod ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. 2. Corinth. 3. & 1. Corinth. 13. Deus operatur omnia in omnibus. Et ſecundum hoc negant Doctores communiter creaturam concurrere ad effectum ſeu terminum creationis: puta animæ, vel gratiæ, &c. tanquā cauſam propriè dictam: non autem tanquam cauſam ſine qua non. Nam concedunt de diſpoſitione de congruo reſpectu gratiæ: & de merito reſpectu gloriæ: & de diſpoſitione embrionis humanæ reſpectu animæ intellectiuæ, quod ſint cauſę ſine qua non. Licèt omnes illi effectus propriè creentur à Deo, &cæ. vide latiùs Gabrielem de cauſa ſine qua non, dub. iij. vbi ſuprà. & paulò antè.

Cauſa ſine qua non, differt à cauſa naturali. Nam cauſæ naturali conuenit cauſare, ſecundum totam

ſpeciem

ſpeciem, ita quod omne illud in quo ſaluatur natura talis, ſecũdum ſpeciem ponit in ſimilem effectũ. Non autem ſic eſt in cauſa ſine qua nõ. Nam ſi laicus habeat materiam Euchariſtiæ, intentionem cõſecrandi, & proferat verba formalia, nõ tamen conſecrat, & tamen eadem eſt natura ſpeciuoca panis verborum intentionis in laico, & Sacerdote: vt pono. illa tamen differentia non ſufficeret in cauſa naturali, quæ cauſaret ex proprietate indiuiduali non ſpecifica, &c.

Cauſare eſt inducere, efficere, producere. Vnam autem rem cauſare aliam, vt ſcriptis reliquit Gabriël diſtinct.j. quæſt.j. artic.j. libro quarto. non ait aliud, niſi ad præſentiam vnius rei aliam rem produci, vel eſſe: vt ignem cauſare calorem in aqua appoſita, nihil aliud eſt quàm ad præſentiam ignis calorem ineſſe aquæ. Et cauſare eſt ad nudam præſentiam rei, aliam rem incipere vel eſſe. Hoc autem (vt dicit Occam, & poſt eum Gabriël & Petrus Aliacenſis quæſt.j. quarti artic.j.) contingit dupliciter. Vno modo quando ex natura rei ad eſſe, & præſentiam vnius ſequitur naturaliter eſſe alterius. Alio modo quando ad eſſe vnius ſequitur aliud, ex ſola voluntate alterius illud ad pręſentiam eius producentis: vt ſi Rex ſtatueret, quod habens denarium plumbeum, ſigno Regis ſignatum, reciperet de camera Regis centum florenos, denarius ille præſentatus ad cameram Regis, cauſa eſt receptionis centum floren. nõ ex natura plumbi, ſed ex ſola voluntate Regis. Primum dicitur cauſa propriè, quia eſt cauſa ex virtute propria, id eſt ex virtute quæ eſt in ipſa, aut quæ eſt ipſamet res ſiue eius natura. Secundum verò dicitur cauſa ſine qua non, &c.

Cœlum vt ſcribit poſt ſanctum Thomam parte j. quæſt. lxviij. artic.iiij. Dominus præpoſitus Gabriël diſtinct.xiiij. quæſt.vnica, artic.ij. libr.ij. accipitur tripliciter in ſcripturis. Primo modo propriè, vt diſtinguitur contra elementa, pro corpore ſublimi luminoſo actu, vel potentia incorruptibili per naturam circundans regionem elementarem, ita communiter accipitur in ſcripturis: vt ibi: Vocauitq́ue Deus firmamentum, cœlum. Et ſequitur de Sole & Luna, poſuit eos in firmamento cœli, Geneſis 1. Secundo accipitur impropriè: vt dicitur per participationem proprietatis corporis cœleſtis, ſcilicet pro corpore leui & ſublimi diaphono & luminoſo actu vel potentia. Et ſic includit etiam aërem, & ignem. Et ſic accipitur in hymno puerorum: Benedicite volucres cœli Domino. Daniël.3. & Lucæ 8. Et volucres cœli comedunt illud. Tertio modo accipitur metaphoricè. Et ſic quandoque Trinitas benedicta dicitur cœlum propter eius ſpiritualem ſubtilitatem, & lucem, & ſummam perfectionis altitudinem: de quo cœlo exponitur diabolum dixiſſe Eſa.14. Aſcendam in cœlum, id eſt, ad æqualitatem Dei. Vnde Bonauentura diſtin.ij. part.ij. in dubiis literalibus libr.ij. dicit quod cœlum eſt nomẽ impoſitum corpori, ſecundum ſuam impoſitionem, & corpus quod eſt ſurſum, dicitur cœlum, quia eſt cõtentiuum, ſecretum & quietum, & quia hæc triplex proprietas reperitur in celſitudine diuinitatis, ideo dicitur cœlum. Eſt enim ampla immenſitate virtutis, ſecreta profunditate cognitionis, quieta tranquillitate dilectionis, hoc enim cœlum eſt ad quod Lucifer aſcendere voluit, quia ad hanc celſitudinem, hoc eſt ſuperius omni cœlo non ſitu, ſed dignitate, & maius eſt omni cœlo non extenſione, ſed ex ſua immenſitate, per quam eſt extra omnia non excluſus. In hoc autem cœlo ſunt ſolùm tres perſonæ, ſcilicet pater, & filius, & ſpiritus ſanctus, qui ſoli ſunt omnino, & perfectè ęquales: omnia autem creata, ſiue corporalia ſiue ſpiritualia, intra empyreum ſunt. Hæc Bonauentura. Quandoq; etiam ſpiritualia bona, in quibus eſt ſanctorum remuneratio, cœlũ nominatur: vt Matth.5. Merces veſtra multa eſt in cœlis, vt exponit Augu. Quandoq; tria genera ſpiritualium viſionum, ſcilicet, corporalis, imaginaria, & intellectualis; tres cœli nominantur: de quibus Auguſtin. exponit, quod Paulus raptus eſt vſq; ad tertium cœlum. 2. Cor.12. Accipiendo autem cœlum propriè poteſt accipi tripliciter. Vno modo abſolutè, vt ſignificat ſimpliciter corpus compoſitum ex materia & forma incorruptibili, naturaliter non vitali nullius peregrinæ paſſionis ſuſceptiuum. Et ſunt peregrinæ paſſiones qualitates primæ ad inuicem contrariæ, & ſecundæ eas conſequentes, vt grauitas, leuitas, color, ſapor, &cæt. contrarium habentes: illo modo quælibet ſtella epiciclus: & ſimiliter quælibet pars cœli eſt cœlum. Secundo modo accipitur connotatiuè, vt ſupponit pro cœlo primo modo dicto, connotando continentiam mediatam, vel immediatam regionis elemẽtaris. Et ſic importat quamlibet cœleſtem ſphæram totam elementarem regionem circundantem, & illo modo epiciclus aut ſtella non dicitur cœlum, licèt ſit pars cœli. Tertio modo accipitur vt connotat ordinẽ ad completum motum Planetæ, aut firmamenti, & ſic omnes orbes ſeu ſphæræ ad motũ vnius Planetæ requiſitæ dicuntur vnum cœlum, & illo modo Sol ecentricus deferẽs corpus Planetæ, non dicitur cœlũ. Similiter nec cõcentricus, quo ad vnã ſuperficiẽ, & ecẽtricus ſecundũ aliã, ſed totũ aggregatũ ex his. Sic accipitur cœlũ dũ dicuntur eſſe ſeptẽ cœli Planetarũ. Gab.d. xiiij.q.vnica, li.ij. & quot ſunt cœli ibidẽ oſtendit. Accipitur pręterea cœlũ pro qualibet anima exiſtente in gratia. Et dicitur cœlũ ſpirituale ſecundũ illud: Cœlũ mihi ſedes. & anima iuſti ſedes eſt ſapiẽtiæ. Vnde etiã: Cœli enarrãt gloriã Dei, id eſt Apoſtoli. Capitur & cœlũ pro ſanctis. Animæ itaq; iuſtæ & virtuoſæ, & Angeli ſancti, cœlũ dicuntur, vt ſcribit Gab.lect.lxv.cano. Vnde Hugo: In cœlo maximè habitare dicitur, quãuis ſit vbiq; quia per cœlos intelliguntur Angeli, & homines iuſti, in quibus maxime Deus habitat. Vnde Auguſt. Pater noſter, qui es in cœlis, exponit, id eſt in ſanctis & iuſtis. Vide de hoc latiùs Gabr.lect.canon.lxix.

Cœlum eſt multiplex. Cœlum aëreum dicitur regio inferior aëris. Cœlum æthereũ regio aëris ſuperior, quæ mouetur ad motũ primi mobilis, ideo æthereum dicitur, quaſi ſemper currens. Cœlũ olympiũ, dicitur inferior regio ignis, ab altitudine cuiuſdam mõtis, qui dicitur Olympus. Cœlum igneũ, dicitur ſuperior regio ignis. Cœlum ſtellatũ, dicitur aggregatum ex ſeptẽ ſphæris Planetarũ & firmamento. Cœlum cryſtallinum eſt primum mobile.

Cœlum empyreum, & illud cœlum dicitur igneum, non à calore, ſed ſplendore: ſicut primum mobile dicitur aqueum & cryſtallinum, nō ab humore, ſed à diaphoneitate & cryſtalli ſoliditate. Et quamuis ſancti parum loquuntur de hoc, ſcilicet cœlo, quia latet noſtros ſenſus, & Philoſophi adhuc minus: tamen eſt ponere cœlum empyreum, ſicut dicit ſcriptura: In principio creauit Deus cœlum. Strabus exponit de cœlo empyreo. Ad hoc ponit Bruleſer tres perſuaſiones diſtinct.ij. quæſt.vij. libr.ij. perſuadet enim ad hoc ratio finis triplex. Vna eſt perfectio vniuerſi. Alia eſt propter motum firmamenti. Tertia principalis propter habitationem hominis beati. Cœlum itaque empyreum non inuenitur poſitum niſi auctoritate Strabi, Bedæ, & Baſilij. Et dicitur illud cœlum immobile, & locus ſanctorum, & beatorū, à principio creatus, & ſtatim Angelis repletū. Vnde Baſilius homel.2.exame. ſicut damnati in tenebras vltimas abiguntur, ita beati remunerationem quæ pro dignis operibus reſtauratur in ea luce, quæ eſt extra mundum quietis domicilium ſortiuntur, copioſius Gabriël ſcribit. Et quia in cœlo empyreo inchoata eſt gloria corporum, quietum eſſe oportuit, & immobile, ſicut in vltima conſeruatione motus cœleſtium corporum ceſſabit. Eſt etiam locus beatorum ſpirituum hoc cœlum, non propter neceſsitatem (quaſi in eo ſpiritus dependeant in eſſe) ſed propter congruitatem, vt exterior claritas conueniat interiori, vt nobiliſsimæ creaturæ nobiliſsimus aſsignetur locus. Vnde Baſilius dicit, quod miniſtrator ſpiritus non poterat degere in tenebris, ſed in luce & lætitia degendi ſibi habitum poſsidebat. Vnde etiam cœlum illud non eſt locus ſaluans ſpiritus beatos, ſed tantum continens, vt dicit Alexan. Et licet cœlum empyreum ſit lucidiſsimum, non tamen diffundit lumen ſuū ad inferiora: vel quia impedit firmamentum quod in ſtellis non eſt diaphonum. Et quia ſtellis eſt plenum, impedit luminis ſuperioris diffuſionem: vel quia non habet lucem condenſatam, vt corpus Solis, ideo lumen non diffundit: vel quia habet claritatem alterius rationis, puta claritatem gloriæ quam non capiunt corpora inferiora.

Cœlum repleri Angelis, nihil aliud eſt quàm cœlum ornari Angelis, ſecundum eum numerum quem Deus ad inhabitandum ordinauit. Vnde illa repletio non impedit quin poſsit fieri additio, quia potuit Deus plures ordinaſſe vel non ordinaſſe quoſdam qui poſt iudicium ibi erunt, qui nunc nobiſcum ſunt ad noſtri cuſtodiam. ſicut & Angelis ſanctis addentur animæ ſanctæ, euolantes vel purgatæ. Hinc eſt quod Alexander parte ij. quæſt.xx. art.iij. membro.iij. ſcribit, quod cœlum empyreum dicitur Angelis repletum ſimul cum cœlo creatis, propter ſufficientiam & congruitatem ornatus cœli. Sufficientiam dico, quantum ad numerum à Deo præordinatum. Vnde ſemper repletum eſt, quantum ad ſufficientiam, quia ſemper ſunt ibi tot ſpiritus, quot ibi pro illo tunc Dominus ordinauit: nec ex lapſu malorum ſequitur imperfectio cœli empyrei, ſed ſpirituum cadentium. Sicut dum indigni expelluntur à Palatio regio, non eſt imperfectio vel deordinatio Palatij, ſed illorum, qui pro ſua indignitate ſunt expulſi. ita refert Gabriël diſtinct.ij. quæſt.ij. dubio.v. libro ij. Et illud cœlum empyreum non purgabitur igne conflagrationis, vt ſentiunt Doctores in quarto diſt.xlvij. quia ibi non eſt corruptio naturæ, ſed fuit tantum corruptio culpæ: ſed illa fuit ſpiritualis, quæ non contaminat locum, ſicut cogitatio adulterij vel homicidij, non contaminat Eccleſiam ſiue polluit. Palud. diſtinct.xlvij. libro iiij. (& vt idem ait) cœlum cryſtallinum & ſidereum cùm careant corruptione naturæ & culpæ, vnde non indiget purgatione.

Cœli (vt Damaſcenus ait) ſunt inanimati & inſenſibiles. Et cùm dicuntur Deum benedicere ſeu laudare, dictū eſt per proſopopeiam, ſicut etiā dicitur de aliis inanimatis creaturis, ſcilicet imbre, rore & igne, æſtu. Daniëlis 3.

Cœlum mouetur non propter indigentiam ſui, ſed propter generationem & corruptionem illorum inferiorum: & Deus mouet cœlum mediante intelligentia creatâ ſiue Angelo, vt communior habet opinio: & hoc congruebat ordini quo Deus conſtituit vniuerſa. De quo latiùs Gabriël diſtinctione xiiij. quæſt. vnica, libro ſecundo. Vnde Auguſtinus ſuper Geneſim ad literā dicit, quod Deus ſic mundum ordinauit, vt ſpiritum præficeret omni corpori: ideo ſic congruum erat Angelos deputari ad miniſteriū hominum: ſic & congruum fuit eos deputari ad motum & regimen cœlorum, cùm in hoc etiam miniſtrant homini viatori, & diuinæ ſubſeruiant Maieſtati. Item cœlum per ſtellas habet actionem in hæc inferiora multiplicem in elementa mixta imperfecta, mixta inanimata, animata irrationabilia. De quo videto Gerſonem in libello, quem Trilogum Aſtrologiæ Theologizatæ inſcripſit. Et Scotum quæſtione tertia, diſtinctione xiiij. libro ſecundo. Et poſt hos Gabriëlem diſtinctione xiiij. quæſt. vnica, libro ij. & contra Aſtrologos, qui multa falſa dicunt: & ſi quādoq; vera dicunt, ſed multò plura falſa: ait Cancellarius. Et ideo vera quæ dicunt incerta ſunt, & falſis plurimis permixta. Item poſſunt & aſtra inclinare voluntatem, non tamen effectiuè in ipſo efficiendo actū volendi, neq; imponere neceſsitatem, quouis modo, quia ſemper manet volūtas libera per ſuam libertatem, potens contraire huiuſmodi inclinationi. Nam & homo maximas vincit tentationes, nedum per gratiam, ſed etiam per voluntatis libertatem. Hinc eſt illud Ptolomei: Homo ſapiens dominabitur aſtris: de quo & aliàs plura dicuntur, & non parum multa. Gabr. art.iij. dub.iij. vbi ſuprà.

Cœlum dicitur aperiri, vt ſcribit ſanctus Bonauentura diſt.xj. libr.iiij. circa textum, quando vehemens fit influentia de ſuperius. Et quoniam immolationis hora nobis panis cœleſtis & ſuperſubſtantialis tribuitur. Hinc eſt quod Gregorius dicit cœlos aperiri: ſicut in eius natiuitate dicitur, quod per totum mundū melliflui facti ſunt cœli, quia datus eſt nobis iſte, qui dulcior eſt ſuper mel & fauum, &c. Vnde Gerſon tract.ix. ſuper Magnificat, dicuntur cœli aperiri non per fractionem, ſed per influentiam ſpecialem, qualiter optabat Propheta, dicens: Vtinam dirumperes cœlum. Et iterum: Rorate cœli deſuper, &c.

Celare

Celare eſt abſcondere. Vnde celare crimen eſt dupliciter, vt ſcribit ſanctus Bonauen. diſ. xxxv. circa textum li. iiij. Aut cum ſcit, ſed tamen eſt occultum aliis, & non detegit. Aut cum ſcit apertum & notum: & diſſimulando cooperit. Primum eſt fidelitatis. Hinc Prouer. 17. dicitur: fidelis eſt qui celat crimen amici. Secundum verò eſt præbere patrocinium ſceleri. Vel aliter: celare crimen eſt dupliciter, aut in præiudicium correptionis, aut in ſupportationem peccatoris & infirmi. & primum eſt malum: ſecundum verò eſt bonum. Vel aliter: celare crimen hoc eſt dupliciter. Aut perſonæ quæ poteſt prodeſſe. Aut perſonæ quæ poteſt obeſſe. Primum eſt malum. Secundum eſt licitum. Hæc ſanctus Bonauen. Et vt ſcribit Gerſon. parte ij. In regulis moralibus. Celare peccata ſua non eſt ex ſe hypocriſis, ſed cautela prudens, & debita. Secus ſi fiat hoc ex appetitu laudis falſæ, aut alterius maliciæ principaliter. vel ſi ad malum finē vltimatè referatur. Secus etiam ſi per mendacia operum, vel ſignorum, vel verborum talis abſconſio quæratur fieri quemadmodum ſi ad celandum peccata ſuæ luxurię fingat ſe aliquos opere ſigno, aut verbo luxuriā maximè deteſtari, & caſtitatem amplexari, cùm ſufficere debeat vt illam non oſtendat, ita de ſuperbia & cæteris poſſet dici. Gerſon: Celare inſuper peccatum in confeſſione detectū tenetur ſacerdos de lege naturæ, de lege Dei poſitiua, ſiue diuina, de lege poſitiua Eccleſiæ: vt probat Scotus di. xxj. q. ij. lib. iiij. quem vide latiùs, &c.

Cenſus ſeu redditus vt ſcribit Gab. di. xv. q. xij. ar. j. li. iiij. poſt Hē. de Aug. in ſuo tract. de cōtract. c. ij. nihil aliud eſt niſi ius leuādi ſeu recipiēdi aliquā pecuniā, aut pecuniā menſurabile vt bladū, vinum, aut aliud ad vſum hominis pertinens de fructibus rerum, bonorum, aut perſonarum. & tale ius nihil aliud eſt niſi poteſtas iuſtè recipiendi pecuniam vel rem aliam. vide latiùs Gabrielem.

Cenſura Eccleſiaſtica (vt & habet Dorbellus in iiij. di. xviij. & alij comprehendit interdictum, ſuſpenſionem, & excommunicationem. extra de verbo ſigni. c. quærenti. & cenſura Eccleſiaſtica fit vi clauium. Vnde tam interdictum quàm ſuſpenſio, quàm excommunicatio eſt quædam punitio: ideo vt ex ipſa punitione quis ad viam ſalutis reducatur: non tamen debet fieri animo nocendi, ſed debet fieri zelo charitatis proximi, ſcilicet, ad bonam ſubditi delinquentis: vel ad aliorum bonum vt vel timeant ſimilia vel quietius viuāt: vt. xxiij. q. v. prodeſt.. vbi dicitur, ſiue ignoſcendo, ſiue plectendo hoc ſolum agitur: vt vita hominum corrigatur, vt, ſcilicet, ſi in communitate ſint aliqui innocentes: ideo interdicuntur vt nocentes moneant & cōpellant ad ſubdendum ſe iuſtitiæ, & punitio per interdictum non debet eſſe ſine cauſa: licet aliquando ſine culpa, vt patet de regu. iu. Sine culpa li. vj. & refert frater Oſualdus. lib. iiij. roſarij. theologiæ, &c.

Cenodoxia (vt ſcribit Paulus Corteſius eloquētiſſimus lib. iij. ſenten. di. viij. quæ & vana gloria dicitur: eſt mundi cymbalum cum oſtentatione præſtātiæ: qua homines tanquam pauones cauda lætātur: ex ea enim contumacia, oſtentatio, pertinacia, diſcordia, & arrogantia oriri putantur.

Ceremoniæ ſunt opera exteriora ad cultū Dei pertinentia. beatus Tho. j. ij. q. xcix. ar. iij. Et cerimoniæ apud Latinos dicuntur generaliter omnes ritus ſacrificiorum à Cerete oppido dictæ: vt placet Valerio Maximo: à quo ceremoniale, & de ceremonialibus vide in dictione legis veteris teſtamenti. Fuerunt autem multæ obſeruantiæ vet. le. vt puta purgationes ab immundiciis, à lepra, à contactu morticini, & aliarum rerum immundarum per aquam expiationis, & alios ritus de quibus in Leuitico per totum. Erant etiam ibi quædam plus ad perfectionem accedentia ſicut oblationes hoſtiarum & ſacrificia. Hæc enim pertinebant ad cultum latriæ pro tempore illo, quo Deus voluit ſic coli, & hæ obſeruationes purgationū & ſacrificiorū, ac oblationes dicebātur propriè ceremonię Gab. d. j. q. iij. ar. j. li. iiij. Sacrificia & oblationes tanquā immediatè pertinentes ad Dei cultum, purgationes tanquam mediatè ad Dei cultum pertinentes vtputa diſponentes, & aptantes perſonas ad perficiendum Dei cultum. Im propriè autem dicuntur ſacramenta, vel largè accipiendo ſacramentum. Sacramenta autem illa vet. le. quæ dicuntur ceremoniæ: non contulerunt gratiam ex vi ſacramenti ſiue ex opere operato: vt communior tenet opinio. & eſt Alex. de Ales parte. iiij. q. vj. memb. iiij. ar. j. Sanctus Tho. Scotus & communis ſchola ſic tenet. ſecus tamen per modum meriti ex opere operante ex ſuſcipientis deuotione dum proceſſerunt ex fide, & charitate: vt idem ſentiunt & multis hoc probat Gabr. & auctoritate, & ratione ar. ij. vbi ſupra. vide ibi.

Certum exploratum. Incertū dubiū: vel nō exploratū. Et vt Theologi ſentiūt in via ſalutis relinquere certū, & eligere incertū eſt amare ſuū periculum. Qui verò amat periculū, peribit in illo Eccl. 3. Vnde Ioā. Cācel. Pariſiē. in regulis moralibus hanc regulā ponit. Agere incertum, & dimittere certum in materia morali eſt peccatum mortale, vt & ſupra dictum eſt. Et ſpecificat eam addens. Si tale ſit incertum, quod ſit mortale non ſolùm per coniecturas leues, aut ex ſuppoſitione trepida, & ſcrupuloſa prouenienti ex nimio timore cadendi in via. Sed intelligitur dum tale eſt vehementer & probabiliter incertum, æquè ſicut oppoſitum vel magis. tunc enim illud quod agitur non carebit mortali peccato. Hęc Ger. de quo & ſuprà diximus.

Certitudo vt dicit Petrus de Aliaco eſt aſſenſus verus, firmus ſine formidine, vel vt ſcribit B. Thom. 3. di. xxvj. q. ij. ar. iiij. certitudo eſt firmitas adhæſionis virtutis cognitiuę ad ſuum cognoſcibile. & poteſt certitudo accipi dupliciter (vt ſcribit Dominus Cardinalis Cameracen. q. xij. ar. iij. li. j.) Vno modo impropriè vt certificare importat firmiter idē quod aſſentire alicui complexo, & quod non poteſt aliter eſſe, & iſto modo ſatis conſtat, quod Deus non poteſt certificare aliquem de aliquo vero contingēti futuro, nec reſpectu illius eſt iſto modo poſſibilis certa reuelatio, quia hoc includit cōtradictionem. Alio modo poteſt certitudo capi propriè: vt certificare importat idem quod firmiter aſſentire alicui complexo vero, & iſto modo ſatis patet, quod licet non ſit poſſibile, quod certitudo ſit falſa, tamen certitudo poteſt eſſe deceptio. Et licèt nullus poteſt

decipi per certitudinem, tamen per certitudinem poteſt decipi, & ideo ille qui fuit certus poteſt non fuiſſe certus, & illa notitia quæ fuit certitudo: poteſt fuiſſe deceptio, & non certitudo. Hæc Petrus de Aliaco.

Certitudo eſt multiplex: vt & notant doctores variis in locis li. ſen. Quędam eſt certitudo patriæ, vbi eſt certitudo tentationis euacuans expectationem & timorem. Et eſt certitudo viæ, quæ eſt certitudo expectationis mixta timore: quia quilibet labi poteſt: quamdiu eſt viator. Eſt & tertiò certitudo media, quæ eſt in purgatorio: & eſt certitudo expectationis (quia nondum obtinent) ſed eſt euacuatio timoris propter cõfirmationem, quia ſciunt ſe deinceps peccare non poſſe: & ſic patet: quod in pœna purgatoria eſt maior certitudo de gloria, quàm in via, vt ſcribit Brulefer diſtinctione xx. quæſtione iiij. libro iiij. Eſt & certitudo quædam ex parte cognitiui: quædam ex parte affectiui: & vtraque duplex eſt, vt ſcribit ſanctus Bonauentura in ſecundo: & poſt eum Gabriël diſtinctione iiij. quæſtione vnica. artic. iij. dub. ij. libro ij. Ex parte cognitiui vna eſt infallibilis, vt cùm ſcit aliquis quod non poteſt falli. Altera probabilis: vt quando habet veriſimiles rationes ad hoc ſiue ad partem vnam: ita quod ad oppoſitum aut nullas habet, aut paucas. Secunda fuit in Angelis non prima. Ex parte affectus vna eſt in expectando, alia in tenendo. Prima eſt ſpei. Secunda eſt comprehenſionis: & illa ſecunda non potuit eſſe in Angelis ante confirmationem. Prima fuit ſemiplene in Angelis ſuppoſito quod non fuerit in gratia creati: quia minus plene quàm in viris ſanctis, quia illis ineſt ex gratia & meritis: in Angelis erat ex affectione naturæ: & illa certitudo probabilis, qua rationabiliter poterant coniicere ex his bonis, quæ acceperant, quod ad beatitudinem parati erant: maximè cùm in ſe nullam viderent diſpoſitionem mali. Gabr. latius. Eſt præterea certitudo ſcientiæ: & coniecturæ, vt ſcribit ſanctus Bonauentura diſt. xx. libro iiij. circa literam, certitudinem ſcientiæ nemo habet niſi per reuelationem: certitudinem autem coniecturæ habet qui ſanus pœnitet cùm ei proſpera arrident: tunc ſignum eſt quod dolor ſuus eſt ex Dei gratia, non ex affectione terrena, vtraq; harum certitudine caret, qui in fine pœnitet ſera pœnitentia: quia magis habet ratione ad oppoſitum quàm ad propoſitum, &c.

Certitudo quædam eſt ſpeculationis, & quædam eſt adhæſionis, vt ſcribit ſanctus Bonauen. diſt. xxiij. quæſtione. iiij. libro iij. & prima quidem reſpicit intellectum. Secunda verò reſpicit ipſum affectũ. Si loquamur de certitudine adhæſionis, ſic maior eſt certitudo in ipſa fide quàm ſit in habitu ſcientiæ, pro eo quod vera fides magis facit adhærere credentem ipſum veritati creditæ, quàm aliqua ſcientia alicui rei ſcitæ: videmus enim veros fideles, nec per argumenta, nec per tormenta, nec per blandimenta inclinari poſſe: vt veritatem quam credunt ſaltem ore tenus negent: quod nemo ſciens ſanæ mentis faceret pro aliquo quod cognoſcit: niſi inquantum doctrinæ fidei dictat non eſſe mentiendum. Stultus etiam eſſet Geometra, qui pro quacunq; certa cõcluſione geometrię auderet ſubire mortẽ. Vnde verus fidelis etiã ſi ſciret totam ſcientiam, mallet totã illam ſcientiã perdere quã vnum ſolum articulum ignorare: adeo adhærens veritati creditæ. De certitudine ergo adhæſionis verum eſt fidem eſſe certiorem ſcientia phyſica. Si autem loquamur de certitudine ſpeculationis, quæ reſpicit intellectum & nudam veritatem: ſic concedi poteſt, quod maior eſt certitudo in aliqua ſcientia, quàm in fide, pro eo quod aliquis poteſt aliquid per ſcientiam ita certitudinaliter noſſe, quod nullo modo poteſt de eo dubitare, nec aliquo modo diſcredere, nec in corde ſuo vllo modo contradicere: ſicut patet in cognitione dogmatum, & primorum principiorum. Certitudo autem adhæſionis reſpicit veritatem, & doctrinã ſecundum pietatẽ Bonauen.

Certitudo quædam eſt abſoluta, quædam conditionata: ſicut duplex eſt neceſſitas (vt ſcribit S. Bonauentu. diſt. xxvj. quæſt. v. in fin. libri ij.) Si loquamur de certitudine conditionata, ſicut eſt in ſpe certitudo neceſſitatis & infallibilitatis: certus eſt enim vnuſquiſq; infallibiliter, quod ſi perſeuerauerit vſq; in finem in gratia, & in bonis meritis, quod ad ſalutem perueniet. Si autem loquamur de certitudine abſoluta: ſic eſt in ipſa ſpe certitudo probabilitatis. qui enim bonã habet conſcientiã, atq; propoſitũ, probabiliter poteſt eſſe certus, quod opera ex tali volũtate procedẽtia ſint apud Deũ meritoria: & per hoc cõfidere ſe aſſecuturũ vitã æternam. Bona.

Certitudo eſt adhuc triplex, ſcilicet, naturalis, ſupernaturalis, & moralis. dẽ quo videre potes Gabr. diſtinctione xvj. q. iiij. dub. vj. lib. iiij. & eundem lectio. viij. cano. Et Gerſ. parte iij. lib. iiij. de conſo. theo. proſa. ij. Certitudo ſupernaturalis eſt illa cui aſſentiendo nullus falli poteſt per quãcunq; potentiam. hæc à ſolo Deo eſt quantum ad veritates contingentes. Illa vt Gerſon dicit vbi ſupra eſt triplex. Quædam euidentię claræ & intuitiuæ, qualis eſt certitudo beatorum in patria. Alia eſt euidentiæ reuelatæ in illuſtratione Prophetarum. Tertia ſolius adhærentiæ in ſpeculo & in ænigmate: talis eſt certitudo fidei. Talem certitudinem & nos habemus de articulorum fidei veritate, & omnibus in canone bibliæ contentis: in eo ſenſu in quo à ſancto ſunt ſpiritu reuelata. His namque aſſentiendo falli aut decipi non poſſumus: vt ſcribit Gabriël lectione viij. canonis. quia Deus qui eſt ſumma & infallibilis veritas, non poteſt falſum tanquam verum reuelare.

Certitudo naturalis eſt cui quis aſſentiendo per potentiam naturalem falli non poteſt, talis eſt certitudo principiorum notorum per experientiam, & concluſionum ex eis demonſtratarum. Hæc eſt veritatum à rebus acceptarum quibus innitens falli non poteſt per naturam. Talem certitudinem habemus de multis euidentibus veritatibus contingentibus & neceſſariis ſecundum naturam. Talem certitudinem habemus de exiſtentia rerum intuitiuè cognitarum cõtingentium. Item de propoſitionibus naturaliter neceſſariis: vt ignis eſt calefactiuus: circa quarum veritates ſtante communi curſu naturæ nullus fallitur: licet per potentiam ſupernaturalem & miraculum quis falli poſſet.

Certitudo moralis eſt quæ habetur ex probabilibus coniecturis groſsis & figuralibus, magis ad vnam partem quàm aliam inducentibus ſeu perſuadentibus. Hæc certitudo dicitur etiam ciuilis: & hæc non eſt ex euidentia rei, ſed coniecturis. Et illa certitudo non remouet in vna parte omnem probabilitatem vel opinionem alterius partis, licet magis decliuet ad iſtam quàm ad aliam. Admittit etiã formidinem de oppoſito & ſcrupulos: non tamen aduertendos, ſed contemnẽdos. Et hæc certitudo ſufficit in motalibus ſecundum Philoſophum 1. Ethi. dicentem in ſentẽtia. Diſciplinati eſt in vnaquaque re certitudinem quærere iuxta exigẽtiam materiæ. Æquè enim vicioſum eſt, inquit, mathematicũ perſuadentem quærere, & moralem demonſtrantem. Talis etiam certitudo ſufficit ad cauendum mortale, & ad committendum, vt habens moralem certitudinem circa aliquod præceptum agens, ſecundum illam cauet mortale, & agens contra illam incidit mortale. vt exempli cauſa præceptum eſt, ne indignus accedat ad Euchariſtiam. Petrus habet motalem certitudinem ſe non eſſe indignum, quia ſecundum doctrinam Apoſtoli probauit ſemetipſum, & non inuenit in ſe legitimum impedimentum: accedendo non peccat mortaliter, etiamſi in eo fuerit aliquod latens impedimentum, reddens ipſum indignum. Sic ex oppoſito ſi habet moralem certitudinem, ſiue probabilem coniecturam ſe habere aliquod impedimentum magis ex hoc credens ſe indignum quàm non indignum, accedendo mortalitet peccat, licet etiam impedimentum quod ſuſpicatur in eo fote, non ſit in eo. Et ita qui videt proximum ſuum eſſe in periculo ſecundum moralem certitudinem, quamuis non ſit ſibi euidens an peribit in periculo, tenetur eum eripere ne pereat, ſi poteſt. Quod verum eſt de periculo tam corporali quàm ſpirituali. Vt qui videt aliquem prolapſum in flumen, aut conſiſtere in domo nunc ruitura, quamuis euidens non eſt an ille ſubmergatur, aut iſte opprimatur: tenetur vtrumq; in periculo extrahere, etiã nolentem: vt dicit Aug. & non expectare interitum fratris. Hæc Gabriel lib. iiij. di. xvj. q. iij. arti. iij. dubio vj. Vide & eundẽ lectione. viij. canonis de certitudine quæ ſufficit ad dignè celebrandum, &c.

Certitudo veritatis theologicæ vel catholicæ: quibus viis poſsit probari & confirmari. videatur Scotus in prologo ſententiarũ. q. ij. qui ponit plures vias, quibus conuincuntur quæcunque falſitates, & præmunitur ac confirmatur in fide contra omnes errores. Ac probari poteſt quod theologica veritas & catholica fides eſt infallibilis certitudinis, & quæ doctor ſubtilis diffuſe ſcribit ea perſtringamus cũ modica declaratione, quæ non inutilia pro fidei confirmatione eſſe arbitratus ſum.

Prima via dicitur prænunciatio Prophetarũ. Certum enim eſt quod ſolus Deus poteſt naturaliter non ab alio, ſed à ſeipſo futura contingentia certitudinalis præuidere & prædicere. Sed quia omnia Chriſti myſteria quæ nos credimus & impleta cernimus olim fuerunt prænunciata in ſacra ſcriptura, ſcilicet, diuinam incarnationẽ, virginalem partum, paſsionem Chriſti, mortem & reſurrectionem & aſcenſionem, ac mundi totius cõuerſionem, ac futurum iudicium mundi, &c. E quibus non eſt dubium quin ſequantur implenda etiam pauca quæ reſtant nondum impleta: vt dicit Greg. in homel. Ergo ſequitur quod à Deo ſunt omnia iſta fidei Chriſti myſteria præordinata, & per conſequens infallibiliter certiſsima, quia Deus eſt prima & infallibilis (vt dictum eſt ſupra.) veritas, & ipſe prænunciauit talia. ergo, &c. Vnde ex hoc conuincitur quod Mahumeti ſecta nõ eſt à Deo: ſed falſa & conficta, quia nullus ſanctorum Prophetarum eam prædixit approbando, nec ad hominum ſalutem à Deo illã fore datam ſcriptura loquitur, quin potius ſcriptura eam damnat & reprobat. ergo, &c.

Secunda via dicitur concordia ſcripturarum. Sed quia ſcriptores ſacri canonis variis temporibus exiſtentes & diuerſimodè diſpoſiti, omnino conſonabant. ergo ſequitur per hoc quod hoc nõ niſi à Deo fuit: nõ ſicut Philoſophi, qui in multis inter ſe diſſenſerunt: quin etiã cõtradixerunt ſuis magiſtris, vt Ariſtoteles Platoni. Item Auicenna & Auerrois ambo diſcipuli Ariſtotelis, in multis diſcordant. Et ſic fuiſſet etiã in ſacra ſcriptura niſi habuiſſent vnum communem doctorem Deum, qui errare non poteſt. Sed quod ſcriptores ſacri canonis diuerſis temporibus exiſtentes variè diſpoſiti conſonabant: patet de Prophetis & Apoſtolis, &c. Nam Iſaias, Hieremias, Ezechiël, Daniël, & multi alij Prophetæ: imò omnes prophetauerunt de Chriſto venturo & eius myſteriis, non ſolum ea quæ à Moyſe eorum communi doctore habuerũt, ſed & alia in quibus diſcordare potuiſſent, cùm non eſſent euidentia, & tamen omnes in his quæ ſunt articuli fidei concordauerunt: tam patres veteris quàm noui teſtamẽti. Ergo ſequitur quod Deus ipſe illos docuerit hanc veritatem, &c.

Tertia via eſt auctoritas ſcribentium & doctorũ. Nam ſi quis penſet primò qui & quales fidem Chriſti docuerunt: quoniam pauperes, ignobiles, illiterati: & pauci reſpectu totius mũdanæ multitudinis. Secundò cum hoc quam ſanctiſsimi viri fuerunt: vtpote contẽnentes omnia carnalia & mundana, & ſummo zelo veritatis ardentes, ac damnantes omne mendacium in fide & moribus. Non eſt ergo veriſimile vt mentirẽtur di. Hæc dicit Dominus: cùm non dixiſſet. Tertiò cùm hoc ſi quis penſet qualem legem docuerunt: quia contrariam carni & vitiis. Quartò quibus talia prædicauerunt, quia potentibus, infidelibus, mundanis & carnalibus, & tamen totum mundum conuerterunt. Quod fieri certè non potuit niſi à Deo. Et præſertim quia Deus dedit talibus illiteratis omnem ſcientiam fidei, & omnem veritatem cognoſcere: & omnium gentium lingua loqui: & ſermonem miraculis & ſignis confirmare, vt mundus totus crederet. Hæc autem Deus non feciſſet ſi hæc lex non eſſet vera. ergo: Quod ſi diceres propter aliquod lucrum eos fore mentitos, falſiſsimum eſt. quia nil boni huius mundi haberẽ voluerunt: imo tribulatione & pœnis ac morti ſe expoſuerunt. Item ſi di. non fuiſſe eos mentitos: ſed deceptos, falſiſsimum eſſe patet. quia fuerunt viri à Deo illuminati tot & talibus reuelationibus diuinis ipſis factis ac miraculis, quod non niſi à Deo fieri potuerunt. Nam tã ſancti erant quod ad eorum manus impoſitionem daretur ſpiritusſanctus.

rituſſanctus. Aliis etiam inter eos viſio diuinæ eſſentiæ cōceſſa eſt, ſicut Paulo rapto in tertium cœlum: vt dicit Auguſtinus.

Quarta via dicitur diligentia recipientium. Nam maximè credendum eſt communitati, ſiue illis veritatibus quas tota communitas famoſa & honeſta cum maxima diligentia approbat & recipit. Talis eſt canon ſacræ ſcripturæ, quam omnes ſancti patres veteris ac noui teſtamenti receperunt pro autentico, & totus mundus approbat tanquam continentem neceſſaria ad ſalutem. Vnde Ber. in ſermone ad fratres de monte Dei dicit. Licèt magna miracula Dominus geſſerit in terris: hoc tamen ſuper omnia alia eminet & cętera illuſtrauit, quod in paucis ſimplicibus hominibus totum mundum ſibi ſubiugauit.

Quinta via dicitur rationabilitas contentorum. Quid enim rationabilius quàm finem vltimum, ſcilicet, Deum diligere ſuper omnia, & proximū ſicut ſeipſum. In his pendet vniuerſa lex & Prophetæ. Matth. 22. Quid enim eſt rationabilius fide Chriſtiana? Et patet primò, quia nil tale credit de Deo quod aliquam imperfectionem importet: quin potius omne quod credit atteſtatur perfectioni diuinæ, vt patet de trinitate & verbi incarnatione. Nec aliquid credit incredibile, quia tunc ſequeretur quod incredibile eſſet mundum credere, ſicut deducit Aug. 22. de ciui. Dei. c. 5. Mundum tamen ea credere videmus. Secundo patet, quia tam rationabilia credit quod nil turpe, nil flagitioſum admittit.

Sexta via dicitur irrationabilitas errorū cunctorum. Quid enim irrationabilius quam idola coli, opera manuum: ſicut pagani faciebant. Itē quid Mahumeti fide irrationabilius, quę pro beatitudine expectat vitam carnalem, ſcilicet, gulam & coitum quæ porcis & brutis conuenit. Sed ſapientibus eſt alia fœlicitas quæ apprehenditur intellectu coniuncto primæ veritati. Item Iudæi irrationabilit[er] contra ſuas ſcripturas nouum teſtamentum damnant: quod tamen in veteri teſtamento promittitur. Denique Manichæi primum malum ponunt, & ſic ſeipſos damnant, non eſſe bonos inquantum ſunt. Item doctrinæ Philoſophorum continent multa irrationabilia, puta Deorum pluralitatem, &c.

Septima via dicitur ſtabilitas Eccleſiæ fidelium. Nam vt legitur Actuum 5. Gamaliel dixit de fide Chriſti. Si eſt ex hominibus, diſſoluetur conſilium hoc, ſi verò ex Deo, non poteſtis diſſoluere. Scimus autem quod licèt Eccleſia maximas perſecutiones paſſa ſit à Iudæis & tyrannis, & ab Imperatoribus Romanis: nec potuit diſſolui, imò creuit in perſecutionibus: nec poterit vſq; in finē mūdi diſſolui, dicēte Chriſto. Luc. 22. Ego rogaui pro te vt nō deficiat fides tua: ergo à Deo eſt. Nec ſecta Iudęorū manet in vigore. ceſſauerūt & apud eos Prophetię, magnaq; Iudæorū facta eſt diſperſio. Nec ſecta Mahumeti, quæ incipit poſt legē Chriſti plus quā ſexcentis annis, diu permanebit, ſic & Prophetauit Sibylla quædam.

Octaua via dicitur claritas miraculorum. Certum eſt enim quod Deus non poteſt eſſe teſtis falſitatis, ſed ipſe Deus fidem ſuam confirmauit per miracula: ergo & hoc magnum ſiue grande miraculum ſecundum Auguſtinum 22. de ciuit. ca. 5. quod iam totus orbis ſine vllis miraculis credit. Item confirmatur: quia multi qui prius fidei rebelles fuerunt miraculoſe crediderunt, & hanc fidem docuerunt, vſque ad mortem. Patet de Saulo prius perſecutore, poſtea prædicante toti orbi. Item de Auguſtino prius ſeducto errore Manichæi, poſteà doctore catholico. De Dionyſio prius Philoſopho, poſtea Pauli diſcipulo. De Cypriano prius mago: poſteà pro fide occiſo. Item de Conſtantino imperatore prius fidem perſequente: poſteà manifeſto miraculo conuerſo: & Eccleſiam ſublimante. Et ſic de aliis. Et ſi Antechriſtus miracula faciet, vt dicit Haymo ſuper Apocalypſim, ſcilicet, domum corruere, ignem de aëre deſcendere veraciter & aliquid conſumere & fulmine percuti, ſtatuam loqui vel ridere, vel huiuſmodi, tamen non dicuntur propriè miracula vera. Tum quia virtute diabolica, tum quia licèt admirationem faciant: tamen nullam vtilitatem conferunt. Tum quia talia ſunt quod poteſt in eis fieri fallacia & deceptio. Verum autem & propriè dictum miraculum eſt illud quod fit virtute diuina, & cum admiratione habet gratiam coram Deo, ac vtilitatem confert animæ, vel etiam corpori, & in quo nulla poteſt eſſe fraus & deceptio quin ſit à ſolo Deo, in teſtimonium veritatis: talia autē ſunt Chriſti miracula vt patet de mortuorum vera reſuſcitatione, infirmitatum curatione, peccatorum remiſſione: vt in Euangelio multis locis habetur: nec Antechriſtus poteſt ſecreta cordium perſcrutari, ſicut ſæpius Chriſtus ſecreta reuelauit; & futura prædixit. Quare ſi ab eo quæreretur. Si es verè Deus vt aſſeris: dic mihi quid faciam, aut quid cogitabo, aut appetam cràs hac hora, id quod ſolius Dei eſt ſcire: iuxta illud Pſalm. Qui finxit corda eorum qui intel. omnia opera e. quare Antechriſtus decipiet & mundum fallet, &c.

Nona via dicitur teſtimonium extraneorum, nā & dæmones coacti ſunt fidem Chriſti confiteri, & eſſe veram. Et Ioſephus lib. xviij. antiquitatum teſtatur Ieſum eſſe Chriſtum, & eius mortem & reſurrectionem confitetur. Item Sibyllę multæ teſtantur. Hæc breuiter ex Scoto collecta ſunt. q. ij. prologi ſententiarum, qui latius rem tractat. Sed ſufficiant hæc pro fide noſtra confirmanda, quæ nullam modo ſecum patitur infirmitatem. Vnde Ber. ait: Videamus quàm lynceos oculos habeat fides, quàm oculata ſit vt nulla adiacēte infirmitate infirmetur. Nā cognoſcūt Dei filiū lactantē, cognoſcūt in ligno pendentē, cognoſcūt morientēm. Siquidē Magi in ſtabulo agnoſcunt: latro in patibulo. Iſti pannis inuolutum: ille clauis confixum. Centurio autem vitam agnouit in morte. Quis igitur fidem Chriſtianam non confitetur veram & certam: quam & gentes & longè à Deo remoti confirmarunt: vt breuiter tactum eſt iſtis nouem viis, &c.

Ceſſatio legalium. dupliciter poteſt intelligi (vt ſcribit Gabriël di. j. q. iiij. ar. iij. dub. iiij. li. iiij. Vno modo in ſe & quo ad literam, & ſic ceſſare dicuntur, quæ ſecundum exteriorem ritum ſecundum quem ad literam pręcepta ſunt, non ſeruantur. Alio modo quo ad myſterium, finem vel ſignatum, & ſic ceſſare dicuntur quando ea quæ myſticè ſignificantur: aut ad quæ ordinata ſunt tāquam in finem ceſſant. Et moralia legis quæ comprehenduntur in decalogo, quo

go, quo ad literam non ceſſauerunt in nouo teſtamento, quia illa ſunt de lege naturæ ſtrictè vel largè. Lex autem naturæ mutationem non recipit. Sed legalia iudicialia & ceremonialia quantum ad literam in ſe per legem gratiæ ſunt euacuata. Ceſſauit etiam circuncisio, quæ fuit principaliſſimum ceremoniale: vt manifeſtum eſt. Cuius rationẽ triplicẽ ponit Tho.q.x.diſt.j.lib.iiij.ar.ij. Et poſt eum vide Gabriëlem vbi ſupra. Nam lex fuit inſtituta ad ſignificandum gratiã noui teſtamenti, quæ per Chriſtum facta eſt. veniente autem Chriſto ceſſare debuit: ſicut veniente lumine ceſſat vmbra. Eſtque ſecunda ratio imperfectio legalium. Cùm autem venit quod perfectũ eſt: euacuatur quod ex parte eſt. 1.Cor.13. Si ad illud ordinatur, fuit tertia ratio infirmitas populi, quibus data eſt lex. Erant enim paruuli, & ideo paularim à priſtina conſuetudine idolatriæ abſtrahendi, vt ſic cõcederetur eis eadem offerre Deo, quæ prius idolis obtulerunt, vel ab aliis offerri viderant. Sed poſtquam ad perfectum genus humanum peruenit, debuit ad obſeruationem legis liberum eſſe. Sed legalia quantum ad myſterium, finẽ & ſignificatũ nõ ſunt euacuata, ſed in teſtamẽto nouo magis perfecta & impleta: vt latiùs videre potes apud Gabriëlem vbi ſupra. Sed quod dicitur Gene.17. Data eſt circuncisio Abrahæ in fœdus ſempiternum. Et Matth.5. Nõ veni ſoluere legem, ſed adimplere. Dicitur ſecundum Scotum quod fœdus ſempiternum exponi poteſt, ſempiternum in ſe, vel æquiualenti. Vel magis ad literam ſempiternum inter Deum & Abraham, & ſemẽ eius ſpecialiter, quia nunquam fuit aliud ſignum fœderis inter Deũ & genus Abrahæ ſpecialiter, licet futurũ erat aliud ſignum fœderis inter Deum & totum genus humanum. Et melius fuit ſemen Abrahę tranſire in fœdus cõmune quàm remanere ſub ſigno fœderis ſpecialis, quia melius eſt eſſe parti in toto: cui ſimpliciter benè fit, quàm eſſe diſtinctum à cæteris partibus, vt ſibi aliqualiter bene & aliis malè. Vel dicitur ſecũdum ſanctum Tho. quod ſempiternum accipitur ibi pro ſeculo, quod habet quidem finem: ſed non eſt determinatus nobis.

Characteriſticum, id eſt, determinatiuum. Vnde Ioannes Damaſcenus, & refert Magiſter di. xvij.li.j. non differunt ab inuicẽ hypoſtaces ſecundum ſubſtantiam, ſed ſecundum characteriſtica idiomata, id eſt determinatiuas proprietates. Characteriſtica verò determinatiua ſunt hypoſtaſeon & non naturæ. etenim hypoſtaſes determinant.

Charitas ſuprà ſcriptum eſt. ſcribitur autem per aſpirationem.

Chriſtus vt ſcribit Gabriël di.xxx.q.iiij.lib.j. & di. vj.q.ij. lib.iij. eſt nomen perſonæ ſubſiſtentis in duabus naturis, diuina, ſcilicet, & humana: non autẽ Chriſtus eſt duę naturæ, quia Chriſtus ſupponit pro perſona verbi, & non pro natura humana: connotat autem naturam humanam aſſumptam, ſicut album ſupponit pro ſubiecto: puta homine: & connotat albedinem. Et ſicut album non eſt ſubiectum & albedo, ita Chriſtus non eſt verbum & natura humana, ſed eſt verbum habens naturam humanam ſibi hypoſtaticè vnitam. Eſt etiam Chriſtus veriſſimè vnum pro ſe, quia eſt perſona verbi: quæ

eſt vna, non autem eſt perſona aggregata ex natura aſſumpta & verbo, quia ſic eſſet compoſita ex creatura & creatore. Nec eſt concedendum quod Chriſtus incœpit eſſe per aſſumptionem naturę humanæ, quia Chriſtus fuit ab æterno, ſecundum illud Apoſtoli ad Hebręos 13. Chriſtus heri & hodie, ipſe & in ſecula ſeculorum. Et Ioan.8. Antequam Abraham fieret, ego ſum. Conceditur tamen quod Deus ſiue verbũ incœpit eſſe homo, & incœpit eſſe Chriſtus. Sicut licet creator nõ incępit eſſe Deus, tamẽ incępit eſſe creator. Et quod dicitur in ſymbolo Athanaſij. Sicut anima rationalis & caro vnus eſt homo, ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus. Nõ intelligitur vt Chriſtus ſit compoſitus ex Deitate & humanitate. Sed dicitur ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus, homo, inquã, ille qui eſt Chriſtus, qui nõ eſt humana natura, ſed eſt habens humanam naturam, vel ſubſiſtens in humana natura, & hic eſt verbum. Et ideo illud ſymboli ita intelligitur. Sicut anima rationalis & caro, &c. id eſt, ſicut anima rationalis & caro verè ſunt vnita in homine, ita Deus & homo (id eſt Deus habens in ſe verè & realiter humanam naturam, animã, ſcilicet, & carnem, propter quod homo dicitur) vnus eſt Chriſtus, &c. Subſiſtit itaque Chriſtus in duabus naturis vt dictum eſt. In diuina quidem, in qua habet eſſe primum & æternum. In humana, in qua habet eſſe ſecundum temporale & quaſi aduenticium. Nam ſicut humana natura aduenit verbo æterno ex tempore, dum, ſcilicet, naturam humanam aſſumpſit, in qua prius non ſubſiſtit: ita eſſe humanum eſt verbo aduenticium & non primũ. Ex quo ſequitur quod verbũ non ſemper fuit Chriſtus, quia non ſemper ſubſiſtebat in duabus naturis. Quod verò Chriſtus ſit nomẽ perſonę in duabus naturis ſubſiſtẽtis, probatur per Aug. cõtra Maximũ. Chriſtus vna perſona eſt gemine ſubſtãtię. Et Damaſ. Hoc nomẽ Chriſtus perſonæ diuinæ non monotropos, id eſt, vno modo dictum, ſed duarum naturarum eſt ſignificatiuum, ſcilicet, deitatis & humanitatis. Vnde dimiſſa natura humana verbum non eſſet Chriſtus propriè loquendo: deficeret enim cõnotatum, quo deficiente deficit & ſuppoſitio ſecundum Logicos: vt dicit Gabriël lectione.xlij.canonis. Verum licèt natura humana ſit aduenticia perſonæ verbi, non tamen eſt accidentalis ipſi verbo: vt latiùs videre potes apud Gabriëlem libro.iij.di.vj.q.ij. Et vt idem dicit in fine huius quæſtionis. Chriſtus ſecundum quod homo nec eſt creator nec creatura, ſed ſecundum quod homo eſt ſubſtantia, corpus eſt animal, eſt viuẽs, eſt ſenſitiuus, eſt rationalis, & ſic de cęteris prædicatis quæ prædicãtur eſſentialiter vel quidditatiuè de homine. Vide latiùs Gabriëlem paulò antè vbi ſupra. Et Chriſtus habet plura nomina, de quo in dictione: Nomẽ videbis. Et natura humana realiter eſt diſtincta à verbi perſona: diuina autem natura non realiter diſtinguitur à perſona verbi, licet formaliter diſtinguatur. Et ideo Chriſtus ſupponit pro perſona diuina ſubſiſtente in natura humana: non tamen pro natura humana. Et licet Chriſtus ſubſiſtat in duabus naturis, non tamen componitur ex eis: vt latiùs videre potes apud Gabriëlem vbi ſupra concor. idem lect.xlij.cano.

Chriſtus dicitur caput Eccleſiæ. Hinc poſt Alexan.

parte.iij. q.xij.membro.ij.articulo j. ſanctus Tho. q.viij.parte.iij.& ſanctus Bonauen. di.xiij. lib.iij. Gabriël ſcribit eadem diſtinctione.q. vnica.artic. iij.lib.iij. quod tota Eccleſia dicitur corpus quoddam myſticum, huius corporis caput eſt Chriſtus, & hoc propter quaſdã ſimilitudines repertas inter corpus verum & caput verum ex vna: & corpus ac caput myſticum ex alia partibus. Siquidem omnes transferentes ſecundum aliquam ſimilitudinẽ trãſferunt. Vnde de vtroque de Chriſto & Eccleſia dicit Apoſtolus Col.1. Ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ. Nam tota Eccleſia dicitur vnum corpus myſticum, propter ſimilitudinem ad naturale corpus hominis, quod ſecundum diuerſa membra diuerſos habet actus, toti corpori ſeruientes. Vnde Rom.12. ait Apoſtolus: Sicut in vno corpore multa membra habemus: omnia membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra, & conſequenter proſequitur diſtinctionem membrorum. Similiter.1.Cor.12. Sicut corpus vnum eſt & membra multa habet: omnia autem membra corporis cùm ſint multa, vnum tamẽ corpus ſunt, ita & Chriſtus. Sequitur etenim, vno ſpiritu omnes nos in vnum corpus baptizati ſumus, & conſequenter proſequitur neceſſitatem membrorum corpori. Huius corporis Chriſtus caput dicitur ab Apoſtolo ad Ephe.1. Ipſum dedit caput ſuper omnẽ Eccleſiã. Et in aliis pleriſque locis. Et dicitur Chriſtus caput ſecundum ſimilitudinem humani corporis, in quo quatuor conſideramus: conformitatem, ordinem, perfectionem, virtutem. Eſt enim caput primo naturale conforme corpori in natura, quia eſt compoſitum ex carne & anima, eadem numero vel ſpecie qua compoſitum eſt corpus. Secundò etiã ordine prima pars hominis incipiendo à ſuperiori, & inde eſt quod omne principium ſolet vocari caput, ſecundum illud Hierem.2. Ad omne caput viæ poſuiſti lupanar: ibi caput, id eſt, principium. Tertiò caput omnibus membris eſt perfectios, eo quod in eo vigent omnes ſenſus hominis exteriores & interiores, cùm in cæteris ſit ſolus tactus, ſicut & qui cæteris eſt perfectior & dignior, caput dicitur eorum. Hinc Iſaiæ 9. Senex & honorabilis ipſe eſt caput. Quartò caput habet virtutem influxiuam in cætera membra & gubernatiuam. Influit enim cæteris membris motum & ſenſum. Vnde glo.Ephe.1. ſuper illud. Ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, ait: Capiti omnia ſubiecta ſunt ad operandum: id autem, ſcilicet, caput ſuper locatum ad conſulendum, quia ipſius animæ quodammodo vicem gerit caput. In hoc quod dicit, ad operandũ, oſtẽdit quomodo motus eſt à capite ad operãdum. Et quod dicit, ad cõſulendum: oſtendit quod ſenſus eſt ab ipſo in membris. Hinc & rector, & qui prouidet, vt paterfamilias & paſtor, dicitur caput populi, ſecundum illud. 1.Reg.13. Cũ eſſes paruulus in oculis tuis, caput in tribubus Iſraël factus es. Hæc myſticè inueniuntur in Chriſto, vt ſcribit Gabriël di.xiij.q. vnica.artic. iij.libro iij. Et concordat Rich.eadem diſt.artic.ij. q.vltima libro iij. quædam ſecundum naturam humanam, quædã ſecundum diuinã, quædam ſecundũ vtramq;, ideo dicitur metaphoricè caput Eccleſiæ. Eſt enim ſecundũ naturã aſſumptã cõformis Eccleſiæ. Vnde Aug. ſuper illo Ioannis.15. Ego ſum vitis vera, &c. dicit: Cùm eſſet Deus cuius naturæ nos ſumus, factus eſt homo: vt in illo eſſet vitis humana natura cuius & nos homines palmites eſſe poſſemus, ſecundum hãc proprietatem Chriſtus eſt caput ſecundum naturam humanam, non diuinam, Eccleſiæ: hominum, non Angelorum, ſecundum ordinem principij eſt caput nedum hominum, ſed & Angelorũ & omnium creaturarum & hoc ratione deitatis: quæ eſt vniuerſale omnium principium. Vnde Col.1. Ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium primogenitus ex mortuis, vt ſit in omnibus ipſe primatum tenens. gloſa. ſecundum diuinitatẽ. Ioan.8. quærentibus Iudęis. Tu quis es? Reſpondit Dominus: Principium qui & loquor vobis. Secundum perfectionem & virtutem influxiuam eſt caput, partim ratione diuinitatis: & partim ratione humanitatis, vt dicit S.Bonauen. ſecundum diuinitatẽ ſolus eſt ſimpliciter perfectus omniũ Rex & Dominus, ſecundũ humanitatẽ, quia plenus ſumma gratia & omni virtute nõ habẽte annexã imperfectionẽ, excedit perfectione cũctos angelos & homines. ideo hac cõſideratione eſt caput hominũ & Angelorũ. Similiter ſecundũ virtutẽ influxiuã, caput eſt ſecundũ vtramq; naturam: influit enim gratiã & virtutẽ: vt in dictione, Influere gratiã dicitur. Vnde Iacobus de Valẽtia ſuper Pſal.25. ſcribit, quod cũ Chriſtus ſit caput & ſpõſus Eccleſię, & Rex & ſacerdos: oportuit, vt acciperet à patre plenitudinem gratiarũ & virtutũ, vt de eius plenitudine omnes acciperemus gratiã pro gratia. Et ſic fuit principiũ & origo omniũ gratiarũ: vt ſuis mẽbris cõmunicaret, & in omnibus luceret, & in eo tanquã in ſpeculo & exẽplari omnes aſpicerẽt, &c. Et ſecundũ Guil. Scotiſtã: Chriſtus nõ eſt caput hominũ damnatorũ, nec dæmonũ, quia non influit talibus motũ charitatis. Eſt autẽ caput infideliũ in via ſolũ in potentia, quia poſſunt emẽdari & effici mẽbra Chriſti, fideliũ autẽ eſt caput, etiã nõ habentiũ charitatẽ, ex parte ſenſus cognitionis: ſed nõ ex parte motus charitatis vel gratiæ. Bonorũ verò hominũ caput eſt tã ex parte ſenſus quã ex parte motus, imperfectè tamen in via, quia labi poſſunt à gratia, ſed cõpletè & perfectiſſimè erit in patria. Hæc Guil. Scoti imitator, & poſt eum frater Pelbartus. libro iij. Roſarij Theologiæ in dictione Caput.§.vij.

Chriſtus: à quo venit Chriſtianus, & eſt qui ſequitur & imitatur Chriſtũ vera fide & charitate: & ſicut Chriſtianus nomine, ita opere debet Chriſtũ ſequi. Vnde Hiero. Fruſtra Chriſtianũ nomen habet, qui operib' diabolũ ſequitur. Vnde qui ſunt in peccato mortali, quãdiu ſunt in tali ſtatu, dũtaxat ſunt Chriſtiani nomine, & nõ re, ſicut religioſi deformatæ & malę vitę, dicũtur religioſi ſolũ nomine, quia habitũ ferũt, ſed nõ habẽt rẽ (vt dicit Brulef.di.xxiij.) De quo legito plura apud Gabriëlẽ in ſermone de dedicatione tẽpli. Et Chriſtiani potius à Chriſto dicuntur quã à Ieſu. Et ideo, quia Ieſus eſt nomẽ diuinitatẽ Chriſti reſpiciẽs. Dicitur enim Ieſus, id eſt ſaluator, ſaluare autẽ Dei propriũ eſt. Sed nomẽ Chriſtus, id eſt, vnctus, cõuenit Chriſto ratione humanitatis, in quo communicat nobiſcum. Vnde Chriſtiani ſunt vncti tanquam pugiles cõtra mundum, carnẽ, & diabolũ, pro Chriſto rege. Rationes alias

ponit

ponit ſecundum doct.frater Pelbar.li.ij.Roſ.in dictione Chriſtus.Itē Chriſtianus eſt imitator Chriſti, ſed quod poſſibile eſt homini verbis & operibus & intentione recta, & ſine querela credens in Deum & ſanctam trinitatem. Sed quia non tenemur Chriſtum imitari in operibus diuinis,puta miraculis faciendis, ergo non denominamur à Ieſu, quod ratione diuinitatis competit Chriſto. Sed quia tenemur in operibus bonis & virtuoſis: ideo à Chriſto nomen habemus,quod eſt competens ratione humanitatis,&c. Et Chriſtiani verè dicuntur Iſraël:vt ſcribit Iacobus de Valentia tractatu prologi in Pſal.4.c.2.Nā Iſraël interpretatur vir vidēs Deū facie ad faciē, & Iſraël interpretatur Princeps fortis cū Deo,directus à Deo vel benedictus à Deo. Et ſic cū populus Chriſtianus videat Deum per fidem, & receperit Chriſtum,tenet eum fortiter, & eſt benedictus & confortatus per Eccleſiaſtica ſacramenta,& directus per legem Euangelicam,ideo verè dicitur Iſraël, & per conſequens populus Iudaicus falſò dicitur Iſraël:quod nullam ſupradictarum conditionum habeat: imò totum oppoſitum fecit, quia non ſolum non recepit Chriſtum: ſed & ipſum crucifixit, & ſic non videt Deum:imò manet cæcus,& maledictus dicitur.Et populus Chriſtianus verè Iacob & ſemen Abrahæ ſecundū promiſſionem & imitationem,&c. Latius Iacobus de ValētiaChriſtopolitanus Epiſcopus de populoChriſtiano ibi dicit:qui vocat & eum ciuitatem Dei,Eccleſiam,corpus myſticum,vineam Domini,quæ ſingula ibi declarat.

Chriſma Vide in dictione Confirmatio.

Chriſtitocon à nomine Chriſtus, valet,id eſt, Chriſti genetrix, ſicut Theotocon, Dei genetricem dicimus beatam Mariam Virginem. Sed quoniam, vt ſcribit ſanctus Bonauentura diſtinct.iij. quæſt. vltima,in fine lib.tertij.Nomē Chriſti magis communicatur creaturis quàm nomen Dei. Vnde & Dauid dicitur Chriſtus Domini, & alij Reges Iſraël, & ideo illud verbum magis erat propinquum errori. Neſtorius enim,vt narrat Damaſcenus, voluit eam Chriſti genitricem,non Dei genitricem appellare,quaſi purum hominem genuiſſet.Ideo Damaſcenus verus Doctor & Virginis amator, docet nos hoc vocabulum effugere, non quia falſum, ſed quia hereticus ſub illo volebat occultare venenum, nequitiam vocis inquinatus, Neſtorius cum patre eius diabolo inuenit. Nūc autem quia ille error extirpatus eſt,communiter eam vocamus & Matrem Chriſti & matrem Dei, cùm imploramus oculos miſericordiæ ſuæ ad nos conuerti, vt ait Bonauen. Quæ quidem virgo Maria cunctas hæreſes interemit in vniuerſo mundo: veritatem in ſeipſa concipiendo & pariendo,quare ergo eam omnis debet ardere Chriſtianorum deuotio, quia reconciliationem toti generi humano promeruit, quæ illū concepit,qui non tamen dicendus eſt Chriſtus propter vnionem: ſed etiam verus Deus propter æternam generationem: ideo Dei genetrix debet dici,vt ex ipſo vocabulo honoretur,& impietatis error extinguatur:qui dixit Mariam concepiſſe hominem,&c.

Circunciſio vt notat Alexan.parte iiij. q.vij.membro.j.qui ponit tres diffinitiones. Prima Damaſce. li.iiij.ſen. Circunciſio eſt ſignum determinās Iſraël à Gentibus,cum quibus conuerſabantur. Secunda circunciſio eſt ſignaculum curationis ab originali. Tertia circunciſio eſt abſciſio ſuperfluitatis concupiſcentiæ.Ex his colligitur deſcriptio ſufficiēs,quæ talis eſt.Circunciſio eſt ſignaculum efficax curationis ab originali, permanens in carne inſtitutum à Deo,determinans Iſraël à Gētibus. Ex hac deſcriptione habetur primum quod circunciſio data eſt propter diſtinctionē populi Dei à non populo Dei. Secūdò propter deletionem originalis peccati,propter diſtinctionem non quamlibet,ſed eam quę eſt per ſignaculum permanens in carne,per hoc excluditur baptiſmus, & ſacrificia legis naturæ:quia non erant permanentia in carne.Excluduntur & alia ſigna quæ non ſunt ſigna curationis ab originali:ſicut Indi habēt ſigna quædam aduſtionis faciei quibus ab aliis diſtinguuntur. Excluduntur & oblationes,expiationes,& ſacrificia legis Moyſaicæ,quę licet diſtinguerent,non tamen ab originali curabāt, nec permanentia erant in carne. Et ſecundum omnes circunciſio ex vi circunciſionis ſiue ex opere operato, delet culpam originalem, ſed diſcordant quantum ad gratiam.Effectus gratiæ vt ſcribit Scotus.di.j.qu.vj.libro iiij. tam in circunciſione quàm in baptiſmo proprius eſt ablutio animæ à peccato: licet concomitetur alius, ſcilicet, acceptatio ad vitā æternam. Et recitat Alex.quatuor opiniones parte iiij.q.vij.membro.vij.Et poſt eum beatus Tho.q. ix.di.j.ar.iij.libro iiij. Videatur poſt hos Gabriēl; diſt.j.q.iiij.ar.j.li.iiij.Opinio autem Alex.& Tho. & cōmunis ſcholę Theologorum eſt,quod circunciſio conferebat gratiam ex vi circunciſionis,quantum ad effectus priuatiuos, qui ſunt priuare culpam. Tollit enim omnem reatum peccati originalis, & quātum ad effectus poſitiuos,qui ſunt gratificare & habilitare ad opera meritoria, licet non tam intenſos ſicut nunc baptiſmus, & inter omnia ſacramenta legis circunciſio(vt ſcribit S.Bonauen. lib.iiij.diſt.j.circa textum)fuit efficacius ſacramentum. Item hoc omnes concedunt quod culpa,nec originalis,nec actualis remittitur ſine gratia, de potentia Dei ordinata,quicquid fieri poſſit de potentia abſoluta. Circunciſio itaque ex opere operato contulit gratiam non ſolum conſecutiuè ad peccati remiſſionem, ſed principalius quàm circunciſi à peccato mundationē: quia eo modo contulit quo fuerat inſtituta, ſed fuit inſtituta à Deo principaliter ad gratiæ collationem, vt & probat Gabriēl. Nam Deus qui inſtituit circunciſionem, agens ſecundum rectam rationem,principalius intēdit perfectionem circunciſi, quæ eſt gratia,quā carentiam imperfectionis,ſcilicet,peccati originalis. Et circunciſio tollens culpam originalem, fuit ſacramentum ſecundum propriam ſacramenti rationē.Fuit enim ſignum ſenſibile,inſtitutum à Deo, ſignificans efficaciter effectum gratuitum, quia gratiam gratum facientem, culpam originalem remittentem, ergo ſacramentum ſecundum propriam rationem ſacramēti,vt infra deſcribitur in litera ſacra. Concordat Dominus Cardinalis Cameracen.q.j.ar.iij. lib.iiij. qui ait:quod circunciſio fuit propriè ſacramentum, in ea enim conferebatur gratia virtute operis operati, ita quod non requirebatur in ſuſcipiente bonus mo-

nus motus interior, qui mereretur gratiā, ſed ſufficiebat quod ſuſcipiens eam non poneret ſe obicem. Si autem (vt idem vult) inueniuntur dicta ſanctorum aut doctorum negantia gratiam à circuncisione, & etiam aliorum ſacramentorum antiquæ legis poſſunt hæc tripliciter intelligi. Primò quod non conferebant gratiam, id eſt paruā respectu baptiſmi & aliorum ſacramentorum nouæ legis. Secundo quod non conferebant gratiam quæ eſſet immediata diſpoſitio ad gloriam, quia illa gratia non aperuit ianuam regni, quia precium nondum erat ſolutum, id eſt, ante paſsionem Chriſti, ſicut & de nouæ legis ante paſsionem ſacramentis dicendum eſſet. Tertio modo poteſt intelligi quod circunciſio non conferebat gratiam: quia non vniuerſaliter cuicunque ſuſcipienti. ipſa enim ſortè ex ſua inſtitutione determinabatur ad certum gradum gratię, ita quod vltra illum non conferebat, & ſi tantum gradum inueniebat in ſuſcipiente, nihil conferebat eidem. Et iſte modus videtur de intentione magiſtri. Vide latius Dominum Cardinalem vbi ſupra, & Scotum q.j.di.ij. lib.iiij. Et ſecundum Palu. in quarto.ar.iiij.q.v. circunciſio non imprimebat characterem: quia ſufficiebat diſtinctio corporalis, nec iterabitur propter impoſſibilitatem, tamen propter originale, &c. In circunciſione autem vel in ſacramento circuncisionis ſecundum ſanctum Bonauē. poſt Alexan. & Tho. tria conſiderantur, ſcilicet, efficacia, ſignificatio, & obſeruatio. Efficacia quantum ad collationem gratiæ, & remiſsionis originalis culpæ. Significatio non tamē gratiæ collatæ, & remiſſionis culpæ, ſed & circunciſionis futuræ in reſurrectione generali, ab omni defectu corporis & paſſionis Chriſti, obſeruatio quantum ad præceptum Dei de circunciſione datum.

De neceſsitate ſacramenti huius eſt, quod circunſio fuit maſculis de domo Abrahæ de neceſsitate ſalutis, niſi excuſaret impoſsibilitas, aut diſpenſatio Dei ſpecialis. Vnde dicitur Gen. 17. Circuncidetur ex vobis omne maſculinū, & circuncidetis carnem præputij veſtri, vt ſit ſignum fœderis inter me & vos. Infans octo dierum circuncidetur in vobis. Et ſequitur. Maſculus cuius præputij caro circunciſa non fuerit: delebitur anima illa de populo ſuo: quia pactum meū irritum fecit. Vide de hoc Hugonem parte xij.c.ij. de ſacramentis. Petrum de Palu.q.v. ar.ij. & Lyram c.xvij. Gene. de neceſsitate circunciſionis & ſignificatione. Dicuntur autem de domo Abrahæ omnes qui permanſerunt in fide Abrahæ: quibus promiſſa fuit terra Chanáan: & qui legem receperunt in deſerto, in cuius ſignum in inſtitutione pacti circunciſionis promiſſa fuit Abrahæ terra promiſsionis, vt habetur Gene. 17. Non itaq; omnes deſcendentes de ſemine Abrahæ obligabat hoc præceptum, vt latiùs videre potes apud Alexādrum parte iiij.q.vij. membro quarto artic.j. & Paluden. q.v.ar.ij. concluſione prima. Non itaque obligabat deſcendentes de Iſmahel & Eſau: licet obligabat perſonas Iſmahelis & Eſau, qui fuerunt de domo Abrahæ: poſteri autem eorum non ligabantur. Illi enim conuertentes ſe ad cultum alienum, ſeparauerunt ſe à domo Abraham. De quo latiùs vide Gabriëlem di.j.q.iiij.ar.ij. libro iiij. Et Paluden. vbi ſupra. Omnes etiam de Iacob deſcendentes tenebantur hoc præcepto, quia illis omnibus facta eſt promiſsio terræ Chanáā: vt latiùs deducit Gabriël ibidem. Fuit & neceſſaria circunciſio propter diminutionem concupiſcentię circunciſi. Et eſt ſimile nunc de baptiſmo. De paruulis verò vt tenet Hugo, quē ſequitur Alexan. parte iiij. q.vij. membr. iiij. ar.iij. d. quod paruuli qui moriebantur ante octauū diem ſaluati fuerunt in fide parentum, cum oblationibus & ſacrificiis: poterat & ante mortem inſtante ſuſpicione anticipari, quamuis non tenebatur. Diſpenſatio quoque ſpecialis Dei fuit de filiis Iſraël genitis in deſerto, nam illi non erant circunciſi donec tranſirent Iordanem, tum propter iter faciendum: tum quod in deſerto ab aliis ſeiuncti diſtinctione, non indigebant. Latius ſcribit Alexan. q.vij. membro.vj.ar.j. Cui cōcordat Paluden. q.v.ar.iij. concluſione.j. & poſt hos Gabriël di.j. q.iiij.ar.ij. concluſione j. libro iiij. Fuit autem octaua dies de neceſsitate præcepti, & non de neceſsitate ſacramenti. Primum patet Geneſis 17. Secundum, quia circunciſio quolibet tempore facta ſuum effectum habuit conferendi gratiam, originale remittentem vt patet de pueris ante octauam diem circunciſis, & de proſelythis, ac filiis Iſraël in Galgalis poſt octauum diem à Ioſue circunciſis, qui omnes conſecuti ſunt effectum ſacramentalem, gratiam, ſcilicet, originalem remittentem, & concupiſcentiam minuentem: ita ſcribit Gabriël vbi ſupra, & aſſentit Paluden. ar. iij.q.v.di.j.lib.iiij. Culter verò lapideus, nec quo ad obſeruationem præcepti, nec quo ad efficaciam ſacramenti fuit neceſſarius, ſignificationi tamen myſticè fuerat opportunus. Nam de illo cultro in præcepto non fuit mentio: nec tollitur efficacia ſacramenti ſiue ſit culter chalybeus ſiue lapideus: vt ſcribit Dominus præpoſitus Gabriël, concluſione. iij. & Paluden. vbi ſupra. Fuit autem congruus culter lapideus: quia ſignificabatur per hoc principalis auctor purgationis Chriſtus qui petra dicitur, ſecundum illud 1. Cor. 10. Petra autem fuit Chriſtus. Hic autem futurus erat vt purgationem faceret peccatorum, tollendo peccata mundi, ſecundum illud Ioan. 1. Ecce agnus Dei: ecce qui tollit peccata mundi. Significabatur etiam duricies & inobedientia Iudæorum: videlicet Leuitici & in libro ſequenti, & Actuum 8. Plura Gab. vbi ſupra, Sed non omnis ſignificatio eſt de neceſsitate & eſſentia ſacramenti, ſed illa tamen qua ſignificatur effectus ſacramentalis, qui in propoſito eſt remiſsio originalis, quæ nō plus ſignificatur per cultrum lapideum quam ferreum. Mos quoque eſt Iudæorum quod non cultro lapideo, ſed ferreo circuncidunt, vt dicit ſanctus Tho. hoc eſt nouaculis acutiſsimis. Data eſt autem circunciſio viris & non mulieribus: vt dicit Petrus Paludenſis di.j. q.v.li.iiij. tum quia curatiuum erat. Cùm enim peccatum originale deſcendat à patre in filios quantum ad culpā & reatum, quantum autem ad pœnalitatem deſcendat à fœmina: quia pater eſt cauſa efficiens in generatione, & materiam adminiſtrat. Circunciſio autem data eſt contra originale ad tollendum culpam, non autem ad tollendum carnis corruptionem, ideo viris & non mulieribus data eſt. Tum etiam quia diſtinctiuum, quia diſtinctio populi à populo præcipuè pertinet ad viros, quia mulieres viris ſubditæ ſunt, & ſequuntur

quuntur forum viri. Hæc Paludenſis. Dicitur & da ta circuncisio fœdere ſempiterno. Gen.17. De qua vide & ſuprà in Ceſſatione legalium. Et hoc intelligendum eſt, (vt ſcribit Iacobus de Valentia tractatu iij.cap.ij.regula vij.prologi in Pſalterium) ſecundũ illam ætatem & ſeculum ab Abraham vſque ad Chriſtũ: nam æternũ dicitur ab ætate. Et ſic æternum ſiue ſempiternũ dicitur illud quod eſt ſemper cum aliqua ætate. Et ſic circũciſio dicta fuit ſempiterna, non ſimpliciter cum omni tempore, ſed cum illa ætate ab Abrahã vſq; ad Chriſtũ, quia fuit ſempiterna illi ætati illius corporis myſtici & legis. Et ſic dicendũ de præcepto Sabbati & Agni paſchalis, quorum ætas fuit finita in Chriſto, &c.

Circuncisio competebat Chriſto, non propter indigentiam, quia peccatum originale non contraxit, ſed propter decentiam. De quo latiùs Paludeñ.d.j. queſt.v.concluſione iij. De præputio Chriſti ſcribit idem, & dicit quod ipſum fuerit ab Angelo delatũ, (vt vult Comeſtor) Carolo Magno, & ab eo Aquiſgrani poſitum: & à Carolo Caluo tranſlatum Corroſium. Sed hoc Theologi multi negant, eò quòd tanquam ad veritatem humanæ naturæ, & integritatem pertinẽs, cum Chriſto reſurgere debuerit, licèt cicatrix in ſignum victoriæ in manibus & pedibus remanſerit. Potuit tamen Chriſtus de materia alia ſibi præputium ſimile præparare, & illud deuotioni fidelium dimittere. Ita Paludenſis.

Circuncisio ceſſauit ſimpliciter quãtum ad neceſſitatem ſalutis, quando baptiſmus conſulebatur tam Gentibus quàm Iudæis. Id quidem & alia probat poſt Scotũ & Tho. Gabriel.d.j.q.iiij.part.ij.art.iij. concluſ.j.lib.iiij. Fuerat autẽ perfectius remedium baptiſmus q̃ circunciſio. Plura ibidẽ Gabr.&c. Sed quale dabatur pro fœminis remediũ, inquit Gerſon par.j.ſerm.de circunciſ. fides propria, ſi adultæ erãt, vel parentũ pro paruulis. Eſt & alia circunciſio ſpiritualis, qua ſenſus noſtros circuncidimus à prauis cupiditatibus. De qua vide & eundẽ Gerſ. vbi ſup. & in Ioſephina di.viij. & aliàs multa, &c.

Circũinceſsio. De qua vide in dictione *Inexiſtẽtia*, eſt, vt ſcribit ſanctus Bonauen.di.xix.q.iiij.libr.j. qua dicitur quod vnus eſt in alio, & econuerſo. Et vt dicit Bruleſer, eſt quædam inexiſtentia actualis, qua aliquid dicitur inexiſtere alicui, quod eſt realiter diſtinctum ab eo per intimam præſentialitatem & conſubſtantialitatem identificam. Et hoc, vt ait Bonauen. propriè & perfectè in ſolo Deo eſt, quia circuminceſsio in eſſendo ponit diſtinctionẽ ſimilem & vnitatẽ. Et quoniã in ſolo Deo eſt vnitas cũ diſtinctione, ita q; diſtinctio eſt incõfuſa & vnitas indiſtincta: hinc eſt quod in ſolo Deo eſt circũinceſsio perfecta. Et patet ratio huius, quia ratio circuminceſsionis eſt perfecta vnitas eſſentiæ cũ diſtinctione perſonarũ: & quoniã propriũ eſt ſolius Dei, ideo & circũinceſsio talis, ſecundũ quod dicit Hilar. & Magiſter in textu di.xix.li.j. in Deo eſt perfecta. Et venit circuminceſsio à circumincedo, quia incedũt in ſeinuicẽ, vt notat Brule.d.xix.q.iiij.li.j. Et ſecundũ eundẽ ad verã circũinceſsionem requiruntur quatuor cõditiones. Prima eſt, quod ſit exiſtentia vnius in alio. Secunda, quod ſit ibi intima præſentialitas. Tertia, quod ſit ibi realis diſtinctio. Quarta, quod ſint realiter diſtincti qui circũincedunt. Nulla autẽ creatura poteſt eſſe in alia circũinceſsiuè, quia nulla eſt alteri idẽ cõſubſtãtialiter: nec creatura poteſt eſſe in Deo circũinceſsiuè, nec econuerſo. Et licèt Deus ſit intimè præſens cuilibet rei, nõ tamẽ eſt ei cõſubſtantialis: ergo nec circũexiſtit alicui. Vna verò perſona diuina eſt in alia circũinceſsiuè, & ecõuerſo: quia eis cõuenit diffinitio circuminceſsionis & totalis cauſa illius circuminceſsionis eſt diſtinctio realis & vnitas eſſentiæ diuinæ numeralis in eiſdẽ. Itẽ perſona diuina non eſt in eſſentia diuina circũinceſsiuè, nec ecõtrà, quia nõ diſtinguitur realiter ab ea. Hæc Stephanus Bruleſ. Vide & de hoc in dictione Inexiſtẽtia. De hac circũinceſsione loquitur Gerſon tract.9.ſuper Cant. Mariæ, cùm ait: Nemo venit ad filiũ niſi repletus bonis ſpiritus ſancti. Nullus dat ſpiritũ ſanctũ filio in diuinis niſi pater: nõ poteſt igitur venire ad filium niſi cum ſpiritu ſancto, quem dat ei pater. Hinc eſt oratio Chriſti ad patrẽ. Vt dilectio, inquit, qua dilexiſti me, ſit in eis: & ego in eis mira circũinceſsio. Rurſus ipſe filius non redit ad patrẽ niſi per ſpiritũ ſanctũ, quẽ ſpirando reddit patri felici & inenarrabili, id eſt, non errante circulo, dat ſpiritus ſanctus mentẽ quam inhabitat, nunc filio à patre, nunc patri à filio, &c. Hæc Cancellarius vbi ſuprà.

Circunſtantia, vt ſcribit Richar. d.xvij.arti.iij.q.v. libr.iiij. dicitur illud, quod eſt extra eſſentiã actus, in aliquo tamen modo ipſum attingens, aut quantum ad eſſentiam actus, aut quantum ad effectum, aut quantum ad cauſam. Vide latiùs ibi Richard. Circumſtantia ſecundum Thomam j.parte, q.vij. art.j. autẽ accuſans actus humani attingens eum extrinſecè. Sunt autem circunſtantiæ quas annumerat Petrus de Palu.q.iij.d.xvj.lib.iiij. his verſibus:

Quis, quid, ubi, per quos, quotiens, cur, quomodo, quãdo;
Quilibet hic ſeruet morbi medicamina dando.

Sanctus Bonauentura ita ponit:

Aggrauat ordo, locus, perſona, ſcientia, tempus,
Aetas, conditio, numerus, mora, copla, cauſa.
Eſt modus in culpa, ſtatus altus, lucta puſilla.

Quas autem circunſtantias quis teneatur confiteri, vide eum di.xvij.q.vlt.libr.iiij. & penult. & in moralibus ſex ponuntur circunſtantiæ, ſcilicet, Quis, quid, vbi, quando, cur, quomodò. De his videre potes Gerſonem parte.ij. dialogo ſophiæ & naturæ, de caſtitate Eccleſiaſticorum ſine cœlibatu. & parte j.tractatu de probatione ſpirituum. & parte tertia dialogo apologetico. Circunſtantiæ quas annumerat ſanctus Bonauentura, vt ſuprà dictum eſt diſtinct.xvj.circa textum libr.iiij. quædam; & ſex ex his reſpiciunt perſonam, ſcilicet ſcientia, ordo, ætas, conditio, perſona & ſtatus. Tres reſpiciunt crimen ſiue actum, ſcilicet numerus, mora, & modus agendi. Tres reſpiciunt cauſam, ſcilicet copia, cauſa, lucta puſilla: & duæ ſunt adiacentes, locus & tempus.

Circunſtantiæ peccatorũ ſunt quadruplices, vt literis mandauit Gabr.di.xvij.q.j.artic.ij. concluſ.iiij. libr.iiij. Quædam ſunt quæ trahunt actum peccati in aliud genus peccati, quales ſunt quæ ſpeciali prohibitione prohibẽtur, ſicut in furto circunſtãtia loci conſecrati aut rei ſacræ. Hæc enim trahit furtum in

 ſacrile-

ſacrilegiũ, quod ſpeciali prohibitione prohibitũ eſt. Et luxuriæ circunſtantia eſt, quod perſona ſit coniugata, conſanguinea, vel affinis, violenter oppreſſa aut rapta, propter quas luxuria alia & alia ſortitur nomina: vtputa dicitur adulterium, inceſtus, oppreſsio, ſtuprum, raptus, quæ ſingularibus prohibitionibus prohibentur: & hæ circunſtantiæ ſunt cõfitendæ, quia illæ inducunt quaſi nouum mortale, pro quanto ſpeciali prohibitione ſunt prohibitæ. Omnis enim actus contra prohibitionem commiſſus, eſt mortalis. Si ergo contra vnam prohibitionem, tantũ eſt mortale ſimplex: ſi verò cõtra duas, eſt duplex virtualiter. Et cùm omnia mortalia ſint confitenda, neceſſe eſt circunſtantiam quaſi peccatum duplicantem ſpecificè confiteri: inter has eſt circunſtantia diei feſti. Nam omnis peccans in die feſto (puta qui furatur) duplex præceptum tranſgreditur, ſcilicet tertium, quia ſabbatum violat: & ſextum, in eo quod furatur: & ita dupliciter peccat. Similiter frequentia ſeu numerus commiſſorũ peccatorum neceſſario eſt confitenda: quia hic ſimpliciter ponit aliud peccatũ: quia quoties peccatum iteratur, toties nouum peccatum committitur. Et ſi confitens numerum certum ignorat commiſſorum mortalium, ſaltem exprimat numerum quem putat propinquiorem frequentiæ peccatorum. Aliæ ſunt circunſtantię quæ non trahunt in aliã ſpeciem, per nominis mutationem, ſed tamẽ in eadem ſpecie aggrauant: vt eſt libido & intenſio actus peccati præcedens deliberatio, motiuum ſeu tentatio inducens ad peccatum, conditio perſonę peccantis, quo ad ſtatum, ætatem, prudentiam, qualitatem. Conditio perſonæ in quam peccatur, damnum per peccatum illatũ, vt in furto ſi multum ſubtractum eſt pauperi vel infirmo, multas proles habẽti. Non eſt autem ità certum (vt ait Gabriël) an illę circunſtantiæ ſint confitendæ: quia aliquando ſatis dubium eſt, an aggrauent mortaliter. Sed ſatis cautum eſt & ſatis tutum & vtile illas confiteri, præſertim quando multum grauant, aut ſunt occaſiones ſequẽtium peccatorum in ſe vel in aliis. Quando autem certum eſt, quod non aggrauant mortaliter, non eſt neceſſarium eas confiteri. Tertiæ circunſtantiæ ſunt impertinentes, quæ neque aggrauant, nec excuſant ſeu alleuiant: vt quod peccatum commiſſum eſt in feria ſecũda vel tertia, dum neutra eſt feſtiua: aut quod factum eſt in ſtuba, aut in cubili ſiue cubiculo, vel cellario, illæ circunſtantiæ non ſunt confitendæ, ne confitens hiſtoriam texere videatur, ſed cum dolore & verecundia ſe de ſuis peccatis accuſare. Quartæ circunſtantiæ ſunt alleuiantes peccata, vt ignorantia craſſa, indeliberatio, tentationis magnitudo, infirmitas, timor, & huiuſmodi. Siquidem grauius peccat qui ex certa malitia ſciens peccat, quàm qui peccat ex ignorantia, infirmitate vel timore. Hæ circunſtãtię regulariter non ſunt confitendę, quia non eſt ibi locus ſe excuſandi, ſed accuſandi. Dicitur regulariter, quoniam ſi circunſtantia excuſaret actum à mortali peccato: vt ignorantia inuincibilis, ſurreptio tollens deliberationem, illæ eſſent confitendæ: vt confeſſor intelligere poſſet ſpeciem peccati, & in ſuo iudicio non errare, qui autem non haberet aliquod peccatum, non teneretur confiteri. Vnde Scotus diſtinct. xvij. in fine libri quarti: Innocens à mortali & veniali tenetur ſimpliciter non cõfiteri. Vnde ſi beata Virgo fuiſſet confeſſa Petro poſt aſcenſionẽ, peccaſſet confitendo: ſed ſi eſt innocẽs à mortali, poteſt confiteri venialia, vel poteſt non cõfiteri: vt habet Scotus. Et ita habens tantum venialia, nõ tenetur confiteri: vt latiùs videre potes apud Scotum, & infrà in dictione Confeſsio.

Circunſtantiæ complicum (vt ſcribit Dominus prępoſitus Gabriël diſtinct. xv. quæſt. j. art. ij. concluſione v.) ita ſunt confitendæ, vt tamen non manifeſtentur compeccãtium perſonæ. Nam ſemper eſt cauenda diffamatio proximi, quantum cum iuſtitia fieri poteſt. Imò & confeſſor ſi ſentit quod confitens manifeſtare vult perſonas cũ quibus aut quarum inductione peccauit, præuenire debet, & confitentem informare, vt non manifeſtet perſonam, vt vult ſanctus Bonauentura diſtinct. xxj. part. ij. artic. j. quæſt. iij. & hoc regulariter intelligendum eſt. Nam in duobus caſibus perſona cõpeccans poteſt reuelari. Primus, quando propter circunſtantiam perſonæ mutatur genus peccati, & non poteſt exprimi genus peccati, niſi ſpecificetur perſona, per quam ſpecificationem confeſſor deuenit in notitiam perſonæ, nec poteſt haberi alius confeſſor. Vt ſi quis commiſit inceſtum cum matre vel cum vnica ſorore, quæ nota eſt confeſſori: ſi alius confeſſor haberi non poteſt, pręferenda eſt ſalus propria famę perſonæ: ſed ſi alius confeſſor haberi poteſt, quærendus eſt cum licentia, &c. Secundus caſus eſt, quando confeſſor talis eſt qui poſſet prodeſſe, & non obeſſe eis qui deteguntur, neque per hoc diffamaretur perſona detecta. Ita ſentit ſanctus Bonauentura, quomodo confeſſor tenetur hoc habere ſecretum apud ſe, ſicut cætera peccata ſibi confeſſa. Nam & extra confeſsionem crimen occultum poteſt reuelari ei qui prodeſſe poteſt, & non obeſſe propter correctionem & ſalutem fratrum: multò magis in confeſsione. Conſulit tamen ſanctus Bonauentura, quod in caſu fiat reuelatio extra confeſsionem. Dicit tamen hic Gerſon, quod magna cautela requiritur apud confitentem & confeſſorem, ne zelo proficiendi indiſcretè fallatur. Sufficit etiam talis expreſsio circunſtantiarum, talibus verborum locutionibus, per quam confeſſor de magnitudine peccatorum confitentis pro abſolutione, & pœnitentiis diſcretè conferendis inſtruatur. Vnde vt vult ſanctus Bonauentura diſt. xxj. parte ij. quæſt. iij. ſufficit aliquando in generali dicere: Vt ſi mulier cognita eſt ab Epiſcopo, ſufficit dicere quod aliquis magnus Prælatus eam cognouit. Si à perſona religioſa, ſufficit quod in generalitate ſua ſtet, quia ſatis apparet genus culpæ. Si verò deſcendat ad perſonam ſingularem, increpanda eſt perſona confitens. Similiter nec debet confeſſor curioſè inquirere de perſona, ſed ſi ſuſpicatur quod ſit perſona cui poſsit prodeſſe, & competens & vtile ſit illum ſcire, poteſt extra forum confeſsionis illam inquirere: nam talia frequenter ſunt occaſio frangendi ſigillum confeſsionis, vbi eſt maximum periculum. Hæc & alia ſanctus Bonauentura.

Circumuenire decipere. Vnde vt refert Gabriël diſtinct. xv.

ſti inſt.xv.quæſt.xij.artic.ij. concluſione ſecunda. Nemo ſecundum Apoſtolum circumuenire debet proximum in negotio.1.Theſſ.4.

Ciuitas propriè eſt collecta ciuium multitudo ad iure viuendum. Quandoque dicitur ius ciuium: vſurpatiuè dicitur vrbs, hoc eſt ipſa mœnia & ædificia. Diuus Auguſtinus ille magnus Eccleſiæ doctor, in libr.de Ciuit.Dei, duas deſcribit ciuitates, duas ſignantes Eccleſias inter ſe diuerſas pariter & aduerſas, vt refert Dominus Cardinalis Camerac. in laudibus Theologiæ. Vna eſt ciuitas Hieruſalem. Alia eſt ciuitas Babylon. Vna ciuitas eſt Eccleſia Dei, alia ciuitas eſt Eccleſia diaboli. Vna Eccleſia bonorum, de qua dicit Pſalmiſta: Laus eius in Eccleſia Sanctorum. Pſalm.149. Alia Eccleſia malorum, de qua idem Propheta: Odiui, inquit, Eccleſiam malignantium. Pſalm.25. De quo latiùs lege Cameracẽn. Vnde Chriſto-politanus Epiſcopus Iacobus de Valenin Pſal.61.ait: In principio diuiſum fuit totũ genus humanũ in duas ciuitates ſiue ſocietates: vnam Dei, & alteram diaboli. Has duas ciuitates diuiſerũt duo amores, vt inquit Auguſtinus. Nam amor mundi & bonorũ temporalium conſtituit ciuitatem terrenã & diaboli. Nam illa incepit ab amore ſui, vſq; ad contemptũ Dei. Cuius primus ciuis fuit Cain. Amor autẽ Dei incipiẽs ab amore Dei vſq; ad contemptũ ſui, cõſtituit ciuitatẽ Dei. Cuius primus ciuis fuit Adã & Abel: ideo iſti dicti ſunt filij Dei, illi verò filij hominum, eò quòd in hoc mundo & carne cõſtituerunt ſpem ſuam & felicitatem, iſti verò in ſolo Deo. Et ideo filij hominum illius ciuitatis ſemper perſecuti ſunt filios Dei & huius ciuitatis, propter bona temporalia. Et ſic primò Cain perſecutus eſt Abel, & Chaldei Abraham, & Iſmahel Iſaac, & Eſau Iacob, & Saul & Doech ipſum Dauid. Et ſic populus Iudæorum & Gentiles perſecuti ſunt Chriſtum, & Eccleſiam ſuam, quæ propriè dicitur ciuitas Dei vſque ad Antichriſtum. De quo videre potes & Gerſonem parte iij. ſuper Cantica canticorum ſympſalmate.v.&c.

Clarum à quo claritas. Et nomine claritatis (vt ſcribit Paludenſis diſtinct.xliiij.queſt.v.libr.iiij.) importat proprietatem luminis, ſicut & ſuum oppoſitum, ſcilicet obſcuritas importat conditionem ſeu proprietatem oppoſitam contrariæ, vel priuatiue lumini, ſed quia mediante lumine perficitur in nobis potiſsima cognitio ſenſitiua exterior quam habemus, ſcilicet viſiua, per quam res nobis potiſsimè manifeſtantur, & cuius nomen transfertur ad omnes alias cognitiones, per quas nobis aliqua veritas manifeſtatur, ideo nomen claritatis transfertur ad omnem manifeſtationem veritatis. Vnde omnem veritatem nobis manifeſtam dicimus eſſe claram, & per conſequens omne quod eſt ſui, bene manifeſtatiuum dicimus eſſe clarum, &c.

Clauis dicitur qua nos quicquam aperimus vel claudimus. Et nomen clauis (vt ſcribit ſanctus Bonauentura diſtin.xviij.artic.j.quæſt.j. lib.iiij.) tranſlatum eſt ad ſpiritualia ab ipſis corporalibus. In his autem corporalibus clauis eſt inſtrumentum ad remouendum aliquod obſtaculum. Et quoniam in ſpiritualibus inuenimus obſtaculum ingrediendi in regnum cœleſte, neceſſe eſt illud remoueri: ideo ad ſpiritualia nomen clauis transferimus, vocantes clauem illam virtutem, per quam obſtaculum (vt eſt peccatum) remouetur, ſiue per quam excluditur vel includitur. Vnde claues iſtæ (de quibus loquuntur Magiſter & Doctores quarto Sententiarum, diſtinct.xviij.) non ſunt corporales, ſed ſpirituales, ſic dictæ metaphoricè. Vnde ſecundum Thomam & Scotum, & alios omnes, transferentes ſecundum aliquam ſimilitudinem transferunt. Vnde ſicut clauis materialis eſt proximum inſtrumentum aperiendi, & claudendi oſtium, & per hoc non eſt apertio, nec aperiens, nec cauſa propter quam aperitur. Sic clauis ſpiritualis eſt aliquid requiſitum ad aperiendum regnum cœlorum, quod non eſt aperiens, nec apertio, nec cauſa propter quam aperitur, velut eſt dignitas perſonæ ad intrandum: aut indignitas ad repellendum propter meritum vel demeritum. Nam apertionem intelligimus ipſam ſententiam dictantem eſſe aperiendum vel claudendum, & aperientem Iudicem ſententiantem. Sic ergo clauis ſpiritualis eſt poteſtas ſententiandi. Hæc enim eſt immediatum inſtrumentum dictandi ſententiam ſiue ſententiandi.

Claues ſpirituales quibus cœlum poteſt reſerari homini, diſtinguuntur plures. Vna clauis eſt ſana doctrina. Lucæ vndecimo ait Saluator: Væ vobis Legiſperitis, qui tuliſtis clauem ſcientiæ. Gloſa. Auctoritatem docendi ad veritatem ſaluificam: ipſi non introiſtis, ſcilicet, malè viuendo: & eos qui intrabant, id eſt, intrare deſiderabant, prohibuiſtis, ſcilicet, falſa doctrina, vel malo veſtro exemplo corrumpendo illos ſimplices. Beatus Petrus cum iſta claui, ſcilicet, doctrina fidei, ſimiliter & beatus Paulus, & cæteri Apoſtoli, per mundum innumerabilibus hominibus cœlum aperuerunt. Alia clauis ſpiritualis eſt vera pœnitentia, quæ cœlum aperit. Matthæi tertio: Pœnitentiam agite, appropinquabit regnum cœlorum. Bernardus: O pœnitentia, quæ es Sole ſplendidior, auro pretioſior, tu omnia ligata ſoluis, tu Paradiſum aperis. Hæc aperuit Latroni Paradiſum, & Magdalenæ, & Petro poſt negationem, & Paulo poſt veram conuerſionem. Tertia clauis eſt ſanguis Chriſti & pœna. Iſaiæ vigeſimoſecundo: Dabo clauem domus Dauid ſuper humerum eius. Ambroſius: Sanguis Chriſti, clauis eſt Paradiſi. Item Gregorius & Damaſcenus: Crux Chriſti Paradiſum aperuit, quod plus quàm quinque millibus annis clauſum fuit. Per hanc clauem nobis aperitur cœlum in Baptiſmo, & aliis Sacramentis, &cæt. Quarta clauis eſt ipſa poteſtas collata à Deo ſupernaturaliter ſacerdotali dignitati, quæ dicitur clauis metaphoricè, ad ſimilitudinem clauis materialis, quia, ſcilicet, ordinatur ad aperiendum vel claudendum regnum cœlorum, vt dictum eſt. Et eſt duplex (vt ſcribit Petrus de Palude, diſtinct.xix. articul.j. concluſione ſecunda.) ſcilicet, clauis iuriſdictionis, & ordinis. Iuriſdictionis requirit materiam ſubiectam, ſicut dominus ſeruum. Clauis verò ordinis, qua peccata ſoluuntur, vel retinentur, non ſemper habent materiam in actu. Et diffinitur ſic.

Clauis ſpiritualis, (vt habet Gabr.di.xviij.quæſt.j.art.j.lib.iiij.& aſtipulantur cæteri.) eſt poteſtas iudicandi, id eſt, ſoluendi & ligandi, qua dignos recipere, & indignos excludere debet à regno Dei Eccleſiaſticus Iudex. Et poteſtas illa eſt triplex, ſcilicet principalis præcellentiæ, non tamen principalis, & clauis miniſterij ſiue miniſterialis. Principalis eſt ſolius Dei ſecundum diuinam naturam, quæ per propriam eſſentiam (quæ ſemper iuſta eſt, imò ipſa iuſtitia, qua præſidet omnibus) aperit & claudit, ac impediméta, ſcilicet peccata, & reatū pœnæ dimittendo remouet. Et illa poteſtas nō poteſt alteri cōmunicari, quia eſt diuina eſſentia, quę alteri cōmunicari nō poteſt. Secūda poteſtas nō principalis, ſed tamē excellentię accepta à ſuperiore cum vniuerſalitate cauſarū iudicandarū, propriè eſt ſolius Christi ſecundū naturā humanā. Vnde Ioan.5. Pater dedit ei iudiciū facere, quia filius hominis eſt. Nam etiam ſecundū humanā naturā nouit omnia, & habet voluntatē inobliqualē, & ideo ſentētia ſua eſt irreuocàbilis & immobiliter iuſta. Tertia poteſtas, ſcilicet miniſterij particularis (quantū ad cauſas cognoſcendas) & infirma quantū ad ſcientiā proferendā: puta quia poteſt aliquādo deuiare à iuſtitia, & reuocari. Et hæc eſt miniſtrorū Eccleſiæ, quibus datū eſt vt cognoſcāt in cauſis, & ſecundū legē Dei iudicēt regnum cœlorū eſſe aperiendū. Cui cùm ſe cōformant à Deo approbatur, & forma manet. Si verò diſſentiunt ab ea infirma eſt, & à Deo reuocatur. Clarius & longius de hoc ſcribit Gabr. & Scotus, quos videre potes. Poteſtas igitur aperiendi regnum eminenter & excellenter eſt in Chriſto, ſecundum naturam aſſumptā, in qua pro nobis ſatisfecit, & meruit. Miniſterialis verò collata eſt miniſtris ſacramentorū, per quæ virtus paſsionis Chriſti in nos fluit & operatur ſalutem (vt ſentit ſanctus Bonauen. &c.) Et quamuis poteſtas ſententiandi ſeu iudicandi intromittendos & excludendos à regno Dei ſit clauis principalis, quia tamen hæc poteſtas, vt rectum habeat vſum, exigit auctoritatem cognoſcēndi in cauſa peccatoris. Quoniam ſine cognitione cauſæ, ſententia non poteſt eſſe iuſta & recta. Ideo etiam auctoritas cognoſcendi dicitur clauis, quia eſt inſtrumentū quoddam aperiendi, licèt non proximum, & tale ſine quo prior clauis non poteſt habêre iuſtum vſum. Et ſecundum hoc ponuntur duæ claues, ſcilicet clauis ſcientiæ, ad diſcernendum dignū ab indigno, & clauis poteſtatis ſententiandi ad quam prior ordinatur, vt iuſtè exeat in actū. Et illa clauis ſcientiæ, non eſt ſcientia aliqua actualis, vel habitualis vel diſcretio quæcunque: ſicut videtur Magiſter ſentire, quoniam (vt dicit Scotus) licèt auctoritas diſcernēdi requirat ſcientiā ſeu diſcretionem concomitantē ad rectum vſum eius, quemadmodum clauis poteſtatis requirit aliquam iuſtitiam ad rectum eius vſum, tamen ſicut poteſtas rectè iudicandi poteſt eſſe ſine iuſtitia, & ideo nō eſt iuſtitia: ita & auctoritas cognoſcendi poteſt eſſe in aliquo ſine diſcretione & ſcientia. Et quando dicit Magiſter: Clauis ſcientiæ eſt ſcientia diſcernendi, Intelligatur, id eſt, quod ſcientia requiritur ad rectū vſum clauis illius non ſimpliciter, vt clauis inſit. Quod ſi aliter intellexit Magiſter, fuit alterius opinionis & minus probabilis, vt dicit Gabriēl. Et vt Paludenſis ſcribit di.xix.q.ij.li.iiij. Soli ſacerdotes noui teſtamenti habent claues regni cœlorum propriè dictas, quæ ſunt ad aperiendum cœlum immediatè, licèt diſpoſitiuè: & dicuntur claues ordinis. Sed claues iuriſdictionis, quæ immediatè ad illud diſponunt, poteſt habere non ſacerdos. Et hac poteſtate clauis ſacerdotes homines ligatos & ſolutos ligant & ſoluunt, dum pœnitentibus ſatisfactionem imponunt, & de temporali pœna remittunt, ita habet Magiſter diſt.xviij.libr.iiij.ca.vij. Et poſt eum Gabr. & cæteri multa. Et vſus clauium nō eſt niſi in ſacramentali abſolutione. Poteſtas quoque clauium extendit ſe ad remiſsionē & retentionem culpæ, non coram Deo, ſed in facie Eccleſiæ. Non enim remittit peccatum, ſed remiſſum à Deo præſupponit. Et quamuis aliquis apud Deū ſit ſolutus, non tamē in facie Eccleſiæ ſolutus habetur, niſi per judicium ſacerdotis, (vt inquit Magiſter diſt.xviij. libr.iiij.cap.vj.) Et ſubdit: In ſoluendis culpis, vel retinendis: ita operatur ſacerdos Euangelicus & iudicat, ſicut olim legalis in illis, qui contaminati erant lepra, quæ peccatum ſignat. Hos enim Synagoga non tenuit mundos, donec ſacerdotis iudicio mundi declarabantur. Vide plura apud Gabriēlem & Scotum de hoc.

Clauis autem dicitur errare, (vt ſcribit Gabr. diſt. xviij.q.j.ar.iij.dub.ij. li.iiij.) quādo ſacerdos abutitur claue. Poteſt ergo vtraq; clauis errare, poteſtatis & ſcientiæ. Poteſtatis quādo ſacerdos abſoluere tentat, non ſui iuriſdictioni ſubiectū, aut quem nouit non contritum, & in vtroq; caſu ille error imputatur ſacerdoti ad culpam. Debet enim ſacerdos ſpiritualis Iudex ſcire ad quos ſe extendit ſua iudiciaria poteſtas, & nō excedere limites ſuæ poteſtatis. Similiter nō debet indignos abſoluere, nec dignos ligare, non enim eſt Iudex principalis, ſed principalis Iudicis miniſter, qui in ſuo miniſterio tenetur ſe cōformare ſuo principali. Error clauis ſcientiæ poteſt contingere, vel ex parte ſacerdotis vel ex parte cōfitentis. Ex parte ſacerdotis, quādo omittit inueſtigare neceſſaria: puta an cōfitens ſit contritus an non, aut circunſtantias neceſſario confitendas, vel dum abundat ſuperfluis: puta quando inquirit, quæ audire delectat, non pertinentia ad hoc forū, peccat autem ſacerdos ſatisfaciēdo pruritui aurium ſuarum. Item circunſtantias fatuas peccata non aggrauantes, nec alleuiantes, & tunc non poteſt ferre rectum iudicium, niſi à caſu. Poteſt etiam cōtingere error ex parte confitentis, quia, ſcilicet fictus eſt, & fingit ſe contritū, cùm tamen non ſit, & per hoc ſacerdos credit, qui nō eſt, & ita errat in ſuo iudicio. Sacerdotis autē errantis, vt ibidem ſcribit Gabriēl, in neceſſariis cognoſcendis arbitriū Deus non approbat, neque quo ad ſacerdotem, qui per ſuam negligentiam peccat, nec quo ad eius iudicium niſi caſu, aliter diuino iudicio concordet. Negligentia enim ſacerdotis (qui ſcire debet, quæ ſui ſunt officij) culpabilis eſt, ſimiliter & iudicium ſuum, ſi nō cum diuino cōcordat (quod verum eſt & iuſtiſsimum) nō approbatur. Arbitrium autē ſacerdotis à Deo approbatur, dum clauis ſcientiæ errat in ſuperfluis, non tamen omittit aliquid in neceſſariis, quantū ad pœnitentē, non tamen quantū ad ſacerdotem, quia ſic iudiciū ſacerdotis cōcordat diuino: ergo

ergo ratum quantū ad ſuſcipientē. Hic enim conſequitur effectum iudicij, ſed tamē ſacerdos peccat ſatiſfaciendo pruritui aurium ſuarum, & ſic ipſe non approbatur iudicādo. Sed dum pœnitens fictus eſt, oſtendens ſe ſacerdoti contritum, licèt clauis ſcientiæ non erret quo ad ſacerdotem, errat tamē quantum ad confitentem, & per hoc arbitrium ſacerdotis non approbatur. De hoc latiùs vide Gabriēlem propoſitione ij. vbi ſuprà. & Scotum diſtinct. xix. libro iiij.

Clauus dicitur quo aliquid affigimus. Claui autem quibus Chriſtus fuit affixus (vt ſcribit Bruleſer di. xvj. q. ij. lib. iij.) adeo affligebāt pendentem, quando manus eius & pedes confodiebantur, in quibus maxima erat afflictio propter neruos & muſculos ibidem concurrentes, in quibus præcipuè viget ſenſus. Et dicitur quod claui erant obtuſi, vel ad minus parum acuti. Beda dicit quod fuerunt quatuor claui, tamen plures alij, & ferè omnes dicunt, quod po fuerunt pedem ſuper pedem, & ſic ſunt tres claui. Et vt paulò pòſt dicit Bruleſ. vbi ſuprà. quia qualitas cōplexionalis in Chriſto reddebat ipſum ad maiorem dolorē diſpoſitum: ideo bene cōcedo, inquit, quod clauus ferreus in vna manu, vel duobus pedibus, multò plus incōparabiliter afflixit Chriſtum, quàm ignis ſanctum Laurentium ſuo martyrio. Vnde ſi omnes pœnæ & triſtitiæ omniū martyrum eſſent de vno latere, & pœnæ quas Chriſtus paſſus eſt de alio latere, pœnæ Chriſti ſuperarent omnes illas: non quantum ad genera tormentorum, quia non omnia ſuſtinuit quæ martyres ſuſtinuerūt, ſed quantū ad æquiualentiā & acerbitatem. Hinc eſt quod dicitur Thren. 3. O vos omnes (tam præſentes quàm futuri) qui tranſitis per viā, attendite & videte, ſi eſt dolor ſimilis ſicut dolor meus. Et hoc dicitur in perſona Chriſti: ergo videtur quod nullus dolor alius habeat ei æquari. Itē omnes fluctus induxiſti ſuper me, &c. Hæc Bruleſer.

Clementia à māſuetudine ſic differt (vt ſcribit Paulus Corteſius lib. iij. Senten. diſt. viij.) vt clementia ſit extenuatrix pœnarum: māſuetudo verò iratum mitigatrix. Et ſecundum Albertum: Clementia eſt virtus quæ facit quem præſtabilem ſuper malitia, quæ contra ipſum commiſſa eſt: maximè quātum ad pœnas pro ipſis infligendas. Sic enim clementia ſpectat ad Iudices & Præſidentes, quorum eſt miſericordiam reis exhibere, ſecundum illud Iacobi 1. Miſericordia ſuperexaltat iudicium. Vnde & Seneca: Clementia eſt inclinatio animi ad leuitatem in pœna exequenda, ait libr. 2. de clementia ad Neronem. Clementia eſt temperantia animi in poteſtate vlciſcendi: vel eſt leuitas ſuperioris aduerſus inferiorem in conſtituendis pœnis. Itaque dici poteſt inclinatio animi ad leuitatem in pœna exigenda. Et vt dicit ſanctus Thomas ij. ij. quæſt. clvij. art. j. Clementia eſt virtus moderatiua pœnarum, ſecundum legem. Et eſt virtus humana, ideo directè ei opponitur crudelitas, non autem feritas aut ſeueritas ſub beſtialitate, ſed virtuti heroicæ vel dono pietatis, ſecundum eundem ſecunda ſecundæ, quæſt. clvij. art. ij. Hæc autem virtus maximè Præſides decet. Vnde ait Seneca: Nullū clementia ex omnibus magis q̄ Regem ac Principē decet. Vnde Cice. 1. Offic. ait: Nil enim laudabilius, nihil magno & præclaro viro dignius placabilitate atque clementia. Et quoniam Deus (vt ſcribit Gabr. lect. xx. canonis) Rex Regum ac Principum Princeps viuorum & mortuorum Iudex eſt, maximè Deo cōuenit, per quam & ipſe ſemper citra condignū punit, nec lætatur in perditione viuorum. Sap. 1. Siquidē pius eſt, & non paſcitur cruciatu, ſecundū Greg. lib. dial. Neq; obliuiſcetur miſereri Deus, neq; cōtinebit in ira ſua miſericordias ſuas. Pſal. lxxvj. Congruè itaq; (inquit Gabr. vbi ſuprà.) ad patris clemētiam in noſtra petitione qua petimus miſericordiam nobis exhiberi aſpirimus, dicentes in canone quotidie. Te igitur clemētiſsime Pater per Ieſum Chriſtum filiū tuum Dominum noſtrum, ſup. rogamus & pe. &c.

Clericus ſortitus dici poteſt. Vnde clerici à ſorte dicuntur, quia κλῆρος Grecè, ſors vel hæreditas Latinè ſonat. Vnde nomen clericus (vt ſcribit Gab. lec. iij. canonis.) primùm ab Apoſtolis cōſecratum legimus ſorte electum, ideoq; omnes clerici dicūtur quaſi ſint de ſorte Domini, vel quaſi Dominus ſors eorū ſit. Iuxta illud Prophetæ: Dominus pars hæreditatis meæ. Ex quo patet, vt ſcribit Guil. in ſuo Rational. lib. 2. quod nihil extra Deū habere debet, ſed ſolū decimas, primitias & oblationes (quæ ſunt hæreditas Domini) accipiāt, ſiue ſint quaſi ſorte electi. In veteri namq; teſtamento, & apud Gentiles clerici & Sacerdotes ſorte ex liberis eligebantur, & in nouo teſtamēto Mathias ſorte electus eſt. Vnde Act. 1. dicitur: Et dederunt ſortes, & cecidit ſors ſuper Mathiam. Primus autem clericus factus eſt Petrus. Iginus Papa compoſuit clerum, & diſtribuit gradus, vt ſcribit Guil. Epiſcopus in Rationali di. libr. ij. Et capitur clericus duobus modis, vt notat Bruleſer diſt. v. queſt. j. lib. iiij. Vno modo pro vno docto, ſcientifico, perito, ſcientia pleno, repleto & experto. Econtrà laicus capitur pro viro indocto, imperito, inſipiente & lapideo. Vnde laicus dicitur à λίθος Græcè, quod eſt lapis Latinè: vel à λαός, id eſt, populus: vt dicit Guilhel. in Rationali. lib. ij. Et ſic omnis clericus inquantum clericus (vt dicit Bruleſer) eſt laudabilis: laicus verò inquantum laicus eſt vituperandus. Clerici quoque à toto genere de iure præponuntur, & debent præponi laicis. Secundo modo capitur clericus pro homine habente aliquod officium in Eccleſia. Vnde clericus eſt homo in Eccleſia Chriſti ſecundū ordinem ſacramentalē deſeruiēs. Et nec Angeli neq; dæmones ꝓpriè ſunt clerici, nec Sarraceni & hæretici iſto modo ſunt clerici. Sed ille dicitur clericus, qui habet officiū hoſtiarij ſiue lectoris, vel vnū de ſeptē ordinibus. Tonſura autē propriè nō eſt ordo, nec facit hominē clericū: de quo ſuo loco dicetur. Et per oppoſitū laicus ſecūdo modo capitur pro homine nō habēte ordinē ſacramentalē in Eccleſia Chriſti. Nominātur & clerici presbyteri, quaſi ſeniores. Dicuntur autē ſeniores (vt ſcribit Gab. lec. iiij. canon.) nō annorū ætate, ſed motū qualitate, ſicut ſcriptū eſt: Senectus venerabilis eſt, non diuturna, nec annorum numero computata. Cani enim ſunt ſenſus hominum, & ætas ſenectutis vita immaculata. Dicūtur & clerici per antonomaſiam, Eccleſiaſtici: vt innuit Gerſon parte ij. Sermo. in cœna Domini. De clericis & eorum moribus multa habētur apud

ſcriptores, & Gerſonē, & alios. Et Palud.d.xxiiij.q.iij.art.iiij.libr.iiij.hæc ſcribit de clericis, quæ non indigna eſſe cenſui, vt literis mandarentur pro vita clericorũ agenda. Clericus (inquit Paludenſis) non debet mercari, nulla ætas ſera debet ei eſſe ad diſcendum. Clerici quoq; non debét intereſſe ſpectaculis vanis, & nuptiis: nec tabernas non niſi neceſſitate intrare debent. Nec ferre arma, nec verè nec iocoſé pugnare, nec iudiciũ ſanguinis ferre. Debent etiam ab illicitis quæſtibus abſtinere: nec debent munera accipere pro medicina. Debent inſuper clerici res Eccleſiæ benè diſpenſare, non ſuperfluè. Non licèt eis de ſumptibus Eccleſiæ filios ſuos in ſtudio philoſophiæ procurare. Item non licèt clerico habere beneficium cui ſufficit patrimonium. Nec clericus de rebus Eccleſiæ, ſed de rebus per ipſum acquiſitis poteſt facere teſtamentum: & ſi inteſtatus deceſſerit, in omnibus rebus ſuccedet Eccleſia. Item clericis non eſt iniungenda pœnitentia ſolemnis. Item melius eſt habere paucos bonos clericos quàm multos inutiles. Vt autem ipſi ebrietatem & luxuriam vitent, vinum cum aqua debét temperare. Poſſunt quoq; clerici de mandato Prælati incarcerari, & per laicos trahi ſine excommunicatione. Item clerici incorrigibiles de crimine degradati, ſeculari iudicio debènt tradi. Item clerici fures prò rebus Eccleſiæ requirendi de licentia ſuperioris torqueri poſſunt & tormentari vſquequo reſtituant. Hæc omnia in iure inueniuntur, vt recitat Paludenſis vbi ſuprà. & ad ſingula hæc allegat & adducit iura, &c.

Coactio idem quod compulſio. Vnde Richardus di. vj.art.iij.quæſt.j.libr.iiij. dicit: Sicut homo naturaliter fugit coactionem, ita naturaliter refugit vel minus diligit rem ad quam videt ſe cogi. Homines autem (vt idem dicit) non ſunt cogendi ad aliquid agendum exterius, vel dicendum vel patiendum: quia non prodeſt coactis, nec Eccleſiæ in virtute alicuius boni actus ad quem cogi non poſſunt, niſi per prædictam coactionem redderentur proniores ſiue promptiores ad illum bonũ actum: aliàs enim ſupradicta coactio penitus inutilis eſſet: ſed homines cõfiteri ore exterius ſe velle baptiſmi ſacramẽtum ſuſcipere, & ipſam ablutionem exteriorem ſuſcipere, non proſunt eis nec Eccleſiæ, niſi in virtute interioris actus voluntatis ad quẽ cogi nõ poſſunt: quod non proſunt Eccleſiæ, quia plus poſſunt nocere Eccleſiæ infideles occulti quàm manifeſti, quià ſub ſimulatione Chriſtianitatis, veros Chriſtianos facilius ſeducunt & peruertunt, inquit Richardus. Eſt autem duplex coactio, ſcilicet abſoluta & violenta. De quo vide in dictione Violentum. & Richar.quæſt.ij.vbi ſuprà.

Cogitatio ſecundũ Richa.in ſub de Cõtemplatione, eſt improuidus animæ obtutus circa ſenſibilia ad euagationem pronus. Gerſon parte iij. de myſtica Theologia parte iiij. conſideratione xxj. ſcribit, quod tres ſint termini generales, quibus maximè vſos fuiſſe video, qui de contemplatione per modũ artis locuti ſont, cogitatio, meditatio, cõtemplatio. Cogitatio, vt dictum eſt. Meditatio eſt prouidus animæ obtutus in veritatis cognitione ſeu inquiſitione vehemẽter occupatus. Contemplatio eſt perſpicax & liber, id eſt expeditus animi contuitus in res ſpirituales perſpiciendas vſquequaque diffuſus, & in diuina ſpecula ſuſpenſus. Cogitatio igitur vagatur & ſerpit ſine labore & fructu: contemplatio circumuolat & circumfertur ſine labore & cum fructu: meditatio nititur & intẽdit cum labore & fructu: in cogitatione eſt euacuatio: in meditatione inquiſitio: in contemplatione admiratio, & cogitatu facilis eſt, vt idem ait conſiderat.xxij.quia formatur immediatè vel ex ſenſationibus actualibus, vel ex phantaſmatibus paſſim occurrentibus, & vltrà non nititur. Vide latiùs Gerſonem ibi. Et nota quod ſcribit Scotus di.xlij.li.ij. Si cogitatio placet & continuatur non propter cogitatum, ſed vt per eam quis ad finem debitum deducatur, non eſt peccatum, ſed ſi propter obiectum illicitum, vt in ipſo delectetur, ſic eſt peccatum. Et iſto modo ſancti viri deteſtantur cogitationes illicitas. Vide latiùs Scotum & fratrem Pelbartũ lib.2.roſa. Theolog. in dictione ſenſualitas. Quando autem cogitatio ſit peccatum veniale vel mortale, cõſiderandum communiter, & ſecundum omnes Theologos concorditer tenendum, quod quando quis habet cogitationem in qua delectatur, conſideretur primò an cogitatio eſt de eo quod non eſt peccatum, vel ſaltem quod non eſt mortale, ſed veniale ex genere, vt verbum otioſum, & in tali conſentiendo cogitare vel delectare, non eſt peccatum mortale, quia pro regula generali tenetur quod conſenſus in veniale non eſt niſi veniale peccatum. Secus ſi quis deliberatè conſentiret in aliquod quod eſt peccatum ex genere, ſcilicet homicidium, &c. Secundò conſiderari debet ſi ex huiuſmodi cogitatione circa tale peccatum licèt veniale ex diuturnitate ſibi immineat periculum caſus, & tunc ſi aduertit, nec repellit, peccat mortaliter non repellendo: puta vir vel mulier vidua cogitat de actu coniugali, quem habuit priùs in matrimonio: ſi delectatur in ipſa delectatione cogitationis vt præterita, non peccat mortaliter, ſecus ſi delectatur in tali delectatione vt præſenti, & maximè ſi imminet ſibi ex hoc periculum caſus vel pollutionis nõ repellendo cùm aduertit: quia tunc peccat mortaliter. Tertiò conſiderari debet ſi delectatio in cogitando eſt de eo quod eſt mortale ex genere ſuo: vtputa fornicari vel occidere hominẽ propter vindictam, & huiuſmodi, tunc diſtinguitur. Primo enim aut placet ipſa delectatio & operis cõſummatio ſi adeſſet facultas, & ſic eſt mortale. Secundò autẽ placet delectatio, ſed diſplicet operis conſummatio, & ſimiliter eſt peccatum mortale, vt prædictum eſt. Tertiò autem neutrum placet. & tunc ſi imminet periculum & aduertit, nec repellit, eſt mortale ſecundum tutiorem viam: ſi tamen non imminet periculum vel non aduertit, ſic erit veniale quod nõ repellit, ſed ſi ſtatim repellit, nullũ eſt peccatũ. Quartò cõſiderari debet ſi delectatio ſolum eſt in cogitatione, ita quod non in re cogitata: puta delector de aliqua cogitatione, quia pulchra eſt adinuentio, & huiuſmodi: & tunc ſi eſt propter bonum finem: puta vt prædicem de tali peccato deteſtando, vel diſputem contra illud, ſic non eſt peccatum, ſed potius meritorium. Si autem non eſt propter bonum finem, ſed propter vanitatem, ſic eſt veniale, niſi immineret periculum, quia tunc peccaret mortaliter non repellendo aduertentem.

Hæc fra-

Hæc frater Pelbartus ex Theologis, & colligit libr.ij.roſarij Theolo.in dictione,ſenſualitas.§.xij. De cogitatione ponit doctiſſimus Gerſon part.iij. tract.pro deuotis ſimplicibus qualiter ſe in ſuis exercitiis diſcretè & cautè habere debēt hanc regulā. Quod qualeſcunque cogitationes malæ occurrunt ſiue ſint de carnalitate,ſiue de inuidia,ira,ſuperbia, &c.fiat diligentia, vt ab intra eis non cōſentiatur, & vt ab extra nō impleantur,& ſecurus erit homo quod nullo modo huiuſmodi erūt peccata mortalia,imò cōmunitet cum eis ita reſiſtitur,erūt magnę virtutis hîc & in futuro remunerationis ſingularis materia ſeu occaſio. Vide & eundem ibi,quomodo ſint confitendæ cogitationes, qui & multa ſcribit de cogitationibus.

Cogitatio hominis eſt vel eſſe poteſt triplex,vt literis prodidit Iacob.de Valentia ſuper Pſal.xciij.poſt Caſſianū,collatione prima. Vna eſt à Deo illapſa, & iſta ſemper eſt ſancta. Alia eſt à diabolo ſuggeſta, & iſta ſemper eſt praua & deceproria. Alia eſt ab ipſomet homine inuenta & orta, & iſta eſt vana & inanis,quia ſemper homo cogitat de mundanis:puta de honoribus & diuitiis cōgregandis, & honoribus adipiſcēdis: & in talibus cogitationib⁹ & laboribus terūt homines ſpaciū vitæ ſuæ. Et tales cogitationes mūdanæ ſunt,friuolæ & tranſitoriæ. De quibus dicit Perſius: O *curas hominum,ô quantum eſt in rebus inane.* Hinc Dauid Pſal.xciij. Dominus ſcit cogitationes hominū,quoniā vanæ ſunt,&c. Cogitare autem de bono quod eſt neceſſitatis vel pręcepti ad faciendū hoc,ſemper eſt à Deo:puta cōgitare quomodo poteſt quis obedire Deo & Eccleſię in præceptis, vt ſcribit Alexand. de Ales ij. parte Summæ. Sed cogitare de bono ſupererogationis vel perfectionis quandoque eſt à Deo, quandoque autem eſt à diabolo: puta intrare religionem, ieiunare, & multa huiuſmodi ad quæ non tenetur quis ex præcepto. Nam talia poteſt diabolus ſuggerere alicui permittēte Deo propter peccatum illius,vt decipiatur talis homo & in periculum ruat vel apoſtaſiæ vel amentiæ ex pœnitentiæ auſteritate: ita refert Pelbartus,&cæ. Vide & de cogitatione in dictione,Immittere.

Cognatio eſt propinquitas quædam: & eſt duplex. Quędam eſt ſpiritualis,quędā legalis. Et ſicut homo per carnalem generationē accepit eſſe naturæ: ita per regenerationem ſpiritualem accepit eſſe gratiæ, & vtrobiq; contrahitur vinculum quoddā, vt ſcribit Richar.d.xlij.ar.j.q.j.lib.iiij. Dicitur autem cognatio ſpiritualis, quia à ſpiritualib⁹ cauſatur, vt inquit Paludeñ. Et diffinitus à Iuriſcōſultis,& poſt eos à Doctoribus Theologię circa diſtinct. xlij.lib. iiij. Cognatio ſpiritualis eſt propinquitas perſonarum prouenienṡ ex ſacramenti datione, vel ad illud retentione. Et (vt ait Paludenſis) ad id tentione, ſcilicet vel vnione ad dantem vel tenentem robur trahens ex Eccleſiæ inſtitutione,ex ſacramenti datione, etiā ſine ſolēnitate. Et hæc ꝓximitas (vt ait Richar.vbi ſup.) ſi præcedit contractū matrimonij impedit contrahendū, & dirimit ſi poſteà cōtrahatur de facto,ſicut poteſt per Decreta. Et habet tres ſpecies. Vna dicitur paternitas ſpiritualis,& hęc attenditur inter patrē ſpiritualē & filiū ſpiritualē. Eſt autē pater ſpiritualis quo ad pręſens ille qui baptizat, & ille qui ſuſcipit baptizatum de baptiſmo, ac Epiſcopus qui confirmat & ille qui tenet eum qui cōfirmatur corā Epiſcopo. Filius autē ſpiritualis dicitur ille qui baptizatur vel cōfirmatur. Secūda ſpecies eſt cōpaternitas,& hęc attenditur inter parētes carnales ipſius baptizati vel confirmati, & iam dictos patres ſpirituales eiuſdē. Tertia ſpecies dicitur fraternitas ſpiritualis,& hęc attenditur inter filium ſpiritualē & filios carnales ſui patris ſpiritualis. Vnde omnes filij baptizātis & omnes filij ſuſcipientis aliquem hominem de baptiſmo ſunt fratres ſpirituales illius qui baptizatur,& ſuſcipit de baptiſmo. Vide & de hoc Richard. q.iij. vbi ſuprà. Pater autem ſpiritualis non poteſt cōtrahere matrimonium cum filia ſpirituali, nec mater ſpiritualis cum filio ſpirituali: & dato quod contrahat,penitus eſt dirimendum matrimonium. Sed ſi pater ſpiritualis contrahat cum ſorore filiæ ſuæ vel filij ſpiritualis, matrimonium non eſt dirimendum. Nec etiam matrimonium eſſet dirimendum ſi pater ſpiritualis contraheret cum filia carnaliter genita à ſuo filio ſpirituali,quia ſpiritualis cognatio nō habet gradus. Sed quo ad ſecundam ſpeciem ratione compaternitatis,pater ſpiritualis non poteſt matrimoniū contrahere cū matre carnali ſui ſpiritualis filij,nec mater ſpiritualis cum patre carnali: & ſi contraxerit, huiuſmodi eſt penitus dirimendum. Et eſt intelligendum ſi huiuſmodi paternitas non fuit cōtracta ante carnalē copulā. Spirituales filij (vt inquit Magiſter d.xlij.li.iiij.) ſunt quos de ſacro fonte leuamus, vel catechizatione vel in confirmatione tenemus. Et paternitas accipitur hîc quæ acquiritur ex his quæ fiunt circa duo ſacramenta tantum, ſcilicet circa ſacramentum baptiſmi, & confirmationis. Latiùs vide apud Iuriſconſultos & Theologos. Et ſecundum eoſdem vir & mulier ſimul leuātes eandem prolem de baptiſmo, non prohibentur inter ſe contrahere, quia quamuis eadem proles ſit vtriuſque filius ſpiritualis, tamen ex hoc mater ſpiritualis & pater ſpiritualis nullam contrahunt inter ſe compaternitatem,ſeu ſpiritualem cognationem. Quantum ad tertiam ſpeciem omnes liberi (vt iura moderna determinauerunt) duorum compatrum legitimè poſſunt contrahere, excepta ſola prole ſpirituali, quæ ſi eſt maſculus, nunquam poteſt copulari legitimè alicui carnali filiæ ſui patris ſpiritualis,nec alicui patris filio ſi fuerit fœmella. Et quoniam baptizans Sacerdos ſit pater ſpiritualis ipſius baptizati: ideo ſi ipſe Sacerdos habet filium carnalem, ille non poteſt legitimè contrahere matrimonium cum aliqua filia ab eodem Sacerdote baptizata, eò quòd omnium eorum quos huiuſmodi Sacerdos baptizauit prædictus carnalis filius ſit frater ſpiritualis illius; quare non poſſit filius ſuus contrahere cum ea: nec pater eandem filiam poſſet accipere in vxorem, nec idem pater matrem illius, eò quòd vera compaternitas eſſet inter huiuſmodi perſonas. Et iſta prohibitio non extendit ſe vſque ad nepotes. Vide de hoc Iura & Theologos, & Thomam Argent. non parum multa ſcribit de hoc.

Cognatio legalis ſecūdū Theol.ac Iuriſper. eſt quędam humana proximitas ex adoptione prouenieṡ.

Sed adoptio eſt extraneæ perſonæ in filiũ vel nepotem, & deinceps legitima aſſumptio. Et triplex eſt ſpecies legalis cognationis. Prima eſt inter patrem adoptantẽ & prolem adoptatam. Secunda eſt inter prolem adoptatam, & naturalem prolem adoptantis. Tertia eſt quaſi per modũ affinitatis inter vxorem filij adoptiui & patrem adoptiuum, & inter filium adoptiuum & vxorem patris adoptiui. Et omnes iſtæ ſpecies legalis cognationis impediunt matrimonium, ſed inæqualiter. Nam licèt ſecunda ſpecies, quæ poteſt dici fraternitas legalis cognationis, impediat matrimoniũ inter prolem adoptatam & prolem naturalem, quamdiu vtraq; proles eſt in patris poteſtate: tamẽ mortuo patre poſſunt legitimè cõtrahere, vel etiam adhuc viuente patre, ſi vna earum fuerit emancipata, tunc nullũ erit amplius impedimentũ. Emancipata verò proles dicitur, quando data ſibi hæreditaria portione, quæ ſecũdum leges ipſam prolem contingit, ipſa ponitur extra familiam patris. Sed prima & tertia ſpecies cognationis legalis abſq; diſtinctione perpetuè impediũt matrimonium. Nam pater adoptiuus nunquã poteſt contrahere matrimonium cum filia adoptiua, ſiue talis filia adhuc ſit in patris adoptantis familia, ſiue non. Etiam pater adoptiuus nunquam poteſt legitimè contrahere matrimonium cum vxore filij adoptiui põſt mortẽ huius filij, nec filius adoptiuus cum vxore ſui patris adoptiui, poſt mortem huius patris: etiam dato quod ante mortem patris fuerit emancipatus. Hæc ſingula apud Iuriſperitos latiùs diſquirito. & patet. ff. de ritu nuptiarum, cap. Adoptatiuus filius. xxx. q. iij. Vide & Theologos circa di. xlij. libr. iiij. ſenten.

Cognitio idem eſt quod notitia. Et eſt multiplex cognitio. Quædam confuſa, quædam diſtincta. Cognitio rei diſtincta eſt qua quicquid eſt cognito eſſentiali, patet potentiæ. Vnde diſtinctè cognoſci aliquid eſt quando nihil eius latet. Cognitio confuſa eſt qua aliquid eſſentiale vel intrinſecum obiecto patet potentiæ, & aliquid latet, vt ſcribit Gabriel d. iij. q. v. lib. j. ſentent. ſicut cùm cognoſcuntur diſſimilia in eſſentiis figuris, vel maioritate aut minoritate, quæ tamẽ non poſſunt diſcerni. Aliud autem eſt cognoſcere cõfuſum, & aliud confuſe. Cognoſcere confuſum eſt dum cognoſcitur totum habens partes intrinſecas, vel quando cognoſcitur vniuerſale commune ad multa: & tamen quodlibet illorum poteſt diſtinctè cognoſci. Sed cognoſcere confuſe dupliciter accipitur. Propriè, quãdo, ſcilicet cognoſcitur aliquid, & non tamen quodlibet intrinſecum ſibi patet potentiæ: & illo modo ſolũ totum includens partes confuſe cognoſcitur. Impropriè (hoc eſt in conceptu) aliquid dicitur cognoſci, quia aliquid aliud quod eſt ſibi commune vel connotãs, quod non eſt ipſum, cognoſcitur. Vel quando aliquid cognoſcitur, nec cognitione ſimplici propria, nec æquiualenti. De ordinata autem cognitionum generatione, vide apud eundẽ q. vj. vbi ſuprà. Vnde cognitio ſenſitiua eſt prima primitate generationis, ſcilicet ſenſatio exterior, quæ immediatè cauſatur ab obiecto. hæc notitia eſt intuitiua, quia ea cognoſco rem ſenſatam eſſe, & dependet ab obiecto non ſolùm in fieri, ſed etiam in eſſe. Vnde remoto obiecto ſtatim corrumpitur hæc cognitio. Secunda cognitio eſt cognitio eiuſdem ſubiecti: quam elicit ſenſus communis eodem modo repræſentans obiectũ ſicut cognitio prima, & cum hoc vt ſenſatum vel viſum, &c. Nam ſenſus interior eſt qui iudicat de actibus ſenſuum exteriorũ: prima enim viſione, ſcilicet exteriori, nõ cognoſco me videre, quia nõnunquam aliquis videt neſciens ſe videre: illa cognitio ſimiliter eſt intuitiua, quoniã ea euidẽter cognoſco me ſentire, quæ ſimiliter cedente prima ſenſatione corrumpitur. huius obiectũ eſt res ſenſata, & cum hoc ſenſatio exterior. Tertia cognitio eſt ſynonyma ſecundę, manẽs remoto obiecto, etiã ceſſante ſenſatione exteriore per quam cogito de re etiam abſente. Siquidem experimur quod videns rem aliquam ipſa amota ab oculis, adhuc manet in nobis notitia quędã quę repræſentat rem diſtinctè, & eodem modo quo noui præſentem, & hæc non eſt aliqua duarum præcedentiũ, quia per illam non poſſumus euidenter ſcire aliquam veritatẽ contingentem de re cognita, ſicut per præcedentes. ergo diſtinguitur ab eis, & ita non eſt intuitiua, ſed abſtractiua, quia abſtrahit ab exiſtẽtia rei hic & nunc, id eſt, per eam non poſſumus euidenter ſcire de re quam repræſentat, an ſit vel non, an ſit hic vel ibi: eſt tamen notitia rei diſtincta. Quarta eſt cognitio memoratiua, quæ formatur per ſpecies vel habitus à prioribus cognitionibus deciſas vel deciſos in organo memoriæ reſeruatos: & illa cognitio memoratiua cum obiecto importat tempus præteritũ, id eſt, importat obiectũ vt priùs etiã cognitũ. Hæc notitia etiã abſtractiua eſt ſicut tertia, & diſtincta vel rei in ſe, ſed non intuitiua. Et dicuntur quatuor hæ notitiæ ſenſitiuæ. Deinde & alias cognitiones elicit ſenſus, ponens conuenientiam & differentiam ſenſibilium, & componit ſpecies diuerſas, formans cognitionem rerum non ſenſatarũ, ſed totum licèt ſecundum partes, puta in ſomno & vigilia. Et ſecundum multos cõponit & diuidit per virtutẽ æſtimatiuã. Secundũ quoſdam etiã elicit ſpeciem non ſenſatam, id eſt, format cognitionẽ repręſentantẽ rem ſub circunſtantia ſenſu exteriori nõ perceptibili, vt cum circunſtantia nociui vel inimicitiæ, vt ouis viſo lupo propter quod fugit. Sed ſuperfluũ videtur ponere hanc notitiã, vt probat Occam d. iij. q. ij. libro j. Et in hoc terminatur tota operatio ſenſitiua, cuius omnis cognitio pro ſtatu viæ incipit à ſenſu. Intellectus verò qui eſt potẽtia ſuperior, operationem ſuam incipit à ſenſibus, neque enim non ſentiens intelligit. 3. de Anima.

Cognitio intellectiua prima eſt cognitio ſingularis rei ſenſatæ ſynonyma ſenſationi interiori, quæ interior vocatur phantaſma. Et dicitur intellectio prima à ſenſatione interiori, quia illa eſt penitus immaterialis inhærẽs tantum intellectui, & non organo. Et à notitia intellectiua, intuitiua, abſtrahit intellectus abſtractiuam ſingularẽ vagam, ſicut ſenſus: deinde abſtrahit duplicem notitiam, ſingularem & cõmunem: deinde intellectus negotiatur circa conceptus coniungendo eos, faciendo complexa propoſitionalia & non propoſitionalia. Idem ex propoſitionalibus ſyllogiſmos facit, & alios diſcurſus conſequentionales, quibus inquirit ex notis ignota. Hæc Gabriel, qui & rem fuſius tractat. diſt. iij. quæſt. vj. lib. j.

Cognitio diſtincta & diſtinctè ſignificans differunt vt notat Gabr. di. xxij. q. vnica, art. iij. dub. j. li. j. Cognitio diſtincta eſt cognitio qua nihil intelligitur nec ſubiectiuè nec formaliter: niſi res ipſa vel intrin ſecum rei. Sed cognitio diſtinctè ſignificans eſt cognitio pro aliquo præciſè ſupponēs. Sicut ergo nomen Deus pro ſolo Deo ſupponit, ſic etiam conceptus ad eius probationem formatus pro ſolo Deo ſupponit: licet cum hoc connotet creaturam. Et ita ſicut vox diſtinctius ſignificat quam intelligitur: ita conceptus diſtinctius ſignificat quam ipſo conceptu intelligitur: quia ipſo intelligitur non ſolū ſubſtratum, ſed etiam connotatum: quod tamen non ſignificat, ſed connotat ſic accipiendo ſignificare.

Cognitiones ſunt variæ (vt ſcribit Gerſon parte iij. de myſtica theologia. parte iij. cōſideratione. xviij.) ſicut & affectiones, ſcilicet, cognitiones, tam actuales, quàm habituales potentias animæ illuſtrantes: quamuis aliter & aliter. Nam cognitionū aliæ ſunt complexæ, aliæ incomplexæ. Quędam in ſola appre henſione, quędam in aſſenſu conſiſtit, & aſſenſuum non eſt parua diuerſitas. Quidam ſunt euidentes ex cognitione ſola terminorum, alij per experientiam, alij per demonſtrationem. Quidam verò ſunt ineuidentes, & talium alij certi, alij incerti. Alij cauſantur ex probabilitate rationum ſumptarum per intrinſecas apparentias. Alij per extrinſecas, vt eſt auctoritas dicentis, &c. Gerſon.

Cognitio eſt triplex, ſcilicet, certa, euidens & coniecturalis. Cognitio certa (vt ſcribit Gab. di. xxvij. q. vnica dub. v. lib. ij. qualis eſt cognitio fidei) eſt quæ habetur per reuelationem. Sic gratiam nobis ineſſe noſcere certè poſſumus per reuelationem. Sicut nouit Apoſtolus cui dictum eſt. 2. Cor. 12. Suffi cit tibi gratia mea. Et ipſe ait. An experimentū quęritis eius qui in me loquitur Chriſtus. 2. Cor. 13. Item ad Rom. 8. Certus ſum quia neque mors, neque vita, &c. poterit nos ſeparare à charitate Chriſti, &c.

Cognitio euidens eſt quæ habetur de per ſe notis, aut ex talibus demonſtrabilibus vel notis per experien tiam præſupponentem notitiam intuitiuam rei. Sic gratiam nobis ineſſe euidenter ſcire non poſſumus: quia cùm ſit habitus, non poteſt à nobis intuitiuè cognoſci. Licèt enim anima intuitiuè cognoſcat actus ſuos vt intellectiones & volitiones, non tamen habitus ſibi inexiſtentes. Item quicquid in ſe experitur habens gratiam: ſimile poteſt experiri carens ea, vt hæreticus & infidelis vt dulcedinem, delectationem, lætitiam, firmitatem, promptitudinem ſequendi errorem ſuum. Gab. vbi ſupra.

Cognitio coniecturalis quæ habetur per ſigna non ſimpliciter certa & infallibilia, ſic gratiam nobis ineſſe coniecturaliter ſcire poſſumus, quia plura ſunt ſigna quibus coniecturam habere poſſumus & penè certitudinem inexiſtentis gratiæ. Quorum tria innuit propheta in Pſalm. vbi ad quæſtionem multorum dicentium. Quis oſtendit nobis bona? reſpondet. Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine: dediſti lætitiam in corde meo. Sequitur: In pace in idipſum dormiam & requieſcam. Vbi ſecundum Alex. parte ij. q. lxxj. ar. penul. tāguntur tria ſigna inexiſtētis gratiæ, ſcilicet, lumen, lætitia, pax. Lumen veritatis in rationali, lætitia in bonis in concupiſcibili, pax conſcientiæ in iraſcibili. Ponit & Gerſon in Tripartito, alia ſigna quæ ſunt Diſplicentia commiſſorum peccatorum. Propoſitum cauendi peccata propter Deum, & propoſitum confitendi. Plura alia ſigna ponuntur à diuerſis ſanctis & doctoribus, ſed omnia illa ſigna non ſunt euidentia, quia non poſſumus ſine reuelatione euidenter cognoſcere vtrum in nobis ſit verum lumen, lætitia & pax: an apparentia & ſophiſtica: vt in deceptis à diabolo, nec an peccatū diſplicet finaliter propter Deum, & ideo generāt in nobis coniecturam non euidentem notitiam. Gab. di. xxvij. q. vnica. dub. v. lib. ij. Nec homo (vt idem vult) poteſt ſcire euidenter ſe facere quod in ſe eſt: quia hoc facere includit in ſe obedire Deo propter Deum tāquam vltimum & principalem finē, quod exigat dilectionem Dei ſuper omnia: quam ex naturalibus ſuis homo poteſt elicere. Hæc enim eſt proxima diſpoſitio ad gratiæ infuſionem, qua exiſtente certiſſimè infunditur gratia. Difficillimum autem eſt ſcire ſe habere illam dilectionem & fortè naturaliter (vt inquit Gab.) impoſſibile: quia & ſi ſcire poſſumus nos diligere Deum, nō tamen euidenter ſcire poſſumus illam circunſtantiam ſuper omnia.

Cognitio eſt duplex, ſcilicet, per doctrinam & inuentionem (vt ſcribit Bruleſer. di. vlti. li. iiij.) Cognitio per doctrinam eſt illa quæ habetur à doctore légente clarè, quæ verbis communibus & claris vtitur. Cognitio per inuentionem eſt illa, quæ inuenitur ab aliquo ingenioſo ſiue ab aliquo doctore. Cognitio quædam eſt matutina, quædam veſpertina. Cognitio matutina eſt cognitio rerum in verbo, quæ eſt beatifica. Cognitio veſpertina eſt cognitio rerū in lumine, de his vide ſupra latiùs in dictione Angelus vel cognitione Angelorum.

Cognitio rerum in proprio genere eſt duplex, ſcilicet infuſa & acquiſita: vt notat Gabr. di. xiiij. q. vnica. ar. ij. li. iij. & vtraque duplex, habitualis & actualis. Cognitio vel notitia acquiſita eſt quam elicit potentia cognitiua cum obiecto ſecundum ordinem naturæ inſtitutæ non concurrente ſpeciali concurſu Dei: de quo & ſupra ſcripſimus. Cognitio vel notitia infuſa eſt quam Deus immediatè cauſat in intellectu alicuius, non concurrente obiecto & potentia intellectiua iſtius in quo producitur effectiuè. Vnde omnem notitiam tam actualem quàm habitualem quam producere poteſt potentia intellectiua præſente obiecto, aut mediante habitu repræſentante obiectum in eius reali abſentia quo ad apprehenſiuam, aut mediante notitia intuitiua extremorum: vel mediante habitu ex prioribus aſſenſibus genito ad ſimiles inclinante, quo ad notitiam adhæſiuā. Similiter & ipſos habitus tā apprehēſiuos quā adhęſiuos, poteſt Deus immediatè cauſare in po tētia intellectiua, obiectis nō præſentibus. Et ita faciēdo reuelat quandoq; præterita, quandoq; futura, quandoque præſentia occulta: ſic Moyſi reuelauit notitiam creationis mundi longè præteritam, ſic Prophetis myſterium incarnationis, & multa alia longè vel propè futura. Multa denique præſentia occulta: vt patet per decurſum ſcripturarum vtriuſ-

que teſtamenti infundit quandoque habitus, quibus poſtea intellectus negociando acquirere poteſt multas noticias etiam certas & euidentes, de rebus intuitiuè nō cognitis, quæ cognitiones ſunt partim ſupernaturales, partim naturales. Et breuiter omnem cognitionem quam potentia intellectiua acquirere poteſt cum labore & ſucceſſiuè obiectorum per præſentiam, & negociationem intellectus poteſt immediatè, & multo perfectius cauſare Deus in potentia intellectiua. Sic inſtantaneè & ſubitò infudit Apoſtolis noticiam linguarum omniū: & noticiam omnium veritatum ad ſalutem ſibi & Eccleſiæ neceſſariarum. Sic Paulum docuit Euangelium quod nō ab homine accepit neq; didicit: ſed per reuelationem Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt teſtatur ad Gal. 1. Nihil autē perfectionis intellectui creato poſſibilis negatū eſt intellectui Chriſti verbo vniti. Vnde credendum quod nihil quod Angelis & Prophetis & ſanctis reuelatum eſt, negatum intellectui animæ Chriſti, ſed longè plura & perfectiora. Sed de cognitione animæ Chriſti vide in dictione *anima Chriſti*.

Cognitio diuinitatis eſt duplex: vt ſcribit ſanctus Bonauentura diſtinctione xlviij. articulo primo, quæſtione ſecunda, libro quarto. Vna eſt per ſigna & effectus. Alia in ſua forma & eſſentia: vnde & ipſe ait: Reprobi bene habent cognitionem in iudicio de Chriſti diuinitate per ſigna certiſſima & per effectus manifeſtos cognoſcent, quia ipſe eſt Deus omnipotens. Cognitionem autem quæ eſt in propria forma quę eſt per viſionem apertam, hanc quidē non habebunt. Et prima ratio huius eſt, quia talis forma omnino eſt improportionalis oculis peccatorum, improportionalis oculis omnibus qui non ſunt ſublimati per gloriam vel ſuperabundantiā gratiæ, & quia reprobis non dabitur gratia nec ſimpliciter, nec ad tēpus: ideo non videbunt. Ratio quare non dabitur eis virtus quæ facit eorum aſpectum habilem ad videndum illam lucem, eſt illa quā tāgit Iſidorus & Aug. quia ſi haberent oculum aptum, haberent ſummam delectationem, quam impoſſibile eſt eſſe & indecens in peccatoribus, &c.

Cognitio de Deo eſt duplex ſecundum Alexan. prima parte. Quædam cognitio quia eſt: & hæc poteſt eſſe malorum. Alia eſt cognitio quid eſt, & hæc poteſt eſſe dupliciter. Vel quid eſt ſecundum operationem in creaturis, vtpote quia Deus eſt potentiſſimus in operatione, ſapientiſſimus in gubernatione, iuſtiſſimus in retributione, & hæc etiam in malis, &c. Vel eſt præterea cognitio Dei, quid eſt in effectu gratiæ participatæ ſub ratione ſpeciali, & hæc eſt ſolum ſanctorum & bonorum quibus ſe prębet Deus. Hæc Alexander de Ales.

Cognoſcere poſſumus Deum multipliciter, vt notat frater Pelbartus. Primò per internam inſpirationem, quod paucis datum eſt. Sic cognouit Paulus 1. Cor. 1. raptus in cœlum. Secundò per ratiocinationem, ſicut Phi. Rom. 1. Inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur. Tertiò per creaturam & ſpeculationem. 1. Cor. 12. Videmus nunc per ſpeculum. Quartò per doctrinam fidei & inſtructionem, & hoc vel viſu ſcripturas legendo, vel auditu verbum Dei audiendo. Rom. 10. Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei. Vel etiam guſtu: quod eſt bonorum. Pſalmus: Guſtate & videte quoniam ſuauis eſt Dominus, &c.

Cognoſcere aliquid eſt dupliciter: vt ſcribit ſanctus Bonauentura diſtinctione vlt. parte ij. q. ij. libro iiij. ſcilicet, propria conſideratione, vel alterius inſtructione. Cognitio per propriam conſiderationem eſt dupliciter. Aut enim eſt rei vt præſentis & per certitudinem. Aut eſt rei vt abſentis & per quandam coniecturationem. Similiter inſtructionis cognitio eſt dupliciter. Aut enim per reuelationem alterius, aut per reuelationem Dei. Et (vt idem dicit quæſtione ſequenti) Conſideratio ſiue cognitio pœnæ reproborum, eſt electis gaudium, quia iſti conſiderant gloriam ſub ratione amiſſionis, iſti pœnam ſub ratione diuinæ vltionis. Vnde, Lætabitur iuſtus cùm viderit vindictam. Vide latius ibi, & in fine ſolutionis vltimæ rationis dicit quod damnati poſt iudicium maiori pœna erunt abſorpti vt iam non liceat eis cogitare gloriæ dignitatem: ſemper tamen in mente habebunt eius amiſſionem & carentiam vt triſtentur. Hæc Bonauentura. Et de cognitione damnatorum vide paulò pòſt.

Cognoſcens eſt triplex: vt ſcribit Bruleſer diſtinct. xx. quæſtion. vltim. in fine libr. j. Primum per tempus: vt ſunt homines. Secundum in inſtanti: vt Angeli. Tertium ſimul natura vt Deus. Et de cognitione Angelorum dictum eſt ſupra.

Cognitio Dei qua Deus aliquid cognoſcit. Cognoſcit autē Deus (vt ſcribit Dominus præpoſitus Gab. di. xxxviij. q. vnica. ar. ij. lib. j.) omnia & ſingula cognoſcibilia cognitione infallibili & determinata. Et hoc patet auctoritate fidei & canonicæ ſcripturæ, & quia ratione vnum cognoſcit, & alterum cognoſcere poteſt. Rom. 4. vocat ea quæ non ſunt tanquam ea quæ ſunt. Hebr. 4. Omnia nuda & aperta ſunt oculis eius. Sapien. 4. Scit omnia & intelligit ea. Scit inſuper Deus certitudinaliter & euidenter & infallibiliter omnia futura contingentia. Patet ex multis ſcripturæ locis. Sed quomodo ſciat diuerſi diuerſos ponunt modos. De quo vide Gabr. vbi ſupra. Occam dicit licet modum quo Deus euidenter & certitudinaliter nouit omnia futura contingentia non poſſe ſufficienter exprimi ab intellectu creato pro ſtatu viæ huius. Vnde dicitur quod ipſe Deus ſiue eſſentia diuina eſt cognitio intuitiua tam ſui quàm omnium futurorum & poſſibilium, tam perfecta & clara quod ipſa eſt etiam euidens notitia præteritorum, futurorum, & præſentium, ita quod ſicut ex notitia intuitiua extremorum in nobis poteſt intellectus noſter euidenter cognoſcere aliquas propoſitiones cōtingentes, ita ipſa diuina eſſentia eſt quædam cognitio & notitia qua non tantum ſcitur verum, neceſſarium & contingens de præſenti, ſed etiam ſcitur qua pars contradictionis erit vera, & quæ erit falſa. Hac ergo notitia (quæ eſt ipſa diuina eſſentia) non tantum cognoſcit intuitiuè & euidenter præſentia, ſed etiam contingentia: & quæ pars contradictionis erit vera, & quæ erit falſa. Et ſicut notitia intuitiua in nobis qua euidenter cognoſcimus verum contingens præſens: nō addit ipſi cōtingenti

aliquam

aliquam neceſſitatem, licèt ipſa ſit euidens & infallibilis, ita notitia euidens & infallibilis Dei rebus contingentibus futuris nullam neceſſitatem imponit. Vide latius Gabr. Et (vt ait Petrus Cameracenſis, & Grego. di. xxxv. q. j. li. j.) Deus ſiue diuina eſſentia intuitiuè cògnoſcit non ſolùm exiſtentia ſed omnia poſſibilia. Ille autem modus (vt Aliaco dicit q. xj. ar. ij. lib. j.) quo Deus cuncta futura certitudinaliter præcognoſcit, non eſt nobis clarè intelligibilis, nec à nobis perfectè explicabilis pro ſtatu viæ, vt patet, tamen nobis eſt aliqualiter cognoſcibilis ex his quæ videmus in nobis. Vnde ſicut ea quæ noſtris oculis ſunt præſentia intuitiuè videmus, & per huius intuitionem certè iudicamus vbi & qualiter res viſa exiſtit, & plures alias contingentes veritates de præſenti ſicut intellectualis & æternus oculus Dei eſt quædam intuitio quæ immediatè ſuper quamlibet rem actualiter vel potentialiter exiſtentem ſimul fertur, ideo tam circa futura quàm circa præſentia vel præterita omniū contingentium veritatum, certum & diſtinctum ac veriſſimum habet iudicium: & ipſa diuina intuitio eſt tale immenſum iudicium. Vnde iſta eſt intentio Damaſce. li. j. c. vlt. & Aug. xv. de Trini. c. vij. & Boëtij. v. de cōſolatione, & plurium doctorum. Alium modum habet Scotus, quem etiam recitat Aliacenſis & Gabr. vbi ſupra, vide eos.

Cognitio in Deo eſt duplex, vt ſcribit ſanctus Bonauē. di. xxxix. q. ij. li. j. ſcilicet, Cognitio approbationis, & ſimplicis notitię. Et notitia ſiue cognitio approbationis cōnotat cōplacentiam voluntatis, hoc modo cognoſcit Deus omnia, quia nec mala nec malos, ſed tantum bona & bonos. Alia eſt cognitio ſimplicis notitiæ, & hęc quia habet rationē cognoſcendi à veritate quæ eſt lux ſumma, cui nihil poteſt occultari, nec etiam tenebræ obſcurantur ab ipſa: ideo de neceſſitate cognoſcit omnia magna & parua, bona & mala. Hæc ſan. Bonauen.

Cognitio animæ ſeparatæ eſt qua ipſa anima extra corpus aliquid cognoſcit. De hac cognitione ſcribit Brulefer poſt S. Bonauen. di. vlt. li. iiij. dum ait: Animæ ſeparatæ per certitudinem rei pręſentis nō poſſunt habere notitiam de his quę circa nos aguntur: niſi hoc eſſet ex permiſſione diuina, ſcilicet, quod veniant ad nos: quamuis poſſint habere notitiam de his quæ circa nos aguntur per quandam coniecturationem etiam animæ damnatæ, vt ſi quis auarus haberet filium prodigum, ſi dimiſiſſet filio ſuo multa bona poſt mortem, tunc coniecturam haberet quod filius ſuus conſumeret ea. Poſſunt & habere notitiam animæ ſeparatæ de his quæ circa nos aguntur per reuelationem tam in bonis quā in malis, in bonis per reuelationem bonorū Angelorum: in malis per reuelationem dæmonum ad augmentationē pœnæ. Item per reuelationem diuinam boni poſſunt habere notitiam quando Deus eis reuelat. Sed in inferno poſiti non habent has illuſtrationes, quia ſunt indigni. De hac cognitione ſcribit Tho. Argenti, cùm ita dicit. Anima à corpore ſeparata verè intelligit aliqua. Propria enim operatio animæ eſt intelligere. Nulla autem res penitùs deſtituitur à ſua propria operatione, vt patet ij. Cœli & mundi. Id aſſerit Auicenna in. vj. ſuorum naturalium: dicens quod anima ſeparata clarius intelligit veritatē quā cōiuncta. Si ergo anima manet poſt mortem hominis, ſicut ponit fides catholica ac etiā vera Philoſophia: oportet quod aliquid intelligat. Cognoſcit autē ipſa à corpore ſeparata Angelos ſeu ſubſtātias ſeparatas. Quod nulli fidelium dubiū eſſe debet: vt probat Tho. Argēti: quia planū eſt quod animæ damnatæ cognoſcunt malos Angelos tanquam ſuos tortores, & animæ beatæ cognoſcunt Angelos bonos tanquam ſuos ſocios, conciues & conſolatores. Cognoſcit verò anima ſubſtantias ſeparatas per ſpecies non abſtractas, ſed à Deo creatas vel deriuatas ab ipſis ſubſtantiis ſeparatis, & ipſi animæ rationali influxas, & hoc cognitione intellectiua: Vide de hoc Richardum di. vlti. artic. j. q. ij. lib. iiij. qui & de modo intelligendi ponit multas opiniones. Anima inſuper (vt idem Tho. Argenti ſcribit) habet notitiā omnium naturaliter cognoſcibilium, niſi per accidens impediatur, vt probat Tho. Et dicitur, niſi impediatur, nam ſuppoſito quod ab eiſdem idæis diuinis à quibus res producuntur in eſſe reali, influantur rerum productarum ſimilitudines in intellectu cujuſlibet animæ ſeparatæ, quibus ipſæ res ſint aptæ natæ cognoſci, tamen à debito vſu huiuſmodi ſpecierum ratione culpæ & pœnæ poteſt anima ſeparata quàm plurimum impediri. Latius ſcribit Thom. Poteſt (vt idem ſentit) de anima ſeparata probabiliter ſuſtineri quod immediatè intelligit rem particularem & indiuiduum: quia ſpecies deriuata ab idæis diuinis quibus intelligit anima ſeparata ducūt immediatè in notitiam rerum etiam particularium: dato etiam quod quandoque intelligat per ſpecies quas in mundo acquiſiuit, adhuc tamen immediatè intelligit particulare: quia non intelliget ea per conuerſionē ad phantaſmata, cùm pro tunc careat phantaſia & qualibet alia potentia ſenſitiua. Vide latiùs Tho. Argenti, etiam de anima coniuncta quomodo intelligit. Aſtipulatur prædictis Richar. diſt. vltima. lib. iiij. ar. j. q. iij. qui dicit quod anima ſeparata cognoſcit ſingularia: quia non tantum in intellectu eſt ſimilitudo vniuerſalis, ſed etiam rei ſingularis. Vide & alia ibi.

Cognitio damnatorum eſt qua ipſi damnati aliquid intelligunt vel cognoſcunt. Vtūtur autem damnati ſcientia acquiſita in hoc mūdo, vt ſcribit Richar. diſt. vltima. ar. iij. q. j. lib. iiij.) quantum ad aliqua. Conſiderant enim mala quæ fecerunt, & pœnas quas incurrunt: & bona opera quæ omiſerunt, & bona quæ perdiderunt, vt hic vſus ſcīetiæ ſit ad maiorem afflictionem. Sed damnatos cognoſcere ea quæ circa nos fiunt tripliciter intelligi poteſt, vt idē ſcribit Richar. q. ij. vbi ſupra, ſcilicet, per ſcientiam, aut coniecturam, aut per reuelationem. Primo modo non cognoſcunt ea quæ circa nos fiunt propter improportionatam diſtantiam, vt latiùs ſcribit ibi. Secundo damnati cognoſcunt multa quæ fiunt circa nos, ex ſtatu enim præterito in quo homines viderunt, poſtea coniecturant multa quæ accidunt circa eos. & ſic cognoſcebat ille diues damnatus ſuos fratres viuere adhuc: quia ſecum eos in tormentis non videbat, nec cum requieſcentibus in ſinu Abahæ, non tamen erat cognitio certa, quia mortui ex ſpeciali priuilegio pœnitentiam aliquando faciunt in locis in quibus peccauerunt. Tertio modo cognoſcunt

gnoſcunt aliqua quæ fiunt circa viuos, vel per reuelationem dæmonum, vel animarum ad eos deſcendentium. Sed nunquam fit eis aliqua reuelatio niſi talis vnde triſtentur. Vnde vt dicit Gregorius. Damnati vſque ad diem iudicij vident gloriam ſanctorum, de quo triſtantur propter inuidiam fœlicitatis alienæ, & carentiam beatitudinis. Propriè tamen vt dicit Rich. quæſt.iij. vbi ſupra. Damnati gloriam ſanctorum non vident, quia viſio eſt cognitio intuitiua & clara propriè loquendo de viſione. Sic enim non poſſet videri gloria beatorum quin viderentur beati, & ipſe Deus cum eorum gloria in perfecta eorum coniunctione cum Deo conſiſtat, tamen in generali & partim in ſpeciali cognoſcunt gloriam beatorum, quaſi arguendo, nullum enim vident damnatum, qui tenuerit fidem & bonos mores. Vnde cogitur intellectus eorum aſſentire quod vera eſt ſacra ſcriptura, & ex conſequenti quod beati habent bona, quæ eis in ſacra ſcriptura promittuntur, & quod beatitudo in ſacra ſcriptura promittitur, poſt iudicium tamen damnati eò quod ad proprias pœnas quaſi totaliter eorum conſideratio reflectetur, iſtam cognitionem non habebunt niſi forte in eſſe generaliſſimo, quia per complementũ doloris intellectus eorum prædictæ argumentationi non vacabit. Hæc Richar. Et vt idem ſcribit ar.iiij. q.j. vbi ſupra, quod cum ſecundum Aug.1. de ciuit. Dei.c.12. peccatum delere non poſsit extrema naturę veſtigia in damnatis, remanet aliqua naturalis cognitio & appetitus naturalis, ſequitur quod damnati naturaliter appetũt finem in generali, ſed vltimus finis eſt beatitudo, ergo ſequitur quod naturaliter appetunt beatitudinem in generali, quamuis appetitu debili & exili, ſed hic naturalis appetitus in his ex deliberatiua voluntate, quo ad hoc peruertitur: quia bonum quod naturaliter appetunt ſub circunſtantiis malis appetunt, nec eſt iſte appetitus ad eorum conſolationem, ſed magis ad afflictionem: naturaliter enim appetere quod appetens videt ſe non poſſe conſequi, magis eſt afflictio appetentis: damnati quoque omnes vellent eſſe damnatos, quia ſicut in patria eſt ſumma charitas: ſic in inferno eſt ſummum odium, niſi inquantum in aliquo naturale deſiderium tendit in bonum. Similiter tanta eſt in eis inuidia, quod fœlicitas bonorum eſt eis magnum ſupplicium, & quamuis ex multiplicatione damnatorum augeatur pœna eorum, tamen intãtum ſupetexcreſcit in eis inuidia & odium, quod magis eligerent plus torqueri cum multis, quàm minus cum paucis. Et ponitur exemplum de febricitante, qui licet ſciat aquam frigidam ſibi eſſe nociuam, tamẽ propter appetitum inordinatum, quem habet, vult eam bibere, ſic eſt in damnatis. Bruleſer diſt.xlix. quæſt.vlt. in fine libri iiij. Quia tamen animæ damnatæ ſciunt quod non omnes damnabuntur, plus vellent illos ad quos naturaliter afficiuntur damnationem euadere, quàm alios: quia minus illis inuident quã aliis, & ideo ille diues damnatus. Luc.16. fratres ſuos cupiebat euadere damnationem, quamuis plus voluiſſet fratres ſuos cũ omnibus aliis damnari. Hæc Richar.

Cognoſcibile vt ſcribit Bruleſer di.iij.q.j.lib.j. dicitur omne id quod poteſt terminare actum cognoſcendi vel actualem cognitionem, vel quod poteſt cognoſci à potentia ſenſitiua. Vnde ſicut viſibile dicitur illud quod poteſt terminare actualem viſionem, ſic cognoſcibile dicitur illud quod poteſt terminare actualem cognitionem. Et intelligibile dicitur illud quod poteſt terminare actualem intellectionem.

Cometa vt ſcribit Bruleſer.di.xiiij. q.xij.libr.ij. eſt exhalatio terreſtris, ſicca, calida, groſſa, pinguis & viſcoſa, habens partes multum compactas, eleuata vſque ad regionem ſupremam aëris, in qua propter vicinitatem ignis & viſcoſitatem eius inflammatur, & eſt inflammata. Et habet quatuor nomina. Primò dicitur cometa. Secũdò ſtella crinita. Tertiò ſtella barbata. Quartò ſtella caudata, & ſignat quinq; ſecundũ Philoſophum. Primum eſt ſignũ ſiccitatis, & ſterilitatis. Secundò eſt ſignũ multitudinis ventorum. Tertiò eſt ſignũ bellorũ. Quartò eſt ſignum ſeditionis. Quintò eſt ſignum mortis principis, de qua relatiùs videatur Philoſophi. Ariſto. in li. meteororũ, & Albertus magnus colligit, & multa de cometa frater Pelbar. lib.ij. roſarij theologiæ, &c.

Committere ſignificat credere vel fidem habere vel mandare. Committi autem aliquid poteſt duobus modis. Vno modo ſub ſigillo confeſsionis. Alio modo ſub ſecreto fidei vel ſigillo ſecreti. Non autem ſolum obligor celare (vt inquit Scotus) quando accipio ſub ſigillo ſecreti, ſed etiam quando ex modo loquendi poſſum aduertere quod non diceret niſi celaturum me crederet.

Compellere, id eſt cogere. Compulſio, id eſt, coactio. Luc.14. Exi in vias & ſępes: compelle intrare. Rich.di.vj.ar.iij.q.j.lib.iiij. dicit. non eſt intelligenda auctoritas de violenta compulſione, ſed de efficaci admonitione & rationabili inductione. Vel poteſt dici quod iſta compulſio accipitur pro illa compulſione, quæ Deus per aduerſitates aliquos peccatores conuertit. Vnde Gloſa: Qui mundi huius aduerſitatibus fracti ad Dei amores redeũt, & à pręſentis vitę deſideriis corriguntur, quid niſi compulſi intrant. Et quod Aug. dicit in Epiſtola ad Vincentium, ad fidẽ auctoritate legum compellẽdum eſſe: dicit Richar. vbi ſuprà, quod loquitur de Hæreticis qui fidem receperunt & apoſtatarunt. Et dicuntur canones quod Eccleſia nõ compellit infideles propter pacem Eccleſiæ ſeruandum, & cauendum eius turbationem, quæ ſequeretur ſi generaliter omnes infideles ad fidem compellerentur.

Complementum vltimum vt ſcribit. Gab.di.j.q.vj. li.ij.dub.j. Vno modo dicitur vel intelligitur aliquid intrinſecum & eſſentiale rei, ſic forma ſpecifica dicitur vltimum complementum compoſiti: aut per complementũ vltimum intelligitur aliquid extrinſecum ad quod res ordinatur, tãquam in finem. Primo modo dicitur quod beatitudo ſiue beatifica viſio ſit vltimum complementum animæ & angeli: quia viſio beatifica nihil eſt animæ, nec Angeli: ſed eſt forma quædam accidentalis accidentaliter perficiens ſubiectum beatum, animam, ſcilicet, vel Angelum. Secundo viſio beatifica nõ eſt vltimum complementum, quia ſic Deus qui eſt finis omniũ vnus eſt ſpecie & numero, in quem completiuè, id eſt, tanquam in finem omnia ordinantur.

Complacentia eſt quies voluntatis in re volita. Non autem

autem eſt volitió, ſed vel annectitur volitioni, vel conſequitur eam. Gabr.di.j. q.iij.li.j.ar.iij.in fine. Eſt & complacentia Dei reſpectu creaturæ. & eſt duplex(vt ſcribit idem Gabr.di.xvij.q.j.ar.j.li.j.) quædam generalis,quædam ſpecialis. Generalis eſt voluntas diuina,qua vult poſſe eſſe bona quęcunq; eſſe poſſunt. Et hæc complacentia eſt reſpectu omnium exiſtentium & poſſibilium, illo modo complacentia Dei ſupponit pro voluntate diuina, quæ eſt eſſentia diuina, connotando creaturam omnem quæ eſt vel poteſt eſſe bona & perfecta. Complacẽtia ſpecialis eſt triplex. Prima eſt reſpectu omnium exiſtentium & futurorum, quæ nihil aliud eſt niſi diuinum velle, quo vult aliqua poſſibilia eſſe vel futura eſſe bona, & ſic poſſet in nullo alio à ſe complacere: quia poſſet velle nihil à ſe eſſe vel futurum eſſe. Secunda complacentia eſt reſpectu nobilioris obiecti, & eſt velle aliquid eſſe perfectius alio,& ſic maior eſt complacentia reſpectu ſubſtantiæ quàm accidentis, & magis in materia rationali quàm irrationali. Tertia complacẽtia ſpecialiſſima eſt reſpectu alicuius perficiendi ſecundum maximum ſeu perfectiſſimum genus perfectionum accidentalium, & eſt diuinum velle, quo vult creaturæ rationali non ponenti obicem conferre maximam perfectionem accidentalem ſecundum genus quæ eſt beatitudo,ſiue vita æterna, & hoc idem intelligitur per eſſe charum acceptum,vel eſſe dilectũ Deo ſcilicet, vel diuinum, quo vult talem beatificare: ſi manſerit in ſtatu tali, non ponens obicem per peccatum. Et illo modo omnis paruulus poſt baptiſmũ priuſquam actualiter peccet eſt acceptus Deo: quia tali vult(ſi non impediet per ſequẽs peccatum mortale)date vitam æternam, non autẽ ſic eſt acceptus Deo ante baptiſmum, quia illum non vult beatificare ſi manſerit in ſtatu illo ſine baptiſmo,&c.

Compaſsio eſt quædam paſſio, accipitur & pro voluntate ſubueniendi. Richar. circa textum diſt. vltima libro iiij.

Complexio, Sunt autem quatuor complexiones: vt poſt Antoninum refert frater Pelbar. libr.ij. roſarij theologiæ. Prima dicitur complexio ſanguinea, hæc inclinationem habet ad beneuolẽtiam & benignitatem & affabilitatem, ac ad luxuriam: & talis eſt carnoſus, cantibus delectãs, ſatis audax, & facie pulcher & iocundus, vel hilaris, ſecundum Albertum Magnum inclinatur ad naturalem ſcientiam. Secunda complexio cholerica, & tales, ſcilicet, cholerici ſunt hirſuti, inclinati ad iram & fallacias, & ad virtutem magnanimitatis & fortitudinis, & ſecundum Albertum ad metaphyſicam ſcientiam inclinatur. Tertia phlegmatica dicitur: & tales ſunt inclinati ad ſomnolentiam, pigritiam, & incuriã, ad patientiam & manſuetudinem, ſecundum Albertum ad ſcientiam moralem, & ſunt timidi. Quarta melancholica, & tales, ſcilicet, melancholici inclinati ſunt ad deſperationem & ſuſpitionem, auaritiam, puſillanimitatem, & ad cõpunctionem & ad modeſtiam, ſecundum Albertum ad ſcientiam poëticam. Denique his etiam correſpondent quatuor paſſiones animi. Gaudium ſanguini, ſpes & audacia choleræ, timor phlegmati, triſtitia ſeu dolor melancholiæ, &c. Et nota quod ſcribit Gerſon parte.iij.tract.de remediis contra puſillanimitatem quod homines in capitibus ſuis debilitati aut aliàs in naturalibus ſuis læſi, ſeu indiſpoſiti, ſeu ex complexionis malitia ad aliqua vitia fortiter & ſpecialiter præ cæteris inclinati, qui communiter paſſionati dicuntur, poſſunt citius & multiplicius, quàm alij bene diſpoſiti & bene complexionati, ſeu bene educati, ab inimico illudi, vexari, decipi, & periclitari, propter organorum ſuorum indiſpoſitionem Deo permittente. Quibus conſulendum eſt (vt idem ait vt contra inuiſibilis hoſtis inſidias) Deum & ſanctos ſæpè inuocent, proprium ſenſum non ſequantur, alios conſulant & eorum conſiliis acquieſcant, nimietate exercitiorum tam corporalium quàm ſpiritualium ſeipſos non grauent, occaſiones peccatorum quãtum poterint, fugiant, contra paſſiones ſuas viriliter laborent, & nullo modo locum eis dent, neque eis cedant. Nam ſi ſemel iterum & iterum paſſionibus ſuis ceſſerint, deueniet paulatim ad hoc vt cũ eis reſiſtere volent, difficulter aut minimè id poterunt, ex quo vſus ſeu conſuetudo eſt quaſi altera natura. Hæc Gerſon. Et vt idem ſcribit de paſſionibus animę, dicens: Quod paſſiones ſpirituales iuuãtur plurimum vel impediuntur ab innata cõplexione corporali. Hinc Plato. animæ ſequuntur corpora, non quidem naturali neceſſitate, ſi ad ſpiritum liberum fiat aſpectus, ſed quadam inclinatione, prout corpus ipſum ſubminiſtrat animæ tanquam inſtrumentum. Vide latiùs eum de quatuor corporis complexionibus, ibi.

Comedere à quo comeſtio. Comeſtio autem Chriſti poſt reſurrectionem de qua vide Aug. Epiſtola xlix. ad Deo gratias, & Sco. qui dicit quod ad probandum reſurrectionem Chriſti veram, ſunt multa alia argumenta efficatiora in Euangelio cum quibus & comeſtio Chriſti ſatis probat veram reſurrectionem, & ſi non per ſe tantum. vel dicitur ſecundum eundẽ, quod comeſtio Chriſti fuit vera comeſtio ordinata ad veram nutritionem, quia Scotus non reputat inconueniens, quod corpus glorioſum poſſit conuertere corpus non glorioſum in ipſum: ſicut corpus non glorioſum eſſe ſimul poteſt cum corpore glorioſo, nec propter hoc eſt corruptibile quod poteſt aliquid conuertere in ſe, poſſet enim Deus corpus glorioſum facere in minima quantitate, & augere illud per comeſtionem: nec tamen aliquid corrumperetur de nutrimento & aucto. Hæc Scotus. Illa enim nutritio & augmẽtatiõ (vt ſcribit Gabr. di. viij. q.j.ar. iiij.dub.ij.li.ij.) non fieret per ſuſceptionem nutrimenti in poros, per reſolutionem partium corporis glorioſi cautatos, cùm corpora glorioſa ſint incorruptibilia, nec fieret ad reſtaurationem deperditi, ſed fieret per appoſitionẽm nutrimenti, & eius conuerſionem in corpus glorioſum.

Componere & conſtituere multum differunt:) vt ſcribit Gabr.di.xxvj.qu.j.lib.j. In compoſitione enim componibilia diſtinguũtur inter ſe, & negantur de ſe inuicem, & ſimiliter à compoſito. Anima enim hominis non eſt homo, ſed nec materia eſt homo; In conſtitutione verò de qua infrà latiùs videbis conſtituentia ſibi realiter & eſſentialiter identificãtur & perſonæ cõſtitutæ. Tollit ergo ſimplicitas cõpoſitionem,

poſitionem, ſed non pluralitatem eorum quæ ſunt perfectè idem inter ſe, vel cum conſtituto. Nec aliquid conſtituentiũ eſt ſimplicius cõſtituto propter perfectam identitatem realem & eſſentialem conſtituentium cum conſtituto & inter ſe. Cũ ergo in conſtitutione nulla ſit poſſibilis compoſitio nec intrinſeca nec extrinſeca (vt dicit Occã.q.vij.di.viij. & q.ij.di.ix.li.j.)nullatenus repugnat ſummæ ſimplicitati. Et vt eſt probabilior opinio,ſcilicet, Sco. S.Tho.parte j.q.xxxvj.ar.ij.Occam,Gabr.Perſonæ diuinæ per relationes reales conſtituuntur & diſtinguuntur. Poſſent ad hoc adduci auctoritates canonicæ ſcripturæ, ſanctorum patrum dicta & rationes.Et hæc opinio magis eſt conſona auctoritati ſanctorum quàm aliæ , & apud docto.modernos communiter vſitata , ideo tanquam verior & cautior videtur eſſe tenẽda.De quo latiùs videto Gab. diſ.xxvj.q.j.lib.j.

Compoſitum capitur largè & propriè:vt notat Gab. di.vj.qu.j.libr. iij. Largè pro quolibet ſubſiſtente in pluribus, ſiue ex pluribus: vt dicatur compoſitio quaſi ſimul cum alio poſitio. Propriè autem quod conſtat ex partibus , quarum vna perficit aliam, aut ex eis conſtat tertium , & illo modo propriè capiendo compoſitum, perſona verbi non eſt compoſita. Vnde Bruleſer di.vj.q.ij. libr. iij.dicit quod vocabulum compoſitionis eſt calumniabile in materia incarnationis,ideo doctores præſentis temporis declinant compoſitionis vocabulum, & pro eo nomine vnionis vtuntur. Vnde ſi dicitur Chriſtum eſſe compoſitũ:nõ intelligitur quod perſona Chriſti ſit ex pluribus naturis conſtituta , ſed quod vna natura eſt alteri vnita, & hoc conceditur largè capiẽdo cõpoſitionem. Et ita illud eſt intelligendũ quod Damaſce.ait:In Domino Ieſu Chriſto duas quidẽ naturas cognoſcimus. Vnã autẽ hypoſtaſim ex vtriſq; compoſitam , exponi debet:quod ita verè in Chriſto ſunt illæ duæ naturæ humana & diuina ac ſi componerent perſonam , ſed ita inconfuſe vt nihil tertium fiat ex eis. Et idẽ dicit Damaſce. Si ſecundum hęreticos vnius naturæ cõpoſitæ Chriſtus exiſtit,ex ſimplici natura verſus eſt in compoſitam,& neque Deus vocatur neque homo, quemadmodum ex anima & corpore hominem eſſe aimus, vel ex quatuor elementis corpus. Occam in concluſione.xxxvj. Centilogij : admittit illam ſaltem in aliquo caſu,ſcilicet,filius Dei eſt compoſitus ex anima & corpore, ad hunc ſenſum:quia aſſumptum ab eo in vnitatem ſuppoſiti eſt compoſitum, ſcilicet,natura humana, tametſi filius Dei ſit ſecundum ſe ſimpliciſſimus . Ita fortè poſſet concedi ſecundum eundem,ſi vſus loquẽdi haberet filius Dei, habet partes:quia natura aſſumpta habet partes,ponit enim duplicẽ compoſitionem rei,ſcilicet, ſecundum ſe,& ſecundum aliquid à ſe aſſumptum, &c.

Compoſitio corporis ad eam (vt dicunt phyſici , & concorditer etiã theologi, vt notat Anto. prima parte ſummę titu.j.c.vj.§.j.in fine.ac Innocẽtius extra de celebra.miſſ.c.In quadã,)quatuor elemẽta cõcurrunt, & ad vegetationẽ eiuſdẽ corporis quatuor humores cõſimiles illis cõueniunt, videlicet ſanguis, cholera, flegma & melancholia. Nã quia ſanguis eſt calidus & humidus,cõuenit aëri. Cholera autẽ ſicca & calida,congruit igni. Phlegma humidũ & frigidum,aquę. Melancholia frigida & ſicca, terrę. Vnde ex his variatur cõplexio corporis humani,& variã habet inclinationem naturalem vel ad aliqua vitia, aut paſſiones,vel ad virtutes vel ad aliquas ſciẽtias: prout dicit Magnus Albertus. Et ſecundũ hæc aſſignantur quatuor principales complexiones , de quibus ſuprà dictum eſt,&c.

Comprehendere accipitur quintupliciter, vt dicit Occam q.xij.quarti. Primo modo eſt videre aliquid viſibile ita vt nihil eius lateat:& ſic comprehẽdere eſt diſtinctè videre, ſecundo modo eſt videre aliquid totum,& diſcernere inter partes eius. Tertio modo eſt videre aliquid viſibile perfectiſſima viſione, quę videri poteſt. Quarto modo cõprehendere eſt cognoſcere aliquid ſub omnibus prædicatis ſibi cõuenientibus. Quinto modo eſt cognoſcere intellectione habente talem proportionẽ ad alias intellectiones, qualem habet obiectum ad alia obiecta, vel vt dicit Scotus. Cõprehendere eſt ſic intelligere, vt ſit tanta perfectio in intellectiuitate intelligẽtis,quanta eſt intelligibilitas intelligibile , ita quod ſit ſibi quædã cõmenſuratio,& neutrum aliud excedit. Et ſic dicit Aug.lib.xij. de ciui.Dei.ca.xviij. quicquid ſcientia comprehenditur, ſciẽtis cognitione finitur, quod nõ eſt intelligendũ quod abſolutè finiatur:ſed finitur cognoſcẽti, vt ibi manifeſtè declarat,quia cognoſcitur ſecundũ totã ſui cognoſcibilitatem,& ita reſpectu eius ſe habet ac ſi eſſet finitũ, eo quod non excedit cognitiuitatẽ intelligẽtis, ſed eſt ibi cognoſcentis,& cogniti adęquatio. Gabr.di.xiiij.q.vnica. ar.iij.dub.ij.lib.iij. Et primo modo quicquid videt eſſentiã cõprehendit eã:quia videt eã diſtinctè,quia nõ habet partes quarum aliqua poteſt latere,aliqua apparere. Secundo modo eſſentia ſeu verbũ à nullo comprehenditur:quia non habet partes inter quas diſcerni poteſt. Tertio modo non poteſt cõprehendi,niſi ab intellectu ſuo, quia omni cognitione creata perfectior eſt viſio increata,neque aliqua creatura iſtò modò comprehendi poteſt niſi à ſolo Deo. Quarto modo ſimiliter nõ poteſt cõprehendi niſi à ſeipſo,quia ipſe ſolus nouit omnia prædicata ſibi cõuenientia. Sic & quinto modo ſolus comprehendit ſeipſum:quia ſicut cognitio increata infinitè excedit omnẽ cognitionẽ creatã:ita obiectũ increatũ infinitè excedit omne obiectũ creatũ:& tãta eſt intellectiuitas in intellectu diuino, quãta intelligibilitas in eſſentia diuina:quia vtrobiq; eſt infinita. His tribus modis vltimis cõmunius accipitur cõprehendere,qui ſoli Deo cõueniunt reſpectu obiecti increati. Hæc Gab. Cõprehendere ſecundũ S.Bona.di.xiiij. q.ij.l.iij.dicitur tripliciter. Vno modo idẽ quod charitate adhærere, & ſic accipit Ber. & Eugeni.ſi ſanctus es,cõprehendiſti. Alio modo eſt idẽ quod clarè videre & perfectè amare, ſicut ad Phil.3. Si quo modo cõprehendã in quo cõprehenſus ſum. Tertio modo cõprehendere eſt idẽ quod terminos rei claudere, ſic Deus eſt incõprehenſibilis,&c. Vide Ger.parte.iij.de verbo & hymno gloriæ. Cũ autem dicitur quod ſancti ſinc cõprehenſores in patria, & quod Chriſtus fuit cõprehenſor, dicendũ quod medio modo accipitur,& ſic habet veritatẽ. Nã Chriſtus videt Dei immẽſitatẽ, nec tenet hoc fide, ſed certiſſima cognitione hoc eſt, nouit Deũ immẽſum. Latius Bon.

Comprehenſor

Comprehenſor dicitur ille, qui eſt in termino, & opponitur viatori: & Chriſtus fuit comprehenſor & viator. Anima enim eius in inſtanti creationis fuit beata, & ſemper habuit notitiam intuitiuam deitatis ſecundum humanitatem, quamuis ſecundum Petrum Aliacenſem Chriſtus nunquã fuit viator, quia ipſe ab inſtanti conceptionis ſecundum naturã humanam fuit beatus. Bonauẽ. tamẽ dicit quod Chriſtus Dei & hominum mediator, ſimiliter debet eſſe comprehenſor & viator di. xviij. li. iij. Comprehẽſor (vt inquit ipſe) propter ſuam dignitatem, viator propter noſtram neceſſitatem, & ideo vt ipſe ait parte ij. q. ij. Partim debuit eſſe in ſtatu gloriæ, partim in ſtatu miſerię. In ſtatu autẽ miſeriæ nõ debuit eſſe ſecundum ſuperiorem partem, ſed ſecundũ inferiorem, id eſt, ſecundum carnẽ, & ideo ſecundum diuinam diſpoſitionẽ neceſſarium fuit differri corporis Chriſti glorificationem, vt Chriſtus eſſet in ſtatu in quo pro nobis poſſet mereri, & ſatisfacere. Dum autem Chriſtus nobis merebatur, & pro nobis ſatisfaciebat, faciebat opus Deo placẽtiſſimum, & ita remunerabile ſecundum aliquam partem gloriæ. Cùm ergo remunerari non poſſet, quantum ad ſtolam primam, ſed quantum ad ſtolam ſecundam: merebatur vtiq; tunc Chriſtus proprij corporis gloriam, & ita abſque dubio Chriſtus ſibi meruit glorificationem corporis non ſolum in agendo, verùm etiam in patiendo, vt dicit ſanctus Bonauen. & Magiſter expreſſe in litera. Vide & ſecundum Gabr. di. xviij. q. vnica. nota. iiij. li. iij. Chriſtus fuit verus comprehenſor, & verus viator. Verus comprehenſor, quia verè beatus. Nam intuitiuè, & clarè facie ad faciem anima eius vidit diuinam eſſentiam, perfectiſſimè etiam fruebatur ea non in ſpe ſed in re. In his autem duobus actibus cõſiſtit eſſentialis beatitudo. Fuit vtique beatus ſecundum portionem ſuperiorem, de quo latius videto Gabr. Fuit & viator quantum ad virtutes; & potentias inferiores & quantum ad corpus, quia quantum ad illa non fuit in termino perfectionis, expectabat enim quantum ad illa perfici dotibus gloriæ. Erat enim mortalis quo ad corpus, & paſſibilis quo ad animam: à quibus tranſiturus erat ad perfectam eorum gloriam. ergo quantum ad illa fuit verus viator. Gabr. vbi ſuprà, vide & eundem. q. j. prologi.

Commune. Vnde terminus dicitur communis aliquibus duplici communitate reali, ſcilicet, & ſigni ſiue vocis (vt ſcribit Gabr. di. xxv. q. vnica ar. j. li. j.) Commune communitate reali: eſt terminus ſignificans aliquam rem vnam, quæ eſt communis ſiue communicata pluribus, quorum plurium cuilibet eſt idem. Sicut eſſentia diuina, ſignificat enim diuinitatem quę eſt res vna ſimpliciſſima, & eadem patri & filio & ſpirituiſancto. Et ſicut ſola eſſentia diuina eſt res: ſic realiter communis tribus: ita ſolus ille terminus diuina eſſentia eſt terminus communis communitati reali. Commune verò communitate ſigni conceptus vel vocis, eſt ſignum ſignificans nõ aliquam rem communem in multis, ſed multa ſingularia æquè primo: ſicut homo non ſignificat aliquem hominem communem, ſed Ioãnem, Petrum & Paulum, & nullum prius alio. Gabr. Et ſecũdum modum loquendi ſanctorũ differentia eſt inter vniuerſale, & commune. Nam vniuerſale eſt quod ſignificat plura eſſentialiter diſtincta, æquè primo vt homo animal. Sed commune eſt quod ſignificat plura realiter diſtincta æquè primo, ſiue diſtinguatur eſſentialiter ſiue non. Ex quo patet quod perſona diuina eſt commune; ſed non vniuerſale. Gabr. vbi ſupra. Commune ſecundum Bonauen. di. v. libr. j. in dubiis literalibus dicitur quod eſt in multis. Sed hoc poteſt eſſe tripliciter, aut quia plurificatur in multis: & quantum ad formam, & quantum ad ſuppoſitum: vt hoc nomen homo, & tale habet vnitatem rationis, quę admittit diſtinctionem, & quantum ad rem, & quantum ad modum. Vnde bene dicitur: homo eſt ab homine & duos eſſe homines. Alio modo eſt commune quod plurificatur, quantum ad ſuppoſita, non quantum ad formam: vt hoc nomen Deus, & tale habet vnitatem rei ſecundum quod res nominat naturam, cum multiplicatione ſuppoſitorum, & ideo recipit diſtinctionem, quod importat diſtinctionem vt modum non vt rem. Vnde conceditur Deus de Deo, ſed non Deus eſt alius à Deo. Tertio modo eſt commune ſecundum nomen quod eſt in multis: nec tamẽ plurificatur quantum ad formam, quia eſt vnum in multis: nec quantum ad ſuppoſita, quia pro illis nõ ſupponit, vt hoc nomen eſſenti. De tali communi verum eſt dicere quod non recipit diſtinctionem, nec quantũ ad modum nec quantum ad rem: tunc enim notaretur idẽ diſtingui à ſe: & ita argumentum Magiſtri eſt bonum. Si pater genuit eſſentiã, pater genuit ſe: quia loquitur de communi à parte vocis ſignificantis nõ à parte rei: quia à parte rei eadem communitas eſt in hoc quod eſt Deus, & in hoc quod eſt eſſentia, &c.

Communicari per productionẽ accipitur tripliciter. Primo modo largiſſimè & impropriè, pro omni illo quod habet aliquo modo eſſe, quo modo non haberet eſſe ſine certa productione. Et illo modo tã productum quàm productio quàm quodlibet quod eſt in producto communicatur, & ille eſt impropriiſſimus modus. Secundo modo capitur largè pro quolibet quod habet eſſe in producto per ipſam productionem, & non eſt idem omnibus modis cum productione, & producto, illo modo tam materia quàm forma communicatur producto. Tertio modo & ſtrictè accipitur pro eo quod habens eſſe in generante capit eſſe in genito per productionẽ: & illo modo eſſentia etiam ſpiratio actiua communicatur filio per generationem, vt ſcribit Gabr. di. v. q. iij. lib. j. Aliud verò eſt communicari per productionem aliquam, & aliud eſt eſſe terminum formalem illius productionis: vt idem ſcribit vbi ſupra. Spiratio enim actiua communicatur filio per generationem, & tamen non eſt formalis terminus generationis, quicquid enim habet filius naſcendo accipit à patre, ergo ſpirationem actiuam accepit à patre, & communicatur ſibi per generationem.

Communicari aliquid alicui, eſt dupliciter. Vt quod, & vt quo, ſecundum Gabr. di. j. q. j. ar. j. li. iij. Communicari aliquid alicui vt quod, dicitur quod conſtituit aliquid cum alio cum quo eſt idem realiter, non formaliter. Vt quo, quod non eſt idem realiter alicui, ſed eo denominatur aliud, ſic à parte totum,

vel à

vel à forma inhærente ſubiectum ſortitur aliquam denominationẽ, vt ab anima denominatur totum compoſitum homo, ab albedine dicitur ſubiectum album, vel aliquod ab aliquo alio modo adhærẽte. Sic Boëtius in diffinitione perſonæ, cùm ait: Perſona eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia. Per rationalem naturam intelligit naturam intellectualem, per indiuiduam ſubſtãtiam intelligit naturam incommunicabilem, ſiue vt quod, ſiue vt quo, vt quod, quo modo eſſentia diuina cõmunicatur perſonis diuinis. Sic enim ſecundum Scot. di. j. lib. iij. natura creata non eſt communicabilis. Singulare enim nõ eſt communicabile vt quod, niſi ſit illimitatum vt eſſentia diuina.

Communicare ſignificat etiam participare, ſumere etiam vel manducare ſacramentum corporis Chriſti. Sic communicare contingit tripliciter, vt ſcribit Gerſon tractatu de ſeptem petitionibus contentis in oratione Dominica & effectu quartæ petitionis, ſcilicet, corporaliter ſeu ſacramentaliter tantum, & iſto modo communicãt mali quãdo in peccato mortali ſumunt corpus Chriſti. Item ſpiritualiter tantum, ſcilicet, credendo ſacramentum. Credere enim eſt ſpiritualiter manducare, ſecundum illud Augu. Crede & manducaſti. Et iſto modo communicant quotidie omnes boni. Item corporaliter ſeu ſacramentaliter & ſpiritualiter, & iſto modo communicant quotidie boni ſacerdotes qui celebrant, & alij boni de Eccleſia dum communicant, quod quilibet Chriſtianus debitæ ætatis tenetur facere ad minus ſemel in anno, ſcilicet in Paſcha. Ioannis Gerſon.

Communio eſt triplex ſecundum S. Bonauẽ. di. xviij. parte ij. q. j. li. iiij. Quædam ſpiritualis oratio, & hæc eſt quantum ad dilectionem interiorem. Quædam corporalis, & hæc eſt quantum ad exteriorem conuerſationem. Quædã medio modo: & hæc eſt quantum ad ſacramentorum ſuſceptionem, & præcipuè quantum ad ſacramentum altaris. Et à prima nullus poteſt nec debet excludi (vt inquit Bonauẽ.) quãdiu eſt viator: nec excõmunicatio debet priuationẽ illius communionis. Quantum ad ſacramentalem excluditur quilibet qui dicitur excõmunicatus maiore vel minore excommunicatione. Quantum ad conuerſationem exteriorem attenditur excommunicatio maior, in qua communicatio negatur ſẽcundum actus legitimos, qui attenduntur in quinque, ſcilicet, in oſculo, in colloquio, in conuiuio, in oratorio, in valefaciendo. Hæc Bona. videatur Alexan. de Ales doctor irrefragabilis parte ij. q. clxxxj. memb. x. Dicitur præterea communio Euchariſtia eò quòd nos Chriſto vnit, de quo ſuo loco dicitur. Eſt inſuper hominum communio ſub multiplici differẽtia, vt ſcribit Gerſon tracta. ix. ſuper Magnificat. Eſt communio naturæ, à qua nullus excipitur: Eſt communio ſecundum aptitudinem ad gloriam, & ab iſta nullus viator excipitur, quia Deus vult omnes homines ſaluos fieri. Eſt communio prædeſtinationis & gratiæ finalis, & ab illa omnes reprobi viui & mortui excommunicati vel excipiuntur. Eſt & communio aliqua in gratia in meritis ſecundum præſentem iuſtitiam tantummodo, &c. ſic erat aliqua excommunicatio ſecundum præſentem iniuſtitiam & demeritum. Rurſus aliqua erat ſecundum præſentis Eccleſiæ intrinſecum iudicium per ſentẽtias irregularitatum & excommunicationum initiata. Hęc Gerſon. Et communio ſanctorum dicitur ſocietas quæ eſt in cœlo, vel ſanctorum communio, hoc eſt ſuffragia, quæ communicamus, vel communio, id eſt, Euchariſtia (vt idem Gerſon habet parte. ij. de articulis fidei, expoſitione. ix. artic.) Vel adhuc clarius poteſt dici vt doctor Ioannes Eckius vir noſtra tempeſtate theologus clariſsimus: ſcribens ad Dominum noſtrum communem Leonardum Abbatem Ottenburenſem de communione ſanctorum, ponit hanc diuiſionem. Communio fidei & reſpicit ſacramenta, ſic dicitur vnus Dominus, vna fides, & hæc eſt communis omnibus fidelibus vnum baptiſma participantibus, vno charactere inſignitis, eodem ſanguine Chriſti redemptis, & hæc communio magna eſt. Alia eſt communio gratiæ, quod fideles communicãt gratia ab vno capite Ieſu Chriſto, & illa eſt communis omnibus in ſtis in gratia Dei exiſtentibus, influens ab vno capite qui eſt Chriſtus. Tertia eſt communio meriti: ita vt dum quiſq; ſibi mereretur ſingulariter ex Dei miſericordiſsima liberalitate: meretur alteri vniuerſaliter. Hanc communionem intelligit tantum eſſe charitatis nexum, tanquam benignam eſſe Dei miſericordiam. vt cùm vnus iuſtus viator aliquod bonum opus meritorium facit, Deus illud acceptat pro eo qui facit ad præmium eſſentiale, & pro omnibus in gratia exiſtentibus vniuerſaliter. Quarta cõmunio eſt gloriæ, quæ eſt præcedentibus longè perfectior. Hæc communio habetur duntaxat in æterna beatitudine in Eccleſia triumphante, & poteſt dupliciter intelligi. Aut enim ea accipi poteſt quam habẽt nobiſcum, cùm pro nobis orant, aut intercedũt apud Deũ. De quo Doctores in. iiij. di. xlv. Poteſt & accipi illa communio ſanctorũ inter ſe, quod quiſq; beatus gaudet de quolibet. De hoc quidem permulta Eckius noſter in expoſitione articuli. Communio ſanctorum.

Communicatio idiomatum in Chriſto, eſt mutua prædicatio concretorum vel prædicatorum vtriuſque naturæ de ſe inuicẽ, & de ſuppoſito in his ſubſiſtente, vt ſcribit Gabr. di. vij. q. vnica. li. iij. Et ſecundum ſanctum Bonauen. di. xxxiij. q. iij. in fine lib. j. Communicatio idiomatum non eſt in abſtractione, ſed in concretione, quia deitas non eſt humanitas, ſed Deus eſt homo, homo eſt æternus, infinitus creator Deus eſt tẽporalis: corruptibilis, paſſibilis, mortalis, &c. Chriſtus eſt Deus, Chriſtus eſt homo. Et (vt idem dicit di. xj. q. vlt. li. iij.) Communicatio idiomatum fundatur ſuper ipſam vnionem: & ordinatur ad fidei catholicæ expreſsionem, & ideo non communicatur quæ importat vnionem. Vnde quamuis hæc ſit vera. Filius Dei eſt incarnatus: hæc tamen eſt falſa, homo eſt incarnatus, &c. Hæc itaque regula ſecundum eundem eſt attendenda in idiomatum communicatione, quia omnia cõmunicantur, his duntaxat exceptis, qui exprimunt ipſam vnionem, vel quæ claudunt intellectuum repugnantiam, ratione cuius errori appropinquant, ſicut ſunt eſſe creaturam, & eſſe prædeſtinatum, & ſimilia. Et quoniam cùm dicitur: homo incipit eſſe Deus, importatur vnio, ideo talis idiomatis non eſt communicatio. Hæc Bonauẽ. De communicatione

idiomatum

idiomatum vide latiùs infra in dictione Idioma.

Conceptio hominis poteſt intelligi duplex, vt ſcribit Gab.d.iij.q.j.li.iij. Vna carnis, quæ fit in ſeminum cõmixtione, quæ poteſt dici cõceptio ſeminis, quæ tempore præcedit animationem. Alia eſt cõceptio in fœtus animatione, quæ dici poſſet propriè cõceptio hominis: tũc enim primũ cõſtituitur homo in vtero matris. Prima fit cũ ſemẽ in matrice loco generationi aptũ accipitur, & ſucceptioni animæ per alterationes multas diſponi inchoatur. Secũda cùm in materia iam aliquantulũ diſpoſita anima intellectiua infunditur: & hæc etiam vocatur natiuitas in vtero, ſecundũ illud Matth.1. Quod natũ eſt in ea, de ſpiritu ſancto eſt. Diſtinguitur enim illa natiuitas à natiuitate ex vtero, quæ eſt fuſio infantis in lucẽ huius mundi. Hęc Gab. qui & recitat duas opiniones cõtrarias de cõceptione beatiſsimæ virginis Mariæ, & quãuis vtraq; habeat auctoritates & rationes, quas ibi diffuſe refert, tamẽ vna illarũ ſententiarũ & opinionũ illa videtur & eſt verior, cõmunior & ꝓbabilior, q; ſanctiſsima Dei mater ab omni originalis peccati cõtagione fuit penitus præſeruata. Quã & opinionẽ ipſe imitatur & ꝓbat & auctoritate & ratione, & ſufficiẽter ad auctoritates & rationes aduerſę opinionis reſpõdet: vt apud eũ videre licet. Potes & de hoc videre Gerſ.part.ij.Ser. de cõceptione Mariæ virginis. Vnde Augu. Cùm fit mẽtio de peccatis, ipſam immaculatiſsimã, & caſtiſſimã virginẽ volo habere exceptã & excluſam, &c. Fuit enim immunis ab omni peccato, nec obnoxia alicui peccato, tã mortali q̃ veniali quàm originali. Hinc de ea dicit Can.5. Tota pulchra es amica mea, & macula nõ eſt in te. Nõ autẽ fuiſſet tota pulchra ſi quæcunq; peccati macula fuiſſet in ea. Copioſius & multa videto apud Gab. vbi ſupr. Opiniones de cõceptione breuiſsimè narrat Paulus Corteſ.li.iij. Sent.d.iiij. & nõ parũ multa ſcribit frater Pelbart. lib.iij. Roſarij Theol. Et Brulef. qui & ſaniorẽ opinionẽ ſequitur. Opinionem contrariã tenent S.Bonauent. Thom. Bernhar. Alexan. Greg. Ari. &c. qui ſi modò ſupereſſent, aliam fortaſsis & veriorẽ opinionem amplecterentur.

Conceptio glorioſæ virginis Mariæ eſt duplex, paſsiua & actiua. Paſsiua fuit à ſanctis parentibus ſuis Ioachim & Anna, de qua paulò antè dictũ eſt. Conceptio verò eius actiua fuit, quando Dei filium in ſuo ſacro concepit vtero, quæ quidẽ conceptio fuit mirabilis ſupra curſum naturæ, dum Virgo Deum & hominem concepit in ſuo vtero virgineo.

Conceptio dupliciter accipitur, vt ſcribit S.Bonauen. diſt.viij.li.iij. circa tex. Vno modo dicitur cõceptio ipſa operatio naturæ in formatione corporis vſq; ad ſuſceptionẽ animæ. Alio modo dicitur cõceptio largè in nutritione & perfectione corporis vſq; ad partũ & egreſſum ipſius de ventre. Si primo modo dicitur cõceptio, ſic Chriſti cõceptio nõ fuit ſecundum nos, ſed ſupra nos: nec fuit in tempore, ſed in inſtanti. Si autẽ ſecundo modo dicatur cõceptio largè, ſic fuit ſecundũ nos, quia nouem mẽſibus nutritus fuit & creuit in vtero matris vt alij homines antequam naſceretur. Et vt idem ſcribit Bonauen. diſtin.iiij. quæſt.j. libr.iij. Conceptio cùm ſit opus trium perſonarũ, poteſt appropriari tribus perſonis ſecundũ diuerſas conſiderationes. Scriptura tamen magis appropriat ſpiritui ſancto quàm alicui triũ perſonarũ, & propter erroris excluſionẽ, & propter veritatis manifeſtationẽ. Propter erroris excluſionem, quia in cõceptione humana cõſueuit ſe immiſcere fœditatis cõcupiſcentia, ac per hoc originalis. Ne ergo illud dicatur fuiſſe in cõceptione Chriſti, dicitur conceptionẽ fuiſſe de ſpiritu ſancto, ad excludendũ carnalẽ commixtionẽ, & etiã ad excludendũ cõcupiſcentiæ fœditatẽ. Alia eſt ratio, propter veritatis manifeſtationẽ. Illud enim quod maximè præparauit Virginẽ ad filij Dei conceptionẽ fuit amor diuinus. Vnde quemadmodum mulier cõcipit per viri delectationem & ipſius adhæſionem, quæ eſt cum deſiderio & amore virtutis generatiuæ, ſic beata Virgo propter amoris ſingularitatem, ſingulariter concepit Deum ex Deo, & ideo concepiſſe dicitur de ſpiritu ſancto. Et hanc rationem aſsignat Hugo de ſancto Victore, quem refert ibi Bonauentura. Vnde & in Symbolo dicitur: Conceptus de ſpiritu ſancto: vbi hæc præpoſitio de (vt Bonauentura ait in dubiis literalibus) tenetur ibi non materialiter nec ſubſtantialiter, ſed poteſtatiuè, & ipſa conceptio potiſsimè ſpiritui ſancto habet attribui. Vnde Chriſtus conceptus eſt de ſpiritu ſancto, id eſt, operatione ſpiritus ſancti: vno etenim eodemque momento (vt ſcribit Gerſon parte ij. in expoſitione iij. artic. fidei) ſegregata fuit illa caro aſſumpta à reliqua carne Virginis operatione ſpiritus ſancti & animata anima rationali, & Deitas eis vnita. Vnde non eſt putandum quod ſit conceptus de ſpiritu ſancto, ſicut proles de ſemine paterno cõcipitur, quia ſic tranſiſſet ſpiritus ſanctus omninò mutatusq; fuiſſet in carnẽ ſicut paternũ ſemẽ trãſit in carnẽ prolis, amittẽs propriã ſpeciẽ, quod eſt etiã ſolo cogitatu abhorrendiſsimũ, vt ait Gerſ. Vnde prępoſitio de, nõ denotat circunſtantiã cauſę materialis, ſed potius cauſę efficiẽtis, quãuis enim incarnatio filij Dei ſit opus totius Trinitatis, quia quod operatur vna perſona, operatur omnes (eò q; indiuiſa ſunt opera Trinitatis) ipſa tamẽ gratia mediãte qua natura humana vnitur diuinæ, eſt donũ appropriatũ ſpiritui ſancto, quia hæc gratia appropriatè procedit à charitate ſeu à benignitate Dei, quæ ſpiritui ſancto appropriatur. Nõ enim Deus inquantũ potẽs vel inquantũ ſapiens, ſed inquantũ bonus & benignus noſtrã redemptionẽ operatus eſt per incarnationem filij Dei. Hæc Gerſon.

Conceptus in ſua generalitate (vt ſcribit Gerſon Centilogio de conceptibus) dicitur actus concipientis in vtero proprio vel alieno ad diffuſionem ſeu cõmunicationem bonitatis per amorem. Sic conceptus vt eſt generatio, reparatur in omni re ſicut & amor, ſecundum Dionyſiũ. Hinc oritur illa naturæ deſcriptio quod eſt vis inſita rebus ex ſimilibus ſimilia procreans vel concipiens.

Conceptus entis ſecundum eundem eſt primus omnium conceptuum quos concipit primus: Deus ſit ad intra, ſit ad extra, ad intra quidem de filio. Ex vtero ante Luciferum genui te. Hic ens principium de principio. De creaturis verò loquitur per Prophetam: Portaui in vtero meo, & geſtaui à vulua ſeu matrice mea. Eſaiæ 40. Et in Geneſi

Hæ ſunt generationes cœli & terræ. Conceptio entis primi actiua nõ eſt niſi Deus ipſe concipiens, ſit ad intra, ſit ad extra. Sed conceptio paſsiua dicitur ipſa res concepta, ſit ad intra, ſit ad extra.

Conceptus entis in vniuerſali rerum vtero, ſicut & amor incitans ad concipiendum multiplex inuenitur (vt idem Gerſon ſcribit in Centilogio de conceptibus.) ſcilicet, diuinus, angelicus, rationalis, animalis, vitalis, & purè naturalis. Conceptus entis relatus ad primũ concipientem Deũ ſemper eſt bonus, pulcher, nobilis & generoſus, nec aliter eſſe poteſt. Secus ſi fiat relatio ad creaturas, quæ conciprũt & cõcipiuntur, pręſertim ſi rationales ſint & liberę. Cõceptus enim peccatorũ ignobiles ſunt, degeneres & ſpurij ſeu baſtardi. Conceptus diuinus interior primus eſt, & ſolus & neceſſarius: cæteri ſunt temporales, quia nihil in æternũ, niſi ſolus Deus. Conceptus creaturarũ tot modis varia nobilitate, quot modis in ſua perfectione & bonitate concipiẽdi materie diſtinguitur, ita quod nomẽ Ieſu ſecundũ humanitatẽ primũ eſt & ſuperexaltatũ, deinde nomẽ Mariæ matris ſuę, deinde ſunt Angelorũ nomina, ſecundũ Hierarchias ordinata. Et cõceptus tantò ſunt perfectiores, quantò intimiores & intra manẽtes, & ecõtra, cæteris paribus quàm conceptus extra prodeũtes: quemadmodũ diuinus cõceptus eſt prorſus immanẽs & conſubſtãtialis. Cæteri ſunt in creaturis per reſpectũ ad Deũ, velut extra prodeũtes, tanq̃ nomina ſeu voces & verba Dei.

Conceptiones in omni creatura reperibiles repetiũtur in homine, qui propterea dicitur omnis creatura, vel minor mundus: hæ ſunt conceptiones intellectuales, ſcilicet rationis, animalis, vitalis, & purè naturalis. Conceptus cognitiui formaliter cũ affectiuis, ſunt in triplici genere, ſecundũ tres animę rationalis vires ſeu potẽtias principales in vtero ſuo quę ſunt, Mens ſuperior prima, Ratio vel ſenſus interior ſecunda, & Senſus exterior tertia. Conceptiones in ventriculis animæ rationalis ſolent geminos fructus ſeu cõceptus afferre: quoniã aliqui ſunt cognitiui vel apprehenſiui, alij verò affectiui. Concipęre autem dicitur quaſi ſimul capere: & intelligere quaſi intus legere, & reperire in memoria quaſi iterum parare. Sunt itẽ conceptus ſenſuũ exteriorum conceptus ſenſuum interiorum. De quibus latiùs videre potes Gerſonem, vbi ſuprà.

Conceptus ſimplex primus eſt inter omnes cõceptus tam in Deo quàm in creaturis. In Deo quidẽ dum pater cõmunicat eſſe ſuũ & eſſentiã, quę idem eſt in filio, & ipſe cum filio cõmunicat ſpiritui ſancto. In creaturis autẽ cõmunicat prius eſſe, quę communicatio eſt quoddã cũcipere: his quidẽ clarius, his autem obſcurius. Et conceptus ſimplex entis eſt primũ principiũ incomplexũ apud vtentes ratione, vel intellectu: nec aliquid verè & ſyncerè cõcipitur, niſi reſolutio fiat ad hoc eſſe. Et cõceptus ſimplex, ſyncerus & illicitus, non habet in via naturaliter & de communi lege, niſi per multas abnegationes & reſolutiones factas ab intellectu, qui fundat ſe in hoc lumine diuino ſignato ſuper eũ, quo omne imperfectũ neceſſariò reducitur ad perfectũ, ſicut potentia ad actum, & priuatio ad habitũ. De quo conceptu fuſius ſcribit Ioannes Gerſon de conceptibus in Centilogio.

Conceptus complexi quos orationes dicimus capiũt euidentiã, & quaſi vitã immortalẽ & æternã per viuificationẽ entis primi ſimplicis, ſecundũ triplex genus cauſę efficiẽtis, formalis, vel exemplãtis & finalis. Recipieñ. ab efficiẽte vnitatẽ, modũ & menſurã. Recipieñ. ab exemplãte ſeu formante ſpeciẽ, numerũ & veritatẽ. Recipieñ. vt à finiẽte ordinẽ, pondus & bonitatẽ. Ex quibus omnibus neceſſariò cõſurgit pulchritudo, de qua laudatur pulcherrima mulierũ in Can. Canticorũ. De his multa Cancellarius in Centilog. vide & eundẽ ibidẽ de cõceptibus intelligentię in vtero nõ vtentis organo corporali & cõceptibus voluntatis in ſpeciali, & de cõceptionibus mentis ſecundũ cognitionẽ practicã, quæ ſingula reſcindo breuitatis gratia, ne opus in immenſum ſerpat, & infra quædam videbuntur.

Conceptus Deum & naturã repræſentantes ſunt duplices, vt ſcriptis reliquit Gab. q. ij. ar. iij. prolog. ſcilicet, diſtincti, & indiſtincti. Diſtincti ſunt qui repræſentant obiectũ in ſe, & nihil aliud terminãt huiuſmodi actus ſeu conceptus intelligendi, ita quod nec eo conceptu, nec aliqua parte eius aliquid aliud ab illa re intelligitur, & tales ſunt cognitiones intuitiuæ, vel abſtractiuæ præſupponentes intuitiuas.

Conceptus indiſtinctus eſt, qui nõ eſt rei in ſe, & qui ſecundũ ſe totũ vel eius partẽ repræſentat aliud ab ipſa re. Et dicitur cõceptus rei in ſe ad cuius formationẽ res in propria præſentia obiectiuè mouet intellectũ. Et hoc naturaliter loquẽdo. Vnde de nulla re non ſenſata poſſumus habere diſtinctã notitiam pro ſtatu iſto exceptis quibuſdã actibus, & paſsionibus proprijs, & illa cognitio Dei diſtincta eſt pro ſtatu illo nobis impoſsibilis per potentiã naturæ.

Conceptus indiſtincti de Deo ſunt duplices. Cõmunes & ꝓprij, cõmunes Deo & creaturæ. Et proprij conuenientes ſoli Deo. Communiũ quædã abſoluti, quæ connotatiui. Exemplũ primi, cõceptus entis ſubſtãtiæ, ſpiritus ſapientiæ, iuſtitię intellectus voluntatis, &c. Dummodo pręciſe important res illas abſolutas non cõnotando actum ſeu aliquid aliud. Connotatiuj duplices affirmatiui & negatiui. Affirmatiui vt productiuus, cõſeruatiuus, deſtructiuus. Negatiui, vt immortalis, incorporeus, indiuiſibilis. Conceptus proprij ſunt duplices, ſcilicet abſoluti & connotatiui. Proprij abſoluti iterum ſunt duplices, ſcilicet ſimplices & complexi. Abſoluti ſimplices hic in via haberi non poſſunt. Sed bene cõplexi abſoluti, vt ſubſtantia exiſtens iuſtitia, ſapientia, &c. Proprij connotatiui ſimplices, vt creatiuus, annihilatiuus, infinitum æternũ. Sunt etiam aliqui proprij complexi. Gabriël quæſt. ij. prologi, artic. iij. qui & ibidem de ordine iſtorum conceptuum ſcribit. Et vt idem ait quæſt. vij. prologi. Conceptus rei abſolutus & proprius formari non poteſt, niſi res illa fuerit in ſe & intuitiuè cognita, quia niſi ſic, cæcus poſſet habere conceptum abſolutum, & proprium coloris & albedinis, quod poſſet eſſe falſum, & ideo conceptum abſolutum & proprium de Deo habere non poſſumus.

Conceptus ſimplex dupliciter poteſt accipi, vt ſcribit Gabriël quæſt. vij. prologi. Vno modo largè, pro conceptu qui eſt vna qualitas non compoſita ex

partibus

partibus diuerſarum rationum non curãdo, an tantum habeat vnum modũ ſignificãdi vel plures. Alio modo ſtrictè, pro conceptu qui eſt ſimplex qualitas, & ſic non habet niſi vnum modum ſignificãdi, & ſic ſolus conceptus abſolutus dicitur ſimplex: quoniam & ſi connotatiuus fuerit ſimplex qualitatiuè, non tamen eſt ſimplex repræſentatiuè, quia æquiualet ſuo quid nominis, quod ſignificat aliquid in recto, & aliquid in obliquo, & ita virtualiter eſt compoſitus.

Conceptus quidditatiuus eſt conceptus ſupponens præciſe pro re ipſa, & pro nullo alio, niſi pro eo quod eſt illa res nihil connotando extrinſecum rei, vt poſt Occam notat Gabriël, diſtin.iij. quæſt.iij. libr.j. Sic conceptus differentiæ videtur eſſe quidditatiuus, quia prædicatur per ſe primo modo de ſpecie, aliter conceptus quidditatiuus eſt cõceptus abſolutus, ſiue non connotatiuus, qui videlicet ſignificat eſſentiam rei, ſine connotatione cuiuſcunq;: & ſic conceptus quidditatiuus nõ diſtinguitur contra abſolutum, ſed connotatiuum. Vnde reſpectu Dei poſſunt haberi plures conceptus quidditatiui non conuertibiles, quia conceptus entis ſapientiæ, bonitatis, iuſtitiæ, ſunt quidditatiui, quia abſoluti & conueniunt Deo. Sunt etiam non conuertibiles, quia non omne ens eſt ſapientia, nec omnis ſapientia eſt iuſtitia, imò nulla creata ſapientia eſt iuſtitia. Item de Deo poſſunt haberi plures conceptus ſimplices denominatiui, & conuertibiles, vt patet de illis creatiuum beatificatiuũ. Et quod ſint conuertibiles patet, quia ſoli Deo conueniunt, & quod ſint diſtincti, quia connotant differentiam in creaturis, licèt nihil diuerſum importent in Deo. Gabriël vbi ſuprà.

Conceptus propriè accipiendo ſecundum Gabr.d.j. q.ij.li.ij. eſt adiectiuum & concretum, ſignificans rem conceptam ſubſtractiuè, & cõnotat actũ concipiendi ſeu cognoſcẽdi, ſicut amatus cognitus ſignificat obiectum amoris, & cognitionis, ſiue illud obiectũ ſit res extra, ſiue in anima habeat ſolũ eſſe obiectiuum, vt aliqui ponũt. Et ſecundũ omnes vocatur cõceptus, quod terminat actum intelligẽdi, vt ſcribit Occã d.ij.li.j. licèt ibi tangat modũ loquẽdi dicentiũ quod cõceptus eſt qualitas ſubiectiuè exiſtens, & ipſamet intellectio ſiue conceptio, de quo latiùs aliàs. Et vt ſcribit Gabr.diſt.xxix.q.vnica, li.j. nihil poteſt intelligi ſine cõceptu: ergo oportet habere conceptũ, nõ ſolũ ſignificantẽ rem illã non in ſe vel cognitione propria, ſed etiã rem aliquã in ſe vel cognitione propria cognitã, quia omnis cognitio rei, nõ in ſe præſupponit notitiã rei in ſe, oportet ergo conceptũ illũ vtrunq; ſignificare, & ſic erit vniuocus illis per deductionem itaq; arguitiuã, & etiam per experientiã poteſt cognoſci vnitas cõceptus, qui eſt pluriũ, vt latiùs ibi ſcribit Gab. vt cùm intellectus experitur in ſe quod habet vnum cõceptum: quãdocunq; cõcipit illã rem intelligo cũ præciſione, id eſt, dictionẽ vnã, &c. Et breuiter omnis cõceptus cõmunis eſt vnus, qui abſtrahitur à rebus adæquate cõuenientibus. Qui autẽ eſt rerũ inter ſe non adæquate conuenientiũ nõ erit vnus. Et ideo aſini & lapides (puta carbũculi) nõ datur vnus cõceptus, niſi fortè deprehẽdi poſſet aliqua cõuenientia accidẽtalis eis adæquata. Et omnis vox tali cõceptui vni ſubordinata eſt vniuoca. Hæc Gab. obſcura ipſius Occã illuſtrãs & aperiẽs, & lucidiora reddẽs. Cõceptus ſecundũ Dominũ Cardin. Camer. de cõceptib⁹, eſt actualis notitia alicuius rei cauſata in anima partialiter, ab obiecto, ſcilicet à re cõcepta, ſiue cognita, & partialiter à potẽtia cognitiua formaliter, vitaliter, inmutãs ipſam potentiã intellectiuã, ſignificat enim cõceptus vocabulũ, qualitatẽ in potẽtia intellectiua ſubiectatã, & cõnotat quod mediãte illa qualitate (quæ eſt cõceptus) inhærẽte ipſi potẽtiæ intellectiuæ, & eã informãte ipſa potentia intellectiua capiat ſiue intelligat rem intellectiuã, ſiue conceptã. Quare ſequitur q̃, nulla res ſiue nulla qualitas eſt eſſentialiter, & intrinſecè actualis cognitio. Sic etiam nulla res ſiue nulla qualitas eſt eſſentialiter conceptus apud Dialecticos. Plura legantur de conceptibus.

Concilium generale (vt ſcribit Gerſ. part.j. de Eccleſiaſtica poteſtate) eſt congregatio legitima auctoritate facta ad aliquem locũ ex omni ſtatu hierarchico totius Eccleſiæ catholicæ, nulla fideli perſona quæ audiri requirat excluſã, ad ſalubriter tractandũ & ordinandum eà quæ debitum regimen eiuſdem Eccleſiæ in fide & in moribus reſpiciunt, de quo multa aliàs Gerſon. Fuerunt autem quatuor principalia concilia Apoſtolorum in Eccleſia primitiua (vt dicit quædam Gloſ. ſuper Actus, & recitat ſanctus Bonauentura d.xj.lib.j. in dubiis literalibus.) Primum fuit ad electionem Matthiæ, Act.10. Secundum ad electionem ſeptem Diaconorũ, Act.7. Tertium fuit ad non imponẽda legalia ad tempus, Act.15. Quartum ad tollerãdum legalia ad tempus, Act.21. Concilia verò Patrũ principalia apud Græcos ſimiliter fuerunt quatuor, ſcilicet Nicænum, Epheſinum, Calcedonenſe, & Conſtantinopolitanum. Ea innuit Magiſter diſtin.xj.libr.j. Fuerunt & poſtea alia Concilia, vt Conſtantienſe. De quo plura Gerſon, quod maximum ſupra cætera fuit, vt ſcribit ipſe part.iij. dialogo apologetico, quomodo per triennium cum ſex ferè menſibus protenſum eſt, in quo & viri doctiſsimi fuerunt, & Gerſon & Cardinalis Cameracenſis, &c.

Concubina poteſt capi dupliciter, vt notat Bruleſer diſtinct.xxxij.quæſt.viij. libro quarto Sententiarum. Vno modo propriè: & ſic poteſt diffiniri: Concubina eſt mulier, quæ ad vſum Veneris non legitimè tenetur, & ſic omnes meretrices dicuntur concubinæ. Aliò modo capitur concubina communiter, & poteſt dici omnis mulier, quæ ad vſum Veneris tenetur, ſiue legitimè ſiue illegitimè: ſic tamen quod non ſit principalis vxor viri, iſto modo Abraham habuit concubinas. Similiter Dauid habuit multas concubinas, nec tamen fuerunt meretrices. Et concubinæ quas antiqui Patres habere dicebantur, non vocabantur cõcubinæ, ex eo quod non eſſent matrimonio cõiunctæ (vt ſcribit Petrus de Palud.d.xxxiij.q.j.art.iij.lib.iiij.) ſed quia non erant æquè principales in regimine domus vt aliæ, eò quòd erant ancillæ principalium vxorum, & ſic Agar & Cetura dictæ ſunt concubinæ Abrahæ. Et Bala & Zelpha ancillæ Rachel & Liæ, dictæ ſunt concubinæ Iacob, quamuis eſſent legitimæ vxores.

Hæc Palu. Salomon (vt habetur 3. Reg. 11.) accepit filiã Pharaonis, & Moabitidas, Ammonitidas, Idumæas, Sidonias, & Cetheas. Sed ipſe ſicut peſsimus & ingratiſsimus homo Deo ſuo (vt ſcribit Scot.) d. xxxix. lib. iiij.) nõ ſolũ in hoc peccauit, quia alienigenas duxit contra legẽ, etiam de Gentibus ſpecialiter prohibitis, ſicut in multitudine mulierum, ſiquidem habuit, ſecundũ vnam literam, ducentas vxores, quaſi Reginas, & trecẽtas cõcubinas. Cùm tamẽ diceret lex ſpecialiter de Rege, Deut. 17. Non habebit vxores plurimas, quę alliciant animũ eius; quod fortè ſpecialiter dixit Moyſes ꝓpter maliciã iſtius præuiſam, vt ſi non compeſceretur, ſaltẽ confunderetur, ne alij eum imitarentur, & quod peius eſt, copulatus eſt eis amore ardẽtiſsimo, intantum vt faceret eis Idola, & templa ad colendum Deos ſuos. Vnde non ſine cauſa ſubiunxit Moyſes, vt ſuprà, quæ alliciant animũ eius, & hæc omnia aggrauat ſingularis ingratitudo ſapientiæ eminentis ſibi ſubitò à Deo conceſſæ. Scotus. Primo modo habere concubinas, inquit Brulefer vbi ſuprà, eſt contra Legem & Euangeliũ. Vnde in lege Moſaica ſcribitur Deut. 34. Non mœchaberis: vbi prohibetur omnis coitus non matrimonialis: etiã in lege Euangelica. Dicitur enim 1. Corinth. 5. quod fornicatij non habent partẽ in regno Dei. Sic periculoſum eſt habere concubinã (vt ſcribit Gerſ. part. iiij.) quia vix patitur vt pœnitẽtia agatur, tamẽ etiã propter ſcandalum eorũ qui hoc vident, &c. Et quãuis in lege veteri poterat quiſquam habere plures vxores per diſpenſationẽ, tamen non poterat habere meretrices. Non autem cum omnibus diſpenſabat Deus in antiqua legẽ, ſed ſolùm cum illis qui bene ſciebant vti, quia honeſtè & caſtè vtebantur, & etiam quando erat neceſſe.

Concubinarius dicitur qui habet ſecũ concubinam.

Concupiſcentia quam innuit S. Ioan. in prima ſua canonica ca. 2. eſt duplex, ſcilicet concupiſcentia carnis, quæ habetur 9. præcepto decalogi, & concupiſcentia oculorum, quæ 10. & vltimo præcepto prohibetur, cùm dicitur: Non cõcupiſces rem alienam, non domũ, non ſeruũ, nõ ancillã: ita & refert Gab. d. xxxvij. q. vnica, ar. j. lib. iij. Omnis autem concupiſcẽtia carnalis commixtionis præter matrimoniale vinculũ, etiã ſolo voluntatis conſenſu plenariè perpetrata eſt mortale peccatũ (vt dicit Gerſon par. ij. de præceptis decalogi cap. xiij.) vbi carnalis copula minimè ſubſequitur. Equidem vera eſt regula hæc magiſtralis: Omnis completa voluntas, ſiue bona ſiue mala, pro facto reputatur, Mala voluntas pro facto reputatur, &c.

Concupiſcentia tripliciter poteſt ſumi, vt & habet Aſtaxanus in ſumma, & poſt eum frater Pelbartus lib. 3. Roſarij Theolog. Vno modo poteſt dici appetitus vegetabilis, & talis cõcupiſcentia prout eſt inordinata, eſt à fomite mouẽte, id eſt, à corruptione originalis culpæ, & iſto modo non eſt peccatũ, nec eſt prohibita. Alio modo poteſt dici appetitus ſenſibilis, & hoc prout eſt inordinata à mouente ſenſualitate cum fomite: ita quod prima concupiſcentia eſt in ſuggeſtione, ſecunda in delectatione. Nec hæc prohibetur diuino præcepto ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid, quia nõ erat prohibẽdum ne cõcupiſcentię ſint in nobis: quia hoc eſt impoſsibile nobis, ſed prohibẽtur ne ſequamur eas in conſenſum, ſecundũ illud Eccle. 18. Poſt cõcupiſcentias tuas ne eas. Ire autẽ idẽ eſt quod conſentire. Tertio modo cõcupiſcentia dicitur cũ cõſenſu voluntatis, & ſic in diuino pręcepto prohibetur à Domino, dicente: Ne concupiſces vxorem proximi tui.

Concupiſcentia ſecundum Bonauent. diſt. xxxij. in ſecundo principali, quæſt. 1. libr. ij. dupliciter accipitur. Vno modo dicitur concupiſcentiã eſſe deſiderium nimis intenſum & immoderatum, ſiue ſit reſpectu boni interioris, ſiue exterioris, ſiue inferioris. Et hoc modo accipitur ad Rom. 7. vbi dicitur in Gloſ. Bona eſt lex, quę dum concupiſcentiam prohibeat, omnia mala prohibet: & ſic concupiſcentia habet eſſe in vi animæ appetitiua, ſiue dicatur vis appetitiua rationalis. Alio modo ſumitur concupiſcentia pro appetitu delectabilis ſecũdum tactum. Et ſic accipitur Eccleſ. 7. Propter ſpeciem mulieris multi perierunt. Et ex hoc concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit. Hæc concupiſcentia dicitur eſſe in carne & in ſenſualitate & in rationali parte, ſed in carne eſt cauſaliter, in rationali verò parte eſt formaliter, in ſenſualitate verò vtroque modo, videlicet cauſaliter, & formaliter. Ideo dico (inquit Bonauentura) quod in rationali parte & in ſenſualitate eſt formaliter, quoniam actus qui eſt concupiſcere (ſicut vult Auguſtin.) eſt propriè ipſius animæ. Ideo verò cauſaliter dicitur eſſe in carne, quia caro infecta iuncta animæ ex ſua infectione reddit eam concupiſcentẽ. Vnde ſi quis vellet propriè ſubiectũ concupiſcẽtiæ carnalis aſsignare, nec tantum diceret carnẽ, nec tantum diceret animã, ſed ipſum coniunctum: vt ſicut ſentire eſt actus cõiuncti, ſic etiã actus coniuncti eſt delectari carnaliter & concupiſcere. Bonauen. Et concupiſcentia ſecundum eundem ſanctum Bonauent. di. xxxij. in dubiis literalibus lib. ij. duo dicit, dicit enim appetitum immoderatũ boni cõmutabilis: & ſic dico (inquit ipſe) quod iſta immoderantia circa appetitum poteſt dupliciter eſſe. Aut ita quod ratio captiuetur, & anima peruertatur, vt neceſsitatẽ habeat pręponẽdi bonũ cõmutabile bono incõmutabili: & ſic dicitur eſſe cõcupiſcentia intẽſa: & hoc modo tenet rationẽ culpę, ratione videlicet illius immoderãtię. Alio modo cõcupiſcentia dicit immoderantiã, nõ quia ratio ſuccumbat ſenſualitati, ſed quia ſenſualitas nõ perfectè obtẽperat rationi, & hoc modo tenet rationẽ pœnæ primo modo, quia tenet rationẽ culpæ, directè opponitur ipſi gratię: & ideo gratia ſuperueniẽs aufert illã immoderãtiam, pro eo q, talis immoderantia ponebãt debitæ iuſtitiæ carentiã. Aliã autem Immoderantiã quæ (ſicut dictũ eſt) dicit rationem pœnæ, nõ tollit gratia in ſuo aduentu propter hoc quod nõ opponitur formaliter ei. Sed quoniã gratia & concupiſcentia relicta reſpectu eius ad quod inclinãt, quandã habẽt oppoſitionẽ. Hinc eſt quod ſecundũ quod homo plus exercitatur in gratia magis & magis remittitur cõcupiſcentia, nonquã tamen omninò tollitur concupiſcentia, quia ſemper remanet radix eius in homine niſi auferat perdonũ gratię ſpecialẽ, ſicut in Virgine creditẽ fuiſſe poſt cõceptionẽ filij Dei. Gratia itaq; & cõcupiſcẽtia quodãmodo opponũtur, & quodãmodo nõ. Bonauen.

Concurrere. Vide in dictione *Facere.*

Confeßio. De hac Theologi plura ſcribũt: & ex Doctoribus præcipuis quædã breuiter accipiemus. Et eſt duplex cõfeſsio ſecundũ Aug. in verbis Euang. homil. viij. vt & ſcribit Gab. di. xvij. q. j. ar. j. li. iiij, ſcilicet cõfeſsio laudis, & cõfeſsio fraudis. Cõfeſsio laudis eſt atteſtatio diuinæ perfectionis, vt cũ Deũ prædicamus omnipotentẽ, piũ, bonũ, miſericordẽ, iuſtũ. Sic filius confeſſus eſt patrẽ. Et confeſsio hæc non pœnitentiam ſemper, ſed gratiarũ actionẽ ſignificat, vt in Pſal. ſæpiſ. imè legimus, vt inquit beatus Ioãnes Epiſcopus in homil. Confiteor tibi pater Domine. & Confitemini Domino, quoniã bonus. & Cõfitebor tibi Domine, in toto corde meo, &c. Et cõfeſsione laudis (vt ſcribit Scot. d. xiiij. q. iiij. li. iiij.) nullus dignè cõfitetur niſi priùs ſuſcitatus, quia nõ eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. Confeſsio fraudis eſt accuſatio, qua peccator ſeipſum accuſat. Et confeſsio fraudis (vt ſcribit Sco. vbi ſuprà.) accepta eſt à Deo in ore peccatoris: hoc eſt eius qui adhuc eſt peccator, dum tamen non ſit peccator in voto, ſeu actu interiore vel exteriore. Et dicitur cõfeſsio ſacramẽtalis, quę (vt infrà patebit) deſcribitur. Eſt præterea confeſsio delicti, quæ fit ad interrogationẽ Iudicis. Itẽ eſt confeſsio vocalis, quædã mentalis. De quo Richar. d. xvij. ar. ij. q. iij. lib. iiij. Mentalis, quæ fit ſoli Deo, & hæc eſt de iure naturæ. Vocalis quæ fit ſacerdoti, & hæc non eſt de iure naturæ. Vide latiùs Richard. Et confeſsio vocalis neceſſaria eſt ad ſalutẽ poſtquã homo actualiter peccauit, vt multis probat Iacobus de Valentia. Pſalm. 31. & auctor ſacræ ſcripturæ, & rationibus, &c.

Confeßio ſacramẽtalis variè à variis deſcribitur. Vnde Aug. Confeſsio, inquit, eſt latẽtis peccati manifeſtatio. Et (vt idem ait:) Confeſsio dicitur per quam morbus latens ſpe veniæ aperitur. Vnde, vt ſcribit S. Bonauen. d. xvij. q. penul. libr. iiij. ſen. Peccatum omne in anima eſt quaſi apoſtema intrinſecum, & quantũcunq; homo peccet apertè, adhuc virus peccati latet in anima, ſed in cõfeſsione rumpitur vulnus, & ſanies peccati ad exteriora trahitur, vt dicit Gregor. Paulus Corteſius li. iiij. ſen. di. iij. ait: Confeſsio eſt quæ ſpe venię vulnera abſtruſa detegit, & morbum (vt dicitur) in vola oſtendit. Et vt idem dicit: Confeſsio dicitur nexus quo omne genus hominũ quod capitali tabe vexetur obſtringitur, eiuſque munus ad flaminẽ dialẽ pertinet, quãdo, ſcilicet in anguſtũ neceſsitas detruditur. Itaq; pœnitentem afflantem animam non modò criminibus patratis, ſed etiam Pontificio interdicto ex Senatuſconſulto à flamine liberari poſſe manifeſtũ eſt. Eius autẽ fons ægrotationis integritas nominatur, quę eſt flamini tanquã Medico apertè expromenda, vt totius corporis ægritudo, quaſi vlcus dempta ſpina ſanetur, ob eamq; cauſam ſenatus promulgatione cauetur, ne qua confeſsio voce aliena, aut ex ſyngraphã fiat. Hæc Corteſius. Recitat & Paludenſis diſtin. xvij. q. ij. artic. j. libr. iiij. diffinitiones confeſsionis. Sed communiter ſic deſcribi ſolet: Confeſsio ſacramentalis eſt ſecreta delinquentis accuſatio ſuorũ commiſſorum peccatorũ coram ſacerdote iuriſdictionem in eum habente ſpe veniæ conſequendæ. Et dicitur confeſsio ſacramẽtalis, quia illa diffinitio non datur de confeſsione cordis, quæ fit coram Deo in cubiculo cordis: neq; de illa quæ fit in iudicio contentioſo, ſed de ea quæ fit in foro animæ ſecreto, vt & habet Gab. diſt. xvij. q. j. ar. j. li. iiij. Et dicitur in diffinitione ſecreta: ad excludendum confeſsionem generalem, quæ fit in publico. hæc enim non eſt ſacramentalis, licèt ex ea ſic confitens conſequi poſſit remiſsionem venalium peccatorum. Dicitur accuſatio, quia qui ſe coram ſacerdote excuſant, non confitentur, ſed magis ſe laudant, exemplo Phariſæi bona ſua annumerantis. Dicitur ſuorum peccatorum, quia nõ debet eſſe accuſatio aliorũ. Dicitur corã ſacerdote, ad excludendũ illam, quæ fit ſodali: quę licèt ſit quãdoq; vtilis, nõ tamẽ eſt ſacramẽtalis, quoniã per illã nõ fit remiſsio peccatorũ virtute clauiũ Eccleſiæ. Corã ſacerdote (inquit Palud. d. xvij. q. ij. ar. j. li. iiij.) quia in pręſentia, nõ in abſentia, per ſeipſum ſecundũ Aug. nõ per nunciũ vel per epiſtolam quãdiu per ſeipſum dicere poteſt. Quãdo autẽ ſcribit peccata ſua, benefacit: ſed nihilominus debet ea ore ſuo exprimere, nec ſufficit tradere legẽda. Et ſi nõ poſſet ire nec accerſire ſacerdotem, nõ tenetur quidẽ ſcribere & mãdare, & ille reſcribere & remãdare abſolutionem. Et valet abſolutio quandoq; ſi vterq; eſt infirmus vel clauſus pluſquã ſi fieret laico. Hæc Palud. Item poteſt quis per interpretẽ confiteri, ſi nõ habuerit ſacerdotem noſcentẽ linguam ſuam: ſed fortè non tenetur, vt Palud. dicit, quia homo non tenetur confiteri niſi ſacerdoti cuiuſmodi non eſt interpres. Dicitur iuriſdictionẽ in eũ habente, quia ſi fieret corã alieno non ſuo Iudice, non eſt ſacramẽtalis. Dicit̃ ſpe veniæ conſequẽdæ, vbi tangitur cauſa finalis cõfeſsionis, quę eſt remiſsio peccati. Excluditur etiã cõfeſsio ficta, propter falſitatẽ & mendaciũ cõfitentis, aut deſperationẽ aut infidelitatẽ ſe accuſantis, quæ ꝓpriè nõ eſt ſacramentalis, eò quòd talẽ nunq̃ ſequitur effectus ſacramentalis. Ita habet Gab. vbi ſupr. Et confeſsio ſacramentalis (ſecundũ intentionẽ Sco. cui cõcordat Richar. Petrus de Palu. & Gab. d. xvij. q. ij. art. iij. dub. vij. & cõmuniter Theol.) nõ poteſt fieri laico in neceſsitate, hoc eſt imminente periculo mortis, quoniã is abſoluere nõ poteſt, & ſine abſolutione nõ eſt ſacramentũ pœnitẽtię, ideo in nullo caſu quis tenetur laico cõfiteri neq; venialia, nec mortalia. Poteſt tamen cõfeſsio largè, id eſt, reuelatio ſuorũ peccatorũ fieri laico ſecreto ꝓpter verecundiã, quę eſt vna pœna debita peccato, & magna pars ſatisfactionis. Similiter propter conſiliũ obtinendũ. Itẽ propter humilitatẽ, & in ſignũ quod facit quod in ſe eſt, paratus cõfiteri ſacerdoti ſi eius copiã haberet. Et ꝓpter hos fines cõſulitur à B. Augu. & Magiſt. in textu. Et per hoc omnes auctoritates ad hoc ſonãtes intelligi debẽt tanq̃ conſiliũ, nõ pręceptũ: Sed dicit Sco. quod fortè vtilius eſſet nõ accuſare ſe laico ſi poſſet æqualem habere verecundiam apud ſe recogitãdo eadem peccata, & ſi ſibiipſi poſſet æquè velle ſalubrius conſulere quàm ille laicus. Et fortè quis non debet ſe accuſando laico diffamare ſine prædictis & rationabilibus cauſis. Et in ſic ſe accuſando peccaret, niſi ſimplicitas excuſaret. Gabr.

Confeßionem eſſe neceſſariam ad ſalutem (vt ſcribit Gabr. di. xvij. q. j. ar. j. lib. iiij.) dupliciter poteſt in-

telligi, ſcilicet in voto, & in actu, & vtramque eſſe neceſſariam mortaliter peccanti ad ſalutem cōcors eſt ſententia omnium Doctorū, licèt non pro ſemper. Et quod ſit neceſſaria in voto, id eſt in propoſito, dependet ex neceſsitate eius aliquādo in actu. Nam ſi nunquam eſt neceſſaria in actu, nō eſſet neceſſaria in voto ſeu propoſito. Et confeſsio ſacramentalis (vt communiter dicunt Theologi) eſt de lege diuina à Chriſto inſtituta, viuificandis peccatoribus præcepta. Quamuis alij, vt Panor. & Glo. de pœnitentia di.v, cap.j. aliter ſentit, contra quem arguit Scot. Vide de hoc Gabr. di.xvij. vbi ſuprà. Sed à quo & vbi ſit inſtituta, non ſimiliter ſentiūt. Sanctus Bonauen. dicit, quod ſit à Chriſto inſinuata, ab Apoſtolis inſtituta, & à Iacobo Hieroſolymorū Epiſcopo promulgata. Vbi ait in ſua Canonica: Confitemini alterutrum peccata veſtra. cap.5. Sed hoc reprobat Scotus. Nam ſacramenta inſtitui non poſſunt niſi à ſolo Chriſto: quia nemo poteſt inſtituere ſacramēta, niſi qui poteſt dare efficaciam & certitudinē ſacramenti, vt aliàs dicitur: hoc autem ſolius Dei eſt. Nec exiſtimandum eſt Iacobum fuiſſe locutum de confeſsione ſacramētali, nō enim exprimit cui fiat, an ſacerdoti vel non ſacerdoti. Sed intelligenda ſunt verba illa ſicut ſequētia: Orate pro inuicem: quæ ſunt quædam perſuaſio ad humilitatem, per quam generaliter noſipſos eſſe peccatores fatemur, & orationes mutuas expetimus. Vel loquitur beatus Iacobus vt preco Chriſti. Richardus diſtin. xvij. dicit quod confeſsio ſacramentalis eſt de iure diuino expreſſo in Euangelio. Nam Ioan. 20. ait Chriſtus: Accipite ſpiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Quibus verbis dedit diſcipulis & eorum ſucceſſoribus poteſtatem iudicandi ac remittendi miniſterialiter peccata. Quibus autem datur poteſtas iudicādi, datur etiam poteſtas cognoſcendi. Cognitio autem peccati remittendi fieri non poteſt, niſi per accuſationem peccatorum, quæ eſt confeſsio. Aſtipulatur Paludenſis di. xvij. q.j. ar.ij. lib.iiij. probās ita confeſsionem eſſe de iure diuino, quia pater dedit omne iudicium filio. Vnde quando erat Deus tantùm, ſoli Deo confiteri ſufficiebat. Cui dicit Propheta: Tibi ſoli peccaui, &c. Poſtquam autem factus eſt homo, & pro peccatis noſtris mortuus, datum eſt ſibi omne iudicium de peccatis, & ſibi eſt confeſsio facienda: quū loco ſuo vicariū dereliquit, cui etiā eſt facienda. Paludenſis. Et ex hoc habetur, quod Papa qui ſubeſt iuri diuino, non poteſt diſpenſare cum aliquo, vt non teneatur confiteri in mortis periculo, & in cæteris caſibus peccantibus ad ius diuinū. Tempus verò determinatū, ſcilicet Paſchale, & modus eſt de iure poſitiuo, ſupra quod eſt Papa, nec eo ligatur quo ad ſe, neq; quo ad alios, & quantum ad illud poſſet diſpēſare. Ex quo ſequitur quod Papa tenetur confiteri, licèt fortè non ſecundū formā. cap. Omnis vtriuſq;, vt ſcribit Gab. di. xvij. q.j. art. iij. dub. iiij. lib. iiij. Debet autem quiſquā (vt inquit Scotus) in confeſsione tantā diligētiam apponere, quantam apponeret ad inquirendum aliquid multum arduum, quod ſibi multū eſſet cordi. Cui conſonat illud Auguſt. de vera & falſa pœnitētia ca.15. Paratus ſit facere pro recipienda animæ vita, quæcunq; faceret pro vitāda corporis morte. Sequitur: Cum gaudio enim debet facere immortalis futurus, quod faceret pro differēda morte moriturus.

Confeſsio. Dictū eſt ſuprà, quod quandoq; cōfeſsio fiat in actu. Vnde colligūtur quatuor caſus in quibus tenetur peccato mortali obnoxius ad cōfeſsionem in actu. Primus ſecundū Sco. & alios Doctores cōmuniter, cùm imminet iudiciū damnationis, vel miſericordię, vt eſt in articulo mortis. Cùm autem (vt inquit Palu.) nihil ſit certius morte, & nihil incertius hora mortis, periclitamur omni hora, & ſaltē ſemel in hac vita ſacramentum neceſsitatis eſt ſuſcipiendū. Item cùm aggreditur actus arduos in quibus frequenter & ſæpius imminet mors vel periculum mortis, vt in bello mortali & naufragio, aut in trāſitu per loca infideliū latronū, aut nauigatione per aquas periculoſas, vel per Syrtes Charybdim, aut Scyllam. Aut in acuta graui & periculoſā infirmitate. Vnde & Medici tenētur infirmos priuſquā miniſtrāt medicinā corporalē, monere vt Medicos aduocent animarū. vt in c.v. cùm infirmitas. de pœ. & re. Latiùs ſcribit poſt Scotū Gabr. d. xvij. q.j. art. iij. dub.j. lib. iiij. Secundus caſus quādo vult exercere actus aliquos quib⁹ debetur reuerētia ſpecialis: vt quādo vult cōmunicare, tunc enim ſecundum omnes Doctores nō ſufficit ſola contritio ad dignè cōmunicandum, ſed requiritur ſacramentalis cōfeſsio, niſi vt vult Palud. quādo neceſsitas vrget, & potens abſoluere abeſt. Vel niſi (vt vult Richar.) fortè de propinquo expectat aliū, cui deuotius & ſecurius confiteatur: ſic enim expectans nullo iure, quod ego ſciam (inquit ipſe) cōmunicare prohibetur, ſi verè pœnitens eſt. Vide de hoc latiùs Gab. in canon. lect. vij. & aliàs, &c. In aliis verò ſacramentis diſpenſandis congruū eſt præmittere confeſsionē, vt vult Petrus de Palu. d. xvij. q. ij. ar. v. quia ſicut baptiſmus qui eſt prima tabula poſt naufragiū, eſt ianua aliorum ſacramentorū: ita pœnitētia quæ eſt ſecunda tabula, eſt ianua ad alia ſacramenta recidiuanti poſt baptiſmum. Addit tamen quod non mortaliter peccat ſuſcipiēdo vel miniſtrādo alia ſacramēta, ſi nō præmittit cōfeſsionem poſt mortale, ſi tamen fuerit contritus: quia per cōtritionem Deo eſt cōiunctus. Item ratione ſtatuti Eccleſiæ ſimiliter tenetur confiteri tempore Paſchatis quo tenetur ſuſcipere Euchariſtiam, & dum occurrit copia ſacerdotis, ipſum abſoluere potētis, de quo non eſt ſpes quod iterum occurrat ante tempus ſtatutum ab Eccleſia: quoniam ſi tunc non confitetur cùm confiteri potuit, eſt culpabiliter in mora. Concordat Richardus. Quintum addunt ratione conſcientiæ vel ſcrupuli, vt dicit Paludenſis, vt dum habuerit conſcientiam ſe teneri ad confeſsionem, licèt non teneatur ſecundum veritatem: quoniam qui facit contra cōſcientiam, etiam erroneam, ædificat ad gehennam. Sed in hoc caſu non tenetur ad confeſsionem, ſed magis ad deponendam conſcientiā erroneā. Iuxta illud Ezech.17. Ne demoreris in errore. quā ſi nō deponit & cōtra eā agit, peccat: quia cōtra conſcientiā agēdo cōtemnit Deum: cuius mandatū (vt credit) temerè trāſgreditur. Additur etiā caſus, dum quis ex ſtatuto ſui ordinis vel voto ſua ſpōte emiſſo tenetur ad certo tēpore confitendum. Quod verū eſt dummodo ſtatutū ordinis habet vim præcepti. Gabr. d. xvij. vbi ſuprà.

Confeſ-

Confeſſionis effectus & vtilitates ritè factæ ſunt plúres, vt & colligit Dominus præpoſitus Gab.d.xvij. q.j.ar.iij.dub.iij.li.iiij. Vnus eſt remiſſio pœnæ totóotius vel partis. Et ſecundũ Sco.etiã cõfert remiſſioné culpæ ei qui attritus accedit, nõ ponés obicé. Alius fructus eſt oientũ prẹmij beatifici ꝓpter obedientiã quã exhibet obediedo legi diuinę & Eccleſiæ, quod tãtò maius eſt, quãtò difficilius & magis contrariũ eſt humanæ verecũdiæ naturali. Tertius eſt inſtructio cõfitentis particularis, quæ multò fructuoſior eſt q̃ generalis, quę in prędicationibus fieri ſolet. Quartus taxatio ſatiſfactionis facta à cõfeſſore, qui propter poteſtaté clauiũ reddit ſatisfactioné efficatioré ad pœnæ remiſſioné, q̃ ſi ſolo cõfitentis arbitrio aſſumpta foret. Ité quintus eſt meritũ obediétiæ in ſeruãdo & explẽdo ſatisfactioné iniunctã quia iniũcta. Et plures alij fructus annumerari poſſent, & propter hos fructus cõſequendos vberius vtile eſt eadé peccata ſæpius & pluribus confiteri, quãuis nõ obliget ſacramẽtalis cõfeſsio de per ſe, vt homo bis confiteatur idé peccatũ etiã mortale: niſi cõfitens velit. Ratio: quia lex diuina nõ obligat niſi ſemel confiteri, & hoc per ſe, & niſi homo velit, vt ſcribit Gerſ.par.ij.trac. de remediis cõtra recidiuũ: dũmodo tamé (vt ait Gab.) cõfitens hoc nõ ait ex quadã diffidentia remiſsionis, aut inefficatiæ ſacraméti prioris, ſcilicet ſemel factę cõfeſſionis. Nã ſcrupuloſis & nimiũ timidis nõ expedit: quia ſecundũ regulã Gerſ.talib⁹ expedit cõtra ſcrupulos agere ad conſiliũ & dictamé boni viri. Augeť enim nonnunq̃ ex repetita cõfeſsione diffidentia, augétur ſcrupuli & remediabilis inquietudo cordis, &c. Et ſi funditus attédimus virtuté cõfeſsionis (vt ait Gab. dub. ij. vbi ſupr.) ipſa non eſt inſtituta, ſalté in actu tanq̃ neceſſaria ad remiſsioné peccatorũ, ſed hanc pręſupponit. Sed propter tria eſt inſtituta cõfeſsio, ſcilicet vt peccator innoteſcat Eccleſiæ tanq̃ abſolutus (vt dicit Magiſter) vt certa ſatisfactio per quã pœna peccati tollitur, à cõfeſſore imponatur, & vt pars pœnę virtute ſacramẽtalis abſolutionis remittatur. Sunt & aliæ cauſæ, puta peccatorũ inſtructio, meritum obedientiæ, & magna ſatisfactio propter pœnalem verecundiam confitentis.

Confeſsio qualis eſſe debeat, notat Richar.d.xvij.ar. iij.q.ix.li.iiij. Debet enim eſſe ſimplex, ita q, nihil admiſceatur cũ eis quæ requiruntur ad peccatorum quantitaté. Debet etiã eſſe humilis: valde enim humiliter ſe debet habere cõfitens in verbo & ſigno. Debet eſſe pura, id eſt, cũ recta intétione facta. Et fidelis, id eſt vera, id eſt vt nihil admiſceat de falſitate. Debet eſſe frequés, frequẽter enim eſt vtile. Et ſit nuda, id eſt nõ inuoluta obſcuritate verborum. Et diſcreta, id eſt, quod maius eſt cõfiteatur cũ maiore pondere. Et libés, id eſt, facta nõ de neceſsitate, ſed libera voluntate. Et verecũda, quod nõ ſic eſt intelligendũ quod pœnités debeat verecũdari de cõfeſſionis actu, ſed de peccatis quæ cõfitetur. Quod eſt cõtra quoſdã qui in recitãdo peccata ſua, quaſi ſe iactare videnť de aliqua ſeculari vanitate. Et integra, id eſt, facta ſine celatione alicuius peccati, quod confités tunc habeat in memoria, de quo aliàs nõ fuerit legitimè cõfeſſus. Et hoc etiã dicitur cõtra diuidentes confeſsioné pluribus ſacerdotibus, dicẽdo parté vni, & parté alteri. Et ſecreta, quia ibi agitur de ſecretis cõſcientiæ. Et lachrymabilis, lachrymis procedẽtib⁹ ex peccati dolore. Et accelerata, multũ enim eſt expediés peccatori, vt citò cõfiteatur, quia abyſſus abyſſum inuocat, id eſt, vnũ peccatũ ad aliud inclinat. Debet etiã eſſe fortis, id eſt, pœnités debet eſſe ita cõſtantis animi in cõfitẽdo, vt ꝓpter verecundiã nihil pertinés ad ſuę cõſcientię purgationé omittat. Et accuſans, id eſt, pœnités, ita debet accuſare ſeipſum, vt in ſui excuſatione peccatũ ſuũ in aliũ nõ torqueat: ſicut Adã dixit: Mulier quã dediſti mihi ſociã, dedit mihi de ligno, & comedi, vt habeť Geñ.3. Debet etiã eſſe parata parere: pęnités enim debet eſſe paratus parere, hoc eſt obedire ſacerdoti in ſuſceptione, & expletiõe pęnitẽtię, quã rationabiliter iniũgit. Ex his cõditionib⁹ quędã ſunt de neceſsitate, quędã de cõgruitate cõfeſsionis ſacramẽtalis, &c.

Confeſsio (vt habet Palud. d.xvij.q.ij. ar.iij. li.iiij.) eſt actus virtutis non tantùm veritatis, cui conſonat inquantũ talem ſe exhibet exterius qualem interius, ſed iuſtitiæ qua redditur Deo debitũ, & implet mãdatum quod per Iacobum promulgauit. Et vt idem ait d.xxj.q.ij.ar.iij.lib.iiij. Confeſsio ſiue ſit ſacramẽtalis ſiue non, ſiue iudicialis ſiue alia, homo nunquam debet mentiri, & ſiue cauſa humilitatis ſiue hypocriſis deliberatiuè mentiri in iudicio confeſsionis, cùm habeat annexam irreuerentiam ad ſacramétum, & quandam blaſphemiam videtur mortale, &c. Vnde (vt idem ſcribit d.xxj.q:ij.ar.iij. lib:iiij.) quod nullus debet in confeſsione mentiri. Et ſi aliquis per ignorantiam iuris diuini nõ confiteatur id de quo credit nõ eſſe mortale, cùm ſit: vel quod non teneatur confiteri, cùm tamen teneatur, non excuſatur; quin tanquã fictus non cõſequatur effectum ſacraméti, ſicut & ille qui non ſufficiẽter diſcuſsit conſcientiã ſuã, tamẽ cùm etiã per peccatũ veniale homo ſæpè perdat effectũ ſacramenti, non oportet quod omnis fictio quæ impedit hunc effectũ ſit mortalis, nec per cõſequens quod ſit neceſſariũ confiteri. Et cõcluſ.iij. idé dicit. Quod ſi quis de fictione vel alio peccato habeat conſcientiã quod ſit mortale, tenetur cõfiteri, etiã ſi non haberet determinatã conſcientiã, ſed dubitanté an ſit mortale, eo ipſo tenetur cõfiteri, quia cõſcientia erronea ligat, aliàs exponeret ſe diſcrimini, non tamen debet dicere eſſe mortale illud de quo dubitat, ſed relinquere pondus & ſtaterã iudicio ſacerdotis liberãtis. Si etiã dubitat vtrũ cõſenſerit vel nõ, confiteatur ſicut dubitans non ſicut certus, aliàs mentiretur. Idẽ Palud. concluſ.iiij. dicit vbi ſuprà. Quod ſi quis mentitur in cõfeſsione, quæ per torméta exquiriť innocentem falſo accuſando, quia in alterius perniciem mentitur, nõ excuſatur à mortali, licèt à tãto excuſetur, quia mendaciũ pernicioſum eſt mortale. Sicut nec illi, qui metu tormétorum negauerunt fidem. Qui auté contra ſe cõfitetur in tormentis, ſe feciſſe quæ non fecit, licèt inquantum ſe diffamat, videtur pernicioſum. Tamen inquantũ ſe à tormento liberat, videtur officioſum, & ſic dubiũ eſt an ſit mortale, quia plus debet diligere vitã quàm famã, tamen quia lædit aſtantes, falſa pro veris affirmans pernicioſum eſt. Si quis autem (vt concluſ.v. idem ait) alios accuſat fures & latrones, qui ſunt incorrigibiles, & quotidie nouis furtis & latrociniis rem-

publicam læſit, benefacit, quia iſte eſt caſus in quo poteſt occultus peccator denunciari: quando, ſcilicet correctio non ſperatur, & peccatum eſt cõmunitati nociuum. Si autem ſocium de cuius correctione iam ſibi conſtat, proderet, peccaret: niſi in caſu, vbi, ſcilicet ſpeciali iuris ordine ſeruato de illo nominatum, vt teſtis interrogaretur, tunc enim tenetur dicere veritatem. Hæc Paludenſis.

Confeſsio in quibuſdam caſibus eſt iteráda. Sunt autem quatuor caſus cõmunes & vſitati, quibus Doctores dixerunt confeſsionem interandam, vt ſcribit ſanctus Bonauentura diſt. xvij. circa textum ferè in fine lib. iiij. Primus eſt propter enormitatem ſceleris, ob quam oportet peccatorem ad ſuperiorem remitti, qui cõfeſsionem remiſsi audire debet, & abſoluere, niſi malit alteri committere. Secundus eſt propter ignorantiã ſacerdotis, vtpote quando ſacerdos ignarus eſt. Quærendus eſt enim tunc ſacerdos qui ſciat ligare & ſoluere, & ei iterum eſt confitendum, vel ex licentia ſacerdotis proprij, vel auctoritate ſuperioris, vel ſecũdum Richar. Quando quis confitetur peccata ſacerdoti idiotæ, penitus ignaro, neſcienti diſcernere inter lepram & non lepram, ſaltem in communibus & vſitatis, & per hoc neſcienti ſoluere & ligare. In quo caſu peccator tenetur quærere ſacerdotem diſcretum vel prudentem, ſcienté ſoluere & ligare. De quo Augu. de vera & falſa pœnitentia cap. 10. & allegat Magiſtrum in textu: Quærat ſacerdotem ſciẽtem ligare & ſoluere, ne cùm negligens circa ſe extiterit, negligatur ab eo, qui eum miſericorditer monet, & petit ne ambo in foueam cadant, quam ſtultus euitare noluit, &c. Vide Paludeñ. di. xvij. q. v. ar. iij. libr. iiij. Tertius caſus propter malitiam fictionis, vt ſi ſcienter aliquod peccatum in corde retinuit, vel ſi acceſſit cum voluntaté peccandi. Quartus eſt propter contemptum ſatiſfactionis, vt quando negligit & contemnit facere pœnitentiam ſibi iniunctam. Latiùs Bonauentura. addit & Gab. poſt alios d. xvij. q. j. ar. iij. dub. ij. Dum confitens non eſt capax abſolutionis, quia excommunicatus vel fictus: puta quia ponit obicem per complacentiam commiſſorum, vel committendorum (ita quod nollet ſe non peccaſſe, aut habet propoſitũ peccata iterandi. Nam cùm confeſsio ordinatur ad abſolutionẽ ſacramentalem, nulla eſt confeſsio, vbi irrita eſt abſolutio. In caſu autem irrita eſt carens ſuo effectu, & ideo tenetur ad iteratam confeſsionem, per quam conſequatur abſolutionem. Latiùs Dominos præpoſitus Gabriël & Paludenſis, q. v. d. xvij. libr. iiij. &c. Qui autem ritè confitetur, hoc eſt ei qui habet poteſtatem abſoluendi eum, & confitendo non ponit obicem peccati, non tenetur iterum confiteri. Qui verò confitetur ei qui abſoluere non nouit, neq; poteſt, tenetur quærere eum qui poteſt & nouit (vt vult Gabriël.) Vnde Richar. poſt ſanctum Thom. Nemo tenetur peccatũ ſemel ritè confeſſum & remiſſum, idem numero de neceſsitate iterum confiteri, quia ad hoc nulla lege obligatur, quãuis quandoq; ſit vtile eadem peccata rurſus confiteri, vt dictum eſt ſuprà. Hinc non ritè cõfitetur ille qui confitetur illi, qui non habet poteſtatẽ abſoluẽdi confitentem, quando confeſſor non eſt proprius eius ſacerdos, nec commiſſarius, & tunc confitens non conſequitur abſolutionem, & tenetur rurſus confiteri coram eo, qui abſoluendi habet poteſtatem, vel quia licèt ſit proprius ſacerdos, non tamẽ habet poteſtatem abſoluendi in caſibus reſeruatis, &c.

Confeſsio generalis eſt duplex (vt ſcribit Richardus d. xxj. ar. iij. q. j. lib. iiij.) quædam eſt ſacramentalis, quæ fit ſacerdoti in occulto, quædam nõ ſacramentalis, quæ fit in prima & completorio in publico. Prima eſt cùm homo de peccatis venialibus ſacerdoti cõfitetur in occulto, de generibus ſingulorum, & non de ſingulis generum, & per hanc remittuntur venialia, & per modum meriti inquantum excitat motum voluntatis, & feruorem charitatis, per quę fit venialium remiſsio, & ex vi ſacramenti, ſcilicet per abſolutionem ſacerdotis, per aliam autem nõ fit venialium remiſsio ex vi ſacramẽti, ſed tantummodo per modum meriti, quod principaliter conſiſtit in contritione, ad quam habendam adiuuatur homo per cõfeſsionem generalem, & orationem ſacerdotalem, nec ad remiſsionem venialium, neceſſaria eſt contritio ſpecialis, nec cõfeſsio, quia non auertunt à Deo, & ſimul ſtant cum charitate, quod de mortalibus dici non poteſt. Remittit generalis confeſsio venialia quãtum ad culpam, & quantum ad pœnæ diminutionem, vt inquit Gabriël d. xxj. q. vnica, ar. iij. dub. vj. lib. iiij. dum procedit ex charitate. De quo vide Petrum de Palude, di. eadem. q. ij, lib. iiij. Quoniam ipſa eſt opus meritorium, quod ex natura actus ordinatur ad remiſſionem peccati venialis, & includit cõtritionem ac diſplicentiam peccati venialis. Nam ad hoc confitentur generaliter, quia generaliter ſibi diſplicent, & inter actus ordinatos ad remiſsionem venialis peccati, nullius efficatior eſt quàm contritio ac diſplicentia eius voluntariè aſſumpta. Remittit etiam mortalia oblita, quãtum ad pœnam, dum priùs remiſſa ſunt quo ad culpam per ſacramentalem confeſsionem. Alioquin nihil operaretur confeſsio generalis, vt per abſolutionem ſacerdotalem, qua abſoluitur ab omnibus confeſsis & oblitis præmiſſa ſui ſufficienti examinatione. Et vt ſcribit Richard. q. iij. vbi ſuprà. Per confeſsionem generalem cum cõtritione remittuntur mortalia oblita. Deus enim ab homine non requirit vltra illud quod poteſt: de oblitis autem quãdiu oblita ſunt, homo in ſpeciali non poteſt conteri, neque confiteri: tenetur tamen hoc facere quod in ſe eſt, ſecundum quod humana patitur fragilitas, vt omnia ſua peccata mortalia ad memoriã in ſpeciali reuocet, & ſi de oblitis poſteà memor fuerit, tenetur poſteà in ſpeciali cõteri. Nec intelligendum eſt (vt idem ait) quod ad remiſsionem mortalium oblitorum ſufficit generalis confeſsio, non ſacramentalis, ſi homo habeat copiam ſacerdotis, & facultatem cõfitendi, quia his habitis, tenetur de mortalibus oblitis generaliter confiteri, & à ſacerdote recipere abſolutionem. Hæc Richar. vide & latiùs Palu. & poſt eum Gab. vbi ſuprà.

Confeſſor à Theologis accipitur pro ſacerdote, qui poteſt abſoluere, & qui audit confeſsionem, & is Iudex eſt quantũ ad ligandum & ſoluendum miniſterialiter à culpa & pœna æterna, ſed quãtum ad pœnam temporalem taxandam in hac vita ſoluendam eſt arbiter. Vnde non poteſt plus taxare, niſi

quantum

quantum confitens qui ſponte ſe ſubmiſit ſuo arbitrio voluerit acceptare, & acceptando ſe ſubmittit confeſſoris arbitrio. Vnde ſi ſatisfactionem quam ſponte acceptauit, contemnit, aut ſponte ac deliberatè negligit ſine cauſa ſufficienter excuſante, peccat mortaliter (vt dicit Scotus) quia non reddit debitum ad quod ſe voluntariè obligauit. Vnde ſi confeſſor aliquid irrationabiliter iniungeret, vel quod confitens implere commodè non poſſet, poteſt humiliter non acceptare. Vnde confeſſor prudens eſſe debet & non ignorans, ſciens ligare & ſoluere: vt & ſuprà dictum eſt. Debet & confeſſor peccatum in confeſſione detectum, & vt tale ſibi commiſſum celare, & ad hoc tenetur ſacerdos de lege naturæ, de lege Dei poſitiua, & de lege poſitiua Eccleſiæ, vt diffuſe probat Scotus di. xxj. q. ij. li. iiij. quem vide. Et non ſolum confeſſor celare tenetur acta & dicta confitentis, ſed etiam confitens ad ipſum tenetur quantum ad acta & dicta ſacerdotis dum illa tendunt in præiudicium ſui, vel confeſſoris, quia quilibet tenetur diligere famam propriam & proximi de lege charitatis. Item celare ſecretum proximi ſibi vt tale cōmiſſum eſt de lege naturæ, id quod Scotus probat quatuor rationibus, ſcilicet ratione charitatis, ratione fidelitatis, ratione veritatis, & ratione veracitatis, & ratione vnitatis & mutuæ vtilitatis, quas & latè deducit poſt Scotum Gabr. di. xxj. qu. vnica. ar. j. lib. iiij. Et ſigillum confeſſionis eſſe de iure naturæ probat Richardus eadem di. ar. iiij. q. j. li. iiij. Paludenſis verò dicit id eſſe de iure diuino, & de neceſſitate ſacramenti ſuper quo etiam papa nō habet poteſtatem. Cadit autē ſub ſigillo confeſſionis quicquid cōfitens vult aut velle debet tanquam ſecretum celari. Debet autem velle celari omnia per quorum relationem ipſe confitens prodi poſſet, vel mala ſuſpicio de eo generari in cordibus aliorum. Similiter & perſona tertia ſiue neceſſariò ſiue ſtultè, vel etiam doloſe detecta in confeſſione. Nā quilibet tenetur velle proximi famam conſeruare ſicut ſuam: dum illud fieri poteſt ſine maiori detrimēto. Item debet velle celari omnia per quæ poteſt populo ſcandalum generari, vel confeſſio magis odioſa vel minus dilecta, vel magis oneroſa, aut minus precioſa reputari. Item omnia per quæ poteſt prouenire confitenti, aut aliis detrimentum in anima, corpore, aut poſſeſſione aut fama ſiue amicis. Vnde non ſolū peccata & perſonæ, ſed circunſtantiæ quęcunq;, quæ in confeſſione deteguntur, per quas vel quæ aliquid prædictorū contingere poſſet ſub confeſſionis ſigillo ſunt claudendæ vel claudenda. Vnde ſanctus Bonauen. diſtinctione. xxj. lib. iiij. q. vltima in fine. Confeſſionis ait ſigillum adeo eſt cuſtodiendum, vt non ſolum vitetur fractio: imo etiā dignum eſt vt tollatur de hoc omnis ſuſpicio, ne in contemptum veniat ſacramētum confeſſionis, &c. Et ſecundum Scotum & Richardum & alios. In nullo caſu licet ſacerdoti reuelare confeſſionem, ſiue confitens pœniteat ſiue non, ſiue cōfiteatur peccata iam opere perpetrata ſiue perpetranda, ſiue ſit peccatū in moribus ſiue in fide. Concordat ſanctus Thomas & Bonauentura. Similiter Alexander parte iiij. q. lxxviij. Excepto peccato perpetrando de futuro. Debet tamen confeſſor cauere diligenter pro poſſe ne peccatum perpetrandum, ſibi in confeſſione detectum opere perpetretur: maximè ſi fuerit peccatum ad aliorum corruptionem in fide ordinatum: obſeruata tamen diſcretione vt nullo modo prodat illum qui ſibi confeſſus eſt: ac ne aliqua mala ſuſpicio de illo generetur, vt ſcribit Gabr. vbi ſupra, ar. iij. dub. j. Et quæ confeſſor in confeſſione nouit, non nouit vt homo, ſed vt Deus, ergo nihil tale reuelandum eſt homini. Et verſus quem quidā allegant, volentes per hunc confeſſionem in quibuſdam caſibus reuelandam, ſcilicet. *Eſt hæreſis crimen quod nec confeſſio celat*. Falſus eſt & erroneus quātum ad ſenſum verborum, vt vult Scotus, quantum verò ad menſuram pedūm, bonus eſt. Et confeſſor qui audit & dicit (inquit Gabr.) puta abſoluit facit in perſona ſua: ſed vt miniſter Dei, ſicut omnia ſacramenta miniſtrantur ex perſona miniſtri, ſed auctoritate Dei. Item ſi tyrannus minaretur mortem confeſſori niſi reuelaret ſibi confeſſa, debet plus timere Deum & ſe offerre martyrio, quàm tranſgredi legem Dei, naturæ & Eccleſiæ, reuelando confeſſionem, vt idem ait Gabr. Item celatio confeſſionis nunquam cedit in periculum ſalutis: vt paulò pòſt idem dicit Gabr. ideo nunquam reuelanda eſt confeſſio. Confeſſor quoque (vt dictum eſt) tenetur triplici iure ad celandum confeſſa, diuino, ſcilicet, naturali, & poſitiuo Eccleſiæ. Probat hoc Scotus. Sed ſi confeſſor ad dicendā veritatem iuraſſet, &c. poſſet ſic dicere. In his in quibus poſſum perhibere teſtimonium, nihil ſcio: vel ſimili modo. Neque iudex vltra debet, nec poteſt cōpellere. Sicut in ſimili productus in teſtem, non debet manifeſtare ea quæ ſub ſecreto ſibi commendata recepit, ſic enim manifeſtando, ageret contra legem naturæ: ad quod nemo compelli debet. Poteſt & ſacerdos ſecurè iurare & dicere ſub iuramento, ſe neſcire quæ nouit per confeſſionem, quoniam illa non nouit vt homo, ſed vt Deus. Ita communiter Doctores imitantes Alexā. Tho. Bonauen. Richar. Petrum de Palude. vt etiam ſcribit Gabr. quem conſulito & legito vbi ſuprà. Et de confeſſione alias multa legātur apud Doctores, & caſus, &c.

Confiteri idem eſt quod veritatem ſponte fateri. Et hoc contingit dupliciter: vt ſcribit Iacobus de Valentia Epiſcopus Chriſtopolitanus Pſalm. ix. Nam aut cōfitemur facta noſtra, aut facta Dei. Primo modō nō poſſumus cōfiteri niſi peccatū, quia in actib⁹ noſtris vt noſtri ſunt, non inuenitur niſi peccatū: ſecundū Aug. Si quid boni agimus, illud nō eſt ex nobis tanquam ex nobis, quia omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt, ſecundū Apoſt. Et ideo talis cōfeſſio voluntaria dicitur confeſſio peccatorum, & hoc pertinet ad pœnitentiam. De hac confeſſione dicitur Pſal. 31. Dixi confitebor aduerſum me, &c. Cōfeſſio autem de Deo eſt triplex, quia aut cōfitemur eius excellentiam & omnipotentiam: vtputa ipſum eſſe trinum & vnum & omnium creatorem & incarnatum & redemptorem, & tunc dicitur confeſſio fidei, de qua agit ſaluator Matth. 10. Qui me confeſſus fuerit corā hominibus, confitebor & ego eum, &c. Aut confitemur eius bonitatem & miſericordiam, & ſic narramus & allegamus eius nobis collata beneficia, & talis dicitur confeſſio beneficiorum, & pertinet ad gratiarū actiones & ad laudes. Et de hac Dauid fecit plures Pſalmos qui incipiun-

 C O

tur à confeſſione: puta Confitebor, aut Cõfitemini Domino, quoniam bonus. Item de hoc fecit omnes Pſalmos alleuiaticos & hymnos de laudibus Dei, memorãdo beneficia. Tertio autem poſſumus confiteri iuſtitiam Dei, narrando eius iudicia iuſta, occulta aut manifeſta, & hęc dicitur confeſſio iuſtitię, & iudiciorum occultorum & ineffabilium & tremendorũ Dei. De hoc eſt iſte Pſalmus: Confitebor tibi Domine in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua, id eſt, non ſolùm ore, ſed toto corde tibi ſpontè manifeſtabo: & profitebor omnia mirabilia & tremenda iudicia tua, &c.

Conficere Aliquid confici vel effici ab alio ſecundum Gabr. di. xiij. q. j. ar. j. li. iiij. poteſt intelligi tripliciter, ſcilicet poteſtate naturalis agẽtis, vel operatione meritoriæ actionis, vel virtute aſſiſtente principalis cauſæ. Et conficere eſt corpus Chriſti conſecrãre. Nulla autem creatura conficere poteſt Euchariſtiam primo modo, nec ſacerdos ſecundo modó, quia vt dicit Aug. in li. de corpore Chriſti, non in merito conſecrantis, ſed in verbo efficitur creatoris. Tertio modo per virtutem creatoris aſſiſtentem: vt aliàs dè efficacia ſanctorum dicit Gabr. diſtinctione ix. qu. j. Soli autem ſacerdotes ritè ordinati habent poteſtatem a Deo Euchariſtiam conficiendi, vt habetur de ſum. tri. & fi. ca. c. firmiter. Et ſacerdos proferens verba ſuper materia debita, habens intentionem faciendi hoc quod Chriſtus inſtituens ſacramentum fieri voluit, conſecrat ſiue hæreticus ſit ſiue catholicus. Non habens hanc intentionem in genere non conſecrat. Poteſt autem hanc intentionem habere in genere etiam ignorans quid ſit id quod Chriſtus inſtituens voluit per huiuſmodi verba ſic ꝓlata fieri. Poteſt etiam eam habere hæreticus circa alium articulum, vel circa hoc ſacramentum, credens tamen transſubſtantionem fieri ſeu Chriſtum eſſe in ſacramento: vt certum eſt. Plura Gabriël de conſecratione corporis Chriſti vbi ſuprà. Et lect. iiij. canonis, dicit quod conficere aut conſecrare Chriſti corpus & ſanguinem, nihil aliud eſt quàm conuertere ſubſtantiã panis in corpus, & ſubſtantiã vini in ſanguinẽ Chriſti, verbis ſaluatoris. Vnde Ambro. in lib. de ſacramentis. de conſecra di. ij. panis. Panis eſt in altari vſitatus ante verba ſacramentorum vbi acceſſit cõſecratio, de pane fit caro Chriſti. Et Aug. 4. de tri, de conſera. di. ij. Corpus. Corpus & ſanguinem Chriſti dicimus illud quod ex fructibus terræ acceptum & prece myſtica conſecratum rectè ſumimus ad ſalutem ſpiritualem. Vnde Magiſter di. xij. quarti. c. j. Sacerdotes dicuntur conficere corpus Chriſti & ſanguinem, quia eorum miniſterio ſubſtantia panis fit caro, & ſubſtãtia vini fit ſanguis Chriſti. Cõuerſio autem hæc tria dicit, ſcilicet, ſubſtantiæ panis & vini deſitionem. Accidentiũ dictarum ſubſtantiarũ conſeruationẽ, & corporis & ſanguinis Chriſti ſub conſeruatis ſpeciebus & accidentibus præſentialem incœptionẽ. Nullum autem horum triũ ſacerdos facit ſua naturali virtute, nec ſuo merito facere hæc poteſt, ſed hæc fiunt à ſacerdotę virtute occulta nõ inſiſtente, ſed aſſiſtente. Hæc latius declarat Gabr. lectione iiij. canonis. De hoc Scotus di. xiij. q. ij. & lib. iiij. concorditer ſcribit ad prædicta. Conficere Euchariſtiam vt principalis cauſa nulli poteſt cõpetere niſi ſoli Deo, licèt vt cauſa inſtrumentalis, vel vt magis propriè dicta, vt miniſter poteſt cõpetere alicui homini, quia ſic Deus ordinauit quod in quibuſcunq; ſacramẽtis miniſter poſſit eſſe homo. Sic ergo loquẽdo de cõficiente miniſtrũ poſſe conficere, poteſt intelligi dupliciter. Vno mòdo abſolutè: ita, ſcilicet, quod ſi attentet facere, facit quod intendit. Alio modo de poſſe ordinatè facere, & hæc diſtinctio generalis eſt in omnibus ſacramentis, quia plus requirit ordinatè miniſtrari in eis quã ſimpliciter miniſtrari, loquẽdo de poſſe ſimpliciter, nihil requiritur vltra materiã debitã niſi miniſter debitus: ad quẽ requiruntur tres conditiones, ſcilicet quod ſit ſacerdos: quod poſſit proferre verba cõſecrationis: & quod poſſit habere intẽtionem debitã faciendi, ſcilicet, quod intẽdit Eccleſia facere. Secunda cõditio & tertia ſunt communes hic & in miniſtrante alia ſacramenta, propter defectum ſciẽtiæ non poteſt mutus cõficere, propter defectũ tertiæ, carẽs vſu rationis nõ poteſt cõficere. Et eodem modo de baptizando & conferendo quæcunq; alia ſacramenta. Sed prima cõditio eſt propria circa Euchariſtiã, ſcilicet, quod ſolus ſacerdos poteſt, & quilibet cui poſſunt cõpetere illæ duæ conditiones, ſcilicet prolatio & intẽtio. Et quod ſolus probatur per illud extra de ſum. tri. & fi. catho. vbi dicitur. Hoc ſacramentũ nemo poteſt cõficere niſi ſacerdos qui ritè fuerit ordinatus ſecundũ claues Eccleſię. Scotus, & probatur ex illo verbo Chriſti. Matth. 26. Hoc quotieſcunq; feceritis, &c. Vbi loquitur Apoſtolis, vel ad minus nõ niſi diſcipulis quibus in Euchariſtia ad minus nõ ſuccedunt niſi ſacerdotes. Apoſtolis ſuccedunt epiſcopi, diſcipulis presbyteri. Vnde & S. Paulus. 1. Cor. 10. ait: Panis quẽ frangimus, nónne cõmunicatio corporis Domini eſt? Quẽ frangimus nos inquit Apoſtoli & diſcipuli eius. Si enim quilibet fidelis poſſet cõficere, nõ oporteret aliũ aliis frãgere, ſed quilibet poſſet de ſuo ſacrificio communicare, vt ſcribit Scotus vbi ſuprà. Et paulò pòſt de degradato dicit: qui & ſimiliter cõficere poteſt. Eodem modo de hęretico & ſciſmatico ſi intendunt (licet nõ ordinatè poſſint cõficere) facere quod Eccleſia facit, cõficiunt, & quod Chriſtus inſtituit faciendum. licèt nec intendat in ſpeciali, quia credit Euchariſtiam nihil valere. Ad poſſe autẽ ordinatè conficere multa concurrunt, quæ tamẽ multa Scotus ad tria reducit, ſuppoſito quod habeat materiã conuenientẽ: & poſſit verba proferre cum intentione debita ſuperaddita huiuſcemodi. Et ex parte miniſtri ſunt in duplici differentia. Quædã ſunt amotiones impedimentorum, & quædam appoſitiones cõuenientium ſeu idoneorum, vt amotio culpæ, exiſtẽs enim in peccato mortali nõ poteſt ordinatè conficere. Itẽ cũ quis nõ eſt ieiunus ieiunio naturæ, de quo aliàs dicitur. Impedit & pœná canonica, vt eſt degradatio, irregularitas, excõmunicatio maior, ſuſpenſio ab executione eorũ quæ ſunt ordinis, ſimonia, infamia: & quædã alia huiuſmodi ad iſta reducibilia: vt ſub infamia poteſt cõtineri eſſe publicum peccatorẽ, quod cõtinet multa, publicũ fornicatorẽ, publicũ vſurariũ: & huiuſcemodi, &c. Itẽ perſonis defectuoſis nõ licèt cõficere, & altari miniſtrare. Itẽ ad ordinatè conficiendũ ex parte miniſtri requiritur appoſitio conuenientiũ, ſcilicet, ornamentorũ, vt habetur

de con-

de conſecra.di.xj. Veſtimenta. Dicitur ibi quod veſtimenta Eccleſiæ quibus Deo miniſtratur, debent eſſe ſacrata & honeſta, quibus in aliis vſibus non debent vti quàm in Eccleſiaſticis, & Deo dignis officiis. Hæc Scotus. Quæ autem ſunt hæc indumenta communia Epiſcopis & Presbyteris vt habet Innocentius de offi.miſſæ, parte.j.c.x. ſunt ſex, ſcilicet amictus, alba, cingulum, ſtola, manipulus, planeta. In quibuſdam tamẽ locis cõſuetudo obtinuit quod non oportet cingulum benedici, & ſic non apparet quin liceat vti cingulo non benedicto, &c. Pœna autem miniſtrantis (in quocunque impedimento canonico) videtur eſſe irregularitas, vt patet extra de clerico excommunicato vel depoſito, in diuerſis capitulis. Et hoc maximẽ ſi miniſtrans ſciat talem pœnam ſibi inflictam. Vide latiùs Scotum vbi ſuprà, & paulò infrà de peccatore publico ſeu notorio certum eſt quod ante pœnitentiã peccat mortaliter conficiendo; non tamen quia eſt in peccato mortali, ſed quia ſcandalizat id quod poſsit dici de publico vſurario, etiam manente in peccato vſuræ. Plura ibi Scotus. Et in fine illius quæſtionis dicitur quod oportet celebrantem habere aliquem reſpondentem in perſona totius Eccleſię, vt denotetur eſſe mediator inter Deum & Eccleſiam, offerens ſacrificium Deo pro Eccleſia quæ ſibi aſsiſtit in offerendo, &c.

Confirmatio quandoque accipitur pro conſtanti firmitate in bono, quemadmodũ beati dicuntur confirmati, vel confirmatio importat conſtãtem firmitatem in aliqua virtute, quæ de lege ordinata eſt inuertibilis in vnum contrarium. Sicut aliquem diceremus in gratia confirmatum, quia aliqualiter inuertibilem ad peccatum: vt dicit Dominus Cardinalis Camera. & hæc dicitur continua, firma & perfecta perſeuerantia voluntatis in bono. Quandoque capitur pro ſigno talis confirmationis. Tertiò ſumitur pro quadam vnctione quę dicitur eſſe vnum de ſeptem ſacramentis Eccleſiæ nouæ legis, de qua paulò pòſt videbitur.

Confirmatio viæ & patriæ differunt, vt ſcribit Gabr. di.iij.ar.iij.q.ij.lib.iij. quod confirmatio viæ in hoc conſiſtit, quia Deus concurrit ad opera meritoria quæ liberè vult elicere: & nunquam ad opera mala. Et ſupplet negligentiã ſi omitteret opera bona debita. Hæc ſecundum Bruleſer. dicitur impoſsibilitas peccandi per gratiam proueniens ſolum ex manu tentia Dei omnipotentis: qui tenet ſuper iuſtos in recta & bona voluntate. Et ſecundum eundem duplex eſt impoſsibilitas peccandi, ſcilicet, per naturam, & gratiam. Prima conuenit ſoli Deo, & ideo Deus non eſt confirmatus in bono, iſta impoſsibilitas peccandi non eſt cõmunicabilis creaturæ, quia omnis creatura eſt vertibilis. Nam vertibilitas eſt propria paſsio creaturæ. Vnde Apoſtoli quantumcunque boni fuerunt: non tamen fuerunt confirmati, vt dicit Bruleſer, quia in eis non fuit perſeuerantia continua, etiam poſt receptionem ſpiritusſancti in die Pentecoſtes nõ habuerunt impoſsibilitatem peccandi per gratiã: nec fuerunt confirmati tali confirmatione. Patet per ſcripturam, quia Petrus fuit reprehenſus à Paulo, & reprehenſibilis erat, quia non rectè ambulabat ad legem Euangelij, & ſicut ipſe qui erat principalior peccauit, ſic alij potuerunt peccare. Sed Virgo glorioſa cõfirmata fuit in via (vt dicit Gabr.) ita quod mereri potuit, & nullo modo peccare, aſsiſtente gratia diuina, id eſt, gratuita Dei voluntate eam peccare non permittente. Item beatus Ioannes ab annis diſcretionis fuit confirmatus in gratia, ſcilicet, eam (vt inquit Bruleſer) impoſsibilitatem peccandi habuit, quam Apoſtoli, ſcilicet, per gratiam. Item ſecundum eundem di.xij.q.j.lib.iij. Chriſtus peccare non potuit, & ratio eſt triplex, ſcilicet, plenitudo gratiæ, confirmatio gloriæ, & vnio diuinæ naturæ & humanæ. Plenitudo gratiæ facit quod ipſe Chriſtus ſecundum humanam naturam habuit gratiam confirmationis, ſed illa gratia adeo liberum arbitrium confirmat, vt nullo modo poſsit infirmari per culpam, hoc ipſum facit confirmatio gloriæ: quæ quidem fuit in Chriſto à ſuæ cõceptionis primordio, ſtatim enim fuit beatus & comprehenſor. & ſicut beatus non poteſt damnari, ſic etiam non poteſt præuaricari, ac per hoc in Chriſto nulla potuit eſſe ſecundum animam macula peccati. Dicit & de beata Virgine quod ipſa in conceptione filij licet non ante habuit impoſsibilitatem peccandi, nec vnquam infecta fuit aliquo peccato, nec originali, vt pulchrè oſtendit & probat Bruleſ. Et (vt idẽ dicit) multi ſunt ſancti in Paradiſo qui excedunt in gratia à viatoribus, vt ſunt viatores in præſenti vita: & tamen poſſunt peccare, illi autem non. Per hoc notum eſt quod non eſt gratia gratum faciens, ſed gratia gratis data. Ex iſtis infertur propoſitio quod iuſti non poſſunt peccare. Bruleſer. di.vij.qu. iiij.lib.ij.di.vij.q.j.lib.iiij. Sed confirmatio patriæ (vt dicit Gabr. vbi ſupra.) eſt qua confirmati ſunt beati qui habent in ſe actum beatificum perpetuè à Deo creatum & conſeruatum: qui repugnat omni peccato commiſsionis & omiſsionis: à quo beati nunquam ceſſare poſſunt Deo illum actum in eis conſeruante, & per hoc non poſſunt peccare. Sed in nullo viatore (vt idem dicit) eſt talis actus, nec alius quicunque perpetuus, quia nullus viator, nec etiam beata Virgo fuit ſemper in actu diuino contemplationis: vt dicit Hugo in li. de triplici holocauſto. Non enim ſemper fuit in actuali vſu rationis: puta tempore ſomni. Confirmatus in iuſtitia poteſt intelligi dupliciter, vt ſcribit Gab. di.xx.q.vnica.li.ij. Vno modo quia non poteſt peccare eo modo quo creaturam contingit non poſſe peccare. Alio modo quis dicitur confirmatus, quia nõ peccabit. Sic quidam viatores in vtero ſanctificati poſſunt dici confirmati, præſertim quantum ad mortalia, quia fortè etiam peccauerunt venialiter, ſecundũ illud. 1. Ioã. 1. Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Accipiendo confirmationem primo modo in ſtatu innocentiæ: electi non fuerunt in gratia confirmati: quia talis confirmatio repugnat ſtatui viæ, ſed ſtatus innocentiæ in Paradiſo fuiſſet ſtatus viæ, illa enim confirmatio includit certitudinem de non peccando, quæ eſt pars beatitudinis, beatitudo autem repugnat ſtatui viæ. Sed in ſtatu innocentiæ electi fuiſſent ſtatim poſt generationem in gratia ſecũdo modo cõfirmati: quia ſi Adam non peccaſſet, filij ſui nunquã peccaſſent, vt probari poteſt per Anſel. j. lib. Cur Deus homo. c. xviij. loquentẽ de primis parẽtibus. vbi dicit

vbi dicit: In illa iuſtitia in qua erant ſi viciſſent vt tentati non peccarent, ita confirmarentur cum omni propagine ſua quod vltra peccare non poſſent, quemadmodum quia victi peccauerũt, ſic infirmati ſunt: vt quantum in ipſis eſt ſine peccato eſſe non poſſunt. Quis enim audeat dicere plus valere iniuſtitiam ad alligandum in ſeruitutem hominum in prima perſuaſione ſibi conſentientem: quam valeret iuſtitia ad confirmandum eum in libertate ſibi in eadem prima tentatione adhęrentem. Nam quemadmodum humana natura tota erat in parentibus primis, tota in illis victa eſt vt peccaret, ita in illis tota viciſſet ſi non peccaſſet. Et beatus Greg. iiij. moral. Non genuiſſent reprobos in ſtatu innocentiæ, ergo nec peccatores. Peccatores namque reprobi ſunt, & ſi non ſemper ſecũdum prædeſtinationem, tamen ſecundum præſentem iuſtitiam. Vide & de hoc Gabr. latiùs vbi ſupra.

Confirmatio vt dicitur vnum ſacramentum de ſeptem ſacramentis Eccleſiæ, ſic deſcribitur: vt habet Gab. diſt. vij. q. vnica li. iiij. Confirmatio eſt vnctio hominis viatoris baptizati aliqualiter conſentientis, vel ante ſuſceptionem rationis vſum non habẽtis factam in fronte in figura crucis cum chriſmate ſanctificato, à miniſtro idoneo ſimul cum debita intentione certa verba proferente ex inſtitutione diuina ſignificans vnctionem animæ per gratiam roborantem confitendum fiducialiter Chriſti fidem. Concordat Scotus di. vij. qu. j. lib. iiij. & Dominus Cardinalis Camera. q. iiij. lib. iiij. Hæc diffinitio eſt cauſalis tangens materiam, miniſtrum, formam ſuſcipientem, modum, & finem. Nam cum dicitur, vnctio: tangitur materia propinqua & etiam quidditas confirmationis. Nam confirmatio non eſt res permanẽs puta chriſma, ſed operatio trãſiens, id eſt vnctio ſeu actus vngendi in fronte. Dicitur, hominis baptizati: quia non baptizatus confirmari non poteſt, ſicut nec ordinari, nec aliud ſacramentum in operatione cõſiſtens ſuſcipere, cũ baptiſmus eſt ianua & fundamentum cæterorum ſacramentorum, vt dicitur de conſecra. di. iiij. Tantum itaq;, in fine. Dicitur, in operatione conſiſtens: propter ſacramentum Euchariſtiæ, quia cum illud non conſiſtit in operatione circa ſuſcipientem, nihil præſupponit in eo. Ideo non baptizatus, imò animal brutum ſi ſuſcipit ſpecies ſacramentales Euchariſtię, verum ſuſcipit ſacramentum. Nam ſpecies ſunt ſacramentum etiam non ſuſceptæ. Secùs de aliis ſacramentis: illa enim conſiſtunt in operatione circa ſuſcipientem, ideo prærequirunt baptiſmum in eodem vt ſint ſacramenta, etiam matrimonium etſi ſit apud infideles, non tamen apud eos eſt ſacramentum, vt ſuo loco patet. Et de hoc vide Alexã. parte iiij. q. xxviij. memb. ij. ar. ij. Concordat ſanctus Bonauen. di. vij. ar. ix. li. iiij. & Tho. q. iiij. ar. iij. di. vij. in ſcripto iiij. Dicitur, aliqualiter conſentientis: eodem ſiquidem modo requiritur conſenſus in ſuſcipiente ſacramẽtum confirmationis, ſicut requiritur in ſuſcipiente baptiſmum. Dicitur, viatoris: patet hoc in diffinitione baptiſmi. Dicitur, facta in fronte: vbi notatur determinata pars corporis, in qua ſi non fieret, non eſſet confirmatio. Nã vnctio quæ fit in vertice cum chriſmate baptizato puero à ſacerdote baptizante, non eſt confirmatio. Cuius ratio eſt inſtitutio diuina. Congruitas verò ſecundum Rich. hęc eſt: quia cum hoc ſacramentum ordinetur ad fiducialiter vel cum fiducia & conſtantia ſine timore & ſine erubeſcentia fidem confitendum, quantũ ad articulum mortis Chriſti in cruce, & ſigna timoris & erubeſcentiæ maximè apparent in fronte, ideo qui confirmatur, vngitur chriſmate in fronte per modum crucis, vt oſtendatur ſibi quod crucem Chriſti ſine timore & erubeſcentia confiteri debeat. Vnde Gerſon in regulis moralibus dicit quod ſacramentum confirmationis ad robur inſtitutum tenetur quilibet Chriſtianus habens vſum rationis non contemnere: præſertim imminente periculo confeſſionis Chriſti coram infidelibus faciendæ. Et frons confirmati (vt notat Rich. di. vij. ar. vj. q. ij. lib. iiij.) debet ligari quouſque deſiccetur; ne frons inuncta aliquas ſordes ſubtrahat. Et etiam ſecundum Hugo. ij. li. de ſacramentis, parte. vij. c. vl. Cõfirmatum decet non lauare caput vſque ad ſeptem dies, propter ſeptem dona ſpiritusſancti, & quia Eccleſia ſeptem diebus celebrat aduentum ſpiritusſancti in diſcipulos. Hæc Rich. Dicitur, in figura crucis: ſic enim concordat formæ in qua dicitur: Signo te ſigno crucis. Alioquin niſi ſic fieret, forma non eſſet vera. De hoc Stephanus papa de conſecra. di. v. Numquid, ait: Numquid nõ omnia chriſmata ſacerdotali miniſterij crucis figura perficiuntur? Dicitur, cum chriſmate, nam ſi fieret cum oleo ſancto: aut oleo infirmorum: non eſſet ſacramentum. Cuius ratio principalis non eſt niſi diuina inſtitutio. Chriſma eſt vnguentum ex oleo oliuarum ac balſamo confectum. Et chriſma conuenienter ſignificat finẽ ſiue effectũ huius ſacramenti. Nam ſicut dicitur de ſacra vnctione. §. per frontis. Per confirmationem ſpiritusſanctus datur ad augmentum: vt liberè confiteatur quod credit: quia corde creditur ad iuſtitiam: ore autẽ fit confeſſio ad ſalutẽ. Hęc autẽ includũt interiorẽ cõſcientię nitorem per puram fidem. Oleum verò cùm ſit pingue & conuenientiſſimum ignis pabulum, & nitidum, conuenienter reprę̃ſentat gratię pinguedinem charitatis feruorẽ & fidei interiorem nitorem. Balſamus autem cùm ſit maximè odoriferus, & à corruptione præſeruatiuus, conuenienter repræſentat bonum odorem famæ, fidei, qui diffunditur per confeſſionem oris, qua audientes præſeruantur à corruptione erroris. Et quia chriſma eſt determinata materia huius ſacramenti, non ex quocunque oleo, ſed ex oleo oliuæ & balſamo conficitur. Dicitur ſanctificato: quia vt chriſma ſit materia confirmationis, requiritur vt ſit conſecratũ ab epiſcopo. Cuius ratio eſt inſtitutio diuina, ad quod adducit cõgruentiam Richar. q. j. ar. j. poſt, ſcilicet, Bonauen. & Scotum. Aliter ſentiunt Duran. Palu. & Tho. quos videre potes, & poſt eos videatur Gab. di. vij. q. vnica. lib. iiij. Verum quicquid ſit de illis congruitatibus ratio eſt diuina inſtitutio. Dicitur à miniſtro idoneo, vt eſt epiſcopus, & ſolus talis, vt quidam volunt vt videtur velle magiſter di. vij. lib. iiij. Vide & Hugo. li. ij. de ſacramentis parte vij. ca. ij. & ſanctus Bona. Tho. di. vij. q. v. ar. iij. li. iiij. dicit quod papa poteſt committere actum cõfirmationis ſacerdoti: non autem inferiori. Idem habet Palu. Alius itaque ab Epiſcopo, & omnis confirmatus cui Papa poteſt demandare. Dicitur cũ debita intentione miniſtri,

quæ eſt

quæ eſt velle facere quod Eccleſia intendit: & ſine debita intentione miniſtri non eſt ſacramentum, per omnia ſicut eſt in baptiſmo de intentione baptizantis. Dicitur, certa verba proferentis, vbi tangitur forma huius ſacramenti, quæ eſt: Signo te ſigno crucis, confirmo te chriſmate ſalutis vel ſanctificationis (vt inquit Cardinalis Came.) in nomine patris & filij, & ſpiritusſancti, amen. In qua tangitur finis huius ſacramenti ad quem inſtitutum eſt; quæ eſt confesſio fidei Chriſtianæ, cuius tota ſumma conſiſtit in pasſione Chriſti, vt innuit Apoſt. 1. Cor. 2. Non iudicaui me aliquid ſcire inter vos niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum, habet etiam huius articuli confesſio maiorem difficultatem, quia ſicut dicitur ibidem. ca. j. Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Gẽtibus aut ſtultitiam. Hanc formam (vt inquit Palu.) non habemus ab Euãgeliis, ſed à traditione Romanæ Eccleſiæ, quæ eam accepit ab Apoſtolis, qui eam à Chriſto acceperunt, & hic tangitur finis: cùm dicitur: Signo te ſigno crucis, vt crucis verbum non erubeſcat, ſed publicè confiteatur. Tangitur etiam ſacramentalis actus, tùm dicitur: Confirmo, id eſt, ſacramentum confirmationis trado. Tangitur materia, cùm dicitur: Chriſmate. Tangitur res ſacramẽti, cùm dicitur: Salutis: Tangitur quoque cauſa principalis ſanctificans: in nomine patris, &c. Quod autem hæc ſit forma ratio eſt in pluribus diuina inſtitutio. Verùm quidam loco ſigno dicunt, conſigno, vt Palu. & alij, & loco dictionis ſalutis, dicunt ſanctificationis, & non refert: quia illa verba eundem ſenſum habent, & manente perfectè eadem ſententia, manet eadem forma. Dicitur ſimul, quia neceſſe eſt vt concurrant pro aliquo inſtanti temporis intentio, vnctio, & verborum prolatio: ita vt nullum horum perfectè finiatur ſine aliis, quin ad minus alia ſint incœpta. Dicitur, ex diuina inſtitutione, ſignificãs, vbi tãgitur auctor & inſtitutor huius ſacramenti. Verũ de hoc tecitat Alexã. parte iiij. q. xxiiij. mem. j. & poſt ſanct. Thom. tres opiniones. Prima quam tenet Alexan. quod illud ſacramentum non eſt inſtitutum nec à Chriſto, nec ab Apoſtolis, quia non legitur vbi & quando. Et neque Chriſtus neque Apoſtoli vſi ſunt hac materia, neque hac forma, ſed ſola manuum impoſitione. Sed dicit quod confirmatio inſtituta ſit ab Eccleſia in cõcilio Meldenſi: & hanc opinionem ſequitur ſanctus Bonauẽ. Secunda opinio tenet quod illud ſacramentum inſtitutum ſit ab Apoſtolis, & ab eis collatum & miniſtratum, qui fuerunt quaſi baſes Eccleſiæ. Ambas has opiniones reprobat ſanct. Tho. Nam cum fundamentum cuiuslibet legis in ſacramentis conſiſtat, ſacramenta non poſſunt inſtitui, niſi per legiſlatorem, qui eſt Deus. Eſt ergo tertia opinio quod ſicut cætera omnia ſacramenta nouæ legis: ita & confirmatio à Chriſto inſtituta eſt. Hanc opinionem approbat ſanctus Tho. quem in hoc imitatur Scotus, Richar. Durandus, Aliacenſis, & cæteri plures. Vnde dicendum quod Chriſtus ſacramentum illud inſtituit, materiam & formam determinauit, non tamen potentiam ſuam alligauit ſacramentis. Videatur Gabr. vbi ſupra. Quod autem (vt dicit Gabr.) tempus inſtitutionis & modus non legitur in ſcriptura, non probat: quia multa fecit Deus quæ ſcripta non ſunt. Ioan. 20. Multa denique tradita ſunt Eccleſiæ ab Apoſtolis & per ſucceſſionem Epiſcoporum ad nos deriuata, quæ non ſunt ſcripta in canone Biblię, vt habet Innocentius de offi. miſſæ. & in c. Cùm Marthæ. de celebra. miſſa. Et hæc opinio videtur ſanior & melior. & ideo dicitur, ex inſtitutione diuina. Dicitur vltimo, efficaciter ſignificans vnctionem animæ. Vbi tangitur res huius ſacramenti: quæ eſt gratia animæ collata ad conſtanter credendum, & ore intrepidè ſine verecundia confitendum fidem crucifixi. De quo Melchiades Papa de conſecra. di. v. Spiritus, quem refert Gab. vbi ſupra. Et vt Dominus Cardinalis Camera. dicit q. iiij. ar. j. lib. iiij. Effectus huius ſacramenti eſt acceptio ſpiritusſancti ad Robur contra omnia tentamenta, & cõfortatio animæ in virtute, & ſpecialiter in virtute conſtantiæ in fidei confesſione. Vnde Act. 8. Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebãt ſpiritum ſanctum, &c.

Confirmatio breuius ſic diffiniri poteſt. Eſt vnctio frõtis baptizati per ſanctificatum chriſma, efficaciter ſignificans vnctionem animæ per gratiam ad robur, & ad liberè confitendũ fidem crucifixi. Vltima clauſula includit cæteras hic dimiſſas, & in priori diffinitione poſitas, quoniã ſi aliqua earum defuerit ab vnctione, iam non efficaciter ſignificabit vnctionem animæ, &c. & ſic non erit ſacramentum: vt ſi non fuerit miniſter idoneus, aut nõ debita forma verborum, & hoc ſacramentum nouę legis non eſt iterabile propter indelebilem characterem confirmato impreſſum. Et hoc probatur auctoritate cõcilij Terraconẽſis. de cõſecra. di. v. Vide Gab. d. vij. q. vnica. ar. ij. cõcluſione ij. & cõcluſione iij. dicit tenẽtes ſolos Epiſcopos (prout Epiſcopatus diſtinguitur à ſacerdotio) cõfirmare videntur magis veritati appropinqnare. Nã vt habetur ex actibus, ſoli Apoſtoli confirmauerunt per manuum impoſitionem qui fuerunt, eorumq́ue loco ſucceſſerunt Epiſcopi, ſicut. lxxvij. diſcipulis ſucceſſerunt ſacerdotes: vt dicit Anacletus: qui fuit quintus à beato Petro Papa Romanus. Vide latiùs Gabr. vbi ſupra. ibidem.

Confirmatio vt vult Scotus non eſt ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem. Sufficit enim baptiſmus cum fide, vt dicitur Marc. vltimo. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Et hoc idem de cõſecra. d. v. Spiritusſanctus. Eſt tamẽ neceſſaria adulto, ſic quod non contemnat, aliàs non eſt plenus Chriſtianus, vt inquit Aliaco. q. iiij. li. iiij. Et tunc iudicatur contemnere quando oblata omnimoda oportunitate non ſuſciperet. Et ſecundum hoc intelligitur illud Vrbani Papæ de conſecra. di. v. omnes fideles per impoſitionem manus Epiſcoporum ſpiritumſanctum poſt baptiſmum accipere debent, vt pleni Chriſtiani inueniantur. Accipere debẽt loco & tempore cõgruis, & non contemnere. Vnde Glo. ibidem, ſi cõtemnerent, peccarent mortaliter, & hoc de adultis. Durandus dicit, licèt oppoſitum teneat Paludenſis, q. j. quod licèt non eſt neceſſarium ſimpliciter, eſt tamen neceſſarium in caſu, ſcilicet, quando imminet perſecutio: & perſecutor coram quo fides eſt confitenda, & habetur copia miniſtri confirmare volentis & valentis. Vnde Melchiades Papa. Quamuis continuò tranſituris ſufficiant regenerationis

beneficia:

beneficia, victuris tamen neceſſaria ſunt confirmationis auxilia. vide Gab. dub. iij. vbi ſupra. Conuenit prӕterea hoc ſacramentum omnibus baptizatis cui uſcumque fuerint ſexus, ӕtatis, aut conditionis. Conuenit omnibus, vt in eis baptiſmalis gratia augeatur: quo maioris prӕmij in beatitudine ſint participes. Cõuenit etiã omnibus roborari ad ferendum perſecutionẽ prӕſentẽ vel futuram, quia omnes qui piè volũt in Chriſto viuere, perſecutionem patiuntur 2. ad Thim. 3. Nec mulieres excluduntur quӕ aptӕ ſunt ad pugnam ſpiritualem: nec pueri licèt ante vſum rationis non ſint in pugna, expectãt tamen futuram, & cõgruit armari ante pugnã. Nec tranſeuntes: quia in morte eſt pugna grauisſima, & maxima, neceſſarium eſt robur cõſtantiӕ in fide & charitate. Nec muti, quia ſi non in verbo, tamẽ opere & nutu confiteri poſſunt fidem, & per hoc vterq; effectus, ſcilicet, perfectio gratiӕ & ſpirituſſanctus ad robur pugnandi & confitendi fidem conuenit omnibus baptizatis. Vide latiùs Gab. di. vij. q. vnica. ar. iij. dub. vij. Ex quo habetur quod ſacramentũ cõfirmationis ſtatim poſt baptiſmũ dari cõgruit. Nã & Apoſtoli Baptizantes cõtinuò per manuum impoſitionẽ cõfirmabant, & Epiſcopus baptizans ſtatim cõfirmat, nec opus eſt vt infantes habeãt memoriã acceptę confirmationis pluſquã baptiſmatis: ſed ſufficit quod cum adoleuerint ex relatione patrinorum vel aliorum ſe ſciant confirmatos ad cauendum iterationem huius ſacramenti. Et quoniã non paruo gloriӕ priuatur prӕmio, qui ſine confirmationis ſacramẽto decedit, illo, ſcilicet, gradu gloriӕ qui reſpondet gratiӕ confirmationis. Ideo quantum fieri poteſt differenda non eſt confirmatio etiã infantum, ne ſi decederent tanto gloriӕ gradu perpetuę priuarẽtur, vt vult Glo. in cã. vt ieiuni. de cõſe. di. v. Hinc dicit Hugo li. ij. de ſacra. parte. vij. ca. iij. Ab hac vita ſine manus impoſitione, id eſt, cõfirmatione migrare omnino periculoſum eſt. Debet etiam tradi hoc ſacramentum, & ſuſcipi à ieiuniis prӕuia confesſione, vt habetur de conſe. di. v. Vt ieiuni, & ca. ſe. Quod tamen cõſilij eſt & honeſtatis, non prӕcepti: vt dicũt doctores. Excipiũtur tamen infirmi, & morte periclitãtes, quibus non ieiunis tradẽda eſt. Conſuetudo tamen habet quod Epiſcopo prӕſenti ieiunis & non ieiunis traditur propter raritatẽ Epiſcoporũ confirmantiũ. Nec eſt neceſſarium necesſitate ſacramẽti, ſicut nec in baptiſmate: quia verũ eſt ſacramentũ ſi nullus teneat. Eſt tamẽ neceſſariũ necesſitate prӕcepti. Statuit enim Eccleſia quod cõfirmandus teneatur ab altero propter ſignificationẽ, vt oſtendatur in ipſo in potentia ſtandi per ſe in tentationibus ſine gratia cõfirmationis: quia virtus & potẽtia ſtandi ſpiritualiter in pugna tentationũ datur in cõfirmatione, ſicut dicit Melchiades Papa. In baptiſmate regnamur ad vitã, poſt baptiſmũ cõfirmamut ad pugnã. de cõſe. di. v. ſpirituſſanctus. Ex quo patet quod nõ cõfirmatus aliũ ad confirmandũ tenere nõ debet: de conſe. di. iiij. In baptiſmate. Quoniã nõ cõfirmatus (quia ipſe impotẽs eſt ad ſtandũ) impotens eſt ad aliũ tenendũ, vel ſuſcipiendũ, quod ſi fiat nõ cõtrahitur cõpaternitas, vt dicit Glo. in c. allegato. Quilibet quoque cõfirmatus poteſt nõ cõfirmatum tenere eiuſdem vel alterius ſexus, Excepto quod vir vxorem ſuã & vxor virum ſuum tenere nõ poteſt, nec parens prolẽ: quia ſic oriretur cõpaternitas inter coniuges, nec plures vnũ tenere debent, vt in c. Nõ plures. de cõſe. di. iiij. Sed vnus vnũ. Cõſonat Paluden.

Cõformitas idẽ eſt quod ſimilitudo quã cauſat vnitas qualitatis ſecundum B. Tho. j. ſenten. di. xlviij. q. j.

Conformari eſt asſimilari. Rem autem vnam conformari alteri eſt dupliciter ſecundum Richar. in primo ſenten. di. xlviij. q. j. Et aſtipulatur ſanct. Bonauen. eadem di. q. j. Vno modo per participationem ӕqualitatis, & ſic voluntas creata non poteſt conformari diuinӕ, quia non poteſt eſſe ӕqualis cum ſint diſtantes in infinitum. Alio modo per participationem alicuius ſimilitudinis, & imitationis. Nam conformitas eſt conuenientia in forma conſimili, & ſic idẽ eſt quod ſimilitudo. Similia autem ſunt quorum qualitas eſt vna. 5. meta. Vnde ignis & Sol cõformantur in luciditate, licèt lux ſolis excedat improportionabiliter, ſecundũ hanc ſimilitudinẽ imitationis volũtas hominis cõformatur diuinӕ voluntati, inquantũ imitatur illã in rectitudine. Nã rectitudo quӕ eſt formaliter in voluntate hominis, eſt quędã imitatio exẽplata à diuinӕ voluntatis rectitudine. Ad huiuſmodi conformationem inuiuitat & hortatur nos Chriſtus. Matth. 12. Omnis qui facit voluntatem patris mei, ipſe meus frater, ſoror, & mater eſt: non propinquitate ſanguinis, ſed per propinquitatem voluntatis conformis, & dilectionis. Vide latiùs S. Bonauen. & de conformitate noſtra cum diuina: vide infra in dictione voluntas creata, &c. Conformatur & creatura Deo ſecundũ Bonauen. per gratiam, quӕ dicitur ſimilitudo Dei, vel gloriam, quӕ Dei formitas.

Conformari Chriſto (vt ſcribit ſanct. Bonauẽ. di. iiij. li. iiij. circa textum) eſt dupliciter, aut exterius aut interius. Et interius dupliciter, aut per charitatem vnientem, & transformantem eum, qui amatur, & fidem ſimiliter conformantem, aut per aliquod gratiſdatum ad hoc prӕparans & diſponẽs. Sic vt ipſe dicit: viri ſancti & charitatẽ habent & bona opera & conuerſationem ſanctam: & ſacramentũ perceperunt, & Chriſtum induerunt quãtum ad ſacramẽti ſuſceptionẽ, & conformationẽ in conuerſatione exterius, & interius ſimiliter. Sed fictè accedentes: quia exterius ſuſcipiũt ſignum vel quod eſt ſignum pasſionis & mortis & reſurrectionis, & interius characterem, quӕ ad gratiam diſponunt, Chriſtum aliquo modo induunt, ſed imperfectè, quia quamuis non renouẽtur tamen nouo homini quodammodo ſimiles fiunt. Hӕc Bonauen.

Congruitas cõuenientia & eſt duplex, vt ſcribit Bruleſ. di. xx. q. j. li. iij. Vna eſt cõgruitas purè honeſtatis. Alia eſt necesſitatis, vel immutabilitatis. Primӕ eſt illa qua aliquid dicitur cõueniens, decẽs, rationale, honeſtũ licèt nõ ſit neceſſariũ. Iſto modo cõueniens fuit humanã naturã à deo reparari: quia ſicut ceciderat per inobedientiã, ſic reparari per obedientiã congruũ erat. Alia eſt congruitas necesſitatis vel immutabilitatis, & eſt illa qua aliquid dicitur congruũ, quod eſt quodammodo neceſſariũ, ſecundum hoc oportebat Chriſtũ pati, & ſic intrare in gloriã.

Coniungere eſt aſſociare vel applicare. Vnde coniungi Deo ſecundũ Petrũ de Palu. di. xxvj. qu. ij. ar. iij.

in ſolu.

in ſolu.argu.lib.iiij.contingit dupliciter. Vno modo ſecundum habitum gratiæ & charitatis,& quod ſeparat hanc coniunctionem eſt peccatum etiá mor tale. Alio modo ſecundum actum contemplationis & dilectionis,& hæc coniunctio poteſt ſeparari per aliquod quod non eſt peccatum, ſcilicet, per ſolam occupationem animi circa res exteriores quátumcunque licitas. Et vt ibidé dicit. Prima coniunctio non ſeparatur per actum matrimonij, ſed ſecunda tantum, quia in ea deprimitur mens, & quaſi abſorbetur:& ideo populo qui debebat Deum videre præceptum fuit non accedere ad vxores.Palud.

Coniunx idem quod vxor,vel maritus. Et tripliciter dicitur coniunx (vt ſcribit idem Palu.) Primò à prima deſponſationis fide, qui propriè eſt ſponſus, quando matrimonium eſt initiatum. Secundò dicitur verè & propriè coniunx verbis de præſenti, quando eſt matrimonium ratũ, ſed non conſumniatum. Tertiò dicitur verè & propriè coniunx à matrimonio rato & conſummato. Vnde coniugium dicitur matrimonium, de quo infra ſuo loco dicetur.

Connectere eſt coniungere, à quo connexio, coniunctio,& copulatio,&c.

Connexio virtutum ſecundum Gabr. di.xxxvj. q. vnica.ar.j.lib.iij.poſt Occam in iij.q.x.iuxta finem dupliciter poteſt intelligi. Vno modo ſic quod connectantur ſeipſis formaliter, ita quod poſita vna virtute ſecundum gradum perfectum,vel imperfectum ponatur alia eo ipſo ſecundum gradum ſimilem perfectum vel imperfectum. Secundo modo poteſt intelligi diſpoſitiuè, ita quod poſita vna virtute ponitur quædam diſpoſitio ad alias virtutes.

Et hoc dupliciter, vel principatiuè vel inclinatiuè. Principatiuè ita quod in quolibet habente virtutem vnam ſunt quædam principia quibus diſponitur ad actum cuiuſlibet virtutis occurrente eius materia. Hæc principia in ratione ſunt propoſitiones vniuerſales per ſe notæ, quæ poſſunt eſſe præmiſſæ, ſcilicet, maiores in ſyllogiſmo practico, concludéte propoſitioné particularé, ſiue concluſioné particularé directiuá ad actũ cuiuſlibet virtutis. Et in voluntate aſſenſus voluntatis, quo elicit velle dictatũ per huiuſmodi vniuerſales propoſitiones, vt ſunt illa principia. Omne dictatũ à recta ratione eſt faciendũ, omne honeſtũ eſt agendum, omne turpe eſt fugiendũ, omne bonũ dictatũ à recta ratione eſt eligendum, eſt diligendũ:& ſic de aliis multis,& velle conformiter illis. Inclinatiuè, ita quod habet aliquem actum in voluntate per quem concurrente prudétia, id eſt, recta ratione inclinatur ad primum actum alterius virtutis: vt qui habet in ſe virtutem caſtitatis, qua vult continere ab omni concubitu, ſi occurrit aliquis volens compellere pęnis ad incontinentiá: iam virtus caſtitatis inclinat ad velle fortiter ſuſtinere pœnam, ne perdat caſtitaté, quod velle eſt primus actus fortitudinis. Et virtutes morales (vt habet Gabr. vbi ſupra.poſt Occam) inter ſe in nullo gradu ſunt formaliter connexæ. Poteſt enim quis ſe exercere in vna virtute,& non in alia, ſicut exercens ſe in virtute temperantiæ, poteſt nũquam elicere aliquem actum magnificentiæ vel liberalitatis, vt religioſi voluntarij pauperes propter Deum, omnium temporalium proprietatem abdicantes, nec de actibus magnificentiæ aut liberalitatis cogitare. Plura vide de hoc Gabr. & Scotum.

Omnes autem virtutes morales veræ ſeu perfectæ quantum ad eorum actus principatiuè ſunt adinuicem connexæ. Et hoc clarius vide in Occam vbi ſupra.q.xj.li.iij.& reporto.iij.& quotlibet.iiij.qu.vj.& dicitur quantum ad eorum actus, quia habitus virtutis poſſunt manere in volũtate peccantis: & tũc nõ inclinat principiatiuè ad actum virtutis, quia in peccante non eſt hoc principium in voluntate, ſcilicet, velle omne dictatum à ratione recta, quia impoſſibile eſt voluntatem velle peccare, & ſimiliter velle omne dictatum à recta ratione, quia recta ratio dictat non eſſe peccandum, & ſic vellet ſimiliter contradictoria. Licèt ergo habitus virtutis præſupponat hoc principium voluntatis in fieri: non tamen ipſum requirit in facto eſſe. Latiorem declarationé vide apud Gabr. Sunt præterea omnes virtutes morales ſeu perfectæ inclinatiuè ad inuicem connexæ, quia omnis virtus vera cum voluntate eſt generatiua primi actus cuiuſlibet virtutis ex quo virtus poteſt generari, quia ſi quis habet virtutem, habet habitum inclinantem eum firmiter ad eliciédum actum virtuoſum,& ita ad non dimittendum actum propter quodcunque contrarium vel impediens. Et ideo ſi per actum alterius cuiuſcunque virtutis poteſt reſiſtere aut repellere contrarium, ad illum actum occurrente caſu inclinabit. Exempli cauſa, aliquis habet habitum caſtitatis virginalis, ſi alius minetur mortem niſi fornicetur, licet habens caſtitatis virtutem veram, non habet virtutem fortitudinis: quia prius non elicuit aliquem actum eius, tamen antequam velit fornicari, eligit per habitum caſtitatis magis ſuſtinere flagella,& vltima ſupplicia. Et talis electio eſt primus actus fortitudinis, ex talibus enim frequentatis generatur habitus fortitudinis. Vide latiùs Gab. vbi ſupra. Illa autem virtus ſola eſt perfecta virtus, cuius actus fit principaliter propter finem verè & ſimpliciter vltimum, ſcilicet, propter Deum ſuper omnia dilectum, hoc eſt qui fit propter hoc, quia ratio recta dictauit illum actum eliciendum propter Deum ſuper omnia dilectum. Ex quibus habetur quod omnis habens vnam virtutem veram, habet omnem virtutem ſibi poſſibilem ſecundum cordis præparationem. Et omnis habens vnum vitium ſecundum cordis præparationem, eſt omni vitio irretitus. Et idem eſt de habente actum verè virtuoſum vel vitioſum. Habere autem actus virtutum ſecundum pręparationé cordis, nihil aliud eſt quàm habere diſpoſitionem vel principium inclinans ad actus virtutum. Et irretiri vitio ſecundum præparationem cordis, eſt habere diſpoſitionem vel principium inclinás naturaliter ad vitiũ, & per nullam veram virtutem à tali vitio refrænari. Et ſicut omnis habens veram virtutem vel actum verè virtuoſum, habet in ſe hoc principiũ, quod vult viuere ſecundum rectá rationem, velle agere & cauere quicquid recta ratio dictat eſſe agendum vel vitandum: & per hoc vult actum cuiuſcunque virtutis quem recta ratio dictat. Ita habens vnum vitium ſecundum cordis præparationem, eſt quolibet vitio irretitus, quia habens vnum vitium, habet in ſe diſpoſitionem

ſitionem malam, ſcilicet, contemptum rationis rectæ, auerſionem à Deo, amorem ſui vſque ad contemptum Dei, quę naturaliter eum inclinant occurrente materia cuiuſcunque vitij elicere actum illius vitij. vt habens in ſe vitium luxuriæ, quo vult contra rectam rationem adulterari, inclinatur ad actus quoſcunque promouentes adulterium cuiuſcunq; vitij. Eliceret quoque ſi non prohiberetur vel propter abſentiam obiecti, vel alterius cauſæ particularis quæ ad talem actum requiritur, aut paſſionem prædominantem, vel timore confuſionis aut pœnæ vel damni tẽporalis: & huiuſmodi. Sic adulterium Dauid impulit eum ad homicidium Vrię militis ſui fidelis. Qui enim efficaciter vult adulterari, vult omnia ſine quibus adulterium non poteſt, perficere, & amouere impedimenta per actus quorumcunque vitiorum, niſi aliunde retrahatur. Et horum conſideratio multum valet ad vitiorum deteſtationem, & ad generandum horrorem cuiuſcuuque vitij. Vide latiùs Gabr.

De connexione virtutum cum prudentia. Vnde cõſiderandũ quod omnes operationes virtuoſę cõnexæ ſunt cũ actuali prudentia: quia omnis talis præſupponit dictamẽ rectæ rationis in actu, & quodlibet tale pertinet ad prudentiã. Prolixior eſt Gabr. di.xxxvj.q.vnica.parte ij.ar.ij.li.iij. Habitus quoque virtutis moralis habituali, nõ actuali prudẽtiæ eſt cõnexus, quia nõ poteſt habitus moralis generari ſine habitu prudentiæ, nec manere ſine eo, ergo. Habitus enim moralis nõ generatur niſi ex frequẽtatis actib⁹ virtuoſis. ſed nõ poſſunt frequẽtari actus virtuoſi niſi frequententur actus prudentiæ, ergo ſicut ex illis frequentatis generatur habitus moralis: ſic ex iſtis frequentatis generatur habitus prudentiæ. Nec virtus habitualis eſt connexa actui prudentiæ: quia habitus manet in voluntate, nulla conſideratione obiecti talis habitus exiſtente in intellectu, vt patet in dormiente. Prudentia inſuper non connectitur virtuti morali, nec habitus habitui, nec actus actui. De actibus probatur: quia poteſt ſtare iudicium rectum in intellectu, & nulla eſſe electio conformis in voluntate & affectu, ergo. Vnde Aug. ſuper illud Pſal. Fortè viuos deglutiſſent nos. Viui (inquit) abſorbentur qui ſciunt malum eſſe, & tamen conſentiunt. Idem ſuper illud Pſalmi: Fiat menſa. Quid eſt viuos eſſe vitioſis conſentiẽtes, niſi ſcientes vitio conſentire non debere, & tamen conſentire. Ecce nouerunt muſcipulam, & pedem mittunt. Probat Gabriël ratione. Intellectu recta dictante voluntas poteſt nihil eligere, ſicut poteſt non eligere illud quod dictatur ab intellectu, nihil autem eliciendo, non generatur in voluntate aliqua virtus. Ex recto autem dictamine intellectus generatur prudentia ſita abſque virtute morali. Longior eſt Gabr. Vide & Occam. q. vj. quodli. iiij. & in iij. q. xij. & Scotum di. xiij. li. iij. Aliquando tamen prudentia eſt (ait Gabr.) quæ nõ poteſt haberi ſine actu virtuoſo voluntatis actualiter inexiſtentis. Vel quę aliquando inſuit: vt eſt notitia euidens particularis, quæ haberi non poteſt niſi per experientiam actus propriæ voluntatis, ſicut illa diligens Deum ſuper omnia delectabiliter, contemnit quæ ſunt legi diuinæ cõtraria, hanc ſcire non poteſt niſi per propriam experientiam. Plus Gabr. ſcribit vbi ſupra.

De connexione virtutum theologicalium. Virtutes theologicæ (vt idem Gabr. ſcribit parte iij. ſecundi artic. vbi ſupra.) non ſunt formaliter adinuicẽ connexæ tam in patria quàm in via. Nam in patria ſola charitas manet, & nec fides ibi erit neque ſpes. Sic in via manent ſpes & fides in peccatore ſine charitate. Poſſunt enim tam fides quàm ſpes eſſe informes, ergo ſine charitate. Et hoc eſt verum tam de infuſis, quàm acquiſitis, & hoc in eſſe harum virtutum, non autem in fieri. Nam licèt Deus eas cũ ſint ſeparabiles in eſſe etiam ſeparatim infundere poſſet de potentia abſoluta: tamen in fieri virtutes theologicæ infuſæ ſecundum potentiam ordinatam ſunt connexæ ex liberali diuina voluntate, quia Deus totum hominem perficit, ſecundum Aug. in de vera & falſa pœnitentia. Impium eſt à Deo dimidiam ſperare veniam: ita quod ſicut corporaliter nullum ſanauit niſi perfectè: ita etiam ſpiritualiter non ſanat hominem niſi perfectè ſanet eum. Perfecta autem ſanitas eſt: ſi quantum ad intellectum habeat fidem, & quantum ad voluntatem ſpem & charitatem. Fides autem & ſpes (vt idem Gabr. ſcribit) ſine charitate ſunt virtutes veræ, ſed non perfectæ ſicut & ceteræ morales virtutes. ſunt enim virtutes tertij gradus & non quarti. Defecit in hoc Tho. qui dicit in iij. diſt. xxxvj. qu. ij. quod fides vel ſpes ſine charitate non eſt virtus) vt refert frater Pelbartus. lib. iij. roſarij theol.) Verum perfectio meritoria (vt ait Gabr.) nullius virtutis actui cõuenit ſine charitate. Nullum enim actum cuiuſcunque virtutis Deus acceptat ad vitam æternam ſine charitate: quę ſolo (vt Aug. ait) diuidit inter filios regni & perditionis.

De connexione donorum dicit S. Bonauẽ. di. xxxvj. q. ij. quod quantum ad originem quæ conſiſtit materialiter in natura, & completiuè & formaliter in gratia, quando ſpiritusſancti gratia infunditur, habent dona ſpiritusſancti connexionem. Sed quantum ad vſum concedi poteſt quod habitus donorũ non neceſſariò connectuntur. Vide latiùs ſanctum Bonauen.

De connexione virtutum moralium cum theologicis non eſt neceſſaria (inquit Gabr. parte iiij. art. ij. q. vnica. diſt. xxxvj. lib. iij.) connexio virturũ moralium cum theologicalibus, nec theologicarũ cum moralibus. Nam virtutes morales poſſunt eſſe in gentilibus philoſophis, in quibus non ſunt theologicæ, nec fides nec ſpes: multo minus charitas. Patet & ſecundum. Nam paruulo baptizato infunduntur virtutes theologicæ, in quo nondum poteſt eſſe aliqua virtus acquiſita, cum nondum poſſit habere actus virtuoſos, nec actus illarum & harum ſunt neceſſariò connexi. Nam actus poſſunt elici circa finem tanquam obiectum abſque hoc quod eliciantur circa media, virtutes autem morales ſunt circa media tanquam circa obiecta. Verum virtutes morales quarti gradus ſunt connexę charitati, quia ſola charitas eſt quæ omnium virtutum actus ordinat & inclinat ad vltimum finem. Et licet ſine charitate haberi poſſit vera virtus moralis, non tamen perfecta, quia ſola virtus quarti gradus eſt perfecta, quia illa ſola ordinat ad finem, in quo eſt ſumma

noſtra

noſtra perfectio. Et licèt virtus heroica eſt perfectiſsima in ſuo genere ſeu gradu,& hoc perfectione intenſiua: non tamen quælibet perfecta eſt perfectione finis vltimi,niſi includat quartũ gradum. Vnde apud Gentiles eſſe potuit virtus heroica,quæ tamen non fuit ſimpliciter perfecta. Item licèt virtutes tertij & quinti gradus nõ ſunt cõnexæ Theologicalibus, non tamen cõpatiuntur ſecũ contrariũ Thelogicarum virtutum, vt latiùs probat Gabr.

De connexione virtutũ moraliũ cum virtutibus potentiarum inferiorũ,vt partis ſenſitiuæ & executiuæ,dicendum quod nulla virtus moralis voluntatis requirit habitum conſimilem prudẽtiæ inferioris: quia quantumcunq; in potẽtia inferiore actus virtuoſi per imperium voluntatis virtute informatæ frequentantur.Poteſt tamen generatio habitus ex huiuſmodi actibus impediri per aliam qualitatem corporalem, aut complexionem naturalem ad oppoſitum fortius inclinantem, quo imperio voluntatis potentia inferior non delectabiliter, ſed difficulter cum quadam remiſsione vel dolore obtemperat. Et ita habitus non generatur: quia ſignum habitus ingeniti eſt delectatio in opere.2.Ethicor. Exemplum de beato Paulo, qui paſſus fuit ſtimulum carnis, licèt temperatiſsimus fuerit & caſtiſsimus, cum cuius ſtimuli vehementia non ſtetit habitus partis ſenſitiuæ ad oppoſitum inclinans. Item nullus habitus in potentia inferiore, mediantibus ſuis actibus ad virtuoſum voluntatis imperium genitus, coexigit virtutem intellectiui appetitus. Exempli gratia: Habitus temperantiæ in ſenſu inclinans ad refectionem ſobriam, poteſt manere etiam ſi voluntas actus abſtinentiæ vitioſæ & intentione mala imperaret, quo caſu idem habitus manet in ſenſu quantum per imperium voluntatis ex actibus virtuoſis partis ſenſitiuæ fuerat generatus,vt refectio impetata propter Deum,& demum continuata propter vanam gloriam. Gabriel latiùs ſcribit de connexione virtutum.

De connexione vitiorum (vt ſcribit ſanctus Bonauentura di.xxxvj.q.iiij. lib.iij.) ſi cõſideremus vitia inquantum auertunt à bono incommutabili,ſic priuant hominem gratia & cæteris virtutibus gratuitis, & faciunt hominem dignum priuari gloria, & carere præmio correſpondente omnibus bonis meritis: & hoc quidem ita fit per vnum vitium ſicut per cætera: quantum ad hoc vitia & peccata habent connexionem quandam prò eo quod à bono auertunt,& omnibus vitiis vnus & idem Deus offenditur. Sed ſi loquamur quantũ ad cõuerſionem ad diuerſa bona commutabilia,diuerſæ oriuntur in nobis pronitates in vitia, per quæ obliquamur ad diuerſa pœnarum ſupplicia: & hoc modo in vitiis non eſt connexio,quia pro quolibet homo punietur ſpeciali pœna ſibi debita. Bonauent. & paulò plus de hoc vbi ſuprà.

Connotare non eſt rerum,ſed ſignorũ: de quo conſulito Dialecticos. Vnde filius non includit reſpectum niſi filiationem & ſpirationem actiuam,quæ non eſt ad creaturam,nec connotat. Gabriel diſtin. xxvij.quæſt.iij.ar.iij.libr.j. Sed nomen verbum in diuinis cõnotat reſpectum ad creaturas. Patet,quia in eis quid nominis ponitur terminus ſignificans creaturam.Eſt enim verbũ perſona genita de ſcientia patris,quæ eſt Dei & creaturarum tanquam obiectorum. Item nomen filius non connotat reſpectũ ad creaturã. Patet per eius quid nominis quod eſt filius,eſt perſona genita de ſubſtantia patris. Et licèt filius ſit verè & realiter de patris ſcientia genitus,quæ eſt Dei & omnium creaturarum,quia omnibus modis filius eſt verbum,& ecõuerſo : tamen nomen filius hoc non connotat,ſed nomen verbũ. Cuius ratio nulla alia eſt niſi voluntaria impoſitio terminorum. Et ſicut ſunt duo nomina propria filio,quorum vnum cõnotat creaturam,aliud non. Ita imponi poſſunt duo nomina patri, & ſimiliter duo ſpiritui ſancto. Nam ſi A,imponeretur ad ſignificandum perſonam generantem aliam perſonam de ſua ſcientia quæ eſt vnica Dei & omnium creaturarum tanquã obiectorum, A eſſet proprium patri,& connotaret creaturam. Sic de ſpiritu ſancto. Hæc Gabr, vbi ſuprà. Et quamuis nullo modò diſtinguuntur verbum & filius, horum tamen terminorũ neuter eſt alteri ſynonymus, quia nomen verbum,connotat creaturas & non filius. Vide latiùs Gabrielem ibidem.

Conſanguinitas eſt vinculum perſonarum ab eodem ſtipite deſcendentium carnali propagatione contractum. Declarat hanc diffinitionem Petrus Paludenſis diſtio.xl.lib.iiij.quæſt.j.Dicitur vinculum,quia propinqui magis ſe diligunt quàm ſe diligunt extranei effectu & affectu. Vnde non bruta,quia homo eſt animal politicum. Dicitur ab eodem ſtipite propinquo,aliàs omnes homines eſſent conſanguinei, quia fecit ex vno hominum genus, & ſi non oportet addere, ab eodem ſtipite deſcentium (vt inquit Paludenſis) quia hoc includitur in conſanguinitate: alij tamen addunt pro maiori declaratione. Dicitur carnali propagatione. Vnde non inter Angelos eſt conſanguinitas, qui à Deo per creationem proceſſerunt. Dicitur autem conſanguinitas à communitate ſanguinis, vel conueniendo in ſanguinẽ magis quàm in carne,quia ſanguis eſt magis materia propinqua fœminis. Vnde ſperma ſecundum Medicos eſt ſanguis puriſsimus: vnde & multũ coiens, ſanguinẽ pro ſemine emittit. Et quod dictum eſt, carnali propagatione,excludit Euam à conſanguinitate Adam, quia miraculoſa & ſupernaturali propagatione. Non autem Chriſtum à cognatione conſanguineorũ beatæ Virginis, quia fuit carnalis propagatio ex parte matris, licèt non ex parte patris. Diuiditur autem conſanguinitas ſecundum Iuriſconſultos in agnationem & cognationem. Vide latiùs Paludenſem vbi ſuprà, & aliòs. Stipes vocatur perſona à qua deſcendunt alij. Linea eſt ordinata collectio perſonarum conſanguinitate coniunctarum ab eodem ſtipite deſcendentium diuerſos gradus habẽs. Eſt autem quædam linea aſcendentium, quædam deſcendentiũ,quædam tranſuerſaliũ. Linea aſcendens (vt dicit Scotus di.x.li.iiij.) eſt à propagato ad illas à quibus deſcendit. Et ſecundũ lineã aſcendẽtem cõputantur gradus ita, ſcilicet pater & mater,auus & auia,proauus,proauia,attauus,attauia. Linea deſcendens eſt à perſona propagante ad propagatas.Et ſecundũ lineã deſcẽdentem cõputantur ſic:filius & filia,nepos neptis,pronepos proneptis,

atnepos atneptis. Linea tranſuerſalis (inquit Scotus) eſt quando ambæ perſonæ deſcendunt ab eadem, ſed neutra ab altera ſecundũ lineã tranſuerſalem cõputantur ſic: duo fratres, filij duorũ fratrum, & nepotes duorũ fratrũ, pronepotes duorũ fratrũ.

Conſanguinitatis gradus eſt habitudo diſtantiũ perſonarum, qua cognoſcitur quota generationis diſtantia duæ perſonæ differunt inter ſe. Vel (vt Sco. dicit) Gradus eſt determinata ꝓpinquitas perſonæ ad perſonã ſecundũ conſanguinitatẽ. Et hæc diſtinctio gradus eſt ſecundum iura canonica, nõ ciuilia. Vnde ſicut ſecundũ canones frater & ſoror faciunt vnum gradũ, ſic ſecundũ iura ciuilia faciũt duos, eò quòd illa habitudo quę eſt fratris ad ſororẽ, non eſt illa eadem quæ eſt ſororis ad fratrem. Iura autẽ canonica iſtas duas habitudines accipiũt ſub vno gradu. Et ideo non eſt realis contractio inter iura canonica & ciuilia in deſcriptione gradus. Hæc Richardus diſt. xl. ar. j. li. iiij. quem vide latiùs, & ſanctus Bonauen. eadem diſt. q. j. Et vt dicit Richard. q. j. vbi ſuprà. Conſanguinitas eſt quædam naturalis communicatio in ſanguine, quod ideo dicitur, quia ſanguis vltima digeſtione digeſtus, eſt materia proxima ſeminis: conſanguinitas ergo eſt inter cõſanguineos cuiuſdam naturalis amicitiæ cauſa, &c. Et conſanguinitas eſt vinculum, id eſt vinculi cauſa. Et propriè loquendo non eſt vinculum conſanguinitatis, niſi inter homines, quamuis inter aliqua bruta ſit ſecundum quid. Richardus.

De impedimento matrimonij ratione conſanguinitatis. Vnde ſecundũ Richa. d. xl. ar. j. q. ij. & ſanctus Bonauent. eadem diſt. q. ij. li. iiij. aliqua conſanguinitas impedit matrimonium ex dictamine iuris naturæ. Aliqua ex dictamine legis diuinæ. Aliqua per ſtatutũ Eccleſię. Propter dictamen legis naturę impèditur matrimonium filiæ cum patre, vel filij cum matre. Vnde & in lege naturæ dictum eſt, vt habetur Geñ. 2. Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ. Ius enim naturale dictat maiorem reuerentiam deberi parentibus, quàm coniugibus, & dictat non ſic deberi tractari turpiter parentes, ſicut ſe contractant coniuges: magis tamen eſt contra ius naturæ matrimoniũ filij cum matre, quàm filiæ cũ patre, quia vxor debet eſſe viro ſubiecta. Contra autem ius naturæ eſt, vt filius teneat matrem ſubiectã: vnde quędam animalia bruta abhorrent coire cum matre ſua, quamdiu cognoſcunt eam eſſe ſuam matrem: quod patet per illud quod nàrrat Philoſophus. 8. de animalib. de camelo: qui cùm ſaltaſſet ſuper matrem ſuam coopertam, poſtquam recognouit eam eſſe matrem ſuam, interfecit ingeniatorem. Narrat etiã de equo ibidem, qui cùm ſaltaſſet ſuper matrẽ ſuã, & recognouit eam, poſtquam diſcooperiebatur, fugit & proiecit ſe de alto, & mortuus eſt: & ſicut mater non iungi debet filio, ita & pater filiæ. Hinc Paulus Corteſius lib. iiij. diſt. vj. ſcribit: Nihil eſt peruerſius, & quod magis à ratione deſiſtat quàm filiam ſociam cum parente iugari, cui ſit ſubiecta lege naturæ, quandoquidem ab eo velut à ſeminario dimanet, ob eamq́; cauſam naturæ lege ſunt parentum cõiugia ſublata. Ex dictamine legis diuinę prohibentur matrimonialiter copulari conſanguinei in primo gradu, & ſecundo ex vna parte tantum, vt patet Leuit. 18. Cuius ratio eſt, ne daretur incentiuum luxuriæ, eò quòd tales perſonę frequenter ſolent in eadem domo habitare (vt dicit Richar. ar. j. q. ij. li. iiij. diſ. xl.) Aſtipulatur Paulus Corteſius lib. iiij. diſt. vj. cùm ait: At cœleſti iure præſcriptum eſt, ne qua primi aut ſecundi limitis neceſſitudo attingatur. Idq́; ob eam cauſam factum eſt, vt libidinum occaſio tollatur, quãdoquidem eiuſmodi propinquorũ genus in contubernio viuat, in quo leua inſidiatrix Venus, amatorumq́ue virus excitetur. Per ſtatutum Eccleſię prohibentur matrimonialiter copulari conſanguinei in tertio & quarto gradu, quia vſque tunc conſueuit inter homines ſatis durare amicitia propter conſanguinitatis vinculum naturæ, ſed poſt illum gradum concedit eos poſſe copulari ad amicitiam, quaſi fugiẽtem reuocãdam, vt ſic charitas inter homines dilatetur, eò quòd coniunx ad conſanguineos ſui coniugis multum afficiatur. Hæc Richard. q. ij. art. j. diſt. xl. lib. iiij. Concordat Paulus Corteſius lib. iiij. diſt. vj. cùm dicit: Sed Senatuſconſulto tertia, quartaque limitum propinquitas tanquam inceſta adimitur; propterea quod vſque eò arctę naturales neceſſitudinis nexus obſtringatur. At poſt eam neceſſitudinem decretam metam libera promiſcua connubia ad euaneſcentem amorem reuocandum fieri poſſe voluit. Eodemq́; propè modo de conſobrinorũ, ſobrinorumq́; colligatione diſtinguitur, Corteſius.

Conſcientia. Nomen conſcientiæ conſueuit tripliciter accipi à Doctoribus ſacræ ſcripturæ, vt & notat ſanctus Bonauentura diſt. xxxix. q. j. lib. ij. Aliquando enim accipitur conſcientia pro ipſo conſcito. Et ſic dicit Ioan. Damaſ. quod conſcientia eſt lex intellectus noſtri, lex enim eſt id quod per cõſcientiam nouimus. Aliquando accipitur conſcientia pro eo pro quo conſcij ſumus, ſcilicet pro habitu, ſic conſcientia accipitur pro habitu ſcientię cognoſcentis. Aliquando autem accipitur conſcientia pro ipſa potentia conſcientiæ, vt ita dicã, ſecundum quod dicitur lex naturalis ſcripta eſt in conſcientiis noſtris, vſitatiori tamẽ modo pro habitu accipitur, ſcilicet potẽtiæ cognitiuę. Et cùm nominat habitũ, nõ ſolũ nominat habitũ naturalem, imò etiã nominat habitũ acquiſitũ, & quia habitus acquiſitus poteſt putificare, & fœdare animam: hinc eſt quod conſcientia dicitur munda & immunda, recta & non recta, & cùm nominat potentiam, non nominat vniuerſaliter potentiam cognitiuam, ſed prout ſe extendit ad cognoſcenda ea, quæ ſunt moris ſiue ad moralia, &c. Et

Conſcientia, vt ſcribit doctiſſimus Ioã. Gerſ. par. ij. de eſſe natura & qualitate cõſcientiæ, (prout proprietas vocabuli de ſe ſatis cõnotat) duo dicit. Primò dicit & importat ſcientiã, & ſecundũ hoc conſcientia dicitur quidã habitus naturalis, nõ ſolũ cognitiuus, ſed etiã motiuus: mouet enim & inclinat animã ad bonũ proſequendũ, & malũ fugiendum: & hoc modo habet ſe vt ſuperius, cõiungiturq́; ipſi primo habitui naturali, ſuperioriq́; lumini rationis, quod ſynderiſis dicitur, ita quod ꝓpter hoc aliqui, vt Hieron. & alij ipſam ſynderesim conſcientiã ſeu cõſcientię iudiciũ dicere voluerũt. Secundò verò dicit & importat cõſcientia, & magis propriè quandã

acceptio-

acceptionẽ, ſeu acceptationẽ ex parte rationis. Etenim cõſcientia ꝓpriè loquẽdo nihil aliud eſt quàm applicatio quædã ſeu ordinatio ſcientię ad aliquem actũ. Sciẽtia autẽ in ratione eſt, quod ſatis denotat hæc præpoſitio cũ: dicitur enim cõſcientia quaſi cũ alio ſciẽtia. Et tunc cõſcientia propriè loquẽdo magis eſt actus, q̃ habitus ſeu potẽtia: iſto modo habet ſe, vt inferius magisq́; cõiungitur rationi ſimplici, imò tũc dicit̃ quoddã dictamẽ rationis. Et hoc modo nõ ſemper de ſe eſt recta, imò frequenter errorẽ recipit, quia tunc cũ, ſcilicet ſic ipſi rationi ſimplici cõiungit̃, habet circa particularia, & per modũ cuiuſdã cognitionis ſeu inquiſitionis verſari, in quib⁹ frequẽter error, & errare cõtingit. vide latiùs Gerſ. Ec

Conſcientia ſic deſcribitur, vt habet Gabr. d. xxxix. q. vnica, art. j. li. ij. Conſcientia eſt notitia adhæſiua actualis vel habitualis concluſionis dictantis, id eſt ſignificantis in particulari aliquid bene, & laudabiliter eſſe operandum, vel omittendum, aut enuntians operationem aliquam fieri vel factam eſſe, omitti vel omiſſam fuiſſe. Declaratur hæc deſcriptio ſicut diffinitio ſyndereſis infra ſuo loco ſcripta, niſi quod hoc attentatur, quod dicitur in particulari dictantis eſſe operandum. Per quod patet quod non quælibet notitia concluſionis practicè dicitur conſcientia. Non enim illius quæ tantũ oſtendit modum agendi, ſicut concluſiones artium mechanicarum, quæ oſtendunt modum agendi, non tamen dictant aliquid eſſe agendum. Sed ſolum illa notitia quæ ad prudentiam aut moralem ſcientiam pertinet, cui cõformiter voluntas elicit, vel difformiter benè vel malè operatur: & ideo additum eſt bene, & laudabiliter, &c. Et vt idem ait Gabriël art. ij. concluſione v. vbi ſuprà. Non in voluntate eſt cõſcientia, ſed in intellectiua potẽtia, quia conſcientia eſt habitus, vel aſcenſus concluſionis practicè dictantis aliquid operandum eſſe vel omittendum; aut teſtificans operatum eſſe, vel omiſſum, talis autem eſt actus vel habitus intellectus: ergo. Item conſcientia eſt actus vel habitus aſſenſiuus non apprehenſiuus, quia eiuſdem obiecti eodem modo apprehenſi poſſunt eſſe conſcientiæ contrariæ, ſtante eadem apprehenſione. Gratia exempll. In illa propoſitione in caſu licitè eſt iurandum, eodem modo apprehenſo poſſunt eſſe cõſcientię contrariæ, quia poteſt vnus aſſentire, alius diſſentire.

Conſcientiæ proprietates (vt habet Gabriël vbi ſuprà art. j.) ſunt teſtificare, ligare, vel mitigare, vel etiam accuſare, remordere, aut reprehendere. Nam cùm cognoſcimus nos aliquid feciſſe, vel non feciſſe, ſecundum illud Eccleſ. 7. Scit conſcientia tua te crebrò malè dixiſſe aliis. Conſcientia noſtra teſtificatur, dum verò iudicamus aliquid faciendum, vel non faciendum, dicitur conſcientia ligare, vel inſtigare. Cùm etiam iudicamus factum aliquod benè vel malè factum, dicitur conſcientia excuſare vel accuſare, ſeu remordere. Hæc Thomas part. j. quæſt. lxxix. art. xiij. & poſt eum Gabriël vbi ſuprà. Et puritas conſcientiæ quæ introducitur per expulſionem culpæ (vt inquit ſanctus Bonauent. diſtin. xxvj. quæſt. v. libr. iij.) dat ipſi animæ quandam ſecuritatem, & certitudinem de merito iam inchoato, & per conſequens certitudinem de præ-

mio conſequendo.

Conſcientia ſecundum Aureo. in compendio. libr. 2. eſt credulitas rationis ſeu intentionis ad aliquid faciendum, vel non faciendum obligatiua, animi deliberatione formata. Et conſcientia, vt dicit Gabr. quæ mutabilis eſt, & nunc erronea, nunc teſtificãs, nunc ligans, nunc accuſans, vel excuſans circa operationes particulares, & facta particularia, erit aliquod dictamen oſtendens aliquod faciendum, vel malè aut benè factum. In proceſſu autem noſtro ad operandum concurrit potentia intellectiua, & voluntas. Intellectus vt oſtendens operandum, & dictans, ſcilicet illud quo oſtenſum eſt ad operandum: voluntas vt imperans & eligens. Exempli cauſa intellectus practicus ex illo principio. Omne honeſtum eſt faciendum cui naturaliter aſſentit, apprehenſis & intellectis terminis, coaſſumpta illa maiore, honorare parentes eſt honeſtum, concludit quod parentes ſint honorandi. Similiter ex illo principio: omne debitum eſt ſoluendum: obedientia eſt Deo debita. Concludit ergo obedientiã Deo eſſe ſoluenda. Latiùs Gabriël vbi ſuprà. Poſita itaque anima intellectiua, & apprehenſione principij omnib⁹ aliis ſe motis, ſtatim aſſentit ſine quocunque habitu, vt patet in dictis exemplis, &c.

Conſcientia eſt duplex, ſcilicet recta & erronea. Cõſcientia recta dicitur quæ eſt conformis legi. Erronea quæ eſt difformis legi. Recta obligat, & eſt quaſi præco legis, oſtendit enim nobis legis dictamina dictans aſſenſiuè hæc vel illa eſſe legis præcepta, prohibitiones, vel cõſilia, & ita ligat auctoritate legis, quã nobis inſinuat, aut inſinuare putatur. Opinio enim noſtra nobis legem facit, vt dicit beatus Ambroſ. li. de para. Conſcientia itaq; recta ligat nos eo modo quo dictat legem nos ligare, hoc eſt, ſi dictat aliquod eſſe præceptũ, ligat vt præceptum. Si dictat vt conſilium, ligat vt conſilium. Et breuiter ſicut præco Iudicis ligat eum, cui inſinuat Iudicis mandatum, non virtute ſui, ſed virtute mandati Iudicis: ita conſcientia quæ eſt vere præco, & nuncius legis, præcepta autem obligant ad aliquod faciendum, prohibitiones ad aliquod vitandum. Conſilia ad aliquod perfectius: non tamen ſaluti neceſſarium perſuadent. Informationes modum exequendi conſilia & præcepta conuenientem tradunt. Exhortationes velut preces amicabiles ad prædicta hilariter perficienda inducunt. Recta itaque conſcientia obligat, vt dictum eſt. Hinc ſanctus Bonauentura diſtin. xxxix. libr. ij. dicit: Conſcientia habet virtutem ligand. in his, quæ poſſunt aliquo modo benefieri. Conſciẽtia erronea etiã obligat, ſed nõ ſicut recta, nõ enim obligat ad faciendũ quod cõtra legẽ dictat, credẽs ſe cõformiter legi dictare, quia tunc obligaret cõtra legẽ, & per cõſequens teneretur quis facere contra legẽ: & cùm lex obligat ad ſui obſeruantiã, quis ſimul obligaretur ad oppoſita incompoſsibilia, quod eſt abſurdum. Obligat ergo conſcientia erronea ad deponendum eam, vel ad deponendum errorem: non vinculo conſcientiæ hoc dictãtis, quia creditur nõ erronea, ſed vinculo diuini præcepti. Quia dicitur Eccleſ. 17. Ne demoreris in errore. Item quia lex diuina vetat cõtemnere Deũ, qui autẽ agit cõtra conſcientiã,

qua credit Deũ aliquid prohibuiſſe, licet erret, contemnit Deum. Hunc autem vitare non poteſt, niſi deponendo conſcientiam: ergo tenetur deponere conſcientiam. Gabriel diſtinct. xxxix. quæſt. vnica, artic. iij. dubio ij. libr. ij. Et quamuis (inquit Rich. diſt. xxxviij. art. iij. quæſt. j. lib. iiij.) conſcientia erronea obliget non ad faciendum quod dictat, ſed ad deponendum errorem: vel ſic intelligendo quod faciens contra, peccat tamen, quia illa obligatio nociua eſt cum diuina lege homo ad contrarium obligetur, Deus obligationẽ quæ eſt per conſcientiam erroneam non acceptat. Ex his duo inferuntur, vt refert Gabriel vbi ſuprà. Primũ quod omnis agens contra conſcientiam præceptiuè dictantem, peccat mortaliter. Patet per gloſ. Rom. 14. Omne quod non eſt ex fide, id eſt quod eſt cõtra conſcientiam, peccatũ eſt. Et patet ratione, quia cõtemnit Deum contra cuius præceptum ſe facere credit. Secundum eſt, quod ſtante erronea conſcientia de aliquo neceſſario ad ſalutẽ quod ſaluti repugnat, id eſt quod eſt contra legem Dei, talis eſt perplexus. vt exempli cauſa: Si conſcientia Petri dictaret eum debere adulterari, vt conuerteret adulteram ad fidem manente illa cõſcientia, Petrus eſt perplexus: quia non poteſt ſic manens, euadere peccatũ mortale. Si agit ſecundum conſcentiam, agit cõtra legem diuinam, quam tenetur ſcire, & ſic peccat mortaliter. Si omittit contra conſcientiam, iterum ædificat in gehennam, cõtemnendo verũ, non eſt ſimpliciter perplexus, quia patet ſibi via euadendi, ſcilicet deponere conſcientiã erroneam, quod ſi non facit, ex ſua culpa eſt perplexus. Et ſi neſcit (inquit ſanctus Bonauentura) per ſe de illa iudicare, pro eo quod neſcit legem Dei, debet ſapientiores cõſulere, & per orationem ſe ad Deum conuertere, ſi humanum conſilium deeſt: alioquin negligẽs eſt, & verificatur in eo quod dicit Apoſtolus: Qui ignorat, ignorabitur. Si autẽ eſſet error inuincibilis, tunc in tali caſu (vt inquit Gabriel vbi ſup.) tenetur ſe cõformare conſcientiæ, & non legi diuinæ oppoſitum præcipienti, quam ignorat. Non enim obligat lex niſi ſcientem legem, vel ſcire debentem. Vult autem Deus quod voluntas ſe conformet conſcientiæ non culpabili. talis autem eſt conſcientia erronea errore inuincibili. Vide & de obligatione conſcientiæ Petrum de Altaco, q. xiiij. lib. j. ſententiarum artic. iij. Et notandũ quod dicit ſanctus Bona. d. xxxix. li. ij. plus eſt ſtandũ præcepto Prælati quàm cõſcientiæ, maximè quando Prælatus præcipit quod poteſt & debet præcipere. Vide Aliacenſem vbi ſuprà.

Conſcientia eſt duplex, bona & mala (vt ex prædictis haberi poteſt.) Vnde ſicut ſcribit Gerſon parte 2. in ſermone omnium Sanctorum, vbi dicit, vt nihil planè lætius bona conſcientia, nihil iucundius atq; ſerenius: ita ex aduerſo, nihil confuſius, nihil horridius & inquietius inuenitur mala cõſcientia. Exagitatur quippe ſtimulis cupiditatum, miſeriſq; modis ſeſe rodit, tepiditate ſemper præſumit ſeu turbata conſcientia. Hæc Gerſon. Confortare autẽ ſe bona conſcientia (vt ſcribit S. Bonauen. diſtinct. xvj. circa literam libr. iiij.) eſt dum quis probabiliter percipit culpam ſibi eſſe dimiſſam. Hoc autem percipit quando facit quod in ſe eſt ad obtinendum veniam. Et hoc ſit per confeſsionem.

Conſcientia ſcrupuloſa, & erronea, & mala, ſecundum Antonium Floreñ. parte j. ſummæ. tit. iij. ca. ſi cauſatur ex pluribus. Aliquando ex cauſis naturalibus, videlicet ex complexione ad timorem idonea, vt in vetulis fœminis & melancholicis, & tunc remedium adhibere eſt Phyſicorum. Secundò, aliquando ex diabolicis tentationibus, qui conantur per huiuſmodi ſcrupulos & phantaſias impedire à bonis operibus, vt nec orare nec contemplari libeat. Et tunc optimum remedium eſt non curare de eis, ſicut de latratu canum: nec propterea dimittere orationes, & paſsionis Chriſti recogitationem, & patiẽter ferre talia. Tertiò, aliquando cauſatur ex indiſcreta exercitatione vigiliæ & ieiuniorum, per quæ caput deſtruitur: ergo tales ſubleuare debent naturam. Quartò, aliquando cauſatur ex ſocietate timidorum, & ſcrupuloſorum inſtructione, quia vnus ſcrupuloſus facit docendo & alios ſcrupuloſos. Sunt ergo remouendæ huiuſmodi cauſæ, Vnde Pſalm. orat, dicens: Saluum me fac Deus, à puſillanimitate ſpiritus & tempeſtate. Et vt ſcribit ſanctus Bonauentura diſtinct. xxxix. & concordat Thomas quotlib. viij. quæſt. vj. artic. v. conſcientia errans non excuſat in his quæ ſecundum ſe mala ſunt, & certum eſt contra Dei præcepta. Nec etiam excuſat in eis, quæ quis ſcire poſſet, faciendo debitam diligentiam, quam ſi faceret orando Deum, & examinando conſcientiam, & peritos conſulendo. Credendum eſt omnino quod Deus illuſtraret ipſum, vt etiam dicit Guilielmus Pariſienſis. Magiſter Ioannes Gerſon in tractatu de remediis contra puſillanimitatem, dicit, quod cùm quis de venialibus peccatis, ſine quibus hæc vita non poteſt tranſigi, format ſibi conſcientiam, tenendo eſſe mortale, cùm non ſit mortale, &c. non eſt bona conſcientia, nec talis poteſt gratiam percipere, cùm habeat conſcientiam perturbatam. In pace enim locus Dei eſt. Exemplum ponit Guil. qui officium orant ſurrepta mentis euagatione, quam vitare non poſſunt. Ideoq; tenent quod repetere obligantur, & tamen Eccleſia non obligat ad actualem intentionem, licet ſit bona, ſed ſufficit ore perſolui horas, & pœnitere de euagatione. Aliud exemplum ponit de ſcrupuloſis iterantibus ſæpè confeſsionem factam, putantes quod non ſufficienter contriti ſunt confeſsi, licet fuerant competenter omnia confeſsi pro poſſe, cùm Deus non requirat ab homine pluſquam poſsit. Tertium de blaſphemicis cogitationibus, quas quis nolens patitur. Ponunt autem regulas valentes ad deponendam ſcrupuloſam conſcientiam, & reformandam, vt & Antonius Floreñ. parte j. tit. iij. cap. j. & alij. Prima eſt debita ad Dei gratiam præparatio, ſcilicet ſeruando quàtum poteſt præcepta, & pœnitendo, & faciendo quod in ſe eſt, quia nulli tali ſubtrahit Deus gratiam ſecundum Richa. & Tho. in iiij. & ſic certũ eſt, quod dabitur ei lux mentis. Secũda eſt ſollicita ſacræ ſcripturæ indagatio, & verbi Dei auditio. Prouerbiorum primo: Audiens ſapiens ſapientior erit. Tertia eſt orationis deuota poſtulatio. Iacobi primo: Si quis indiget ſapientia, poſtulet à Deo, & dabitur ei. Quarta humilis obeditio, ſcilicet, ſapientibus, & ſpiritualibus ac Prælatis. Prouerbiorum tertio: Non innitaris prudẽtiæ tuæ.

Vnde

Vnde legitur quod cuidam ſcrupuloſo, non audenti Miſſam dicere, ſanctus Bernardus dixit: Vade frater, in fide mea celebres. obedit ille ſimpliciter, & omnis ſcrupulus ab eo perpetuò receſſit. Similiter docet Cancellarius. Quinta regula animoſa ſcrupulorum & puſillanimitatis repulſio. Vnde Cancellarius Pariſien. in quidam tractatu ſuo. Mille, inquit, ſurgunt apud aliquos ſcrupuli more canum oblatrantes, contra eos qui per viam Dei volunt ire, quos compeſcere melius, quàm per contemptum nequimus, ſcilicet non curãdo de eis. Et in tractatu de regulis moralibus dicit idẽ: Conſilium ergo ſalubre eſt, frequenter agere contra huiuſcemodi ſcrupulos vitando ad aliorum iudicium, quatenus ex conſuetudine vitandi, fiat homo tranquillus in exercitio ſpirituali, & robuſtus. Idem dicit cum aliquibus Docto. quod quandoque plus meritorium eſt, velle credere quàm actu credere, & velle dolere de peccatis, ſed non poſſe ſenſibiliter, quàm dolere ſenſibiliter. Probatur per Pſalm. Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus. præparationem cordis eorum audiuit auris tua. Et ità Deus iudicat nos ſecundum rationis ſuperioris arbitrium, voluntatem, & iudicium, & non ſecundum ea quę nobis inuitis, & contranitentibus portio ſenſualitatis inferior aduehit, qualia ſunt volubilitas imaginationum, & phantaſiarum. Vnde ſcrupulum conſcientiæ tanquam ſuſpitionem melius eſt repellere quàm acceptare, vt patet. vj. quæſt. j. Omnis; plura & de hoc colligit frater Pelbartus libr. ij. Roſarij Theolog. in dictione Syndereſis. §. xx. Sunt inſuper multæ conſcientię hominum (vt ſcribit Hugo libr. 2. de Arra. cap. 9.) Et Bernardus, ſed nulla eſt melior quàm ea qua homo verè cognoſcit ſeipſum. Vnde conſcientia dicta eſt à con, quod eſt ſimul; & ſcientia, quaſi cum aliis ſcitis ſimul ſcire ſeipſum. Multi enim multa ſciunt, & ſeipſos neſciunt. Sed qui ſeipſum neſcit, nil bene noſcit: quoniam alia ſcire, & ſe neſcire, quid aliud eſt quàm ſeipſum grauius condemnare, quia ſeruus ſciens voluntatem domini ſui, & non faciens: plagis vapulabit multis, Lucæ 12. Scienti enim bonum, & non facienti, peccatum eſt illi, Iacobi 4. Deinde idem Hugo ſubdit: Puni præterita peccata, fuge futura. Et ſi tentari ad peccandum ſentis, non conſentias, & erit pura conſcientia. Bona quippe & munda conſcientia eſt, vbi eſt puritas in corde, veritas in ore, & iuſtitia in opere, hæc ille. Et quemadmodum (vt inquit Aluarus de planctu Eccleſię) lumẽ lucernę ponitur in domo, vt videantur quæ in domo ſunt: ſic Deus poſuit conſcientiam in medio animæ rationalis, tanquam lumen quo diſcernat quid facere vel non facere debeat: propterea etiam Deus volens omnes homines ſaluare ex bonitate ſua, dedit conſcientiæ plures actus ad id ordinantes; de quo alias, &c. Et vt Gerſon ſcribit: Diabolus arctam & largam conſcientiam ſuadet: Arctam, ne quid boni audeat efficere, vt etiam crebrius delinquat homo: ſcit enim eum peccare, qui id agit, quod pro certo conſcientia malum eſſe iudicat; quanquam res in ſe mali haberet nihil. Facit etiam iſtud hoſtis ob alium deteriorem finem, vt, ſcilicet talis, qui deliquit, in deſperationem labatur, iudicans ſe reprobum, à Deoque damnatum, quoniam tanta facilitate peccat, nec vllo pacto adimplere valet mandata illius. Nonnunquam reddit hoſtis conſcientiam ante commiſſum ſecuram, & amplam, vt neque peccare quis formidet, neque poſtmodum pœniteat: vide latiùs Gerſonem part. iij. tractatu de diuerſis diaboli tentationibus, & alias plura de conſcientia ſcribit Cancellarius, & cæteri.

Conſentire, conuenire, & acquieſcere ſignificat. Conſentire habitualiter, vt literis prodidit Gabriel diſtinct. iiij. quæſt. ij. artic. ij. concluſione ij. libr. iiij. is dicitur, qui quandoque conſentit, & poſt actum contrarium non habuit. Et virtualiter is dicitur conſentire, qui ex cõſenſu priùs habito ad recipiendum baptiſma ſe applicat, licèt tunc actualiter (quia diſtractus) non conſentiat. Habens ergo cõſenſum virtualem ſine actuali, recipit ſacramentum: & ſi obicem non ponit, etiam rem ſacramenti, licèt non conſentiat actu negatiuè. probat hoc Scotus, quia noluit Deus hominem ligare ad impoſſibile, vel ſecundum ſtatum huius vitę ad nimis difficile. Nunc autem non diſtrahi nimis videtur difficile homini pro ſtatu iſto, quia ſecundum Auguſtinum 3. de lib. arbit. non eſt in poteſtate noſtra quibus viſis tangamur. Noluit ergo Deus hominis ſalutem ponere in iſta conditione. Si non diſtrahatur, nec voluit ligare baptizandum, quod in ſuſcipiendo baptiſmum non diſtrahatur, & per conſequens quod actualiter intendat, imò generaliter: ita eſt in omnibus aliis ſacramentis; miniſtrans ea non obligatur neceſſariò: vt miniſtrãdo non ſit diſtractus. Similiter habens conſenſum habitualẽ (licèt vtens ratione) recipit ſacramentũ, quia nõ videtur propter aliquã conditionẽ minus capax, ſi vtitur ratione, quàm ſi prius vſus eſt ratione, nũc verò nõ vtatur, ſed in tali non vtente nunc, tamẽ prius vſus ratione ſufficit habitualis cõſenſus. Et quãuis intentio habitualis tantũ nõ ſufficiat in baptizãte ad cauſandũ effectũ, id eſt, ad miniſtrandũ ſacramentũ, vt dicit Richar. poteſt tamẽ eſſe ſufficiẽs diſpoſitio ad ſuſcipiendum, maior enim actualitas requiritur in agente quàm patiente. Requiritur tamen quandoque intentio actualis in ſuſcipiente per accidens, ſcilicet vel ad remouendum prohibens. Vnde ſi in accidente ad baptiſmum eſt actu vel habitu intentio non recipiendi baptiſmum, huiuſmodi intentio prohibet ſacramenti ſuſceptionem: neceſſarium itaque eſt huiuſmodi intentionem expelli per contrariam intentionem in actu volendi recipere baptiſmum ad hoc vt recipiat ſacramentum. Similiter ſi prius nunquam actualiter conſenſiſſet, neceſſe foret quod tunc actualiter conſentiret, quia ſine conſenſu actuali præſenti vel præterito in habente vſum rationis, non ſuſcipitur ſacramentum. Item interrogatus, ſecundum Magiſtrum tenetur pro ſe reſpondere ſi eſt adultus: ergo tenetur habere actualem cõſenſum baptiſmũ recipiendi, quoniã tunc obiicitur ſibi baptiſmus, & tunc vel cõſentit vel diſſentit: ſecundũ impedit, ergò primũ requiritur. vide latiùs Gabr. vbi ſuprà. Et ſecundũ Rich. diſtin. vj. artic. iij. quæſt. j. li. iiij. Is tantum virtualiter vel habitualiter conſentit, qui ſic eſt diſpoſitus, quod ſi actualiter & deliberatè recogitat de illa re, quod actu conſentit in eam: & ideo ſi interrogatus

fuerit, requiritur actualis conſenſus. Et idem Richardus ait; Si quis verum Catechuminum non actu de ſuſceptione Baptiſmi cogitantem ablueret, ſub debita forma verborum intendens eum baptizare verè baptizaret. Et Catechuminus ille characterem ſuſciperet baptiſmalem.

Conſenſus venit à conſentio. Et vt ſcribit Gerſon parte.ij.in regulis moralibus. Nullũ eſt, inquit, peccatum mortale actuale, abſque conſenſu libero rationis vero vel interpretatiuo. Interpretatiuũ conſenſum tunc eſſe dicimus, dum habuit ratio tempus ſufficiens deliberandi, & fugiendi ea: circa quæ vitanda eſſe peruigil tenebatur, qualiter dicit lex Forenſis. Qui tacet, conſentire videtur, dum videlicet repugnare deberet. Conſenſus in actum ſolum venialiter malum eſt tantummodo venialis, loquẽdo de veniali ex genere ſuo, vt eſt verbũ ocioſum, & vt idem ait: Nullum peccatũ eſt adeo veniale, quin ipſum vel ſibi ſimile fiat mortale dũ placet, hoc eſt dum conſenſus additur, ſi tamen illud veniale erat actus mortalis ex genere ſuo, & ex eo quod nõ fiebat ex conſenſu libero & perfecto, venialis reddebatur. Item nullus eſt actus adeo mortalis qui ipſe, vel ſibi ſimilis fit non mortalis, dum diſplicet, vel ſi non placet conſenſu perfecto, deliberatoq;. Hæc doctiſsimus Ioan. Gerſon, qui & de conſenſu aliàs multa perſcribit. Et vt idem dicit part.ij. de pollutione diurna. Conſenſus verus plus habet culpæ quàm interpretatiuus cæteris paribus. Et conſenſus directus plus quàm indirectus. Et cõſenſus plenus quàm imperfectus, imò conſenſus verus dum imperfectus eſt, ex fragilitate vel ignorantia ſæpè reputatur ſolum veniale, qui ſi perfectus eſſet, mortalis diceretur. Similiter conſenſus indirectus, non plus cauſant in ſequẽtibus actibus de malicia quàm ipſe ſit malus, & ita pollutio veniens ex ſolo conſenſu in crapulam venialem, dicenda eſt ſolum venialis. Exemplum de inceſtu Loth ſecundum Doctores, &c. De conſenſu verò matrimoniali ſuo loco dicetur. Aliàs plura de conſenſu apud Doctores leguntur.

Conſeruatio, vt ſcribit Gabr. diſtinct.j. q.ij. libr.ij. quãtum ad omnia poſitiua, eſt quædam productio: & cauſa conſeruatiua effectus eſt ſecundũ rem cauſa productiua, & ab ea dependet effectus in ſe, ſicut à generatiua in fieri. Vnde ſi Deus primò produceret ignem, & conſeruaret eum, & poſteà produceret Solẽ, tunc ignis ille conſeruaretur à Sole, ſicut ſi fuiſſet productus à Sole. Et eodem modo depẽdet eſſentialiter ad Solẽ, ac ſi fuiſſet à Sole productus, quia licèt Deus produceret Solem poſt ignem, tamẽ daret Soli actionẽ determinatã, quo ad omnes effectus, ab eo produci poſsibiles: igitur eodẽ modo dependeret ignis à Sole, ac ſi fuiſſet primò productus à Sole: igitur nũc producitur à Sole. Et ita Sol eſt cauſa partialis cum Deo illius conſeruationis. Conſeruatio autem per nihil poſitiuum differt à creatione. Nam creatio ſignificat rem, & connotat negationem immediatè præcedentem rem. Et conſeruatio ſignificat eandẽ rem connotando continuationem rei. Et hoc nihil aliud eſt quàm connotare negationem interruptionis eſſe rei vel corruptionis.

Conſeruare, vt ſcribit Gabr. di.j.q.ij.dub.vj.libr.ij. eſt dare eſſe poſt eſſe continuatum, id eſt non interruptũ, & hoc modo diſtinguitur producere & conſeruare: nõ quantũ ad aliquid poſitiuum, ſed quantum ad negationes cõnotatas. Et vt idẽ dicit diſt.j. q.j.art.j. li.iij. Conſeruari nihil aliud eſt quàm dependere in eſſe ab alio. Sic omnia conſeruantur à Deo, & ignis à Sole, &c.

Conſilium dicitur dupliciter, ſicut & cõſulere, vt notat ſanctus Bonauen.d.vj.li.j.in dubiis literalibus. Vno modo conſulere dicitur accipere conſilium, & ſic dicit Ignorantiam, & ſimiliter cõſilium dictum ad hoc. Alio modo conſulere dicitur dare cõſilium: & hoc modo dicit ſcientiam, & poteſt transferri ad diuina. Deus enim nullo modo accipit cõſilium aliunde. Vnde notandũ quod in conſilio duo ſunt, vt idem dicit Bonauen. Eſt ibi cognitio rei occultæ, & eſt ibi diſpoſitio firma. Quoniã ergo in Deo eſt veriſsima cognitio occultorũ & inuariabilitas, ideo rectè in ipſo dicitur eſſe conſilium. Vnde Gregorius: Deus mutat ſententiã, ſed non cõſilium. Et conſilium, vt ſcribit Gerſon part.iiij.ſermone j. de ſancto Antonio tres conditiones habere debet. Primum, vt is qui petit conſilium, ſe oſtendat talem cui liberè & abſque timore dare poſsit conſilium, & illi credat. Secunda quo ad rem de qua quæritur conſilium, vt quæratur ab his, qui ſecundum artem eorum illud nouerunt. Cuilibet in ſua arte experto credendum eſt. Tertia, vt cognoſcantur tales conſultores Deo fideles eſſe, quoniam ſi ſint infideles Deo, infideles erunt & hominibus. Et prouerbium eſt, Malum conſilium conſultori peſsimum in eos, qui quum conſulentibus ſe malè conſulant: huius ſubinde doloſi conſilij pœnas expendunt. Auctor Polidorus, de quo & Magiſter Varro lib.3.cap.2. de re Ruſtica, mentionem facit: & meminit de hoc Deſiderius Eraſmus, &c. Vocamus quandoq; conſilium minus propriè monitionem generalem (vt ſcribit ſanctus Bonauen.diſt.xlj.q.iij.libr.ij.) quæ viam expedit ad perueniendũ in ſalutem, ſicut ſunt admonitiones Salomonis in libr. Prouerb. & conſimiles hortationes ad bonum. Et vt ſcribit Gerſon parte iij. de vita ſpirituali animæ lect.v. Conſilium quod lex dicitur, non quod liget ad obſeruationem ſui, eam quippe deſerens pœnam non incurrit; impletio tamen eius præmium meretur & coronam. Eam præterea legem conſiliorum diuinorum nihili pendere velut inutilem, & tãquam obſeruatores eorũ non inde perfectiores fiant improbare, damnationem non euadit. Vnde Scotus in iiij.diſtin.iij.quæſt.iiij.ait: Contemptor conſilij peccat mortaliter. Vide eum latiùs. Vide & in dictione Scientia.de conſilio.

Conſulere aliquem eſt dupliciter (vt ſcribit ſanctus Bonauent.diſt.xlv. libr.iiij.) aut vt per indagationem & inquiſitionis diſcuſsionẽ perueniat ad cognitionem rei dubiæ. Aut vt per illuſtrationem eius ſubitò cognoſcat quomodo debeat facere. Primum eſt humanum. Secundum verò non ſolum humanum, ſed etiam Angelicum eſſe perhibetur Bonauentura.

Conſtituere de quo in dictione *Companero* vbi ſuprà. Et perſonam in diuinis conſtitui ex eſſentia & proprie-

proprietate relatiua (vt ſcribit Gabriel diſtin.xxvj. quæſt.j.libr.j.) eſt eſſentiam & proprietatem relatiuam ſuppoſito ſeu perſonæ, quæ dicitur conſtituta ſeu conſtitui realiter & eſſentialiter ideotificari & etiã inter ſe, ac ſine eis perſonam talem ſeu conſtitutum tale eſſe non poſſe. Vel conſtitui in diuinis dicit eſſentiam & proprietatem relatiuam verè & affirmatiuè prædicari, & de ſeinuicem & de perſona ſeu conſtituto tali: & tamen aliquid verè & certo modo dici de eſſentia vel proprietate relatiua, quo modo non dicitur de perſona tali, vt pater eſt formaliter ſuppoſitum: eſſentia eſt formaliter res abſoluta. Eſſentia non generat, eſſentia non eſt formaliter ſuppoſitum. Eſſentia diuina primò creat, paternitas non eſt formaliter ſuppoſitum, paternitas eſt in patre, paternitas eſt proprietas perſonalis, pater non eſt in patre, pater non eſt formalis proprietas patris, ita exemplificatur ſuo modo de aliis perſonis. Corollarium: Filiatio non conſtituit patrem, quia filiatio non eſt pater, nec ſpiratio paſsiua filium. Et fortè poſſet addi ad ſy relatiuam oppoſitam ſeu diſtinctiuam propter ſpirationem actiuam. Et facit ad hoc cap. Firmiter: loquens de proprietatibus perſonalibus. Item in præfatione. Et in perſonis proprietas. Poſſent etiam adduci pleraq; dicta ſanctorum Auguſtini & aliorum, nominantium perſonarum proprietates. Vide latiùs apud Gabr. vbi & concluſione j, dicit, quod in diuinis ponendæ ſunt relationes reales, quia ibi eſt vera paternitas realis vel filiatio, quæ ſunt duæ res ſimplices, quarũ vna non eſt alia, licèt ſunt vna eſſentia identicè non formaliter, multis teſtimoniis probatur hæc, vt colligit Scotus, & poſt eum Gabriel, vbi ſuprà. Vnde Matth. vltimo dicit Saluator: Euntes docete omnes Gentes, baptiſantes eos in nomine patris, & filij, & ſpiritusſancti. Item 1. Ioannis 5. Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, pater, verbum, & ſpiritus ſanctus. Et generaliter vbicunque ſacra ſcriptura loquitur de perſonis diuinis exprimit eas nominibus relatiuis. Sic etiam patet in Symbolis Apoſtolorũ, Athanaſij, & Nicæno. Item Boëtius in libro de trin. ſubſtantia tenet vnitatem, relatio multiplicat trinitatem. Item venerabilis Anſel. in li. 4. proceſsione ſpiritus ſancti: Omnia ſunt vnum in diuinis vbi non obuiat relationis oppoſitio. Damaſ. c. 8. Omnia ſunt vnum in diuinis præter generationem in generatione & proceſsionem. In his enim ſolũ proprietatibus differunt ab inuicẽ ſanctæ tres hypoſtaſes. Item ca. 5. In his ſolũ tribus ineffabilibus paternali, filiali, & proceſsibili, &c. Faciunt ad idem multa dicta ſancti Auguſtini, Richar. Magiſtri in tex. Videtur idem poſſe colligi ex c. firmiter. de ſum. tri. & fi. cathol. vbi ſic dicitur: Hæc ſancta Trinitas ſecundũ cõmunem eſſentiam indiuidua, & ſecundũ perſonales ꝓprietates diſcreta. De hoc Occã in Centilog. cõcluſione. lxxiij. Relationi præterea (vt inquit Gabr. vbi ſuprà.) in diuinis nõ repugnat cõſtituere ſuppoſitũ, ſeu perſonam, ac diſtinguere ab alia. Nam nulli rei incõmunicabili cõſtituenti cum aliqua re, per ſe vnũ repugnat conſtituere tale in tali eſſe quale habet, & diſtinguere ab omni illo à quo ipſa diſtinguitur. Sed paternitas eſt incõmunicabilis, & cõſtituit per ſe vnũ cum eſſentia, & diſtinguitur realiter à perſona filij, & ſpiritus ſancti: ergo non repugnat ſibi conſtituere illud vnum in eſſe incommunicabili, & diſtinguere ipſum à qualibet alia perſona. Inſuper non eſt ponenda proprietas abſolutè conſtituens perſonam, quia omnino fruſtrà poneretur, nec habetur expreſſe in ſcripturis vel dictis ſanctorum: igitur non eſt ponenda. Non enim ſunt ponenda miracula quæ videntur naturali rationi repugnare ſine authoritate ſcripturæ aut ſanctorum. Hæc Gabriel. Et conſtitutio (vt idem dicit artic. iij. dub. j. vbi ſuprà.) non repugnat ſimplicitati, quãdo conſtituentia ſunt inter ſe idem, & cum toto perfecta identitate. Et ſicut ſimplicitati non repugnat perſonarũ pluralitas, ita nec perſonarum conſtitutio, nec repugnat conſtituentium pluralitas. Ex quo enim cõſtituentia identificantur eſſentiæ, nõ componunt cum eſſentia. Similiter quia conſtituentia perſonã ſunt idem inter ſe, & cum ſuppoſito quod conſtituunt, nulla eſt omnino ibi compoſitio. Eſt igitur in diuinis ſumma ſimplicitas, quia nulla poſſibilis cõpoſitio, nec intrinſeca, nec extrinſeca, &c. vide latiùs de conſtitutione Gabrielem in ſequentibus dubiis, vbi ſuprà.

Conſtitutum. vnde perſonæ pater & filius & ſpiritus ſanctus, dicuntur conſtitutum. Eſſentia & relatio conſtituentia: vt paternitas, relatio, ſpiratio, actio, ſpiratio, paſsio. Et ex eſſentia & relatione, conſtituuntur perſonæ. Et conſtituens non diſtinctum realiter à conſtituto, prædicatur verè de conſtituto: ſicut hæ ſunt veræ: pater eſt eſſentia, paternitas eſt eſſentia, &c.

Conſtitutiuum ſecundum Occam, poſt quem refert Gabriel diſtinct. xxvj. quæſt. iij. lib. j. accipitur dupliciter. Vno modo pro omni illo, quod eſt de eſſentia, & quidditate alicuius, ita quod ipſe ſine illo eſſe non poſſit, diſtinctum tamen aliquo modo ab eo ex natura rei. Secundo modo accipitur Magis ſtrictè pro illo quod eſt de eſſentia alicuius, diſtinguens ipſum ab omni alio: hoc modo eſſentia non cõſtituit perſonas, quia non diſtinguit, ſed primo modo & capiendo, ſecũdo modo conſtitutiuũ ſpiratio actiua non eſt conſtitutiuum perſonę, ſicut nec eſſentia, quia ſpiratio actiua, illo modo non diſtinguit perſonam à qualibet alia. Sic enim tantum tres ſunt relationes ſiue proprietates conſtitutiuæ, ſcilicet, paternitas, filiatio, proceſsio ſiue ſpiratio paſsiua. Sed capiendo conſtitutiuum primo modo, ſpiratio actiua eſt relatio conſtitutiua cũ eſſentia, & paternitate perſonæ patris. Et cum eadem eſſentia, & filiatione perſonæ filij, quia eſſentia paternitas, & ſpiratio actiua, eſt vnum per ſe: & perſona patris conſtituitur non ſolum ex eſſentia, & paternitate ſecluſa ſpiratione actiua: ergo ſimile conſtituitur ex ſpiratione actiua: vltrà ergo ſpiratio actiua conſtituit: vide latiùs Gabr. vbi ſuprà.

Conſuetudo quandoque pro lege accipitur, & ſecundum Panot. extra de conſue. c. fi. vt habeat vim excuſandi à pœna requiritur tẽpus decẽ annorũ, quia iura requirũt tẽpos longũ ad introducendũ conſuetudinẽ, &c. Requirũtur autẽ & de neceſsitate quinque ſecundũ doct. iuris, vt conſuetudo habeat vim legis. Primũ q. conſuetudo ſit rationabilis, quia de ſubſtãtia legis eſt, vt ſit rationabilis. iiij. d. Erit autẽ.

Vnde ſi ſit contraria ſaluti animæ, puta quia nutrit peccatum, vel præceptis Dei, & legi naturali, nunquam habebit vim legis. Vnde cõſuetudo rationalis (vt ſcribit Gerſon par.j.tract.contra proprietarios regulæ Aug.part.iij.tract.) eſt quæ à iure probatur, & vt dicit Io.in ſum.confeſ. lib.ij.tit.vj. & quam Romana Eccleſia ſeruat, aut præcipit ſeruandam. Inno.dicit: Illa dicitur rationabilis, quæ non obuiat canonicis inſtitutis, aut quam ius ſuſtinet. Irrationabilis autem, quæ contra canonum inſtituta, & à iure improbatur. Conſuetudo autem (vt ſcribit Gabriël diſt.xvj. quæſt.iij. artic.iij. dub.vj. lib.iiij.) quæ eſt manifeſtè contra præceptum Eccleſiæ non abolitũ, non meretur dici conſuetudo, ſed corruptela: ſicut nec illa quæ inducit ad peccatũ, vt in cap.ex parte.& cap.cum tanto.de conſuetudine, vbi dicitur, quod cõſuetudo non poteſt præiudicare iure poſitiuo, niſi fuerit rationabilis, & legitimè præſcripta. Non poteſt autem dici rationabilis, quæ inducit ad peccatum, & laxat fræna cõcupiſcentiæ. Secundum eſt quod mores & actus hominum, per quos introducitur conſuetudo ſint tales quod probabiliter arguant conſenſum populi illius, qui poteſt facere conſuetudinẽ, videlicet quod tales actus ſint notorij, & frequentati, ac publicè fiant à populo. Sed ſicut in via cognoſcendi (vt dicit Gabr.vbi ſuprà) non eſt ſequẽda multitudo popularium indoctorum, ſecundum Ari. ſed ſententia multorum ſapientum & expertorum. Ita in via morum non eſt ſequenda turba ad faciendum malum, nec iudicio plurimorum, nec iudicio populi acquieſcẽdum, vt deuietur à vero. Exod.23. Quia multi vocati, pauci verò electi. Matth.20. Et anguſta eſt porta & arcta, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inueniunt eam. Vnde conandum eſt cuilibet fideli, vt ſit de numero paucorum honeſtorum Deum timentium, & non de numero multorum ſecundum carnem viuentium. Nam & ſtultorum infinitus eſt numerus. Hæc Gabr.vbi ſuprà. Tertium eſt, vt ſit introducta ex certa ſcientia, non per errorem, &c. Quartũ eſt quod maior pars populi ſit vſa illa conſuetudine. Quintũ eſt tempus debitũ. De his latiùs habetur in Sum. de caſibus. & apud Doctores iuris. Et ſola illa conſuetudo obligat ad mortale, quæ introducta eſt ea mente, vt ſit prohibitiua, vel præceptiua ſub peccato mortali, quod poteſt perpendi quãdo cõmuniter tenetur ab omnibus, quod faciẽs cõtrà, peccat mortaliter. Et ſecundũ Panor.in cap. Cùm olim: de conſuetud. locum non habet cõſuetudo, niſi in illis locis vbi viguit, & non in aliis locis: quare cùm quis ſit in aliquo loco ſecundũ mores illius viuat & conſuetudinem. Vnde Ambroſ.

Cùm fueris Romæ, Romano viuito more.

Eſt autẽ cõſuetudo ius quoddã moribus inſtitutũ, quod pro lege ſuſcipitur, quũ deficit lex, ca.conſuedo di.prima. Et cõſuetudo eſt duplex, bona & mala. De quo Gerſon part.ij.tract.de paruulis trahendis ad Chriſtum, ita ſcribit: Si conſuetudinis virtus attenditur, (quæ ab Ariſtotele vocem experientiæ proferente vocatur altera natura) perſpicuum erit nil mala cõſuetudine onerosius, amarius atq; deterius, & bona cõſuetudine nihil facilius, ſuauius, diuiniusq;. Propterea cõſentiunt Philoſophi omnes & Poëtæ cũ Theologis, nõ parũ referre iuuenes ſic vel ſic aſſueſieri. *Adeò teneris aſſueſcere multum eſt,* ait Virgilius. Hinc iubet Tullius optimã formam viuendi eligendam eſſe quã iocundam reddet conſuetudo. *Quod malè fers aſſueſce, feres,* ait Naſo. Et Flaccus fingit equum docilem: *Tenera ceruice magiſter ire viam, Quam monſtrat eques.* Et poſteà: *Quo ſemel eſt imbuta, recens ſeruabit odorem Teſta diu.* Latiùs videatur Gerſ.vbi ſuprà. Et (vt idem dicit in regulis moralibus.) Conſuetudo eſt optima legũ interpres ſi de poſitiua ſermo fiat. Et cùm conſuetudo ſit altera natura, leges aſſuetæ, & quaſi iam in naturales verſæ non debent abſque manifeſta vtilitate, vel neceſſitate, vel tolli, vel mutari, &c. Aliàs multum de conſuetudine ſcribit Gerſon, & alij, &c.

Contemnere, ſpernere. Contemnere autem aliquam rem, vt auctoritatem ſuperiorũ, ſicut ſcribit Gerſo, part.ij.in regulis moral.eſt ipſam verè vel interpretatiuè nullam aut vtilem, aut minus iuſto reputare. Vnde omnis peccans etiam venialiter contemnit, quamuis non omnis talis agat ex contemptu: ſicut nec omnis ſuperbus agit ex ſuperbia, & ita in aliis multis. Et cõtemnens auctoritatẽ ſuperiorum non ex paſſione vel fragilitate, vel ignorãtia, ſed ex contemptu, qui eſt principalis cauſa, aut finis tranſgreſſionis ſuæ reus peccati mortalis exiſtit, vt dũ quis dicit ſuperiori in eo quod ſuperior ego in deſpectũ veſtri hoc agam, quod inhibetis aliàs non acturus. Hæc Gerſon.

Contemptor qui cõtemnit aliquid, vt cõtemnens ſuſcipere ſacramentũ dicitur cõtemptor, vnde ſcribit Rich.d.vij.art.v,q.j.li.iiij.& habetur de cõſe.d.iiij. victuris neceſſaria ſunt cõfirmationis auxilia, contemptus huius ſacramẽti cõfirmationis adultis, niſi pœniteant eſt damnabilis. Tunc autẽ cõtemptores reputari debẽt, quãdo habita bona & ſufficiẽti opportunitate ſuſcipiẽdi hoc ſacramentũ, ipſum ſuſcipere renuunt, aut notabiliter negligũt, & ſic intelligendũ eſt illud Hugo.ij.li.de ſacram. part.vij.c.iij. Timendũ eſt his qui per negligentiã amittũt Epiſcopi pœnitentiã, & nõ ſuſcipiũt manus impoſitionẽ, ne fortè propterea damnẽtur, ſcilicet niſi penitus pœniteãt, quia feſtinare debuerũt dum potuerunt.

Contemptus, vt ſcribit Antiſiodorẽſis, vbi loquitur de contemptu, dicit quod cõtemptus eſt appreciari rem minus iuſto. Alio modo eſt rem negligere & de ea nõ curare, vt dũ peccãs habet circunſtãtias retrahentes, ſed eas nõ curat aduertere, claudit quoq; oculũ quodãmodo, & vertit tergum ad eas. Tertio modo eſt iraſci rei tanquã vili, & eam aſpernari: primum malũ, ſecundum peius, tertium peſſimum. Et vt ſcribit Gerſon part.iij. de vita ſpirituali animæ lect.v. in omni peccato, inquit ipſe, etiam veniali committitur contemptus Dei. Primo modo verè vel interpretatiuè. Secũdus cõtemptus interuenire poteſt tam in mortali quàm in ſolo veniali. Tertius contemptus circa Deum præcipientẽ, & erga Prælatũ ſuũ inquantũ Prælatus eſt, non videtur vnquã fieri cum deliberatione completa abſque peccato mortali, & hoc propriè vocatur contemptus. Hæc Gerſon. Et cõtemptus, vt dicit beatus Thom.ij.ij. quæſt.clxxxvj. art.ix. eſt tranſgreſſio legis ex hoc quod voluntas renuit ſubijci legi vel regulæ, &c.

Differunt autem aliquid facere ex contemptu, & cum contemptu: vt ſcribit Bruleſ.di.v.q.v.li.ij.Et Getſon de vita ſpirituali animæ lectio.v. Illud fit ex coniemptu quando contemptus eſt cauſa:quod aliàs non faceret, quaſi di.ego faciam in deſpectum tui vel veſtri,& tunc eſt maximum peccatum. Illud fit cum contemptu quando aliquis facit contra præceptum ſuperiorum: ita tamen quod couremtus non eſt in cauſa quod hoc facit, ſed vel infirmitas aut debilitas aut ignotantia aut affectio alia vitioſa, & libidinoſa quæ damnatur, vide latiùs Gerſonem vbi ſupra.

Contemptus Dei eſt duplex: vt notat Bruleſ.di.vij. quæſt.iij.lib.ij.quidam formalis, & eſt odium Dei: & blaſphemia, & eſſet idolatria, quo Deus in ſe oditur:& iſte contemptus non eſt communiter in peccatoribus hominibus, ſed ſemper eſt in dæmonibus, & damnatis, qui odiunt Deum formaliter ſiue in ſe, ſiue in effectu ſuo. Alius eſt contemptus virtualis,& interpretatiuus, & eſt aliquis actus inordinatus quo præponimus voluntatem noſtram diuinæ præceptiuæ.

Contentiuum eſt illud quod eſt aptum natum continere vt ſcribit Bruleſ.di.j.q.iij.lib.iiij: Eſt autem triplex continentiá. Conſeruatiua. Et localis eſt illa qua locatum continetur in loco ſuo ipſo conſeruante, iſto modo vinum continetur in vaſe. Secunda continentia ſubiectiua & formalis eſt illa qua aliquod ſubiectum cōtinet ſuum accidens, ſibi realiter & formaliter inhærens, vt paries dicitur continere albedinem, ſcilicet, ſubiectiuè & formaliter. Tertia continentia eſt ſignatiua, & figuralis: & eſt illa qua ſignum ſignat ſuum ſignatum contineri ab aliquo: illo modo circulus pendens ante tabernam continet vinum, ſcilicet, ſignatiuè & figuraliter. Gratia autem ſecundum mentem magiſtri & ſancti Bonauen. non continetur aliquo modo in ipſis ſacramentis eſſentialiter tanquam aqua in vaſe: vel medicina in pyxide:imo hoc intelligere eſt erroneum. Sed dicuntur continere gratiam:quia ipſa ſignant. Et quia niſi ſit defectus ex parte ſuſcipientis in ipſis inuenitur gratia & ſemper confertur:ſic intelligendo quod gratia ſit in anima, non in ſignis viſibilibus ſacramenti. Et pro tanto dicuntur vaſa gratiæ. Poſſunt etiam dici vaſa ratione alia, quia ſicut quod eſt vaſe non eſt de ipſo nec ex ipſo, ſed ab ipſo hauritur, ſic gratia non eſt à ſacramentis, nec de ſacramentis, ſed oritur à fonte æterno:& ab illo hauritur ab ipſa anima de ipſis ſacramentis. Et ſicut quis recurrit ad vas cùm requirit liquorem, ſic quęrenti liquorem gratiæ & non habenti, recurrendū eſt ad ipſa ſacramenta. Nullus enim poteſt melius domare paſſiones ſuas corporales & carnales, quam deuotè & reuerenter & timoratè ſumere ſacramentum corporis Chriſti. Hæc eſt opinio magiſtri. Sacramenta itaque non ſunt contentiua gratiæ, ſcilicet, continentia conſeruatiua, & locali nec formali, ſed ſignatiua & figurali. Hæc Bruleſer.

Continentia eſt cohibitio gulæ, luxurię, cupiditatis, auaritiæ, ambitioniſque & ſuperbiæ. Et vt inquit Paulus Corteſius li.iij. ſententiarum diſtin.viij. eſt prauarum cupiditatum repulſio, & eſt propriè tantum circa concupiſcentias tactus, ſecundū beatum Tho.2.ij.q.cxliij. & cōtinentia vt eſt virtus eſt triplex, vt notat Bruleſ. di.xxxiij.q.iiij. li.iiij. ſcilicet, matrimonialis, virginalis & vidualis. Continentia matrimonialis eſt, qua aliquis vel aliqua cōtinet ab omni coitu illicito. Et dicitur coitus illicitus omnis qui non eſt matrimonialis, & iſta habet fructum triceſimum. Continentia verò vidualis eſt, qua aliquis vel aliqua continet ab omni coitu licito & illicito, non tamen ſemper continuit. Dicitur autem coitus licitus quando fit in matrimonio, & iſta habet fructum ſexageſimum. Continentia virginalis eſt, qua aliquis vel aliqua vult ſemper continere ab omni coitu illicito & licito:& ſemper continuit, & hæc habet fructum centeſimū. Non diſcrepat Rich. li.iij.di.xxxiij.ar.v. qu.iiij. ponens duplicem acceptionem continentiæ vocabuli. Vno enim modo poteſt accipi ſecundum quod importat abſtinentiam ab omnibus actibus venereis, ſicut patet in cōtinentia virginali vel etiam viduali. Et talis continentia nobilior eſt quàm temperantia communiter dicta, quia continentia virginalis eſt perfecta temperantia, vt puta perfecta eius ſpecies. Similiter etiā vidualis ex voto ſeruato perfecta eſt, licet minus virginali. Alio modo accipi poteſt pro habitu voluntatis firmante eam in bono orationis contra concupiſcentias prauas, vt non ducatur ab eis vel non ſequatur eas præter rationem, vt dicitur vij. Ethi. Et ſic loquendo melior eſt temperantia quā continentia. Vnde vt ſic temperantia diſtat vel differt à continentia ſicut perfectum ab imperfecto. Propter quod etiam Phyloſophus vij. Ethi.c.ij.dicit, quod continentia huiuſmodi, ſcilicet, nec eſt virtus nec alterum genus à virtute, volens dicere quod non attingit ad perfectionem virtutis ita purè ſicut temperantia. Et ratio eſt: quia per temperantiam habilitatur homo ad ſeruandum bonum rationis contra delectationes ſecundum tactū & guſtum. Et etiam habilitatur pars ſenſitiua concupiſcibilis ad obediēdum imperio rationis. Vnde temperatus non habet concupiſcentias indomitas, ſed habitus continentiæ, ſcilicet, ſine temperantia nō eſt tantę perfectionis quin ſenſitiua concupiſcibilis moueatur inordinatè, nec tam faciliter habilitat eam ad obediēdum rationi, plura Rich. vbi ſupra. Et dicitur continentia à contineo, quod eſt quaſi inuitum teneo. Cuius contrarium eſt incontinentia, ſicut temperantiæ intemperantia, &c.

Continens differt à temperante hoc modo, quod continens prauas quidem cupiditates habere poteſt, à quibus tamen ſe vinci non ſinit. Temperans verò huiuſmodi cupiditates habere nō poteſt, quia in eo habitus quidam eſt refrenans illas, qui in continente non eſt. Continens verò ab obſtinato ſic differt, quod obſtinatus eſt ille qui perſiſtit in ratione peruerſa, abſtinens à bonis. Cōtinens verò propriè eſt qui perſiſtit in ratione recta, à prauis concupiſcentiis abſtinens. Beatus Tho.2.ij.q.clv.ar.j. Continendi autem difficultas (vt ſcribit Gerſon parte .ij. dial.de cœlibatu ſiue caſtitate Eccleſiaſticorum) cauſatur ex imaginatiua virtute præſentante obiectum appetitui tāquam delectabile, vel directè, quia mulcet, vel indirectè, quia triſtitias ſtimulantes aufert. Cuius rei ſignum eſt quod imaginatione ceſſante ſuper veneris actibus ceſſat & eorū concupiſcentia

vel appetitus perſpicuum, hoc fit in irrationabilibus quãtuncunq; pronis ad luxuriã, ſicut in equis, tauris & canibus hoc expreſſit Virgilius in Georg. de cuſtodia equorũ, docẽs eos ſeparatim ab equabus alẽdos eſſe. Et cauſam reddit cũ experientia, dicens:

Carpit enim uires paulatim uritq; uidendo fœmina.

Contemplatio ſecundum Rich. de ſancto Vict. eſt mentis quædã conſpicua in ſapiẽtiæ ſpectacula cum admiratione ſuſpenſio. Hæc quidem Hugone teſte tres comites præexigit: lectionẽ, meditationem, & orationẽ. Lectio enim inquirit: meditatio inuenit, oratio poſtulat, ſed contemplatio deguſtat. Lectio enim ſolidũ cibũ ori apponit, meditatio maſticat & frangit, oratio ſaporẽ adquirit. Contẽplatio eſt ipſa dulcedo quę iocũdat & reficit. Lectio enim in cortice, meditatio in adipe, oratio in deſiderij poſtulatione, contemplatio in adeptæ delectationis dulcedine. Multa colligit de contemplatione frater Pelbartus libr. iij. Roſar. theologiæ, in dictione Vita contemplatiua, quæ ab omni negocio ſecundum Iſid. vacat, & in ſola dilectione defigitur, ideo à ſanctis dicitur vita ocioſa. Et Philoſophus iiij. Ethi. eam vacat vocationem. Et ſecundum Richar. in iij. diſt. xxxv. ar. j. q. j. vita contemplatiua plus importat quàm contemplatio, quia actum contẽplandi & etiam actum ſpiritualiter viuẽdi importat, ſecundum eundẽ Rich. in vita contẽplatiua quatuor conſideranda ſunt, ſcilicet, actus ſpiritualiter viuendi, actus contemplandi, motiuum ad cõtemplationem, & delectatio conſequens contemplationem. Primũ cõſiſtit in charitatiua dilectione. Vnde Aug. 13. de trin. ſecundũ hoc viuit vnuſquiſq; ſecundum quod diligit. Secundũ, ſcilicet actus contẽplandi cõſiſtit in intellectu, tum quia contemplatio eſt actus intellectus tantum. Tertium motiuum ad contemplandum directè voluntatem reſpicit, quæ ex amore mouet intellectũ ad contemplandũ amatum. Vnde Aug. 8. de tri. Quantũ, inquit, flagrãtius Deũ diligimus tantoq; certius videmus. Quartũ, ſcilicet, dilectio cõſequens ſimiliter eſt in voluntate. Voluntas enim eſt quæ in contemplatione rei dilectæ delectatur. Ex quibus patet quod contẽplatio ſimul in intellectu & voluntate conſiſtit. Et contemplatio ſic deſcribitur à Gerſone parte iij. tract. de meditatione cordis, eſt liber & expeditus mẽtis intuitus in res perſpiciẽdas vſquequaq; diffuſus, & hoc quo ad contemplationẽ quæ reſpicit intellectũ. Porrò quo ad contẽplationem quæ cõſiſtit in affectu. Et in praxi deſcribit eũ Hugo, quod eſt per ſubleuatę mẽtis iubilũ, mors quædã carnaliũ deſideriorum, hoc eſt guſtare quã ſuauis eſt Dominus. Quẽ guſtũ ſequitur lõgè alia cognitio quã fuerit intellectualis ſolũ viſio, ſeu quædã auditio per fidẽ aut ſcripturã. De cõtemplatione plura aliàs ſcribit Gerſon etiam de cõtemplatiuis, qui ab humanis & mundanis hominibus fatui iudicãtur & de eorũ vita contẽplatiua, &c.

Contingens capitur pro eo quod prius quàm eſſet potuit produci & non produci: vt inquit Gabriel diſtinct. xxxviij. quæſt. vnica. libr. j. Dicitur prius quàm eſſet, quia res quando iam eſt non poteſt eſſe non producta, cum hoc ſolo Deus priuetur, facere ingenita quæ ſunt genita, vt dicit Philoſophus. vj. Ethi. Et Boet. 5. de conſol. proſa vlti. Sol oriens & gradiens. Quædam dum fiunt non fieri non poſſunt. eorum tamen vnum priùs quàm fieret neceſſe erat exiſtere, ſcilicet, ſolem oriri, alterum verò minime, puta hominem gradi.

Contingens ad vtrumlibet (vt ſcribit Dominus Cardi. Camera. q. xj. ar. j. li. j.) nõ dicitur illud quod erit & non erit, nec illud quod nec erit nec non erit, ſed dicitur illud quod erit & poteſt non fore, vel quod non erit & poteſt fore, Ita quod deſcriptio ſiue quid nominis cõtingentis ad vtrũlibet ſit poſſibile non neceſſarium, vel potens eſſe & potens non eſſe, & ſic contingens ad vtrũlibet eſt inferius ad poſſibile.

Contingens aliquid eſſe futurum poteſt intelligi dupliciter vt idem Pet. de Aliaco notat vbi ſupra. Et Gab. poſt eũ di. xxxviij. q. vnica. ar. j. l. j. Primo modo quod illud erit & poteſt nõ fore, & ſic nihil eſt futurũ cõtingens, niſi quod erit. Alio modo quia illud erit & poteſt nõ fore, vel nõ erit & poteſt fore: & ſic eſt aliquid futurũ cõtingens quod nõ erit nec eſt futurũ. Copioſius ſcribit Cardi. vbi ſupra. Supponitur autẽ tanquã manifeſtè verũ id quod eſt aliquod ens cõtingens. Et ſicut ſecundũ Auicẽ. j. Meta. Negãtes principium primum ſunt vapulandi & exponendi igni quouſq; concedant, quod non eſt idem cõburi & nõ cõburi, vapulari & nõ vapulari. Sic & negantes aliquid eſſe contingens exponendi ſunt tormentis quouſq; concedunt quod poſſibile eſt eos non torqueri. Cõtingentia autẽ effectus (vt dicit Gabr. vbi ſupra.) præſupponit libertatẽ alicuius cauſæ agẽtis, quia vbi omnes cauſæ agentes concurrẽtes agunt naturaliter, agũt neceſſariò, & ita effectus nõ poteſt non produci, quia eadẽ neceſſitate eſt effectus, qua cauſę producẽtes agũt, alioquin cauſæ producerẽt, & tamẽ nihil producerẽt quod implicat. Libertas autem potẽtiæ actiuæ ſtat in hoc, quia ſine omni variatione aduenięte ſibi vel alteri: & per nõ ceſſationẽ vel abſentiã alterius cauſę, poteſt producere aliquẽ effectũ pro certo inſtãti, & pro alio à productione ceſſare, vel quia omnib' eodẽ modo ſe habẽtibus habet facultatẽ producẽdi & nõ producẽdi effectum, prius tamen quam producat per hunc modum ſufficienter ſaluatur contingentia in rebus futuris. Contingentia itaque in rebus producendis dependet ex libertate arbitrij producentis.

Cõtingens futurũ eſt determinatè verũ, ſic quod non eſt falſum, eſt tamẽ cõtingenter verum, quia poteſt eſſe falſum, & nunquã fuiſſe verũ. Vnde patet differẽtia inter determinatè verũ & contingenter verũ. Sic ergo determinatè verũ eſt, quod eſt verũ & nõ falſum, ita quod determinatè nõ ſit ibi determinatio aliquo modo reſtringẽs. Itẽ veritas & falſitas alicuius propoſitionis tũc dicitur depẽdere ex futuro cõtingenti, quando ex illa euidenter ſequitur aliqua propoſitio de futuro contingenti, ſicut ſequitur Antichriſtus fuit futurus, ergo Antichriſtus erit. Vide latiùs Gabriẽlem & Petrum de Aliaco vbi ſupra.

Contingẽtia futura ſunt duplicia (vt notat Gab. ar. iij. dub. iij. vbi ſupra, ſcilicet, cõplexa & incõplexa ſecundũ modũ loquẽdi aliquorum. Exemplũ primi. Futurũ eſt quod Chriſtus iudicabit mundũ, id eſt futurũ eſt quod talis propoſitio ſit vera, Chriſtus iudicat mundũ. Exemplũ ſecũdi eſt de Antichriſto futuro, prima poſſunt dici enunciabilia futura, ſed illos

ſic loquen-

ſic loquentes, ſecunda verò res futuræ. Et quandocunque Deus cõtingenter & ſcit & ſciuit effectum aliquem futurum, non tamen oportet eum in ſua cognitione mutari, ita quod primò ſciat & poſtea non ſciat. Nam effectus contingens poteſt quidem eſſe futurus, & poteſt eſſe non futurus, ſecundum hoc poteſt præſciri & non præſciri, non tamen eſt futurus & non futurus, nec primò futurus & poſtea non futurus, vel ecõuerſo. Sed ſi eſt futurus ab æterno fuit futurus, licet potuit nõ eſſe futurus; ſic Deus effectum futurum ab æterno præſciuit, qui tamen ſi ponitur non venturus, ſicut tunc nunquam fuit futurus ſic nunquam præuiſus. Vide latiùs Gabriëlem vbi ſupra, & Aliacen.

Contractus vt ſcribit frater Baptiſta in ſua roſella, eſt vltro citroque obligatio ex voluntate partium ſurgens: vt emptio, venditio, locatio, cõductio, mutuum, & ſimilia, quaſi contractus eſt obligatio quà quis obligatur alicui ex aliquo officio vel facto licito & honeſto, licet non interuenerit expreſſa voluntas vtriuſque: vt tutela, cura, aut negociorũ alienorũ geſtio, & huiuſmodi, nam quamuis pupillus habens tutorem aut pubes ſiue furioſus habens curatorem, vel ille cuius ignoranter gerit quis negocium non expreſſe contraxerit, nihilominus tutor, curator & negociorum geſtor obligatur quaſi contraxiſſent. Contrahitur autem quatuor modis, ſcilicet, re, verbis literis, & cõſenſu. inſti. de obli. in fi. Et cõtractus aliqui ſunt bonæ fidei, aliqui ſunt ſtricti iuris. Et dicitur bonæ fidei propter duo. Primò, quia ſi dolus dat eis non tenet, ſecundò quia veniũt vſuræ ex mora, & iudex poteſt æſtimare de bono & æquo quid venit recompenſandum vel reſtituẽdum, non ſic in contractibus ſtricti iuris, vide in dictione tranſlatio.

Contractus deſcribitur ita breuiter à Gerſ. parte. iij. de contractibus. Contractus eſt commutatio ciuilis legitima. Commutatio ponitur pro genere. Ciuilis additur ad differentiam mutationum naturalium, quas conſiderat philoſophia naturalis. Contractus enim ſpectat ad ethicam ſiue moralem philoſophiam. Subiungitur legitima, id eſt, legi conformis, ad differentiam contractuum illicitorum vel illegitimorum. Inuenta eſt autem commutatio ciuilis poſt peccatum, quoniam ſtatus innocentiæ habuiſſet omnia communia. Multa de contractibus ſcribit Gerſon. per plures conſiderationes; & per multa præceptor meus doctiſſimus Conradus Sumenhart & alij. Sunt autẽ ſpecies plures cõtractus, vt notat Gerſon. & aliàs plura de cõtractib⁹ ſcribũtur quæ ad forũ noſtrũ non ſpectant, legat qui voluerit alios diffuſe de cõtractibus ſcribentes. Et cõtractus quidam illiciti, &c. Conſulito iuriſperitos.

Contradictio eſt manifeſtiſſima repugnantia, id eſt, affirmatio vnius & negatio eiuſdem, vt ſcriptis reliquit Car. Camera. q. v. ar. ij. li. j. Et eſt duplex, ſcilicet, terminorum & propoſitionum, de quo latius in logica diſſeruimus. Et cõtradictio (vt vult Gabr. di. ij. q. j. li. j.) eſt medium arguendi & cognoſcendi diſtinctionem, vt quantumcunque de aliquibus dicuntur prædicata contradictoria ipſa ſunt diſtincta vel non eadem. Contradictio quoque eſt via potiſſima ad probandum diſtinctionem realem, vt ſcribit Aliacenſis. qu. vj. ar. j. lib. j. quando ita eſt quod negatio eſt ſimpliciter, ita quod per nullam circũlocutionem poteſt alterũ cõtradictoriorum verificari de illo à quo negatur, ſed quando bene viuificatur, tunc ſolùm eſt via ad probandum diſtinctionem formalem, vt quamuis hæc ſit vera negatiua, paternitas non eſt communicabilis, tamen hæc affirmatiua eſt vera, paternitas eſt illa res quæ eſt communicabilis, & ſic de aliis, &c.

Contritio quam Paulus Corteſius contuſionem vocat: vt infra dicetur. Et licet variè loquantur Doct. de contritione, diffiniendo & deſcribendo eam, in hoc tamen concordant (vt ſcribit Gabr. di. xvj. q. j. ar. j. li. iiij.) quod id quod principalius requiritur ac eſſentialius ad peccati deletionem ex parte pœnitentis eſt cõtritio, & inter talia requiſita quæ plura ſunt, puta actus, habitus, paſſiones, quorũ quodlibet quandoque dicitur pœnitentia. Deteſtatio peccati intelligitur nomine contritionis; illa enim eſſentialius ſe habet ad peccati remiſſionem ex parte peccatorum pœnitentiũ, quoniam ſine ea non fit remiſſio peccati in adultis, & ipſa ſola (ſi fuerit perfecta) ſine aliis ſufficit. Et licet communiter deſcribatur contritio, vt recitat Alex. parte. iiij. q. lxvij. me. j. ar. j. & poſt eum Tho. Bona. & cæteri, vt Palu. diſt. xvij. qu. j. Et Gerſon. parte ij. de ſacramento pœnitentiæ. Contritio eſt dolor pro peccato voluntariè aſſumptus, cum propoſito confitendi, & ſatisfaciendi. Et etiam licet pœnitentia interior, quę principalius accipitur pro contritione à beato Aug. & aliis dicitur dolor de peccatis commiſſis, tamen ibi dolor non accipitur pro paſſione, ſed actu. Vnde dupliciter dicitur dolor ſecundum Alexan. vbi ſupra. ar. ij. Vno modo diſſenſus voluntatis ab ipſo peccato. Alio modo paſſio reſultãs in diſſentiente ex illo diſſenſu. Diſſenſus autem iſte eſt de eſſentia contritionis, paſſio autem eſt effectus illius. Et hæc diſtinctio eſt notanda pro intellectu ſentẽtiæ doctorum dicentium contritionem eſſe dolorem. Vnde ſatis concordant quod contritio eſt actus voluntatis, ſcilicet diſſenſus ſeu diſplicentia commiſſi peccati. Aut nihil aliud eſt quàm velle non peccaſſe, & hunc regulariter ſequitur dolor ſeu triſtitia. Et hæc triſtitia paſſio eſt & non actus, & ideò non eſt contritio ſed effectus eius. Gabr. Scotus dicit: Contritio eſt deteſtatio ſeu diſplicẽtia peccatorum à ſe commiſſorum liberè elicita à voluntate ad placãdum diuinam offenſam. Eſt autem vt ſcribit Gabriël vbi ſupra, hæc diſſenſio ſeu diſplicentia duplex, quædam perfecta & ſufficiens ad dimiſſionem peccati, ſcilicet, quæ eſt de omnibus peccatis commiſſis, & debitè circumſtantionata, pręſertim circũſtantia finis. Alia eſt imperfecta non ſufficiens ex parte pœnitẽtis ad remiſſionem peccati, vel propter obiectum, quia non eſt de omnibus peccatis, vel quia ordinatur in finem inhoneſtum, vel quia caret circumſtantia vltimi finis, vel alia circumſtantia requiſita ad actum perfectè moraliter bonum, & tunc vocatur attritio, quaſi tritio imperfecta: vel tritio in partes maiores. Perfecta verò diſplicentia dicitur contritio quaſi tritio omnium ſimul in partes minutiſſimas, quod fit quãdo eſt de omnibus peccatis & ſecundum omnes circumſtantias requiſitas ad peccatorum remiſſionem. Et attritio ſemper eſt informis, quan-

mis, quãdoque indifferens, quãdoque vitioſa. Contritio verò ſemper formata charitate. Hæc Gabriel. Vnde Palu. di. xvij. q. j. ar. j. lib. iiij. Dolor imperfectus dicitur attritio; dolor verò perfectus dicitur contritio. Item dolor gratia informatus dicitur contritio quantumcunque modicus ſit. Dolor verò qui non eſt gratia informatus, nõ poteſt dici contritio, ſed attritio; nam dolor deſperationis eſt maior dolore contritionis, qui tamen non eſt contritio, quia caret gratia. Et ſecundum aliquos contritio & attritio materialiter idem ſunt, ſicut domus obſcura & illuminata. Attritio enim eſt quaſi lux auroræ, quæ creſcendo fit meridies. Et contritio dicitur, quia conterit, vel peccata in corde dolore teruntur. Sed cõpunctio dicitur, quia cor compungitur, & cõpunctio communior eſt quàm contritio. Dicitur & compunctio, quia cor pungitur quaſi quibuſdam aculeis, vt ſcribit S. Bonauen. diſt. xvij. in dubiis litteralibus li. iiij. Compungitur autem cor (vt idem dicit) ſecundum duplicem aſpectũ aut caritatis gloriæ, aut conſideratione offenſæ. Contritio quoque (vt ſcribit Palu. di. xvij. qu. j. ar. iij. lib. iiij.) propriè dicta non durat niſi in hac vita, habetque contritio gratiam informantem, eſtque actus ſatisfactorius, & tota vita iſta eſt tempus contritionis, quo ad habitum, ſicque quod homo ſemper debet eſſe promptus ad dolẽdum de omni peccato mortali ſi ipſum committeret, niſi aliàs doluiſſet. Nec vt idem vult oportet contritionem eſſe continuã quo ad actum, nec exteriorem nec interiorem, ne abundantiori triſtitia abſorbeatur homo interior vel exterior, ſed ſecundum quod recta ratio determinabit, & ne homo à melioribus actibus retrahatur. Vnde notant Theologi duplicem dolorem. Eſt inquiunt dolor aliquis in ſola ratione, qui libero ſubiacet arbitrio. Dolor iſte & diſplicentia vel odium vel deteſtatio ſic elicita cum gratia, ſufficit ad deteſtationem peccati, ſuppoſito quod nullus in corpore dolor ſequeretur. Attamen dicitur dolor de peccatis & dolor maximus, quia de nulla re altera temporali tanta deteſtatio elici debet à corde rationis, ſicut nullum eſt damnum pœnæ quod æquipararetur dãno culpæ. Dolor alius quem Philoſophi nominant inter paſſiones concupiſcibilis ſenſualis, qui conſurgit ex apprehenſione obiecti diſconuenientis ipſi ſenſui corporali: habet hic inſuper cauſari cum motu ſpirituum & conſtrictione cordis. Hunc vtique dolorem non oportet eſſe maximum in pœnitente, imo nimius & culpabilis eſſe poſſet: vtpote cordis ſenſualis & corporis deſtructiuus, vt inquit Gerſon parte iij. tractatu ij. de canticordo. Porro non eſt ſecundum hunc dolorem menſuranda ſemper bonitas pœnitentiæ. Cuius ratio eſt, Stat enim duos eſſe (& ſæpe videmus) quorum vnius ex complexione naturali cor habet ſtrennuum & virile nec lachrymis idoneum, ita vt vel vix vel nunquam flere poſſit, erit alter cordis fœminei mollis ad omnem miſerationis occaſionem, lachrymis laxum vel pronum. Primus eliciet deteſtationem peccati ſui intenſius in anima, fortius & laudabilius in caſu quã alius. De quo latius Gerſon. Et inter partes pœnitentiæ (vt ſcribit Gabriel ar. ij. concluſione vj. vbi ſupra.) quæ ſunt contritio cordis, confeſſio oris, ſatiſfactio operis, principalior eſt vera cordis contritio, nam per eam principalius conſequitur finis pœnitentiæ, ſcilicet, peccatorum remiſſio. Ad cordis enim contritionem ſequitur remiſſio peccatorum, etiã ſine aliis, & ita ſola in actu ſufficit, Cæteræ verò ſine contritione non ſufficiunt. De quo Gabriel diffuſe diſt. xiiij. q. j. concluſione x. lib. iiij. vbi dicit & probat quod ad deletionem peccati ſola criminis deteſtatio ſine aliis actibus pœnitentiæ ſufficit debitè circunſtantionata, & nulli alij ſine ea. Vide ſi placet. Et ſecundum Petrum de Palude diſt. xvij. articul. j. libr. iiij. ex attritione poteſt fieri contritio, ſicut ex mane fit meridies, id eſt, vnus actus fit poſt alium, & vnus eſt diſpoſitio ad alium. Et ſubiungit, ſic poteſt homo dolere imperfectè ſine gratia, & eſt attritio, poſtea perfectè & cum gratia, & eſt contritio. Hinc concludit cum S. Tho. quod idem actus numero non poteſt eſſe contritio & attritio. Vide Gabrielem recitantem opiniones de attritione & contritione. ar. iij. dub. j. q. j. diſt. xvj. lib. iiij. & concludit quod attritio non eſt pars contritionis, nec fieri poteſt contritio, ſed ſpem differt ab ea, & ita ſentit Paluden. Vide & Rich. quando attritio poſſet fieri contritio, diſtinct. xvij. artic. j. quæſt. ij. & iij. libr. iiij.

Eſt autem contritio ſecundum Palu. de ſolo malo culpæ, non naturæ, nec pœnæ. Et de ſolo peccato actuali, & de peccato proprio, & peccato præterito. Debetque eſſe de quolibet mortali peccato, & non futuro, ſi in ſpeciali habeatur memoria. De venialibus, verò ſufficit in generali. Hæc apud Palu. & poſt eum Gabr. diffuſe ſcribit de contritione.

Contritio ex quatuor vel quinque integratur (vt ſcribit Gerſ. parte iiij. lect. j.) quæ incipit, pœnitemini, quæ ſunt Motus liberi arbitrij in Deum ſuper omnia diligendum. Secundum motus eiuſdem liberi arbitrij in deteſtatione peccati. Tertium infuſio gratiæ gratumfacientis. Quartum expulſio culpæ, poſſumus addere quintum, præuentionem, ſcilicet, diuinam, qua liberum arbitrium mouet & excitat ad ea quæ dicta ſunt. Hæc Gerſon. Ad pœnitentiam autem perfectam (vt dicit Gabr. dub. iij. q. j. diſt. xvj. lib. iiij.) hæc tria requiruntur. Confeſſio, contritio, & ſatiſfactio. Verum ſecundum quandam appropriationẽ adaptãtur tribus peccatorum generibus: quia maiorem ſimilitudinem habet contritio cum peccato cordis, eò quod vtrumque manet in corde. Et confeſſio cum peccato oris: quia ore perficiuntur, & ſatiſfactio cum peccato operis, quæ ſimiliter exteriori opere conſummantur. Ad veram itaque & ſufficientem pœnitentiam & remiſſionem peccatorum requiritur confeſſio oris, contritio cordis, & ſatiſfactio operis, niſi contritio tanta foret, quod tantum dolorem induceret, quæ ſufficeret ſine exteriori ſatiſfactione. Similiter ſine contritione & confeſſione in voto nullum peccatum oris aut operis dimittitur. Hæc Gabriel vbi ſupra, &c.

Contuſio, idẽ eſt quod contritio, & eſt angor (vt ſcribit Paulus Corteſius diſt. iij. li. iiij.) ob patrata ſcelera ſuſceptus, cum confitendi & perſoluendi voluntate. Vel flens animi demiſſio, ex ſcelerum memoria, ac impendentis iudicij formidine manans, ſiue contractio aut animi morſus cum obiurgatione ſui, inter ſpem & metum inhærentia criminum

vlcera depellens. Et contuſio ſecundum eundem deſcribitur, vt cum voluntaria ſit ob culpam, nō ob mulctā oriatur, nec ab originis labe dimanet, quam quidem haud idmalum ſit voluntate noſtra contractum. Hæc Corteſius.

Contumax vt ſcribit S. Bonauen. di. xviij. parte ij. q. ij. lib. iiij. dicitur qui ſemel & bis monitus, tertio peremptoriè citatus non comparet, aut ſi comparet non vult ſtare iuri, vel quando offenſa eſt manifeſta, vel iuſſus à iudice, non vult emendare, à quo cōtumacia.

Contumacia Inobediētia. Et ſunt tres modi cōtumaciæ (vt ſcribit Gabr. di. xviij. q. ij. ar. j. l. iiij.) Primus cum quis vocatus venire contemnit. Secundus ſi veniens reſpuit obedire. Tertius ſi ante cauſæ diffinitionem recedit. Et intelligendum niſi in aliquo prędictorum habeat legitimam excuſationem, ideo dicitur: contemnit & reſpuit, quod temeritatem importat, & excuſationem ac exceptionem legitimam excludit. Et contumacia eſt ſignū incorrigibilitatis quæcunq; ſit. Solus enim contumax refugit correctionem. Concordat Richar. diſtin. xviij. artic. iij. quæſt. ij. lib. iiij.

Conuenientia eſſentialis rebus dicitur illa (vt notat Gabriel. diſt. viij. q. ij. lib. j.) quæ eſt de eſſentia rerū, ita quod nō ſtat illas res eſſe, & nō ſic cōuenire, vt eſſe rationale hominibus. ab illa cōuenientia poteſt abſtrahi cōceptus quidditatiuus abſolutus, & etiā cōnotatiuus tā eſſentialiter quā accidentaliter, vt cōceptus ſubiecti differētiæ & proprij, puta conceptus hominis rationalis, riſibilis abſtrahuntur à conuenientia eſſentiali. Primi duo ab eadem conuenientia, ſcilicet, habere animam intellectiuam, eſſentialem ſui partem. Tertius à conuenientia habere animam potentem, quantum eſt ex parte ſui producere actum ridendi, vtraque eſt homini eſſentialis. Et primus eſt abſolutus conceptus, ſecundus eſſentialiter connotatiuus, tertius accidentaliter connotatiuus.

Conuenientia accidentalis per oppoſitum dicitur: vt eſſe calidum lapidi, ab hac conuenientia non poteſt abſtrahi niſi conceptus accidētaliter connotatiuus: quia conceptus quidditatiuus non negatur de eo cuius eſt, ipſo exiſtente. Sed conceptus à conuenientia accidentali abſtractus poteſt negari ab aliquo ſic conueniente, quia ipſum non poteſt ſic conuenire, ex quo accidentaliter ſic conuenit, & tunc talis conceptus non repræſentabit illud Gab. vbi ſupra.

Conuerſio capitur multipliciter. Vno modo pro quadam propria paſſione propoſitionum participantium vtroque termino, ordine conuerſo, de qua in logica diſſeritur. Secundo modo pro mutatione rei poſitiuæ in rem poſitiuam: & eſt duplex, ſubſtantiæ in ſubſtantiam, & accidentis in accidens. Subſtantię in ſubſtātiam eſt duplex, ſcilicet, vini in ſanguinem, & panis in corpus Chriſti, vbi non ſolum forma ſed & materia tranſit, & eſt ſupernaturalis. Alia eſt partialis, quando, ſcilicet, elementum in aliud conuertitur, vel vnum mixtum in aliud. Accidentis in accidens, vt conuerſio ſancti Pauli à malitia in bonitatem. Tertio modo pro annihilatione alicuius rei, & dicitur mutatio verſio. Quarto modo capitur pro conuertentia, vt cum dicimus relatiua dicuntur ad conuertentiam, & eſt mutua referibilitas, ſicut pater refertur ad filium, ita econuerſo filius refertur ad patrem.

Conuerſio (vt ſcribit Gabr. di. xj. q. j. ar. j. li. iiij.) eſt tranſitio vnius in aliud. In quo duo notantur, ſcilicet, deſitio vnius, & ſucceſſio alterius. Nam ſi quid in ſe aut in ſua natura ac proprietatibus manet, non conuertitur in aliud. Et licet dum album conuertitur in nigrum, id quod conuertitur, ſcilicet, ſubiectum albedinis manet: non tamē manet albedo, ſecundum quā conuertitur, igitur ſine deſitione vnius & ſucceſſione alterius, non eſt conuerſio. Vnde poteſt ſic deſcribi. Conuerſio eſt deſitio alicuius entitatis poſitiuæ ad quam ſequitur inceptio vel conſeruatio alterius rei alias non producendæ vel conſeruandæ ſimpliciter, vel ſecundum quid, id eſt quantum ad aliquem modum ſe habendi. Ex quo ſequitur quod A conuerti in B. non eſt a fieri b. Nam aere conuerſo in ignem, aër non fit ignis; ſed eſt aërem deſinere & ignem ſuccedere. Succedere autem eſt ad ceſſitionem alicuius de nouo incipere eſſe, aut in eſſe ſuo conſeruari, quo modo non inciperet vel in eſſe conſeruaretur, niſi aliud deſineret. Sequitur & ſecundo quod in rem ſimpliciter neceſſariam, nihil poteſt conuerti. Et quoniam ſolus Deus eſt ſimpliciter neceſſarius, ſequitur quod in Deum non poteſt fieri conuerſio cuiuſcunque creaturæ. Sequitur & tertio quod quælibet creatura poteſt per diuinā potentiam in quamlibet cōuerti, quia poteſt Deus quamlibet creaturam deſtruere, & ad eius deſtructionem aliam de nouo producere, aut productam conſeruare. Gab. vbi ſupra. & etiam in expoſitione cano. lect. xl.

Conuerſio eſt duplex, ſcilicet, accidentalis & ſubſtantialis, vt & ſupra tactum eſt. Conuerſio accidentalis eſt cum ad deſitionem alicuius incipit aut conſeruatur aliquod accidens vel habitudo, vt in calefactione aquæ ad deſitionem frigiditatis aquæ incipit de nouo eſſe calor in aqua, & ſic conuertitur frigiditas in calorem. Similiter aqua frigida conuertitur in aquam calidam. Sed frigiditas conuertitur ſimpliciter in calorem, quia ſimpliciter frigiditas deſinit, & ſuccedit calor. Sed frigidum conuertitur in calidum ſecundum quid, quia res quæ eſt frigida non deſinit eſſe, puta aqua, nec aqua calida in caſu incipit ſimpliciter, ſed ſecundum denominationem accidentalem. Deſinit enim aqua eſſe frigida, & incipit eſſe calida.

Conuerſio ſubſtantialis eſt dum ad deſitionem alicuius incipit eſſe ſubſtantia quæ prius non fuit, vel conſeruatur quæ prius fuit. Et dicitur ſubſtantialis ſi terminus ad quem fuerit eſt ſubſtantia, ſicut accidentalis ſi terminus ad quem eſt accidens. Conuerſio enim ſicut & mutatio denominatur à termino ad quem. Vel poteſt dici ab vtroque termino, quia nomina ſunt ad placitum, ſcilicet, à termino à quo & à termino ad quem. Et ſic oportet ponere quatuor ſpecies conuerſionis. Vna qua accidens conuertitur in accidens. Secunda qua ſubſtantia conuertitur in ſubſtantiam. Tertia qua ſubſtantia conuertitur in accidens. Quarta qua accidens conuertitur in ſubſtantiam. De quo videatur latius Gabriel di. xj. q. j. li. iiij. & lectione xl. canonis.

Conuer-

Conuerſio ſubſtantialis eſt duplex. Quædam fit ſecundum partē eius quod cōuertitur, & eius in quod cōuertitur. Et hoc cōtingit in his quæ habent materiam cōmunem, vt in generatione ſubſtātiali ignis ex aëre, aër conuertitur in ignē, nō ſecundū ſe totū, quia nō ſecundum ſe totū ſyncategorematice, id eſt quodlibet ſui deſinit, quia nō ſecundū materiā. Materia enim eadē numero manet in vtroq;, ſed cōuerſio fit ſecundū formas tantū. Alia fit ſecundū totū, quando illud quod cōuertitur ſecundū ſe & quodlibet ſui deſinit eſſe, & terminus ad quē ſecundū ſe, & quodlibet ſui recipit eſſe nouum, vel conſeruatur in eſſe præhabito: & illa conuerſio dicitur tranſſubſtantiatio. De qua infra in litera T. Conuerſio autem panis in corpus, & vini in ſanguinem Chriſti, quibus verbis verè & aptè exprimi poſſit. Vide latiùs Gabriëlem lectione. xlix. canonis. De qua notabis duas regulas quas ponit idem diſtinctio. ix. quæſt. xj. art. iij. dubio. j. libro. iiij. Prima: Omnis propoſitio affirmatiua de rigore ſeu proprietate ſermonis eſt falſa, in qua termini ſignificantes panem & vinum, & corpus Chriſti ponuntur in nominatiuo caſu, niſi æquiualeat alteri propoſitioni aut reſoluatur in aliam, in qua alter dictorum ponitur in obliquo, quod additur propter illam & ſimiles. Panis eſt ex quo fit corpus Chriſti. Et quod dictum eſt habet veritatem cuiuſcunque temporis ſit copula. Vnde omnes illæ falſæ ſunt de rigore verborum. Panis eſt corpus Chriſti, quod eſt panis eſt, fuit, erit, ſeu poteſt eſſe corpus Chriſti. Similiter iſtæ, quod eſt panis, ſeu quod fuit panis, quod erit panis, quod potuit eſſe panis, eſt vel fuit corpus Chriſti. Secunda regula. Vera eſt propoſitio in qua terminus à quo, id eſt panis aut vinum exprimitur per ablatiuum, cum præpoſitione ex vel de: importante ordinem, ſecus ſi importaret materiam. Aut terminus ad quem, id eſt corpus vel ſanguis Chriſti per accuſatiuum cum præpoſitione in. Cæteræ ſunt de rigore falſæ, vt iſtę veræ ſunt. Ex pane fit corpus Chriſti, de vino fit ſangnis Chriſti, ſi ly ex vel de importat circunſtantiam ordinis deſitionis ſubſtantiæ panis aut vini ad præſentiam corporis aut ſanguinis, vt ſit ſenſus. Poſt deſitionem ſubſtantiæ panis aut vini incipit præſentia corporis Chriſti. Si vero ex vel de diceret circunſtantiam materiæ, ſicut cùm dicimus: Anulus fit ex auro, quod eſt dicere, anulus fit ex auro tāquam ex materia manente in eo, ſic eſt falſa. Similiter vera eſt hæc, panis aut vinum tranſit, conuertitur vel tranſſubſtātiatur in corpus Chriſti, vinum in ſanguinem. Cùm enim in hac conuerſione nihil intelligi debet niſi quod ad prolationem verborū ſacramentaliū ſimpliciter deſinit eſſe ſubſtantia panis aut vini, & corpus & ſanguis Chriſti incipit ſeu fit præſens ſpeciebus panis & vini. Omnes propoſitiones per quas hæc conuerſio exprimitur, & ſolę tales verę ſunt, per quas ſignificatur deſitio ſubſtantiæ panis aut vini, & præſentia corporis Chriſti aut ſanguinis ſuccedēs ex diuina ordinatione illi deſitioni. Gabriël vbi ſup. Et hæc cōuerſio dicitur trāſſubſtantiatio, tā ratione termini à quo, quā etiā ratione termini ad quem, vt latiùs videre potes apud Gabr. dub. ij. vbi ſupra. Fit autē hæc cōuerſio inſtantaneè, id eſt tota ſimul. De quo idem Gabriël dubio iiij. vbi ſupra, & lectione. xlij. canonis.

Conuerſio ad Deum & in hac (vt ſcribit ſanctus Bonauen. diſt. v. ar. iij. q. j. lib. ij.) attenditur rectitudo ſubſtantiæ ſpiritualis quantum ad eius mentem, maximè ratione partis motiuæ, nec poteſt eſſe recta, niſi actu vel habitu ſit ad Deum conuerſa. Quemadmodum igitur duplex eſt rectitudo, ſic duplex eſt conuerſio. Eſt enim quædam rectitudo gratiæ, penes hanc eſt iuſtitia meritoria, quam acceptat iudex ſummus ad retributionem æternam. Et quia videt in ea pulchritudinem gratiæ, merito eius animā traducit in ſponſam, & opera eius ſunt ipſi amabilia. Alia eſt rectitudo naturæ inſtitutæ, & penes hanc eſt iuſtitia originalis. Sic intelligendum eſt quod duplex eſt conuerſio, quædam à naturali rectitudine, quædam à rectitudine gratiæ. Primam habere potuerunt Angeli abſque gratia, ſed ſecundam non ſine gratia, & cōuerſio illa fuit meritoria & Deo placita, & ideo non potuit eſſe ſine gratia. Rurſus quia per illam conuerſionem obtinuerunt gratiam, oportet ponere quod in cōuerſione illa inchoauerit voluntas libera, ſed conſummauerit gratia, & ideo fuit ibi gratia ſubſequēs, nō præueniens: gratia cooperās, & non operās, vt dicit magiſter in litera. Conuerſio itaque angelorū in qua confirmati ſunt, non fuit ſine auxilio gratiæ. Hæc S. Bona.

Conuerti ad Deum eſt Deo charitate adhęrere. Auerti à Deo, eſt Deum odio habere. Magiſter li. ij. diſt. v. Et per inſpirationem conuertimur potiſſimum ad Deum, teſte Gerſone parte. ij. ſermone de verbis Domini: Venite ad me omnes qui laboratis. Eſt enim modus vocationis (vt idem dicit) inſpiratio quam multis modis fieri conſtat. Fit namque timore, amore, pudore, compunctione, deuotione, intelligentia, ſapientia, datione, redditione, augmētatione & conſummatione cuiuſlibet gratiæ. Hæc ſola conuocatio ſufficit per ſe ad conuertendum hominem, cæterarum nulla ſine iſta aliquid valet, fremat mūdus, premat corpus, tumultuetur conſcientia, coruſcent miracula, appareant exēpla, addantur & doctorum verba, magis per hæc blaſphemiæ, murmurationes, contemptus & irriſiones, detractiones & perſecutiones quam gratiæ aut virtutes ſuſcitabuntur. Hæc Gerſon &c.

Cooperari ab operor idem eſt quod adiuuo. Vnū autem poteſt alteri cooperari quatuor modis (vt ſcribit Pet. de Pal. diſt. v. qu. j. li. iiij.) Primò ſicut adiuuans ei cui auxiliū præbet cooperatur. Secūdò ſicut conſilium præbens. Tertiò ſicut quo mediāte agens primum introducit ſuū effectum: ſicut cooperatur inſtrumentum principali agenti. Quarto ſicut diſponens materiam ad effectum principalis agentis ſuſcipiendum: primis modis duobus in nulla actione aliquid Deo cooperatur, propter perfectam eius potentiam quæ nullo auxilio indiget: & propter perfectam eius ſapientiā, quæ nullius conſilio eget. Inde Eſa. 40. Quis adiuuit ſpiritum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit? Sed tertio modo cooperatur aliqua creatura Deo in eius actione, non tamen in omnibus. Cùm enim Deus ſit primum agens naturalium actionum: quicquid natura agit hoc efficit quaſi inſtrumētale agens cooperans primo agenti. De hoc ita dicit ſanctus Bona. diſtin. v. ar. iij. q. j. lib. iiij. Aliquid alij cooperari eſt dupliciter, vel per

modũ vere efficientis,ſicut natura cooperatur Deo in productione naturalium,& li.ar.gratiæ in faciẽdo opus meritorium, vel per modum diſponentis, ſicut cooperatur homo Deo quantum ad gratiam, quia ſe diſponit. Sed quædam ſunt (vt Paludenſis vbi ſupra dicit) quæ Deus ſibi retinuit immediatè il la operans, & in iſtis creatura Deo non cooperatur tertio modo,ſed quarto,ſicut patet in creatione animæ rationalis,quam immediatè Deus producit,ſed tamen natura diſponit materiam ad animę rationalis receptionem. Et quia recreatio animæ creationi ipſius reſpondet, ideo ad emundationem eius immediatè, ipſe operatur,ſed ad hoc homo cooperatur diſponendo animam, & hoc dupliciter, ſcilicet,ex opere operante, ſicut docendo, ſiue eſſet merendo, & hoc modo homines Deo cooperantur in remiſſione peccatorum. De quibus.1.Cor.3.Dei adiutores ſumus. Vel ex opere operato,ſicut qui conferũt ſacramenta, quæ ad gratiam diſponunt, per quam fit remiſſio peccatorum, & hæc eſt cooperatio miniſterij quæ miniſtris Eccleſiæ competit.De quibus dicitur.1.Cor.4. Sic nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti. Hæc Paluden. Vnde Rich.diſt.v.ar.j. q.ij.lib.iiij.dicit:Aliquem cooperari ad emundationem interiorem dupliciter poteſt intelligi, aut ipſam emundationem interiorem attingendo, aut ad eam aliquo modo diſponendo. Primo modo Chriſtus non contulit poteſtatem miniſtris ſacramentorum cooperandi ad emundationem interiorẽ, quia illa fieri non poteſt, niſi per gratiam quæ non producitur in eſſe niſi per creationem,ſed ſecundo modo, quia poteſtatem habent conferendi ſacramentũ,quo ex inſtitutione diuina diſponitur ſuſcipiens ad ſui interiorem emundationem,ſicut agens naturale inquantum eſt Dei inſtrumentum diſponendo & organizando corpus diſpoſitiue cooperatur ad animæ infuſionem,quamuis in multis ſit diſſimile. Hæc Richar.vbi ſupra.

Cor Dei Vt ſcribit B. Hiero. in Epiſtola.j. eſt patris arcanum eius ſapientiæ myſticæ,ex quo verbum,id eſt filium ſuum impaſſibiliter ſine initio genuit, ipſo dicente Pſalm.44. Eructauit cor meum verbum bonum.

Corpus poteſt accipi tripliciter (vt ſcribit Gabriel diſt.xj.q.j.ar.j.li.iiij. & lect.xlij. cano. poſt Greg. de Arim. in ij.ſcripto di.xvj.q.ij.& Petr. de Aliaco. q.v.ar.ij.lib.iiij.) vno modo vt eſt genus ſubalternum prædicamenti ſubſtantiæ, & ſic ſignificat ſubſtantiam totalem compoſitam ex materia & forma. & ſub eo continentur omnes ſpecies ſpecialiſſimæ & indiuidua ſubſtantiæ,ſignificantes res compoſitas,vt homo,aſinus, Ioannes, Petrus, Paulus. tales autem ſignificant res totales per ſe in genere. Secundo modo vt eſt prædicamenti quantitatis cõtinuæ. & ſic importat trinam dimẽſionem,longitudinem, latitudinem, & profunditatem. Tertio modo accipitur pro altera parte compoſiti ſubſtantialis,vt cum dicimus hominem componi ex corpore & anima. In hac ſignificatione communiter accipitur à ſanctis. Vnde Ioannes Damaſcenus. Omnes homines ex anima & corpore compoſiti ſunt, & omnes naturam animæ participant, & ſubſtantiam corporis poſſident. Item beatus Hiero. in explanatione fidei catholicæ dicit humanitatem conſtitui ex anima & corpore. Et ſic capit corpus Philoſophus ij.de anima,cum dicit: Anima eſt actus corporis. In his accipitur corpus pro altera parte compoſiti ſubſtãtialis, ſcilicet, pro illo quod immediatè ſubiicitur formæ ſpecificæ,ſiue ſit materia nuda ſiue materia organizata,ſiue compoſitum ex materia & forma,nõ ſpecifica, ſecundum ponentes plures formas ſubſtantiales in eodem indiuiduo. Et illo tertio modo pro eodem accipitur corpus humanum & caro. Vnde indifferenter dicitur quod homo componitur ex corpore & anima,& ex carne & anima,vt in ſymbolo Athanaſij: Sicut anima rationalis & caro vnus eſt homo,&c. Tertio modo Petrus Aliacenſis ſcribit corpus accipi prout ſupponit pro materia, ſiue ſit quanta,ſiue non,connotando tamẽ aliquas qualitatiuas diſpoſitiones materiæ inhęrere. Et hoc modo dicimus quod ex anima humana & corpore hominis fit vnus homo. Et quod corpus Chriſti in triduo iacebat in ſepulchro, id eſt materia Chriſti informata qualitatiuis diſpoſitionibus aliquibus, & ſic iſte terminus poteſt pertinere ad prædicamentum qualitatis,&c. Et corpus tertio modo acceptũ ſecundum aliquos adhuc dupliciter accipitur(vt refert Gabriel.lect.xlij. canonis.) Vno modo accipiũt generaliter pro altera parte eſſentiali compoſiti,quę cum forma conſtituit totum, & ſic omnis materia prima eſt corpus. Hoc modo concedẽdum eſt quod aër habet corpus,ſimiliter ignis,& quęcunq; omogenea ſubſtantialia. Sic accipit commentator,qui& materiam quatuor elementorum vocat corpus primo Metaphyſi.commen.xxxj. Alio modo accipitur ſtrictus pro altera parte compoſiti organizata, cum forma conſtituens totum. Et illo modo materia in animalibus perfectis eſt corpus & non omogeneis. Sic concedimus quod animal componitur ex corpore & anima,non autem lapis vel terra, vel aqua, vel aër,&c.

Corpus humanum verum (vt ſcribit Bruleſer diſt. viij.q.iij.li.ij.)eſt corpus Phyſicũ,perfecta mixtione mixtum eſſentialiter complexionatum perfectiſſima organizatione organizatum viuificabile ab anima rationali vel intellectiua & diſpoſitum immediatè ad eius ſuſceptionem. Ex quo ſequitur quod nullum corpus cœleſte poteſt eſſe verũ corpus humanum,nec corpus imperfectè mixtum,nec corpus elementare, id eſt elementum vel planta, nec corpus animalis bruti poteſt eſſe verum corpus humanum. Et licet corpora aſſumpta à bonis vel malis angelis habeant regulariter effigiem corporis humani, illa tamen corpora non ſunt vera corpora humana, nec veram formam & cõplexionem corporis humani habẽt. Et dicitur regulariter,quia dæmones aliquando aſſumunt effigies corporũ brutorum. Corpus enim humanum non competit miniſterio eorum, & ſolum aſſumunt corpora ad miniſterium. Indigent enim corporibus velocibus & leuibus, vt ſint apta nata diſcurſui & veloci motui eorum. Corpus autem humanum eſt ponderoſum & graue,nec multum aptum ad motum. Angelus verò bonus communiter aſſumit corpus de ſuperiori parte aëris,quę dicitur etherea,mali autem de parte inferiori,ſcilicet caliginoſa,&c. Item ſpiritus Angelicus in corpore aſſumpto nõ habet operationem animæ

animæ vegetatiuæ, nec quo ad vim nutritiuam, nec augmentatiuam, nec quãtum ad vim generatiuam. Ex quo ſequitur quod non poſſunt generari, nec minorare nec augmentare, quamuis dæmones quoque qui dicuntur immundi ſpiritus, aſſumũt corpora aliquando in ſpecie mulieris, & ſupponunt ſe viris ad recipiendum ſemen, & ipſum ſemẽ cuſtodiũt in naturali diſpoſitione quantum ad tempus; & aſſumunt corpus in ſpecie viri: & ſuperponunt ſe mulieribus, infundentes ſemen in matricem: nõ tamen propriè generant, ſed impropriè, indirectè, miniſterialiter. Ipſi itaque dæmones in corporibus aſſumptis propter ſubtilitatem ſuam habent tantam poteſtatem ſuam in corpus quod poſſunt miniſterialiter & applicatiuè mulierem imprægnare ſine violentia ſic quod conciperet, ipſa tamen manente virgine. Item in corpore aſſumpto dæmones poſſunt aliquam virginem corporaliter deflorare & violenter opprimere vi, & violentia cogendo eam. Item poſſunt in aſſumptis corporibus obſidere ciuitatem vnam, & machinas & luctari, & omnes occidere, & citò reædificare muros. Nec exercent prædicta illuſoriè vel imaginariè, ſed verè realiter & ſine fictione & deceptione, quia Deus in primordio creationis Angelorum dedit ipſis Angelis omnem poteſtatem mouendi quamlibet creaturam corporalem ſecundum locum, ſecundum placitum ſuæ voluntatis, & talis gratia gratis data remanſit in dæmonibus, & in hoc concordãt omnes docto. vt dicit magiſter Brulefer. Tanta præterea eſt dæmonum fortitudo quod poſſunt elementa commouere, mare concitare, montes transferre de loco ad locum, deſiccare herbas, & hoc Deo permittente. Et dicit Aug. 3. de trini. quod corpora obediunt quo ad localem motum dæmonibus ad nutum, &c. Poſſunt & cõmmouere humores diuerſos in corpore, & ſic cauſare diuerſas infirmitates, ſicut agitabat Saulem. 1. Reg. 16. Et Paulus torquebatur paſſione iliaca vel cholica à dæmone. Et niſi eſſent boni Angeli qui nos cuſtodiunt, facerent nobis dæmones infinita mala, ſed ab ipſis bonis prohibentur. Ideo debemus eos multũ diligentiſſimè inuocare & revereri. Brulefer. Poſſunt inſuper dæmones per naturã ſuę ſubtilitatis quęcunque corpora penetrare, & in eis ſine aliquo impedimẽto ſiue obſtaculo ſubſiſtere, id eſt, exiſtere, vt patet ex textu Euangelij, quo teſte nouimus Chriſtum multos curaſſe obſeſſos à dæmonibus. Et hæc corpora in quibus ſunt poſſunt commouere & conturbare, vt patet per experiẽtiam & Euangelium. Et quando permittuntur in corpus intrare, dicuntur ipſum obſidere. Permittit autem Deus ſiue ad ſuæ gloriæ oſtenſionem cum expelluntur dæmones per miraculum. Aliquando ad peccati punitionem, ſiue ad peccantis correctionem, ſiue eruditionem noſtram. Nunquam autem Deus permittit ſine cauſu rationabili, occulta autem ſunt Dei iudicia. Ideo non debemus inueſtigare niſi velimus errare. Brulefer. diſt. viij. quæſt. vij. lib. ij.

Corpus organicum eſt corpus habens diuerſas in ſitu partes & figuras, ad diuerſa opera vitæ deputatas. Brulefer. diſt. viij. q. v. lib. ij.

Corpus Chriſti eſt duplex, ſcilicet verum, & myſticum. Verum quod ſumpſit ex Maria Virgine, & illud corpus dicitur ſaccus precij noſtri. Et Chriſtus corpus ſuum ſaccum appellat, eò quod in eo portauit precium noſtræ redemptionis, vt ſcribit Iacobus de Valentia ſuper illud Pſal. Concidiſti ſaccum meum & circundediſti me lętitia. Vnde Aug. ſuper illud Pſal. 21. Ecce Chriſtus paſſus eſt, ecce mercator oſtendit merces, ecce precium quod dedit, ecce ſanguis qui effuſus eſt, in ſacco ferebat precium, percuſſus eſt lancea, ſciſſus eſt ſaccus, & manauit precium orbis terrarum. Corpus myſticum eſt congregatio omnium fidelium in charitate exiſtẽtium. Et ſicut panis fit multis granis congregatis, & vinum cõfluit ex multis racemis ſimul preſſis, ſic corpus Chriſti myſticum ex multis congregatur Chriſti fidelibus charitate ornatis. Huius corporis Chriſti myſtici ſunt multæ connexiones membrorũ in corpore myſtico Eccleſiæ, ſicut diuerſæ ſunt in eodem corpore vnitates. Vna eſt enim vnitas charitatis, vt ſcribit Gerſon parte. j. libello de auferibilitate papæ ab Eccleſia. conſide. xvj. Et ita ſoli habentes charitatem dicuntur vera mẽbra Eccleſiæ. Alij quãtumcunque fideles ſunt, vel vt præciſa, vel vt arida & emortua membra, imò ſunt proditores Domini ſui, nec de familia eius hoc modo dici poſſunt, nec ſunt digni pane quo veſcuntur. Alia eſt vnitas in donis naturæ, ſicut omnes homines connectuntur in intellectu & in ratione. Alia eſt vnitas in ſimili participatione ſacramentorum, & pręſertim in vnitate baptiſmatis in quo character imprimitur, in qua vnitate connectuntur omnes qui baptiſma ritè ſuſceperunt, etiam vbi fidem actualem vel habitualem perdidiſſent. Et hæc vnio videtur abſolutè ſufficere ad hoc quod aliquis ritè in papam electus maneat caput Eccleſiæ quouſque fuerit per ſententiam diffinitiuam depoſitus. Hæc Gerſon.

Corrigere idem eſt quod corripere. Modum corrigendi oſtendit ſanctus Bonauen. poſt Alexan. par. iiij. q. lxxxj. mẽb. ij. & Gab. di. xviij. q. ij. ar. j. li. iiij. cũ dicũt, quod ſicut in medicinalib' duplex eſt modus curãdi, ſcilicet per medicamenta leniẽtia & per medicamẽta exaſperãtia. Curatur enim aliquis per emplaſtri appoſitionem, aliquis per ſectionẽ. Sic in moralibus duplex eſt modus corrigendi. Vnus per dulces monitiones, alius per aſperas increpationes. Et hoc ſecundum duo genera hominum, quia quidam ſunt tractabiles & placabiles, quidam duri & rebelles, ſic in diuinis & Eccleſiaſticis iudiciis in quibus eſt inſtructio, correptio & curatio, duplex reperitur modus inſtruendi, corrigendi, curandi. Quemadmodum ergo qui non curantur per emplaſtrum apponitur vulnus & cauterium, ſic inuitis & incorrigibilibus fit correptio per flagellum, ſic eſſe oportuit in Eccleſiæ rectoribus. Et ideo Dominus inſtitutor & fundator Eccleſiæ, eidẽ non dedit tantum medicamenta ſacramentorum ad curandum accedentes, ſed etiam gladium ſpiritus quod eſt verbum Dei, & poteſtatem amputandi & reſecandi contemptores & rebelles. Vide & de hoc in dictione *Obiurgatio*

Correctot dicitur qui corrigit vel reprehendit. Et Corrector liber dicitur, vt ſcribit ſanctus Bonauen. in prologo ſuper magiſtrum, qui tantũ gratia correctionis non inuidiæ vel ſubſannationis corrigit.

Hunc

Hunc deſiderat Magiſter, quãdo dicit in prolo. ſuo: In hoc autẽ tractatu non ſolũ piũ lectorẽ, ſed etiam liberũ correctorẽ deſidero. Et hoc facit exẽplo Aug. 2. de Trini. ca. 1. vbi dicit: Magis amabo inſpici à rectis, quàm timebo morderi à peruerſis. Gratanter enim ſuſcipit oſculũ columbinũ pulcherrima & caſtiſſima charitas. Dentẽ verò caninũ euitat cautiſſima humilitas, vel retundit ſolidiſſima veritas. Magisq; optabo à quolibet reprehẽdi, quàm ab errãte ſiue ab adulante laudari.

Correctio fraterna (vt ſcribit Gab. lect. xxiiij. canonis) eſt quæ ex charitate procedit, non nocendi vel cõfundendi cupiditate, ſed fratrem emendandi voluntate. Et ſecundũ Palud. d. xix. q. iij. li. iiij. Fraterna correctio eſt admonitio fratris de emendatione delictorũ ex fraterna charitate. Dico autẽ admonitio fratris, quia obiurgatio verbi & caſtigatio verborum pertinet ad Prælatũ. Sed admonitio ſecreta, quæ fit per verba, dicitur correptio de emẽdatione delictorũ, quia reſpectu finis dicitur homo proximũ dirigere, cùm ſibi ipſum oſtẽdit, ſed regere, cùm à deuio ipſum cuſtodit: corrigit, cùm errantẽ ad viam per ſemitã reducit, emẽdando ipſum à peccato. Hoc autẽ quia fit ſępius de paruis delictis vel omiſſionibus, quæ dicũtur delicta, quaſi derelicta. Nam de aliis dicitur, quod nemo poteſt corrigere quem Deus deſpexerit. Ideo dicitur de emendatione delictorum ex fraterna charitate. Illa enim correctio, quæ fit à Prælato, in cõmuni dicitur fieri ex iuſtitia, quæ reſpicit bonũ cõmune, vt ædificetur de pœna, qui fuit ſcãdalizati de culpa, vt vnius pœna ſit metus multorũ: ꝓpter hoc enim reipub. intereſt, ne maleficia remaneãt impunita. Sed illa quæ fit ſecreto ad emendationem fratris, ex charitate procedit, quia amicitia nõ minus ſubuenit in dãnis virtutũ, quàm in amiſſione rerũ. Hæc Palud. Et cùm animę hominũ ſint cunctis rebus præferẽdæ. Si eleẽmoſyna corporalis vbi eſt neceſſaria corpori, eſt in pręcepto, multò magis ſpiritualis. Vnde ſi occurrat iſte caſus primò quod videt proximũ in peccato mortali. Secundo ſperat per ſuã admonitionẽ illũ corrigi. Tertio quod non ſperat illũ aliter corrigi, ſed ſic incorrectũ mori, tenetur ex pręcepto plus ſubuenire animæ, ne damnetur, quàm fameſcẽti Lazaro ne moriatur: ſed & cùm ſit opus eleẽmoſynæ ſpiritualis datũ ſub affirmatiuo pręcepto, ſemper quidẽ obligat, ſed nõ pro ſemper: vt dicit Gerſon part. iij. de cõſol. Theol. li. iij. proſa. iij. Omittenda quippe eſt dũ probabiliter apparet quod fieret vel fruſtra vel in deteriorationẽ corrigẽdi. Hoc autẽ probabiliter æſtimatur de peccãtibus ex malitia & cõſuetudine peruerſa, non ex ignorãtia: ſecus in correctione iudiciaria. Poteſt & omitti correctio, dũ probabiliter apparet, quod peccãs alio modo per ſe, vel per alterum corrigetur. Et vt dicit Gab. vbi ſuprà. Peccantem fratrẽ mortaliter corripere eſt pręceptũ, ſed peccantẽ venialiter eſt conſiliũ. Vide latiùs eum ibi de fraterna correctione. Vnde Grego. in homel. Cùm audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti. Plus eſt, inquit, animã in æternum victurã pabulo verbi reficere, quàm ventrẽ morituræ carnis terreno pane ſatiare. Si antẽ (vt inquit Palud.) non eſſet in peccato mortali, ſed veniali tantùm deeſſet neceſſitas, quia ſi hic nõ corrigetur, in Purgatorio corrigetur, Et vt idẽ dicit: ſi nõ ſperaretur correctio, ſed potius exaſperatio, nõ deberet fieri niſi propter aliorũ ædificationẽ in caſu negligendũ eſſet eius odium: ſicut Ioãnes arguebat Herodẽ. In quo caſu dicit Chryſ. Melius eſt odiũ propter Deũ, q̃ amor propter eum. Cùm enim ꝓpter Deũ diligimus, ſibi debitores ſumus. Cùm autẽ propter eum odio habemur, ipſum nobis debitorẽ cõſtituimus. Vel ſi ad horã cõtriſtaretur, poſteà emẽdaretur. Itẽ ſi aliter ſperaretur corrigi vel per ſeipſum vel per aliũ, ad quẽ magis pertinet, qui tamen ſi pręſens eſſet, nec corrigere vellet, nõ excuſaretur qui hoc videret, &c. Et omnes tenẽtur ad eã ſicut ad charitatẽ etiã religioſi. De quo latiùs videre potes Palu. d. xix. q. iij. art. iij. li. iiij. Vnde ſi verbo ſuo quiſquam vel religioſus poſſet corrigere peccantẽ, nec faceret, mortaliter peccaret. Dicturus: Væ mihi, quia tacui: & maledictus qui prohibet gladiũ ſuũ à ſanguine. Et Ezech. Si nõ annunciaueris ei, ſanguinẽ eius de manu tua requirã, ſicut ſanguinẽ Abel de Cain, qui dixit: Nunquid cuſtos fratris mei ſum? Secũdò tenetur peccator: quia peccatum ſuũ eum nõ liberat à præcepto, etiãſi peccet corrigẽdo, quia nõ eſt perplexus, cùm poſſet ſe corrigere in momento. Et Prælatus ſubditũ corrigat, ſed malo exemplo, nõ peccet videat. Subditus autẽ debet & poteſt Prælatũ corrigere, ſed cum debito moderamine, quia ſi in hisquę fidei ſunt, erret, publicè peccare faciẽs populũ, publicè eſt arguẽdus: ſicut Paulus Petrũ. Vnde ſi Papa prædicaret errorẽ corã populo, ſurgendum eſſet & ei corã populo contradicendum. Sic enim dicit Paulus de Petro: In faciem ei reſtiti. In aliis autem ſecreto & cum reuerentia corrigendus eſt: & tantò reuerentius, quantò maior Prælatus. Hæc Palud. Aſtipulatur Richar. diſt. xix. artic. ij. quæſt. iij. libr. iiij. Sed multò plura Gabriẽl de correctione, vbi ſuprà.

Correctio eſt duplex (vt ſcribit Richardus diſt. xix. artic. ij. quæſt. j. libr. iiij.) Quædam eſt actus iuſtitiæ vindicatiuæ, quæ eſt coërtio à malo, per inflictionẽ iuſtæ pœnæ: & hæc non pertinet niſi ad ſuperiores reſpectu inferiorum, quorum habeut curam ex officio. Hæc dicitur correctio iudicialis ſeu poteſtatiua. De qua multa ſcribit Gabriẽl lec. lxxv. cañ. Alia eſt actus dilectionis (vt inquit Richard. vbi ſuprà.) quæ eſt per amicabilem inſtructionem, boni exhortationem, & mali reprehenſionem. Et hæc reſpicit curam zeli: & ad hanc tenetur quilibet reſpectu cuiuſlibet, ſicut quilibet reſpectu cuiuſlibet debet habere dilectionem. Hæc Richard. De hac paulò ſupra dictũ eſt: multa agit de ea Gabriẽl, lect. lxxiiij. canonis, &c.

Corruptio (vt ſcribit S. Bonauen. d. xliiij. art. iij. q. j. li. iiij.) vno modo dicit deſitionẽ rei quantũ ad eſſe ſubſtantiale: & hoc modo idẽ eſt quod cõſumptio. Et tali modo nõ corrumpuntur corpora damnatorũ, cùm nõ moriantur. Alio modo corruptio eſt idẽ quod priuatio bonæ diſpoſitionis. Et hoc modo quoniã à corporib' damnatorũ auferetur quies, & bona diſpoſitio quę generat in anima voluptatem. Hinc eſt quod cõtinuè corrumpũtur. Eſt ergo corruptio afflictionis nõ interpretationis ſiue cõſumptionis. Et hæc fit per aduſtionẽ ignis. Bonauen. & quomodo poſſit hoc intelligi: vide eum latiùs ibi.

Corruptio integritatis, ſecundũ S. Bonauen. (vt refert Gab.d.xx.q. vnica, ar.ij.dub.ij.li.ij.) tria dicit, ſcilicet clauſtrorũ apertionẽ, pœnalẽ paſsionẽ, & fœdã delectationẽ. Primũ eſt naturæ. Secundũ eſt pœnæ. Tertiũ eſt corruptionis vitioſæ, quæ tenet medium inter pœnã & culpam. Si igitur vir cognouiſſet vxorem in ſtatu innocentiæ, fuiſſet quædã clauſtrorũ apertio, ſed nõ pœnalis paſsio, nec fœda delectatio, quia vis generatiua non eſſet corrupta, nec infecta. Nõ ergo fuiſſet corruptio integritatis, quia non pœnalitas nec delectationis fœditas. Concordat Tho.part.j.q.xcviij.artic.ij. Quapropter vir & vxor iuncti nõ fuiſſent illecti illecebroſa carnis cõcupiſcentia, ſed tantũ ex dictamine rationis rectæ: & per hoc non niſi cauſa prolis generandæ, fuiſſet enim ibi matrimoniũ tantũ in officiũ non in remediũ. Non enim fuiſſet ibi languor, aut morbus concupiſcentiæ: & ita nec opus remedio medicinæ, nec aliqua rebellio fuiſſet in membris genitalibus, nec inordinatus pruritus, ſed ſubiecta fuiſſent rationi, ac pleno volũtatis dominio, ſicut manus, pes, & cætera corporis membra, &c. Et licèt probabile eſt, quod infuiſſet delectatio, vt vult S.Tho. nõ tamen effrænis, aut fœda, ſed pura, & omnimode rationi ſubiecta, &c. Secundũ opinionẽ itaq; ſanctorũ & doctorum in ſtatu innocentiæ fuiſſet multiplicatio hominum per cõmixtionem ſexuum, ſiue probroſa, & fœda delectatione & partus ſine dolore, non tamen cum carnis integritate. Siquidem dolor partus, pœna eſt libidinoſi conceptus.

Creare (vt ſcribit Scot.di.j.q.ij.li.ij.) eſt aliquid de nihilo producere in effectu, & vt dicit Magiſter li. ij.di.j. propriè eſt creare de nihilo aliquid facere de nihilo, id eſt non de materia. Et ſecundum Occam quotli.ij.q.viij.& in iiij.ſeñ.di.j.q.j. Et poſt eum Gab.d.j.q.j.& q.iiij.li.ij. & di.xj.q.vnica, li.iij.& di.j.q.j.ar.iij.dub.ij.li.iiij. & Petrus de Aliaco, q.j. ar.ij.li.iiij. creare capitur multipliciter: quandoque accipitur pro promouere ad dignitates, ſic dicũt canoniſtæ quòd Papa creat Cardinales. Alio modo & quadrupliciter. Primo largè pro producere, ſic dicit Commentator 3. de Anima. Intellectus creat intellecta vel intellectionẽ. Secũdo modo accipitur ſtrictè pro facere aliquid de nihilo mediatè vel immediatè, id eſt ipſum, vel id de quo factũ eſt. Sic dicit Aug. ſuper Ioan. quod ſegetes creantur. Tertio modo accipitur ſtrictius, & ſic eſt agens facere, aliquid facere poſtquã nihil fuit, quod poſſet ipſum facere ſine ſubiecto. Quarto modo ſtrictiſsimè, & ſic eſt Deũ facere aliquid poſtquã fuit nihil ſine concurſu agẽtis, quod neceſſario requirit paſſum, ſiue ſubiectũ. Et accipiẽdo creare primis duob⁹ modis: quilibet effectus creatur à Deo, quia omnis effectus producitur à Deo de nihilo, ſecundũ ſe vel ſecundũ id de quo vltimo producitur, quia prima rerũ productio fuit de nihilo. Sic verũ eſt quod dicit Magiſter, quod Deus eſt creator omnium viſibiliũ & inuiſibiliũ. Accipiendo tertio modo ſolus & omnis effectus ſimplex creatur à Deo, vt probat Gab.d.j.q.j. li.ij. Concurrit Deus namq; qui nõ requirit de neceſsitate ſubiectũ in agendo, idẽ quoq; effectus generatur & creatur: generatur à creatura, & creatur à Deo. Vide Occã q.iiij.& v.li.ij. non longè à fine.

Sic ait Aug. ſuper Pſal.70.ver. Deus quis ſimilis tibi? parentibus generãtibus Deus creat. Accipiendo quarto modo, ſolus effectus & quilibet qui ſecundũ ſe & quodlibet ſui producitur à Deo ſolo, nõ cõcurrente cauſa ſecũda, & effectiuè creatur, patet ex deſcriptione quarti modi. Hinc Brulef.d.j.q.vj.lib.ij. ait: Creari propriè eſt immediatè à Deo produci, vnde omnes Angeli, omnes animæ, omnis habitus ſupernaturalis & infuſi, dicũtur creari, quia immediatè producuntur à Deo, & poſt omnino nihil. Itẽ cœlũ empyreũ, materia prima & tẽpus, fuerũt creata: homo verò propriè nõ dicitur creari, quia nullus homo immediatè producitur à Deo, vnde nec Adã. Vnde ſi inuenitur creatus, exponitur, id eſt factus: nec corpus Chriſti formatũ de puriſsimis ſanguinibus Virginis fuit creatũ. Item nulla generabilia & corruptilia quę producũtur à Deo mediãtibus cauſis ſecundis propriè dicuntur creari, quia creari eſt immediatè à Deo ꝓduci. Dei itaq; propriũ eſt creari. Vnde Paulus Corteſ.lib.ij.ſeñ.di.j. in principio (perſpicuũ eſt inquit) Dei etiã procreandi propriũ eſſe munus, eumq; res ex nihilo, nulla antecedente materia, conſtruere. Nam ſi quid à Deo manat, neceſſe eſt vt aut aliquid antecedat, aut nihil adſit: ſi nihil adeſt, notũ eſſe debet ab eo aliquid, nullo antecedẽte manere. Si autẽ quicquã antegreditur, aut eſt in infinitũ emanatura excurſio, quod in naturæ ratione fieri nullo modo poteſt, aut aliquid erit primũ exquirendũ quod nihil antecedat, quod quidẽ Deus eſſe non poteſt, cùm nulla ſit materiæ coaugmentatione cõcretus. Ex quo maximè intelligi poteſt architectorẽ & ædificatorẽ Deum, res ex nulla antegrediẽte materia molliri. Hinc eorũ eſt repulſa & reiecta opinio, qui de nihilo nihil gigni arbitrãtur. Hæc Corteſius Theologus eloquentiſsimus.

Deum verò creare mediãte creatura, poteſt intelligi dupliciter, vt ſcribit Dominus Cardi. Came.q.j.ar. ij.ad dub.j.li.iiij. Vno modo quod Deus creet aliquid, creatura illud idẽ ꝓducẽte, ſicut cœlũ agit mediãte lumine calorẽ, quia lumẽ ſecũ agit calorẽ: & ſic loquẽdo Deus nõ poteſt creare mediãte creatura ipſa naturaliter agente, ſeu ſecundũ curſum naturę, quia ſi Deus ſic faceret, eſſet miraculũ. Alio modo poteſt intelligi Deũ creare mediante creatura, quia dat poteſtatẽ creaturæ aliquid faciẽdi in aliquo receptiuo, quo facto vult ipſe immutabiliter cauſare, ſicut dedit poteſtatẽ homini ſic diſponẽdi materiã in generatione hominis, ꝙ ipſa ſic diſpoſita ipſe immutabiliter velit animã intellectiuã creare. Et iſto modo poſſet Deus multa creare per creaturam, ſeu mediãte creatura, quæ ipſe de facto nõ ſic creat. Sic enim poteſt cõferre ſacramẽtis vel miniſtris ſacramentorũ potentiã creãdi, id eſt cauſandi aliquẽ effectũ naturalẽ, vel faciẽdi aliquid naturaliter circa aliquod ſubiectũ: vtpotè circa puerũ baptizatũ, quo facto immutabiliter ipſe vult creare. Hoc autẽ potuit, ſed nõ fecit, ſicut dicit Aug. home.5. ſuper Ioã. & allegat illud Magiſt.li.iiij.d.v. Et ſic dicit Scotus & Adam poſt eum, quod Magiſter intelligit in illa diſtinctione Deum poſſe cõmunicare creaturæ potentiam creandi, licèt hoc non communicauerit de facto ſacramentis vel miniſtris ſacramentorum. Et vt ſcribit Cardinalis vbi ſuprà. concluſio.iij. Deus poteſt aliquid de potentia abſoluta, quod non poteſt de

teſt de potentia ordinata. Ita probabiliter dicit & concedit de creatura, quod licèt creatura de potentia naturali ſeu naturaliter ordinata nõ poſsit creare vel annihilare: tamen iſta poteſt de potẽtia ſimpliciter abſoluta, ſcilicet ſupernaturaliter ſeu miraculoſe: & hoc capiendo creare, & annihilare tertio modo, ſecundum eum quod eſt contra Occam. & etiam videtur eſſe contra auctoritates ſanctorum & doctorum. Vnde Auguſtinus ſuper Geneſ. 15. Angeli nullam omnino poſſunt creare naturam. Et ibidem cap. 20. Creare aliquam naturam tam nullus Angelus quàm nec ſeipſum creare poteſt. Si ergo nõ poteſt Angelus, nec aliqua inferior creatura. Et Damaſcen. 18. Qui dicunt Angelos eſſe creatores alicuius naturæ, ſunt omnes filij diaboli. Et Athanaſius libro ſuo contra Arrium, ponentem ſpiritum ſanctum eſſe creaturam. Creaturam creatricem eſſe non poſſe oulli omnino eſſe æſtimo ambiguum. Item Hugo libro de ſacramentis libr. j. part. vj. cap. vltimo. De nihilo facere aliquid, ſiue de aliquo nihil ſolus Deus poteſt, multæ aliæ poſſunr induci, ſed iſtę magis videntur expreſſę (vt inquit ipſe.) Ad iſtas auctoritates omnes, & ſimiles poteſt dici, quod intelliguntur de potentia naturaliter ordinata, & creaturæ naturaliter indita, ſed per eas non negatur, quin creatura poſsit creare vel annihilare de potentia ſimpliciter abſoluta, & facto aliquo miraculo, præter vel contra potentiam naturaliter ordinatam. Vel aliter poteſt dici: quod nulla creatura poteſt creare, vel annihilare ſe ſola & virtute propria: & ſic poſſunt intelligi prædictæ auctoritates, de quacunque potentia ſiue ordinata, ſiue abſoluta, ita ſentit & ſcribit Dominus Cardinal. vbi ſupra. in fi. ij. art.

Creare & generare differunt. Creare eſt agens producere, ita quod non neceſſario requirit materiam concauſantem. Generare verò eſt agens producere aliquod, quod neceſſario in tali productione requirit materiam cõcauſantem. Vnde patet quod Deus cùm omnem formam abſolutam producere poteſt: extra materiam omnem formam quam producit, etiam in materia creat: quia etſi aliquando cauſat in materia non neceſſario requirit materiam: quia poſſet eundem effectum producere extra materiam. Omnis verò cauſa ſecũda producens formã generat, non ergo magis incõueniens eſt dicere eãdem formam ſimul generari & creari, quàm dicere eandem formã produci à duobus agentibus; quorũ vnũ neceſſario requirit in tali productione materiam concauſantem. Aliud non requirit. Hæc Gabr. di. j. q. j. dub. ij. in fi. lib. ij. ſent.

Creatura dicitur illud quod creatur. Creatura autem & creari (vt notat Gabriël diſtinct. xj. quæſt. vnica, artic. j. libr. iij.) poſſunt accipi, vt non prædicantur de aliquo niſi cui immediatè conueniunt, ſicut incipere & produci ſeu fieri. Et ſic creatura dicitur illud quod de nouo producitur, ſiue productum eſt poſtquam nõ fuit. Et creare eſt aliquid de non eſſe producere ad eſſe, & ſic accipit Magiſter & ſui ſequaces eadem diſt. Alio modo accipitur creari & creatura, vt etiam prędicantur de aliquo cui immediatè conuenit, ſicut genitum & generari: & ſic creari eſt aliquid produci de nõ eſſe ad eſſe, vel ſubſiſtere in natura de nouo producta de non eſſe ad eſſe. Et creatura eſt quod productum eſt de non eſſe ad eſſe, vel quod in natura ſic producta ſubſiſtit: ſicut genitum dicitur quod per generationem recipit nouum eſſe ſimpliciter, ſiue ipſum prius fuerit ſiue non. Accipiẽdo creari & creatura primo modo, Chriſtus non eſt dicendus creatura, quia Chriſtus non eſt de nouo productus ad eſſe poſtquam non fuit: ergo nõ eſt creatura, nullũ enim ſuppoſitũ diuinũ eſt de nouo productũ, ſed Chriſtus eſt ſuppoſitũ diuinũ: ergo. ſuppoſita autem diuina ſunt æterna, ſecundũ hoc dicit S. Bonauen. d. x. ar. ij. q. j. lib. iij. Sermo à Doctoribus cõmuniter non recipitur, Chriſtus ſiue filius Dei eſt creatura. Adhærent enim verbis Magiſtri: & ratio, quia talis ſermo eſt propinquus errori Arrij, qui dixit filium Dei eſſe creaturã non determinans, ſecundũ quam naturam intelligat. Latiùs Bona. Sed ſecũdo modo accipiendo creatura verè prędicatur de Chriſto, qui eſt verbi æterna perſona, quia ſuppoſitum verbi quod eſt Chriſtus, ſubſiſtit io natura humana quæ eſt creatura: ergo. Itẽ Chriſtus eſt tẽporaliter genitus, ergo creatura, quia temporaliter gigni eſt inferius ad ly creatura. Chriſtũ verò eſſe creatorẽ omnis Catholicus & fidelis cõcedit, quia Chriſtus eſt verbũ, per quod omnia facta ſunt: ergo creator. factor enim & creator in ꝓpoſito pro eodẽ accipiuntur. Ex quo patet quod nõ opponũtur creator & creatuta accipiẽdo creaturã ſecũdo modo, licèt primo modo opponãtur, ſicut genitus & ingenitus, mortalis & immortalis, de quo alias. Secundũ hoc poſſunt cõcordari opiniones, quæ vidẽtur contrariæ, quas recitat Gab. vbi ſup. quę & ſi ſint diuerſę, nõ tamẽ ſunt aduerſę: idẽ enim ſentiũt in re, ſed in acceptione vocabuli ſiue termini differũt. Prima negat Chriſtũ eſſe creaturã. Secunda cõcedit q. Chriſtus eſt creatura. Prima eſt cõmunior, ſecundũ quã differũt illę. Chriſtus ſecundũ quod homo eſt creatura, & Chriſtus ſecundũ humanitatẽ eſt creatura, ſed ſecundũ opinionẽ ſecundã ſunt ambę verę, ſed ſecundũ opinionem primã, quę eſt cõmunior, differũt. Accipiendo enim ly ſecundũ quod ꝓpriè, hoc eſt reduplicatiuè, vel ſpeciuocè illa eſt falſa. Chriſtus ſecundũ q. homo eſt creatura. Patet, quia eius pręiacẽs eſt falſa, ſcilicet Chriſtus eſt creatura: & per cõſequens illa reduplicatiua & ſpeciuocatiua eſt falſa. Omnis aũt reduplicatiua & ſpeciuocatiua præſupponit ſuã præiacentẽ. Item illa, Chriſtus ſecundũ humanitatẽ eſt creatura, cõcedenda eſt & catholicè aſſerẽda, quia in ea ly ſecundũ eſt dictio diſtrahẽs ſeu diminuẽs, ſicut in illa: Æthiops eſt albus ſecundũ dentes, & ita diſtrahit prędicatũ ad ſtandum pro illo cuius pars ſeu natura in qua ſubſiſtit, quæ eſt quaſi pars eſt creaturæ: & ideo ad eius veritatẽ ſufficit q. natura humana in qua Chriſtus ſubſiſtit eſt creatura: ſicut ad veritatẽ illius: Æthiops ſecundũ dẽtes eſt albus (prout ſecundũ dẽtes eſt determinatio prędicati) ſufficit veritas illius dẽtes quæ ſunt partes Aethiopis, ſunt albi. Sed accipiẽdo ſecundũ quid impropriè, vt eſt dictio diminuẽs vel diſtrahẽs prædicatũ, concedendũ eſt q. Chriſtus ſecundũ quod homo eſt creatura, patet, quia valet illã: Chriſtus eſt creatura ſecundũ humanitatẽ, quę eſt vera, vt patuit. Hæc Gabr. vbi ſupra. Vide & Scot. di. xj. lib. iij.

Creatio eſt duplex, ſcilicet creatio actio, & creatio paſsio. Creatio actio dicit diuinam eſſentiam & creaturam non potentem exiſtere, niſi poſita diuina eſſentia. Et dicitur creatio actio, quia Deus creator eſt, & creatura creata, quę ſine Deo eſſe non poteſt. Creatio verò paſsiua dicit creaturam non potentem ſine Deo exiſtere, & diuinam eſſentiam, & eſt realiter creatura à Deo producta: & ſic creatio paſsio ſupponit pro creatura, & connotat eſſentiam creatricem. Hæc Gabriël.

Credere accipitur quandoque largè pro firmiter aſſentire vero, prout includit viſionem: vt cùm dicitur: in Chriſto ſicut in beatis (vt vult Magiſter diſtinct. xxvj. libro iij.) nec fidei, neque ſpei virtus fuit, quamuis quædam ſperauit, quædam credidit, &c.

Credere Deum, & credere Deo, & credere in Deum, differunt, vt ſcribunt Doctores, & poſt eos Bruleſer diſtinct. vij. quæſt. ij. libr. ij. & Gerſon parte ij. tractatu de articulis fidei. Credere Deum, eſt credere Deum eſſe, ſcilicet, quia eſt aliquis ſupremus, & primus Princeps totius mundi & vniuerſi: ſic dæmones credunt & contremiſcunt. Credere Deo, ſecundum Auguſtinum, eſt verbis eius ſiue ſcripturæ ſacræ fidem adhibere, & quod omnia verba Dei ſunt vera. Credere in Deum, vt ait Gerſon, eſt credendo Deum fide & affectione, ſine fide operante per dilectionem tendere in ipſum. Vel, vt Bruleſer dicit, eſt adhærere Deo per cognitionem & amorem. Et ſic nullus peccator credit in Deum, quia nō tendit ad Deum per cognitionem & amorem gratuitum. Item nullus impatiens & remurmurans contra Deum, credit in Deum. Nullus odiens proximum, nec quis per fidem informem credit in Deum, vt latiùs ſcribit Bruleſer. Vnde peccator dicens Symbolum Apoſtolorum vel Nicænum, non dicit in perſona propria, ſed Eccleſiæ tantùm. Si vellet dicere in perſona propria, tanquam obſtinatus mentiretur, & eſſet ſibi pœnitentia iniungenda. Vnde fides (vt inquit Bruleſer) qua credimus in Deum, inclinat & ordinat ad amandum Deum charitatiuè ad bonum faciendum, fugiendum malum, & ad diligēdum proximum, &c. Brule. Et credere rectè eſt donū Dei ſpeciale, vt inquit Dominus Cardinalis Cameracen. q. v. lib. j.

Credere implicitè (vt ſcribit Occam lib. 3. primę partis ſui dial. cap. 1.) eſt alicui vniuerſali, ex quo multa ſequuntur firmiter ſentire, & nulli cōtrario pertinaciter adhærere. Et ideo qui firmiter tenet omnia tradita in ſcriptura, & vniuerſalis Eccleſiæ doctrina eſſe vera & ſana, & non adhæret pertinaciter alicui aſſertioni contrariæ veritati orthodoxæ, fidem Catholicam inuiolatam tenet & integram, & eſt Catholicus cenſendus. Hæc Ille. Et credere implicitè vocat ſanctus Bonauentura, diſtin. xxv. q. iij. libr. iij. credere in generali vniuerſaliter omne quod credit ſacroſancta mater Eccleſia, ita quod in particulari à nullo illorum diſſentiat, nec aliquem articulorum diſcredat. Et licèt opportunum ſit omnibus, non ſolùm credere omnes articulos implicitè, ſed etiam quoſdam explicitè poſt aduentum Chriſti, non tamen eſt neceſſarium omnibus, maximè ſimplicibus credere omnes explicitè. Sed illis potiùs conuenit qui officium docendi & prædicandi aſſumunt: ſicut ſunt habentes curam animarum, & qui ſunt prædicatores verbi Dei, & doctores ſacræ ſcripturæ: & quorum cōuerſatio verſatur circa fidei veritatem. Hæc ſanctus Bonauentura. Et de hoc Innocens Papa de officio Miſſæ. Cui alludit text. cum gloſ. in cap. Firmiter, de ſum. Trinit. & ſi. cap. §. ſiquis. & gloſ. in ver. Corrigenda. ita ait: Intantum valet fides implicitè (vt dicunt aliqui) quod ſi habens eam falſò opinaretur (ratione naturali motus) patrē maiorem vel priorem filio: vel quod tres perſonæ ſint res ab inuicem localiter diſtantes, vel ſimile, non eſt hæreticus, nec peccat dummodo hunc errorem pertinaciter non defendit. Et hoc ipſum credit, quia credit Eccleſiam ſic credere, & ſuam opinionem fidei Eccleſiæ ſupponit: quia licèt malè opinetur, non tamen eſt illa fides ſua, imò fides ſua eſt fides Eccleſiæ: imò quod amplius eſt, ne dum hæc fides implicita ab hæreſi, & peccato defendit, ſed etiam meritum facit, & conſeruat in eo, qui errans falſum opinatur, quia ſic putat Eccleſiam credere, quod verum eſt, & error fuerit inuincibilis. vide Gabriëlem di. xxv. q. vnica. ar. j. li. iij. vnde ſi quis (inquit) ipſe ſimplex, & ineruditus audiret Prelatū ſuū prædicare aliquid contrariū fidei, de quo tamē non tenetur fidē habere explicitā, facta inquiſitione quā poteſt & debet: putās hoc à Prælato ſuo ſic prædicatum eſſe creditū ab Eccleſia, & ita captiuaret intellectū ſuū, credendo illud propter Deū, putās hoc Eccleſiā credere: talis nō ſolū non peccaret, ſed etiā ſic credēdo falſum meretur: eliceret enim actū pp̄ter Deū ex charitate, quæ omnia credit ſecundū Apoſtolū, licèt crederet ſecundū conſcientiā erroneam. Non enim omnis credēs ſecundū conſcientiā erroneā, peccat, ſed qui credit aut agit cōtra conſcientiā culpabiliter erroneā. Inuincibilis autē error, qui manet poſtq̄ cōſcientia tantā inquiſitionē fecerat quātum tenebatur & debuit, culpā nō habet. Hęc Gab.

Credere ſanctam Catholicam Eccleſiam, eſt credere eā ſanctè, verè, & ſine errore approbaſſe quæcunq; approbauit, & per conſequens eſt credere omnia per ipſum approbata, approbauit autem totum canonem ſcripturæ, & ita omnia in ea contenta (de ſacramentis præceptis hiſtoriis, & cæteris omnibus) ad hunc articulum reducuntur. Gabriël diſtin. xxv. quæſt. vnica. art. ij. libr. iij. Et notandum ſecundum Scotum, quod aliqua ſunt quæ communiter prædicantur in Eccleſia, & vſu feſtiuitatum Eccleſiæ approbantur, & quod Chriſtus natus eſt, crucifixus, & generaliter articuli Symboli, & in illis prædicatis tenentur minores ſuis Prælatis credere, & ſic prædicatis explicitè aſſentire. Si verò ſui Prælati aut quicunq; alij prædicāt aliqua, quæ non communiter in aliis Eccleſiis prædicantur, ſed proponuntur in vno loco de nouo, nō tenētur id ſimplices, ſeu minores firmiter credere, imò magis cōſultum eſt non adhærere, quouſq; ſciant illud credi ab Eccleſia tanquā verum. Si tamen quis credit, putās Eccleſiam ſic credere, etiam ſi fuerit erroneum, non peccat, dummodo tamē pertinaciter nō adhæret. Suo modo in moralibus, ſi quis prædicaret actū aliquē eſſe moralē, qui tamen eſſet peccatū mortale, vtile eſt non credere, & donec poſt diligentem informationem

formationem certificatus fieret: ſe ab actu huiuſmodi ſuſpendere, maximè ſi audiuit ab aliis oppoſitum fuiſſe prædicatum. Vnde idem Scotus diſtinct.xxv.quæſt.j. libr.iij. dicit: Bene videndum eſt in moralibus antequam aliquid aſſeratur. Vnde vt ſcribit Gabriel di.j.q.j. artic.ij. libr.iij. concluſione iiij. In credibilibus nihil eſt ponendum, niſi quod fidei veritas, aut ſcripturæ auctoritas vel Eccleſiæ determinatio, aut certa ratio conuincit. Alioquin fides noſtra ſupponeretur humanæ voluntati, contra illud 2.Petri 1. Hæc primum intelligentes, quod omnis prophetia ſcripturæ propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed ſpiritu ſancto inſpirati locuti ſunt Dei homines: & ideo (vt dicit Magiſter:) Quod de monte ſcripturæ non deſcendit, ea facilitate contemnitur qua approbatur.

Credens dicitur ille qui credit. Genus autem credentium eſt duplex (vt ſcribit Bruleſer diſtin.xvj. quæſt.ij. libr.j.) Quidam volunt ſigna, vtpute ſenſibiles & ſimplices: quidam volunt intelligentiam, vt perfecti in fide: vnde ſimplices & quilibet talis (vt ſcribit Gerſon parte.ij. tractatu de ſeptem virtutibus) qui humanam habet diſcretionem, tenetur ad minus explicitè credere, & ſcire primum articulum fidei, & reliquos nullatenus diffiteri, ſed in generali credere quicquid ſancta & vniuerſalis Eccleſia credit. Et tenetur præter hoc ſe paratum exhibere ad amplius diſcendum, cùm Doctorem Catholicum habuerit. Et quoniam obtuſum ſenſum habent ſimpliciores, non credo quod teneantur ita explicitè ſcire ſicut explanatur eis (vt dicit Gerſon) quia ſufficit quod accipiant explanationem ſecundum ſuam poteſtatem intelligendi, & non ſecundum voluntatem, aut facultatem explanatoris. Si autem primum articulum, vel plures etiam alios explicitè crederent, & vni tantum pertinaciter contradicerent, hæretici iudicarentur. Quia hoc fieri non poſſet, niſi egreſſi iudicium Eccleſiæ. Paruuli hæreticorum iam per doctrinam peruerſam eſſe inciperent. Secùs tamen eſt de ſapientioribus, qui tenentur explicitè omnes articulos ſcire. Et maximè Prælati, aut quicunque alij, qui ſe fatentur Doctores; cùm ignorantia iuris non cadat in Principem, aut Doctorem. Gerſon vide & Gabriel.diſtinct.xxv.quæſt.vnica.artic.ij. concluſ.v. libr.iij. Quid maiores & minores credere debeant in generali & particulari, &c.

Credibile quod credi poteſt, vel quod creditur. Alio autem modo eſt obiectum veritatis, alio modo ſcientiæ, vt notat ſanctus Bonauentura q.j. prologi: Credibile enim ſecundum quod habet in ſe rationem primæ veritatis, cui fides aſſentit propter ſe & ſuper omnia, pertinent ad habitum fidei. Secundum verò quod ſuper rationem veritatis addit rationem auctoritatis, pertinet ad doctrinam ſacræ ſcripturæ: de qua dicit Auguſtinus ſuper Gen. ad literam, quod maior eſt eius auctoritas, quàm humani ingenij perſpicacitas. Sed ſecundum quod ſupra rationem veritatis & auctoritatis addit rationem probabilitatis, pertinet ad conſiderationem lib.ſen. in quo ponuntur rationes probantes fidem noſtram. Sic fides differẽter eſt de credibili, & libri ſen. non ſic eſt ad defenſionem ſpei, & charitatis, ſicut fidei. Bonauentura.

de canone ſacræ ſcripturæ, & libr. ſen. Liber autem

Crimen dicitur peccatum. Crimen vario modo dicitur, Eccleſiaſticum & ſeculare, vt ſcribit Dominus præpoſitus Gabriel lect.lxxv.canonis: Quandoque ratione perſonæ committentis, quia Eccleſiaſtica vel ſecularis, vel ratione cognitionis, quia eius cognitio tantùm ſpectat ad clericos in ſacris literis eruditos, vt crimina in ſacramento matrimonij, ac cætera cõmiſſa, vel ratione obiecti, quia immediatè in Deũ ſacramẽta vel res Eccleſiæ admiſſum, vt hæreſis, blaſphemia, ſacrilegiũ, vel ratione punitionis, ſeu pœnæ infligendæ, ſecundum quorum diuerſitatem modorum, idem peccatũ poteſt nunc dici Eccleſiaſticum, nunc ſeculare. Non autem omnia crimina (vt ſcribit idem Gabriel poſt Scotũ.di.xv.q. xvj.dub.iij.lib.iiij.) ſunt à republica punienda, ſed aliqua diuino iudicio reſeruanda. Ea autem tantùm poteſt iuſtè punire, quæ coram Iudice reipub. poſſunt ſufficienter probari: & ideo non læditur reſpub. in eo quod impeditur à punitione criminum occultorum. Illa enim non poteſt iuſtè punire. Iuſtum enim eſt, vt diuinum iudicium excedat iudicium reipub. In hoc autem excedit, quod quædam punienda reſeruãtur diuino iudicio, in quibus non habet iudicare reſpub. Hæc autem ſunt crimina occulta, quæ coram Iudice reipub. probari nõ poſſunt, quæ ad eius iudicium referenda ſunt, cui nihil eſt occultum. Homo enim tantùm ea videt quæ patent: Deus autem intuetur cor.1.Reg.16. quare dicit Scotus, quod durũ videtur aſſerere quod quilibet accuſatus ab vno in publico, ſtatim teneatur de neceſſitate ſalutis confiteri in publico crimen occultum: non tantùm habendo oculum ad pœnam, ſed etiam ad honeſtum, à peccato tamen excuſari non poteſt. Quoniam etſi huiuſmodi negatio non fuerit mendacium pernitioſum, eſt tamen mendacium, & per conſequens peccatum, &c. Vide latiùs Gabr. vbi ſuprà. & in canon. expoſitione lect.lxxv. de punitione peccatorum manifeſtorum.

Crimen concuſsionis (vt notat Gab.di.xv.q.vj.at.ſ. lib.iiij.) eſt dum quis minatur alicui, niſi hoc vel illud des: aut facias illud, faciam vel non faciam. Vel quando Iudex venalem dat ſententiam, aliàs non daturus: vel dum pœnam remittit, præmio vel cupiditate illectus. Sic qui in accuſatione innocentum coierit, vel qui pecuniam ob accuſationem vel non accuſationem denunciandum, vel non denunciandum, vel ob ferendum vel non ferendum teſtimonium accipit. Vel (vt inquit Richard.diſtin. xxv.art.iij. q.ij.libr.iiij.) eſt cùm aliquis prætextu officij ſui ab inuito aliquid extorquet, quod non debet. xxiij.quæſt.j. Militare. Vnde extorſio rei indebitæ, inquit Gabriel vbi ſuprà, reducitur ad crimen cõcuſsionis. De quo beatus Hieronymus Lucæ 3. in regula militum ait: Neminem concuciaris, &c. Et crimen concuſsionis punitur reſtitutione quadruplici, vt.xviij.diſtinct.quoniam.6.porro.& gloſ.cum allegatis ibidem. Et breuiter cõcuſsio eſt, quando quis ad id quod tenetur non impedit, niſi data pecunia, ſaltem vltra ſtipendium ſibi deputatum. Vnde beatus Auguſtin. in de verbis Domini, & ha-

& habetur xxiij.quæſt.j. Militare militibus, protectoribus, cunctiſque rectoribus dicitur quicunq; ſibi ſtipenda publicè decreta conſequitur: ſi amplius quærit, tanquam calumniator & concuſſor Ioan.ſententia damnatur, &c.

Crudelitas. Crudelitatem (inquit Paulus Corte.li. iij.ſen.di.viij.) in animaduertendo atrocitatem definimus, quæ hoc modo à ſæuitia & immanitate diſsideat, vt crudelitas nõ modò eius qui plectitur culpã metiatur, ſed etiã fines animaduertẽdi tranſeat. Sæuitia verò nullã culpam expendat, ſed hominum cruciatu & vexatione paſcatur, quę dititas ferina vocatur. Crudelitas, vt dicit beatus Tho. eſt vitium humanũ excedens modũ puniẽdi culpas.ſ.ij.ij. q.clvij.art.j. Sen̄.definit ſic: Crudelitas eſt atrocitas animi in pœnis exigendis.li.de clementia.

Culpa eſt illud, quo homo redditur inimicus Deo, id eſt ingratus ad vitã æternam. Sicut per oppoſitum gratia eſt, qua homo redditur gratus ſeu amicus, ſeu acceptus Deo ad vitã æternã. Accipitur autẽ culpa dupliciter, vt ſcribit Gab.di.iiij.q.j.ar.j.li.iiij. Vno modo accipitur abſolutè, pro actu illo quo offenditur Deus, nõ cõnotando offenſam. Alio modo connotatiuè prout cõnotat repulſionẽ à vita æterna, & ordinationẽ ad pœnã æternã. Poteſt autẽ Deus (vt ibidẽ dicit Gab.) de potẽtia abſoluta remittere culpam & pœnã ſine infuſione gratię, poteſt etiã acceptare ad vitã æternam: & illam cõferre ſine gratia. Verũ de facto ſecundũ potentiã ordinatã, neutrum poteſt. Siquidem ordinauit nulli dare vitã æternam in futuro, cui non dedit gratiam in pręſenti ſeculo, quod nobis manifeſtũ eſt ex ſcriptura, & ſanctorũ ſcriptis. Et hoc vult Scotus cùm dicit di.iiij.q.ij.li. iiij. Deus pro ſtatu naturæ lapſæ nulli remittit culpam, niſi cui dat gratiã, nullũ enim liberat à perditione, niſi quem ordinat ad hoc vt ſit filius regni. Et ideo (vt idẽ dicit ſuper di.j.q.vj.) nullũ liberat nec ſic liberare poteſt à culpa, niſi cui dat gratiã: nec eſt poſsibile de potẽtia ordinata culpã originalem, nec aliquã aliã mortalem dimitti ſine infuſione gratiæ.

Culpa eſt triplex (vt ſcribit Gabr.di.xxj.li.ij.) inſinuando textũ. Nam quædam eſt qua perſona corrumpit naturã, quale fuit peccatũ primi hominis. Alia qua natura corrumpit perſonã, quale eſt peccatum originale. Quędã in qua perſona corrumpit ſeipſam, quale eſt peccatũ actuale. Omnis autem culpa eſt miſeria (vt inquit Brulefer di.vij.q.vj.li.ij.) ſed non econtrà, vt patet de Iob, qui ſubiectus fuit magnis miſeriis, ſed non culpis. Et cùm omnis culpa eſt miſera & infelix, illa propoſitio Gregorij: O fęlix culpa quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem, eſt impropria & exponẽda, vt & dicit Brulefer q.vl.in fine li.j.di.j. loquitur enim ibi beatus Greg. exceſsiuè de excellẽtia paſsionis quã ſuſtinuit Chriſtus ad delendum peccatũ noſtrũ: rectè in ſimili ſicut dicitur quandoq;: hic eſt bonus fur, vel latro, quia ſcit occultè ſuum exercere negotium & peccatum, cùm tamen latrociniũ & furtum non ſit bonũ. Sic etiã hic: Nullus enim Angelus, nullus beatus, nec beatiſsima virgo Maria, ſecundũ omnes Doctores, meruit opus redemptionis, licèt forſan meruerit accelerationẽ, quantò minus culpa hoc potuit. Item & illud Gregorij; Bonarum mentiũ eſt culpam agnoſcere, vbi culpa nõ eſt: dicit Cancellarius: Agnoſcere culpam per firmum aſſenſum vbi non eſt, non eſt pium, ſed ſtolidum & fatuũ. Vnde & væ eis imprecatur per Prophetam: Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum. neque hoc voluit beatus Grego. Sed agnoſcere, id eſt, timere vel formidare culpam, cùm reputat culpam ex quadam leui ſuſpitione, vbi ſecundum veritatem quam euidenter neſcit culpa non eſt, hoc eſt piarũ mentium, quæ non ſolũ abſtinent ab his quę ſciunt vel firmiter credunt eſſe culpas, ſed & ab his quæ ſuſpicãtur eſſe culpas, nec ſolùm à malo, ſed etiã ab omni ſpecie mali, ſecundum Apoſtoli conſilium abſtinere ſtagunt. Gabriël lectione viij.canonis. & Gerſon de vita ſpirituali animæ lectione vj. Et valet hæc doctrina ſcrupuloſis, in quibus nulla eſt animi cõſtantia, qui iugiter in expletione ſuorum officiorum timent culpabiliter ſe deficere, vt latiùs videre potes Gabriël. vbi ſuprà. Hinc Gerſon vbi ſuprà. Iuſto ſtrictior cõſcientia quandoq; nocet amplius quàm laxior, &c. Verum vt dicit Sco.di.xv.q.iiij.lib.iiij. multò magis vbi dubitatur an ſit culpa, & qualis culpa. Bonæ mentis eſt culpam agnoſcere, & ideo in tali caſu, &c. tutum eſt pœnitere indiſtinctè tanquam de tali quale eſt, vtpote ſub tali diſtinctione. Si mortale, tanquã de mortali: ſi veniale, tanquam de veniali: neque facere culpam vbi culpa non eſt, hoc eſt per aſſenſum firmũ determinare, hoc enim eſſet ſtultum & periculoſum, ſecundum Cancellarium. Vnde Aureolus in cõpendio dicit intelligendum dummodo non ſit nimis. Et dicitur culpa (vt ſcribit Chriſtopolitanus Epiſcopus Iacobus de Valentia ſuper Pſalm.31.) de culpo, is, culpſi, ſiue culpo, as: ſiue de cudo, cudis, quod idem eſt quod terebrare, figere & compungere, quia cudit & pungit conſcientiam peccatoris. Et dicitur communiter culpa peccatum & dolus in anima ſiue in ſpiritu: & dicitur telum fixũ in anima: & dicitur etiam ſpinã iugiter mordens & pungens conſcientiam. Quæ quidem ſpina ſeu dolus non poteſt eiici, nec euelli ab anima, & cõſcientia niſi per pœnitentiam: culpa verò remanet in anima poſt peccatum perpetratum. Nam, vt idem ait, ex peccato cõmiſſo ſiue ex præuaricatione præceptorum, tria remanent in anima. Primò reatus, quo obligatur ad rem reſtituendam, & etiam ad pœnam. Secundò deformitas quædam per abſentiam gratiæ, qua eſt peccator in odio Dei, & imputat ſibi Deus illud peccatum ad culpam & pœnam. Tertiò remanet in anima culpa, per quam dicitur iniuſtus & dignus accuſari & poſsideri à diabolo. Et non ſolũ per iſtam culpam accuſatur à diabolo, ſed etiam continuò accuſatur à ſeipſo. Hæc Chriſtopolitanus Epiſcopus vbi ſupr.

Culpa (vt ſcribit Panormitanus in c.vnico, de commodato. & poſt eum Gabriël diſtinct.xv.quæſt.x. dubio.ix.libr.iiij.) dicitur deuiatio ab eo quod bonum eſt, & per hominum diligentiam prouideri poterat, & hoc vltimum additur ad differentiam caſus fortuiti, qui non poterat prouideri. Et eſt quintuplex. Eſt enim culpa latiſsima, latior, lata, leuis, leuiſsima. Culpa latiſsima eſt dolus verus, puta machinatio ſeu circumuentio ad fallendum alium manifeſtè adhibita. Culpa latior eſt dolus præſumptus, ſcilicet fallax circumuentio ad circum-

uenicndum

ueniendum & decipiendum aliquèm præſumptiuè adhibita. Et licèt dolus non poteſt probari, niſi per coniecturas, tamen quando ſigna ſunt manifeſta, dicimus dolum verum: quando non patent, dicimus dolum præſumptum. Culpa lata eſt deuiatio incircunſpecta ab ea diligentia quam habent communiter homines illius conditionis & profeſsionis: vnde dicitur vulgariter ignorare illud quod communiter homines ſciunt, eſt lata culpa. Et dicitur incircunſpecta, id eſt, inconſiderata, vt differat à dolo: quia ſi conſideratè deuiaret ab illa diligentia, eſſet in dolo. Exemplum de culpa lata. Vt ſi librum mihi conceſſum incōſideratè dimiſi in banco ante domū, & ſublatus eſt, ſum in culpa lata. Leuis culpa eſt deuiatio incircunſpecta ab ea diligentia quam habent homines, non tantùm communiter, ſed diligentes. Culpa leuiſsima eſt deuiatio ab illa diligentia quam communiter habent homines diligentiores & diligentiſsimi. Vnde ſicut diligentiſsimus potuit præcauere & nō præcauiſti, es in culpa leuiſsima.

Cultus Dei (vt ſcribit ſanctus Bonauentura diſtin. ix. artic. ij. quæſt. ij. lib. iij.) poteſt accipi tripliciter, generaliter, propriè & magis propriè. Vno modo dicitur cultus actus directus in Deum ſub ratione finis: & ſic eſt omnis virtutis. Alio modo dicitur cultus Dei actus in Deum directus, non ſolùm ratione finis, ſed etiam obiecti: ſic eſt virtutū Theologicarum. Tertio modo cultus Dei dicitur magis propriè actus directus in Deum non ſolùm ſub ratione finis & obiecti, ſed etiam ſub ratione honorabilis, & talis eſt actus adorationis, & ſic eſt virtutis ſpecialis. & hoc modo eſt ipſius latriæ, &c.

Cupiditas eſt improba voluntas, ſecūdum Auguſtinum libro 3. de libero arbit. Eſtque cupiditas inordinatus amor pecuniæ, vel effrænatus habendi appetitus. Et cupiditas (vt dicit Apoſtolus 1. ad Timotheum 6.) radix eſt omnium malorum, quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis. Et ſicut (vt ſcribit Gerſon parte iij. de myſtica Theologia parte v. conſideratione xxvij.) cogitatio eſt improuidus animi obtutus ad euagationem pronus: ita conſequenter ad talem cogitationem ſi ſit de obiecto delectabili: ſequitur affectio improuida & vaga ſine vtilitate & fructu. Et hoc mihi ſatis congruè videtur appellari (inquit ipſe) libido, cupido, vel concupiſcentia vel cupiditas, &c.

Cum quandoque accipitur copulatiuè, quandoque aſſociatiuè, vt notat Scotus diſtinct. ix. libr. iij. Vnde Damaſcenus cap. 54. Chriſtus Deus perfectus, & homo perfectus, quem adoramus cum patre & ſpiritu ſancto vna adoratione cum incommutabili carne eius, non inadorabilem carnem eius dicentes. In qua auctoritate (vt Scotus dicit) cùm accipitur aſſociatiuè: non autem copulatiuè, vt ſit ſenſus: Adoramus verbum cum carne, id eſt habens carnem ſibi vnitam, non autem cum carne, hoc eſt carnē adoramus, vt ſit propoſitio copulatiua, & hoc conſiderando carnem, vt caro eſt, & non vt vnita diuinitati. Sic ergo non debet excludi à termino adorationis caro, licèt ipſa non ſit ratio adorandi. Exemplum ad hoc eſt de Rege & purpura, quia etſi & propter ſe, & in ſe ſit adorandus, tamē ipſe cum purpura adiuncta eſt etiam adorandus, non quod purpura ſibi adiuncta ſit cauſa adorationis, ita caro non eſt adorabilis in verbo vt ſit ratio adorationis in verbo. Aliud exemplum eſt de toto & partibus, ſi reuereor hominem propter ſapientiam, vel virtutes, totum reuereor, corpus ſcilicet & animam, non animam ſolum excludendo corpus ab ipſo reuerito. Similiter cùm totum hominem adoro, non honoro præciſe caput excludendo alias partes ab illa adoratione, ſed cōſiderando rationem adorationis, Chriſtus ſecundum naturam diuinam eſt adorandus, excludendo aliam naturam, vt eſt ratio adorandi, quia nulla alia eſt ratio ſummi dominij, nec ratio adorationis debitæ ſummo Domino: ſicut nec corpus eſt ratio adorandi virtuoſum. Hæc Scotus, & in adoratione vbi ſuprà.

Curioſitas eſt ſuperflua indagatio ad ſe non pertinentium, ſecundum Hugonem & ſanctum Thomam ij. ij. quæſt. clxvij. curioſitas eſt vitium circa cognitionem intellectus & ſenſuum ad peccandum, & circa inſpectionem ludorum, & mulierum ad concupiſcendum & ſpectaculorum. Curioſus & ſtudioſus differunt. Curioſus eſt cupidus cognoſcendi ea, quæ nihil ad ſe attinent. Studioſus verò, quæ ad animum nutriendum liberaliter & ordinabiliter pertinent intentiſsimè requirit. Et

Curioſitas, vt ſcribit Gerſon de myſtica Theologia practica, eſt ſtudium circa inutilia aut vtilia magis quàm liceat, deceat, vel expediat. Curioſitas (vt notat Stephanus Bruleſer in prologo j. ſenten.) eſt duplex. Quædam enim eſt curioſitas vitioſa & vitanda, qua, ſcilicet aliquis inquirendo ſic curioſus eſt, quod quærit aliquid omnino ſuperfluum, & de quo nulla certa reſponſio poteſt dari. Hoc modo (vt ipſe dicit) quæſtiones difficiles & curioſæ ſunt vitioſæ. De hac ſcriptis reliquit poſt Gerſonem Gabriel libro tertio, diſtinct. xxvij. q. vnica, artic. ij. concluſione vj. Omnis, inquit, doctrina & omne ſtudium, debet de curioſitate vana, & noxia culpari, quæ non ordinantur actu vel habitu; mediatè vel immediatè, ad bene, moraliter, gratuiteque viuendum. Vnde dare ſtudium ſuum rebus inutilibus, aut noxiis vtilioribus ſcienter omiſsis, curioſitas eſt damnabilis, ait Gerſon Cancellarius in ſuis regulis moralibus. Hinc & Salomon Eccleſiaſt. vltimo: Faciendi plures libros non eſt finis: Deum time, & mandata eius obſerua, hoc eſt omnis homo, id eſt ad hoc factus eſt, ſiue ad hoc tenetur omnis homo, &cæ. De hac reprehenſibili curioſitate multa ſcribit Gerſon in multis ſuorum operum tractatibus. Alia eſt curioſitas virtuoſa, qua, ſcilicet quis nobilitate animi etiam occulta inquirere non attædiatur, ordinando illa (ex bona conſcientia) ad ſalutem propriam & aliorum. Iſto modo quæſtiones difficiles & curioſæ (vt ait Bruleſer) non ſunt vitioſæ: quia quod ordinatur ad propriam & aliorum ſalutem, vitioſum non eſt: quemadmodum plures quæſtiones difficiles apud Theologos curioſe, quæ ad animæ ſalutem ordinantur.

Cuſtos. Triplex eſt cuſtos hominis, vt notat Bruleſ. diſtin.xj.q.j.libr.ij. Quidam vniuerſalis, & eſt ipſe Deus, qui ſpecialiter curam habet de nobis. Vnde Iob.6. Quid faciam tibi, ô cuſtos hominum? Cuſtos particularis eſt vnus Angelus deputatus à Deo, ad cuſtodiendum vnum Principem, inquantũ principaliter toti populo principatur: vel vnũ regnum, vel vnam patriam. Alius eſt cuſtos hominũ & ſingularis, & eſt Angelus deputatus ad cuſtodiam ſingularis perſonæ, quia cuilibet creaturæ rationali deputatur Angelus à primordio natiuitatis: vel ſecundum alios à principio conceptionis. Vnde Hieronymus: Magna dignitas animarũ eſt, quum quælibet ab origine natiuitatis habeat vnum Angelum cuſtodem.

Cuſtodire ſecundum Alexand. vltra hoc quod dicit præſidentiam prohibitionem nocumenti in cuſtodiente, cõnotat in cuſtodito indigentiam, & quod habeat naturá lapſam, vel labilem ſeu defectibilem: non ſolùm pœnæ, ſed etiam culpæ. In cuſtodiente autem naturá ſtantem, per hoc habetur Chriſtum nõ habuiſſe cuſtodes Angelos, vel indiguiſſe cuſtodia, ſed bene miniſtros habuit Angelos. In eo namque nulla fuit indigentia, neq; natura lapſa, aut labilis, &c. Sed miniſterium nihil tale connotat in eo cui miniſtratur, neq; indigentiam, neq; defectibilitatem: fiunt enim miniſteria etiá ad honorem eius cui miniſtratur, etiam eius qui miniſtrat. Nam & ſeruire Deo, regnare eſt, & ſumma libertas atq; honor creaturæ (vt vult Boëtius) & licèt Chriſtus labilis fuit quantum ad naturã aſſumptam, quia mortalis, non tamé indigens præſidio, aut cuſtodia, quia & pati & mori in ſua voluntate & poteſtate erat. Hinc dicitur: Oblatus eſt, quia ipſe voluit. Iſa.53. & Ioan.10. Ego ponam animam meam, & iterum ſumo eam, &c. de hoc vide & Gabr.d.xj.q.vnica, art.iij.libr.ij. & ſanctum Bonauent. eadem di.ar.j. q.iij.libr.ij. Illud autem: Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te: non eſt intelligendum de capite Chriſto, ſed membris. Chriſtus itaq; non indigebat cuſtode, nec quantum ad defenſionem corporis, nec quantum ad eruditionem rationis, nec quãtum ad incitationem affectionis. Nec obſtat illud Luc.22. Apparuit ei Angelus confortans eum. Dicit enim Bonauentura, quod Angelus non cõfortabat eum confortatione poteſtatiua, ſicut cõfortat illos quos cuſtodit, ſed ſolum miniſteriali, ſicut confortat armiger ſtrenuum militem. Nec obſtat quod paſſus eſt Angelum tentatoré, Matth.2. quia illa tentatio ſolum fuit exterius, non ad probationem & exercitium, ſed ad noſtri inſtructionem, & aduerſarij confutationem: de quo latiùs loquitur Gab. De cuſtodia autem Angelorũ, & de effectu Angelicæ cuſtodiæ videatur ſuprà in dictione Angelus.

Cyrographus dicitur & Cyrographum, & dicitur à χειρός, quod eſt manus: & γραφία, quod eſt ſcriptura, quaſi ſcriptura manufacta. Bona.diſt.xix.q.ij. libr.iij. Et Cyrographus metaphoricè accipiendo, eſt quædã obligatio, qua anima eſt obligata ad aliquam pœnam tranſeuntem, culpa actuali interiori & exteriori ad reatum remanens in anima, ratione cuius diuina iuſtitia habet nos punire quantum ad pœnam: & diabolica malitia habet nos accuſare, & conſcientia noſtra habet contra nos remurmurare. Bruleſ.d.xix.q.ij.lib.iij. Et dicitur Cyrographũ culpæ, quia talis obligatio conſurgit ex noſtra culpa. Et dicitur cyrographum decreti, quia iſta obligatio eſt ex noſtra culpa, tanquam ex merito: & ex diuina ſententia, tanquam ex decreto. Chriſtus autem per paſſionem ſuam deleuit cyrographa culparum. Vnde Gabr.di.xix.q.vnica, ar.iij.dub.ij. lib.iij. dicit, quod per peccatũ primi hominis quo Deus toti generi humano offenſus eſt, homo cecidit in reatũ ſeu debitũ mortis æternæ, & per hoc in poteſtatem diaboli, tanquam tortoris pœnam infligentis. Hoc denique debitum pro quanto obligat hominem ad pœná luendam dicitur Cyrographus decreti, quia ſicut cyrographus teſtimonium eſt vel certitudo quædam debiti, ita obligatio qua homo debitor eſt mortis æternæ ex diuino decreto; (quia certa eſt) metaphoricè dicitur cyrographus decreti. Coloſ.2. Nunc autem remiſſo debito, quod eſt ordinatio hominis propter peccatũ contractum vel cõmiſſum, liberatus eſt homo à culpa, à pœna, à poteſtate diaboli, & ab obligatione cyrographi decreti, quia remiſſo debito iam nõ eſt ordinatus ad pœnam, ſed aſſumptus per gratiam ad Dei amicitiá. Et per hoc nec habet culpam, nec obligatur ad pœnam: & per conſequés nec ſub poteſtate diaboli, nec eſt ſub obligatione cyrographi. Fit autem hæc remiſſio per paſſionem Chriſti. Vide latiùs Gabr. vbi ſuprà.

De litera D.

DAmnatio quandoq; accipitur impropriè pro magna pœna, ſiue largè pro qualibet punitione, ad quam aliquis eſt iudicatus, ſecundũ quam acceptionem includit etiam pœnam Purgatorij (vt ſcribit Gabr.lect.lvj.cano.) vnde & beatus Greg. dicit, quod eodé igne purgantur boni, quo reprobi puniuntur: & in aliis cõmunibus locutionibus dicimus aliquem condemnari ad certam pecuniariam pœnam, ſiue ad aliquod temporale ſupplicium. Vnde Auguſtin.1.Enchi.65. & recitat Magiſter di.xlv. lib.iiij.c.ij. de ſuffragiis quod quibus proſunt, aut ad hoc proſunt, vt ſit plena remiſſio, aut certè, vt tolerabilior fiat ipſa damnatio, vbi damnationem accipit Augu. non propriè, ſed pro valde graui Purgatoria pœna, vt dicit Richard.di.xlvj.art.ij.q.iiij. lib.iiij. Vel ibi locutus eſt Aug. ſub dubitatione, & alibi partem contrariam aſſerit, vt dicit Richar. Sic largè accipiendo poteſt damnatio diuidi in temporalem & æternam.

Damnatio æterna eſt, qua quis ad æternam pœnam deputatur. In hac ſunt duo (vt ſcribit ſanctus Bonauent.di.xlviij. in dubiis literalibus lib.j.) ſcilicet pœnæ inflictio, & æterna à Deo ſeparatio. Separationem æternam à Deo nullo modo credo (inquit ipſe) quod aliqua anima rectè debeat velle, imò ſemper velle cõtrarium, ſed pœnam velle ſi reuelatum eſt ſibi datũ, & hoc patet, quia quilibet iuſtus de ſe & de alio debet velle, quod omnis peccans finaliter, æternaliter puniatur, &c.

Damnati ſunt illi, qui adiudicati ſunt ad pœná temporalem vel æternam (vt dicit frater Oſwal.li.iiij. toſarij

roſarij theo.)quos Paulus Corte.lib.iiij.ſen.di.xj. vocat profligatos & perditos reos,ad quos,ſcilicet, dānatos æternaliter beneficia Eccleſiæ nec militātis nec triūphantis deriuātur cum ſint totaliter ab Eccleſia præciſi,vt ſcribit Richar.di.xlvj.artic.ij.q.iiij. lib.iiij.

Dari illud dicitur dari alicui:vt ſcribit Gab.di.xiiij. q.ij.ar.j.li.j.) quādo poteſt illo vti ad agēdum ſicut placet.Sicut aliquis ſeipſum dicitur dare alicui quādo offertur ſeipſum illi ad faciendum quod illi placet.Illud verò dicitur dari in ſe,quod ſic datur in poteſtatē alterius omni alio dono circunſcripto,& per oppoſitū poteſt notificari dari in alio,vel ſimul in ſe & in alio.Clarius proſequitur Occā d.xviij.vbi vult quod ſpiritusſanctus datur ſoli creaturæ rationali & in ſe,& in donis ſuis,& ad ſanctificandum hominem,quod & ibidem probat & Gabr.vbi ſupra. Et ſpiritusſanctus dicitur ſe homini dare, cum illapſu ſuo ſanctificatiuo hominem per gratiam inhabitando paratus eſt ipſum iuuare in omni actione meritoria,& tandem eum in beatitudine ſublimare,& dicitur tunc quodammodo voluntati obtemperare. Stat enim ad oſtium & pulſat,ſi quis aperit ingreditur,& nunquam manum ſuam ſubtrahit. Sic ergo hominem acceptando per gratiam & in actione meritoria modo ſingulari eum iuuando, dicitur.ſe homini dare. Cùm autem ſpiritusſanctus ſic ſeſe homini dat veluti donum increatum,ſemper infundit etiam gratiam gratum facientem.Donumque creatum quo anima ornatur, & in Dei ſponſam adoptatur. Et ſpiritumſanctum dari non eſt ipſum habere per informationem ſicut charitas habetur ſed per aſsiſtentiam, licet autem ſpiritusſanctus ſit in peccatore,nō tamen habet facultatē fruēdi eo meritoriè, vt inquit Brulef.di.xiiij. quæſt.iij. lib.j. Datur præterea ſpiritusſanctus in donis ſuis, quando, ſcilicet, dat dona ſua pro ſanctificatione rationalis creaturæ. Datur autem & accipitur dupliciter ſpiritusſanctus, vt habet Gab. lect.ij.cano. videlicet in gratia gratumfaciente,& in gratia gratis data. Primo modo datur ad perſonalem ſanctificationem recipientis. Secundo modō non ſemper ad perſonalem ſanctificationem, ſemper autem ad Eccleſiæ vtilitatem. De prima dicitur ad Rom.3. Iuſtificati gratis per gratiam ipſius,ſcilicet, Chriſti, Glo.per gratiam Chriſti quæ donum eſt Dei. Maximum autem donum ſpiritusſanctus eſt.Vnde dicitur ibidem v. Charitas diffuſa eſt in cordibus noſ per ſpi.ſcilicet, qui da.eſt nobis, gratia autem quæ iuſtificat charitas eſt, aut ei inſeparabiliter coniuncta quæ datur ſemper ad ſanctificationem,quia ipſa eſt quæ operit multitudinē peccatorū. De ſecundo.1.Cor.12. Alij per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ,alij ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum: alij fides in eodem ſpiritu , alij gratia ſanitatum in vno ſpiritu, alij operatio virtutum, alij prophetia. Præmiſit autem Apoſtolus, vnicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem glo. Diuiſæ ſunt dona,non ad meritū alicuius ſingulariter dantur,ſed ad vtilitatem Eccleſiæ ædificandæ,&c. Vide latius Gabrielem in cano.lect.ij. Et ſecundum eundem diſt.xiiij.q.ii.li.ſen. ſpiritusſanctus non datur in dono creato niſi in dono charitatis; pater, quia ſecundum vſum loquendi ſanctorum nō datur alicui,niſi quem per ſpecialem acceptationem inhabitat tanquam dignum vita æterna. Sed nullus ſic acceptatur niſi in quo eſt gratia gratumfaciens, quæ eſt ſola charitas, ideo ſolum datur in charitate tanquam in dono creato. Aſtipulatur Petrus de Aliaco q.ix.ar.ij.lib.j.cum dicit. Spiritusſanctus datur in ſuis donis, vel magis propriè loquendo datur cum ſuis donis, quamuis abſolutè poſsit dari ſine eis, & econtra.Et ſecundum eundem ſpiritusſanctus non datur de facto alicui, niſi ei quem ſanctificat & acceptat ad vitam æternam, ſpiritusſanctus autem nullum ſanctificat vel acceptat ad vitam niſi eū in quo eſt charitas creata ſiue gratia gratumfaciēs, & ideo ſancti dicunt ſpiritumſanctum dari in charitate tanquam in dono creato.Nec modus loquēdi eſt apud ſanctos ſpiritumſanctum dari in ſapientia, in fide vel in ſpe ſicut in charitate, & hoc poſſet concedi, ſed non eſt vſitatum apud ſanctos vt Aliacēſis dicit.

Et dari dicitur Deus alicui quando eum inhabitat gratuitè per donum charitatis. Deus autem dupliciter dicitur eſſe in aliquo, generaliter, & ſpecialiter per gratiam informantem. Dicitur tamen dari ſtante lege,ſiue datus rationali creaturæ,tunc quādo eam inhabitat gratuitè per donum charitatis.Et quia duntaxat bonos ſic inhabitat quos ad vitam acceptat,& non malos,ideo illis ſolum dicitur dari, & tunc dari quando tale donum infundit, & abundantius dari quando maiorem confert gratiam; ſecundum hunc modum loquendi Deus eſt tantum in bonis & non in malis, eo quod ſolū tales per gratiam inhabitat, ſic magis eſt in beata Virgine quam in ſancto Petro,& ſpecialiſsimè in Chriſto, omnibus Deus ſit in omnibus rebus generaliter,ſicut ipſe Dauid teſtatur, dicens: Si aſcendero in cœlum,tu illic es.De quo conſulito Bonauen.diſt. xxxvij.q.j.li.j. Eſt præterea Deus in ſeipſo vt Alpha & Ω (vt ſcribit Bruleſer diſt.xxxvij.ar.iij.lib.j.). Eſt autem in mundo vt creator & gubernator, et in Angelis vt beatificator. Vnde dicitur:Pater noſter qui es in cœlis,id eſt in iuſtis, non in cœlo empyreo. Vnde & thronus ſapientiæ anima iuſti dicitur, vnde & illud: Fiat volūtas tua ſicut in cœlo & in terra, id eſt ſicut in iuſto,ſic in peccatore, vt,ſcilicet conuertatur. Eſa. Cœlum mihi ſedes eſt,terra ſcabellum pedum meorum,id eſt iuſtos inhabito per gratiam,impios premo per æterni iudicij diſtrictionem.

Dari ſpiritusſanctus plenius,poteſt intelligi dupliciter(vt notat ſanctus Bona.di.xv.li.j.in dubiis literalibus) aut intenſiue aut extenſiue. Si extenſiue,ſic pluribus datus eſt ſpiritusſanctus tempore legis gratiæ, quia in omnē terrā exi. ſo.eorū &c.nō tantum ad vnā gentē. Si intēſiue,hoc eſt dupliciter,aut quātum ad generalem ſtatum,aut quantum ad ſpeciales perſonas. Quantum ad generalem ſtatum in nouo teſtamento,quantum ad ſpeciales perſonas in veteri teſtamenti, & ſic ſe habent ſicut excedentia & exceſſa,quia in ve.teſt. fuerunt aliqui viri Euangelici, & fuerunt in ve.teſt. aliqui abundantes in ſapientia:vt Salomon. aliqui in patientia:vt Iob.aliqui in manſuetudine:vt Moyſes. aliqui in fide : vt Abraham. aliqui in deuotione : vt Dauid.aliqui in miraculorum operatione:vt Elias.

Datum & donum differunt ſecundum magiſtrum, vt &

vt & refert Gabr.diſt.xviij.q.vnica.ar.j.lib.j.& in hoc quod donum dicit aptitudinem ſiue donabilitatem ideo quod non donatur, ſi tamen donabile eſt, donum dicitur. Datum verò dicit actum donationis. Ex quo ſequitur quod ſi aliquod æternum detur in tempore ab æterno, dicitur donum inquãtum ab æterno fuit donabile. Ab æterno enim fuit aptũ vt daretur in tẽpore, nõ tamen dicetur ab ęterno datum. Et tã donum quàm datum dupliciter accipitur, vt idem notat Gabr. vbi ſupra. Vno modo pro producto virtute amoris alicuius obiecti, quod nõ vt producitur tali modo habet rationẽ ſimilitudinis obiecti amati. Alio modo capitur pro aliquo liberè alicui collato, & quaſi in poſſeſſionẽ vel dãnationem ipſius tranſlato. Capiendo donũ primo modo ſpirituſſanctus verè & propriè dicitur donum, patet per Aug.5. de trini. Spirituſſanctus donum eſt patris & filij, quia procedit à patre & filio. Itẽ iiij. de trini. Sicut natum eſſe eſt filio à patre eſſe, ita ſpirituiſancto donum Dei eſſe eſt à patre procedere & à filio. Capiendo donum ſecundo modo non ſolum ſpirituſſanctus, ſed & filius donum eſt dicendus: patet de ſpiritu ſancto in textu magiſtri de filio: Eſa. Filius datus eſt nobis. Vterq; etiam & filius & ſpirituſſanctus mittitur creaturæ, ergo vterque donatur. Sed ſi donum dicit proceſſionẽ ab aliquo (vt videtur dicere Aug.) pater non dicitur donum, quia non procedit ab aliquo, ideo ſcriptura non commemorat patrem eſſe donum.

Eſt quoque diſtinctio formalis inter donari & donum, ſicut inter verbum & dicere filium & generare ſpiritum ſanctum & ſpirare. Quomodo autem ſpirituſſanctus ab æterno datur filio à patre, & econuerſo patri à filio, de hoc diffuſe apud Gabr. vbi ſupra videre potes. Et de dono vide infra latiùs. Et vt ſcribit ſanctus Bonauen.di.xviij.q.iij.li.j. quamuis vtrumque tam datum quàm donum dicatur in diuinis, tamen conuenientius dicitur donũ. Et huius eſt duplex ratio. Vna quidem eſt, quia datum cũ ſit participium vel nomen verbale concernit tempus, donũ autem à tẽpore ſubtrahit. Et ideo quia omnia dona ſupra tẽpus ſunt, cõuenientius dicitur in diuinis donum quã datũ. Alia ratio eſt, quia donum ſupra rationem dati addit conditionem liberalitatis ſiue irreddibilitatis quæ eſt cõditio magnæ nobilitatis, & ideo maximè competit diuinis. Et hęc eſt ratio quare donũ appropriatur gratuitis donis, nõ tantùm ipſi ſpirituiſancto qui eſt principium gratuitorum donorum. Et quod dicitur donũ & datũ habetur Iaco.1. Omne datũ optimũ, & omne donũ perfectum deſurſum eſt, &c. Et vt idem notat ſecundum Aug.q.iiij. vbi ſupra. Donum dicitur in diuinis propriè ſiue perſonaliter non eſſentialiter, ſicut verbum dicitur propriè de filio. Datum autem poteſt accipi & eſſentialiter & perſonaliter, ſiue propriè & communiter, tota enim trinitas dat ſe, & tamen pater & filius propriè dant ſpiritumſanctũ, vnde datum de ſui ratione idem eſt quod communicatum. Latiùs Bonauen.

Debeo, es, et. ſecundum Angelum, & poſt eum Gabr. diſtinct.xvj.quæſtio.iij.artic.j. lib.iiij. ex ſuo proprio ſignificato importat neceſſitatem præcepti, licèt quandoque ratione materiæ importat congruitatem, tamen ſecundum Panor. improprietates terminorum ſunt vitandæ. in c.j. de dolo & contuma. & ideo ſolum habet locum improprietas huius verbi debet quod ſit cõſilij in materia cõſultiua ratione materiæ quę eſt cõſultiua. Sed iſtud nomẽ Deus cũ iſto verbo debet, vt ſcribit Brulef.d.xxxvij.q.j.lib. iij. ſemper importat venenum. Vnde magiſter ait: hoc verbum debet propriè non conuenit Deo.

Debitum quod quis debet dicitur. Et eſt debitũ ex commiſſo quod eſt propriè debitum, vt ſcribit ſanctus Bona.di.xliij. in dubio litte.li.j. quia pręit voluntatem: velit enim nolit obligatus eſt qui accepit beneficium ſi neceſſario eget beneficio. Debitum autẽ ex promiſſo quod eſt meræ liberalitatis eſt debitum quod ſequitur largitatẽ promittẽtis, & ideo ſecundũ rẽ plus habet de ratione gratiæ quã debiti. Et hoc modo Deus eſt debitor, primo modo non. ex ſua enim liberalitate promittit vt alliciat, ſed nihil recipit, vnde obſequia noſtra non acceptat propter indigentiam, ideo ratio debiti ſecundum quod obligationem dicit, propriè in Deo non cadit. Si autem abutamur nomine vt debitũ ſonet in condecẽtiã bonitatis Dei, ſic recipitur in Deo. Vnde Magiſter d.xliij.l.j. Sed vt mihi videtur hoc verbũ debet venenũ habet, cũ aliqui dicũt: Nõ poteſt Deus facere niſi quod debet, nõ autẽ debet facere niſi quod facit, multiplicẽ enim & inuolutã cõtinet intelligentiã, nec Deo propriè cõpetit, qui nõ eſt debitor nobis, niſi fortè ex promiſſo. Nos verò eius debitores ſumus ex cõmiſſo. Vt autẽ venenũ euacuetur diſtingue verbi ſenſus, nõ poteſt Deus facere niſi quod debet, id eſt niſi quod vult, falſum eſt. Sic enim poteſt ipſe dici debere aliquid, quia vult illud. Si autem dicatur quod nõ poteſt quod debet, id eſt non poteſt niſi illud, quod ſi faceret, ei bene conueniret, verum eſt. Hæc magiſter vbi ſupra.

Debitum quoddam eſt quod prouenit ex parte meriti, vt princeps qui regi fortiter militauit, meruit vt ſibi dentur ſtipendia. Hoc modo Deus quodammodo eſt debitor noſter propter merita. Vnde Paulus .2.Tim.4. De reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam red. mihi do. in il. die iuſtus iudex. Brulefer. diſtinctio.vj. q.j.libr.j. Eſt præterea quoddam debitum obligationis, quoddam congruitatis.

Debitum eſt duplex. Quoddam eſt debitum ex charitate, quoddam eſt ex neceſſitate, vt ſcribit ſanctus Bonauen.di.xviij. circa textum lib.iij. Debitum ex charitate non tollit perfectionem meriti, debitum verò ex neceſſitate quodammodo diminuit. quoniam ergo omnes alij debitores erant mortis, debito neceſſitatis, qui quidẽ prouenit ex reatu & obligatione culpæ. Ideo dicit magiſter, quod nullus poterat Deũ placare, quãuis voluntariè perferẽdo mortẽ poſſet Deo placere. Chriſtus autẽ quia ſine debito mortis pertulit mortem, & placere potuit & placare: placere, quia ex bona voluntate: placare verò pręter neceſſitatẽ. Nec quiſquã (vt ait Magiſter diſt. xviij. libr.iij.) hoſtiam poterat offerre ſufficientem reconciliationi noſtrę. Sed Chriſtus homo ſufficiens & perfecta fuit hoſtia, &c.

Debitum quandoque accipitur pro peccato. Peccata autẽ dupliciter debita nominantur (vt ſcribit Gabr. lect.lxxij.cano.) nõ quidẽ formaliter ſed effectiuè.

Vno

Vno modo quia peccando debitum ſoluere recuſamus,debitum quo Deo tenemur, ſcilicet obedientiam & amorem. Peccamus enim committendo & omittendo:committendo,ſcilicet,malum,& omittendo bonum,puta ſi fornicamur,ſi occidimus,ſi furamur,committimus mala & agimus contra diuina præcepta,& per hoc ſubtrahimus ſibi debitam obedientiã,ſeruitutẽ& timorẽ.Si Deũ ſuper omnia non diligimus,ſi parentes nõ honoramus,ſi bona debita amittimus iterũ Deo debitũ ſubtrahimus,dilectionẽ,ſeruitutẽ,&c. Secũdo peccata dicũtur debita noſtra, quia nos debitores pœnæ faciunt. Quicunque enim contra Deum peccat, reus efficitur pœnæ gehennalis,quam ſoluere tenetur,niſi à Deo remittatur.Latiùs ibi Gabriel.Peccata itaque dicuntur debita ab effectu,quia conſtituunt nos debitores pœnæ,ad quam ſuſtinendam propter peccata iuſtè obligamur.

Debitum coniugale eſt actus coniugalis,quo vir tenetur vxori, & viceuerſa petẽti. Et dicitur debitum quia ſub pœna peccati mortalis tenetur vir mulieri debitum petenti reddere, ſimiliter vxor viro ſecundum omnes theologos communiter,ſecũdũ quod dicit Apoſtolus.1.Cor.7.Vxori vir debitum reddat, niſi ex rationabili cauſa excuſetur, vt ſcribit frater Oſualdus.li.iiij.Roſarij Theologiæ.Et quãuis ſemper liceat reddere, non tamen ſemper licet petere. Debitum enim vt vult magiſter ſemper poſcẽti ſoluendum eſt. Bonum etiam eſt diebus ſolennibus abſtinere. Vnde vt ſcribit Tho.de Argẽti.di.xxxij. lib.iiij. Si coniunx ſine ſuæ corporalis vitæ periculo poteſt reddere debitum,tunc ſemper tenetur reddere,maximè ſi exigẽs nullatenus vult proiũc actu illo carere,non tamen neceſſitatis eſt exigere,vt habet Rich. Sed reddere debitum eſt neceſſitatis, vt ipſe ait di.xxxij.ar.j.q.j.& ij.li.iiij. Et quando vir quibuſdam ſignis perpendit mulierem petere,tenetur reddere.ait Rich.Sed ſi coniunx ſine corporalis ſuæ vitæ periculo non poteſt reddere debitum exigenti, tunc non tenetur nec obligatur ad reddendum.Vide latiùs Tho.Argenti.& rationes eius,vnde Gerſon in regulis moralibus. Nullus coniugum tenetur reddere debitum in detrimentum notabile & certum ſui corporis vel fœtus naſciturі.Et ſecundum hoc cognoſcitur quando leproſis vel prægnantibus aut mẽſtruatis,aut furioſis,aut epidimiacis,& ſimilibus caſibus reddi vel nõ reddi debitum oporteat: nec tempus & locus ſacer(vt idem vult) videntur excuſare quin alter coniugum teneatur alteri petenti reddere, præuia tamen quadam amicabili monitione de non exigendo. Et reddere debitum eſt de iure naturæ(vt dicit Rich.)Ideo Eccleſia quæ nihil poteſt contra ius naturæ, non prohibet, nec diſſuadet quocunq; tempore, nec intendit filiis ſuis laqueum ponere,ſed exactionem debiti diſſuadet ſacro tempore, quamuis nõ prohibeat, eò quod vacare operibus carnis multum impedit eleuationem mentis ad cœleſtia, cui maximè mens tempore ſacro dicit intendere.Item ſecundum Scotũ reddere debitum eſt laudabile,vt ipſe dicit di.xxxij.li. iiij: tum propter bonum prolis, tum cauſa vitandæ fornicationis,& actus eſt iuſtitiæ.Sed de loco ſacro dicit idem Scotus quod in loco ſacro regulariter abſtinendum eſt,quia non ſtatim imminet periculum fornicationis,quando ſtatim committi poſſet in loco non ſacro,ſi tamen diu oporter eos conuiuere in loco ſacro,negaret iſtum peccare,ſi redderent debitum ibi petitum.Cõcordat Petrus de Aquila & Angelus.& Rich. Sed Petrus Paluden.tenet indiſtincte quod eſt mortale. Sed non credas ei inquit Angelus,nec valet eius ratio,quod nulla ſit neceſſitas, &c.Scribunt & doct.& ponũt cauſas quibus quis non tenetur reddere debitum , ſicut eſt prohibitio Eccleſiæ.Nam contra interdictum Eccleſiæ eſt peccatum mortale actus coniugalis. Eccleſia autẽ prohibet ne quis conſumat matrimonium certis temporibus.Vide latiùs de hoc Angelum.Secunda cauſa eſt impotentia, ſalua incolumitate ſui corporis. Tertia cauſa eſt crimen adulterij. Quarta ſi eſt votum emiſſum ab ambobus de communi conſenſu. Quinta eſt honeſtas, puta ſi petit in Eccleſia,vel in publico.Sexta eſt ſcãdalum. Septima cauſa eſt religio,quam quis vult intrare.Has ſeptem cauſas aſſignant doctores propter quod non tenentur reddere coniuges debitum.De his latiùs proſequuntur. nec dicendum eſt de loco ſacro ſicut de tempore, quia facilius poteſt mutari locus quàm tempus, & propter ea locus ita pollui poteſt quod indiget reconciliatione , vnde in loco ſacro non licet carnale debitum exigere nec reddere,ſi tamen per longum tempus eſſent ibi violenter recluſi, videtur quod tunc licitum eſſet eis ibi exigere & reddere,quia nõ eſt ponendus laqueus animabus propter immunditiam loci,vt dicit frater Oſualdus lib.iiij . Roſarij Theologię.Item tempore mẽſtrui ſecundum Rich. magis eſt abſtinẽdum propter fructum, quia vicioſe tunc conciperetur,& vt in pluribus vt dicit Scotus naſcitur puer leproſus . Vnde non ſine cauſa in lege Moyſaica accedens ad mulierem menſtruatam debebat mori. Et quia reddere debitum eſt præceptum,coniunx ſanus tenetur reddere debitum coniugi leproſo,ſi poteſt fieri ſine periculo infectionis. Item furioſo habenti lucida interualla reddendum eſt debitum,ſed non exiſtenti in furia,quia pro illo tempore debitum non eſt,vt dicit Rich.diſt.xxxij. ar.iiij.q.ij.lib.iiij.& alij,&c.

De quandoq; dicit circunſtantiã cauſę materialis vel quaſi materialis , vt ſcribit Tho.de Argentina di.v. & poſt eũ Gab.eadẽ di.q.ij.ar.j.l.j.dicit & originationẽ . Vnde quãdo dicitur:Filius eſt de ſubſtantia patris,non eſt intelligendum quod ſit de ſubſtantia patris tanquam de materia vel quaſi materia , quia in diuinis nihil eſt ponendum imperfectionis,quare non eſt ponenda generatio ſub ratione mutationis vel quaſi mutationis,quia mutatio dicit imperfectionem in mutabili,quia potentialitatem,& concomitantur imperfectionem in mutante, pro quanto neceſſario requirit cauſam concauſantem.Eſt autem ponenda generatio in diuinis tantum ſub ratione productionis inquantum,ſcilicet, aliquid per eam capit eſſe. Et ideo generationi in diuinis non aſſignabitur materia vel quaſi materia, ſed tantum terminus formalis. Eſt autem mutatio qua aliquod ſubiectum de priuatione tranſit ad formã.vj.Phyſ. Cùm igitur dicitur quod filius eſt de ſubſtantia patris,intelligendum eſt quod ſit de ſubſtantia patris, ſicut de aliquo quod eſt ſibi conſubſtantiale, id eſt, de patre qui eſt filio conſubſtantialis . Præpoſitio

itaque

Itaque De deo dicit, ſcilicet, originationem & conſubſtãtialitatem, & neutrum ſolum. Si enim ſolam originationem diceret, tunc creaturæ eſſent de ſubſtantia Dei, ſi ſolam conſubſtantialitatem, tunc pater eſſet de ſubſtantia filij, vnde filius eſt de ſubſtãtia patris, tantum eſt dicere, filius eſt originatus à patre, & conſubſtantialis ei. Dicit ergo de: origioationem, non quidem in proprio caſuali, ſed io illo quod regitur à proprio caſuali ad bonum intellectum, quia filius non eſt originatus à ſubſtantia, ſed à patre, qui eſt eadem ſubſtantia cum filio. Vel de poteſt dicere conſubſtantialitatem in proprio caſua li, & originationem in recto à ſuo caſuali, vt dicit Scotus, & conſonat his Greg. di. v. q. ij. ar. j. & Gabriël vbi ſupra. & Bruleſ. Capitur & quandoq; de ſubſtantialiter & ordinaliter, vt cùm dicitur. De pane fit corpus Chriſti, ordinaliter: quia poſt panem fit corpus Chriſti, ſubſtantialiter, quia vna ſubſtantia tranſit in aliam diuina actione.

Decalogus eſt volumen quod decem legis præcepta continet, & vt notat Bruleſ. di. lxxvij. q. j. li. iij. dicitur à δέκα Græcè quod eſt decem, & λόγος quod eſt verbum, quaſi ſermo decẽ verborum. vnde Dei mandata dicuntur decalogus. Et verba decalogi debuerunt dati per modum præcepti, intelligo de debito obligationis, & congruitatis, quia Deus nolli obligarur, ita quod non ſolũ in eis homo inſtrueretur, verum etiam obligaretur, & hoc Deum decebat, nobisq́ue exped ebat, nam in eis conſiſtit regula iuſtitiæ, ſecundum quod dictat lumen rectè rationis. Hinc eſt quod Deus qui eſt ęmulator iuſtitię & rectitudinis homini legis impoſuit iuſtitiæ, ad quas ipſum obligauit, vt nullo modo liceret ipſum impunè prætergredi, & ſeruans ea regnum Dei poſſidebit. Plures rationes ſcribit Bruleſer quę cõgruentiam diuinorum mandatorum oſtendunt, &c.

Decanus ruralis dicitur & archipresbiter, vt dicit Petrus de Pal. diſt. xvij. q. iiij. ar. ij. lib. iiij.

Decima eſt portio vna ex decem. veteres enim ex vnaquaque re decimam offerre diis ſolebant. Decima eſt omnium bonorum iuſtè quęſitorũ pars Deo debita. Quidam diſtinguũt à primitiis, quod primitiæ ſuot frugum, aliorum verò dicitur decima. Et decima tripliciter poteſt conſiderari, vt colligi poteſt ex Alexã. de Ales. iij. parte ſummæ, & Bona. ſupra ij. diſtin. iij. parte ij. ar. j. q. j. Et Guil. Scoti imitatorem. His concordat Rich. in iiij. & ſupra Tho. in. 2. ij. q. lxxxvij. Et poſt hos videri poteſt frater Pelbartus lib. iij. roſarij theologiæ in dictiooe Abraham. §. vj. Primo vt eſt præceptum morale, & de iure naturæ, ſcilicet, quod Deus honoretur de propria ſubſtantia, ſic quod aliquota pars detur Deo ſeruientibus ad ſuſtentationem. Iſto modo ſemper fuit in præcepto ſimpliciter, vtpote iure diuino, ſecundum rationem iuſtitiæ quæ exigit, vt qui metunt ſpiritualia à miniſtris Eccleſiæ, dent eis temporalia. Vnde Gen. 47. ſacerdotibus in Ægypto cibaria ex horreis publicis dabãtur, ſic conſiderando decima maner etiã hodie in noua lege. Vnde Gerſon parte. ij. in regul. moralibus ait. Solutio decimarum ſacerdotibus eſt de iure diuino, quatenus inde ſuſtentẽtur. Sed quotam hanc vel illã aſſignare aut in alios redditus commutare, poſitiui iuris exiſtit. Secundo modo conſideratur vt eſt præceptum iudiciale, ſcilicet inquantum determinat decimam dandam miniſtris, & ſic ante legem datam fuit de conſilio tantum. Nam Gen. 28. Iacob vouit decimas, quod vouere non potuiſſe: ſi in præcepto fuiſſet, ſed poſtea in lege factum eſt præceptum. Vnde præcipiebatur Exod. 23. & Nume. 8. iſto modo non obligant ſicut nec alia iudicialia, niſi prout præcipiuntur ab eo qui poteſt, id eſt ab Eccleſia. Vnde ſicut ſunt de iure poſitiuo, & manent vt præcepta Eccleſiæ in noua lege. Tertio modo conſideretur decima vt quid cerimoniale ſiue figurale, quia figurabant perfectionem Chriſti, & Chriſtum futurum. 1. Cor. 15. Omnia in figura contingebant illis. Etenim decimam dare fuit ſignum perfectæ curationis ab omni morbo peccatorum quæ expectabarur fiẽda per Chriſtum. Nam denarius eſt numerus perfectus, quia primus limes numerorum, vltra quem non proceditur niſi replicando præcedentes numeros. Et ita qui dabat decimas proteſtabatur quaſi in quodam ſigno ad ſe pertinere imperfectionem, reſeruando ſibi nouem partes ſubſtantiæ, & expectare perfectionem futuram per Chriſtum. Iſto modo decimæ ſicut & alia cerimonialia ceſſauerunt: ac prohibentur inquãtum eſt morale remanſit. Vnde ſecundum Tho. ij. quodli. q. iiij. ar. iij. dicitur quod nulla conſuetudo contraria ſoluit hominem ab obligatione reddendi decimas, quia hæc obligatio fundatur ſuper ius diuinum & naturale, ideo ſemper tenẽtur homines reddere decimas ſi Eccleſia exigat, contraria cõſuetudine non obſtante. Deus autem voluit in noua lege decimas dari, non in figura futuri, ſcilicet Chriſti, ſed vt primo ex noſtris ſubſtantiis Deum honorando & gratias Deo agẽdo adquirimus gratiam ſpiritusſancti. Secundo vt per decimas mereamur bonorum temporalium & corporalium augmentum. Malach. 3. xvj. q. j. Decimę. Tertio vt ex charitate, obediendo præceptis iuris naturalis, & moralis, & Eccleſiæ, mereamur æternam gloriam. Vide & aliàs de decimis canoniſtas, qui aliquo modo aduerſari videntur Theologis in quibuſdam. Vide & Gerſonem parte iiij. ſermone contra bullam mendicantium de decimis, & aliàs multa, laconiſmo gaudemus.

Decimatio ſecundum S. Bonauen. di. iij. li. iij. actus fuit moralis, ſacramentalis & figuralis. Moralis inquantum eſt alicuius partis donatio ad ſuſtentationem eorum qui diuino ſunt cultui deputati. Morale enim & iuſtũ eſt vt de altari viuat qui altari deſeruit. 1. Cor. 9. Sacramentale inquantum eſt donatio alicuius partis ad Dei hooorem in fide mediatoris ob curationem morbi originalis. Figuralis inquãtum donatio decimæ partis facta ſummo ſacerdoti, ſignificabat curationem vtilem fiendam per ſuturum ſummum ſacerdotem Chriſtum. Decẽ enim vtilitatem importat, pro quanto omnes numeri poſteriores ex ipſo in ratione numeri componunrur. Latiùs ſcribit Gabriël di. iij. q. ij. ar. ij. li. iij. Et concluſione. iij. dicit: Mediator Dei & homioum Chriſtus Ieſus non eſt in lumbis Abrahæ decimatus, cuius vulneris per propagationẽ ex lumbis Abraham contracti curatio per decimationem Abrahæ eſt figurata. Sed Chriſtus etſi in lumbis Abrahæ fuit, quia materialis Chriſti ſubſtãtia fuit in lumbis Abrahæ tanquam effectus in ſua cauſa, non tamen per

eius deſcenſum vulnus accepit, nec curatione iodiguit, ergo eius curatio quæ non fuit, figurari non potuit, & pet conſequens decimatus non fuit. Et inquantum decimatio fuit actus figuralis ſignificabat futuram generalem curationem omniũ morboſorum præſentium & futurorum ab Abraham deſcendẽtium pet ſummum ſacerdotem Chriſtum. Et ideo vt ſic non figurabat tãtum curationẽ Abrahæ, ſed omnium futurorum ab eo deſcendentium. Et pet hoc omnes in lumbis Abrahæ exiſtentes ſecundum materialem ſubſtãtiam decimati ſunt, qui curatione indiguerunt, hac decimatione Abrahæ ſignificati & figurati. Vide latiùs Gabriëlem vbi ſupra.

Decipere vide in dictione Fallere, &c.

Defectus ſignificat penuriam, vitium aut culpam aut morbum. Sunt autem multiplices defectus (vt notat ſanctus Bonauen.di.xv.q.ij.lib.iij.) Quidã ſunt defectus qui ſuot ex culpa, quidam verò qui ſunt ex culpa & ad culpam, ſicut pronitas ad malum, & difficultas ad bonum. Illos autem defectus qui nõ tantum ſunt ex culpa, ſed etiam via ad culpam nõ decuit Chriſtum aſſumere, quia Chriſtus fuit miniſter juſtitiæ omnino ſegregatus à peccato. Alios autem defectus decuit ipſum aſſumere, ſed non omnes, quia quidam ſunt defectus naturales, quidam perſonales. Defectus autẽ naturales voco illos (inquit Bona.) qui reſpiciũt totam naturã humanam vniuerſaliter, ſicut fames & ſitis, & defectus cõſimiles. Perſonales autem defectus ſunt qui reſpiciunt aliquas perſonas ſpecialiter, ſicut diuerſę ęgritudinum ſpecies. Quoniam ergo Chriſtus venerat naturam humanam redimere communiter ſine perſonarum diſtinctione, hinc eſt quod defectus naturales non perſonales defectus pœnales tantum non vicioſos debuit in ſe habere abſque dubio. Itaque Chriſtus non omnes defectus noſtros aſſumpſit, ſicut dicit Magiſter di.xv.lib.iij. ſed illos tantum quos ipſum aſſumere decuit, & nobis expediens fuit. Ex alia autem & alia cauſa vt Idem vult Magiſter ſunt iſti defectus in nobis & in Chriſto. In nobis enim ſunt ex neceſſitate contracti, ſed in Chriſto ſunt ex voluntate aſſumpti, vt pulchrè deducit & probat ſanctus Bonauen.q.iij.vbi ſupra.

Defenſor qui defendit aliquem ab aduerſario. Et defenſor (vt notat Gabr.q.ij.diſt.xv.ar.iij.dub.ij.lib.iiij. & habetur in glo.in cle.j.de pœnis) eſt duplex. Vnus qui auctoritatem delinquendi præſtat, & ille amplius punitur. Alius defenſor, qui poſt delictum defendit, puta impediendo ne delinquens ad iudicem veniat examinandus vel puniendus, vel ne fiat executio, & hic punitur. Secùs ſi defenderit eum ne lædatur à priuato. Et quamuis non prodendus ſit qui bona fide ad alium confugit, non tamen eſt defendendus, quia qui defendit delinquentem, maledictus eſt apud Deum & homines, & corripietur increpatione ſeueriſſima. Vnde. xj.q.iij. Qui conſentit. & xxiiij.q.iij. qui aliorum, dicitur. Qui aliorum defendit errorẽ multo amplius eſt damnabilior illis qui errant.

Deformis, turpis, quaſi ſeorſum à forma: à quo deformitas. Et deformitas in corpore poteſt contingere tripliciter (vt ſcribit Petrus de Palude.diſt.xliiij.q.j.lib.iiij.) vno modo ex defectu alicuius conuenientis: ſicut mutilatos vel mancos dicimus deformes vel nanos, primos ex defectu membri: ſecundos ex defectu debitę quantitatis. Secundo modo cõtingit deformitas ex appoſitione alicuius diſcõuenientis, vt eſt membrum ſuperfluum: vt eſt ſextus digitus, vel macula ſuperueniens oculo vel alia ſuperfluitas in alio membro. Tertio modo ex indebita partium diſpoſitione, vt in claudis & luſcis & huiuſcemodi. Hæc Paludenſis vbi ſupra.

Degenerare eſt à genere deſciſcere. Vel (vt ſcribit S. Bonauen.di.xix. in dubiis literalibus lib.j.) eſt extra genus generãtis exire. Exire autem extra genus generantis hoc eſt, aut quantum ad formam cõmunem & naturam, & ſic eſt generatio in æquiuocis, ſicut equus ex aſina generat burdonem, & aſinus ex equa mulum, vnde mulus degenerat. Alio modo degenerare eſt proprietates degenerantis relinquere, retenta natura, ſicut filius qui generatur ex patre nobili & pulchro, eſt ruſticus & turpis. Tertio eſt degenerare, naturam generantis relinquere, nõ per diſſimilitudinem, ſed per diuerſitatem, & hoc modo omnis natiuitas creata degenerat, quia in omni creatura generans eſt aliud à generante, & in ſola diuina generatione degeneratio nõ eſt, quia nihil naſcitur nouum, nihil additur alienum. Et ideo generans à generante in ſubſtantia non ſeparatur, & ideo ſola illa generatio eſt nobiliſſima. Hæc Bonauen. Hinc Hilarius vt refert magiſter di.xix.li.j. Fateamur inquit ergo quod pater eſt in filio & filius in patre & Deus in Deo, noo per duplicem conuenientium generum coniunctionem, nec per inſitiuam capacioris ſubſtantiæ naturam, ſed per naturæ vnitam ſimilitudinem, per natiuitatem viuentis ex viuente natura dum res non differt, dum naturam Dei non degenerat natiuitas, dum nõ aliud aliquid ex Deo quàm Deus naſcitur, dum nihil in his nouum eſt, oihil alienum, nihil ſeparabile, &c.

Degradatio vide in dictione Depoſitio. Degradati dicuntur qui de exauctoratorum ſunt genere (vt dicit Corteſius libr.iiij.di.v.) Vide & alias multa de degradatiooe.

Delectatio ſecundum Ariſto .j. Rhetor. eſt quidam motus animæ & conſtitutio ſimul tota & ſenſibilis in naturam exiſtente. Dicitur motus quod ponitur pro genere ſecundum S.Thom.j.ij.qu.xxxj. & ſecundum eum poteſt eſſe prædicatio cauſalis. Sed videtur quod poſſit eſſe identica, vt ſcribit Gabriël di.j.q.iij.li.i. Nam motus non ſumitur hic vt importat quandam ſucceſſiuam rei tendentiã ad ſuæ perfectionis habendæ conſecutionem. Sed motos nominat quandam operationem complacentem in re volita & habita, quomodo iotelligere velle & ſimilia dicuntur motus, aut etiam ceſſatio ab eiſdem, & quies in aliquo, cõſiderata & habita bonitate obiecti veluti complacentis, ideo & poteſt accipi expoſitiuè cùm dicitur, eſt motus animæ & cooſtitutio ſimul tota. Vbi ſecundum B. Thom. cõſtitutio non debet accipi, prout eſt conſtitui, ſed prout eſt inſtitutum eſſe quaſi in termino motus. Non enim delectatio eſt generatio, vt Plato poſuit, ſed magis conſiſtit in factum eſſe, vt dicitur.vij.Ethi. Dicitur ſenſibilis per hos ſecundũ Gabr. excludũtur ea quæ

nulla po-

nulla potentia cognitiua à nobis comprehẽdi poſſunt. Sicut enim nihil amatur niſi cognitum, ita & in nullo delectatur voluntas niſi in cognito & quod præſens eſt. Dicitur ſenſibile propter excludere inſenſibilia. Vide latiùs Gabriëlem. Et ibidem dicit quod in damnatis nulla eſt delectatio, nec delectatio eſt amor, ſicut triſtitia non eſt odium. Nam beati odiunt mala, & tamen non triſtantur, quia beatitudo expellit omnem triſtitiam, ſicut damnatio omnem delectationem. Secùs de Chriſto viatore & comprehenſore. Nec obſtat dictum Gregorij dicentis diabolum delectari & exultare. Ad quod Pſalmus & glo. Qui tribulant me, exultabunt, &c. Nam exultare & delectari ibi ſumuntur pro complacentia intenſa in lapſu hominis, & non ſumuntur illa nomina propriè. Et dilectio eſt immediatè à voluntate tanquam à cauſa efficiente. Sed delectatio intellectiua (non autem ſenſitiua) eſt immediatè ab actu voluntatis, vel ſic, cauſa immediata delectationis ſenſitiuæ eſt cognitio ſenſitiua. Cauſa verò immediata delectationis intellectiuę eſt volitio ſiue actus voluntatis. Latiùs Gabriël vbi ſupra. Et probabilius dicitur quod delectatio eſt ſubiectiuè in voluntate quàm actu voluntatis, vt tenet Occam quem refert Gabriël, qui longior eſt in hac re. vide eum.

Delectatio ſecundum Gerſonem parte. liij. lect. ij. quæ incipit, pœnitemini, eſt motus animæ conſurgens ex apprehenſione obiecti per modum conuenientis. Triſtitia verò eſt motus ſequens ad apprehenſionem obiecti per modum diſconuenientis. Et vt idem dicit ſuper Cantica Canticorũ, conſideratione. ij. Delectatio ſortitur hoc nomen à ſimilitudine lactentium puerorum, quaſi dulcis lactatio. Cauſatur autem ab amore, imo non niſi ab amore vel amatione delectatio. Hinc illud populare: Gaudium niſi de amore nullum eſſe poteſt. Eſt itaque delectatio perceptio conuenientis coniuncti. amor autem non eſt niſi conuenientia, & adaptatio rei ad ſuum conuenieus. Latiùs Gerſon ſcribit. Et delectationum aliquæ ſunt corporales & ſenſitiuæ, aliæ ſunt ſpirituales ſeu intellectuales, vt ſcriptis reliquit Gerſon parte ij. de delectatione, an ſit peccatum. Delectationes corporales & ſenſitiuę dicuntur quæ in appetitu ſenſitiuo, & de bono ſenſibili ſeu bono ſecundum ſenſum fiunt. Spirituales verò ſeu intellectuales, quæ ſunt in appetitu intellectiuo, & de bono intelligibili, ſeu bono ſecundum intellectum. Hæc Gerſon, qui & multa de delectatione ſcribit vbi ſupra.

Delectatio adhuc quædam eſt ſpiritualis, alia carnalis, & non accipitur ibi ſpiritualitas & carnalitas vt ſtatim ſupra inquantum, ſcilicet ſolam animæ vel corporis delectationem importet, ſed vt capit Apoſtolus, diſtinctionem faciens inter hominem ſpiritualem & carnalem .1. Corint. 3. & in pluribus aliis locis. Vnde delectatio ſpiritualis eſt, quæ eſt in Deo creatore, vel propter Deum. In creatore quidem, quando, ſcilicet homo in eo directè delectatur, conſiderando, ſcilicet & contemplando ſuam immenſitatem, maieſtatem & virtutem & bonitatem & huiuſmodi, iuxta illud Pſal. Memor fui Dei, & delectatus ſum. Et illud: Delectare in Domino, & dabit tibi petitionem cordis tui, propter Deum verò, quando ſcilicet aliquis in aliquo bono alio à Deo, ſiue ſit intellectuale ſiue corporale, debitè delectatur, non tamen illic ſiſtendo, ſed delectationem illam purè in Deum reflectendo, vt ſi quis (exempli gratia) in ſcientia ſibi data delectaretur, inquantum ſe per eam in Deum ad laudemque ſuam, & ſui nominis exaltationem proficere poſſe ſperaret, vel in aliqua re magna, pulchra, vel admirabili manu ducendo per illud intellectum ſuum in admirationem, & delectationem infinitę potentiæ, ſapientiæ & bonitatis Dei, iuxta illud Pſal. Delectaſti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo. Et huiuſmodi delectationes ſpirituales non ſolùm peccara non ſunt, ſed meritoriæ, imò tantæ eſſe poſſent quod ad magnam perfectionem hominem ducerẽt. Gerſon.

Delectatio carnalis quæ à ſpirituali iam dicta diſtinguitur, eſt duplex, ſcilicet naturalis & voluntaria. Naturalis eſt cùm vnaquæque vis animæ in ſuo obiecto, quod tanquam ſibi bonum & conueniens apprehendit, delectatur, vtputa ratio in cognitione veri, viſus in coloribus, maximè mediis, auditus in ſonis mediocribus, & ſic de aliis. Et propriè nihil aliud eſt quàm quædam naturalis virtutis appetitiuæ quies, in aliquo bono ſibi conuenienti aniato ſeu deſiderato, vt poſſet poni exemplum in calefactione poſt magnum frigus, vel potu poſt vehementem ſitim. Et hæc delectatio ſic conſiderata & ſtrictè ſumenda vt diſtinguitur à voluntaria de ſe, nec eſt laudabilis nec vituperabilis, quia vt frequenter, quod actus dicantur virtuoſi vel defectiui, hoc habent à ratione & voluntate, inquãtũ, ſcilicet ab eis imperantur vel conſentiuntur. Delectatio verò voluntaria eſt propriè quæ apprehenſionem rationis ſequitur. Cùm enim ratio aliquid tanquam bonum conueniens apprehendit, cauſatur in ea quidam motus ſeu appetitus ad illud ſic apprehenſum, quem conſequitur delectatio, quæ propriè nihil aliud eſt niſi quædam voluntatis complacentia in eo quod ſic ipſa ratio apprehẽdit. Et hic motus ſeu appetitus rationis eſt ille motus ſeu appetitus qui rationalis nominatur, & largè ſumẽdo poteſt dici & delectatio naturalis. Sed vt diſtinguitur à naturali dicta ſupra cõſideratur ſolũmodo inquantũ à ratione q̃ voluntatẽ regulare habet, imperatur aut cõſentitur, & inquantũ ipſa voluntas in cuius libertate erat apprehenſionẽ & motũ rationis ſequi vel nõ ſequi propter quod huiuſmodi delectatio voluntaria appellatur ad ipſam etiã mouetur & inclinatur. Etſi illa delectatio eſt debitę regulata debitęq́; mẽſurata, vt, ſcilicet, in rẽ licitã, & quantũ debet & quomodo debet, talis delectatio non eſt peccatum, vt in actu coniugali vel cibo & potu. Si autem huiuſmodi delectatio voluntaria ſit rationis apprehenſionẽ conſequens, non eſt debitè regulata, vtputa quia eſt in rem illicitam, vel quia debitam menſuram aut debitum modum excedit, quod ex vicio fomite mouente procedit, propter quod & vicioſa dicitur, & illa poteſt eſſe veniale peccatũ, vt in riſu ſuperfluo, vel in verbo ocioſo, quod tamen ex nimia libidine poſſet effici mortale, aut contemptu, vel poteſt eſſe mortale. Etſi huiuſmodi delectatio non eſt moroſa, tunc non eſt niſi veniale. Si verò moroſa fuerit,

eſt pec-

eſt peccatum mortale, intelligendum vt dicunt do-ctores quidam de mora cõſenſus in delectationem, & non de mora temporis. Latiùs tamen & meliùs declarat & oſtendit Gerſon quando ſit peccatum mortale parte.ij.tracta.de delectatione, quando ſit peccatum, quem videre potes, qui multa ſcribit de delectatione.

Delectatio eſt in ſenſu dupliciter (vt ſcribit S.Bona. di.xlix.ar.iij.q.j.li.iiij.) Vna per redundantiam, alia per obiecti præſentiam. Sicut quando anima eſt interius plena delectatione, ita inebriantur & potentiæ ſentiendi, quod nullo modo quærunt nec egent exterius delectari. Et hæc delectatio erit præmium omnium ſenſuum, & omnibus ſanctis. Hanc autem delectationem non habent à ſe, nec ab actu ſuo, ſed ab actu animæ. Alia eſt delectatio per obiecti conuenientis pœnitentiam, & quia ſolùm duo ſunt ſenſus qui habent obiecta glorioſa, ideo ſolùm in duobus eſt, & hoc non eſt præmium, niſi valdè accidentale, quia non magis eſt glorioſus ſenſus in illius abſentia quàm in præſentia. Bonauen.

Deleri eſt in totum leuare & remouere. Vbicunque autem homo verbum deleri vel delebitur in ſcriptura ponitur, aut peribit de populo ſuo, denotatur interitus ſalutis, & mors æterna, vt notat Gabriel di. j.q.iiij.ar.ij.lib.iiij. Vnde Gen.17.dicitur: Maſculus cuius præputij caro circuncisa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo, quia pactum meum irritum fecit. Et hoc verbum Deleri poteſt accipi dupliciter, (vt ſcribit Dominus Car. Came.q.xij.ar.j. li.j. Vno modo propriè. Et ſic deleri de libro vitæ præſupponit fuiſſe ſcriptum, & deleri de libro, idem eſt quod non eſſe ſcriptum, & prius fuiſſe ſcriptum: & ſic ſcriptus in libro vitæ non poteſt deleri, intelligendo de his qui ſunt ſcripti ſecundum æternam præſcientiam, nam hoc argueret mutationem voluntatis diuinæ, vt patet. Alio modo poteſt ſumi magis largè, vt idem eſt delere quod non eſſe ſcriptũ, & hoc eſt poſſibile de potentia abſoluta. Quod ergo Moyſes fuiſſet deletus de libro in quo erat ſcriptus ſimpliciter impoſſibile fuit in primo ſenſu, & implicat contradictionem, ſicut patet, ſed non in ſecundo ſenſu. Quod autem Moyſes dixit, & habetur Exod.32. Obſecro Domine aut dimitte eis noxam hanc, aut dele me de libro tuo quem ſcripſiſti. Vnde ait Magiſter hiſtoriarum quod hoc ex magna confidentia in Deum eſt impoſſibile dictum .q. di. ſicut eſt impoſſibile vt me deleas, ſic oro non poſſe fieri quin dimittas, &c.

Delere peccata eſt ea remittere, amouere. Aliud autem eſt peccata deleri, aliud bona opera mortificari, vt ſcribit S.Bonauen.di.xxij.parte j.q.j.li.iiij.in ſolu.arg. Bona namque opera mortificantur, nõ quia eſſe definant, ſed quia reputantur indigna remuneratione æterna, propter indignitatem ſolum peccantis. Sed peccata deleri, verè dicit peccati expulſionẽ & remotionem talis vicij ab anima. Vnde ſicut charitas quæ eſt habitus animæ nunquam eadem redit ſi amittatur, ſic nec culpa eadem redire poteſt. Et à verbo delere: venit deletio, quę eſt triplex (vt ſcribit Brulefer.di.vj.qu.v.lib.iiij. Prima eſt deletio acceptionis vel acceptationis diuinæ, & eſt illa qua deletur gratia vel ipſa charitas, per quam homo eſt acceptabilis ad vitam æternam. Et iſta deletio eſt peſſima, & eſt à Deo effectiuè, à peccatoribus demeritoriè. Vnde Pſalmus: Deleatur de libro viuentium; & cum iuſtis non ſcribantur. Secunda eſt deletio iniquitatis peruerſæ. Et eſt illa qua peccatum mortale deletur in aliquo, & iſta eſt optima, & fit per gratiam formaliter. De hac dicebat Pſal. Secundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam. Tertia eſt deletio entitatis creatæ, & eſt illa qua deletur & deſtruitur aliqua entitas creata. Et iſta eſt duplex. Quædam eſt annullatiua ſimpliciter & totaliter, & eſt illa qua res ſic deletur quod ex ea nihil remanet, vt quando deletur & deſtruitur gratia totaliter. Et hoc fit quãdo quis peccat mortaliter. Alia eſt deletio annullatiua partialiter, & eſt illa qua aliquid annihilatur, ſic tamẽ quod aliqua pars eius remanet, vt fit in morte animalis. Character quoq; non deletur per deletionem, quando quis peccat, licèt deleat gratiam, vnde & non deletur per deletionem acceptationis diuinæ, quia poteſt ſtare cũ peccato, nec poteſt deleri per deletionẽ iniquitatis peruerſæ, nec eſt delebilis per deletionẽ entitatis creatæ ab aliquo ente naturali. Sed character de potentia Dei increata eſt delebilis, vt olim dicebat; Delebo omnem ſubſtantiam quam creaui à facie terræ, ſed character eſt entitas indelebilis de potentia Dei ordinata, quia ſic ordinauit.

Deliciæ dicuntur oblectamẽta, & quæ nobis ſunt voluptati. Deliciæ verò paradiſi ſpiritualis ſunt gratia & virtutes. Gabr.di.iiij.q.vnica li.ij. Et illud Pſal. Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominũ, intelligitur (vt ſcribit Gerſon parte iij. ſuper cantica canticorum) non formaliter ſed cauſaliter, quia facit effectualiter delectari, vt eſt illud: Lętabitur Dominus in operibus ſuis.

Delinquere eſt peccare vel omittere, quę quiſquam facere debet. Vel vt ſcribit Paulus Corteſius eloquẽtiſſimus Theologus.li.ij.ſentẽtiarum di.iij.delinquere nihil aliud eſſe quàm ab amuſſi declinare actus ſui. Nam ſi vel ex rerum natura, vel ex moralium aut artificiorum ratione peccatum elicitur, id ſolum à recto non torquetur, cuius eſt formula ipſa agentis virtus. Diuinæ autem mentis voluntas ſola eſt amuſſis actus ſui, nulliſque ſuperioribus finibus circunſcribitur. At cæterorum quorumcunque voluntas nullam actus ſui formulam aſſequitur, niſi quatenus in rectum ab vniuerſitatis parente dirigatur. Ex quo quidem aſſumitur Deũ delinquere non poſſe, cætera autem delinquere poſſe conditionis naturæ ſuo modo, quo cõſtituto probatur cœlicum genus peccare potuiſſe hoc eſt Angelos per ſuperbiam, ſcilicet. Et à delinquere venit delictum, quod idem eſt quod peccatum. Et licèt omne delictum dicatur magnum (vt ſcribit Iacobus de Valentia in Pſal.18.) inquantum contra Deum committitur, tamen peccatum finalis impœnitentiæ & obſtinationis dicitur maximum, eò quod poſt mortem nõ poteſt per pœnitentiam deleri, quia non amplius eſt locus nec tempus pœnitentiæ. Dicitur autem delictum quaſi derelictum. Eſt enim boni deſertio.

Demeritum vt habet Rich.di.vlt.li.iiij. circa textum & li.ij.di.vij. dicitur culpa pro qua ſecundũ decretũ diuini iudicij infligi debet à iudice pœna peccati.

Demon

Dæmon ſecundum Guil. Scoti imitatorem li.ij.ſen. diſt.v.ſolet capi tripliciter. Vno modo idē eſt quod ſciēs, vnde in Latino interpretatur peritus vel ſciēs. Inde mali ſpiritus vocantur cacodęmones, id eſt malum ſciētes. Sed boni Angeli dicuutur eudęmones. Vel (vt alij dicunt) calodęmones, id eſt bonum ſcientes. Nam καλὸν Græcè Latinè dicitur bonum, ſiue pulchrū, ſiue honeſtū. Hinc Act.17. Athenięſes di. de Paulo quod nouorū dęmoniorū videretur annunciator eſſe, id eſt nouarum ſententiarum, vt patet ex textu ſequenti. Dixerunt enim eidem. Noua inſers auribus noſtris, ita quod dæmonium idem ſit quod ſcientia, & dæmon idem quod ſciens. Secundo modo dæmones dicuntur apud Platonem quidam ſpiritus naturæ ſubtilis aëreæ miræ cognoſcibilitatis ſiue bonus ſiue malus. Tertio principaliter dęmō accipitur in Theologia pro Angelo apoſtata, per peccatum obſtinato. Et eſt inuentum hoc nomen ex lingua Syriaca, ſcilicet dęmon, quaſi dimon à diuitiis & mammon. Mammon quippe in illa lingua diues dicitur: Dum igitur Angelus malus ſine merito voluit habere diuitias beatitudinis & diuinæ æqualitatis, rectè dæmon nuncupatus eſt. Siue per contrarium diues ironicè loquendo, id eſt pauperrimus ſeu miſerrimus. Hic omnibus nocere ſtudet. Vnde Aug. 8. de ciui. Dei dicit. Certum eſt dæmones eſſe ſpiritus nocendi cupidiſſimos, ſcilicet hominibus in anima & corpore, & à iuſtitia penitus alienos, ſuperbia tumidos, inuidentia liuidos, fallacia callidos, &c. Vnde Dei iuſtitia digni ſunt pœna. Concordat Paulus Corteſius. lib. ij. ſuarum ſententiarum diſt. iij. cum ait: Dęmonum genus eſt natura noxium, inuidiæ felle luridum, in fallēdo vaſrum ac inſidioſum, verriculum generis humani. Ideoq́ue in hominum corpora obrepere, ac vltro cítroque vexando concurſare, ſuapte natura poſſunt, nec eorum quidem appulſus animantium genus vllum expers videri poteſt niſi ſit cœleſti ſera aditus præcluſus. Vnde Gerſon parte. j. tracta. de erroribus circa artem magicam & articulis reprobatis ait. Tradit vera fides quod dæmones nequam ſunt ſpiritus, humanæ naturę hoſtes acerrimi, ſęuiſſimi, aſtutiſſimi, quorum violentiam improbiſſimamq́ue tyrannidem, ſi nō compeſceret & frænaret diuina bonitas, de hominibus actum eſſet quod ipſi funditus deperirēt. Iob 41. Non eſt poteſtas ſuper terrā quæ comparetur ei, attamen ſuus conatus omnino vanus eſt, niſi pro quanto permiſerit Deus. Permittit autem Deus propter obſtinatorum damnationem vel ad peccantium purgationem & punitionem, vel ad fidelium probationem & exercitationem, vel ad gloriæ Dei manifeſtationem. Et hoc latiùs declarat Gerſon. Accedit eidem quod haud quoque (vt ait Corteſius) eſt eorum naturæ negatum quin poſſint corporum integumenta arripere, in variaq́; figurarum genera transferri, quo calidius improuida hominum ingenia laceſſant, vt ſæpè in diuorum pugilata contigiſſe legimus, qui olfactu aduentantium præſtigias agnouerunt. Hæc Corteſius di. iij. libr. ij.

De dæmone ſuccubo & incubo, vnde dæmon (vt ſcriptis prodidit Gabr. diſtinct. viij. qu. j. ar. iij. li. ij.) poteſt alicui ſuccumbendo in aſſumpto corpore in ſpecie mulieris alicuius ſemen recipere & ſeruare illud in ſua naturali qualitate conuenienti naturali generationi quouſque trāſfundat illud in matricem alicuius fœminæ ipſi incubando. Et per hunc modum fœminas imprægnare, vbi nihil facit niſi quod primo recipit ſemen à viro, ei in ſpecie fœminæ incumbendo, & poſtea mouet illud localiter transfundendo in fœminæ matricem ei incubando. Et ſic ſi ſemen illud receptum & transfuſum non amittit ſuam vim naturalem & qualitatem conuenientem, poteſt per ipſum fieri conceptio & generatio, acſi primo de viro (à cuius corpore deciſum eſt) immediatè trāſfuſum fuiſſet in fœminam illam. De hoc B. Aug. xv. de ciui. c. xxxiij. dicit: Quoniam creberrima fama eſt, multique ſe expertos vel ab eis qui experti eſſent, de quorum fide dubitandum nō eſſet, audiſſe confirmant, ſiluanos atque faunos (quos vulgo incubos vocant) improbos ſæpè extitiſſe mulieribus, & earū appetiſſe & peregiſſe concubitum, & quoſdā dęmones quos duſios galli nuncupant, aſſiduè hanc immūdiciam & tentare & efficere plures taleſque aſſeuerant, vt hoc negare impudentiæ videatur. Hæc ille: Et hoc modo attribuitur angelo, non quidem bono (abſit enim vt tam vilibus ſe immiſceat) ſed malo, generare non quidem de ſua ſubſtantia generet, ſed quia conſtituendo ſe primo ſuccubum, deinde incubum, ſemen receptum transfundit. Nec dæmon ſic pater eſt pueri geniti, ſed vir à quo deciſum eſt illud ſemen, & à dæmone ſuccubo receptum. Et ita intelligenda ſunt quæ de incubis & ſuccubis in hiſtoriis & ſanctorum legendis leguntur. Gabriēl.

Denarius ſubſtantiuè genus eſt monetæ argenteæ quod denas libras æris valeret. Accipitur modo pro nummo, & in ſacra ſcriptura quandoque accipitur pro fœlicitate æterna. Vnde dicitur Matth. 20. Acceperunt autem ipſi ſingulos denarios. Quod verum eſt (inquit Scotus diſt. vlti. q. vj. li. iiij.) & exponitur de vita æterna, quam quilibet accipit. Aliter expono dicit Scotus quod ille denarius eſt eſſentia diuina, quæ eſt idem obiectum omnium beatorum, & datur omnibus ſub æquali ratione, quia infinita ex parte obiecti.

Denominare eſt nomen alicuius habere vel nominare. Et res quandoque denominantur à re poſitiua quam habet, vt ab anima rationali rationalis, ab albedine albus, à gratia gratus (vt ſcribit Gabriēl diſt. xxxiiij. q. vnica ar. j. lib. ij.) Aliquando à re aliqua qua caret, vt cæcus à carentia viſus, iniuſtus à carentia iuſtitiæ. Et ſecundum hoc aliquæ denominationes dicuntur poſitiuæ, aliquæ priuatiuæ, vel negatiuæ primarum denominationū abſtracta ſupponunt pro aliqua re ſeu entitate, vel pro pluribus rebus, ſecundarum verò abſtracta, non ſupponunt pro re aliqua, ſed important carentiā rei, vt tenebra nō ſupponit pro aliqua re, ſed dicit abſentiā lucis. Et propoſitiones affirmatiuæ de talibus abſtractis, vt verè ſunt accipiēdæ ſunt negatiuæ, vt ſi dicimus. Aſſumunt tenebræ accipienda eſt pro illa, non adeſt lux. Cæcitas ineſt oculo, id eſt oculus caret ſeu non habet viſum. Et cum dicitur malū eſſe in re aliqua, non aliud ſignificat niſi quod aliquod bonum non habet, quod habere debet. Et ita omnes affirmatiuæ in negati-

in negatiuas ſunt reſoluendæ. Hæc Gregorius de Arimino in diſtinct.xxxiiij.libr.ij. Similia habentur in de Ciuit.Dei, libr.xj.cap.x.de tenebra.Item lib.xiiij.cap.xj.de malo.& lib.xj.ca.xxij. de malo. Vide ibi & Gabriëlem vbi ſupra.

Dependere ab alio eſſentialiter intelligitur vno modo ſimpliciter & abſolutè (vt habet Gabriël diſtinct.ij. quæſt.x. libr.j.) Et Dominus Cardinalis Cameraceñ. quæſt.iij.artic.iij. ferè in fine libri primi. quia, ſcilicet ſine illo non poſſet eſſe vel conſeruari aliis quibuſcunque poſitis. Et ſic nihil eſſentialiter dependet niſi à ſolo Deo. Vnde idem Gabriël diſtinct.ij. quæſt.j. libr.ij. tam Angeli quàm ſubſtantiæ corruptibiles æqualiter depẽdent à Deo tanquam à cauſa conſeruãte. Alio modo ſecundum quid, quia, ſcilicet de facto ponitur in eſſe & conſeruatur ab illo, & ſine illo non fieret, nec naturaliter fieri poſſet, licèt bene abſolutè. Et ſic aliquid eſſentialiter dependet à cauſa creata, quia ſecundum curſum naturæ cauſatur & conſeruatur ab illa. Dominus Præpoſitus Gabriël in j. vbi ſupra, qui paulò antè dicit, quod ſecundum fidem omnis cauſa creata non ſolùm in eſſendo, ſed etiam in cauſando eſſentialiter dependet à Deo, & Deus à nulla cauſa dependet eſſentialiter cauſando. Item ſecundum fidem ſimpliciter & abſolutè nihil eſſentialiter dependet ab aliqua cauſa creata, ſiue in cauſari, ſiue in eſſe: hæc ſunt de mente Domini Cardinalis Cameraceñ. & aliorum. Dependentia verò accidentalis eſt, qua dependet accidens à ſubſtantia vel à ſubiecto ſuo: ſicut color dependet à pariete cui inhæret, & album à ſubiecto, &c.

Depoſitio, vt eſt pœna canonica eſt maxima (vt ſcribit Scotus diſtinct.xxv.quæſt.j.libr.iiij.) quia totalis amotio à ſtatu clericali. Etſi degradatio ſit amotio ab omni gradu clericali, tunc idem eſt depoſitio & degradatio. Si autem degradatio ſit depoſitio tantum à determinato gradu, reſeruato tamẽ gradu alio, ſicut à ſacerdotij gradu, remanet gradus clericalis, tunc degradatio eſt quædam partialis pœna reſpectu depoſitionis. Amouetur autem à ſtatu & gradu clericali, non quod character ordinis ſibi tollatur, nec per conſequens ordines ſuſcepti, ſed tollitur licentia exercendi actum cuiuſlibet ordinis. Et etiã priuilegium illud quod competit ordinatis: vnde talis traditur curiæ ſeculari, ita quod & quantum ad actus Eccleſiaſticos & tutelam perſonarum Eccleſiaſticarum, quantum ad forum totaliter excluditur de numero Eccleſiaſticarum perſonarum. Et iſta pœna nunquam à iure, ſed præciſe infligenda eſt à Iudice. Forma autem ſecundum quam infligenda eſt, habetur extra de pœnis. Degradatio eſt hodie. in vj.libro. Cauſæ autem propter quam infligenda eſt, ſunt peccata enormia, vtputa hæreſis, ſchiſma, reuelatio confeſsionis. De primo extra de hære. ad abolendam. De ſecundo extra de ſchiſmaticis. abſcindendos in vj.libr. De tertio extra de pœn. & remiſ. Omnis vtriuſque ſexus. Iſta autem pœna, vt idem Scotus dicit, non remittitur niſi per reſtitutionem integram, ab eo, qui poteſt reſtituere, qui ponitur ſolus Papa, quamuis legitimè depoſitus non legatur poſtea reſtitutus.

Depoſitum eſt, quod cuſtodiendum alicui datum eſt. Differt autem à mutuo, quia depoſitum datur ad vtilitatem dantis, ſed mutuum ad vtilitatem accipientis. Beatus Thomas ij.ij.quæſt.lxij.art.vj. vnde depoſitarius.

Depoſitarius (vt habet Gabriël diſtinct.xv.quæſt. x. artic.iij. dubio.ix. libr.iiij.) eſt cui res mobilis ſeu potens ſe mouere traditur ad cuſtodiendum. Nam in rebus immobilibus depoſitio locum non habet, niſi fortè vbi à pluribus res quæ eſt in controuerſia pro ſequeſtre deponitur, vt in gloſ. cap. bona fides. de depoſito. Et quandoque in depoſito dominium non transfertur, ſed remanet apud depoſitorem: ſimiliter & facultas vtendi depoſito. Ideo cùm repetitur depoſitum, reddendum eſt. Et depoſitarius non poteſt vti re depoſita, aliàs furtum committeret, vt dicit Angelus in ſumma Depoſitum.§.xij. allegans.l. qui furtum.ff.de condi. furti. Sed excipiuntur duo caſus. Primo ſi pecunia non obſignata deponitur. Secundus dum depoſitarius præſumit deponentem permiſſurum. Et lex depoſiti comprehenditur in cap. allegato Bona fides. & eſt Greg.ix. vbi dicitur: Bona fides abeſſe præſumitur, ſi rebus tuis ſaluis exiſtentibus depoſitas amiſiſti. De culpa quoque teneris, ſi teipſum depoſito obtuliſti: vel ſi aliquid pro cuſtodia recepiſſes. Ex quo habetur quod depoſitarius tenetur facere diligentiam in cuſtodia depoſiti quam communiter homines facere ſolent in ſuis: quam ſi non faceret & depoſitum perderetur, tenetur ad damni reſtaurationem deponenti. Vide latiùs Gabriëlem vbi ſupra. Et depoſitarius ſemper tenetur reſtituere depoſitum depoſitori petenti, niſi deponens eſſet furioſus, tunc nec gladius depoſitus eſt reddendus. Et niſi deponens poſt depoſitum fuerit deportatus & bona eius publicata; tunc enim deferendum eſt in publicum. Et niſi fur deponens furtum, tunc dominus rei præponendus eſt. Et quando fur depoſuit apud dominum cui ſurripuit, in his caſibus non tenetur reddere. Extra hos caſus qui non reddit depoſitum dum petitur, committit furtum, & condemnatus ſuo nomine efficitur infamis, vt in.l.furti. §.Si quis alieno.ff. de his qui notã.infa. Idem ſentit Angelus.

Deſiderare idem quod cupere. Ponit autem Iacobus de Valentia in Pſalm.Beati immaculati, differentiam inter cupere & deſiderare. Nam cupere eſt finem appetere, ſed deſiderare eſt conatum apponere per ea quæ ſunt ad finem. Vnde attritus cupit felicitatem, & non peruenire ad pœnas debitas ex peccato, ſed non vult dimittere illud quod inducit peccatum, ſcilicet rem ablatam, aut mulierem aut vindictam, & ſic non facit pœnitentiam, per quam debet conſequi finem primò cupitum: & ſic talis cupit deſiderare, ſed impeditur conatus eius per paſsionem. Hæc Valentia. Et ſecundum eundem illa habent ſe per ordinem; ſcilicet deſiderare, eſurire; ſiue petere & facere. Vnde deſiderare idẽ eſt quod aliquid cupere vel appetere. Sed eſurire vel ſitire, idem eſt quod cum toto affectu & conatu talem rem deſiderare, id eſt cum tali deſiderio ad conſequendã rem deſideratã totum conatũ apponere.

Facere autẽ eſt rem deſideratã per effectũ adimplere. Vide latiùs ibi Epiſcopum Chriſtopolitanum. Et aliquid dicitur deſiderare tripliciter. De quo vide ſupra in dictione Appetere.

Deſideriũ (vt ſcribit B. Tho. ij. ſen. d. xxvj. q. j. ar. iij) eſt motus appetitus in amabile, & inchoatio amoris. Et differt ab amore, quia deſideriũ eſt de bono nõ habito: ſed amor eſt de bono abſolutè. Idẽ Tho. par. j. q. xx. ar. j. Eſt & deſideriũ quieſcẽdi cũ Chriſto. Et hoc poteſt venire ex duplici cauſa, vt habet S. Bona. d. xxix. li. iij. in dub. liter. Vel ꝓpter tædiũ malorũ præſentiũ, vel ꝓpter cõtemptum terrenorũ & abundantẽ prægustationẽ cœleſtiũ. Primo modo eſt ſignum imperfectionis nõ perfectionis, quia ſic recuſat laborare. Secũdo modo eſt ſignũ perfectionis, quia nõ recuſat laborare: ſed ſpiritus tãto amoris deſiderio ſtringitur, quod vix poteſt inter ſe & Deum interpoſitionẽ corporalẽ parietis ſuſtinere. Vnde hoc ſignũ eſt quod amat Deum perfectè.

Deſiderium efficax (vt ſcribit Occã in ſuo. iij. q. viij. eſt quo aliquis ſtatim oſtẽſo ſibi per fidẽ quod fruitio Dei per quã Deus habetur eſt ſibi conferenda propter merita, ſtatim elicit actum meritoriũ ſi poteſt. Concordat Dominus Cardi. Came. q. vnica, li. iij. ſenten. Vnde ſecundũ eũ duplex eſt deſiderium: Vnũ eſt reſpectu poſsibiliũ, quãdo aliquis efficaciter deſiderat aliquid tanquã poſsibile haberi ab eo, & illud nõ eſt in deſperãtib᷒. Aliud eſt reſpectu impoſsibiliũ, ſcilicet quando aliquis deſiderat aliquid, & credit illud ſibi eſſe impoſsibile: & illud poteſt eſſe in deſperantibus. Vnde actus ſpei eſt deſideriũ efficax quo quis ſtatim oſtẽſo per fidẽ, quod beatitudo eſt ſibi cõferenda propter merita, ſtatim elicit actũ deſiderij meritorij, qui non poteſt eſſe in deſperãtibus. Hæc Card. Eſt præterea deſideriũ ſanctũ & deſideriũ aridũ, quo quis nũc ſubitò deflectitur, nunc ad theatra, nunc ad ſpectacula, nunc huc; nunc illud. De quo legito Gerſonem parte iij. de mendicitate ſpirituali parte j.

Deſperatio eſt qua quis diffidit ſe cõſequi poſſe quod ſperandũ eſt; vel quãdo ex falſa æſtimatione propter peccata quæ fecit, vel bona quæ omiſit, deſperat de Dei miſericordia, credẽs Deũ nolle vel nõ poſſe ſibi parcere vel in gratiã recipere. Et ſecundũ B. Tho. nõ importat ſolũ priuationẽ ſpei, ſed receſſum à re deſiderata ꝓpter impoſsibilitatẽ exiſtimatã. Et poteſt deſperatio capi dupliciter, vt ſcribit Dominus Cardi. Came. q. xij. ar. iij. li. j. Vno modo impropriè pro firma credulitate qua quis credit ſe eſſe dãnandum, vel diffidit ſe eſſe ſaluandũ. Alio modo ꝓpriè pro firma credulitate qua quis credit, quod ſi faciat quod in ſe eſt pro ſtatu viæ ad habendũ beatitudinẽ, adhuc non habebit eũ. Vnde talis actus eſt directè oppoſitus actui ſpei, & non primus. Et vt idẽ vult, propter nullũ ſignũ extrinſecũ à quocunq; factũ poteſt viator de cõmuni lege obligari ad credendũ ſe damnandũ, ſed debet ſemper indubitanter ſperare, quod ſi faciat quæ ſunt legis Chriſti, ſaluabitur, & ad hoc debet laborare & diuinũ auxiliũ implorare, &c. Nemo ergo deſperare debet de Dei miſericordia, quãtumcunq; etiã grauiter & innumerabiliter peccauerit, ſed toto corde (vt ſcribit Gerſ. part. iij. tract. pro deuotis ſimplicib.) doleat, quia tam dulciſsimũ Dominũ inhonorauit propter ſua peccata, & in futurũ cauere proponat, & ſic dubitare nõ habet, quin diuina pietas ſecũ miſericordiã faciat. Vide latiùs ibi Gerſ. magnũ cõſcientiæ conſolatorem. Vnde Lactan. li. 6. diuin. inſtit. c. 24. ait: Nec tamen deficiat aliquis aut de ſe deſperet, ſi aut cupiditate victus, aut libidine impulſus, aut errore deceptus, aut vi coactus, ad iniuſtitiæ viam lapſus eſt; Poteſt enim reduci ac liberari ſi eũ pœniteat actorũ, & ad meliora cõuerſus, ſatis Deo faciat. Nõ autẽ omnis deſperatio eſt peccatũ in ſpiritũ ſanctũ, vt ſcriptis reliquit Gabr. d. xliij. q. vnica, li. ij. & S. Bona. eadẽ di. Nõ enim illa quę venit ex puſillanimitate, ſed illa quę oritur ex certa & diffinita malicia in qua vult vitã finire & præferẽs iniquitatẽ ſuã diuinę miſericordiæ, cõtemniens miſericordiã Dei, ſed quod dicit Sapiẽs: Impius cùm in profundũ venerit, cõtemnit, quãdo tanta profunditate malicię abſorbetur, vt nõ velit Dei miſericordiã ſibi ſubuenire, ſecundũ quod fecit Cain, qui dixit: Ecce à facie tua eiicies me hodie, & maior eſt iniquitas mea, &c. Vnde tales deſperatiſsimi homines frequenter ſibi ipſius mortem conſciſcunt vel inferunt.

Detractio eſt denigratio alienę famæ per occulta verba ſecundũ B. Tho. ij. ij. q. lxxiij. arti. iij. Detractio eſt ſeminatio mali occultè in proximi iniuriam. Et differt à cõtumelia, quia contumelioſus per aperta dicta intendit honori derogare. Detractor verò in abſentia proximi eius famã lędit. Tho. Detractatio, vt dicit Gerſ. in reg. moral. eſt diminutio famæ alterius occulta, &c. De hac non parum multa habes apud Anto. part. ij. ti. viij. c. iiij. ſummæ. Et Gerſon de ea in multis locis ſcribit & aliàs.

Deuotio eſt motus mẽtis in Deũ, vt dicit Sco. q. xx. quotlibet. S. Tho. ij. ij. quæſt. lxxxij. ar. iij. & iiij. & Aſtaxanus in ſum. li. v. tit. xxvij. Deuotio eſt quidã actus volũtatis ad hoc quod homo ſe tradit diuino obſequio: vel deuotio eſt volũtas prompta faciẽdi, quod ad Dei ſeruitiũ pertinet, ſecundũ B. Tho. ij. ij. q. lxxxij. art. j. Dicitur autẽ deuotio à voueo, quod eſt aliquid Deo ſanctè ꝓmitto. Vnde & huius promiſsio votũ dicitur. Deuotio ſecundũ Docto. nominatim Hugonẽ in ſuo de oratione: vt & refert Gerſ. tract. vij. ſuper Cant. Mariæ, eſt eleuatio mentis in Deũ per piũ & humilẽ affectũ fide, ſpe, & charitate, ſubnixũ, & mens deuota eſt in incipiẽtibus, deuotior in proficiẽtibus, deuotiſsima in perfectis. Collectio autẽ mẽtis per deuotionẽ nihil aliud eſt quàm eleuatio. Nõ enim poteſt mẽtis eleuatio fieri ad Deũ per pium & humilẽ affectũ, quin colligatur ad vnitatẽ, in qua vnione tradit diuinus Dionyſius myſteriũ cõſiſtere Theoſophiæ Chriſtianorũ, &c. Et de deuotione multa Gerſ. in multis ſuorũ operum tractatibus. Et deuotus dicitur qui eleuat mentem in Deum, vt ſupra. Dicitur & religioſus, qui vouit paupertatem, obedientiam & caſtitatem. A quo deuotè, id eſt piè. Vnde deuotè cõmunicare is dicitur, (vt ſcribit Palud. d. xij. q. j. li. iiij.) qui conatur omne diſtractionẽ & euagationem mentis expellere & non deliberatè eam tenet.

Deus. Iſte terminus Deus ſex modis capitur, ſicut notat Stephan. Brule. in prolog. j. ſen. & S. Bona. d. iiij. q. iij. li. j. ponit triplicem acceptionem. Primo

modo

modo nuncupatiuè vel abuſiuè, vt in Pſal.95.Omnes dij Gentiũ dæmonia.Et Apoſt.1.ad Corinth.8. Siquidem dij multi,& domini multi. Secundo accipitur adoptiuè, vt in Pſalm.81.Ego dixi dij eſtis, & filij excelſi omnes. Sic quilibet electus dicitur hoc modo filius Dei per adoptionem. Tertio dignificatiuè pro hominibus in dignitate exiſtẽtibus, vt Exod.32.Diis non detrahas, id eſt Prælatis. Et Exo.21.Offerat eum Dominus Diis. Quarto modo poteſtatiuè. Vnde Dominus ad Moyſen Exod. 7.Ecce conſtitui te Deum Pharaonis,hoc eſt poteſtatem dedi contra ariolos, & deos Pharaonis. Quinto modo ſollicitudinaliter, vt Apoſt.ad Philip.3.Quorum deus venter. Tales enim tantam de ventre habẽt ſollicitudinem, vt obliuiſcantur Dei. Sexto capitur eſſentialiter, ſiue naturaliter, vt ſic: Deus eſt pater,& filius,& ſpiritus ſanctus, vt dicit S.Augu.in ſer.quodã de Martyrib.Quis eſt Deus? reſpondit pater & filius & ſpiritus ſanctus:hoc modo accipitur quãdoq; perſonaliter, quãdoq; eſſentialiter, & hoc valde attendendũ eſt (inquit Iaco. de Valen.trac.iij.reg.j.prolo.in Pſalteriũ)in legendis & exponẽdis ſacris ſcripturis,quando eſt actus eſſentialis,& quãdo perſonalis,habet namq; diuerſam ſuppoſitionẽ terminus Deus in ſacra ſcriptura, vt ſcribit Brulef.d.vj.q.ij.li.iij.Aliquãdo enim ſupponit pro perſona diuina. Aliquãdo eſſentia diuina cõmuni tribus perſonis. Vnde Pſal.Propterea vnxit te Deus,Deus tuus oleo lętitię.Primũ Deus ſupponit pro perſona filij.Secundũ Deus ſupponit pro perſona patris. Et illud Exo.Audi Iſraël,quia Dominus Deus tuus vnus eſt,id eſt eſſentia diuina vnica eſt & indiuiſibilis. Et Aug.in li.de Tri:Deus eſt pater & filius. Et illud Gen. In principio creauit Deus cœlũ & terrã:Deus ſtat eſſentialiter,eò quòd creare eſt actus eſſentialis,& ſic cõuenit toti Trinitati,inquantũ Deus. Itẽ quãdo dicitur Exo.3. Ego ſum Deus Abrahã, Deus Iſaac: Deus ibi ſtat eſſentialiter.Sed quãdo dicitur Pſal.2.Dominus dixit ad me: filius meus es tu,ego hodie genui te: ly Deus ſtat perſonaliter, quia pro perſona patris tantũ, eò quòd dicere & generare eſt actus perſonalis,& notio ipſius patris,& ly ad me ſtat pro perſona filij ad quã loquitur pater.Prudẽs itaq; Lector (inquit Valentia.) & fidelis attendat tales locutiones,quando ſunt eſſentiales,& quando perſonales,&c. Et quia Pagani (vt idem ſcribit trac.iiij.prologi in Pſalte.) appellãt etiã deos idola ſua: ideo ad differentiã falſorũ deorũ multoties in ſcriptura dicitur:Deus exercituũ,Deus cœli,& Deus Iſraël, ad denotandum quod iſte ſolus eſt verus Deus,& dij Gentium ſunt dæmonia,&c. Item in iſta propoſitione:Deus genuit Deum,&Deus eſt homo:Deus non ſupponit pro natura diuina,ait Brulef. ſed pro perſona, quia iſta deitas genuit,vel eſt homo,eſt hæretica,&c.

Deus, vt quidã putant,dictus eſt à dando,quia omnibus dat quicquid commodum eſt eis. Vel dicitur eò quòd nihil deſit,vel à θεός, Theos quod Deum ſignificat,vel ἀπὸ τοῦ θεῶ,quod eſt video & ſpeculor, quia per omnia peruigil contemplatur & videt,vel ἀπὸ τοῦ δείδω, id eſt timeo,quod mortalib⁹ ſit timendus. Et Deus propriè diffinitionem non habet,& quid ſit Deus ſcire non poſſumus,ait ſanctus Thomas j. parte, quæſt.j. artic.vij. dantur tamen de eo deſcriptiones. Vnde Occam quotli.j.quæſt.j.Deus eſt ens omni alio perfectius,vel quo nihil eſt perfectius.Et quamuis Deus non ſit propriè diffinibilis, eſt tamen deſcriptibilis,vt vult Brulefer. Et ad deſcribendum Deum (vt ait Dominus Cardinalis Cameraceñ.quæſt.iij.artic.iij.lib.j.ſeñ.)non oportet omnes conditiones & proprietates includere in eius diffinitione, quia hoc nobis foret impoſsibile, ideo dicunt aliqui quod ſufficit omnes vel plures, vel aliquas earũ de ipſo notiores, & ſibi ſoli cõpetentes in eius deſcriptione ponere,& inde eſt quod eius dantur diffinitiones diuerſæ à diuerſis, vt patet in libris ſanctorũ & doctorũ. Et ſecundũ eundem ad cõuenienter deſcribendũ Deum, ponit hanc regulã,quod Deus debet deſcribi per illud quod communiter cõceditur Deo conuenire ab omnibus,qui concedunt Deũ eſſe,vt dicendo quod Deus eſt ens ſumme bonũ & perfectiſsimũ in entibus. Et ſicut ſuperlatiuus poteſt dupliciter exponi affirmatiuè & negatiuè:ſic iſte terminus: Deus poteſt habere duplicem deſcriptionẽ. Prima eſt quod Deus eſt ens omni alio à ſe melius & perfectius. Secunda eſt q, Deus eſt ens, quo nihil eſt melius vel perfectius. Hæc Aliacẽ. Vel Deus eſt ens perfectiſsimũ.Et Anſelm.Deus eſt quo maius excogitari nõ poteſt,&c. Vnde quicquid perfectionis eſt, Deo attribuẽdum eſt.Hinc maxima apud Theologos eſt.Omnis entitas perfectionẽ dicẽs,eſt attribuẽda Deo in ſummo ſicut ſimplicitas.Omnis autẽ entitas importãs imperfectionẽ remouẽda eſt à Deo. Et cùm Aug.dicit v.de tri.cap.v. quod omne quod dicitur de Deo,dicitur ſecundũ ſubſtantiã vel reſpectiuè,& nihil ſecundũ accidẽs.Dicendum quod ibi loquitur de illis prædicatis,quæ cõueniũt Deo ſecundũ naturã diuinam,& eius intrinſeca, & nõ reſpectu creaturæ ad extra,quia quædã ex tẽpore dicũtur de Deo ſecundũ accidẽs,id eſt cõtingenter,vt Dominus,creator, refugiũ,& ſimilia,quę cõtingenter dicũtur de Deo, nõ propter mutationem Dei,ſed creaturæ,vt docet Magiſt.d.xxx.li.j.& habet hoc Gab.d.vij.q.vnica ar.iij.dub.iiij.in fi.li.iij.ſeñ. Itẽ ſecundũ Catholicã veritatem (vt ſcribit S.Bona.d.vij.q.j.ar.j.lib.iij.) abſq; dubio neceſſe eſt cõcedere hominẽ eſſe Deũ, & Deũ hominẽ,pro eo quod duæ naturæ ibi vnitæ ſunt in vnã perſonã:quę aũt in vno ſuppoſito vniuntur neceſſario de ſeinuicẽ prædicãtur,ſi accipiantur cõcretè propter illã maximã qua dicitur: Quæcunq; vni & eidẽ ſunt eadẽ,inter ſe ſunt eadẽ.vide Gab.dub.vbi ſup.&dub.j.Itẽ cùm dicitur:Deus eſt homo:vno modo eſt ſenſus,id eſt factũ eſt vt Deus eſſet homo,& hoc quidẽ fuit in tẽpore incarnationis,& eſt ſenſus verus, vel intelligitur Deus factus eſt homo,id eſt Deus eſt homo:qui quidẽ factus eſt ſiue productus,& hoc quidẽ verum eſt. Vide latiùs Bona.q.ij.v.vbi ſup.& Gab.ar.ij.cõcluſ.v.vbi ſupra. In opere autẽ incarnationis factũ eſt, vt Deus ſit homo, non ſecundum aliquam tranſmutationem factam in Deo, ſed ſecundum tranſmutationem factam in altero extremo S.Bonauent.

Deus propter diuerſos effectus diuerſa ſortitur vocabula (vt dicit Magiſter diſtinct.xxxv.libr.j. Et Gabriël poſt eum refert, libr.j. diſtinct.ij.quæſt.j. dubio .iiij. quamuis in Deo nulla ſit diuerſitas, vel mutatio, ſed ſolùm in factura ſiue creatura, ſic dicitur

ſic dicitur prædeſtinare aliquem,& præſcire ali um quia vult illi dare gloriam,hunc verò damnare. Sic conceditur Deus intelligit malū, & nō admittitur: Deus vult malū,quia in illa,Deus vult malum importatur Deū aliquid facere cōtra prohibitionem. Sed illa,intelligit malū,importatur Deum permittere malum fieri. Et Deum naturaliter velle eſt ipſum rem aliquā neceſſario in eſſe ponere , ſeu producere:ſed conſtat quod Deus cōtingenter producit ad extra,& nō neceſſario:intelligit autē naturaliter quicquid intelligit,quia quicquid intelligit neceſſario eſt,vel in eſſe reali vel in eſſe obiectiuo. Latiùs Gabr. vbi ſupra. Deum autē diuerſa ſortiri nomina habet S.Bonauē. in breuiloquio, & poſt eum ſcribit Gerſon in centilogio de conceptibus partitione iiij. Dicitur enim lux,vt eſt ratio cognoſcendi omnia. Dicitur ſpeculum,vt eſt ratio cognoſcendi viſa,& approbata. Dicitur exemplar,vt eſt ratio cognoſcendi prædiſpoſita. Dicitur liber vitæ,vt eſt ratio cognoſcendi prædeſtinata & approbata. Eſt igitur liber vitæ reſpectu rerum redeuntiū. Exemplar,vt exiſtentium. Speculum,vt euntium . Lux reſpectu omnium . Et ad exemplar ſpectat idea, verbum,ars,& ratio. Idea ſecundum actum prȩuidendi. Verbū ſecundum actū proponendi. Ars ſecundum actum proſequēdi. Ratio ſecundū actum perficiendi, quia ſuperaddit rationem finis vel intentionem. Cognoſcit inſuper contingentia infallibiliter,mutabilia immutabiliter, futura præſentialiter,temporalia æternaliter,quia per ſeipſum eſſentialiter. Dicitur & Deus Leo, propter fortitudinem , lapis propter durabilitatem , agnus propter manſuetudinem,Sol propter illuſtrationem,& ita de reliquis. vt idem habet Gerſon de ſimplificatione & mundificatione cordis notula.vij. quæ non ſecundum eſſentiam,ſed per ſolam attributionem, & per analogicam ſimilitudinem de Deo loquimur. Sed ſpeciale nomen ab eſſe ſumitur,vt inquit Gerſon tract. de illuminatione cordis nomen dicit: illud nomen eſt ens ſimpliciter, vel ens purum, vel ens vniuerſaliter perfectum,vel ens quo maius nequit intelligi , & tale eſt ſolus Deus, quo non eſt maius nomē ſanctificandū in ſeculis, dicente Deo: Ego ſum qui ſum,&c. Et de nominibus Dei,vide in dictione Nomen infra.

Deus & Deitas habent ſe vt concretum & abſtractum. Deus ratione ſui modi ſignificandi ſupponit pro ſuppoſito ſiue perſona. Ita quod ſi ſuppoſitum in diuinis realiter differret à deitate ſiue eſſentia diuina, ſicut ſuppoſitum verbi realiter differt à natura humana aſſumpta non ſupponeret pro eſſentia ſecundum proprietatem ſermonis . Quia verò eſſentia diuina, & perſona non diſtinguuntur realiter ſed formaliter & ſunt vnum : ideo ex vſu loquendi ſupponit pro ſuppoſito , & etiam pro natura diuina reſpectu cuiuſlibet prædicati , potentis conuenire tam naturæ quàm ſuppoſito, ita vt loco eius poteſt poni tam nomen naturæ quàm ſuppoſiti. Quando autem Deus ponitur reſpectu termini vel prædicati eſſentialis ſupponit pro eſſentia . Sed quando reſpectu termini vel prædicati notionalis ſupponit pro perſona. Et hoc intelligitur quando ponitur reſpectu termini præciſę ſupponentis pro ſuppoſito vel eſſentia, & hoc rationabiliter . Tum propter identitatem naturæ diuinæ & ſuppoſiti. Tum etiam propter hæreticos , ne ſi Deus præciſe ſupponeret pro ſuppoſito multæ propoſitiones eſſent concedendæ, quę per aſtutiam hæreticorū ſimplicibus propoſitæ eſſent occaſio errandi & credendi pluralitatem deorum ac diuinæ eſſentiæ. Vnde & ſanctus Bonauentura diſtinct.iiij.quæſt.iiij. in fine libr.j. dicit quod nomen Deus habet naturam termini communis & termini diſcreti. Termini communis propter pluralitatem ſuppoſitorum. Termini diſcreti,quia ratione formę non multiplicabilis,vel ratione vnius eſſentiæ, & hoc ſupra paret. Et nota (vt ſcribit Gabriël.iiij.quæſt.j.artic.j. libr.j. quando Deus ponitur cum ſigno alietatis aut importante pluralitatem ſupponit eſſentialiter. Et hoc ne ſi cōcederetur quod pater eſt alius Deus à filio, ſimplices putarent eſſe plures deos. Cauent enim Doctores ne detur occaſio errandi ſimplicibus, quo credant eſſe plures deos eſſentialiter diſtinctos, quo modo errant idolatræ . Et ideo illæ negantur : Deus genuit alium Deum , pater & filius & ſpiritus ſanctus ſunt tres dij, quamuis concedatur , quod perſona diuina genuit aliam diuinam . Similiter pater & filius & ſpiritus ſanctus ſunt tres perſonæ. Similiter illa cōceditur: Filius eſt alia perſona à perſona patris, & non illa : Filius eſt alius Deus à Deo patre. Cuius ratio,quia perſona ſuppoſitū ſupponunt tantū pro perſona , & nunq̄ pro eſſentia, qui nō prædicantur niſi de illo de quo formaliter prędicantur. Deus autē ex vſu ſupponit tā perſonaliter,id eſt pro perſona,q̄ eſſentialiter pro eſſentia,vt ſupra dictū eſt. Et hæc propoſitio: Deus genuit Deū ſecundū ſermonis proprietatē eſt cōcedenda,vt etiā vult Magiſter, & ratione probat Gabriël ar.ij. vbi ſupra. Sed ſecundū vſum ſanctorum non eſt concedenda iſta: Deus non generat Deum, patet,quia valet illā : Nihil quod eſt Deus generat Deū,quæ eſt falſa. Verū de rigore verborū videtur concedenda , quia Deus de rigore verborum non diſtribuitur: & cùm ſupponit pro quolibet ſuppoſito in diuinis, valebit illam. Aliquod ſuppoſitum diuinum non generat,quæ eſt vera,quia filius non generat. Nec illæ ſunt cōtradictoriæ: Deus generat Deum: Deus non generat Deū,quia in neutra ſubiectum plenè diſtribuitur,nec plenè ſingularizatur. Gabriël . Et pater de ſe genuit alterum ſe, id eſt vt exponit Magiſter, à ſe:non vtiq; alterū Deum,ſed alteram perſonam:vel genuit ſe alterum,id eſt genuit alterum,qui hoc eſt quod ipſe. Item illa conceditur: Deus eſt pater & filius & ſpiritus ſanctus, quia Deus hic ſupponit pro eſſentia diuina,quæ eſt tres perſonæ:ergo & Deus eſt tres perſonæ. Gabr. q.ij. vbi ſup. Vide & de hoc S.Bona.d.iiij.q.j.lib.j. Item illę propoſitiones: Deus ſperat, Deus creat,nō ſunt eodē modo veræ: nam Deus in prima ſupponit notionaliter: in ſecunda verò eſſentialiter,&c.

Deus, &c. In Deo nihil eſt realiter niſi eſſentia, relatio & perſona, ex eſſentia & relatione conſtituta, & conſtitutum ex eſſentia & ſpiratione actiua: & hæc omnia identificantur eſſentiæ : ideo nulla in Deo diſtinguuntur eſſentialiter , quia omnia quæ in Deo ſunt,ſunt vna & indiuiſibilis & ſimpliciſsima eſſentia, vt habet Gabriël q.ij. prologi, & aliàs diſt.ij.li.j. Relationes verò oppoſitæ diſtinguuntur

realiter

realiter inter ſe & nõ ab eſſentia. Vide latiùs Gabr. vbi ſup. Et io diuinis nõ eſt diſtinctio rationis. Omnia enim quæ ibi ſunt, res & ſumma res ſunt. Res autẽ nõ diſtinguit à re ratione, vt aliàs fuſius dicit.

Deus prout eſt ſubiectũ, accipitur aggregatiuè, vt eſt primum ſubiectũ Theologiæ. Et Deus ſub ratione deitatis eſt primũ ſubiectũ Theologiæ perfectione reſpectu creaturarũ, ſed reſpectu perſonarũ etiã eſt aliqua prioritate primum. Sic Chriſtus poteſt poni ſubiectũ primũ prioritate continentię, quia cõtinet naturã diuinã & creatã. Similiter res & ſigna poſſunt poni ſubiectũ propter prioritatẽ cõmunitatis, quia quęcunq; tractãtur in Theologia, ſunt res vel ſigna. Sed Deus ſub ratione redẽptoris vel ratione glorificatoris, nõ eſt ſubiectũ, quia illæ rationes nõ ſunt rationes ſubiecti, ſed magis prędicati. Hę enim ſunt propoſitiones Theologicę, Deus eſt redẽptor, Deus eſt glorificator, vbi ratio redẽptoris & glorificatoris reſpiciũt prædicatũ & nõ ſubiectũ. Sed accipiendo ſubiectũ pro rę ſignificata, pro qua ſupponit ſubiectũ ſciẽtię in aliqua parte Theologię: Deus ſub ratione deitatis eſt ſubiectũ in aliqua pater, in aliqua filius, in aliqua ſpiritus ſanct⁹, in aliqua creatura, quia illud eſt ſubiectũ pro quo ſupponit ſubiectũ cõcluſionis. Sed capiẽdo ſubiectũ pro termino ſupponẽte, ſic Deus nec res aliqua extra animã quę nõ eſt, ſignũ eſt ſubiectum Theologiæ, nec totalis, nec partialis. In diuerſis autem partibus Theologię diuerſa ſunt ſubiecta, vt habet Gab. q. ix. prolo. De quo vide & infra in dictione Subiectũ. An autem Deus ſit in genere prædicamẽtali cõſulito Gabr. d. viij. q. j. li. j. qui vult, quod nihil indignũ aut imperfectũ Deo attribuitur, cùm in prædicamẽto vel ſub genere ponitur, cùm nihil per hoc intelligatur, niſi ꝙ Deus per aliquod nomẽ quod in prædicamento ponitur, ſignificatur, & ſic in multis prædicamẽtis poteſt poni, quia per terminos horũ ſignificari poteſt, ſcilicet ens ſubſtãtia ſpiritus, ſapiẽs, viuens, pater, filius, ſpiritus ſanct⁹, creator, amatus, cognitus: etiã per abſtracta deitas, entitas, eſſentia, vita, ſapientia, paternitas, creatio, amatio, cognitio, &c. ſed illa res ſumma quæ eſt Deus, nõ eſt in prædicamento, quia res quædam eſt, quæ nec ſubijcitur, nec prædicatur, ſed terminus Deus eſt in prædicamento ſubſtantiæ: latiùs ſcribit Gabr. vbi ſupra. Aliquì tamen aduerſantur, & oppoſitum tenent, quam controuerſiam in Logica ſcripſimus, &c.

Deus vt eſt res, & nõ terminus, nihil operatur neceſſario ad extra, vt habet cõmune dictũ Theologorum, ſed nõ agit ſine creatura frequenter, vt habet Gabr. d. j. q. j. ar. iij. li. iiij. Itẽ Deus eſt vbiq; per eſſentiã, præſentiã & potentiam, vt pulchrè deducit Occã di. xxxvij. li. j. & aliàs patet. Itẽ omnia dicuntur eſſe in Deo obiectiuè virtualiter & eminenter, ſecundũ Magiſt. di. xxxvj. li. j. obiectiuè, quia ſunt obiecta cognita: virtualiter, quia ſunt effectus producti: eminenter, quia ſunt minus perfecti: de hoc vide latiùs Gabr. d. xiij. q. vnica. li. iij. Item in Deo longitudo eſt longanimitatis, latitudo charitatis, ſublimitas miſericordiæ, & profundũ iuſtitiæ, ſiue ſapientiæ, quantũ ad Dei iudicia, vt ſcribit ſanctus Bonauen. d. xxxvij. li. j. in dubiis literalibus, &c.

Deus, &c. Deum velle creaturã, eſt producere creaturã, ſecundũ illud: Omnia quæcunq; voluit fecit. Sed Deũ intelligere creaturam, eſt Deum apprehendere creaturam, vt obiectum. De ratione autẽ obiecti non eſt vt fiat. Et ideo licet intelligere, & velle Dei, idem importãt in Deo, ipſam, ſcilicet diuinam eſſentiam, non tamẽ eodem modo connotant creaturam, quia intelligere cõnotat creaturã in eſſe obiectiuo poſſibili. Velle in eſſe actuali, vt patet Gab. diſt. xxxviij. q. vnica. dub. vj. lib. j.

Deum diligere aliquid à ſeipſo, eſt ipſum illi bonum tribuere eo modo quo vult, ſcilicet nunc ſiue præſentialiter, ſi vult bonum tale nunc ineſſe, aut in futuro, ſi vult illud bonum in futuro dare. Gabr. diſt. xxxij. q. vnica. ar. j. lib. iij. & latiùs vide in dictione Diligere infra.

Deus, &c. Deum humiliare, poteſt intelligi dupliciter, vt ſcribit S. Bonauẽ. d. j. ar. ij. q. j. li. iij. aut in ſe, aut in ratione ſibi vniti. In ſe quidẽ cùm ſit omnino immutabilis, nec poteſt humiliari, nec poteſt exaltari. Ratione autem ſibi vniti poteſt humiliari ad maiorem manifeſtationem ſuę altitudinis, ſicut poteſt infirmari ad maiorem manifeſtationẽ ſuæ fortitudinis. In hoc enim quod Deus carnem humilem, & infirmam aſſumpſit, ſuperbiſſimum diabolum deiecit, & hominem humilem exaltauit, fortiſſimũ aduerſarium cõfregit, hominem infirmum ſtabiliuit. Et in hoc eminenter facta eſt manifeſtatio potentiæ & ſapientiæ. Si enim quod infirmum eſt Dei, potẽtius eſt omnibus hominibus: & quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt omnibus hominibus & etiam dæmonibus: planum eſt quod eius potẽtia & ſapiẽtia ſuperexcellũt omnia in infinitũ. Et ideo ſi incarnationis opus in ſe nõ videatur facere ad diuinæ manifeſtationis honorẽ, ſi tamẽ conſideratur ad illud, ad quod eſt, facit elegantiſſimè: & ideo hæreticis & infidelibus cæcis velatum eſt ſacramentũ incarnationis, dicentes quod opus incarnationis faceret ad diuinæ maieſtatis ignominiã cũ ex oppoſito faciat ad excellentiſſimã gloriã. Hæc S. Bona.

Deus ſabaoth id eſt exercituum Deus. Gabr. diſt. xj. q. vnica. libr. ij.

Dextra. Nomine dextrę tria intelligi poſſunt, ſecundum S. Tho. parte ſummę iij. q. lviij. Vno modo ſecundũ Dama. gloria deitatis. Alio modo ſecundum Aug. beatitudo patris. Tertio modo ſecundũ eundẽ iudiciaria poteſtas, nullo tamẽ modo dici poteſt, ꝙ pater ſedeat ad dextrã filij vel ſpiritus ſancti, quia filius & ſpiritus ſanctus trahũt originẽ à patre. Sed ſpiritus ſanctus propriè poteſt dici ſedere ad dextrã patris, vel filij ſecundũ deitatẽ, licèt ſecũdum quandã appropriationẽ attribuatur filio, cui appropriatur æqualitas, ſicut dicit Aug. quod in patre eſt vnitas, in filio æqualitas, in ſpiritu ſancto vnitas, æqualitatiſq; cõnexio. Et per dextram patris, vt ſcribit Gab. d. xiij. q. vnica. li. iij. intelligũtur potiora bona patris, ipſa, ſcilicet beatitudo ſecundũ Aug. in ſer. de Symbol. Cui conſonat illud Pſal. Gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum: & de hoc Gab. in ſermone de aſcenſione. Ad hanc dextram patris Chriſtus ſuper omnes creaturas aſcendit, vt habetur Matth. vlt.

Differunt autem iſta tria eſſe à dextris patris, aſtare à dextris patris, & ſedere ad dextrã patris, vt ſcribit

Guilhelmus Scoti imitator, & refert frater Pelbar. li.iij. Roſarij Theo. Eſſe nempe à dextris omnibus beatis cõperit, ſecundũ illud Matth.25. Oues quidẽ ſtatuet à dexteris, hœdos autẽ à ſiniſtris. Aſtare autẽ à dextris eſt propriũ B. Mariæ, inquantũ bona filij in ipſam ſpeciali dignatione influit. Aſtitit (ait Dauid) Regina à dextris tuis. Sedere autem ad patris dextrã eſt propriũ Chriſti, quia illud eſt eſſe in potioribus bonis gloriæ, quod ſolũ ei cõuenit. Dicitur quoq; Chriſtus eſſe in ſinu patris ratione ſuæ æternæ generationis. Dicitur ſecũdò ſedere ad dextram patris ratione bonorũ, quæ primus participat. Dicitur verò dextra patris, quia ea pater cuncta operatur. Ioan.1. Omnia per ipſum facta ſunt: ergo iſta dextra intelligẽda eſt ſpiritualiter, nõ ad modũ humani ſenſus. Sedere ad dextrã patris, ſecundũ Alexandrum de Ales in iij. par. ſummæ. Cui cõcordat ſanctus Tho. & Rich. in iij. d. xxij. Nulli alteri creaturæ cõuenit, ſed ſoli Chriſto, ſecundũ quod dicitur Mar. vlt. Dominus Ieſus poſtq̃ locutus eſt eis, &c. & ſedet à dextris Dei: ideo propriè loquẽdo nullus præter Chriſtũ ad dextrã Dei ſedet, quia per dextrã quæ eſt nobilior pars, deſignatur potius bonũ gloriæ. Dextra enim eſt nobilior ſiniſtra in agilitate, & vigore, vt dicit Philoſ. Vnde qui alteri ad dextrã ſedet nobiliſſimè illi cõiungitur. Nam quos honoramus, dextrã illi dare ſolemus: & quia Chriſtus eſt maximè Deo cõiunctus, ergo propriè ipſe ſedet ad Dei dextrã. Et ſeſſio illa ad dextrã patris omnipotentis, ſignificat quod Chriſtus ſit propinquiſſimus Deo patri in gloria, & omnibus creaturis ſuperior. Propter quod dicit Apoſt. Hebr.1. Sedet ad dextrã maieſtatis in excelſis excelſior cœlis factus. Item in ſcriptura Chriſtus dicitur dextra Dei, & brachium Domini, eò quòd pater per ipſum operatus eſt ineffabilia (vt ſcribit Iacob. de Valen. tract. iij. cap. j. prologi in Pſalteriõ.) Et Hiero. epiſt.1. ideo filius Dei brachiũ dicitur, quia creatura electa ab ipſo cõtinetur: dextra Dei patris vnigenitus filius accipitur, de quo in Pſal. ex perſona hominis aſſumpti dicitur. Dextra Domini fecit virtutẽ, dextra Domini exaltauit me. Fecit, inquã, virtutẽ, vt ſcribit Valentia. ſuper illud Pſal. Dextra Domini, &c. Confundẽdo Iudæos & deſtruẽdo, & Gentiles ſubijciẽdo & idola delẽdo, & diabolũ foras eijciendo: ideo dicitur Chriſtus dextra Domini, quia per Chriſtum exercet Deus ſuã virtutẽ: fecit namq; virtutẽ in natiuitate per multa ſigna & prodigia. Itẽ fecit virtutem infirmos ſanãdo, mortuos ſuſcitãdo, & mari & ventis imperãdo, & diabolũ in cruce debellando, & in inferno detrudẽdo, & infernũ expoliando. Fecit iã ſuper virtutẽ quando hominẽ deiectum & ſauciatũ ſanauit & releuauit, & per graciã & gloriam exaltauit. Fecit poſtremò virtutẽ poſt ſuam aſcenſionẽ, quando omnes inimicos tam Iudæos quàm Gentiles ſub pedib⁹ ſubiecit, & diabolũ extra mundum eiecit. Hęc Chriſtopolitan. Epiſc. Ia. de Valen. Aliter verò ait S. Hieron. Dextra Domini gloriam patris & æternã beatitudinem ſignificat. De quo in Pſal. ex perſona patris dicitur ad filiũ: Sede à dextris meis. Dicitur autẽ, vt idẽ vult Hieron. Dextra Dei omnis electa creatura in cœlo & in terra: ſicut per ſiniſtrã eius intelligitur reproba creatura, id eſt dæmones & omnes impij, qui ad læuam poſita æterna ſupplicia ſuſtinebunt. Hæc Hieronymus.

Diabolus Græca dictio eſt: διάβολος, id eſt calumniator. & διαβάλλω, criminor dicitur, & ille malignus ſpiritus cœpit dici diabolus, poſtquam homini inuidit, de quo & ſupra in dictione Dæmõ, ſcilicet quomodo noxius ſit homini. Et dicitur diabolus quaſi deorſum fluens, vt dicit Gerſ. tract. viij. ſuper Magnific. Peccauit enim, Lucifer ortus eſt, alter impulſus vſq; ad abyſſum. Sed quomodo nos fallat & decipiat, habetur in multis locis ſcripturæ, & Gerſ. in pluribus locis, & alij. Et S. Bonauẽ. d. v. li. ij. q. j. Dictus eſt diabolus, quia deorſum fluxit, & ex hoc in malitia ſua firmatus fuit, & ideo magiſter deſcribens perfectã auerſionẽ qualis in diabolo, nõ qualis in hominibus peccatoribus, dicit quod auerti eſt odio habere vel inuidere. Diabolus enim ſuperbus nõ valens cõſcendere, ſed cõpulſus deſcendere, odit Deũ iuſtum, & inuidet excellẽtiæ eius, &c. Et diabolus rector eſt impiorũ, rector mũdi, & tenebrarum, vt vult Aug. in Pſal.26. Quarũ tenebrarũ? peccatorũ infideliũ. Vnde iam credẽtibus dicit Apoſt. Fuiſtis aliquãdo tenebræ, nũc aũt lux in Domino. Et ſicut (vt ſcribit Iacob. de Valen. trac. iij. ca. ij. regula viij. prologi in Pſalte.) Chriſtus vniuit & incorporauit ſibi Eccleſiã fideliũ per baptiſmũ & gratiã in vnitate myſtica, pariter diabolus vniuit ſibi infideles, & hæreticos, & obſtinatos per peccatum. Quorũ quidẽ cõgregatio dicitur Synagoga Satanę, ſiue Eccleſia malignantiũ. Et ſic omnes hæretici & infideles & obſtinati dicũtur membra diaboli, &c. Et intantũ tenet diabolus, & alligat, & copulat ſibi peccatores & obſtinatos, quòd inter eos cõmunicantur idiomata tanquã inter caput & membra: ita quod homines dãnati nominantur nomine capitis ſui diaboli. Ideo Chriſtus appellauit Iudã diabolũ, Ioã.6. cũ dicit: Vnus veſtrũ diabolus eſt. Itẽ Iſa.14. alloquitur ipſum Nabuchodonoſor ſub nomine diaboli, dicẽs: Quomodo cecidiſti Lucifer, qui manè oriebaris? Item Ezech.28. alloquitur Regẽ Tyri eodẽ modo, dicẽs: Tu ſignaculũ ſimilitudinis in delicijs Paradiſi fuiſti. Itẽ ecõuerſo diabolus appellatur homo ſub nomine membrorũ ſuorũ quãdoq;, vt Matth.13. Inimicus homo hoc fecit. Itẽ Pſal.55. Miſerere mei Deus, quoniã cõculcauit me homo, id eſt diabolus, &c. Tripliciter autẽ abiicitur ab anima peccatoris per pœnitentiã diabolus, vt idẽ Valentia. ſcribit in Pſal.6. Primò cũ erubeſcẽtia & cõfuſione, quia reputat ſibi ad magnã cõfuſionẽ quod viderat ſe victũ & confuſum, & expulſum ab homine, qui eſt minoris naturæ & nobilitatis. Secũdò abiicitur cũ magna vehemẽtia & violentia, quia omnes vires adhibet, ne à domo quã diu poſſederat expellatur, & animã quã diu poſſederat deperdat, & amittat. Tertiò abiicitur cũ grandi velocitate, quia peccator qui diu inter peccata erat inoeteratus, & antiquatus iuſtificatur in inſtãti per pœnitentiã. Nã in eodẽ inſtanti expellitur culpa, & introducitur gratia, & ſic diabol⁹ quod per magnõ tẽpus acquiſiuit & poſſedit in vno inſtãti perdit & amittit per pœnitenciã. Hæc Valen. Eſt & diabolus vltor diuinæ iniurię & executor diuinę iuſtitię, vt idẽ ſcribit latiùs in Pſal. 8. ſuper illud: Vt deſtruas inimicũ & vltorem, &c.

Diaconiſſa, Canones vocant diaconiſſam (vt ſcribit Palu. in

Palu.in iiij.d.xxv.q.iij.& Sco.eadē d.q.ij. non ab ordine diaconatus, ſed à benedictione qua cōpetit illi legere homelias in matutinis, ſed ille non eſt actus alicuius ordinis, non autem Euangelium in Miſſa vel miniſtrare circa altare in Miſſa, vt Diacono conuenit ex ordine, &c.

Dies ſicut & nox tripliciter ſumitur in ſacra ſcriptura, vt notat Valentia. Pſalm.1. Primò temporaliter. Et ſic dies eſt præſentia Solis ſuper terram: & nox abſentia eiuſdem. Et ſecundū Iſido. & colligit frater Pelbar. li.ij. Roſarij Theolo. in dictione Dies. §.iij. Eccleſia Chriſtiana inchoat diem à media nocte, quia tunc ortus eſt & natus mundo verus Sol iuſtitiæ Chriſtus. Arabes & Aſtronomi incipiunt à meridie, & ſecundum hoc procedunt tabulæ Aſtronomicæ. Iudæi à principio noctis, ſecundum illud Gen. Factum eſt veſpere & manè dies vnus. Communis autē plebs ab ortu Solis. Et apud Hebræos, omnes dies à ſabbato denominantur, vt vna ſabbati, id eſt prima feria poſt ſabbatum: ſecunda ſabbati, & ſic de aliis. Secundò ſumitur moraliter: & ſic proſperitas dicitur dies, & aduerſitas nox. Tertiò ſumitur allegoricè, & ſic lex vetus dicitur nox, & lex noua dicitur dies & tempus gratiæ: vt & habet Richard. diſt.xiij.art.ij.q.iij.li.iiij. cùm ait: Sacramentum Euchariſtię pertinet ad tempus gratiæ, quod per diem ſignificatur, iuxta illud Apoſtoli ad Rom.13. Nox præceſsit, dies autē appropinquabit.

Dies. Dies dicitur eſſe malus, nō ratione ſui, ſed quia mēſura eſt actionis malæ, ſicut dicit Apoſt. Ephe.5. Redimētes tempus, quoniā dies mali ſunt. Sic dies dicitur benedictus & ſanctus, quia eſt mēnſura alicuius operationis in qua eſt benedictio & ſanctificatio. Et nihil eſt aliud diem aliquē benedicere & ſanctificare (vt ſcribit S. Bonauen. di.xv.li.ij. circa text.) quā diem tali actioni, vt menſurā deputari: quoniā igitur Deus omnia facit ꝓpter hominis inſtructionē, vt hominē nō ſolū verbo, ſed etiā opere erudiret, ſicut ex ſex dieb⁹ dedit homini licentiam operandi, & intendendi rebus inferioribus: & ſicut ſeptimo die ab omni opere ceſſauit, ſic voluit ꝙ ſeptimo die homo ab omni opere ceſſaret, & ei poſt contemplationē inhęreret, & inhęrēdo quieſceret. Et quia in hac inhęſione homo obtinet à Deo ampliationē benedictionis & ſanctitatis: ideo dies ſeptimus dicitur à Deo benedictus & ſanctificatus, nō ratione ſui, ſed ratione illius quod Dominus deputauit in illo fieri. Ex quo patet quantū Deo placet ꝙ homo ſibi ſoli intēdat, & in eo requieſcat dū talē vacationē ſiue requietationē benedixit & ſanctificauit: ꝓpterea in lege frequētiſsimè iterat inter omnia mādata de obſeruātia ſabbati. Hæc S. Bona. Itē dies iudicij dicit̃ mala & amara valdè peccatoribus dānatis (vt dicit Iac. de Valen. Pſal.48.) Sed dicit̃ matutinū & dies clara, & manè in qua reſurgent omnes iuſti, & claritatē glorię poſt tenebras & perſecutiones huius vitę recipient, &c. Eſt pręterea triplex dies malorum à quo protexit Chriſtus fideles ſuos in abſcōdito, & gremio tabernaculi ſui, vt idē ſcribit Pſal. 26. Primo in die maiorū peccati originali, quando per baptiſmum introducit eos in Eccleſiam, liberando de poteſtate diaboli. Secundo in die malorum peccatorum mortalium, quoniam per pœnitentiam eos reconciliat, & etiam quando per confirmationē armis donorū ſpiritus ſancti cōtra dæmonū incurſus eos armat, & armatos protegit. Itē protegit eos etiā in die malorū, ſcilicet in die iudicij, quia omnes & ſoli qui reperiētur in gremio Eccleſiæ, ſaluabūtur: cęteri autē extra gremiū Eccleſiæ reperti, in ignē æternū deſtinabunt̃. Itē Chriſtus ꝓtexit Eccleſiā in die malorū & tēpore tyrannorū.

Dicere propriè loquendo (vt dicit Rich. di.xlix. art. iij.q.j.lib.iiij.) eſt producere verbum. Et dicere eſt duplex (vt ſcribit S. Bonauen. d.xij.ar.ij.q.j.li.iij.) Vno modo idem eſt quod ore proferre: hoc modo abſq; dubio Chriſtus potuit proferre locutionē falſam, quia talis prolatio eſt perfectionis. Alio modo dicere idem eſt quod aſſerere ſiue affirmare: & hoc modo Chriſtus nō potuit dicere locutionē falſam, quia veritas ad falſitatē declinare nō potuit: & hoc quidē nō fuit impotētiæ, imò magis potētiæ. Bonauen. in fine q. Et vt habet Gregor. de Arimi. dicere accipitur dupliciter. Vno modo idē eſt quod dictū proferre vel formare. Alio modo idem eſt quod per dictū aliquid ſignificare, & ꝓportionabiliter dicere falſum. Vno modo idē eſt ꝙ proferre enuntiationē falſam ſecundū ſe. Alio modo idē eſt quod per enunciationē falſam ſignificare. Stat enim aliquē dicere falſum vno modo, & non alio modo, videlicet in oratione ironica, vel tropica, in quibus quandoque enūciationes ſunt falſæ ſecundū ſe, & tamē ea quæ per eas ſignificātur vera ſunt. Nullus autē ꝓpriè dicitur dicere falſum, niſi per ſuū dictū intendat dicere falſum, vel ſaltē ſignificat falſum. De primo modo nō eſt dubiū, quin Deus poſsit dicere, & de facto dixerit falſum. Dicere falſum ſecūdo modo cōtingit dupliciter, ſcilicet aſſertoriè & nō aſſertoriè ſeu recitatiuè. Aſſertoriè quidē aliquis dicit falſum, quando per dictū ſuū integrū & perfectū ſignificat falſum. Sed nō aſſertoriè, quādo per ſuū dictū integrū ſignificat verū, ſed per partiale ſignificat falſum, vt ibi: Dixit inſipiēs in corde ſuo, nō eſt Deus. Dicere autē in corde (ait Valen. Pſal.35.) eſt idē quod deliberare. Vnde cogitatio præcedit deliberationē, &c. & aliis locutionibus recitatiuis; & ſimiliter hypoteticis, & diſiunctiuis & cōditionalib⁹, iſto modo nō eſt dubiū, quin Deus poſsit dicere falſum, vt ibi Ioā.7. Si dixero, quia neſcio eum, ſimilis ero vobis mendax. Itē aliquis poteſt aſſertoriè dicere falſum dupliciter. Vno modo ſimpliciter. Alio modo cum intentione, quod ille cui dicit aſſentiat ei quod dicit. Vnde vt idem Greg. de Ari. dicit: Deus non poteſt alicui aſſertoriè dicere falſum, volens quod ille cui dicit aſſentiat illi dicto. Et abſolutè Deus non poteſt dicere falſum. Nam ſi primum eſſet verum, ſequeretur quod Deus poſſet mētiri. Nam mendacium eſt ſignificatio falſa cum volūtate fallendi, ſecundum Aug. lib. contra mendaciū. Impoſsibile eſt autē Deū mētiri, vt dicit Apoſt. ad Heb.6. Itē ſecūdum Aug. omne mendaciū eſt peccatū. Deus autem peccare nō poteſt, nec mētiri, nec fallere: & quod ſi Deus hæc poſſet, nō eſſet dignus vt eſſet omnipotens. Vnde Magiſt. li.j. di.xl. ab omnipotentia Dei excludit poſſe mentiri & fallere: & ſimiliter patet per Aug. lxxxiij.q. q.xiiij. vbi ꝓbat corpus Chriſti verū, & nō phantaſticū fuiſſe: quia nō ergo fefellit Chriſtus: & ſi fefellerit, veritas non eſt: vide latiùs

Gregor. & poſt eum Petrum de Aliaco.quæſt.xij. artic.iij.libr.j.qui non omnino aſſentit Gregor. & de hoc vide in dictione Fallere,&c.

Dicere tripliciter inuenitur accipi à ſanctis & auctoribus, quandoque eſſentialiter, & ſic valet tantum,id eſt intelligere,ſeu declarare.Sic accipit beatus Anſelm.in monol. dicere ſummo ſpiritui nihil aliud eſt,quàm cogitando intueri.Et iterum vnuſquiſq; ſe in trinitate dicit.Secundo modo accipitur purè notionaliter. Et ſic nihil aliud eſt quàm verbum gignere.Et ſic ſolus pater eſt dicens,vt inquit Richar. Tertio modo accipitur,nec purè eſſentialiter, nec purè notionaliter, ſed includit vtrunque, quia in eius quid nominis ponitur tam notionale, quàm eſſentiale. Sic enim dicere eſt noticia à ſe producta omne declarabile declare. Sic dicit Aug. 15.de Trinit.cap.14. proinde tanquam ſeipſum dicens pater genuit filium ſibi æqualem per omnia. Non enim ſeipſum integrè,perfecteque dixiſſet: ſi aliquid minus aut amplius eſſet in eius verbo, quã in ipſo dicens ſe, id eſt verbo genuit declarans ſe. Primò quælibet perſona dicit ſeipſam formaliter: ſicut intelligit ſeipſum formaliter,dicit aũt ſic omnia intelligibilia, quia quælibet perſona ſeipſã & ſua intelligẽtia intelligit omnia. Secundo modo ſolus pater dicit, & ſolũ verbi perſonã non aliã dicit, quia ſolum verbum gignit, & ſic non dicit verbo, quia non gignit verbo,ſed verbum. Tertio modo ſolus pater dicit,ſed nõ ſolũ verbum,ſed etiã omne quod verbo à ſe genito declarat. Sic enim dicere debet duos actus,ſcilicet gignere & declarare,quorum vnus terminatur ſolum ad perſonã verbi quæ eſt gignere. Alius ad omne declarabile,qui eſt declarari. Et ſecũdum hoc poteſt dicere determinari per actum importantem verbum vel actum importantem illud quod relucet in verbo. Et quando ille actus additur,tunc nomen importans verbum poni debet in ablatiuo, vt pater dicit ſe verbo. Et ſic dicit Anſelm. in monol. Cùm ſummus ſpiritus ſeipſum dicit, dicit omnia quæ facta ſunt, haud dubium quin eodem verbo.Gabr.di.xxvij.quæſt.iij. libr.j. Et dicere Dei ſecundum eundem facere eſt. Vnde ſicut Deus res produxit dicendo fiat, & non fuit vox naturalis, ita nec flatus aliquis corporalis. libr.ij.d.ſt.xvij.quæſt.j.ar.j.Gabr.pariformiter dicitur de dici,vt idem ſcribit libr.j. vbi ſupra. quod capitur purè eſſentialiter pro intelligi, ita dicitur omne quod intelligitur, ſiue eſſentia diuina, ſiue perſona,& omnes creaturę,quia omnia intelliguntur hìc.Secundo modo purè notionaliter,& ſic eſt à dicente gigni,ſic ſolũ verbũ dicitur. Tertio modo vt includit notionale & eſſentiale, & ſic eſt verbo à dicente genito declarari. Et ſic dicitur quicquid verbo genito declaratur. Hæc Gabr. Et vt ſcribit Iacobus de Valentia,Pſalm.35.dicere priùs conuenit intellectui & ex conſequenti conuenit voluntati.Tertio cõuenit linguæ,vnde intellectus,quando intelligit vel cogitat dicit.Item voluntas quando deliberat, & proponit tunc dicit, quod intellectus cogitauit.Item lingua dicit quod voluntas primò dixit,& deliberauit.Et ſic in diuinis pater dicit verbũ ſuum ab æterno per intellectum,ſed ex tempore dixit creaturas per voluntatẽ, quando dixit: Fiat lux,& facta eſt lux:ſed poſtea locutus eſt Dominus multipharię per linguas Prophetarũ, ſed finaliter locutus eſt nobis per linguam filij. Et tunc locutus eſt per linguam propriam ſibi vnitam perſonaliter,&c.Item dicere ſecundum eundem idem eſt quod deliberare & proponere.Vnde Pſalm.Dixit iniuſtus,&c. id eſt deliberauit & propoſuit iniuſtus populus Iudæorum in ſemetipſo delinquere Chriſtum occidendo,&c.

Diffamare eſt per diuerſas partes famam diuulgare. Auguſt.lib.iij.de Ciuit.Dei:Romanum imperium tam longè, lateq; non poſſet augeri, & tam grandi gloria diffamari. Sed in malum plerunq; accipitur. Vnde in Euang.Luc. Homo quidã erat diues, qui habebat villicum, & hic diffamatus eſt apud illum. Poteſt autem aliquis alium diffamare tripliciter, vt ſcribit Scotus di.xv.q.iiij.li.iiij.Vno modo falſum crimen imponẽdo. Secundo modo verum crimen, tamen occultum non ſeruato ordine iuris in publico proponendo. Tertio modo verum crimen,ſed occultũ in publico, tamen ſibi impoſitum negãdo, quia in hoc negans notat imponẽtem de calumnia. In primo dicit Scotus: Oportet reſtituere famã retractando verbum ſuum,vel quod ſibi impoſuit,& hoc ita publicè ſicut ſibi impoſuit, quia aliàs non ſeruat iuſtitiam in reddendo proximo quod ſuum eſt.De ſecundo non tenetur retractare verbũ ſuum quod propoſuit in publico,quia hoc faciendo mentiretur,cùm ſciat id quod propoſuit eſſe verum, & non tenetur mentiri propter quodcunque bonum reddendũ alij.Sed tenetur alio modo licito reddere ſibi famam, vtpote per huiuſmodi verba non credatis eum eſſe talem: malè enim dixi, & fatuè, & hæc quidem verba quia non ſeruato ordine iuris. De tertio dico ſimiliter, inquit Scotus, quod non tenetur retractare negationẽ ſuam qua negauit in publico verum crimẽ ſibi impoſitum, quia non tenetur quicunq; ſtatim in iudicio confiteri ſe reum nondum conuictus:tenetur tamen per quædã verba ſolemnia, vt iam ſupra dictum eſt reſtituere famam illi accuſanti quem indirectè notauit de calumnia,dicendo:Non habeatis eum pro calumniatore, quia credo quod habuit bonam intentionem proponendo, vel fortè ſe credit probare intentum ſuum,& deceptus fuit. Hæc Scotus, qui & latiùs rem proſequitur.

Differre ratione eſt tripliciter,vt ſcribit ſanctus Bonauentura,diſt.xxvj.q.j.libr.j. Vno modo à parte noſtræ apprehenſionis, ſicut differunt in Deo bonitas & magnitudo. Alio modo differre ratione eſt ſecundum differentiam attributionis, quia aliquis motus ponitur circa vnum,vel attribuitur vni,quì non attribuitur alteri,& ſic differunt ratione eſſentia perſona notio.Tertio modo differre ratione eſt differre ſecundum pluralitatem diſtinctionis, quæ nõ inducit diuerſitatem in eſſentia, vel in materia, tamẽ tantam inducit differentiam quod vnum non dicitur de altero,& ſic differt ratione perſona à perſona,& proprietas à proprietate. Hæc ille.

Differentia accipitur dupliciter, vt ſcribit Gab.diſt. viij.q.iiij.li.j.Vno modo pro termino ſecundę impoſitionis, id eſt pro ſigno prædicabili de aliquo non in quid, ſed in quale conueniens aliquibus, & aliis repugnans quo innoteſcit diſtinctio illius cui conuenit

conuenit ab illo cui repugnat. Et illo modo eſt duplex, quædam per ſe, quædam per accidens. Differentia per ſe ſiue eſſentialis eſt, quę importat aliquid intrinſecum, ſcilicet partem eſſentialem rei vt rationale. Alia per accidens ſiue accidentalis, quæ, ſcilicet importat aliquod extrinſecum rei, id eſt quod nõ eſt pars eſſentialis, vt diſciplinabile, riſibile reſpectu hominis. De hoc latiùs vide apud Dialecticos & Gab. vbi ſupra. Secũdo modo accipitur pro termino primę impoſitionis, ſcilicet, pro re aliqua, per quam innoteſcit, diſtinctio vnius ab alio, vt anima rationalis qua ſortes differt ab aſino. Sic etiam accidens inhærens, quo res diſtingui noſcitur ab alio ſimile accidens non habente. Gabr.

Difficile eſt id quod tranſcendit potentiam ſecũdum naturam, vel propter impedimentum. B. Thom. prima parte. q. lxij. ar. ij. Eius oppoſitum eſt facile, difficile ſecundũ Ariſt. l. j. Rheto. dicitur quod cũ labore aut multo tẽpore fit, à quo difficultas. Et difficultas aliquãdo oritur ex habitibus volũtatis in contrariũ inclinationi, vt volũtas habituata in vitio difficulter elicit actum iuſtitiæ propter inclinationem contrariam habitus virtuoſi. Quandoq; propter errorem intellectus. De his duobus dicitur iij. Ethi. ca. ij. Et difficile eſt quandoque iudicare, quale pro quali eligendum, & quid pro quo ſuſtinendum hoc quo ad intellectum. Sequitur: Adhuc difficilius immorari cognitis quo ad voluntatem. Quandoq; oritur difficultas propter paſſionem voluntatis, difficile eſt enim odienti bene velle inimico, & difficile eſt máſuetè agere iracundo. Gabr. di. xxviij. q. vnica. dub. iij. lib. ij. Et quantumcunque creſcit difficultas, nunquam aufert libertatem, ſed bene tollit delectationem & promptitudinem. Et per hoc frequẽter mutat voluntatem, vt deſinat velle quod voluit ſublata delectatione, aut incipiat velle, quod noluit accedẽte metu vel triſtitia, ſemper tamen manet libertas in volendo & nolendo. Vide latiùs Gabr. vbi ſupra. de difficultate in eliciendo actum. Et difficultas in opere virtutis, vt ſcribit Ioan. Gerſon in regulis moralibus ex aſſuefactione vitiorum proueniens, plus de per ſe diminuit rationem laudis & meriti quàm augmentet, tamen malè habituatus quoniã niſi ex maiori conatu opus ſimile ad bene habituatũ perficere nequit magis inde redditur incidentaliter commendandus. Gerſon.

Diffinitio eſt oratio indicans quid eſt eſſe rei, & conuertibilis cum diffinito, vt vult Phil. j. Topi. & vj. quem & refert Richar. diſt. j. artic. j. qu. ij. libr. iiij. Vel diffinitio eſt oratio quæ quid eſt quod diffinitur explicat quid ſit. Cicer. in Topicis. idem in princi. ij. lib. de fini. bo. & ma. Diffinitio eſt patefactio rerum opertarũ, quum quid, quidque ſit aperitur. Et vnius rei eſt vna diffinitio, verum eſt ſecundum vnam conſiderationem, ſed ſecundum diuerſas conſiderationes dantur multæ deſcriptiones diuerſæ, ſicut vnũ. Et idem aliter diffinit logicus, phyſicus, medicus, mathematicus, vt dicit Petrus de Palu. di. xxxviij. q. j. in fine lib. iiij. Phyſicus ſiue naturalis diffinit per cauſam materialem, & agentem, ſimiliter & per cauſam finalem. Sed dialecticus diffinit per genus & differentiam, & talis vocatur diffinitio formalis à quibuſdam. Item diffinitio eſt rei propoſitæ propria & dilucida & breuiter comprehenſa verbis enunciatio, quæ conſtat maximè genere, ſpecie, differentiis, propriis, vt homo eſt animal rationis capax, morti obnoxium. Et differt à deſcriptione, quod deſcriptio eſt rei propoſitæ per quaſdã proprietates declaratio, vt homo eſt corpus bipes, caput erectum habens, ſpectanſq; in cœlum. Et ſecundum aliquos diffinitio differt à diffinitione, quià definire eſt quaſi finem dare. Diffinire verò eſt hoc ab illo finiendo ac partiendo diſtinguere. Et nihil perfectè diffinitur niſi ſubſtantia ex B. Tho. ij. ſenten. di. xxxv. q. ij. ar. j. Diffinitio autem ſiue notificatio tunc rectè eſt aſſignata, vt ſcribit ſanctus Bonauen. di. xxiij. q. v. li. iij. quando nihil continet ſuperfluum, nihil etiam diminutum. Et hoc eſt quando per ipſam notificationem ipſius diffiniti eſſentia plenè iudicatur, & apertè manifeſtatur, & ab omnibus aliis ſeparatur, ſic dicit eſſe de diffinitione fidei, quam ponit Apoſtolus. Heb. 11. Fides eſt ſubſtantiã rerum ſperandarum, argumentum non apparentium. Vide latiùs de hac Bonauen. & infra in dictione. *Fides*.

Diffinitio eſt duplex ſcilicet quid nominis & quid rei ſecundum Ariſ. ij. poſteriorum, de quo conſulito poſt Dialecticos Petrum de Aliaco. qu. j. ar. iij. li. iiij. Et Gabr. di. j. qu. j. ar. iij. li. iiij. Vna quid nominis, alia quid rei. Diffinitio quid rei eſt oratio exprimens quid rei. Alia quid nominis eſt oratio exprimens quid nominis. Primo modo nihil diffinitur niſi ſit res vna, hoc eſt terminus ſignificãs rem vnam. Diffinitione verò quid nominis poteſt diffiniri omnis terminus cathegorematicus quicquid ſignificet in recto vel in obliquo, ſicut omne velle eò quod pro omni nomine poſſunt poni nomina diſtinctè ſignificantia illa quæ ſignificátur per vnum nomen. Primo modo ſacramentũ non poteſt diffiniri, quia non eſt aliqua res vna, ſed bene ſecundo modo, ſcilicet diffinitione quid nominis vide latiùs Cardina. Came. & Gabr. vbi ſupra. Diffinitio quid rei ſecundum Thom. contra genti. lib. iij. ca. xlix. eſt quando res concipitur per aliquam formá in ipſa re reſpondens ei per omnia. Diffinitio quid nominis ſecundum eundem. ij. ſenten. di. xxxij. q. ij ar. j. importat quaſi expoſitionem ſignificationis nominis, non tamen ſemper indicat eſſentiam, quia diffinita non ſemper habent eam.

Diffundere de quo & in dictione Infundi à quo diffuſio, quæ eſt duplex ſecundum S. Bonauẽ. di. xix. qu. ij. lib. j. ſcilicet intra vel extra. Diffuſio intra eſt quando perſona procedit à perſona, vnitate naturæ: & hæc non eſt propriè diffuſio, & hoc non conſequitur bonum, quia bonum, ſed bonum in hypoſtaſi qua aliam producere, nata eſt. Et ideo ſecundum hanc diffuſionem non dicitur vna perſona altera melior. Eſt alia diffuſio extra, quæ attenditur in productione effectus, & ſecundũ hãc rationẽ attenditur diffuſio propriè & ratio boni, & quia in hac vna perſona alterã non excedit (quia indiuiſa ſunt opera trinitatis) ideo hac nõ eſt vna melior. Bona.

Digeſtio eſt perfectio à naturali calido, ex oppoſitis paſſiuis facta, ſecundum Ariſtò. iiij. Metheorum. Triplex eſt digeſtio vt ſcribit Brulef. di. viij. qu. v. li. ij. Prima eſt in epate, cuius ſuperfluum eſt vrina.

Secunda fit in ſtomacho,cuius ſuperfluum eſt ſtercus. Tertia fit in corde,cuius ſuperfluum eſt ſemen. De hoc latiùs ſcribit frater Pelbar.li.ij.Roſar.Theologiæ,& apud Philoſophos.

Digitus quandoque pro ſuffragio accipitur, vnde digitus Lazari dicitur pro aliquo modico eius ſuffragio, vt exponit Rich.di.vlt.li.quarti, circa textum. Item digitus quandoque appropriatur ſpirituiſancto, eò quod pater per filium producit creatorem, non ſolùm creaturam. Bruleſ.diſtin.xxxij.artic.ij. quæſt.ij.lib.j.

Dilatare penul.produ. idem eſt quod latum facere, vt eſt illud, Dilatant phylacteria. Et dilatari dicitur illud quod adquirit maiorem latitudinē, vnde charitas dicitur dilatari in patria,quia creſcunt eius bonitas, & communicationis liberalitas, & virtuoſitatis laudabilitas, quamuis ex parte diligibilium non dilatabitur,pauciora enim erunt diligibilia. De quo latiùs legito Bruleſ.di.xxj.qu.vj.lib.iij. Charitas itaque in patria dilatabitur intenſiuè, ampliori enim affectu diligitur Deus in ſe & in creaturis ſuis, adeo vt ille qui non videtur eſſe remotus in patria ſit amantiſsimus,& amplius miniſtrabit ſibi tunc charitas omnes beatos quam modò poſsit homo vnum amiciſsimum ſibi affectuoſè diligere.

Diligere eſt alicui velle bonum. Et diligere ſecundum appoſita variè accipi ſolet vt ſcribit Bonauen. diſ.iij.ar.iij.q.j.lib.ij. Conuenit enim aliquid diligi dilectione concupiſcentiæ, ſicut aliquis amat vinum vel amicum, ſiue amat ſocium : propter ſe aliquid diligere eſt non alterius gratia, ſed ibi ſiſtere, ſicut ebrioſus diligit vinum propter ſe : propter aliud diligere eſt alterius gratia, ſicut ſobrius diligit potum propter ſalutem. Similiter in amore amicitiæ propter ſe diligere non alterius gratia, eſt velle alteri bonum, ſicut dicit Phil. quod diligimus amicos propter ſe, & ſi nihil omnino boni debeat nobis ab ipſis eſſe, propter aliud verò alterius gratia, ſicut aliquis diligit hominem propter commodum ſuũ, ſicut dicit idē quod inimicos noſtros volumus eſſe iuſtos, vt nihil nobis noceant. Diligere verò aliquid ſuper omnia amore amicitiæ, eſt nullo cōmodo vel incommodo velle ipſum offendere, nec amicitiam ſoluere, ſimiliter dilectione cōcupiſcentię eſt nullo cōmodo vel incommodo velle aliud perdere. Vnde vt ibidē notat Bona. quomodo affectus angeli Deũ habere cupiebat propter ſe, quia ſummè reficiens non alterius gratia, & Deo volebat bonum propter ſe, multo magis quã amicus amico, ſimiliter nullo commodo vel incommodo volebat Deũ offendere vel perdere : ideo Angelus diligebat Deum propter ſe, & ſuper omnia. Hæc ille. Item diligere propter ſe ſecundum Gabr.di.j. q.j.li.j. eſt diligere non propter aliud oſtenſum voluntati per intellectum, ita, ſcilicet, quod ſi nihil aliud oſtēderetur voluntati adhuc amaretur, & tamen non vt finis vltimus. Sed diligere vt ſummũ bonum, eſt velle alicui ſummam perfectionem, & ipſum vt tale venerari. Et ſic differũt diligere propter ſe, & diligere vt ſummum bonum. Diligimus Deũ actu ſpei vt bonum noſtrum, ſed nō formaliter propter nos, ſed propter ſeipſum. Diligere aliquid propter aliud, eſt diligere aliquid aliud dilectũ, cuius dilectio eſt cauſa effectiua dilectionis, vt habet Greg.q.iij.prologi.ar.j.& Occã.q.iij.ſecũdi.& q.j.ar.ij.ac Holkot. qu.iiij.Et poſt eos vide Gabr.di.j.qu.j.ar.iij.dub.ij.lib.j. Et libr.ij.diſt.j.qu.v.artic.iij.dub.ij.dicit. Diligere aliquid abſolutè non eſt amor concupiſcentiæ, ſed amicitiæ, diligere autem aliquid propter alterum eſt amor concupiſcentiæ.

Diligere vt ſcribit Dominus Car. Came.diſt.j.q.ij. ar.ij.lib.j.capitur ęquiuocè in ſcriptura. Vno modo pro motu vel actu voluntatis, quo vult Deo bonum. Alio modo prout idem ſignificat quod perſeueranter viuere ſecundum Dei mandata, iuxta illud.Ioan.14. Qui habet mandata mea & ſeruat ea, ille eſt qui me diligit.

Diligere ęquè intenſè plus dicit quàm actu ęquè intenſo, vtputa maiorem appreciationem, ita non valet conſequentia, æquè intenſo actu diligitur Deus & creatura, ergo æquè intenſe, quia æquè intenſe plus dicit quàm æquè intenſo actu, vtputa maiorem appreciationem, vt, ſcilicet magis bonum velit Deo quàm creaturæ. Diligere verò actu æquè intenſo dicit gradualem identitatem actus, ſed diligere æquè intēſe, dicit eiuſdem boni volitionem, & eãdem appreciationem. Creatura enim cùm diligit ſe propter Deum, volens Deũ eſſe Deum, maius bonum vult Deo quàm ſibi, & magis appreciatur Deum quàm ſeipſum. Came.latè proſequitur hoc.q.ij.in di.j.ar.j.li.j. & poſt eum vide Gabr.di. j.q.j.ar.iij.dub.ij.lib.j.&c.

Diligere Deum diligere aliquid à ſeipſo, vt & in dictione Deus dictum eſt, eſt ipſum illi bonum tribuere eo modo quo vult, ſcilicet nunc ſiue præſentialiter ſi vult bonũ tale nunc ineſſe, aut in futuro, ſi vult illud bonum in futuro dare. Gabr.di.xxxij. q.vnica.ar.j.li.iij. Et actus diligendi quo Deus diligit ſe, & omnia alia nō eſt proprius perſonę alicui, ſed eſt actus eſſentialis, quia ſicut pater non ſapit ſapientia genita, ita nec diligit dilectione ſpirata, nihil etiã recipit perſona producens à producta. Pater ergo & filius diligunt ſe & ſpiritumſanctum amore eſſentiali, qui eſt eſſentia. Diligunt autem ſe ſpirituſancto, quia diligēdo ſe dilectione eſſentiali ſpirant ſpiritumſanctum. De quo latiùs in primo dici ſolet, & infra videbitur.

Diligere ęqualiter vt ſcribit Gabr.di.xxxij.q.vnica. ar.j.li.iij.dupliciter intelligitur, quia quandoque ly ęqualiter refertur ad bona volita, & ſic ęqualiter diligitur aliqui, quibus æqualia bona tribuuntur. Alio modo ęqualiter diligere ad actũ diligendi refertur, ſcilicet, actũ quo volũtas vult formaliter alicui bonũ. Et ſic ęqualiter diligũtur quæ eodē actu vel actibus ęquè intenſis, & eodē ordine diligũtur. Ibi enim eſt ordo nō tēporis neq; perfectionis actus ad actũ, quia actus vnius eſt, ſed ordo cuiuſdã principalitatis ſiue appreciationis, quo illud dicitur prius diligi, quod principalius diligitur, ſiue quod magis appreciatur, aut propter quod aliud diligitur, & poſterius illud diligitur quod minus principaliter, & nō propter ſe, ſed propter aliud quod diligitur magis appreciatur. Quomodo prius diligitur finis quàm medium dilectum propter finem.

Diligere magis aliquem poteſt eſſe tripliciter, vt S.Bonauen.ſcribit.diſt.iij.qu.vl.lib.ij. Aut ratione boni op-

boni optati, aut affectus intenſi, aut ratione effectus impenſi. Ratione boni optati dicitur quis aliquem magis diligere quando ei maius bonū optat, & ſic dicitur diligere magis, quia ad maius. Hoc modo naturali dilectione præcedente ex iudicio rationis rectè magis diligebat angelus angelum ſuperiorem, volebat enim ipſum excellere & plus boni habere, ſicut & Deus conditor voluit ſic ordinare. Ratione affectus intenſi dicitur magis alterum diligere quando affectio eius plus trahit ad alterum, & magis conſolatur de eius ſocietate. Et ſic dicitur aliquis magis illum diligere cum quo libentius cohabitat, & ſic angelus magis diligebat per naturam angelum eiuſdem ordinis. Quia ſicut naturali affectu magis diligit quis cōpatriotas ſuos, maximè quando conformatur ſibi in motibus, & ſicut magis diligit homo eum qui eſt eiuſdem profeſſionis & officij, vbi inuidia non interponit partes ſuas: ſic angelus alterum angelum eiuſdem ordinis magis dilectione naturali amplecti intelligendum eſt, cùm ſe viderit à conditore in officij æqualitate & naturæ ſimilitudine illi ſociatum, neceſſet tunc morum diuerſitas, nec inuidiæ malignitas. Ratione effectus ſiue beneficij impenſi dicitur quis magis eū diligere cui plura bona impendit, & circa quē magis ſollicitatur: ſicut magis mater cōfouet filium tenellū, & ſollicitior eſt circa illum quàm circa adultum, & magis circa infirmum quàm circa ſanum. Et hoc facit conſideratio maioris indigentiæ, & hoc modo dici poteſt quod angelus ſuperioris ordinis, magis diligit angelū inferioris, quia angelus paris vel ſuperioris ordinis non indiget ſic ſua inſtructione ſiue purgatione, ſecundum quod angelus inferioris ordinis. Hæc Bonauen. Et magis Chriſtus dilexit Petrum quā Ioannem, quem familiarius dilexit. De quo vide Gabr. diſt. xxij. qu. vnica. ar. iij. dub. iij. lib. iij. Et per hoc multę quæſtiones poſſunt ſolui, an Deus magis dilexerit hominem quàm angelum, magis genus humanum quàm Chriſtum, magis peccatorem prędeſtinatum quàm iuſtum præſcitum, & ſimiles, quæ latiùs pertractat S. Thom. & Bonauen. eadem diſt. Item vt habet Sco. diſt. xv. q. ij. in ſolutione rationum, & poſt eum Gabr. eadem di. q. ij. lib. iiij. Aliquis debet magis diligere vitam ſuam ordinatè vt eſt diligibilis ad vitam æternam, & magis conſeruationem iuſtam vitæ ſuæ quàm conſeruationem vitæ proximi ſui; ſed non magis iniuſtam vitæ ſuæ quàm conſeruationem vitæ proximi ſui. Sic enim magis debet latro ſuſtinere ſuſpēdium quā occidere ſuſpendentē, vt euadat: quia dilectio vitæ corporalis iniuſtè cuſtoditæ non eſt dilectio ordinata, quia non ad dilectionem Dei & animæ, &c.

Diligere à quo venit diligibile. Et charitate diligibile eſt illud bonū ſolum, & omne tale quod ſub obiecto adęquato charitatis includitur ſeu continetur. Eſt autem ſecundum Petrum de Aliaco. q. vnica iij. ſentētiarum obiectum adęquatum charitatis Deus, & omne quod Deus vult à nobis propter ſe diligi natum participare Deum beatificè, de potentia ordinata. Et cùm dicitur Deus, exprimitur obiectum principale & primarium charitatis, quod ſolū propter ſe diligitur tāquam finis vltimus, & ſummum diligibile. Omnia autē alia propter eum dicitur omne quod vult à nobis propter ſe diligi, hic tanguntur obiecta ſecundaria, vt creaturæ rationales, quæ non propter ſe finaliter, ſed propter Deum principaliter ſunt amandę. Dicitur natū participare Deum beatificè, per quod excludūtur creaturę irrationales, quæ nō ſunt partes creaturæ rationalis, hæ enim non ſunt capaces beatitudinis. Gabr. di. xxviij. qu. vnica. ar. j. li. iij. Sunt autem quatuor genera rerum diligendarum, vt & habet Magiſter diſtin. xxviij. libr. iij. ſcilicet, Deus qui eſt ſupra nos, nosipſi, & proximus, quæ iuxta nos, ac corpus quod infra nos eſt, hæc ſunt à nobis charitate diligenda. Nam quicunque ſunt nobiſcum beatitudinis participes, ſunt à nobis charitate diligendi, ſed tales ſunt tantum quatuor, vt dictum eſt, ergo. Vide latiùs de hoc Gabr. vbi ſupra. concluſione j. & S. Bonauen. diſt. xxviij. qu. j. libr. iij. & ſecundum eundem dæmones non ſunt ex charitate diligendi, nam charitas nullos facit diligere elicitiuè, niſi eos quos optat ad ſummam beatitudinem peruenire. Simili modo dicendum eſt de damnatis, quod non ſunt ex charitate diligendi, propriè accipiendo diligere ex charitate. Nam ſi largè acciperetur diligere ex charitate, dæmones & damnati ratione naturæ ſunt diligendi, ſed ratione culpæ ſunt odiendi, in quo ſunt Deo diſſimiles. Item homines mali ſecundum eundem inquantum ſunt homines ad Dei imaginem, ſecundum quam ſunt capaces beatitudinis, ſunt ex charitate diligendi. Sed homines mali inquantum mali, non ſunt diligendi, ſed potius deteſtandi. Natura itaque non eſt odienda, ſed culpa & malicia. Nec Deus odit homines ratione naturæ, ſed ratione vicij. Bonauen. latiùs ſcribit de hoc.

Diligere ex charitate ſiue charitatiuè poteſt fieri dupliciter. Vno modo ſtrictè ſecūdum deſtructionem obiecti charitatis, vt, ſcilicet, eſt aliquid diligere ex gratia tanquam amicum ſecum in beatitudine communicatiuum. Et ſecundum hanc acceptionem B. Ioan. & Magiſter diligibile ex charitate in quatuor genera diligibilium diuiſit. Alio modo accipitur largius pro omni diligere ad quod charitas inclinat, qualis eſt omnis dilectio meritoria Gabr. di. xxviij. q. vnica ar. iij. dub. ij. lib. iij. Sed quia hæc diſtinctio immediatè vbi ſupra dicta eſt: relinquo eam ſufficienter tactam. Videre potes latiùs Gabrielem B. Thom. S. Bonauen.

Diligere proximum, vide in dictione Proximus. De ordine diligendorum vide ſupra in dictione Charitas. Rationes verò diligendi ſunt multæ & aliquæ ſupra tactæ ſunt ſecundum S. Bonauen. Prima autem & principaliſſima eſt bonitas rei, quæ eſt perfectiſſima in Deo quia infinita, ideo Deus ſimpliciter ſuper omnia eſt diligendus. Secunda ratio eſt vnitas amantis ad amatum, & eſt multiplex. Quædam identitatis, & hæc perfectiſſima in amante ad ſeipſum, ideo ſeipſum plus aliis diligit. Quædā originis, quia vnus ab alio, ſicut filius & pater, vel ab eodem tertio, ſicut cæteri conſanguinei. Quædam communicabilitatis ſecundum varias ſpecies communicationis in natura, in vna patria, in vna domo, in vno officio, in vna ſocietate, in virtute, in gratia, in expectata beatitudine, & ſic de aliis quam plurimis. Et ſecundum quod plures vel potiores rationes communitatis ſimul concurrunt in vno diligibili ſe-

biſi, ſecundum hoc magis diligendum eſt affectiuè. Et quia maiorem affectum ſequitur maior beneficentiæ effectus cæteris paribus, id eſt ſi æqua fuerit neceſsitas, non maior in vno quàm in alio, etiã magis diligendus eſt effectiuè. Nec ſola vnitas amantis & amati, ſed etiam vnitas alicuius ad amatum, ratio eſt diligendi. Vnde diligens amicũ diligit omnia cõiuncta amico. Et ſecũdum hoc gratia per quã quis vnitur Deo ſummè dilecto, ratio eſt gratuitæ dilectionis. Vide latiùs Gabriëlem di.xxix.q.vnica.ar.ij.in concluſionibus. Et ſecundum hoc magis eſt diligendus in quo maiores diligẽdi rationes reperiuntur. Quem modum regulariter tenet B.Tho. Vnde.ij.ij.q.xxviij. ar.vij. vbi ſatis clarè materiam hanc proſequitur. Ordo verò diligendorũ eſt quod Deus primò diligendus eſt, ſecundò parentes, idem filij, pòſt domeſtici. De quo vide in dictione Charitas. Et Gabriëlem vbi ſupra.

Diligere Deum (vt ſcribit Gabriël di.xxvij.q.vnica.ar.j.lib.iij.) non eſt aliud quàm Deo bene velle, hoc eſt, velle Deũ eſſe bonum, ſummũ, infinitum, omnipotentem, iuſtum, ſapientem, &c. hoc eſt breuiſsimè Deum velle eſſe Deum, ſcilicet, bonum, quo nihil melius cogitari poteſt. Hoc enim intelligimus nomine Dei ſecundum B.Aug.j.de doc. Chriſtiana. Et quantò magis hoc volumus, & in hoc complacemus, ac gaudemus, tantò magis Deum diligimus. Si quis igitur vellet aliquam perfectionem non ineſſe Deo, Deum non diligit. Item nullus peccato mortali obnoxius habet dilectionem Dei, quia nullus talis vult eum eſſe Deum. Non enim vult eum eſſe ſummè ſapientem, ſummè iuſtum, ſummè potẽtem. Vellet enim vel Deum peccata ſua ignorare, & ſic non eſſe ſummè ſapientem, aut ſua peccata non vindicare, & ſic nõ eſſe ſummè iuſtum: aut diuinam voluntatem nõ eſſe omnipotentem, cui voluntatem ſuam præponit per inobedientiam ac pręcepti tranſgreſsionem. Nam inobediens Deo vult ſuam voluntatem perficere contra diuinam prohibitionem, & ita voluntatem Dei oppoſitum præcipientis non eſſe efficacem. Hæc eſt ſententia B.Ber. in quodam ſermone Paſchali. Cui concordat B.Anſel. in caſu diabo. Et hæc vera ſunt inquit Gabriël interpretatiuè, licet non ſemper formaliter, quia hũc actum nolendi Deum nõ ſemper elicit, quia Deum vt ſummum non ſemper apprehendit, nollet tamen ſi apprehenderet: ſtante ſua rebellione ad Deum. Diligens autem Deum, volendo Deum eſſe, poteſt ſic velle Deum eſſe ſummum, & in eo quod talis eſt, complacere propter Deum in ſe, non referendo ad aliud, puta commodum ſuum. Poteſt etiã hoc velle vt ſic ſit ſuum commodum & beatitudo. Primum velle eſt amor affectiuus amicitiæ & complacentiæ ac ordinatus. Secundus eſt amor affectiuus concupiſcentiæ deſiderij qui poteſt eſſe ordinatus, quoniam ad ipſum inclinat ſpes, ſicut ad primum charitas. Poteſt etiam eſſe inordinatus, ſi amans in commodo proprio ponit finem, ſic enim vteretur Deo, quod eſt tota peruerſitas, ſecundum Aug.li.lxxxiij. q. Sic & Deus amari poteſt amore effectiuo, dum ex amore affectiuo diuina complentur mandata. Hæc Gabriël.

Diligere Deum ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus, eſt primum & maximum præceptum, quod in variis paſsibus ſcripturæ traditur, vt notat & explanat Gabr.di.xxvij.q.vnica.ar.j.li.iij. Vnde ſecundum Aug. ſuper illud. Matth.xij. Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo, id eſt intellectu, ſine errore: ex tota anima, id eſt ex voluntate, ſine contradictione: ex tota mente, id eſt memoria ſine obliuione. Et hoc præceptum ſecundum Bonauen. Thom. & alios non tenemur implere per excluſionem omnis affectus extranei, quia nec eſt poſsibile in præſenti quod nil aliud ſit in mente vel in amore noſtro niſi Deus, præſertim pro longo tempore. Vnde hoc modo ſolum in patria implebimus. Sed tenemur implere ſolum per excluſionem affectus contrarij, id eſt peccati mortalis, tam à corde quàm à mente, & anima & corpore. Et ſic etiam poteſt in via impleri cum adiutorio Dei per charitatem, vt dicit Pelbartus. Si quis autem diligit Deum nõ purè propter ſe, ſed propter aliquid aliud, ſequitur quod illud aliud plus diligit quàm Deum, quoniam propter vnumquodque tale & ipſum magis: ex.j. Poſter. Sicut quis amat diuitem propter pecuniam, ſequitur quod plus amat pecuniam illius. Ex quo patet quod non eſt vera charitas gratuita & meritoria vitæ æternæ, niſi diligatur Deus ſuper omnia purè propter ſe, id eſt propter Deum, ita quod nil ſupra Deum, nec æquè Deo, vnde ſic vult Deus diligi, ita refert frater Pelbartus.li.iij. Roſarij theologiæ in dictione Charitas.¢.iij. Item ſecundũ Tho. Deus eſt diligendus, etiamſi nihil daret, ſed flagellaret, ſicut filius bonus diligit patrem flagellantem, poſſum tamen diligere Deum propter beneficia, vt propter dicit cauſam motiuam, non finalem, vt vult Tho.ij.ij.q.xxiiij.ar.iij. Vnde Aug. ſuper Ioan. ſer. iij. Non dilige ad pręmiũ, ſed ipſe Deus ſit pręmium tuum, &c. Vnde bonum eſt cogitare homini Dei beneficia, vt accendatur ad rediligendum, &c. Diligere autem Deum ex toto corde, &c. breuiter eſt diligere Deum ſuper omnia, vt dicit Gabriël vbi ſupra.

Diligere Deum ſuper omnia ſecundum Dominum Car. Came.li.j.diſtin.j.q.ij. & poſt eum ſcribit Gabriël di.xxvij.qu.vnica. ar.j. lib.iij. poteſt quatuor modis intelligi. Nam diligere ſuper omnia, vel plus quàm omnia. Vel intelligitur quantum ad perfectionem actus diligendi, ſiue illa perfectio attendatur ſecundum intenſionem gradualem, ſiue perfectionem eſſentialem. Primo modo dilectio intenſa perfectior eſt dilectione remiſſa, reſpectu eiuſdem obiecti. Secundo modo dilectio obiecti nobilioris æquè intenſa perfectior eſt dilectione obiecti minus nobilis, vt perfecti. Secundo modo attenditur exceſſus dilectionis vnius ſuper aliam quantum ad obiecti quantitatem intenſiuam vel exceſsiuam, ſic plus diligit vnum quàm alterum, qui maius bonum vel plura bona vult vni quàm alteri. Tertio modo attenditur quantum ad amoris appreciationem, ſic plus diligit qui amorem huius quàm illius magis appreciatur, ita quod ſi alterius amorem ex electione dimittere oporteret, eligeret potius dimittere eius quàm huius. Sicque dicitur hunc magis diligere cuius amorem magis eligeret conſeruare. Quarto modo quantum ad actus naturalitatem & firmitatem, quia firmius & naturalius ineſt ſibi dilectio vnius quàm al-

quam alterius. Vide de hoc Scotum di.xxvij.ſecundum quem exceſſus ille amoris Dei ſuper alios poteſt intelligi dupliciter. Extenſiuè quantum ad plura vel maiora bona dilecto volenda. Vel intenſiuè quantum ad affectum maiorem. Dicitur autem affectus maior qui magis repugnat affectui oppoſito, ita quod habens talem affectum facilius inclinari poſſet ad oppoſitũ dilectionis cuiuſcunq; quàm ad oppoſitum dilectionis Dei, &c. Tenemur autem Deũ ſuper omnia diligere, ſiquidẽ tenemur Deum velle eſſe ſummè ſapientem, perfectiſſimum, optimum, iuſtiſſimum, omnipotentiſſimum, & ſic de aliis attributis, quæ tamen nõ ſunt plura ſecundum rem, ſed vna ſimplex eſſentia. Dicuntur autem plura propter nominum pluralitatem vnam diuinã perfectionem ſimpliciſſimam ſignificantium. Diffuſe ſcribit de hoc Gabriël. diſt.xxvij.q.vnica.ar.ij.lib.iij. Item tenemur etiam hoc velle volitione maiore intenſiuè, ita quod magis vellet dilectionem ſui & cuiuſcunque creaturæ deſerere quàm dilectionem Dei, & magis vellet quodcunque malum accedere creaturæ quàm aliquod bonum Deo conueniens ipſi non ineſſe, aut quàm Deum non eſſe ſummum bonum & ſummè perfectum. Latiùs ſcribit Gabr. vbi ſupra. Poteſt autem voluntas humana ex ſuis naturalibus diligere Deum ſuper omnia, vt ſentit Scotus, Occam, Petrus de Aliaco & alij, & latiùs deducit hoc Gabr. vbi ſupra dubio.ij. Nam omni dictamini rationis rectæ voluntas ex ſuis naturalibus poteſt ſe conformare, ſed diligere Deum ſuper omnia eſt dictamẽ rationis rectè, ergo illi ſe poteſt voluntas ex ſuis naturalibus conformare, & per conſequens Deum ſuper omnia diligere. De quo plus legito apud Gabriëlem. Item homo poteſt ex puris naturalibus velle Deum eſſe Deum, & nihil aliud à Deo eſſe Deum. Sed talis vult Deo maximum bonum, & nulli alteri vult tantum bonum; igitur ſic volendo plus diligit Deum quàm ſeipſum, & quodcunque aliud. Addit rationem Scotus de forti politico, quam ponderat, quia fortis politicus magis diligit rempublicam quàm ſeipſum, nam ſecundum rectam rationem exponit ſe pro republica, & vult non eſſe vt bene ſit reipublicę. Vult enim magis mori quàm turpiter viuere vel fugere. Turpiter fugit qui cum iactura reipub. fugit. Si ergo poteſt quis rempublicam diligere plus ſe non amore præmij futuri, quod fortè non credit vel dubitat, ſed amore virtutis, ſequitur quod magis diligere poteſt Deum republica optimum rectorem quàm ſeipſum. Actus autem amoris Dei ſuper omnia non poteſt ſtare in viatore de potentia Dei ordinata ſine gratia & charitate infuſa, quia ſecundum legem ordinatam cuilibet facienti quod in ſe eſt, & per hoc ſufficienter diſpoſito ad gratiæ ſuſceptionem, Deus infundit gratiam, ſecundum illud Prophetæ: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Zach.1. Et illud Iac.4. Appropinquate Deo & appropinquabit vobis, ſcilicet per gratiam. Et illud Lucæ 11. Quærite & inuenietis, &c. Et Hiere.29. Cùm quæſieritis me in toto corde veſtro, inueniar à vobis. Et in Pſal.21. Qui requirent eum, viuent corda eorum. Viuimus autem per gratiã, nec alio actu magis appropinquare Deo poſſumus quàm diligendo Deum ſuper omnia. Latiùs Gabr. ſcribit ar.iij. dub.ij. propoſitione.ij. vbi ſupra. Et vt ſcribit Petrus Aliacenſis. Si quis eliceret actum dilectionis Dei ſuper omnia, ex puris naturalibus ſine gratia, non eſſet meritorius. Infert quoque quod nullus homo poteſt ſtante lege per iura naturalia ſine gratia rectè agere ſimpliciter & abſolutè, quod probat. Vide & Gabr. vbi ſupra. Nã nullus ſimpliciter abſolutè agit rectè, dicit Aliaco, niſi qui agit conformiter diuinę legi. Sed nullus agit ſic, niſi ſit in gratia ſecundum legem ſtatutam, ergo. Poteſt tamen aliquis ſtante lege per pura naturalia, ſine gratia moraliter rectè agere, quia poteſt agere cõformiter rectæ rationi, quàm Philoſophi morales, ſicut Ariſtoteles, Tullius, Seneca & alij ſimiles vocaſſent rectam rationem. Sed conſtat quod exiſtens extra gratiam poteſt ſic agere, ergo, &c. Et vt dicit Scotus & communiter doct. & habet Gabr. dub. iiij. vbi ſupra. Actus amoris amicitiæ Dei ſuper omnia eſt ſemper rectus, nec poteſt aliquando eſſe diſtortus. Vnde dicit Scotus quod diligere Deum ſuper omnia, eſt actus de ſe rectus, cuius rectitudo per ſe nota eſt, ſicut rectitudo primi principij in operabilibus. Et in ij.di.vj.q.ij. ait: Deus nõ poteſt inordinatè amari ex amicitia, quia eſt tale amabile quod ex ſola ratione ſui vt obiectum eſt, dat completã rationem bonitatis actui cõpletè intenſo. Actus enim ait Gabr. amoris amicitiæ Dej non poteſt excedere nec deficere, & hoc nec ratione obiecti, nec ratione actus vel modi. Latiùs ibidem Gabr.

Diligere in finem eſt diligere in Chriſtum qui eſt finis conſumans, id eſt vt eius dilectione tranſeat quo ipſe tranſit, vel in finem, id eſt in mortem, vt dicit glo. ſuper illud. Io.13. Cùm dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, in fi. dilc. eos. Vbi dicit Lyr. In finem, id eſt perfectè animam ſuam pro eis ponendo. In morte namque ſpecialia ſigna dilectionis oſtendit. De quo Ger. parte. iiij. ſer. de cœna Domini ait: In finem non ad tẽpus, ſicut hoſtes noſtri, vel mundus dum bona fortunæ quis diſtribuit, ſed non vera charitate, &c. aut vero amore, ſed in finem de vera charitate.

Diligere vt reperitur in diuinis quandoque accipitur notionaliter, id eſt non purè eſſentialiter, licèt enim quandoque ſumatur purè eſſentialiter. Cùm autem ſumitur notionaliter nõ eſt ſimpliciter idem quod ſperare; tunc enim ſicut pater & filius diligũt ſe ſpi.ſan. ita ſpirarent ſe ſpi.ſan. Quandoque verò ſumitur partim notionaliter & partim eſſentialiter, vt, ſcilicet nec eſt purum eſſentiale, nec purum notionale, ſed eſt æquiualenter eſſentiale & notionale, vt ſcribit Gabr. di.xxxij.q.ij.li.j. ex eo quod in ſuo quid nominis ponitur terminus eſſentialis, & terminus notionalis, vt diligere ſit amore abſoluto diligendo ſpirare ſpiritumſanctum, tãquam amorem alicui impenſum. Et ſic includit in ſe diligere eſſentiale, quod eſt omnibus modis eſſentia diuina, & ſimiliter includit in ſe ſpirare, primum eſt eſſentiale, ſecundum notionale. Et ſecundum Bonauen. diſt. xxxxij.q.j.li.j. quando diligere tenetur eſſentialiter dicit voluntatis complacentia; quæ communis eſt tribus, ſed quando tenetur notionaliter, ſic dicit voluntatis fœcunditatem, ad producendam perſonam ex ſe, quę quidem fœcunditas ſolùm eſt in duobus, quamuis voluntas ſit in tribus. Bonauen. Pater itaque &

que & filius (vt aît Gabr. vbi ſupra.ar.ij.) diligunt ſe ſpiritusſancto, vt diligere dicit vtrumque eſſentiale & notionale, quia valet tantum Pater & filius diligunt ſe amore abſoluto & eſſentiali. Et ſic diligendo ſeſe producunt ſpiritumſanctum tanquam amorem vtriuſque vni, ſcilicet impenſum & repenſum alij. Et eſt aliquo modo ſimilis loquendi modus, quo Ioan. dicit: Diligamus inuicem non tãtum lingua & verbo, ſed opere & veritate, non tamẽ diligũt ſpiritusſancto, quo modo lingua & opus ſigna ſunt internæ dilectionis, ſed ſpiritusſancto tãquam amore vero ab eis producto vni eorum impenſo, & alteri repenſo. Ita Gabr. vbi ſupra. Vide & de hoc do. Car. Came. q. viij. ar. iij. lib. j. Diligere igitur nec eſt purum notionale, nec purum eſſentiale, ſed vtrumque dicit. Et tale (vt ſcribit Gabriël. artic. iij. vbi ſupra.) non eſt aliquod reale in diuinis, ſed eſt terminus vel ſignum ſignificans vtrumque. In cuius, ſcilicet diffinitione quid nominis ponitur aliquid quod præciſe ſignificat eſſentiale, ſcilicet commune tribus & aliquod notionale.

Dilectio Dei poteſt diſtingui duplex (vt notat Dominus Car. Came. qu. ix. ar. ij. lib. j.) Vna increata, ſcilicet Deus. Alia eſt quædam forma exiſtens in nobis quæ non eſt Deus. Et de prima dicitur ſaluatorem intellexiſſe ſecundum Augu. Ioan. 15. Manete in dilectione mea. Vtraque autem dilectio dicitur qua diligimus fratrẽ, ſed ſub diuerſo ſenſu. Nam dilectio creata eſt qua formaliter diligimus, ſed dilectio increata eſt qua, id eſt propter quã diligimus cauſaliter. Cùm itaque Augu. dicit: Qui diligit proximum, diligit dilectionem, non intelligit de dilectione per quã, ſed de dilectione propter quã, & illa dilectio verè Deus eſt. Et ſic Aug probare intendit, quod qui diligit proximum ſicut debet, diligit etiam Deum. Vnde ipſe dicit. viij. de trini. c. vj. Qui proximum diligit, conſequens eſt vt ipſam præciſe dilectionem diligat. Deus enim dilectio eſt; & qui manet in dilectione, in Deo manet, &c. & de hoc Aliacen. vbi ſupra. Et dilectio Dei ordinata ſicut eſt perfectior intenſiuè & extenſiuè dilectione quacunque creaturæ, ita etiam magis meritoria. Et quoniam proximus eſt diligendus propter Deum dilectum, ergo Deus magis diligendus per regulam topicam, propter vnumquodque tale, & ipſum magis. Omnis autem charitatiua dilectio (vt vult Gabr. di. xxviij. q. vnica. ar. j. lib. iij.) & ſi quandoque ad creaturam terminatur, non tamen ibi ſiſtit, ſed vltra refertur in Deum, vnde actus quo amo creaturam propter ſe præciſe, non referendo in Deum, nunquam eſt actus charitatis, neque amor creaturæ propter Deum eſt actus charitatis propter amorem creaturæ, ſed propter amorem Dei in amore creaturæ propter Deum incluſum. Non enim eſt actus ille actus charitatis, vt terminatur in proximũ, ſed vt refertur vltra in Deum tanquam in finem propter ſe ſummè dilectum. Ideo Aug. loquens de dilectione proximi charitatiuè diligendi, dicit eundem diligendum non in ſe, ſe in Deo vel propter Deum. Sed de dilectione proximi vide in dictione Proximus. Dilectio inſuper gratuita non ſemper concordat dilectioni naturali, vt poſt Bonauen. ſcribit Gabri. di. xxix. qu. vnica. ar. j. li. iij. Nam gratia quandoq; currit cũ natura via cõſona, quãdoq; via oppoſita, quandoq; via diuerſa. In hoc enim quod homo plus diligit ſe quã proximũ, cõcordat naturæ gratia. In hoc quod plus diligit ſe quã Deum, naturæ repugnat gratia. In hoc quod plus diligit filiũ q̃ patrẽ, currit natura diuerſa via à gratia. Latiùs ſcribit S. Bona. & Gab. vbi ſupr.

Diluuium eſt duplex ſecundum doc. & Guilhel. de Conchis, vt refert frater Pelbartus libro ij. Roſarij Theologiæ. Vnum dicitur particulare, de quo Plato & Auguſtinus dicunt, quod plures præceſſerunt inundationes aquarum, ſcilicet in aliquibus terris & regionibus particulariter. Aliud dicitur diluuium generale, ſcilicet quo mundus totus eſt penitus. Et tale eſt duplex. Vnũ, ſcilicet eſt aquæ, quod fuit tempore Noë propter peccata carnalia. Aliud erit ignis cõflagrationis in fine mundi propter peccata auaritiæ & iniquitatis ac refrigerationem charitatis, iuxta illud Math. 24. Et quia abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas. Contra huiuſmodi ergo erit ignis conflagratio per mundum totum, in tanta altitudine extenſa ſuper omnes montes, ſicut fuerunt aquæ diluuij, ſcilicet quindecim cubitis, de quo ſuo loco videbitur.

Diſpenſare (vt ſcribit poſt Scotum Dominus præpoſitus Gabriël di. xxxvij. qu. vnica. arti. j. lib. iij.) in materia decem præceptorum non eſt facere quod ſtante præcepto liceat facere contrarium ſeu contra præceptum. Sed diſpenſare eſt præceptum reuocare, vel declarare qualiter debeat intelligi. Vnde duplex eſt diſpenſatio, iuris reuocatio, & iuris declaratio. Exemplum primi. Cùm Chriſtus mutauit legem veterem quando dedit nouam, & hoc quantum ad cerimonialia, non quidem faciens quod ſtante præcepto de ceremonialibus non eſſent illa ſeruanda, ſed faciens quod actu illo manente eodem non tenebatur quis ad illum, ſicut prius. Sic etiam diſpenſat quicunque legiſlator ſimpliciter quando reuocat præceptum iuris poſitiui ab eo actu. Exemplum ſecundi: vt cùm declaratur legiſlatorem non intendiſſe quod in tali caſu particulari legem ſuam voluerit quem obligare. Leges enim humanæ quæ generaliter feruntur, poſſunt & debent exceptionem excipere, dum ratio legis deficit, quando, videlicet ſi legiſlator adeſſet, vel alius prudens interrogatus exciperet à generali conſtitutionem caſum particularem. Vide latiùs vbi ſupra Gabriëlem.

Diſpenſatio eſt iuris relaxatio facta cum cauſæ cognitione, ab eo qui habet ius diſpenſandi. Vnde diſpenſare dicitur, quaſi diuerſa penſare, vt ſcribit S. Bonauentu. diſt. xix. libr. iiij. circa literam. Et ideo in eis qui ſtatum Eccleſiæ decolorant, diſpenſandum non eſt, & in eis qui nituntur ius infringere, & hoc eſt quando multis conceditur quod paucis eſſet concedendum, &c. Vnde Richar. Si non ſubeſt rationabilis cauſa in diſpenſatione, potius eſt diſſipatio quàm diſpenſatio. Hinc Petrus Palu. diſtinct. xxxviij. quæſt. iiij. libr. iiij. Ex parte diſpenſantis requiritur auctoritas, & ex parte diſpenſati cauſa vtilitatis vel neceſſitas eius, vel reipublicæ, in omni genere diſpenſationis, & in omni Prælato, diſpenſanre etiam Papa. quia nec Petro, nec alij commiſſa eſt poteſtas in de-

ſtructionem

ſtructionem ſed in ædificationem. Hæc Palud. Et quãuis papa (vt ſcribit Rich. d. xxviij. ar. iiij. q. iiij. li. iiij.) nõ poſſit diſpẽſare cõtra ius naturæ, nec contra ius diuinũ, quia ſua poteſtas vtroq; iure eſt inferior, & vtrũq; ſupponit tanquã fundamentũ; tamẽ quia eſt ſucceſſor Petri, qui princeps fuit apoſtolorum æqualẽ poteſtatẽ habẽs poteſtate Petri, imò vt proprius loquar eandem, & inferior non poſſit obligare ſuperiorẽ, nec par parem. Papa de plenitudine poteſtatis diſpenſare poteſt contra ſtatuta apoſtolorum quorumcunque, ſi tamen vim non habeant ex iure naturæ vel diuino decreto. di. lxxxij. Sed non decet hoc faciliter fieri propter reuerentiam Apoſtolorum, ideo cum bigamis Dominus papa nõ diſpenſat, niſi exigente neceſſitate. Idem Rich. de voto dicit diſt. xxxviij. ar. ix. q. j. li. iiij. quod omne votum quod eſt de his quæ ſunt ſupererogationis diſpenſabile eſt, quia diſpenſationis in quolibet tali voto poteſt inueniri rationabilis cauſa, ſcilicet, profectus maioris boni, vel vitatio mali, ſiue per comparationem ad rem publicam, ſiue per comparationem ad vouentem. Reformatio enim pacis inter regna magis eſt bonum commutati quàm continentia vnius perſonæ. In tali enim caſu ſi perſona quæ continentiam vouerat nubat per obedientiam Domini papæ, ſua obedientia magis meritoria eſt ſibi quàm continentia, quantum ad præmium ſubſtantiale, vitatio etiam communis mali; vt vitatio diſcordiæ inter regna quæ ſunt in pace, & vitatio probabilis tranſgreſſionis voti, ſi probabilitas ſit vehemens, poſſunt eſſe rationabilis cauſa diſpenſandi in quocunque ſupererogationis voto, aliter enim non video (inquit Richar.) quin obligatio pro charitate facta quandoque contra charitatem militaret. Et vt idem Rich. dicit q. ij. vbi ſupra. in votis maioribus, cuiuſmodi ſunt votum continentiæ, religionis & crucis, ſolus papa diſpenſare poteſt, quia in votis iſtis non eſt diſpẽſandum niſi propter communem Eccleſiæ vtilitatem vel aliquam magnam neceſſitatem. In omnibus autem aliis votis quæ reſpectu prædictorum dicũtur vota minora, cuiuſmodi ſunt vota abſtinentiæ, & peregrinationis ad ſanctum Iacobum, & ſimilia poſſunt epiſcopi diſpenſare, extra de vo. & voti redemp. c. j. vbi dicitur, quod diſpenſatio in votis peregrinationis pẽdet ex eius qui præſidet arbitrio, per quem ſecũdum glo. & Dominum Hoſti. intelligitur non tantum papa ſed etiam Epiſcopus. Inferiores autem Epiſcopis in nullo voto diſpenſare poſſunt, niſi eis fuerit ſpecialiter commiſſum, exceptis Prælatis religioſorum, qui diſpenſare poſſunt in votis ſubditorum ſuorũ. Hæc Rich. De diſpenſatione vide latius apud prædictos doct. & Gerſonem & iuriſperitos.

Diſpenſator qui diſpenſat & exponit. Diſpenſator fidelis eſt ſi ad honorem Domini ſui & iuſtitiam ac ſalutem ſubditorum auctoritatem acceptam diſpenſat. De hoc xxv. q. j. c. vlti. Leo papa ait. Vnde Apoſtolus 1. Cor. 4. Sic nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores miniſteriorũ Dei. Hic iam quæritur inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur. De hoc Gabriël di. xxxix. q. j. ar. ij. concluſione. ix. li. iij. qui & ibidem dicit de his qui contra vota & iuramenta diſpenſationem quærunt, nulla rationabili cauſa ſubſiſtente, quæ diſpenſationes ſecundùm beatum Ber. non diſpenſationes ſed diſſipationes dicendæ ſunt, &c.

Diſpoſitio eſt habitus imperfectus ſecundum B. Thom. iiij. ſen. di. iiij. q. j. ar. j. Scotus di. xiiij. qu. ij. loquitur de duplici diſpoſitione, ſcilicet præuia & concomitate. Nam diſpoſitio præuia eſt quæ præcedit deletionem culpæ, & illa ſemper eſt ſine charitate & gratia; & per conſequẽs ſemper eſt informis, quia à ſola inhærentia & inclinatione charitatis & gratiæ ad actum, actus dicitur formatus. Concomitans verò eſt quę ſimul eſt cum charitate & gratia, & ſic ſemper eſt formatus. Sco.

Diſſidium (vt ſcribit Paulus Corteſius libro iij. ſen. diſt. vij.) eſt hominum cohęrentium charitate repugnante diſtractio, & eſt idem quod diſcordia, vnde diſſidioſus, id eſt contentioſus. Dicitur autem à diſſideo quod eſt diſcordo.

Diſtare (vt ſcribit Gabriël diſt. xvj. q. vnica. dubio. iiij. li. ij.) Vno modo capitur priuatiuè, & ſic diſtare ab aliquo eſt non eſſe in loco, in quo eſt illud aliquid. Et anima in pede non diſtat à ſeipſa in manu. Alio modo accipitur poſitiuè; & ſic diſtare dicuntur quæ ſunt in locis inter quæ eſt locus medius, & ita idem poteſt diſtare à ſeipſo, quia idem eſſe in diſtinctis locis; ſic anima in pede diſtat ab anima in manu, &c.

Diſtinctio numeralis ſiue eſſentialis eſt diſtinctio aliquorum, quorum vnum non eſt aliud, neque aliquod idem ſingulare eſt vtrumque vel eſt illorum quę de ſeinuicem verè negantur, vt Petrus & Ioannes. Sic omnes creaturæ diſtinguuntur inter ſe. Gab. di. ij. j. li. j.

Diſtinctio realis non eſſentialis eſt diſtinctio aliquorum, quorum vnum negatur de alio, id eſt vnũ non eſt aliud, ſed aliquod ſingulare & ſimpliciter vnum eſt vtrumque, ſic diſtinguuntur perſonæ in diuinis & relationes oppoſitæ, vt generatio actiua, & ſpiratio paſſiua, & relationes diſperatæ quæ non conueniunt eidem ſuppoſito, nam pater non eſt filius, nec paternitas eſt filiatio, & tamen vna ſingularis & ſimpliciſſima diuina eſſentia eſt pater & filius, paternitas & filiatio: Gabriel di. ij. q. j. li. j. Diſtinctio itaque realis ponitur inter perſonas diuinas, ſunt enim tres perſonæ tres res diſtinctæ realiter non eſſentialiter, & Brulefer di. xxvj. q. j. libr. j. dicit quod triplex diſtinctio ſiue differentia poteſt aſſignari in diuinis, ſcilicet eſſentialis, perſonalis & notionalis. Diſtinctio eſſentialis non habet locum in diuinis. Diſtinctio autem perſonalis eſt illa quæ eſt inter aliquas duas res, quarum quælibet eſt perſona, & vna non eſt altera, vel quæ ſunt in diuerſis perſonis realiter diſtinctis. Diſtinctio autem perſonalis (vt dicit Gabr. diſt. xij. qu. j. lib. j.) eſt maxima diſtinctio quæ eſt in diuinis, vnde diſtingui perſonaliter eſt diſtingui realiter, vel perſonaliter diſtingui eſt præciſè perſonarum realiter diſtinctarum. Sed diſtinctio notionalis (vt inquit Brulef. vbi ſupra.) eſt illa quæ eſt inter aliquas duas notiones, quarum vna non eſt alia, & hæc eſt inter generationem actiuam & ſpirationem actiuam, & diſtinctio perſonalis habet locum in diuinis. Omnis autem diſtinctio eſſentialis eſt realis, ſed non econtra; vt ſcribit Dominus Car. Came. quia licet iſta ſit

in creatu-

in creaturis, non tamen in diuinis, vbi plures res ſunt vna indiuiſibilis eſſentia, &c. Aliacē.q.vj.ar.j. libr.j.

Diſtinctio formalis eſt diſtinctio eorum, quorum termini ipſa pręciſe & ſingulariter ſignificātes de ſeinuicem verè & affirmatiuè prædicantur: & tamen non quicquid verè ſingulariter & affirmatiuè prædicatur de vno, etjam prædicatur de altero, ſed aliquod ſingulare quod affirmatur de vno negatur verè de altero, ſic diſtinguitur eſſentia & relatio, ſiue eſſenria & perſona: nā eſſentia eſt paternitas ſiue pater, & tamē filiatio vel filius eſt eſſentia, & filius nō eſt pater, neq; filiatio eſt paternitas. Sic cōceditur de ſum.trin.& fi.ca.c. Firmiter, pater generat: & negatur, eſſentia generat. Itē fides docet verbū incarnatū eſſe, crucifixū in natura aſſumpta, paſſum, mortuū, &c. De trini.& fi.ca.in clemen.& illud non conceditur de eſſentia. Vel diſtinctio formalis, vt idem Gabr. haber dub.iij.vbi ſupta. eſt quando aliqua res eſt vnum diſtinctorum formaliter, & non aliud, ſicut filius eſt eſſentia, & non eſt pater, igitur eſſentia & parer diſtinguuntur formaliter. Latiùs ibi Gabr. poſt Occam. Vnde diſtinctio formalis aliter deſcribitur ab Occam di.ij.qu.xj.li.j. Diſtinctio formalis eſt quādo vnum nō eſt de per ſe intellectu alterius, & aliquid cōpetit vni aliquo modo, quod non competit alteri. Vnde ſecundū eum de diſtinctione formali contingit loqui dupliciter. Vno modo vt illa dicuntur diſtingui formaliter quæ ſic ſunt idem realirer, quod tamen aliqua res eſt realiter eadem vni, & diſtincta realiter ab altero, & ſic diſtinguitur formaliter eſſentia à relarione & etiam à qualibet perſona. Et ſic nō diſtinguuntur formaliter relatio propria perſonæ, & perſona per ipſam conſtituta. Secundo modo diſtinctio formalis eſt eorum quę ſunt idē realirer, & etiā quicquid realiter eſt idem vni eſt idem realiter alteri, tamē aliquid prædicatur de vno quod nō prædicatur de altero. Sic diſtinguuntur ſecundū alios natura & ſuppoſitum in creaturis, quia natura eſt ſuppoſitum, & quicquid realiter eſt natura, eſt ſuppoſitum & econuerſo. Communicari autem affirmatur de natura, & negatur de ſuppoſito, & incommunicabile affirmatur de ſuppoſiro, & negatur de natura. Sic paternitas & pater diſtinguuntur formaliter, quia licèt quicquid eſt paternitas realiter, eſt etiam realirer pater, & econuerſo, tamē cōſtitui affitmatur de patre, & negatur de paternitate. Similiter cōſtituere affirmatur de relatione, & non de ſuppoſito. Iſtud eſt de mente Occam.di.xxviij. lib.j. Oritur autē diſtinctio formalis ex diſtinctione reali, & eam præſupponit, vt habet Gabriēl di.ij. li.j.vbi ſupra. Nam vbicunque aliqua diſtinguuntur realiter non eſſentialiter, ibi eſt dare aliquod vnum, quod eſt idem cū quolibet ſic diſtinctorum, & per conſequens formaliter à quolibet illorum diſtinguitur. Gratia exempli. Pater & filius diſtinguunrur realiter & non eſſentialiter, & per conſequens eſt dare aliquod vnum quod eſt idem patri & filio, ſcilicet eſſenria diuina quæ eſt pater, eſt etiā filius, & per hoc diſtinguitur formaliter à patre, quia eſſentia eſt pater, & tamen filius prædicatur de eſſentia, & negatur de patre. Similiter eſſentia diſtinguitur formaliter à filio, quia eſſenria eſt filius, & tamen pater dicitur de eſſentia, & negatur de filio. Et ſecundum Occam, & poſt eum ſcribit Gabriēl vbi ſupra. Ibi tantū eſt inuenire diſtinctionem formalem vbi vna res ſingularis & indiuiſa eſt plures res, quarum plurium vna non eſt realiter alia. Et quia hoc ſolùm concedit in diuinis, & non in creaturis, ideo ſolùm in diuinis diſtinctio formalis, & non in creaturis inuenitur. Et quia hæc diſtinctio eſt difficillima ad ſoluendum & intelligendum, imò nō facilior quàm perſonarum trinitas (vt habet Occam & Camer.in vna eſſentia. Ideo nullibi ponenda eſt niſi vbi ſcripturæ vel Eccleſiæ auctoritas compellit, id eſt niſi vbi ex his quæ in ſcripturis ſacris vel Eccleſiæ determinatione habetur. Vide latiùs Gabr. vbi ſupra. Diſtinctio formalis dicit conditionē non rei ſed propoſitionis (vt habet Gabr.di.ij.q.xj.lib. j.) propoſitionis, ſcilicet in qua termini ſignificatiuè ſumpti de ſeinuicem prædicantur, & tamen de altero eorum ſignificatiuè ſumpto aliquid affirmatur, quod non eo modo præciſe affirmatur de reliquo ſignificatiuè ſumpto. Et cum pater & eſſentia ſupponunt pro eadem re, nihilominus aliquid attribuitur patri & non eſſenriæ, & hoc eſt diſtingui formaliter, qui modus loquēdi breuitatis gratia eſt inuentus, vt dicit Gabr. Et vt idem ait vbi ſupra, ille modus loquendi theologorum, ſic intellectus non eſt malus & execrandus, ſed eſt acceprandus. Et ſi quis poteſt dare breuiorem, det: ait ipſe. Et Occam Greg. Vide & Aliacen.q.vj.lib.j.

Diſtingui formaliter dupliciter accipi poteſt ſecundum Greg. Vno modo capitur vt eſt condictio propoſitionis æquiualens huic quod eſt per ſe primo modo. Alio modo ſecundum quod eſt caſuale nominis forma ſiue aduerbium. Primo modo illa conceditur à Grego. Eſſentia diſtinguitur formaliter à patre, eò quod non eſt idem formaliter cum patre, prout formaliter ſequitur diſtinguitur, vt dicit Grego.di.xxxiij.& xxxiiij.q.vnica.ar.iij.lib.j. ſed ſi præcedit falſum eſſet. Si verò ſumitur ſecundo modo, tunc illa eſt falſa. Eſſentia diuina diſtinguitur formaliter à patre, ſiue formaliter præponatur ſiue poſtponatur, quia nullam habet formam, ſeu quia pater nō eſt realitas diſtincta ab eſſentia vel forma, vel alia.

Diſtingui formaliter ſecundum Occam.di.ij.q.j.li.j. non eſt aliud (& hoc eſt quid nominis ipſius) quam quod vnum illorum eſt aliqua res abſoluta vel relatiua, & alterum non eſt illa res, ſicut eſſentia eſt filius, & pater non eſt filius: ideo eſſentia & pater diſtinguuntur formaliter, ex quo vna res ſunt, nec valet conſequentia, vt habet Gabr.qu.xj.di.ij.libr.j. Concordat Aliacen.q.vj.li.j. diſtinguuntur formaliter, ergo diſtinguūtur. Nec valet conſequētia: Eſſentia diuina & paternitas diſtinguuntur formaliter, igitur in patre ſunt formalitates diſtinctæ. Vide latiùs Gabriēlem. Et Oyta dicit quem refert Gabriēl, quod non alio modo concedendum ſit eſſentiam diuinā diſtingui formaliter à perſona vel proprietate perſonali, niſi quia Deus eſt talis naturæ quod aliquod idem verè affirmatur de eſſentia, & negatur de perſona, & econtra. Et ad illam mentem (ait idem Doctor) videntur Scotus & Occam finaliter tendere. Et notādum vt ſcribit Dominus Car. Camer. q.vj.ar.j.lib.j.volens tradere regulam, vbi

debeat

debeat poni diſtinctio formalis. Quandocunq; aliqui termini dicuntur de ſe inuicem cõuertibiliter, & hoc conuerſione non regulata per hoc diſtributiuum quicquid, vel omnis res quę eſt tunc de ipſis ſignificatiuè ſumptis verificatur, diſtingui formaliter. Et nunqoã aliter patet ex quid nominis diſtinctionis formalis. Exemplum ponit: Omnis eſſentia eſt paternitas, omnis paternitas eſt eſſentia, & ſic iſti termini conuertibiliter prędicantur, non tamen conuerſione regulata per quicquid eſt, quia eſſentia eſt filius, filius non eſt paternitas: & quicquid eſt Deus, eſt deitas: ideo identificãtur formaliter Deus & deitas. Sed hoc quid nominis diſtinctionis formalis non ſufficit: vt dicit Gabriël diſt. ij. quæſt. xj. libr. j. quia etſi illa conceditur, Deus generat: nõ ſic illa, deitas generat. Item Deus eſt paſſus, nõ ſic deitas eſt paſſa. Item Deus aſſumpſit humanitatem, quod ſecundum plures non conceditur de deitate: de quo aliàs. Exemplũ ſecũdi membri dicit Aliaco. Quicquid eſt eſſentia diuina, eſt deitas, & econuerſo, ideo eſſentia diuina & deitas nõ diſtinguuntur formaliter, ait Camer. Ex quo ſecundũ eundem habetur, quod vna perſona diuina non diſtinguitur formaliter ab alia, nec perſona à relatione, ſeu perſonali proprietate vel ecõtrà: quia vna perſona non eſt alia. Et quicquid eſt pater, eſt paternitas, & ecõtrà: & ita eſt de aliis perſonis & relationibus. Hæc Cardi. Camera. de diſtinctione formali. Vide latiùs apud Gabr. vbi ſupra. & doc. alios: qui & abſq; temeritate & pertinacia materiã de diſtinctione formali cũ formidine tractãt, & pauca ex multis poſui.

Diſtinctio rationis. quidam dicunt eam eſſe inter conceptus mentis: ita ſecundũ eos nullæ res diſtinguuntur ratione, ſed tantũ cõceptus. Alij attribuunt diſtinctionẽ rationis rebus extra animã ſignificãtis per cõceptus non ſynonymos in anima. De quo latiùs Gabr. d. ij. q. iij. ar. j. li. j. Et diſtingui ratione, vt habet Occã quodli. iij. q. ij. non eſt aliud quàm habere diuerſas diffinitiones aut deſcriptiones. Sic nomina diuerſa diſtinguuntur ratione, quia habẽt diuerſas deſcriptiones, vt homo & leo. Et licèt ſic diſtinguãtur ratione, poſſunt tamẽ etiã diſtingui realiter, intelligo (inquit Gab.) id eſt ſumpta ſignificatiuè, & in ſuppoſitione perſonali ſupponunt pro diuerſis rebus. Item vna res dicitur multiplex ratione (impropriè tamẽ) cũ habet diuerſas rationes ſiue deſcriptiones. Differre autẽ ratione vide ſup.

Diſtinctio ſpecifica (vt ſcribit Gabr. diſt. j. quæſt. vj. libr. ij.) poteſt attribui rebus vel ſignis. Res autem diſtingui ſpecie dupliciter poteſt intelligi: vel, ſcilicet ſpecie eſſentiali vel ſpecie accidentali. Specie eſſentiali diſtinguuntur, quæ non ſunt ſub eadem ſpecie ſpecialiſſima abſoluta, vel quæ ſunt ſub diuerſis ſpeciebus ſpecialiſſimis abſolutis, vt homo, aſinus, ſortes, brunellus. Sit brunellus nomen proprium equi. Specie accidentali diſtinguuntur, quæ ſunt ſub diuerſis ſpeciebus accidentaliter, id eſt connotatiuis, vt homo albus, homo niger. Animæ quoque intellectiuæ inter ſe differunt ſpecie accidentali pro quanto vna eſt informata aliquo habitu ſcientiæ vel virtutis, quo alia caret. Et diſtinctio ſpeciuoca non eſt niſi reſpectu ſingularium, & non rerum vniuerſalium, quia nullæ ſint res vniuerſales, vt aliàs dicitur. Et res ſingulares diſtinguuntur ſpecie abſoluta, quæ ſignificantur per diuerſas ſpecies abſolutas ſpecialiſſimas, vt hic homo, hic aſinus. Et dicitur ſignanter ſpecialiſſimas, quia duo homines quamuis ſignificantur per illas ſpecies, homo animal, tamen non differunt ſpecie abſoluta vel eſſentiali: quia animal non eſt ſpecies ſpecialiſſima, ſed ſubalterna, &c. Angeli autem & animæ intellectiuæ, diſtinguuntur ſpecie eſſentiali, vt omnes concedunt, quia animæ intellectiuæ poſſunt perficere corpus tanquam forma materiam, quod Angeli non poſſunt: ergo diſtinguuntur. Non enim (inquit Gabriël vbi ſupra.) eſt aliud medium arguendi differentiam ſpeciuocam, niſi ex operationibus aut proprietatibus naturam rerum conſequentibus. Cùm enim pro ſtatu iſto eſſentias rerum abſolutè & nudè cognoſcere non valemus, illas per operationes & proprietates arguere oportet. Diſtinguuntur & anima intellectiua & Angelus ſeipſis ſpecie, & nõ per aliquas realitates ſuperadditas. Latiùs vide Gabriël. Nam eſſe diſtinctũ conuenit rei immediatæ, & per conſequens non per aliquod ſuperadditum.

Diſtinctiuum quod diſtinguit vel quo aliquid diſtinguitur. Aliquid eſſe diſtinctiuum alicuius poteſt intelligi dupliciter (vt ſcribit Dominus Cardinalis Cameraceñ. quæſt. viij. art. j. libr. j.) Vno modo, vt per huiuſmodi diſtinctiuum intelligamus aliquid exiſtens extra animam ſecundò ſe ab altero diſtinctũ: ſic dicimus quod homo per animã ſuam diſtinguitur ab aſino, & q, vna anima ſecundum ſe diſtinguitur ab alia. Alio modo, vt per diſtinctiuũ intelligamus aliquid per quod poteſt verè cõcludi aliquid ab aliquo eſſe diſtinctũ: ſic dicimus q, accidens in Sacramento altaris diſtinguitur ab aliis per hoc q, ipſum nõ eſt in ſubiecto, ſicut alia accidẽtia. Hoc autẽ modo dicimus in diuinis, q, pater diſtinguitur à filio per hoc quod ipſe à nullo eſt, & filius eſt ab eo, & hoc vtiq; ſic eſſet etiã ſi nulla anima hoc cõſideraret. In primo ſenſu filius diſtinguitur à ſpiritu ſancto ſeipſo, & nõ aliquo ſui propriè, quia filius eſt perſona ſimpliciſſima: igitur à quocunq; diſtinguitur, ſeipſo diſtinguitur. In ſecũdo ſenſu filius diſtinguitur à ſpiritu ſancto nõ præciſe, quia ſpiritus procedit ab eo. Nam filius diſtinguitur à ſpiritu ſancto, etiã per hoc quod ipſe eſt à patre naſcendo, & ſpiritus ſanctus à patre non naſcendo, ſed procedendo: igitur nõ præciſe per hoc filius diſtinguitur à ſpiritu ſancto, quod ipſe ſpirat ſpiritũ ſanctũ: tẽnet cõſequentia, quia nõ eſt idẽ eſſe à patre naſcendo, & eſſe à patre non naſcendo. Aliacenſis.

Diſtinctè. Et nomen aliquod diſtinctè ſignificare poteſt tripliciter intelligi. Vno modo quod ſignificat aliquid, & virtute ſuæ inſtitutionis nõ ſignificat nec connotat aliud. Secũdo modo quod ſignificat aliquid, & ex vi ſuę inſtitutionis nihil aliud, ſiue aliud connotet ſiue non. Tertio modo quod ſignificat aliquid, ita quod nec ex vi inſtitutionis neque ex communi vſu vtentiũ aliquid aliud occurrit intelligenti vocis ſignificationem. Ad ipſius vocis prolationem, accipiẽdo ſignificare diſtinctè tertio modo, viator (vt ſcribit Gabriël diſtinct. xxij. quæſt. vnica, lib. j.) non poteſt imponere nomẽ ad

diſtinctè ſignificandum diuinam eſſentiam, quia quodcunque nomen imponitur ad ſignificandum Deum, ad eius prolationem illud occurrit audienti, & eius ſignificationem intelligenti quod non eſt Deus. Sed bene primo & ſecũdo modo poteſt viator imponere nomen ad ſignificandum Deum diſtinctè, quia alioquin non poſſemus de illo diſtinctè loqui, nec aliquid de illo affimare vel negare. Item viator poteſt imponere nomen ad diſtinctè ſignificandum quod non poteſt diſtinctè intelligere: patet, quia viator non poteſt Deum diſtinctè intelligere, & tamen poteſt imponere nomẽ ad diſtinctè ſignificandum Deum. Item poſſumus diſtinctius loqui de re aliqua quàm ipſam intelligere, & ita etiam imponere nomen ad diſtinctius ſignificandum aliquid quàm intelligere. Vide latius Gabriëlem vbi ſupra.

Diuinus dicitur tripliciter, vt notat frater Pelbart. Primo modo dicitur diuinus ille, qui habet diuinam eſſentiam in vnitate eſſentiali & reali: Et iſto modo pater & filius & ſpiritus ſanctus, dicuntur perſonæ diuinæ: ſic etiam bonitas diuina. Secũdo dicitur diuinum id quod in quodam attributo repræſentat ipſum Deum. Iſto modo ſolet Magiſter Alexander de Ales in ſumma dicere, quod aliqui dicuntur diuini vel dij, quia repræſentant Dei potentiam, vt Prælati, de quibus in lege: Diis populi, id eſt Prælatis, non detrahes. Alij dicuntur dij, quia repræſentant Dei ſapientiam. Iſto modo antiqui Philoſophi ſtatus ſtudentium Philoſophiam diuiſerunt, quoſdam vocitantes Theologos ſiue diuinos, ſicut Platonicos: & quoſdam ſapientes, ſicut fuerunt ſeptem Sapientes, quos conſecrauit Apollo, quoſdam Philoſophos. Denique aliqui dicuntur dij, quia repræſentant Dei bonitatem. De quibus Pſalm. Ego dixi dij eſtis. Et ſic diuinum poteſt dici de creaturis, vt etiam vult ſanctus Bonauentura diſtinct.xv. in dubiis literalibus libr.j. ſicut dicitur homo diuinus. Et quia ſecũdum eundem Deus ſolius Dei proprium eſt, ideo Deitas magis dicit formam Dei quàm Diuinitas. Vnde Auguſtinus, & refert Magiſter diſtinct.xv.libr.j. Pater eſt principium totius diuinitatis, vel ſi melius dicitur Deitatis, quia principium eſt filij & ſpiritus ſancti. Tertio modo dicitur diuinus, qui per quandam abſtractionem à ſenſibus ſecluſo ſpeciali Dei influxu, de futuris præſagit. Et hoc ſecundum Tullium libro de diuinatione dicitur vaticinium. Hoc autem fide Chriſtiana reprobatur. Et diuinus accipiendo primo modo, in diuinis, vt eſt communis locutio Doctotum (vt & habet Gabriël di.xxviij. quæſt.vnica lib.j.) eſt vna eſſentia, duæ emanationes ſiue productiones, tres hypoſtaſes vel perſonæ, totidem proprietates, quatuor relationes, quinque notiones, attributa infinita, id eſt ſine certo numero. Eſſentia eſt ipſa natura diuina. Emanationes ſunt productiones paſsiuę per modum intellectus & voluntatis, generatio, ſcilicet & ſpiratio. Hypoſtaſes ſunt pater, filius, & ſpiritus ſanctus. Relationes autem paternitas, filiatio, ſpiratio actiua, ſpiratio paſsiua. Notiones ſunt dictæ quatuor relationes, & innaſcibilitas, vel generare generari, ſpirare ſpirari, & innaſcibilitas. Attributa ſunt ſapientia, potentia, bonitas, ſcientia, prudentia, iuſtitia, miſericordia, &c. Quomodo autem illa diſtinguuntur breuiter, accipe ſecundum Gabriëlem vbi ſupra. Relatio & notio quæ eſt in diuinis realiter, idem ſunt: vnde relatio ipſa quæ realiter eſt in diuinis, dicitur relatio, quia ipſa perſona refertur ad aliam. Dicitur notio inquantum ipſa, perſonæ, ſecundum quod ſunt diſtinctæ notificantur. Cùm ergo nulla relatio ſit communis tribus, quęlibet relatio eſt notio. Econuerſo cum omne non commune tribus non ſit eſſentiale, & per conſequens relatio, notio omnis eſt relatio. Dico notanter quæ eſt realiter in diuinis, quia etiam ipſa nomina notionum notiones dicuntur: & talia non ſunt relationes diuinæ, ſicut innaſcibilitas. Dicitur etiã proprietas inquantum eſt ſolum vnius perſonæ, & eadẽ ratione dicitur relatio perſonalis. Et hæ ſunt paternitas, filiatio, proceſsio, ſiue ſpiratio paſsiua. Ex quo patet quod ſpiratio actiua, licèt ſit verè relatio & notio, non tamẽ eſt proprietas ſiue relatio perſonalis ſaltem formaliter. Secundò ſequitur quod licèt relatio proprietas & notio, quæ realiter ſunt in diuinis, nullo modo diſtinguuntur: iſta tamen tria nomina non ſunt ſynonyma, quia differunt in connotatis. Hęc Gabriël vbi ſup. qui & vult & cõcludit, & probat vnam cõmunem indiuiduam eſſentiam tres hypoſtaſes, & perſonales proprietates, eſſe in diuinis: & hoc ſanè & catholicè eſt credendum. Et patet hoc ca. firmiter. vide latiùs Gab. vbi ſupra. Et diſtinct.v.quæſt.j.lib.j. idem dicit. In diuinis eſt vna ſimpliciſsima eſſentia eadẽ omnibus, quæ ſunt realiter in Deo. Eadem dico, inquit ipſe, realiter, etſi nõ formaliter. Item in diuinis ſunt tres perſonæ realiter diſtinctè inter ſe, vel à ſe nõ ab eſſentia. Vnde Boëtius in diuinis omnia ſunt idẽ vbi non obuiat relationis oppoſitio: intelligitur illud Boëtij, quod omnia in diuinis ſunt idem: vbi non obuiat relationi oppoſitio: addendum eſt vel relationum incõpoſsibilitas. Sic generatio, actio, ſpiratio, actiuè ſumpta, quæ ſunt in eadẽ perſona, non diſtinguũtur realiter. Sed generatio & ſpiratio paſſiuè ſumpta, non cõpatiuntur ſe in eadem perſona: ideo realiter diſtinguuntur. Gab. diſt.xiij.q.j.lib.j. dub.ij. quia impoſsibile eſt quod eadem perſona ſit generans vel generata, & ſpirata, &c.

Diuinitus aduerbium, ſignificat à diuinis ſiue à Deo, ſicut humanitus ab humanis rem demõſtrat. Diuinè verò & humanè ad deorum atq; hominũ ſimilitudinem. Et dicimus opus factũ à Deo, diuinitus: vt miraculum factum eſt diuinitus, vt dicit Guil. Scotiſ. quem refert Pelbartus.

Diuinus & dominicus differũt: etſi vtrunq; ſit poſſeſsiuum, tamen dominicus importat circa illud, de quo dicitur poſſeſſorem per modum paſsionis. Dicitur enim dominicus à Domino habitus, vel poſſeſſus. Sed diuinum non ſolùm per modum paſsionis, ſed etiam per modum actionis, quia diuinũ dicitur quod habet diuinitatẽ, per quem modũ conſueuit dici perſona diuina. Et propter hoc conceditur iſta tanquam vera. Chriſtus eſt aliquid diuinum, quia eſt perſona diuina: & ideo Magiſter hãc negat. Chriſtus eſt aliquid non diuinum. Vtrũ autem illa ſit cõcedenda: Chriſtus eſt homo diuinus: dicit S. Bonauen. d.xj. circa textũ lib.iij. quod non.

Nam

Nam cùm ſic dicitur diuinus, nõ poteſt dicere diuinitatem per modũ informãtis, nec poſſeſsionẽ per modũ actionis, ſed ſolũ per modum paſsionis, per quem modum dicitur diuiniſsimus Paulus, vel diuiniſsimus Ioannes. Vnde impropriè ſunt locutiones tales de Chriſto: propterea Magiſter concedit earum oppoſitas, cùm dicit Chriſtus ſecundum hominẽ eſt aliqua ſubſtantia non diuina, id eſt non informata diuinitate, quia eſt ſubſtantia creata. Bonauentura.

Diuinatio eſt vſurpatio prænunciandi futuros euentus, ſecundum beatum Thomam ij.ij. quæſt.xcv. arti.j. Vel diuinatio eſt futurorum præuidentia dicta à diuino, quod eſt auguror: diuino autem dicitur à diuus: proprium enim eſt Dei futura prædicere. Et vt ſcribit Bruleſer diſtin.vij.quæſt.ix.li.ij. Diuinatio nihil aliud eſt niſi vſurpata futurorum euentuum ad ſolam ſapientiam diuinam pertinentium præcognitio, vel prænuntiatio. Item omnis præcognitio vel prænunciatio humana futurorum morum hominum bonorum, vel malorũ, quæ non innititur reuelationi diuinæ eſt illicita diuinatio, quia eſt vſurpata prænuntiatio futurorum euentuum, ad ſolius Dei ſapientiam pertinentium. Et ideo Hieronymus ſuper Matth. dicit, quod diuinatio ſemper accipiatur in malam partem. Et quia dæmones ſunt maximè ſuperbi, ideo ſæpius vendicant ſibi honores diuinos: & ideo dicunt ſe (falſo tamen) quod ſciant futura cõtingentia ſicut Deus. Cùm ſolus Deus poſsit cognoſcere virtute propria contingentia in ſe ipſis euidentiſsimè, & ineuitabiliter. De variis diuinationibus per ſuperſtitiones & ſortilegia ſufficienter tractatur in ſummis de caſibus cõſcientiæ, præſertim in ſumma angelica. Sunt autem plures ſpecies diuinationis ſecundum Iſidorum lib.Ety. ſcilicet præſtigium per ſomnia, Necromãtia, & diuinatio Phytonica, Geomantia, Hydromantia, Aëremantia, Pyromantia, Aruſpicium quaſi inſpectio in aris. De his vide aliàs Augurium, chiromantia, ſortilegium. Omnes modos prædictos ponit Auguſtinus, & habetur xxvj. quæſt.iiij. Igitur genus. & quæſt.v. Nec mirum. & cap. Epiſcopi. & quæſt.vij. Non obſeruetis. de quibus latiùs aliàs videatur. Et diuinatio ſpecialiter à Perſis dicitur inuenta. vt patet xxvj.quæſt.iij.cap. Vnde diuini dicti ſunt, quaſi Deo pleni, diuinitate enim plenos ſe ſimulant, & aſtutia fraudulenta hominibus futura coniecturant. Et de hoc ſatis multa colligit frater Pelbartus libr.iij. Roſarij Theolog. ſed in his multa ſunt nefanda, & arte diabolica excogitata, &c.

Diuiſio carnis, vt ſcribit Bruleſer diſtin.xxv.quæſt. vij. libr.iiij. eſt illa qua aliquis eſt ſortitus ſecunda coniugia, & hoc duobus modis. Primo modo quando aliquis habet plures vxores ſucceſsiuè. Secundo quando aliquis habet vnicam vxorem, quæ habuit alium virum, & iſtis duobus modis fit homo bigamus, qui & ad ſacros ordines, ſcilicet ad diaconatum, ſubdiaconatum, & ſacerdotium, & potiſsimè ad Epiſcopatum promoueri non poteſt. Indiuiſio verò carnis eſt, quando aliquis habuit vnicam vxorem, quæ nunquam habuit alium virum.

Diuortium, (vt ſcribit Petrus de Palude diſtin.xlij. quæſt.ij. libr.iiij.) eſt inter virum & vxorem legitimè facta ſeparatio. Vel ſecũdum Brul. diuortium eſt ſeparatio viri & vxoris, quantum ad thorum & quantum ad cohabitationem facta ſolenniter & publicè per manus Epiſcopi, & fit inter eos, qui ſunt matrimonialiter coniuncti, diſt.xxxv.quæſt.j. libr.iiij. Et dicitur legitimè, quia quos Deus cõiunxit, homo non ſeparat. Sed non dicitur homo illos ſeparare, vt inquit Palud. quos pœna damnat, quos reatus accuſat, quos maleficium arctat. xxxiij.q.ij. quos Deus. Dicitur autẽ diuortium ſecundũ eundem à diuerſitate orientium, vel quia hi qui matrimonium diſtrahũt in diuerſas partes eunt. ff. de diuor.lib.j.

Diuortium eſt duplex (vt ſcribit Palu.) Vnum quo ad vinculum matrimonij, vt propter aliquid impedimentum præcedens quod dirimit matrimonium iam contractum. Aliud quo ad thorum, ſicut propter fornicationem, vbi etiam fit quo ad domum & habitationem, & vt idem ait: Ille propter cuius adulterium diuortium celebratur, ſi ſit vir tenetur reſtituere dotem, & perdit donationem propter nuptias: econuerſo vxor perdit dotem: licitum quoque eſt propter fornicationem fieri diuortium inter coniuges altero poſtulante. Et ratio eſt, quia Dominus conceſsit, quia non ſeruanti fidem (imò frangenti) non tenetur vir fidem ſeruare: ſimiliter dicendũ eſt de muliere, & cauſa diuortij debet eſſe culpabilis. Poſſunt tamen reconciliari ſi vterq; petiit, vel ſi alter fornicetur. De quo latiùs aliàs, & in dictione *Repudium*.

Docere, vt ſcribit Bruleſer quæſt.iiij. prolog.libr.j. ſen. Vno modo idem eſt quod imprimere ſcientiam illi qui docetur, & hoc modo ſolus Deus docet, vel immediatè vel mediatè intellectu noſtro. Alio modo eſt idem quod digito vel verbo oſtendere ſcientiam vel applicando obiecta.

Doctor, qui docet, vel qui inſignitus eſt inſignibus Doctoris. Et ſunt Doctores in duplici differentia, vt ſcribit Stephanus Bruleſer. Alij ſunt Doctores textuales, vt quatuor Doctores Eccleſiæ, & Magiſter ſententiarum, qui fuit vltimus. Alij ſunt Quæſtionarij, quorum in religione Mendicantium fuit Magiſter Alexander de Ales, à quo ſanctus Thom. multa recepit. Vnde ferè quicquid ſcripſit in ſecunda ſecundæ, recepit ab Alexandro de Ales. Comparantur autem Doctores ad inuicem in expoſitione ſacræ ſcripturæ cum Doctoribus, vt habet Gerſon parte prima contra hæreſim de communione laicorum ſub vtraque ſpecie regula quarta, vbi ait: Quod ſcriptura ſacra in expoſitione partium ſuarum requiſiuit, & requirit homines præditos ingenio. Secundò exercitatos ſtudio. Tertiò humiles in iudicio. Quartò immunes ab affectato vitio. Patet, quoniam ex oppoſito alterius iſtorum quatuor, ſolet facillimè falſus intellectus ſcripturæ ſuboriri. Vt ſi ſit homo hebetis ingenij, ſi iners & neglector ſtudij, ſi ſuperbi & arrogantis iudicij, ſi denique fuerit infectus & deprauatus ex affectu alicuius vitij, quoniam excæcat tales malicia eorum, & illi qui habent conditiones ſuperiores bonas,

præferendi ſunt non habentibus, inquit Gerſon. Similiter habentes reuelationem non habentibus eam. Et dona gratis data poſsidẽtes non poſsidentibus ea, cæteris paribus, &cæ. Gerſon vbi ſupra. Et de examinatione doctrinarũ parte.ij. conſidera. ij. & parte.j. in epiſtola ad ſtudẽtes collegij Nauerræ dicit: Iuuant quæſtiones doctorũ ſuper ſententias, & præſertim illorum, qui purius & ſolidius cõſcripſerũt, inter quales meo iudicio, inquit ipſe Dominus Antiſiodoreñ. Bonauentura & Durandus vtique reſolutiſsimus numerandi videntur. Excellit quidem in ſuis quotlibe. Henricus de Gandauo. Excellit ſanctus Thomas præſertim ſecunda ſecundæ. Excellunt multi in multis, vnum in quibus hoc minus placet, quod purè Phyſicalia aut Metaphyſicalia, aut quod amplius pudet Logicalia ſub terminis Theologicis inuoluta miſcuetũt. Hęc Gerſon. Mihi, vt ingenuè fatear, placet Dominus Præpoſitus in Schanbach Gabriël Biel Spirenſis, Dominus Cardinalis Cameraceñ. Petrus de Aliaco, Occam, Scotus, Alexander de Ales, Thomas, Petrus de Palude, Richardus, ſanctus Bonauentura, Holkot, Gregorius de Arimino, Paulus Corteſius, quos potiſsimum in hoc opere imitor, alios non contemno, &c.

Documentũ, eſt id quod nos docet, ſiue ex quo quid docemur, vt eſt illud documentũ in moribus (ſicut ſcribit S.Bona.d.xxxiij.ar.iij.q.j.li.ij.& Gabr.ea. d.) Quod qui vult ab vno extremotũ peruenire ad mediũ quaſi debet inclinare ad illud extremũ, ſicut docet Philoſ.2.Ethic.vel aliquantulũ vltra mediũ. Sic etiam B.Auguſt. vt hæreſim extirparet, quę dicebat paruulos ab omni pœna immunes, vt ad medium reducerer, videlicet ad pœnã catẽtiæ viſionis, ſimpliciter aſſeruit eos cum aliis peccatoribus æternaliter damnari: & iſtum intellectum explanauit in Enchirid. vbi dixit pœnã eorũ eſſe mitiſsimã, ſicut dicit Magiſt. in textu.d.xxxiij.li.ij. Et ſic intelligitur Aug. de fide ad Petrũ, vbi ait: Firmiſsimè tene paruulos, qui ſine ſacramẽto baptiſmatis de hoc ſeculo tranſeunt, æternæ ignis ſupplicio ſempiterno puniendos.

Dolere, & dolere de aliquo, eſt dupliciter, vt ſcribit S.Bona.d.xlviij. in dub. litera.li.j. Aut ita quod dolens volũtate rationis abſoluta velit contrariũ eius de quo dolet, & ſic nulli licuit dolere de paſsione Chriſti. Et Petrus, quia voluntate rationis contrarium volebat, eſt redargutus. Alio modo dolere de aliquo, eſt ferri ad contrariũ voluntate pietatis, tamen nihilominus hoc velle voluntate abſoluta: ſic bonũ eſt condolere Chriſto & piè affici circa eum: & ſic afficiũtur veri ſancti, qui magnas gratias agũt Deo de paſsione Chriſti, ſed tamẽ mouẽtur in conſideratione dolorũ, ſicut & benigniſsima virgo Maria in filij ſui mota eſt paſsione. Hæc Bonauen.

Dolor & triſtitia differunt ſecundũ Aug.xiiij. de ciuit. Dei, cap.xv. qui dicit: Dolor carnis tantũmodo offenſio eſt animæ ex carne, & quędã ab eius paſſione diſſenſio: ſicuti animi dolor, quæ triſtitia nominatur, diſſenſio eſt ab his rebus, quę nobis nolentibus acciderũt. Vnde patet quod dolor propriè accipiendo terminũ, vt ſcribit Gab.di.xv.q.vnica.ar. j.li.iij. quia eſt paſsio inexiſtens animę à carne pertiner ad partẽ ſenſitiuã. Triſtitia verò, quæ eſt paſſio conſequens nolitionẽ rei nobis accidẽtis pertinet ad partem intellectiuã, ſiue ad rationẽ vtrumque ad appetitum. Ille autem ad appetitum ſenſitiuum, iſta ad appetitum ſiue voluntatem. Cauſatur autem dolor in appetitu ſenſitiuo ab apprehenſione ſenſitiua obiecti diſconuenientis ſeu læſiui, & à potentia concurrente Deo tanquam cauſa primaj, & ideo ab obiecto primo, & non ab obiecto apprehenſo, vt latiùs probat Gabriël vbi ſuprà. Dolor ergo eſt paſsio conſequens apprehẽſionem obiecti, diſconuenientis tanquam præſentis, & delectatio eſt paſsio conſequens apprehenſionem obiecti tanquam conuenientis & præſentis; & hoc in parte ſenſitiua, ſiue obiectum ſit præſens ſiue non, & per hoc cauſa doloris & delectationis eſt apprehenſio cum potentia, &c. De triſtitia quæ eſt paſsio voluntatis, aliter ſentit Scotus in ſuo tertio diſtinct.xv. aliter Occam in fine ſui tertij. Scoto videntur conſentire Alex. de Ales & ſanctus Bonauentura, & Thomas. Vide poſt eos copioſe Gabr. vt ſupra, qui pulchra & notanda ſcribit, &c.

De dolore Chriſti dicit ſanctus Bonauentura diſtin. xvj. quæſt.j. libr.iij. quod abſque dubio, ſicut Euangelium dicit, & fides Catholica ſentit, vera doloris paſsio fuit in Chriſto. In ipſo enim fuit caro paſsibilis & perforabilis. Fuit etiam virtus ſentiendi ſecundum quam anima compatitur corpori læſo. Et poſtea inquit: Quicunque dicunt Chriſtum non veraciter doluiſſe vel paſſum fuiſſe; & ſi videantur ipſum exterius honorare, ſecundum veritatem tamen blaſphemant ipſum impiiſsimè. Et in fine iſtius diſtinct. & quæſt. vlti. dicit, quod in Chriſto fuit duplex dolor, vt & ſancti dicunt, ſcilicet paſsionis & compaſsionis, & vterque dolor fuit intenſus & acerbus. Multum enim in ſe doluit, & multum nobis condoluit, & vterque dolorum iſtorum fuit in ſenſualitate & ratione, ſed ordine mutato. Vide latiùs ibi. Vbi & probat quod dolor compaſsionis fuit intenſior propter inhonorationem Dei, & ſeparationem noſtram à Deo. Et quamuis Chriſti dolor (vt vult Scotus) fuit maximus & acerbiſsimus, tamẽ ratio in Chriſto permanſit in vſu ſuo, & voluntas non abſorpta à dolore appetitus ſenſitiui, & intellectus per conſequens intuitiuè illum dolorem apprehendit, & voluntate oſtendit illa voluntas condoluit, quia naturaliter inclinabitur ad oppoſitum, quæ inclinatio ſufficit ad triſtitiam de oppoſito. Scotus diſtin. xv. libro iij. Fuit autem dolor Chriſti patientis acerbiſsimus, tam exterior quàm interior, vt ſcribit Gabriël. Exterior propter corporis teneritudinem, optimam complexionem, ætatis vigorem, propter quæ pœnæ fuerunt magis perceptibiles, & ita doloris acerbioris cauſæ. Sed & propter mortis genus, quod fuit turpiſsimum, acerbiſsimum & diuturnum. Vide latiùs Gabriëlem. Fuit & interior triſtitia in parte rationali maior & excellentiſsima. Nam fuit de ſumme nolito, ſcilicet patris offenſa, & contemptu per peccatum omnium tunc præſentium, præteritorum & futurorum. Vide latiùs Gabr. Et quamuis minor dolor ſuffeciſſet pro peccatis omnium, voluit tamen genus humanum non poteſtate redimere, ſed iuſtitia.

Copioſe

Copioſe ſcribit Gabr. de paſsione Chriſti, lib.iij.d.xv. Et vt ſcribit Bruſe.d.xvj.q.iiij.li.iij. Chriſtus in cruce ſuſpẽſus maiorẽ incõparabiliter patiebatur in mente triſtitiã de peccatis noſtris: itẽ Adæ & Euæ, Dauid, Manaſſe, & de caſu ſuorũ diſcipulorũ, quàm pateretur dolorem in ſenſualitate, vt latiùs oſtendit Bruleſet ibidem. Summũ tamen dolorẽ ſuſtinebat in corpore: ideo cum clamore valido dicebat: Heli, Heli. de quo latiùs aliàs dicitur. Ex quibus patet & vult Gabriël, quod nullus vnquã mortalis tantum dolorem eſt expertus: licèt quidam Martyrum aſſati, vt Laurentius, Vincentius, quidã articulatim dimembrati ſunt, vt Quintinus, aliiſq; horribilibus pœnis varij ſunt extincti, quæ pœnæ videntur ſæuiores cruce: omnibus tamen prædictis ſimul iunctis, patet exceſſus pœnæ Chriſti ſuper omnes allegatas Martyrum pœnas, maximè propter interiorem triſtitiæ puritatem, ſpontaneum earum augmentum & ſatisfactionis proportionem ſecundum diuinam iuſtitiam. Gabriël diſtin.xv. quæſt. vnica, artic.ij. libr.iij. qui & pulchra & notãda de quantitate paſsionis & doloris, & triſtitiæ Chriſti ſcribit.

Dolor pœnitentiæ dicitur quem quis habet pro peccatis commiſsis, duobus modis fieri poteſt, vt ſcribit S. Bonauen. diſt.vij.q.j. libr.ij. Aliquis enim dolet de culpa, propter damnũ quod incurrit & læſionem: & ſic dolere poteſt quis ex puris naturalibus, ſine gratia gratis data, & tunc dolet quando maiorem ſentit læſionem quàm delectationẽ: hanc diabolos modò non habet propter habitudinem peccandi, ſed tamẽ habiturus eſt cùm abſorbetur à pœnis poſt iudicium, ſed pœnitentia hæc non diſponit ad gratiam: imò ſolùm eſt pœna, quia ſic pœnituit etiam Iudas. Alio modo eſt dolor pœnitẽtię, quando quis dolet de culpa, quia Dei offenſiua, & hic dolor diſponit ad pœnitentiam, & hic dolor nõ eſt ſine gratia gratis data. Et hunc dolorẽ diabolus vel dæmones habere non poſſunt, quia ſunt extra ſtatum in quo datur gratia, & irregreſsibiliter ſunt extra.

Dolor eſt animũ vel corporis cruciatus, à dolando, id eſt minuendo. Augẽtur enim corpora lætitia, dolore minuuntur. Notant autẽ Theologi paſsim diſtinctionem vtilem doloris, vt & habet Gerſ. part.iij. tract.ij. de canticordo. Eſt enim dolor aliquis in ſola ratione, qui libero ſubiacet arbitrio. Dolor iſte & diſplicentia, vel odium, vel deteſtatio ſic elicita cum gratia ſufficit ad deteſtationem peccati, ſuppoſito quod nullus in corpore dolor ſequeretur. Attamen dicitur dolor de peccatis, & dolor maximus; quia de nulla re altera temporali tanta deteſtatio elici debet à corde rationis: ſicut nullũ eſt damnum pœnæ, quod æquiparetur damno culpæ. Dolor alius eſt quem Philoſophi numerant inter paſſiones cõcupiſcibiles ſenſuales, qui conſurgit ex apprehenſione obiecti diſcõuenientis ipſi ſenſui corporali, vt & ſup. dictũ eſt. Habet hic inſuper cauſari cum motu ſpirituum, & cõſtrictione cordis: hunc itaq; dolorẽ non oportet eſſe maximũ in pœnitẽte: imò nimius & culpabilis eſſe poſſet: vtpote cordis ſenſualis, & corporis deſtructiuus: porro nõ eſt ſecundum hunc dolorẽ menſuranda ſemper bonitas pœnitentiæ. Cuius ratio eſt: ſtat enim duos eſſe & ſæpè videmus quorum vnus ex complexione naturali cor habet ſtrenuũ & virile, nec lachrymis idoneum, ita vt vel vix, vel nunquam flere poſsit. Erit alter cordis fœminei mollis, ad omnẽ miſerationis occaſionem lachrymis laxum vel pronum. Primus eliciet deteſtationem peccati ſui intenſius in animo, fortius & laudabilius in caſu quàm alius: nec apprehendet illum Sapientis verbum: Cor durum malè habebit in nouiſsimo: iam enim talis peccata deteſtans propter Deum, non durum cor habere, ſed molle, dicendum eſt. Fit tamen ſæpè redundantia doloris cordialis in corpus, niſi ſiſtat ſe liberè mens, ne fluat in inferiora: ſicut in Chriſto fuit, ſicut poterat Adam, ſicut Maria nullum habẽs motum præuenientem iudicium rationis, imperabat vt placebat in corpus. Gerſon vbi ſupra, vide & eundem parte.ij. ſer. de pœnitentia in cœna Domini facto, conſidera.iij.

Dolus eſt executio aſtutiæ, qua excogitatæ fuerunt viæ non bonæ ad exequendum aliquem finem bonum vel malum. B. Thom.ij.ij. quæſt.lv. artic.iiij. & dolus propriè accipitur tantùm in malo, ſed abuſiuè etiam in bono, & ſecundũ eundem dolus principaliter fit in verbis: fraus verò propriè in factis. Ouidius 1. Metamor. vno verſu vtrunque comprehendit, cùm ait: *In quorũ ſubiere locũ fraudeſq; doliq;*. Et quando accipitur in malum, dicitur machinatio ad fallendum aliquem: in bonum accipitur pro ſolertia & calliditate, quæ præſertim aduerſus hoſtes, ſiue latrones adhibetur. Idcirco malum dolum dicimus, quia & bonus eſt. Labeo Iuriſconſultus dolum malum dicimus, inquit, omnem calliditatem, fallaciam, machinationem ad circumueniendum, fallendum, decipiendúmve alterum adhibitum. Vlpianus: Non fuit autem contentus Prętor dolum dicere, ſed adiecit malum, quando veteres etiam dolum bonum dicebant, & pro ſolertia hoc nomen accipiebant, maximè ſi aduerſus hoſtem, latronémve machinaretur, &c. Et dolus eſt (vt ſcribit Auguſtinus ſuper quintũ Pſalmum) cùm aliud agitur, aliud ſimulatur. vide in dictione Prudentia.

Dominus, vt ſcribit ſanctus Bonauentura diſtin.ij. in dub. literali, libr.ij. Vno modo importat poteſtatem coërcendi ſubditos: & ſic dicit præſidentiam ſecundum habitũ, & conuenit Deo ab æterno. Alio modo importat præſidentiã actualem reſpectu ſerui: & ſic Deus incœpit eſſe Dominus, non ratione mutationis factæ in ipſo, ſed ratione mutationis factæ in ſuo correlatiuo. & Dominus trahit propriè nomen à domo, vt dicit Gerſ. tract.xij. ſuper Magnificat, quia Præſidens & Princeps, aut primus, & œconomus in domo eſt: & dicitur propriè Dominus, qui domus imperiũ habet, & cui omnis familia paret. Dicitur & qui alicuius rei proprietatẽ habet, etiã ſi vſusfructus alienus ſit. Itẽ dicitur is cui populi ſubſunt. Virgil. *Romanos rerũ dominos, Gentemq; togatam*. A quo dominium.

Dominium (vt ſcribit Gerſon parte prima de origine iuris & legum conſiderat.xiij.) eſt poteſtas propinqua aſſumendi res alias, vel vt alias in ſui facultatem, vel vſum licitum, ſecundum iura vel leges rationabiliter inſtitutas, & ſecundum

cum ſextuplex inuenitur diuinum, ſcilicet beatificum, originale, gratificũ, euangelicũ, canonicum, politicum. Beatificũ eſt dominiũ ſecundum leges gloriȩ. Originale dominiũ eſt ſecundũ leges originalis iuſtitiæ. Gratificum eſt dominium ſecundum leges gratiæ gratũ facientis. Euangelicum eſt dominium ſecundũ legem propriè Euangelicum, & ita de reliquis duobus ſuo modo latiùs ſcribit Gerſon vbi ſupra. Et dominium ſecundum aliquos dicitur ius habendi, poſsidendi, fruendi, & vtendi ac diſponendi pro libito voluntatis, & ſecundum aliquem determinatum modum, à quadam ſuperioritate vel auctoritate diffinitum. Et dominia rerum non ſunt diſtincta de lege naturæ vel diuina, ſed lege naturæ ſunt omnia communia in omnibus, vt ſcribit Scotus, quæſt.ij. diſtinct.xv. libr.iiij. Sed iure humano dicitur hæc domus eſt mea, hæc villa mea, hic ſeruus meus, vt ait Aug. homel.vj. ſuper Ioan. Et ſequitur. Tolle iura Imperatoris, quis audet dicere, hæc villa mea eſt. Et poſt per iura regia poſsidentur poſſeſsiones, quia ipſa iura humana per Imperatores, & Reges ſeculi diſtribuit generi humano. Hæc Aug. Facta eſt autẽ diuiſio rerũ inter mortales per iniquitatẽ, id eſt ſollicitudinẽ, vel per conſuetudinẽ iuris Gentiũ, æquitati naturali contrariá. Vide latiùs Sco. & poſt eum ſcribit Gabr. copioſius di.xv.q.ij.li.iiij. & reuocatum eſt de habendo omnia communia propter pacificam conuerſationẽ, & neceſſariam ſuſtentationem poſt lapſum. Plura Gabriel vbi ſupra.

Dominium vſurpatũ dicitur, quod non iuſto titulo, ſed fraude vel violentia eſt obtentum & iniuſte à vero domino ablatum, & dicitur dominium non legitimum. Gab. di.xv.q.v.ar.ij.lib.iiij.

Dominicus, vide ſupra in dictione *Dominus*.

Donare, vt ſcribit Scotus di.xxij.li.iiij. Vno modo poteſt intelligi abſolutè, prout eſt actus voluntaris liberaliter cõmunicantis. Vel donare, id eſt condonare ſiue remittere, vt accipitur cũ dicitur, donauit peccata. Primo modo accipiẽdo verũ eſt id quod dicitur, cui plus donatur, ille magis tenetur donanti: & hoc modo dico (inquit Scotus) quod Deus innocenti maius donum dedit quàm cui dimittit peccatum. Secundo modo pœnitẽti donat plus quàm innocenti, quia innocens non habet quod ſibi remittatur, & cui plus dimittitur, plus tenetur diligere, ſcilicet ex cauſa remiſsionis, vel cauſa præſeruationis. Vide latiùs ibi Scotum.

Donatio poteſt accipi propriè & cõmuniter, vt ſcribit ſanctus Bonauen. diſt.vij.part.ij.q.j.lib.ij. propriè donum dicitur quod ſimpliciter aliunde eſt, cuiuſmodi ſunt gratiæ infuſæ ſiue dona infuſa, & talis eſt gratia gratumfaciẽs vel ad eam habilitans. Alio modo dicitur donum quod eſt per adiutorium diuinum, nihilominus tamen per acquiſitionem noſtram. & illud non dicitur propriè donũ: ſed habito reſpectu ad hoc quod non acquiritur ſine Dei adiutorio: & hoc modo Deus dat dona bonis & malis. Quia enim Deus dedit lumen dignitatis ab initio quod poterat ad inquiſitionẽ multorum ſcibilium, & ipſe nõ ſubtrahit quod dedit, nec etiã conſeruationem, cum talia poſsint ſtare cum peccato mortali, & ideo qui habet primum donum poteſt multiplicare. Etiam reprobus exiſtens, & Deus dicitur docere nõ inſpirando ſiue infundendo, ſed cooperando lumini dato, & conſeruando illud. Exemplũ huius eſt: Deus dedit frumentũ auaro, & dedit terrã potentẽ fructificare cùm recolligit multũ de blado de bona terra Deus dat, ſed non ſicut ſi ipſe ſterilem terram ſine actu ſeminis faceret fructificare, hoc enim propriè eſſet donũ. Primo modo ſolùm largè, ſic Deus dat dona bonis & malis, & dæmonibus & hominibus, quamuis ipſis hæc ipſa in mala conuertantur. Hæc Bonauentura.

Donum ſecundum Brulef. di. xiiij.li.iij. capitur quadrupliciter, ſcilicet communiter, ſtrictè, ſtrictius, & ſtrictiſsimè. Communiter eſt donum bonũ omne, quod liberè, liberaliter, voluntariè & gratuitè communicatum eſt creaturæ, & ſic omnia naturalia & gratuita noſtra dicuntur donũ, ſecundũ illud Iac.1. Omne donũ optimũ, id eſt dona naturalia, & omne donum perfectũ, id eſt gratuita dona, vt vult gloſ. Conſeruatio etiã ſanitatis dicitur donũ hoc modo, & breuiter omnia quæ homo habet. Vnde Apoſt. Quid habes quod non accepiſti, quia nõ obligatus ea contulit. Alio modo donũ capitur ſtrictè, & ſic omne bonũ à Deo collatũ liberè ſuperadditum ipſi creaturȩ per liberalem & beneuolã ſui cooperationem ipſius Dei cooperãtis naturæ noſtræ, & ſic iuſtificatio impij eſt donũ Dei. Caſtitas & ſcientia & omnes virtutes ſunt dona Dei. Strictius donum eſt omne bonũ collatũ à Deo liberaliter ſuperadditum naturalibus per immediatam infuſionẽ à Deo, ſine nobis cooperãtibus, vt fides, ſpes, timor ſeruilis, & alij etiã duo timores. Quartò capitur donũ ſtrictiſſimè pro omni bono collata à Deo ſic quod eſt eſſentialiter gratuitũ à gratia gratũfaciente, & ſic ſeptem dona ſpiritus ſancti dicuntur dona hoc modo, quia ſecundũ iſtũ Doctorẽ ſemper ſunt gratuita. Donũ verò (vt ſcribit Gerſ. par.j. de cõtractibus quaternario.j. cõſide.iiij.) eſt translatio rei ab vno in alterũ liberalis & irreddibilis, nõ enim pactio eſt vel intentio, quod fiat redditio, quia iam non eſſet donũ purè gratuitũ. Sed prout appropriatè diſtinguitur in ſeptẽ dona, tunc (vt idem ſcribit par.iiij.) in deſcriptione terminorũ ad Theologiã vtiliũ, eſt gratia non ſolũ iuuans liberũ arbitriũ vt virtus, ſed efficacius illud expediens ad operationes ſalubres ſibi congruas. Hæc Gerſon.

Dona gratuita ſunt duplicia (vt ſcribit Brulef. d.ix. q.iij.li.ij.) quædã ſunt gratiæ gratis datæ, & hæc nõ diſtinguuntur ab ipſis naturalibus bonis. Alia ſunt gratum faciẽtia: ſicut eſt ſola charitas & gratia, quæ nos facit Deo gratos & acceptos, & hæc dona gratuita ſunt illa, vt idẽ vult d.xxviij.q.v.li.iij. propter quæ Deus acceptat habentẽ dona huiuſmodi ad vitam æternã. Et charitas eſt donũ gratuitũ per eſſentiam. Cæteræ autem virtutes & dona dicuntur dona gratuita per affluentiam ipſius charitatis, & per dona gratuita homo ordinatur ad vitam æternam. Sunt autem ſex genera donorũ ſpiritualiũ, per quæ Dominus decorat & pulchrificat animã ſuam tanquam ſponſus, vt ſcribit Brulef. d.xxxiiij.q.j.li.iij. Primum donorũ genus ſunt virtutes tres Theologicæ, ſcilicet fides, ſpes, charitas: & quatuor cardinales, ſcilicet iuſtitia, prudentia, fortitudo, & temperantia.

perãtia. Secundũ genus ſunt ſeptẽ dona ſpiritus ſancti, ſcilicet ſapiẽtia, intellectus, ſciẽtia, conſiliũ, fortitudo, pietas, & timor Dei. Eſa. 11. Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapiẽtiæ & intellectus, ſpiritus cõſilij & fortitudinis, ſpiritus ſciẽtię & pietatis. Itẽ Greg. ſuper Iob: Nati ſunt ei ſeptem filij: dicit ſeptem dona ſpiritus ſancti. Tertiũ genus ſunt beatitudines: & ſunt octo. Paupertas, luctus, miſericordia, mititas, cordis munditia, pax, patiẽtia, perſecutio pro Chriſto. Quartũ genus ſunt. xij. fructus. Gal. 5. Charitas, gaudiũ, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, cõtinentia, caſtitas. Quintũ genus ſunt ſenſus ſpirituales, & ſunt duo per modum intellectus, ſcilicet viſus & auditus: viſus à ſe, auditus ab alio: tres verò per modũ affectus, ſcilicet odoratus à longinquo, ſapor à proximo, ſed tactus de cõiuncto. Sextũ genus donorũ ſpiritualiũ ſunt ſeptem ſacramẽta, de quibus aliàs & ſuo loco dicetur: & in iiij. li. ſen. Anima autẽ per virtutes rectè agit, per dona ſpiritus ſancti expeditè, per beatitudines perfectè. Ideo per habitus virtutũ potẽtiæ animæ rectificantur, per dona expediũtur, & per habitus beatitudinum ad agendũ ſiue patiendũ perficiũtur. Et ſecundum Sco. d. xxxiiij. li. iij. virtutes, dona & beatitudines, fructus & ſenſus ſpirituales poſſunt reduci ad virtutes. Vide ibi. Et ſunt idem eſſentialiter, licèt diuerſis nominibus nominẽtur. Multiplicia itaque ſunt dona Dei, vt ex prædictis habetur. De quibus & Gab. dicit di. xxiij. q. ij. ar. iij. dub. iij. li. iij. naturalia & gratuita. Et gratuita ſunt duplicia, quædam gratis data, quædã gratũ faciẽtia, quorũ multa enumerat Apoſt. 1. Cor. 12. Diuiſiones gratiarum ſunt, &c. de quibus ipſe agit in ij. d. xvj. Et dona ſpiritus ſancti ſunt multiplicia (vt ſcribit S. Bona. d. xxxiiij. ar. ij. q. j. li. iij.) Quoddã namq; donũ eſt à ſpiritu ſancto, ſed nõ cum ſpiritu ſancto; quia præparat ad ſpiritũ ſanctũ: & tale donũ eſt timor ſeruilis ſecundũ quod huiuſmodi. Quoddã eſt donũ à ſpiritu ſancto, & ſemper cũ ſpiritu ſancto, quia per ipſum cõſecratur habitaculũ ſpiritui ſancto, ſicut eſt donum charitatis. Quòddã verò eſt donũ quod eſt à ſpiritu ſancto, & aliquando cum ſpiritu ſancto, aliquãdo ſine ſpiritu ſancto: ſicut donũ quod eſt ad ſpiritus ſancti manifeſtationẽ, & eſt ordinatũ non ſolũ ad propriã vtilitatẽ, ſed etiã ad alienã: ſicut donũ prophetiæ & donũ ſcientiæ, quæ aliquãdo in malis, aliquando in bonis reperiri habent. Et vt idem vult di. xviij. q. j. li. j. Spiritus ſanctus eſt donũ quo omnia dona gratuita donãtur, ſcilicet per cõcomitantiam, & quo omnia Dei dona donantur per exemplaritatis cauſam. Bonauen. Tho. non dicit omne quod eſt à ſpiritu ſancto donũ, ſed donũ dicit habitum à ſpiritu ſancto infuſum excellentiorẽ virtute, & ſecundũ eum donũ ſpiritus ſancti nõ eſt ſine charitate. Et ſpiritus ſanctus ſine charitate non habetur. Sed S. Bona. tenet quod omnis habitus à ſpiritu ſancto infuſus, ſiue ſit cũ ſpiritu ſancto, ſiue etiã ſine ſpiritu ſancto inhabitãte, eſt donũ ſpiritus ſancti. De quo videatur latiùs Gab. d. xxxv. ar. ij. dub. j. li. iij. & de donis d. xxxiiij. idem plura ſcribit.

Donum & Datum vide ſupra in dictione *Dari*, & quomodo differunt.

Dos capitur tripliciter, vt ſcribit Bruleſ. d. xlix. part. ij. ar. ij. q. j. li. iiij. Primo modo iuridicè & ciuiliter, & nihil aliud eſt quàm illud quod dat ſponſus ſuæ ſponſæ, quando nubit, & hoc ante conſummationem matrimonij. Secũdo modo capitur naturaliter & Phyſicè, ſic nihil aliud eſt quã proprietas & virtus alicuius rei: ſicut dicitur: Iſte eſt benè dotatus in fortitudine, in prudẽtia: ſic virtutes dicũtur dotes. Tertio modo accipitur Theologicè & ſupernaturaliter, & ſic diffinitur à Tho. de Aqui. in iiij. d. xlix. Dos eſt ornatus perpetuus datus corpori & animæ vitæ ſufficiens, in æterna beatitudine conſiſtens. Et ſunt ſeptem dotes, ſcilicet tres ipſius animæ, ſcilicet clara viſio Dei, fruitio ſequẽs viſionẽ Dei, & tentio. Sunt & quatuor dotes corporis, ſcilicet agilitas, impaſſibilitas, ſubtilitas & claritas. Et iſtæ dotes notantur Sap. 3. Fulgebunt iuſti, & tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrẽt. In fulgore notatur claritas, in ſcintilla impaſſibilitas, in arundineto ſubtilitas, & in diſcurſo agilitas. Et de his eadẽ ſcribit Gerſon in expoſitione xij. articuli fidei. & tractatu iij. & v. ſuper cantico Mariæ.

Dos ita diffinitur à Pet. Palu. di. xlix. q. viij. li. iiij. eſt perpetuus ornatus animæ & corporis iugiter in æterna beatitudine perſeuerãs. Vnde cùm Chriſtus ſit ſpõſus animę, Trinitas autẽ ſit pater animæ: ideo ſicut à patre datur ei dos, vt ſit digna ſpõſa, &c. Et vt ſcribit frater Oſwald. in iiij. Roſ. Theol. ſecundũ quod ex terrenis Theologici in diuina ſe transferũt. Differũt hæc tria, dos, donatio, & paraphernũ: & partim patet ſupra in dictione *Bona coniugatorum*. Dos enim dicitur quod dat ſpõſus ſpõſæ cùm nubit. Sic cùm Chriſtus nobis nubit, dat nobis charitatem: ideo charitas eſt dos. Donatio eſt quod dat maritus vxori matrimonio cõſummato: ſic gloria æterna dos eſt, tũc enim erit cõſummatio nuptiarũ inter nos & Chriſtum. Paraphernũ eſt quod datur vxori ab amicis ſponſi poſt nuptias. In cœlis paraphernа ſunt gaudia beatorũ ad inuicẽ. Et dicitur paraphernũ à παρὰ quod eſt iuxta, & φερνὸς dos, quaſi iuxta dotem. Et de dotibus cõtingit loqui dupliciter, vt ſcribit Rich. d. xlix. ar. iij. q. viij. li. iiij. Aut ſecundũ id quod ſunt, aut ſub ratione qua dotes ſunt. Primo modo in omnibus ſanctis ſunt iſtæ tres dotes, ſcilicet clara viſio, perfecta fruitio, & perpetuitatis vtriuſq; ſecuritatis perfectio. Dotes autẽ corporis, quæ ſunt agilitas, impaſſibilitas, ſubtilitas & claritas, erunt poſt reſurrectionem in omnibus ſanctis; vide latiùs ibi Richardũ & in dictione tenere. Capiendo dotem: vt eſt id quod datur ſponſæ ex parte ſponſi, vt & dictum eſt, ita loquitur de dote ſacra ſcriptura, Geñ. 34. vbi habetur, quod dixit Sichem Iacob & filiis eius: Augete dotem & munera poſtulate. Et Exod. 22. vbi dicitur, quod ſi ſeduxerit quis virginem, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit eam in vxorem. Et dos antiquitus ſolebat aſſignari; quando ſpõſa traducitur in domum ſponſi; vt præſentem habeat ſponſum: & quia diu ſumus in hac vita, peregrinamur à Domino, ſecundum Apoſtolum 2. Corinthiorum 5. Ideo donis quæ ſanctis in hac vita conferuntur, non conuenit propriè ratio dotis. Dicuntur autem dotes ſecundum ſanctum Bonauen. diſt. xlix. artic. j. q. v. lib. iiij. quaſi diuitię animę deſpõſatæ: & ſecundũ eundẽ dotes animæ ſunt viſio,

D O

dilectio, comprehenſio, ſiue tentio, ſiue fruitio pet appropriationem. Nam fruitio iſta tria complectitur. & artic.ij. quæſt.j. libr.iiij. Dotes corporis dicuntut non omnes qualitates, ſed qualitates nobiles, & principales de nouo ſuperadditas naturæ. Et dotes in corpotibus beatorum, erunt ſecundum plus & minus perfectum in diuerſis: dotes animæ attenduntur ſecundum potentias, ſed dotes corporis ſecundum qualitates reſpicientes elementa. Et vt notat Thomas de Argeñ. libt.iiij. ad hoc quod corpus ab anima beata reſumptum non ſit ipſi animæ oneroſum, ſicut eſſe conſueuit in hac vita mortali quatuor requiruntur: duo, ſcilicet ex parte ſenſus, & duo ex parte motus. Nam ex parte ſenſus ptimò requiritur, vt corpus animæ beatæ ſit ignobilium paſsionum, ſcilicet corruptiuarum, & læſiuatum actionum propulſiuum. Ratione primi cõuenit tali corpori dos claritatis. Ratione ſecundi dos impaſsibilitatis. Et ſimiliter ex parte motus duo requiruntur in huiuſmodi corpore. Primò enim congruum eſt, vt huiuſmodi corpus taliter diſponatur quod motor ſuus ipſum mouẽdo non laſſetur. Secundò ne in ſuo motu propter reſiſtentiã medij retardetur: quo ad ptimũ diſponitur huiuſmodi corpus dote agilitatis: quo ad ſecundũ dote ſubtilitatis. Hęc Tho. de Argeñ. Quatuor igitur dotes corporis prædictæ, vt habet Rich. ar.iiij.q.j. vbi ſup. erũt in corporibus beatorũ: corpus enim ab anima perficitur, & mouetur, & ideo erũt diſpoſitiones in corpore per quas coniungetur ei perfectius. Vide latiùs ibi. Et pet dotes ptædictas erit corpus perfectè obediens animæ ſuo modo, vt anima per ſuas dotes perfectè obediens Deo. Vnde Aug. xvj. de Ciui. ca.27. Imperabit Deus animo, animus corpori tanquam obediẽri, ibi erit ſuauitas, & facilitas, quanta regnandi, viuendiq́ue felicitas. vide latiùs Richardum. vbi ſupra.

De dote claritatis. Claritas eſt quædam refulgentia (vt inquit Sco.) & addit ſuper lucẽ & calorem manifeſtationem ſui. Et corpora glorioſa poſt reſurrectionem erunt clara vel maximæ claritatis, quia qualitates eorum maximè ad viſum pertinentes, vt color & figura erũt puriſsimæ, nihil impuritatis admixtũ habẽtes. Pettus de Palu. d.xliiij.q.v.l.iuj. & non ſolùm, inquit ipſe, erunt fulgida & lucentia, imò colorata pulchris coloribus & viuaciſsimis. & lux cum hoc inerit perfectiſsima, & vtrunq; ſimul videbitur, ait Palud. Fulgebũt enim, vt dicitur, ſicut Sol, quo nihil eſt lucidius. Hinc dicitur Matthæi 13. vbi Chriſtus ait: Tunc iuſti fulgebunt ſicut Sol. Et Sap.3. dicitur: Fulgebunt iuſti tanquã ſcintillæ in arundineto diſcurrent. Et claritas corporis (vt ſcribit Thom. Argeñ.) glorioſi, non eſt omnino inuiſibilis ab oculo non glorioſo. Vnde Auguſtinus de Trin. ait: Viſio claritatis eius, ſcilicet Chriſti communis erit bonis & malis. Vide latiùs Argenti. qui & recitat opinionem Scoti, contra quam ſcribit, &c. Sed quia claritas illa cauſabitur à beatitudine animæ (vt inquit Richar.) quam inæquabiliter beati participant: ideo illa corpora nõ erunt æqualia in claritate, quod expreſſe ſignificat Apoſtolus 1. ad Corinth.15. comparando beatos ſtellis differentibus in claritate: vide latiùs ibi Richar. ſcribit. Et quemadmodum (inquit ſanctus Bonauen. diſt. xlix. de dote claritatis) carbo per ſui naturam alicuius caloris eſt, adueniente autem igne efficitur luminoſus: & tamen nihilominus eſt coloratus, quia ibi eſt lux materiæ terreſtri incorporata. Sic in propoſito intelligendum eſt quod corpus reſurgens per naturam ſuam habebit colorem, & claritas luminis ſuperinduet ipſum ſicut ignis carbonem. Bonauen.

De dote impaſsibilitatis. Impaſsibilitas, vt ſcribit Thomas Argeñ. Vno modo capitur, vt opponitur paſsioni corruptiuæ & afflictiuæ, quæ magis facta naturaliter abiicit à ſubſtãtia, vel ſaltem affligit ipſum patiens. Alio modo prout opponitur paſsioni, quæ nec abiicit nec affligit, ſed magis ſaluat & perficit, quæ paſsio nec eſt afflictio nec corruptio, ſed eſt ſalus & perfectio eius, quod patitur huius paſſione. Et impaſsibilitas primo modo dicta eſt dos corporalis ipſorum beatorum, quæ quędam impaſſibilitas nobiliſsima eſt intet corporales conditiones. Hanc impaſsibilitatem conuenire corporibus beatorum innuit Apoſtolus 1. Corinth.15. cùm ait: Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Super quo verbo dicit gloſ. Omnes habebũt æqualiter quod pati non poſſunt. Quidam dicunt hanc impaſsibilitatem prouenire ex motu cœleſti, cõtra quos eſt Tho. Argeñ. qui dicit hanc impaſsibilitatẽ principaliter cauſari à diuina voluntate inquantum tollit ordinem ſubiectionis corpotũ ipſorum beatorum, reſpectu quorumcunq; agentium actione corruptiua ſeu afflictiua, tamen immediatè huiuſmodi impaſsibilitas aliquo modo cauſatur ab ipſa beata anima, quæ huius corpus informat, cui Deus dedit talem virtutem, quod corpus per ipſum viuificatum poteſt præſeruare ab omni actione læſiua. Et iſtud videtur innuere B. Aug. in libr. ad Dioſcor. vbi ait: Tam potentis naturæ fecit Deus animam, vt ex eis plena felicitate redundet in corpus ſanitas perpetua & vigor incorruptibilis. Loquendo verò ſecundo modo de impaſsibilitate, ſcilicet inquantũ opponitur paſsioni, quæ eſt ſalus & perfectio, qua paſsione patiens nec corrumpitur, nec læditur, ſed perficitur impaſsibilitas, hoc modo non ſpectat ad dotem corporis beatorũ, quia potentiæ ſenſitiuæ in beatis non erunt cõiunctæ. Vide latiùs Argeñ. Sco. di.xlix.lib.iiij. dicit, quod cauſa impaſsibilitatis eſt voluntas diuina non coagens cauſæ ſecundæ corruptiuæ, & per hoc eſt iſtud impaſsibile nõ potẽtia remota, ſed propinqua: non à cauſa intrinſeca, ſed extrinſeca impediente: ſicut dicitur de impeccabilitate. Exemplum huius de igne in camino, qui nõ egit ad conſummationem trium puerotũ, non quidem pet aliquam impaſsibilitatem intrinſecã pueris, nec ex carentia potentiæ paſsiuæ, nec ex contrario intrinſeco impediente, ſed quia Deus ex voluntare ſua non cooperabitur ad illam actionẽ. Scotus diſt.xlix.quæſt.xiij.lib.iiij. Nec beati erunt impaſſibiles paſsione animali, vt ſcribit Richar. diſt.xlix. ar.iiij.q.iij.lib.iiij. quia talis paſsio eſt quædam patientis perfectio ſecundũ Philoſ.2. de Anima, &c. Corpus inſuper glorioſum eſt impaſsibile ab extrinſeco omni genere actionis corrumpẽtis, vt ſcribit S. Bona. di.xlix.ar.ij.q.ij.lib.iiij. Hoc autem eſt duplex, ſcilicet per influentiam: ſicut ignis cõburit

corpus

corpus per violentiam, ſicut cutellus diuidit. Prima non eſt in corpore glorioſo, quia talis influentia aut eſt ſecundum ordinem iuſtitię, & hæc eſt in dæmonibus & peccatricibus animabus ſecundum ordinē iuſtitiæ, ſed in corpore glorioſo non eſt talis paſſio, quia non meruit puniri. Alia eſt ſecundum ordinem naturæ, & iſta eſt ſolùm quando patiens eſt talis naturæ, quod materia illa appetit eſſe ſub alio actu. Priuatio enim eſt principium patiendi. Quoniam autem in corpore glorificato iam terminati ſunt appetitus, ideo ſi glorioſum corpus poneretur in igne inferni, non lædetetur, hæc Bonauen.

De dote agilitatis. Dos agilitatis ad hoc eſt, vt ſcribit Palu.di.xliiij.q.iiij.li.iiij. vt corpus ſummè obediat animæ, vt motori quātum ad motum localem, & progreſſiuum ſine omni difficultate & fatigatione. Vnde Sapien.3.dicitur. Tanquam ſcintil.in arūdi.diſcur. Diſcurſus autem ſcintillarum agilis eſt, vt Richard.ait. Et Apoſtolus.1.Cor.15.dicit: Surget corpus ſpirituale, quia tarditas repugnat ſpiritualitati, vide Rich.di.xlix.artic.iiij.qu.vij.lib.iiij. Hinc Aug.xxij.de ciui.Dei.c.iij.dicit: Vbi volet ſpiritus ibi protinus erit corpus, & in quacunque voluerit velocitate menſurabili, tamen tempore poterit corpus mouere abſq; omni laſſitudine & fatigatione. Vnde Eſa.40.dicitur: Qui ſperant in Domino mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient. Item æquali velocitate ſicut angeli Dei aſcendent cum ipſo iudice, ſcilicet Domino Ieſu Chriſto, quod non fieret ſi corpora non eſſent agilia, aut dote agilitatis perfecta. Et quamuis ratione prædictæ agilitatis animæ beatorum moueant ſua corpora valdè velociter, tamen non poſſunt huius corpora de loco ad locum mouere in inſtanti, quia omne diuiſibile dum à virtute creata mouetur, neceſſario ſecundum aliquam partem ſui eſt in termino à quo & ſecundum aliquam in termino ad quem & per conſequens mouebitur ſucceſſiuè, & non ſubito ſeu in inſtanti. Sed quodlibet corpus glorificatum eſt indiuiſibile, & anima ipſum mouens eſt virtutis finitæ, ita ſentit & ſcribit Tho.Argenti.di.xlix.li.iiij. Quoniam itaque corpus glorioſum totum ſuæ exiſtentiæ & mobilitatis & ſtabilitatis rationem trahit ab anima, vt ſcribit S.Bonauen.di.xlix.in fine.q.vlti.lib.iiij.ideo inclinatio eius eſt ad animam non ad aliquid extra, & quoniam agilitas ſequitur inclinationem, & anima poteſt moueri in omnem differentiam poſitionis, ideo & corpus habet habile ad omnem ſitum. Vnde agilitas non cogitur ad aliquem locum determinatum, ſed eſt promptitudo vt corpus moueatur in omnem locum ad quem vult mouere anima. Bonauen.

De dote ſubtilitatis. Vnde ſecundum omnes, vt ſcribit Petrus de Palu.di.xliiij.q.iij.li.iiij, Dos ſubtilitatis eſt ad ſubiiciendum corpus animæ ad operationes organicas ſenſitiuas, vt remota omni groſſitie & ineptitudine ad eas ſenſitiuæ potentiæ rationi obediant, & ad operationes ſuas purius exercendas virtuoſiores fiant. Et corpus vt idem vult poſt reſurrectionem erit plenè ſubiectum animæ vel ſpiritui. Et per virtutem beatitudinis animæ vt ſcribit Richar.di.xlix.ar.iiij.q.iiij.erit in beatis corporibus tanta magnitudo virtutis actiuæ, quod per eam multo efficacius poterunt penetrare quā ignis vel aër vel quod dimēſiones, etiam ſi eſſent ſeparatæ, ſed non erunt tenuiora corpora beatorum, vel rariora aëre vel vento vt quidam errauerunt. Nam Greg.xiiij.li.mora. Non ſicut Enticius Conſtantopolitanæ vrbis Epiſcopus ſcripſit corpus noſtrum in illa reſurrectionis gloria erit impalpabile ventis, aëreq; ſubtilius. Anſelmus magnitudinem ſuæ virtutis actiuæ attendens dicit in li. de ſimilitudinibus de quolibet beato quod intantū erit fortis, vt etiam ſi velit terram commouere poſſit. Vnde Grego. vbi prius. In illa reſurrectionis gloria erit etiam corpus noſtrum ſubtile per effectum ſpiritualis potentiæ, ſed palpabile per virtutē naturæ. Vide latiùs Rich. vbi ſupra. Non autem erit corpus glorioſum ſubtile per carentiam alicuius partis materiæ (vt ſcribit Scotus di.xlix.q.xvj.lib.iiij.) ſed per paſſibilitatem exiſtendi cum alio corpore ſecundum libitum voluntatis animæ ſuæ, non tamen ex ſe effectiuæ, ſed per aliam cauſam, ſcilicet voluntatem diuinā. Corpora igitur beatorum erunt ſubtilia. Vel (vt inquit Thomas Argentinenſis.) ſummè ſubtilia, quia corpus potens æxiſterē in eodem loco cum alio corpore ęquali ſibi, hoc eſt ſummè & maximè ſubtile. Sed corpus cuiuſlibet beati hoc poteſt, ergo. Patet hoc quia ſi datur oppoſitum, tunc nullus beatus cū corpore ſuo poſſet tranſire cœlum, niſi dilaceraret ipſum, quod eſt falſum & catholicę doctrinæ contrarium. Prætèrea corpus Chriſti eſt præditum dicta ſubtilitate, ergo & corpora beatorū habebunt eandem ſubtilitatem. Antecedens eſſe verum oſtendit Chriſtus tam in ſua natiuitate, quando de virgine natus fuit abſque virginis læſione, quando omnes cœlos tranſiuit abſque cælorum dilaceratione. Hinc ad Phil.3.dicit Apoſtolus: Chriſtus reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ. Vide latiùs Thomam Argentinen. qui & ibidem oſtendit quod virtute diuina duo corpora poſſunt eſſe in eodem loco, id quod naturaliter fieri non poſſe probatur aliàs. Vide & Scotum vbi prius, &c. Et Bonauen. qui ait: Omnes concedunt quod corpora glorioſa habent dotem penetrabilitatis, & quoniam in dote penetrabilitatis datur corpori ſubtilitas, & virtus actiua ad penetrādum non glorificatum, ideo penetrat illo non cedente. Pauca de dotibus dicta ex multis ſufficiant.

Dubitatio ſecundum S. Thom. & poſt eum ſcribit Gab.di.xvij.q.vnica.ar.iij.dub.iij.l.iij. Vno modo accipitur propriè pro motu intellectus in vtramque partē cōtradictionis cū formidine determinandi alterā. Sic videtur dubitatio nihil poſitiuū dicere præter apprehenſionē propoſitionis, ſed priuationē aſſenſus vtriuſq; contradictoriorū. Nā qui duo cōtradictoria apprehēdit & neutri aſſentit, dubitat vtrūq;. Alio modo capitur dubitatio impropriè, vt tranſfertur ad formidinem affectus in aggrediendo vel ſuſtinendo terribile. Sic dicimus de formidoloſo quod dubitat aggredi inimicos. Primo modo dubitatio contingit ex defectu ſcientiæ, quia neſcit quæ partium ſit vera. Secundo contingit ex infirmitate & defectu fortitudinis. Accipiendo primo modo in Chriſto non fuit dubitatio de ſua paſſione, quam certiſſimè nouit imminere ſecūdum om-

nes circunſtantias, nam plenus fuit gratiæ & veritatis, ſed ſecundo modo quia in Chriſto fuit infirmitas carnis, qua lęſionē mortis imminentē ſenſus trepidauit, ideo erat talis trepidatio in ſenſualitate quamuis eſſet ſumma ſecuritas in ratione, quæ auxilium diuinum imminere videbat, quod ſenſus apprehendere non potuit. Sic locutus eſt Ambr. cùm ait: Chriſtus vt homo dubitauit, & hoc quantũ ad ſenſualitatis timorē, quē dũ oſtendit videbatur hominibus dubitare, & non quantum ad rationē. Et hoc eſt quod dicit Magiſter, quod Ambr. voluit quod Chriſtus dubitauit: non ſecundum dubitationis affectum, ſed dubitantis geſſit modum, vt hominibus dubitare videretur. Eſt præterea triplex modus dubitandi (vt ſcribit S. Bonauen. diſt. xxv. lib. iij. circa textum.) Eſt enim quædam dubitatio proueniens ex infidelitate, ſicut dubitauerunt Iudæi. Et eſt dubitatio proueniens ex tarditate, ſicut dubitauerunt diſcipuli, de quibus Luc. vlt. O ſtulti & tardi corde ad credendum. Et eſt dubitatio proueniens ex pietate, ſicut cùm aliquis ex compaſſione magna & admiratione ad modum dubitantis ſe habet, ſicut Ioannes (vt dicit Gloſ. Luc. 7. & Matth. 11.) non fide ſed pietate dubitauit, ſed primo & ſecundo genere dubitationis nullo modo dubitauit, dubitauerunt tamen diſcipuli eius, quorum dubitationi conſuluit, ideo eos miſit ad Chriſtum, vt videntes mirabilia quæ faciebat, conuerterentur ad ipſum. De quo Magiſter li. iij. di. xxv.

Ducere Aliquid dupliciter ducit in notitiam alterius (vt ſcribit Gab. d. iij. q. ix. l. j.) Vno modo immediatè, id eſt ſine alia notitia media, ſicut intellectus tanquá cauſa ducit in notitiá cuiuſlibet intelligibilis. Sic ducũt ſpecies intelligibiles (ſecundũ ponētes eas) & obiectũ in notitiá ſui intuitiuá, vel rei quá repręſentāt. Alio modo mediatè, ſcilicet mediáte ſui notitia, ita q̃ ſua notitia eſt cauſa notitiæ alterius, ſic præmiſſæ cauſant notitiá cõcluſionis, & veſtigium & imago ducunt in notitiã rememoratiuá eius cuius ſunt veſtigiũ & imago. Vide latiùs Gabr. vbi ſuprà.

Dulia Græca dictio eſt δουλεία ſeruitus dicitur, & δοῦλος ſeruus. Eſt autem dulia honor & ſeruitus debita creaturæ. Latria verò eſt honor & ſeruitus debita ſoli Deo, ex B. Tho. ij. ij. qu. cxxx. arti. iij. Et nomen duliæ tripliciter dicitur (vt ſcribit S. Bona. diſt. ix. q. vlti. lib. iij.) Vno modo dicitur dulia ſecũdum quandam analogiá. Alio modo ſecundũ Antonomaſiam, & tertio modo ſecundũ ſignificationem propriam. Cùm autem dicitur ſecundũ Analogiam, tunc importat cultum debitum naturæ ſuperiori, ſiue creaturæ ſiue creatori, ſecundum aliquam rationem, ſecundum quam creator communicat creaturæ, vtpote ſecundum rationem dominij. Et hoc modo accipitur in glo. ſuper illud Pſal. In Eccleſiis benedic. Domin. glo. Deo. cui debetur latria Domino, cui debetur dulia. Cùm autem accipitur ſecundum Antonomaſiá, ſic dicit debitam reuerentiam creaturæ vnitæ vel aſſumptæ, per quem modum accipitur ſuper illud Pſal. Adora. ſca. pe. eius, vbi dicitur quod hyperdulia maior debetur ſolùm humanitati Chriſti. Cùm autem accipitur dulia ſecũdum ſignificationem propriam, ſicut dicitur dulia, honor vel reuerentia debita rationali creaturæ & exhibita. Et illó modo dulia cõſueuit accipi ſecundũ communem vſum, ſic latria & dulia ſunt diuerſæ ſpecies virtutis, vt & ibidē oſtēdit Bonauē. vide & de dulia ſupra in dictione Adoratio. Et Gab. lec. xlix. cano.

Duo accipitur aliquando maſculinè, & ſic importat dualitatem ſuppoſitorũ, & ſic nõ ſupponit niſi pro duobus, quorũ quælibet eſt ſuppoſitũ, ſic nõ eſt verũ quod Petrus ſit duo, licèt ſit materia & forma cõiuncti. Gabr. di. vj. q. ij. li. iij. Et ſic duo inuenitur in diuinis, quoniá importat diuerſitatē in perſonis, & ſicut dictũ eſt de duobus ma. ge. ſic de duab⁹ fe. ge. ſcilicet quod ponit differentiá in perſona, vt dicitur in ſymbolo. Alia eſt perſona patris, alij filij, &c. Alio modo accipitur neutraliter, id eſt in neutro genere, & ſic ſupponit pro quibuſcũq; duobus realiter & numero diſtinctis, ſicut dicimus quod partes hominis ſunt duo. Etiá homo eſt duo, ſcilicet, caro & anima, & ſic ponit duo diuerſitatem & diſtinctionem in natura, & ſic non reperitur in diuinis, vt dicit Brul. di. vj. qu. j. lib. iij. Et vt dicit Sco. qu. ij. di. vj. lib. iij. Chriſtus non eſt duo maſculinè, quia in Chriſto non ſunt duæ perſonæ, nec plura ſuppoſita, ergo ibi nõ ſunt aliqua duo maſculinè, quia ſic nõ eſſet vnio in perſona. Et licèt in Chriſto ſint duæ naturæ diſtinctæ realiter, non tamē Chriſtus eſt duo neutraliter. Primũ patet, quia in eo ſunt natura diuina & natura humana, quæ diſtinguũtur, nedum numero, ſed ſpecie & genere. Secundũ patet per illud Athanaſij: Non duo tamen, ſed vnus eſt Chriſtus. Probat & ratione Gab. vbi ſup. quia Chriſtus nõ eſt natura humana, nec aliquid diſtinctũ à perſona verbi, ergo nõ eſt duo neutraliter, quia duo neutraliter dicit aliqua duo realiter diſtincta. Latiùs Gabr. Et ad hoc quod aliquid dicatur duo aliqua ſeparatim, vt idē notat Gab. ar. iij. dub. ij. vbi ſupra, oportet quod quodlibet illorũ de ipſo ſeparatim prædicetur, ſicut eſſentia diuina eſt tres perſonæ, quia quælibet perſona de ea prædicatur. Ad hoc verò quod ſit aliqua duo cõiunctim, & non ſeparatim, oportet q̃ ex illis cõſtituatur vnũ ſuppoſitũ tanq̃ ex partibus, ita q̃ nulla illarũ partiũ de ipſa ſeparatim prædicetur, ſicut caro & anima cõiunctim de homine prędicat̃, quia ex illis cõponitur homo, & nec caro nec anima ſeparatim de homine dicitur. Et ſic licèt ad hoc quod verbũ ſit Chriſtus, requiritur vtraq; natura, quia tamen illę duę naturę nõ cõſtituunt vnũ ſuppoſitũ licèt ſint in vno ſuppoſito, ideo Chriſtus nõ eſt illa duo, nõ ſeparatim patet nec cõiunctim, quia Chriſtus eſt perſona verbi, & nihil aliud, habēs tamē naturá humaná. Similiter ſicut ſciēs nõ eſt homo & ſciētia, ſed eſt perſona tantũ humaná habēs in ſe ſcientiá, ſupponit enim ſolũ ꝓ homine & cõnotat ſcientiá inexiſtentē, ſic Chriſtus ſolũ ſupponit ꝓ perſona verbi, & cõnotat naturá humaná. Et licèt in Chriſto ſunt duæ naturæ realiter diſtinctæ: Chriſtus tamen nõ eſt duo, &c. Vide latiùs Gab. vbi. ſup. De qua etiá re notádæ ſunt octo ꝓpoſitiones, quas ponit Brul. d. vj. q. j. li. iij. Et harũ ſeptē ſunt negatiuę & catholicę, & per cõſequēs affirmatiuę eis oppoſitę ſunt hęreticæ cenſendę. Octaua erit affirmatiua & hæretica, quare ſimus cauti in loquēdo circa iſtá materiam addere placuit: Prima, Chriſtus non eſt duæ perſonæ. Secunda in Chriſto non ſunt duæ perſonæ. Tertia, Chriſtus non eſt duo ſuppoſita. Quarta, in Chriſto non ſunt

duo ſup-

duo ſuppoſita. Quinta, Chriſtus non eſt duæ res naturæ ſeu hypoſtaſes. Sexta, in Chriſto non ſunt duę res naturæ vel hypoſtaſes, vnde res, naturæ, hypoſtaſis, & ſuppoſitum idem penitus ſunt, & pro eodem accipiuntur. Septima, Chriſtus non eſt duò indiuidua. Octaua quæ eſt hæretica, in Chriſto ſunt duo indiuidua. Hæc Brulef.

Duratio (vt notat Gab.diſ.ij.qu.j.lib.ij.) ſignificat rem durantem connotando ſucceſsionem in ipſa re durante, vel in alia coexiſtente actu vel potentia: omnis autem ſucceſsio eſt realiter motus. Sic igitur omnis duratio includit motum qui primo tempore menſuratur. Et differunt duratio angeli & æternitas Dei, vt ibidem notat Gabr. quia æternitas Dei initio caret, nõ ſic duratio angeli. Itẽ æternitas Dei eſt ſimpliciter immutabilis, & quantũ ad durationẽ & quantũ ad durantẽ. Duratio angeli eſt vtroq; modo mutabilis, quia angelus non poteſt durare, quia poteſt annihilari, & durãs poteſt mutari de cognitione in cognitionẽ, & de affectione in affectionẽ. Sic etiã differunt eſſe, fore, fuiſſe, in angelo & Deo, quia angelus poteſt fuiſſe & nec eſſe nec fore, poteſt eſſe, & nec fuiſſe, nec fore, ſi præſenti inſtanti crearetur, & in eodem annihilaretur. Poteſt fore & nec eſſe nec fuiſſe, non ſic Deus qui neceſſario coexiſtit cuilibet differentiæ temporis nec poteſt non eſſe, aut non fuiſſe aut non fore, tamen æternitas non eſt aliquid inhærens Deo, nec duratio eſt aliquid inhærens angelo. Gabr. vbi ſupra.

Durus, a, um. quod eſt ſolidum, firmum, & firmitate naturæ corruptionem ſui non facilè admittit, cuius cõtrarium eſt molle, in quo eſt natura luxurioſior, nec ad contraria repellenda ſufficiens. Accipitur & pro aſpero & nocente, quoniam & pro crudeli nulla humanitate molleſcit. Et aliquis dicitur eſſe durus dupliciter, (vt notat S. Bonauen. libr. iiij. di. xv. circa tex.) Quidam ex natura vel ſiccitate capitis, & talis eſt durus ad lachrymas exteriores. Aliquis eſt promptus ad lachrymas exteriores pro damno, ſed non pro peccato, & iſte dicitur eſſe durus culpabiliter, vel quia eſt ſequela culpæ præteritæ vel negligentiæ præſentis, quia peccatum non diſcutit vt debet, nec odit, vel quia ſe debet culpabilem reputare. Vnde Magiſter di. xv. Satis durus eſt cuius mentis dolorem oculo non declarant. Sed ſciat ſe culpabiliter durum qui deflet damna temporis vel mortem amici, & dolorem peccati non oſtendit lachrymis. Magiſter. Et ſicut in materialibus durum dicitur (vt ſcribit Rich. di. xvij. ar. j. q. j. lib. iiij.) quod non cedit tactui. Et ſecundum Phil. iiij. Methaurorum frangi dicitur quod diuiditur in partes magnas, & comminui vel conteri quod redigitur in partes paruas. Ita per quandam ſimilitudinem in ſpiritualibus dicitur cor hominis durum quamdiu diuinæ inſpirationi ſe tangenti non cedit, ſed obuiat perſiſtendo in affectu peccati. Frangi verò dicitur quando à peccato recedere incipit, quamuis nondum plene ad Deum conuerſum ſit. Conteri verò quando in eo totaliter deſtruitur affectus peccati quod eſt plene reſilire à peccato. Hæc autem reſilitio quidam dolor eſt, non paſsio appetitus ſenſitiui, ſed ſecundum quod dolor accipitur pro diſplicentia voluntatis.

Richar.

De litera E.

EBrietas (vt ſcribit Rich. di. xv. ar. iij. q. vij. li. iiij.) dupliciter poteſt accipi. Vno modo pro impedimento vſus rationis ex immoderata vini vel alterius potus inebriãtis ſumptione cauſata. Alio modo pro immoderata ſumptione potus inebriantis. Primo modo ebrietas peccatũ non eſt, ſed paſsio pœna peccati, vnde non frangit etiam ieiunium, quod eſt abſtinentia à peccatis, &c. Secundo modo peccatum eſt & maximè cauendũ, vnde frãgit ieiunium quod eſt abſtinentia à peccatis, &c. Tunc autẽ mortalis eſt ebrietas, vt ſcribit Gerſ. in regu. mora. ſicut & generaliter omnis delectatio cibi & potus, quãdo aliquis tãta libidine comedit, & bibit quod poſtponit Deum, ſic quod vbi etiam Dei præceptum vno modo vel alio deberet à ſe violari, nihilominus à tali delectatione non ceſſaret. Secus ſi delectetur etiam in conſenſu libro circa Deum, non hoc facturus ſi Deus prohiberet, tunc enim vel nullum eſt vel tantum veniale delictum. Inebriare quoque alium (vt idem paulò pòſt ſcribit), vt vſu careat rationis in eius notabile detrimentum, peccatũ mortale eſt. Vtinam hoc conſiderarent noſtra tempeſtate bibuli, qui ad æquales hauſtus ſeinuicem inuitãt, & prouocant, putantes illum eſſe cæteris plus laudandum, qui plus vini deglutiuerit, &c. Et ebrietas ab aliis deſcribitur, quod eſt, per quam menti quædam ſui obliuio generatur, ex ſuperfluorum potuum indulgentia. Iſid. li. Etym. Vel ebrietas eſt appetitus bibendi vltra menſuram, ex quo prouenit rationis priuatio. Vel ebrietas eſt priuatio vſus intellectus facta ad aliquod tempus, ex immoderato potu vini, vel cuiuſcunque alterius rei potabilis. Paulus Corteſius lib. iij. ſen. di. viij. ita ait: Ebrietas quæ ſcelerum fex vt in lancem alteram propendet aliàs capitale, aliàs ignoſcibile malũ videri poteſt.

Ebrius & ebrioſus differunt, vt habet Gab. di. vj. q. j. art. ij. lib. iiij. Ebrioſus non ſemper eſt ebrius, nec ſemper furioſus furit. Sed ebrioſus (vt inquit Sco. di. vj. q. v. in fine quarti li. & Rich. eadem di. ar. j. q. ij. & Bonauen. di. v. circa tex. lib. iiij.) dicitur qui eſt aſſuetus ad ebrietatem, & nõ ſemper eſt ebrius, quia non ſemper impeditus ab actu. Poteſt autem (vt dicit Bonauen.) aliquis conſuetus inebriari, aliquando ſobrius eſſe in actu, ita quod non biberit multum, quare ſi tũc baptizat baptizatũ eſt. Sed ebrius dicitur qui vino plenus eſt. Vnde ebrioſus dicitur conſuetudine, ebrius verò actu. Hinc Augu. hom. v. ſuper Ioan. Non curo ebrioſum, nõ dicit ebrium ſed ebrioſum. Ebrioſus autem & furioſus baptizare poſſunt, cùm habent lucida interualla, non tempore ebrietatis aut furiæ. Ad hoc enim dicit Aug. Non curo ebrioſum, malicia enim ſacerdotis nõ impedit effectum ſacramenti, &c. Vel ebrius dicitur qui nimio potu eſt alienatus mente. Ebrioſus qui ſæpè fit ebrius. Ita ebrietas & ebrioſitas differunt, quod ebrietas fit ex cauſa, ebrioſitas fit ex moribus.

Ecce apud Theologos aliquid repentinum & ſubitaneum inſperatumq́ue demonſtrat. Vnde Gerſon. parte. ij. teſtamenti peregrini ait. Ecce notat certitudinem

dinem

 E C

dinem & oſtenſiuam præſentialitatem, grandem in bono vel malo nouitatem aut admirationem, ſtuporem & terribilitatem, & ſecundum hoc bene dicimus: Ecce mors, quia nihil certius morte, nihil præſentialius quo ad ineuitabilitatem & neceſſitatem rei, quia nihil in bono vel in malo plus nouum aut ſubitaneum propter inchoationem ſtatus immutabilis & æterni, quia nihil admirabilius & terribilius propter incertitudinem finalis iudicij, quoniam vltimum terribilium eſt mors, præſertim æterna. Hæc Gerſon.

Eccleſia poteſt multipliciter ſumi, vt ſcribit Dominus Car. Came. in veſperiis ſuis & Gabr. lect. xxij. cano. Vno modo pro templo materiali, & ſic ſumitur in vet. teſt. Deut. 23. Eunuchus non intrabit in Eccleſiã, nõ ingredietur mainzer, id eſt de ſcorto natus vſque ad decimam generationem. Et in no. teſt. 1. Cor. 11. Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum, aut Eccleſiam Dei contemnitis? Illo modo etiam accipitur. xvj. q. j. Quicunq;. & ij. q. ij. Lator, vbi dicitur quod nemini licet Eccleſiam ædificare, niſi de licentia Epiſcopi. Alio modo accipitur pro templo ſpirituali. Et ſic multipliciter poteſt ſumi. Vnò modo particulariter, & ſic qualibet rationalis creatura quam Deus ſpiritualiter inhabitat, poteſt dici Eccleſia Dei, ſicut dicitur tẽplum. Vnde Apoſtolus: Neſcitis quia templum Dei eſtis vos, & Spiritus Dei ha. in vo. ſcilicet per gratiam, licèt fortè minus propriè, quia ἐκκλησία Græcè, conuocatio Latinè dicitur. Conuocatio autem non eſt vnius ſed pluriũ. Alio modo magis generaliter pro aliqua congregatione talium creaturarũ, ſiue vniuerſali ſiue particulari. Et ſic iterum multipliciter poteſt ſumi. Vno modo pro omnibus agnoſcentibus clarè vel beatificè catholicas veritates, & ſic vocatur Eccleſia triumphans, de qua dicitur: Laus eius in Eccleſia ſanctorum. Pſal. 149. Alio modo pro omnibus cognoſcentibus ænigmaticè huius veritates. Et ſic non ſolùm ſanctos (vt Eccleſia triumphans) ſed etiam cum bonis malos, & cum hominibus dæmones comprehendit. Vnde etiam quandoque nomine Eccleſiæ maligni ſignantur, vt cùm dicitur: Odiui Eccleſiam malignam. Pſal. 25. licèt hoc modo iterum Eccleſia multipliciter poſſet ſumi, tamen quandoque ſumitur pro hominibus in mortali corpore naturaliter viuentibus, & ęnigmaticè cognoſcentibus catholicas veritates, & ſic vocatur Eccleſia militans, de qua dicitur Actu. 20. Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo poſuit vos ſpiritusſanctus Epiſcopos regere Eccleſiam Dei. Et illa Eccleſia vt ſcribit Iaco. de Valen. Pſal. 33. habet tria atria, ſcilicet, fidem, ſpem, & charitatem. Nam quidam habitant tantùm in primo atrio, ſcilicet habentes fidem informem. Alij in ſecundo, quia habent fidem cum aliqua ſpe, ſed non operatur per charitatem. Alij, ſcilicet iuſti habitant in tertio atrio Eccleſiæ, ſcilicet operantes per fidem formatam, ſpe & charitate, & iſti bene poſſunt laudare & benedicere Dominum. Habet & hæc Eccleſia tria atria, id eſt tres ſtatus. Nam in primo ſunt incipiẽtes ſiue pęnitentes, in ſecũdo proficiẽtes, in tertio perfecti. Hęc ille, &c. Item Eccleſia dicitur catholica, id eſt vniuerſalis, eò quòd vniuerſaliter per totũ ſit mundũ diffuſa, de quo vide latiùs Gabr. vbi ſupra, qui & alias ponit Eccleſiæ acceptiones, & quare Eccleſia dicitur ſancta. Appellatur autem Eccleſia multis nominibus, vt & notat Guil. Epiſcopus in ſuo Rationali, quia quandoque dicitur corpus Chriſti, quandoque etiam virgo vocatur, iuxta illud: Æmulor vos, &c. Quandoq; ſpõſa quam Chriſtus ſibi deſponſauit in fide, de qua in Euan. Qui habet ſponſam, ſponſus eſt. Quandoque Magiſter, quia quotidie in baptiſmo ſpirituales filios Dei parit. Quandoq; filia, iuxta illud Prophetæ: Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij. Item quandoque ponitur pro vidua, quia propter preſſuras nigreſcit, & vt Rachel non conſolatur. Quandoque meretrix figuratur propter Eccleſiam de gentibus congregatam. Quandoque vocatur ciuitas propter communionem ſanctorum ciuium, murata, propter munitionem ſcripturarum, quibus hæretici arcentur. Habet hæc lapides & ligna diuerſi generis, quia diuerſa ſunt merita ſingulorum. Quicquid autem ſynagoga per legem accepit, hoc nunc Eccleſia à Chriſto, cuius ſponſa eſt, per gratiam recepit, & in melius commutauit. Hæc Guil. Item quandoque in ſacra ſcriptura Eccleſia vocatur vinea, quandoque ager, quandoque meſſis, & quandoque oliuetum, vt videre licet apud Iacobum de Valen. ſuper Pſal.

Eccleſia militans (vt ſcribit Brulef. di. ij. q. iij. li. iiij.) eſt congregatio omnium fidelium viatorum ſub Chriſto militantium contra diabolum, carnem, & mundum. Vnde pagani & infideles non ſunt de Eccleſia militante, nec beati & comprehenſores, nec Chriſtus, licèt ſit dux & rector Eccleſiæ militantis. Habet autem hæc Eccleſia ſua arma. Primò baptiſmus eſt armatura intrãtium Eccleſiam militantem. Secundò eſt terribilis (ſecundum quod dicitur Canticorum 4. Ipſa eſt terribilis vt caſtrorum acies ordinata) quia munita & fortis, & hoc per conſormationem. Tertiò dicitur acies, quia cõiuncta & vnita eſt Chriſto, & hoc per Euchariſtiam. Quartò dicitur ordinata, & hoc per ſacramentum ordinis. Quintò, quia aliqui ex ea extrahuntur per mortem corporalem, ideo inſtitutum eſt ſacramentum matrimonij, ad multiplicandum prolem. Sextò, quia multi proſternuntur per culpam mortalem, ideo inſtitutum eſt ſacramentum pœnitentiæ ad reſurgendum. Septimò eſt ſacramentum exeuntiũ, ſcilicet extrema vnctio. Et quicunque egreſſus fuerit Eccleſiam militantem cum omnibus armis ſuis, ſcilicet ſacramentis conferentibus gratiam, ſine dubio vadit ad Eccleſiam triumphantem. Quicunq; verò exit de Eccleſia militante ſine armis neceſſariis ad ſalutem, vt eſt baptiſmus, pœnitentia, ſine dubio in infernũ vadit. Brulefer. Et Eccleſia militans ſecundum Cardi. Came. in ſuis veſperiis poteſt dupliciter ſumi. Vno modo pro Eccleſia vniuerſali, & ſic eſt vnica Eccleſia, & extra quá nõ eſt ſalus, de qua dicit Apoſtolus, quod Chriſtus eſt caput corporis Eccleſiæ, & corpus eius eſt Eccleſia. Col. 1. Alio modo pro Eccleſia particulari, & ſic ſunt plures Eccleſiæ, iuxta illud dictum eiuſdem Apoſtoli: Salutant vos omnes Eccleſiæ Chriſti. Rom. 16. Vtroque autem prædictorum modorum adhuc multipliciter ſumitur Eccleſia. Nam ſumendo eam pro Eccleſia vniuerſali, quandoque ſumitur pro congregatione omnium fidelium actu exiſtentium, quandoque verò generalius ſu-

raliùs ſumitur pro cõgregatione omnium fidelium à tempore Chriſti vel Apoſtolorum vſq; nunc ſuccedentium. Et ſic diſtinguitur eccleſia Chriſti contra ſynagogam Moyſi. Et iſto modo accipit Augu. eccleſiam in li.contra Manichęos,vt habetur xj.diſtin.c. palam:& Alibi vbi dicit:quod Euãgelio non crederet,niſi eum eccleſiæ autoritas compelleret. Hoc enim modo eccleſia eſt maioris auctoritatis quàm euangelium ſit, quia huius eccleſiæ euangeliſta ſiue ſcriptor Euangelij pars exiſtit. Quandoq; autem & adhuc generalius ſumitur eccleſia pro congregatione omniũ fidelium à principio mundi vſq; ad conſummationem ſeculi, & ſic non ſolùm comprehendit eccleſiam Chriſti , ſed etiam ſynagogam Moyſi;& eos qui fuerunt ſub lege naturali. Et iſto modo accipit Aug.li.xv.de ciui.Dei,ca.j. vbi dicit: quod non ſolùm à tempore corporalis præſentiæ Chriſti & Apoſtolorum eius,ſed ab ipſo Abel vſque in huius ſeculi finem peregrinando percurrit eccleſia.Et Greg.in quadam homel.dicit : quod ab Abel iuſto vſque ad vltimum electum ſemper manet eccleſia . Hoc enim modo ſynagoga ve.teſt.appellatur nomine eccleſiæ.Num.20. Cur eduxiſtis eccleſiã Domini in ſolitudinem. Sed etiam ſumendo Eccleſiã pro eccleſia particulari,iterũ multipliciter ſumi poteſt.Vno modo pro quacunq; congregatione fidelium ſiue virorum,ſiue mulierum. Et ſic dicitur 1.Pet.5.Salutat vos eccleſia quæ eſt in Babylone. Et iſto modo ſumitur in pluribus ſacræ ſcripturæ locis.Alio modo ſumitur ſpecialiter pro tota cõgregatione clericorum,& ſic nunquam accipitur in textu ſcripturæ diuinæ.Sed clerici nomen eccleſiæ appropriauerunt ad ſeipſos, vocantes ſe Eccleſiaſticos. Alio modo ſumitur adhuc magis ſpecialiter pro aliquo particulari collegio clericorum.Et ſic in iure canonico eccleſia iterum habet varias ſignificationes:vt notatur extra de ver.ſig.c. Cũ clerici.in glo. Sed his & aliis ſignificationibus omiſsis eccleſia militãs propriè ſumpta pro eccleſia vniuerſali poteſt iſto modo deſcribi.Eccleſia eſt omnis homo fidelis, vel omnes homines fideles actu vel habitu implicitè vel explicitè credẽtes, vel ęnigmaticè cognoſcentes omnes catholicas veritates.Voco autem catholicas veritates quibus quilibet viator actu vel habitu explicitè vel implicitè firmiter aſſentire tenetur . Sed dico omnis homo , vel omnes homines, quia ſecundum aliquos, non ſolùm in pluribus hominibus,ſed in vno ſolo poteſt vel potuit ſtare Eccleſia. Nam vt dicit Aug.ſuper Pſal.128. Aliquando in ſolo Abel Eccleſia erat.Et vt quidam dicunt:Aliquando,ſcilicet tempore paſsionis Chriſti tota Eccleſia,& tota fides Eccleſiæ Chriſtianæ in Maria Matre Chriſti remanſerat. Hæc Dominus Cardinalis Cametacen.in ſuis veſperiis.

Eccleſia Petri (vt idem Dominus Car.ſcribit) poteſt ſumi dupliciter. Vno modo pro Eccleſia quam Petrus Apoſtolus perſonaliter rexit.Alio modo pro Eccleſia particulari,in qua ipſe ſedem tenuit.Et iſta dicitur fuiſſe Eccleſia Romana.Ec capitur multipliciter. Quandoq; eccleſia Romana ſumitur pro ſummo Pontifice & quibuſdam presbyteris & diaconis, quos non ex auctoritate diuinæ ſcripturæ, ſed ex conſuetudine obſeruãtiæ humanæ Papam & Cardinales vocamus. Quandoq; ſumitur pro ſolis Cardinalibus,quandoque pro omnibus credentibus fidem Apoſtolicam prædicatam Romanis,quandoq; pro omnibus clericis Romanis,quandoque pro omnibus fidelibus Romanæ dioceſ. Et ſic vniuerſalis Eccleſia poteſt vocari Eccleſia Romana, & omnes fideles poſſunt appellari Romani , vt dicunt aliqui. Sicut Apoſtolus Paulus extra Italiam natus , antequam Romæ fuerit ſe eſſe hominem Romanũ aſſeruit,vt patet Act.16. Et iſto modo ſecundum illos ſumitur eccleſia Romana vbicunq; innuitur quod contra fidem errare non poteſt Romana eccleſia,vt xxiiij.q.j.Pudenda.& ca.Aduocauit. Petrus autem Apoſtolus ex Chriſti inſtitutione epiſcopatũ tenuit Romanæ eccleſię. Et idẽ Petrus prius tempore ſummus Pontifex fuit quàm Epiſcopus Romanæ eccleſiæ. Id quidem latiùs deducit Petrus Aliacenſis in j. veſperiarum,& in fine concludit ex omnibus,quod Petri eccleſia lege regulatur, hoc eſt quod vniuerſalis eccleſia nunquam per errorem legi difformat, ſed ſemper legis Chriſti regulæ conformatur , non ſolùm per fidem mortuam , ſed etiam per fidem ſpe & charitate formatam,& ſi non quantum ad qualibet ipſius portionem.Et in hoc conſiſtit conformitas eccleſiæ Chriſti,ad Chriſti regulam ſeu legem. Hinc eſt quod dicitur Luc.22. Petre rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.Nec dubitandum eſt ipſum in hoc fuiſſe exauditum,quia ſecundum Apoſtolum Hebr.5.Exauditus eſt pro ſua reuerentia.Et cũ non loquatur de aliqua eccleſia partiali , ſequitur quod intendit de eccleſia totali.Conſtat ergo quod Chriſtus promiſit Petro, quod nõ deficiet fides ſua,non intelligens de eius fide perſonali, ſed de fide generali eccleſiæ Dei committendæ regimini Petri . Item patet & hoc Matth.vlt. Ego vobiſcum ſum vſque ad conſumma.ſeculi : Vbi Chriſtus promittit diſcipulis ſuis,non ſolùm pro ſe,ſed pro ſuis ſucceſſoribus in eccleſia Dei ſeipſum, non quidem corporaliter,aut ſolùm ſacramentaliter, ſed per fidem ſpiritualiter ſemper adeſſe vel affuturũ.Vnde dicit Greg. quod per hoc quod Chriſtus vſque ad conſummationem ſeculi cum diſcipulis ſe eſſe promittit,oſtendit ipſum nunquam à credẽtibus receſſurum, etiam tempore Antichriſti. Vide latiùs Aliacen.vbi ſupra. Et ita Petri eccleſia ſemper in fide perſeuerabit in omnibus,vel in aliquibus,&c . quamuis eccleſia in his quæ facti ſunt,ſed non quę fidei errare poteſt,vt in multis locis habet Gerſon.

Eccleſia. Aliud eſt eccleſiã violare, & immunitatẽ eccleſiæ(vt ſcribit Rich.d.xviij.ar.xij.q.ij.l.iiij.) Violare eccleſiã,eſt ipſam frãgere vel incẽdere. Violare immunitatẽ eccleſię,eſt facere contra eccleſiæ libertatem. Violans eccleſiam(vt dictum eſt)excommunicationem incurrit ipſo iure communi,violans autem immunitatem eccleſiæ , ipſo iure communi excommunicatus non eſt, ſed poſt monitionem ſufficientem ſi emendare contempſerit , eſt excommunicandus. Vnde ſi extrahens hominem violenter de eccleſia,qui ad ipſam pro refugio confugerat excommunicatus non eſt à iure communi , ſi hoc faciat ſine effractione eccleſiæ , & rerum ſacrarum quæ ſunt in eccleſia , niſi ſit publicus latro nocturnus, populator agrorum, qui dum itinera frequentata vel publicas ſtratas obſidet aggreſsionis inſidiis, ab eccleſia extrahi poteſt , extra de immunitate eccleſiæ in-

cleſiæ inter alia. Vide latiùs ibi Rich.

Ædificare idem quod conſtruere. Et ædificare domum in paradiſo (vt ſcribit Bruleſet.di.xl.q.j.li.j.) eſt mereri vitam æternam. Nunquam autem Deus ædificabit mihi domum in paradiſum, niſi ego ædificem cum eo. Ædificare ergo tabernaculum in Paradiſo non eſt ipſa prædeſtinatio, ſed effectus ipſius.

Educere dicitur extra ducere. Educere de potentia materiæ nihil aliud eſt quàm agens aliquod producere formam in materia, ita quod neceſſario in producendo requirit materiā cōcauſantem in ſuo genere, hoc eſt materiam ſuſcipiētem, hæc eſt enim cauſalitas materiæ. Ex quo patet quod non tantum forma naturalis, ſed etiam forma violenter introducta educitur de potentia materiæ, vtputa frigiditas in aqua. Nam agens violentum hanc producere non poteſt, niſi in materia aquæ ipſam ſubiectante. Gabriel di.j.qu.j.artic.ij.dub.ij.libr.ij. Et libr.iiij. diſtinctio.j.qu.j.artic.iij.dub.iij.dicit, quod ille terminus educi de potentia materiæ eſt terminus obſcurus, & non multum apud originales doctores vſitatus, & per hoc habere poteſt neſcio quid latentis periculi, & eſt difficilis intellectu, vt vult Dominus Petrus Aliacenſis. Et paulò pòſt ait Gab. Fateor me virtutem huius vocabuli ignorare ſecundum acceptionem diuerſorum. Vide latiùs eum ibi. Dicitur autem educi de potentia materiæ cauſam in producendo (extendendo nomen cauſæ ad cauſam ſine qua non) inniti materiæ ſeu ſubiecto, id eſt requirere ſubiectum ſui effectus quem cauſat, ita quod ſi non eſſet ſubiectum non cauſaret, &c. Et per hoc generatio differt à creatione, &c.

Effabilis dupliciter dicitur ſicut & nominabile, ſecundum S. Bonauen. di.xxij.di.j.lib.j. Vno modo effabile dicitur per perfectam expreſſionem. Alio modo per ſemiplenam narrationem, ſic etiam nominabile. Si primo modo capitur Deus, ſicut ſibi ſoli eſt intelligibilis, ſic ſibi ſoli eſt effabilis & nominabilis, non alio nomine quàm ipſe ſit, nec alio verbo quàm ipſe ſit, & ſicut nobis eſt incomprehenſibilis ita & ineffabilis, ita etiam innominabilis. Sic loquitur Diony. de diui. no. Dei neque nomen eſt, neque verbum, neque ratio, neque opinio, neque phantaſia. Et Philoſophus in li. de cauſis. Prima cauſa ſuperior eſt omnium narratione. Si verò effabile & nominabile dicatur ſecundum qualemcunque nominationem, ſic quemadmodum Deus eſt nobis cognoſcibilis, ita & effabilis & nominabilis. Et qui melius cognoſcit melius effatur, & melius nominat & expreſſius. Vnde & expreſſius nominat fidelis & ſcriptura quæ fidei ſuffragatur, vt ſacra ſcriptura quàm ratio vel philoſophia. Et ſecundum Aug. de ver. Domini. ſer.xxxiiij. Deus eſt ineffabilis, quod intelligendum eſt, Deus dicitur ineffabilis quantum ad illum cui exprimitur, & quia ille cui exprimitur per nomen vel ſignum etiam diſtinctè (ex vi impoſitionis ſignificans) non poteſt deuenire in diſtinctā cognitionem Dei. Et ita licèt Deus ſit effabilis quantū ad ſignum diſtinctè ſignificans, nō tamen eſt effabilis quantū ad actū cōprehenſiuū ipſius cognoſcentis, vt ſcribit Gab. d.xxij. quæſtio. vnica. artic.iij.dub.ij.li.j. Hinc Aug. iij. de trini. Nihil fit quod non de interiori atque intelligibili aula ſummi imperatoris egrediatur ſecundū ineffabilem iuſtitiam atque ſapientiam. Idem vij. de trini. Verius cogitatur Deus quàm dicitur, & verius eſt quàm cogitatur. Quod Gabriel ita intelligit li.j. vbi ſupra, quod verius cogitatur, pro quanto cogitatio eſt ſignū naturaliter repræſentās obiectū. Vox verò eſt ſignum ad placitum tantum ſignificatiuum ſaltem vltimatè. Quod autem naturaliter ſignificat dicitur verius repręſentare (eò quòd repręſentare ineſt ſibi naturaliter) quā illud quod ex impoſitione ſignificat, cui accidit ſignificare, nō tamen ideo ſequitur quod illud quod naturaliter ſignificat diſtinctius ſignificet quolibet ſignificāte ad placitū.

Effectus gratiæ ſunt duo principales. Vnus eſt gratificare naturam (vt ſcribit Gabriel. diſtinctio.xxvj. quæſtio. vnica. artic.j. libr.ij.) Nam gratia propriè dicta iuſtificat impium, liberans eum a miſeria culpæ, per gratiæ enim infuſionē remittitur peccatum. Gloſ. ſuper illud Rom.1. Gratia vobis & pax, id eſt remiſſio peccatorum, quo dimiſſo de peccatore iniuſto fit innocens, iuſtus & Deo amicus & gratus, & hunc effectum habet ſola ſua informatione. Ex hoc enim quod informat ſolùm gratificat naturam, hoc eſt, acceptam facit ad vitam æternam. Vnde ſicut pulchritudo corporis reddit totum corpus humanum gratum & mutabile, ita gratia decor eſt animæ, faciēs animam (eò quòd ineſt) acceptam Deo. Vnde glo. ſuper illud Pſalmi: Vt exhilaret faciem eius in oleo. Gratia eſt quidam nitor animæ ad conciliandum ſanctum amorem, & hunc effectum ſemper habet etiam in infantibus baptizatis. Secundus effectus eſt inclinare operationes in finem vltimum qui eſt Deus, inclinat enim hominis voluntatem ad eliciendum opera ſua principaliter propter Deum tanquam in finem ſuper omnia intentum & dilectum, & hoc facit opera hominis meritoria & æterno præmio digna. Et quantum ad primum effectum dicitur operans vel præueniens, quia præuenit voluntatem eam præparando, & bonam, iuſtam, & acceptam Deo faciendo, vt dignè bonum velit. Quantum verò ad ſecundum effectum dicitur gratia cooperans & ſubſequens, pro quanto adiuuat voluntatem, inclinando eam ad opera meritoriè perficienda, prius enim eſt natura, & ſi nō tempore, vt natura gratificetur, quatenus opus eius ad præmium acceptetur oblatū. Et gratia operans & cooperās nō eſt duæ, ſed vna duplici nomine propter diuerſos effectus dicta. Differūt itaq; ratione, & nō re. Gabr. vbi ſupra. Et idē di.ij.q.j.lib.iiij. dicit: quod gratia multos habet effectus, nam tollit defectus culpabiles, & ad culpam inducentes, delet namque peccatum & minuit concupiſcentiā, pręſtat vitam animæ. Nam per gratiā Deus qui eſt vita animę (ſicut anima eſt vita corporis) inhabitat animam Rom.5. Diffuſa eſt charitas Dei in cordibus noſtris per ſpiritumſanctum, &c. Perficit etiam animam & corroborat, inclināndo ad actus meritorios, qui ſunt actus virtutum, vt de charitate quæ idētificatur gratiæ dicitur in iij. lib. ſent. De effectibus verò gratiæ quam conferunt ſacramenta, ſuis locis pateſcit.

Effectus Dei proprij ſunt creare, iuſtificare, beatificare, quæ operationes ſoli Deo conueniunt. Solus Deus creat, producendo aliquid de nihilo

ſolus

ſolus iuſtificat, peccata dimittendo, ſolus beatificat, vitam æternam conferendo. Per creationem datur eſſe naturæ; per iuſtificationem eſſe gratiæ, per beatificationem eſſe gloriæ, nam gratiam & gloriā dabit Dominus, vt dicitur in Pſal. Gabr.li.iij.ſententiarum diſt.xxv.q.vnica.

Efficacia eſt duplex (vt ſcribit Bruleſ.di.xij.q.x.li.iiij.ſcilicet. Actiua & paſſiua. Efficacia actiua eſt duplex, quędam efficacia actiua pro primo actu, & eſt ratio effectiua ipſius agentis, per quam agens efficit & cauſat, vt calor eſt cauſa effectiua, quare ignis calefacit. Alia eſt efficacia actiua pro actu ſecundo, vt eſt ipſa actio ipſius agentis, per quam agens efficit & cauſat, vt calefactio in igne, & iſta efficacia tā pro actu primo, quā pro actu ſecundo in ſacramento eſt ſemper in Deo. Efficacia verò paſſiua nihil aliud eſt quā effectus productus & cauſatus ab ipſo efficiente, vt gratia poteſt eſſe efficacia in ſacramento Euchariſtiæ. Non habet autem hoc ſacramentum efficaciam in viro ſiue iniuſto, ſiue iuſto, niſi dignè accedat. Dignè accedit, quando ſe præparat dignè vt diſcernat iſtum cibum ab aliis, & præparat, & per veram examinationem, ſecundum illud Apoſtoli Probet ſeipſum homo. Et quod hoſpitem iſtū cum honore ſuſcipiat, ad hoc requiritur diligentia, &c. Sacramenti huius effectus ſunt plures, vt aliàs dicitur, & habet Bruleſer.diſt.xij.q.xij.lib.iiij.

Efficacia meriti principaliter ex tribus venit, vt habet S.Bonauen.di.xxix.ar.iij. qu.ij.lib.ij. videlicet ex difficultate operis, ex promptitudine volūtatis, & ex magnitudine charitatis. Difficultas operis multum facit ad meritū, & adeo facit vt homo qui eſt multo minoris charitatis quàm angelus, poſſit mereri, vt perueniat ad ſublimitatem angelicam, ſecūdum quod colligitur ex illo quod dicitur Mat.11. de Ioan.bap. Qui minor eſt in regno cœlorum, maior eſt eo. Non enim eſt dubitandum, quin Ioannes ſit exaltatus ad ordines excellentium angelorum, & tamen ſecundum ſtatum viæ minoris charitatis erat, quàm aliquis eorū. Promptitudo etiam voluntatis plurimum facit, ſed voluntas prompta ſecundum id quod habet, accepta eſt ad meritum. Quantumcunque enim ſit in homine gratia, niſi ſit voluntas gratiæ conſentanea, nunquam eliciet opera meritoria. Et quantò magis voluntas gratiæ ſubiacet & confirmatur, tantò magis homo in operibus meritoriis exercetur. Magnitudo charitatis eſt principalior inter omnia quæ faciunt ad meritum, quia ſecundum illius quantitatem attenditur remuneratio præmij ſubſtantialis. Pondus enim amoris eſt quod dat valorem operibus meritoriis.

Effractor ab effringo, quod eſt valdè frango. Et effractores ſunt illi (vt ſcribit frater Oſualdus lib.iiij. Roſa. Theologiæ) qui dolo malo aut per iniuriam violenter parietem fodiunt, aut vitream feneſtram frangunt, vel ſarraturam vel oſtia, vel cardines ſeu vectes, dum tenent oſtia firmata, aut ipſum tectum eccleſiæ. Alij autem qui faciunt enormia in eccleſia, vt rapiendo corpus Chriſti, frangendo calices & huiuſmodi, non ſunt effractores propriè, nec excommunicati ipſo iure, nec etiamſi excommunicarentur & denunciarentur, eſſent mittendi ad papā, ſed bene poſſent ab eo qui eos excōmunicauit abſolui. Effractores verò ſunt excommunicati ipſo iure, cum ſpoliatione eccleſiarum poſtquam fuerint denunciati, non poſſunt abſolui niſi à ſede Apoſtolica, vt habetur de ſenten.excommu. ca.conqueſti, &c.

Electio ſecundum Sco.di.vj.lib.ij. aliquando accipitur pro actu voluntatis continente plenā apprehenſionem intellectus, quomodo dicitur peccare ex electione, quando non eſt ignorantia, nec paſſio perturbans in intellectu. Alio modo accipitur pro actu voluntatis conſequēte ſyllogiſmum practicum, ſeu concluſionem ſyllogiſmi practici, qui nō eſt niſi volitio efficax obiecti, inquirens mediū per quod poſſit attingi obiectū. Primo modo electio eſt impoſſibilium, ſicut dicit Phil.3.Ethi. quia voluntas eſt impoſſibilium, non tamen voluntas errans, ſed voluntas ſuppoſita plena apprehenſione intellectus. Secundo modo electio non eſt impoſſibilium, quia nullus de impoſſibilibus ſyllogizat practicè, quęrēs ex fine media, quibus conſequetur finē. Vel planius dicitur ſecundū Gab.d.vj.q.vnica.ar.iij.dub.ij.l.ij. quod electio vno modo dicit plenā acceptationem vel volitionem. Alio modo volitionem efficacem ſequentem ſyllogiſmum practicum media oſtendētem ad finis cōſecutionem. Primo modo poteſt eſſe cuiuſcunque, cuius poteſt haberi cognitio. Secundo modo non eſt niſi alicuius ad cuius eſſe operatur voluntas quātum poteſt, quia nihil vult efficaciter niſi ad quod diſponit media, per quæ poſſet cōſequi volitum, & illo modo non eſt impoſſibilium, nullus enim de impoſſibilibus conſiliatur, quibus mediis adquirat. Et ſic debet verbum Philoſophi intelligi. Electio non eſt impoſſibilium, voluntas autem eſt impoſſibilium, puta immortalitatis. Et ſequitur. Voluntas quidem finis eſt magis. Electio autem eorum quæ ſunt ad finem. Hoc etiam modo angeli non peccauerunt ex electione, hoc eſt ex volitione efficaci, per quam vellent niti ad conſequendū propoſitum, potuerunt tamen peccare ex electione, hoc eſt non ex ſurreptione, ſed ex perfecta volitione illius æqualitatis. Hæc Gabriël vbi ſupra, &c. Poſſumus & de electione dupliciter loqui vt ſcribit Petrus de Aliaco.q.xij.ar.ij.l.j. Vno modo ſpecialiter, prout, ſcilicet ſequitur deliberationem & ſententiam conſilij, ſicut diffinitur 3.Ethi. quod electio eſt deſiderium conſiliabile, & talis non cadit inter penitus æqualia ante conſilium ſcita eſſe æqualia, & ſic prædeſtinatio nō includit talem electionem, nec talis competit Deo, vt dicit Damaſ.lib.j.c.xxxiij. Alio modo poſſumus loqui de electione largè, prout libera præacceptatio vnius ad alterum dicitur electio. Et hæc eſt duplex, quædam præueniens bonitatem electi, quædam verò conſequens. Primo modo prædeſtinatio eſt electio, non autē ſecundo modo, & illa poteſt eſſe inter omnino æquales, ſicut patet de figulo in exemplo Apoſtoli, &c. qui ex luto poteſt facere vas ad honorem vel contumeliam, &c.

Electio eſt triplex vel dicitur tripliciter, vt notat S. Bonauen.d.xl.ar.ij.q.ij.li.j. & poſt eum Bruleſ. eadem di.ar.ij.q.j.li.j. Eſt enim electio ſecundum affectionem dilectionis, & eſt præoptio diuinæ voluntatis qua præoptat vel vult dare vitam æternam aliquibus creaturis rationabilibus, & non aliis, & eſt idem quod prædeſtinatio & electio in Deo eſt

æterna,

æterna, non temporalis. Vnde Ephe. 1. Elegit nos ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immaculati coram ipſo. Sed conſtat quod nihil temporale fuit ante conſtitutionem mundi, ergo, &c. Alia eſt finalis gratificationis, & eſt collatio gratiæ finalis ipſi creaturæ rationali. Et gratia finalis non eſt in aliquo homine quamdiu eſt in via, quia pro nullo inſtanti viæ aliquis eſt in gratia finali, ſed in pręmio inſtanti mortis gratia fit finalis quæ infuit. Et electio finalis gratificationis eſt temporalis non æterna, quia eſt effectus, puta datio ſeu collatio gratiæ finalis. Itē electio finalis gratificationis eſt ſignum infallibile, & effectus ipſius electionis, dilectionis. Item nulla gratia in via eſt certum ſignum prædeſtinationis. Tertiā eſt electio prælationis, & eſt collatio alicuius dignitatis vel eminentiæ alicui creaturæ rationali ſuper alias creaturas rationales, quēadmodum dicitur Epiſcopus eſt Prælatus. Vnde Chriſtus: Ego elegi vos, & vnus ex vobis diabolus eſt. Et intelligitur deſcriptio, etiam de ſeculari prælatione. Electio autem prælationis, non ſolùm eſt bonorum ſed etiam malorum, nec eſt omnium bonorum. Vnde quidam apparuit poſt mortē cuidam (vt habetur in Epiſtolis ſancti Hiero.) dicens: Si fuiſſem de numero Epiſcoporum, fuiſſem de numero damnatorum. Nec eſt ſignum electionis æternæ dilectionis talis electio. Multi enim eliguntur mali, & vtinam non ſint plures mali quā boni. Bonauē. vbi ſupra, &c. Biuleſer poſt eum, &c. Item electio dicitur dupliciter ſecundum S. Bonauen. q. j. vbi ſupra. Vno modo prout dicit dilectionem cum diſcretione ſolùm. Alio modo vt dicit dilectionem cum diſcretione præcedente, & deliberatione, & inquiſitione. Et primo modo eſt in Deo, ſecundo modo in creatura, in qua cadere poteſt ignorantia. Hoc modo loquitur Damaſce. Electio non cadit in Deum, quia diuina natura non eſt poſsibilis ad ignorantiam.

Elementum ſecundum Philoſophum 5. Meta. & Guilhel. Scot. & fratrem Pelbar. li. ij. Roſar. Theo. de elementis, eſt ex quo aliquid componitur. Et dicitur tripliciter. Vno modo logicè, ſic termini ſunt elementa propoſitionum, & principia ſunt elementa concluſionum. Secundo elementum dicitur phyſicè, & ſic ſecundum philoſophum 2. de generatione ſunt quatuor elementa cuiuſlibet rei naturalis, ſcilicet, ignis, terra, aër & aqua. Et dicitur elementum quaſi alimentum, quia ex eodem elemento ſumus & nutrimur, teſte philoſopho. Tertio modo dicitur elementum metaphyſicè, & ſic quidditates ſuperiores ſicut animalitas, ſubſtantia, ſunt elementa inferiorum, puta hominis, leonis, &c. Capitur & grammaticè pro literis ex quibus componuntur dictiones. Et ſecundum eundem Guil. Scoti imitatorem elementum non conuenit dici in diuinis, nec ad intra, nec ad extra, quia omne elementum aut tenet locum materiæ, aut locum formę. Sed Deus nec eſt materia nec forma, nam Deus eſt ſummum ens entium, materia autē inter entia eſt infima & propè nihil, vt dicit Aug. lib. ix. confeſ. Forma etiam habet naturam partis in compoſito & limitationis, ergo non conuenit Deo. Elementum autem ſecundum Ariſt. corpus ſimplex non compoſitum, & eſt ad quod cætera corpora reſoluuntur vltio, & eſt in eis potentia vel actu, ſed ipſum non reſoluitur nec cadit ſub corruptione. Et ſecundum omnes tā philoſophos quàm theologos ſunt quatuor, videlicet, Ignis, aër, aqua, terra. ex his componuntur & reſoluuntur in hæc vltimo omnia corpora mixta. Et ſecundum Iſid. elementa fecit in principio Deus, formando ex materia confuſa primo creata. Et poſtea ex iſtis elementis facta ſunt quæque mixta corpora, &c. Et ex his quædam dicuntur actiua, quæ ſunt leuiora, vt aër, ignis: paſsiua quæ ſunt grauiora, vt terra, aqua, vt dicit Brule. di. xv. qu. iij. libr. ij. Et de elementis aliàs multa à Philoſophis tractantur, quę ibi relinquuntur.

Eleemoſyna eſt opus in quo datur aliquid indigenti ex compaſsione propter Deum: ſecundum Theolo. iiij. ſen. diſti. xv. & hoc B. Thom. ij. ij. qu. xxxij. ar. i. Diciturque ab ἔλεος quod eſt miſericordia, & ſecundum ſanctum Bonauen. di. xv. li. iiij. capitur tripliciter: propriè communiter, & communiſsime. Propriè dicitur opus pietatis impenſum proximo, ad reuelandum indigentiā corporalem. Cōmuniter eſt omne opus pietatis proximo impenſum ſiue ſpirituale ſiue corporale. Communiſsime dicitur omne opus miſericordiæ ſiue proximo ſiue ſibi impenſum ſecundum quod dicit Aug. quod eleēmoſyna hominis debet incipere à ſemetipſo, iuxta illud Eccle. 30. Miſerere animæ tuæ placens Deo. Et ἐλεημοσύνη Græcū nomen eſt, vt dicit Alexan. de ales par. iiij. q. cv. mē. j. quē recitat Gab. di. xvj. q. iiij. ar. j. li. iiij. Et dicitur ab eloi. quod eſt miſereri: & moys quod eſt aqua: quaſi aqua miſerationis. Item dicitur ab Eli quod eſt Deus, & moys aqua, quaſi aqua Dei, vel aqua diuina. Et ſecundum has interpretationes eleēmoſyna eſt opus miſericordiæ pietate deductum in eſſe, & diuino mandato aptū ad peccata extinguenda. Aqua enim pietatem importat, ſecundum illud Hiere. 9. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum. Quod etiam Deus mādauerit eleēmoſynam, patet Luc. 11. Date eleēmoſynam, & omnia munda ſunt vobis. Et quoniam extinguere peccata conuenit eleēmoſynæ, hoc eſt ex virtute diuina, nō ex natura actus, ideo dicitur aqua diuina. Hinc Eccleſ. 3. Ignē ardenrē extinguit aqua, & eleēmoſyna reſiſtit peccatis. Et hæc deſcriptio ait Gabriël magis eſt etymologia quàm diffinitio. Et accipiendo propriè vt diſtinguitur contra alia duo ſatisfactionis opera, ſcilicet pro opere pietatis impenſo proximo ad releuandum indigentiam corporalem. Et hoc modo poteſt deſcribi ſecundum Alexan. & Thom. in quarto di. xv. Eleēmoſyna eſt opus ſiue largitio rei neceſſariæ facta indigenti ex compaſsione propter Deum. Et addendum eſt (vt vult Gabriel) ad releuandum indigentiam corporalem, alioquin conueniret eleēmoſynæ ſpirituali. Et dicitur opus, quoniam eleēmoſyna vt hic accipitur non eſt virtus neque habitus, neque virtutis actus elicitus, ſed actus exterior imperatus. Et ſi ille actus fit propter Deum, tunc eſt virtuoſus, ſi propter iactantiam, ſic eſt vicioſus. Et ad faciendum eleēmoſynam plures virtutes poſſunt inclinare, ſcilicet charitas Dei, amor proximi, liberalitas, miſericordia, etiam iuſtitia, ſi fiat intentione ſatisfaciendi pro peccatis, & per hoc reducitur ad diuerſas virtutes. Dicitur rei neceſſariæ, id eſt conuenientis ſeu vtilis indigenti,

digenti, ad excludendum dationem rei diſconuenientis, ſicut eſſent alicuius rei inducentis ad peccatum. Sic neceſſariè capitur multum largè, id eſt conuenientis vel vtilis. Sic viſitatio infirmi vel captiui ſeu in perturbatione exiſtentis, eſt datio rei neceſſariæ, quia ipſa viſitatio eſt res neceſſaria, id eſt conueniens, & conſolatoria afflicto. Dicitur indigenti, hoc eſt ei qui talibus caret, nec ex ſe, nec ex ſuis habere poteſt. Vnde largitio munerum facta abundantibus, non eſt eleēmoſyna. Additur ad releuandum indigentiam corporalem, ad excludendum eleēmoſynam ſpiritualem, quæ exhibetur in doctrina, in conſilio, & huiuſmodi donis ad animam pertinentibus, vt habetur in hoc verſiculo:

Conſule, caſtiga, ſolare, remitte, fer, ora.

Hoc eſt ſecundum Palud. diſtinct. xv. quæſt. iij. artic. iiij. Conſule dubitanti: doce ignorantem: caſtiga delinquentem: conſolare triſtem: remitte iniurias in te peccanti: fer patienter aliorum infirmitates: ora pro omnibus. Ad hæc cætera opera ſpiritualia reducuntur. Dicitur ex compaſsione miſeriæ proximi, quoniam datio munerum non intuitu miſeriæ & indigentiæ perſonæ, ſed obligationis eius ad aliquod officium prouidendum, ſiue labores, aut propter aliam retributionē rependendam datori vel ei pro quo donat, non meretur dici eleēmoſyna, ſed ſtipendium ſiue merces, alioquin omne tributum datum Regibus & Principibus eſſet eleēmoſyna. Similiter omne pretium laboris quo quis laborat pro vitæ ſuæ ac ſtatus ſuſtentatione, eleēmoſyna diceretur: & per conſequens omnes illi eſſent verè mendici, quod falſum eſt, quoniam ſolus titulus recipiendi ratione naturalis neceſsitatis facit mendicantem, vt dicit Gerſon in de perfectione cordis. Sic curati recipientes decimas, non recipiunt eleēmoſynas. Dignus eſt operarius cibo ſuo & mercede ſua. Lucæ decimo, & Matth. 10. Sic fundantes beneficia pro templi miniſtris, & anniuerſaria quibus obligant recipientes ad certa obſequia, non faciunt eleēmoſynam propriè, ſed inſtituunt & prouident ſtipendium, ac cibum laborantibus debitum: ſecus ſi non interueniret obligatio, licèt largo vocabulo dicantur eleēmoſynæ pro eo quod non dantur propter retributionem temporalem. Dicitur vltimo propter Deum, quod reſpicit perfectionē eleēmoſynæ, hoc eſt eleēmoſynam, vt eſt opus meritorium. Et hæc diffinitio datur de eleēmoſyna non generaliter, ſed de eleēmoſyna meritoria: hæc enim fieri debet propter Deum tanquā vltimum finē ſuper omnia dilectū. Et eleēmoſyna, vt ſcribit Paulus Corteſ. li. iij. ſententiarū ſuarū, d. vij. dicitur benigna ſuffragrandi voluntas, quæ egentiſsimo cuiq; opitulatur. Accipitur etiam eleēmoſyna frequenter non pro datione, ſed pro ipſo dato indigenti ex compaſsione propter Deum. Sic dicimus tunicam pauperi datam propter Deum eſſe eleēmoſynā. Et ſecundum Bona. in dub. literal. di. xv. poſt Alexan. part. iiij. q. cv. memb. ij. ſeptiformis eſt eleēmoſyna corporalis, ſicut in hoc metro continetur:

Viſito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Viſito infirmum: poto ſitibundū: cibo famelicum: redimo captiuum: tego nudum: cōdo defunctum. De quibus latiùs Gabriēl diſt. xvj. quæſt. iiij. art. j. lib. iiij. Aſtipulatur Corteſ. vbi ſupra, qui ait: Hanc noſtri in ſeptem genera diuidunt. Nam eos qui fame conficiuntur, alere: diuturnam æſtuantium ſitim extinguere: tunicatum & ſemiamictum, penula veſtire: à prędonibus redimere: & è ſeruitute captos: hoſpitalem eſſe in aduenas: ægritudine tabeſcentibus adeſſe: aut eorum qui vita exceſſerūt cadauera humare, in hoc benignitatis genere ponunt. Sed intelligendum eſt maximè (vt idem dicit) his opibus in largiendo vti non licere, quæ vel rapinis, vel furto ſiue fœnore parantur, cùm ſatis notum ſit eiuſmodi opes his reddi debere, quibus adimuntur. Nec item ex eo genere conuenit in largiendo eſſe beneficum, quo pecuniæ ſtolidis aut pueris in talario aut aleatorio ludo doloſe detrahuntur, cùm illis actio repetundarum detur. At neque his pecuniis quæ ex numerali ambitu parantur vti in ſuffragio licet, cùm & qui acceperint & qui dederint eiuſdem iniuſtitiæ criminis poſtulandi ſint. Eademque præſcriptio eſt pecuniarum, quæ in lupinaribus ex meretricia attrectatione quęruntur, cùm difficilis ſit redditio ad numamum, & haud fas ſit aras diuorumque delubra his meretriciis manubiis ornare. Hæc Paulus Corteſius. Eſt præterea triplex eleēmoſyna (vt habet Bruleſer diſtinct. xv. quæſt. x. libr. iiij.) ſcilicet in corde, in ore, & in opere. Eleēmoſyna in corde, eſt miſericordia in corde compatiendo proximo. Eleēmoſyna in ore, eſt ad cōſolandum verbis proximi. Eleēmoſyna verò in opere fit, ſubueniendo proximo in neceſsitate (vt & dictum eſt.) De quibus autem bonis vel quibus hominibus poſsit & debeat fieri eleēmoſyna, diffuſe ſcribit Gabriēl diſtinct. xvj. quæſt. iiij. artic. ij. concluſione viij. Et breuiter ex multis pauca accipe: Dare eleēmoſynam de rebus ſimpliciter neceſſariis perſonæ dantis vel ſibi commiſsis, nec eſt conſilij, nec eſt præcepti, ſed eſt contrarium ordini charitatis: quia ſecundum Auguſtinum, peccat qui præpoſterè agit. Sed ordo charitatis exigit quod homo magis ſibi & ſuis prouideat quàm aliis. Ordinata enim charitas à ſeipſo incipit, niſi daret perſonæ notabili, de cuius morte magnum reipublicæ detrimentum imminere poſſet, ſecundum Richardum diſtinct. xv. quæſt. v. artic. ij. Et Thom. ij. ij. quæſt. xxxij. art. vj. Bonum namque reipub. & ſalus animarum præferendum eſt vitæ propriæ corporali: plus tamen hoc eſt perfectionis q̄ neceſsitatis, &c. Itē extra ſtatum neceſsitatis nō eſt faciēda eleēmoſyna de reb⁹ malè quæſitis (vt & ſentit Cort. & ſup. dictū eſt) ad quorū reſtitutionē tenetur poſsidēs, niſi ad reſtituendum ex aliis bonis ſuis iuſtè quæſitis, ſit ſufficiens. Eleēmoſyna enim dāda eſt de ſuo, & nō de alieno, quia ſpecies furti eſt de alieno largiri (vt inquit Palud. d. xv. q. iij. li. iiij.) Et Prouerb. eſt: Honora Deū de tua ſubſtāria. Et Eccleſ. 34. Immolātis ex iniquo oblatio eſt maculata. Plura & pulchra de hoc Gab. cōcl. iij. Itē quilibet habēs & potēs, tenetur exiſtēti in extrema neceſsitate vel de proximo ſignis probabilib⁹ extremę neceſsitatis futurę extra talē neceſsitatē cōſtitutus eleēmoſynā huiuſmodi defectū patienti erogare. Vnde 1. Ioan. 3. dicitur: Qui habet ſubſtantiā huius mūdi, & viderit fratrē ſuū neceſſe habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo

charitas Dei manet in eo? quaſi dicat, nullo modo. Hæc auctoritas maximè locum habet imminente neceſsitate. Vnde Ambroſius libro de officiis: Paſce fame morientem. Quiſquis enim hominem paſcendo ſeruare poteris, ſi non paueris, fame occidiſti. Prolixior eſt Gabriël concluſio.iiij. Dare verò eleëmoſynã extra caſum neceſsitatis perſonis miſeris & indigentibus, de ſuperfluis vtriuſq; neceſsitatis tam cõſeruandæ vitæ quàm ſtatus decẽtiæ aptus eſt cõſilij & magni metiri ac proximũ pręcepto charitatis diligere. Et hoc eſt de mente Alexã.part.iiij. q.penul.memb.j.quẽ ſequitur Tho.iiij.ſcrip.d.xv. q.de eleëmoſyna, ar.j.& q.iiij.eiuſdẽ art. Et ij.ij.q. xxxij.ar.iiij.Durãdi & poſt eũ Palud.eadẽ di. Hos ſequitur Nico.de Lyra.1.Ioan.3. Antoñ.Panor.de emp.& ven.ca.j.Baptiſta in ſumma & alij pleriq;. Vide poſt Gab.hos cõcluſ.v.vbi ſup.qui & notanda ſcriptis reliquit. Et quemadmodũ non eſt danda eleëmoſyna de omnibus bonis, ita nec omnibus eſt indiſcretè erogãda. Non enim de iniuſtè acquiſito (vt dictũ eſt) & ne indiſcreta erogatione detur occaſio ad peccandũ. Debet enim dari eleëmoſyna ſecundũ regulã charitatis, & nõ in damnũ eius cui datur. Secus ſi daretur ſpe emẽdationis aut ſubleuãdæ neceſsitatis naturalis. Lõgior eſt Gab.cõcluſ.vj. Itẽ non habẽs liberã facultatẽ, iuſtum dominiũ, neq; in rebus exterioribus adminiſtrationẽ, nõ poteſt dare eleëmoſynã citra extremã neceſsitatẽ. Quia quod quis nõ habet, alteri dare nõ poteſt. Vnde neq; religioſus, nec vxor, neq; filiusfamiliâs, nec familia poſſunt dare eleëmoſynas de rebus ſuę fidei nõ cõmiſsis ſine cõſenſu pręſidẽtis, mariti ſeu patrisfamiliâs expreſſo vel præſumpto, quia religioſus nullius rei habet dominiũ: nec vxor niſi in rebus cõmunibus (puta ſecundũ Alexan. ac Palud. pane & vino) latiùs ſcribit Gab.cõclu.vij.vbi ſup. Et dicitur: citra extremã neceſsitatẽ, quoniã in extrema neceſsitate quilibet tenetur ſubuenire indigenti, etiã de alieno dum non habet de ſuo. Non autẽ omnis neceſsitas obligat ad præceptũ ſecundum S.Tho. ſed illa ſola ſine qua is qui neceſsitatẽ patitur, ſuſtẽtari nõ poteſt, nec apparuit in prõptu qui ei ſubueniat. Et de hoc caſu extremę neceſsitatis intelligẽdæ ſunt omnes auctoritates ſonãtes præceptiuæ, vt illa Luc. 6. Omni petẽti da: & eiuſdem 11. Quod ſupereſt date eleëmoſynã. Plura Gab.concluſ.vj. Ordo præterea erogandi eleëmoſynã indigẽtibus & miſeris, imitati debet ordinẽ charitatis. Datio enim eleëmoſynę, eſt effectus charitatis. Latiùs probat Gabr.concluſ. viij. Inſuper omnib' indigẽtibus, tã infirmis quàm validis, danda eſt eleëmoſyna, dum per hanc nõ fouẽtur eorũ laſciuia, inertia, aut aliæ facinora. De infirmis ſatis patet, de validis probat Gabr.di.xvj.q. iiij.ar.iij.dub.j.exemplo, auctoritate & ratione. Et ſunt illi validi, qui reſignauerũt omnia, vt ſinè impedimẽto orationibus, ſtudio, prædicationibus, diuino cultui, aliiſq; ſpiritualibus exercitiis ac deuotionibus vacare valeãt: tales, inquã, ad corporales labores nõ tenẽtur. Nã maiora bona nõ ſunt omittẽda propter minora. Maius autẽ eſt, ſecundũ Ambr. animas mortuorũ prædicando ſuſcitare quàm corpora mortuorũ in terra abſcõdere. Hinc Greg.in home. Plus eſt animã in æternũ victurã pabulo verbi reficere, quàm ventrẽ morituræ carnis terreno pane ſatiare. Et qui abſcõdit frumẽta, maledicetur: ne retineas verbũ in tempore ſalutis. De hoc vide Palu.d. xv.q.iij.li.iiij. & latiùs proſequitur Alexan. q.cix. mẽb.ij. Probatur exẽplis S.Alexij, Benedicti, Dominici, Franciſci, quorũ quidã in mendicitate vitã ſuã cõtinuauerunt, & ſancti & grati Domino extiterũt, & tamẽ validi corpore extiterũt, vt & latiùs declarat Gab. Probatur & auctoritate Eccleſię, qua poſt Chriſtũ nulla maior eſt, quę ordines mẽdicantium approbauit, in quibus validi eleëmoſynã accipiũt, ne dum prædicãtes, ſed etiã cęteri horas canonicas perſoluẽtes, ac etiã cæteris ſeruiẽtes: & ideo licet accipere eleëmoſynã etiã validis. Vnde Act.6.dixerunt Apoſtoli: Non eſt æquũ nos relinquere verbum Dei & miniſtrare mẽſis, cùm tamẽ fuerũt corpore validi. Et per idẽ nõ eſt æquũ relinquere ſpiritualia, & ſeruire mẽſę, id eſt corporalibus laboribus cũ ſpiritualiũ negligẽtia, &c. Valde plura de hoc ſcribit Gab. poſt Alexan.de Ales, & vt notat Palu. Cũ Medici viſitãt infirmos, aut Aduocati defendũt pupillos, & Doctores legũ docent inſcios, quãuis non ſit peccatũ, nõ tamẽ eſt eleëmoſyna, quia nõ faciũt ex cõpaſsione & propter Deũ, ſed propter lucrũ. Si autẽ facerẽt hoc propter Deũ, & ex cõpaſsione, eſſet eleëmoſyna, nõ quidẽ ſpiritualis, ſed corporalis, quia illæ ſciẽtię lucratiuæ ſunt principaliter propter indigẽtias corporales ſupplẽdas. Sed Theologi docentes vel cõſulentes, qui collectas nõ faciũt, ſpirituales cõferunt eleëmoſynas. Gratis (inquit) accepiſtis, gratis date. Palu.d.xv.q.iij.li.iiij.&c. Dantẽ verò eleëmoſynã petenti piè (vt habet Gab.d.xvj. q.iiij.ar.iij.dub.j. propoſitione ij.li.iiij.) nõ oportet nimis exquiſitè inquirere conditionẽ mẽdicantis perſonę. Piè autẽ dat, qui motus charitate ac miſericordia, dat ad perſonæ ſuſtentationẽ, non ad peccati continuationẽ. Vide latiùs Gab. Exhortatur & iuſtos ad eleëmoſynas faciẽdas Dauid Pſal.26. cùm dicit: Mutuabitur peccator & nõ ſoluet, iuſtus autẽ miſeretur & tribuet. Super quibus verbis dicit Iacobus de Valen. quod eleëmoſyna nõ eſt niſi quædã mutuatio & cambiũ, quia damus terrena parui pretij, & recipimus beatitudinem cœleſtem quę eſt pretij infiniti. Et ſic iuſtus dando terrena, recipit cœleſtia. Per oppoſitũ peccator retinendo & amando terrena temporalia, non dando pauperibus, recipit pœnã æternã propter ingratitudinẽ. Nam nos omnes iſta tẽporalia à Deo mutuo accepimus, vt pauperibus reddamus, &c. Eleëmoſyna autẽ ſpiritualis (de qua dictũ eſt) Conſule, caſtiga, &c. Et habet S.Bona.d.xv.li.iiij.in dub.liter. & ſicut dicit Aug. & recitat Magiſ.d.xv.li.iiij. eſt dignior & nobilior corporali. Corporalis autem eſt manifeſtior. Vnde doctrina melior eſt auro, & quia nobilior eſt anima cui datur quàm corpus, & quia maior eſt fructus eleëmoſynæ ſpiritualis quàm corporalis. Nam fructus ſpiritualis eleëmoſynæ eſt emendatio à peccatis aut perfectio virtutis, quæ nobiliora ſunt quibuſdam corporalibus donis. Verum in caſu quando cætera non ſunt paria, ſecùs eſt, vt magis paſcendus eſt fame moriturus quàm informandus. Vide poſt Thomam ſecunda ſecundæ quæſt. xxxij.art.iij. Gabr.dub.iij. vbi ſupra. Eſt quoque obiurgatio opus pietatis, vt dicit Corteſius, de quo ſuo loco dicetur.

Elicitum & elicitiuum Illa vocabula non fuerunt apud Sanctos & Philoſophos in vſu, ſed apud Moderniores ſcolaſticos Doctores ad vſum Theologorum deuenerunt, & ita apud diuerſos variè accipiuntur, vt dicit Gabriel diſtinct.vij.quæſt.j. articul.j.libr.j. Vnde principium elicitiuum productionis actiuæ eſt illud, quod neceſſariò & per ſe requiritur ad productionem, & non eſt ipſa productio, nec conſtitutum ex ipſa productione, vel producto. Id eſt quod non eſt formaliter, nec ipſa productio nec conſtitutum ex productione. Elicitum autem accipitur aliquando pro illo quod verè producitur: ſicut aliquando dicitur quod calor elicitur ab igne, quamuis communius concedatur quod ignis producat ignem, & quod elicit actum producendi ignem, quàm quod ignis elicit ignem. Alio modo accipitur pro illo quod formaliter denominat aliquid producere aliud. Sic calefactio dicitur elici ab igne, & non calor, quia ignis calefactione formaliter dicitur calefacere & non calore, quia poſſet ignis habere calorem in ſe & non calefacere, ſi diuinitus ſuſpẽderetur actio, vt in pueris in fornace, Danielis 3. Et vt idem Gabriel dicit concluſione vj. Diuina eſſentia eſt principium elicitiuum generationis actiuæ. Sed proprietas perſonalis non eſt principium elicitiuum generationis, nec actiuæ nec paſſiuæ. Vide latiùs Gabrielem vbi ſupra. Et eſſe elicitum nihil aliud eſt, quàm eſſe illud à quo formaliter aliquid dicitur producere aliud. Et dicitur aliquid non eliciens, quia eliciens non denominatur à productione, ſed perſona conſtituta ex eliciente & elicito. Gabriel.

Energia, vt habet circa textum diſtinct.viij.libr.ij. ſanctus Bonauentura, dicitur ab en quod eſt in, & erge, quod eſt labor, & mene quod eſt defectus. Vnde energia, quaſi interior labor vel defectus. Vnde Bennadius in diffinitionibus Eccleſiaſticorum dogmatum, ait, vt refert eum Magiſter diſtin. viij. libr.ij. Dæmones per energiam operationem non credimus ſubſtantialiter illabi animæ, ſed applicatione & oppreſsione vniri. Illabi autem menti illi ſoli poſsibile eſt, qui creauit, qui natura ſubſiſtens incorporeus capabilis eſt ſuæ facturæ. Vnde illi dicuntur energumini, qui interius laborant per vexationem dæmonis interius obſidentis, & animam laborare facientis, &c. Aliàs energia dicitur efficatia ſeu operatio. Hieronymus: Habet neſcio quid latentis energiæ viuæ vocis actus, &c.

Ænigma, vt dicit Auguſtinus xiiij.de Trinit. eſt ſimilitudo obſcura. Vnde Apoſtolus: Videmus hic per ſpeculum in ænigmate. In ſtatu innocenriæ videbatur Deus per ſpeculum clarum, nulla enim erat in anima peccati nebula. In ſtatu verò miſeriæ videtur per ſpeculum obſcuratum per peccatum primi hominis, & ideo videtur hic in ſpeculo in ænigmate. Sed in ſtatu glorię, ſolũ videtur Deus immediatè & in ſua ſubſtantia ſicut eſt: vt dicitur 1.Ioannis 1. Ita quod ibi nulla ſit obſcuritas.

Ens in communi ſecundum Scotorellum & alios diſtinct.iij.libr.j.ſenten. habet conceptum latiſsimum ad omnes cõceptus poſitiuos, ſicut ſuum oppoſitum nihil habet conceptum latiſsimum ad omnes conceptus negatiuos. Vnde Coment. Ariſtotel. nihil latiùs ente. Et ens, vt dicit Ariſtoteles quarto Metaph. eſt tranſcendens. Inuenitur multiplex ens. Vnde Gerſon tract.iij. ſuper cantico Mariæ, inuenitur ens intellectuale, & hoc dupliciter: vel vt per ſe exiſtens, vel vt alteri natum vniri, vt humani intellectus. Inuenitur rurſus ens rationale ſecundum duplicem portionem. Inuenitur prætereà ens animale, & hoc dupliciter: vel coniunctum rationi, vt in hominibus: vel per ſe ſtans, vt in brutis. Proinde inuenitur ens vitale ſeu vegetabile, & hoc dupliciter, vel cum ſenſu vel ſine ſenſu. Amplius eſt ens ſolùm ſubſtantiale, vt elementa vel materia prima, quæ de ſe non eſt principaliter nihil, cùm ſit pars ſubſtantialis compoſiti, ſed conſiderata ſine forma, non eſt actus formalis, & informis dicitur, & ſic turpis appetens formam ſicut aliquid pulchrum. Tandem eſt ens analogum, quod appellamus accidens, cuius eſt ineſſe non eſſe ſecundum Philoſophos, cùm tamen ponat fides ea poſſe ſine ſubiecto per ſe eſſe. Hæc Gerſon. Item ens quoddam eſt rationis, quoddam reale, vt ſcribit Bruleſer diſt.j. quæſt.j. lib.ij. Ens reale, quod eſt in rerum natura. Ens rationis, quod terminat ſolùm intellectũ, & quod non exiſtit in rerum natura. Item ens, eſſe, eſſentia, non differunt ſecundum rem ſignificatam, vt patèſcit paulò pòſt. Diuiditur autem ens in ens ſimpliciter, & ens ſecundum quid, vt ſcribit Gabriel diſtin.vj.quæſt.ij.libr.iij. Ens ſimpliciter eſt ſubſtantia. Ens ſecundum quid eſt accidens. Et proprietates entis ſunt vnum & verum & bonum. Sic quod ens & vnum ens, & ens verum & bonum conuertuntur, nec eſt poſsibile quod ens aliquid ſit, quin hæc tria ſibi conueniant, quæ non re diſtinguuntur, ſed ſola ſignificandi ratione, ita ſcribit Gerſon tracta.iij. ſuper Magnificat, &c.

Ens completum (vt dicit Gabriel diſtinct.j.quæſt.j. libr.iij.) eſt ens quod non eſt actu pars integralis, nec eſt actu, nec aptitudine pars eſſentialis: aptitudine, id eſt inclinatione. Vnde materia aut forma nunquam eſt ens completum ſiue actu componat ſiue aptitudine tantùm. Vide latiùs Gabrielem & in verbo *Perſona*. Et entium quædam ſunt permanentia, vt ſcribit Petrus Paludenſis diſtinct. xliij.quæſt.iij.libr.iiij. vt Angelus, bos, lapis: quædam tranſeuntia, vel ſucceſsiua, vt tempus, motus, & illa quæ ad motum & tempus pertinent, vt ſunt omnia quæ ſecundum naturam non poſſunt ſecundum idem pluries ſumi. Paludeñ.

Ens creatum & increatum. Creatum eſt creatura. Increatum eſt illud cui repugnat cauſari, creari, vel effici, & tale eſt ſolus Deus. Solus enim ipſe eſt ens ſimpliciter inde pendens, vt ſcribit Bruleſer di. j.quæſt.ij.libr.ij.&c.

Enuchus dicitur cui adempti ſunt teſticuli & generare non poteſt. Dicitur autem metaphoricè, qui non habet ſemen verbi Dei, propter quod non poteſt generare ſpirituales Eccleſiæ filios, vt ſcribit Gabriel di.xv.quęſt.vij. articul.iij.dub.j.li. iiij. quia licèt nobilis minus literatus nõ poſsit generare ratione ſciẽtiæ eminẽtis, poteſt tamẽ ratione vitę, & talis non dicitur enuchus. Enuchus enim dicitur qui nõ habet ſemẽ verbi Dei, nec qui bona

opera facit produci. Et propter hoc ſummus Pontifex in diſpẽſationibus etiã attendit nobilitatẽ, non ſolùm literaturã, pro quãto tales poſſunt magis defendere Eccleſiam. In corpore autem Eccleſiæ non tantùm debet eſſe oculus, ſed etiam manus. Oculus ad dirigendum, manus ad defendendum & operandum. Sunt enim (vt dicit Alexãder) diuerſa membra in corpore Eccleſiæ, qui pacẽ eius ſeruent: poſſunt nobiles promoueri dum morũ honeſtas ſubſternatur. Nec impedit quod Deutero. 23. prohibetur eunuchus intrare Eccleſiam, qui non poteſt generare filios. Et hoc vocabulum hoc modo ſcribi deberet. Eunuchus in Græco enim ſic ſcribitur: εὐνοῦχος, & dicitur ab εὐνὴ, quod eſt cubile, & ἔχω, cuſtodio, quod id hominum genus adhibeatur ſeruandis cubilibus Regum, quaſi eunouchus, & per ſynereſim eunuchus.

Epiſcopus dicitur ab epi quod eſt ſuper, & copin, quod eſt intẽdere, quia Epiſcopi habẽt vigilare ſup gregẽ. Sunt autẽ quatuor modi Epiſcoporũ: quidã ſunt Patriarchæ, & ſunt quatuor: quidã vocantur Metropolitani, quidã Archiepiſcopi, & quidã Epiſcopi: & omnes iſti poſſunt dare ordines. Item ſoli Epiſcopi poſſunt cõſecrare Abbates, Moniales, Eccleſias, niſi ex ſpeciali priuilegio ſint aliquæ mulieres priuilegiatæ. Bruleſ. d. xxv. q. j. li. iiij. Et (vt idẽ ſcribit poſt Augu. q. ij.) Epiſcopus hæreticus poteſt ordines dare, quantũ ad veritatẽ, ſi formã Eccleſiæ ſeruat, & intentionẽ habet faciẽdi quod facit Eccleſia: & hoc propter perfectionẽ ſacramentorũ, quæ propter malitiã vel peccatũ dantiũ vel recipientiũ, non poſſunt violari, nõ tamẽ quantũ ad vtilitatem ſemper dantur: & hoc propter obicẽ qui ponitur à parte dantis vel ſuſcipientis. Bruleſer. Concordat Gerſon part. j. de poteſtate Eccleſiaſti. Et ab Epiſcopis deriuatur Epiſcopatus, quod eſt nomẽ operis, nõ honoris, ſecundũ ſanctũ Tho. ij. ij. q. clxxxv. ar. j. aliàs etiam Epiſcopatus eſt dignitas ipſa, &c.

Æquale, ſimile, planum. Res dicitur alteri æqualis. Vno modo, quia eſt æquè perfecta. Secundo modo numerus dicitur æqualis alteri, in quo ſunt tot quot in alio, vt numerus trium equorum, numero trium hominũ. Tertio modo, duæ albedines æquę intenſę ſunt æquales, quamuis vna ſit in maiori ſubiecto quàm altera, ſecundũ extenſionem. Quarto vnum extenſum vel extenſiuũ nõ excedens alterum, nec exceſſum ſecundum extenſionem. Aequale dicitur alteri per oppoſitum, tot modis dicitur inæquale. Gabriẽl diſt. xix. q. j. lib. j. Et Dominus Cardinalis Camera. q. x. ar. j. li. j. Capiendo æquale primo modo perſonæ diuinæ ſunt æquales, quia ſunt æquè perfectè, & neutra perfectior alia. Vnde Athanaſ. Totæ tres perſonæ coæternæ ſunt ſibi & coæquales. Sunt & æquales ſecundũ potentiã, vt vult Cardinal. vbi ſupra. ar. iij. quia quicquid eſt factibile ab vna perſona ad extra, & à qualibet alia: & hoc diffuſius oſtendit ibi: Ideo ſancti omnem potentiã quæ neceſſario conuenit cuilibet perfectiſsimo, cuilibet perſonę attribuebant, &c. Summa quoq; æqualitas eſt in diuinis, vt probat ſanctus Bona. di. xix. q. iij. lib. j. Sed capiendo æquale aliis modis, diuinæ perſonæ non ſunt æquales, quia non extenſæ vel magnæ. Vide latiùs Gabr. vbi ſupra.

Æqualiter dicitur ab æquale. Vnde Sapien. 6. dicitur: Aequaliter eſt illi cura de omnibus: ibi æqualiter (vt vult S. Bonauen. diſt. xxxix. in dubiis literal. lib. j.) non priuat ordinem diuinæ diſtributionis, ſed priuat acceptionẽ perſonæ: & omnibus diſtribuit ibi tantum pro hominibus, tam pro magnis & paruis, pauperibus & diuitib⁹, & ſic ei æqualiter eſt cura de omnibus: quia ita vult ſalutem pauperum vt diuitum. Sed ſpecialem curam habet de rationabilibus, quibus præcepta tradidit, eiſque rectè viuendi legem præſcripſit, ac præmia promiſit. Hanc prouidentiam & curam de irrationabilibus non habet, vt & inquit Magiſter d. xxxix. li. j.

Æquare & æquari, &cæ. idem quod explanare, vel cum æquitate diuidere & continuare. Aliquid autem æquari alteri dupliciter poteſt intelligi, vt ſcribit Dominus Cardinalis Cameraceñ. queſt. xiij. ar. iij. lib. j. Vno modo quo ad effectum, ſic quod creatura faciat effectum tantum, quantum Deus: & ſic non eſt inconueniens, licẽt non quicquid poteſt facere Deus, creatura poteſt facere. Alio modo ſumitur æquari non quo ad effectum, ſed quo ad modum. Et ſic licet poſsit creatura æquari Deo in aliquo modo agendi, vtputa quia poteſt agere vel aliquid mutari inſtantaneè, non tamen omni modo poteſt aliquid facere ſicut Deus, quia nihil poteſt facere independenter: & ſic de multis aliis conditionibus.

Æquitas, quã nominat Philoſophus epikeiam, præponderat iuris rigori. Eſt autem æquitas (vt ſcribit Gerſon in regu. moral. in princip.) iuſtitia penſatis omnibus circunſtantiis particularibus dulcore miſericordiæ temperata: hoc intellexit qui dixit: *Ipſæ etiam leges cupiunt ut iure regantur.* Et Sapiens: Noli eſſe nimis iuſtus, alioquin ſumma iuſtitia, ſumma iniuſtitia fit. Omnia mandata Dei æquitas, id eſt cum æquitate penſanda. Gerſon.

Æquiualentia aliquorum ad ſeinuicem multipliciter ſumitur, vt ſcribit Gabriẽl diſtinct. xvj. quæſt. ij. artic. j. libr. iiij. Quandoque ſumitur ſiue attenditur penes valorem rerum naturalem conſequentem earum quantitatem molis vel virtutis. Et hoc modo res diuerſarum ſpecierũ ſicut non ſunt eiuſdem perfectionis eſſentialis, ita nec eiuſdem valoris: & per conſequens, nulla inter eas poteſt eſſe æquiualentia. Alio modo attenditur penes valorem rerum relatum ad vſum & cõmodum humanum, quomodo attenditur æquiualentia pretij ad appretiatum in rerum cõmutationibus. Tertio modo poteſt attendi valor aliquorũ ſecundũ dictamen iuſtitiæ diſtributiuæ, dictãris prę mia & pœnas precedẽtibus meritis cõdignas. Et hoc dupliciter cõtingit. Vno modo æſtimãdo valorẽ ſecundũ dictamen ſtrictæ iuſtitiæ, ita quod exceſſus alterius nõ ſtaret cũ iuſtitia, ſic quod lex iuſta nõ poſſet maius determinare in pœnis, vel minus in prę miis. Exẽp. cauſa, vt ſi quis meruit centũ, non ęquiualẽt nonaginta in præmio. Et homicidio voluntario non æquiualet mutilatio vnius membri, quia poſſet iuſtè puniri homicida pœna talionis. Alio modo æſtimando valorem, ſecundum voluntariam acceptationem vnius pro altero, illius cui debet fieri recompenſa, vt ſi quis tenetur centum, & is cui debet liberaliter remit-

remittit decem, tunc nonaginta æquiualent debito, & reddendo nonaginta, ſatisfacit. His duobus modis poteſt attendi æquiualentia operis, vel paſſionis aſſumptæ ad peccatum pro cuius ſatisfactione aſſumitur. De quo latiùs vide Gabrielem vbi ſupra. Et debet illa æquiualentia æſtimari ſecundum acceptationem diuinam, qui ex ſua miſericordiſsima liberalitate determinauit tantam pœnam, ſeu tale opus acceptare pro ſatisfactione pro tali peccato, ſicut ex ſua miſericordi benignitate ſtatuit pro momentaneo merito temporali, reddere præmium æternum. Et ſecundum hunc modum poteſt homo ſatisfacere pro peccato, faciendo illud, vel voluntariè patiendo quod Dominus ſtatuit acceptare pro plena remiſsione peccati. Sed ſecundum ſtrictum rigorem diuinæ iuſtitiæ, nullus peccator poteſt ſatisfacere, nec aliqua actio temporalis vel paſsio condigna eſt peccato & offenſę diuinę. Poſſet enim Deus pro quolibet peccato etiam veniali, vel minimo quo offenditur, ſummum & infinitum bonum iuſtè exigere pœnam æternam duratione infinitam. Vnde Gerſon tracta. de vita ſpirituali animæ, lec. j. ait: Omne peccatum pro quanto eſt offenſa Dei, & contra legem eius æterná, eſt de ſua conditione & indignitate mortiferũ ſecundum rigorem iuſtitię, & à vita glorię ſeparatiuum. Et per hoc poſſunt concordari Doctores, quorum quidam dicunt hominem non poſſe ſatisfacere pro peccato, & quidam contrarium & oppoſitũ dicunt. De quo latiùs Gabriel vbi ſupra.

Equus ſecundum Gregorium xxxj. Moral. in ſcriptura plura ſignificat. Quandoque ſignificat vitam carnalem. Pſalm. 30. Nolite fieri ſicut equus & mulus. Nam equus eſt animal miro modo libidinoſum, Et per equum (vt vult Gerſon in expoſitione ſuper 7. Pſalm. pœniten.) ſignantur ſuperbi erecta ceruice, ſua peccata defendentes; per mulum ſtolidi quælibet peccatorũ onera ſine diſcretione portantes. Vel per equum intelligit Propheta mundum, & per mulum intelligit carnem, vt ſcribit Iacobus de Valentia. In quibus duabus beſtiis equitat & ſedet diabolus ad pugnandum contra animas hominis, per quas beſtias inducit omnia ſeptem vitia & peccata mortalia in hominem. Nam mundus inducit quatuor peccata, ſcilicet ſuperbiam, inuidiam, iram, & auaritiam, eò quod ſuperbus non patitur priorem nec æqualem, & ſic prorumpit in inuidiam; nec patitur iniuriam, nec paruipenſionem, & ſic prorumpit in iram, quæ eſt appetitus [illegible] propter paruipenſionem. Item ſuperbus [illegible] indigentiam, ideo prorumpit in auaritiam, vt poſsit ſuſtentare ſtatum & honorem mundanum, & ſic committit furtum, vſuram, rapinam, & ſimoniam. Item caro intellecta per mulum, voluptuoſum inducit, & importat tria vitia voluptuoſa, ſcilicet luxuriam, gulam, & acediam. Latiùs de hoc videto Valentiam vbi ſupra. Secundo modo ſignificat equus dignitaté temporalem vel dominium. Eccleſ. 10. Vidi ſeruos in equis, & Principes ambulantes ſuper terram quaſi ſeruos. Gregorius vbi ſupra dicit, id eſt peccatores homines qui ſunt ſerui peccati, vidi exaltari ad honores & dignitates in præſenti, & Principes deprimi. Tertio ſignificat equus præſens ſeculum. Geneſ. 49. Dan coluber in via & ceraſtes in ſemita mordens vngulas equi, vt cadat aſcenſor eius retrò. Hæc Gregorius exponit de Antichriſto, qui naſcitur ex tribu Dan, & dicitur coluber, & ceraſtes, id eſt ſerpens cornutus, ipſe vngulas equi, id eſt finem ſeculi huius mordebit. Quarto equus ſignificat ſanctum prædicatoré. Abacuc 3. Viam feciſti Domine in mari, id eſt in mũdo equis tuis, id eſt prædicatoribus tuis mittendo eos ad prædicandum. Sequitur, In luto aquarum multarum, id eſt Gentium habentium corda lutoſa. Hæc & plura Grego.

Errare eſt aliquid pro alio putare, vel falſum pro vero putare, ſecundum Auguſtinum. Vnde error. Aliquando errare accipitur pro peccare & delinquere, à quo fit error, quod modò delictum ſignificat & erratum. Differt autem error & erratio, ſecundum aliquos, quod error ſit animi, erratio pedum. Eſt præterea error approbatio falſorum pro veris. Et generaliter error eſt iudicium falſum. De quo vide & in dictione *Illuſio*, & in verbo *Neſcientia*, & in dictione *Hæreſis*. Et pertinaciter errare, Vide in dictione *Hæreticus*, infra.

Error dicitur iudicium falſum. Et errorem cauere (vt ſcribit Gabriel diſt. xxv. qu. vnica, art. ij. li. iij.) contingit dupliciter. Vno modo ſimpliciter ne ei conſentiatur. Alio modo ne pertinaciter ei adhæreatur. Primo modo non oportet cauere omnem errorem, quia non tenetur vitare quod nõ tenetur cognoſcere. Nullus auté tenetur omnes errores agnoſcere, quia infiniti ſunt. Multis etiã modis cõtingit errare & deuiare circa cõſecrationem & Miſſæ officiũ. De quo legito Gab. lec. lxxxviij. can. & per ſecudpabiliter, &c. Sed ſecũdo modo oportet cauere errorẽ, ſcilicet pertinacẽ, & ad cauendũ pertinacẽ adhæſioné erroris non oportet errorẽ cognoſcere, quia quiſquis habẽs fidé implicitã omniũ cõtentorum in ſcriptura, nõ poteſt incidere pertinaciter in errore, quia nunquã ita adhęret errori, quin paratus ſit cedere, oſtẽſo quod cõtrarius eſt alicui cõtento in ſcriptura, & ita nõ adhæret pertinaciter, & errare nondũ declarata veritate, non eſt mortale, vt habet Gabriel diſtinct. j. quæſt. iiij. artic. iiij. dub. iij. libr. iiij. ſicut contingit in opinionibus contrariis pro neutra parte determinatis. Ponit autem ſanctus Bonauentura diſtinct. ix. quæſt. vj. libr. iij. triplex adiutorium quo quis vitare poteſt errorem. Primum eſt remedium promotionis ſacræ ſcripturæ, quę multoties dicit, quod multi in nomine Chriſti venturi ſunt mendaciter. Secundum eſt remedium orationis internæ, qua ad Deum debet homo recurrere vt cor eius illuminetur. Tertium eſt ſuſpenſio credulitatis ſuæ. Non enim debet homo omni ſpiritui credere, ſed probare qui ex Deo ſunt. Qui enim citò credit, in talibus leuis eſt corde, & forraſsis etiam inflatus corde, dum ad tales viſiones vel apparitiones potius ſunt formidãdæ quàm deſiderandę. Narratur enim de quodam ſancto Patre, quod cùm ei diabolus in ſpecie Chriſti appareret, ille clauſis oculis dixit ſe in hac vita nolle Chriſtum videre. At diabolus humilitate eius cõfuſus, ſtatim euanuit. E contra de pluribus narratur qui ſe ad viſiones idoneas reputauerũt & deſiderauerũt, quod ad multas inſanias & errores præcipitati ſunt.

 Et ideo

Et ideo (inquit Bona.) ſi ſimpliciter quis adorat Chriſti aduerſariũ, nõ excuſatur à peccato, etiam ſi credat ipſum Chriſtũ. Secus eſt ſub conditione. De quo latiùs Bonauen. dicit. Et vt idẽ ſcribit di. xxv. q. iij. in fine li. iij. Aliquis ſimplex homo vel vetula cùm audit aliquid nouũ prædicari, nõ debet ſtatim aſſentire quouſq; nouerit illud vniuerſaliter ab Eccleſia teneri. Vnde præter remediũ diuinæ inſpirationis & orationis (ad quod ſemper recurrendũ eſt) habent ſimplices remediũ humanę inſtructionis ad quod poſſunt cõfugere, vt errores valeãt declinare. Semper enim Deus habuit & habebit aliquos iuſtos & famoſos, qui veritatẽ fidei & in ſe, & etiã in ſimplicibus cõſeruarent, dum ſimplices innituntur eis & credunt. Hæc Bona. Vide de cauſis errãtium Gerſ. part. j. de ſenſu literali ſacræ ſcripturæ.

Error intollerabilis eſt, quãdo aliquid (vt ſcribit Gabriël di. xviij. q. ij. ar. ij. concluſ. viij. lib. iiij.) ſub vi præcepti continetur in ſententia à qua appellatur, quod cõmuniter in ſuo genere eſt peccatum, puta quod eſt cõtra ius diuinũ vel humanũ canonicũ: vt ſi quis excõmunicatur quia dat eleẽmoſynã pauperi, aut quia nõ operabatur illud quod in ſuo genere illicitũ eſt: aut dũ præcipit quod impoſsibile eſt. Vide latiùs ibi Gabr. allegantem ad hoc iura.

Error deceptio vel falſa exiſtimatio, & errores qui aſcribuntur Magiſtro & Principi ſententiarũ à doctoribus Pariſienſibus & aliis, quos & recitat Stephanus Brulef. diſt. v. q. vij. lib. iij. ſunt & notantur octo, aſsignãtur & in quolibet libro duo. In primo d. xvij. dicit quod charitas quæ eſt amor Dei & proximi, non eſt quid creatum, ſed eſt ſpiritus ſanctus. De hoc vide Bona. d. xvij. q. j. li. j. Et Gerſonẽ part. iij. de myſtica Theologia ſpeculatiua, par. viij. conſideratione xlj. & alios. Secundus di. xxiiij. ponitur vbi dicit Magiſter, quod hæc nomina, trinus & trinitas, nõ ponunt quid poſitiuũ in Deo. In ſecundo di. v. dicit, quod in Angelis beatis præmiũ præceſsit meritũ. Secundus eſt ibidẽ, vbi dicit, quod nihil de alimento tranſit in virtutẽ humanæ naturæ. In tertio libro di. v. dicit, quod anima ſeparata eſt perſona. Secundus ibidem dicit, quod Chriſtus in triduo fuit homo. In quarto lib. di. j. dicit, quod baptiſmus Ioannis cum impoſitione manuũ æquipollebat baptiſmo Chriſti. Secundus ibidem dicit, quod Deus poteſt cõmunicare potentiã creãdi creaturæ. Vnde licèt (vt ait Brule.) ſeminauerit multos errores qui nunc reputantur errores, ſicut de conceptione, &c. tamẽ iſti præpoſiti apud omnes veros Doctores & ab omni ſchola repudiantur & cõdemnantur, &c. Carpit quoq; Scotus errores multarũ ſectarũ q. ij. prologi, & Iudæorum & etiam hæreticorũ. Et ponit octo vel decem vias ad elidendum has ſectas. Vide ſupra in verbo *Certitudo* veritatis Theologicæ, & de erroribus, latiùs aliàs.

Eſſe capitur tripliciter, vt notat Gabr. diſt. xxxvj. q. vnica, art. iij. lib. j. Vno modo ſincathegorematicè, vt eſt actus cõplexiuus vniens extrema. Alio modo cathegorematicè, & hoc dupliciter. Primo modo, vt ſignificat eſſe exiſtẽtiæ, id eſt rem actualiter exiſtentem. Alio modo ſignificat eſſe poſsibile, vt ſcilicet conuertitur cum ente, cui non repugnat eſſe in rerum natura, licèt ſic non vſitatè accipitur. Item eſſe quandoque conſtituitur cum genitiuo, vt eſſe creaturæ, & ſic ſemper capitur cathegorematicè pro eſſe exiſtere, vel poſsibile, id eſt quod poteſt eſſe. Quandoque conſtruitur cum accuſatiuo ſequente, & tunc requirit accuſatiuũ pro ſuppoſito, qui non ponitur, ſed ſubintelligitur, vt eſſe animal, ſubintelligitur aliquid eſſe animal, homo vel aſinus. Vide latiùs Gabriëlem, & quomodo capiatur in modalibus. Vide & de eſſe ſanctum Bonauen. diſt. xxij. libr. iij. & Gabriël. diſtinct. eadem, quæſt. vnica, &c. Et differunt eſſe & poſſe eſſe, vt ibidem ſcribit. Et vt ſcribit Gerſon tracta. v. ſuper Magnificat. Omnis res creata habet triplex eſſe, quorum quodlibet poteſt dici præſens, ſuo modo habet eſſe in arte diuina: nec qualecunque eſſe, ſed diuinum & vitale quod factum in ipſo, ſcilicet verbo vita erat. Et qualis vita? nimirum illa quæ eſt lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Siquidem omnis creatura eſt in Deo creatrix eſſentia. Habet ſecundum eſſe in intelligentia Angelica, ſecundum ſapientiam quam effudit Deus ſuper omnia opera ſua, quæ ab initio creata eſt immediate Angelice. Poſtmodum de multis hoc eſſe communicatum eſt omnibus in prima creatione, & in conſequenti in omnium hominum illuminatione, & plus & minus, clarius & obſcurius. Habet tertium eſſe omnis creatura in proprio genere ſeu materiali ſeu ſpirituali. Hæc Gerſon vbi ſupra.

Eſſe ſecundum aliquos eſt quadruplex: de quo vide Thomam ſuper j. diſtinct. xxxiij. & libro de ente & eſſentia: & Scotum libr. iij. diſtinct. vj. quæſt. j. Et Brulefer diſtin. viij. q. j. lib. j. ſcilicet eſſe eſſentię, eſſe exiſtentiæ, eſſe ſubſiſtentiæ, quod eſt eſſe ſuppoſitale, & eſſe propoſitionale, quod importat compoſitionẽ prędicati cũ ſubiecto, ſecundũ quod dicit Philoſ. 5. Meta. quod eſſe ſignificat verũ, & nõ eſſe falſum: & ſic tot poſſunt poni eſſe rei, quot prædicata poſſunt verè de re prædicari. De re, id eſt de nomine ſignificãte rẽ. Sed ſecundũ prędicta eſſe eſſentiæ, & eſſe exiſtẽtiæ nõ diſtinguũtur, niſi eſſe eſſentię acciperetur, vt extenderet ſe ad eſſe potẽtiale vel obiectiuũ: & ſic eſſe eſſentiæ diceret poſſe eſſe, ſed poſſe eſſe non eſt eſſe, ſicut poſſe eſſe beatũ, & non eſſe beatũ. Sic tamẽ accipiẽdo differẽtia eſt inter eſſe eſſentiæ, & exiſtere, ſicut inter poſſe eſſe, & actualiter eſſe. Nomina quidẽ ſunt ad placitũ: tenendus eſt tamẽ vſus eorũ cõmunis. Et ſecundũ Gab. d. vj. q. ij. ar. j. li. iij. Eſſe, ens, eſſentia nõ differũt ſecundũ rẽ ſignificatã, quia idẽ eſt in re eſſe rei entitas rei, & eſſentia rei. Et eſſentia eſt illud quo aliquid dicitur formaliter ens. Eſſe verò omne quod habet aliquã realitatem extra ſuam cauſam & intellectum. Vel magis propriè loquẽdo eſſe eſt realitas extra ſuam cauſam & intellectum. Dicitur, extra ſuam cauſam, propter eſſe in potẽtia, ſeu eſſe potẽtiale. Et dicitur, extra intellectũ, propter eſſe obiectiuũ: non quod eſſe in potentia, vel eſſe obiectiuum ſit eſſe ſimpliciter loquendo. Nam quod eſt in potentia tantum ſimpliciter nõ eſt, ſed poteſt eſſe. Similiter quod eſt obiectiuè tantũ ſimpliciter nõ eſt, ſed cognoſcitur. Vnde Antichriſtus eſt in potentia tantũ, & eſt obiectiuè, quia poteſt eſſe & poteſt intelligi, & tamen falſum eſt dicere ꝙ Antichriſtus eſt. Latius Gabr.

Sunt

Sunt itaque in potentia vel potentialiter & obiectiuè determinationes diſtrahentes, quoniam diſtrahũt terminum à ſua propria ſignificatione, ſiue ampliantes & extendentes extra propriam ſignificationē, ſicut mortuus, corruptus, generãdus, producendus reſpectu ly homo. Differunt tamen hæc vocabula, eſſe, ens, eſſentia, ſecũdum modos Grammaticales, ſicut verbum, participiũ & nomen. Eſſe quoq; ſecundum eundem Gab. vbi ſupra. non differt ab exiſtere. Nam exiſtere eſt eſſe actualiter, & hoc idem eſt eſſe. Nam quod nō eſt actualiter, ſimpliciter nō eſt. Eſt ergo idem eſſe, & actualiter eſſe: & per conſequens idem eſſe & exiſtere, accipiendo vt cōmuniter eo vtimur: niſi fortè exiſtere diceret eſſe per ſe vel eſſe totale, aut aliquid huiuſmodi. Ex quo ſequitur quod idem eſt exiſtens & ens, exiſtentia & eſſentia: quia ſicut ſe habet exiſtere ad eſſe, ſic exiſtens ad ens, & exiſtentia ad ly eſſentia. Gabriel.

Eſſe in loco contingit tripliciter, vt habet Gabr. diſtinct. xxxvij. q. vnica, art. j. libr. j. & diſt. ij. quæſt. ij. libr. ij. ſcilicet commenſuratiuè, ſiue circumſcriptiuè, vel dimenſiuè, cuius, ſcilicet partes cōmenſurantur partibus loci, ita quod totũ eſt in toto loco, & vna pars in vna parte loci, & alia in alia parte, & nullæ duæ partes extenſiuæ in eadem parte loci, illo modo corpus extenſum eſt in loco, vel quantitatiuè eſt in loco corpus. Et eſſe in loco circumſcriptiuè, occupatiuè, cōmenſuratiuè, & dimenſiuè, & quantitatiuè, idem ſunt. Secundo modo aliquid dicitur eſſe in loco terminatiuè ſiue diffinitiuè, quod, ſcilicet eſt realiter vbi eſt locus, non natum ſimile eſſe alibi indifferenter, ſiue quod ſic certo loco terminatur, quod exiſtens in illo non eſt ſimile aptum natum eſſe in alio diſtanti ab illo, vel quod diffinit certum locum, in quo eſt totum in toto totum mixtum, id eſt nihil ipſius quin ipſum, & totum in qualibet parte loci, & nihil eius extra talem locum. Hoc modo anima rationalis eſt in corpore, & corpus Chriſti in loco ſpeciei conſecratæ. Bruleſer dicit, corpus Chriſti eſſe ſacramentaliter in loco, hoc eſt ſub ſpeciebus. Vnde ſacramentaliter eſſe in loco dicit, eſt eſſe præſens alicui loco ſub ſigno viſibili. Et dicitur ſupra notanter aptum natum, quia & ſi corpus vel ſpiritus per potentiam Dei poſſit replicari in diuerſis locis, vt corpus Chriſti in Sacramento: hoc tamen non eſt ſecundum propriam aptitudinem, quia potentia ſupernaturalis non confert aptitudinem in natura. Hoc modo ſpiritus Angelici & animæ rationales ſunt in loco, & corpus Chriſti, vt & vult Dominus Cardinalis Cameraceñ. quæſt. v. artic. ij. libr. iiij. cùm ait: Licèt corpus Chriſti ſit localiter in cœlo, & realiter in Euchariſtiæ ſacramento, tamen ipſum eſt circũſcriptiuè in cœlo, & diffinitiuè in ſacramẽto, &c. Tertio modo & hunc addit Hugo libr. prim. parte iij. cap. xviij. ſcilicet repletiuè vel immenſiuè, & illud dicitur eſſe repletiuè in loco, quod replet omnem locum, ita quod non eſt poſsibilis locus quem non repler, vel dicitur eſſe in certo loco per indiſtantiam, non tamen terminatur illo loco, quin ſit ſimile in omni loco, etiam ſecundum propriam naturam, & ille modus ſoli naturæ diuinæ conuenit, ſed illo modo propriè non eſt in loco, quia non continetur in loco, quia propter ſuam immenſitatem ita eſt in omni loco, vt tamen nullo loco detineatur, ſecundum illud Hieremiæ 23. Cœlum & terram ego impleo. Vnde Hieronymus in epiſtola, in his quæ Deo in ſcriptura attribuuntur: Excelſior cœlo, profundior inferno, longior terra, immenſitas eius latior eſt mari, qui cœlum & terram implet, proculdubio nullus locus eſt ab eius præſentia abſens, &c.

Eſſe in loco adhuc dupliciter poteſt accipi, vt ſcribit Gabriel diſtinct. ij. quæſt. ij. libr. ij. licèt non propriè, ſcilicet ſecundum ſubſtantiam & ſecundum operationem. Secundũ ſubſtantiã eſt in loco in cuius ſubſtantia verè & realiter cōtinetur in loco, & nihil ipſius eſt quod nō ſit præſens tali loco. Sic eſt in loco quicquid circumſcriptiuè vel diffinitiuè eſt in loco. Secundum operationem eſt in loco, quod aliquem effectum producit in loco, licèt nihil eius eſſentiæ ſit præſens iſti loco, ſicut dicimus quandoque Solem eſſe in aëre, quem illuminat & calefacit, licèt impropriè, & Angelus eſt in loco diffinitiuè, nō tantum per operationem, ſed per ſuam ſubſtantiam, probat Gabriel vbi ſupra. Erronea autem eſt opinio eorum, qui dicere voluerunt, quod Angelus non ſit in loco corporeo ſecundum ſubſtantiam, ſed tantum ſecundum operationem, dum, ſcilicet aliquid operatur circa corpus ipſum mouendo localiter, vel alia ſpecie motus, ſicut Angeli motores orbiũ, & Angelus Tobiæ hunc dicunt fuiſſe in corpore aſſumpto, nō ſecundũ ſubſtantiã, ſed tantùm mouendo illud corpus & operãdo in eo. Vnde Articulus Pariſiẽſis. cciij. quod ſubſtãtiæ ſeparatæ ſunt in loco per operationē, & quod poſſunt moueri ab extremo in extremum, nec in medium, quia poſſunt velle operari in extremo vel in extremis, nec in medio error. Et quod dicitur eſſe in loco primis duobus modis, ſcilicet diffinitiuè & circumſcriptiuè, dicitur locale, & ſecundum locum mutabile, ſed non quod eſt in loco tertio modo, ſcilicet repletiuè, ſicut Deus, qui eſt repletiuè in omni loco non localiter nec diffinitiuè, vel commenſuratiuè, aut mobiliter, quia nullo loco abeſſe poteſt, nec aliquo terminari vel circumſcribi, & dicitur eſſe illud eſſe vbique.

Eſſe vbique Sancti dicunt, & vt ſcribit ſanctus Bonauentura diſtinct. xxxvij. quæſt. j. artic. ij. libr. j. conuenit ſoli Deo propriè & ſingulariter, ita quod nulli alij nec intelligi poteſt cōuenire, ſi rectè intelligitur. Nam Deus dicitur eſſe vbique, ita quod ex parte Dei intelligitur identitas & totalitas, ex parte loci pluralitas & vniuerſalitas per conditionem identitatis excluditur vniuerſale. Quod quãuis ſit in omnibus ſingularibus, tamen ſecundum aliud & aliud ſuppoſitum, & ita numeratũ per conditionē totalitatis excluditur numerus. Nam quãuis numerus ſit vbique, tamen ſecundum aliam & aliã partē per conditionē pluralitatis à parte loci excluditur ſpiritus creatus, qui quãuis ſit in pluribus partibus corporis, nō tamē in omnibus, niſi vt vnitis per conditionē vniuerſalitatis excluditur corpus Chriſti ſub ſacramẽto, quod quãuis ſit in pluribus, nō tamē eſt in omnibus, nec eſſe poteſt, quia hoc ſolũ cōuenit ei ſub ſacramẽto, &c. Et vt idē ait: quia

eſſe vbique, dupliciter poteſt accipi de Deo, ſicut & eſſe ſemper. Vno modo ſemper importat diuinam immenſitatem ſecundum durationem, & ſic idem eſt quod æternitas, & conuenit Deo æternaliter. Alio modo connotat ſimultatẽ temporis, & ſic conuenit ei à principio temporis. Sic eſſe vbique vno modo importat præſentialitatem diuinæ immenſitatis, per quam eſt præſens omni, eò quòd eſt ſiue ſibi ſiue alij: & ſic idem eſt eſſe vbiq; quod Deum eſſe immenſum, & ſic conuenit Deo æternaliter. Alio modo prout connotat locũ creatum ſiue rem: & ſic conuenit ei ab initio rerum & locorum propter connotatum, & conuenit ſemper, & ad hoc eſt proprium, quia cõuenit ſoli & ſemper vno modo, licèt non æternaliter, ſicut etiã eſt in demõſtratiuis. Et iſte modus accipiendi (vt idem ait) Deum eſſe vbique eſt vſitatior, & ſecundum hunc modũ conuenit ei æternaliter. Hæc Bonauen.

Eſſe in omnibus rebus creatis Deo conuenit, & hoc poteſt intelligi dupliciter, vt ſcribit ſanctus Bonauentura di.xxxvij.art.iij.q.j.libr.j. Vno modo, vt idem ſit quod eſſe præſentem cuilibet rei non connotando effectum. Et ſic vniformiter eſt in omnibus rebus, eò quòd intimus eſt cuilibet rei, & ſummè præſens & totus in qualibet re. Alio modo poteſt connotare effectum, ſicut artifex dicitur in artificio eſſe per connotationem effectus, & per impreſsionem ſuæ ſimilitudinis, & ſic cum vni creaturæ plus det quàm alij, magis eſt in vna quàm in alia. Et hoc poteſt eſſe dupliciter, ſcilicet extenſiuè quantum ad ea quæ habent eſſe diuturnius, vt in corpore incorruptibili plus quàm in anima ſenſibili vel intenſiuè, quantum ad ea quę habent eſſe nobilius, vt in anima ſenſibili quàm in corpore incorruptibili, vel vtroque modo, vt in anima rationali quàm in corpore corruptibili. Aſsignat autem Magiſter dupliciter modos exiſtendi Deum in rebus. Et vnum modum accipit ab Auguſtino de præſentia Dei ad Dardanũ, qui dicit, quod aliter eſt Deus in omnibus creaturis, aliter in ſanctis, aliter in Chriſto per vnionem. Alium modum accipit à Gregor. qui dicit ſuper 5. Cantic. quod Deus eſt in rebus tripliciter, ſcilicet potentialiter, præſentialiter, & eſſentialiter. De quo latiùs Bonauen. di.xxxvij.artic.iij.q.ij.lib.j. vbi & ait, quod vbicunque eſt Deus, ſiue per naturam ſiue per gratiam, eſt eſſentialiter, potentialiter, præſentialiter. Exiſtentia itaque Dei in creaturis eſt triplex ſecundum Magiſtrum, vt poſt eum ſcribit Gabriël di.xxxvij.qu.vnica, art.j.lib.j. quædam eſt generalis qua omnes creaturas conſeruat. Specialis qua inexiſtentia vel aſsiſtẽtia animas ſanctas inhabitat. Singularis qua præſentia naturam humanam aſſumens in vnitatem ſuppoſiti ſibi copulat. De iſta in iij.lib.ſenten.dicitur. De ſecunda di.xix.lib.j. De prima di.xxxvij.lib.j. Et eſſe in omnibus rebus creatis aliis à ſe per potentiam, pręſentiam, & eſſentiam, dupliciter intelligitur alicui competere ſecundum Gabr. vbi ſupra. Vno modo ſimpliciter vt verba ſonant, quia ipſum, ſcilicet certo caſu poſito, vel per certam potentiam eſt in omnibus, vel quia eſſe in omnibus exiſtentibus, &cæ. neceſſario ſequitur ad ſuum eſſe, ita quod repugnat ipſum eſſe, & non eſſe in omnibus exiſtentibus, & econuerſo repugnat aliquid eſſe in quo ipſum non eſt. Primò non eſſe in omnibus creatis, nõ eſt proprium Deo, quia hoc poteſt per potẽtiam diuinam alicui creaturæ communicari. Item Deus poſſet replicare corpus ad diuerſa, vbi & ſicut ad diuerſa, ita ad omnia, ſicut diffuſe oſtẽdit Gabriël in lect.xlvj. in expoſi.canonis. Pręterea ſi nihil eſſet in mundo, niſi ſolus homo, tunc eius anima eſt vbique: omnia denique ſunt ſibi ſubiecta, puta pars corporis. Eſt etiam intimè præſens corpori. Sed eſſe in omnibus rebus creatis per potentiam ſecundo modo intelligendo, ſoli Deo eſt propriũ, quia nulla creatura neceſſario eſt in omnib' aliis à ſe: & hoc modo locuti ſunt S. Ambroſ. in litera, & alij ſancti, cùm eſſe in omnibus, modo dicto, ſoli Deo appropriant, vt & notat Gabr.d.xxxvij.ar.iij.dub.ij.libr.j. Sic etiam poteſt ſaluari dictum S. Thom. cùm parte.j.q.viij. artic.iiij. dicit: Eſſe vbique primò & per ſe eſt propriũ ſoli Deo, vide & in dictione *Vbique*. An autem Chriſtus ſit vbique quo ad rem. Dicitur (vt habet Gabriël d.xxij.q.vnica, art.iij.dub.ij.lib.iij.) quod cùm in Chriſto ſint duæ naturæ, humana & diuina realiter diſtinctè, ſola natura diuina propter ſui infinitatem, eſt vbique. Sola enim natura diuina eſt infinita. Natura autem humana in Chriſto, quia puta creatura, & finita eſt in loco determinato, puta in cœlo aut in ſacramẽto. Vnde Inno. dicit, quod Chriſtus eſt alicubi perſonaliter, alicubi ſacramentaliter, alicubi localiter. In cœlo localiter, in altari ſacramentaliter, vbique perſonaliter, ſacramentaliter & localiter, ſecundum naturam humanam, vbique ſecundum naturam diuinam, hæc de re quantum ad rationem nominis, Chriſtus eſt vbiq; per communicationem idiomatum: de quo latiùs Gabriël vbi ſupra libr.iij.

Eſſe, &c. Eſſe in Chriſto ſunt duo, ſcilicet eſſe diuinum, & humanum, vt habet Gabriël d.iiij.q.vnica art.iij.dub.j. libr.iij. & vtrunque eſt eſſe ſimpliciter, quia eſſe ſubſtãtiale, recipit eſſe humanum ſimpliciter, poſt non eſſe humanum: licèt poſt nõ eſſe: quia poſt non eſſe diuinum, & ſecundum eundem in Chriſto ſunt plura eſſe eſſentię, quia plures naturæ, quælibet autem natura eſt eſſentia, quædam, ſcilicet humana & diuina. Vna creata, alia increata. Sed in Chriſto nõ ſunt plura eſſe ſubſiſtentiæ, quia non plures perſonæ. Gabriël di.vj. qu.ij. artic.ij. libr.iij. latiùs ſcribit.

Eſſe, ab eſſe venit eſſendi, quamuis aliàs ſcripſerim non eſſe Latinum vocabulum, non modo curatores ſumus elegantis linguæ, ſed Theologi vel Theologorũ imitatores eſſe cupimus, qui infimo dicẽdi genere gaudent. Et modi eſſendi in cõplectuntur hoc verſu: *Inſunt pars totum ſpecies, genus, calor igni:*

Rex in regno, res in fine, locuśq; locato.

De his apud Philoſophos fit mentio: & Gabriël habet di.xix.q.ij.lib.j.

Eſſentia. Nomine eſſentiæ (vt ſcribit Magiſter d.v. libr.j.) intelligimus diuinam naturam, quæ communis eſt tribus perſonis, & tota in ſingulis & catholicis tractatoribus conſentientes ait: Quod nec pater genuit diuinam eſſentiam, nec diuina eſſentia genuit filium, nec diuina eſſentia genuit eſſentiam. Vnde Scotus di.v.lib.j. contra Ioachim ait: Nos ſacro approbante concilio, credimus & confitemur cum Petro,

cum Petro, ſcilicet quod vna ſumma res eſt eſſentia vel natura diuina, quæ nec generat, nec generatur. Eſſentia diuina (vt notat Guil. Scoti imitator di.v. li.j.& poſt eum frater Pelbartus) ſignificat vnam natu ram ſimplicisſimam infinitã, ſummæ perfectam, ſummæ bonam in tribus exiſtentem perſonis. Eſt ergo vna res ſumma, extra de trini. Et Gabr.di.ij.q.j.& di.xxviij.q.j.li.j. Eſſentia eſt in omnibus perſonis non ſic relatio, &c. Et di.x.q.j.li.j. Eſſentia diuina identificat ſibi omnia in diuinis, &c. Et eadem eſſentia diuina eſt pelagus quoddã infinitæ ſubſtantiæ ſecundum Dama. Et in diuinis eſt tãtum vnum abſolutum, ſcilicet eſſentia omnibus modis eadem intellectui & voluntati, & quibuſcunque abſolutis. Et di.xij. Eſſentia in diuinis à nullo realiter diſtinguitur, ſed bene formaliter. Et di.xiij. Eſſentia diuina non ſolùm eſt intellectus & voluntas, ſed veriſſimè intellectio & volitio verè ſeipſam intelligens & volens, vide latiùs Gabr. in his locis. Item ſecundum eundem eſſentia diuina dicitur ſpeculum repræſentatiuum omnium creaturarum ipſi intellectui creato, vide eum di.xxxviij.q.vnica dub.ij.lib.j. ad hunc ſenſum quod tam intellectus diuinus, quàm eſſentia eſt immediatè notitia ſui & aliorum.

Eſſentiale hoc vocabulo aliter Philoſophi vtũtur, aliter Theologi, vt notat Stephanus, Brule. in prologo j. ſenten. Philoſophi dicunt eſſentiale, quod diſtinguitur cõtra accidentale. Duplex eſt autem accidẽs, ſcilicet, commune, & per ſe, id eſt proprium. Quod igitur neutro modo eſt accidens, illud eſt accidentale alicui. Eſſentiale ſecundum Philoſophos eſt prædicatum in primo modo dicendi per ſe, apud Theologos non ſic. Vnde quia eſſentia diuina habet communitatem realem, ſic quod vna & eadem eſſentia ſingularisſima eſt tribus perſonis communicata realiter, ipſa propter illam communitatem realem verè prædicatur de tribus perſonis. Eſſentialia igitur in diuinis vocantur illa quæ habent ſimilẽ communitatem realem per ſimilem modum prædicandi cum eſſentia diuina, vt intellectus, voluntas, intellectio, volitio, ſapientia & iuſtitia, &c. Nomen notionale vide ſuo loco, & Scotum.qu.j.quotli. Et (vt idem Bruleſ. dicit di.ij.q.iiij.li.j. Eſſentialia ſunt illa quæ communia ſunt omnibus tribus perſonis, & tales ſunt omnes perfectiones ſimpliciter. Nam omnes perfectiones quæ ſunt ſimiles in modo eſſendi & prædicandi dicuntur eſſentialia. Eſſentiale enim eſt quod prædicatur de tribus perſonis, & dicitur ab eſſentia.

Eſſentiale dicitur quatuor modis, vt habet S.Bonauẽ.d.iij.q.iij.li.j. Et Bruleſ.d.iij.q.iij.in fi.l.j. Primo modo eſſentiale dicitur quod dicit eſſentiam rei tantum, ſicut ſpecies ſingularis vel natura ſpeciuoca, quæ dicit totam quidditatem. Secundo modo dicitur eſſentiale quod eſt de eſſentia & conſtitutione rei, vt materia & forma, caput, cor, & dicuntur eſſentialia conſtitutiua. Tertio modo dicitur eſſentiale ſine quo res non poteſt eſſe, nec poteſt intelligi eſſe, vt ſunt illa in quibus attenditur ratio veſtigij, vt vnitas, veritas, bonitas. Quarto modo dicitur eſſentiale, ſine quo res non poteſt cogitari habere perfectum eſſe, vt ſunt potentiæ in anima, in quibus attenditur imago, & hoc eſt minimo modo ſubſtantiale ſiue eſſentiale, non tamen tranſit in aliud genus, ideo anima dicitur ſuæ potentiæ, quia non tranſit in aliud genus. Hæc ſanctus Bonauentura.

Ætas poteſt accipi dupliciter, vt ſcribit Rich.d.xliiij. ar.j.q.viij.li.iiij. Vno modo pro toto tempore quo vixit homo, vel quod fluxit ab inſtanti ſuę ſaluationis vſque ad inſtans ſuæ reformationis. Sic ſecundum eum non omnes in eadem ætate reſurgent. Alio modo pro ſtatu corporis & virtutis, quæ ex annis in humano corpore relinquitur; ſecundum quem modum accipiẽdi ætatẽ dicimus, quod Adam factus fuit in ætate virili, in qua ætate & omnes reſurgent (inquit Richar. vbi ſup.) quia omnes reſurgent in ſtatu corporis & naturalis virtutis quem habituri erant ſi tantum vixiſſent, vel habuerunt qui tantum vixerunt; qui eſt in tempore ad quod terminatur motus perficiendi, quia circiter de lege communi eſt illud tempus quo Chriſtus mortuus eſt. De hoc commemorat Augu.xxij.de ciui.c.xv.&c. Ætates mundi ſunt ſex, quibus generatio & hominis ſtatus finitur. Iſtæ ſex ætates mundi vt recitat Richar.di.xl.lib.iiij.circa literam ſecundum Augu. lxxxiij.quæſtionum. q.lviij.ſic diſtinguuntur. Prima ab Adam vſque ad Noë. Secunda à Noë vſque ad Abraham: Tertia ab Abraham vſque ad Dauid. Quarta à Dauid vſque ad tranſmigrationem in Babyloniam. Quinta à tranſmigratione in Babyloniam vſque ad aduentum Chriſti Domini. Sexta ab aduentu Domini vſque ad finem ſeculi laborãtium cum qua currit. Septima alterius ſeculi, ſcilicet quieſcentium, & in iudicio incipiet. Octaua quæ erit reſurgentium. Sex ætates hominis ſecundum Aug. vbi ſupra ſunt Infantia, pueritia, adoleſcentia, iuuẽtus, grauitas, ſenectus, quorum tempora ſic diſtinguuntur. Infantia vſque ad ſeptimum annum. Pueritia vſque ad xiiij. annum. Adoleſcentia vſque ad xxv. annum. Iuuentus vſque ad l. annum. Grauitas vſque ad lx. annum. Senectus à ſexageſimo vſque in finem, de his ætatibus meminit Bonauen.di.xl. li.iiij.circa tex.

Æternum vario modo accipitur in ſcriptura; vt & notat Alex. de Ales.iij.parte ſummæ parte ij.in materia ſacrificiorũ, & alij di.xxxj.li.j.ſen. Primo modo propriisſimè, & ſic æternum dicitur, cuius non eſt finis nec principium durationis aut ſtabilitatis, & ſic ſolus Deus dicitur æternus. Vnde Eccleſ.18. Qui viuit in æternum creauit omnia ſimul. Et dicitur, æternum quaſi extra terminum vel terminos, quia caret principio & fine, vt & notat Guiller. Scotiſta di.ix.libr.j. & etiam Albertus Magnus ſuper. iiij.Phy.tract.vlti.& propriè loquendo ſolus Deus eſt æternus, & ſic ſoli ſibi conuenit æternitas. Vide Thom.di.ix.li.j.q.ij.art.j. hoc modo dicit articulus Pariſien. Ponere plura æterna eſt error. Secundo modo propriè pro eo quod habet principium, ſed non finem in duratione vel in ſtabilitate, ſicut ſunt perpetua, & ſic dicitur vita æterna. Ioan.17. Hæc eſt vita æterna vt cognoſcant te. Similiter & ignis inferni æternus. Math.25. Ite in ignem æternum. Tertio modo communiter pro eo quod non habet finem in humana acceptione, quia, ſcilicet non conſtituitur finis in humana affectione. Sicut illud 3.Reg.1. Viuat Rex in æternum vel in humana recordatione

cordatione.Ioſue.4. Idcirco poſiti ſunt iſti lapides, ſcilicet extracti ex Iordanis alueo in monumentum filiis Iſraël vſque in æternum, vel quia in hominis cognitione nõ conſtituitur finis, vel nõ determinatur iure poſſidendi. Ioſue.14. Quarto accipitur ſecundum quid pro eo quod nõ habet finem ſignificatiuè, ſicut circuncíſio data Abrahæ. dicitur fœdus ſempiternum. Gen.17. quia figurabat ęternum, vt dicit Glo. Similiter ſacerdotium Aaron dicitur æternum, quia ſignificat æternum Chriſti ſacerdotium. Quinto dicitur æternũ ſecundũ quid etiã conditionale, eo quod nõ determinatur finis durationis, ſed ſub cõditione, ſic illud de Dauid regno dicit Dominus: Thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut Luna perfecta in æternũ, intelligitur cũ conditione ſi ſeruaſſent poſteri Dauid mandata Dei, &c. Similiter de poſſeſſione terrę promiſſionis ab Iſraël. Vide & de hoc S.Bonauẽ.di.iij.ar.iij.li.iiij. & fratrẽ Pelbar.lib.j.roſã.Theol. Modos ęterni ponit tres Iacobus de Valẽtia ſuper illud Pſal. Iurauit Dominus & non pœni.eum, tu es ſacerdos in æternum. Primo inquantum eſt ſine termino, & ſine fine & ſucceſſione, quia eſt tota ſimul & perfecta poſſeſſio vitæ interminabilis, ſic ſoli Deo conuenit, quia nihil eſt æternum niſi Deus. Vnde æternitatem eſſe in Deo ſecundum Richar. di.xxix.artic.ij.qu.j.libr.j. concludunt ſumma eius actualitas, & ſumma ſimplicitas & eius ſumma immutabilitas: nam ſi Deus habuiſſet initium eſſendi, aut ſi poſſet aliquando non eſſe, tunc non eſſet actus purus, quia haberet aliquid de non eſſe admixtum, imò eſſet compoſitus ex actuali & potentiali vel poſſibili, & ita nec eſſet ſummè ſimplex, nec ſummè immutabilis, ſequitur ergo neceſſario Deum eſſe æternum, hæc Richar. Secundo modo vt dicit Iaco.de Valen. æternum idem eſt quod coæuum dicens totam ætatem alicuius. Et ſic dicimus quod vir eſt æternus vxori, quia quamdiu vixerit eſt alligatus vxori per totam ætatem & vitam, & ecõuerſo, & ſic circuncíſio fuit æterna legi & pacto Abrahæ, quia quamdiu durauit lex & pactum & illa ætas, tamdiu perſeuerabat circuncíſio, ſcilicet vſque ad Chriſtum, in quo terminauit illud pactum. Tertio modo dicitur æternum, cui nullũ aliud tale ſuccedit, & iſto modo lex Moyſi aut circuncíſio non fuit æterna, quia alia lex ſucceſſit & aliud ſacramentum. Sed iſto modo lex Euangelica & ſacerdotium Chriſti eſt æternum, quia nulla alia lex nec ſacrificium ſuccedit, ideo ait Chriſtus Matth.26. Hic eſt calix ſanguinis mei noui & æterni teſtamenti. Nouum verò inquantum ſucceſſit veteri, æternum inquantum nullum aliud ſuccedet, ſed ſolũm præmium & vera beatitudo. Hæc Epiſcopus Chriſtopoli. Non diſſentit à prædictis Aliacenſ.q.vj. fere in fine libr.j. & poſt eum Gabr. di.xxxv.q.v.ar.iij.dub.ij.libr.j. Nam æternum ſecundum eum accipitur vno modo propriè pro illo quod verè & realiter eſt exiſtens æternaliter, & ſic ſolus Deus eſt æternus. Alio modo impropriè pro illo quod eſt cognitum æternaliter, ſic intelligunt Augu. & alij Ideas eſſe æternas, immutabiles & infatigabiles, nec oriri, nec interire, hoc eſt, ſunt ęternaliter, immutabiliter & infatigabiliter cognitę, nec de nouo incipiunt intelligi à Deo. Hoc itaque modo ideæ ſunt æternæ, id eſt æternaliter obiecta cognita. Et creaturæ poſſunt dici ęternæ, quia ęternaliter à Deo cognitæ, ſed non adeo vſitate dicitur de creatura, ſicut de idea, de qua infra dicetur.

Æternum differt ab ęuo. Nam ęternũ dicitur propriè quod eſt ſimpliciter immutabile, tam ſubſtãtialiter quàm accidentaliter, vt ait Gab.di.ij.q.j.ar.iij.li.ij. De quo Boëtius in v. de conſol. proſa. vlt. Æternitas eſt interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio. Vnde æternũ ſimul & ſemper habet quicquid habere poteſt, & ſemper eſt quicquid eſſe poteſt, ideo dicitur poſſeſſio tota ſimul & perfecta vitę interminabilis. Æuum eſt quod eſſe nõ deſinit ſiue ſemper fuerit, ſiue eſſe incœpit quantum ad eſſentialia, eſt tamen mutabile quantum ad accidentalia, quia poteſt acquirere perfectionem qua caret, & perdere quam habet. Itaque enim licèt ſubſtantialiter non mutatur, eſt tamen mutabile accidentaliter, vt angelus, cœlum, materia prima. Temporale verò quod mutatur ſubſtãtialiter & accidentaliter, id eſt quod aliquãdo deſinet eſſe ſimpliciter, & manens acquirit quod nondum habet, vel perdit quod habet. De quo infra, & etiã de Æuo ſuo loco. Accipitur tamẽ quandoq; æternũ pro æuo. Aeuũ autem idẽ eſt quod ſeculũ vel tempus vel ſpaciũ, quod cum mũdo cœpit eſſe. Tamẽ mundus dicitur æuiternus, id eſt perdurabilis, ſicut ſunt cœli & angeli. Vnde Exo.25. Dominus regnabit in æternum & vltra, ibi ęternũ capitur pro ęuo, vt innuit Anſel. Vnde & hębraica veritas habet: Dominus regnabit in ſeculum & vltra.

Euangelium vide infra.

Euchariſtia Græca dictio eſt εὐχαριστία, & idem eſt quod bona gratia. Et (vt ait Aug. in ſer. de ſacramento altaris) Euchariſtia eſt oblatio benedicta per quã benedicimur, aſcripta, per quã omnes in cœlo aſcribimur, rata, per quã in viſceribus Chriſti cẽſemur, rationalis, per quã à beſtiali ſenſu exuimur, acceptabilis, vt qui nobis diſplicemus, per eam acceptabiles eius vnico filio ſimus. Illud ſacramentũ vt dicit Paludẽ.di.viij.q.j.li.iiij. eſt ſacramentũ digniſſimum, & plus quã ſacramẽtum, id quod & affatim ibi probat. Hoc ſacramento (vt vult Scot.d.viij.q.j.li.iiij.) nutrimur & in bono conſummamur. Et omnis deuotio in eccleſia eſt ad illud ſacramentum. Et poteſt diffiniri, vt habet Gabr.di.viij.qu.j.li.iiij. videatur Scotus eadem di.

Euchariſtia diffinitur hoc modo. Euchariſtia eſt ſpecies panis vel vini, corpus Chriſti & ſanguinem virtute ſacerdotalis conſecrationis verè & realiter continẽs. Gabr. vbi ſupra. Dicitur, ſpecies, per quod intelliguntur accidẽtia ſenſibilia, color, ſapor, odor, humor, calor, pondus, & ſimilia. Et additur, panis vel vini, quia ſub eis vel aliis quibus illæ ſucceſſerũt fuit ſubſtantia panis & vini. Ex illo ſequitur quod euchariſtia non eſt res ſimpliciter vna; quia realiter omnia illa accidentia ſub quibus ante conſecrationẽ fuit ſubſtãtia panis & vini, vel q̃ ſucceſſerũt accidẽtibus ſub quibus fuit ſubſtãtia panis & vini, vt ſi fiat trãſmutatio aliqua accidentiũ, puta caloris aut frigiditatis vel etiã coloris poſt conſecrationẽ, ſub quib⁹ tamẽ mãſiſſet ſubſtãtia panis vel vini ſi nõ fuiſſet facta cõſecratio, illę ſpecies prioribus tranſmutatis, ſuccedentes eſſent euchariſtia, licèt ſub illis non

fuerit

fuerit ſubſtantia panis. Secundo ſequitur quod ſacramentum euchariſtiæ non eſt actio quædam tranſiens ſicut cætera ſacramenta, ſed eſt res permanẽs, ſcilicet illa accidentia panis & vini poſt conſecrationem remanentia. Tertio ſequitur quod ſacerdotalis conſecratio euchariſtiæ non eſt euchariſtia quia trãſit, & illa non continet realiter Chriſtum, ſed eſt via ad ſacramentum euchariſtiæ. Nam per ipſam conſecrationem corpus Chriſti & ſanguis incipit eſſe ſub ſpeciebus, & ideo additur, virtute ſacerdotalis conſecrationis, quia ſine illa præuia non eſſet ibi corpus Chriſti, & ſic habetur quod conſecratio realiter diſtinguitur ab euchariſtia. Nam conſecratio eſt quid ſucceſſiuum, ſcilicet prolatio verborum ſuper debita materia. Euchariſtia vero eſt quid permanens poſt prolationem verborum, quia ſpecies panis & vini quæ etiam fuerunt ante conſecrationem, licet ante conſecrationem non fuerunt euchariſtia neq; ſacramentum. Dicitur, corpus Chriſti & ſanguinem realiter continens, & in hoc includitur materia, forma, intentio requiſitæ ad eſſe vel fieri huius ſacramenti: nam quicquid horum deficit non continetur realiter corpus Chriſti & ſanguis, continet autem hoc ſacramentum veraciter & realiter ſanctitatis auctorem, propter quod (vt ait Richar. inter alia ſacramẽta eſt altiſſimum, & vt idem dicit: Corpus Chriſti eſt ſacramentum verum & res, res, ſcilicet reſpectu ſpecie panis, & ſacramentum reſpectu corporis Chriſti myſtici, videatur ipſe latius. Dicitur etiam, panis vel vini diſiunctim & non copulatim, quia tam ſpecies panis ſine ſpeciebus vini, quã vinum ſine ſpeciebus panis ſunt euchariſtia, quia vtreque continent totum Chriſtum etiam coniunctim, non plus continent quàm alteræ ſolæ. Eſt autem euchariſtia ſacramentum principale legis nouę & euangelicæ, vt habet Gab. vbi ſupra, quia eſt ſimpliciter digniſſimum & excellentiſſimum ſacramẽtorum, excedit enim alia, vt dicit Scotus di. viij. q. j. quarti. Omnis quoq; deuotio Eccleſiæ eſt in ordine ad hoc ſecramentum, propter hoc enim clericus cum maiori diligentia perſoluit officium diuinum, propter hoc populus deuotius audit miſſam, quàm quodcunque aliud officium Eccleſiaſticum, propter hoc etiã ſinguli diligentius confluunt ad ſacramentum pœnitentiæ, dum iuxta eccleſiæ ordinationem volunt ſaltem in anno ſemel communicare. Excedit itaque ſecundum Scotum vbi ſupra. hoc ſacramentum alia in ſignificando, in ſignificato, in continendo & continendi modo. In ſignificando, quia certius ſignificat aliis ſacramentis, alia enim certè ſignificãt quantum eſt ex ſe, tamen quãdoque non habent effectum propter indiſpoſitionem ſuſcipientis, quia effectum non habent niſi in ſuſcipiente. Illud autem nunquam caret ſuo ſignificato, ſcilicet præſentia corporis Chriſti, nec poteſt impediri per maliciam conſecrantis, nec per indiſpoſitionem ſuſcipientis, quia habet effectum ſuum, non ſolùm in ſuſcipiente, ſed extra in ſpeciebus illis in pixide reſeruatis. In ſignificato, quia alia ſignificãt gratiam accidentalem & creatam, iſtud ſignificat gratiam ſubſtantialem increatam, & gratiæ cæterorum ſacramentorum creatricem, quia Chriſtum fontem gratiarum. In continendo, quia alia ſacramenta non continent quod ſignificant, quia gratia non eſt formaliter in ſacramentis cæteris, ſed in ſuſcipientibus ſacramenta. Illud autem in ſe realiter continet gratiam ſubſtantialem quam ſignificat. In modo continendi, quia cætera ſacramenta non continent gratiam niſi in vſu, ſicut non ſunt niſi in vſu. Iſtud autem continet permanenter etiam ante vſum, vt patet aliàs. Significant itaque iſtæ ſpecies effectum gratuitum duplicem, ſcilicet gratiam ſubſtantialem, & accidentalem. Subſtantialem principaliter, quæ eſt corpus Chriſti, verum quod realiter continetur ſub ſpeciebus, & magis ſignificant illæ ſpecies ex diuina inſtitutione, quàm ex naturali ſimilitudine, ſignificant etiam gratiam accidentalem, quæ dignè ſumẽti in vſu, id eſt ſumptione huius ſacramenti confertur, quia ſicut per panem & vinum corpus reficitur & nutritur, ita per gratiam vita animæ conſeruatur & fouetur. Illa tamen ſignificatio gratiæ ſumenti collatæ nõ eſt principalis, ſed aduentitia, quia euchariſtia eſt ſacramentum verum, etiam ſi non ſumeretur, licèt ad ſumptionem ſit ordinatum. Significant etiam ſpecies illæ efficaciter corpus verum, quia concurrunt ad præſentiã corporis Chriſti ſub eis contẽti tanquam cauſæ ſine qua non certitudinaliter ex aſſiſtentia diuina qui pactus eſt cum eccleſia, ſemper exhibere ſuam præſentiam his ſpeciebus ritè conſecratis. Et quamuis Chriſtus in ſacramento altaris ſit quantus, eſt tamen ibi modo ſubſtantiuo, id eſt indiuiſibiliter, & non modo quantitatiuo, vt dicit Petrus Paludenſis q. iij. di. x. li. iiij. & habetur de conſecra. di. ij. c. ſinguli, &c. In hoc ſacramento ſunt tres actus, vt ſcribit Brulefer. di. viij. q. j. lib. iiij. Primus eſt conſecratio. Secundus eſt ipſum ſacramentum. Tertius eſt ipſius perceptio. Cõſecratio eſt quidam actus ſacramẽtalis præuius ad ipſum ſacramentum, & ſunt verba neceſſaria ad conſecrationem. Vnde conſecratio eſt aliud à ſacramento, & vt ſupra dictum eſt. Sacramentum ſunt ipſæ ſpecies, ſcilicet albedo, & rotunditas, quia prius erant informantia panem, poſt conſecrationem, illa eadem remanent in ſacramento euchariſtiæ. Perceptio eſt quidam actus ſacramẽti, qui eſt via ad hoc quod corpus Chriſti ſumitur à fidelibus, & ad incorporandum caput, ſcilicet Chriſtum ipſi membro, ſcilicet homini fideli, & ipſum Chriſti membrũ capiti. Per hunc actum dignè ſuſcipiens incorporatur Chriſto, & toti trinitati vnitur tanquam membrum capiti, & iſta incorporatio ſit per amorem & gratiam, nihilominus in conſecratione datur gratia conſecranti ſi ſit dignus & percipienti. Fuit autem hoc ſacramentum figuratum multipliciter, vt aliàs videri poteſt, & apud Brulef. di. viij. q. ij. li. iiij. & apud Magiſtrum, & infra. Diuina quoque potentia & bonitas relucet in hoc ſacramento plus quàm in aliis. Vnde & cætera ſacramenta excellit, vt dictum eſt & quaſi conſummatiuum eſt omnium aliorum, ſicut charitas omnium virtutum. Latius ſcribit Brulefer. di. x. qu. j. lib. iiij. Et Gab. in ſer. quodam de corpore Chriſti, qui incipit. Memoriam fecit mirabilium ſuorum, &c. & in illo: Eſurientes impleuit bonis. Et ſacramentum Euchariſtiæ dicitur vnum ratione ſigni & cauſæ. Vel quia ratione animæ perfecta dicitur refectio, ſicut dicitur vnum prandium, vna cœna, vbi multa concurrunt ad vnã refectionem, ſcilicet cibi & potus. Dicitur etiã, vnum, quia ab aliis diuiſum

& diſtinctum, ſcilicet à baptiſmo & confirmatione, vt ſcribit Paludenſ.di.viij.q.j.quarti.. Et quia omnia quæ hic ſunt ad vnum, & idem præfigurandum ordinãtur, & ad idẽ cauſandum, ideo dicitur vnum. Et hoc ſacramentum Euchariſtiæ poſt agni paſchalis eſum fuit à Chriſto in ipſa cœna vltima Luna xiiij. prima die azymorum inſtitutum. Hinc dicitur Mat.26. Prima die azymorum acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum, dicentes: Vbi vis paremus tibi mã.paſ. Ponit autem S. Thom. quatuor rationes quare poſt cœnam vltimam immediatè ante paſſionem hoc ſacramentum ſit inſtitutum, & conſonat Paludenſ.q.j.art.iij. Prima, quia ad perfectionem Eccleſiæ congruebat quod caput ei realiter coniungeretur. Secunda, quia veritas ſequi debet figurationẽ, & adueniente veritate, ceſſare debet figura. Tertia ratio, quia hoc ſacramentũ eſt memoriale dominicæ paſſionis. Quarta, quia hoc ſacramentum frequentandum erat, ideo vltimo recedente Domino traditur, vt ſic arctius memoriæ imprimeretur. Fuſius recitat has rationes Gabr.di.viij. q.j.ar.iij.dub.ij.libr.iiij. Principalis tamen ratio eſt diuina voluntas cui placuit tunc inſtituere, & quia ſic placuit, bene & congruè inſtitutum fuit, voluntatis enim diuinæ prior cauſa quærenda non eſt, &c. Et quamuis hoc ſacramentum ſit vnum perfectione & ordine, tamen diuerſis nominibus nuncupatur. Nam ſecundum S. Thom. di.viij.ar.iij.q.j. vocatur hoc ſacramentum Euchariſtia, ſacrificium vel hoſtia, ſinaxis & viaticum, non quin ſignificata per hæc nomina etiã aliis conuenire poſſint. Nam per omnia ſacramenta conferetur bona gratia. In omnibus etiam aliquid offertur Deo, & omnia virtutem habẽt ex ſacrificio qua ſe Chriſtus obtulit in cruce. Item per omnia confertur gratia in qua communicãt omnes fideles, nõ reprobi. Similiter omnia nos reficiunt, & viatoribus tantum dantur vt perueniant ad patriam. Sed huic ſacramento conueniunt per antonomaſiam & excellentiam, ideo hoc ſacramentum primo dicitur euchariſtia quo ad rem ſignificatam & contentam, vt dicit Paludenſis, ab eu quod eſt bonum, & charis gratia, quaſi bona gratia, quia excellenter per ipſum non ſolùm præſtatur gratia, ſed etiam continetur finis gratiarũ, ſcilicet Chriſtus, qui eſt plenus gratia. Vnde Bonauẽ. d.viij. circa tex.l.iiij. ait: Et hoc propriè dicitur euchariſtia, id eſt bona gratia. Tũ quia principaliter eſt ibi ratio boni. Tũ etiã ratio gratiæ. Dicitur, & ſacrificiũ vel hoſtia, quia eſt ſimpliciter inſtitutum in memoriã ſummi ſacrificij in cruce pro omnibus oblati, & idẽ ſacrificiũ continet, & per ipſum iterum filius patri offertur, & ſacrificij fructus ſuſcipienti applicatur. Et quia omnia ſacrificia præcellit corpus & ſanguinis Chriſti. Paludenſ. Dicitur, ſinaxis, id eſt communio quo ad finem in via, ait Paludenſ. & Gabr. quia per ipſum communicant omnes fideles ſumentes, nedum in eadem gratia ſpecie, ſed in eodem numero, quia ab omnibus idem Chriſtus numero ſumitur. Dicitur, & viaticum, quo ad finem in patria ad quem perducit. Palu. & Gab. aiunt Non ſolum quia tantum viatoribus datur, ſed quia à Chriſto iam eunte ad patrem datum eſt, & quia principaliter datur tranſeuntibus ex hoc mundo ad patriam tanquam cibus confortans & deducens ad montem Dei beatitudinis, vt fuit figuratum per panem ſubcinericium datum Heliæ, in cuius fortitudine ambulauit ad montem Dei Oreb. 3. Reg.19. Conſonat Pal.di.viij.qu.j.libr.iiij. Sic dicitur cibus viatorum. Dicitur, & communio, quia vnit nos ipſi Chriſto, & vnit nos inter nos ipſos, tanquam membra capiti Chriſto inuicem, vt ſcribit Brulef.di.viij. qu.iiij.lib.iiij. Præter tamen illa nomina habet hæc propria, quibus dicitur panis vitæ. Dicitur, & panis angelorum, & ideo quia continet Chriſtum qui eſt beatitudo angelorum, nec angeli manducant corpus Chriſti ſpiritualiter, vt ſcribit Gabr.di.ix.q.j.ar.iij. dub.ij.lib.iiij. quia non manducant ſacramentum. Manducare enim ſacramentum non conuenit angelis neque ſecundum naturam propriam, neque in corpore aſſumpto, cum manducare ſit actus animæ vegetatiuæ quem angelus exercere non poteſt, vt vult Petrus de Palu.q.j.ar.ij.lib.iiij. Sed manducare Chriſtum ſi dicit vnionem tãtum cum Chriſto per gratiam, ſic angeli manducant Chriſtũ. Fuſius Gab. vbi ſupra. Dicitur, & hoc ſacramentum, ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti, & aliis diuerſis reſpectibus plura alia nomina ſibi attribuuntur in ordine ad fructus quos operatur, & finem quo conducit, & originem vnde procedit. Vnde dicitur cœleſte edulium antidotũ ſpiritualis vitæ mirabilium memoriale. Arra animæ, doralicium ſponſæ, & ſic de aliis. De quibus latè tractatur à Gabr. le. lxxxv. & lxxxvj. in expoſitione canonis. Vſus huius ſacramenti eſt perceptio ſeu ſumptio Euchariſtiæ. Sed vſus conſecrationis via dicitur ad ſacramentum, vt dicit Scotus, quia in termino prolationis verborum incipiunt ſpecies eſſe ſacramentum. Videatur latiùs Dominus præpoſitus Gabr.ar.iij.dub.ij.q.j.di.viij. libr.iiij. Nominaturque conſecratio à doctoribus quid ſacramentale, quia requiſitum ad eſſe ſacramẽti. Et ſumptio eius dicitur actus ſacramentalis, quia ad hunc actum ſacramentum ordinatur. Et cum venerabilis euchariſtia ſit omnium ſacramentorum perfectiſſimum, idẽo pluribus ac multiplicibus figuris eſt figuratum, vt habetur in Paludenſi. & ſupra tactum eſt. Videatur poſt Gabr.q.ij.di.viij.ar.j.lib. iiij. & in cano, lect.lv. Magiſter di.viij.lib.iiij. quatuor principales commemorat figuras, ſcilicet manna, agnum paſchalem, oblationem Melchiſedech, & effluxũ ſanguinis de Chriſti latere. Plura Gabr. vbi ſupra. Ad licitè verò & ordinatè celebrandum, id eſt ſine peccato & manducandum hoc ſacramentum requiritur ieiuniũ naturæ, niſi adſit infirmitas qua timetur periculum mortis. Et ſi particula non eſt ibi conſecrata (credo inquit Gabr.) quod ſacerdos pranſus non debet conſecrare, ſicut in ſimili pranſus non debet ſupplere defectum ſacerdotis in miſſa deficientis, nec infirmus eſt tunc in periculo, quia excuſat eum impoſſibilitas ſumendi cui ipſe cauſam non dedit, ſicut qui patitur vomitum communicandus non eſt, ſed ſufficit illi fides cum deſiderio, ſecundum illud Augu. Crede & manducaſti, &cæt. Item ſi ſacerdos in calice poſt ſumptionem aquam tantum in calice habuiſſe deprehẽdit, & ipſum ſumendo ieiunium ſoluit, tenetur tamen tunc (ne ſacrificium imperfectum relinquat) de nouo vinum conſecrare & ſumere non ieiunus. Item ſi quis facta conſecratione meminit ſe non eſſe ieiunum, debet procedere & miſſam perficere, quia in periculis quod

lis quod maius eſt,eſt magis cauendum, ſed magis eſt relinquere ſacramenta eccleſiæ imperfecta (hoc enim ſacrilegium eſt) quàm deficiente debita qualitate ſeu diſpoſitione ſacerdotis ſumere. Sic etiam ſi ante conſecrationem recoleret,& immineret graue ſcãdalum, niſi procederet in hoc caſu,debet procedere cum contritione cordis & propoſito cõfitendi.Si verò ſcandalum non imminet,tutius eſt ceſſare.Hæc Ataxanus in ſumma.li.iiij.ti.xv. Videatur & Paludenſis.q.ij.& poſt eum Gabr.vbi ſupra.

De euchariſtiæ forma Vt notat Gabr. qu.iij.vbi ſupra. Nulla verba poſſunt aſſignari pro forma, quia & ſi ſunt quædam verba requiſita ad fieri euchariſtiæ,id eſt ad hoc vt ſpecies incipiãt eſſe euchariſtia, nulla tamen verba requiruntur ad eius eſſe,quia ſine verbis manet euchariſtia. Verba autem quæ requiruntur ad eius fieri ſunt forma cõſecrationis, nõ euchariſtiæ, vt vult Scotus, & poſt eum Gabr. Et quod Aug.dicit:Accedat verbum ad elementum & fit ſacramentum,per verbum intelligit formam,per elementum materiam. Sed hoc habet veritatem de ſacramentis cæteris quæ conſiſtunt in vſu, ſeu quadam operatione,non autem de euchariſtia quæ ſola inter ſacramenta habet eſſe permanens. Vel dicitur quod ad fieri cuiuſlibet ſacramenti requiritur materia & verborum forma,& non adeſſe vel manere. Et ſic intelligendus eſt Aug.Et ſolæ ſpecies poſt cõſecrationem ſunt ſacramentum Euchariſtiæ omnibus aliis ſemotis.Iſtæ autẽ ſpecies ſunt formæ quædam ſimplices,non cõpoſitæ ex materia & alia forma,quę & ſi materialiter haberent materiam in qua videlicet ſubiectum cui inhærerent in ſacramento tantum ſubiectum non habent,nihil enim ab eis diſtinctum eſt de eſſentia ſacramenti, & ideo huic ſacramento euchariſtiæ non poteſt aſſignari materia neque forma: quæ ſunt de eſſentia ſacramenti, & ideo de forma conſecrationis euchariſtiæ eſt dicendum. Vnde Gabr.vbi ſupra.ar.ij.ait:Conſecrationis diuerſarum ſpecierum euchariſtiæ diſtinctę ſunt verborum formæ.Alia namque eſt forma conſecrationis ſpecierum panis, alia ſpecierum vini, nec ſimul fit conſecratio vtrarumque, nec vna quantum ad effectum conſecrationis (quæ eſt præſentia corporis & ſanguinis Chriſti)expectat aliam, vt latius probat Gabr. Poſſunt tamen ambæ conſecrationes dici vna conſecratio,& duæ earum formæ, vna forma eo modo quo hæc duo ſacramẽta dicũtur vnum ſacramentum & vna euchariſtia. Forma autem neceſſaria ad conſecrandum panis ſacramentum, his verbis conſtat. Hoc eſt corpus meum. Et coniunctio enim vt ſcribit Aliacenſis.q.v.& Gabr.quę additur non eſt de neceſſitate conſecrationis, ſed de neceſſitate conſecrantis, quia ea etiam voluntariè omiſſa vera eſt conſecratio, licèt conſecrãs mortaliter peccet,quemadmodum etiam is, vt vult S.Bonauen.di.viij.lib.iiij.circa textum,qui formam Eccleſiæ ex certa ſcientia mutat grauiter peccat, & de forma huius ſacramenti videri poteſt. Idem Gabr. lect.xxxviij.& xxxix.canonis.Sed de forma conſecrationis ſpecierũ vini neceſſaria, & præciſa ex ſcriptura canonica nõ eſt ſufficienter determinata,quia dubium eſt an aliqua verba præter illa:Hic eſt calix ſanguinis mei, ſint de neceſſitate conſecrationis,an ſequentia etiam ſint neceſſaria,ſcilicet noui & æterni teſtamenti,qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.Certum tamen eſt quod verba Chriſti in perſona Chriſti prolata in canone miſſæ, ſcilicet hic eſt calix, vſque ad illa, hæc quotienſcunque feceritis,continent in ſe formam conſecrationis.Vnde certum eſt quod his à ſacerdote debita intentione ſuper debita materia prolatis, fit conſecratio, & tranſſubſtantiatio vini in ſanguinem Chriſti, & de hoc require in expoſi. canonis lect.xv.& liij.per totum. De materia huius ſacramenti vide infra.Hoſtiam autem conſecratam adorans,& ſacramentum ſanguinis ea conditione adorat rectè omnis fidelis, vt ſcribit ſanctus Bonauen. di.xxiij.qu.j.lib.iij.in fine,ſi perfecta ſunt circa ipſam ea quę ad conſecrationem ſunt neceſſaria,ſecundum inſtitutionem diuinam, & ſic nunquam decipitur necerrat, idem ſcribit de hoc di.ix.q.vj.li.iij.

Euchariſtia. Quid ſit ſacramentum, quid res & ſacramentum conſiderandum eſt ſecundũ Magiſtrum di.viij.lib.iiij.quod forma, id eſt ſpecies panis & vini quæ frequenter retinẽ quæ ante fuerunt, ſcilicet panis & vini vocabula tenent,ſunt ſacramenta tantum,quia ſunt ſigna viſibilia effectus gratuite inuiſibilis, quorum officium eſt tantum in ſignificando & continendo.Non autẽ ipſæ ſunt(vt ſcribit Gabr. di.viij.qu.iij.dub.vj.) gratia vel effectus gratuitus, aut aliquid ſignificatum per ipſum ſacramentum. Nam per rem nihil aliud intelligitur quàm id quod ſignificatur per ſacramentum, & ita ſunt ſacramentum tantum,id eſt ſigna ſignificantia, & non gratia ſignificata. Corpus Chriſti myſticum eſt res tãtum, quia eſt id quod ſignificatur per ſacramentum, id eſt ſpecies panis & vini, quia ſicut panis ex multis granis conficitur,& vinum ex multis racemis confluit, ita Eccleſia ex multis fidelibus adiuuatur. Significatur etiam per corpus Chriſti ibi contentum & verum,quia ſicut corpus Chriſti ex membris diuerſa officia habentibus conſtituitur,ita Eccleſia ex multis vel diuerſis fidelium gradibus diuerſa officia habentibus aggregatur.Ipſa autem Eccleſia ſignificata non eſt alicuius alterius ſignificatiua,& ſic dicitur res tantum,&non ſacramentum.Corpus autem Chriſti quod ſub ſpeciebus continetur,eſt res contenta,& per ſpecies ſignificata, & etiam ſignũ corporis myſtici,& ſic dicitur res & ſacramentum,non capiendo ſacramentum propriè. Sic enim corpus Chriſti ſub hoſtia non eſt ſacramentum, quia non eſt viſibile ſignum,ſed eſt ſacramentum largè, id eſt ſacramenti ſignum.Et per hoc patet quod huius ſacramenti eſt gemina res. Vna ſignificata & contenta, ſcilicet corpus Chriſti verum, & alia ſignificata & nõ contenta,ſcilicet corpus Chriſti myſticum & hæc in textu declarantur. Sed de manducatione huius ſacramenti videatur in dictione *Manducare.*

Præterea aduertendum quod Chriſtus in cœna vltima, in qua ſacramentum hoc inſtituit prius ipſe ſuſcepit ſacramentaliter tantum, non tamen ſpiritualiter,vt ſcribit Gabr.di.ix.q.j.ar.iij.dub.j.di.iiij. licèt quidã dixerunt oppoſitum quantũ ad vtrumq;, vt idem notat lect.xxxiiij.in expo.canonis. Suſcepit autem eo modo ſacramentum, quo circunciſionem,& baptiſmum,quæ recepit ſacramentaliter tantum,quia tantum ſignum & non rem,ſcilicet peccatorum purgationem. Sumpſit itaque ſacramentaliter,quia

ter, quia ſpecies vt ſeipſum continentes non ſpiritualirer, quia non ſumpſit rem ſacramenti, ſcilicet ſpiritualem nutritionem per gratię augmentum. Et ſic recipere ſacramentaliter tantum eſt recipere ſacramentum vt ſacramentum & non rē ſacramenti. Hoc autem dupliciter contingit, vel ex in diſpoſitione ſuſcipientis, & ſic tantum eſt malorum, vel ex perfectione ſumentis, quia habet gratiā in termino non vltra augmentabilē, & hoc eſt perfectiſſimorum Chriſti, ſcilicet & virginis glorioſæ ſtante opinione quod in cōceptione filij recepit totā gratiam, ad quam fuit præordinata. Chriſtus autē dedit Apoſtolis ſecundum probabiliorem opinionē corpus tale, quale tunc habuit, id eſt mortale & paſſibile, de quo Gabr. dub. iij. vbi ſupra. Et in expoſitione canonis. lect. xxxvij. & xlvj. &c.

De acceſſu huius ſacramenti. Poteſt autem tripliciter intelligi aliquem indignè accedere ad ſumptionem huius digniſſimi ſacramenti, & ſimiliter per oppoſitū tripliciter dignè accedere. De quo legito Gabriēl. di. ix. li. iiij. q. ij. & S. Bonauē. eadē di. circa textū. Vno modo per comparationē eius ad id quod ſumitur, & ſic indignè accedit, cuius dignitatis nō eſt proportio cōueniens ad id quod ſumitur, & ſic accipiendo nulla creatura dignè ſumit, quia dignitatis creaturæ ad dignitatem creatoris, qui in hoc ſacramento ſumitur, ſicut finiti ad infinitum nulla vnquam eſſe poterit proportio. Hinc Iob. 25. Nunquam poteſt homo iuſtificari cōparatus Deo. Et ſequitur. Ecce Luna non ſplendet & ſtellæ non ſunt mundæ in conſpectu eius, quantò magis homo putredo & filius hominis vermis. De quo idem Gabr. lectio. lxxxij. canonis. Secundo modo per comparationem ad conſecutionem effectus huius ſacramenti, & ſic indignè accedit, qui accedendo non conſequitur ſpiritualem nutritionem per gratiæ augmentum. Tertio modo per comparationem ad culpam, quam manducando contrahit, & ſic indignè accedit, qui accedendo mortaliter peccat, & ita nouo peccato mortali ſe inuoluit. De quo lectio. viij. in expoſitione cano. latiùs. Si autem aliquis (vt ſcribit Paluden. di. ix. qu. ij. libr. iiij.) an ſit in peccato mortali dubitat, aut credit ſe eſſe in eo, & tunc aut hoc eſt ex conſcientia ſcrupuloſa, & temeraria, aut ex probabili coniectura.

Si primo modo, debet conſcientiam deponere, ſed quouſque conſcientiam depoſuerit communicare non debet, quia conſcientia erronea ligat, & obligat. Si ſecundo modo debet conteri & confiteri, aliter periculo ſe exponit. Si verò credit ſe non habere mortale ſi fecit quod debuit non peccat, ſed ſibi dimittitur. Si non fecit quod debuit peccat, ſed minus quàm ſciens. Hæc Paluden. vbi & alia pulchra de manducatione ſcriptis reliquit. Et diſtinguitur modus ſecundus à tertio, quia ſtat aliquem accedendo non recipere gratiam, non tamen incurrere offenſam, vt dicit ſanctus Bonauentu. qu. vij. di. ix. lib. iiij. & Alexander. parte. iiij. q. xlvj. membr. ij. articul. ij. Cancellarius in defloribus de euchariſtia. Itē ſuper Magnificat tract. ix. parte. iij. ſanctus Thom. parte iij. qu. lxxx. articul. iiij. Vnde ait Bonauentura. Dignè manducare eſt ſufficienter ſe præparare, ſcilicet peccati omnis expulſione, reuerentia, & dilectione: & hic modus opponitur indignitati ſecundo modo dictæ, & idem habet Alexand. vbi ſupra. Quidam autem (vt idem vult Bonauentu.) ſunt qui ſecundum veritatem ſufficienter ſe præparant, quidam ſecundum probabilitatem, quidam neutro modo ſe præparant, imò contemnunt. Qui ergo ſufficienter ſe pręparat, manducat dignè: qui ſe nullo modo præparat, manducat indignè. Qui autem minus ſufficienter ſe præparat, ſcilicet ſecundum probabilitatem potius quàm veritatem, non manducat dignè, quia non ſe præparauit dignè ſufficienter, nec indignè, quia ſe præparat probabiliter, talis quamuis non recipiat gratiam, non tamen incurrit offenſam. Sanctus Bonauentu. Vide & Gabr. di. ix. qu. ij. articul. j. libr. iiij. Accedens autem ad ſacramentum euchariſtiæ manente in ſe peccato mortali redditur indignus ſecundo modo, non tamen ſemper tertio modo, vt probatur de illo, qui poſt ſui probationem ſufficientem manet in eo peccatum mortale, qui gratiam non conſequitur ex opere operato, & tamen non peccat nouo peccato mortali. Sed manducans Euchariſtiam in mortali altero trium modorum, ſine ſui probabili probatione, peccat nouo peccato mortali in ſacramenti ſuſceptione, quia eſt ſimpliciter indignus cibo vitæ, cùm ſit ſpiritualiter mortuus, & eſt contemptor Dei pro eo quod negligit ſe probare, & per conſequens manducat ad iudicium, & ita peccat nouo mortali, vt dicit Gabr. artic. ij. vbi ſupra. Et non ſolùm mortale, ſed etiam quædam alia reddunt accedentem indignum culpabiliter, quia accedens ſine mortali cōtra prohibitionem eccleſiæ, quamuis non habeat in ſe culpam mortalem, vt poteſt contingere in excommunicato per errorem, tamen à ſuo iudice quod fieri poteſt ſine culpa iudicis. Latiùs explanat Gabr. concluſione iij. vbi ſupra. Vnde Richard. quæſtio. iij. di. ix. articul. ij. vult quod interdicti, ſuſpenſi, & excommunicati vel etiam iniuſti excluduntur à ſuſceptione huius ſacramenti. Item ſi quis incidit infirmitatem, propter quam non poſſet ſumere ſacramentum ſine irreuerentia, & nihilominus ſcienter ſumeret, indignus ſumeret, & de hoc vide Gabriēl. lectio. vij. viij. & ix. vbi habentur caſus in quibus abſtinendum eſt, licèt abſtinens ſit ſine culpa. Vide & Richard. de pollutione nocturna vbi ſupra. quando impediat vel non dignam ſumptionem, ſed de hac ſuo loco videbitur. Maior inſuper præparatio requiritur ad dignè conſecrandum quàm ad dignè ſumendum, quia quicquid requiritur ad hoc requiritur, ad illud: quia conſecrans tenetur ſumere. Et ad conſecrandum dignè multa alia requiruntur, ſcilicet ordo, veſtes, locus, tempus, orationes certæ, ieiunium naturæ, & quædam alia, de quibus vide in expoſiti. cano. à lect. vij. vſque ad lect. xv.

Quibus danda ſit vel neganda euchariſtia, & ſic de diſpenſatione huius ſacramenti parum pernotandum ſecundum Doctores Alexandr. parte. iiij. quæſtione. xlix. Richard. & Durandum & Gabriēl. articulus. iij. diſtinction. ix. quæſtione. ij. libr. iiij. qui rem copioſe differit. Vnde ſecundum prædictos ſi peccator occultus petit in publico, tunc curatus ſuus tenetur ſibi dare, quia contrà eum non habet legitimam exceptionem, quam

ei in

ei in publico obiicere poſſit, & ne ſit proditor criminis vel reuelator confesſionis, nullus peccator occultus in publico nominatim eſt arguendus, nec cõfundendus. Si aurem eſſet manifeſtus, poreſt negare. Plura Gab. vbi ſupra. Nec in hoc curatus participat aut conſentit peccato recipientis, nec facit cõtra charitatem proximi dando quod nouit mortiferum accipienti, nec ſic peccat dando, quia facit quod debet, & cauet quod cauendum eſt, ſcilicer proditionem criminis occulti, & ſcandalum proximorum, plus quoq; cauẽdum eſt peccatum proprium quàm alienum, quia ordinata charitas à ſe incipit. Nullus autem faciendo quod debet, facit contra charitatem proximi, etiam ſi quod facit proximo per accidens noceat, dum nocumentũ non per ſe ſequitur actum dantis, nec eius voluntatem. Vnde non dixit Dominus non dare ſanctum canibus, ſed nolite ſanctum dare canibus. Matth. 7. Nolite, id eſt non habere voluntatem aur complacentiam dãdi ſanctum canibus & immundis, nec in aliquo caſu danda eſt hoſtia non conſecrata pro conſecrata, quia in ſacramento veritatis nulla debet eſſe fictio. Per hoc etiã daretur occaſio idolatrandi recipienti, quia ſecundum Aug. prius debet ſumens adorare, & ſic adoratum recipere. Vide de hoc Palu. q. iiij. ar. j. di. ix. lib. iiij. qui ponit. xj. propoſitiones in genere de diuerſis peccatis, remitto lectorem ad Gabr. vbi ſupra. ex quibus omnibus infert Palu. hãc propoſition. quod publicæ meretrices, & publici vſurarij ſunt omnino ab altari arcendi, niſi pœnitentiam egerint, ita quod poſt pœnitentiam priuatam poſſint admitti ad euchariſtiam ſecretò, non autem in publico, niſi poſt publicam pœnitentiam propter ſcandalum. Nã manifeſta delicta non ſunt occulrè corrigenda, ſed debent ædificari de pœnitẽtia, qui fuerũt ſcandalizati ex culpa. Vnde vel ſacerdos debet iniungere pœnitentiam publicam, vel debet publicare quod ipſe eſt verè pœnitens extra de pe. & re. c. j. de vſuris. Cõſonat Anto. parte. iij. ti. xiiij. c. xij. §. ij. Et Rich. di. ix. q. iij. ar. ij. lib. iiij. S. Bonauen. q. iiij. Alex. par. iiij. q. xlix. mem. j. Guido de monte Rotherij. parte. j. tract. iiij. c. ix. Aſten. in ſum. lib. viij. ti. xvij. ar. iiij. S. Thom. di. ix. quarti. q. v. ar. j. Ex dictis itaque habetur ſecundum Rich. poſt Alex. quod nulli infami nororio, vt ſunt hiſtriones, magi, ſortilegi, duellatores, rorneatores, aleatores & artes prohibitas exercẽtes, & manifeſtè in mortali peccato ſordẽti danda eſt euchariſtia, niſi pœnitentiã peregerint, & ad Dominum reuerſi fuerit. De quo videto Gabr. dub. iij. vbi ſupra. Nec dari debet euchariſtia his in quibus non eſt tanta rationis perfectio qua poſſint & cognoſcere per fidẽ in hoc ſacramento contineri Chriſtum Deum verum & hominem natum ex virgine, paſſum, reſurrexiſſe à mortuis, aſcendiſſe ad cœlos, & inde venturum iudicare viuos & mortuos. Non debent inquã iſti accedere, vt de pueris dicit Alex. mem. v. quæſt. xlix. parte iiij. & ſic dicit quod pueris minoris ætatis, puta qui ſunt x. vel xj. annorum, ſi in eis viget diſcretio iudicij & capacitatis eius qui in hoc ſacramento continetur, non autem infantibus & tali rationis iudicio carentibus. Sic de energuminis, phreneticis, amẽtibus idem eſt ſentiẽdum vſu rationis priuatis, niſi habuerint lucida interualla in quibus diſcretionem habent huiuſmodi cibi, & aliàs non habent impedimenta, in his communicari poſſunt. Impuberes verò omnino carentes diſcretione, ante ſeptennium cõmunicandi non ſunt, licèt Græci contrarium faciant. Et Alex. videtur declinare ad hoc quod nulli danda eſt euchariſtia, quæ non poteſt habere deuotionem nec fidem actualem qua aliquo modo attendit quid ſumat: requiritur enim ſecundum apoſtolum prima probatio ſui, & diſcretio huius cibi. Vide & latiùs Gab. dub. iiij. vbi ſupra. Phreneticis verò & amẽtibus ſi carent vſu rationis. & diſcretione, danda non eſt euchariſtia, &c. Nec danda eſt euchariſtia ſuſpectis ad probationem vt crimen eorum deprehendatur, id quidem eſſet tẽtare Dominũ, ſed Deus tentandus non eſt. Deut. 6. & Matth. 4. Fuſius Gabr. dub. v. vbi ſupra. Et hæc de diſpenſatione huius ſacramenti, in quo continetur verè & realiter corpus Chriſti, quod ſumpſit de Virgine, pependit in cruce, & regnat glorioſum in cœlo in ſede maieſtatis paternæ, id quod eſt de ſubſtantia fidei catholicæ & cunctis fidelibus notum. Et habetur latisſimè in expoſitione canonis lectio. xxxix. Concordat Corteſius, vt infrà dicetur de fructu huius ſacramenti, in fin.

De accidentibus ſacramenti altaris. Communis autem eſt opinio omnium catholicorum, accidentia ſacramenti altaris eſſe ſine ſubiecto, vt & habet Petrus de Palu. q. iij. di. xij. lib. iiij. qui & recitat triplicem modum dicendi ibidem, & ſentit quod per nihil additum, ſed per ſolam diuinam virtutem ſubſiſtunt, &c. Poſſumus verò in ſacramento altaris attendere duplicia accidentia, vt & notat Gabr. di. x. q. vnica ar. j. lib. iiij. quædam quæ fuerunt in pane & vino, & manent pane & vino deſinentibus, quæ intelliguntur per ſpecies panis & vini, & ſunt ea quæ ſentiuntur poſt conſecrationem, quæ non afficiunt corpus Chriſti, ſed continent ipſum per realem ipſius præſentiam, & illæ ſunt realiter ſacramentum euchariſtiæ, hæc ſunt calor, odor, ſapor, pondus, color, humiditas, & ſimilia quæ ibi ſentiuntur, & ita poſt conſecrationem ſicut ante. Alia ſunt accidentia corpori Chriſti inexiſtentia per inhæſionẽ vel prædicationem, quæ ſicut corpus Chriſti in ſacramento præſens nullo ſenſu percipiuntur, quæ etiam eidem corpori inſunt in cœlo vel ineſſe poſſunt. Vnde notandum quod corpus Chriſti quantum ad omnia ſua ſubſtantialia & accidentia ſibi in cœlo inhærentia eſt in toto ſacramento & qualibet eius parte tã magna quàm minima, quo ſequitur quod corpus Chriſti non eſt in ſacramento circunſcriptiuè, ſed tantum in loco diffinitiuè, vt & ſupra dictum eſt, eo modo quo anima intellectiua eſt in carne tanquam in loco capiendo locum largè. Et quamuis in euchariſtia ſit quãtitas qua corpus Chriſti eſt quantum in cœlo, non tamen per eam eſt quantum vt eſt in ſacramento. Et hæ duæ ſunt concedendæ: Corpus Chriſti quantum longum, latum ſic vel ſic figuratum eſt in ſacramento, ſed non illæ: Corpus Chriſti eſt quantum, longum, latum, figuratum, vt eſt in ſacramento. Harum differentia patet ex logica, quia prima tantum valet: Corpus Chriſti quod in cœlo habet partes extra partes ſecundum longum & latum extenſas & figuratas hoc corpus eſt in ſacramento. Secunda valet tantum: Corpus Chriſti habet partes extra partes & figuram in ſacramento.

Gabr.

Gab.vbi ſupra.Et de facto nulla fit actio vel paſſio, aut quæuis mutatio in corpore Chriſti & eius accidentibus, per quam experimentũ accipi poſſit præſentiæ ipſius ſub ſacramentalibus ſpeciebus. Ratio, quia voluit Deus ſacramẽtum illud & myſterium eſſe ſenſui occultum & parere fidei : ſic fides careret merito ſi humana ratio credenda cognoſceret naturali experimẽto. Latiùs Gab.vbi ſupra.& lect.xlv. canonis.Item non ſolùm in diuerſis locis eſſe poteſt corpus Chriſti diffinitiuè & ſacramẽtaliter, ſed etiá ipſum & aliud corpus quodlibet eſſe poteſt per diuinam potentiam in pluribus locis circũſcriptiuè & commenſurabiliter,quia poteſt conſecrari à duobus presbyteris ſimul in diuerſis altaribus celebrantibus , & conſecratum conſeruari in diuerſis ac diſtantibus reſeruaculis,& vbique eſt totus Chriſtus. Et quamuis in conſecratione eccleſiæ corpus Chriſti incipit habere nouum locum ſub hoſtia, non tamen deſerit cœlum , nec mouetur deſcendendo per medios orbes & aëra.In conſecratione quoque euchariſtiæ corpus Chriſti mutatur locali mutatione. acquiritur enim quod priùs non habuit,ſcilicet, nouum locum. Sed illa mutatio non eſt ſucceſſiua,ſed inſtantanea,id eſt tota ſimul,& per hoc non dicitur motus localis.Item ad motum localem hoſtię ſimul mouetur localiter corpus Chriſti & ſucceſſiuè,quia motis ſpeciebus euchariſtiæ , eodem motu ſimul mouetur corpus Chriſti ſub eis realiter contentum. Item corpus Chriſti non mouetur à ſacerdote hoſtiam mouente,nec per ſe nec per accidens, mediatè vel immediatè , ſed à ſolo Deo primo & immediatè, vel ab anima Chriſti cum Deo concurrente, quia corpus Chriſti in hoſtia eſt improportionabile virtute mouentis, & ideo motis ſpeciebus , ipſe immediatè mouet corpus ſuum.Sic & anima Chriſti,quia glorioſa & diuinæ voluntati conſentanea, habens corpus ſuum in plena poteſtate,ipſum mouere poteſt ad omnem locum in quo nouit Deum ipſum velle mouere. Nec omnis proprietas logicalis conueniens corpori Chriſti vt eſt in cœlo,conuenit eidem vt eſt in ſacramento,& econuerſo . Patet quia in cœlo eſt localiter & circunſcriptiuè , in ſacramento non ſic,ſed diffinitiuè.Item ſtat ipſum in cœlo moueri localiter & in ſacramento quieſcere.

Item in cœlo ſentit corporaliter & organicè , nõ ſic in ſacramento,& ſecundum hoc non eadem prædicata ſibi conueniunt vt eſt in cœlo , & vt eſt in ſacramento,licèt eadem conueniant hîc & ibi, quia dum mouetur in cœlo,verũ eſt dicere quod corpus Chriſti exiſtens in ſacramento mouetur , ſed non vt in ſacramento,& ſic de aliis . Hæc & ſuperiora diffuſe & abundè tractantur à Gabr. di.x. artic.ij. in multis concluſionibus , & in expoſitione canonis lect. xliij.xlv.xlvj.xlvij.De actione quoq; accidentium huius ſacramenti videatur latiùs Gabr.di.xij.qu.j. lib.iiij.vbi dicit quod accidentia illa ſunt qualitates ſenſibiles,quæ apparent poſt conſecrationem in loco vbi fuerat panis vel vinum, vt ſunt calor,ſapor, &c.quæ accidentia poſt conſecrationem manentia per ſe ſtant nulli ſubiecto inhærentia,vt & prius dictum eſt.Et hæ ſpecies ſacramentales reſpectu paſſi extrinſecus applicati habentis ſubiectum tranſmutabile , habent eandem vim agendi ſeparatæ quam haberent ſi ſubſtantiæ panis & vini forent coniunctæ.Vide latiùs eum ibi,& in canone.

De materia conſecrationis euchariſtiæ, de qua videatur Paludenſis diſ.xj.q.j.lib.iiij.& poſt eum Gabr. q.ij.eadem di . Vnde panis eſt materia conſecrationis euchariſtiæ,& hoc tenet fides religionis , & habetur extra de ſum.tri.& fide ca.c . Firmiter, & in c.Cum Marthe.de cele.& de conſecra.di.ij.in multis capitulis.Et dicitur notanter, panis,quia non paſta aut farina aqua mixta ſeu pulmentũ eſt materia cõſecrationis corporis, vt in expoſitione canonis. lect.xxxv.dicitur.Nec probatur quod in ſolo pane triticeo fiat ſacramenti euchariſtiæ conſecratio,quia ad hoc nec eſt auctoritas ſacræ ſcripturæ, neque determinatio eccleſię,neque reuelatio,neque experiẽtia vel ratio . Vide de hoc opiniones quas recitat Gabr.vbi ſupra.& lect.xxxv.canonis.Non tamen excuſatur à peccato, qui in pane non triticeo ſcienter celebrat , niſi vſus eccleſiæ in qua ſacramentum conficit oppoſitum teneat. Quilibet autẽ celebrans aut ſacramenta miniſtrans tenetur ſe conformare conſuetudini eccleſiæ , in qua officium ſuum agit, ideo non conformans ſe conſuetudini peccat,maximè in propoſito vbi dimittit certum, & aſſumit incertum in tanto ſacramento . Certum enim eſt quod in pane triticeo fit conſecratio omni fideli.

Sed an fiat in pane non triticeo, opiniones ſunt doctorum , quas refert Dominus præpoſitus Gabr. vbi ſupra. Ad conficiendum autem ſanguinis Chriſti ſacramentum , neceſſarium eſt vinum naturale de vua vitis expreſſum,vt habetur de conſecra.d.ij. In ſacramento . Ponit & alias auctoritates Gabr. concluſione.iiij.vbi ſupra.di.xj.Ex quo patet quod nõ in vino artificiali,aut de pomis aut piris expreſſo,nec in vino botris incluſo, nec in agreſto,nec in balſamo,ſecundum Petrum de Palu.artic.v.licet dr̃catur vinum Engaddi.Sed in vino vernatiano,Gręco. Cretẽſi(quæ ſunt vina propriè dicta) poteſt fieri conſecratio.Nec de clareto,ſi ſpecies vini mutata eſt. Nec in aceto perfecto,cùm tunc non ſit vinum, ſecùs ſi tendit ad acedinem , ſecundum Petrum de Palu. Verum de aceto diſtinguit Alex. Vide lect.canonis.xxxv.In muſto tamen expreſſo,licèt non defęcato poteſt fieri conſecratio. De admixtione aquę cum vino in calice dicit Gabr.concluſione.v. vbi ſupra, quod hæc admixio requiritur de miniſtri, non de ſacramenti neceſſitate , quia miniſter conſecrans ſi aquam miſcere ſciẽter negligit, mortaliter peccat, licèt verè conficiat niſi formam mutando, hæreſim introducere conaretur. De quo & idem lect.xxxv. canonis.dicit.Et debet eſſe aqua elemẽtaris, & non roſacea,vel artificialis,aut ſimilis. Nec ſufficit quod aqua admixta ſit in dolio aut cyatho.Aut per pluuiá, quia illa admixtio non eſt ſacramentalis, vt habet Alexan.Illa autẽ aqua primo conuertitur in vinum, & ita totum conuertitur in ſanguinem Chriſti . De quo Gabr.dub.iij.vbi ſupra. & lect.xxxv. canonis latiùs ſcribit.Ratio autem quare apponitur aqua in conſecratione vini eſt , quia aqua ſignat populum, vinum autem ſignat Chriſtum, qui eſt caput, & illa commixtio ſignat vnionem cum capite . Brulef.di. xj.q.ix.lib.iiij.Poteſt & tam in azymo quàm in fermentato fieri conſecratio,vt habet Dominus prępoſitus Gabr.dub.ij.vbi ſupra,quia vtroque Romana eccleſia vſa eſt in hoc ſacrificio ex certis cauſis, licèt

modo in

modo in azymo tantùm. De quo videatur ipſe lec. xxxiiij.cano. & Aliacenſis.q.v.lib.iiij.

De diuiſione huius ſacramenti. De quo legito Gab. lec.lxxx.cano.& dub.iiij.q.j.d.xij.li.iiij.vbi dicit, quod dũ fit diuiſio huius ſacraměti,ibi eſt vera fractio,quia realis diuiſio partiũ ſacraměti,quæ partes poſt fractioně etiã loco ſeparãtur.Ipſa verò fractio nõ eſt in corpore Chriſti, quod integrũ ac totũ ſub qualibet diuiſionis particula continetur, ſed eſt in ſpeciebus . Illæ enim ſpecies, quia extenſæ ſunt,& partes habět ſitu & loco diſtinctas, quæ partes realiter abinuicě ſeparantur, frangi poſſunt.Et licèt nõ ſit fractio corporis Chriſti: eſt tamen vera manducatio corporis Chriſti,&c.

De fructu huius ſacramenti & effectibus, conſulito Petrum de Palude diſt.xij.quæſt.j.libr.iiij.& Gab. quæſt.ij.eadem diſtin. Varij autem diuerſis modis & viis huius ſacramenti fructus colligere niſi ſunt. Gabriël tamen dicit vbi ſupra , quod ſicut omnes veteris teſtamenti oblationes & ſacrificia figurabant, figuraliter vnicum Chriſti ſacrificiũ per Chriſtum in principio nouæ legis patri in ara crucis oblatum , & in cuius virtute populo profuerunt : ita in illo perfectiſsimo crucis vnico ſacrificio habemus perfectè quæcunque lex naturæ vel Moſaica ſuis ſacrificiis contulit imperfectè, ſcilicet peccatorum remiſsionem , gratiæ collationem , & gloriæ participationem. Et licèt ſemel oblatus eſt Chriſtus in cruce in aperta carnis effigie: offertur tamen idem in altari quotidie,velatus in panis, viniquẹ ſpecie : non quidem quantum ad ea, quæ pœnam important, ſed quantum ad finem ſacrificij, qui eſt placatio offenſæ patris, & impetratio æternæ ſalutis. Et ideo verè ſacrificium dicitur, quia idem in Euchariſtia offertur, qui in cruce immolatus eſt,& ad eundem finem. Vide ad hoc Gabriël lectione lxxxv.canonis. & lectione lxxxvj. qui diffuſe fructus & effectus huius ſacramenti perſcribit. Et non ſolùm illud ſacramentum eſt ſacrificium , ſed etiam cibus,potusque animæ ſpiritualis, ſecundum illud Ioan.6. Caro mea verè eſt cibus , & ſanguis meus verè eſt potus : & ideo in pane & vino, quo perfecta refectio corporis quotidie adhibetur,& in vita corporali ſuſtentamur,cõfortamur, & roboramur,inſtitutũ eſt , vt per hoc perfecta refectio ſpiritualis nobis ſignificetur. De quo lect.xxxv.& lij. canonis habetur: vbi & agitur, cur ſub duplici ſpecie eſt inſtitutum, propter duplicem , ſcilicet eius effectum: valet enim, vt dicit Ambroſius,ad tuitionem corporis & animæ. Vide latiùs Gabriëlem lectione lij. cap. hoc item ſacramentum Euchariſtiæ in ratione ſacramenti , non tantùm prodeſt his à quibus ſumitur,ſed etiam aliis pro quibus offertur. Nam preces Eccleſiæ non ſunt fruſtrà : exaudit enim ſponſus ſponſam ſuam,Chriſtus, ſcilicet Eccleſiam. Nihilque (vt inquit Paludenſis diſtin.xij. quæſt.j.libr.iiij.) in hac vita eſt quod tantùm ſatiſfaciat pro mortuis, quantum ſacrificium mediatoris . Et non ſolùm fructificat in bonis & iuſtis, ſed etiam in peccatoribus pro quibus offertur, vt à peccatis conuertantur. Et maiorem fructum affert, quàm ſacrificia veteris teſtaměti, quia efficacior eſt veritas quàm figura. Vide latiùs Gabriëlem conclu.

ij.quæſt.ij.diſtin.xij.lib.iiij.& ſermone iij.de corpore Chriſti, qui incipit : Eſurientes impleuit bonis. & lect.lxxxv.canonis.Inſuper etiam inquantum cibus animam nutrit & roborat, & reſtaurat deperdita, & reſtaurata augmentat , quia cibus ille viuificat.Vnde Ioannis 6.Qui manducat me,viuet propter me. Ad viuificandum autem prædicta requiruntur. Vnde Innocen.de offic.Miſſæ parte.iiij. cap.vlt.Euchariſtia ſi dignè ſumatur, à malo liberat, & conſeruat in bono, venialia delet, & cauet mortalia . Et per huius ſacramenti virtutem vniuerſæ virtutes augentur,& omnium gratiarum fructus exuberant. De hoc latè Paludenſis quæſt.j. artic.iij.diſtinct.xij. libr.iiij. His ſubſcribit Theologorum eloquentia Paulus Corteſius diſtinct.ij. ſuarum ſententiarum, libr.iiij. cùm ait : Permagni intereſt ſanè ſcire quales effectus conſequantur ſacramentum Euchariſtiæ, in quo ſanè meminerimus ab his gratiæ & gloriæ fontes oriri, atq; etiam intelligendum eſt eum, qui capitali tabe vexetur, haud eiuſmodi ſacri effectum nanciſci poſſe, ſed ignoſcibilem labem deiicere, muniriq; tanquam lorica quadam contra ſcelera futura. Quinetiam ſciri debet id non modò ad libantem, ſed etiam ad cæteros manare. Cautumque eſſe lege, ne quis flamen id noriſsimis depeculatoribus , ſiue daniſtis aut damnatis hominibus libandum præbeat. Eodemque modo eos excludi qui naturæ ortu inſani dicantur, qui non ſtolidè deſipiant , tenuemque vim rationis nanciſcantur . Iam illud etiam notum eſt profuſione ſeminis nocturna ſi modò cum capitali tabe fiat,eiuſmodi libum,pocillumque impediri. Similiſque eſt ratio eorum, qui ante eiuſmodi ſacri libum ientarunt. Nam à ieiunis hoc ſacrificij genus obiri debere putandum eſt. Sed & piatori flamini ſacrificandum priùs eſſe volumus, quàm libum multitudini diſpertiat, nec ei à ſacro ceſſationem dari placet: etiam ſi minimè publici delubri flamen eſſe dicatur. Hæc Corteſius.

De frequentatione huius Sacramenti legere potes ſanctum Bonauent.diſtinct.xij.quæſt.penult.libr. iiij. & Richard. eadem diſtinct. artic. vj. quæſt.j. & Paludenſem eadem diſtinct. quæſt.j. artic. iiij. qui dicit, quod expediat frequenter ſumere, quia ſæpè peccamus,& ſæpè medela indigemus,& concluſione ij.ibidem ait : Expedit quidem in homine qui ſentit per hoc deuotionem augeri, reuerentiam non minui. Econtrà ſi ſentiat homo deuotionem non augeri, & reuerentiam minui : quia nimia familiaritas parit contemptum . Debet aliquando abſtinere & non quotidie ſumere. Indiſpoſito itaque bonum eſt abſtinere , & malum eſt ſibi communicare, ſed diſpoſito bonum eſt ex humilitate abſtinere: & ſi ex maiori charitate ille abſtinet, & ille ex minori ſumit : ille qui plus habet de charitate , plus meretur de præmio eſſentiali. Sed ſimpliciter loquendo multò melius eſt debitè ſumere, quàm debitè omittere : quia illi ſumenti prodeſt ex opere operato, & datur ei remiſsio peccatorum & augmentum virtutum. Hæc Paludeñ. quæſt.j. in fine. Cui aſtipulatur Dominus Præpoſitus Gabriël diſtinct.xij. quæſt.ij. artic.ij.concluſione iiij. qui vult quod ſacramenti Euchariſtiæ frequentatio eſt laudabilis vel commendabilis

indignè ſuſcipiēti, quāuis cū merito poſsit quis aliquādo abſtinere. Laudabile itaq; eſt multas ſibi & Eccleſiæ accumulare fructus ſpirituales, ſecundū illud Apoſt. 2. ad Cor. 6. Hortamur ne in vacuū gratiā Dei recipiatis. Et 1. Timo. 4. Noli negligere gratiā quę in te eſt, quę data eſt tibi: hi autē fructus accumulātur per frequentationē huius ſacramēti. Poteſt & aliquis cum merito abſtinere, quia talis abſtinētia poteſt procedere ex humilitate ſui, & cōſideratione immēſę dignitatis, Dei inclināte ad vtrunq; charitate, & per cōſequens erit meritoria. & ad hoc facit quod Centurio Dominū nō recipiēs in domū ſuam, ex ſui humiliatione cōmendatur à Domino. Non tamen videtur quod abſtinēdo præcipuè mereatur, cum accedendo plus dignificaret diuinā bonitatē & clementiā. Sed cęteris paribus fructuoſius eſt frequentare ſacramentum Euchariſtiæ q̃ ab eius ſumptione abſtinere, vt idē probat Gab. concluſ. v. vbi ſupr. quia ſi æquè digni ſunt aliqui, accedēs plus meretur quàm abſtinens, & hoc ex opere operato, quo ſe priuat abſtinēs. Copioſius probat Gab. vide & eundē lec. lxxxvij. canon. & Duran. q. iiij. d. xij. li. iiij. Et Palu. vbi ſup. Et licèt nō peccent (vt Gab. dicit concluſ. vj. vbi ſupra) imprudenter tamē agūt & ſtultè qui diſpoſiti abſtinent à ſacramentali communione. Nam accedere non eſt in pręcepto, niſi in caſu, vt ſemel in anno & in mortis periculo: de quo lec. lxxxvij. canonis. Stultumq; eſt maiori bono dimiſſo, acquirendo apprehendere minus, ſed maius bonū eſt accedere quā abſtinere. Poteſt & aliquis, vt habet Palu. vbi ſupra. pluries vel ſæpius vno die celebrare, ſed id fieri nō debet abſq; rationabili cauſa. Primò in die natiuitatis Domini. Secundò propter defunctū occurrentē poſt Miſſam, qui ſine eo ſepeliri nō debet. Tertiò ex neceſsitate infirmorū. Quartò neceſsitate peregrinorū debentiū in feſtis diebus audire Miſſam. Quintò pro nuptiis. Sextò ſi habeāt duas Eccleſias, vnā intitulatā, alterā cōmendatam, & quilibet populus vult habere Miſſam. Latiùs Palu. hos caſus recitat, quē vide. Sed requiritur quod ſit ſemper ieiunus ieiunio naturæ: ita quod ablutionē non acceperit. Contra illud eſſe videtur, quod ſcribit Rich. d. xij. ar. vj. q. j. cùm ait lib. iiij. In ſuſcipiendo tamen ſacramentū debet eſſe deſideriū amplioris cōiunctionis cum Chriſto, & reuerentia ad ſacramentū. Vnde ſi homo experimētaliter cognoſcit, quod ex frequenti ſuſceptione huius ſacramenti, feruor charitatis augetur in ipſo, & reuerētia ad ſacramentū non minuitur, frequenter debet cōmunicare, non tamen in die plus quàm ſemel. ar. de cōſec. di. prima. Sufficit. vide latiùs eū ibi, ſi placet. Non eſt autē de neceſsitate ſalutis laico ſub vtraq; ſpecie ſumere, & quāuis hoc nō ſit illicitū, quia olim in quibuſdā Eccleſiis erat conſuetum, & hoc modò eſt conſuetū, vt refert Palu. d. xj. q. j. ar. j. in quibuſdam monaſteriis. non tamen expedit, quia per hoc daretur occaſio & fomentū errori eorū, qui dicunt neceſſariū eſſe cōmunicare ſub vtraque ſpecie. Etiā non expedit ſic dare omnibus propter periculū effuſionis (vide latiùs Gab. q. ij. ar. iij. d. xij. dub. j. li. iiij. & alias cauſas lec. lxxxiiij. cano.) Et quāuis ſæpiùs olim, vt habet Palu. ar. v. q. j. d. xij. li. iiij. tenebātur omnes fideles ad cōmunicandū, hodie tamē ad minus ſemel cōmunicare in Paſchate tenentur, ſecundum ca. Omnis de pœn. & re. & in articulo mortis. Tenentur autē omnes celebrātes cōmunicare quoties celebrāt. Tenētur & curati celebrare per ſe vel per alios Dominicis diebus, & maioribus feſtiuitatibus, quibus populus obligatur ad auditionē Miſſæ, & quotiens neceſſariū eſt ſubditis. Tenentur & ſacerdotes non curati ratione ſui officij, ſecundum Tho, & poſt eum Gab. dub. ij. vbi ſupra. Et quāuis magna ſit vtilitas frequēter ſumere Euchariſtiā, nō tamen licet eodē die ſæpius cōmunicare extra caſus cōceſſos: de quo vide Gab. lec. lxxxvij. can. & d. ix. q. j. lib. iiij. qui ibidem de frequentatione huius ſacramenti multa ſcribit.

De miniſtro huius ſacramenti. Solus autē ſacerdos eſt diſpenſator huius ſacramēti, ſicut & celebrator, vt dicit. Et p̄bat Palu. d. xiij. q. j. li. iiij. Vnde ab illo ſolo debet diſpēſari, cuius digiti ſunt ſacrati, qui etiā nō debet tangere niſi duobus digitis ſacratis. Et nō ſacerdos non poteſt cōficere: & ſi quis præſumpſerit de facto incurrit irregularitatē. Item hæreticus, & ſchiſmaticus, ſuſpenſus, excōmunicatus, vel degradatus vel ſimoniacus in ordine. Omnes illi poſſunt cōficere, de quibus latiùs Petrus Palu. Ad hoc autē quòd aliquis ſit idoneus miniſter huius ſacramenti requiruntur aliqua de neceſsitate, aliqua de cōgruitate, vt & nòtat Dominus Præpoſitus Gab. d. xiij. q. j. lib. iiij. De neceſsitate requiritur poteſtas ordinis, facultas ſermonis, integritas intentionis: de quo & lec. j. expo. ca. De congruitate multa requiruntur, quæ ad duo reducūtur, ſcilicet ad remotionem impedientiū, vt ſunt culpę mortales aut pœnæ canonicę: puta irregularitas, excōmunicatio, ſuſpenſio, & quædam quæ non ſunt culpæ, nec pœnæ: de quibus lec. vij. & ſequenti, videre potes. Item ornamenta, veſtes ſacerdotales, ſigna, geſtus, orationes. Item locus, vaſa, tēpus, ſeruitor reſpōdens: de quibus lec. xj. cano. & lec. xiiij. dicitur. Solus autem ſacerdos (vt dictū eſt) diſpēſator eſt huius ſacramenti, niſi neceſsitate cogēte, diaconus poſſet diſpenſare, ſi iubetur ab Epiſcopo, vel Presbytero pręſente, vel ſi abſens fuerit ſacerdos, tunc neceſsitate ingruente, poteſt diaconus infirmis Euchariſtiā miniſtrare, vt latiùs declarat Gab. dub. vlt. vbi ſupra. di. xiij. Laicus verò in nullo caſu ſacramentū hoc diſpenſare debet (vt ibidē dicit) poteſt tamen laicus, vt ibidē dicitur, ſacramentū, ſi inuenerit in loco inhoneſto, & terra, vel luto, ipſum leuare, dum alius cōſecratus non adeſſet, & in loco honeſto ponere: donec ſignificaret ſacerdoti, qui ipſum acciperet & inde aſportaret: hoc enim ad reuerentiā ſacramenti pertinet. In nullo autem caſu poſſunt laici Euchariſtiā conſecrare, hoc enim ſolū ſacerdotibus eſt cōceſſum, &c. Et de iſtis videatur & Sco. diſtin. xiij. lib. iiij. vbi diffuſe iſta declarantur, quæ breuiter hic tanguntur: quia licèt ſint vtilia, non tamen ſunt magnæ ſpeculationis. Notandæ quoque ſunt propoſitiones, quas ponit Aliaceñ. quęſt. v. lib. iiij. Prima, conſecrans in peccato veniali propter hoc non peccat nec mortaliter, nec venialiter, quia de tali non eſt neceſſe confiteri. Secunda propoſitio, conſecrans exiſtens in actu peccati mortalis ex hoc peccat mortaliter, quia ſimpliciter manducat indignè. Vnde videtur quātum ad hoc idem iudiciū de conſecrāte & manducāte. Tertia propoſitio, cōſecrans

exiſtens

exiſtens in peccato mortali: de quo non pœnitet nec pœnituit, quia præteritum eſt, & de illo nõ recolit, ſed hoc ſi non fit ex negligentia craſſa vel affectata, excuſatur. Si verò ex negligentia mala, peccat mortaliter, licèt non ita grauiter, ſicut qui peccat actualiter. Patet, quia 1. Corinth. 11. dicit Apoſt. Probet autem ſeipſum homo. Ideo homo probare, & ſe examinare tenetur, ſecundum poſsibilitatem fragilitatis humanæ, &c. Et ſi hoc faciat, ſufficit. Vnde patet quod ritè & dignè conficiens, non tenetur eſſe in charitate, &cæ. Quarta propoſitio eſt, conſecrans qui peccat mortaliter, quamuis de illo pœnituerit, ſi confeſſus non fuerit, peccat mortaliter: quia tenetur priùs confiteri quàm conſecrare, vel communicare. Cuius ratio eſt, quia non tantum debet Deo reconciliari, ſed Eccleſiæ ad hoc, vt dignè recipiat ſacramentum Eccleſiaſticæ vnitatis, &c. Et hoc verum eſt ſi occurrat oportunitas confitendi ſine ſcandalo, aliàs non. Ita Petrus Camera. vide & Scotum. Hæc de miniſtro, & per conſequens, de ſacramento Euchariſtiæ digniſsimo Doctores Aliaceñ. Scotus, Gabriël, Occam, Paludeñ. Gerſon, & cæteri multa alia ſcribunt in ſermonibus ſuis. De hoc venerabili Sacramento pauca ſufficiant, &c.

Euangelium dictio Græca eſt ἰυαγγέλιον, & eſt bona annunciatio. Nam ἰυ benè, & ἀγγέλλω, nuncio dicitur. Quare autẽ ſit bona nunciatio Euſebius libro de præparatione, ſic oſtendit: Euangelium dicimus, quod æternorũ atque incorruptibilium bonorum, quæ certè ſuprema & maxima ſunt, & ex antiquiſsimis prædicta temporibus. Nuper verò ſplendore ſui orbem illuſtrantia cunctis hominibus annunciat, quod non cæcas, caducaſque huius ſeculi diuitias, nec breuem hanc, calamitoſamque vitã, nec inſtabiliã corporis cõmoda, ſed animatum quæ intellectualis ſubſtantiæ ſunt, à quibus & corporum bona quaſi vmbram conſequentia dependent ſummam, propriamque nobis adfert felicitatem. Et vt notat Scotus diſtinct. xj. quæſt. j. libr. j. Non omnia quæ creduntur, & credenda ſunt, docentur in Euangelio. Vnde Chriſtum deſcendiſſe ad inferna, non docetur in Euangelio, & tamen tenendum eſt ſicut articulus fidei, quia ponitur in ſymbolo Apoſtolorum. Ita multa alia de ſacramentis Eccleſiæ non ſunt expreſſa in Euangelio, & tamen Eccleſia tenet illa eſſe tradita certitudinaliter ab Apoſtolis, & periculoſum eſſet errare circa illa, quæ non tantum ab Apoſtolis deſcendunt per ſcripta, ſed etiam quæ per conſuetudinem vniuerſalis Eccleſiæ tenẽda ſunt. Nec Chriſtus in Euãgelio docuit omnia pertinentia ad diſpenſationem ſacramẽtorum. Dixit enim diſcipulis ſuis in Ioanne: Adhuc habeo multa dicere, ſed non poteſtis portare modò, cùm autem venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Multa igitur docuit eos ſpiritus ſanctus, quæ non ſunt ſcripta in Euangelio, & illa multa, vt dicit, quædam per conſuetudinem tradiderunt, quædam per ſcripturam. Similiter diuerſa ſymbola diuerſis temporibus ſunt edita contra diuerſas hæreſes. Hæc Scotus. Fuit autem Euangelium prædicatum ab Apoſtolis in vniuerſo orbe terrarum. Hinc dicitur: In omnem terram exiuit ſonus eorum: & ſic nulla fuit pars in mundo, aut lingua, ad quam modò peruenit Euãgelium, aut per Apoſtolos aut ſucceſſores eorum. Vnde licèt Apoſtoli (vt ſcribit Iacobus de Valentia ſuper illud Pſal. In omnem terram, &cæ.) non tranſierunt ad Hunos & Gothos, qui habitabant in orbe ignoto, & inacceſsibili vltra meoticas paludes. Tamen in die natiuitatis Domini omnia idola eorum clamauerunt Regem pacis, & Dominum totius mũdi fuiſſe natum in medio mundi. Et ſic congregati omnes Gothi, & Huni, duobus agminibus factis, relictis ſedibus tranſierunt meoticas paludes, ſuper aquas glaciales. Et ſic peruenerunt ad partes noſtras, & per ſucceſsionem temporis baptiſmum ſuſceperunt. Ex quo patet quod ex diuina prouidentia illud factum eſt, vt poſſent audire vocem Euangelicam. Et hoc idem factum eſt apud Aethiopes. Vnde Virgilius in 6.

Huius in aduentu iam nunc & Caſpia regna
Reſponſis horrent diuûm, & Meotica tellus,
Et ſeptem gemini turbant trepida oſtia Nili.

Ex quo patet quod lex Euãgelica per totum mundum fuit publicata, & prędicatio Apoſtolorum per omnes linguas fuit manifeſtata. Vnde ſicut Deus per cœlos & ſtellas mittit naturales influentias ad generandum iſta inferiora, & viuificandum, &c. Ita pariter Chriſtus per ſuos Apoſtolos miſit ſuas ſpirituales & Euangelicas influentias in ſuam Eccleſiam toto orbe diffuſam, ad regenerandos fideles, & nutriendos & conſeruandos. Explicat autem Euangeliũ modos neceſſarios ad ſalutem, & in eò nõ tam perſcrutãdo quàm credẽdo quis nõ ſcandalizatur, vt ſcribit Gerſ. in carmine ſuper Magnific.

Euidentia (vt literis mandauit Petrus Aliacenſis, quæſt. j. artic. j. libr. j.) eſt duplex, ſcilicet abſoluta, qualis eſt euidentia primi principij, vel reducibilis ad eam. Alia eſt euidentia conditionata, qualis eſt euidentia noſtri ingenij, quæ eſt circa primam. Euidentia abſoluta ſic deſcribitur: Eſt aſſenſus verus ſine formidine cauſatus naturaliter, quo non eſt poſsibile intellectũ aſſentire, & in ſic aſſentiendo decipi vel errare. Et omnis euidentia eſt aſſenſus, licèt non econtrà. Et dicitur verus ad differentiam erroris, ſeu aſſenſus falſi, vel erronei quantumcunque ſit firmus, tamen nunquam eſt euidens. Dicitur ſine formidine, & hoc ad differentiam opinionis, ſuſpicionis, vel coniecturæ, quæ non ſunt ſine formidine de facto vel poſsibili. Dicitur cauſatus naturaliter, id eſt ex cauſis neceſsitantibus intellectum ad ſic aſſentiendum ad differentiam fidei, qui licèt ſit aſſenſus ſine formidine, tamen non cauſatus naturaliter, ſed liberè. Dicitur quo non eſt poſsibile, &c. Ad differentiam aſſenſus cauſati per ſyllogiſmum falſigraphum, qui licèt poſsit habere conditiones prædictas, tamen habens illum aſſenſum ſic aſſentiendo decipitur, non per aſſenſum concluſum, ſed per medium concluſiuum. Ponitur & ad differentiam euidentiæ ſecundũ quid, ſiue cõditionatè. Vnde euidentia ſecundum quid, vt idẽ Cardinal. ſcribit vbi ſupr. Eſt aſſenſus verus ſine formidine cauſatus naturaliter, quo nõ eſt poſsibile ſtãte Dei influẽtia generali, & nullo facto miraculo intellectũ aſſentire: & in ſic aſſentiẽdo decipi vel errare. Et declaratur vt ſupra.

ſupra.per ſingulas partes prçter illá, ſtante Dei, &c. quę ponitur ad differentiá primę euidétię. Et dãtur iſtę deſcriptiones de euidétia creata. Hęc Aliaco, qui & in ſequétib⁹ oſtédit, quádo viator de veritatibus poſsit habere euidentiam. Vide eum.

Æuum ſecundũ Rich.de Med.vil.ſuper. ij.di.ij.ar.j. diffinitur ſic: Æuũ eſt menſura eſſe creati vniformiter ſe habétis ad rationem relatá, qua mediante eſſe cuius eſt paſsio, poteſt intellectus menſurare omné exiſtentiá creatá vniformiter ſe habenté. Hæc ille. Et ſecundũ Lyrá ſuper Eccleſ.1. Æuũ eſt quaſi mediũ inter æternitaté & tépus, propter quod aliquádo in ſcriptura ponitur pro ęternitate, eò quòd mediũ participat naturá vtriuſq; extremorũ. Vnde Eccleſ.1. ſcribitur: Intellectus prudẽtiæ eſt ab æuo: exponédo de ſapiétia genita de verbo vel filio Dei: in quo ſupereminéter eſt notitia principiorũ, qui dicitur intellectus prudẽtiæ, eſt ab æuo, id eſt ab æterno, &cæ. Aeternitas quippe caret principio & fine. Tempus aũt habet principiũ & finé, ſicut & motus cęli. Sed æuũ tenet mediũ, quia habet principiũ, ſed ſine fine eſt. Proinde Dionyſ. de diuin.nom.cap.5. dicit, quod æuum dicitur quieta & tota ſimul vita: vide in dictione *Æternum* ſupra.

Exactio ab exigo verbo, quod ſignificat debitũ peto. Vnde exigere pecuniá quę nobis debetur. Exactores dicũtur qui pecuniá exigũt, ſignificat & exigere, extorquere, inueſtigare, agere, cõſtituere. Greg. in Moral. Exigimus quod debetur noſtro corpori, ſed non impendimus quod ſubiectorũ debetur cordi. Vide & in dictione *Præſtatio*.

Exaltare ſignificat in altũ eleuare, & per tranſlationé ſignificat magnificè laudare: à quo exaltatio. Vnde exaltatio circa Chriſtũ dupliciter habet intelligi, vt ſcribit S. Bona.di.xviij.circa tex.li.iij. Aut ſecundũ ré, aut ſecundũ noſtrá cognitioné. Exaltatio Chriſti ſecundũ ré, eſt ſublimatio Chriſti de ſtatu prçſentis vitæ ad dexterá patris: & hoc quidé fuit in aſcéſione. Et hæc quidé exaltatio cõuenit ei ſecundũ humaná naturá, quę fuit eleuata in cęlũ: & ſic exaltari ad dexterá patris, eſt ſublimari ad potiora bona patris. Alio modo eſt exaltatio ſecundũ noſtrá cognitioné: & ſic dicitur Chriſtus exaltari in cordib⁹ noſtris, quádo credimus eũ æqualé patri: & ſic exaltari ad dexterá patris, eſt exaltari ad æqualitaté patris. Et hoc modo exaltatio cõuenit Chriſto ſecundũ eá naturam, ſecundum quam habet æquari ipſi patri.

Excõmunicatio. De ea copioſe ſcribit Rich. Alexád. Aliaceñ. Gab.lec.xxvj.can. Cerſ. in multis locis, Paludeñ. & cæteri: & in iure plura de ea habetur, ideo & paucis abſoluetur hoc vocabulũ cũ quibuſdá cõſiderationibus. Dicitur auté excõmunicatio, quaſi extra communioné poſitio, excluſio vel ſeparatio: Et ſecundũ Alex.de Ales, par.iiij.q.lxxxj.mé.ij. & S.Bona. Triplex eſt cõmunio. Quædá eſt merè ſpiritualis & interior, quantũ ad charitaté & dilectioné, quæ eſſe debet omniũ viatorũ ad ſeinuicé, ſecundũ quá præceptũ eſt vnicuiq; diligere proximũ ſuũ ſicut ſeipſum, in cuius executione eſt totius legis diuinæ impletio, vt dicit Apoſt. Qui proximũ diligit, legé adimpleuit. ad Rom.13. Et ab illa cõmunione nullus viator excludédus eſt, ſiue fidelis, ſiue infidelis: ſicut nullus viator eſt nõ proximus: & ideo excõmunicatio de qua hic loquebatur (inquit Gab.d. xviij.q.ij.ar.j.li.iiij.) nullũ ab hac cõmunione ſeparat. Secúda cõmunio merè corporalis in actibus, ſcilicet legitimis, qui ponũtur quinq;, ſcilicet oſculũ, colloquiũ, conuiuiũ, oratio, ſalutatio: & oratio maximè in publico, cõmunio ſacramentorũ, & menſæ corporalis refectionis. Tertia eſt quaſi media inter vtraſq;, vt eſt cõmunio in ſacramentorũ participatione, id eſt ſuſceptione, & maximè Euchariſtię. Primá cõmunioné nõ excludit excõmunicatio: tertiá excludit excõmunicatio minor, quę comitat̃ quodlibet peccatũ mortale: ſecundá tollit excõmunicatio maior, quia iſta includit minoré. Nullus enim excluditur à cõmunione exteriorũ actuũ, quin ſimul excludatur à cõmunione ſacramentorũ, &c. Et excõmunicatio quádoq; diffinitur, vt accipitur pro excõmunicatione maiore tantũ, quę propriè dicitur excõmunicatio. Et verbũ excõmunicatio, in cõmuni locutione ſolũ accipitur pro maiore, quádoq; tamé generalius vt extédit ſe ad vtramq; maioré & minorem. Primo modo deſcribitur ſic excõmunicatio.

Excõmunicatio eſt céſura à canone vel Iudice eccleſiaſtico prolata, priuás à cõmunione hominũ & ſacramentorũ. Et dicitur céſura, id eſt pęna lata, id eſt inflicta à canone, vt dũ conſtitutio Eccleſię hác pœná infligit tráſgreſſori ipſo facto. Dicitur vel à Iudice, vt dũ non à iure ſcripto, ſed per ſententiá Iudicis cõmunione priuatur, dicitur Eccleſiaſtico, quia ſeparatio quę fit per Iudicé ſecularé, nõ dicitur excõmunicatio, vt hic accipit̃. Dicitur priuás, ſcilicet prohibédo eũ à cõmunione hominũ, vbi innuitur excõmunicatio maior. Additur & ſacramentorum, quia vtrobiq; excludit. Si diffinire placet excõmunicationé minoré dimittatur hominũ, & dicatur à cõmunione ſacramentorũ. Excommunicationé ſic diffinit Palu.d.xviij.q.j.ar.j.li.iiij. Excõmunicatio eſt ſeparatio licita, ſupple diuinorũ, & à quocunq; legitimo actu, ſcilicet politico. Sed per minoré excõmunicationé homo non ſeparatur à cõmunione fideliũ, ſed tantũ à perceptione ſacramentorũ. Per maioré aũt ab vtroq;. Alij aliter diffiniũt & redit in idé. Excommunicatio eſt ſeparatio à communione Eccleſię, quo ad fructum & ſuffragia generalia. Per fructũ intelligitur conſortiũ téporale & cõmunio fideliũ per generalia ſuffragia perceptio ſacramétorũ: ponit & has diffinitiones S.Tho. poſt Hoſtieñ. par.v.de ſent.excõmunicationis, & vtraq; datur de excõmunicatione maiore. Et vt includit maiorem & minoré. Excommunicatio eſt ſeparatio hominis à cõmunione legitima ſacramentorũ. Legitima cõmunio ſacramentorũ eſt qua quis participat ſacraméntis ſine nouo peccato mortali: illá communioné priuat quælibet excõmunicatio tá maior q̃ minor. Minor auté tantũ ab illa, & non à cõmunibus Eccleſię ſuffragiis, neq; à legitimis actib⁹ humanis ſiue in Eccleſia ſiue extra, ſiue in publicis ſiue priuatis: dũtaxat à legitima ſiue digna perceptione ſacramentorũ, vt in ca. Si celebrat. de cle. excommu. Quo patet quod omnis peccás mortaliter incidit excõmunicationem minorem, nullus enim talis manens in peccato mortali poteſt dignè ſuſcipere ſacramentũ. Quinimò ſic ſuſcipiés peccat nouo peccato mortali faciédo irreuerentiá ſacraméto. Ité hæreticus eſt de iure excõmunicatus, & eius fautores & defenſores.

De quo

De quo videatur Gab. Nec pro leuibus criminibus & mortalibus eſt infligēda excõmunicatio, ſed pro grauibus criminibus & mortalibus, nec tamen pro quolibet mortali, ſed pro eo quod aliter corrigi nõ poteſt, puta cui annexa eſt cõtumacia. Solus autem cõtumax refugit correctionẽ. Hic enim eſt qui Eccleſiã cõtemnit audire. Vide latiùs Gabr. d. xviij. q. ij. ar. j. li. iiij. Nec pro damno temporali, aut iniuria tẽporali excõmunicatur, ſed pro mortali peccato, in quo pertinaciter & cõtumaciter perſeuerat. Traditur autẽ quis ſatanę per excõmunicationem, vt vexatus corpore redeat ad pœnitentiã, ceſſando à blaſphemia & peccatis, & ſecundũ ſpiritũ ſaluus fiat, & traditur ſatanę per excõmunicationem, nõ ad lęſionem animæ, ſed ad affligendũ corpus. Nã diabolus, vt dicit Bona. ſatan tortor eſt, nõ tantũ animarum, ſed & corporũ. Excõmunicare itaq; ſecundũ præſentis Eccleſię ſtatũ, eſt ſatanę tradere ad torquendũ corpus nõ animã: nõ iubẽdo, ſed exponẽdo & protectionem excõmunicato ſubtrahendo. Subtrahit enim ſuffragia & ſacramẽta, quibus munitur homo cõtra hoſtis inſidias. Vide latiùs Gabr. vbi ſupra. Et excõmunicatio ſecundũ ſe, nõ eſt nociua excõmunicato, licèt ſit grauiſſima pœna quã Eccleſia poteſt inferre, vt dicitur xxiiij. q. iij. Corripiãtur, vt illa excõmunicatione, & per hanc ſaluberrimã correctionem ſalus fiat, &c. qui alioquin nõ rediret, & non ceſſaret à peccatis. Sicut ſępius Paul' tradidit quoſdã ſatanæ, vt vexaret eos in corpore, ſed nõ in anima, vt ſpiritus ſaluus fieret in die Domini, id eſt iudicij vel mortis. Vnde & ſcribit Petrus de Palu. d. xviij. q. j. ar. ij. lib. iiij. Excõmunicatio debet eſſe in Eccleſia, quia illud debet eſſe in ouili, quod eſt neceſſariũ ad bonũ gregis, licèt videatur nociuũ vni oui: ſicut q. ouis morbida curetur ſi poteſt, ſi non, expellatur, ne totus grex inficiatur. Et ſic, vt ouile Chriſti ſit ſanũ & nõ morbidũ, quãdo vna ouis mortali morbo laborat, monitionibus medetur. Si autẽ per contumaciã appareat inſanabilis plaga eius, tũc ab ouili eiicienda eſt, ne cõtagione peſtifera plurimos perdat. Vnde Apoſt. Tradidi eũ ſatanę in interitũ carnis, vt ſpiritus ſaluus fiat, ſcilicet eius & aliorũ. Hæc Palud. Nec Eccleſia damnificar (vt inquit S. Bona.) ſed ille qui peccat & cõtumax eſt, ſeipſum dãnificat. Sed Eccleſia oſtẽdit eũ damnificatũ, vt ſic ſaltẽ malũ ſuũ erubeſcat & deſerat: de quo latiùs vide Gab. vbi ſup. Quis aũt poſſit excõmunicare, videatur de hoc Palu. d. xviij. q. ij. li. iiij. Requirit autẽ excõmunicatio iuriſdictionẽ, & ideo non ſubditus excõmunicari nõ poteſt ab eo cuius nõ eſt ſubditus ppter defectũ iuriſdictionis. Excõmunicare enim eſt vſus & actus iuriſdictiõis, vt inquit Palu. Itẽ cõmunitas, vt talis excõmunicari nõ poteſt, licèt ſinguli de cõmunitate excõmunicari poſſunt. Latiùs ſcribit Gab. vbi ſup. cõclu. v. Mortuus quoq; poteſt excõmunicari, nõ quidẽ quantũ ad ſacramẽta, quoniã ab illis per tranſitũ ab Eccleſia militante (cuius ſunt ſacramẽta) iam ſeparatus eſt, ſed quantũ ad id, in quo cõmunicat eũ Eccleſia, hoc eſt quantũ ad ſuffragia generalia Eccleſiæ, & quantũ ad Eccleſiaſticã ſepulturã. Et hoc patet de hæretico cuius hæreſis primũ poſt mortẽ ſuam eſt deprehẽſa, puta in ſcriptis ſuis, hic derelictis, vt in ca. Sane xxiij. q. ij. nec obſtat quod in ca. donatione. e. q. dicitur viuẽtes (nõ mortuos) ſoluere poſſumus vel ligare, quando ſtatim ſubiungitur exceptio criminis hæreſis, &c. Videatur ad hoc Rich. d. xviij. ar. v. q. iiij. li. iiij. qui dicit quod excõmunicari poſſunt poſt mortẽ hęretici & ſchiſmatici, & qui hæreticũ conſtituũt hęredem, nec quiſquã pro crimine alterius poteſt excõmunicari: puta vxor pro crimine mariti, nec filius pro crimine patris, nec ſubditi pro crimine ſui domini, neque ecõuerſo probat Gab. Nec ſubditus ait Palud. extra territoriũ ſuperioris poteſt excõmunicari, vt ſi alias furatur. Sed bene participãdo cũ excõmunicato in crimine vel actibus ꝓhibitis (dicit Gab.) põteſt excõmunicari: ſic enim participando peccat, & pro ſuo peccato excõmunicatur. Et excõmunicationis cẽſura nõ ſolũ incurrit per ſententiã Iudicis, ſed quãdoq; ipſo facto ex diſpoſitione ſcripti iuris: probat Gab. cõclu. iiij. vbi ſup. Et quæ perſonæ debeãt excõmunicari: videatur copioſe apud Palu. q. iij. d. xviij. li. iiij. Et vt excõmunicatio iuſtè feratur in certã perſonã ab homine debet monitio præuia, cauſa iuſta, forma debita in ſcriptis prõnũciata cõcurrere. Concordat Palu. & rẽ latiùs declarat Gab. Sententia quoq; excõmunicationis lata ab homine quãuis iniuſta, dũ nõ fuerit nulla timẽda eſt, & nullatenus contẽnenda: de quo videatur Ioã. Gerſ. par. j. de modo habẽdi ſe tẽpore ſchiſmatis, & part. ij. de materia excõmunicationũ & irregularitatũ. Iniuſta eſt autẽ (inquit Gab.) ſentẽtia, quãdo aliquid deficit quod iuxta canonicas ſanctiones ad iuſtã excõmunicationem requiritur. Requiruntur autẽ multa, ſcilicet quod excõmunicator habeat iuriſdictionem in excõmunicandum non ligatam vel impeditam, & habeat animum corrigendi amore iuſtitiæ, non lędendi ex odio, auaritia, pretio, vel fauorẽ aduerſariorum vel ſimilibus. Hinc Gerſon parte j. vbi ſupra. dicit, quod poteſtas data eſt miniſtris Eccleſiæ, non ad deſtructionem, ſed ad ædificationem; ſecundum Apoſtolum, quemadmodũ medicina datur prout conferri poſſit ſanitati, & ſanitas rationi. Sic finis excommunicationis eſt ſubditorum emendatio. Gerſon. Et ex parte communicati requiritur temeritas & cõtumacia in malo culpæ, vt peccatum mortale. Requiritur & trina monitio, & quod feratur in ſcriptis, & nõ poſt appellationem legitimẽ interpoſitam, & quando aliquid horum deficit, ſententia eſt iniuſta. Diffuſius declarat hoc Gabr. concluſione viij. q. ij. diſt. xviij. lib. iiij. Sententia autem dicitur nulla, quando aliqua iuris conſtitutione eſt irrita. Vnde patet quod omnis ſentẽtia excõmunicationis nulla eſt iniuſta, ſed non ecõuerſo. Vnde ſi prolata eſt pro iuſta cauſa, ſed animo diſtorto, ſententia talis iniuſta eſſet, & tamẽ nõ eſſet nulla, & ſecundũ veritatẽ nullã ſententiã iuris incurrit, qui ſententiã quę nulla eſt, nõ cuſtodit. Iniuſta autẽ excõmunicatio ex cauſa vel ex parte excommunicati, & tamen nonnulla non ligat apud Deum, ligat tamen apud Eccleſiam. Vnde Auguſtin. ſuper Pſalm. 102. Qui iuſtus eſt, & iniuſtè maledicitur, præmium illi redditur: de quo latiùs Gabr. vbi ſupra.

Excõmunicationis effectus (vt habet Gabr. d. xviij. q. ij. ar. iij. dub. j. li. iiij.) in genere. Primus & maximus eſt ſeparatio à diuinis, ſiue ſeparatio à ſpiritualibus. Secũdus eſt ſeparatio à cõmunione ſiue à cõſortio fideliũ in humanis, ſiue actibus legitimis, & ad quem-

ad quēlibet horū reducuntur multi effectus: de quo vide latiùs Petrū de Palud. Et Gabr. vbi ſupra. qui multa de hoc ſcribit. Ex quo ſequitur, quod cū magis maturitate & nō leuiter fulminãda eſt excōmunicationis ſentētia, propter grauiſsima animarū pericula, tam excōmunicandorum quā cęterorū, inter quos viuunt & cōuerſantur eis participantium, de quo benè loquitur Scotus di. xix. lib. iiij. oſtendens quod Apoſtoli rarò & niſi pro grauiſsimis peccatis publicis vſi ſunt gladio excōmunicationis: & in omnibus Epiſtolis Pauli nō inuenitur quod excōmunicauerit niſi ter, vt ibidē declarat Scot. copioſiùs.

De participatione cū excōmunicatis. Eſt autē multiplex participatio cū excōmunicatis, vt ſcribit Gab. q. iij. d. xviij. li. iiij. Quædā in diuinis ſacramētis, ſcilicet & officiis: quædā in actib⁹ legitimis humanis. Quædā in crimine: quædā in actibus cæteris: quædam fit ex cōtemptu clauiū, vt quando non credit participãs poteſtatē excōmunicandi cōceſſam hominibus, aut ſi credit, nō aduertit, ſeu curat. Quædā fit ex timore, aut ex amore & fauore excōmunicati & aliorū, tamen cum remorſu cōſcientiæ: quædā fit ex animi leuitate aut incōſideratione: quædā ex ignorãtia: quædā ex certa ſcientia: quędā propter lucrū ſpirituale, ad reducendū excōmunicatum: quædam propter lucrū tēporale ſperatū, & aliis modis. Sunt autem certæ perſonæ, & certi caſus excepti in quibus ſine peccato poteſt cōmunicari cum excommunicatis maiore excōmunicatione, vt eſt vtilitas ſpiritualis, & corporalis, ei conſulendo, & petendo conſiliū ab eo debitum & repetendo, vel etiā conueniendo eum coram Iudice. Item lex matrimonij etiā excuſat. Item filijfamiliās, ſerui & ancillæ, ruſtici ſeruientis, & generaliter qui ante excōmunicationem fuerūt excōmunicato aſtricti per excōmunicationē, à debito nō abſoluūtur. Ignorantia enim excuſat, vt ſi ignorat aliquem eſſe excōmunicatum. Itē quantūcunq; quis fuerit excōmunicatus, ſi non fuerit denūciatus, nō eſt vitandus ſecundū decretū cōſilij Conſtan. excepto eo qui manus violētas iniecit in clericū clericali priuilegio non nudatū. Item neceſsitas excuſat, vt ſi excōmunicatus fame laboraret, aut alia neceſsitate extrema ſubueniendū eſt ei, & ſic excōmunicato poteſt dare eleēmoſynam. Hæc omnia & ſingula copioſe declarat Dominus Præpoſitus. Gab. vbi ſupra. qui & recitat duas opiniones, quas vide apud eum. Caſus autē in quibus cōmunicantes huiuſmodi peccant mortaliter, colliguntur ſex, vt & habet Gab. Primus quãdo cōmunicat cum excommunicato excōmunicatione maiori in peccato mortali. Secundus quando excōmunicatus eſt excōmunicatus cum participantibus. Tertius dū cōmunicat in diuinis. Quartus dum cōmunicatur contra præceptū ſuperioris. Quintus dum cōmunicat pertinaciter in contemptū clauiū vel Iudicis. Sextus dum fit nimis frequenter. Et addit ſanctus Bona. Septimus dū veriſimiliter credit, quod per ſuam cōmunionem ſententia Iudicis venit in contemptū. Caſus autē quibus quis incidit excommunicationem maiorē. Vide multos apud Rich. di. xviij. ar. xj. q. v. lib. iiij. quos recitare longū eſſet. Ponit & hos Palu. diſt. ea. q. iij. & fortè melius quàm Rich. Et iſti caſus habētur de immunitate. e. ti. Clericis. Omnis autē voluntariè cōmunicans excōmunicato excōmunicatione maiore, & denuntiato in caſibus non exceptis, excōmunicatus eſt ipſo iure, ſiue in diuinis ei cōmunicet ſiue in humanis. Item participās excōmunicato excommunicatione maiore cum ſuis participibus poſt canonicā monitionem incidit Iudicis decreto maiorem excōmunicationem. Item cōmunicans cum excōmunicato maiore excōmunicatione ſcienter in crimine, pro quo talis excōmunicatur eadem maiore excōmunicatione mulctatur. Sed cōmunicans excōmunicato maiore excōmunicatione extra caſus prædictos, ſiue in diuinis ſiue in humanis in caſibus non cōceſſis, incidit ſententiam excōmunicationis minoris. Item cōmunicans excōmunicato excōmunicatione maiore in crimine mortali aut in diuinis, aut etiā in humanis poſt trinā monitionem, vel in contemptum clauiū, aut præcepti Iudicis, peccat mortaliter in caſibus nō exceptis. Vide declarationē omnium illorum diffuſe apud Gabr. ar. ij. vbi ſupra in multis concluſionibus. Effectus autem principalis minoris excōmunicationis eſt ſeparatio à perceptione ſacramentorum: nec poteſt elegi ad aliquam dignitatem Eccleſiaſticā, niſi ignoretur eius excommunicatio ignorantia probabili non craſſa aut ſupina, poteſt tamen eligere & omnia quæ ſont ſuæ iuriſdictionis (ſi quam habet) exercere. Latiùs videro apud Gab. di. xviij. q. iij. ar. iij. dub. j. lib. iiij. Habet & excōmunicatio tria nomina, vt ſcribit frater Oſwaldus in iiij. Roſar. Theolog. ſcilicet excommunicatio, anathema, & ſeparatio. Excommunicatio triplex eſt. Maior quæ ſeparat à communione fidelium & perceptione ſacramentorum. Anathema eſt æternæ mortis damnatio. Secunda excommunicatio dicitur minor, & ſeparat à perceptione ſacramentorum, & non à communionē fidelium. Tertia dicitur excommunicatio minor ab homine, quę non cōtrahitur à iure, ſed infligitur ab homine tantùm, & ſeparat à cōmunione fidelium aliquorum, & non ſacramentorum. v. q. ij. præſenti. Paludenſis ponens plures caſus, quibus quis incidit excommunicationem, vt & tactū eſt ſupra. Inter cętera dicit, quod clerici ſi plenæ ætatis, non odio vel inuidia vel indignatione, ſed leuitate iocoſa ſe adinuicem percutiunt, non incidunt, ſed videant ne modum excedant. Et ſecūdum eundem, leuis iniectio manuū in clericū pertinet ad Epiſcopū. Non leuis (& vt dicūt) enormis læſio ad Papā ſpectat. Et excōmunicatio licèt infligatur, vt medicina ad corrigendū cōtumacem: infligitur tamen etiā in terrorē aliorū. Debet autē vitari excōmunicatus, vt caueatur minor excōmunicatio: & primò in crimine: ſecundò in diuinis, vt ſi intrat Eccleſiā tempore diuinorū, debet eiici, ſi noluerit exire: debēt clerici ceſſare donec exierit: prædicationi tamē intereſſe poteſt. Et ſimiliter celebrās, ſi nondū incœperit canonē, quo incœpto procedere debet vſq; ad ſumptionē incluſiuè, & poſteà ceſſare, ac cōmunionem & complendas in armario aut loco ſecreto cōplere. Ita habet Gab. dub. ij. vbi ſup. Et ſi multa plura reperiātur & legātur apud Iuriſperitos, etiā Theologos de excōmunicatione: pauca tamē ex multis ſcribere propoſui, vt iuuarē rudiores. Ad altiorē lectionē remitto te ad alios. Et Gabr. multa de excōmunicatione locis ſupra tactis ſcribit, &c.

Excuſare

Excuſare eſt obiectum crimen purgare & repellere. Vnde Cicero de Amicitia: Nulla eſt excuſatio peccati, ſi amici cauſa peccaueris. Aliquid autem excuſare à peccato poteſt eſſe dupliciter, vt ſcribit Gabriël diſtinct.xxij.quæſt.ij.li.ij. Vel in toto, vel in tanto. In toto excuſat quo exiſtente actus aliquis ſimpliciter ad peccatum non imputatur. In tanto, quando propter tale non tollitur ſimpliciter ratio peccati, ſed tamen propter ipſum actus peccati non imputatur ad tantam pœnam, quantam imputaretur illo excuſante non exiſtẽte. Vbi aduertendum, vt idem dicit Gabriël, quod cum omne peccatum actuale ſit voluntarium, & ſolus actus voluntatis eſt intrinſecè bonus vel vitioſus, cæteri actus tantum per conformitatem ad actum elicitum voluntatis ſunt virtuoſi vel vitioſi: & hoc denominatione extrinſeca. Ideo quicquid minuit rationem voluntarij, ſecundum S.Bonauen.q.vj.di.xxij.lib.ij. reſpectu alicuius actus, minuit rationem & virtutis & peccati. Et ſi ignorantia ſimpliciter tollit voluntarium, ſimpliciter excuſat à toto. Si autẽ non omnino priuat, ſed aliquãtulum minuit voluntarium, non excuſat à toto, ſed à tanto: hoc eſt non tollit rationem peccati, ſed rationem alicuius gradus grauitatis, quæ peccato ineſſet ſi ignorantia non accidiſſet. Et ex hoc concludit ſanctus Bonauen. quod omnis ignorantia aliquo modo excuſat peccatum, pro quanto aliquo modo minuit rationem voluntarij, pro eo quod priuat cognitionem, licèt ex alia parte quædam ignorãtia magis aggrauat peccatum quàm excuſat, vt ignorãtia affectata: quia ideo aggrauat: quia & ipſa eſt volita, & ita auget rationem voluntarij ex vna parte: tamen ſtante illa complacentia ignorãtiæ qua quis vult ignorare de actu ſuo an ſit eliciendus, vel non, vt ſic minus retrahatur ab eliciendo, vel continuando actum iam elicitum: ſi dictaret ratio actum nõ eſſe eliciendum, & nihilominus elicit, maior eſt cõtemptus, & illum gradum tolleret ignorantia, etiam affectata, vide latiùs Gabriëlem vbi ſupra.

Executor, vide in dictione *Procurator.*

Exemplar ſecundum proprietatẽ vocabuli. vt ſcribit ſanctus Bonauentura diſtinct.xxxj.quæſt.j. libro j. dicit expreſsionem per modum actiui. Vnde exemplar dicitur ad cuius imitationem fit aliquid, ſicut econtrariò imago paſsiui, & dicitur imago quod alterum exprimit, & imitatur: ſicut filius Imperatoris dicitur imago patris, & imago Imperatoris eſt in numo. Latiùs ſanctus Bonaueutura vbi ſupra. Et vt notat Brulefer diſtinct.vj.q.vlt.libr.j. Exemplar vno modo idẽ eſt quod imago. Alio modo dicitur illud quod eſt in aliquo producente perfectè repræſentans aliquid, & ſic propriè accipitur. Imago verò propriè eſt in aliquo producto expreſſe repræſentãte aliquid. Nam quandocunq; aliquod productũ expreſſe repræſentat aliquid, dicitur imago propriè: verbi gratia: Pictor volens depingere Cæſaris imaginem optimè, neceſſe habet conſiderare præſentem Cæſarem, ſecundum accidẽtia eius, ibi Cæſar eſt exemplar, quia id ad cuius imitationẽ fit aliquid, ſcilicet pictura. Pictura autem dicitur imago, quia eſt id quod exprimit alterũ, & imitatur, ſcilicet Cæſarẽ, quia nõ eſt perfectè Cæſar. Et exem-

plar eſt duplex (vt idẽ ſcribit Brule.d.xj.q.ij.li.iij.) ſcilicet interius, quod eſt aliqua ratio exiſtẽs in mẽte artificis, ſecundũ quã artifex producit opera ſua ad extra, ſicut domificator per exemplar domus quod eſt actus cognoſcendi, qui eſt ſimilitudo rei cognitæ. Exemplar exterius eſt quædam forma exterior, ſecundũ quã artifices mechanici regulãt ſuas operationes, & exemplar Græcè dicitur ἀρχέτυπος, & ſecundũ B.Tho.in quæſt.de veritate.q.viij.ar.viij. eſt id ad cuius imitationẽ fit aliquid ex intentione agentis. Exemplũ verò ſecundũ Ciceronẽ 2.Retho. eſt alicuius facti vel dicti præteriti cũ certi auctoris nomine propoſitio. Et exemplum eſt quod autẽ ſequamur aut vitamus. Exemplar autẽ eſt ex quo aliud ſimile facimus. Item exemplum eſt res quæ nobis imitanda proponitur: vtputa in Catone, qui ne turpiter ſeruiret, mortẽ ſibi cõſciuit. Itaq; exemplar eſt ipſe Cato, à quo ſumitur exemplum. Illud contentum, hoc continens eſt, &c.

Exiſtere, vide ſupra in verbo *Eſſe.*

Exiſtentia Dei in creaturis, vide ſupra in dictione *Eſſe.*

Exitus, vt deſcribit Stephanus Brulef.di.j. quæſt.j. libr.ij. eſt productio paſsiua alicuius rei in eſſe reali, ſecundum quam formaliter dicitur produci ab alia re. Et omnis exitus eſt productio, ſed non viceuerſa, quia productio actiua non eſt exitus, & ſola productio realis dicitur exitus. Item nulla res poteſt exire à ſeipſa, nulla enim ſeipſam pducit. Vnde neceſſario habetur diſtinctio perſonarũ in diuinis. Et eſt duplex exitus, ſcilicet creatus & increatus. Creatus qua vna res producitur ab alia. Increatus qua vna re increata ab alia producitur. Hoc modo Deus pater producit filium. Item duplex eſt exitus increatus, generatiuus & ſpiratiuus. Generatiuus eſt quo filius producitur à patre per generationem: exitus iſte prorſus eſt ineffabilis, vt ſcribit Gerſon parte ij.ſerm.in Cœna Domini. Exitus ſpiratiuus eſt quo ſpiritus ſanctus producitur per ſpirationem. Exitus creatus ex parte fundamenti ſolum eſt duplex, ſcilicet immediatus & mediatus. Immediatus eſt productio paſsiua, quà producitur creatura immediatè à Deo ſine quacunque cauſa media. Hoc modo Angeli creati ſunt, quia nullo modo, nec extrinſeco, vt ſole aut alio agente, nec intrinſeco, quia abſque materia. Exitus mediatus eſt, quando producitur res à Deo mediante cauſa ſecunda, vt Sole & homine homo. Angeli autem exiuerunt (vt ait Brulefer vbi ſupra) à Deo exitu immediato, quia ex nihilo. Deus enim ab initio creauit quatuor, ſcilicet ſpiritus Angelicos, cœlum empyreum, materiam primam, & tempus: & iſta exiuerunt immediatè à Deo. Item omnis anima intellectiua producitur à Deo exitu immediato, quia abſque cauſa media. Similiter virtutes Theologicales, fides, ſpes, charitas, & gratia, & omnis habitus ſupernaturalis exeunt à Deo exitu immediato, quia nulla cauſa media. Elementa verò & omnia alia corpora exiuerunt à Deo exitu mediato, quia mediante materia prima. Similiter omnia iſta corpora & generabilia exeunt à Deo mediate mediante, ſcilicet cauſa media efficiente extrinſeca & intrinſeca. Hæc Brulefer.

Exorciſmus & exorciſare Græca ſunt, vt dicit Hugo de Sacramentis, part. vj. cap. x. ἐξορκισμός, exorciſmus adiuratio dicitur: ἐξορκίζω, adiuro dicitur. Eſt autem adiuratio contra diabolum: vt habetur de conſe. di. 4. ca. Ante decem dies. Et exorciſtæ ſunt, qui ſupra catechumenos ſeu energuminos, id eſt eos qui habent ſpiritum immundum, inuocant nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, diuina virtute obiecta, adiurantes eum vt egrediatur ab illis, vt ſcribit Gabr. diſt. vj. q. iij. art. j. libr. j. Et cùm in baptiſmo homo propriè Deo conſecratur longè magis quàm res inanimatæ (quæ cultui diuino applicãtur & benedicũtur) etiã baptiſmo exorciſmus prӕmittitur, vt diaboli poteſtas fugiatur, ne baptiſmi perfectionem impediat: inſidiatur etiam ſaluti hominum, nec etiam baptizatis ceſſat inſidiari. Habet enim fiduciam vt Iordanis influat per os eius. Iob 40. id eſt inſidiatur, vt peruertat baptizatos. Exorciſatio eſt itaque tam paruulis quàm adultis ante baptiſmum adhibenda, cohibetur poteſtas dæmonis ne impediat Sacramentum tradi baptizandis: multis hoc probat Gabr. auctoritatibus concluſione. iij. vbi ſupra. Et ſecũdùm Paulum Corte. li. iiij. ſenten. ſuarũ d. j. in fine, dicit quod exorciſmus fontis dæmonis afflictor & exturbator dicitur. Non autem expellit poteſtatem dæmonis per aliquã virtutem ſibi, tanquã ſubiecto inexiſtẽtem, neq; naturalem nec ſupernaturalem, ſecundum Albertum, Richard. & Paluden. qu. iiij. iuxta finem & Gabr. dub. ij. d. vj. qu. iij. lib. iiij. dub. ij. ſed ex diuina virtute ſibi ex decreto miſericordiæ aſſiſtente: virtute enim diuina arctatur diabolus: vt dicit Richard. & Palud. ne de cætero (cæteris paribus) tantum poſſit contra exorciſatum, quantum poſſet ſi exorciſatus non eſſet, nec propter hoc exorciſmus eſt ſacramentum nouæ legis, quoniam non eſt ſignum efficax à Deo inſtitutum gratiæ ex opere operato cõferẽdæ. Non enim inſtitutus eſt immediatè à Deo, ſed ab Eccleſia, cui tamen Chriſtus aſſiſtentiã promiſit, nec præſtat gratiam, ſed tollit impedimẽtum gratię per baptiſmum conferendę. Expellitur itaq; dæmon non per rem corporalem vel ſenſibilem ab obſeſſo, ſed ſolũ virtute diuina immediatè, vel mediantibus Angelis ſanctis, quod fit quandoque ex merito alicuius deuoti orantis, aut Deo obſequẽtis pro ſalute obſeſſi. Videatur latiùs Gab. qui & aduerſam refert opinionem, & argumẽta eius diſſoluit.

Exorciſmus eſt triplex (vt notat Bruleſer d. vj. q. xij. lib. iiij.) Quidam eſt exorciſmus Salomonis, & eſt ille qui fit per aliqua verba ſacra, & per certos characteres, quibus fugantur dæmones. Alius eſt exorciſmus benedictionis, & eſt quando coniuratur aliqua creatura, vt ordinetur ad aliquem actũ benedicti: & iſto modo exorcizatur aqua benedictionis. Tertius eſt exorciſmus ſolemnitatis, & ſic diffinitur: Exorciſmus eſt cõiuratio diaboli ne noceat baptizando à ſuſceptione ſacramẽti, ne etiam habeat tantam poteſtatem ſuper exorcizatum, quantam haberet ſi non eſſet exorcizatus, & iſto modo exorcizantur pueri & adulti baptizandi per coniurationem diaboli, &c.

Exprobratio ab exprobrare, quod eſt improperare, quæ quis præſtitit aliis. Et exprobratio eſt ingeſtio impropetij in facie. Sed oblocutio eſt occulta detractio. B. Tho. ſuper Pſal. 43. Dicitur autem exprobro ab ex & probrum. Eſt autem probrũ ſcelus ac flagitium, & per Metaphoram pro ignominia accipitur, quæ ex ſcelere ſequi ſolet: vt darũ eſt ei probro, hoc eſt ignominiæ aſcriptum. Hinc probroſum dicimus ignominioſum: & opprobrare, ignominiæ obiicere, à quo opprobrium pro ipſa ignominia. Item exprobrare, ignominioſum aliquid obiicere, vel qualemcunq; culpam obiicere. Vnde exprobratio, ipſa probri obiectio. Terent. in And. *Nã iſtæc cõmemoratio quaſi exprobratio eſt immemoris beneficij.* Cicero de Amicitia: Odioſum ſanè genus hominum officia exprobrantium. Et Marc. 16. Exprobrauit incredulitatem eorum. à quo exprobrabile. Vnde vnum vitiũ poteſt eſſe exprobrabilius, hoc eſt execrabilius, deteſtabilius alio, dupliciter ſecundum Richard. libr. iij. diſt. xxxiij. artic. v. q. v. Aut in conſpectu Dei, aut in conſpectu hominum. Primo modo illud vitium eſt exprobrabilius quo magis homo deordinatur à fine vltimo: ſic exprobrabilior eſt in conſpectu Dei iracundia, quæ eſt ſuperabundantia iræ quã intemperantia, quæ eſt ſuperabundantia corporalis concupiſcentiæ reſpectu delectabilium ſecundum tactum & guſtum, & hoc tum ratione fortioris impetus, tum ratione nociuæ læſionis. Plus enim nocet ira quàm intemperantia. Vnde Gregor. 5. Moral. Per iram perditur ſapiẽtia, iuſtitia, & concordia: ſed non perditur ſic iuſtitia & concordia per intemperantiã, tum ratione effectus, quia efficit ira peiores effectus, ſcilicet homicidiũ, diſcordiam, & reipublicę ſtatus turbationem, atque approximat peioti vitio, ſcilicet odio & inuidiæ, quæ contrariantur optimæ virtuti, quę eſt charitas, ſed intemperãtia nullum appetit malum proximo. Eſt & illud vitium ſecundo exprobrabilius, quod magis impedit vſum rationis, & reddit hominem ſimiliorem brutis. Sed loquendo in conſpectu hominũ, dicit idem Richardus, quod exprobrabilior eſt coram hominibus intemperantia quàm iracundia, quia Philoſophus 7. Ethic. dicit: Turpior eſt incontinentia quę eſt circa cõcupiſcentias, quàm quę eſt circa iram, quia per intemperantiam magis impeditur rationis vſus, & efficitur homo ſimilior brutis. Vnde Philoſophus 3. Ethic. dicit: Intemperantia iuſtè exprobrabilis eſt, quoniam inexiſtit nobis, non ſecundũ quod homines ſumus, ſed ſecundum quod animalia, talibus vtique gaudere & maximè diligere, beſtiale eſt. Vnde Pſal. diſſuadendo dicit: Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus. Hæc Rich. & poſt eum frater Pelbar.

Extaſis (vt ſcribit Gerſ. par. iij. de myſtica Theol. ſpeculatiua par. vij. cõſid. xxxvj.) eſt raptus mentis cũ ceſſatione omniũ operationum in inferioribus potentiis. Et eſt duplex ſecundũ duplicem vim mentis. Vnam cognitiuam, & aliam affectiuam. Prima extaſis eſt raptus in ſpiritu. Secunda raptus extra ſpiritum. Eſtq; ſecundum eundem extaſis ſpecies quædam raptus, quæ fit appropriatius in ſuperiore portione animæ rationalis, quæ ſpiritus vel mens, vel intelligentia nominatur, dum mens ita in ſuo actu ſuſpenſa eſt, quod potentiæ inferiores ceſſant ab actibus ſuis, ſic quod nec ratio, nec imaginatio, nec ſenſus exteriores, imò quandoq; nec potentiæ naturales,

naturales, nutritiuæ, & augmentatiuæ, & motiuæ poſſint exire in ſuas operationes proprias. Raptus eſt minoris efficaciæ in ſuſpendendo, vel impediendo actum inferiorem. Inueniuntur tamen etiam in omni potentia ſuperiore reſpectu inferioris. Extaſis verò in ſola mente fit, ſed & actus inferiorum potentiarum, non ſolùm debilitat, ſed tollit funditus quádiu durauerit. Paulus itaque exempli cauſa in ſuo raptu duo exprimit, quæ concurrunt in extaſis deſcriptione. Exprimitur enim potentia quæ rapta eſt, ſcilicet tertium cœlum ipſius animæ, quod cœlum in potentia cognitiua eſt mens vel intelligentia, & in affectiua eſt apex mẽtis, vel eius ſcintilla. Exprimitur ſecundo ceſſatio omnium inferiorum ab actibus ſuis, alioquin quómodo Paulus neſciſſet an in corpore vel extra corpus fuiſſet. Gerſon, vide & in dictione raptus. Et extaſis ſecundum Iaco. de Valẽtia. tract. ij. prologi ſuper Pſalt. ar. ij. dicitur quidam ſtatus hominis cõtemplatiui exiſtẽtis alienati, quaſi extra ſeipſum, & extaſis includit mentis exceſſum, addendo alienatiõe ab omnibus ſenſibus, & etiam addendo affectum mentis, ſcilicet, quietem in bono contemplando, vel ſtuporem in aliquo terribili ſibi obiecto ex pauore. Et ideo dicit Diony. c. iiij. de diui. no. quod amor diuinus extaſim facit. Vnde tres gradus eleuationis intellectus ſupra naturam ſui, vt eſt exceſſus mentis, raptus & extaſis dicuntur tres cæli contemplationis. Nam exceſſus mentis ſimplex dicitur primum cœlum contemplationis. Extaſis verò ſecundum cœlum. Raptus autem dicitur tertium cœlum ad quod raptus fuit Paulus, & etiam Ioan. Euangeliſta, quando ſupra pectus Domini in cœna recubuit. Et forſan omnes Apoſtoli in die Pentecoſtes. Hæc Valentia. Vide & differẽtiam Raptus, Extaſis, & mentis exceſſus in dictione Raptus.

Extrema vnctio de qua videatur in verbo vnctio infra litera V.

Exultatio eſt expreſſio exterior prorumpens in ſignum interioris gaudij, quia interius gaudium ſui magnitudine ad exteriora prodit ſecũdum B. Tho. iiij. ſen. di. xlviij. q. iij. artic. j. Vnde exultatio in magnis gaudiis dicitur, & venit ab exulto frequentatiuo verbo ab exilio, quod eſt exeo, prodo & quaſi ſaltando prorumpo. Et exulto propriè ſignificat ſupra modum exilio atque efferor, & quaſi geſtibus quibuſdam, & ſaltibus affectum animi oſtẽdo, ſiue ira id fiat, ſiue ſæuitia ſeu voluptate aut alia quacunque affectione, &c.

De litera F.

F*Abula* eſt res ad vtilitatem ſiue delectationem hominum conficta, vt ſunt Poëtarum fabulæ. Et dicitur fabula à fando. Paulus Apoſtolus 2. Timoth. 4. Erit enim tempus cùm ſanam doctrinam nõ ſuſtinebunt: ſed ad ſua deſideria coaceruabunt ſibi magiſtros, prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Super quibus verbis Gerſon parte. j. ſermone de tribulationibus ex defectuoſo Eccleſiaſticorum regimine adhuc Eccleſiæ prouenturis, & de ſignis earundem, ſigno. viij. ſic dicit: Fabulæ & non ſanæ doctrinæ quidem ſunt, quæ in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, vel in ſublimitate ſermonum, aut ſecundum zelum & contentionem aut inanem gloriam, non in reuelatione ſpiritusſancti, ſed ſecundum traditionem hominum conſiſtunt. Vide & de fabulis Poëtarum, quomodo & Gerſon eas interpretetur parte. iij. de myſtica Theolo. ſpeculatiua. parte. iiij. conſide. xxiij. & aliàs, & apud Lactantium & Baptiſtam Mantuan. & alios, &c.

Facere eſt operari vel in opere eſſe. Et aliquid dicitur dupliciter facere ſecundum ſententiam S. Anſel. in caſu dia. c. j. & poſt eum ſcribit Gabr. di. xlij. qu. vnica. artic. j. libr. j. Vno modo poſitiuè. Et hoc dupliciter, ſcilicet vel de nouo efficiendo, vel factum conſeruando. Alio modo negatiuè non faciendo oppoſitum, ſeu ipſum non prohibendo, cùm tamẽ hoc poſſet. Et ſic dicitur Deus aliquam rem quæ erat facere, non eſſe, cùm ceſſat facere eam eſſe. Et ſimiliter quæ non ſunt poteſt dici facere non eſſe, quia cùm poſſit ea facere non producit ea vt ſint. Ita etiam ſcribit Dominus Cardinalis Came. q. xiij. ar. j. lib. j. Hoc modo loquitur & Aug. xij. li. de ci. Dei. c. xvij. Res quas Deus condidit & vt prius non eſſent egit quamdiu non fuerunt, & vt poſterius eſſent, quando eſſe cœperunt. Primo modo ſumitur propriè, ſecundo modo impropriè. Accipiendo facere primo modo, omnẽ entitatem poſſibilem Deus poteſt facere. Patet ex fide. Vnde Sapien. 7. vbi de ſapientia increata dicitur, quod eſt omnium artifex, & habẽs omnem virtutem. Et iterum cùm ſit vna, omnia poteſt. Et Sap. 11. Quomodo poſſet aliquid permanere niſi tu voluiſſes, & ſimilia multa. Accipiendo facere primo & ſecundo modis, omne poſſibile enunciabile Deus poteſt facere eſſe verum, hoc non niſi auctoritate probari poteſt. Ad hoc autẽ eſt expreſſa auctoritas Matth. 19. Apud Deum omnia poſſibilia ſunt. Secundo per illud. Luc. 1. Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum, id eſt omne enunciabile non implicans contradictionem. Tertio per illud. Gen. 18. Nunquid Deo eſt quicquam difficile? Ex illis ſequitur quod Deum eſſe omnipotentem eſt fide creditum, quodque ſe ſolo poteſt in omnem effectum poſitiuum ſine operatione cauſæ ſecundæ, quod ratione naturali probari non poteſt. Vide de hoc Sco. Petrum Aliacenſem. q. xiij. ar. j. & Grego. Arimi. di. xlij. lib. j. & Gabr. vbi ſuprà.

Facere aliquid melius quàm facit, diſtinguendum eſt, ſicut & Magiſter diſtinguit di. xliiij. li. j. & poſt eum ſcribit Gab. eadem di. q. vnica. Nam ly melius, poteſt referri vel ad faciẽdi modum, vel ad effectum factum. Si primo modo tunc (ſicut bene dicit Magiſter) ſi modus faciendi ad ſapientiam refertur artificis, nõ poteſt Deus aliquid melius facere ſiue meliori modo & ſapientia & artificio. Si autem ſecundo modo, concedit Magiſter quod Deus poteſt aliquid melius facere, id eſt aliquam rem meliorem. Per hoc patet an Deus poſſit facere mũdum meliorem. De quo conſulito latiùs Camera. q. iij. lib. j. & Gabr. vbi ſupra. Facere verò aliquid melius quo ad nos, bonum eſt conſilium, vt ſcribit Gerſon parte. iiij. in ſer. Septuageſimæ, de acedia. Facere ſemper melius, quod fieri poteſt habita ratione circunſtantiatum perſonæ, temporis, loci, medij, & finis. Et etiam modi ſecundum circunſtãtias, res quæ eſt melior de

lior de ſe erit interdum minus bona vel grande malum. Exemplum de illo qui tunc adiret eccleſiā cum ſeruire deberet Domino ſuo in ſua ægritudine, &c.

Facere & item alia verba producere, concurrere, & huiuſmodi ſignificantia actionem Dei, ſecūdum Camera.q.xiij.artic.iij.li.j. poſſunt capi dupliciter, & concordat Gabr. qu.vnica.ar.iij.di.xliiij.dub.iij. lib.j. Vno modo propriè prout dicunt actum diuinę voluntatis intrinſecū, & cum hoc habitudinē ipſius ad effectum extrinſecū. Et ſic dicitur ſecundū vnam opi. quod Deus nō producit infinite quicquid producit, ſed inæqualiter, & magis & minus quod maior & minor eſt effectus productus. Alio modo poſſunt capi impropriè, prout præciſe dicunt actum diuinæ voluntatis intrinſecum quo Deus vult aliquid eſſe vel fieri. Sic illa opinio eſſet vera quæ dicit, quod quicquid Deus producit, infinite producit. quia nihil eſt aliud dicere, Deus infinite producit à, id eſt infinite vult à eſſe vel fieri, & hoc eſt probabile, cum actus quo ſic vult ſit infinitus, quia eſt idem quod Deus. Probabiliter tamen poteſt dici ſecundū Aliacen. quod licèt Deus ſit potētia infinita, non tamen æqualiter nec infinitè producit omnia, nec eſt alicuius entis finiti infinite, ſed ſolùm finite productiua, & tantæ præciſe quantæ entitas producta eſt perfecta. Vide & Gabr. & Greg. vbi ſupra.

Facere aliquid de potentia abſoluta, & aliquid de potentia ordinata differunt. Vnde quædam Deus poteſt facere de potentia abſoluta, & quædam de potentia ordinata. De quo videatur Occam quotli. vj.q.j.& Gabr.di.xvij.q.j.ar.iij.dub.ij.li.j. & Dominus Cardina. Camera.qu.xiij.artic.j.libr.j. Vnde Deum facere aliquid de potentia abſoluta dicitur illud quod ſimpliciter & abſolutè poteſt. Sed Deum poſſe aliquid de potentia ordinata poteſt dupliciter intelligi. Vno modo ſtrictè, quod poteſt ſtante ſua ordinatione qua æternaliter voluit ſic vel ſic eſſe facturum, & ſic ſolùm poteſt illa quæ ipſe ordinauit ſe facturum. Alio modo poteſt intelligi magis largè, quod poteſt ſtante veritate legis ſeu ſcripturæ diuinæ, & ſic poſſibile ordinatè poteſt dici illud quod eſt poſſibile abſolutè, & non obuiat alicui veritati legis ordinatæ vel ſcripturæ ſacræ. Et vtroque iſtorum modorum dicitur quod impoſſibile eſt de potentia ordinata vltimum iudicium non fore. quia licèt ſit ſimpliciter & abſolutè poſſibile, tamen non ſtat cum æterna Dei ordinatione, & obuiat ſacræ ſcripturæ. Hæc & plura Aliacē. vbi ſupra. Prædictę diſtinctioni concordat illa diſtinctio Magiſtri in tex. & quorundam antiquorum, quod quædam Deus poteſt de potentia, quæ non poteſt de iuſtitia. Illud enim dicitur non poſſe de iuſtitia, quod obuiat ordinationi ſuæ voluntatis vel veritati ſuæ legis, quarum vtraque eſt regula iuſtitiæ. Sed illud dicitur poſſe de potentia abſoluta, quod abſolutè & ſimpliciter poteſt, quamuis oppoſitū ordinauerit & reuelauerit. Nec intelligendū eſt propterea quod in Deo ſunt duæ potentiæ. Vna abſoluta, alia ordinata, quia vnica eſt potentia ad extra quæ omni modo eſt ipſe Deus. Nec ſic eſt intelligenda diſtinctio, quod aliqua poteſt Deus ordinatè facere, & alia poteſt abſolutè & inordinatè, quia Deus nihil poteſt facere inordinatè, ſed ſic eſt intelligenda, quod poſſe aliquid aliquando accipitur ſecundum leges ordinatas & inſtitutas à Deo, & illa Deus dicitur poſſe facere de potentia ordinata. Aliter accipitur poſſe pro poſſe facere omne illud quod non includit contradictionem fieri, ſiue Deus ordinauit ſe hoc facturum ſiue non, quia Deus multa facere poteſt quæ non vult facere, ſecundum Magiſtrum li.j.ſen. di.xliij. Et illa dicitur poſſe facere de potentia abſoluta. Vide & de hoc infra in verbo. *Potentia*, & Gabr. & Cameracen.

Facere malum & malè facere differunt, vt & habet Gabr.di.xlvij.qu.vnica.lib.j. Vnde Philoſo.ij. Ethi. Nō eſt iuſtus qui iuſtū operatur, ſed qui operatur quomodo iuſti, id eſt iuſtè. Sic de facere iniuſtum vel malum. Et ſecundum eundem Gabr. ibidē differunt ſecundū ſtrictam logicā, malum facit, & facit malum ſecūdum appellationē. Nam prima valet, id eſt facit actum qui eſt malus. Secunda valet, facit actum malè. Verum illam differentiam Occam non attendit, quia ſecundum eundem eſt dicere, Deus vult malum, & malum vult Deus.

Et ſecundum intentionem ſanctorum, vt & dicit Gabr. vbi ſupra. Deus nō poteſt facere malum nec præcipere malū, quia nō poteſt facere malè nec præcipere malè. Ita ſi ex vſu loquendi idem valet, Deus malum facit, & Deus facit malū, & Deus facit malè, omnes ſunt negandæ, quia vſus tenendus eſt ne detur occaſio erroris ſimplicibus. Poteſt autē Deus in caſu tollere præceptum. Vnde ad Ozeā dixit: Accipe fornicariam, & hoc quantum ad illum, ſed manente præcepto non poteſt oppoſitum præcipere, quia hoc implicat, præcipere, & nō præcipere, &c. Et quāuis Deus ſit cauſa immediata omnium effectuum, vt diffuſe probat Gabr.di.j. q.ij.ar.ij.lib.ij. nō tamen propter hoc facit malū culpæ (vt idē vult ar.iij.dub.iiij.vbi ſup.) vel peccatū, quia facere peccatū eſt facere id ad cuius oppoſitū tenetur: Deus autē ad nihil tenetur ſeu obligatur. Nec ſequitur: Deus facit omnē effectū, & peccatū eſt effectus, ergo facit peccatū, quia facit, in cōcluſione dicit factionē ſecūdum quid, & in maiore factionē ſimpliciter, quicquid tamen poſitiuū eſt in peccato Deus poteſt efficere. De quo videatur idem Gabr.di.xxxvij.art.ij. cōcluſione j.& ij. Omnis autē entitas poſitiua eſt à Deo, vt ibi dicitur lib.ij.

Facere quod in ſe eſt. De quo videatur Alex. parte iij. q.lxix.ar.iij.& Gerſo.parte.j.trac.de erroribus circa artē magicā, & de articulis reprobatis, dict.iij.& Gab.lect.lix.canonis, & di.ix.q.ij.art.j.li.iiij.& di. xxij.q.ij.ar.iij.l.ij. Vnde facere quod in ſe eſt, eſt vti ratione, per quā poteſt cōprehendere Deū eſſe & inuocare adiutoriū Dei. Dicit enim Beda. Vnuſquiſq; poteſt intelligere Deū eſſe, & ſicut natura nō deficit in neceſſariis ad eſſe naturale, ita & Deus nunq̄ deeſt facièti q, in ſe eſt ad eſſe gratuitū & ſpirituale. Vnde Gabr. le.lix.canonis. poſt Alex. Iſte facit q, in ſe eſt qui illuminatus lumine rationis naturalis aut fidei vel vtroq; cognoſcit peccati turpitudinē, & proponēs ab ipſo reſurgere deſiderat diuinū adiutoriū quo poſſit à peccato mūdari, & Deo ſuo creatori adhęrere, hæc facièti Deus gratiā ſuā tribuit neceſſario neceſſitate nō coactionis, ſed immutabilitatis. Statuit enim Deus hæc facièti infundere gratiam per quam à crimini-

à criminibus emundatur. Inde dicit Apoſtolus ad Ephe.5. Surge qui dormis, & exurge à mortuis, id eſt operibus mortis faciendo quod in te eſt, illuminabit te Chriſtus. Vide & Gabr.di.ix.qu.ij.lib.iiij. Et vt idem ſcribit di.xxvij.q.vnica.ar.ij.concluſio.iiij.libr.ij. qui remouet obicem qui eſt conſenſus in peccatum, & eliciendo per liberum arbitrium motum in Deum, bonũ facit quod in ſe eſt, vltra enim ex ſe non poteſt ſuppoſita ſuper generali influentia Dei, ſine qua omnino nihil poteſt, nam ſecundum Alex.parte.iij.q.lxix.ar. penul.in quolibet homine eſt ratio recta per naturam qua quilibet poteſt cognoſcere ſuum principium, ſcilicet Deum, per hoc enim quod quilibet homo ſcit naturaliter ſe nõ ſemper fuiſſe, ſcit ſe factum eſſe & habere principium, & ſcit quod ab illo principio habet quicquid boni habet, à quo debet petere bonum & ſuorum defectuum ſuppletionem. In cuius ſignum nulla fuit hominum natio quæ voluit eſſe ſine Deo, à quo neceſſaria & ſubuentionem peteret, licèt multi errantes & decepti coluerunt idola pro Deo. Cùm ergo ſecundum illam motionem per liberum arbi. operatur homo recurrendo ad illum quem ſcit ſuum principium, & petit ab eo lumen cognitionis fidei & boni, facit quod in ſe eſt, & hoc generaliter in quolibet homine. In fideli autem peccatore qui habet fidem informem, nihilominus fides illa ad duo radiat, ſcilicet, ad diuinam iuſtitiam damnantem reprobos, & ad diuinam miſericordiam ſaluantem electos. Si ergo auertat ſuum arbitrium ab actu peccati, conſiderando diuinam iuſtitiam damnantem reprobos, & conuertat ipſum ad obediendum Deo, & diligẽdum Deũ conſideratione miſericordiæ qua ſaluat electos. Ex quo primo generatur timor, ex ſecundo ſpes, hoc faciendo facit quod in ſe eſt. Hæc Alex. in effectu, & poſt eum Gabr. vbi ſupra. Nullus autem eſt adeo obſtinatus vt dicit S.Bonauẽ.d.xlviij. q.j.li.j.quod non poſſit facere quod in ſe eſt, & qui non poſſit redire ad cor, & ideo tenetur ſicut & alij, licet non pro quolibet inſtanti, ſed pro loco & tempore. Si autem tu quæras, quid ſit locus & tempus (idem ait) melius docet vnctio quã ars, tamen quando Dominus viſitat eum interiori allocutione, vel exteriori prædicatione, vel aliquo tali in quo eſt opportunitas redeundi ad cor, ſi tunc negligat, incidit in contemptum & obmiſſionis peccatum. Bonauẽ. ar.ij.q.j.in fine. Contingit inſuper dupliciter facere quod in ſe eſt ſecundum probabilitatẽ iudicio propriæ conſcientiæ, vt vult Alex. &, ſcilicet bona, & illud non ſemper ſufficit ſecundũ veritatẽ, quia nonnunquam diſcordat iudicium conſcientiæ à iudicio veritatis diuinæ, nec facilè poteſt iudicare homo ſe ſufficienter contritum, & ita neſcit homo ſecũdum euidentiam an odio vel amore dignus ſit, etiam ſecundum præſentem iuſtitiam, & tunc accedens non conſequitur gratiam, ſaltem ex opere operato, nec peccat nouo peccato mortali accedendo ad ſacramentum euchariſtię. Vide latiùs de hoc Gabr.di.ix. q.ij.ar.j.lib.iiij. Infidelis autem vt idẽ ſcribit Gabr. di.xxvij.q.vnica.lib.ij.facit quod in ſe eſt, dum arbitrium ſuum conformat rationi, ac toto corde petit ac quærit illuminari ad cognoſcẽdum veritatem & iuſtitiam & bonum. Fidelis verò facit quod in ſe eſt, ſi ſecundum regulam fidei deteſtatur peccatum, proponens in omnibus obedire Deo & eius præcepta ſeruare, peccatum deteſtãdo remouet obicem, volendo Deo tanquam ſummo bono obedire propter Deum, habet bonum motum in Deũ. Vide latiùs Gab. vbi ſupra. Homini autem facienti quod in ſe eſt nunquam Deus deeſt, vbicunq; natura deficit in ſuis operationibus, ibi Deus ſupplet vicem eius, ſicut patet in corpore humano formato puero, quia non poteſt pertingere ad vltimam perfectionem hominis, ideo Deus non deficit, vt dicit Bruleſer di.iij.q.xij.lib.ij. Vnde Gerſon parte.ij.in regulis moral. ait: Nulli facienti quod in ſe eſt (hoc eſt benè vtenti donis Dei iam habitis) deeſt Deus in neceſſariis ad ſalutem, ſiue ſint illa credenda, ſiue operanda. Idem parte.iij.tracta. de directione cordis. conſide.xxvij. dat hanc regulam quod homo in oratione ſua conſiderat ſi faciat vel fecerit probabili cõiectura quod in ſe eſt, & quicquid ſpectat pro tunc ad ſe vel ad ſuum officium iuxta naturalem procedendi modum, non enim requiritur euidentia, & ſi ſic, tunc ferat audacter & ſine ſcrupulo Deum tentandi totam cordis ſui directionem in Deum, expectando ſuum diuinitus auxilium, quaſi dicat cum Ioſaphat rege. Cùm ignoramus quid agere debeamus, ſupple vltra ea quæ egimus aut fecimus, hoc ſolùm habemus reſidui vt oculos noſtros ad te dirigamus. Hæc Gerſon.

Facies Dei vt ſcribit Hieron. Epiſtola.j. dicitur cognitio veritatis, ſeu cognitio diuinitatis ad homines. De qua cognitione in Pſal.lxxix. ſcriptum eſt: Oſtende nobis Domine faciem tuam, hoc eſt dona nobis cognitionem tuam, quæ cognitio per filium omnibus hominibus innotuit, ipſo dicente in Euãgelio. Matth.11. Nemo nouit patrem niſi filius, & cui voluerit filius reuelare. Aliter verò facies Dei ſignificat inuiſibilem eſſentiam diuinitatis filij Dei, de qua ipſe Dominus ad Moyſen per ipſum angelum reſpondit, Poſteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris. Hæc Hierony. Capitur & facies vt ſcribit S.Bonauen. Super illud Magiſtri.in fine. Qui à facie exorſus ſedentis, &c. pro maieſtate diuinitatis, quam videbimus cũ glorioſi erimus.

Facies hominis eſt triplex, vt literis prodidit Gerſon tracta.x. ſuper Magnificat. in triclinio cordis ſecundum triplex habitaculum ſiue cœnaculum, facies mentis ſuperior eſt, facies rationis media, facies animæ, non illius brutalis, ſed obedientis rationi, quæ dicitur portio rationis inferior.

Facilitas à facilis. Sunt autem facilia quæ vel ſine labore, vel breui tempore fiunt, ſecundum Ariſt.li.j. Rheto. Erit itaque dictu vel factu facile, quod facile dici vel fieri poteſt. Cuius contrarium eſt difficile, quod non ſine labore fieri poteſt. Et quod dicitur, facilitas veniæ, præbet incentiuum delinquẽdi. Dicit Aug. quod promptitudo Dei ad remittẽdum peccatum argumentum eſt, quod peccata multum diſplicent Deo, qui præſtò eſt ea deſtruere, ſi enim amaret ea, non ita ſemper deſtrueret, ſed conſeruaret, atque ſua munera foueret. Semper deſtruit peccata quæ inuenit, ne ſoluatur quod creauit, ne corrumpatur quod amauit. Vbi notat Gabr.di.xiiij. q.iij.ar.ij.in ſolutione argu.lib.iiij. Quod nonnunquam

quam malis & ingratis mentibus bona ſunt occaſio mali, non per ſe, ſed per accidens ex malitia abutentium. Sicut econuerſo, bonis omnia cooperantur in bonum. Rom. 8. Per ſe autem facilitas veniæ eſt incentiuum amoris ſicut cætera Dei beneficia, inter quæ illud non eſt minimum, ſed grãde & magnum. Vnde per ſe incitat ad diligendum miſericordem Deum, qui per ſuam bonitatem non ſtatim cõdemnat peccatorem, ſed expectat & ſemper reuertẽtem recipit vt ſaluet. Nihil autem ita peccatum obnititur ſicut dilectio Dei. Hæc Gabr. vbi ſupra.

Facultas eſt poteſtas qua aliquid babetur ad nutũ, ſecundum S. Tho. parte. j. q. lxxxiij. ar. j. Et quoniã diuites facilè quæ volunt agunt, factum eſt vt facultates pro operibus capiamus. Et dicitur facultas à facilitate, vt dicit Gerſon. tract. xij. ſuper Magnificat. Vel dicitur à fas, vt idem dicit lect. iij. de vita ſpirituali animæ.

Fallere & decipere & huiuſmodi poſſunt dupliciter accipi, vt ſcribit Petrus Aliacenſis. q. xij. ar. iij. libr. j. Vno modo vt includunt in ſuis deſcriptionibus iſta ſincathegoremata, ſcilicet iniuſtè, indebitè, inordinatè. Alio modo vt nõ includũt ea, ſed tantummodo fallere vel decipere, eſt in aliquo cauſare aſſenſum falſum ſiue errorem, accipiendo primo modo iſtos terminos, clarũ eſt quod Deus nõ poteſt fallere vel decipere, ſicut non poteſt peccare vel iniuſtè aliquid facere. Sed ſecundo modo illud eſt dubium, nec eſt claræ ſacræ ſcripturæ contrarium. Poteſt nãque omnem deceptionem vel errorem Deus ſe ſolo cauſare in mente rationalis creaturæ, quia cuiuſlibet deceptionis vel erroris Deus eſt cauſa. Nam omniũ rerum & motuum Deus eſt cauſa. ſecundum Aug. iij. de tri. c. iij. Vide & latiùs ibi Dominum Cardin. Camera. Deus autem non poteſt de potentia ordinata rationali creaturæ falſum dicere, vel eã decipere, & hoc per ſeipſum immediatè & directè, licèt hoc non appareat mihi (inquit ipſe) clarum ex ſcripturis. Et dicitur, per ſeipſum immediatè, quia non eſt contra legem ordinatam, imò poſſibile eſt de potentia ordinata quod Deus decipiat aliquem tanquam cauſa mediata ſiue mediante creatura. Tum primo, quia de facto cuiuſlibet erroris & deceptionis Deus eſt cauſa, vt dictũ eſt. Tum ſecundo, quia ſecundum Aug. & ſanctos aliqui merentur decipi, & per conſequens iuſtum eſt eos decipere, ergo Deus hoc poteſt. Tum tertio, quia multa ſunt in antiquo teſtamẽto, de Iacob & Rebecca, qui ſpiritusſancti familiari conſilio excuſantur à mendacio, & tamen in illis deceperunt Iſaac, vt patet Gen. 27. ergo Deus per bonos decepit, & multa ſimilia exempla poſſunt induci. Tum quarto, quia etiam in nouo teſtamento angelus bonus auctoritate Dei apparens Magis in ſomnis, dicens eis vt per aliam viã reuertantur in regionem ſuam, & ſic deceperũt Herodem. Vnde ſequitur Matth. 2. Vidẽs quod illuſus eſſet à Magis, &c. Itẽ. 3. Regum. vlt. legitur Deum dixiſſe. Quis decipiet Achab? Et egreſſus ſpiritus ait: ego decipiam. Et ſequitur. Ingrediar, & ero ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum. Et dicit Dominus: Decipies & præualebis, egredere, & fac ita. Dicit etiam Petrus vbi ſupra, quod Deus per ſeipſum frequenter fallit, non directè, ſed indirectè & per accidens, dicendo aliquid vel faciendo, quod aliqui rationem non intelligẽtes crediderunt falſum. Sic patet in Euãgelio de illis quibus dixit Chriſtus Ioan. 2. Soluite templum hoc, & in triduo reędificabo illud, qui per hoc crediderunt falſum & fuerunt decepti, intelligentes de tempo lapideo, quod dixerat de templo corporis ſui. Poteſt inſuper Deus (vt idem ait) immediatè per ſeipſum & directè de potentia abſoluta rationali creaturæ falſum dicere, & eam decipere, nec includit hoc aliquam imperfectionem in Deo: imò videretur imperfectus ſi hoc non poſſet ſicut creatura hoc poteſt etiam ſine peccato, quia aliquis poteſt demereri vt decipiatur, & mirabile videretur quod Deus non poſſet talem punire & ipſum decipere per ſeipſum immediatè, cum manifeſtè dicat Aug. lxxxiij. q. v. quod Deus decipit per malos angelos, & per malos homines. Et ſimiliter Deus iuſſit filios Iſraël decipere Ægyptios, & multa ſimilia poſſunt induci. Vide latius Cardinalem vbi ſupra. Quandoque Deus imperat per deceptionem ad punitionem malorum. De hoc vide & in dictione Mentiri, & dicere falſum, in verbo Dicere, &c.

Falſitas ſecundum S. Bonauẽ. di. xxxvij. ar. ij. q. iij. libr. ij. nihil aliud eſt quàm defectus veritatis in re quæ nata eſt verificari, ſicut malicia dicit priuationẽ bonitatis & rectitudinis circa actionem quæ nata eſt rectificari, & ideo actio mala, inquantum actio eſt à Deo, inquantum verò mala & iniuſta à Deo non eſt: ſic enunciatio falſa inquãtum enunciatio à Deo eſt, inquantum verò falſa. non eſt à Deo. Plura ibi S. Bonauen. Et quamuis (vt idem ait) non poſſit concedi quod Deus faciat falſitatem orationis ſiue orationem falſam ſecundum quod eſt falſa, poteſt tamen concedi quod Deus faciat aliquid, quo facto aliqua oratio eſt falſa neceſſariò, ſicut cum iuſtificat impium, facit aliquod, quo facto hæc enunciatio eſt falſa, iſte eſt impius, enunciatio igitur ſecundum quod falſa, non eſt à Deo. Et ad eandem ſententiam loquitur Pelbartus, vt infrà videbitur. Falſitas quoque eſt qua putatur eſſe quod non eſt, ſecundum Aug. lib. vij. confeſſionum. Et falſitas conſiſtit in inęqualitate rei & intellectus, ſecundum S. Thom. in q. de veri. q. j. ar. x. Et falſum eſt ſignificatio rei non ita ſe habentis, ſecundum Aug. li. de doctr. Chriſtia. Item falſitas eſt falſa vocis vel alicuius ſigni ſignificatio, vel inadæquatio rei & intellectus. Sicut per oppoſitum, veritas eſt adęquatio rei ad intellectum. Differunt autem falſitas, mendacium & periurium ſecundum Guil. Scoti imitatorem di. xxxvij. lib. ij. & doctores alios, vt & refert frater Pelbartus li. ij. roſa. Theol. Et habent ſe ex additione adinuicem. Nam ſupra falſitatem mendacium addit intentionem fallendi quæ eſt à parte voluntatis, quia vt dicit Aug. Mendacium eſt falſa vocis prolatio cum intentione fallendi, ecce mala volũtas. Rurſus periurium ſuper vtraque addit hæc, quod aliquod aſſumat per modum teſtimonij. Vnde omne periurium eſt mendacium, non econuerſo, & omne mendacium eſt falſum, & non econuerſo, &c. An autẽ Deus poſſit facere vel cauſare falſitatem? Reſpõdet ad hoc Guil. Scotiſta, & frater Pelbartus, & ſecundum ſententiam Bonauen. vbi ſupra. Quod diuinæ bonitatis cauſalitas, licèt efficiat id quod eſt falſum, tamẽ falſitatem

F A

ſitatem non cauſat. Probatur, quia omnè quod eſt aliquod poſitiuum eſt à Deo. Ioan. 1. Omnia per ipſum facta ſunt, ſed illud quod eſt ſalſum eſt aliquid, puta vox, &c.

Falſitas ſecundum aliquos eſt quadruplex, vt recitat Gabr. di. xxxix. qu. ij. ar. j. lib. iij. Quædam in vocis aut ſermonis ſignificatione, puta quādo nō eſt adæquatio ſermonis ad rem, ita quod res non habet vt ſermo ſignificat. Secūda falſitas eſt ſermonis ad mētem proferentis, quando mens proferentis diſſentit ſermoni, hoc eſt, aſſerit voce pro vero, quod credit falſum. Tertia eſt falſitas in obligatione, vt cùm quis obligat ſe, ad cuius oppoſitum obligatur, vt ſi quis promittit ſe facturū aliquid illicitum, vel quod vergit in deteriorem exitum, ibi enim in ſermone promiſſionis apparet obligatio. Nō enim poteſt ſe quis obligare contra voluntatem ſuperioris. Quarta eſt falſitas indiſcretionis ſeu periculi, dū, ſcilicet loquitur ſeu promittit in quo eſt periculum falſitatis. Prima falſitas propriè dicitur, & eſt falſitas. Sequentes dicuntur falſitates extenſo nomine & minus propriè. Et quia mendacium dicit falſitatem, licèt propriè acceptum dicat duplicem falſitatem, primā, ſcilicet & ſecundam, tamen poteſt extendi ſiue propriè ſiue impropriè ad omnes quatuor modos falſitatis, vt mendacium communiter ſit falſa vocis ſignificatio ſecundum aliquem quatuor modorum, ſiue fiat cum intentione fallendi ſiue non, de quo vide ſuo loco.

Falſarius vt ſcribit Gabr. di. xv. q. ix. ar. j. lib. iiij. eſt qui falſitatem inducit ſeu committit directè vel indirectè ad proximi deceptionem iniuſtam. Dicitur enim falſarius à falſitate, quaſi falſitatem cauſans. Opponitur autem falſitas veritati, vt & ſupra meminimus. Sicut ergo veritas eſt adęquatio rei ad intellectum, vt dictum eſt, ita falſitas eſt inadęquatio rei ad intellectum, hoc eſt, quando aliter ſe res habet quàm apprehenditur ab intellectu, tunc eſt falſitas non quidem in re, quia res talis eſt qualis in ſe eſt, ſed in apprehenſione intellectus, qui aliter rem apprehēdit vel iudicat quàm eſt in ſeipſa, licèt res quandoque denominatione quadam extrinſeca dicitur falſa, vt falſum aurum quod eſt viliore metallo permixtum, falſum vinum quod eſt aqua permixtum, pro quanto talia aliter apprehenduntur quàm ſint, apprehenduntur enim vt pura, cū tamen ſint permixta. Et poteſt hęc falſitas contingere quadrupliciter, vt ibidem notat Gabr. in mente, in verbo in ſcripto, & in opere. In mente, dum mens apprehendendo rē errat, aliter apprehendendo quàm ſe habeat. In voce aut ſcripto, dum res aliter ſignificatur quàm ſe habet. In opere, dum aliquid ſimulatur quod tamen in operatione aut operato non inuenitur. In verbis autem tot dupliciter poteſt contingere falſitas, quotupliciter quis falſis relationibus, mendacibus, promiſſionibus, fallacibus verborum cautelis, loquendo vel tacendo decipitur. In ſcriptis etiam multipliciter, in operatione ſiue rebus ſimiliter variis modis, ſcilicet in ſubſtantia rei, in menſura, in pondere, in numero, in phariſeica ſimulatione. Id quod & latius declarat Gabr. nota. v. vbi ſupra. Expendens autem monetam falſam pro vera & iuſta, falſarius eſt, & tenetur reſtituere. Vide eundem ar. ij. conclu. iij. Item expendens monetā non currentem ſcienter aut aliàs minus valentem pro bona & currente, fraudat proximum, & tenetur reſtituere, & hoc eſt de mente Angeli & Anto. Vide Gabr. concluſio. iiij. Nec excuſatur expendens in caſu quod huiuſmodi moneta falſa vel minus valens data eſt ſibi pro bona, quia culpa alterius & error proprius non debet alteri nocere. Culpa enim ſuos debet tenere actores, & nō alios. Imputet ergo ſibi recipiens monetā falſam, confractā vel integrā, ſed minus valentē pro bona quod nō cautè proſpexit. Si verò ſcienter recipit malam vt expenderet pro bona, aggrauatur peccatum & reſtitutionis debitum, &c. Transferens verò monetam de certo loco vbi minoris valoris æſtimatur, ad locum vbi magis valet, non peccat ſi non aliàs fraudem committit: licet enim cuilibet ex induſtria ſine alterius damno lucrum quærere, dum tamen eam non radat aut diminuat. Ita ſentit Anto. & Gab. poſt eum concluſio. v. Omnis inſuper & quilibet proximum defraudans per falſitatem commiſſam ſiue in rerum ſubſtantia, qualitate, pondere vel menſura, ſiue in verbo aut in ſcripto præter pœnas canonicas & legales, quas incidit, & peccatum mortale quod committit, tenetur de omni damno inde ſecuto. Ita communiter tenet & ſentiunt doctores, & affirmat & probat Gabr. concluſio. vj. vbi ſupra. Vide & eundem concluſio. vij. de his qui per dolum & falſitatem aliquid acquirunt, quomodò teneantur reſtituere.

Fama ſecundum Richard. xxv. ar. vj. q. j. l. iiij. eſt illęſæ dignitatis ſtatus, vita & moribus comprobatus. Infamia verò eſt quantum ad vitam & mores læſæ dignitatis ſtatus. Vel ſecundum alios. Fama eſt inanis de aliqua re rumor ſine veri cognitione, ſiue bonus ſiue malus. Et hoc tantū differt à rumore, quod rumor ſemper de recenti dicitur, fama verò dicitur etiam de re inueterata, firmataque in hominum opinione, quamuis incerta. Et frequenter ponitur pro laude & celebritate. Virgilius:

Sum pius Aeneas fama ſuper æthera notus.

Fama vt aliqui volunt, Græcum vocabulum eſt. Illi enim φήμη dicunt, quod nos fama. Alij volunt dici à fando. Hinc famoſum & infamem dicimus in eādē ſignificatione. Cicero: Non Pol, inquit, audeo, ſiam me ad famoſos vetuit mater accedere. Plaut.

Qui etiam me miſerum famoſum fecit flagitiis ſuis.

quamuis quandoque in bonum accipiatur famoſus, vt aliàs dicitur. Vnde Hieronymus de Iudith. Hæc erit in omnibus famoſiſſima, quoniam timebat Deum valdè, nec erat qui diceret malum verbum. Accipitur & fama dupliciter, vt ſcriptis reliquit Gabr. di. xv. q. xvj. ar. j. lib. iiij. Quandoque communiter, & ſic non eſt aliud quàm opinio habita de cōditionibus aut moribus alicuius ſignis exterioribus expreſſa. Quod additur, quia ſola opinio mente clauſa non facit famam de aliquo, ſed expreſſio huius opinionis ſiue vocibus, ſiue ſcriptis, ſiue aliis ſignis, & ſic non diſtinguitur contra infamiam vel diffamiam, ſed tanquam ſuperius diuiditur in hęc membra, ſcilicet famam bonam, & famam malam, quæ dicitur diffamia vel infamia. Alio modo capitur ſtrictè vt diſtinguitur contra malam famam, & ſic eſt opinio bona honeſtate vitæ ac morū. Et inter bona hominis (vt ibidē dicit Dominus præpoſitus Gab.)

Fama

Fama non mediocre, ſed magnum bonum eſt, quoniam & ſi poſtponitur bonis ſpiritualibus animæ, gratiæ, ſcilicet & virtutibus, tamen præfertur omnibus bonis exterioribus, puta temporalibus diuitiis. Vnde Prouer.22. Melius eſt nomen bonum quàm diuitiæ multæ. Et Eccleſ.41. Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanet tibi quàm mille theſauri magni & precioſi, &c. & quandoque (vt idem Gabr. dicit:) fama proximi læditur ſine peccato & iuſtè, vt in correctione fraterna, dum peccatum occultum ſeruato ordine Euangelico denunciatur Eccleſiæ. De quo vide eundem in expoſitione canonis.lect.lxxiij. Et fama proximi ſecundum eundem læditur, dum per iudicia exteriora verborum vel ſignorum opinio mala de proximo generatur. Et quidem hoc quandoque fit ſine peccato propter emendationem fratris, ſeruatis ſeruandis. Alio modo læditur iniuſtè. Et hoc ſecundum Scot. di.xv.qu.iij.lib.iiij.contingit tripliciter. Primò falſum crimen proximo imponendo. Secundò, verum crimen, ſed tamen occultum in publico ordine iuris non ſeruato proponendo. Tertiò, verum crimen occultum impoſitum in publico negando, quia, in hoc negans, notat imponentem de calumnia. Et ſecundum has differentias læſionis famæ, vt iniuſtè fiunt oportet differenter famã reſtituere. Vnde lædens iniuſtè infamando proximum, tenetur reſtituere damnum illatum. Item detrahens proximo falſum ei imponendo, tenetur retractare id quod falſo impoſuit, ita publicè & coram illis, ſicut & coram quibus diffamauit, vt ſentit Scor. Et ſicut bona cõſcientia nobis neceſſaria eſt propter nos, ita bona fama propter proximos, ſecundum Augu. Propter hoc Gerſon ait: Nonnunquam facilius ſatisfit pro homicidio corporali & furto, quàm pro homicidio & furto ſpirituali, ſcilicet detractione, quia in illis quantitas damni æſtimari poteſt, in iſtis nequit, cùm non ſatis conſtare poſſit in quot cordibos hominum detrahens bonam opinionem & famã eius cui detraxit, occiderit. Vnde & difficulter ſatisfieri poteſt læſo, quomodo enim reſtituet cùm ignoret quantum debet. Hæc Gerſon. Vide latiùs de hoc Gabr.di.xv.qu.xvj.ar.ij.conclu.iiij. De neceſſitate itaque eſt, vt qui abſtulit iniuſtè famam alterius, tenetur eam pro poſſe reſtituere, quoniam peccatum non dimittitur, niſi quod ablatum eſt, reſtituatur, ſecundum Auguſt. ad Macedo. Videatur & Scotus & Dominus Præpoſitus Gabriël. latiùs vbi ſupra.

Famulus, ſeruus. Differunt autem famulus, ſeruus, mancipium, vernaculus. Si vocabulorum vim conſiderare voluerimus, vt & notat Guil Vorrilũg.di. xxxvj.li.iiij. & frater Pelbartus li.ij. roſarij Theol. Nam mancipium dicitur quaſi manu captum, qui bello capitur, & additur vt ſeruiat, ſicut faciunt Sarraceni vel Turci Chriſtianis. Sed dicitur ſeruus aut famulus qui pretio conducitur vt Domino famuletur. Vernaculus autem quaſi vernans, id eſt florens in domo, eſt qui in domo nutritur, non vt iam emptitius, quales Abraham habuiſſe legitur. Gen.14.

Fantaſia φαντασία Græcè, Latinè dicitur imaginatio, vt dicit Paulus Corteſius in proœmio.li.iij.ſuarum ſent. Accipitur autem dupliciter vt ſcribit ſanctus Bonauen.di.vij.parte ij.q.j.libr.ij. Aliquando pro vi ſenſitiua collatiua ſenſibilium receptorũ. Aliquãdo fantaſia dicitur apparitio, ſecundũ quod dicitur à phanos quod eſt apparitio. Primo modo eſt in ſolis corporibus. Secundo modo in ſpiritibus. Hæc autem fantaſia proteruia dicitur eſſe in dæmonibus, quoniam & ſi dæmones intelligentes ſint, & multa vera cognoſcant, tamen alios nolunt docere, ſed à veritate ſeducere. Et ideo quia non poſſunt niſi per apparentes ſimilitudines, hinc eſt quod ſtudium dæmonum maximè circa talia eſt inrentum. Sicut magnus clericus qui vellet alios peralogiſare, ſtuderet in ſophiſmatibus, & ideo fantaſtici dicuntur propter rationes fantaſticas & apparentes quas inueniunt. Et hanc fantaſiam dicit Diony. proteruam, quia cùm ſecundum iudicium ſuum veritatem cognoſcant, tamen cognitam ſcienter impugnant. Vel hoc eſt proteruire, ſcilicet veritati intellectæ obuiare, ideo habent fantaſiam proteruam. Habent etiam concupiſcentiam amentem, quia cùm non deberēt appetere niſi honeſtum & conferens, appetunt res maximè nociuas, ſicut peccare, & alios in peccatum præcipitare, quamuis hoc non intendant finaliter, ibi eſt furor irrationalis, quia cùm ſolis malis debent ex ratione iraſci, iraſcuntur & furiuntur contra bonos. Hæc Bonauen. Et fantaſia (ſicut tradunt medici, & ſcribit Gerſon parte. iij. ſuorum operum, tracta. de oratione & valore eius. parte iij. nunquam poteſt quieſcere, ſicut nec aër vel mare, dum agitantur aſſiduitate ventorum requieſcunt. Et ſunt infinitæ ſpecies fantaſiarum vel melancholiarum ſecundum traditionem medicorum, quos Horatius furores appellat vel inſanias, deducens ex hoc omnes homines in aliquo ſtultos eſſe. *Mille puellarum*, inquit, *puerorum, mille furores*. Et in Eccleſiaſt. dicitur: quòd ſtultorum infinitus eſt numerus. Saluberrimum autem eſt, vt docet idem Gerſon parte.iij.tract.de paſſione animæ, con ſide.xx. aſſueſieri vt animus noſter à fantaſmatibus, quantum poſſibile eſt fieri ſe denudet, & auertat in exercitatione ſua. Rurſus apparet quàm periculoſum ſit homini dimittere ſe nimis labi & profundari in imagines vel fantaſias, præſertim vitioſas, & circa peritura ſemperque labentia, vt ſunt beneficia, honores & diuitiæ. Nam cùm generentur habitus ex actibus frequentatis, & habitus cauſent, naturaliter fit vt pondere ſuæ inclinationis ſic inmutent imaginatiuam virtutem, & ex conſequenti totum hominem quod neceſſitate quadam trahitur homo velut brutum, vt quemadmodum fit & in illis quos Philoſophus beſtiales appellat. Sicut vtique verum eſt quod omnis imaginatio profundata habet ſuam inſaniam vel ebrietatem & quaſi dæmoniacam paſſionem, ſicut dicit Orige. Lædit quoque notabiliter, ſeu peruertit totaliter iudicium rationis. Patet in Philocaptis, patet in ambitioſis, in auaris, in ludicis, in impatientibus, in quibus verificatur illud prouerbium. Furor fit læſa ſæpius patientia. Gerſon hæc.

Fantaſma vt ſcribit Gabr. diſtinct.iij. qu.ij.libr.ij. ſignificat principaliter ipſam rem imaginatam ſingularem viſam, & connotat actum fantaſiandi. Vnde

Vnde patet quod tot ſunt fantaſmata, quot ſunt indiuidua ſantaſiata. Nec eſt verum dictum plurium, quod quælibet ſpecies habet tantum vnum fantaſma. Verum nonnulli moderni accipiunt fantaſma pro ipſa cognitione ſenſus interioris, ſicut conceptus ſatis cõmuniter accipitur pro actu cognoſcendi. Cauſatur autem primus actus fantaſiandi à ſenſatione exteriori, qui eſt notitia intuitiua. Et à potentia fantaſtica iſtæ duæ cauſæ cum Deo ſufficienter cauſant primum actũ fantaſiandi ſiue actum interiorem, & obiectũ extra non eſt cauſa illius actus, ſed tantum eſt cauſa cauſæ. Vide latiùs Gabr. concluſio. v. vbi ſupra. Dicunt quidam (vt refert Rich. di. l. vel vlt. l. iiij.) quod modus intelligẽdi in fantaſmate non eſt naturalis, ſed accidentalis animę coniunctæ corpori, quia corruptibilitas non pertinet ad corporis eſſentiam, ſed ſibi accidit. Et prædictus modus non conuenit animę cõiunctæ, niſi ratione corruptibilitatis corporis, per quam anima ſic aggrauatur, & propter ſui debilitatem non poſſit per ſui naturam & de lege communi apprehendere intelligibile niſi in aliquo ſenſibili, vt quaſi in exemplari. Vide latiùs Rich. & ſecundum eundem fantaſmata ſunt ſimilitudines rerum ſenſibilium ſecundum eſſe quod habent in organis virium ſenſitiuarum interiorum. Rich. li. ij. di, xxv. ar. v. qu. j. & (vt idem dicit) ſantaſma eſt nobis neceſſarium ad noſtram intelligendi actum naturalem, cuius cauſa eſt debilitas noſtri intellectus quam habet ex vnione corporis corruptibilis aggrauãtis animam. Hinc Ariſto. 3. de anima, dicit quod nequaquam ſine fantaſmate intelligit anima, intelligitur de cognitione intellectiua rerum ſenſibilium cauſata ex fantaſmatibus, vt dicit Dominus Cardinalis Came. q. iij. ar. iij. in fine. li. j. ſent. Vnde eſt quod dicitur. Neceſſe eſt omnem intelligentem fantaſmata ſpeculari. Verum eſt inquit Gerſon tracta. j. ſuper Canti. Marię, neceſſe eſt primitus ſed fortè nõ aſſiduè, nec ita quin adiutrice memoria ſpirituali cum habitibus per intelligentiæ continuationem acquiſitis ipſe ſpiritus immaterialis valeat de habitu & memoria ſe in actu continuare ſine miniſterio ſpiritus animalis, &c. Et ſecũdum eundem parte. j. An monachus pro ſtudio poſſit negligere diuina. conſide. x. Fantaſmata non fugabuntur per ſtudium, ſed per deſiderium, per affectum, ſcilicet, non intellectum, quoniam neceſſe eſt intelligentem fantaſmata ſpeculari, &c.

Fatum eſt effectus diuinitus præuiſus. Et fatum eſt inhęrens rebus mobilibus diſpoſitio per quam prouidentia ſuis quæque nectit ordinibus ſecundum Boë. lib. iiij. proſa. vj. de conſol. Phil. Fatum eſt ordo ſeriesque cauſarum. Cauſa autem ex omni æternitate fluens veritas ſempiterna, ſecundum Cice. li. de diuinatione. Vel fatum quod ex omni æternitate ſemper verum fuerit. Cice. libr. 3. de natura deorum. Fatum propriè eſt diſpoſitio ſyderũ qua quis eſt conceptus vel natus. Sed impropriè eſt prouidentia Dei, ideo eſt in rebus, ſecundum S. Tho. prima parte. q. cxvj. Aliter autem loquitur de ſato Boëtius, & aliter Aug. vt ſcribit S. Bonauen. di. xiiij. qu. vl. lib. ij. Boëtius enim loquitur de fato prout eſt aliquid ſecundum veritatem, & ſic fatum nominat ordinem in rebus mobilibus ad diuinam prouidẽtiam relatum, ordinem inquam non ſolùm ſecundum naturam & cauſam neceſſariam, ſed etiam ſecũdum libertatem voluntatis & contingẽtiam. Dicit enim ſic in li. de cõſol. Prouidẽtia cuncta pariter quáuis diuerſa, quáuis infinita cõplectitur. Fatũ verò ſingula dirigit in motũ locis, formis & tẽporibus diſtributa. Et hæc tẽporalis ordinis explicatio in diuinæ mentis adunata proſpectu prouidentia eſt, eadem verò adunatio digeſta atque explicata temporibus, fatum vocatur. Et ſic patet quod Boëtius fatum accipit generaliter ad egreſſum & decurſum omniũ rerum, ſiue voluntariarum, ſiue naturalium, ſiue neceſſariarum, ſiue contingentium. Aug. verò in v. de ciuita. Dei, accipit fatum ſecundum exiſtimationem Philoſophorum, qui vocant fatum vim poſitionis ſyderum, & conſtellationum ſecundum quam cuncta neceſſariò eueniunt in his inferioribus, & ſic fatum nihil eſt. Et oſtendit ipſe quod nihil ſit, & ita æquiuocè accipit fatum Boëtius & Aug. & propter ęquiuocationis acceptionem dicit Augu. in vj. de ciui. Dei quod ſi quis fatum vocat ordinem cauſatum quem Deus inſtituit cum hoc ſit verum, ſententiam teneat, & linguam corrigat, quia ſecundum communem vſum accipitur, ſicut mathematici accipere conſueuerunt. Hæc Bonauen. Fatum verò non eſſe quo ad Deum oſtẽdit Gerſon parte. iij. de cõſol. Theol. libr. ij. proſa. iiij. vbi dicit. Colligimus enim ex immenſa diuinæ cognitionis viuacitate longè ſuper noſtrum cognoſcendi modum ſimul & ex voluntatis libertate, quod apud eam nihil eſt fortuitum, nihil caſuale, nihil inſuper ad extra neceſſarium vel fatale. Ratio primi eſt, quoniam nihil agitur in mundo quin ab æterno præuiderit illud Deus cum tota ſerie cauſarum etiam minimarum. Secùs apud homines propter quorum intentionem prodeunt effectus ex variarum ignotarumque eis cauſarum concurſu, quemadmodum eſt videre in inuentione theſauri dum terra foditur vt excolatur, non vt aurum inueniatur, &c. Latiùs Gerſon ſcribit. Et fato qui credit, mortaliter peccat, vt habetur. xxvj. q. vj. Non obſeruetis. Et dicitur fatum à fando, ſignificatque aliquando oraculum, id eſt quod dij fantur. Virgi. oblitus fatorum. Nonnunquam ponitur fatum pro morte, quia nihil homini tam neceſſariò impendit quàm mors, quare fato concedere eſt mori. Et fatalis dies perniciosus dicitur, & fatiferum, mortiferũ. Fatale etiam dicimus quicquid nobis fato debetur, ſiue bonum ſiue malum ſit, vt ſcribit Dominicus Nanus Mirabellius Albenſis.

Fatuus, ſtultus. Et quidam dicuntur fatui (vt ſcribit Richar. di. xlv. ar. iij. q. iiij. lib. iiij.) non quia vſu liberi arbitrij careant, ſed quia neſciunt ita decenter inter homines cõuerſari ſicut ſuum ſtatum deceret. Alij dicuntur fatui, quia res ſuas prodigaliter diſſipant. Alij, quia vſu liberi arbitrij careant. Iſti vltimi (dicit Richar.) teſtamentum facere non poſſunt, vt habetur extra de ſucceſſoribus ab inteſtato. cum dilectus. Non autem ſunt compotes mentis qualis eſſe debet, qui teſtamentũ vult facere. Sed benè primi fatui teſtamentum facere poſſunt. Sed fatuus ſecundo modo ſi pro ſua prodigalitate eſt ſibi ſuorum bonorum adminiſtratio interdicta, teſtamentum facere non debet. Plura ibi Richardus.

Fautor qui fauet. Et fautores (vt ſcribit Paludenſis diſt. xviij. qu. iij. libr. iiij.) dicuntur. Vno modo ſola

omiſſio-

omisſione,ſicut illi qui publica poteſtate funguntur eo ipſo fauẽt hæreticis, quod non fauent inquiſitoribus conſilio & auxilio contra illos, quia qui non eſt mecum,contra me eſt, priuatæ verò perſonæ fauent quando nolunt iudicare, ſed celant. Secunda fautoria eſt verbi excuſando,ſicut dicẽdo. Iſti homines non ſunt tales quales dicuntur, & huiuſmodi, per quæ ſimplices inducuntur ad amorem eorum & odium inquiſitorum. Tertia fautoria eſt facti, ſi quis alimoniam mittat vel liberet, & huiuſmodi. Dicuntur autem credentes qui habent fidem eorum implicitam,non explicitam, reputantes eos bonos,& habere bonam fidem. Receptatores, qui vel ſemel recipiunt. Defenſores,qui defendunt verbo vel facto, contra quod fecerunt qui denunciatum publicè excommunicatum à canone per inquiſitorem pro fautoria hæreſis ſolenniter ſepelierunt adhuc lite ſuper hoc durante, &c. Hæc Petrus Paludenſis.

Felicitas ſecundum Philoſophum.j.Ethi. & vt refert Brulefer.di.iiij.qu.j.libr.ij.eſt operatio optimæ potentiæ ſecundum optimam virtutem in vita cõtinua & perfecta. Dicitur operatio optimæ potentiæ, ſcilicet voluntatis ſequentis intellectũ. Et quod Boëtius ſtatum addit, iſte vocat operationem, quia eſt operatio quietis. Dicitur,ſecundum optimã virtutem,ſcilicet ſapientiam, per quam poteſt intelligi clara viſio Dei & fruitio Dei,quaſi ſapida ſcientia. Philoſophus autem poſuit fœlicitatem hominis nõ in habitu ſolo cum Stoicis, nec in ſola ſubſtãtia vel natura à ponentibus facta,ſed in optima operatione reſpectu optimi obiecti per optimam potentiam, optimo habitu roboratã. Sic dicebat Chriſtus. Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolũ verum Deum & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Loquuntur ad ipſum conformiter Theologi, vt ſcribit Gerſon tractatu.xj. ſuper Magnificat; ponentes vitã æternam in ęterna Dei viſione, quæ fruitionem cõplectitur, delectationemque ſupremam includit. Eſt & fœlicitas quædam mundanorum, quæ eſt impunita nequitia, vt dicit Augu.& poſt eum Gerſon in Centilogio de impulſibus, decade.viij. Qui delectantur cùm malefecerint,& exultant in rebus peſſimis. Vnde Aug.in Pſal.26. Habemus hic fœlicitates diuerſas generis hũmani. Et miſer quiſq; dicitur quando illi ſubtrahitur quod amat. Amãt ergo homines diuerſas res, & quando quiſque quod amat habere videtur,fœlix vocatur. Verè autem felix eſt,non ſi id habet quod amat, ſed ſi id amat quod amandum eſt. Multi enim miſeri ſunt magis habendo quod amant,quàm carendo. Amando enim res noxias miſeri habendo ſunt miſeriores. Et propitius Deus cũ malè amamus,negat quod amamus. Iratus autẽ dat amanti quod malè amat,&c. Et fœlicitas in hac vita(vt ſcribit Baptiſta Mantuanus lib.ij.de patientia. c.vij.) Nulla eſt alia niſi mandatorum Dei & euangelicæ legis obſeruatio, non diuitiis, non potentia intendendum eſt. Regnum Dei æſtimationem non habet,quantum exhibere potes,tanto emitur. Non opus eſt ſanitate, non liberis, non clientibus, non amicis, ſed Dei gratia & virtute conandũ eſt, vtrũque à noſtro pẽdet arbitrio. Plura de fœlicitate idem Mantuanus ſcribit. Scripſit,& eleganter libellum de fœlicitate Beroaldus, ſed de humana & nõ vera ad quam peruenire cupimus, quę quidem humana fœlicitas multis miſeriis eſt permixta. Vnde vt ita ſcribit Richar.di.xlix.art.j.qu.ij.in fine. lib.iiij.dicitur fœlicitas miſera. Varias ſententias vel opiniones de fœlicitate vide apud Beroaldum & alios. Sed fœlicitas æterna quę nullum malum admittit,nec miſeriam,& quę intuendo Deo verſatur, vt vult Paulus Corteſius li.iij.d.vij.ſenten.ſummo ſtudio eſt optanda,deſideranda. De qua multa aliàs ſcriptis reliquerunt doctores,& Aug.& cęteri. Vide& de fœlicitate in verbo *Beatitudo*.ſup. & Deo volente poſt hoc opus quicquam ſcribere propoſui.

Fenerare impropriè quandoque accipitur pro mutuare. Vnde Deutro.15. Fœnerabis gentibus multis, & ipſe à nullo accipies mutuum: fœnerabis, id eſt mutuabis,vt exponit Thom. Cui ſatis quod ſequitur, fauet. Nam additur,& à nullo ipſe accipies mutuum,vbi pro fœnore ponitur mutuum. Alexander verò dicit quod ibi ponitur conſequens pro antecedente. Nam fœnus ſequitur abundantiam,nõ enim poteſt fœnerari niſi abundans. Ponitur ergo fœnerabis,pro abundabis. Eſt enim ſenſus,tantam habebis abundantiam quod poteris multis gentibus, ſi volueris fœnerari. Permittit ergo lex abundantiam ſuis obſeruatoribus,id eſt fœnerationem. Hæc recitat Gabr.di.xv.q.xj.libr.iiij. Significat & fœnerare ad vſuram accipere, vt eſt apud lib.digeſtorum, & aliàs patet.

Feruor idem eſt quod calor, qui cùm ſit ex igne, ex contrario & pro frigoribus accipitur. Feruor autem charitatis eſt habitus acquiſitus charitatis vel eius actus,vt ſcribit Dominus Cardinalis.q.ix.ar.iij.li.j. Et Gabr.di.xvij.qu.iiij.ar.iij.dub.iij.libr.j. Feruor charitatis eſt promptitudo ſeu conatus voluntatis ad actum charitatis eliciendum, qui eſt præciſe per habitum charitatis acquiſitum ex actibus frequentatis,hoc eſt feruor charitatis ſupponit pro actu charitatis ſeu voluntatis connotando voluntatis promptitudinem & facilitatem ex inclinatione habitus charitatis acquiſitæ prouenientem huiuſmodi feruorem veniale minuit: dũ enim veniale committitur, generantur in homine habitus oppoſiti actui charitatis,per quos voluntatis conatus ſeu promptitudo tollitur ſeu remittitur. Ex peccato verò omisſionis actus boni negliguntur,ex conſequenti non gignũtur habitus promptificantes potentiam,quibus non genitis potẽtia nõ facilitatur ad opus. Et ſicut habitus infuſus ſine acquiſito non inclinat,vt eſt opinio multorum,& dicitur in iij.ſen. Sic ergo cùm tales acquiſiti habitus nõ gignuntur, potentia nõ actuatur ad opus per ſolum habitum infuſum, &c. Gignuntur autem frequentia bonorum actuũ, & eorum omisſione vel oppoſitorum actuum commisſione remittuntur ſeu tolluntur. Vide & latiùs de hoc Gabr.& Petrum de Aliacen.vbi ſupra q.ix.art. iij.libr.j. qui dicit quod charitatem remitti quo ad eius feruorem nihil aliud eſt quàm minus feruidos & intenſos actus charitatis & minus feruenter & minus delectabiliter elicere: & ſic diminutio huius feruoris poteſt per venialia fieri,ita & totalis corruptio,ſic quod totus feruor per continuationem peccatorum venialium & omisſionem actuum ſecundum charitatem eliciendorum, non tamen charitas tollitur

tollitur quæ manet integra (niſi adueniente mortali) per quam adhuc poſſet in actus meritorios, quantum eſt de ſe præciſe, vt inquit Gabriel vbi ſupra. Vide & ſupra in dictione *Charitas*.

Fermentum, dictum quod feruendo creſcat. Eſt enim farina, quæ ſubigitur priuſquam addatur ſal ad pultis modum decocta, & relicta donec aceſcat. Et fermentari verbum, idem eſt quod miſcere ſeu creſcere facio. Eſt autem duplex fermentum, vt ſcribit Brulefer diſtinct.xj. quæſt. xj. libri quarti. Quoddam eſt corporale & materiale, & eſt illud, quod facit leuare paſtam: & vocatur Græcè leuain: & dicitur à ferueo ferues. Vnde panis dicitur fermentatus, quando in ipſo pane ponitur fermentum. Aliud eſt fermentum ſpirituale, & eſt peccatum. Vnde Lucæ duodecimo dicitur: Attendite à fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis, &c. Et dicitur per ſimilitudinem. Vnde 1.Corinth.1.dicit Apoſtolus: Expurgate vetus fermentum, vt ſitis noua conſperſio ſicut eſtis azymi. Et paulò poſt: Non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis.

Fictus, vt habet Bonauentura diſt.iiij. artic.ij. q.ij. libr.iiij. & poſt eum Gabriël eadem diſt. quæſt.ij. eſt qui aliud prætendit foris, aliud intus habet, vt ſi quis vellet ſuſcipere baptiſmum eo modo quo Eccleſia intendit dare, & tamen oppoſitum habet in anima: vel oſtendendo ſe eſſe diſpoſitum ad ſuſcipiendum baptiſmum, & tamen non eſt diſpoſitus in animo, aut quia non habet rectam fidem, aut quia habet peccatũ mortale in actu vel propoſito, vel complacentiam, vel nullam diſplicentiam de peccato. Et illo ſecundo modo communiter loquuntur Sancti & Doctores de fictè accedentibus ad baptiſmum vel Sacramentum aliud: qui, ſcilicet accedendo ponit obicem gratiæ, ſciſicet infidelitatem, aut mortale peccatum, quod tunc actu voluntatis committunt: aut de quo commiſſo, nullam habent diſplicentiam, hic gratiam non conſequitur. Dicitur enim Sapientiæ primo: Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum. Et Scotus diſtinct.iiij. quæſt.v. libr.iiij. Nolentem Deus non iuſtificat: ſecundum illud Auguſtini: Qui creauit te ſine te, non iuſtificabit te ſine te. Quare inquit Scotus: Qui habet peccatum quod ſibi nullo modo diſplicet, nullo modo recipit gratiam. Et ſanctus Bonauentura vbi ſupra. Fictus eſt qui ſe corporaliter ſubiicit, ſed interius voluntate aduerſatur. Vnde cùm triplex ſit potentia interior, tripliciter poteſt aduerſari. Aut diſcredendo quantum ad rationalem. Aut malum appetendo, quantum ad concupiſcibilem. Aut ſacramentum contemnendo, quantum ad iraſcibilem: & in tali non habet effectum ſacramentum, quia Deus nulli inuito dat iuſtitiam nec gratiam. Alioquin non eſſet iuſtitia. Vide & de hoc Richardum diſtinct.iiij.artic.j.qu.ij.libr.iiij.

Fictio ſecundùm Petrum Paludeñ. diſtinction.iiij. quæſt.v.libr.iiij. quatuor modis contingit. Dicitur enim fictus, qui non credit, qui indeuotus accedit, qui aliter celebrat, id eſt contra prohibitionem Eccleſiæ ſuſcipit: puta ab excommunicato, vel contra cõmunem ritum Eccleſiæ, quod in omni Sacramento eſt obſeruandum, ne aliter celebretur, & fictio incurratur, & fructus perdatur. Item qui contemnit, ſicut qui ridendo accedit. Et fictio quæ fieri poteſt in confeſſione, eſt quadruplex, vt habet Gerſon parte ij.quæſt.ij. Nam fictio eſt pernicioſe mentiens. Quædam doloſe dimidians. Quædam patienter inficiens. Quædam inſufficienter diſcutiens. Fictio triplex, prior impedit ne confeſſio vel prætenſa abſolutio valet ipſi ſic fingenti, quin oporteat vel neceſſarium ſit iterum de omnibus ſacramentaliter confiteri. Quarta verò fictio poteſt inueniri, licèt non bona: non tamen ſicut priores æqualiter mala, vbi licèt abſolutio non conferat gratiam, nec peccata deleat, confert tamen ceſſante fictione: nec oportebit de ſic confeſſis iterum confiteri. Conueniunt in hoc ſatis Doctores, qui communiter dicunt, quod vnum peccatum mortale non deletur ſine alio: aliàs namque ſequeretur quod gratia ſtaret ſimul cum peccato mortali. Mentiens autem in confeſſione pernitioſe, peccat mortaliter. Secus autem eſt de mendacio, quod ex genere ſuo: aliàs eſſet ſolum veniale, vt videlicet miſcendo, quandam leuem circunſtantiam falſam, vel excuſationem friuolam. De his fuſius ſcribit Gerſon vbi ſupra. Concordat Thomas cum cæteris Doctoribus.

Fides in ſcriptura variis modis accipitur, vt & habet ſanctus Bonauentura diſtinct. xxiij. libri tertij, circa textum. & Gabriël eadem diſtinctione, quæſt.ij. Et Gerſon parte prima ſermone de erroribus contra fidem, & mores circa præceptum: Non occides. Et Alexander parte tertia, quæſt.lxxiiij. membr.j. ponit.xj. fidei acceptiones: Nam fides quandoque accipitur pro ſponſione. 1.Timoth.5. Primam fidem irritam fecerunt. Quandoque pro fidelitate. Ieremiæ ſeptimo: Periit fides, & ablata eſt de ore eorum. Quandoque dicitur conſcientia de faciendo vel non faciendo. Romanorum decimoquarto: Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt. Gloſſa, contra conſcientiam. Quandoque dicitur generaliter aſſenſus concluſionis acceptus per rationem probabilem, ſecundum quod argumentum dicitur ratio rei dubiæ faciens fidem. Quandoque dicitur cognitio patriæ. Romanorum primo: Iuſtitia Dei in eo, ſcilicet Euangelio, reuelatur ex fide in fidem. Gloſſa, ex fide ſpei in fidem ſpei. Et dicitur fides, quia fidentiſſima & certiſſima eſt, vt inquit Bonauentura. Quandoque dicitur ſymbolum fidei (quod creditur) vel pro obiecto fidei. Vnde Athanaſius: Hæc eſt fides catholica, &c. Quandoque dicitur ſacramentum fidei, ſcilicet baptiſmus. Sic dicit Auguſtinus ad Bonifacium. Quid eſt aliud paruulos habere fidem, niſi fidei ſacramentum. Quandoque fides dicitur habitus informis. Iacobi ſecundo: Sine operibus fides mortua eſt: & dæmones credunt & cõtremiſcunt. Quandoque dicitur habitus charitate formatus. Romanorum primo: Iuſtus ex fide viuit. Et Abacuc 2. Iuſtus in ſua fide viuit. Quandoque capitur pro actu credendi. Roman.10. Fides ex auditu eſt. Et Auguſtinus: Fides eſt credere quæ non vides.

Harum tamen acceptionum tres ſunt magis in vſu communi. Nam fides aliquando accipitur pro actu, quandoque pro habitu, quandoque pro obiecto. Pro actu eſt aſſenſus veritatis reuelatæ. Pro habitu eſt habitus ex huiuſmodi aſſenſibus frequentatis acquiſitus, vel immediatè à Deo infuſus, inclinans in intellectum ad aſſentiendum veritatibus reuelatis. Pro obiecto eſt veritas credita, aut res per ipſum ſignificata. De primo dicitur: Fides ex auditu eſt. Auditus per verbum Dei. De ſecundo, Hebr. vndecimo: Sine fide impoſsibile eſt placere Deo: quod de habituali intelligendum eſt. De tertio, 1. Timoth. quarto: Enutritus verbis fidei, id eſt veritatum credendarum. Item fides, ſecundum Petrum de Palude diſtinct. j. quæſt. v. artic. v. libro iiij. accipitur pro intentione faciendi, vt cùm ait concluſione prima: In adulto fides propria erat remedium contra originale. In paruulo fides aliena, ſed illa fides non eſt fides habitus, nec actus fidei elicitus aut imperatus. Non aliter igitur fides requiritur ad efficaciam ſacramenti, niſi quod exhibeatur intentione hoc faciendi, quod Deus inſtituit: & talis intentio fides dicitur. De hoc vide & Gabriëlem diſtinct. j. quæſt. ij. artic. iij. libro iiij. dubio. j. Et fides ſecundum quamlibet harum trium acceptionum, quæ in communi vſu habentur, poteſt ſubdiuidi. Nam fides tam actualis quàm habitualis diuidi poteſt in fidem formatam & fidem informem. Ita diuidit Magiſter poſt ſanctum Auguſtinum diſtinct. xxiij. cùm dicit in textu, quod fides accipitur pro eo quo creditur, & eſt virtus: & pro eo quod creditur, & non eſt virtus. Fidem dicens eſſe virtutem, quæ charitate formatur. Illam verò non eſſe virtutem, quæ ſine charitate eſt, quæ inanis eſt, & mortua. Credimus autem fide actuali & habituali. Actuali formaliter. Habituali tanquam diſpoſitione nos diſponente, id eſt concauſante & inclinante ad actum credendi firmius eliciendum. Poteſt & fides diuidi ſecundum eaſdem acceptiones in fidem acquiſitam, & fidem infuſam. Fides etiam ſecundum tertiam acceptionem, poteſt ſubdiuidi multipliciter, ſecundum diuerſitatem articulorum, & veritatum credendarum, & ſecundum has diuerſas acceptiones, aliter & aliter habet diffiniri. Nam & variè diffinitur à Sanctis & Doctoribus, vt paulò pòſt patebit. Fatendum autem eſt (vt ſcribit Paulus Corteſius libro tertio ſuarum ſententiarum, diſtinct. vij.) fidem à parente rerum Deo manare. Etenim ea quæ fide continentur, ſunt ſupra naturæ complexum ſita, nec in hominum contemplationem ſine diuina patefactione caduot. Nam nonnullis quædam Deus ſine intermedio edicit, vt ea quæ ſunt vndecim viris diſcipulis aut vatibus patefacta: nonnullis quædam per præcones edicit. Itaque ob eam cauſam articulatim eſt fidei diſtincta ratio. Nam quædam ad diuinitatem, quædam ad humanum amictum indutum pertinent, quæ vno ſenatus ſymbolo continentur. Ex quo eſt intelligi neceſſe ad incolumitatem hominum, fidem eſſe neceſſariam, quæ credenti ab auctore rerum Deo inſeratur. Et poſteà ait: Nihil fide teſtatius, etenim ratio multarum à rerum diuinarum cognitione abeſt, idque præclarè patet, quod ab omni Philoſophorum genere eſt naturali rerum humanarum explicatione titubatum fuiſſe ſcimus, multaque ab his inter ſe pugnantia conſcripta, legimus. Itaque quo ſplendidius Dei notio elueſceret, neceſſe fuiſſe dicimus, vt fide in hominum mentes rerum diuinarum agnitio illaberetur: quo oraculo nihil ſit in omni natura veracius: quamobrem iure promulgatum eſt, ne cui liceat à rata fidei menſione deſciſcere. Hæc & plura Corteſius. Deſciſcunt autē Iudæi, Parthi, hæretici, infideles, vt ibidem docet, qui ex Chriſtianorum cœtu extruduntur. Variè autem à variis deſcribitur fides. Vnde fides ſecundum Magiſtrum eſt virtus qua creditur, quod non videtur, quod ad religionem pertinet: & datur de fide habituali formata, quia virtus dicit, quæ eſt habitus, & fides qua in Deum credimus: non tantùm eſt virtus, verum etiam auriga virtutum, tam Theologicarum quàm Cardinalium, vt dicit ſanctus Bonauentura diſtinct. xxiij. quæſt. j. libro iij. Et neceſſario fides ſpem, & charitatem præcedit, tanquam regula & auriga ipſarum. De quo latiùs ibidem. Fides ſecundum Hugonem libro primo de Sacramentis, ait: Fides eſt certitudo, id eſt certa cognitio quædam animi de rebus abſentibus ſupra opinionem & infra ſcientiam conſtituta. Certitudo dicit, id eſt certa adhæſiua cognitio, per quod diſtinguitur ab æſtimatione coniectura & opinione, quæ dubitationem & formidinem de oppoſito ſecum compatiuntur. Latiùs declarat Gabriël diſtinct. xxiij. quæſt. ij. artic. j. libro tertio. Sed vbi eſt dubitatio, fides non eſt: & hæc diffinitio eſt generalis cõueniens actuali & habituali infuſæ & acquiſitæ.

Fides ſecundum Petrum de Aliaco, quæſt. j. prologi. articul. ij. eſt aſſenſus verus, firmus ſine formidine non euidens: vel breuius: Fides eſt aſſenſus certus non euidens. Nam certitudo importat primas duas conditiones. Certitudo enim eſt aſſenſus verus firmus ſine formidine. Huic deſcriptioni concordat commune dictum Auguſtini: Quid eſt fides, niſi credere quod non vides? Capit enim credere pro certitudinaliter aſſentire: & capit non videre pro non euidenter cognoſcere. Fides (vt ſcribit Damaſcenus in quarto) eſt eorum, quæ ſperantur hypoſtaſis, id eſt ſubſtantia. Vel ſic: Fides eſt aſſenſus non inquiſitus circa primam veritatem. Hæc diffinitio datur quantum ad actum ſuum principalem, qui eſt aſſentire primæ veritati reuelanti: & ideo dicitur aſſenſus non inquiſitus, ſcilicet ratione argumentatiua, ſed acceptus per reuelationem. Fides ſecundum beatum Dionyſium in libro de diuinis nominibus, ſic diffinitur: Fides eſt ratio ſimplex veritatis per ſe exiſtentis. Per rationem ſimplicem intelligit cognitionem acceptam per reuelationem, non per argumentatiuam inquiſitionem veritatis per ſe exiſtentis, id eſt veritatis primæ, vel veritatis certæ. Fides ſecūdum beatum Auguſtinum, eſt illuminatio mentis ad ſummam veritatem, id eſt cognitio reuelata illuminans mentem ad cognoſcendum ſummam veritatem. Hæc datur de fide ſecundum perfectiſsimum actum credendi.

Apoſtolus

Apoſtolus Gentium doctor ad Hebræos vndecimo ita diffinit: Fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, argumentum non apparentium. Et diffinit fidem formatam, quæ eſt habitus, & ideo diffinitur per proprium actum, & proprium obiectum. Actus autem fidei eſt credere, qui eſt actus intellectus vero aſſentientis, procedens ex voluntatis imperio, quia nullus credit niſi volens, ſecundum beatum Auguſtinum ſuper Ioannem. Et ideo actus qui eſt credere, non ſolùm habet pro obiecto verum quod eſt obiectum intellectus, ſed etiam finem vel bonũ, quod eſt obiectum voluntatis: & per hæc tria diffinit Apoſtolus, cùm dicit argumentum, obiectum, intellectus in verbo non apparentium: Obiectum enim fidei eſt veritas non viſa, id eſt non euidens, cui firmiter adhæret fides non ex rei euidentia, ſed ex auctoritate diuina. Obiectum voluntatis in verbo rerum ſperandarum. In verbo ſubſtantia quod pro genere ponitur innuit fidei quidditatem, & accipitur ſubſtantia connotatiuè: vt dicitur à ſubſtando, & pro quadam rei inchoatione: vt dicit ſanctus Thomas ſecunda ſecundæ, quæſt. iiij. artic. j. Et poſt eum Nicolaus de Lyra: ſeu pro cauſa aut fundamento rei, qua res ſubſiſtit in ſe in eſſe ſubiectiuo, vel in intellectu in eſſe obiectiuo, vt vult Gloſa Hebr. 11. Et non accipitur ſubſtantia abſolutè pro re per ſe ſubſiſtente, aut pro rei eſſentia, ſed vt dictum eſt. Sic ergo fides dicitur ſubſtantia rerum ſperandarum. Hæc ſunt bona in futura beatitudine nobis conferenda, ſcilicet viſio & fruitio diuinæ eſſentiæ, inquantum eſt quædam inchoatio futuræ beatitudinis, quia fides eſt prima virtus infuſa, ſine qua res ſperandas nemo conſequi poteſt: & ita eſt cauſa rerum ſperandarum, quia facit res ſperandas quandoque ſubſiſtere in nobis, quod eſt dictu, facit conſequi futura bona: & eſt fundamentum omnium bonorum, quod nemo mutare poteſt, ſine quo non eſt bona ædificatio. Et dicitur fides magis fundamentum rerum ſperandarum, quàm credendarum vel timendarum, vt notat ſanctus Bonauentura diſtinct. xxiij. quæſt. v. in fine libri tertij. Per hoc enim quod dicitur: ſperandarum, magis datur intelligi finis virtutis, quæ eſt ipſa beatitudo expectata, quam per hoc quod dicitur: credendum, vel amandum, vel timendum. Nam iſti actus non tantummodo ſunt in finem, ſed etiam in ea quæ ſunt ad finem, &c. Et argumentum ſecundum gloſſam pro certitudine rerum, quæ non apparent accipitur, hoc eſt certa & firma adhæſio. Et diffinitio Apoſtoli ſic poteſt exponi. Fides formata eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, id eſt inchoatio quædam, cauſa vel fundamentum aſſequendi res ſperandas in beatitudine. Argumentum non apparentium, id eſt certa & firma adhæſiua cognitio ſperandarum, id eſt nondum apparentium, quæ enim ſperamus non apparent, ſecundum illud Apoſtoli Romanorum octauo: Spes quæ videtur non eſt ſpes. Nam quod videt quis, non ſperat? Et quod dicitur ſubſtantia rerum ſperandarum, diſtinguitur à fide communiter ſumpta. Quod dicitur argumentum, diſtinguitur ab opinione, ſuſpicione, & dubitatione. Et per hoc quod dicitur: non apparentium, diſtinguitur à ſcientia & intellectu, & generaliter à non euidenti per quam fit aliquid apparens, & quodammodo viſibile intellectui. Et ſecundum ſanctum Thomã ita poteſt poni in forma diffinitio: Fides eſt habitus mentis, quo inchoatur vita æterna in nobis faciens intellectum aſſentire non apparentibus: & addendum eſt firmiter & certè: aliàs conueniret diffinitio ſua opinioni & ſuſpicioni, vt dicit Gabriël, quem videre potes latiùs. Videatur Gerſon parte prima, Sermone de erroribus circa fidem, qui & alias ponit diffinitiones. Vnde Auguſtinus in libro de Prædeſtinatione. Fides, inquit, eſt cogitare cum aſſenſione ea, quæ ad Chriſtianam pertinent religionem. Iſidorus: Fides eſt qua veraciter credimus id, quod nequaquam videre valemus. Chryſoſtomus: Fides eſt ſanctiſsimæ religionis fundamentum. Fides ſecundum Gerſonem eſt virtus qua ea, quæ ad fundamentum religionis pertinent, rectè, firmiterquè creduntur. Latiſsimè aliàs de fide ſcripſit Gerſon. Generaliter verò fides poteſt diffiniri (ait Gabriël) vt conueniat fidei ſecundum quod pertinet ad Theologicam conſiderationem, tam infuſæ quàm acquiſitæ, tam habituali quàm actuali, tam formatæ quàm informi, quæ talis eſt. Fides eſt notitia adhæſiua certa & firma veritatis ad religionem pertinentis per reuelationem accepta. Dicitur notitia adhæſiua, quod includit tam actualem aſſenſum quàm habitum acquiſitum, vel infuſum ad actum aſſentiendi inclinantem. Diuiditur enim communiter notitia adhæſiua in actualem & habitualem. Dicitur certa & firma ad excludendum notitias adhæſiuas cum formidine de oppoſito. Et licèt certitudo, firmitas & euidentia frequenter accipiantur vnum pro alio à Doctoribus: tamen ſi propriè accipiuntur termini non parum differunt. Certitudo ergo reſpicit obiecti (creditæ, ſcilicet veritatis) infallibilitatem. Nam certum eſt quod infallibile eſt: cui, ſcilicet aſſentiendo nemo fallitur. Firmitas reſpicit intellectus adhæſionem, qua, ſcilicet conſtanter ſine formidine adhæret aſſentiendo veritati. Euidentia reſpicit manifeſtationis modum: quo, ſcilicet veritas ſic manifeſtatur, vt intellectus non poſsit diſſentire, quæ manifeſtatio fit vel per cognitionem experimentalem, quæ præſupponit notitiam intuitiuam terminorum, aut per complexionem notam ex terminis, aut per demonſtrationem ex huiuſmodi principiis. Dicitur enim euidentia quaſi expreſſa & clara videntia aut viſio. Et hæc euidentia non eſt fidei, ſed ſcientiæ & intellectus principiorum. Fides enim eſt non apparentium, id eſt veritatum non euidentium. Fides ergo eſt certa, imò certiſsima, imò omni humana cognitione vix certior. Eſt enim reuelatorum à Deo, ſecundum illud Ioannis primo: Deum nemo vidit vnquam. Vnigenitus qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit. Et ſecundæ Petri primo: Non voluntate humana aliquando allata eſt prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines. Reuelata autem à Deo (qui eſt prima & infallibilis veritas, cui falſum ſubeſſe non poteſt) certiſsima ſunt,

F I

ma ſunt, quibus falli eſt impoſsibile. Impoſsibile enim eſt quod reuelatum fallat, & hoc ſufficit ad certitudinem fidei. Nunquam credens, fallitur. Et dicitur in diffinitione fidei, firma: ad exexcludendum ſuſpitionem & opinionem, quæ habet annexam formidinem de oppoſito. Eſt enim firmitas adhæſionis de ratione fidei. Nam dubitans in fide, infidelis eſt: ergo fidem non habet. Hinc in ſymbolo Athanaſij dicitur: Hæc eſt fides Catholica, quam niſi quiſque firmiter, fideliterque crediderit, ſaluus eſſe non poterit. Et ſanctus Auguſtinus in de fide ad Petrum, in omnibus capitulis, quibus credenda proponit, præmittit: Firmiſsimè tene, & nullatenus dubites. Et dicitur bene, firmiſsimè in ſuperlatiuo, quia viator nulli veritati firmius adhærere debet veritatibus fidei. Quod & in ſanctis Martyribus exemplatum eſt, quos fides magis adhærere fecit veritati credere, quàm aliqua ſcientia rei ſcitæ. Nam nec per blandimenta, nec per tormenta induci poterant, vt contra fidem aliquid ſaltem ore tenus dicerent, quod in ſcientiis non contingit. Stultus enim eſſet, qui pro quacunque certa concluſione Geometrica mortem ſubiret, vt dicit ſanctus Bonauentura. Vnde ſcribit Hieronymus (vt & eum refert Bonauentura quæſt. ij. prologi.) Tolle, inquit, argumenta cùm de fide agitur, paſtoribus & piſcatoribus creditur, nō Dialecticis. Et Gregorius: Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Quod eſt verum quod aſſentitur propter ſe rationi: tunc aufertur locus fidei. quia in anima hominis dominatur violentia rationis. Sed quando fides non aſſentit propter rationem, ſed propter amorem eius cui aſſentit, deſiderat habere rationes: tunc non euacuat ratio humana meritum, ſed auget ſolatium. Et primo modo intelligit Hieronymus, & ſimiliter Gregorius, quod non ſunt inducenda argumenta Dialectica, quibus homo principaliter innitatur, quia innitendum eſt auctoritati principalius, quàm rationi, vt dicit Bonauentura vbi ſupra. Dicitur præterea in diffinitione fidei veritatis ad religionem pertinentis. Vnde quæcunque non pertinent ad felicitatem conſequendam, neque ad illam conducunt, non pertinent ad religionem, qua Deus ſummus colitur in via, & tandem beatificet in patria, vt habet Gabriël vbi ſupra. Dicitur vltimò, per reuelationem accepta. Nam fides non innititur demonſtratiuis probationibus, nec experientiæ, quæ generant notitiam euidentem, ſed tantum auctoritati reuelantis. Et per hoc diſtinguitur à prudentia & ſapientia: ſimiliter à viſione beatifica.

Fides eſt triplex, vt habet Gerſon parte iiij. Sermone Dominicæ paſsionis, ſcilicet fides viua, fides mortua, & fides ficta. Fides viua, eſt credere Dei veritatem, & cum hoc eum amare, & timere per affectionem. Et abſque tali fide nullum opus eſt meritorium. ad Galatas quinto: Fides eſt, quæ per dilectionem operatur. Et dicitur viua, quia operari facit per dilectionem Dei. Fides mortua, eſt credere veritatem Euangelij Dei, ſine hoc quod quis faciat opera. Et dicitur mortua, quia non mouet creaturam ad bona opera exercenda. Iacobi ſecundo: Fides ſi non habet opera, mortua eſt, &cæt. Si non habet, ſcilicet opera amoris & timoris Dei, mortua eſt. De quo infra videbitur. Fides ficta, eſt debilis quædam credulitas, & quæ firma non eſt, quia in tempore tentationis recedit. Matthæi decimotertio: Ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Sicut etiam hi qui tempore perſecutionis negant fidei veritatem propter timorem perdendi bona eorum, aut vitam temporalem. Hæc Gerſon, & plura de hoc vbi ſupra.

Fides quædam eſt acquiſita, quædam infuſa. Et differunt, quia fides acquiſita, eſt habitus naturaliter acquiſitus ex actibus credendi frequentatis. Sed fides infuſa, eſt habitus à Deo ſupernaturaliter & immediatè in anima creatus. Eſt autem fides infuſa habitus, hoc eſt, qualitas producta à Deo in anima, inclinans ad eoſdem actus mediatè vel immediatè ad quos inclinat habitus acquiſitus. Differunt & ex eo, quia fides infuſa eſt vnica circa omnes articulos credendos, non ſic fides acquiſita. Differunt etiam, quia fides infuſa corrumpitur per quemcunque errorem, circa quemcunque articulum. Fides acquiſita ſtat cum errore reſpectu alterius articuli ſeu obiecti. Conueniunt autem in hoc fides acquiſita & infuſa, quia vtriuſque habitus inclinat ad actum credendi: de acquiſita manifeſtum eſt. De habitu infuſo, quomodo inclinat ad credendum articulos fidei, ponit Gabriël duas poſitiones probabiles diſtinct. xxiij. quæſtio. ij. libri tertij, quos breuitatis gratia omitto. Et fides acquiſita ad credendum articulos fidei, eſt neceſſaria, quia Romanorum decimo dicitur: Fides ex auditu eſt. Longior eſt Gabriël artic. ij. vbi ſupra. Alludit Scotus eadem diſtinctione, qui ratione hoc idem probat, & ad credendum articulos neceſſe eſt credere Eccleſiæ, hoc eſt credere Eccleſiam eſſe veracem, &cæt. Non autem naturali ratione probari poteſt fidem infuſam ad credendum articulos fidei, eſſe neceſſariam, quia ad credendum omnia credibilia ſufficit fides acquiſita: ergo non eſt alia neceſſaria. Poteſt & quis firmiter adhærere veritati ſine fide infuſa. Plura Gabriël concluſione ſecunda, vbi ſupra. Poteſt tamen fides infuſa poni præter acquiſitam, vt ſcriptura pateſcit. Nam ad Hebræos vndecimo dicitur: Impoſsibile eſt ſine fide placere Deo. Sed multi placuère Deo ſine fide acquiſita, vt patet de infantibus pro Chriſto ab Herode occiſis. Et ſimiliter de infantibus baptizatis, in quibus non eſt fides acquiſita, ſed infuſa. Probat multis teſtimoniis Gabriël concluſione tertia, vbi ſupra. Reſpectu verò omnium, reſpectu quorum eſt fides infuſa, reſpectu eorundem eſſe poteſt fides acquiſita, aliàs fruſtrà eſſet fides infuſa, cùm vtraq; ſit propter inclinare ad actum. Vide Gabriëlem concluſione iiij. Diuerſorum inſuper articulorum, diuerſæ ſunt fides acquiſitæ, non ſolùm numero, ſed ſpecie diſtinctę, quia actus credendi diuerſos articulos diſtinguuntur ſpecie: ergo habitus ad ipſos inclinantes: habitus autem diſtinguuntur penes actus. Eſt autē vna fides infuſa ad omnes articulos fidei mediatè vel immediatè inclinati-

inclinatiua. Eſt enim vnus habitus ad omnia credibilia inclinans, hoc autem eſt idem ſpecie in animabus fidelibus, quia in omnibus habet eadem obiecta, & actus ſpecie. Vide Gabriël latiùs vbi ſupra. Et vt idem dicit dub. j. Fides infuſa non fruſtrà animæ à Deo donatur, imò fructuoſè, & ad perfectionem & ad vtilitatem hominis infunditur. Non enim poteſt à diuina bonitate procedere aliquod vanum & inutile: ſicut nec à diuina ſapientia aliquod inordinatum. Dei enim (vt dicitur Deuteronom. 32.) perfecta ſunt opera, etiam ſi nos lateat vtilitas doni, fides quoque infuſa in actu primo perficit intellectum, eſt enim ipſa perfectior acquiſita, eſt imò quocunque habitu naturaliter acquiſito: puta ſcientia, ſapientia, prudentia, naturaliter acquiſita. Nam fides infuſa eſt habitus ſupernaturalis, & ornatus animæ eam multum perficiens, & nobilitans, qui propter ſui perfectionem non poteſt cauſari, niſi à Deo. Augmentum quoque fit per fidem infuſam. Nam ſunt qui vellent magis aſſentire, & tamen minus aſſentiunt: ideo petunt illud Apoſtolorum: Domine, adauge nobis fidem: & petitur idem in Collecta quadam: Omnipotens ſempiterne Deus, da nobis fidei, ſpei, & charitatis augmentum. Hoc autem augmentum fit per fidem infuſam.

Fides acquiſita dicitur corrumpi per errorem contrarium circa eundem articulum, vt ſcribit Gabriël dub. ij. vbi ſupra. Impoſsibile eſt enim quod quis eundem articulum ſimul credat & diſcredat. Stat tamen ſimul actus credendi vnum articulum cum errore circa alium. Sic & habitus fidei acquiſitæ per habitum erroris contrarij corrumpitur, vel per longam negligentiam eliciendi actum ſuum circa proprium obiectum propter defectum conſeruantis. Latiùs Gabriël. Habitus verò infuſus ſicut à ſolo Deo creando infunditur, ita ab eo ſolo annihilando corrumpitur. Vnde nulla cauſa creata eum corrumpere poteſt. Corrumpitur demeritoriè, non quidem per quodlibet mortale, ſicut charitas, ſed per errorem circa quemcunque articulum pertinacem. Vnde per quamlibet hæreſim corrumpitur fides infuſa, alioquin idem eſſet fidelis, & hæreticus. Hæreticus per errorem pertinacem circa certum fidei articulum. Et fidelis per infuſam fidem: & ſicut dictum eſt de errore, ita dicendum eſt de dubio pertinaci eadem ratione, quia dubitans pertinaciter circa quemcunque articulum, hæreticus eſt. Et dicitur pertinaciter, quia error non pertinax: ſimiliter & dubium circa articulum particularem, non repugnat fidei infuſæ: licèt acquiſitæ ſecundum eundem articulum: poteſt enim quis circa aliquam veritatem in canone Bibliç contentam errare vel dubitare explicitè, & tamen eundem implicitè credere. Hic tamen verè fidelis cenſetur, ſicut laicus firmiter credens fidem catholicam eſſe veram, & ſimiliter omnia contenta in Biblia: ignorat autem Saram vxorem fuiſſe Abrahæ, aut credit eam fuiſſe matrem Abrahæ, vel dubitat per actus informari, non eſt infidelis. Et credendo omnia contenta in Biblia eſſe vera, implicitè credit Saram fuiſſe vxorem Abrahæ. Quamuis explicitè ignoret, dubitet, aut oppoſitum putet: quia neſcit hoc contineri in Biblia. Tria quoque vitia eneruant fidem, & eam impediunt, vt habet Gerſon ſerm. j. de ſancto Antonio, parte iiij. ſcilicet curioſitas, carnalitas, & iniquitas, aut ingratitudo, & incredulitas, & nullum peccatum adeò ſic amat diabolus ſicut incredulitatem. Nouit enim fidem radicem eſſe omnium bonorum, quæ ſi fuerit deleta, & ab humano corde eradicata, de tali homine actum eſt, nunquam bonum Deo placentem proferet fructum, quia ſine fide impoſsibile eſt placere Deo. Plura Gerſon vbi ſupra. Quomodo fides infuſa & acquiſita diſtinguantur ſpecie, vide Gabriëlem.

Fides eſt duplex, ſcilicet informis & formata. Fides informis, quæ eſt in aliquo ſine charitate, & nullum peccatum repugnat fidei niſi hæreſis. Hæc fides informis (vt dicit ſanctus Bonauentura in ſolutione argumen. quæſt. j. parte ij. libr. iiij. diſtin. j.) non placet Deo tanquam meritorium ex condigno: benè tamen placet Deo, ſicut diſpoſitum de congruo. Dicitur & hæc fides mortua, non ideo quia caret vtilitate & efficacia, ſed quia caret vita gratuita, quæ eſt vita perfecta. Et ideo fides informis non eſt propriè virtus, ſed largè. Sicut & habitus politici informes dicuntur eſſe virtutes, vt idem ſanctus Bonauentura ait, diſtin. xxiij. libri tertij. & hæc eſt etiam in malis Chriſtianis: per illum enim habitum quodammodo intellectus hominis dum captiuatur in obſequium Chriſti. Et vt credit verè non apparentia, vt vitet erronea & phantaſtica, ſicut in multis Chriſtianis carentibus charitate, qui libenter audiunt verba ſalutis, & abhorrent hæreticam prauitatem, vt dicit ſanctus Bonauentura vbi ſupra. Videatur & Gabriël diſtinct. xxiij. quæſt. ij. articul. iij. & dub. iij. & iiij. Idem dicit, quod omnis fides acquiſita eſt virtus intellectualis, quia omnis talis cauſatur ab actibus intellectus, elicitis, ſcilicet aſſentire vero, certo ex auctoritate teſtis, ergo. Et etiam omnis fides acquiſita eſt virtus moralis capiendo virtutem, vt diuiditur in politicam, quæ eſt habitus acquiſitus: & gratuitam, quę eſt habitus infuſus, quia acquiritur ex actibus imperatis. Nam apprehenſo vero, certo, ſed ineuidẽti, & ita non ſufficienter probato, non cogitur intellectus aſſentire, ſed quantum eſt de ſe poteſt non aſſentire: ideò ſi aſſentit firmiter, volens aſſentit, & ideo ex imperio voluntatis: hoc eſt quod dicit Auguſtinus, quod cætera poteſt homo nolens. Cætera, ſcilicet ieiunare, intrare Eccleſiam: credere non poteſt niſi volens. Sed fides infuſa propriè, nec eſt virtus moralis, nec intellectualis, ſed gratuita. Philoſophus enim diuidens virtutem in moralem, & intellectualem loquitur de virtutibus acquiſitis non infuſis. Et ad aſſentiendum catholicæ cuicunque veritati, quantumcunque ſciatur per experientiam vel demonſtrationem, requiritur fides infuſa, quæ monſtrat & oſtendit rationem obiectalem credendi iſtam, quòd Deus talem veritatem tradidit aut iuſsit per ſe immediatè, vel per Eccleſiam aut ſcripturam ſacram, vt ſcribit Gerſon parte prima de erroribus circa fidem.

Fides formata dicitur, quæ eſt cum charitate & operibus bonis. Vel (vt dicit Gabriël dubio. v. vbi ſu-

vbi ſupra.) eſt cui in eodem ſubiecto ſeu in eadem anima aſsiſtit charitas. Vnde habitus fidei non mutatur propter aduētum charitatis, ſicut nec corpus hominis ꝓpter veſtimentū, licèt eo ornetur, neq; mutatur ꝓpter deſitionē charitatis: patet ergo quod idē habitus fidei, tā infuſus q̄ acquiſitus: ſimiliter & actus eius poteſt ſucceſsiuè eſſe formatus & informis. Formatur autē per charitatem, quæ eſt forma virtutū, nō quod informet eas (vt dicit Bruleſ.d.xxiij.q.j.lib.iij.) ſed quia reddit eas placentes Deo. Vel vt dicit Gab. vbi ſup. Dicitur formare virtutes vel forma, nō quod inhæreat virtutib9, & det ſpeciem. Sed dicitur forma virtutū pro quanto per charitatē actus virtutū perficiūtur, quia per charitatem in debitū finem vltimū, ſcilicet ſummū bonum propter ſeipſum quod eſt Deus referuntur. Perfectior autē eſt actus in Deum relatus, quàm relatus in alium finem: vt honeſtatem aliquam moralē citra Deū: de quo vide in dictione *Charitas*. Et ſicut calor naturalis (vt ſcribit Iacobus de Valen. ſuper 1.Pſal.) decoquit partes humefactas, & connectit, & compactat eas adinuicem, vt videmus in arboribus, vt eſt in Æſtate, ſic folia retinētur fixa. Sed recedente calore, vt in Autumno folia cadunt, ita pariter accidit in corpore myſtico eccleſiæ. Nam membra Chriſti humectantur per fidem, & viridificantur per charitatem. Et ſic ignis ſiue calor charitatis connectit membra ſuō capiti Chriſto, & inter ſe tanquā folia arbori, & ſicut palmites in vite, vt patet Ioan.16. & ſic folia eorū, id eſt opera radicantur & ſolidantur per fidē & charitatē formatam: & ſic non defluunt, imò faciunt fructus meritorios, & proſperantur in præmio. Sed ſi deficit eis talis fides aut charitas, tunc decidūt à corpore Chriſti myſtico, ſicut foliū in arbore. Et ſic etiam opera eorū effluunt in vacuum, & ſic etiā ſacramenta eccleſiæ, & bona opera quæ facit Eccleſia, non proficiūt eis. Et ſic etiā ipſi impij tanquā vani & inutiles proiicientur à facie Domini in iudicio, cùm dicetur eis: Ite & diſcedite à me maledicti in ignē æternū. Mat.25. Et ſic patet quod Iudæi obſtinati, & omnes iniuſti, & impœnitentes, nō erunt tanquā lignū vitæ, &c. Sed tanquā ficulnea arida & maledicta, ex qua ceciderunt folia: & proiiciet eos ventus diuinæ vindictæ: ſicut ventus proiicit puluerē à facie terræ. Hæc Chriſtopolitanus Epiſcopus. Et fides quæ per charitatē operatur, vt ſcribit Dominus Cardinalis Cameracē.q.ij.ar.ij.li.iiij. eſt principium ſufficiēs ad ſalutem: dum tamen habens eam legem obſeruet, & ideo habens eam baptizari tenetur, cùm lex hoc præcipiat, & per hoc multa ſimilia intelligēda ſunt (vt idem ait, &c. cùm dicitur: Sola fides ſufficit.)

Fides dæmonum, de qua B. Iacobus dicit cap.2. Dæmones credunt & contremiſcunt. Dæmones autem (vt inquit Gabr. dub.vj.diſt.xxiij. q.ij.li.iij.) credunt fide actuali ex ſignis & coniecturis, etiam ex ſcriptura, quam nouerūt: & ex illis actibus credendi generatur in eis habitus. Non tamen habent fidem infuſam, quia illam nō habuerunt ante caſum, vt quidam volunt: nec eſt veriſimile, quod Deus poſt caſum obſtinatis in malitia & odio Dei, infuderit donum gratuitum, quale eſt fides informis. Et quamuis credant dæmones (vt dicit Scotus diſt.vij. libr.ij.) ille tamen actus credendi eſt in eis malus,

F I

quia oderunt illud creditum: & vt ait ſanctus Bonauent. credunt coacti, & quaſi cum quodam murmure. Habuerunt quidem ipſi fidem informem, ſed non de genere virtutis large acceptæ, quia non adhærebant ipſi veritati primæ propter ſe.

Fides eſt neceſſaria homini ad ſalutem, ſub qua (vt habet Gabriel diſtin.xiiij.q.vnica. lib.iij.) non ſolùm cadunt propoſitiones contingentes, ſed etiam veritates neceſſariè demonſtrabiles. Patet per Apoſtolum ad Hebr.11. Credere oportet accedentē ad Deum: quia eſt, & quod inquirentibus ſe remunerator ſit. Prima Deus eſt, neceſſaria eſt, & demonſtrabilis. Secunda Deus inquirentibus ſe remunerator eſt, eſt contingens. Vnde omnes articuli fidei aliquid enunciantes de Deo intrinſecum, vt Deus eſt trinus & vnus: verbum eſt à patre æternaliter genitum: ſpiritus ſanctus ab vtroq;. Deus eſt æternus, ſapiens, iuſtus, omnipotens, bonus: & ſic de aliis attributis ſunt neceſſariæ, quarum multæ ſunt demonſtrabiles & naturaliter notæ: quædam tantum ſupernaturaliter cognoſcibiles, & duntaxat in Theologia beatorum demonſtrabiles. Articuli verò qui aliquid enunciant de Deo per reſpectum ad extra ad creaturam: vt quod eſt incarnatus, quod eſt paſſus, Iudex futurus viuorum & mortuorū, beatificator electorum: & per conſequens indemonſtrabiles: & per conſequens non ſunt ſcibiles, licèt ſunt euidenter cognoſcibiles ex notitia intuitiua terminorum, ſed non niſi obiectis. Siquidem intuitiua Dei notitia eſt beatifica. Et licèt quædam propoſitiones ſint neceſſariæ (vt dictum eſt) & demonſtrabiles, poſſunt tamen credi & ſimiliter opinari. Nam qui eis aſſentit inductus leui perſuaſione, opinatur eas. Qui verò aſſentit inductus auctoritate reuelantis, credit eas. Cui autem demōſtrantur iam nec opinatur, nec credit, ſed euidenter noſcit eas, eiſque ſcientia propriè dicta firmiter aſſentit. Hæc Gabr. vbi ſupra. qui & ponit veritates fidem conſequentes. Vnde (vt idem ait) Fidelis legēs literaliter canonem Bibliæ, & capiens eius ſenſum, acquirit plures fidei habitus & nullum ſcientificum. Canon enim Bibliæ non eſt traditus per modum ſcientiæ demonſtratiuæ, vt ex principiis euidentibus deducantur concluſiones, quibus aſſentiatur propter principia, ex quibus deducantur: ergo legens non acquirit habitum ſcientiæ. Et quandoque ex veritate vna, alia infertur. Sicut Apoſtolus 1. Corinth.15. videtur concludere reſurrectionem mortuorum ex reſurrectione Chriſti. Item legens Bibliam, ſi eſt fidelis, immediatè aſſentit omnibus & ſingulis ibi traditis, quia credit omnia reuelata à Deo, nec vnī plus quàm alteri, nec vni propter alterum. Quinimo cuilibet ibi tradito aſſentit, etiam ſi cætera non eſſent ibi tradita, & hoc propter auctoritatem Dei ſingula & omnia reuelātis, & ita plures acquirit habitus: vnum tamen habet habitum infuſum, quo omnibus & cuilibet veritati ſibi traditæ immediatè aſſentit, vel ad minus cuilibet æquè aſſentit, licèt mediante illo principio. Omne reuelatum à Deo eſt verum, &c. Cui immediatè aſſentit, non tamen ſine fide acquiſita. De hoc loquitur ſanctus Auguſtinus xviij. de Ciuitate Dei cap.xlj. ponens differentiam inter ſcripturā ſacram, & dogmata Philoſophorum, dicens: Quicunque,

ſcilicet

ſcilicet Prophetarum & ſcripturarum canonis ſapuit, & vixit nou ſecundum hominem, ſed ſecundum Deum, qui per eos locutus eſt, ſapuit & vixit: ibi prohibitum eſt ſacrilegium. Deus prohibuit. Si dictum eſt: Honora patrem tuũ & matrem tuam: Deus iuſsit. Si dictum eſt: Non mœchaberis: Non homicidium facies: Nou furaberis, &cæ. huiuſmodi: non hæc ora humana, ſed oracula diuina fuderunt. Quicquid Philoſophi quidam inter falſa quæ opinati ſunt, verum videre potuerunt: & laborioſis diſputationibus perſuadere moliti ſunt, quod mũdum iſtum fecerit Deus, eumq; ipſe prouidentiſsimus adminiſtret de honeſtate virtutum, de amore patriæ, de fide amicitiæ, de bonis operibus, atq; omnibus ad mores probos pertinentibus rebus, quamuis neſcientes ad quem finem, & quonam modo eſſent illa omnia referẽda, ſunt Propheticis, hoc eſt diuinis vocibus, quamuis per homines in illa ciuitate (ſcilicet Eccleſia) populo cõmendata ſunt, non argumentationũ concertationibus inculcata, vt non hominis ingeniũ, ſed Dei eloquium contemnere formidaret, qui illa cognoſceret. Hæc Auguſtinus, vbi expreſſe innuit (vt dicit Gabriël diſtinct. xxiiij. quæſt. vnica. artic. ij. concluſione vi. lib. iij.) proceſſum ſcripturæ non eſſe argumentatiuum, ſed magis tanquã ex ore Dei plane reuelatum. Et vt idem dicit concluſ. vj. Maiores in Eccleſia per ſtudium Theologicum præter acquiſitam fidem quam augmentant, & circa quędam credibilia de nouo acquirunt multos apprehenſiuos & adhæſiuos habitus conſequentiarũ, opinionum, & ſcientiarum in ſeipſos producunt, perquirendo & exponendo ſcripturas, nunc vnam per aliam, qui & ad intellectum ſcripturarum ſcientias: puta Metaphyſicam, naturalem philoſophiã, & moralem immiſcent, per quod fidem acquiſitam augmẽtant. Vide latiùs Gabr. Et ſi (vt inquit ſanctus Bonauen. diſt. xxv. qu. vlt. lib. iij.) certitudo fidei à parte dictantis, non habet incrementum, habet tamen proficere ex parte ipſius credentis. Nam ſecundum cognitionem fides creſcit, quãdo eruditur ad ſcientiã, ſecundum affectũ verò quãdo ad deuotionẽ excitatur & roboratur ad conſtantiã, & vtroq; modo creuit fides ſecundũ diuerſitatẽ temporũ. Quod enim creuerit quantũ ad deuotionẽ, ſatis oſtendũt martyrũ paſsiones. Quod quantũ ad ſcientiã ſatis oſtendunt Doctorum eruditiones. Vnde latiùs Bona. vide & de augmẽtatione fidei Gabr. d. xxv. q. vnica. ar. iij. dub. ij. lib. iij. Apoſtoli quoq; (vt inquit Gabr. diſt. xxiiij. ar. ij. concluſ. vij. li. iij.) Prophetæ & Sancti, qui reuelationẽ veritatũ ſcripturę à Deo receperũt, credũtur notitias tantę certitudinis & euidẽtiæ habuiſſe, quo omnẽ dubitationis motũ penitus excluſerunt. Ita ſentit Occã. vide latiùs Gabr. Illa tamen certitudo nõ fuit euidens ex euidẽtia rei cauſata per demonſtrationẽ, ſed à Deo immediatè reuelãte, & ideo nõ fuit ſciẽtia, fuit tamen euidẽtia, id eſt certitudo maior quàm fidei, imò æqualis ſcientiæ, quia fides non excludit omnem motũ leuem dubitationis, ſed dubitationẽ pertinacẽ. Qui verò audit prædicationẽ articulorũ, & vidẽs fieri miracula, nõ acquirit notitiã euidentẽ articulorũ, ſed ſolũ acquirit fidẽ, licèt intenſiorẽ, qua firmius aſſentit prędicationi, & prædicatori propter teſtimonium miraculorum, non tamẽ habet notitiam euidentem: ita vult Occam. iiij. quodlibet. quæſt. x. & poſt eum Gabr. dub. j. vbi ſup. Vbi & dicit, quod nullus actus euidens eſt reſpectu falſi. Et ſi Sarracenus prędicans legem Mahumeti, facere poteſt miracula apparentia: cuius tamen legis articuli ſunt falſi. Sicut & Antichriſtus faciet apparẽtia miracula, pro approbatione falſæ doctrinæ. Sicut ergo audiens illorũ falſam prædicationem, & videns miracula apparentia, non acquirit notitiam euidentem. Ita nec audiens prædicationem veram articulorum fidei, & videns miracula vera, acquirit notitiam euidentem, præſertim cùm non facilè diſcernitur inter miracula vera & falſa. Vide & plura apud Gabriëlem vbi ſupra. & in fine dubij ponit notabile dictum, quod Deus nunquam deſerit rationalem creaturam ſine auxilio oportuno, facientique quod in ſe eſt, nulli deeſt Dominus in neceſſariis ad ſalutem, &cæ. Hæc plura de fide, quia nou inutilia cenſui, ſcribere non omiſi.

Fidei actus generalis ſecundum omnes Theologos libr. iij. ſenten. eſt vt intellectus credentis firmiter primæ veritati innitatur propter ſe, nec humanam rationem, aut miracula principaliter requirit, &c. Specialiter verò actus fidei ſunt quatuor. Primus eſt credendo amare. Secundus eſt credendo in Deũ ire. Tertius fidei actus eſt credendo ei adhærere. Quartus eſt credendo membris eius incorporari. Secundus actus fidei eſt exterior confeſsio, ſecundum quod dicit Apoſtolus Romanorum 10. Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem fit confeſsio ad ſalutem. Tertius actus fidei vel potius effectus eſt mortis ſuſceptio. Quartus actus fidei eſt triumphatio, tantus quippe eſt tentationum inſultus, quod nullus ſanctus, ſine vera fide, poſsit de illis triumphare, &c.

Articulus fidei quid ſit, & vnde dicatur, vide in dictione *Articulus* ſupra.

Fides eſt duplex. Explicita & implicita, vt notat Gabriël diſtinct. xxv. quæſt. vnica. libr. iij. Et ſecundum hoc aliqua veritas explicitè creditur, alia implicitè. Fides explicita eſt actualis aſſenſus catholicæ veritatis, ſiue vniuerſalis, ſiue particularis. Sic quicunque apprehendit aliquam veritatem catholicam & ei aſſentit, habet fidem explicitam illius veritatis, vt aſſenſus illius: omne reuelatum à Deo eſt verum. Canon Bibliæ eſt verus. Chriſtus ſatiauit quinq; milia ex quinq; panibus & duobus piſcibus. Fides implicita eſt fides habitualis aut actualis aſſenſus alicuius propoſitionis generalis: multas particulares veritates in ſe includentis. Dicitur enim propoſitio vniuerſalis vel generalis includere omnes illas particulares; quæ ex ea inferri poſſunt in bona conſequentia immediatè, aut mediatè vero coaſſumpto. Exemplum; vt aſſenſus huius: Omne contentum in ſcriptura canonica eſt verum, eſt fides implicita non quidem illius. Omne contentum in ſcriptura, &c. ſed omnium particularium veritatum in Canone contentarum, vt illius: In principio creauit Deus cœlum & terram. Adam eiectus eſt de Paradiſo. Chriſtus cœnauit cũ diſcipulis. Chriſtus deſcẽdit de cœlis, &c. Omnis autẽ fides habitualis eſt fides implicita veritatis

 ad cuius

ad cuius aſſenſum inclinat. Item eadem fides actualis eſt implicita & explicita reſpectu diuerſorum. Nam aſſentiens illi: quicquid credit Eccleſia, eſt veritas catholica, habet fidem explicitam illius propoſitionis. Quicquid credit Eccleſia, eſt veritas catholica. Et habet fidem implicitam omniū veritatum, quas credit Eccleſia. Nam aſſentiendo huic explicitè: Quicquid credit Eccleſia, &c. Implicitè aſſentit omnibus veritatibus, quę ex illa deduci poſſunt, ſicut huic. Euangelium continet catholicam veritatem. Item habens fidem infuſam, omnia credibilia credit implicitè, etiam ſi actu nihil apprehendat. Hinc infantes baptizati nondum rationis vſum habentes, omnia credenda implicitè credunt: prætere a ſtat aliquem implicitè credere aliquam veritatem, & explicitè ei diſſentire, imo eius oppoſito cōſentire. Patet, poſito quod aliquis credat ſicut Eccleſia credit, hoc eſt credat illam, quicquid Eccleſia credit verum eſt, & diſſentiat huic. Abraham habuit plures vxores, & aſſentiat eius oppoſitum credens ita ſentire Eccleſiā, ille implicitè credit illam. Abraham habuit duas vxores, quia ſic credit Eccleſia, & explicitè eam diſcredit. Hæc Gabr. vbi ſupra. Hæc fides implicita, vt idem ait, qua fidelis credit quicquid Eccleſia credit vtiliſsima eſt fideli. Nam ſi fuerit in corde, defendit ab omni hęretica prauitate, vt dicit Occam in tract. de ſacramen. ca. j. & poſt eum Gerſon Cancel. Non enim aliquatenus hæreticari valet, qui corde credit quicquid eccleſia catholica credit, id eſt qui credit illam quicquid eccleſia credit eſt verum, quoniam talis nunquā pertinaciter aliqui errori contrario fidei adhæret. Nam etſi erroneū aliquid credit, poſtquam ſibi oſtenditur cōtrarium huius, credere eccleſiam, cōtinuò corrigit errorem, non enim ſtant ſimul credere illam. Verū eſt quicquid eccleſia credit, & non credere aliquod quod eccleſia credit apprehenſum, vt tale. Quid autem ſit credere implicitè, quære ſupra in verbo *Credere*.

Fidelis dicitur, qui fidem habet, & modò pro Chriſtiano homine accipitur, qui verā profiteatur fidē: infidelis per contrariū. Et fideles, qui ſunt membra eccleſiæ, ſunt in duplici differētia, quidā dicūtur maiores in eccleſia, vt & notat Gabr. vbi ſupra. qui ad quædā particulariter credenda tenentur, & quæ nō tenētur minores qui ſunt in eccleſia. Et illis incumbit officiū regendi & docēdi alios verbo veritatis, & exemplo honeſtatis, ſicut ſunt Paſtores eccleſiæ, Epiſcopi, curati, & legentes in vniuerſitatibus, & ſecundum aliquos, maximè in Theologia. Quidam ſunt minores, & ſunt ſimplices & ſubiecti, & doctrina & regimine indigentes, illi in particulari credere debent, quod Deus eſt, & quod eſt munerator, quod mediator eſt ſiue redemptor humani generis. Vnde Apoſtolus ad Hebr. 11. Oportet credere accedentem ad Deum, quia eſt: & Inquirentibus ſe munerator eſt. & Actuū. 4. vbi Petrus loquens de Chriſto ait: Non eſt in aliquo alio ſalus, neq; aliud nomen, in quo oporteat nos ſaluos fieri: vide plura apud Gabriēlem vbi ſupra. Sunt itaque duplices eccleſiæ filij. Maiores, ſcilicet quorum eſt non tantum credere, ſed etiā fidem defendere, ac in eadem ſimplices inſtruere. Minores quoque, qui maiorum inſtructione in fide inſtruuntur, nutriuntur, & roborantur. Et pro fide confirmanda & habenda clariore notandæ ſunt propoſitiones, quas ponit diffuſę, & abundè probat Gabr. diſt. xxv. art. ij. lib. iij. Prima veritas, ſicut ſaluandis omnibus neceſſaria fuit fides infuſa pro quolibet ſtatu eccleſiæ: ita & actus fidei adultis vtentibus ratione. Anima enim non eſt accepta Deo, niſi per charitatem quo ad voluntatem, vel perficiatur habitu ſupernaturali quo ad intellectum. Deus autem de lege ordinata non perficit animam, niſi perficiat eam ſecūdum totum: ideo charitate voluntatem non perficit, niſi perficiat intellectum fidei. Dei enim perfecta ſunt opera. Deut. 33. Et ad Hebr. 11. Impoſsibile eſt ſine fide placere Deo. Quo ad ſecundum quod in habentibus vſum rationis, non ſufficit meritum Chriſti, ſicut in non habentibus, qui merito redemptoris ſaluantur, & non in proprio merito, ſed neceſſe eſt etiam addere meritum proprium, ſecundum illud: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Et iterum: Fides ſine operibus mortua eſt. Et ſicut prudentia eſt auriga actuum virtuoſorū, ita fides actuum meritoriorum: neceſſarius itaque eſt omnibus ratione vtentibus actus fidei, aliquando ea neceſsitate, qua eis neceſſarius eſt actus meritorius. Videatur latiùs Gabriēl. conclu. j. Secunda veritas, licèt eadem fuerat fides infuſa in nobis, & in veteri teſtamento patribus, non tamen eadem acquiſita. Nam vna eſt tantùm infuſa fides in vno homine numero, & vna ſpecie in omnibus hominibus: ſicut vnū obiectum immediatum & principale, ſcilicet omne reuelatum à Deo eſt verum, mediante cuius actu (qui eſt vnus ſpecie apud illos & nos) inclinat ad omnes actus credendi articulos ſpeciales. Sed de fide acquiſita reſpectu redemptoris certum eſt, quod reſpectu certorū articulorum eadem fuit fides acquiſita, & fidei actus ſpecie apud illos & nos: puta articuli creationis mundi, lapſus primi hominis, futuri iudicij; ſed non quo ad omnes articulos. Propoſitiones enim creditæ à patribus ſpecie diſtinguūtur à creditis à nobis. Nam illa propoſitio: Chriſtus eſt venturus, paſſurus, reſurrecturus, &c. quam illi crediderunt, &c. Et illæ propoſitiones: Chriſtus venit, Chriſtus paſſus eſt, reſurrexit, &c. quam nos credimus, diſtinguuntur ſpecie, quia ſunt non ſynonymæ, propter diuerſam temporis connotationem: latiùs Gabr. ſcribit vbi ſupra. Et ſecundum Auguſtin. & poſt eum ſcribit Iacobus de Valentia tract. iij. ca. ij. regula vij. prologi in Pſalteriū, quod ſicut in vtroque teſtamento vnus ſemper fuit Chriſtus creditus: ita dicitur vna & eadem fides patrum veteris teſtamenti & noſtra: eò quòd vnitas fidei eſt ab vnitate obiecti crediti. Item ſicut ſemper vna fides Chriſti, ita fuit & ſemper eſt vna lex in vtroq; teſtamento, quia vnitas legis ſumitur ab vnitate fidei. Latiùs ſcribit Valentia. Tertia veritas, pro omni tempore poſt lapſum hominis, fides mediatoris explicita ad ſalutem ratione vtentibus fuit neceſſaria. Patet, quia nullus ſaluatur niſi ſit membrum eccleſiæ per fidem mediatoris, vt patet diffuſè per Apoſtolum ad Hebr. 11. Ergo ſicut præſentes poſt Chriſti aduentum per fidem mediatoris: ita præcedentes per eandem fidem fuerunt membra Chriſti & eccleſiæ. Generaliter autem credere fuit neceſſarium omni homini, licèt non particulariter & explicitè. Credere, inquam, in genere quemadmodum

Deus

Deus ordinaret viam aliquam redemptionis per ali quem mediatorem etiam ignorando per quem, an per verbum Dei, vel per angelum aut aliũ modum, & iſtud generaliter credere fuit neceſſarium omni homini ad ſalutem poſt lapſum. In lege autem reuelatæ veritatis, ſcilicet euangelica adhuc magis particulariter credere tenemur plus vel minus ſecundum diuerſos ſtatus hominum quàm in lege Moſaica, & naturæ. Et ideo ſanctus Bonauen. q. iij. di. xxv. dl. iij. ait: quia Philoſophi hanc fidem in genere non habuerunt, ſuis virtutibus & meritis inhętẽtes non poterant eſſe membra Chriſti, & per conſequẽs nec ſaluari. Nec ipſi excuſabantur quin ad minus tenerentur ad fidem illam in generali: ſi denique feciſſent quantum in ſe fuiſſet, non defuiſſet eis Deus ad eorum illuminationem. Hinc Apoſtolus ad Rom. 1. Cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Vide latiùs Gabr. vbi ſupra. Similiter dicendũ eſt de eo qui in ſilua natus Doctorem fidei non audiuit. Vnde B. Tho. in iij. ſcrip. di. xxv. q. iiij. In his inquit quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem, nunquam Deus homini quærenti ſuam ſalutem deeſt vel defuit, niſi ex culpa ſua. Vnde explicatio eorum quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria vel diuinitus prouidentur homini per prædicatorem. Sicut patet de Cornelio Actuũ. 10. Et de Enucho Candacis Reginæ. Actuum. 8. Vel per reuelationem, qua ſuppoſita in poteſtate liberi arbitrij eſt vt exeat in actum fidei. Hæc Tho. Quarta veritas vt habet Gabr. concluſione. iiij. vbi ſupra eſt, quod omnia Eccleſiæ membra pro ſtatu legis euangelicæ eadem tenerentur credere, non quidem explicitè, ſed implicitè. Quo ad primum explicitè patebit infrà. Implicitè verò probatur, nam omnes tenentur habere fidem infuſam, vt prima veritas dicit. Sed hanc habens, credit omnia implicitè, quia habitum habet ad omnia credibilia mediatè vel immediatè incliuantem. Item omnes vſum rationis habentes tenentur credere quod omne reuelatum à Deo eſt verum. Item quod ſcriptura à Deo reuelata ſit verà, ſed hoc credens explicitè, omnia credibilia credit implicitè, cum omnia credenda ſunt reuelata à Deo, & omnia continentur immediatè vel mediatè in ſcriptura. Hæc Gabr. Ad quædam tamen particulariter credenda tenẽtur maiores, & ad quædam minores, vt & ſupra tactũ eſt. Vnde rudes (vt vult Scot.) & minores non tenentur tantum credere ſicut clerici literati & alij, tenentur tamen ad aliquem actum explicitũ pro aliquando, & ad alia in generali, vt credant ſicut eccleſia credit. Et licèt ſimplices & minores non tenentur circa ſingula credibilia particularia explicitam fidem habere, tenentur tamen omnes particulares errores ne pertinaciter adhęreãt cauere, vt diffuſè probat Gab. vbi ſupra. concluſione. vj. Et quia vt vult S. Thom. myſterium Chriſti explicitè credi non poteſt ſine fide trinitatis, ideo poſt tempus gratiæ diuulgatæ tenentur omnes ad explicitè credendum myſterium trinitatis, &c. hoc eſt, vt credat quod in deitate eſt pater & filius, & ſpirituſſanctus, & hi tres vnus Deus ſic confuſe & generaliter, non autem diſtinctè, quod in vnitate ſit diſtinctio perſonalis. Plura Gabr. concluſione. v. vbi ſupra. Nullus præterea excuſatur ſi ignorat ea quæ prædicatio eccleſiæ manifeſtat & vſus eccleſiæ, & quæ ſolennitates oſtendunt, vt quod Chriſtus natus eſt, crucifixus, & generaliter articuli ſymboli, & in illis prædicatis tenetur minores Prælatis ſuis credere, & ſic prædicatis explicitè aſſentire. De quo latiùs aliàs dictum eſt. Et videatur ad hoc Gabr. ar. iij. di. xxv. dub. j. ij. iij. Omnes quoque tenentur articulos fidei credere, vt credant ſi proponũtur ipſis. Sic ad fidem explicitam omnium in ſymbolo contentorum, omnes in tempore gratiæ obligantur, vt dicit Magiſter, & Gabr. concluſione v. vbi ſupra. refert. Et ſi (vt ibidẽ dicit) aliqui adeo obtuſi fuerint, quod articulos ipſos ſecundum quod in Symbolo ordinati ſunt eo ordinẽ recitare non poſſent, ſufficeret tamen eis quod omnes & ſingulos explicitè credunt, dum eis proponuntur, &c.

Fides Chriſtiana eſt veriſsima & firmiſsima, de qua copioſe ſcribit frater Pelbartus. Eo quo modo probetur per multa teſtimonia Sanctorum, Prophetarum & Apoſtolorum & Diſcipulorum Chriſti, qui nondum verbis, verùm etiam verberibus & mortalibus crudelibus teſtificati ſunt veritatẽ huius fidei. Item teſtimonio probatur gentilium & Sibyllarum & Philoſophorum. Item Angeli Dei atque dæmones teſtimonium dant fidei noſtræ. Vnde Matth. 8. de Ieſu filio Dauid: Vt quid ante tempus veniſti torquere nos. Item omnes creaturę cœleſtes, terreſtres & infernales, ſecundum quod dicit Greg. in homel. epiphaniæ. Omnia, inquit, elemẽta auctorem ſuum veniſſe teſtata ſunt. Plura Pelbartus libr. iij. roſa. Theol. in dictione, *fides*, probatur & ſæpiſsimè per teſtimonium ſacræ ſcripturæ. Quare non dici poteſt (vt ſcribit Gerſon parte. iiij. ſermone de S. Petro & Paulo. conſideratione. ij.) fidem noſtram intantum eſſe præpoſitam & exaltatam tam generaliter ſine maximis Dei miraculis. Si enim neges aliqua fuiſſe facta ad extra miracula, talia qualia certè affirmant hiſtoriæ, in hoc tamen ſingulare eſt miraculũ, quod ſine miraculo tam magnus & talis populus taliquẽ modo huic ſe ſubmiſerit credulitati, diuites, pauperes, docti per illiteratos homines conuerſi ſunt, & præcipuè per eos quos ipſi trucidabant, & dimittendo gaudia, voluptates, honores & aſſuetas delicias, ac veniendo ad laborẽ, ad tormenta & ad mortem, & hoc totum interdum ſubitò, & veluti in vno momento. Sicut patet & in conuerſione ſancti Pauli, qui de perſecutore & lupo rapace fuit ſine mora mutatus in defenſorem, & ouem amicabilem. Hæc Gerſon. Per hoc patet fidem noſtram Chriſtianam eſſe firmiſsimam. Et de fide multa aliàs à doctoribus ſcribuntur.

Fides bona ſecundum Tullium, vt poſt eum refert Gerſon. parte. iij. tract. de oratione & eius valore, parte ij. litera B. eſt vnum agere, & non fingerẽ aliud. Vel fortè illud (inquit Gerſon) melius diceretur bona fide aliquẽ quid agere, dũ facit illud quod ſibi rectè vellet fieri, aut quod alius pro quo fit deberet rectè ſibi fieri velle. Sic commendantis, ſic legantis intentio ſeruanda eſt. Fiat tamen etiam hoc vtiliter ſuperioris prudentiorisque conſilio vel aſſenſu. Et recipiens rem aliquam bona fide, neſciens

nec credens eam male acquiſitam, ſiue per donationem, ſiue per contractum, non tenetur eam reſtituere ſi ignorantia non fuerit craſſa, nec perceptos fructus durante fide bona, vt ſcribit Gabr. di.xv.q.iij. dub.v.propoſit.ij.lib.iiij. Et eſt ſententia Hoſtienſ. in ſum.l.iiij.de pœ.& remiſ.c.de reſti.& cęterorū. Et dicitur, bona fide, quæ eſt vt ſequitur quando non ſcitur nec creditur res eſſe malè acquiſita, ſed præſumitur nō eſſe aliena. Panormi.in c.grauis.de reſti.ſpo. Malefidei poſſeſſor eſt qui poſſidet & ſcit ad alium pertinere. Ecōtra bonæ fidei poſſeſſor, qui cùm ignoraret ſe poſſidere alienum, poſſidet cogitatione Domini, ſola autem fides bona excuſat à reſtitutione rei alienæ.

Filius in diuinis (vt ſcribit Gab.li.j.di.xxvij.q.iij. ar.iij.) eſt perſona genita de ſubſtātia patris, & licèt filius ſit verè & realiter de patris ſciētia genitus, quę eſt Dei & omnium creaturarū, quia omnibus modis filius eſt verbum, & econuerſo, tamen nomen filius non connotat reſpectum ad creaturam, ſicut nomen verbū. Cuius ratio nulla eſt (inquit Gabr.) niſi voluntaria impoſitio terminorum, & ſic illa duo nomina propria filio nō ſunt ſynonyma, quorum vnum connotat creaturam & aliud non, ita poſſunt imponi duo nomina patri, ſimiliter duo ſpirituiſancto.

Filiatio vt memoriæ prodidit Gabr. diſtinct. viij. q.vnica art. iij.dub.ij.lib.iij. nihil aliud debet dici, niſi ſuppoſitum actu ſubſiſtens in natura producta intellectuali vel ſenſitiua ab alio eiuſdem rationis actu exiſtente, ſiue ſuppoſitum iſtud habuerit illam naturam quam per productionem accepit continuè, ſiue cum interruptione. Per hoc patet quod verbum in triduo mortis, non fuit filius virginis, quia tunc non ſubſiſtebat in natura humana, quia tunc non fuit natura humana Chriſti: quia anima Chriſti non fuit vnita carni, ſine qua vnione non eſt natura humana. Patet ſecundo quod poſt reſurrectionem & nunc eſt filius Mariæ, & idem filius qui prius. Suppoſito quod beata Virgo ſit glorioſa in corpore & anima, quia idem verbum, eadem natura, eadem mater & Virgo, licèt natura ſimiliter & mater fuerit interrupta. Vnde poſt finalem reſurrectionem Ioannes erit filius Zachariæ: ſicut fuit ante mortem vtriuſque, & eadem filiatione, quia idem verbum, eadem natura humana, eadem mater. Nec impedit quod nunc verbum eſt homo per nouam productionem humanitatis reſuſcitatæ. Siquidem reſuſcitatio productio eſt reſuſcitati. Et illo modo tollit generationem præteritam, non enim tollit quin eadem natura olim fuit accepta per generationem. Et vt idem dicit Gabr. Filiatio æterna eſt res relatiua, & proprietas poſitiua à patre quidem & ſpirituſancto realiter. A filio autem & eſſentia formaliter tantum, non realiter diſtincta; quæ cum eſſentia & ſpiratione actiua conſtituit perſonam filij. De quo in princi. ſent.latiùs videatur. Et quamuis (vt ſcribit ſanctus Bonauentu. diſtinction.viij. libr.iij.) concedatur duas natiuitates eſſe in Chriſto, non tamen concedi debet duas eſſe filiationes. Vnde ſicut quando quis generat poſt primum filium, alium, non naſcitur in eo noua paternitas, ſed primæ paternitati innaſcitur nouus reſpectus, quia pater eſt pluribus quàm prius erat. Sic etiam intelligendum eſt quod Chriſtus generatione temporali non acquirit nouam filiationem, ſed incipit eſſe filius alterius, ſcilicet hominis virginis. Et vt idem ait diſtinct.x. libr.iij. Chriſtus inquantum homo eſt naturalis filius virginis, inquantum autem Deus eſt filius virginis, non per naturam, nec per adoptionem, ſed per gratiam vnionis. Et penes vtramque natiuitatem (vt idem dicit) q. vlt. vbi ſupra. Chriſtus eſt filius naturalis, quia vtraq; natiuitas cōſiſtit in productione ſimilis ex ſimili, ſecundū ſimilitudinē & cōuenientiā in natura. Vnde ſecundū natiuitatem æternam generatur ſimilis patri, ſecundum natiuitatem temporalem generatur ſimilis matri. Ideo vtraq; natiuitas eſt naturalis, & ratione vtriuſq; natiuitatis Chriſtus naturalis filius debet dici. Bona.

Filius hominis. Differunt ſecundum Augu. ſuper Pſal.8. homo, & filius hominis. Nā omnis filius hominis eſt homo, quāuis nō omnis homo filius hominis poſſit intelligi. Adā quippe homo, ſed nō filius hominis. Quapropter ſecundū eundem differt homo & filius hominis, vt qui portāt imaginē terreni hominis qui non eſt filius hominis, hominum nomine ſignificētur. Qui autē portant imaginē cœleſtis hominis, filij hominis potius appellētur. Ille & vetus homo dicitur, iſte autē nouus. Sed nouus ex veteri naſcitur, quoniam ſpiritualis regeneratio mutatione vitæ æternæ atq; ſecularis inchoatur, & ideo iſte filius hominis nuncupatur. Homo igitur hoc loco dictus eſt terrenus, filius autem hominis cœleſtis, & ille ſeiunctus à Deo, hic autem præſens Deo. Hæc Aug. quare & Chriſtus filius hominis dicitur.

Filius adoptionis vt ſcribit Scotus di.x.libr.iij. & poſt eum Gabr. eadem diſt. Vocabulum (inquit) iſtud filius adoptionis, tranſlatū eſt à Iuriſtis, qui filium adoptiuum dicunt illum qui non naturaliter genitus eſt ab aliquo certo homine, nec ex naturali generatione habet ius ſuccedendi in hæreditate eius, ſed ex gratia pręordinatur vt habeat ius ſuccedendi. Et ſic ad hoc vt ſit filius adoptiuus alicuius, requiritur quod ſit ei extraneus, id eſt non ſit eius naturalis filius, cui ex conditione naturalis generationis conueniat ius ſucceſſionis in hæreditate adoptantis. Secundo requiritur voluntas gratioſa adoptantis, qua vult talem ſuccedere & eſſe hæredem ſuum. Tertio quod ſit aliqua hæreditas in qua poſſit ſuccedere in re vel in ſpe. Ex quo ſequitur quod angeli beati ſunt filij adoptiui, etiam ſi fuiſſent in gratia creati, quia non ſunt naturales filij Dei, ſunt tamen præordinati per gratioſam Dei voluntatem vt beatitudine fruantur æterna, quæ non conuenit eis ex naturali eorum productione, ſed per gratiam. Eſt etiam ibi hæreditas, ſcilicet beatitudo. Secundo ſequitur quod nulla creatura irrationalis dici poteſt filia adoptiua, quia non eſt ordinabilis ad hæreditatem æternam, quæ eſt beatitudo. Tertio ſequitur quod præſciti non ſunt filij adoptiui. Patet quia non ſunt per voluntatem Dei ad hæreditatem præordinati. Gabr. poſt Scotum. di.x. quæſtio.vnica. libr.iij. vbi & dicit quod verbum

Dei

Dei Chriſtus non eſt filius Dei adoptiuus, quia nullus filius Dei naturalis eſt filius adoptiuus, verbum Dei homo Chriſtus eſt filius Dei naturalis, ergo nõ adoptiuus. Nec illa eſt concedenda: Chriſtus ſecundum humanam naturam eſt filius Dei adoptiuus. Vide latiùs Gabr. & Bona. Illa itaque ſecundum Gabr. nullo modo eſt concedenda: Chriſtus eſt filius adoptiuus, nec ſimpliciter, nec cum quacunque determinatione, ne communicemus cum hæreticis in verbis, aut ne detur occaſio probandi Chriſtum eſſe creaturam, ad quod hæretici laborabant. Ideo ſancti hanc propoſitionẽ negabãt. Nec illa: Chriſtus eſt filius adoptiuus, valet illã, Chriſtus filius ſubſiſtit in natura adoptata largè loquẽdo de adoptato, &c. Filius adoptionis referendo ad nos iuxta illud. Sumus filij adoptionis per Chriſtum. Hoc autem intelligi poteſt dupliciter, vt ſcribit S. Bona. di. x. ar. ij. q. ij. li. iij. quia illa præpoſitio per, poteſt importare cauſam effectiuam, vel meritoriam, ſiue diſpoſitiuam. Et ſi importat cauſam meritoriã vel diſpoſitiuam, abſque dubio verum eſt quod ſimus filij adoptionis per Chriſtum. Ipſe enim nobis meruit gratiam per quam ſumus filij adoptiui, inquantum eſt caput Eccleſiæ. Et hoc non ſolùm reſpicit diuinam naturam, ſed etiam naturam aſſumptam. Si verò importat cauſam effectiuam, ſic adhuc verum eſt. pater enim nos adoptauit per filium & ſpiritumſanctum. Etſi per appropriationem loquamur, per filium nos adoptauit quo ad inchoationem, per ſpiritumſanctũ quo ad conſummationem. Ad noſtram enim adoptionem duo concurrunt, ſcilicet redemptio quæ facta eſt per filij miſſionem, & gratificatio quæ facta eſt per miſſionem ſpiritusſancti. Et hoc eſt quod dicitur in li. de anima & ſpiritu. c. vj. A patre per filium & ſpiritumſanctum ad nos diuina deſcendunt, pater ſiquidem tradidit filium quo redimeret nos, miſit ſpiritumſanctum qui ſeruos adoptaret in filios, filium dedit in precium redemptionis, ſpiritumſanctum in priuilegium adoptionis. Et ſic pater per omnem modum verum eſſe quod ſumus filij adoptiui per Chriſtum. Per quod autem donum ſiamus filij adoptiui? Reſpondet idem in fine q. quod filij Dei ſumus inquantum ſumus conformes imagini filij naturalis, ſecundum id Rom. 8. Quos prædeſtinauit conformes fieri imagini filij eius. Hoc autem eſt dupliciter. Aut per priuationem à malo, & hoc eſt per gratiam baptiſmalem, quæ inquantum eſt ſacramentalis, medela eſt contra malum. Aut per ordinem ad bonum. Et hoc poteſt eſſe dupliciter. Aut ex parte intellectus, & ſic eſt fides. Aut ex parte affectus, & ſic eſt charitas. Si autem dicatur timor vel humilitas facere filios, hoc eſt diſpenſatiuè. Filiatio quoq; per adoptionem (vt idem ait q. vlt. iſtius diſtinctionis) competit nobis reſpectu totius trinitatis, à qua ſumus creati, & recreati, & ſic competit nobis reſpectu Chriſti. Vnde Chriſtus poteſt dici pater noſter. Sicut enim in diuinis nomen principij accipitur eſſentialiter, vtpote cùm dicitur, reſpectu creaturæ. Accipitur etiam notionaliter cùm dicitur, reſpectu perſonæ. Sic nomen patris ſi dicatur reſpectu perſonæ, dicitur perſonaliter. Si verò dicatur reſpecto naturalis creaturæ, eſſentialiter dicitur. Vnde ſic pater & filius & ſpiritus ſanctus, ſunt vnum principium reſpectu creaturæ ratione productionis naturæ: ſicut ſunt vnus pater ratione collationis gratiæ. Bonauen. & in fine dicit: Chriſtus eſt pater noſter ſecundum diuinam naturam: & eſt frater noſter ſecundum humanam naturam. Hoc autem non facit confuſionem proprietatum, nec relationum: quia nec paternitas illa, nec fraternitas proprietates perſonales important.

Filius filij. Quidam ſunt legitimi, quidam illegitimi. De quibus legito Richar. di. xlj. ar. ij. qu. iij. libr. iiij. Filij legitimi & naturales ſunt qui naſcuntur ex legitimo matrimonio, ſeu in eo concipiuntur, ſiue ante baptiſmum ſiue poſt, & hoc ſiue matrimonium ſit legitimum ſecundum rem & veritatem, vel ſecundum Eccleſiæ approbationem, ſiue ab initio ſiue ex poſt facto, & contrahentium reputationẽ, vel vtriúque, vel alterius. Si verò aliquis clandeſtina matrimonia vel interdicta inire præſumpſerit in gradu prohibito etiam ignoranter, ſoboles de tali coniunctione ſuſcepta, prorſus illegitima cẽſeatur de parentum ignorantia nullum habitura ſubſidium, cum illi taliter contrahendo non expertes ſcientiæ, vel ſaltem affectatores ignorantiæ videantur. Filij legitimi & nõ naturales ſunt adoptiui ſiue arrogati. Filij naturales & non legitimi ſunt nati ex concubinis in domo. Non legitimi nec naturales ſunt nati ex adulterio. Similiter dico de illis qui naſcuntur ex inceſtu. Illegitimi enim ſunt qui naſcuntur ex copula non legitima. Dicuntur etiam non naturales non à natura generis, ſed à natura ſpeciei, pro tanto quia naturale iudicium rationis manifeſtè tali copulę cõtrarium eſt. Latiùs ſcribit Richar. Filius autem eſt quem nuptiæ demonſtrant, inquit Paludẽſis eadem di. q. iij. Filij autem illegitimi duobus modis legitimantur, ſecundum iura canonica, vt & habet Rich. vbi ſupra. & Petrus de Palu. di. xlj. q. iij. lib. iiij. Primus eſt per ſequens matrimonium, quando, ſcilicet ſolutus generans filium de ſoluta: poſtmodum in facie eccleſiæ cum ea contrahit, hic autem modus non extendit ſe ad natos ex adulterio: Secundus modus eſt per diſpenſationem Domini Papæ, & hic modus legitimandi poteſt ſe extendere ad quoſcunquẽ illegitimos, & ad omnes illegitimos actus in totã eccleſia. Secundum autem iura ciuilia legitimantur ſex modis. Primus, eſt quando pater filium naturalem ex concubina ſuſceptum, non ſpurium tradidit curiæ ciuitatis ſuæ vel metropolitanæ, & ſit officialis in illa curia, quod contingit propter curiæ honorem. Secundus, quando pater filium naturalem iungit officiali curiæ ciuitatis ſuæ vel metropolis. Tertius, quando ipſemet naturalis filius offert ſe curiæ deficienté prole legitima, nam aliàs non liceret ſibi ſe offerre. Quartus, quando deficiẽte prole legitima, ipſa concubina offert pro filio ſuo legitimãdo preces imperatori: & imperator eas ſuſcipit. Quintus, quãdo pater in teſtamẽto ſolẽniter perfecto vocat, eum legitimum filiũ ſuum. Sextus, quando in teſtamento publica manu confecto vel manu propria habẽte ſubſcriptionẽ trium teſtium fide dignorum vocat eum legitimum. Hæc Richardus videatur & Petrus de Palude vbi ſuprà.

Filiusfamilias vt ſcribit Richar. diſt. xlv. art. iij. qu. iij. libro iiij. dicitur omnis qui naſcitur ex legitimo matrimonio, & nõdum eſt mancipatus, is (vt idem vult)

vult) teſtari non poteſt, etiam ſi pater permittat, niſi ſit miles, qui de peculio caſtrenſi vel quaſi caſtrenſi teſtari poteſt. Peculium autem caſtrenſe dicitur quod milites in caſtris militando acquirunt. Quaſi caſtrenſe dicitur, quod filiusfamiliàs de ſcientia ſua acquirit. De quo aliàs latius & ſuo loco dicetur.

Figura à fingo dicitur forma, aſpectus, qualitas. Et dicitur tripliciter, vt ſcribit S. Bonauen. diſt. xlviij. ar. ij. q. iij. in fine libr. iiij. Vno modo dicitur diſpoſitio ex clauſione linearum, & hæc non perit quantum ad terram, quia omnino eſt orbicularis. Secundo modo dicitur figura exterior rei facies ſiue pulchritudo. Hinc 1. Cor. 7. dicitur. Præterit figura huius mundi, & hæc tranſibit, ſicut dicitur in glo. non ſubſtantia, ſed pulchritudo. Tertio modo figura dicitur fictio vel fragilitas, à fingo is, vt vaſa figuli, & ſic etiam pertranſibit non ſubſtantia, ſed diſpoſitio partium quo ad terram, & pulchritudo & fragilitas. Capitur & figura pro quacunque re, vel pro quocunque exemplo ducente in veritatem rei, & ſic in antiquo teſtamento manna repræſentabat ſanctiſſimum ſacramentum, & ſic de aliis figuris. Capitur & figura pro imagine repræſentante imaginatum, vt imago crucifixi repræſentat Chriſtum. Bruleſ.

Finis vt ſcribit Gabr. qu. xj. prologi. aliquando accipitur pro aliquo acquirendo per operationem, ſicut ſanitas eſt finis deambulationis, & ille finis eſt amatus & deſideratus amore concupiſcentiæ. Alius eſt finis amatus amore amicitiæ, propter quem finis primus producitur: quia enim homo diligit ſeipſum, concupiſcit ſibi ſanitatem. Similiter qui diligit Deum ſummè propter ſe, omnia agit propter Deum, & illi Deus eſt finis omnium operum ſuorum. Primus finis eſt prior intentione, ſed vltimus in executione, & eſt realiter effectus, & eſt communiter ignobilior illo fine ad quem ordinatur, ſaltem in æſtimatione agentis qui intẽdit eum. Et ab aliis dicitur finis quo, &c. Secundus finis vt frequenter præexiſtit operationi, & ſi ſecundum rem ratione non intendatur, non eſt ignobilior illo quod eſt ad finẽ, nec eſt effectus, nec acquiritur per ipſam operationem. Et hic ab aliis dicitur finis gratia cuius. Finis autem ſcientiæ propriè loquendo eſt amatum à diſcente, ſiue amore amicitiæ, ſiue cõcupiſcentiæ quod mouet ad acquirendum ſciẽtiam. Vide latius Gabr. Et finis libri ſententiarum eſt (vt inquit S. Bonauen. q. iiij. prologi) vt boni fiamus. Refert autem loqui de fine & cauſa finali. vt notat Gabr. diſt. j. qu. v. articul. j. libr. ij. Nam finis eſt terminus rei vel operationis: vt punctus lineæ & forma, aut effectus productus eſt terminus motus vel operationis, quo, ſcilicet producto ceſſat motus aut operatio. Sed cauſa finalis eſt illud quo agens mouetur ad operandum. Et de cauſa finali ſupra dictum eſt. Accipitur tamen frequenter finis vt etiam ſe extendit ad cauſam finalem, vt dicit idem Gabr. di. xxxviij. q. vnica. ar. j. libr. ij. Vnde ſic accipiendo finem, finis ſecundum Gabr. & Greg. de Ari. capitur tripliciter. Communiter, propriè, & magis propriè. Cõmuniter, quodlibet volitum ſiue volitionis obiectũ dicitur finis. Sic accipit Aug. ii. de tri. c. 6. vbi dicit quod voluntas videndi nõ habet finẽ niſi viſionem, ſiue illud referat ad aliud, ſiue nõ referat, & volũtas videndi feneſtrã, finẽ habet feneſtram. Finis propriè dicitur non quodcunque volitum, ſed volitum propter quod aliud eſt volitum. Et ſic accipitur finis quod eſt cuius gratia, ſcilicet aliud eſt volitum. Et illos duos modos diſtinguit Magiſter in tex. di. xxxviij. libr. ij. cùm dicit: Finis voluntatis eſt vel illud quod volumus per quod impletur ipſa voluntas, vel potius aliud propter quod illud volumus. Finis magis propriè eſt id propter quod aliud eſt volitum, & ipſum propter ſe tantum eſt volitum. Sic dicitur 2. Metaphy. Finis eſt quod nõ eſt alius cauſa, ſed alia illius, id eſt, finis eſt quod non eſt volitum propter aliud, ſed propter ſe tantum. Alia autem ſunt volita propter ipſum. Et Cõmentator ibidem commen. viij. dicit: quod deſcriptio cauſæ finalis eſt, vt non ſit propter aliam cauſam, pro eodem ergo capit finem ibi, & cauſam finalem, &c. Habet autem homo duplicem finem, vt ſcribit Gabr. di. xxxvij. q. vnica. art. j. libr. iij. vbi ita dicit: Homo qui ſubſiſtit ex duplici ſubſtantia, ſcilicet ſpirituali & æterna, atque corporali mortali, duplicem habet finem. Vnum ſupernaturalem. Alium naturalem; qui humanus dici poteſt ſeu politicus vel ciuilis. Nunc pro conſecutione finis primi datæ ſunt leges proportionatæ ad illum finem, & illæ appropriatè dicuntur leges diuinæ, theologicæ, ſiue de iure diuino. Quemadmodum non omnes virtutes, ſed eas dũtaxat quæ immediatè ad Deum ordinant theologicas & diuinas nominamus, fidem, ſpem & charitatem. Ad conſequendum autem alium finem humanum, ciuilem ſeu politicũ, leges aliæ latæ ſunt. Quandoque à Deo reuelantur, vt iudicialia veteris teſtamenti. Quandoque & plurimum per humanam inueſtigationem impoſitæ, illæ enim quamuis ordinentur finaliter ad finem beatitudinis æternæ ſicut ea quæ corporis ſunt, & corpus ipſum propter animam factum, eas tamen non dicimus diuinas. Alioquin leges & regulæ medicinales ſi à Deo reuelarentur, leges diuinæ dicerentur, &c. Et vt ait Paulus Corteſius lib. iiij. ſuarum ſent. di. x. in principio. Quodcunque ab hominum genere expetatur, id omnino finis cauſa expeti, quæ eſt amuſſis & libripendis operis humani, &c.

Finis eſt duplex, ſcilicet vltimus & principalis & minus principalis, vel finis ſub fine, vt notat S. Bonauent. di. xv. lib. ij. ar. ij. q. j. Finis vltimus poteſt accipi dupliciter, vt ſcribit Gabr. di. j. qu. vj. libr. j. Vel pro beatitudine creata poſſibili voluntati, & hęc eſt fruitio ipſa ſtrictè accepta, vel pro obiecto beatifico. Si loquimur, inquit, Bonauen. de fine principali ſicut omnium creaturarum tam rationalium quàm irrationalium, finis eſt Deus, quia omnia propter ſemetipſum creauit altiſſimus, omnia enim fecit ad laudem ſuæ bonitatis. Si autem loquamur de fine non principali qui eſt finis quodammodo, & finis ſub fine, ſic omnia ſenſibilia alia facta ſunt propter hominem. Et hoc inſinuat Philoſophus cùm dicit: Sumus finis nos quodammodo omnium eorũ quæ ſunt. Inſinuat etiam ſcriptura multò excellentius cùm dicit: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris, quia enim homo rationis capax eſt, ideo habet libertatẽ arbitrij, & natus eſt piſcibus dominari, quia verò per ſimilitudinem natus eſt in Deum tendere immediatè,

mediarè, ideo omnes creaturæ rationales ad ipſum ordinantur, vt median:e ipſo in finem vltimũ perducantur. Bonæ verò voluntatis(vt idem dicit Bonauen.di.xxxviij.qu.iij.lib.ij.) vnus ſolus eſt finis principalis. Poreſt autem ſtatuere plures fines, & hoc tripliciter. Vno modo ita quod finis ſit ſub fine,& propter finem. Alio modo ita quod vnus ſit finis principalis, alrer non principalis, ita tamen quod finis non principalis non referatur ad principalem actualiter. Tertio modo ita quod vterque ſit finis principalis. Exemplum autem huius aſſignari poteſt in eo quod frequenrer accidit, videlicet,cùm quis vadit ad eccleſiam ad percipiendas diſtributiones. Hoc enim poteſt facere tripliciter.

Aut ita quod principaliter intẽdit honorẽ & gloriã Dei cùm vadit decãrare laudes. Et ſimul cũ hoc intẽdit obtinere pecuniam vt pauperibus diſtribuat, vel in alios vſus licitos ad honorem Dei conuertat. Alio modo poteſt aliquis ire ad eccleſiam, intendẽs Deo placere,& ſimul cum hoc pecuniam acquirere, ita tamen quod eius acquiſitionem ad Deum non referat,nec tamen ipſam pecuniam ſtatuit finẽ principalem,pro eo quod ipſam non diligit propter ſe. Tertio modo vadit quis ad eccleſiam duplicata intentione, quod vult Deo placere, & vult obtinere pecuniam, quam ſicut auarus appetit acquirere, vt poſſit theſaurum ſuum ampliare,& in eo delectari propter ſe. Primo modo ſtatuere diuerſos fines eſt bonum & meritorium,& pertinet ad bonam volũtatem. Secundo modo ſtatuere diuerſos fines non eſt bonæ voluntatis loquendo formaliter, attamen non ſic repugnat quin poſſit cum ea ſtare,eſt enim ibi peccatum veniale,nõ mortale.Et hoc vult Aug. in lib.confeſ.cum ait.Minus te amat qui tecum aliquid amat quod non propter te amat. Tertio verò modo ſtatuere diuerſos fines non eſt bonæ voluntatis, imò contra bonam voluntatem, talis enim vult duobus Dominis ſeruire,& hoc eſt impoſſibile,ſicut dicitur Matth.6.Quando enim ſic principaliter duos intendit fines, verificatur illud propheticum; Coangulſtatum eſt ſtratum, ita vt alter decidat, & pallium breue vtrumque operiri non poteſt, & talis eſt voluntas hypocritarum, quibus væ damnationis æternæ comminatur ſcriptura,pro eo quod terram ingrediuntur duabus viis. Et ideo dicitur Eccleſ.2.Ne acceſſeris ad ipſum duplici corde. Qui enim accedit in corde,& corde,hypocrita eſt, & quia gaudium hypocritæ ad inſtar puncti eſt.

Ideo dicitur Ozee.10. Diuiſum eſt cor eorum,nũc interibunt.Hæc Bonauen. Et paulò pòſt. Cùm autem ſolùm ſit ſummum & verum bonum quod quietat humanum deſiderium,neceſſe eſt quod voluntas bona ad hoc quod ſit recta,ſtatuat ſibi finem vnicum. Et quamuis(vt idem ait) plures fines non principales cõtingat conſtituere, tamẽ ad hoc quod voluntas ſit bona; neceſſe eſt vnum ſolùm finem eſſe principalem.Nam aliter non diligitur Deus ex toto corde. Deus itaq; finis ſit principalis omnium operationum noſtrarum,quem & magnificare debemus,quoniam hic eſt finis noſter, iſta ſalus, iſta perfectio,iſtud principium & vltimum creaturæ rationalis opus bonum, vt habet Gerſon tracta.xj. ſupra Magnificat.Vnde & Richar.di.xlix.art.j.qu.j.li.iiij.oſtẽdit vitæ humanæ vltimũ eſſe finem per

ſe.Et hoc dupliciter poteſt accipi,vt q.ij.dicit.Vno modo pro bono in quo vltimo quieſcit homo.Alio modo pro quiete hominis in illo bono.Sic beatitudo eſt finis hominis vltimus, vel ipſe Deus qui eſt ſummum bonum. Vide latiùs Richar. Non diſcrepat ab his Iacobus de Valentia, cum ita ſcribit tracta.j.c.iij.prologi.in Pſalterium: Duplex inquit eſt finis legis. Vnus vltimatus & extrinſecus, qui eſt ipſe Deus & homo Chriſtus. Et alius eſt finis intrinſecus, qui eſt duplex, ſcilicet Finis qui acquiritur in ipſis beatis, qui dicitur ipſa fœlicitas, & alius eſt finis legis habitualis, quo acquiritur & habetur ipſe Deus & ipſa fœlicitas,& iſte finis dicitur charitas. Et ſic dicit Apoſtolus 1.ad Thim.1.quod finis omnis præcepti eſt charitas.

Firmamentum eſt cœlum ſtellatum & ſuprema ſpherarum,ſecundum Ariſto. Non autem ſecũdum aſtrologos modernos,ex S.Thom.parte.j.q.lxviij. ar.j.ij.& iij. Et vt ſcribit Bruleſ.di.xiiij.li.ij.Firmamentum eſt cœlum,in quo ſunt ſtellæ fixę,quod in primaria rerum conditione poſitum eſt in medio aquarum. Alio modo communiter pro omnibus orbibus cœlorum capitur.

Flagellum Græcè μάσιξ, & μασίζω flagello dicitur. Et dicitur flagellum,quia caro eo percuſſa,conflagrare,hoc eſt ardere videatur. Nonnunquam ſignificat ramorum ſeu virgarum ſummitatem. Virgi.in Georgi. *Ne ue flagella ſumma petas:*

eo quod crebro ventorum flatu agitetur. Eſtque flagellum diminutiuum de flagrum, ſuſtinens flagella, vt ſcribit Richar.di.xv.artic.j.qu.iiij.lib.iiij. ſibi immiſſa per operationem iuſtam,cuiſmodi ſunt omnia illa quæ Deus infligit, ſiue per actionem iniuſtam, cuiuſmodi ſunt aliqua quæ Deus frequentèr à peccatoribus infligi iuſtè permittit, non ſatiſfacit ea ſuſtinẽdo ſub ratione qua patiẽs tantũ, inquantum tamen voluntas ſuſtinentis ea patienter ſuſtinet intẽtione remiſſionis pœnę ſibi debitæ pro ſuis peccatis, ſunt ſuſtinenti ſatisfactionis materia. Sed formaliter ipſa ſatisfactio in actu voluntatis cònſiſtit. Flagella tamen quæ ipſemet Deus immittit,maiorem efficaciam habent inclinandi voluntatem ad bonum quàm illa quæ non immittit,ſed immitti permittit. Et vtilitates flagellorum poſſunt accipi ex ſcripturis in generali vel in ſpeciali, vt ſcribit S.Bonauen.di.xv.in dubiis literalibus. Erudit enim flagellum. Vnde Hierem.6. Per omne flagellum erudieris Hieruſalem. Item vertit,id eſt conuertit.Pſal.Multiplicatæ ſunt infirmitates eorũ, & poſteà accelerauerũt. Probat inſuper. Vnde Eccle.27. dicitur: Vaſa figuli probat fornax. Lætum quoque facit flagellum. Iaco.1. Omne gaudium exiſtimate fratres,&c. Item attat Eſaiæ.28. Vexatio dabit intellectum auditui. Confortat etiam. Iob.6. Hæc ſit mihi cõſolatio vt affligens. Satiat,id eſt fœcundat. Exod.1. Quantò magis opprimebat, tantò magis multiplicantur. Conſummat. Matth.5. Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam. Coronat.2.Cor.4.Id quod in præſenti eſt momentaneũ & leue tribulationis noſtræ,&c. Bona.li.iiij. Ratio autem quare viri ſanctiſſimi tot flagellis atteruntur in hac vita, eſt vt ſcribit Gerſon Cancellarius Pariſien.parte ij.tracta.de indulgentiis, conſidera.xvj. quia con-

quia confidentes in Dei miſericordia, quod faciat eis cum tentatione prouentum, petiunt hic puniri, & non in finem peccata, ſcilicet venialia differri purganda: quorum Deus peritionem exaudiens, commutat ſententiam, & pœnam purgatorij in pœnam temporalis huius exilij, & in augmentum eſſentialis præmij, ſcilicet cum acceleratione paradiſi. Hinc eſt illud Aug. Hic vre, hic ſeca vt in æternum parcas. Notetur de Mauricio Imperatore qui elegit hic puniri, & proditoriè occiſus eſt. Sic aliqui iuſti viuunt & moriuntur ignominioſe quo ad mundũ. Sed mors iuſti ſubita, quam præceſſit bona vita nõ minuit merita, ſi moriatur ira, propterea nil temerè iudicandum. Certiſsimum ſignum indulgentiæ ſalutaris eſt bona facere, & mala pati. Hæc Gerſon.

Flos variè accipitur in ſacra ſcriptura, vt colligit ex doctoribus frater Pelbartus lib. ij. Roſarij Theolo. Aliquando ſignificat in ſcriptura defectum boni ſiue malum, vt delectationem carnalem vel mundanam citò tranſitoriam. Eſa. 40. Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos fœni. Exiccatum eſt fœnum & cecidit flos, verbum autem Domini manet in æternum. Et Iaco. 1. Quod ſicut flos decedit & decor eius deperit, ita & diues in itineribus ſuis marceſcit. Secundo, flos aliquando ſignificat in ſcriptura bonos homines & iuſtos ac ſanctos. Vnde Greg. in home. de martyribus dicit. Sãcta Eccleſia electorũ floribus plena eſt, habet enim in pace lilia, ſcilicet caſtitatis, & in bello roſas, ſcilicet martyrij & patientiæ. Propter quod etiam dicitur Pſalm. 91. Iuſtus vt palma florebit. Et glo. ſup. Iaco. 1. dicit: Iuſtus inquit vt palma floret, ſed iniuſtus vt fœnum, quia ille manet. Nã palmæ flos ſtat diutius præ iſtis: hic autem citò tranſit. Flos iuſti eſt ſpes iuſtitiæ, quæ fructum expectat, & radix iuſti eſt charitas, quæ immobilis manet in cœleſti patria, dicente Apoſtolo: Charitas nunquam excidit. Sed flos mali hominis eſt delectatio temporalium, cuius radix eſt cupiditas, quæ tranſit, quia mundus tranſit & concupiſcentia eius, ſcilicet in morte, & tandem in ſeculi conſummatione dum peribunt mali. Tertio flos aliquando ſignificat bonas affectiones & voluntates ac opera meritoria, vt dicit Hug. de Arca. libr. iij. c. xj. In flore inquit tria ſunt, fructuum ſpecies, & decoris ſpecies, & odor redolens, quæ omnia in bono opere ſunt. Primo enim ſicut in flore ſperatur fructus in futurum, ita in bono opere futuræ retributionis fructus expectatur. Secundo, ſicut flos per ſpeciem fulget, ita bonum opus per exemplum fulgens apparet videntibus admirationem. Tertio, ſicut flos per odorem delectabilis eſt, ſic bonum opus angelis & bonis hominibus, ac Deo, vt etiam Chry. dicit. Quarto, flos aliquando ſignificat Chriſtum, vt patet Eſa. 11. Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, &c. Ambro. ſuper Lucam li. j. dicit: Radix iſta eſt familia Iudæorum, ſcilicet patris Dauid, qui dicebatur Ieſſe, Virga autem Maria, flos Chriſtus. Vnde & Virga Aaron flores & fructus amygdalarum produxit, ad figurandum Chriſtum. Nume. 17. Et Chriſtus dicitur flos ſecundum Lyram, ſupra Eſa. ratione puritatis, quia peccatum nullum habuit ratione miræ pulchritudinis, quia, ſpecioſus præ filiis hominum. Et ratione fructuoſitatis, quia fructum ſalutis noſtræ protulit, &c. Item per flores vineæ deſignantur prædicatores. Eſt autem multiplex florum redolentia, ſecundum Gregor. ſuper Ezechielem parte. j. homel. vj. Redolet enim primo flos vineæ in prædicatoribus, qui inebriant mentes auditorum. Secundo flos oliuæ in miſericordibus, quia ſuaue eſt opus miſericordiæ miſeris, & more olei refouet. Tertio flos roſæ in martyribus, qui cruore rutilant. Quarto flos lilij in virginibus, qui candidam carnem caſtam habent & incorruptam. Quinto violæ in humilibus, ſcilicet viduis & confeſſoribus, qui per humilitatem tenent, nec in alium ſe ſubleuant ſicut & violæ, licèt pulchri ſint in virtutibus. Hæc Gregor. Poſt eum ſingula declarat frater Pelbartus libr. ij. roſar. Theolo. in dictione Flores. 6. v. vj. vij. & viij. Et ibidem oſtendit proprietates iſtorum florum, quæ per ſimilitudinem in ſanctis reperiuntur.

Fomes vt ſcribit Occam iij. quotli. quæſt. x. & poſt eum Gabr. diſtinct. xxx. quæſt. ij. articul. iij. dub. ij. libr. ij. eſt qualitas carnis inordinata, inclinans appetitum ſenſitiuum ad actum difformem & vitioſum in habente iudicium rationis. Quod ſit inordinata patet, quia non inclinat niſi poſt peccatum: non enim erat in primis parentibus ante peccatum, nec eſt ſubſtantia, quia nec in Chriſto, in quibus tamen eſt quicquid eſt de ſubſtantia humanæ naturæ. Quod ſit qualitas patet, quia eſt accidens cum non ſit ſubſtantia, diſponens ſubiectum ad peius, ideo erit de prima vel ſecunda ſpecie qualitatis. Quod ſit in carne patet, quia alioquin non contraheretur à parentibus, quorum actio præſertim patris, qui eſt principalior ceſſat ante infuſionem animæ. Nec fomes eſt appetitus ſenſitiuus, vt ſcribit Gabr. di. iij. quæſtion. ij. articul. ij. quia ille eſt in beatis. Fuit & in primis parentibus ante peccatum, in quibus non fuit fomes. Inflictus eſt autem à Deo primis parentibus propter peccatum, & per eos traductus eſt in poſteros. Dicitur & ſecundum aliquos fomes languor naturæ, qui carnis concupiſcentia appellatur. Vnde vt ſcribit ſanctus Tho. in quæſtione diſputa. de Malo. quæſtione. iiij. arti. vj. Fomes eſt concupiſcentia habitualis, quæ prouenit ex hoc quod ratio non habet virtutem totaliter inferiores vires refrænandi. Fomitem autem auferri ſecundum Occam in quotlib. iij. qu. x. & quæſtio. ij. tertij. & poſt eum ſcribit Gabr. in iij. vbi ſupra, poteſt intelligi tripliciter. Vno modo ita quod qualitas illa non omnino ſit in carne, & per conſequens nullum penitus habeat actum inclinandi, hoc modo ablatus eſt à beatis. De quibus dicitur Apocalyp. 7. Neque eſurient, neque ſitient amplius, neque cadet ſuper illos Sol, neque vllos æſtus. Sic fomes in beata Virgine penitus ablatus eſt & extinctus, vel per gratiæ plenitudinem ſic debilitatus, quod virginem neque ad peccatum potuit inclinare, nec à virtutum profectu quomodolibet impedire. Hoc vult Bernardus, quem vt refert Gabri. & copioſius probat vbi ſupra. Secundo modo ſic quod qualitas ipſa quę fomes dicitur quantum ad eſſentiam ſtare maneat in parte ſenſitiua, non tamen poſſet inclina-

re vo-

re voluntatem cõtra iudicium rationis ad aliquem actum, & hoc propter habitum aliquem in voluntate impedientem huiuſmodi inclinationẽ. Et hoc poteſt dupliciter fieri. Vel ſimpliciter impedientem, ita quod nõn poteſt inclinate ad actum rationi diſformem, nec venialiter nec mortaliter, aut mortaliter tantum. Tertio modo intelligitur auferri, ſic quod non poſſet inclinare ad aliquem actum ſine omni inobedientia & rebellione ad rationem & voluntatem, ita quod neq; ad famem, nec ad ſitim, nec ad ſomnum, & ſic de aliis. Et ſi fomes mitigari poſſit, ſcilicet per dignam euchariſtiæ ſumptionem, & per gratiam, non tamen penitus tollitur. Hinc Apoſtolus: Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, item: non quod volo, facio. Et rurſus: Velle mihi adiacet, poſſe autem non inuenio. Hinc exclamabat: Infelix ego homo, quis liberabit me de corpore mortis huius? Et ſubiungit, gratia Dei ſupple liberauit me per Ieſum Chriſtum. Non itaque ſemper conceditur ſentimentum ſpiritus, vt ſcribit Gerſon tractatu.ix. ſuper Magnificat. extinguens fomitem carnis actualem. Cuius rei alias ipſe ponit plures rationes, tres ſunt principales, humiliatio, patienria ſeu probatio, & coronatio.

Forma quæ Græcè dicitur μορφὴ & μόρφωσις formatio, & forma eſt quæ dat eſſe rei. Forma vt ſcribit S.Bonauen.di.j.lib.iiij.circa tex. Vno modo eſt perfectio rei. Alio modo paradigma ſiue exemplar. Tertio dicitur forma quaſi foris manens, id eſt aliqua ſimilitudo exterius repræſentans. Sic accipitur cùm dicitur: Sacramentum eſt inuiſibilis gratiæ viſibilis forma. De quo aliàs videatur, & in dictione, Baptiſmus. Et illa forma (vt ſcribit Dominus præpoſitus Gab.) dicitur eſſe de neceſſitate dupliciter. Vel de neceſſitate ſacramenti, qua non exiſtente, non eſt ſacramentum. Nec ſequitur effectus ſacramentalis in ſuſcipiente. Aut de neceſſitate miniſtri, quoniam ad ipſam ſeruandam miniſter obligatur præcepto, ita quod ſi eam non ſeruaret, peccaret. Vnde patet, quicquid eſt de neceſſitate ſacramenti, eſt de neceſſitate miniſtri, vt ſunt ſubſtantialia ſacramentorum. Illis enim non ſeruatis à miniſtro, peccaret, ſed non econuerſo. Nam ea quę ſunt conſtitura pro reuerentia ſacramentorum, vel alia rationabili cauſa, non tamen ſubſtantialia, ſunt de neceſſitate miniſtri, quia ea omittendo peccaret, & tamen verum eſſet ſacramẽtum quod miniſtraret. Et ſecundum hoc dupliciter forma dicitur debita. Vel ipſi ſacramento, vel ſacramenti miniſtro. Gabr.di.iij.q.vnica.ar.j.lib.iiij. Item forma vt dicit ſanctus Bonauen.di.xxxiiij.q.ij.li.j. Vno modo dicitur relatiuè ad informatum, & ſic nõ eſt accipere in Deo. Alio modo abſolutè quod caret materia, & ſic eſt in Deo. Vnde Boëtius li.de trini. Deus eſt forma ſine ſubiecto, &c. Item forma ſecundum aliquos vt Guil. Scotiſta, dicitur actus puriſſimus nulli admixtus potentiæ, & ſic ſolus Deus dicitur forma, & angeli ſecundum quod participant aliqualiter. Similiter anima reſpecto corporis. Capitur & pro altera parte compóſiti, quæ eſt forma partis, id eſt materiæ. Et ſic loquitur Philoſophus in 1. & 2. Phyſ. & eſt quæ dat eſſe rei. In nullo autem cõpoſito ſubſtantiali ſunt plures formæ ſubſtantiales totales quarum vna non eſt pars alterius, ſed vnius compoſiti ſubſtantialis, eſt tamen vna forma ſubſtantialis, & illa eſt ſpeciuoca, id eſt cõſtituit compoſitum in certá ſpem, vt probabilior tenet opinio. Cui ſubſcribit Gab.di.xvj.q.vnica.libr.ij. Et aſſentit Alex. de Ales parte ij.q.lxij.& S. Thom.parte j.q.lxxvj. ar.iij.li.iiij.& eam ſequitur Greg.de Arimi.di.xvj. q.ij.& iij. Ex quo ſequitur quod in homine anima intellectiua, vegetatiua & ſenſitiua, & forma corporeitatis non ſunt realiter diſtinctæ, ſed per vnam animam indiuiſibilem homo intelligit, ſentit, vegetat, mouetur, eſt homo animal, corpus, ſubſtantia. Diſcrepat Occam in ij.q.xxiiij.& xxvj.& in quotlibet.ij.q.x.& xj. Vnam itaque formam ſubſtantialem eſſe in vno compoſito aſſentimur. Id quod & diffuſe probat Dominus præpoſitus Gabr.li.ij. vbi ſupra. Et potiſſima ratio eſt non eſſe ponendam pluralitatem ſine neceſſitate, hoc eſt, ſine ratione euidenti, experientia vel auctoritate, cui non licet contradicere, ſed nihil tale eſt in propoſito. Vnde Aug. de Eccleſiaſticis dogmatibus dicit: Neque duas animas dicimus in vno homine. Probat multis aliis Gabriël.

Forma ſecundum Petrum Cardinalem Camera. ſumitur tripliciter.q.ix.ar.iij.lib.j. Vno modo largiſſimè, pro omni ſignificato terminorum abſtractorum, ſicut per terminos abſtractos prædicamentorum accidentium, & ſic figura dicitur forma rei figuratæ, & paternitas patris, & raritas ignis. Et iſto modo ſæpe reperitur, quod forma non diſtinguitur à ſuo formabili. Alio modo ſumitur minus largè, pro omni eo quod non eſt ſubiectum vel compoſitum, & ſic Deus & angeli dicuntur formæ. Alio modo non ſumitur ita largè pro omni, eo quod eſt cauſa in alio genere cauſæ quam efficientis, finalis, aut materialis. Et ſatis eſt difficile explicare quæ ſit iſta cauſalitas, ſed de hoc videatur aliàs. Tripliciter autem ſecundum eundem contingit aliquam formam acquiri ſucceſſiuè, continuè, vel augeri. Vno modo ſolùm extenſiuè, quia intentionem non habet ſaltem realiter gradualem, ſicut forma ſubſtantialis mixti. Alio modo ſolùm intenſiuè, quia extenſionem non habet ſicut formæ ſubſtantiarum ſpiritualium, vt notitia vel amor intellectualis, ſed nulla forma habet intentionem & extenſionem, quin ſi fiat ſucceſſio continua in extenſione, fiat etiam in intenſione, & ſimiliter econtra, & hoc naturaliter loquendo, quia abſolutè oppoſitum eſt poſſibile. Hæc Aliacenſis vbi ſupra.

Forma eſt quadruplex, vt ſcribit Bruleſ.q.ij.prologi lib.ſent. ſcilicet informans, reſultans, qualificans & modificans. Forma informans eſt illa quæ informat materiam, quæ eſt altera pars cõpoſiti, vel ſubiectum completum. Et capitur tripliciter. Primo modo pro forma ſubſtantiali, & vocatur forma partis, & eſt illa per quam cum materia conſtituitur intrinſecè totum compoſitum, &c. Secundo modo pro forma accidentali, & eſt duplex, ſcilicet abſoluta, & reſpectiua. Tertio modo forma informans capitur tranſcendẽter, illo modo eſt quid cõmune formæ ſubſtantiali & accidentali, & ſic accipitur ab auctore ſex principiorum, cùm dicit: Forma eſt compoſitioni contingens ſimplici & inuariabili eſſentia conſiſtens. Et forma ſubſtantialis dat eſſe

ſimpliciter. Eſſe enim ſubſtantiale eſt eſſe ſimpliciter. Forma verò accidentalis dat eſſe ſecundum quid. Forma reſultans ſiue per ſe ſubſiſtens, & eſt natura aliqua quæ conſtituitur intrinſecè ex materia & forma, ita quod realiter diſtinguitur ab eis ſecundum eum, &c. Forma qualificans, & eſt quarta ſpecies qualitatis. Et dicitur qualificans, quia eſt determinata animali, & eſt quidam decor rei animatæ. Illo modo dicitur: ſpecies Priami eſt forma eius. Inde formoſus, id eſt pulcher. Forma modificans, & eſt circunſtantia aliqua neceſſario pertinens ad actum virtuoſum, vt ſunt primo efficieus liberum & voluntariè. Secundo ineſſe materiam debitam, id eſt obiectum debitum. Tertio debitus finis. Quarto modus debitus, vt patet in exemplo de dante eleēmoſynā, quia oportet dare eleēmoſynam à voluntario pauperi propter Deum, & modo debito. Vnde Deuter. 26. Quod iuſtum eſt iuſtè exequeris. Vnde propter defectum huius circunſtantiæ Chriſtus redarguit Phariſęos quod canerent tuba dando eleēmoſynas, vt, ſcilicet viderentur ab hominibus. Accipitur & forma quandoque pro modo procedēdi libri. Et ſic eſt quadruplex, ſcilicet diffinitiuus, diuiſiuus, diſcurſiuus, ſiue inquiſitiuus. Et iſte dicitur ſyllogiſticus, ſiue diſputatiuus, quartus eſt exemplorum poſitiuus, &c.

Formæ ad ſubiectum duplicem poſſumus conſiderare habitudinem ſecundum Sco. qu. j. di. j. libr. iij. Vna eſt informantis ad informatum, & illa neceſſario includit imperfectionem in ſubiecto, quia importat quandam potentialitatem qua ſubiectum eſt in potentia ad vlteriorem perfectionem quam recipit à forma inhęrente. Alia eſt vt poſterioris naturaliter ad prius, à quo dependet non tanquā ad cauſandum, ſed vt ad terminans eius actualem exiſtentiam, non in ſe ipſa, ſed in alio ſubſiſtente, &c. Et terminare ibi ſecundum eum dicitur ſuſtentificare, &c. poſt Sco. Gabr. di. j. q. j. art. j. lib. iij.

Forma quandoque dicitur deiformis. Et hoc dupliciter, vt ſcribit Bruleſ. q. iiij. di. xiiij. lib. j. Vno modo ex eo quod habet ſimilitudinem Dei, & eſt facta ad imaginem Dei. Alio modo quia immediatè con iungit Deo, quia gratia immediatè inclinat ad ſummè diligendum Deum, ideo eſt forma deiformis, &c.

Formalitas vt notat Aliacenſis qu. vj. ar. j. libr. j. eſt quaſi quædam conditio totius propoſitionis, quæ non eſt propriè aliquid ens reale, quare hæc non debet concedi propriè loquendo. Omnis formalitas eſt realitas. Vnde ſimile eſt ſicut de neceſſitate reſpectu realitatis, loquendo de neceſſitate quæ correſpondet neceſſario, quando dicitur, homo neceſſario nō eſt aſinus, hic enim eſt quædam neceſſitas: & tamen illa non eſt aliqua vera realitas, quia tunc eſſet aliqua vera realitas, & realis neceſſitas alia à Deo, ſed illa neceſſitas eſt conditio totius propoſitionis. Vel fortè magis propriè loquendo poſſet dici quòd tales termini abſtracti, perſeitas, neceſſitas correſpondentes adnerbiis, ſiue ſint cathegorematicis modificantibus propoſitionem, ſunt termini ficti & pro nullo ſupponentes, & ita de formalitate. Et quamuis eſſentia & relatio ex natura rei diſtinguuntur formaliter, tamen illa formalitas non eſt in re ex natura rei, ſicut homo neceſſario eſt riſibilis ex natura rei, & tamē illa neceſſitas non eſt in re, & ideo quāuis loquamur de re, tamē loquimur mediante propoſitione. Hæc Cardinalis vbi ſupra. Et vt habet Franciſcus Maro. in confla. di. xxxiij. q. vj. Ex quo idem eſt formalitas quod ratio formalis vt communiter. Ideo aliqui dicunt quod formalitas eſt ratio diffinitiua vniuſcuiuſque. Sed hoc non videtur verum, quia eſſentia diuina ponitur formaliter, & tamen non eſt diffinibilis cùm non habeat priora. Similiter ratio entis ponitur vel dicitur eſſe formalitas, & tamen non diffinitur cùm non habeat notiora. Ideo ſecundum Franciſcum Maro. aliter dicitur quod formalitas nil aliud eſt niſi ratio quidditatiua cuiuſcunque quidditatem habentis, ſiue ſit diffinibilis ſiue non, ſicut eſt ſimpliciter ſimplicibus. Et primo diuerſis videlicet in paſſionibus entis, puta bonum, verum, vnum, quæ ſunt tranſcendentia. Et etiam in differentiis vltimis entis, videlicet finitum & infinitum, idem & diuerſum, &c. quibus repugnat diffiniri. Pelbartus. Et ſecundum doctorem ſubtilem realitas idem eſt quod formalitas, ſed accipit rem pro omni eo quod eſt extra animam. Sicut poteſt fieri de quocunq; vocabulo, quod communiter accipiendo multa ſignificat. Tamen propriè accipiendo rem non dicitur de omni eo quod eſt extra animam, ſed pro eo præciſè quo aliqua dicuntur vna res, & diſtinguuntur realiter. Sed ſecundum Franciſcum Maro. Realitas eſt modus intrinſecus formalitatis, ſicut finitas & infinitas entis. Item formalitas & ratio formalis ſecundum Franciſcum ſunt idem. Has formalitates non vituperat Gerſon parte. iiij. lectione. ij. quæ incipit, Pœnitemini. conſideratione v. litera B. cùm ait: Sæue mihi videor videre ſimiliter ſe habere in multis theologiæ materiis, nominatim in illa quæ iam vulgariter de formalitatibus appellatur. Afferunt itaq; formalizantes multam & ſonoram nouis auribus vocabulorum varietatem intendentes (vt æſtimo) ſublimius erigere aciē intellectus ad verū quidditates intuendas, & volentes animam apud ſe conceptibus ſuis iugiter negociari. Conantur præterea intellectum ſubducere cum conſuetudine cognoſcendi res ſolùm materiales & groſſas, dēnudare præterea quidditates à confuſione accidentium, vt ſunt ſitus, locus, figura, tempus, & ſimilia. Quatinus abſtractis omnibus his velut extrinſeca veſte remaneat nuda quidditas rei, & talem ſe mētis oculo repræſentet. Hanc verò intentionem ſi dixero me reprobare, mentiar, laudo eam quantum valeo & approbo. Sic tamen laudo & approbo quod iudicio meo longior ipſorum deductio neceſſario cadit in reſolutionem, qualē logici tradunt. Hæc Gerſon vbi ſupra.

Fornicatio eſt omnis illicitus coitus, vt habetur xxxij. q. ij. c. Meretrices. Propriè tamen eſt inordinatus concubitus naturalis quo ſolutus ſolutam naturali vſu cognoſcit, ſolutus inquam quolibet vinculo coniugij, conſanguinitatis, affinitatis, ordinis, religionis ſeu voti. Et Magiſter. xlj. di. li. iiij. ait: Licet fornicatio ſit genus omnis illiciti coitus qui fit extra vxorem, tamen ſpecialiter intelligitur in vſu viduarum, meretricum vel concubinarum. Et hoc habetur. xxxvj. q. j. c. lex illa. Et dicitur fornicatio à forni-

à fornice, id eſt ab arcu triumphali vbi Romę fiebat fornicatio: & propriè eſt ſoluti cum ſoluta, ſecundum ſanctum Tho. iiij. ſen. diſtin. xlj. art. iiij. & eſt ſpecies luxuriæ. De quo Gerſon parte ij. in Tripartito de præceptis decalogi, cap. xj.

Fornicatio eſt triplex, vt ſcribit Richar. diſt. xxxix. lib. iiij. circa literam, ſcilicet propriè dicta, vt fornicatio carnalis, vtpote quia nõ coit cum ſua, vel non cum ſuo: vel potius ſolutus cum ſoluta, vt dictum eſt. Eſt & fornicatio communiter dicta, vt idolatria, & quælibet noxia ſuperſtitio, quia talis anima fidem frangit Deo, cui eam obſeruare debebat ſicut vero ſponſo. Eſt & fornicatio communiſsimè dicta, ſcilicet quælibet criminoſa concupiſcentia. De quibus vltimis duabus fornicationibus habetur ab Auguſtino libr. j. de ſerm. Dei in monte. & xxviij. quæſt. j. Idolatria, &c. Vide & Bonauen. di. xxxix. libr. iiij. circa textum. Vnde idolatria & omnis error in fide fornicationem inducit ſpiritualem, ſicut libidinoſa contagio corporalem. Hinc frequenter in Prophetis improperauit fornicationem & adulterium Dominus populo Iſraël, eò quòd idola coluerunt: vt patet Ieremiæ 3. Ezechiëlis 16. & Matthæi 12. vbi dicitur: Generatio praua & adultera ſignum quærit. Fornicatio autem ſimplex eſt peccatũ mortale, ſicut & omnis fornicatio. Et hoc pulchrè probat Petrus de Palude diſtinct. xxxix. q. j. artic. iij. libr. iiij. Eſt enim fornicatio contra ius naturale, diuinum & humanum, vt probat Paliſienſis, imò qui negaret fornicationem eſſe peccatum mortale, vt ſcribit Gerſon parte ij. de articulis fidei: eſſet hæreticus in fide. Et fornicatio ſpiritualis, ſecundum eundem Gerſonem parte iiij. de diffinitionibus terminorum ad Theologiam vtilium, idẽ eſt quod vti Deo, vel frui creatura. Vel ſic: Fornicatio animæ eſt adhæſio eius bono commutabili, poſtpoſito incommutabili ſecundum aliquam ſuarum virium. Fornicatio virtutis iraſcibilis eſt fiducia quædam in alio quàm in Dei potentia & gloria finaliter, vel diffidentia de eadẽ. Fornicatio virtutis rationalis, eſt conquiſitio ſapientiæ terrenæ, animalis & diabolicæ, ſpreta Dei ſapientia. Fornicatio concupiſcibilis, eſt conquiſitio prohibitæ delectationis in creatura, ſpreta Dei bonitate atque dulcedine: vel quærere dulcedines ſpirituales propter ſeipſas principaliter, non propter Deum. Hęc Gerſon parte iiij. vbi ſupra.

Fornicator notorius. Vide in dictione *Suſpenſus* infra.

Fortitudo quæ cùm (vt ait Corteſius lib. iij. ſenten. diſtin. viij.) adamas omnium virtutum ſit, ac tam expultrix formidinis quàm moderatrix audaciæ dicatur; nullo modo à bonorum genere metu, aut periculorum magnitudine auocatur, eiq; maximè eſt cõiuncta magnanimitas, quatinus, ſcilicet in rerum magnarũ difficultate verſetur, nec longius (vt idem dicit) patientia ab eadem fortitudine abeſt, quæ eſt rationis contra triſtitiam tutatrix. Gabr. di. xxxiiij. quæſt. vnica, artic. j. libr. iij. aſtipulatur qui ait duas eſſe ſpecies fortitudinis immediatè, quarum vna eſt fortiter ſuſtinere terribilia, quæ vocatur patientia, quæ eſt nobiliſsima fortitudo. Hæc eſt quæ inclinat ad non repellendum triſtia ſeu terribilia, & illud non repellere eſt quidam actus poſitiuus, ſcilicet velle non impedire, quod eſt nolle impedire aduerſa terribilia, ſeu velle pati talia. Alia eſt fortitudo in aggrediendo & repellendo terribilia & aduerſa, quæ retinet nomen fortitudinis; vtraque vincit, ſed longè nobilius patientia quàm repellens fortitudo. Hæc Gabriël. Fortitudo, vt eſt virtus moralis eſt (vt ſcribit Gerſon parte iiij. in deſcriptione terminorum ad Theologiam vtilium) qua inclinatur habens eam tendere in bonum, arduum & magnificum ſub ratione qua tale eſt, aut non cedere malo ſub difficultatis & aduerſitatis ratione propoſito. Cuius ſpecies eſt magnanimitas: de qua ibidem Gerſon: etiam infra patebit litera M. Et fortitudo firmat contra mala. Magnanimitas eſt in perſecutione bonorum. Sanctus Tho. ſecunda ſecundæ, qu. cxxix. art. vi. & vt idem dicit q. cxxxvj. art. ij. vbi ſupra. Fortitudo moderatur timorem, patientia & perſeuerantia triſtitiá, manſuetudo iram. Idem ſuper Epiſt. ad Hebr. 11. Fortitudo eſt virtus moderatiua timoris & audaciæ propter bonũ reipublicæ. Et vt ſcribit frater Pelbart. libr. iij. Roſarij Theologiæ. Fortitudo vera eſt per quam quis mediocriter timet & audet, ad hoc inclinatus ex habitu propter bonũ finem, qui eſt cõſeruatio boni cõmunis in periculo mortis. Vnde fortitudo poteſt tripliciter ſumi. Vno modo ſecundũ quod dicit quandá animi firmitatẽ, & ſic eſt cõditio cuiuſlibet virtutis, quia vt dicitur 2. Ethic. ad virtutẽ requiritur fortiter operari. Alio modo ſecundũ quod dicit firmitatẽ animi in ſuſtinẽdis & repellẽdis grauibus periculis. Vnde Tull. in Reth. dicit quod fortitudo eſt cõſiderata periculorũ ſuſceptio, & laborum perpeſſio. Et Ariſt. 3. Ethic. Fortitudo eſt aggreſsio terribilium, vbi mors imminet propter bonũ cõmune ſaluandũ. Et Cic. 4. Tuſc. quęſt. Fortitudo eſt ſcientia perferendarum rerum, vel affectio animi in patiendo ac perferẽdo ſummæ legi patens ſine timore, & ſic eſt ſpecialis virtus non habens determinatam materiam. Tertio modo ſumitur fortitudo prout dicitur ſpiritus ſancti donum, & fit quando ſpiritus ſanctus infundit animũ ipſum firmans contra quæcunq; pericula in audacia, & excludẽs timorem. Non diſſentit ab his Rich. li. iij. di. xxxiij. q. vi. qui dicit, quod duplex eſt fortitudo, politica & gratuita. Vnde martyriũ propriè loquẽdo, nõ eſt actus fortitudinis politicæ, hoc eſt fortitudinis ordinatæ ad iſtam ciuilitatẽ inferiorem, quæ eſt infra facultatem naturæ, ſed actus eſt fortitudinis gratuitæ, quæ ordinatur ad ciuilitatẽ ciuium ſupernorũ. Eſt enim actus charitatis & iuſtitiæ, &c. Species fortitudinis ſecundũ eundẽ vbi ſupra. q. viij. ſunt quatuor, ſcilicet cõfidentia, conſtantia, patientia, & perſeuerãtia. Fortitudinis enim nõ eſt tantũ aggredi, ſed etiá ſuſtinere. Ad aggrediendũ verò inquantũ eſt actus fortitudinis, requiruntur duo, ſcilicet incipere pro victorię adeptione, quod eſt per confidentiá, & ab incepto nõ deſiſtere pro repugnantiũ cõtradictione, quod eſt per conſtantiam. Ad ſuſtinendũ etiam requiruntur duo, quorũ primũ eſt ne difficultate ardui mali imminẽtis, animus decidat à bono fortitudinis per triſtitiá, & ad hoc neceſſaria eſt patientia. Aliud eſt, vt diuturna difficilium paſsione homo non fatigetur, ita quod ſuſtinere deſiſtat, & ad hoc neceſſa-

neceſſaria eſt perſeuerantia. Et ad hoc vt fortis ſit virtuoſus, ſecundum Tho. in ſcripto ſuper lib. ethi. requiruntur tria, ſcilicet ratio, electio, & finis intentio. Et ideo primò quod operetur ſciens. Secundò quod operetur ex electione nõ paſsione impellẽte ad pericula. Tertiò, vt debitum finem intendat non honores, non vanam gloriam, &c. Et donum fortitudinis (vt vult Richard. lib. iij. diſt. xxxv. artic. iij. quæſt. j.) non eſt ſecundum aliquos reſpectu ardui cuiuſcunq;, ſed tantũ reſpectu ardui mali pœnæ extremæ tenẽtis in arduitate, cuiuſmodi eſt mortem ſuſtinere pro fidei & motum veritate promouẽda aut defendẽda. Et quia homo ad hoc promptus eſſe non poteſt, niſi qui affectum ſuum ab omni mortifera iocunditate rerum tranſeuntiũ extrahit: reſpectu autem huiuſmodi ardui mali pœnalis, aliter ſe habet fortitudo virtus, aliter fortitudo donũ. Quia fortitudo virtus reſpectu illius pœnæ ſe habet ſecundum dictamen principiorum legis æternæ: ſequendo ſpiritus ſancti ſpiritualem inſpirationem, qua mouetur ad vltrò ſe offerendũ ad ſuſtinentiam pœnæ prædictæ. Cùm tamẽ ſecundum legem communẽ, non cogatur ad hoc ex legis neceſsitate, &c. Videatur de hoc S. Bonauen. diſt. xxxv. q. v. lib. iij. qui vult quod fortitudinis doni actus conſiſtit circa paſsionum tollerantiam, ſecundum imitationem Chriſti, & hic eſt actus principalis. Vnde Luc. 9. dicit: Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum. Hinc eſt quod actus fortitudinis doni attẽditur circa promptam, & expeditam paſsionũ tollerãtiam, per hoc quod quodammodo nos mundo, & mundus nobis crucifixus eſt: iuxta illud quod dicit Apoſtolus Galath. 6. Mihi mundus crucifixus, & ego mundo. Bonauen. Et fortitudo, vt eſt donum, ſic notificatur à Gerſone. parte ij. de ſeptem donis ſpiritus ſancti. Fortitudo eſt affectio animi, qua cupiditas terrena deprimitur, nullaq; aduerſitas formidatur. Et differt fortitudo, vt eſt virtus, & donum, vt ibidem oſtendit, & ex dictis modo patet.

Fortuna eſt cauſa per accidẽs, vt in paucioribus præter intentionem, in his quæ ſunt propter finem & à propoſito, ſecundũ B. Thom. li. xj. Metaphy. lect. viij. Ariſt. 2. Phyſic. ſic diffinit: Fortuna eſt cauſa per accidẽs eorum quæ fiunt extra ſemper, & frequenter in agẽtibus à propoſito & propter finem. Et ſecundum Scotorellũ lib. ij. di. xxxvij. hoc pro regula eſt, quod fortuna nõ eſt niſi in animatis illis, quæ agunt voluntariè & per electionem. Et dicitur fortuna à fero, fers, quod temerè & ſine ratione feratur. Eſt enim fortuna accidentium rerum ſubitus atq; inopinatus euentus. Hæc eadem ſors dicitur. Et fortuna non eſt aliqua cauſa per ſe diſtincta à natura & intellectu ſine propoſito: imò eadem voluntas, quæ reſpectu effectus intenti eſt per ſe cauſa. Reſpectu effectus non intenti, dicitur eſſe fortuna: intentum quidem euenit à propoſito, & ideo cauſatur voluntariè, non intentum euenit præter propoſitũ, & ideo cauſatur fortuitu. Falſa eſt ergo Paganorum opinio imaginantiũ fortunam eſſe quandam deam, cui tanquam cauſæ per ſe attribuunt effectus, quos videmus fortuitè euenire. Catholici autem (vt ſcribit Scotus qu. xxj. quodlibe.) potius debent talia attribuere prouidentiæ diuinæ ſaltem generaliter. Item fortuna non eſt cauſa totalis (vt ibidem refert Scotus) hoc eſt quod nihil ſic euenit à fortuna, quin etiam eueniat ab aliqua cauſa per ſe intendente: iuxta illud Platonis in Thimeo. Nihil eſt cuius ortum non præceſsit legitima cauſa. Et v. de Ciuit. Dei cap. ix. dicit Auguſt. Cicero concedit nihil fieri, ſi cauſa efficiens non præcedat, & hoc rationabiliter conceſsit, quia quod non eſt à ſe, nõ poteſt habere eſſe, niſi à cauſa efficiete. Et ibi requiritur aliqua cauſa per ſe ſiue intẽdens, quia ſub intẽtione cauſæ vilioris cadũt plures effectus, & ita ſub intentione cauſę primę cadunt omnes, ſed quando alicuius effectus non apparet cauſa proxima per ſe ſiue intendẽs, tunc ille dicitur effectus fortuitus vel caſualis. Vnde vt ſentit Auguſt. Nihil in mundo poteſt accidere præter cognitionem & intentionem Dei, ſed quicquid fit, à Deo fit principaliter vel cauſante vel permittente. Vnde errant qui alteri quàm Deo bonam fortunam attribuunt, ſiue auguriis ſiue ſuperſtitionibus aliis, vel cõſtellationibus, ſiue induſtriæ proprię, vel viribus. Ita refert frater Pelbartus li. ij. Roſarij Theologiæ, in dictione *Fortuna*. §. vj. Vnde nil fit in mundo verè ex fortuna, ſed in omnibus quæ fiunt diuinæ bonitatis prouidentia præſtat, & quęcunque accidunt homini ſiue bona, proſpera ſiue aduerſa (ſecundũ Guilel. Scoti imitatorem. Rayn. in ſum. & Tho. lib. iij. contra Gentiles & alios) hoc totũ reſidet principaliter ex parte diuinæ voluntatis & prouidentię. Minus principaliter autẽ eſt ab Angelo ad id faciendũ inſtigãte cor, vt aliquid tale eligat vel refugiat. Vnde Ægidius Romanus ſuper li. de bona fortuna, dicit, quod cauſa quare aliqui homines ſunt bene fortunati, aliqui malè, hæc eſt: Quia homines bene fortunati ſequuntur inſtinctus diuinos, ſed malè fortunati non ſequuntur. Hinc eſt, inquit, etiã quod vnus & idem homo aliquãdo eſt bene fortunatus, aliquãdo non. Deus autem voluit fortunam eſſe verſatilem, ne homo putet ſe in hoc mundo beatũ eſſe, vel poſſe habere felicitatem, & quod per aduerſam fortunã ad Deum ire compellimur, in quo eſt vera felicitas. Et ne in proſperitate fortunæ homo infletur, ſed timeat. Et cæteris paribus dicit Auguſt. Melior eſt homini aduerſa fortuna quàm proſpera: quia aduerſa humiliat & probat, ac merita accumulat. Sed quod datur quandoq; fortuna bona peccatoribus, eſt vt attrahatur ad diligendũ Deum pro beneficiis præſtitis, & tandem ſaluentur, & vt fideles inſtruãtur non pro bonis temporalibus proſperæ fortunę ſeruire, ſed Deo, cùm talia dentur malis: ſed puro Dei amore pro bonitate diuina faciant opera bona, &c. Pelbartus. Et vt aduerſitates corporales, & luctus ſenſuales trahunt de per accidens ad luctũ bonum. Ex ſe enim indifferentiam habent ad honeſtũ vel inhoneſtum, vt ſcribit Gerſon parte ij. ſermi. de omnibus ſanctis, qui incipit: Beati qui lugẽnt. Ita proſperitates & vana gaudia ex oppoſito vehementer impediunt, propterea fortuna moderatè aduerſa ſecurior eſt regulariter & optabilior quàm multum proſpera, &c.

Fortuitum dicitur illud quod agenti à propoſito aliquid euenit præter intentionẽ, & hoc idem dicitur effectus fortuitus, & apud Deũ nihil eſt fortuitum, ſed bene apud homines. Vnde Gerſon parte ij. de conſolatione Theologiæ. proſa. iiij. litera B. dicit:

Colligimus ex immenſa diuinæ cognitionis viuacitate longè ſuper noſtrã cognoſcendi modũ: ſimilis ex voluntatis libertate quod apud eum nihil eſt fortuitum, nihil caſuale, nihil inſuper ad extra neceſſariũ vel fatale. Ratio primi, quoniã nihil agitur in mundo, quin ab æterno præuiderit illud Deus cum tota ſerie cauſarum etiã minimarũ. Secus apud homines, præter quorum intentioné prodeũt effectus ex variarum, ignotarumq; eis cauſarum concurſu, quemadmodũ videre eſt in inuentione theſauri, dum terra foditur vt excolatur, nõ vt aurũ inueniatur. Hinc ortũ habuit fortaſsis illud Ariſtot. Vbi magis eſt de intellectu, ibi minus de fortuna: rectè quidem adeò, vbi totũ eſt per intellectũ, nihil eſt fortuitũ. Si verò quis transferat fortunã ad cauſam producenté effectus, vt dicuntur in ordine ad nos fortuitu: ſic primã cauſam, inquit Gerſon, dicere poſſumus eſſe fortunã, quoniam principaliter & immediatè concurrit ad omnem effectũ. Dediſſet hoc modo Virgilius verũ epitetõ fortunæ, dicens: *Fortuna omnipotens, &c.* & Saluſt. Sed profectò, inquit, fortuna in omni re dominatur, &c.

Fortuna & caſus differũt ſecundũ Ariſtot. Caſus eſt cauſa per accidens in his quę fiunt rarò, pręter intentionem in agentibus à natura propriè capiendo, ſcilicet dum aliquid accidit præter intentionem naturæ. Sicut quando puer naſcitur cũ ſex digitis, quod nõ intendebat natura. Fortuna propriè eſt in agentibus à propoſito. Et caſus in plus eſt quàm fortuna, quia omne quod eſt à fortuna eſt à caſu, ſed nõ cõuertitur. Nõ enim ſolũ eſt caſus in hominib', qui voluntariè agunt, ſed etiã in aliis animalibus, ſicut equus caſu venit, quando ſalutẽ adeptus eſt, licèt caſu ſalutis non venerit, quare infans & beſtia nihil agit à fortuna, quia non ſecundum propoſitum ex Ariſtotel. 2. Phyſic.

Forum eſt exercendarum litiũ locus. Et dicitur iudiciale forum à ferendo, quia illuc cauſæ ferantur. Eſt & forũ venale, quod venalia huc feruntur. Eſt & forũ boariũ, alitoriũ, piſcariũ, cupidinis: de quo aliàs. Eſt & forũ locus in quo cum populo agitur, conciones habentur, lites tractantur, quod ibi iudicia feruntur. Vnde & forenſes dicuntur, qui in foro verſantur & cauſæ forenſes, &c. Forus autẽ in Eccleſia eſt duplex ſecundũ Scotum diſt. xix. libr. iiij. Vnus ſecretiſsimus in quo idẽ eſt accuſator & reus, qui dicitur forus animæ, vel forus pœnitentiæ, & ad iſtum forũ pertinent claues poteſtatis & ſciẽtiæ. Alius eſt forus publicus, quia Eccleſia habet auctoritatẽ corrigendi delicta publica. Et ad hunc requiritur duplex auctoritas, ſcilicet cognoſcendi, & iudicandi, ſicut in priori foro. In omni enim foro ad iudiciũ rectũ requiritur cognitio in cauſa illa & ſententiatio. Et hæc poteſtas ſiue auctoritas, ſecundũ Alex. part. iiij. q. lxxxj. membr. iiij. ar. j. & S. Bonauen. dicitur gladius ſpiritualis, vel mucro Epiſcopalis, vt habetur xvj. q. ij. viſis. in fi. vbi excõmunicatio nominatur mucro Epiſcopalis. Poteſt tamen etiam dici clauis Eccleſiæ, quia etiã illa clauditur & aperitur Eccleſia. De hoc vide latiùs Gabr. di. xviij. q. ij. ar. j. lib. iiij. Et dicit Gerſon parte ij. in reſolutione ſuper cauſa de materia excommunicationis & irregularita. conſideratione prima. Aliter iudicat ſecũdum forum Iuriſta perſæpè, aliter Theologus, quia primus magis reſpicit forum contentioſum & extrinſecum, ſed Theologus magis attendit forum conſcientię & intrinſecum quo ad Deum. Item Iuriſta conſiderat factum in ſe, & circunſtantias exteriores, de quibus poteſt iudicialiter apparere. Et apud eum tenet illa regula, quod idẽ eſt de his quæ non ſunt, & quę non apparent. Conſtat autẽ quod intentio facientis, quã habet interius in corde, non cognoſcitur in ſe, niſi fortè per quædam ſigna ſeu coniecturas extrinſecas. Theologus autem intuetur cor in foro conſcientiæ, in quo creditur confitenti tam pro ſe, quàm contra ſe coram Deo. Gerſon conſideratione v. vbi ſupra.

Fraus eſt executio iniuſtitię in factis, ſecundũ ſancti Thom. ij. ij. q. lv. art. v. Et fraus non poteſt eſſe ſine dolo, ſed bene dolus ſine fraude. S. Thom.

Fraudare idem eſt quod decipere, circumuenire. Et fraudare proximũ ille dicitur in cõtractu negociando, emẽdo, aut vendendo res aliquas, vel laborẽ, vt ſcribit Gabr. di. xv. q. x. art. j. lib. iiij. qui non ſeruat iuſtam æqualitatem rerum adinuicem cõmutandarum, ſiue laborum & precij: ita quod emendo & vendendo excedit latitudinem iuſti precij, attentis ſingulis ad iuſtitiam iuſti precij requiſitu. Vnde qui manet infra latitudinẽ, non excedens extrema eius, non fraudat, nec iniuſtitiã committit. Et dicitur notanter, in contractu negociando, &c. propter donationem. Nam qui liberè donat, precium non requirit. Fraudans autem ſcienter proximum in negociò vltra dimidium iuſti precij, tenetur preciũ ad æqualitatẽ iuſti precij reducere: aut reddito vel accepto precio iniuſto contractum reſcindere. Item fraudans proximum ſcienter circa dimidium iuſti precij in negocio: licèt nõ compellitur reſtaurare damnum in foro exteriori: peccat tamen, & damnum compenſare tenetur in foro poli: hoc eſt de mente S. Thom. ij. ij. quæſt. lxxvij. & Sco. in iiij. diſt. xv. quæſt. ij. & Antonini & Angeli, cæterorumque ſequacium. Probat & hoc & illud Dominus Præpoſitus Gabriẽl diffuſe vbi ſupra.

Fraterna correctio. Vide ſupra in verbo *Correctio fraterna.*

Fraudulenter quandoque accipitur ſimulatoriè. Vnde Geñ. 27. dicitur quod Iacob recepit benedictionem primogenituræ à patre Iſaac, ſimulando Eſau: & hoc egit fraudulenter, vt ait pater. Vbi fraudulenter, vt dicit Gabriel diſtinct. xv. quæſt. ix. artic. iij. dubio. iiij. libr. iiij. non eſt accipiendum in malo, ſed fraudulenter, id eſt ſimulatoriè, ſimulando ſe, ſecundũm meam intelligentiam, ſed cautè, quod ſuum erat, accepturus. Et ideo non dicitur quod fraudulenter accepit benedictionem, ſed fraudulenter venit, & iuſtè accepit quod ſibi erat debitum. Nec illa benedictio fuit principaliter à patre Iſaac, ſed à Deo, qui non poteſt decipi. Concordat Alexander parte iiij. quæſtion. lxxxvj. memb. iij. artic. iij. Erat enim Iacob aliàs diuina promiſsione & electione accepturus ius primogenituræ: & ita Iacob ſimulando ſe eſſe Eſau, non commiſit fraudem in re aliena, ſed cautè & prudenter acquiſiuit rem ſibi debitam, id quod & cognouit ex reuelatione ſuæ matris, quod ius primo-

genituræ ad eum ſpectaret. Latiùs Biel vbi ſupra.

Fructus ſecundum ſanctum Thomam j.ij.queſt.xj. artic.j.& Guil.Scotiſta,& alios,lib.iij.diſt.xxxiij. dicitur à fruendo. Sicut enim fructus eſt bonum vltimum,quod de arbore expectatur, & cum quadam ſuauitate percipitur: ſic fructus ſpiritus eſt actus voluntatis,& charitatis,& eius obiectum eſt vltimus finis, & ſummum bonum, ſcilicet Deus viſus. Et fructus ſolet accipi tripliciter, vt notat frater Pelbartus lib.iij. Roſarij Theologiæ, poſt Guil.Scotiſt. Primò pro obiecto fruitionis. Verè hoc modo diuina eſſentia eſt fructus noſter:de quo. Pſalm.126.Cùm dederit dilectis ſuis ſomnum: ecce hæreditas Domini filij merces fructus ventris. Secundo modo dicitur fructus quidã actus & gradus intenſior, ex quibuſdam conſurgens priuilegiis. Hoc modo diuidimus fructum centeſimum virginibus, ſexageſimum viduis,& triceſimũ coniugatis. Tertio modo fructus duodenarius numerus dicitur,quos Apoſtolus Galath.5.ſic enumerat: Fructus autem ſpiritus eſt charitas, gaudium,pax, patientia,benignitas,bonitas, longanimitas, manſuetudo,fides,modeſtia,continentia,caſtitas. Horum duodecim fructuum quidam ſunt virtutes de numero ſeptem virtutũ. Quidam ſunt ſpecies virtutum: quidam neque ſic neque ſic, ſed ſunt delectationes conſequentes virtutum actus. Verbi gratia: Charitas ibi exprimitur ſimiliter & fides. Spes autem in hoc quod dicitur,longanimitas. Dicitur enim longanimis, quaſi in longum animoſe expectans. Exprimuntur etiam morales ibi: Fortitudo in hoc quod dicitur: patientia,quæ eſt principalior ſpecies fortitudinis,vt & ſupra dictum eſt. Iuſtitia exprimitur in tribus ſpeciebus,in miſericordia,quę in fructibus dicitur bonitas. Communiter enim bonus dicitur,qui communicat ſe in aliquo proximo. In amicitia,quæ dicitur benignitas,quæ eſt beneuolentia. Nam benignus dicitur,quaſi bene ignitus. In tertia ſpecie,quæ pertinet ad regimen & ſubiectionẽ,quæ dicitur manſuetudo,vel per manſuetudinẽ ſpecialiter exprimitur obedientia. Manſuetus enim exequitur omnia ſine murmure. Temperantia exprimitur in duabus ſpeciebus ſuis,ſcilicet continentia & caſtitate. Si placet dicere continentiam eſſe circa alia delectabilia,& caſtitatem circa venerea, per hæc poteſt intelligi vna ſpecies circa quæcunque delectabilia. Prudentia exprimitur ibi modeſtia. Modeſtus enim eſt, qui debitum & rectum modum tenet in agendis: & prudentiæ eſt debitum modum in actione inuenire,præfigere & determinare. Sic habemus tres theologicas virtutes in ſe. Fortitudinem in vna ſpecie,ſcilicet patientia, &c. Numerantur etiam ibi quædam quæ ſunt delectationes cõcomitantes vel cõſequentes actus virtutum gaudium, ſcilicet & pax. Gaudium enim propriè eſt delectatio in voluntate. Et pax eſt ſecuritas habendi obiectum ſine impugnatione. Iſta à ſpiritu ſancto procedunt, & mentem delectant, & dicuntur dona ſpiritus ſancti: de quo aliàs. Et Gabriël diſtin.xxxiiij. quæſt.vnica. artic.j.libr.iij. Et Gerſon tract.vij.ſuper Cantico Mariæ. Et fructus quandoque dicuntur opera, non quia eis fruamur, ſed quia ad fruitionem ducunt. Vnde Matth.7.Arbor bona fructus bonos facit. Per fructus intelliguntur opera ſecundum gloſſam. Et hoc refert Richardus diſt.xvj.artic.j.quæſt.j. in ſolut.argu.libr. iiij. Vnde & opera pœnitentiæ dicuntur fructus. Vnde Lucæ 3.Facite fructus dignos pœnitentiæ. Digni fructus pœnitentiæ ſecundum Magiſtrum d. xvj.lib.iiij.ſenten.ſunt quibus vera ſatisfactio expletur. Vel fructus metaphoricè dicuntur. Nam ſicut ex arbore naſcitur pomum, quod dicitur fructus arboris, ita ex voluntate pœnitentis bonum opus. Differt autem dicere bonum fructum, & dignum fructum pœnitentiæ,vt ſcribit ſanctus Bonauentura diſt.xvj.circa literam lib.iiij. Bonus fructus poteſt dici omnę opus bonum:dignus fructus plus dicit, ſcilicet bonum opus cum conuenientia ad ſtatum. Bonum enim opus, & ita perfectum ſi competit ſtatui. Sed dignus fructus pœnitẽtiæ non dicit ſolummodo bonum opus prout competit ſtatui, ſed etiam vt competit merito peccati, quia qui plus peccauit,ampliora debet pati,vt Gregorius determinat in homelia.

Fructũs eorum,qui ſacræ ſcripturæ inuigilant, ſunt tres,vt ſcribit Iacobus de Valen.ſuper illud Pſalm. 36. Os iuſti meditabitur ſapientiam,&cæ. Primò declinãt à malo, dum ſunt in illa meditatione, quia anima ſatiata illo cibo ſpirituali,cõtemnit iſta temporalia. Secundò abhorret peccatum propter pœnas quæ leguntur in lege,& punitiones malorum: & ſic iuſtus vitat omne peccatum. Tertiò cupit agere omne bonum,cùm legit beneficia collata ſanctis viris, & vniuerſaliter odit peccatum, & amat virtutes, inquantum legendo magis Deum cognoſcit.

Frui multis modis ſumitur in ſacris literis, ſecũdum Oyta quæſt.ij. artic.j. & poſt eum ſcribit Gabriël diſtin.j.quæſt.iiij.artic.j.lib.j. Primò frui communiter accipitur pro omni actu potentiæ appetitiuæ delectabili, ſiue qui eſt cum delectatione. Sic frequenter ſumitur Eccleſ.2. 5. & 6. Et Prouerb.10. Fruamur cupitis amplexibus: & diffinitur ab Auguſtino: Frui eſt vti cum gaudio, & hoc eſt, dicit motum,id eſt actum voluntatis cum gaudio. Idem Auguſtinus lxxxiij. quæſtio. quæſt.xxx. dicimur frui cibo & potu. Vnde inquit fruimur ea re,de qua capimus voluptatem. Sic ſumitur in bono & malo,& in multis locis ſcripturæ, vt eſt illud Apoſtoli: Ego fruar te in Domino, ad Philomenem, &c. Secundo modo accipitur pro omni actu voluntatis,quo propter ſe aliquid diligitur, non relatiuè in aliud ſaltem per illum actum. Et ſic delectatio poſſet dici fruitio: ſimiliter quicunque alius amor naturaliter ſequens apprehenſionem rei conuenientis,vel complacentis. Tertio modo accipitur pro amore libero voluntaris, quo finaliter quieſcit in amato,qui repugnat relationi ad finem alium. Et ſic accipit Auguſtinus, cùm inquit: Fruimur cognitis. Idem de doctrina Chriſtiana: Si in ea potiens finem lætitiæ permanſeris, propriè dicendus es frui. Et dicitur frui à fructu. Fructus autem dicitur vltimum quod expectatur cultu agro, vel campo, vel alia re fructifera. Sic frui vltimus erit actus, & ita voluntatis, vt dicit Gabriël diſtinct.j.quæſt. ij.artic.j.libr.j. Frui itaque eſt amore alicui inhærere propter ſe, ſed ad ſolam volun tatem pertinet alicui

alicui inhęrere per amorem. Accipitur frui vno modo largè, vt ibidem notat Spirenſis, pro omni actu quo aliquid aſſumitur in facultatem volũtatis propter ſe tanquam ſummum, ſiue ſit præſens, ſiue abſens, ſiue habitum, ſiue non habitum. Sic viatores fruuntur Deo: & dicitur fruitio viæ. Vnde ſanctus Bonauentura diſtinct.j. qu.vlt. libr.j. Deo fruendum eſt, eò quòd ipſe ſolus perficit, finit, & delectat ipſam animam, propter ſe & ſuper omnia. Alio modo ſtrictè pro actu vltimo beatifico, & ſic fruuntur Deo beati in cœlo. Vnde Richardus: Beati verè & perfectè in Deo fruuntur. Hinc frui ſecundum eum dicitur, ſecundum ſimilitudinem ſuauis fructus in arbore, qui vltimo de arbore expectatur, ſcilicet poſt flores & huiuſmodi, & cum ſuauitate percipitur: ita inquit frui eſt vltimus actus in fruente, quo quieſcit in re qua fruitur, ſcilicet in Deo. Et Auguſtinus libr.j. de doctrina Chriſtiana cap.xviij. Dicimus nos ea re frui quam diligimus propter ſe, ſicut eſt Deus. Vnde Deus non eſt diligendus propter beneficia vel propter beatitudinẽ, ſed propter ſe. Et ſecundum eundem res quibus fruendum eſt, ſunt pater, filius & ſpiritus ſanctus, & hi tres ſunt vna res: nec tamẽ frui creatura ſemper eſt mortale, niſi ibi finem ponat, quod etiam faceret ſi contra Deum eſſet, tunc enim ponit finem vltimum ibi. Bonauentura.

Frui actualiter eſt formare tales orationes mentales. Vtinam Deo fiat ſummus honor. Et vt vult Holkot. quæſt.iiij. quod homo non tenetur quotienſcunque cogitat de Deo actualiter eo frui, ſed habitualiter ſemper tenetur. Videatur ad hoc Gab. diſt.j.q.iiij.art.iij.dub.j.lib.j.

Frui aliquo contingenter dupliciter accipitur, ſicut & producere aliquid contingenter, vt notat Gabr. di.j.q.vj.libr.j. Vno modo quod poteſt illo frui & non frui, ſicut producere & non producere. Et ſic omnis creatura cõtingenter producit quicquid producit, quia poteſt non producere, quia Deus poteſt ſubtrahere ſuã coactionẽ, & generalẽ influentiam, & ſic nõ producit. Et dicitur creatura, quia filius nõ producitur cõtingenter à patre, nec eſt effectus patris. Alio modo accipitur pro illo quod producit aliquẽ effectũ, & nullo variato ex parte producentis, & cuiuſlibet alterius habet in ſua poteſtate: ita producere ſicut non producere, ita quod ex natura ſua ad neutrũ determinatur. Similiter de frui. Vnde voluntas cõtingenter & liberè fruitur fine vltimo oſtenſo in vniuerſali vel particulari, quia voluntas poteſt diligere vltimũ finem, & poteſt nõ diligere appetere ſibi & non appetere, quia voluntas poteſt nolle omne ſibi cõmodum verũ vel apparens. Sed poteſt apprehendere Deũ vt ſibi incõmodum puta punientẽ, & per cõſequens nolle. Item intellectus poteſt credere Deũ non fore obiectũ beatificũ, nec poſſibilẽ eſſe eius clarã viſionẽ & fruitionẽ homini mortali, & credere non eſſe vitã poſt hanc vitã, & per conſequens nolle Deũ vt obiectũ beatificum. Item voluntas poteſt velle non eſſe beata tali beatitudine, quia poteſt velle nõ eſſe: ſicut patet de interimentibus ſeipſos. Itẽ multi præſtituũt ſibi præſentia bona tanquã finẽ, eligẽtes præſentibus ad vota frui plus quàm futuris, & tales nõ fruuntur vltimo fine. Item obſtinati in peccatis credẽtes ſe non poſſe conſequi beatitudinẽ, eligunt manere in peccatis, & per cõſequens non frui, quia qui efficaciter vult antecedens, efficaciter vult & conſequens ſcitum vel opinatum eſſe tale. Gabr. latiùs vbi ſupra. Ex ſupradictis patet quinq; modis nos re quapiã frui poſſe, vt & ſcriptis reliquit ſanctus Tho. lib.j. ſenten. in ſolu. argu. Primò fruimur aliquo vt beatificante, & ſic ſolo Deo fruimur. Secundò fruimur aliquo, vt mouente vel imperãte: & ſic fruimur voluntate. Tertiò aliquo fruimur, vt perficiente & eliciente præmium, & ſic fruimur charitate. Quartò fruimur aliquo, vt diſponente, & ſic fruimur virtutibus. Quintò aliquo fruimur, vt repræſentante & cooperante, & ſic fruimur homine iuſto, inquantum repræſentat Deum per ſimilitudinem gratiæ: ideo dicebat Apoſtolus ad Philomenem: Fruar te in Domino.

Fruitio Dei, vt ſcribit Gerſon tract.ix. ſuper Magnificat, eſt operatio ſecundum habitum gratiæ gratificantis non impedita. Petrus Aliaceñ. q.ij. artic.j. libr.j. ſenten. dicit: Fruitio propriè & ſtrictè dicta eſt, qua aſſumitur aliquid in facultatem voluntatis propter ſe tanquam ſummum bonum. Et eſt duplex, ſcilicet ordinata & inordinata, vt ibidem dicitur. Fruitio ordinata eſt, quando aliquid ſummè diligendum, ſummè diligitur. Vel vt dicit Gabriël di.j.q.iiij.lib.j. eſt qua ſummè & irreferibiliter diligitur, quod ſummè diligendum eſt, & propter ſe. Et eſt duplex: quædam eſt quietans & ſatians voluntatem de bono pręſenti, qualis eſt fruitio patrię. Quædam non quietans, ſed compatiens ſecum triſtitiam viæ: de qua infrà videbitur. Fruitio inordinata ex aduerſo deſcribitur, qua ſummè diligitur & propter ſe tantùm, quod propter aliud referibiliter diligendum eſt. Et huius fruitionis obiectum poteſt eſſe aliud à Deo, ſicut voluntas ex errore poteſt ſibi alium finem tanquam ſummum bonum præſtituere. Et ſecundum communem opinionem Doctorum (vt ſcribit Paludenſis di.xlix.q.iiij.lib.iiij.) non ſolùm principale, ſed immediatum obiectũ fruitionis, quę ponitur eſſe vna de dotibus animæ, & aurea eſſentialiter eſt Deus, ſecundũ quod in ſe eſt ſummũ bonũ ſuper omnia amatũ amore amicitiæ, & non viſio ipſius Dei, vt aliqui voluerunt. Et hoc probat quadrupliciter: vide eum. Concordat Gabriël diſt.j. quæſt.iiij. art.ij. concluſione.iiij. libr.j. contra Durandum: obiectum fruitionis patriæ immediatum eſt ipſemet Deus, & non viſio Dei beatifica, id quod & ibidem latiùs probat. Conſonat Gregorius de Arimino. quæſt.iij. artic.j. Henricus de Oyta quæſt.ij. artic.iij. Cameracenſis quæſt.ij. artic.ij.

Fruitio eſt duplex, vt ex dictis habetur, ſcilicet vię & patriæ. Fruitio viæ, eſt amor quo diligimus Deum ſuper omnia, non tamen clarè & perfectè: & iſta eſt iuſtorum. Fruitio patriæ eſt beatorum, & eſt amor quo diligimus Deum ſuper omnia clarè, vt ait Brulefer diſtin.iiij. quæſt.j. libr.ij. ſenten. Differunt autem fruitio viæ & patriæ, vt habet Gabriël diſtinct.xxxj. quæſt. vnica, artic.iij. dubio.ij. libr.iij. non ſolùm ſecundum intentionem, ſed ſecundum ſpeciem. Diſtinguitur enim ſpecie præ-

ſentia obiecti per cognitionem intuitiuam propriam, à præſentia per cognitionem ſuam confuſam, aut in conceptu vel ſpecie. De quo latiùs vide ibi Dominum Præpoſitum Gabriëlem. Differunt & fruitio & vſus, quia habent diuerſa obiecta. Nam fruitio creatorem aſpicit: vſus verò creaturam: de quo aliàs. Et cùm ſancti dicunt beatitudinem conſiſtere in Dei fruitione, includunt ipſam viſionem, quæ eſt neceſſaria diſpoſitio ad fruitionem, vt dicit Richardus diſtin.xlix. artic.j. qu.vj. lib.iiij. Et vt ſcribit Magiſter Ioannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis ſuper Cantica canticorum, partitione j. conſideratione iiij. Amor liber Dei quo Deus diligitur dilectione naturali & libera, impreſſus ab agente infallibili, habebit actum ſecundum in patria pleniſsimum, continuum, ſimplicem & iocundũ, qui dicitur fruitiuus ſiue fruitio, vel oſculatio. Sed in hac valle miſeriæ (vt idem ait) vix habetur iſte actus ſecundus, niſi valde interruptus, & per interualla propter curuitatem amoris libidinoſi deprimentis. Docet hoc, proh dolor, valde nimis experientia, &c.

Fundamentum venit à fundum, di, quod propriè eſt vniuſcuiuſque rei, quæ aliquid in ſe liquoris contineat, vel ad continendum facta, vel pro eo ſuper quo quid fundatur, vt dolij, nauis, aluei, fluminis, lacus maris. Auguſtinus libro xvj. de Ciui. Dei. A quibus tamen prima cœpta fundamenta & altare conſtructum eſt. Et fundamentum in ſpiritualibus ſecundum Thomam poſt Alexand. parte iiij. quæſt. lxij. memb. ij. artic. j. & Petrus de Palude diſtinct. xiiij. quæſt. iij. libr. iiij. dicitur ad ſimilitudinem fundamenti ædificij corporalis duplici proprietate. Prima, quia fundamentum eſt primum in ædificio. Secunda, quia totum ædificium ſuſtentat, & ſic in ædificio ſpirituali fundamentum dicitur, vel ratione prioritatis, vel ratione conſeruationis aliorum, vel etiam ratione vtriuſque. Prioritas attenditur dupliciter. Vel quantum ad ſcienda in religione Chriſtiana. Vel quantum ad agenda in vita Chriſtiana. Et hoc vel quantum ad fugam mali, vel quantum ad proſecutionem boni. Quantum ergo ad doctrinam, quæ reſpicit intellectum, fides eſt fundamentum: quia ſine fide vana eſt omnis doctrina. Hinc Hebræ. 11. Fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum. Subſtantia, à ſubſtando, id eſt fundamentum. Et ibidem: Oportet accedentem ad Deum credere. Et quia intellectus præcedit effectum, fides eſt ſimpliciter primum fundamentum. Quantum autem ad effectum & fugam mali, timor & pœnitentia dicuntur fundamentum. Timor, quia primũ in toto genere recedendi à malo, tam commiſſo quàm committendo. Pœnitentia verò fundamentum eſt recedendi à malo. Remouet enim peccati immunditiam, ſuper quam erat conſtructa machina diabolica, vt dicit ſanctus Bonauentura diſtinct. xxij. quæſt. penult. libr. iiij. & poſt eum Brulefer. Vnde ad Hebræos ſexto dicitur: Non rurſus iacientes fundamentum pœnitentiæ. Et ideo regulariter timor præcedit pœnitentiam, ſicut genus ſpeciale. Sed quantum ad proſecutionem boni, charitas eſt fundamentum, ſecundum Apoſtolum Epheſ. 4. In charitate radicati & fundati. Ratione autem conſeruationis in proſperis, humilitas dicitur fundamentum: in aduerſis autem fortitudo. Et ſecundum hoc diuerſæ virtutes dicuntur fundamenta ſpiritualis ædificij, ſecundum diuerſos ordines procedendi in diuerſis paſsibus ſcripturæ. Hæc Gabriël diſtinct. xiiij. quæſt. ij. artic. iij. dubio. ij. libr. iiij. Et Apoſtolus (ſicut dicit Gloſſa Epheſ. 4.) vocat fundamentum ſermonem inchoationis, id eſt ſermonem qui debet fieri his qui ad Chriſtũ ſunt vocandi primò. In hoc autem ſermone, vt ſcribit ſanctus Bonauẽtura diſtin. xxij. quæſt. penult. libr. iiij. ſenten. tria comprehendit, quæ habet neceſſario cognoſcere, ſi quis vult ad legem Chriſtianorum introire, & per hanc ad vitam venire. Oportet enim volẽtem ad Deum pertingere quod ſciat quò debet tendere, & adiutoriũ per quod poteſt peruenire, & viam per quam debet incedere. Terminus eſt præmium, adiutorium eſt ſacramentum, via eſt veritas ſiue virtutis opus, quod eſt præceptum. Et hæc tria ſcire oportet volentem ad Deum peruenire, ſecundum illud Hugon. quod tria ſunt maximè attendenda, præcepta, ſacramenta, promiſſa. Via igitur eſt in virtutibus, & quoniam ad hoc quod recta via procedat, neceſſe habet declinare à malo, & tendere ad bonum: ideo duplicem ponit virtutem. Vnam per quam declinatur à malo, & hæc eſt pœnitentia. Aliam per quam tenditur in bonum, & hæc eſt fides tendens in Deum per dilectionẽ, quæ ſequitur pœnitentiam quantum ad tendentiam, licèt antecedat quantum ad cognitionem. Adiutorium ſimiliter oportet duplex ſaltem eſſe. Vnum quod liberat à malo, & hoc eſt ſacramentum Baptiſmi, in quo delentur peccata. Alterum quod confirmat in bono, & hoc eſt confirmatio ſiue manuum impoſitio. Similiter retributionem duplicem oportet cognoſcere, ſcilicet bonorum & malorum. Bonorum per reſurrectionem mortuorum, remunerationem per gloriam. Malorum per iudicium extremum. Hæc oportuit primò prædicari & inter prima, ita docere debemus eos qui de nouo veniunt ad legem Chriſti. Hæc Bonauentura vbi ſupra. Dicitur & poſtremò Chriſtus fundamentum, & hoc bene notatur in gloſſa 1. Corin. 3. vbi dicitur, quod ſicut totum ædificium materiale tendit deorſum, quia locum fundans eſt deorſum: ſic ſpirituale ædificium tendit ſurſum, quia Chriſtus Dominus, qui fundamentum eſt ſpiritualis ædificij, eſt ſurſum: de quo videatur & Augu. Pſalm. 29.

Furtum, ſecundũ B. Thomam ſecunda ſecundæ, q. lxvj. art. iij. eſt occulta acceptio rei alienæ, & eſt nimis generalis deſcriptio, conuenit enim ſimoniæ, vſuræ, doloſæ, ſeu iniquæ mercantiæ. Et eſt nimis reſtricta. Accipiendo furtum communiter pro qualibet iniuſta contrectatione rei alienæ, quomodo accipitur in ſeptimo præcepto: Non furtum facies. Vnde Aug. in lib. q. Exodi, dicit. Furti nomine bene intelligitur omnis illicita vſurpatio rei alienæ. Non enim rapinã permiſit qui furtũ prohibuit. Sed vtiq; furti nomine in lege veteris teſtamẽti, & rapinã intelligi voluit. Sic ergo capiendo furtũ diffinitio non cõuenit omni furto, quia nõ rapinæ, quę tamen illo modo diſtinguitur à furto. Ideo aliter diffinit Raymu. quem communiter ſequuntur Doctores & Iuriſperi. Furtũ eſt cõtrectatio rei alienæ mobilis,

mobilis & corporalis fraudulenta inuito domino, gratia lucrádi rem ipſam, vel vſum eius vel poſſeſſionem veram. Dicitur cõtrectatio quæ eſt realis & exterior rei apprehẽſio, quia ſola voluntate aut verbis non cõmittitur furtũ, licèt voluntas furandi ſit peccatũ. Non tamẽ dicitur furtũ, voluntare quidem ſit tráſgreſsio alterius pręcepti, ſcilicet decimi: Non cõcupiſces rem proximi tui. Dicitur rei alienæ, quia in re propria nõ cõmittitur furtũ. Verũ eſt niſi alius haberet in illa re aliquod ius, puta cui res fuit impignorata vel cõmodata. Hanc enim ſi dominus fraudulẽter & occultè recipit, furtũ cõmittit. Item ſi in extrema neceſsitate rem proximi cõtrectaret, non cõmitteret furtũ, quia tunc res nõ eſt aliena. Si quis autẽ extra neceſsitatẽ rem ſuá apud aliũ inuentam reciperet habẽs ius in eam, nõ cõmittit furtũ. Licèt perdat ius ſuũ in re, quod propria auctoritate tollit eam, & hoc de iure fori non de iure poli, & ideo ad reſtitutionẽ non tenetur. Dicitur mobilis, quia in re immobili vt agro vel domo, nõ cõmittitur furtũ, ſed bene ſpolium vel rapina dicitur, & corporalis, quia in re incorporali, vt in actione & ſeruitute nõ cõmittitur furtũ, quia non poteſt cõtrectari. Dicitur fraudulenta, quia ſi quis credebat rem eſſe ſuam, quæ tamen nõ eſt ſua, vel etiá ſcit non eſſe ſuá, credebat tamẽ dominũ rei nõ eſſe inuitũ, & habuit rationem iuſtá credẽdi, non cõmittit furtũ. In dubio enim præſumitur dominus inuitus. Dicitur domino inuito, quod intelligendum eſt de domino tam propinquo quàm de ſuperiori vel remoto, quia ſi dominus ſuperior nõ eſſet inuitus, nõ eſſet furtum, nec rapina. Sicut patet in ſpoliatione Ægypti per filios Iſraël, Exod. 11. Requiritur igitur quod vterq; ſit inuitus, altero enim voluntario, non eſt furtum. Vnde ſimonia aut vſura non dicitur furtũ propriè, vt latiùs videre potes apud Gabr. di. xv. q. iij. art. j. libr. iiij. & aliàs patet. Et dicitur dominus inuitus etiá dum videt rem auferri, & non cõtradicit propter timorẽ vel verecundiá, aliàs nõ cõtradicendo, cùm potuerit, videtur cõſentire, & de domino inuito etiam intelligendum eſt non actu illicito, ſed actu debito. Dicitur gratia lucrandi, quia ſi nõ animo lucrandi, ſed animo cuſtodiẽdi, vel reddẽdi cautiorem dominũ rei, aut alia ſimili cauſa rem aufert, non eſſet furtũ. Dicitur rem ipſam, vſum, vel poſſeſſionẽ, quia nihil refert an tollẽs rem alienã intẽdat ſibi appropriare rem, ſiue ſolum vſum rei, ſiue eius poſſeſsionẽ. Nam quodlibet horũ intẽdat, furtũ cõmittit. Et ſi placet furtũ apertius diſtinguere à rapina, addendũ eſt occultè, ſicut addit S. Thomas. Licèt etiam per hoc quod dicitur fraudulenta ſatis diſtinguitur, quamuis minus apertè, &c.

Furtum eſt duplex, ſcilicet manifeſtũ. Et eſt quando cum eo fur deprehenditur, priuſquam veniat ad locum deſtinatũ. Aliud non manifeſtũ, cum quo, ſcilicet fur nõ deprehenditur. Sunt etiam quædá furta quæ ſpecialia ſortiũtur nomina, vt ſacrilegiũ, quod eſt furtũ rei ſacræ, vel rei nõ ſacræ, de loco tamẽ ſacro. Gabr. vbi ſupra. Itẽ furtũ cõmiſſum in re religioſa vel in repub. dicitur peculatus. Sic ſi diſperſo grege inde furetur, dicitur Abigeatus. Similiter furtum hominis liberi venditi vel empti ſcienter, dicitur plagiatus: & eodẽ modo ſollicitatio ſerui alieni, vel aſportatio, vel ad aliá regionem furtiua ductio. Cætera furto retinent generale nomẽ furti. Omnis autẽ fur atq; raptor ſingula furta aut rapina acquiſita tenetur domino rei reſtituere, ſi earum reſtitutio fuerit in ſua poteſtate. Ad idem tenetur omnis participans in actu vel re ablata cum fure vel raptore probat. Gabr. ar. ij. vbi ſupra. De furto videatur & Gerſon parte ij. in expoſitione ſeptimi præcepti, & alias: & vbi diſputat an liceat grauato debitis intrare religionem, &c.

Futurum eſt quod nondum venit, quum aduenturum ſit. Vnde Actuũ 1. Non eſt veſtrûm noſſe tempora vel momenta, quę pater poſuit in ſua poteſtate, ſed accipietis virtutẽ ſuperuenientis ſpiritus ſancti in vos, & eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & in omni Iudæa & Samaria, & vſq; ad vltimũ terræ. Futurorũ (vt ſcribit S. Bona. di. vij. part. ij. artic. j. q. iij. li. ij. & Tho. q. ij. ar. ij. atq; Richar. eadem di.) triplex eſt genus. Quædá enim ſunt futura, quę habent cauſam determinatá & infallibilẽ, vtpote ſunt illa, quæ attẽduntur circa motũ corporũ ſuperiorũ, in quibus eſt determinatio, & omnis impedimenti remotio: talia poſſunt certitudinaliter ſciri, non ſolũ à Deo, ſed & à creatura, & hoc in ſua cauſa ſicut tempus eclypſis & conſimilium. Quędam ſunt quæ habent cauſam determinatam, quia intentio naturę mouet, ſed fallibilem: quia multipliciter poteſt occurrere impedimentum, vtputa ager ſeminatus, ſi terra pinguis eſt, & bona diſpoſitio ſuperiorũ corporum, affert pinguem fructum, & iſta poſſunt quodammodo ſciri & præſciri, non tantum à Deo, ſed etiá à creatura, quæ nouit naturas rerũ ſuperiorum & inferiorũ: nõ tamẽ ita certitudinaliter ſicut prædicta. Quædá autẽ ſunt, quæ habent cauſam indeterminatá & fallibilẽ, ſicut ea quæ ſunt à voluntate noſtra, quæ indeterminata eſt ppter hoc quod eſt ad appoſita. Fallibilis etiá, quia poſſunt etiá volenti proficere, occurrere multa impedimẽta, & talia nõ poſſunt certitudinaliter ſciri ab aliqua creatura in ſeipſa, ſed ſolũ à Deo, vel per reuelationẽ diuinam. Et ratio eſt, quia cognitio creaturæ pendet ex re, quoniam igitur res incerta eſt, & in ſe, & in ſua cauſa: ideo creatura nõ poteſt certitudinaliter illam noſcere, aut præſcire. Diuina autem cognitio non pendet à re aliqua, imò omnia ſecundum modum ſuæ veritatis nouit: & quia veritas ſua eſt certiſsima, certiſsimè cognoſcit contingentia, vt neceſſaria. Et ſicut certiſsimè nouit, ita poteſt certitudinaliter demonſtrare & reuelare. Ideo hæc præcognitio futurorum, vel Dei eſt, vel à Deo: & ideo cùm talia prædicuntur, prædictio dicitur diuinatio, quia talis eſt actus diuinus. Et quia dæmones ſuperbi maximè deſiderant honorari vt Deus, maximè conantur hoc oſtendere in ſe habere: & ideo dicere, quod dæmones per ſeipſos futura contingentia præſciant certitudinaliter, hoc eſt eis attribuere, quod Dei eſt: & ideo eſt infidelitas, & infidelitati frequenter annexa idolatria; ideo diuinatio eſt prohibita. Quamuis autem dæmones non poſsint per ſeipſos futura contingentia ſcire certitudinaliter, tamen frequenter vera prædicunt, quia euentum futurorum aliquo modo præſentiunt. Hoc autem eſt quadrupliciter, ſicut dicit Auguſtinus in iij. ſuper Geneſim ad literam. Aut enim ſenſus vel ingenij acrimonia, aut

multa experiẽtia, aut doloſa cautela, aut aliena doctrina. Senſus acrimonia, vt quãdo vident diligenter & conſiderant ad quid inclinetur affectio noſtra, vel quæ ſint inducentia vel retrahentia. Experientia temporum, quia ex talibus videt accidere talia. Doloſa cautela, quãdo proponit aliquid facere, & prædicit quaſi alius ſit facturus. Aliena doctrina, quando iuſto Dei iudicio permittitur addiſcere ab Angelis. Et ſic patet quod dæmones futura contingentia, & ſi poſſunt probabiliter pręſentire, nõ poſſunt tamen certitudinaliter præſcire. Bonauentura vbi ſupra. qui & de Aſtronomis dicit, quod ea quæ dicunt ſolùm coniecturando, ſiue ſecundum legem Aſtrorum, ſiue diabolica cõmercia dicunt. Item de ſomniis in quibus præuidentur futura. Reprehendit autem ſcriptura eos, qui confidentiam habent in ſomniis, niſi fuerint ab altiſsimo miſſa. Vide latiùs Bonauen. & in dictione *Somnium*, &c. Et vt ſcribit Brulefer diſtin. xxxviij. q. j. lib. j. Nullum futurum complexũ Deus neceſſariò cognoſcit. vt Antichriſtus erit. Sicut enim illa in ſe eſt contingens, ita etiã Deus contingenter cognoſcit eam. Sed benè ſequitur: Deus præſcit me celebraturũ: ergo celebrabo. Item præſcit Antichriſtum damnãdum: ergo damnabitur, &c. Vnde notitia Dei eſt cauſa in conſequendo vel in inferendo mali, & non in eſſendo, & ibi eſt neceſsitas conſequentiæ non conſequentis: ergo nec antecedẽtis. Sed quamlibet entitatem futuram incomplexam Deus neceſſariò cognoſcit.

De litera G.

GAbella, vt ſcribit Gabriẽl di. xv. q. v. lib. iiij. dicitur præſtatio quæ imponitur rebus vſui hominũ ſubiectis emendis aut vendendis, aut de loco ad locum transferendis, vt vino, carnibus, & cæteris ad vitam & vſum pertinentibus. Vide & in dictione *Præſtatio*.

Gaudium eſt paſsio concupiſcibilis proueniens ex perfectionis appetitæ coniunctione, ſecundum interiorem apprehenſionem ſenſus vel intellectus, ſecundum beatum Thomã iiij. ſenten. di. xlix. q. iij. ar. j. Vel ſic: Gaudiũ eſt affectus animi alicuius pręſentis boni opinione concepta, & differt à iubilo. Iubilum enim dicitur, vt ſcribit Gregor. lib. xxiiij. moralium. quando ineffabile gaudium mente concipitur, quod nec abſcondi poſsit, nec ſermonibus aperiri, & tamen quibuſdã proditur motibus, quãuis nullis proprietatibus exprimatur. Idem xxviij. moral. Iubilatio dicitur quũ cordis lætitia oris efficacia nõ expletur, ſed quibuſdã modis gaudiũ prodit quod ipſe qui gaudet, nec regere præualet, nec explete. Differtq; gaudiũ à delectatione, vt notat Brulefet di. iiij. di. j. lib. j. Omne enim gaudium eſt delectatio, non econtrariò. Gaudere enim propriè eſt ſolius voluntatis delectatio. Delectatio autem poteſt eſſe in omni potentia cognitiua, etiam ſenſitiua. Vnde potentia guſtatiua delectatur in cibo, auditus in ſono melodioſo. Gaudium autem præſentis vitæ eſt breue & caducum. de quo ita ſcribit Gerſon parte ij., ſerm. de omnibus ſanctis, qui incipit: Beati qui lugẽt. in fine. Nonne, inquit, prę-

terea gaudium præſens ſicut punctus eſt, à quo linea miſeriæ trahitur in infinitum, & qui ducunt in bonis dies ſuos, in puncto ad inferna deſcendunt? Luctus bonus econtrà lineam deſcribit gaudiorum & conſolationem ſine termino duraturã, quin breue hic & momẽtaneum tribulationis in nobis ſuper modum immenſum glorię pondus operatur in nobis per gratiam, & in futuro per gloriam.

Gaudium eſt duplex. Viæ, & patriæ. Gaudium viæ admittit triſtitiam, gaudium patriæ nullam admittit calamitatem. Gaudium patriæ eſt duplex, ſcilicet eſſentiale & accidentale, vt notat Gabriẽl di. xj. q. vnica, art. iij. dub. ij. libr. ij. Gaudium eſſentiale eſt, quod habetur de obiecto beatifico, quod eſt Deus, & eſt videre Deũ. (vt ſcribit Brulef. di. xviij. q. iiij. lib. iij.) & amare ipſum: & dicitur aurea, dicitur & præmium ſubſtantiale, & denarius. Sed præmium conſubſtantiale ſecundum eundem eſt in parte ſenſitiua; non enim ſolùm anima erit beata, ſed omnes alij ſenſus erunt beati ſuo modo, quia quieſcent, & ſummè delectabuntur in obiectis ſibi conuenientibus. Gaudium accidentale, vt Gabr. ait, eſt quod de creatura habetur, ſiue de ſe, ſiue de alio: & dicitur præmium accidentale. Et augmẽtum gaudij eſt duplex, vt ibidem notat Gabr. ſcilicet ſecundũ intenſionem, & ſecundum extenſionem. Præmium attenditur ſecundum additionem & vnionem plurium graduum gaudij. Secundum, penes pluralitatem obiectorum, de quibus eſt gaudium. Et gaudium dicitur augeri, ſecundum Bonauent. di. xlv. circa literam lib. iiij. vel numeroſitate, vel intenſione, ſiue qualitatiue. Augmentum gaudij quantum ad numeroſitatem, non ponit augmentum in præmio eſſentiali, quia illud eſt in vno ſolo, ſed in præmio accidentali, quod conſiſtit in gaudio de bono creato: & illud poteſt augeri, maximè quantum ad obiectũ, vt de pluribus gaudeat tunc quàm priùs. Hinc Magiſter di. xlv. lib. iiij. ſenten. ait, quod maius erit gaudium ſanctorũ in reſurrectione & poſt, quàm fuerit ante, & quod diuerſa receptacula habebunt animæ ſanctorum. Si loquamur intenſiuè (inquit Bonauen.) ſic non augetur niſi per accidẽs, quia inclinatio animæ ad corpus, quæ ipſam retardat ne intenſius feratur in ſummum cœlum quàm in illã auferatur. Sic de Angelis ſcribit Gabriẽl vbi ſupra, quod Angelorum cuſtodientium gaudiũ eſſentiale, non augmentatur neq; intenſiuè, neq; extenſiuè, quia quantum ad hoc ſunt perfectè beati. Beatitudo autem eſt ſtatus omnium bonorum congregatione perfectus: ſed vbi eſt ſtatus perfectus, ibi non eſt profectus. Sed bene gaudium accidẽtale Angelorũ cuſtodientiũ, augetur ex beatificatione cuſtoditorum intenſiuè & extenſiuè. De pluribus enim gaudent, & ex euentu effectus deſiderati creſcit gaudium intenſiuè ſi pręfuit, aut de nouo generatur. Sicut ex oppoſito triſtitia de aduentu noliti, ſecundum Auguſtinum xiiij. de Ciuit. Dei, ſed Angelus deſiderat beatitudinem eius quem cuſtodit: ergo. Item ſi gaudiũ eſt Angelis de vno peccatore pœnitentiã agente, quanto magis & maius de beatitudine eiuſdem pœnitẽtis. Non autem maius extenſiuè, quia non de alio, ſed de illo, de quo nunc habet gaudium conuerſionis: ergo maius intenſiuè. Meretur & augmentum gaudij accidentalis Angelus per

lus per opera cuſtodiæ. Non autem ex damnatione cuſtoditi angelus cuſtos triſtatur, aut gemitum concipit, aut gloriæ detrimentũ incurrit. Tum quia vehemens gaudium & delectatio expellit omnem triſtitiam etiam contingentem vij. Ethi. Tum quia beatitudini repugnat omnis triſtitia & pœna, ſicut econuerſò, miſeriæ omnis delectatio & gaudium. Vide latiùs ibi Gabr. vbi ſupra. Concordat S. Bonauen. di. xj. ar. ij. q. ij. lib. ij.

Gaudium accidentale in beatis eſt duplex, vt ſcribit Rich. di. xlix. ar. v. q. vij. li. iiij. ſen. Quoddam eſt receptũ ſpecialiter à Deo miſericorditer retribuẽte. Quoddam actum ab ipſo beato recogitando bona opera ſua, & ſibi complacendo in eis. Primum gaudium magis propriè habet rationem præmij quàm ſecundum, quamuis ſecundum aliquo modo habeat, eo quod omnia quæ habent beati, principaliter à Deo ſunt. Cùm ergo beatis placeat ſe feciſſe opera bona quæ in peccato mortali fecerunt, maximè inquantum vident quod illa bona eos ad pœnitentiam diſpoſuerunt ſeu inclinauerunt, pro illis habent aliquod accidentale pręmium, extendẽdo nomen præmij ad quodlibet gaudium bonorum, nec tamen ſic gaudet de illis operibus, ſicut de illis quæ fecerunt in charitate, de quibus gaudent ratione operis operati & radicis & formæ, de alijs autem gaudent ratione operis operati tantum, nec pro illis habent aliquod accidentale pręmium à Deo ſpecialiter datum. Hæc Richardus.

Generatio eſt mutatio ex non ente in ens, ſecundum Ariſto. libr. de generatione & corru. Vel ſic, generatio eſt mutatio huius totius in hoc totum nullo ſenſibili manente eodem vt ſubiecto, ſecundum eundem. Et de hac plura apud Phyſicos perquirito.

Generatio accipitur dupliciter, ſcilicet largè & ſtrictè, vt notat Gabr. di. xiij. q. vnica. ar. j. libr. j. & di. xvij. q. vj. lib. j. vbi & addit tertium modum. Largè generatio eſt productio cuiuſcunque non de nihilo, & iſto modo quando productio eſt non de nihilo: ſi concurrit materia & ſubiectum, neceſſe eſt ibi productio per informationẽ & impreſſionem, informationem materiæ, & impreſſionem formæ, talis in diuinis non habet locum. Aliter & ſtrictè capitur generatio, vt eſt productio viuentis à viuẽte, qua viuens ratione ſuæ productionis præciſe producitur vt totaliter ſimile & eiuſdem rationis cum producto quantum ad omnia, excepta ſola productione, & ſic generari paſſiuè eſt naſci. Et dicitur, viuens, &c. propter proceſſionem ſpiritusſancti, quæ non dicitur generatio, ſed proceſſio, quia licèt ſpiritusſanctus ſit conſubſtantialis patri & filio, & procedat de ſubſtantia patris, quia tamen procedit vt datus, & non vt natus, ſeu vt imago patris, ideo eius proceſſio, non dicitur generatio. De ratione enim imaginis præciſe eſt quod ſit ſimilis ipſi, cuius eſt imago, aliàs non diceretur imago perfecta. Secus eſt de dono, de cuius ratione non eſt quod ſit ſimile donanti, vel obiecto amato & dilecto. Hinc eſt quod dicitur in ſymbolo Athanaſij, non factus nec creatus nec genitus, ſed procedens. Capitur & generatio largiſſimè, pro productione cuiuſcunque de nouo, de quo Gab. di. xvij. libr. j. Et per generationem ſecundum Philoſophos acquiritur alicui eſſe ſimpliciter, id eſt eſſe ſubſtantiale tanquam terminus illius mutationis, vt & notat Gabr. di. iiij. art. iij. dub. j. libr. iij. Et generare de ſui propria ratione eſt ſimilem ſibi in ſubſtantia & natura producere, vt dicit S. Bonauen. di. ix. q. j. libr. j. vbi agit de generatione. Sibi verò ſimilem in natura producere tripliciter eſt. Aut per impreſſionem ſuæ ſimilitudinis in alio, & ſic generatur character à ſigillo, lumen à luminoſo, ſpecies ab obiecto. Alio modo per eductionem ſpeciei conſimilis ab alio, & ſic generatur elementum ab elemento. Tertio modo per productionem ſimilis de ſimili, ſiue de ſeipſo, & ſic generatur animatum ab animato, & iſte tertius modus eſt perfectior. Vnde non reperitur niſi in ſubſtantiis habentibus formam nobilem, quæ eſt vita, & iſte modus generationis eſt ſecundum naſcentiam, & eſt in Deo & creaturis, ſed differenter. Vide eum latius ibi. Et generatio in diuinis eſt omnimodè perfectionis, & animatio in diuinis facit realem diſtinctionem inter generantem & generatum, vt idem ait q. ij. vbi ſupra. Non rationalem vel intellectualem ſolùm, ſicut dixit Sabellius, & realẽ quantum ad perſonam, non quantum ad eſſentiam, ſicut dixit Arrius. Et eſt diſtinctio in ſuppoſito, & etiam ratione relationis eſt diſtinctio, & ratione talis eſt diſtinctio perſonalis. Vt latius videre potes apud S. Bonauentu. vbi ſupra. Præterea vt idem q. iij. generatio filij eſt æterna. Tum ratione generantis. Tum ratione geniti. Ratione generantis, propter ſummam & perfectam fęcunditatem. Ratione geniti, propter ſummam & perfectam æqualitatem, quarum vtraque conditio tollit ne filius ſit poſterius patre. Et cum productio filij à patre ſit per naturam & ſummam potentiam, quamcitò fuit pater genuit, ſed fuit ab æterno. Vide latius Bonauen. & Richar. de med. vil. ſuper. j. ſent. di. ix. articu. j. dicit quod generationis ratio in Deo eſt æterna productio alicuius ſecundum ſubſtantiam per modum naturæ de ſubſtantia generantis. Dicitur: ſecundũ ſubſtantiam, per hoc excluditur accidentis generatio, quæ eſt mutatio. Et dicitur: per modum naturæ, excluditur productio voluntatis, vt ſpiritusſancti, excluduntur & aliæ generationes. Et ſecundum Gab. di. v. qu. j. lib. j. generare & generari in diuinis non poſſunt prædicari niſi de illis de quibus immediatè prædicuntur ex communi vſu loquentium, & hoc rationabiliter, ne cum apud omnes generans realiter diſtinguitur à genito, concedatur in diuinis eſſentiam realiter diſtingui ab aliquo in diuinis. Et quia generare & generari primò & immediatè prędicantur de ſuppoſitis in diuinis, ideo de ſolis ſuppoſitis, & non de eſſentia prædicatur. Vnde eſſentia non eſt generans, nec genita nec procedens, ſed eſt pater qui generat, & filius qui gignitur, & ſpiritusſanctus qui procedit, & hoc habetur de ſumma trinit. & fi. catho. Damnamus. Et concordat Aliacen. q. vij. li. j. qui & vult quod hoc intelligatur de generatione ad intra & æternali, non de generatione ad extra & temporali, quia non eſt dubium quin eſſentia diuina generet quicquid generatur ad extra, & ideo eſſentia diuina (vt dicit) non poteſt generare nec generari in diuinis, quia non poteſt realiter diſtingui à quocunque ſuppoſito in diuinis. Sed ſi

generare(vt dicit Gabr.ar.iij.vbi ſupra.)capitur nominaliter, tunc illa poteſt concedi, eſſentia eſt generare, id eſt, eſt id quod generat, non tamen conceditur per hoc quod eſt generans vel generat. Item generatio in diuinis ponenda eſt tantum ſub ratione productionis, inquantum, ſcilicet aliquid per eam capit eſſe, & ideo generationi in diuinis non aſsignabitur materia vel quaſi materia, ſed tantum terminus formalis. Quomodo autem intelligatur illa, filius eſt ſubſtantia patris. Videatur de hoc in dictione Subſtantia. & Aliaceoſis.q.vij.li.j.& Gabr. q.ij.vbi ſupra.

Generare voluntariè vt ſcribit Gabr. di.vj.q.vnica ar.j.lib.j.poteſt intelligi tripliciter, ſcilicet voluntariè voluntate antecedēte, vt, ſcilicet prius voluit, & poſtea genuit, vel antecedente ſiue coſequente, vt, ſcilicet prius genuit, & poſt voluntatis actum ſibi in genito complacuit. Vel voluntate concomitāte, ita quod ſimul genuit & generare voluit, voluit quidem complacenter, non contingenter. Pater autem non dicitur generans à voluntate natura vel intellectu eo modo quo à fortitudine aliquis fortis dicitur. Sed hoc modo dicitur generans à generatione, ſicut calefaciens à calefactione, & ſic pater filium genuit nec voluntate, nec neceſsitate.
Neque etiam intellectu neque natura. Sed genuit voluntate concomitante, quia genuit volens, ſicut potens, vt dicit Magiſter, & quando voluit generare genuit, & quando genuit voluit, quia æternaliter & genuit & voluit. Et quamuis pater genuit filium neceſſariò neceſsitate ineuitabilitatis, non tamen genuit neceſſariò neceſsitate coactionis, quia pater non poteſt non generare filium, & quia cùm pater ſit opus, non poteſt ab aliquo cogi. Gabr.

Generatio vniuoca dicitur in generatione actuali quando terminus formalis, ſcilicet accidens ſecundum ſe totum productum eſt eiuſdem rationis ſiue ſpeciei cùm per ſe ratione producendi. Vnde ſi ab igne calefit lignum vel lapis, eſt generatio vniuoca, quia calor productus in ligno vel lapide eſt eiuſdem rationis cum calore ignis, licèt ignis & lignum vel lapis differant ſpecie. Sed ſi ignis calefaceret ſe ſicut graue mouet ſe, vel ſi aqua calefacta ſe reduceret ad priſtinam frigiditatem, non eſſet generatio vniuoca propter diuerſitatem ſpecificam caloris producti in igne & formam ignis, quæ eſt ratio agendi. Loquendo autem de generatione ſubſtantiali, illa dicitur vniuoca, quando generans & genitum non ſunt alterius ſpeciei, vt quando ignis generatur ab igne, in hac autem generatione ſunt gradus, de quibus vide Gab.di.ix.q.ij.li.j. Generatio autem in diuinis nec ſimpliciter vniuoca, nec æquiuoca ſimpliciter eſt dicēda. Id quod probat Gabr.vbi ſup.ar.ij. Aſſentit Gerſon trac.xj.ſupra Magnificat, cū ita ſcribit: Fallit aut conturbat nonnullos habentes de diuinitate ſermonem, dum nituntur phyſicas coaptare conſiderationes ex creaturis ſumptas ad illá quæ Deo conueniunt, quæ plus in infinitū diſconueniūt creaturarum proprietatibus quam aſsimilentur eis. Exempli gratia. Ponimus fide docti generationē naturalē filij Dei de patre Deo quærūt, ſi generatio talis ſit vniuoca vel æquiuoca, quodcunq; dicatur inſtantiæ plures occurrēt. Expeditior via tenetur, quę nec vniuocam dicit generationē, nec æquiuocationem. Probat & ibidē Gerſon. Et generatio vniuoca dicitur ab vnitate, & æquiuoca à diuerſitate. Et generatio filij in diuinis eſt æterna, vt inquit Gabr. Et vt idē Gab. ſcribit vbi ſupra, tá in generāte creato, quá genito eſt duo conſiderare, ſcilicet quod, & quo. In generante quod, eſt ipſum generás, quo, eſt ratio generandi, quæ eſt principium elicitiuum generationis. In genito quod, eſt terminus totalis, ſcilicet res quæ generatur, quo, eſt terminus formalis. Illa ergo duo, quod & quo, nō ſemper, ſed frequenter diſtinguuntur. Nam Angelus producens intellectionē eſt quod, & quo ex parte producentis, idem eſt de anima ſeparata. Similiter ſi accidens ſeparatum puta color, per diuinam potentiam produceret colorē ſeparatū, idē eſſet quod & quo, tá ex parte generantis, quàm generati. Gabr.di.ix.q.ij.ar.j. lib.j.

Generatio & ſpiratio differunt, vt habet S.Bona. di.xiij.q.iij.li.j. Nā generatio eſt ab vno, ſed ſpiratio à duobus, & quia generatio eſt emanatio per modum perfectæ aſsimilationis, ideo ad vnū principiū reſpicit, quia verò ſpiratio eſt emanatio per modū connexionis, ideo eſt à duobus. Aliam ponit differentiam Bona. ibidem. Et generatio diuina (vt ſcribit Gab.di.xxvij.q.iij.lib.j.eſt) ineffabilis, qua à patre filio cōmunicatur eſſentia & ſapientia, quę idem ſunt. Coęternitas perfectiſsima, ſimilitudo & æqualitas, ideo multis nominibus eandem rem nō ſynonymè ſignificantibus nominatur. Nam vt ipſa generatio ſeu natiuitas oſtendatur connaturalis patri, genitus dicitur filius, vt oſtendatur coæternus, dicitur ſplēdor patris, vt oſtēdatur omnino ſimilis & ęqualis, dicitur imago patris, vt oſtēdatur immaterialiter genitus, dicitur verbū. Sapientia ergo importat abſolutè eſſentiá, quia hoc eſt illi eſſe quod ſapere. vij. de tri.c.j. Filius generationē, imago ſimilitudinem verbum hæc omnia dicit, & addit expreſsionē. Primum abſolutū & commune, cętera relatiua ſunt & propria ſecundæ perſonæ. Gabr. vbi ſupra.

Generari & naſci differunt ſecundum Gabr.di.iiij. qu.vnica.art.ij.libr.iij.vbi dicit. Non eſt idem generari, & naſci ex vna, & eſſe filium ex parte altera, etiam in eadem ſpecie viuentiū vita ſenſitiua. Nam hæc nomina, filius, pater, mater, duntaxat denominant ſuppoſita, nam non ſupponunt niſi pro ſuppoſito, & cōnotant generationē actiuá vel paſſiuam cum ſexus diſcretione, &c. Generari autē & naſci denominát quodcunq; productū per generationem aut natiuitatem, ſiue ſit ſuppoſitū, ſiue natura, ſiue pars ſuppoſiti. Ratio diuerſitatis huius non eſt niſi impoſitio terminorum, quá ex cōmuni vſu loquendi colligimus. Non enim admittit loquendi vſus animam prolis eſſe filiam matris nec manum, aut caput. Alioquin mater vna generatione generaret filios multos aut filias. Concedit autem loquendi vſus manum infantis primo naſci aut generari vel caput, quo ſequitur quod licet natura humana in Chriſto nata eſt, & de virgine genita, non tamen eſt filia virginis. Item non omne natum de virgine eſt Chriſtus. Patet de natura humana quæ nata eſt de virgine, & tamen non eſt Chriſtus. Vide latius ibi Gabr.

Generatio eſt duplex, ſcilicet iuſtorum,& nequam. De quo Gerſon parte j. de auferibilitate papæ ab Eccleſia,conſide.vj. De prima dicitur illud Pſal.111. Generatio rectorum benedicetur. Et illud Chriſti Matth.24. Amen dico vobis:quia non præteribit generatio hæc donec omnia fiant,loquens de generatione iuſtorum, quæ contrariatur illi de qua dictum eſt:Amen, amen dico vobis quod requiretur à generatione hac omnis ſanguis ab Abel iuſto,&c. Et de generatione nequam habetur Pſal.77.Generatio praua & exaſperans. Generatio quæ non direxit cor ſuum,& non eſt creditus cum Deo ſpiritus eius,& Matth.12. Generatio mala & adul.ſig. quærit,&c.

Genus multis modis dicitur.Eſt enim propriè principium vniuſcuiuſque generationis, vel ab eo qui genuit, vel à loco in quo quis genitus eſt, vt Oreſtes à Tantalo ducit genus. Et Plato eſt Athenien. genere. Et per Metaphoram multitudo dicitur genus, vt Romanorum genus. Eſt & genus cui ſupponitur ſpecies,de quo in logica. Vocamus item genus per quod alicuius rei qualitas declaratur, vt genus mortis,genus vitæ,genus exempli, genus marmoris,genus coloris,genus veſtis. Virgi. *Quod genus hoc hominum*, à quo generatum, id eſt per ſingula genera. Et aliqua dicuntur eſſe eiuſdē generis prout genus dicit conſanguinitatem, quia deſcenderunt ab vno generationis principio,vt ſcribit Gabr.diſt. xvij.q.j.ar.j.lib.ij.Sic non intelligitur illud Act.17. Genus Dei ſumus,ita quod eiuſdem ſumus naturæ cum Deo. Alio modo dicuntur eiuſdē generis quæ comprehenduntur ſub eodem genere logicali maxime propinquo,& ſic anima rationalis & angelus dicuntur eſſe eiuſdem generis cum Deo, quia ſunt ſubſtantiæ ſpirituales & intellectuales ſicut Deus. Et comprehenduntur ſub hoc genere ſpiritus intellectualis, quomodo nulla alia creatura eſt eiuſdem generis cum Deo. Vel illud dicitur eſſe genus Dei quod accedit ad Deum aliqua proprietate,analogice tamen, & ita accedit natura intellectualis creata ad Deum quadam maiori ſimilitudine quam cæteræ non intellectuales, quamuis tamen adhuc natura intellectualis infinitè diſtet à Deo ſecūdum perfectionem, etiam ſecundum modum intelligendi, ſecundum Gabr.in ij.vbi ſupra.

Gladius, enſis à clade dici videtur,quia ad cladem ſit inuentus. Dicitur & gladium in neutro genere,& eſt gladius ſecularis,& ſpiritualis,de quibus in ſcriptura perſæpè habetur. Gladius ſecularis quo puniuntur rei & nocij homines. Spiritualis gladius, qui aliquando dicitur mucro ſpiritualis vel excommunicatio quo pontifices vtuntur, &c. Et ſecundum Aug.contra Manichæos.lib.ij.Ille accipit gladium,qui nulla ſuperiore vel legitima poteſtate iubente,in ſanguinem alicuius armatur. Qui verò ex auctoritate principis vel iudicis(ſi fuerit perſona priuata) vel ex zelo iuſtitiæ quaſi ex auctoritate Dei (ſi ſit perſona publica) gladio vtitur,non accipit gladium,ſed ab alio ſibi commiſſo vtitur, vnde ei pœna non debetur. Vnde Matth.26. Qui accipit gladium, gladio peribit,id eſt peccato gladij ſeu occiſionis damnabitur. Hæc refert Gabr.Biel diſt.xv. qu.iiij.libr.iiij.

Gloria quæ Græcè dicitur δόξα, eſt frequens de aliquo fama cum laude, ſecundum Cice.in Rhet. Vel ſecundum Ambr.ſuper epiſtola ad Rom.Gloria eſt clara notitia cum laude. Vnde Apoſt.2.Cor.1. Nam gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Gloria verò æterna quam ſancti habent eſt magna quintupliciter. Eſt enim intenſa,extēſa,æterna, perfecta & integra, ex S.Tho.ſuper Eſa.c.xxxiiij. in fine. De qua Pſalm. Exultabunt ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis. Pſal.149.& Pſal.83. Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te. Et ſecundum Bruleſ.di.x. li.j. Gloria,vita æterna,beatitudo,viſio clara & fruitio ſequens illam claram viſionem omnibus modis idem ſunt. Et dicitur, vita æterna,à parte poſt, non à parte ante. Et gloria & beatitudo ſtat in animæ potentia. Et vt dicit S.Bonauen.quod ſtat in ambabus potentiis,ſcilicet in intellectu, & in voluntate. Sed contrarium dicit Scotus, quod nullus habitus eſt ſimul & ſemel in intellectu & in voluntate, ſed dicit quod beatitudo principaliter eſt in voluntate qua tenetur Deus per amorem amicitiæ,& iſta opinio Scoti tenetur probabilior. Item gloria ſecūdum nominis interpretationem vt ſcribit Gerſon parte. iij.de verbo & hymno gloriæ,eſt quaſi clara,ſcilicet cum laude vel honore notitia. Eſt autem honor exhibitio reuerentiæ in ſignum virtutis, ſoli autem Deo honor & virtus,& per conſequens gloria, cui & ſoli debetur exhibitio ſuprema reuerentiæ,in ſignū virtutis infinitæ. Et de hoc diffuſè ſcribit Cancellarius vbi ſupra. Differunt autē gloria legis Euāgelicæ,& gloria Iudæorum. Nam gloria tota ſynagogæ vt ſcribit Iaco.de Valentia Pſal.44.erat in apparatu exteriori, & in actibus materialibus, quia omnia intelligebāt ad literam, & per ſola opera exteriora putabant iuſtificari,& ideo tota gloria templi Salomonis erat in apparatu ornamentorum & vaſorum aureorum, & ſic tota gloria Iudæorum referebatur ad corpus, & nihil ad animam, nec curabāt de interiori iuſtitia. Sed oppoſitum docet lex euangelica. Nam vera iuſtitia & ornatus debet eſſe in nobiliori parte, ſed anima eſt nobilior corpore, ergo verus ornatus debet eſſe in anima. Sic ornatus Chriſtianorum & iuſtitia,& perfectio non conſiſtit in actibus exterioribus,ſed in ornatu animæ, & deuotione, & virtutibus, & non in apparentia & vana gloria exteriori, ſed in bona intentione interiori, ne quod foris oſtenditur, intus à mercede euacuetur, quia Chriſtianus non expectat in hoc mundo præmiari nec fœlicitari,ſed in alio,& talem animam concupiſcit Chriſtus & diſponſat ſibi. Vide latius & pulchra ibi Iacobum Valen. Eſt & vana gloria & inanis quæ dicitur cenodoxia, de quo & ſupra dictum eſt, & aliàs de ea dicitur. De qua & Gerſon in multis ſuorum operum locis, & eſt vitium capitale. Cuius filiæ ſunt ſeptem, ſcilicet inobedientia, iactantia, hypocriſis, contentio, diſcordia,præſumptio nouitatum,& pertinacia,ſecūdum S.Thom. ſecunda ſecundæ.q.xxj.ar.iiij. Ab ea diſcedere hortatur Apoſtolus ad Gal.6. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi,inuicem prouocantes,inuicem inuidentes. Dicitur autem gloria vana tripliciter, & eſt peccatum, vt idem ſcribit S.Thom.ſecunda ſecundæ.q.cxxxij.ar.j.Primo,quando eſt de

non ente, vel de tranſitoriis, vel de peccato. Secundo, quando quæritur ab hominibus, & non à Deo. Tertio, quando non ordinatur ad debitum finem. Et illa gloria vana & inanis, tunc eſt peccatum mortale, cùm quis gloriatur de aliquo falſo, diuinæ reuerentiæ contrario, vel cùm quis conſtituit finem vltimum in gloria humana, ad quem ordinat etiam virtutis opera, & pro qua talia acquirenda non recuſaret facere, etiam ea quæ ſunt contra Deũ. Tunc autem eſt veniale quum quis gloriatur de aliquo diuinæ reuerentiæ non contrario, vel quum licèt gloriam optet, tamen pro illa acquirenda nihil faceret contra charitatem Dei & proximi. De quo latius conſulto Gerſonem parte.ij. de ſeptem vitiis capitalibus.

Glorificatio à verbo glorifico, quod eſt glorioſum facio. Et glorificatio ipſius Chriſti & cuiuslibet hominis completè beati, eſt triplex, vt ſcribit Bruleſ. di.xviij.q.v.lib.iij. Quædam eſſentialis, quæ conſiſtit in optimis operationibus intellectus & voluntatis tendentibus in Deum, & hæc dicitur glorificatio animæ. Alia eſt quædam conſubſtantialis, quæ conſiſtit in perfectiſſimis operationibus potentiarum ſenſitiuarum, ſecundum quas tendunt in ſua obiecta perfectiſſima, quia ſicut anima Chriſti eſt glorificabilis, ſic potentiæ ſenſitiuæ ſunt natæ glorificari ſecundum quid, id eſt ſecundum operationes ſuas. Et dicitur, ſecundum quid, quia anima eſt glorificabilis ſimpliciter. Quædam eſt accidentalis conueniens animæ, quæ eſt quoddam gaudium de aliquo facto victorioſo, vt virgines de hoc quod vixerunt in virginitate, & ſimiliter doctores, & dicitur aureola. Et ſimiliter gaudent omnes de conſortio bonorum, & vocatur vt prius. Alia eſt glorificatio accidẽtalis corporis. Et ſunt quatuor dotes, de quibus dictum eſt in dictione, Dos. Prima glorificatio à Doctoribus ſacris vocatur ſtola. Secunda & tertia vocatur ſecunda ſtola. Et in hoc excedemus angelos qui habent ſolùm primam, quia non habent potentias ſenſitiuas, & ſic erimus magis beati extenſiuè. Similiter homines damnati plus puniuntur quã dęmones, ſcilicet extenſiuè, quia Lucifer ſolùm punitur in intellectu & voluntate, homines autem cùm hoc puniuntur in potentiis ſenſitiuis, vtpote in inferioribus. Et ideo ſicut homines puniuntur, ita homines præmiabuntur in potentiis ſenſitiuis, quia Deus pronior eſt ad miſerandum, quàm ad puniendum. Et hoc eſt contra Magiſtrum Ioannem Gerſonem vt ait Bruleſer. Tota verò gloria & lætitia regni Chriſti cõſiſtit in tribus, vt ſcribit Iacobus de Valen. Pſal.21. Primo quia pater compleuit deſiderium & petitionem ſuam in omnibus, quia in omnibus fuit exauditus pro ſua reuerentia. Secundo conſiſtit in glorificatione ſui corporis, quia tũc anima dicitur dominari toti corpori poſt reſurrectionem. Tertio, in gloria animæ quæ reſultat ex viſione diuinæ eſſentiæ, &c.

Glos appellatur ſoror viri, vt habet Magiſter di.xlj. lib.iiij. & ſecundum Paluden.q.j.eadem di. dicitur vxor fratris.

Gradus cuiuſlibet actus virtuoſi. vide ſupra in verbo actus iuſtitiæ & cuiuſlibet virtutis.

Gratia quæ Græcè dicitur χάρις, & multipliciter accipitur. Aliquando enim pro amore, aliquando pro conceſſione beneficij ſeu alicuius indulgentiæ vel auctoritatis. Aliquando accipitur pro dono ſpiritusſancti. Et ſecundum Cice. in Rhet. Gratia eſt in qua amicitiarum & officiorum alterius memoria & remunerandi voluntas continetur. Et ſecundum eundem ij. Rheto. Gratia eſt ſecundum quam dicuntur homines roganti gratis aliquid facere, non pro re alia, nec vt ſibi quicquam qui faciunt, eueniat, ſed vt cui faciunt. Et ſecundum S. Thom. ij.ij.q.xxiij. ar.iij. Gratia nihil aliud eſt quàm quædam inchoatio glorię in nobis, vel auxilium quo indiget homo ad beatitudinem conſequendam. Gratia eſt virtus ſpecialis reddens gratiam benefactori, ſecundum eundem ſecunda ſecundæ.q.cvj.art.j. eadem gratitudo dicitur, & gratiæ à Græcis χάριτες dicuntur, eo quod lætitiam ſignificent. Nam & lætari videntur qui dant, & accipiunt beneficium. Tres ideo eſſe fingũtur, quia & benefici eſſe in alios debemus, & aliorum beneficia ſuſcipere, & his qui in nobis liberales fuerunt, retribuere, &c.

Gratia dicitur à gratis quaſi gratis dans, vel gratis datum, vt notat Gab. di.xxvj.q.vnica.li.ij. Et ſic accipitur actiuè & paſſiuè. Actiuè pro gratioſa Dei voluntate, dans omnia liberaliter gratis, non ex debito, ſecundum illud Apoſtoli. Roma.11. Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? qu.di.nullus. Non enim præuenimus diligendo Deum, ſed ipſe prior dilexit nos .1. Ioan. 4. De hac gratia poteſt illud accipi Actu.15. Per gratiam, id eſt gratioſam voluntatem Domini noſtri Ieſu Chriſti credimus ſaluari. Et illud Rom.3. Iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propitiatorem gratia illa qua redempti ſumus. Fuit gratioſa Dei volũtas qua Deus pro nobis pati voluit Chriſtum, & ipſe ſe voluntariè obtulit, ſecundum illud Eſa.53. Oblatus eſt, quia ipſe voluit. Alio modo accipitur paſſiuè pro dono aliquo gratis dato, & ſic licèt multipliciter accipitur vt tangit Alexan. parte.iij.q.lxix.membro.j. tamen redigendo acceptiones illas ad compendium, poteſt accipi quadrupliciter, ſcilicet largiſſimè, largè, ſtrictè, & ſtrictiſſimè. Primis duobus modis nõ diſtinguitur contra dona naturalia, ſed vltimis modis contra ea diſtinguetur, vt ſcribit Gabr. vbi ſupra. Et de hoc vide & eundem di.iiij. q.vnica.li.ij. & Bonauen.q.iij. eadem di. Gratia igitur paſſiuè largiſſimè eſt donum à Deo gratis, id eſt ſine debito datum. Et illo modo diuiditur in gratiam increatam, & creatam. Gratia increata eſt ſpiritusſanctus, qui datur rationali creaturæ ad eius ſanctificationem, ſecundum illud Rom.5. Charitas diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis, imò tota trinitas illabitur menti humanæ ſecundum illud Ioan.14. Ad eum veniemus & manſionem apud eum faciemus, filius loquitur de ſe & patre. Gratia creata hoc modo eſt omnis creatura, quia omnis talis eſt à Deo gratis producta, & ſibi ipſi creaturæ aut alteri donata, ſecundum illud .1. Cor.4. Quid habes quod non accepiſti? Ita loquitur de gratia Apoſtolus .1. Cor.15. Gratia Dei ſum id quod ſum. Nã & ipſum eſſe accepit gratis à Deo. Sic imago Dei nobis concreata quæ eſt ipſa animæ natura, dicitur gratia, ſecundum Alexan. vbi ſupra.

Gratia

Gratia largè eſt Dei donum naturæ rei ſuperadditum, ſiue conſequatur naturam generaliter, ſiue hác naturam ſpecialiter, vt ſunt corporis fortitudo, animi vigor, ingenij perſpicacitas, & induſtria, bona memoria, cognitio rerum, etiam naturaliter acquiſita pulchritudo, eloquentia, affabilitas, etiam exteriorum rerum poſſeſsiones. Omnia enim hæc gratis à Deo donantur. Secundùm illud Iacob.1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt à patre luminum. Et illud Ioan.3. Non poteſt homo accipere quicquã niſi datũ fuerit ei à cœlo. Hoc modo dicimus homines ſanos, ingenioſos, potẽtes, diuites, &c. gratiã multã conſecutos à Deo. Et Principes ſcribũt, Dei gratia Eberhardus Dux wirtenbergẽſis. Ioãnes abbas Dei gratia in Bebẽhuſen. Alexius Dei gratia abbas in Alpersbach, amicus noſter & Dominus obſeruãdus, &c. Sic bene legentẽ benè cantantẽ habere dicimus gratiã. Propriè gratia & ſtrictè eſt donũ ſupernaturale à ſolo Deo ſuperadditũ naturæ, vt eſt donũ Prophetiæ, donum linguarum, & virtutes infuſæ. Hoc modo accipitur, 1.Cor.12. vbi dicitur: Diuiſiones gratiarum ſunt, vnus autem ſpiritus. Et ſubiungit, quæ ſunt ſermo ſapientiæ, ſermo ſcientiæ, fides, gratia ſanitatum, operatio virtutum, propheriæ, diſcretio ſpirituum, genera linguarum, interpretatio ſermonum. Et ſequitur. Hæc omnia operatur vnus atque idem ſpiritus diuidens ſingulis prout vult. Sic dicimus virtutes naturaliter acquiribiles, ſicut innocentiam, mititatem, pietatem, temperantiam eſſe gratias; & his duobus modis dicitur gratia gratis data. Gratia propriiſsimè ſiue ſtrictiſsimè accepta eſt donũ ſupernaturale à ſolo Deo creaturæ rationale infuſum, quo ipſa redditur grata Deo & accepta ad vitã æternam beatificè poſsidendam. Sic accipitur Rom.6. Stipendia peccati mors, gratia Dei vita æterna. Et hanc gratiam Aug. in Epiſtola.xcv. quæ eſt ad papam Innocentium contra doctrinam Pelagij, nominat gratiam Chriſtianorum, dicens: Gratia Chriſtianorum non eſt natura, ſed qua ſaluatur natura, qua prædeſtinati vocamur, iuſtificamur & glorificamur, vt dicere poſsimus: Si Chriſtus pro nobis, quis contra nos eſt? Hæc gratia acceptum facit habentem Deo, & dicitur gratia gratumfaciens. Et per hanc diſtinctionem gratiæ (vt ait Gabr.di.iiij. libr.ij.) multę auctoritates loquentes de gratia ſoluuntur ſecundum vtramq; opinionem, ſcilicet: An Angeli fuerũt creati in gratia, declarat & latius idem Gabr.xxvj.libr.ij. hanc quadruplicem gratiæ acceptionem. Videatur & S.Bonauen. di.xxvij.libr.ij. circa tex.

Gratia diffinitur ab Iſidõ. ſic: Gratia eſt donum miſericordiæ diuinæ, per quod eſt bonę voluntatis exitus, id eſt bona operatio. Item gratia eſt quidam nitor animæ, id eſt quædam pulchritudo conſilians ad amorem ſanctum, ſcilicet Dei. Item gratia eſt iuſtificatio & remiſsio peccatorum. Item gratia eſt ſanitas mentis & delectatio cordis, & datur à Chryſoſtomo. Ex iſtis omnibus ſumitur magiſtralis diffinitio gratiæ gratumfacientis. Gratia eſt forma nobis à Deo gratis data ſine meritis præcedẽtibus, gratumfaciens habentem, & eius opus bonum reddẽs dignum vita æterna. Brulef.di.xxvij.qu.j.libr.ij. & cæteri. Et gratia eſt forma ſpiritualis, non materialis ſecundum Theolo. quia gratia eſt lux ſpiritualis in mente. Ex prędictis habetur quod duplex eſt gratia, ſcilicet gratia gratumfaciens, & gratia gratisdata. Et deſcribuntur hoc modo.

Gratia gratumfaciens, eſt qua habens amicus Dei conſtituitur, & dignus vita æterna. Gab.di.xxvj. lib.ij. Eſt enim quædam forma animæ à Deo infuſa, qua anima formaliter redditur Deo chara & grata, & qua ordinatur ad vitam æternam poſsidẽdam, niſi obicem poſuerit vel impedimentum. Et gratia eſt forma accidẽtalis animæ infuſa, non ſubſtantialis, inhęret enim animæ cùm ſit eius ornatus, ipſam denominãs & gratificãs, eſt & tutor animæ ad conſiliandũ ſanctũ amorẽ. Eſtq; ipſa gratia habitus animę virtuoſus, nõ acquiſitus, ſed infuſus, quia qualitas dirigens animã, & inclinãs ad opera meritoria, & iſte habitus eſt à ſolo Deo infuſus. Eſt & virtus, quia bona qualitas mentis qua rectè viuitur, qua nemo malè vtitur, quam Deus in nobis ſine nobis operatur. Item habentem perficit, & opus eius bonum reddit, ergo virtus. Ita enim deſcribit virtutem Philoſophus. Nec eſt habitus acquiſitus, quia nec ex actibus meritoriis, hi enim præſupponunt gratiam, nec non meritoriis, quia tunc inclinaret niſi ad actus non meritorios. Cùm omnis habitus acquiſitus ad ſimiles actus inclinat eis ex quibus generatur, ſequitur ergo quod ſit virtus infuſa. Et ideo dicitur gratia gratumfaciens, quia reddit Deo acceptum, & ideo charitas ſic vocatur. Bonauentu. di.xvij.q.iij.lib.j. Verum (vt inquit Gabr.di. xxvj. ar.ij.concluſione.iiij.lib.ij.) licet idem ſint realiter charitas & gratia, quia eodem habitu quo ſpiritusſanctus inhabitat animam, voluntas inclinatur ad ſuum finem ſuper omnia diligendum, non tamen ſunt termini ſynonymi charitas & gratia, quia habitus ille dicitur charitas, quia eo habet voluntas Deũ charum, gratia, quia Deus habet ipſam ſibi gratam & acceptam. Differunt ergo in connotato, quia charitas connotat Deum in ratione diligibilis, gratia connotat Deum vt gratum habentem ſiue acceptãtem, & ita vt diligentem. Subſtractiuè verò idem ſignificãt, quia eundem habitum infuſum quo habens diligit Deum, & propter quem Deus acceptat habentem tanquam vita æterna dignum, & quęcũque proprietas conuenit charitati creatæ, conuenit & gratiæ, & econuerſo: vtraque enim gratificat naturam, vtraque reddit opera meritoria vitę æternę. Vnde de hoc latiùs Gabr. vbi ſupra. Nec ſunt termini conuertibiles, vt ibidem probat. Et gratia gratumfaciens vt dicit Brulef.di.xv.q.j.lib.j. eſt quam qui habet dignus eſt vita æterna, & econtra, qui non habet, dignus eſt pœna æterna. Iſta gratia eſt veſtimentum nuptiale, ſine quo nemo acceptatur & admittitur ad vitam perennem & beatam. Hæc gratia (vt ſentit Bonauen.di.xxj.q.j.quarti.) neceſſaria eſt ad delenda peccata, ſic enim decreuit nos ſanare diuina miſericordia. Et hoc dicunt ſancti, & ſonat ſcriptura, quę maximè ponit gratiam eſſe neceſſariam ad delenda peccata. Vnde Brulef.diſt.iiij. q.ij.libr.ij. Deus ita ſtatuit & determinauit legibus ſuæ ſapientiæ, quod nullus ſiue homo ſiue angelus beatificabitur, ſiue habeat gratiam & gloriam, niſi mediante merito proprio vel alieno, proprio inquã pro adultis per gratiam, alieno in infantibus, & hoc

merito

merito congruo. Et gratia gratumfaciens dicitur dupliciter, vt ſcribit ſanctus Bonauen.di.vij.art.ij.q.j.lib.iiij. Aut gratumfaciens de non grato, & talis eſt gratia baptiſmalis pœnitentialis. Aut magis gratumfaciens de iam grato, & talis eſt gratia confirmationis, quę gratiá acceptam ampliat & cóſirmat. Et quod dicitur, gratia eſt fides, intelligendum eſt, id eſt comitatur fidem operantem per charitatem. Et cùm dicitur, gratia virtutum, nihil aliud intelligitur niſi charitas, quæ eſt virtus in ſe ſpiritualis & aliarum virtutum forma, & quandoque cauſa earum, vt dicit Dominus præpoſitus Gabr.di.ij.q.j.ar.iij.dub.ij.lib.iiij. Dicitur & gratia ſacramentalis, inquantum ordinatur ad ſanandam animam à morbo peccati, vel ad ſanitatem conſeruandam, vel augendam, & gratia virtutum dicitur, inquantum ordinatur ad bene operandum. Et hæ gratiæ non diſtinguuntur re, licet ratione, vt tenet Alexan.qu.viij.parte.iiij.memb.ij.quem ſequitur Rich.q.iiij.di.j.libr.iiij. Aliter tamen ſentit Thom, Eſt itaque idem in re gratia virtutum, & gratia ſacramentalis habitus quo anima ſanatur per ſui iuſtificationem, & dirigitur ad meritoriam operationem. Declaratur hoc latius à Gabr.in iiij. vbi ſupra, &c.

Gratia gratis data vt idem Gabr ſcribit di. xxvj. libr.ij.eſt donum ſupernaturale, datũ alicui ad vtilitatem ſui vel aliorum, quo habens non eſt formaliter gratus Deo, poteſt enim tale donum ſtare in peccatore qui nõ eſt gratus Deo. Hác diffinit Alex. de Ales parte.iij.q.lxxiij.mem.ij. Eſt donum infuſum rationali creaturæ ſine meritis quantum in ſe eſt, diſponens ad ſalutem propriá, vel alterius ædificationẽ. Diſponẽs intelligit non de propinquo, ſed quaſi diſtanter, propter gratiam gratumfacientem, quę eſt diſpoſitio de propinquo, quia ſufficiens. Et omnes gratiæ præter charitatem ſunt gratiæ gratis datæ, vt habet Gerſon tracta.vij. ſuper Magnificat.

Gratiæ effectus. Vide ſupra litera E. In gratia autem duo conſiderantur, vt loquit Gabr.di.xxvij.q.vnica.art.iij.dub.ij.lib.ij. Vnum, quod eſt habitus quidam inclinans voluntatem ad actum certo modo eliciendum, ſicut quilibet habitus. Secundum, quod eſt decor quidam diuinæ complacens voluntati, propter quem actus (ad quem tanquam cauſa partialis inclinat) ordinatur ad præmium beatitudinis tanquam dignus præmiari ſic. Quod nihil aliud eſt quàm niſi diuina ordinatio ſeu voluntas, qua ab æterno Deus ordinauit & voluit actum à tali qualitate concurrente actiuè cum li.arbi.productum præmiare beatitudine, & nullum actum li.ar.tali qualitate non concurrente productum ſic præmiare. Item ſecundom eundem. Fides, ſpes, charitas, ſunt tres habitus diſtincti, eſt tamen vna gratia quæ eſt charitas, quibus ſpes & fides formatur. Similiter eſt eadem gratia in infantibus & adultis, non propter defectum gratiæ, ſed vſus rationis. Item gratia non diſtinguitur à gloria, niſi ſicut charitas viæ à charitate patriæ, quæ non diſtinguntur ſpecie, ſed ſicut imperfectum & perfectum in eadem ſpecie, ſicut albedo remiſſa ab albedine intenſa. Eſt autem gloria fruitio Dei perfecta, ſiue in re eſt gratia conſummata. Item gratia habet ſe ad liberum arbitrium, ſicut ſeſſor ad equum, vt ait Aug. ad Sixtum presbiterum. Et quando ſeſſor, hoc eſt gratia abiicitor, quod fit per peccatum mortale, omnino ipſa voluntas fit diſplicẽs. Hoc etiam modo volũtas eſt pediſſequa gratiæ: quia gratia ex natura ſua determinatè inclinat ad obiectum, quod eſt finis vltimus. Vide latius Gabr.di.xxvij.li.ij.q.vnica.ar.iij.dub.ij. Et quantum ad acceptationem quo actus talis eſt vt placeat Deo, ſic gratia eſt cauſa principalis, & voluntas quaſi ſecundaria. Et hoc vult Magiſter. diſtinctio. xxvij. libr.ij. dum ait: Cùm meritum ex ſola gratia eſſe dicatur, non excluditur liberum arbitrium, quia nullũ meritum eſt in homine quod nõ fit per liberum arbitriũ. Sed in bonis merendis cauſæ principalitas gratiæ attribuitur, quia principalis cauſa meritorum eſt ipſa gratia qua excitatur liberũ arbi. & ſanatur atq; iuuatur voluntas hominis vt ſit bona. Et ſecundum legem ſtatutam vt ſcribit Dominus præpoſitus Gabr.di.xxix.qu.vnica.art.j.libr.ij. Impoſſibile eſt mereri ſine gratia in quocunque ſtatu. Congruentias ponit ſanctus Bonauentu.eadem di.qu.ij. Vide poſt eum Gabr.vbi ſupra. Secus de potentia Dei abſoluta. Quantumcunque igitur faciat homo operationem abſque gratia, non meretur, quia non penſat Deus quantum, ſed ex quanto faciat. Et hoc eſt quod dicit Magiſter: quod homo indigebat gratia operante & cooperante in ſtatu naturæ inſtitutæ, licèt non ſecundum omnem modũ gratiæ operátis, & ita niſi quis ſit in gratia, nihil meretur ad vitam æternam. Sed vide clarius Gabr.vbi ſupra. Vnde ſecundum Gerſonem de vita ſpirituali animæ.lectione.j.litera G. Gratia neceſſaria eſt ad omne bonum, Signa autem inexiſtentis gratiæ ſunt tria ſecundum Alexan.parte.ij.q.lxxj. ſcilicet Lumen veritatis in rationali. Lætitia in bonis in concupiſcibili. Pax conſcientiæ in iraſcibili. Pouit & Dominus Gerſon cancella.in Tripartito alia ſigna, quæ ſunt: Diſplicentia commiſſorum peccatorum, Propoſitum cauendi peccata propter Deum, & propoſitum confitendi. Plura alia ſigna ponuntur à diuerſis ſanctis & doctoribus. Sed omnia illa ſigna non ſunt euidentia, quia non poſſumus ſine reuelatione euidenter cognoſcere vtrum in nobis ſit verum lumen, lætitia, & pax, an apparentia & ſophiſtica, vt in deceptis à diabolo, nec an peccatum diſpliceat finaliter propter Deum, & ideo generant in nobis coniecturam, non euidentem notitiam.

Hinc eſt quod dicitur: Neſcit homo an amore vel odio dignos ſit. Quamobrem vt & Brulefer ſcribit d.xxvij.qu.iij.libr.ij. Nullus poteſt ſcire ſe eſſe in ſtatu gratiæ quantumcunque ſit iuſtus certitudinaliter abſque reuelatione. Et omnia ſigna à doctoribus asſignata ſunt fallibilia, licèt coniecturaliter aliquo modo poſſit ſciri, non tamen certitudinaliter. Ponit idem Brulef. quatuor ſigna di.xvij.quæſtione.iij.libr.j. Potiſſimum autem ſignum & primumquo homo poteſt coniecturare ſe eſſe in gratia, eſt quando homo habet mortificationẽ carnis & omnium deſideriorum mundanorũ. Secundum eſt, quando aliquis non habet remorſum conſcientiæ, maximè de mortali.1. Cor.4. Nihil mihi cõſcius ſum, tamẽ in hoc nõ iuſtificatus ſum. Tertiũ eſt gaudere cum gaudentibus, flere cũ flentibus,

quia

quia charitas omnia ſuffert. Quartum, eſt excuſatio peccati alieni ſeu proximi, dum non poteſt ſufficienter probari. Charitas enim operit multitudinem peccatorum, &c. Item gratia & virtutes efficaciores ſunt ad merendum in ſtatu naturæ lapſæ, quàm fuiſſent in ſtatu innocentiæ. Homo enim magis indiget adiutorio poſt lapſum, quàm ante, ergo Deus qui in neceſſariis nulli deeſt, efficatiorem gratiam & virtutes cõfert in ſtatu naturæ lapſæ quàm ante. Vide copioſius Gabr. di. xxix. q. vnica. libr. ij. Et (vt Ambro ait) Gratia fortior eſt quàm natura. Ergo plus poteſt gratia in reprimendo fomitem & conſeruãdo caſtitatem, quàm natura poſsit pertrahere ad carnalem concupiſcentiam. Item Deus in conferendo gratiam non attendit futura peccata, ſed præſentem diſpoſitionem & idoneitatem ad recipiendam gratiã, ſicut & modò ei confert gratiam quem ſcit caſurum, imò quem ab æterno reprobauit, nec fruſtra. Nouit enim Dominus etiã bonũ ex lapſu elicere, & ex eo quod gratiã cõfert caſuro. In vtroque enim commendatur Dei largitas & ſapiẽtia, & arguitur hominis ingratitudo & iniuſtitia, qui à tam benefico & benigno ſe auertit ſine cauſa. Item gratia non neceſsitat hominem ad bonum, ſicut nec habitus acquiſitus virtuoſus neceſsitat hominem ad opus virtutis. Inclinat autem, ſed libertatem arbitrij non tollit. Ideo habens gratiam per liberum arbitrium moueri poteſt, & frequenter mouetur: præter gratiæ inclinationem, nihil conſiderans de eo ad quod gratia inclinat. Vnde ſæpè cõtingit habentem gratiam non ſemper actualiter ferri in illud ſummum bonum ad quod habet deſiderium habituale. Quis enim homo habens charitatẽ peccaret, ſi ſemper actu cõſideraret quàm Deus amabilis eſt, & quàm nephas eſt offendere eum. Vnde accipitur ſalubris regula, quod homo per deuotas meditationes frequenter ſe cõuertat ad Dominum conſiderando actualiter eius bonitatem, & peccati quantitatem, inquantum contra tantum bonum eſt malitia, ſic enim nunquam peccaret. Gabriël.

Gratia eſt virtus vt dicit Scotorellus, eſt enim habitus & non vitioſus, ergo virtuoſus, & per conſequens virtus. Eſt autem habitus à Deo infuſus, & virtus quæ conſiſtit in voluntate ſicut charitas, & eſt virtus Theologica. Ex quo patet defectus Thom. qui ſine cauſa diſtinguit gratiam à virtute in ij. di. xxvj. qu. iiij. Cuius probatio eſt, quia inquit, ab ipſa gratia fluunt virtutes, quæ differunt per eſſentiam. Ita & refert frater Pelbartus in dictione, Gratia. ç. xv. Scotus dicit optime gratiam eandem virtutem eſſe quæ eſt charitas, ita quod non diſtinguitur gratia à charitate in re, vt & ſupra dictum eſt, ſed ſolùm ratione, &c.

Gratia quandoq; accipitur abſolutè, vt notat Gab. di. iiij. q. j. ar. j. lib. iiij. vt ſignificat qualitatem illam quæ eſt gratia, nihil connotando. Alio modo accipitur connotatiuè, & ſic ſupponit pro re, & connotat acceptationem habentis eam ad vitam æternam. Sic etiam culpa vno modo abſolutè pro actu illo quo offenditur Deus, non connotando offenſam, ſic gratia & culpa non opponuntur. Alio modo accipitur culpa connotatiuè vt ſupponat pro re

poſitiua, connotando repulſionem à vita æterna, & ordinationem ad pœnam æternam. Sic termini, gratia & culpa opponuntur, & pro eodem ſupponere non poſſunt, &c. & ſic non poſſunt eſſe in eodem culpa & gratia, repugnant enim gratia & culpa. Ex quo ſequitur quod Deus de potentia abſoluta poteſt remittere culpam & pœnam ſine infuſione gratiæ, poteſt etiam acceptare ad vitam æternam, & illam conferre ſine gratia. De quo aliàs dicitur: Verum de facto ſecundum potentiam ordinatam neutrum poteſt. Siquidem ordinauit nulli dare vitam æternam in futuro, cui non dedit gratiam in præſenti ſeculo. Quod nobis manifeſtum eſt ex ſcriptura & ſanctorum ſcriptis, &c. Et ad conſiderandum & acquirendam gratiam vt ex ſcripturis & doctorum dictis colligi poteſt, neceſſaria ſunt quinque. Primo fides, ſine qua impoſsibile eſt placere Deo. Hebr. 11. & per conſequens habere gratiam gratumfacientem. Secundo neceſſaria eſt pœnitentia pro peccatis, per quam iuſtificatur homo ſecundum doctores in iiij. li. Tertio præceptorum Dei obſeruantia. Quarto mandatorũ Eccleſiæ obedientia. Nam per tranſgreſsionem præcepti cuiuſcunque, ſiue Dei ſiue Eccleſiæ, ſtatim perditur gratia gratumfaciens. Similiter per quodcunque mortale peccatum, ideo ad conſeruãdum neceſſaria eſt. Quinto omnis peccati mortalis deuitatio. Hæc & colligit frater Pelbartus Roſarij Theol. lib. ij.

Gratia prima quæ à Bonauen. dicitur gratia iuſtificans, eſt qua iniuſtus fit iuſtus, vel qua iuſtificatur impius, vt ſcribit Gab. di. ix. q. j. l. iiij. Et dicitur prima gratia, quia aliam nõ præſupponit, quoniã ipſa peccator iuſtificatur. Et ſacramenta per quę refertur prima gratia ſunt baptiſmus & pęnitẽtia, ſed eucharistia & confirmatio & extrema vnctio nõ confert primam gratiam, ſed gratiam præſupponunt, & prima gratia ſufficit ad ſalutem ratione effectus. Non autem de ratione præcepti, quia & euchariſtia & confirmatio & extrema vnctio ratione præcepti diuini & Eccleſiæ ſunt neceſſaria ad ſalutem. Vide latius Gabr. vbi ſupra, & in dictione, *Manducatio*. Sed vt habet Gabr. di. xviij. q. j. ar. ij. cõcluſione. ij. lib. iiij. ſine contritione prima gratia non confertur, quæ cum tempore præcedit ſacramentum pœnitentiæ, hoc eſt, ſacramentalem abſolutionem. Prima itaque gratia non confertur per ſacramentum pœnitentiæ, quia iam collata eſt per contritionem. Si verò contritio primum in miniſtratione elicitur, prima gratia vigore vtriuſq;, contritionis & ſacramenti confertur. Et ſi deſit contritio, peccatum non remittitur quantumcunque ſacramentaliter abſoluatur. Et primam gratiam nõ contingit mereri, vt ſcribit S. Bonauen. di. xxviij. circa tex. li. ij. ſent. Tum quia eſt fundamentum omnis meriti & principium. Tum etiam quia eſt donum purè gratuitum. Niſi enim quis habeat gratiam Dei, nihil apud Deum mereri poteſt merito cõdigni, quia ſine illa nihil acceptat Deus in operibus noſtris. Rurſus ipſa eſt ita donũ gratuitum, quod non redditur meritis: Sicut enim dicit Apoſtolus Rom. 11. Si gratia eſt ex meritis, iam gratia nõ eſt gratia. Ex hoc patet inquit Bona. quantum Pelagius aduerſabatur diuinæ gratiæ, qui dicebat aliquem eam poſſe mereri, auferebat enim ipſi gratiæ ſuam dignita-

tem & excellentiam, dum eam meritis liberi arbitrij ſupponebat. Auferebat & ſuam efficatiam, dum poteſtatem merendi alij quam gratiæ attribuebat. Hæc Bonauẽ. Et vt ſcribit Guil. Scotiſta di. xxvij. lib. ij. & refert Pelbartus lib. ij. Roſarij Theologiæ, in dictione, *Gratia*. q. iij. Prima gratia dicitur tripliciter. Vno modo dicitur prima gratia, à qua cæteræ fluunt gratiæ, & ſic Deus dicitur prima gratia. Omne enim donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum. Iaco. 1. Secundo dicitur prima gratia ipſa gloria quæ eſt ſumma gratia creata, & dicitur prima ratione perfectionis. Gloria nempe nil aliud eſt niſi gratia conſummata, vt & ſupra dictum eſt. Tertio dicitur prima gratia primus habitus gratuitus illuminans vel prioritate temporis, vel ſaltem naturæ, ſicut in paruulis gratia baptiſmalis dicitur prima. Et in adultis poſt peccatum gratia in contritione habita, &c.

Gratiam dare ab aliquo eſt tripliciter, vt notat S. Bonauẽ. di. xiiij. parte ij. q. iij. li. j. Vel ſicut à præparante ſiue miniſtrante ſacramenta, vel ſicut ab annunciante ſalutaria documenta, vel ſicut ab impetrante per orationem ſiue per bona opera, vel ſicut à producente. Primo modo datur gratia à bonis & à malis. Secundo modo tantũ à bonis. Tertio modo tantum à Deo.

Gratia quædam eſt præueniens, quædã ſubſequẽs, ſiue operans & cooperans, quæ ſunt differẽtiæ gratiæ ſecundum effectus quos habet in ipſam voluntatem. Dicitur enim gratia præueniens, inquantum ipſam voluntatem facit bonam, & ideo præuenit, quia non eſt à lib. arbit. ſed potius infunditur ab ipſo Deo. Cooperans verò ſiue ſubſequens dicitur inquantum adiuuat libe. arbi. reſpectu boni operis eliciendi. Hæc Bonauen di. xxvij. libr. ij. circa tex. vbi & ponit multiplices gratiæ diuiſiones, & ſecundum variam gratiæ acceptionem, diuerſe accipitur gratia præueniens & ſubſequens. Et gratia operans ſecundum Magiſtrum. di. v. libr. ij. eſt qua impius iuſtificatur, id eſt de impio fit pius, de malo bonus. Cooperans verò gratia qua ad bene operandum & perſeuerandum vel ad beneuolẽdum adiuuatur efficaciter, & Deum præ omnibus diligendum. Data eſt ergo angelis qui perſtiterunt cooperans gratia per quam conuerſi ſunt vt Deum perfectè diligerent. Conuerſi autem ſunt à bono quod habebant, non perdito ad maius bonum quod nõ habebant. Et eſt facta iſtã conuerſio per gratiam cooperantem lib. ar. quo aliis gratia qui ceciderunt appoſita non fuit. Nec angelus indigebat gratia præueniente per quam iuſtificaretur, quia malus non erat, ſed qua ad diligendum Deum perfectè & obediendum adiuuaretur. Hæc Magiſter.

Gratia inſuper eſt multiplex, vt ſcribit Brulef. di. xxvj. q. iij. lib. ij. Eſt enim gratia prædeſtinationis, & eſt ordinatio creaturæ rationalis ad gratiam & gloriã, & iſta fuit ab æterno. Rom. 9. Cùm nõdum nati eſſent pueri Eſau & Iacob: Iacob dilexi, Eſau odio habui. Eſt & gratia vocationis, & eſt quæ nobis offertur à Deo per aliquas monitiones vel flagellationes. Gratia iuſtificationis eſt illa q̃ Deus nobis infundit gratiã gratũfaciẽtẽ. Gratia magnificationis eſt collatio gloriæ æternæ pro meritis præcedentibus. Eſt & quædam gratia cogitationis, & eſt vna bona cogitatio. De qua Paulus: Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid boni tanquam ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Gratia voluntatis eſt bona volitio, & iſtam Deus operatur nobiſcum, quia volũtas eſt libera, & ita Deus nobiſcum non coget eam. Vnde Auguſtinus: Qui fecit te ſine te, non ſaluabit te ſine te. Gratia perfectionis eſt quando exequitur actum qui eſt potentia motuũ, & iſtam operatur Deus per nos, quia ſumus inſtrumenta. Itẽ eſt adhuc quadruplex gratia, ſcilicet protectionis, liberationis, extractionis, & ſaluationis. Et iſta diſtinctio ſumitur penes diuerſa mala à quibus per gratiã Dei liberamur. Vnde quadruplex eſt malũ, ſcilicet pugnæ, pœnę, culpę, & ſequela peccati mortalis. Et ſecundũ quatuor iſta ſunt iſtę quatuor gratiæ. Prima, ſcilicet protectionis eſt reſpectu pugnæ diabolicæ, à qua Deus nos protegit. Vnde Apoſt. Fidelis Deus qui faciet cum tẽtatione prouentũ. Vnde qui minus tẽtatur habet gratiã protectionis. Gratia liberationis eſt illa qua Deus liberat nos à malo miſeriæ & pœnæ perfectæ, & hoc erit quãdo erimus in patria minus perfectè in iſto mũdo. Gratia extractionis eſt illa qua extrahimur à malo culpæ poſt quam peccauimus. Pſal. Eduxiſti ab inferno animam meam. Gratia ſaluationis eſt quando aliquis non habet amplius ſequelam peccati, & iſta erit perfectè in gloria. Sequela peccati eſt fomes, & deordinatio, & multa alia ſunt. Iſtæ gratiæ ſumuntur ab Eſa. 12. Proteget Dominus Deus exercituum caſtra Hieruſalem, liberans, extrahens, &c. Brulef. &c. Et (vt idem dicit) quod inter omnes corruptiones rerum corruptibilium nulla corruptio intantum diſplicet Deo ſummo auctori & conſeruatori omnium ſicut corruptio gratiæ, quia tam benignè creauit illã in anima noſtra vt ſimus ipſi ſibi acceptabiles. Peccatum autem mortale deſtruit gratiam demeritoriè, & non poſitiuè & effectiuè, quia gratia à ſolo Deo creatur & annihilatur. Et gratia nobiliſsimus eſt habitus, vt ibidem dicit q. v. vbi ſupra. quæ inclinat ſemper ad bona opera. Et ſecundum eundem. di. xliij. q. j. libr. ij. eſt adhuc triplex gratia, ſcilicet innocentiæ, baptiſmalis, & pænitentialis, & peccatum in ſpiritumſanctum propriè habet apponi gratiæ pœnitentiali, & eam impugnat quantum ad ſui initium, & quantum ad ſuũ terminum. Sicut per originale perditur gratia innocentiæ; & per actualia impugnatur gratia pœnitentialis. Brulefer.

Gratuitum dicitur tale aliquid à gratia gratumfaciente, & ſic omnia opera facta ex charitate dicuntur gratuita, & etiam virtutes exiſtentes cum gratia. Et aliquid dicitur gratuitum tripliciter, vt notat Brulef. di. xxvij. qu. j. libr. ij. & c. q. j. Vno modo quia eſt donum gratis datum à Deo, vt intellectus, voluntas, hæc ſunt dona gratuita. Secundo modo dicitur gratuitum ex eo quod eſt aliquo dono ſuperaddito naturæ gratis collato à Deo, vt Prophetia, ſiue ſit naturale ſiue ſupernaturale. Tertio modo dicitur aliquid gratuitum vt gratiæ gratis datæ cum gratia gratumfaciente, & ſic omnes virtutes exeuntes in nobis cum gratia dicuntur gratuitę, ſicut fides & ſpes dicuntur gratuitæ, quoniam ſunt cum charitate ſiue gratia, quia gratia eſt forma virtutum. Ste-

tum. Stephanus Bruleſer.

De gratia Chriſti. Ponitur autem triplex gratia in Chriſto, ſecundum Alexan. de Ales part. iij. q. xj. ſcilicet gratia ſingularis perſonæ, gratia capitis, gratia vnionis. De qua nõ parũ multa ſcribit S. Bonauen. d. xiij. tribus vltimis quæſt. li. iij. & poſt eum Gab. d. j. q. ij. li. iij. Gratia ſingularis perſonę eſt gratia gratumfaciẽs, animã Chriſti perficiẽs, qua homo Chriſtus ſecundũ naturã aſſumptã excellẽter & ſingulariter placuit Deo, ſecundũ id Matth. 3. & 17. Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene cõplacui. Per hanc quoq; gratiã opera Chriſti, ſecundũ humanitatẽ, meritoria fuerunt, & patri accepta ad noſtram redemptionẽ. Gratia capitis eſt qua tanquam caput Eccleſiæ gratiã influit membris: de qua ad Epheſ. 1. Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiã, quæ eſt corpus eius. Et Auguſt. ad Darda. In Chriſto habitat omnis pleuitudo gratiæ, ſicut in capite omnes ſenſus. Et Hugo de Sacramentis: Sicut ſpiritus hominis mediante capite deſcendit ad membra viuificanda; ſic ſpiritus per Chriſtum venit ad Chriſtianos. De quo copioſe legito Bonauen. & Gabrielem vbi ſupra. De quo & in verbo *Plenus gratia*, infra videbis. Gratia quoque Chriſti in cæteros redundabat tripliciter (vt idem ſcribit Gabriel diſtinct. xvj. quæſt. j. libr. j.) ſcilicet effectiuè principaliter inquantum Deus: ſic ad Deum non fit miſsio, ſed magis ſic mittit. Meritoriè, inquantum homo, & miniſterialiter. meritoriè redundabat in Sacramentorum collationibus, quibus efficaciam meruit. Ideo in baptiſmate (vbi tactu ſanctiſsimæ ſuæ carnis aquis vim contulit regeneratiuam, vt dicit Beda) miſſus eſt ad eum ſpiritus ſanctus in ſpecie columbæ, quod eſt animal fœcundum. In ſua prædicatione redundabat miniſterialiter, quia per eam hominum corda ad gratiam diſponebantur. Ideo tunc miſſus fuit ſpiritus ſanctus in ſpecie nubis lucidæ, cuius eſt lucem receptam ſpargere, quomodo prædicatores doctrinam. Ab Apoſtolis autem redundabat ſolùm gratia miniſterialiter, & hoc vel ſacramentorum adminiſtrationẽ vel verbi prædicationem. Propter primum fuit miſſus ad eos ſpiritus ſanctus in ſpecie flatus, quãdo Dominus (dicens: Accipite ſpiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.) commiſit eis diſpenſationem ſacramenti pœnitentiæ, quod eſt magis neceſſarium ſacramentum poſt baptiſmum. Flatus nihil eſt eius quin flat vel ſpirat. Et in ſacramentorum collatione miniſteriali, nihil ex miniſtri bonitate vel malitia contrahit effectus ſacramenti. Propter ſecundum miſſus eſt in die Pentecoſtes in ſpecie linguarum ignitarum, vt eſſent profluę verbis, & feruidi charitate, atque ad ſuam & aliorum ſalutem zeloſi. Et de gratia capitis aliàs dicitur, & vbi ſupra. Gratia vnionis creata ſecundum Alexan. vbi ſupra. Eſt enim duplex gratia ſecundũ eum ibidem, ſcilicet creata & increata. Et gratia vnionis creata eſt diſpoſitio, quę ab increata gratia relinquitur, quę diſponit ad hanc vnionem ex parte humanitatis. Et ſecundũ eum nõ eſt aliud q̃ Deiformitas, vel diuina aſſimilatio, vel gratia vnionis, ſecundũ Gabr. di. j. q. ij. lib. iij. eſt illud quo natura humana formaliter vnitur Deo, hoc eſt vnio ipſa, ſiue ſit relatio, ſiue qualitas abſoluta: de illa poſſet intelligi dictum Auguſtini: Quicquid conuenit filio Dei per naturam, conuenir filio hominis per gratiam. Hinc ait idem Alexã. mẽb. iij. q. xj. In Chriſto enim fuit gratia ſingularis ſanctitatis ſecundũ quã fuit ſanctus homo: ita quod nihil deeſſet ſibi de gratia, quæ poſſet haberi ab homine. Itẽ fuit homo Deus, & ideo neceſſario fuit in eo gratia vnionis, quia quod ſit homo Deus, habet per vnionẽ. Itẽ ipſe fuit mediator Dei & hominũ: & ideo fuit gratia in ipſo ſecundũ quã eſſet caput Eccleſiæ, vt eſſet mediũ influẽtiæ gratiæ in nobis, ſicut caput ad alia mẽbra. Et ſubiũgit ibidẽ, quod hæc gratia multiplicata in Chriſto eſt vna ſecundũ eſſentiã, nõ tamẽ eſt vna quantũ ad actũ vel operationẽ: quia alius actus eſt vnire humanitatẽ diuinitati, alius influere gratiã, & alius eſſe exẽplar ad omnes animas ſanctas. Secundũ primũ attẽditur in Chriſto gratia vnionis, ſecundũ ſecundũ gratia capitis, ſecundũ tertiũ gratia ſingularis ꝑſonæ. Et gratia vnionis omniũ creatarũ eſt maxima: pręſupponens in ſubiecto vtranq; gratiã, ſcilicet gratiã capitis, & gratiã ſingularis ſanctitatis. De hoc vide latiùs Alexan. par. iij. q. xij. mẽb. j. ar. j. Et poſt eũ Gab. d. j. q. ij. li. iij. De hoc Aug. etiã innuit xiij. de Trin. c. xix. & allegat Magi. Cũ lego: Verbũ caro factũ eſt, & habitabit in nobis: in verbo intelligo verũ Dei filiũ: in carne cognoſco verũ hominis filiũ, & vtrunq; ſimul in vna perſona Dei, & hominis ineffabili gratiæ largitate coniunctum. Et infrà. In rebus verò æternis ſumma veritas rectè attribuitur verbo Dei. Et ſecundum hoc quod Ioannes addit: Vidimus gloriã eius, gloriã quaſi vnigeniti à patre plenũ gratia & veritatis. Plenũ gratia, refertur ad naturã aſſumptã, & veritatis ad perſonã aſſumentẽ, hac enim gratia creatura eleuatur ſuper ſtatũ creaturæ: nedum ad perfectiſsimã Dei viſionem & fruitionẽ, quod omnium beatorũ eſt. Sed ad perſonalem cum diuina natura vnionẽ. Qua fit vt ille homo temporaliter natus ex Virgine, ſit vera & realiter vnigenitus patris: natus ex eius ſubſtãtia in æternitate, qua eleuatione creaturę maior excellẽtia in creatura cogitari nõ poteſt. Et ſic gratia vnionis creata eſt perfectiſsima aſſimilatio creaturæ rationalis ad Deũ, quę poſsit eſſe, aut intelligi (vt inqoit Alexan.) Et per gratiã vnionis inhærentẽ ſoli animæ, tota natura humana, & partes eius & proprietates verbo ſunt vnitę. Nam totã naturã humanã, & partes eius animã, ſcilicet corpus cũ proprietatibus ſuis aſſumpſit verbũ, vt dicit Damaſ. & allegat Magiſt. d. ij. li. iij. & latiùs hoc idem declarat Gab. vbi ſupra. concluſ. iij. Et vt idẽ refert gratia vnionis dupliciter cõſideratur. Vno modo vt de facto coniuncta gratiæ gratumfacienti & beatificæ. Et ſic loquũtur de ea Sancti, cùm dicũt eam eſſe ſummam gratiam; quod verum eſt prout includit alias gratias. Alio modo conſideratur, vt ſeparata ab alijs de poſsibili, ſic conſiderata cum præciſione ſeu ſeparatione à gratia beatifica, nõ eſt perfectiſsima, quia vnio hypoſtatica (vt dicit Sco.) eſt ſecundũ rationẽ notionalẽ: beatifica verò vnio ſeu gratia eſt ſecundũ rationẽ eſſentialem. Vnde perfectius eſt eſſe beatũ ſimpliciter, & nõ vnitũ, quã eſſe vnitũ hypoſtaticè & non beatũ: cui videtur conſonare illud B. Augu. de ſancta viduitate: Beatior fuit vitgo Maria concipiendo filiũ Dei in mente, qoàm corpore. Prima cõceptio eſt per gratiã gratificantẽ.

Secunda per gratiã vnionis, vide de hoc latiùs Gabriëlem vbi ſupra. & S. Bona. di. xiij. lib. iij. qu. penult. & Richard. in iij. diſt. xiij. artic. iij. quæſt. ij. Et ſecundum Bonauen. differunt gratia capitis, & gratia vnionis ſolùm quo ad connotatum, quia gratia vnionis connotat effectũ circa Chriſtum: gratia capitis effectum circa membra Chriſti: & differunt à gratia ſingularis perſonæ, ſicut increatum à creato, ſicut diuina eſſentia ab habitu gratiæ quem infundit Bonauentura.

Gratus, acceptus. Ad hoc autem quod aliquis ſit verè gratus, duo requiruntur, vt ſcribit S. Bonauen. diſt. xxij. lib. iiij. circa tex. ſcilicet quod pro loco & tempore ſit memor beneficiorum ad gratias agendum, & quod ſit promptus ad obſequendũ, & reddendum bonum pro bono. Per oppoſitum dicitur ingratus, qui beneficiorũ eſt immemor. Et aliquẽ eſſe Deo gratum, vel charum vel Dei amicum, poteſt dupliciter dici, vt notat Dominus Cardinal. Cameraceñ. qu. ix. art. ij. libr. j. Vno modo denominatione intrinſeca ab habitu vel actu charitatis vel gratiæ animam ipſius informãte. Alio modo denominatione extrinſeca ab ipſa diuina voluntate acceptante. Vel magis propriè loquendo, aliquis poteſt dici amicus Dei dupliciter, quia diligit Deum, vel quia diligitur à Deo: de hoc vide latiùs in verbo *Amicus Dei*.

Gratitudo vel gratiarum actio, Græcè εὐχαριστία, & εὐχάριστος gratus. Eſt autem gratitudo ſeu gratiarum actio virtus ſpecialis, reddens gratiam benefactori, ſecundum beatum Thom. ij. ij. quæſt. vj. ar. j. & agere gratias eſt verbis; habere in animo, referre in facto vel re. Ita eruditi obſeruant hanc differentiam, de quo aliàs ſcripſimus, per oppoſitum dicitur ingratitudo. Eſt autem ingratitudo quælibet (ſecundum beatum Thom. ij. ij. quæſt. cvij. ar. j.) peccatum, quia tollit debitũ gratitudinis, quod eſt debitum honeſtatis: & ingratitudo (vt ſcribit ſanctus Bonauen. diſt. xxij. libr. iiij.) in explanatione textus dicitur dupliciter. Vno modo obliuio beneficij cum contemptu: vtputa quando eſt locus & tempus agendi gratias, & recognoſcendi; & ſic eſt peccatum ſpeciale contentum ſub omiſſione. Alio modo ingratitudo, & ingratus dicitur, qui recipit bonum & reddit malum, & hæc eſt circunſtantia peccati, & ſic eſt in omni peccato: & tantò magis aggrauans, quantò homo plura bona percæpit. Et per hoc (vt habet Magiſter di. xxij. lib. iiij.) dicuntur peccata dimiſſa redire, & imputari, quia propter ingratitudinem, ita reus & peccator conſtituitur, vt antè fuerat, &c.

Grauitas peccati, ex multis attenditur, vt ſcribit Gabriël diſt. xxij. quæſt. j. libr. ij. Quandoque extrinſeca ratione peccati, quia opponitur magno bono formaliter, quod & priuat. Sic & odium Dei maximum eſt malum, quia formaliter opponitur charitati Dei, quæ eſt maximum bonum. Et hoc idem vult diſt. xiij. quæſt. ij. art. ij. dub. ij. libr. iiij. Et (vt ab eodem ſcribitur diſt. xxxv. quæſt. vnica, libr. ij. art. iij. dub. iij.) grauitas, ait, peccati ſumitur ex rectitudine quam priuat. Vnde illud peccatũ eſt grauius ex peccati genere, quod opponitur rectitudini meliori. Illa autem rectitudo eſt melior, quæ finieſt immediatior cæteris paribus. Loquendo autem in eodem genere peccati mortalis, illud eſt grauius in quo voluntas maiori libidine peccat, quia quantò magis conatur, tantò perfectiorem actum cauſat: & tantò magis tenetur ad rectitudinem proportionalem illi actui debitam, quam cum voluntate negligit, grauius peccat. Hæc Gabriël. Attenditur quandoque grauitas peccati, vt idem dicit Gabriël diſtin. xxij. libr. ij. ex arduitate vel pluralitate præcepti, vel præceptorum, illud peccatum prohibentium. Sic grauiores ſunt tranſgreſſiones præceptorum primæ tabulæ quàm ſecundæ: & grauius eſt ſacrilegium quàm ſimplex furtum; & grauius patricidium quàm homicidium ſimplex. Attenditur etiam ex maiori (vt dictum eſt) peccandi libidine ad quam ſequitur maior contemptus. Item ex grauioris damni ſequela. Item ex multiplici circunſtantia actuali & perſonæ dignitati reſiſtendi fortitudine maiori ingratitudine, & ſic de aliis multis. Ponit S. Bonauentura plures modos, quibus peccati grauitas cognoſcitur diſtinct. xxxiij. libr. ij. in explanatione textus. Dicitur itaque vnum peccatum grauius alio. Vno modo cauſalitate, & ſic peccatũ diaboli dicitur eſſe maius, cuius inuidia mors introiuit in orbem terrarum. Secundo modo generalitate, & ſic peccatum primi parentis dicitur fuiſſe maius, quia in totum genus humanum ſe diffudit: de quo paulò pòſt dicetur. Tertio modo enormitate, & ſic peccatum Iudæ dicitur eſſe maximum, quia vendidit Deum. Quarto modo ingratitudine, & ſic peccatum illius dicitur eſſe maius, qui plura percepit dona gratiarum. Quinto modo periculoſitate: & ſic peccatum ignorantiæ dicitur eſſe maximum, quia periculoſum. Sexto modo inſeparabilitate: & ſic peccatum cupiditatis dicitur eſſe maximũ, quia cùm alia vitia cum homine conſeneſcant, ſola auaritia iuuenẽſcit. Septimo modo importunitate: & ſic ſuperbia dicitur eſſe maximum, quia etiam ex ipſis bonis operibus cõſurgit. Octauo modo pronitate: & ſic luxuria dicitur eſſe grauius, ad quam homines magis ſunt proni. Nono modo maioris gratiæ impugnatione: & ſic peccatum in ſpiritum ſanctum dicitur eſſe maximum. Decimo modo ratione maioris offenſæ: & ſic peccatum idolatriæ dicitur eſſe maximum. Vndecimo ratione facilitatis reſiſtendi: & ſic dicit Magiſter, quod peccatum Adæ fuit grauiſſimum. Duodecimo ratione improbitatis atque libidinis: & ſic cuiuſcunque generis peccatum maius poteſt fieri ab altero. Hi modi conſueuerunt aſſignari à Doctoribus, & ſunt magis conſueti, quos & recitat ſanctus Bonauentura vbi ſupra. Et ſecundum hæc, vt ſcribit Gabriël diſtin. xxij. quæſt. j. lib. ij. peccata habent ſe vt excedẽtia & exceſſa in grauitate. Simpliciter tamen grauius eſt ex genere ſiuè obiecto, quod ſcilicet formaliter repugnat maiori bono, & ita erit circa obiectum magis bonum. Similiter vbi plures rationes grauitatis & malitiæ concurrunt: Hinc Scotus diſtinct. xxj. libr. ij. ait grauitatem peccati ex hoc cõcludi, quod opponitur magis intenſæ bonitati: vel quia bonitas oppoſita eſt magis neceſſaria, ſcilicet quia peccatum tale eſt magis contra plura præcepta, & magis ardua quàm aliud peccatum. Et peccatum Adæ (vt idem ait Gabriël)

briël)

briel) non fuit grauiſsimum ſimpliciter, ſed ex quibuſdam accidentalibus circunſtantiis, quia totum genus humanum ex ſequela infecit, & originali iuſtitia ſpoliauit: & quia fuit perſona dignitſsima, & ad reſiſtendum fortiſsima propter adiutorium originalis iuſtitiæ, & per hoc ex maiore ingratitudine proceſsit. Sed peccatum Euæ fuit ſimpliciter grauius peccato Adæ, quia proceſsit ex maiore ſuperbia volentis aſsimulari Deo, & credentis hoc fieri poſſe, & ex maiore libidine & contemptu Dei. Cuius ſignum etiam, quia grauiori pœna mulier quàm vir punita eſt. Quo ad circunſtantiam verò accidentalem dignitatis perſonę, reſiſtendi fortitudine, prudentia, & vigore: damni & ſequelę grauius fuit peccatum Adæ quàm Euæ, quia dignior fuit & maiore prudentia & fortitudine præditus, cuius tranſgreſsio in totam poſteritatem redundauit. Non autem fuit ſimpliciter grauiſsimum peccatum Adæ, quia non fuit in Deum tanquam in obiectum, nec formaliter opponebatur charitati Dei, quamuis illam priuabat demeritoriè ſicut quodlibet mortale, nec proceſsit ex maxima libidine, nec fuit contra præceptum maximè arduum, ſed ex circunſtãtia, vt dictum eſt. Et ſi Adam non peccaſſet, propter peccatum Euę, genus humanum nõ periiſſet. Non enim Eua, ſed Adã principiũ fuit totius generis humani. Videatur latiùs Gabr. & Scotus diſt. xxj. lib. j. Ponit & ſanctus Bonauen. diſt. xxxviij. libr. iiij. in dubiis literalibus hos grauitatis peccati modos. Dicitur enim (vt inquit) vnum peccatum grauius alio, aut ratione cõtemptus, & ſic peccatum in ſpiritum ſanctum: aut ratione libidinis, vt peccata contra naturam, in quibus libido totum abſorbet naturale iudicatorium: aut ratione ingratitudinis, & ſic peccatum Adæ in Paradiſo: aut ratione punitionis, & ſic peccatũ adulterij, in quo præcipiebatur mœchus & mœcha lapidibus obrui. Sicut dicitur Deut. 22. Vnde Clemens Papa: & refert Magiſt. grauiſsimè di. xxxviij. quarti. Quod in omnibus peccatis adulterio eſt grauius. Et ſubiungit Magiſter grauiſsimè ergo peccant adulteri, grauiter fornicatij: ſed cunctis his grauius inceſtuoſi, quos omnes tranſcendunt contra naturam delinquentes, &c. Tantò inſuper grauiora ſunt peccata, quantò diutius infelicem animam detinent alligatam: vt habetur de conſuetudine cum tanto referente Gabr. diſtinct. xv. quæſt. xiiij. lib. iiij.

Gula Grecè λαιμαργια & λαιμαργος, guloſus, heluo, & λαιμὸς guttur. Et eſt gula immoderata cibi auiditas, vel inordinatus appetitus cibi & potus; ſecundum beatum Thom. ſecunda ſecundæ quæſt. cxviij. art. j. & Albertus Magnus in compendio ſuo lib. iij. cap. xx. & ſecundum Corteſium lib. iij. ſenten. di. viij. Gula non modò guſtus obſonatrix, ſed etiam opſophaga intempeſtiua vocatur. Hæc enim tanquã ſus fœta ſolidam alacritatem, ſcurrilitatem, cœnoſitatem, loquacitatẽ, mentisq; caliginem gignit, atque etiam ſobrietati eſt hoſtis & inimica. Et ſecundum Gabr. di. xxij. quæſt. j. libr. ij. Gula nõ eſt aliud quàm inordinatus appetitus cibi reficientis ſuauiter. Vnde, vt idem dicit, peccatum mulieris inchoatum fuit in ſuperbia, progreſſum habuit in auaritia. Conſummationem verò in gula, in actu comedendi contra præceptum, & ita terminatum in inobedientia. Latiùs ibi Gabriel.

Vel gula eſt immoderatus vſus ciborum. Et cõmittitur quinque modis, vt ſcribit Richar. di. xv. ar. iij. quæſt. vj. libr. iiij. in ſolu. argu. & habetur de conſe. diſt. v. Quinque. Aliquando enim homo indigentiæ tẽpora præuenit. Aliquãdo tempora non præuenit, ſed cibos lautiores quærit, id eſt precioſos. Aliquãdo quæ ſumenda ſunt, expetit accuratius, id eſt, cum nimia ſollicitudine præparandi. Aliquando & qualitas ciborũ, & tẽpus cõgruit, ſed quãtitate intemperata ſumẽdi, menſurã refectionis excedit nõ minus abiectius eſt quod deſiderat, & tamẽ ipſo eſu immenſi deſiderij deterius peccat. Quolibet autem prædictorũ modorum poteſt eſſe gula peccatũ veniale, & ſic per eam nõ frangitur ieiuniũ, & in quolibet poteſt eſſe tantus exceſſus, quod eſt peccatum mortale, & ſic per illã frangitur ieiuniũ, quod eſt à vitiis abſtinere, & in aliquo caſu ieiuniũ Eccleſiæ. Richar. Gula autẽ ſecundũ Gerſonẽ par. ij. tract. de cognitione peccatorũ venialiũ & mortaliũ, cõſideratione xj. Eſt deſideriũ aut appetitus deordinatus in mãducando, & eſt de ſe veniale. Si eſt appetitus ſolùm ex natura, & quando nõ tranſgreditur præceptum Dei vel Eccleſiæ ſine rationabili cauſa, ſed quando tale placitũ habetur in manducando, quod præponitur diuino amori. Hoc eſt dictũ quod potius fieret tranſgreſsio mandatorũ Dei, quàm quod abſtineretur à mãducando, & ibi eſt peccatũ mortale: ſicut ſi aliquis propter ſuũ guloſum mãducare vult rapere alienũ, aut nõ vult ire ad Eccleſiã, quãdo ad hoc tenetur, aut quando ſciẽter omittit facere aliquod mandatorũ Dei propter nimiã ſuam repletionem aut inebriationẽ. Item quãdo homo ſciẽter ſe inebriat, peccat mortaliter. Et ſimiliter facit ille, qui aliũ per malitiã inebriat, aut agit pro inebriati malo, ſcilicet vel ad decipiendum vel infamandum. Hæc Gerſon vbi ſup. quem & videre potes part. ij. de vitiis capitalibus, & in ſuo tripartito circa peccatum gulæ: & in regulis moralibus, vbi & oſtendit quando eſt peccatũ mortale. Gula ſecundũ Auguſt. ſic deſcribitur: Eſt immoderata cibi auiditas. Vel ſic: Gula eſt vorax, edacitas naturę finibus nõ contenta. Et eſt aduertendum (vt ſcribit Gerſon de ſeptem vitiis capitalibus) quod gula non dicit ſeu denominat quemlibet appetitum edẽdi vel bibendi, ſed ſolum inordinatum, quia ex eo inordinatus dicitur, quod recedit à debito rationis: nec vitium gulæ in ſubſtãtia ſeu quãtitate cibi propriè cõſiſtit, ſed in cõcupiſcentia nõ regulata ratione. Et ideo ſi aliquis excedat in quãtitate cibi, nõ propter concupiſcentiã, ſed quia illud ſibi neceſſarium eſſe exiſtimat, hoc non pertinet ad vitiũ gulæ, ſed ad aliquam imperitiam. Sed tunc pertinet ad gulã, quando aliquis propter concupiſcentiã cibi delectabilis ſcienter excedit menſurã edendo. Plura de gula ſcribit Gerſon vbi ſupra. Et ſecundum Gregor. xxxj. lib. moral. quinq; ſunt ſpecies gulæ, ſcilicet inepta lætitia, ſcurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo ſenſus circa intelligentiam. De his latiùs Gerſon vbi ſupra. Et quid mali inferat gula, vide perpulchrè eundem Cancellarium part. iiij. ſermone Dominicę aduentus de gula, & aliàs: per eam enim relinquitur Deus & eius præcepta, multaque mala facit, vt ibidem oſtendit.

De litera H.

HAbitus eſt quædam animi qualitas adquiſita ex frequentatis actibus vel ex vno multum vehementi, quo anima faciliter diſponitur ad aliquid faciendum. Et differt à diſpoſitione, quod hæc faciliter, ille difficulter mobilis eſt à ſubiecto, ſecundum Ariſtot. in Prædicamentis. Vnde beatus Thom. ait: Habitus eſt qualitas de difficili mobilis, qua homo poteſt vti quum voluerit, reddens operationem delectabilem. Et habitus eſt ſecundum quem ad aliquid nos habemus bene vel malè. Thom. prima parte, quæſt. lxxxiij. artic. ij. Et vt habet Ariſtotel. In poſtprædicamentis, habitus multis modis accipi poteſt. Gabriël diſt. xxiij. q. j. libr. iij. accipit pro qualitate animæ, quę determinat potentiam in agendo. Vnde Philoſophus dicit: Habitus ſunt ſecundum quos ad paſsiones nos bene vel malè habemus, puta ad iraſci. Siquidem vehementer vel remiſſe malè habemus: ſi mediæ, bene. Et poteſt ſic deſcribi, vt idem Gabriël ſcribit, accipiendo pro habitu adquiſito. Habitus adquiſitus eſt qualitas adſoluta difficulter mobilis, ex actu vel actibus potentiæ vitalis genita, ad ſimilium actuum productionem potentiæ inclinatiua. Hanc diffinitionē diffuſe declarat Gabriël: pauca ex multis referam. Dicitur qualitas, & capitur pro qualitate accidentali, ad excludendam formam ſubſtantialem. Dicitur abſoluta, quia habitus non eſt reſpectus, nec tantum modus rei. Nam habitus eſt productiuus actus: reſpectus autem non eſt de numero actiuorum. Dicitur difficulter mobilis, per quod excluduntur actus potentiæ cognitiuæ & appetitiuæ, quæ faciliter corrumpuntur: nō enim permanent ceſſante pœnitentia obiecti in ſe vel in aliquo ſui repræſentatiua. Habitus autem manet trāſeunte actu, etiā dum ſe potentia cōuertit ad aliud, vt patet in dormiente, & ſe ab actuali obiectorum conſideratione auertente. Dicitur ex actu vel actibus potentiæ, ſcilicet elicitis genita, propter ſpecies ſenſibiles & intelligibiles immediatè ab obiecto cauſatas, ſi ponantur, quia licèt inclinent potentiam ad productionem actus cognoſcendi, non tamen ſunt habitus. Et dicitur immediatè, quia illud quod relinquitur poſt primam notitiam abſtractiuam in ſenſu interiori, vel intellectu inclinans ad ſimilem notitiam abſtractiuam ſiue dicantur ſpecies memoriæ: ſi ſecundum alios intentiones, verè ſunt habitus. Item ponitur hæc clauſula, ad excludendum virtutes naturales, de quibus loquitur Philoſophus 6. Ethic. cap. vlt. quæ ſunt qualitates & diſpoſitiones quædam naturales, diſponentes ad virtutes. Sicut molles carne apti mente dicuntur 2. de Anima. Quidam enim per complexionem corporis diſponuntur ad virtutes, quidam ad vitia, vt Cholerici naturaliter inclinantur ad iram. Sanguinei ad manſuetudinem, quæ propriè non ſunt habitus, inueniuntur enim tales virtutes ſeu diſpoſitiones in pueris & brutis, vt dicit Philoſophus, in quibus nō præceſſerunt actus ex quibus generentur. Dicitur potentiæ vitalis, quia ex actibus potentiarum merè naturalium, ad actum vnum determinatarum, qui eſt per actus ſui frequentiam non aliter aſſuefieri, aut magis ad ſimiles inclinari poſſunt, non cauſatur habitus. Sic lapis deorſum iactus non aſſueſcit ſurſum ferri, &c. Dicitur vltimò, ad ſimilium actuum productionem inclinatiua, id eſt ſimilium actuum cum potentia productiua: inclinare eſt cōcauſare: in hoc enim inclinat habitus potentiam ad productionem ſimiliū actuum, quia eſt cauſa partialis productiua ſimilium actuum cum potentia. Vide latiùs Gabriëlem vbi ſupra.

Habitus autem quandoque accipitur generalius (vt idem dicit Gabriël) ſcilicet pro qualibet qualitate inclinante potentiam ad actuum productioné, ſiue ſit genita ex actibus ſimilibus, ſiue non. Sic Philoſophus nominat virtutes naturales habitus, quæ tamen ſunt qualitates corporales omnes actus pręcedentes, vnde ait: Etenim pueris & beſtiis naturales inexiſtunt habitus: & loquitur de virtutibus naturalibus. Sed diffinitus eſt habitus propriè acceptus, ſecundum quod eſt genus virtutis moralis, habitibus verò (vt inquit Gabriël diſt. xxxvj. quæſt. vnica, artic. iij. dubio. ij. libr. iij.) neque laudamur, neque vituperamur meritoriè, ſed actibus. Sic vitium habitus ſine actu, non eſt culpabile, licèt habeat generationis principiū culpabile, ſcilicet actus vitioſos. Et habitus manifeſtatur ex actibus, vt dicit Scotus diſtinct. xxvij. libr. iij. & ex actibus frequentatis (vt eſt commune dictum) generatur habitus.

Habitus quidam ſunt eſſentialiter virtuoſi, quidam contingenter. Habitus eſſentialiter virtuoſi, ſunt qui geniti ſunt ex actibus voluntatis elicitis eſſentialiter, & intrinſe virtuoſis: & hi tantum ſunt in voluntate. Habitus contingenter virtuoſus eſt, qui gignitur ex actibus contingenter virtuoſis, ſicut habitus aliarum potentiarum: puta intellectus ſenſus, aut potentiæ executiuæ, dum generantur ex actibus à voluntate imperatis. Omnes enim indifferenter inclinant ad actus laudabiles & virtuoſos, & vituperabiles, ſeu vitioſos, quia inclinant ad actus ſimiles eis, ex quibus generātur qui aliquando ſunt virtuoſi, quandoque vitioſi extrinſeca denominatione. Hæc eſt ſententia beati Thom. in iij. ſcripto. diſt. xxiij. quæſt. iiij. vbi dicit, quod ſolus habitus voluntatis eſt bonus formaliter, cæteri ſunt boni materialiter, non bonitate ſui generis, ſed bonitate ſuæ voluntatis: vide de hoc copioſius Occam iij. quodlib. quæſt. xiiij. & quęſt. x. iij. ſenten. & poſt eum Gabriël diſtinct. xxiij. quęſt. j. libr. iij. Intelligit autem Thom. per ly formaliter eſſentialiter neceſſariò & intrinſecè: & per materialiter quod dictū eſt extrinſeca denominatione, vel contingenter: in qua autem potentia ponendi ſint habitus, vide copioſe Gabri. dub. j. vbi ſupra, ſcilicet in potentia executiua corporali, vt patet in ſcriptoribus, & in citharœdis, & in potentia cognitiua, tam ſenſitiua quàm intellectiua. Non poteſt autem ſufficienter probari & euidenter, quod aliquis habitus ſit in appetitu ſenſitiuo ponendus, quia omnia quæ experimur nobis ineſſe poſt frequentiam actus, experimur quandoq; in nobis per tranſmutationem corporalem ſiue frequentia actus appetitiui. Nam omnis talis inclinatio, puta ad gulam, ad delectationē carnis poteſt induci per qualitates

corporales,

corporales, ac per artẽ medicinæ, & alias vias. Nam Medici per artem ſuam diminuunt cõcupiſcentias, & ſic diſponunt ad actus caſtos, &c. Vide latiùs Gabriẽlem. In voluntate autem ponendus eſt habitus ex actibus ſuis elicitis generatus, quia quilibet experitur in ſeipſo, quod poſt multos actus elicitos in voluntate circa aliquod obiectum, facilius inclinatur, & intenſius ad eliciendũ actus cõſimiles, quamuis difficile hoc poſſit probari, vt dicit Scotus qu. xvij. iij. quotlib. & perſuaderi, rationabiliterque tenere. Nam voluntas poteſt in ſuos actus, ſcilicet velle & nolle reſpectu cuiuſcunque obiecti ex ſua libertate, etiam quantumcunque intenſum, ſine habitu, vt patet in Martyribus nolentibus immolare idolis, & hæreticis nolentibus reuocare errores. Plura Gabriẽl vbi ſupra. Sunt autem quatuor conditiones habitus, vt idem refert Gabriẽl dub. ij. vbi ſupra. quas ponũt Doctores & Philoſophus. Nam facit potentiam in qua eſt elicere actum ſuum ad quem inclinat delectabiliter, faciliter, promptè; id eſt feſtinanter & expeditè, id eſt rectè contra moleſtantia quo ad primum. Reſiſtentia contraria quo ad ſecundam. Retardantia quo ad tertium. Contra impedientia, quo ad quartum: & quamuis illæ conditiones frequenter inueniuntur in habitu, non tamen vniuerſaliter in omni habitu, nec ſufficiunt ad ponendum habitum. Nam habitus inclinans intellectum ad ſpeculandum vel aſſentiendũ alicui principio vel concluſioni naturali, non delectat intellectum. Licèt delectatio poſtea ſequi poſſet in voluntate ſibi complacente in illa ſpeculatione. Item habitus inclinans ad odiendum aliquem non delectabiliter, ſed magis triſtabiliter. Nullus enim delectabiliter vult alteri malum, licèt ſi malum illud ſequitur volũtas, delectetur. Vide plura dub. iiij. Et in eadem anima, vt idem dicit, ſunt plures habitus, tam apprehenſiui quàm appetitiui & intellectiui, qui inclinãt potentiam ad actum, & quædam prærequirunt apprehenſionem obiecti. Sic voluntas non poteſt elicere actum aliquem circa obiectum, niſi prius per intellectum apprehenſum, & ipſi voluntati oſtenſum. Inuiſa enim amare poſſumus, incognita verò nequaquam, ait Auguſtin. x. de Trin. cap. j. Et ita nec habitus inclinare poteſt ad actum voluntatis, niſi obiecto per actum voluntatis præſente. Similiter dicitur de habitibus intellectiuis, adhæſiuis, qui non inclinant intellectum ad aſſenſum, niſi actuali apprehenſione credendæ veritatis præuia. Dum autem illa actu habetur in intellectu habitus adhæſiuus inclinat ad aſſentiendum. Sed habitus apprehenſiui, quia non præſupponunt cognitionem actualem in potentia, ſed ad ipſum inclinant: ideo ex variis cauſis habitus apprehenſiuus quandoque mouet, quandoque non. Latiùs ſcribit Gabriẽl dub. vij. vbi ſupra.

Habitus eſt duplex, ſcilicet acquiſitus, de quo dictum eſt, & infuſus. Et ſicut dicitur quod duplex ſit habitus fidei & ſpei: ſic duplex diſtinguitur habitus charitatis, ſcilicet acquiſitus & infuſus. Habitus charitatis infuſus vnus eſt reſpectu omnium diligibilium Dei & creaturæ propter Deum, qui principaliter inclinat ad diligendum Deum propter ſe, & omne quod vult Deus diligi propter Deum, & mediante illo tanquam principio partiali, inclinat ad diligendum proximum. Habitus charitatis acquiſitus ſecundum diuerſitatem actuum ſpecie diſtinctorum, & ipſe pluſificatur ſpecie. Ex quo patet, quod bonitas proximi non mouet ad diligendum eum charitatiuè, ſed bonitas Dei, propter cuius præceptum de diligendo proximum, diligens Deum vult diligere & proximum, ſiue bonus ſit ſiue malus. Gabriẽl diſtinct. xxviij. quæſt. vnica, artic. j. libr. iij.

Habitus, vt idem Dominus Præpoſitus Gabr. ſcribit di. xxxiiij. quæſt. vnica, ar. j. lib. iij. eſt quoddam genus ſubalternum de genere qualitatis. Habens ſub ſe multa genera ſubalterna, quibus deſcenditur ad ſpecies ſpecialiſſimas. Eſt enim quidam habitus moralis, quidam intellectualis, & habitus infuſus, & acquiſitus: & quodlibet membrorum diuiditur in intellectualem & moralem, ſiue appetitiuum, & habitus acquiſitus ſiue infuſus intellectualis, diuiditur in practicum & ſpeculatiuum. Speculatiuus diuidi poteſt in Mathematicum, Naturalem, & Metaphyſicum ſeu diuinum (vt loquitur Philoſophus 5. Meta.) & quodlibet membrum vltrà variis modis ſubdiuidi poteſt, donec veniatur ad ſpecialiſſimas. Hæc Gabriẽl. Sed quia ſcientia ſpeculatiua non perficit hominẽ ad bene moraliter viuendum, ideo illis diuiſis proceditur ad diuiſionem habitus practici. Et diuidit Gabriẽl habitum practicum intellectualem, qui eſt circa agibile, & circa factibile. Et qui eſt circa factibile, dicitur ars, & poteſt diuidi per plures diuiſiones quouſque veniatur ad ſpecialiſſimas, & artes ſpeciales mechanicas. Similiter & habitus practicus circa agibile multipliciter ſubdiuiditur, quia neque ſcientia practica, neque prudentia eſt vna circa omnia agibilia. Diuerſorum enim agibilium tanquam diuerſorum obiectorum diuerſi ſunt habitus. Imò qualibet virtus moralis habet ſpecialem prudentiam ſibi connexam. Siquidem alia ſpecie eſt prudentia circa obiecta fortitudinis, alia circa obiecta temperantiæ, alia circa obiecta iuſtitiæ. Et ideo ſecundum diuiſionem virtutum moralium poſſet ſubdiuidi prudentia. Vnde de tota diuiſione habitus intellectiui practici in numero virtutum, non recipitur niſi fides & prudentia. Habitus appetitiuus ſiue moralis poteſt diuidi in habitum bene diſponentem appetitum circa Deum vel circa creaturam. Primus eſt duplex, ſcilicet ſpes & charitas. Charitas eſt circa Deum, vt diligibilem in ſe. Spes, vt diligibilem tanquam commodum mihi. Habitus appetitiuus circa creaturam, aut diſponit appetitum bene ad ſeipſum, aut quo ad alterum. Et ſecundus ille vocatur communi nomine iuſtitiæ. Primus nomen commune habet: vide latiùs Gabriẽlem. Et habitus qui diſponit circa primo appetibilia, vel fugibilia in communi dicitur temperantia, qui verò circa alia dicitur fortitudo, & ſic in connumeratione virtutum omnium, ſolùm tres ſunt theologicæ, de quibus habetur 1. Corinth. 13. Et quatuor cardinales, de quibus Sapien. 8. de quo infra in verbo *Virtus* dicetur. Contingit autẽ quandoq; habitũ ligari, ne in actũ ſuũ exire poſſit: ſicut per ebrietatẽ ſcientia, vt dicitur 3. Ethic. Et vt dicit Gabriẽl d. iij. q. ij. ar. iij. dub. j. li. iij. poſt B. Thom. eadem di. q. ij. ar. j. & iij. Et habitus (vt inquit Gabriẽl diſtinct. xxxv. quæſt. j.

queſt.j.lib.j.) ſi dicit aliquid diſtinctum à cognitione actuali, ſic in Deo non eſt habitus, nec ſcientia diuina eſt habitus, ſed cognitio actualis eterna. Si verò accipitur communiter, vt extendit ſe ad cognitionem actualem & habitualem. Sic poſſet cōcedi in Deo eſſe habitū ſciētiæ. Sed quia frequēter habitus capitur, vt quid diſtinctum ab actu, facilius dicitur non omnem ſcientiam eſſe habitum, quod verū eſt de ſcientia diuina, non eſt tamē difficultas niſi de nomine. Gabriel & de habitu aliàs multa.

Habere aliquid dicitur tripliciter, vt ſcribit Bruleſer diſt.viij.q.j.li.j. formaliter, ſcilicet quando eſt ſubiectum illius, quod habet, vt album albedinis. Secundò cauſaliter vel effectiuè, ſeu virtualiter quando, ſcilicet poteſt effectiuè producere illud quod ſic habet. Tertio modo dicitur aliquid habere aliud exemplariter, quando, ſcilicet intelligit ſeu cognoſcit illud quod ſic habet. Iſto modo artifex habet domum. Sol non habet ranam exemplariter. Item cognoſcens roſam habet eam exemplariter. Bruleſer. Alij modi habendi videantur in poſtprædicamentis & in Logica.

Hæreſis dictio eſt Græca αἵρεσις, diciturque ab electione, quoniam vnuſquiſq; elegit diſciplinā quam putat eſſe meliorem, ſecundum Hieronymū in epiſtola ad Galath. & habetur xxiiij.q.iij.ca. Hæreſis. Et hæreſis ratione pertinaciæ eſt ſpecies peccati in ſpiritum ſanctum, ſcilicet impugnatio veritatis ſecundum B. Thom.iiij.ſenten.d.xiij.q.ij.ar.ij. & ab eo venit hæreticus tanquā concretum ab abſtracto. De hæreticis autē & de hæreſi multa ſcribit Occam in dialogo. parte j. & poſt eum Gabriel diſtin.xiij.q.ij.lib.iiij. Et hæreſis, vt ſcribit Occam libr.ij.dialogi, partis primæ, cap.vj. & Hiero. Eſt dogma falſum fidei contrariū orthodoxæ, id eſt error contrarius Catholicæ veritati. Eſt autem omnis hæreſis dogma falſum ſiue error, & non econuerſo. Omnis enim hæreſis, ait Hieronymus ſuper epiſtolam ad Galath. peruerſum dogma habet. Dogma autem peruerſum, eſt dogma falſum, ſed non omne dogma falſum eſt hæreſis. Nam in multis rebus errare, nullum aut minimum peccatum eſt, vt dicit Auguſtin. in Enchi. cap. xx. Sed hæreſis ſicut & infidelitas, grauiſsimum eſt peccatum: non ergo omnis error eſt hæreſis. Ex quo ſequitur quod non omne dogma falſum eſt hæreſis, cùm omnis error dogma falſum ſit cōcedendus. Dicitur fidei orthodoxæ contrarium, quò excluduntur omnes alij errores fidei orthodoxæ non contrarij, ſicut error in rebus naturalibus: de quibus fides Catholica nihil contrarium aſſerit, vt ſunt errores de vi & numero elementorum, de motu, defectu, & ordine ſiderum, de figura cœli, de generibus & naturis animalium, fruticum, lapidum, fontium, montium, & cæteris huiuſmodi: quorum ſtudio Phyſici inſudarunt, & quorum ſcientia ad religionem non pertinet. De quibus Auguſtinus vbi ſupra cap. viij. loquitur: Errores in his, & ſi falſa ſint dogmata, non hæreſes ſunt dicendi. Ex hac diffinitione ſequitur, quod error in fide non ideo eſt hæreſis, quia ab Eccleſia damnatus, ſed quia fidei contrarius. Vnde hæreſes ab Eccleſia damnatæ, priuſquam damnarentur fuerunt hæreſes. Vide Gabrielem latiùs. Determinatio autem Eccleſiæ nō facit propoſitionem prius veram, eſſe falſam: nec prius falſam, eſſe veram. Sed quia vera eſt, Eccleſia approbat, aut ſi falſa reprobat & condemnat: nec aliqua hęreſis eſt noua, vt ibidem oſtendit Gabriel. Cùm autem dicitur hæreſim eſſe nouam, dupliciter intelligitur. Vno modo, quia de nouo incipit eſſe falſa. Alio modo intelligitur hęreſis eſſe noua, quia de nouo aſſerta vel defenſa, quia aliquis eam de nouo aſſerit, vel defendit, non quin priùs fuerit falſa veritati fidei contraria: ſic in multis canonibus accipitur noua hęreſis: vbi ſæpè fit mentio de nouis hæreſibus introductis vel introducendis, vt patet xxiiij. quæſt. j. cap. j. Omnis hæreticus aut iam damnatā hæreſim ſequitur, aut nouam confingit. Similiter eadem q.c. Notandum fit mentio de noua hæreſi.

Hęreſis autem & error dupliciter accipiuntur, vel pro habitu, vel actu aſſentiendi falſo, vel pro obiecto, quod eſt propoſitio falſa ſeu articulus falſus: primo modo accipiendo, poteſt eſſe noua fides & noua hæreſis ac error; quoniā quis poteſt de nouo credere vel errare. Sed tertio modo non eſt error nouus aut hæreſis, nec veritas catholica noua, quia ſi ipſa prius fuiſſet formata, fuiſſet error, hæreſis aut fides Catholica, reddendo ſingula ſingulis. Determinatio autem Eccleſiæ aut ſummi Pontificis declarat & diffinit, quod aliqua veritas Catholica pro tali accepeanda eſt, quæ priùs pro tali habita nō eſt, ſic de hæreſi. Vnde Eccleſia ſua determinatione diffinit veritates quas approbat fuiſſe Catholicas: & per condemnationē ſuam diffinit aſſertiones quas reprobat fuiſſe & eſſe hæreticas, & ita non facit nouum articulū fidei, ſed nouiter diffinit aliquem articulum pertinere ac pertinuiſſe ad fidem & ad Catholicam veritatem. Gabriel vbi ſupra. Videatur & Gerſ. de hęreſi in multis locis operū ſuorū: & de declaratione per Doctores & expoſitores ſacræ ſcripturæ parte prima de proteſtatione circa materiam fidei. Sunt autem multæ hæreſes & errores, vel innumeræ damnantes ſacram ſcripturam vel partem eius, ſicut patet in libris Damaſce. & Auguſtin. de hæreſibus. Contra omnes iſtas in cōmuni octo ſunt viæ, quibus iſtæ hæreſes cōuincuntur & opprimuntur: quas diffuſe adducit Scotus q.ij. Prolo. Et aliàs fuſius notauimus, quę ſunt pronuntiatio prophetica, ſcripturarū cōcordia, auctoritas ſcribentiū, diligētia recipientiū, rationabilitas contentorū, irrationabilitas ſingulorū errorū, Eccleſię ſtabilitas, miraculorū claritas. Vide latiùs Sco. & Gerſ. de hæreſibus multorū, & præcipuè Albigenſiū, Vvaldēſium, Vvicklefiſtarum & Huſſitarum, & aliorū, qui ſumpſerunt occaſiones errandi ex odio & zelo non ſecundum ſcientiā contra diſcholos mores Eccleſiaſticorū, quos intuebātur magis deteſtando, & cum indignatione quàm miſerādo cum pia oratione & modeſta redargutione. Gerſon part.ij. de ſollicitudine Eccleſiaſticorū particula xlvij. &c. Et vt idem ſcribit tract. de Simonia ad ſeptimam rationē conſideratione prima: Non eſt hæreſis ſine deprauatione intellectus per errorem in his quę recta fides tradit. Differt hæreſis à ſchiſmate: vide infra.

Hæreticus multipliciter inuenitur accipi. Vnde Occam cap.ij.libr.iij. primæ partis dial. ponit quinque

acceptiones

acceptiones nominis hæreticus. Vno modo accipitur hæreticus pro omni excommunicato, vt notat Gloſſa iiij.quæſt.j. Quod autem. Secundo modo dicitur peruerſor ſacrorum: & ſic Simoniacus dicitur hæreticus. Hinc Gregorius in regiſtro.j.quæſt.j. Quiſquis. Quiſquis per pecuniã ordinatur ad hoc vt fiat hęreticus, promouetur. Tertiò modo dicitur quicunq; dubitat, vel putat fidem Chriſtianam eſſe falſam, vel fictam: & ſic omnes Iudæi, Sarraceni & Pagani, dicuntur hæretici, & generaliter omnes infideles: & ſic omnis qui non tenet articulum fidei, largè dicitur hæreticus: vel qui corde & ore negauerit fidem. Et ſic non omnis hæreticus eſt excommunicatus: iſto modo ſortilegi, qui negant fidem Catholicam ore & corde, dicuntur hæretici. Quarto modo dicitur omnis Chriſtianus vel qui ſe putat Chriſtianum, errans contra Catholicam veritatẽ, pertinaciter eſt hæreticus, & ſic capitur propriè. Quinto modo dicitur omnis qui pertinaciter adhæret errori, qui ſapit hæreſim, vel qui pertinaciter aſſerit vel determinat aliquam hęreſim. Dicitur autem ſapere hęreſim, quod ex hęreſi & aliquo vero coaſſumpto (quod rationabiliter negari nõ poteſt) deducitur: ſicut veritas dicitur ſapere Catholicã veritatem, quę ex Catholica veritate, & alio vero coaſſumpto inferri poteſt in conſequentia neceſſaria. Hęc refert Gab.di.xiij.quęſt.ij. artic.iij.libr.iiij. & has acceptiones habet Bruleſer diſtinct.v.quęſt.ij. libr.iiij. Et dicitur hęreticus ſecundum Paludeñ.di.xiij.quęſt.iij.libr.iiij.ab hęrendo. & hęreſis eſt ſecta vel diuiſio, vel electio. Vnde quãdo ex electione, & non ex ſimplici ignorantia, quis diuidit ſe à fide Catholica, in quocunque articulo, quem explicitè tenetur ſcire, vel alio per Eccleſiam declarato cum pertinacia, ipſe eſt hęreticus verè. Dico autem per Eccleſiam vniuerſalem, vel Romanam, quia ad particularem Eccleſiam non pertinet de fide vniuerſaliter iudicare. Vnde dicens cõtra articulos vnius Epiſcopi, excõmunicationem poteſt incurrere, ſed non hæreſim. Et pœna hæretici eſt, qui manifeſtè in hæreſi deprehenſus eſt, niſi mox arbitrio Eccleſiæ ſatisfaciat: ſi ſit laicus, ſtatim: ſi ſit clericus, prius à ſuis ordinibus degradatus, debet exponi iuſtitiæ ſeculari animaduerſione debita puniendi, ne ouis morbida inficiat totum gregem. Vide latiùs Paludenſem de hæretico. Et accipiendo hæreticus propriè, vt includit errorem in fide, & non extenditur ad infideles, qui nunquam fuerunt de Eccleſia, poteſt ſic deſcribi: Hęreticus eſt verè baptizatus, vel pro baptizato ſe gerens, pertinaciter errans, vel dubitans contra Catholicam veritatem. Hanc diffinitionem declarãt Gabriel diſtinct.xiij. quæſt.ij. artic.j.lib.iiij. Dicitur verè baptizatus propter baptizatum in ioco, qui ſi errat pertinaciter, non eſt hæreticus iudicandus: ſicut nec Gentilis, aut Iudæus, non omnis autem errans eſt hæreticus. Vnde Hieronymus: Errare potero hæreticus, tamen non ero, quia non omnis errans eſt hæreticus. Dicitur, pro baptiſato ſe gerens, propter baptiſatum extra formam Eccleſię gerentem, tamen ſe vt verè baptiſatum. Si errat pertinaciter, eſt hæreticus. Et dicitur pertinaciter, ad excludendum errantem, vel dubitantem ex ſimplicitate, vel ignorantia ſola, non ex pertinacia cõtra veritatem Catholicã, talis enim

non eſt cenſendus hęreticus. Dicitur autem pertinaciter errare, vel dubitare, qui non eſt paratus corrigi, cùm inuenerit veritatem, hoc eſt cùm veritas ſibi oſtenditur ſufficienter, non deponit errorem, vel dubium. Vnde non ſequitur: Iſte aſſerit credit vel tenet hæreſim, ergo eſt hæreticus, quia multi ſancti & catholici Doctores tenuerunt opiniones contrarias in his quæ ad religionem pertinent, quarum vna fuit hæretica, & tamẽ neuter eorum fuit hæreticus. Tum quia neuter pertinaciter adhæſit ſuę opinioni. Tum quia non conſtabat quę pars opinionis fuit hæretica & quæ catholica, antequam acceſſit Eccleſiæ determinatio, &c. Dicitur vel dubitãs, quia pertinaciter dubitãs, hęreticus eſt, vt in c.j.de hæreticis, vbi dicitur: Dubius in fide hæreticus eſt, licèt cõtrarię fidei nõ aſſentiat. Oportet enim Catholicũ firmiter aſſentire, alioquin fidẽ nõ habet. Vnde hęreticus, qui pertinaciter defendit hæreſim iam damnatã: ſi fuerit deprehenſus, niſi reſipiſcens ſe correxerit, nequaquam eſt ab Eccleſia tolerandus. Item hæreticus poſt pœnitentiam & abiurationem in eam, quam abiurauerat hæreſim, relapſus, licèt ad pœnitentiam admittatur, tamẽ ſine vlla audientia curiæ ſeculari exterminandus relinquitur, quia ſi quotiens reuerteretur (vt ait Richar. diſt.xiij.artic.v. quæſt.iiij. libr.iiij.) conſeruaretur in fide, vita, & aliis bonis tẽporalibus, alij ſecurius in hæreſim relaberentur, faciliusq; infici poſſet tota multitudo, quod diligenter cauendum eſt. Vnde Hieronymus: Reſecandæ ſunt putridæ carnes, & ſcabioſa ouis à caulis repellenda, ne tota domus maſſa, corpus & pecora ardeant, corrumpantur, putreſcant, intereant. Arrius in Alexandria vna ſcintilla fuit, ſed quoniam non ſtatim oppreſſus eſt, per totũ orbem eius flamma depopulata eſt. Hæc Gabriel vbi ſupra poſt Richardum. Vnde Apoſtolus ait: Hæreticorum ſermo ſicut cancer ſerpit. Canceris autem (vt ſcribit Gerſon parte prima, de erroribus, circa præceptum: Non occides) morbida tabes, niſi cauterio celeri, fortique tollatur, creſcit aſsiduè ſua contagio. Non aliter hæretica peſtis, quæ dum vult ſe fouere, fit ægrior: dum defenſorem quęrit ille, mittit verbum in rete pedes ſuos, & in maculis eius ambulat: ſe non euoluens, ſed inuoluens, ac pondere ſuo de errore in errorem means. Verum quippe eſt illud Philoſophicũ: Vno inconuenienti dato multa ſequuntur: præſertim dum error in principiis, qui paruus creſcit in plurimos, & fit velut vna cathena tenebrarum, qua colligantur hæretici. Multa ibidem Gerſon de hæreticis & hæreſibus, &c. Hæreticus ſecundum Richardum diſt.xiij.ar.j.q.v.lib.iiij.eſt ille qui profitetur Chriſtum, & eius dogmata corrumpit; ſi cum hoc annexa eſt pertinacia. Hæreticus, vt diffinit Auguſtinus, & habet Magiſter in textu in fine di.xiij. libr.iiij. eſt qui pro alicuius temporalis commodi, & maximè gloriæ, principatusque ſui gratia falſas aut nouas opiniones gignit vel ſequitur. Auguſtinus de vtilitate credendi, & habetur xxiiij. quæſt.iij. quæ verba tractat & refert Gerſon parte prima, in aſſertionibus Magiſtri Ioannis parui, & infra Gerſon in articulis ſpecialibus cõtra Petrũ de Luna ait: Propriè dicitur hęreticus, qui pertinaciter aſſerit, imò determinat hæreſim. Eſt autem perti-

nax qui non eſt paratus corrigi, & qui non quærit cauta ſollicitudine veritatē, ſed impugnat & ad impugnandum omnes inducit ſub pœnis terribilibus, quantum in ipſo eſt, &c. Hæreticus, vt ſcribit ſanctus Bonauen. diſt. xiij. lib. iiij. circa textum, eſt qui diuinæ legis ignorantia vel contemptu pertinax inuentor proprij erroris, aut alieni ſectator Catholicæ veritati mauult aduerſari quàm ſubiici. Et vt ibidem ſcribit: Differt hæreſis à ſchiſmate, quia hæc eſt contra fidem. Schiſma contra mores vel vinculum charitatis. Sententia autem contra fidem ratione adinuentionis, dici poteſt ſuperſtitio, id eſt ſuperflua inſtitutio: de quo latiùs Bonauentura. Fuerunt autem plures hæretici, vt ſcriptis reliquit Dominus Cardinalis Came. in de laudibus Theologiæ, vt Manichæi, Arriani, Sabelliani, Pelagiani, aliiq́; innumeri, qui variis timoribus ſtimulis, doloribus, tormētis, laboribus, moleſtiis, & tentationū periculis, Chriſti Eccleſiam infeſtarūt. Aduerſus quos Doctores Catholici per ſcripturæ ſacræ victorioſiſſimè pugnauerunt, qui quidem hæretici diſſipauerūt legem Euangelicam falſo modo gloſſando, & ſcripturas peruertendo à vero ſenſu, quæ quidem lex Euangelica eſt tempus faciendi (vt ſcribit Iacobus de Valentia ſuper illud Pſalm. Beati immaculati.) Tempus faciendi Domine, diſſipauerunt legem tuam, &c. Aliàs de hæreticis & de hæreſibus plura à Doctoribus perſcribuntur. Sed ſufficiunt pauca Theologiæ tyroni & neophito.

Hierarchia penultima producta, Latinè ſacer principatus, Græci ἱερὰ ſacrum dicunt, ἀρχὴ principatus, &c. Et vt notat Gabriël diſtinct. ix. quæſt. j. artic. j. libr. ij. Hierarchia dicitur à gera, quod eſt ſacer, & archia principatus, quaſi ſacer principatus: & deſcribitur à ſancto Bonauentura diſtinct. ix. lib. ij. ſic: Hierarchia eſt rerum ſacrarū & rationabilium ordinata poteſtas in ſubditis debitum retinēs principatum. Et eſt triplex, ſcilicet ſupercœleſtis ſeu therarchia, quæ dicitur diuina. Cœleſtis quæ eſt angelica: & ſubcœleſtis, quæ eſt humana, ſiue eccleſiaſtica. Quia enim hierarchia non eſt niſi in ſubſtantia intellectuali. Subſtantia autem intellectualis eſt triplex, diuina, angelica & humana: ideo triplex eſt hierarchia, ſcilicet ſupercœleſtis, & eſt ſacroſancta Trinitas, ac diuina perſonarum vnitas: quam ſic Dionyſius cap. iij. de Angelica hierarchia deſcribit: Eſt pulchritudo diuina, vt ſimplex, vt bona, vt perfectionis auctor, pura, nullam prorſus admixtionem diſſimilitudinis accipiens, rerum ſingulos pro meritis lucis ſuæ participes faciens, & ſacroſancto myſterio perficiens, quantum quiſque initiatus congruè illius in ſe exprimere immutabilem nititur effigiem, in qua diffinitione tangitur increatæ hierarchiæ perſonarum pluralitas, eſſentiæ vnitas, communicabilitas, ſumma perfectio, & perfectionis liberalis diffuſio, quæ declaratur abunde à Gabriële vbi ſupra. De hac hierarchia vide Gerſonem parte ij. tract. de nobilitate, & parte iij. tract. de Canticorum originali ratione.

Hierarchia creata ſecundum Dionyſium vbi ſupra, tam angelica quàm humana eſt ordo ſacrarior, & ſcientia, & operatio, quæ ad Dei ſimilitudinem pro viribus nititur, ac pro modo ſuo ad imitationem Dei ex indulta ſibi diu initus intelligentiæ luce ſubuehitur. Vnde breuiter, vt dicit Gabriël diſtinct. ix. lib. ij. Hierarchia creata, eſt ſacra quædam poteſtas, plures continens ordines, communicans inferioribus, determinato ordine quod à prima poteſtate diuina ſuſcepit. Latiùs Gabriël.

Hierarchia angelica eſt triplex ſecundum Dionyſium, ſcilicet eparchia, id eſt ſuprema: meſarchia, id eſt, media: & hyperchia, id eſt infima. Sumitur autem hęc diſtinctio ſecundū proprietates, quas ponit Dionyſ. quę ſunt ſcientia, ordo, actio. Vel aliter accipitur hęc diſtinctio, & clarius ſecundū tres ſtatus & officia, quæ ſunt ſtatus cōtemplatiuorū, prælatorū, & actiuorū. Penes ſtatū contemplatiuorū eſt hierarchia ſuprema: penes ſtatum prælatorū eſt media: penes ſtatū actiuorū eſt ſumpta hierarchia infima. Vnde ſupremæ hierarchiæ eſt immediatè cōuerti ad Deū per actus cōtemplationis & nō occupari circa exteriora principaliter. Mediæ eſt in præſidētia, quā præſident cæteris, eos ordinando, principiando, & ad ſalutis miniſteria exequenda dirigendo, quorum executio Angelorum eſt vltimæ hierarchiæ: de quo latiùs vide apud Gabriëlem. Sunt autem tres actus hierarchici, ſcilicet purgare, illuminare & perficere, & iſti actus hierarchici ſecundū Theologos, ita dicuntur, quod conueniunt cuilibet Angelo. Prima enim hierarchia ſeu ſuprema purgatur, illuminatur & perficitur à hierarchia, thearchia ſiue diuina. Media à ſuprema purgatur, illuminatur, & perficit. Et tertia vel infima à media, & illa tertia in nobis agit hæc tria de curſu cōmuni. Et purgatio nō intelligitur in Angelis à munditia aliqua, ſed à neſcientia: de quo videatur Gab. in ſer. iiij. de Angelis, qui incipit: Nónne ſunt omnes adminiſtratorij ſpiritus? & q. ij. vbi ſupra Gabr. Differunt autem illi actus purgare, illuminare, & perficere in connotato. Nam in ſubſtrato ſupponunt pro eodem, ſcilicet inductione ſcientiæ. Purgare autem connotat præcedentis ignorantiæ remotionem. Illuminare obiecti manifeſtationem. Perficere ſubiecti eleuationem, & meliorationem. Vide latiùs Gabriëlem & beatū Dionyſium. Et in qualibet hierarchia ponuntur tres ordines. Eſt autem ordo ſecundum Magiſtrum, multitudo cœleſtium ſpirituum, qui inter ſe aliquo munere gratiæ ſimilantur, ſicut in naturali donorum participatione conueniunt: hoc declarat pluribus Gabr. In prima ſunt Seraphin, Cherubin, Throni: in media & infima diuerſitas apud Doctores inuenitur, de quo copioſe legito Gabr. d. ix. q. j. li. ij.

Hierarchia Eccleſiaſtica, quę eſt in Eccleſia militari, in qua varij gradus ponuntur, quorum alter alteri præſidet, non tamen taliter ſicut in Angelis. Nam in ordine Angelico gratia correſpondet naturæ, vt quo meliora habuere naturalia, nec eis ſunt abuſi perfectiorem conſecuti ſunt gratiam. Non ſic in hominibus, vbi nec naturalibus, nec officiis correſpondet gratia. Sed frequenter quæ meliora habent naturalia (quia abutuntur eis) minorem habent gratiam, & in eminentioribus cōſtituti gradibus, proh dolor, in gratia & meritis inueniūtur inferiores, dicit Gab. q. j. d. ix. dub. vlt. lib. ij. Et in hac hierarchia tres actus hierarchici reperiuntur, vt ſcribit Gerſon parte j. de poteſtate Eccleſiaſtica conſideratione v. Purgare

Purgare per afflictionem pœnalem excommunicationis vel interdicti ſi rebelles inueniantur, illuminare per prædicationem & doctrinam, perficere per aliorum ſacramentorum miniſtrationem.

Hiſtrio qui etruſco vocabulo ludio vocatur. Et Alexan.q.cix.parte iiij.mem.j.& poſt eũ Gab.di.xvj.q.iiij.dub.ij.libr.iiij.diſtinguit duplices hiſtriones. Sunt enim hiſtriones qui per aliquod inſtrumentũ aut corporis geſticulationẽ hominis intẽdunt prouocare ad vanos riſus, & malã ineptamq; lætitiam, & qui ob hanc cauſam dat eis, immolat dæmoni, & peccat. Sunt & qui nouerunt in muſicalibus inſtrumentis canere, figella aut cithara, ad infirmæ naturæ conſolationem, ſicut Dauid cecinit in cithara coram rege Saul, quum ſpiritu malo agitabatur, & melius habebat, & talibus dare, peccatum non eſt. Hiſtrionum autem & paraſitorum mos eſt (inquit Gerſon parte ij.) nullibi rarius quàm in domo propria moram facere.

Hiſocheles & hiſopleurus ſunt græca vocabula. De quibus Thom. in ſcripto.j. di.xxvij.q.j.art.j.dicit quod quamuis ſint diuerſi trianguli, tamen ſunt ſub vna differentia figuræ triangularis, eo quod ambo habent tria latera, ſed differunt, quia hiſocheles ſignificat triangulum qui eſt duorum ęqualium laterum ▷. Hiſopleurus verò ſignificat triangulum æquilaterum per omnia. Exemplum △

Homo ab humo dicitur, quia de limo terræ eſt conditus ſecundum corpus. Et hoc ideo ſecundum aliquos, ne ipſe eleuaretur in ſuperbiam, ſed cognoſcens ſe factum ex vili & infimo elemento humiliaretur, ne gratiam Dei perderet, vt dicit Bern. quoniam Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Iaco.4. Item vt homo inſtrueretur quæq; vicia cauere. Vnde licèt corpus humanum ſit compoſitum ex quatuor elementis, tamen in eo prædominatur elementum terræ, non autem ignis, ne homo eſſet nimis iracundus vel accenſus ad nocendum proximo, nec elementum aeris, ne prædominaretur in eo ventus vanæ gloriæ ambitionis, ſuperbiæ & huiuſmodi. Nec elementũ aquæ, ne prædominaretur in eo fluxus luxuriæ & carnalis voluptatis, ita Pelbat. refert in ij.lib. Roſa. Theol. Et eſt animal rationale, homo mortale, & hoc ſecũdum Philoſophos. Secundũ theologos homo eſt creatura rationalis ad imaginem & ſimilitudinem Dei facta, & ad beatitudinem æternam ordinata, id quod latius declarat frater Pelbartus. Et licèt homo habeat liberum arbitrium (vt ſcribit Gabriël di.xj.q. vnica.at.j.lib.ij.) ita vt quantum ad interiores voluntatis actus violentari non poſſit per potentiam creatam. Eſt tamen inconſtans, & citò mobilis, & in vtramque partem vertibilis, & poſt primi hominis peccatum pronior ad malum, multaque habet inclinantia ad lapſum. Inter quæ numerantur imperceptibiles dæmonum (ſalutem hominum impedire molientium) doli & fraudes, quorum nulla quies in tentando. Circumeunt enim tanquam leones rugientes, quærentes quẽ deuorent. 1. Pet. 3. vnde difficilè eſt homini viuere ſine peccato, niſi gratia Dei adiuuetur, vt Probat Aug. in omnibus libris quos fecit contra Pelagianos, in quibus diſputat & probat quod taliter fuit tota natura humana ſiue caro in Adam corrupta & ſauciata fomite peccati, quod nullus homo ex tali natura viciata à primis parentibus per libidinoſam generationem traducta poteſt vitare peccatum, nec poteſt facere bonum, nec implere diuina præcepta, niſi talis natura ſic corrupta per gratiam Chriſti ſanetur. Id quod & aliis teſtimoniis probat Iacobus de Valẽtia tract. iij.c.ij.regula.iiij. prologi in Pſalterium. Propter hoſtium igitur impetus & aduerſa quæ homini accidũt, indiget homo angelica cuſtodia & præſidio. Indiget autem ad quatuor in genere, vt ait Bonauen. poſt Alexan. ſcilicet ad perficiendum in gratia, ad pręſeruationem à culpa, ad reſurgendum à noxa perpetrata, & à facinorum multiplici pluralitate committenda. Nam in profectu impeditur, ad caſum impellitur, in lapſu detinetur, & ad vlteriora committenda peccati admiſſi pondere aggrauatur, & ad cuſtodiam cuiuſlibet viatoris deputatur angelus bonus à principio natiuitatis, vt oſtendit Magiſter di.xj.libr.ij. addit rationes congruitatis tam ex parte Dei, quàm ex parte hominis S. Bonauen. Videatur & Gabr. de hoc di.xj.q. vnica ar.j.lib.ij. Nec deſerit vt ibidem oſtendit ipſe hominem angelica cuſtodia quamdiu permanet hic in vita. Et homo pro maiori parte in ſcriptura intelligitur Adam cum tota ſua poſteritate, vt ſcribit Iacobus de Valentia Pſal.8. Et quando in ſcriptura ponitur filius hominum, vel filij hominum, intelliguntur filij Adam. Adam autem nõ dicitur filius hominis, nec filius hominum, quia non fuit genitus ab homine, ſed à Deo formatus, ideo dicitur filius Dei per creationem, & non per generationem, & cæteri filij hominum, quia à viro & muliere. Sed Chriſtus filius hominis dicitur, quia à ſola Maria homine generatur. Valentia.

Homo eſt concretum prædicamenti ſubſtantiæ huius abſtracti humanitas, & non tantùm voce, ſed etiam ſignificatione, vt ſcribit Gabr. di. vij.q. vnica ar.iij.dub.j. Nam homo ſignificat ſuppoſitum ſubſiſtens in natura humana, ſiue ipſum ſit idem naturæ humanæ ſiue non. Humanitas verò ſignificat naturam humanam, à quo ſuppoſitum denominatur homo, quæ realiter nihil aliud eſt quàm compoſitum ex corpore ſeu materia & anima rationali, vt vult B. Hiero. in explanatione fidei ad Damaſum papam, ſiue tale compoſitum ſit ſuppoſitum ſiue non. Suo modo dicendum eſt de aliis concretis ſubſtantialibus corpus, corpus animatum, animal, & ſuis abſtractis. Ex illo ſequitur, quod hæc oratio non eſt diffinitio hominis compoſitum ex materia & forma rationali, nec illa ſubſtantia ſeu compoſitum ex materia & anima rationali, non enim conuertitur cum diffinito. Nam non conuenit Chriſto, qui non eſt compoſitus ex materia & forma vt alias dicitur. Sed hæc eſt diffinitio hominis animal rationale, illa enim conuertitur cum diffinito, quia conuenit tam verbo incarnato quàm omni homini creat & ſolum tali.

Item omne ſuppoſitum ſubſiſtens in natura humana verè & propriè eſt homo, quia cuilibet tali conuenit vera & propria hominis diffinitio.

Item natura humana ſibi derelicta eſt homo, talis enim eſt ſuppoſitum & perſona ſubſiſtens in natura humana. Subſiſtit enim in ſeipſa, eò quod non

communicatur alteri. Differentia autem eſt inter humanam naturam in Chriſto & hominem Chriſtum, vt idem ſcribit Gabriël di.ix.q.vnica.ar.j. li.iij. Nam homo eſt nomen perſonæ, humanitas naturæ, licèt frequenter ſancti vno vtuntur pro alio, vt quotiens dicunt verbum aſſumpſiſſe ſeu ſuſcepiſſe hominem, ly hominem accipitur pro natura humana. Accipitur tamen quandoque propriè, vt abinuicem diſtinguuntur natura humana & ſuppoſitum verbi, &c. Et Petrus de Aliaco q.vnica.ar.j.lib.iij. ait hanc virtute ſermonis eſſe falſam, filius Dei aſſumpſit hominem, quia ly homo ſupponit pro perſona filij Dei. Ideo inquit ſi talis locutio quandoque inuenitur, Auguſtini vel aliorum ſanctorum exponenda eſt, vt intelligamus per hominem humanitatem, ita quod capiatur concretũ pro abſtracto. Et ſecundum eundem iſta nomina homo & humanitas non ſunt ſynonyma, ſed poſſunt pro diſtinctis rebus ſupponere, nam hoc nomen homo eſt nomen ſuppoſiti, & ſupponit pro filio Dei, ſed hoc nomen humanitas eſt nomẽ naturæ & non ſupponit pro filio Dei, &c. Aliacen. quem latiùs de hoc vide. Ideo iſta eſt hæretica, filius Dei eſt humanitas, tamen iſta eſt vera, filius Dei eſt homo. Videatur latiùs S. Bonauen. di.v. qu.iiij. in ſecundo principali lib.iij.

Homo ſecundum aliquos multis modis poteſt accipi, vt & notat Gabr.di.xxij. Vno modo vt ſignificat omne ſubſiſtens in natura rationali capiendo rationale vt diſtinguitur contra intellectuale, & ſic anima rationalis ſeparata eſſet homo apud illos qui dicunt animam ſeparatam eſſe perſonam. Homo enim quia concretum eſt, nõ ſupponit niſi pro perſona ſeu ſuppoſito. Et ſic accipiendo opinio Hugonis eſt vera, qui poſuit animam eſſe hominem, & ita Chriſtum fuiſſe hominem in triduo. Secundo poſſet accipi ſiue ex impoſitione ſiue ex vſu, vt ſignificaret ſubſiſtens in corpore & anima rationali coniunctis, ſiue inter ſe ſiue tertio, & ſic opinio magiſtri eſt vera, quam habet di.xxij.lib.iij. qui tenent quod ad rationem hominis requiritur corpus & anima, neque eſt homo ſi alterum deſit, requiritur etiam coniunctio illorum, & tenet quod ſolus Chriſtus eſt homo in triduo. Vide latiùs Gabr. vbi ſupra. Poſſet & tertio accipi pro ſuppoſito ſubſiſtente in natura compoſita ex materia & anima rationali tanquam ex forma ipſam materiam informante, & ſic verbum eſt verus homo, ſed nõ in triduo. Et illa acceptio ſecundum Gabriëlem videtur eſſe propria. Nam apud omnes philoſophos homo deſcribitur animal rationale, & omne animal eſt corpus, ſed omne corpus compoſitum eſt ex materia & forma, vel ſaltem ſuppoſitum ſubſiſtens in humanitate. Humanitas autem eſt natura compoſita ex materia & anima rationali, ſecundum illam tertiam acceptionem dicitur quod Chriſtus in triduo non fuit verus homo, quia in illo triduo perſona Chriſti non ſubſiſtebat in natura humana, igitur non fuit verus homo, vt probat Gabr. Vnde hæc propoſitio Chriſtus in triduo fuit homo, nullo modo eſt concedenda ſecundum omnes doctores modernos, vt dicit Bruleſ.di.xxij.qu.j.libr.iij. de quo & in dictione *Triduum* dicitur. Aſtipulatur Paulus Corteſius di.v.lib.iij. ſuarũ ſent. cũ ait: Multi etiam Chriſtum illo ipſo mortis triduo hominẽ extitiſſe adiecerunt, quod ſane falſum omnino videri debet, cũ maximè mortis veritatis interſit poſt lethũ hominẽ eſſe deſinere, quandoquidẽ mors hominis ab animæ ſecretione naſcatur, qua hominis abſoluta ratio cumulatur. Ideoq; male Hugo Victorius Chriſtum ipſo triduo hominẽ extitiſſe probare conatur, animã hominẽ eſſe affirmans, nec multo ſecus à ſententiarũ principe in hac opinione peccatur, quamquã alio flexu declinet, & quaſi alterius pedis ſolea altiuſcula vtatur, ne claudicatio appareat. Hæc Corteſius. Videatur & S. Bona.di.xxj.q.j.l.iij. Perſona quoq; verbi non potuit in triduo Chriſtus nominari, vt dicit Gabr. vbi ſupra. quia Chriſtus vt aliás dicitur, eſt nomẽ ſuppoſiti in duabus naturis, diuina & humana ſubſiſtẽtis. In triduo autẽ nõ fuit natura humana, igitur nihil ſubſiſtebat in natura humana. Nomen itaq; Chriſtus in triduo pro nullo ſuppoſuit, & cõceptus eius in ſe falſus fuit, vt dicit Scot. di.xxij.li.iij. Et licet ſecundũ ſermonis proprietatẽ vt inquit Gabr. Ille Chriſtus in triduo fuit in ſepulchro aut in inferno, ſunt falſæ: tamẽ illę, Chriſtus iacuit in ſepulchro, Chriſtus deſcẽdit ad inferna, ſunt concedendæ. Patet primum, quia Chriſtus cum illa determinatione in triduo pro nullo ſupponit, ergo cũ ſint affirmatiuę ſunt falſæ, quo ad ſecundũ patet, quia perſona verbi quæ eſt vel fuit Chriſtus iacuit in ſepulchro, ergo ab æquiualente ad æquiualens, poſſet tamen prima concedi inquit Gabr. ſi ly in triduo determinaret ly iacuit ſeu fuit, ſecus ſi determinaret ly Chriſtus, quia tunc Chriſtus alienatur.

Homo eſt duplex, exterior & interior, vetus & nouus. Vnde famoſa eſt Apoſtoli diſtinctio de homine veteri & nouo, interiori, ſcilicet & exteriori. Dat interiori quicquid ſpectat ad diuina, dat exteriori quicquid ad vicia & ad brutales ſpectat affectus. Primũ vocat ſpirituale hominẽ, alterũ animalẽ. Huius diſtinctionis meminit Gerſon trac. vij. ſuper Magnificat. Vnde Alex. de Ales q.lxviij.mẽb.iij. parte.ij. homo exterior dicitur propriè cũ conuertitur homo ad exteriora bona cõcupiſcenda propter ſe. Homo interior dicitur cũ conuertitur homo ad interiora ſiue æterna propter ſe. Et ſecundũ hoc exterior corrũpitur, interior renouatur. Cũ enim homo (ſicut dicit Greg.) incipit exterius interire, tunc incipit interius viuere. Propter quod dicit Apoſt. ad Ephe.4. & Col.3. Expoliãtes vos vet. hominẽ cum actibus ſuis, & induite nouũ. Aliter dicitur in glo. 2.Cor.4. Quicquid eſt in nobis cõmune cũ pecore, exterior homo eſt, is qui intus eſt imago Dei. Et Aug.xij.de trin.c.j.& li.xiiij.& xvj.&c. Quicquid habemus in anima cõmune cũ pecore, rectè dicitur ad interiorẽ hominẽ pertinere. Sequitur, vbi incipit nobis aliquid occurrere quod nõ eſt nobis cõmune cũ beſtiis vbi incipit ratio, vbi homo interior iã poſſit agnoſci. Sed hoc dictũ Alex. intelligitur in quantũ cõiungitur cũ rationali parte ad quã ordinatur: vt inquit Gab.di.xxv.q.vnica.ar.iij.dub.j.l.ij. Vel homo exterior capitur dupliciter, aut pro parte ſenſitiua hominis, vt dicit glo. 2.Cor.4. Cui cõſonat glo. Eph.4. ſuper illud: Deponite vet. hom. Corpus exterior homo eſt, anima interior. Corpus accipitur pro anima ſenſitiua, anima pro parte intellectiua. Secũdo accipitur homo exterior pro homine, ſinẽ ſuum in

exterioribus creaturis ponẽte. Homo interior per oppoſitum eſt homo, ſe ipſum ſuum in Deo creatore conſtituens, &c.

Homo vetus ſecundum Alex. eſt homo peccator propago veteris Adæ. Vnde glo. ad Ephe. 4. ſuper illud: Deponite vos, & eſt Ambr. Homo interior ſi vicia priſtinã ſequitur vetus dicitur: Si autem in nouitate vitæ ambulat, alienus à ſeculari errore nouus dicitur. Et Glo. interli. Col. 3. ſuper illud: Expoliate vos veterem hominem. Homo vetus vita vetus in peccatis ſecundum Adam, & in Glo. allegata ad Ephe. 4. In interiore homine agitur hæc vetuſtas & nouitas, patet ergo quod homo vetus & nouus pertinet ad interiorem hominem acceptum pro parte intellectiua, & non ad exteriorem acceptum pro parte ſenſitiua. Et tã homo vetus quàm nouus inuenitur in vtraque portione inferiori & ſuperiori, quia ſecundum vtramque portionem cõtingit peccare & mereri, de inferiori, quia circa temporalia meremur & demeremur. Et homo exterior acceptus, ſecũdo modo pertinet ad portionem inferiorem. Interior verò ad vtrumque, quia contemplando finem agit ſecundum portionem ſuperiorem ordinando exteriora ad finem, agit ſecundum portionem inferiorem. Accipiendo autem hominem exteriorem primo modo pro parte ſenſitiua, ſic non pertinet ad aliquam portionem rationis, interior verò pro parte intellectiua pertinet ad vtramque. Gab. di. xxiiij. q. vnica. ar. iij. dub. j. libr. ij. Ponit & Gerſon parte. iij. tract. ij. de canticordo differentiam veteris & noui hominis ſecundum Apoſtolum, quod vetus tyrannizat lege carnis, & peccati quod obuiat & diſſonat rationi; quod legi Dei ſubiectus non eſt, quod captiuat nos ſub iugo peccati, & ita de reliquis. At nouus agitur, ducitur & regitur ſpiritu libertatis & iuſtitiæ, & adoptionis filiorum, & ſpe hereditatis æternæ. Et idẽ Cancellar. parte. ij. ſer. in cœna Domini, qui incipit A Deo exiuit, dicit eos ſolos propria appellatione hominis dici debere qui boni ſunt, & ad Deum omnia referunt. Potius igitur homo eſſe verè iudicatur ex parte animæ, & non ex parte corporis, quia homo eſt animal rationale. Vnde Aug. ſuper Ioan. dicit: Non diſtat homo à pecore niſi intellectu & ratione, cum corpus mortale habeat ſicut & pecora. De quo videre potes Pelbar. ſer. de vno vel pluribus martyribus, qui incipit: Qui vicerit. Sunt autem cuncta creata propter hominem, vt copioſe ſcribit Gab. di. xv. q. vnica, li. ij. ar. iij. dub. iiij. verum loquendo de fine principali & vltimo omnia creata ſunt propter Deum, vt dicit Prouer. 16. Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus. Et Apoc. 4. Tu creaſti omnia propter voluntatem tuam, loquendo autem de fine ſub fine, ſic omnia ſenſibilia, imò omnia corporalia creata ſunt propter hominem. Vnde Gene. 1. dicitur ad hominem productum, Creſcite & multi. & re. ter. & ſubiicite eã: & dominamini piſci. ma. & vola. cę. & vniuerſis ani. qui ſunt ſu. ter. Et Gen. 9. poſt lapſum. Terror veſter ac tremor ſit ſuper cuncta animantia terræ, & ſuper omnes vola. cœli cum omnibus quæ mouentur ſuper terram, &c. Et 1. Cor. 3. & allegat Magiſter di. j. li. j. Omnia veſtra ſunt ſiue mundus, ſiue vita, ſiue mors, ſiue præſentia, ſiue futura; omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti. Chriſtus autem Dei. Et Philoſophus: Homo eſt quodãmodo finis omnium. Hinc etiam Platonici dixerũt & Ariſt. 1. Politic. Omnia propter hominem, ipſum verò propter Deum factum. Hinc reſurrectionis futuræ neceſſitas concluditur, alioquin naturalis inſtitutio finis fruſtra eſſet, vt dicit Gerſ. parte. ij. ſermone in Cœna Domini.

Homo rectus dicitur vt inquit S. Bonauen. in prolo. ij. ſent. quando intelligentia adæquatur ſummæ veritati in cognoſcendo, voluntas conformatur ſummæ bonitati in diligendo; & virtus continuatur ſummæ poteſtati in operando: hoc autẽ eſt quando homo ad Deum conuertitur ex ſe toto. Fecit autem Deus hominem rectum, vt dicit Eccleſ. ſed ipſe vt inquit Gerſon ſuper Cantica canticorum, immiſcuit ſe infinitis quæſtionibus per curioſitatem, inſtabilitatem & cupiditatem. Primum in rationali, ſecundum in iraſcibili, tertium in concupiſcibili.

Honeſtas dicitur honoris ſtatus, terminus boni, & finis honoris, vt ſcribit Gerſon tract. xij. ſuper Magnificat. Eſt autem honor ille bonum honeſtum, bonum conueniens appetitui rationali vt rationalis eſt. Et honeſtas vt ſcribit Paulus Corteſius lib. iij. ſententiarum di. viij. non modò germina virtutis, ſed etiam tanquam quædam temperantiæ conditio deſcribitur. Honeſtum (vt ſcribit B. Tho. ij. ij. qu. cxlv. arti. j.) eſt idem quod ſpiritualis pulchritudo, vel quod eſt honore dignum; & eſt idẽ quod virtus, refertur non tantum ad corporis pulchritudinẽ. Terẽtius: Ita me dij ament honeſtus eſt, hoc eſt formoſus. Et honeſtum (vt ait Tullius) eſt quod ſua nos vi trahit, & allicit ſua dignitate. Et finis naturæ intellectualis eſt (vt ſcribit Gerſon tract. x. ſuper cantico Mariæ) vt ſuſcipiatur ad bonum honeſtum, quo ſolo fruatur, & in illo delectata quieſcat, nulla ad huiuſc finem attigit irrationalis creatura, quia nec ad illum creata eſt, memorandum, intelligendum, & amandum. Et vt Cice. ait. j. Offi. Nihil honeſtum eſſe poteſt quod iuſtitia vacet.

Honor propriè eſt reuerentia & dignitas quæ ex cauſa aliqua alicui exhibetur. Virgil. *Haud equidem tali me dignor honore*: quandoque accipitur pro pulchritudine, aliquando pro obſeruantia & cultu. Virgil. *Semper honore meo, ſemper celebrabere donis.* Interdum pro pudicitia, quandoque pro præmio, quandoque pro ſepultura. Virgil.

Cernit ibi mœſtos, & mortis honore carentes.

Et honor eſt maximum bonorum exteriorum ſecundum Ariſto. libr. iiij. Ethic. Et libr. j. Rhet. Honor eſt benefactiuæ gloriæ indicium. Et Thom. ij. ij. quæſtion. cxxix. articul. iij. Honor eſt cuiuſlibet virtutis præmium. Honor ſecundum Gerſonem parte. iij. de verbo & hymno gloriæ, eſt exhibitio reuerentiæ in ſignum virtutis. Soli autem Deo honor & virtus, &c. Honor ſecundum Alexan. in iij. parte ſum. qu. xxxiij. ſecundum propriam rationem eſt proteſtatio præeminentiæ in aliqua exhibitione illi qui honoratur. Honor poteſt accipi materialiter & formaliter. Materialiter accipitur pro eo quod exhibetur, vt beneficium, obſequium, obedientia & huiuſmodi. Formaliter

autem

autem honor accipitur pro ipſa proteſtatione præminentiæ vel dignitatis. Et eſt honor qui debetur Deo: & eſt latria, qua homo proteſtatur Deũ ſuum conditorem. Et eſt honor, qui debetur homini, & eſt honor duliç. Et quantum ad proteſtationem honor non dicitur æquiuocè nec etiam vniuocè, ſed analogicè, quemadmodum ratio præminentiæ cuius eſt, quantum verò ad exhibitionem æquiuocè diceretur niſi diſcernatur ipſa proteſtatio, &c. Eſt & honor parentum, quo parentes debemus obſeruare. Vnde Exod. 20. dicitur: Honora patrem tuum & matrem tuam, vt ſis longæuus ſuper terram. Et Deut. 5. Honora patrem & matrem tuã ſicut præcipit tibi Dominus, vt longo viuas tempore & bene ſit tibi. De quo honore multa colligit frater Pelbartus li. iij. Roſarij Theol. Et latria quæ eſt ſeruitus & cultus ſoli Deo debitus ratione ſummi dominij & bonitatis & poteſtatis (de quo ſupra) fit triplici honore (vt ſcribit Iacobus de Valẽtia ſuper illud Pſal. Scitote quoniã Dominus ipſe eſt Deus, &c.) ſcilicet oblatione, ratione ſummi dominij, & proſtratione, ratione ſummæ poteſtatis, quia ex nihilo nos creauit, & confesſione laudis, ratione ſummæ bonitatis, & propter beneficia recepta.

Hora tempus ſignificat, id eſt quãcunque æternitatis partem, ſiue annuum ſiue diurnuum ſiue nocturnum ſpacium ſignificet. Et horæ canonicæ, & has adaptare horis diei vt primam primæ, tertiam tertiæ, quamuis ſingularibus perſonis ſit cõgruum, non tamen neceſſarium, vt ſcribit Gerſon parte. ij. in regulis moralibus. Horas enim quaſdam præuenire vel ſubſequi pia intentione ſeu vtilitate fas eſt, vt de ſero dicere matutinas pro mane ſequẽti, vſum tamen eccleſiæ cuius ſuus eſt principalior titulus, aut quam actualiter incolit beneficiatus regulariter inſequi debet, niſi diſpenſet, vel ſuperioris auctoritas vel paupertas, vel pia conuenientium charitas atque vtilitas, &c. Et horæ dominicæ quæ ſint, & quid qualibet hora Chriſtus paſſus ſit pro ſalute noſtra. Videatur Gabr. di. xv. q. vnica. ar. ij. lib. iij. & lect. xiij. cano. &c. Vna hora matutina comprehenditur, ligatur vt latro: ad Annam primò, deinde ad Caipham ducitur, cæditur, moleſtatur. Hora diei prima coram præſide Pilato ſiſtitur & accuſatur. Hora tertia linguis Iudæorum crucifigitur, nudatus flagellatur, coronatur, purpura illuſoriè veſtitur. Hora ſexta contemnitur, eiicitur, condemnatur, cruci oneratur, crucifigitur. Hora nona in cruce tẽſus, ſitiens, & clamans magna voce, moritur. Hora veſpertina latus lancea perforatur, ac de cruce mortuus deponitur. Completorij hora ſepelitur, ac ſepulchrum poſitis cuſtodibus clauditur, ſignatur. Ecce nullum tempus aut ætas inuenitur in qua ſalus mũdi non pateretur. Gabriẽl vbi ſupra, & in cano. latiùs vbi ſupra videatur.

Hoſtia (vt dicit Eſitius) vt eum refert Gabriẽl lec. lv. cano. dicebatur quod ad hoſtium tabernaculi ducebatur, manibus offerentium impoſitis capiti eius, vt ſic ſignificaretur quod per ipſam ad ſanctam pateret acceſſus. Vel ideo, quia pro vincendis vel iam victis hoſtibus offerebatur. Capitur & hoſtia tripliciter, vt idem ſcribit lect. lxxx. cano. in fine. Et ſecundum Bruleſ. di. x. q. v. lib. iiij. capitur multis modis. Primo modo capitur hoſtia communiter pro omni ſacrificio, quod offerebatur Deo in lege antiqua, ſiue eſſet pro expiatione peccatorum, ſiue pro pace habenda. Secundo modo capitur pro ſacrificio propriè quod offerebant pagani & idolatriæ idolis pro victoria habenda. Tertio modo capitur magis propriè, & idem eſt quod ſacramentum euchariſtiæ, & ſunt illæ ſpecies panis & vini, ſcilicet illa albedo & illa rotunditas, ſub quibus continetur corpus Chriſti. Sic accipitur cùm dicitur, hoſtia frangitur vel diuiditur. Sic etiam accipitur cum dicitur: Hoſtia conſecratur, vt dicit Alexan. de Ales, quia conſecratio propriè loquendo reſpicit ſpeciem continentem, non corpus contentum. Nihil enim conſecrationis corpori Chriſti additum eſt vel ſanctificationis. Quarto capitur hoſtia propriiſsimè pro re contenta in ipſa hoſtia, & eſt ipſe Chriſtus. Vnde canit eccleſia in hymno: O verè digna hoſtia. Sic dicit Apoſtolus ad Ephe. 5. Qui dedit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis. Et Ambr. In Chriſto ſemel oblata eſt hoſtia ad ſalutem potens. Quid ergo nos? Nónne per ſingulos dies offerimus, ſed ad recordationem mortis eius, & vna eſt hoſtia & non multæ. Capitur & hoſtia quandoque pro pane conuertendo in corpus Chriſti, vt in principio ante canonis initium, cùm dicitur: Suſcipe ſancta trinitas hanc oblationem ſeu hoſtiam, vbi demonſtratur panis & vinum in altari poſita, quæ etſi non offeruntur in ſe, offeruntur tamen ſecundum id in quod conuertuntur. Capitur & vltimo hoſtia pro quocunque homine iuſto & ſancto, ſanctificante ſe totaliter Domino. Hæc Gabriẽl. & Bruleſer. vbi ſupra.

Humanitas quæ Græcè dicitur ἀνθρωπότης, accipitur tripliciter, ſcilicet pro natura hominis, & pro virtute quę conſiſtit in exteriori ſubuentione, condeſcendendo defectibus aliorum ſecundũ B. Tho. ſuper epiſtolas Pauli ad Titum 3. cuius tres partes ponit Gerſon parte. iiij. ſer. de ſancto Ludouico: & ſunt humilitas, manſuetudo & miſericordia, quæ appellatione vulgi pietas nuncupatur, vt tangit Aug. iiij. de ciui. Dei. Humanitas prætetea ſignificat eruditionem atque inſtitutionem in bonas artes, quas qui ſynceriter cupiunt & aſſequuntur, hi ſunt maximè humani, quare & artes ipſæ liberales humanitatis ſtudia appellata ſunt humanitas, ſecundum S. Bonauen. di. v. q. vi. lib. iij. & poſt eum Bruleſ. di. j. qu. j. lib. iij. conſueuit accipi tripliciter. Vno modo per humanitatem poſſunt intelligi principia conſtituentia hominem, vel pro partibus conſtituentibus hominem, vt corpus & anima. Et ſic dicimus quod duplex eſt homo, ſcilicet interior & exterior, homo interior eſt anima, homo exterior eſt corpus, aliter tamen hoc capitur, vt dictum eſt ſupra. Alio modo per humanitatem poteſt intelligi forma conſequens totum compoſitum. Tertio modo capitur pro proprietatibus corporis humani vel conſequentibus ipſum hominem inquantum eſt homo: vt iſte fecit mihi magnam humanitatem, id eſt magnam charitatem exhibuit, & ſic riſibilitas eſt proprium hominis. Et deſcribitur humanitas, vt dicit Bruleſ. vbi ſupra. hoc modo eſt natura compoſita ex corpore & anima intellectuali, homo verò

eſt natu-

eſt natura compoſita ex corpore & anima intellectiua, quę eſt ſuſtentata ab aliquo, vel aliquod ſuppoſitum ſuſtentans talem naturam. Omnibus prædictis modis inquit Bonauen. concedendum eſt filium Dei aſſumpſiſſe humanitatem. Si enim nomine humanitatis intelligantur principia ipſa conſtituentia hominem, videlicet, anima & caro, abſque dubio verum eſt quod filius Dei aſſumpſit humanitatem, id eſt animam & carnem. Item ſi nomine humanitatis intelligitur forma totius, adhuc habet veritatem. Filius Dei aſſumpſit humanitatem, id eſt formam humanam, iuxta illud quod dicitur Phil.2. Humiliauit ſemet.for.ſer.acci. Poſtremo ſi nomine humilitaris ipſa proprietas conſequens intelligitur, adhuc veritatem habet: Filius Dei aſſumpſit humanam naturam, quia nō ſolùm naturam humanam, ſed proprietates conſequentes, ſicut dicit Damaſc. Si quis autem hoc vltimo modo ſolùm intelligit quod aſſumpſerit humanitatem, id eſt hominis proprietatem, errat circa incarnationis veritatem, oporret enim ponere quod hoc triplici modo dicendi, filius Dei aſſumpſerit naturaliter humanitatem. Bonauentura.

Humilitas ſecundum Bern̄. eſt virtus qua veriſſima ſui cognitione ſibiipſi quilibet vileſcit. Eam Paulus Corteſius li.iij. ſuarum ſentētiarum di.viij. dicit naſci ex modeſtia, quæ ſecūdum eundem cum ſit ſui gnara, animo frænum adhibet ne inſolentius ſuper naturam ſuam tollatur. At pugnaciſſimè ſuperbiam cum humilitate præliari affirmamus, vt idem ait in fine huius diſtin. quæ ſuopte voluntario vento tenta, cum ſupra naturæ ſuæ modum efferatur, immoderatior eſt excellētiæ cupiditas, ac caput ſcelerum omnium & mare, &c. Signa humilitatis, vt ſcribit Gerſon parte prima in ſermone de Circunciſione Domini, ſunt præcipuè duo: Humile ſapere, & humile velle. Ex aduerſo ſigna ſuperbiæ ſi ſe colit, ſi ſe amat, ſi complacet in ſe ſibi, ſi ſapiens eſt in oculis ſuis. Alienum vel non requirens vel odiens, vel non implens conſilium. Humilitas verò hominem quem inhabitat, reddit tractabilem quaſi perfuſum oleo lętitiæ, ſuaſibilem, bonis conſentiētem, minus ſemper proprio quàm alieno fidentē cōſilio, abiectus eſt & vilis in oculis ſuis, nō ſe iactās, nō iuſtificās, nō magna promittens, nō ſollicitè ſe excuſans. Hæc Cancellar. qui & de humilitate aliàs multa ſcriptis reliquit. Hęc omnis pię affectionis eſt radix, vt idem ait de myſtica theologia practica parte iii. Plura & alij de humilitate ſcripſerunt, quæ ſtudioſis relinquimus legenda.

Humor aquens ſecundum ſanctum Bonauen. eſt in duplici differentia. Quidam habet rationem humori fluitantis, alius humoris euaporantis. Et propter hoc ponitur aqua principium duplicis generis, animalium, ſcilicet naturalium, & volatilium. Natatilium, ratione humoris fluidi, & ideo illa remanſerunt in aquis. Volatiliū, ratione vaporis. Ideo cùm iſte vapor ſit commixtus aëri, feratur ſurſum, volatilia in aëre ſubleuantur, & eouſque poſſunt aſcendere quouſque inueniunt aërem humidis vaporibus pingueſcentem, ita poſt Bonauenturam notat Gabriel di.xv.q.vnica.ar.iij.dub.iij. libr.ij. Et hoc eſt quod dicit beatus Aug.iij. ſuper Gen̄. ad literam. Iſte inferior aër qui recipit exhalationes humidas maris & terræ, & ad ſuſcipiendum aues, quodammodo craſſatur non niſi ex aquis, accipit animalia. Quod enim humidum eſt, hoc portat animalium corpora, quæ ita vtuntur pennis volantes, quemadmodum piſces quibuſdam alis ſuis natantes. Proinde ſpiritus Dei ex aquis dicit eſſe producta volatilia, aquarum enim natura bipartitum locum ſortita eſt. Inferiorem, ſcilicet vnda labili, ſuperiorem, in aura flabili. Illum deputatum natantibus, illum volantibus. Aug. Differunt autem humor & humiditas propriè loquendo (vt ſcribit Rich. di.xliiij.ar.j.q.ij.lib.iiij.) Humor enim dicitur prout continetur in magnis venis. Humiditas eſt extra magnas venas. De humiditate hoc loquitur Auicenna de animalibus, quem refert Rich. ibi & ſupra. Bonauen. eadem di.ar.j.qu.j.

Hypocriſis Gręca dictio eſt ὑπόκρισις. Et eſt ſimulatio alienæ perſonæ, ideo ſemper eſt peccatum, & eſt vicium iactantiæ ſecundū beatum Tho.ij.ij.qū.iij. ar.ij. Et hypocriſis poteſt à nobis dici diſſimulatio. Nam componitur ab ὑπὸ quod eſt ſub, & κρίσις iudicium, quaſi ſit iudicij ſubtectio, nam aliud in re, aliud in iudicio hominum ſe oſtendit qui hypocriſeos crimine laborat. Et vt ſcribit Petrus Palu. diſt. xvj.q.ij.ar.j.lib.iiij. Hypocriſis eſt peccatum, quia ſemper eſt oppoſitum virtutis veritatis, per quam homo oſtendit ſe talem in factis & dictis exterius qualis interius eſt, hic autem mentitur facto. Nec refert vtrum aliquis declaret voluntatem ſuam verbis an factis. ff. de legibus. l. inde quibus. Sic ergo omne mendacium verbi eſt peccatum ſecundum Augu. ſic & hypocriſis qua homo mentitur oſtentatione exteriori, ſimulās ſanctitatem quam non habet, non tamen ſemper eſt peccatum mortale hypocriſis: niſi intenderet hæreſim ſeminare, vel niſi obtinere intenderet indignus aliquod beneficium, de qua dicitur quod nequiter humiliat. Si autem hypocriſis dicit illud vicium per quod homo ſimilat ſe eſſe bonum, cùm non ſit, ſicut Phariſæi qui omnia faciendo propter homines, intus pleni erant rapina & omni iniquitate, quia carere bonitate etiam ſine ſimulatione, non eſt ſine mortali in habente vſum rationis, multo magis ea carere & ipſam oſtentare, quod addit mendacium. Vnde ſimulata æquitas eſt duplex iniquitas, & prout eſt peccatum mortale (inquit Palu.) impedit veram pœnitentiam, ita quod cum ea non poteſt eſſe aliqua vera pœnitentia Deo grata & accepta. Prout autem eſt tantum veniale peccatum, adhuc eſt impedimentum pœnitentię, quia cum ille actus qui fit cum hypocriſi ſit malus propter deformitatem finis, iā non eſt Deo acceptus, quia hypocriſis dicitur habitus malus quo eſt promptus bona opera facere propter homines, & ſic inclinat vt opera, quæ aliàs eſſent digni fructus pœnitentiæ, non habeant effectum hunc, ſic autem non eſt de aliis peccatis. Si quis enim haberet habitum homicidij vel furti, non propter hoc inclinaretur ad omnia ordinanda ad illud: propter quod ſuperbia & inanis gloria eſt radix omnium peccatorum, omnia trahens ad ſuum finem: propter hoc igitur hypocriſis eſt ſpeciale impedimentum. Iterum, quia peccator quantò à Deo ſe elongauit & ei diſplicuit, tantò plus deducit eum de pœnitentia ad

tia ad placendum deo, contra quod ſpecialiter inclinat hypocriſis. Hæc Palud. vbi ſupra. Hinc Gerſon tractatu. x. ſuper Magnificat dicit: Hypocriſim eſſe peccatum peſſimum, quia ſimulata æquitas nõ eſt æquitas, ſed duplex iniquitas. Et idem parte ij. in regulis moralibus de ſuperbia & vana gloria ait: Præſumptio, arrogantia, iactantia & hypocriſis generaliter & propriè ſunt de illis quæ conueniunt homini taliter ſe habenti, ſi illa habere vel credit vel inordinatè appetit, propterea ſemper habent errorem vel malitiam inuolutam, quandoque venialem, & ſæpè mortalem ſecundum genus obiecti, & iuxta circunſtantias intentionis & finis & cæterorum. Et poſteà ſubdit. Præſumptio, arrogantia, iactantia, & hypocriſis circa bona naturæ aut formæ minus habent peccati & periculi quàm circa bona gratiæ, præſertim gratiæ gratumfacientis, cùm illa minus cognoſci poſſit in eſſe, &c.

Hypocrita poteſt ſimulator vel diſſimulator dici ſecundum Iſidor. lib. Etymo. qui deluſor vocatur à Gerſone tractatu. viij. ſuper Magnificat, cùm ait: Sapientia Chriſtianorum eſt idipſa non ſolùm nomine profiteri ſe Chriſtianum, hoc qui bona fide quæſierit, hoc qui cupierit, vt malit eſſe bonus quàm videri, exemplo Catonis; perueniet ad optatum, iuxta Socratis documentum. At verò ſpiritus diſciplinæ effugiet fictum, hypocritam, ſcilicet & deluſorem ipſe deludet, quia deludi ſinet. Eligit talis duobus ſeruire Dominis, ingredi terram viuentium duabus viis, fit propterea inconſtans, fit arundo ſemet agitans, fit cum garrulo ſophiſta, ſe ſimiliter in omnibus effluens. Gerſon.

Hyperdulia ſecundum Alexan. de Ales in. iij. parte ſum. quæſtione. xxx. eſt honor quidam valdè magnus, qui exhibetur creaturæ rationali excellenti propter maiorem affinitatem & coniunctionem ad Deum, ſicut humanitati Chriſti & beatæ Virgini, de quo in dictione *Adoratio* videatur latiùs.

Hypoſtaſis Græcè, ſuppoſitum Latinè, vt ſcribit Bruleſer. quæſtio. ſecunda, diſtinction. x. libr. j. Et ſecundum Guilhelmum Scotiſtam diſtinctione xxiij. ſimul & Bonauentu. eadem diſtinction. quæſt. iij. lib. j. & alios, apud Græcos ſunt quatuor nomina vel vocabula, videlicet vſia, vſioſis, hypoſtaſis, & proſopon, quibus in Latino correſpõdent alia quatuor vocabula. Nam vſiæ correſpondet eſſentia, vſioſi ſubſiſtentia, hypoſtaſi correſpondet ſubſtantia, licet modo nos Latini vtimur pro hypoſtaſi hoc nomine ſubſiſtentia, & pro vſioſi ſubſtantia. Huic verò nomini proſopon correſpondet hoc nomen perſona apud Latinos. Et differunt iſta nomina, vt ſcribit Thomas in ſcripto primi diſtinct. xxiij. Eſſentia dicitur cuius actus eſt ſubſtare. Subſiſtentia verò cuius actus eſt ſubſiſtere. Et ſubſiſtere eſt per ſe ſtare & non in alio. Subſtare verò dicitur ſub alio ſtare, id eſt ſub accidente. Et ſanctus Bonauentu. & ſancti Doctores accipiunt eſſentiam & ſubſtantiam pro eodem. Sed hypoſtaſis nomine Græci vtuntur pro ſuppoſito rationalis naturæ, ſicut nos nomine perſonæ ſecundum Boët. lib. de duabus naturis. Vnde ſicut

Græci dixerunt patrem & filium & ſpiritumſanctum tres hypoſtaſes, id eſt tres res ſuis proprietatibus diſtinctas perſonalibus, ita nos dicimus tres ſubſiſtentias vel tria ſuppoſita diuina, ſiue tres perſonas in vna eſſentia. Vnde eſſentia verè & propriè eſſe dicitur de Deo. Vide latiùs Bonauentura. Et quamuis varia fuit determinatio de nomine hypoſtaſis, nunc autem determinata eſt huius nominis hypoſtaſis ſignificatio pro ſuppoſito diuino, ideo ſecurè vtimur eo. Et Hiero. vtitur hoc modo. Hypoſtaſis itaque ſubſiſtentia ſiue ſubſtãtia à theologis pro perſona capitur. Vnde hypoſtaſes perſonæ ſubſiſtentes appellantur. Nam *ſóws* ſtatio dicitur: Hieronym. ad Damaſ. Vota ſecularium literarum ſchola nihil aliud hypoſtaſim niſi vſiam nouit.

De litera I.

I*actantia* eſt inanis de ſe & ſtulta prædicatio. Vel ſic: Iactantia eſt per quam quis ſe extollit ſupra id quod in ſe eſt, ſecundario autem ſupra id quod de eo alij opinantur, ſecundum B. Thom. ij. ij. q. c. ar. ij. Hanc vocat Paulus Correſius oſtentationem, cùm ita ſcribit. li. iij. ſuarum ſententiarum. diſt. viij. Oſtentatio malum capitale nominatur, ſi doloſe aut cum alterius iactura fiat. Et iactantiam eſſe peccatum habes paulò ſupra in dictione *Hypocriſis*. Et eſt ſpecies ſuperbiæ, vt Gerſon ſcribit parte. ij. de ſeptem vitiis capitalibus, de ſuperbia & inani gloria. Et eſt cùm homo iactat ſe habere bonum quod non habet. Et propriè iactantia accipitur quantum ad interiorem cordis arrogantiam. Quia ſi caperetur iactantia quantum ad exteriorem actum, quo quis falſo ſe diceret vel laudaret habere bonum quod non habet magis propriè pertineret ad peccatum inanis gloriæ, & etiam ad peccatum mendacij quàm ad peccatum ſuperbiæ, prout ſumitur à beato Grego. qui quatuor aſſignat ſpecies ſuperbiæ. Prima, cum homo bonum quod habet æſtimat ſe à ſeipſo habere. Secunda ſpecies eſt, cùm homo bonum quod habet, ſibi deſuper datum credit, ſed tamen ſe reputat illud pro meritis ſuis accepiſſe. Tertia cùm homo ſe iactat ſe habere bonum quod non habet. Quarta ſpecies eſt cum homo deſpectis cæteris appetit ſingulariter videri, habere bonum quod habet.

Idea dicitur ἀπὸ τοῦ ἴδος. Idos quod eſt ſpecies & forma, vel ratio ſecundum Augu. Et eſt forma exemplaris qua res fiunt & cognoſcuntur, quæ eſt in mente artificis ſecundum beatum Thom. prima parte quæſtion. xv. A quibuſdam ſicut ab Alexan. de Ales. ij. parte ſum. & Guil. Scoti imitatorem, vt refert Pelbartus, idea dicta eſt ab hydor quod eſt aqua, ſicut enim in aqua repræſentantur variæ imagines, ſic in Deo variæ res per huiuſmodi ideas. Et vt notat Guil. Scotiſta diſtinct. xxxv. libr. j. nomen idea in Græco habet tria nomina. Nam primo dicitur Ethimagium. Secundo dicitur paradigma. Tertio idea. Dionyſius vſus eſt paradigmate. Ideæ nomen à Platone primum reper-

repertum eſt. Itẽ in Latino habet tria nomina. Pri
mo dicitur ars, vt habetur ex Aug. vj. de trin. vbi di
cit quod in diuinis filius eſt ars plena omnium ra-
tionum viuentium. Secundo dicitur ratio; vt habe-
tur ex eodem. lxxxiij. q. vbi dicit quod alia ratione
conditus eſt homo, alia equus. Tertio dicitur exem
plar quod habetur à Dionyſ. iiij. de diui. no. Intro-
ductum eſt autem primo nomen Idea à Platone,
qui (vt dicit Aug. lib. lxxxiij. quæſtionum. q. xlvj.)
ideas primò appellaſſe perhibetur, non tamẽ ſi hoc
nomen antequã ipſe inſtitueret nõ erat, idcirco vel
res ipſæ nõ erãt quas ideas vocauit, ſed alio fortaſſis
atq; alio nomine ab aliis atq; aliis nũcupatæ ſunt.
Hinc Plato tria poſuit principia fuiſſe initio. Deũ,
exemplar ſiue ideam & materiam, vt refert magi-
ſter di. j. lib. ij. & poſt eum Dionyſ. Seneca & Aug.
nulla loquuntur de ideis; & communiter Docto-
res, Scolaſtici, & Gabr. di. xxxv. q. v. lib. j. Vnde in-
ter alia Augu. vbi ſupra dicit. Ideæ ſunt principales
quædam formæ vel rationes rerum ſtabiles atque
immutabiles, quæ ipſæ formatæ nõ ſunt, & propter
hoc æternæ & ſemper eodem modo ſe habẽtes, quę
diuina intelligentia continentur. Et cum ipſæ ne-
que oriantur nec intereant, ſecundum eas tamen
formari dicitur omne quod oriri & interire poteſt.
Anima verò negatur eas intuere poſſe, niſi rationa-
lis, non quælibet, ſed quæ ſancta & pura fuerit. Et
infra, qua viſione ſit beatiſſima, vide latiùs Gabriẽ-
lem vbi ſupra. Ex auctoritate itaque beati Aug. col
ligitur quod ideæ ſunt in mente diuina ſtabiles &
æternæ; quodque ſunt rationes ſiue exemplaria ad
quæ aſpiciens producit omnia quæ producit, non
quidem vna ratio, ſed multæ, cum alia ratione, id eſt
idea conditus eſt homo & alia ratione equus, &c.
Idea ſiue exemplar ſecundum Platonẽ eſt ad quod
reſpiciens artifex id quod deſtinabat efficit. Paulus
Corte. li. j. ſuarum ſententiarum di. iiij. vocat for-
mas & ſpecies, quod idem (vt ipſe inquit) multo an
te à M. Tullio & diuo Auguſtino vſurpatũ ſcimus.
Itaque cum rectiſſimè ideæ formę nominentur, fa-
tendum eſt idearum genera in intelligentia diuina
verſari, id quod pulchrè deducit ibidem. Siquidem
in omnium rerum genere quæ nullo modo caſu gi-
gnuntur, neceſſitas fateri cogit formam finem eſſe
ortus, nec enim agens ob formam moliretur, niſi
quatenus ab eo formæ ſimilitudo exiſteret, idque
bipartito ſecernitur. Nam in quodam agentium ge-
nere forma ex natura rerum efficiendarum genera
præcurrit, vt in iis quæ natura moliuntur, quemad-
modum hominem ab homine gigni videmus, in
quodam verò genere ex intelligentia forma ante-
greditur, vt in iis quæ intelligentia moliuntur, quẽ-
admodum ædis ſimulachrum in architecti opificiſ-
que mente inſidet, quod quidem ædis idea ritè di-
ci poteſt, quandoquidem architectus ædem ad ex-
cogitatam ſpeciem referre conetur. Cum autẽ con-
ſtet nullo modo caſu, ſed à Deo per intelligentiam
agentem conſtitutum eſſe mundum, perfacilè in-
telligi poteſt in intelligentia diuina eſſe formam, ad
cuius ſimulachrum mundi machinam cõſtruxerit.
Et in fine concludit. Nec negamus plura idearum
genera in Deo verſari; ſed plura genera vt ab eo
percepta eſſe volumus. Corteſius. Et licèt de ideis
(vt ſcribit Dominus Cardi. Camera. qu. vj. arti. iij.
libr. j. ſent.) diuerſæ ſint opiniones apud antiquos
Doctores, omnes tamen vel plures in hoc concor-
dant quod idea realiter eſt diuina eſſentia. De quo
vide Occam circa di. xxxv. lib. j. Formaliter tamen
idea non eſt diuina eſſentia, vt inquit Brulef. diſt.
xxxv. qu. j. lib. j. quia ferè omnes Doct. & maximè
Aug. dicunt; plores ſunt ideæ creaturarum, ſed diui-
na eſſentia eſt impluriſicabilis & vnica, ſed ſecundũ
rem eſt diuina eſſentia. Vide & Gerſ. de vita ſpiri-
tuali animæ. lect. j. Corol. 12. Et vocabulũ idea non
habet quid rei, quia eſt nomen connotatiuum, nec
ſignificat præciſe aliquod vnum, ſed ſupponit pro
aliquo, & connotat aliquod aliud, vel illud idẽ pro
quo ſupponit; & ideo habet tantum quid nomi-
nis. Et dicit Occam quod ſit terminus relatiuus &
connotatiuus. Et poteſt ſic deſcribi vt refert Card.
qu. vj. ar. iij. libr. j. & Occam. & poſt eum Gabriel
di. xxxv. q. v. li. j. Idea eſt aliquid cognitum à prin-
cipio effectiuo, vel productiuo intellectuali ad
quod actiuum aſpiciẽs poteſt aliquid in eſſe reali ra
tionabiliter producere. Iſta deſcriptio ſumitur ex
verbis beati Augu. in libr. lxxxiij. quæſtiõ. qu. xlvj.
vbi dicit. Has autem rationes vbi eſſe arbitrandum
eſt niſi in ipſa mente creatoris non extra ſe quic-
quam poſitum intuebatur, vt ſecundum idem con-
ſtitueret quod conſtituebat. Ex quo patet quod
ideæ ſunt res cognitæ à mente diuina, quia eas in-
tuebatur, vt conſtitueret quæ conſtituebat. Secun-
da particula quod ſit cognitum ab actiuo, tangitur
cum dicit, in mente creatoris. Tertia particula ad
quod reſpiciens tangitur in fine auctoritatis, non
enim extra ſe quicquid, &c. Ex hoc clarè inſinuans
quod Deus ideas intuetur, vt ſecundum eas conſti-
tuat, hoc eſt efficiat vel producat. Scotus diſt. xxxv.
lib. j. ſic diffinit. Idea eſt ratio æterna in mente diui-
na, ſecundum quam aliquid eſt formabile ad extra,
vt ſecundum propriam rationem eius. Ex quo pa-
tet quod in nulla creatura habet idea eſſe propriè
loquendo, quia idea eſt ratio æterna. Solus autem
Deus eſt æternus. Transfertur tamen ad creaturam
(vt inquit Brulef.) ſicut dicimus, idea artificis. Vn-
de Aliacenſis. qu. vj. vbi ſupra ait: Sicut vna domus
poteſt dici vere idea & exemplar alterius domus,
quia artifex illam domũ cognoſcendo poteſt aliam
ſimilem fabricare, & ſic prior domus dicitur idea
ſecundæ. Similiter etiamſi illa, &c. eſſet ab artifice
præcognita, virtute illius poſſet domum eandẽ pro-
ducere, & ſic illa eſſet idea & exemplar ſuiipſius. Ex
quo patet quod idea ſignificat & importat in recto
ipſam rem productam; & eandem importat etiam
in obliquo, & præter hoc importat in obliquo ip-
ſam diuinam cognitionem, ſeu potentiam cognoſ-
cendi, & ideo ſupponit pro ipſa re producta, ſed
non pro cognoſcente ſiue producente. Hæc Aliacẽ-
ſis. Ex quo patet quid ſit idea, quia non eſt aliquid
niſi aliquid cognitum, ad quod cognoſcens aſpicit
in producendo, & ſecundum ipſum aliquid ſimile
illi, & ipſummet producit in eſſe reali, vt patefcit.
Vel ſecundum Gabrielem idea eſt cognitum quod-
dam & exemplar, ad quod reſpiciens cognoſcens
poteſt aliquod ſimile illi producere in eſſe reali. Pa-
tet & ſecundum Gabrielem arti. ij. vbi ſupra, quod
idea non eſt diuina eſſentia, quia quod eſt vnicum
non eſt plurificabile, plures autem ſunt ideæ. Nam
vt di-

vt dicit Aug. non eadem ratione, id eſt idea conditus eſt homo qua equus, ergo plures & diſtinctæ ſunt ideæ. Nec idea eſt reſpectus quidam in eſſentia diuina, quia nec realis, nec rationis. Non realis, quia Dei ad creaturam non eſt relatio realis, quæ ſit quid non abſolutum. Nec rationis, quia ille non poteſt eſſe exemplar entis realis, & ita nec creaturæ. Nec eſt idea quid aggregatum ex eſſentia diuina, & reſpectu immutabilitatis, quia nõ eſt ponendus ille reſpectus. De quo latiùs Gabr. vbi ſupra. Sed idea in mẽte diuina eſt ipſamet cognita creatura, nam ei cõuenit ideæ deſcriptio, nam eſt cognite ab intellectu actiuo, ſcilicet diuino, & ad ipſam Deus aſpicit vt ipſam rationabiliter producat. Nam quantumcunque Deus ſuam eſſentiam cognoſceret, ſi non cognoſceret, ſuum producibile ignoranter produceret & non rationabiliter. Ad hoc eſt Aug. vj. ſuper Gene. Quomodo ea faceret quæ ſibi nota non erant, non enim quicquam fecit ignorãs. Fuſius ſcribit Gabr. vbi ſupra. Nec (vt ait Bruleſe. diſt. xv. qu. j. libr. j.) creatura in eſſe reali: & in eſſe actualis exiſtentiæ dici poteſt idea, ſed ipſa creatura vt actu cognita ab intellectu diuino eſt idea, vt homo cognitus ab intellectu diuino dicitur idea hominis, & ſic de aliis. Sunt autem ideæ, vt ſcribit Gabriël vbi ſupra. in Deo non ſubiectiuè & realiter, ſed tantum obiectiuè & intellectualiter, quia eo modo dicũtur eſſe in Deo, quo creaturæ à Deo intellectæ ſunt in Deo. Tales autem ſunt in Deo non ſubiectiuè & realiter, quia non per eſſentiam (vt dicit Magiſter diſt. xxxvj.) ſed ſolùm obiectiuè, pro quanto cognoſcuntur à Deo. Eſt autem duplex obiectum intellectus diuini, vt ſcribit Bruleſ. primarium & ſecundarium. Primarium eſt eſſentia diuina, ſecundarium eſt ipſa creatura æternaliter intellecta. Nunquam autem inuenitur (inquit Gab.) quod beatus Auguſtinus ponat ideas, niſi in diuina intelligentia vel mente, & non in eſſentia, innuens quòd non ſunt in Deo, niſi vt cognita, & non ſicut realiter exiſtentia. Et eodẽ modo dicit omnes creaturas eſſe in Deo, vt habetur in textu. di. xxxv. & xxxvj. Et omnium rerum factibiliũ diſtinctæ ſunt ideæ in Deo, quia ipſemet creaturæ ſunt ideæ, quæ ſunt diſtinctæ, & ſunt in Deo obiectiuæ. Item materiæ, formæ & vniuerſaliter omnium partium totius tam eſſentialium quàm integralium diſtinctarum diſtinctæ ſunt ideæ. Item entium omnium poſſibilium ponendæ ſunt in Deo ideæ, vt alterius ſolis ab hoc. Item Deus habet infinitas ideas ſicut infinita ſunt ab eo cognoſcibilia. Infinitæ enim ſunt res ab eo producibiles & cognitæ, hoc eſt autem habere ideam cognoſcere creaturam. Gab. Vide & Aliacenſem vbi ſupra latiùs. Nullarum autem negationum, priuationum, aut etiam mali culpæ ponendæ ſunt ideæ, quia nihil tale eſt producibile à Deo, inquit Bruleſ. & Aliacenſis. Intelligitur autem Deus (ait Gabr.). omnia alia à ſe per ideas eorum, capiendo per vt dicit, circunſtantiam obiecti terminantis, quia ideæ ſunt obiecta cognita terminantia diuinam cognitionem alia à Deo. Neceſſitas autem ponendi ideas, vt vult Occam, Aliacenſis & Gabriel art. iij. dubio j. eſt vt ſint exemplaria quædam ad quæ intellectus diuinus aſpiciens producit creaturas, vt ſit rationabiliter operans. Deus enim cognoſcit producibile prius quàm producat æquè ſicut cum productum eſt, producendo itaque aſpicit producibile, & ita eſt ſibi ipſi exemplar quod Deus agens aſpicit vt rationabiliter operetur. Vide latiùs Gabriëlem & Aliacen. qui extendit nomen ideæ ad perſonas diuinas non bene, vt eum arguit Gabriël, eò quòd pater non habet ſe effectiuè ſeu operatiuè ad perſonas productas, ſed ſolùm ad extra. Vide Gabriëlem. Et quod dicit Aug. quod ideæ ſunt formæ principales, ſunt æternæ, non intereũt, non oriuntur, ſunt immutabiles, ea viſione anima ſit beata, & ſimilia. Illa omnia intelligenda ſunt ſecundum Occam & Gabriëlem dubio. ij. vbi ſupra. quantum ad eſſe obiectiuum. Sic ſunt in Deo immutabiles, æternæ, &c. Quod nihil aliud eſt quàm quod Deus ideas æternaliter & immutabiliter cognoſcit, ſecus de creato artifice. Et ideo nuſquam eas eſſe dicit Aug. niſi in mente diuina, vbi nõ ſunt realiter, ſed obiectiuè, pro quanto ſunt intellectæ à Deo. Et propter hoc dicuntur ideæ æternæ, potius quàm lapis æternus, quia idea importat cognitionem diuinam quæ eſt æterna, non ſic terminus lapis, qui non importat cognitionem, ſed nudè lapidis ſubſtantiam, licet ſecundum veritatem ita lapis eſt ab æterno cognitus, ſicut quæcunque idea. Vſus tamen loquendi aliqua concedit in cæteris terminis, & ſimilia in ſimilibus non concedit Gabriël. Hanc poſitionem commendat Gerſon de vita ſpirituali animæ, lectione. j. corollario. xij. &c. Hæc pauca de ideis dicta ſufficiant. Videatur & Bonauen. di. xv. qu. j. lib. j. vbi dicit: quod idea eſt ſimilitudo rei cognitæ, &c. Et Gab. plura diſſoluit dubia vbi ſupra.

Idem ſecundum Thom. di. xxix. libr. j. poteſt capi vno modo maſculinè. Et ſic hæc locutio eſt falſa, Filius eſt idem patri & ſpirituiſancto, quia ſenſus eſt, quod filius eſt eadem perſona cum patre. Alio modo poteſt capi idem neutraliter, & ſic vera eſt illa. Filius eſt idem patri & ſpirituiſancto. Ibi enim vnitas eſſentiæ deſignatur, à quo identitas.

Identitas, ſimilitudo & æqualitas, nullam diſtinctionem important in diuinis, niſi diſtinctionem perſonarum & proprietatum. Ideo nulla eſt diſtinctio inter identitatem, æqualitatem & ſimilitudinem, vt ſcribit Gabriël. di. xix. q. j. lib. j. art. j. & ar. iij. dub. iij. vbi ait: Illa nomina Identitas, ſimilitudo & æqualitas nil aliud dicunt ſeu important quã perſonas habentes eandem eſſentiam numero propter quod etiam dicuntur ſimiles & æquales. Gabr.

Idioma Græcè, Latinè eſt proprietas. Et accipitur quandoque pro concreto importante proprietatem alicuius. Vnde communicatio idiomatum dicitur cõmunicatio proprietatum, vt ſcribit Gab. di. vij. q. vnica. li. iij. Vel (vt ait Aliacen. q. vnica. li. iij.) cõmunicatio idiomatũ eſt mutua verificatio prædicatorũ. De quo videatur & in litera C. ſupra. Et cõmunicatio idiomatũ in Chriſto eſt mutua prædicatio concretorũ vel prædicatorũ vtriuſq; naturæ de ſeinuicem & de ſuppoſito in his ſubſiſtente, nec ex tali prædicatione ſit aliqua diminutio diuinæ perfectionis, nec aliqua additio perfectionis, cùm hoc dicendo ſit ſolùm terminare dependentiam naturæ aſſumptæ à diuina perſona. Et hoc habet Nicolaus de Oren.

de Oren. in tractatu de communicatione idiomatum. Exemplum primi: vt quod concretum diuinæ naturæ, ſcilicet Deus prædicatur de concreto humanæ naturæ, ſcilicet homo, & ecõuerſo dicendo, homo eſt Deus, Deus eſt homo, homo eſt æternus, infinitus, creator: Deus eſt temporalis, corruptibilis, paſsibilis, mortalis, &c. Exemplum ſecundi, Chriſtus eſt Deus, Chriſtus eſt homo. Dicitur autem notanter concretorum, quia abſtracta naturarum non prædicantur de ſeinuicem. Sicut enim naturæ in Chriſto manent inconfuſæ & diſtinctæ, ita quod neutra mutatur in aliam, ita etiam abſtracta naturarum, non prædicãtur de ſeinuicem. Nam natura humana nõ eſt diuina, nec diuina humana: hoc enim ſimpliciter eſt impoſsibile: Natura diuina eſt natura humana, & econuerſo. Item abſtracta naturæ humanæ nõ dicuntur de ſuppoſito diuino. Hæc enim eſt impoſsibilis: Humanitas Chriſti eſt Chriſtus, eſt verbum, eſt Deus, humanitas eſt creator, eſt perſona filij, &cæ. quia humanitas eſt pura creatura, temporalis, corruptibilis, & annihilabilis, & per conſequens non poteſt eſſe Deus æternus, infinitus, immutabilis. Si autem aliqua talium reperitur in ſcriptura, exponenda eſt ſecundum Magiſtrum, id eſt ſubſiſtens in natura humana eſt Deus, æternus, &c. Abſtracta autem diuinæ naturæ, quia ſupponũt pro natura diuina, quę identificatur perſonis, ideo prædicantur de quolibet ſecundum prædicationem identificam, de quo prædicantur concreta naturæ diuinæ: vt natura diuina eſt identicè, vel ſecundum prædicationem identificam perſona eſt verbum, eſt Chriſtus. Sed concreta naturæ humanæ, & ſi ſecundum rigorem verborum poſſunt prædicari identicè de natura diuina, vt natura diuina eſt homo, eſt mortalis, eſt paſsibilis, quia eſt perſona quæ eſt homo, mortalis, paſsibilis: non tamen illæ admittuntur propter hæreticos: & ne detur occaſio errandi ſimplicibus, qui putarent illas accipi ſecundum prædicationem formalem. Concordat Occam quęſt. ix. tertij. Et vt vult Aliacenſis, in multis additio eſt addenda, ſecundũ humanitatem, vt filius Dei eſt creatura, debet addi, ſecundum humanitatem: ne videatur concordare hæreſi Arrianę. Similiter in illa: Filius Dei eſt compoſitus, debet addi ſecundum humanitatem. Nam neque perſona, neque natura diuina eſt compoſita, nec Chriſtus eſt compoſitus ex duabus naturis, diuina, ſcilicet & humana: ſiue ex tribus rebus, corpore, ſcilicet & anima eſſentialiter, & ex infinitis partibus quãtitatiuis integraliter: quare & non conceditur, quod humanitas Chriſti ſit pars Chriſti. Nam ſicut homo non eſt compoſitus ex albedine & ſubſtantia, ſic nec Chriſtus eſt compoſitus ex humanitate & perſona diuina. Hæc Dominus Cardinalis Cameraceñ. quæſt. vnica, libr. iij. ſententiarum. Nec illæ conceduntur ſecundum Gabriëlem vbi ſupra: Chriſtus eſt aſſumptus, eſt finitus, eſt limitatus, creabilis, &c. vt oſtendit latiùs ipſe artic. ij. Illa verò idiomata, Deus eſt creator, infinitus, æternus, impaſsibilis, incorruptibilis, immutabilis, de Chriſto prædicantur: & etiam dicuntur de Chriſto temporaliter genito ex Virgine, crucifixo, mortuo, paſſo, reſurgente. Nam quæcunque conueniunt ſuppoſito diuino, conueniunt etiã ſuppoſito humano & eius idiomatibus. Nam ſuppoſitum diuinum & humanum ſunt idem omnibus modis, & nullo modo diſtincta. Chriſtus enim qui eſt ſuppoſitum diuinum, quia verbum, ipſe idem realiter & formaliter eſt ſuppoſitum humanum, quia homo. Perſona enim verbi ipſa eadem omnibus modis eſt perſona diuina, & perſona humana. Ipſa enim perſona filij ſubſiſtit in natura diuina: & propter diuinam eſt Deus, & propter humanam eſt homo. Et ideo omnibus modis idem eſt Deus & homo: & per conſequens, quicquid prædicatur de perſona diuina, prædicatur de perſona hominis. Latiùs Gabr. Item illa idiomata nata ſunt mediatè prædicari de ſuppoſito, & de ſeinuicem mutuo: homo, ſcilicet corporeus, mortalis, temporalis, paſsibilis, ambulans, comedens, dormiẽs, &c. ratione naturæ humanæ. Item Deus omnipotens, creator, æternus, immutabilis, incorruptibilis, &c. ratione naturæ diuinæ. Nam idiomata cuiuſlibet naturæ mediatè prędicabilia, conueniunt ſuppoſito illius naturæ. Sed quia idem eſt ſuppoſitum vtriuſque naturæ: ſequitur, quod conueniunt eidem, vt dicit Dominus Præpoſitus: & ſecundum eundem Gabriëlem, natura aſſumpta humana, neq; eſt Chriſtus, neque homo, neque Deus, neque omnipotẽs, neque æterna, nec creatrix, ſed eſt pura creatura aſſumpta à Deo, in qua & Deus ſubſiſtit communicans Deo ſuam denominationem, qua verè dicitur & eſt homo. Neque dicitur de Deo aliquid prædicatum, dicens imperfectionem, ſecundum naturam propriam, & diuinam. Secus autem ſecundũ naturã aſſumptã humanã: ſecundũ hanc enim voluntariè aſſumpſit defectus noſtros, & languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. Iſa. 53. Vel dicitur, quod de Deo nõ dicuntur prædicata, dicẽtia imperfectionẽ ineſſe Deo: poſſunt tamẽ dicere imperfectionẽ ineſſe creaturæ, vnde creator dicitur de Deo, duo importat, ſcilicet Deũ creantẽ: & cõnotat creaturã recipientẽ eſſe poſt nõ eſſe, quod eſt imperfectionis nõ in Deo, ſed in creatura. Et ſicut idẽ ſuppoſitũ poteſt ſubſiſtere in duab' naturis: quarũ vna eſt mortalis, alia immortalis, ita q; ſuppoſitũ poteſt eſſe mortale & immortale, paſsibile & impaſsibile: vnde impaſsibile ſic diffinitur. Impaſsibile eſt ſuppoſitũ ſubſiſtẽs in natura impaſsibili. Immortale eſt ſuppoſitũ ſubſiſtens in natura immortali. Paſsibile eſt quod poteſt pati ſecundũ ſe vel ſecundũ naturã in qua ſubſiſtit. Priuatiuè autẽ oppoſita non conueniũt eidẽ ſecundũ eandẽ naturã: poſſunt tamẽ cõuenire eidẽ ſecundũ diuerſas naturas: nec illa prædicata incarnatũ, humanatũ, prædicãtur de natura humana. Nam natura humana nõ eſt incarnata, neq; humanata, quia nõ eſt carni vnita, nec eſt homo facta, ſed verbũ: de quo & aliàs. & Gabr. vbi ſupra. Diuinitas tamẽ, vt habet Cardiñ. Cam. per hoc quod perſona verbi aſſumpſit humanitatẽ, eſt incarnata, & ſibi eſt humanitas vnita in ſuppoſiti ſeu perſonæ vnitatẽ. Vnde Auguſtinus j. de Trinitat. cap. ix. forma Dei accepit formam ſerui. Et ſine dubio natura naturã accepit. Et Hieron. in explanatione fidei: Paſſus eſt filius Dei, non ſecundũ illã ſubſtantiã quæ aſſumpſit, ſed ſecundũ illã ſubſtantiã quæ aſſumpta eſt. Ex quo ſequitur ſecũdum eundẽ Aliac. q; cõcedendũ eſt in aliquo ſenſu, quod

ipſa diuinitas, ſeu diuina natura facta eſt homo, patet, quia hæc conceditur: perſona verbi facta eſt homo: & hæc, perſona verbi eſt diuinitas: ergo. & eſt ſyllogiſmus expoſitorius, qui nunquam debet negari, niſi vbi fides cogit. Sequitur quod diuinitas vnitur humanitati, non per ſe & primò, ſed quia ipſa eſt hypoſtaſis, cui vnitur humanitas per ſe & primò: nec Deitas (vt idem Petrus vult) vniuit ſibi humanitatem in vnitatem naturæ, ſed in vnitatem perſonæ: de quo videatur Magiſt. in iij. diſtinct. ij. Item ſi huiuſmodi propoſitiones inueniuntur à ſanctis conceſſæ: Homo factus eſt Deus: Filius Virginis factus eſt filius Dei, intelligendæ ſunt impropriè, vt factus determinat totam compoſitionem, vt valent illas: Factum eſt quod homo eſt Deus: factum eſt quod filius hominis factus eſt filius Dei. Illæ etiam concedendæ ſunt; Homo factus eſt Chriſtus: Filius Virginis factus eſt Chriſtus: ſicut illa: Album factũ eſt ſortes, albus patet exponendo; quia filius Mariæ eſt Chriſtus, & aliquando non fuit Chriſtus, id eſt ſubſiſtens in duabus naturis, quamuis filius Mariæ ſemper fuerit filius Dei, & ſemper fuerit verbum. Hæc Gabriël diſtinct. vij. quæſt. vnica. artic. ij. libr. iij. qui & multas propoſitiones affert: & ponit de incipit vbi ſecundum regulam, quam ibi ponit; illas dicit eſſe falſas. Chriſtus factus eſt homo, ille demonſtrando Chriſtum incœpit. Chriſtus incœpit eſſe aliquid. Chriſtus incœpit eſſe eſſentia diuina, quia falſum eſt, quod ille homo ſiue Chriſtus incœpit pòſt non eſſe. Cùm ille homo ſiue Chriſtus ſit perſona diuina, quæ fuit ab æterno: & ab æterno fuit aliquid, & ab æterno fuit eſſentia diuina. Illæ autem ſunt veræ; Deus incœpit eſſe homo: Verbum factum eſt homo: Verbum factum eſt Chriſtus. Patet, quia nunc Deus eſt homo, nũc eſt Chriſtus, & quandoq; non fuit homo neq; Chriſtus. Verbum enim licèt fuerit ab æterno, non tamẽ fuit ab æterno homo vel Chriſtus, quia nõ fuit ab æterno ſubſiſtens in duabus naturis, diuina & humana. Non enim ſemper ſubſiſtebat in humana. Item illę ſunt concedendæ, Deus factus eſt homo. Similiter Deus vel Chriſtus factus eſt homo. Deus incipit eſſe Chriſtus. De quo latiùs legito Gabr. vbi ſupra. Ponit & de ſignis reduplicatiuis ipſe idẽ propoſitiones. Sunt aũt ſigna reduplicatiua inquantũ prout ea ratione qua & ſimilia. De his fuſius in Logica tractatur: & de his propoſitionibus inquantũ ad præſens, dicit Gabr. quod veritas propoſitionis in qua idioma humanæ vel diuinæ naturæ prædicatur de ſubiecto cũ ſigno accepto, reduplicatiuè attẽdi debet ex ſuę totalis exponẽtis veritate. Vnde dicit illas de vi ſermonis eſſe falſas: Chriſtus inquantũ homo, eſt creatura: Chriſtus ſecundũ quod eſt homo, eſt cõpoſitus: Chriſtus ſecundũ quod homo, eſt finitus: Chriſtus ſecundũ quod homo, nõ eſt æterns: Chriſtus ſecundũ quod homo, nõ eſt Deus, quia omniũ harũ præiacẽtes ſunt falſæ. Ideo ſi illę in auctoribus inueniũtur cõceſſę, exponẽdę ſunt ad ſenſum iſtum impropriũ, in quo ſunt ſecundũ mentẽ ponentiũ intellectæ: vt, Chriſtus ſecundũ quod homo, eſt creatura: cõceditur ad hũc ſenſum: Chriſtus ſecundũ humanitatem, eſt creatura: quę valet iſtam: humanitas Chriſti eſt creatura. Itẽ dicit ibidẽ, quod ly ſecundũ quod, vel æquiualens, quandoq; accipitur ſpeciuocatiuè, & tunc attendendũ eſt an ſpeciuocet rationem cõceptus, ſic facit appellationẽ rationis. Quãdo verò ſpeciuocat rationẽ principij vel cauſæ, importat quod terminus cui additur, ſignificet illud, ratione cuius prædicatum conuenit principali ſubiecto: vt quod eſt eius principiũ vel cauſa: vt ignis inquantũ calidus, calefacit: homo inquantũ habet liberum arbitriũ, peccat, &c. Et ſic illę ſunt cõcedendæ: Chriſtus inquantũ homo, meruit: Chriſtus inquantũ homo, paſſus eſt: Chriſtus inquantũ homo, reſurrexit: quæ omnes eſſent falſæ, ſi inquantũ caperetur reduplicatiuè, quia tertiæ earũ exponẽtes, & quartę eſſent falſæ, id quod Logicus facilè diſcernit. Item illa: Chriſtus eſt creatus ſecundũ humanitatem, eſt cõcedenda: & illa, Chriſtus eſt factus ſecundũ humanitatem, incipit eſſe ſecundũ humanitatẽ, eſt finitus ſecundũ humanitatẽ, quia in illis ly creatus, factus, incœpit, quę dicũt primum eſſe, poſt nõ eſſe ſimpliciter, diſtrahuntur per ly ſecundũ humanitatẽ, ad ſignificandũ primũ eſſe ſimpliciter, nõ Chriſti, ſed humanitatis, quæ non eſt Chriſtus, ſed aliquid Chriſti: & per hoc valet tantũ: Chriſtus eſt creatus ſecundũ humanitatem, id eſt Chriſti humanitas eſt creata. ſicut illa: Sortes eſt pinguis ſecundum faciem: valet illã: Sortis facies eſt pinguis, &c. Vide latiùs Gabriëlem vbi ſupra. Cum prudentia itaque & cautè diſcernendæ ſunt propoſitiones de prædictis ſignis, & quomodo diſtinguendæ ſint, & ſic reſpondere, vt vitetur æquiuocationis confuſio. Accedit ad hoc, vt idem Gabriël dicit, illas propoſitiones eſſe veras in ſenſu reduplicatiuo: Chriſtus ſecundum quod Deus, eſt creator, æternus, infinitus, omnipotẽs, immortalis, immutabilis, &c. Non autem illa: Chriſtus ſecũdum quod Deus, eſt verbum vel filius Virginis, mortalis, paſsibilis. Similiter illæ veræ ſunt: Chriſtus ſecundum quod homo, eſt perſona, ſuppoſitum, animal, corporeus, animatus, exponendo concomitanter. Item illa eſt concedenda: Chriſtus inquantum ille homo eſt Deus: patet accipiẽdo reduplicatiuè cõcomitanter. Secus ſi caperetur cauſaliter vel ſpeciuocatiuè, quia Chriſtũ eſſe hunc hominẽ, non eſt cauſa Chriſtũ eſſendi Deũ: nec humana natura eſt ratio propter quam Chriſtus eſt Deus: & ideo cauſaliter & ſpeciuocatiuè eſt falſa. Hæc Gabriël. Pauca hæc ſatis ſint de communicatione idiomatum. Plura apud alios inuenies, multa curioſis perſcrutãda relinquo, rudibus Theologiæ prodeſſe conabor.

Idolatria vel potius idololatria, Græca dictio eſt εἰδωλολατρεία, ab idôlo, pen. prod. Nam in Græco ſcribitur εἴδωλον. Eſt autẽ idolatria ſimulachrorum cultura, vel eſt cultus Deo debitus, creaturę exhibitus. Et S. Thomas ſecunda ſecundæ, qu. xciiij. artic. primo. Idolatria eſt exhibere latriam, id eſt cultum Dei creaturæ. Vnde idolatra vel potius idololatra, eſt idôlorum cultor. Et idolatria, vt ſcribit Gerſon parte ij. in regulis moralibus, eſt exhibitio honoris verè vel interpretatiuè, aut attributiuè, dum alicui creaturæ aliter quàm ſibi poteſt competere, & ſecundũ eundẽ variæ ſunt ſpecies idolatriæ, quædam propriæ, quędã ſolùm analogicæ dictæ: omnes tamen ex genere ſuo mortales exiſtunt, vt in inuocationibus dęmonum. In Aſtrologia de iudiciis circa quę

ea quę depēdent purè ex libero arbitrio: in Necromantia & Pyromantia, & generaliter in ſuperſtitionibus omnibus prohibitis, atque nefariis, quarum effectus neque à miraculo, neque à natura rationabiliter expectari poſſunt. Vnde ſubiungit poſtea: Adorans adoratione Deo debita abſolutè idolum, vel diabolum transfigurantem ſe in Angelum lucis, ſeu Chriſtum, à mortali crimine nequit excuſari. Neque hic ignorantia inuincibilis locum habet, ſed probandi ſunt ſpiritus ſi ex Deo ſint. Secus ſi ſub conditione implicita vel explicita hæc adoratio fuerit, vbi probabilis coniectura de ſic agendo contingeret, quemadmodum hoſtiam non ſacratam, imò lapidem hoſtiæ ſimilem caſus aliquis licitè faceret adorare. Pia intentio faciendi & tenendi ſecundum intentionem Eccleſiæ, ſi non excuſaret multos ex Chriſtianis ſimplicibus idolatræ cenſerentur in adorationibus imaginum, citius pulchrè quàm turpis, & veteris quàm nouæ, quaſi numine aliquo ille magis quàm aliæ replerentur. Hæc Cancellarius. Et (vt ſcribit ſanctus Bonauentura diſtinct.xxxvij. libr.iij. circa textum.) dupliciter conſueuit apud antiquos committi idolatria, vel in hoc quod fingebant nouam ſculpturam, cuius non erat reperire omnino ſimile extra, vt oſtenderetur ſpecialis & ſingularis cultus ei exhibendus, vel quando fiebat aliqua imago, quæ eſſet repræſentatio alicuius rei, extra quam quis crederet in illa imagine eſſe venerandam: ideo Dominus prohibuit, cùm dixit Exodi vigeſimo: Non habebitis Deos alienos: non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem. Quo verbo non ſolùm Dominus intendit prohibere idôli fabricationem, ſed omnem idôli venerationem. Et in hoc etiam includitur quod vult omnem latriæ cultum ſibi ſoli deferre, &c. Videatur & Magiſt. in textu, vbi ſupra.

Ieiunium, (vt ſcribit Brulefer diſtinct.xv. quæſt. x. libr.iiij.) dicitur quoddam inteſtinum tenue, in quo nihil repetitur, ſed ſemper vacuum. Secundo modo dicitur abſtinentia à cibis & vitiis. Et eſt duplex, ſcilicet corporale & ſpirituale. Ieiunium corporale ſecūdum Theologos libro quarto ſententiarum diſtinct.xv. eſt abſtinentia à cibo & potu intuitu ſatisfaciendi, vel vitandi peccatum, vel acquirendi vitam æternam. Aliud eſt ſpirituale, & eſt abſtinentia à peccato mortali: & ad hoc ieiunium quilibet viator tenetur ieiunare. Et ſecundum hoc ſanctus Bonauentura accepit ieiunium tripliciter diſtinct.xv. libr.iiij. ſcilicet propriè communiter & communiſſimè. Propriè dicitur afflictio carnis ſecundum guſtum, communiter omnis carnis afflictio, quæ conſiſtit in vigiliis, & flagellis, & ieiuniis propriè dictis. Communiſſimè ieiunium abſtinentia ab omni mortali. Iſaiæ 58. Hoc eſt ieiunium quod elegi, diſſolue, &cæt. Et ſecundum Richardum diſtinct.xv. articul.v. quæſt. vj. libr.iiij. triplex eſt ieiunium. Vnum, ſcilicet ab iniquitatibus abſtinere, & ab illicitis voluptatibus ſeculi, quod eſt perfectum ieiunium. de conſecrat. diſtinct.v. & hoc ieiunium frangitur per quodcunque mortale. Aliud quod eſt actus virtutis abſtinentiæ, & hoc ieiunium frangitur per gulam, quæ eſt mortale peccatum. Tertium eſt inſtitutum ab Eccleſia, & hoc per quamlibet gulam frangitur, quæ eſt peccatum mortale, inquantum hoc ieiunium includit illud, quod eſt neceſſarium ad actum virtutis abſtinentiæ. Richardus, &cæ. Et capiendo ieiunium ſtrictè, pro abſtinentia à cibo & potu, triplex eſt ieiunium, vt notat Gabriël diſtinct.xvj. quæſt.iij. articul.j. libr.iiij. poſt Richardum, ſcilicet naturæ virtutis & Eccleſiæ. De ieiunio naturæ & Eccleſiæ copioſe videatur ibi Gabriël lectione decima canonis ſui. Ieiunium naturæ eſt abſtinentia cibi & potus integro die naturali. Hoc modo ieiunat, qui per vigintiquatuor horas à cibo & potu abſtinet: & tale ieiunium requiritur ad dignè ſuſcipiendum Euchariſtiam. Hoc modo ieiunium dicit puram priuationem, & per conſequens, nec eſt virtus, nec actus virtutis. Ieiunium virtutis eſt actus temperantiæ: & eſt refrænatio delectationum guſtus in cibo & potu, ſecundum regulam rectæ rationis, vel habitus ad hanc inclinans. Et ſic ieiunat, qui temperatè cibum & potum ſumit, ſecundum quod ratio recta dictat congruere habitudini perſonæ ſtatus & officij eius; non curando an ſemel vel pluries in die cibum ſumat: hoc modo ſemper ieiunandum eſt, quia nunquam in cibo & potu contra regulam rationis excedere licet. Ieiunium Eccleſiæ eſt abſtinentia à cibo & potu ſecundum regulam ab Eccleſia inſtitutam. Eſt autem regula ab Eccleſia inſtituta, quod ieiunans præter cœnam nullum cibum ſumat: & per hoc ſoluit ieiunium quiſquis in die naturali plus quàm ſemel comedit. Ipſa autem vnica comeſtio cœna dicitur, quia refectio in diebus ieiuniorum fieri ſolet, ſecundum antiquum Eccleſiæ morem, poſt veſperas. Vide latiùs Gabriëlem vbi ſupra. Et ieiuniorum Eccleſiæ quædam ſunt de præcepto, vt Quadrageſima tota, exceptis Dominicis diebus. Et quatuor tempora. Item vigiliæ Apoſtolorum, præter vigilias Philippi & Iacobi, ac Ioannis Euangeliſtæ. Item vigilia natiuitatis Domini, & vigilia aſſumptionis glorioſæ Virginis Dominę noſtrę. Vigilia omnium Sanctorum, ſancti Ioannis Baptiſtæ, & ſancti Laurentij, ſecundum Innocentium, & Doctores communiter. Item vigilia Pentecoſtes. Si tamen vigilię ieiunandę cadunt in Dominicam, anticipantur quantum ad ieiunium in diem Sabbati. Vide Gabriëlem allegantem ad hoc iura. Sunt & alia ieiunia non de præcepto, ſed de conſilio: vt Aduentus Domini. Item Rogationes. Item quarta & ſexta feria. Gabriël, vbi ſupra, fuſius ſcribit, iuribus id confirmans. Eſt autem ieiunium inſtitutum, vt corpus caſtigatum ſpiritui ſubiiciatur, & ad ſeruiendum ei ad ſpiritualia exercitia non deſtruatur. Vel ſecundum Richardum ad compreſſionem viciorum inſtitutum eſt ieiunium. Hinc Paludenſis: Finis ieiunij eſt carnem domare, & ſpiritum ad Deum leuare, &cæt. Sunt autem tres cauſæ excuſantes aliquos à ieiunio Eccleſiæ, ſcilicet infirmitas, paupertas, labor: ſiue ſit infirmitas languoris (vt qui laborat morbo aliquo) ſiue ſit infirmitas ætatis, ſicut ſenes ſunt, & pueri: ſiue infirmitas conditionis, ſicut minor valitudo perſonæ, propter conditionem ſexus vel

alterius accidentis. Vnde Paludenſis: Prægnãtes, inquit, & nutrices, ſi probabiliter timetur de periculo earum vel fœtus in vtero aut pueri ad vbera, nõ debent ieiunare. Idem dicemus de ſenibus & debilibus, &c. De his tribus cauſis copioſius diſſerit Gabriel notabili iiij. vbi ſupra. Et inter cætera dicit, quod ſi tanta eſt abſtinentia, quod homo ab operibus vtilioribus impediatur, quamuis ad ea de neceſſitate non teneatur, indiſcretum eſt ieiunium, & ſi non ſit illicitum. Vnde Hieronymus dicit de cõſecra. di. v. Rationabilis hominis dignitatem amittit, qui ieiunium charitati vel vigilias ſenſus integritati præfert. Ex quo ſequitur, ſi Doctor legens in ſcholis in Theologia quæ animæ ſaltem reſpicit: aut prædicans in publico populis, ſi per ieiuniũ impediretur quo minus poſſet prædicare aut legere, ſoluendum eſſet ab eo ieiunium, vt his vtilioribus vacare poſſet. Ieiunium autem ab Eccleſia præceptum, obligat ad culpam mortalem omnes fideles ipſum ſine excuſatione legitima non ſeruantes. Et hoc abundè probat Gabriel art. ij. concluſ. vnica, di. xvj. qu. iij. li. iiij. Et hoc eſt de mente Alexan. de Ales parte iiij. qu. ciſ. ſancti Thomæ in quarto ſcripto di. xv. qu. j. de ieiunio. Et ſecunda ſecundæ qu. cxlvij. art. iij. Durandi & Paludenſis di. xv. Richar. de Media villa eadem di. quart. ar. iij. qu. iij. & iiij. Et communiter omnes Theologi in hoc concordant. Similiter & Panorm. de obſeruatione ieiunij, ca. j. & ſequenti. & cõmuniter omnes Summiſtæ. Dicitur ieiunium præceptum, quia ieiunium de conſilio nõn obligat, niſi fieret ex contemptu. Dicitur: omnes fideles, quia non obligat infideles, qui non ſunt Eccleſię membra: obligat autem omnia membra tam viua quàm mortua. Dicitur: ſine legitima excuſatione, quia habens cauſam iuſtam & rationabilem excuſantem eum, non peccat.

Ieiunium ſoluitur tribus modis ſeu frangitur, ſcilicet ſæpius comedendò, cibo non conceſſo vtendo, vt eſt eſus carnium. In quo cõſentiunt omnes Doctores, caſei quoq; lactis, butyri, ouorũ. Sed rigor iſte eſt hodie relaxatus in multis locis, vt ſcribit Gabriel. Frangit & ieiunium præmaturo tempore manducando. Et tempus comeſtionis, vt in Quadrageſima, eſt hora regularis poſt veſperas dictas, non tamen oportet veſperam diei expectare, ſed officij, vt, ſcilicet antequã celebretur officiũ veſpertinum, non edatur, vt vult Petrus de Palude art. iiij. di. xv. lib. iiij. & eſt ſententia Innocentij. In alijs ieiuniis, vt habet Gabriel, nulla hora eſt determinata in iure ad comedendum. ſequatur autem ieiunans patriæ morem, quem ſi nõ ſeruauerit, excepta rationabili cauſa, peccabit. Addendum eſt & hoc, quod ſeruitores nobilium (vt ſcribit Paludenſis) ſi guſtar aliquid ad faciendum probam de toxico, vel coqui ad probandum cibum, quia non ſumunt per modũ nutrimenti, nulla eſt fractio ieiunij, etiamſi deglutit. Item ſi quis non propter famem, vel propter voluptatem, ſed timore, ne fortè deficiat præ inanitate: ficus aut puretam, aut aliquid huiuſmodi prælibaret per modum medicinæ, non frangeret ieiunium, vt vult Paludenſis. Licet enim infirmos quicquam ſumere ſibi, ne infirmiores reddantur. Sunt qui ſuperſtitioſe ieiunant donec appareant ſtellæ in cœlo, &c. Illi præterea ieiunium frangunt potiſſimum, qui agunt in fraudem ieiunij. Agere verò in fraudem ieiunij is dicitur, qui manducat ea vel eo modo quo impedit finem inſtitutionis ieiunij. Et autem ieiunium inſtitutum, ſecundum ſanctum Tho. in quarto. & ij. ij. propter duo. Vnum afflictio corporis, ad ſatisfaciendum pro peccatis, & ad reprimendam cõcupiſcentię delectationem, quo caueatur à committendis. Qui ergo ſic ieiunat, vt ſuo ieiunio afflictionem corporis per famem penitus effugat, aut in nullo concupiſcentiam ſua delectatione fraudet, & hoc ex intẽtione, agit in fraudem ieiunij. Et qui idcirco manè comedit, vt famem non ſentiant, aut tantùm ſe ingurgitant multitudine, aut delicatione ciborum, vt concupiſcentiæ per omnia ſatisfaciant, licèt tantùm ſemel comedant, in fraudem ieiunij cibum ſumunt. Gabriel, qui & caſus & dubia, põnit & diſſoluit. Et dubio vj. d. ſt. xvj. qu. iij. ar. iij. lib. iiij. de hoſpitibus & cauponibus dicit; Miniſtrantibus publicè cibos, quibus ieiunium præceptum ſoluitur eis, in quibus nulla apparet excuſatio legitima, non excuſantur à mortali, ſed velut peccato conſentientes, iudicantur obnoxij, id quod multis & diffuſè probat Gabriel, qui de ieiunio non pauca ſcribit. Addendum eſt & hoc quod ſcribit Gerſon in regulis moralibus, de gula, quod ieiuniis Eccleſiæ vel alteri abſtinentiæ nemo cum notabili & præcognito grauamine ſui corporis, & vſus rationis obligatur, ſecluſo ſcandalo. Nemo tamen leuiter ſibi fingat grauamina ex ieiunij abſtinentia, quoniam ex ipſa pauciores pereunt quàm ex gula. Pueri (vt idem inquit, & ſupra tactum eſt) & ſenes, & prægnantes, & nutrices, & infirmi, & pauperes, non habentes vnde ſemel refici poſſunt, & laborantes, non habentes alium ſtatum competentem, & itinerantes auctoritate Prælati, & alij conſuetudinem dioceſis, in qua ſunt inſequentes ab Eccleſiæ ieiuniis regulare ius excipit. Ieiunant autem diuerſis intentionibus homines (vt notat frater Oſwaldus l br. iij. Roſarij Theologiæ.) Guloſus, vt poſtea auidius comedat. Hypocrita, vt laudetur. Bonus, vt mereatur. Vnde Paludenſis diſtinct. xv. queſt. iij. lib. iiij. ait: Ieiunium aliud eſt ſpirituale, puta à vitiis abſtinere. Aliud naturale, ante cibum. Aliud morale, ſobriè ſumere. Et aliud ceremoniale, ſolum ſemel ſumere.

Ieiunium (vt inquit Iſidor.) eſt parſimonia victus, abſtinentiaque ciborum.

Ieiunium ſecundum Goffredum & Hoſtien. de obſeruatione ieiun. eſt ſubſtractio prandij, & poſt cœnam cuiuſlibet cibi ſubtractio vſque in diem ſequentem. Addit Hoſtien. hoc eſt ſemel in die tantùm hora congrua comedere. Paulus Corteſius dicit ieiunium libr. iij. ſentent. diſtinct. viij. eſſe cupiditatum carnificem, quo mens ad ſuperarum rerum contemplationem efferatur, faciatque pro ſcelerum genere ſatis. Ex quo Senatus conſulto anniuerſariæ eſuriales feriæ educuntur, quibus cupiditatum ardor refereſcat, & integra natura ſeruetur.

Ieſus idem eſt quod ſalus, cuius interpretatio eſt Saluator, vt ſcribit Ger. par. j. ſermone de [illegible] & purificationis, qui & multa de hoc nomine ſcribit. De quo

De quo videatur & Gabriël in ſermone de Circumciſione Domini. Et hoc nomen Ieſus, ſi eſt nomen impoſitum perſonæ verbi ſubſiſtentis ſub vtraque natura, diuina & humana, vt ſcriptis reliquit Gab. diſt. vij. q. vnica, art. ij. dub. iiij. lib. iij. ſic nec quidditatiuè continetur ſub ly homo, nec ſub ly Deus, quia vltra quodlibet horum connotat. Nam ſuper ly homo naturam diuinam, ſuper ly Deus connotat naturam humanam. Si verò impoſitum eſt de ſuppoſito ſubſiſtente in natura humana, nõ curando an etiam ſubſiſtat in natura diuina vel e conuerſo, tunc eſt inferius primo modo huius ſpeciei homo, & non huius ſpeciei Deus. Secundo modo eſt inferius & indiuiduum huius termini Deus, & nõ huius termini homo, vt ſatis patet oculatè attendenti, inquit Gabriël vbi ſupra. Et Ieſus ſecundum tria idiomata principalia, tria habet nomina, ſecundum Iſidorum lib. vij. Ety. in Græco dicitur Soter, in Hebræo Ieſus, in Latino Saluator. Vnde in veteri teſtamento tres ſaluatores reperiuntur hoc nomine Ieſus vocari. Primus Ieſus ſiue Ioſue, propter potentiam præliorum. Secũdus Ieſus Sidrach, propter ſcientiam & doctrinam, qui compoſuit Eccleſiaſticum. Tertius Ieſus Ioſedech, propter bonitatem, qui fuit Sacerdos. Noſter autem Ieſus ſiue Saluator, ſaluauit his tribus modis, ſcilicet potentia, ſcientia & bonitate. Chriſtus ſimiliter tripliciter nominatur ſecundum Iſidor. In Græco enim dicitur Chriſtus, in Hebræo dicitur Meſsias, in Latino dicitur Vnctus. Vnde in veteri teſtamento, alij dicti ſunt Chriſti propter potentiam, ſicut Cyrus Rex Perſarum, de quo Iſa. 45. Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro. Secundi dicti ſunt Chriſti propter ſcientiam, ſicut Prophetæ, de quibus Pſalm. Nolite tangere Chriſtos meos, & in Prophetis meis nolite malignari. Tertiò Chriſtus dictus eſt propter bonitatem, ſicut noſter Chriſtus, de quo Pſalm. Vnxit te Deus Deus tuus præ conſortibus tuis. Hæc Pelbartus libr. iij. Roſarij Theologiæ: de quo dicitur Lucæ 2. Ieſus proficiebat ætate & ſapientia, & gratia, apud Deum & homines: non ſolùm ſecundum apparentiam, ſed etiam ſecundum veritatem, vt ſcribit Gabriël diſt. xiiij. quæſt. vnica, art. ij. concluſione iiij. libr. iij. Nam ex hoc arguit Ambr. libro de ſpiritu ſancto: In Chriſto eſſe alium ſenſum quàm diuinum, quia ſecundũ aliquem ſenſum profecit, & non ſecundum diuinum: quæ probatio nihil valet, ſi tantũ intelligitur de profectu ſecundum apparentiam, quia ſic etiam ſecundum ſenſum diuinũ profecit plura mirabilia diuinitatis opera ſucceſſu temporis oſtendendo. Sic etiã planè intelligitur verbũ Apoſt. ad Hebr. 5. Didicit ex his quæ paſſus eſt obediẽtiam. Didicit enim experientiã, quod priùs nouerat per habitũ. Ad hoc eſt illud B. Augu. lxxxiij. q. q. ix. cõtra Apollinariſtas, Euangelicę narrant hiſtoriæ, quod factũ eſt, & verũ eſt: ideo verba Euangeliſtæ vera ſunt vt exprimuntur: non ſic de aliis ſermonibus tropicis ſcripturę. Et non videtur quod exponendus ſit ſecundũ apparentiã tantùm profecit & gratia, & quamuis gratia non fuit augmentata, in ſe tamen verè profecit gratia, per gratiã continuè operãdo meritoriè per quod profecit: non quantũ ad gratiæ augmentũ, ſed per gratiã quãtum ad meritum ſibi vel aliis, quæ ſunt effectus gratiæ. Sic & profecit quantum ad profectũ ſapientiæ, qui eſt cognitio. Nam profecit quantũ ad cognitionem experimentalẽ, & ſi non quantũ ad cognitionẽ habitualẽ verè ſcientificam. Gabr. hæc vbi ſupra. Differunt autem illa nomina Ieſus & Chriſtus ſecundum Damaſ. lib. iij. ſen. Ieſus enim nominat hominem Deũ factũ. Chriſtus verò Deũ humanitati vnitum. Hæc duo nomina Ieſus & Chriſtus frequẽter in nouo teſtamẽto cõiunguntur, quia vnũ eorũ, ſcilicet Ieſus exprimit eius Deitatẽ, interpretatur enim Saluator, & inquantũ Deus ſpecialiter Saluator eſt, vt ſcribit Gerſ. par. ij. in expo. ij. ar. fidei. Et reliquũ nomen, ſcilicet Chriſtus exprimit humanitatẽ, quia interpretatur vnctus, & inquantũ homo vnctus eſt præ conſortibus ſuis, &c. Et ſicut totus Ieſus Deus & homo dicitur nomẽ Dei, vt ſcribit Iacob. de Valeſ. in Pſalm. 8. & 28. Ita ſola humanitas prout eſt vnita verbo, dicitur vox. Et ratio eſt, quia ſicut nomen nihil aliud eſt, niſi verbũ voce, ita Ieſus Chriſtus nihil aliud eſt, niſi verbũ incarnatũ ſeu verbum habẽs humanitatẽ. Et ſicut totus Chriſtus verè dicitur nomẽ Dei, ita humanitas verbo vnita, dicitur vox Dei. Ad cuius vocẽ & præceptũ mirabilia fiebãt: de quo plura ibi ſcribit Epiſ. Chriſtopolitanus.

Ierarchia, vide infra in litera H, ab eruditis enim in principio cum aſpiratione ſcribitur.

Ignis ſecundũ Theologos & etiã Philoſoph. videlicet Aug. ſuper Geñ. Bedamq; & Auiceñ. & alios, vt refert frater Pelbar. li. ij. Roſ. Theol. elementũ ignis eſt ſupremũ omniũ elementorũ. Vnde & ignis ille purus vocatur quandoq; cœlũ, eò quòd immediatè ſit ſub cœlo, id eſt ſub ſphęra globi lunaris, quãdoq; autẽ vocatur ætheris nomine (eò q̃ eſt ſupra aërẽ) ſuprema pars purior ac trãquillior aëris totũ aërem excedẽs. Nam quia mediũ ſapit náturã extremorũ ex v. Phyſi. ideo ab vtroq; denominatur in medio exiſtẽs. Vnde & 2. Pet. 3. ſcribitur: Cœli magno impetu tranſiẽt. Gloſ. Cœli, id eſt ſuperior pars aëris. Sequitur: Et elemẽta calore ſoluẽtur, ſcilicet per ignem cõflagrationis, quia mutabũtur à ſtatu in quo nunc ſunt: vbi ignẽ vocat cęlũ vel ſuperiorẽ partem aëris. Et ſic etiã canit Eccleſia de vtroq;: Quẽ terra pontus, ęthera col. ado. prędi. Et ſecundũ Dama. li. ij. ca. xij. Et etiã Auicen. de Med. li. ij. dicit: Ignis, inquit, eſt corpus ſimplex, cuius naturalis locus exiſtit ſuper omnes elemẽtarias partes, quæ eſt cõcaua ſuperficies cęli, eius natura calida eſt & ſicca. Ille ignis ſecundũ Ariſt. eſt puriſsimus, adeò quod ſtupã ibi non cõſumeret, ſi apponeretur: nec etiã lucet in ſua ſphęra, quia ſic tegeret corpora cęleſtia: nec viſibilis eſt, quia ſaltẽ nocte ardoris eius videretur lux, ſed tantũ videtur dũ eſt in materia aliena, ſcilicet circa nos, nec miſcetur alienę materię, prout eſt in ſua puritate naturę. Cùm autẽ vrẽdo cõſumit, hoc, inquit, nõ ineſt ei ſecundũ ignis eſſentiã, ſed per accidẽs, vt dicit idem Ariſtot. lib. iij. de cœlo & mundo, & ſine materia extra ſuam ſphæram non poteſt eſſe: & quantò in materia groſsiori fuerit, tantò fortius vrit. Vnde in ferro fortius vrit quàm in carbone, & in carbone fortius quàm in ſtipula vel ſtupa. Nam ignis in materia terrea carbo eſt, in materia aërea flamma eſt, in materia verò propria, id eſt pura, quaſi lux in ſe clara eſt, non habẽs reſpectum ad

aliud vnde naturam trahat. Et talis ignis eſt in propria regione vel ſphæra ſua, vbi clarus eſt in ſe calor: licèt non habeat lucem, vt idem Ariſtot. vult de natura rerum. Et ſecundum varios effectus quos facit ignis, variè ſumitur in ſcriptura. Nam deſtruit, conſumit, emollit, reſtringit, conſolidat, accendit, lætificat, clarificat. Sicut quandoq; in ſcriptura ſignificat charitatē, modò prauā concupiſcentiā carnalem vel mundialē, modò tribulationes, modò virtutes, modò vitia, modò Deū, modò infernū, ſecundum Hugo. Victorium, id quod & latiùs declarat Pelbar. li. ij. Roſar. Theol. in dictione *Ignis*. §. iij. Et quamuis multiplex ſit ignis, Bonauen. tamē ponit in triplici differentia di. vlt. ar. ij. q. j. li. iiij. Eſt enim ignis purus, vt eſt in propria materia. Et eſt ignis incorporatus, vt eſt in materia aliena, vt in terra vel aëre. Et eſt ignis carbo, ignis flamma, ignis in vſu humano. Et eſt ignis non tantū incorporatus, ſed etiam permixtus, vt ignis ſulphureus & fumoſus, & talis eſt tenebroſus, & iſte eſt in inferno. Eſt & ignis conflagrationis, qui in iudicio apparebit per mundum. Alius eſt ignis fulguris expreſſi de nubibus. Alius qui de terra per vertices montiū eructat. Alius eſt ignis violentus, ſicut de ſilice vel de lignis excuſſus per violentiam, ſed nō ex omnibus lignis ſecundum Senec. ſed ex lauro, & hedera, & moro, & aliis in hunc vſum paſtoribus notis: ſic eſt multiplex diuerſitas ignis.

De igne infernali. Iſte ignis vrit, & non comburit, vel conſumit, quia pabulum non requirit, vt inquit Bonauen. di. xliiij. art. iij. q. j. libr. iiij. Infert paſſionem & non mortem. Iſte ignis (vt dicit Thomas Argentin.) agit in ſpiritū damnatum, ſicut diuinæ voluntatis inſtrumentū. Vnde Scotus ait: Ignis eſt inſtrumentum Dei cruciando. Affliguntur autem dæmones ab iſto igne, vt ſcribit Palud. di. xliiij. q. vij. lib. iiij. per quandam ſimilitudinem & adaptionem. Animę verò damnatorū per veram triſtitiam, quam concipiunt de hoc, quod ſciunt ſe reſumptis corporibus in illo igne æternaliter cruciandos. Ordinatur namque iſte ignis in inferno corporeus ad reprobos cruciandum. Et quamuis Deus poſſet, ſi vellet, eos punire pœna ſpirituali tantū: tamen congruè voluit eos punire pœna ſpirituali & corporali, vt (ſicut dicit Iſido. lib. j. de ſum. bono. ca. xxix.) qui mente tractauerunt quod corpore perfecerunt, ſimul & anima puniantur & corpore. Quod nō eſt ſic intelligendum (inquit Richar. diſt. xliiij. qu. iij. art. ij. libr. iiij.) vt pœna corporalis ignis ſe non extendat ad animam, etiam immediatè, cùm modò animæ reprobæ illo igne crucientur, & dæmones, qui ſunt ſpiritus, ſic illo igne poſt iudicium cruciabuntur: ſed quia pœna ſpiritualis redūdabit in corpus, & pœna corporis in animam. Hæc Richardus. Et ille ignis gehennæ quantum ad illud quod in eo de eſſentia ignis eſt, eiuſdem ſpeciei eſt cum igne elementari. Materia tamen quo ad diſpoſitionem, videtur diuerſa, ratione cuius cōpetit diuerſa actio, quæ igni elementari non conuenit. De quo vide eundem Richardum quæſt. iiij. vbi ſupra. Eſtque ignis ille perpetuus, vt idem dicit quæſt. v. & hoc erit, vt ibi dicit, per potentiā ſupernaturalem. Sicut enim per virtutē ſupernaturalem affligit ſpiritum, ſic per virtutem ſupernaturalem eius duratio perpetuabitur: hoc exigente ordine diuinæ iuſtitiæ. Nec corpora damnatorum conſumentur per illum ignem, vt idem ſcribit quæſt. vij. & quæſt. ix. dicit quod ignis infernalis non obſtante quod ſit corporeus, ſpiritus ſeparatos affligit, inquantum eſt diuinæ iuſtitiæ inſtrumentum, quia eos affligit afflictione ad quam diſponit virtus naturalis illius ignis: nec tamen qualemcunque afflictionem poteſt cauſare in illis ſpiritibus, niſi in virtute increatæ iuſtitiæ principaliter illos ſpiritus punientis; mouentis, & dirigentis illum ignem ad illorum ſpirituum cruciatum. De quo latiùs ibidem Richard. Et certum eſt (vt dicit) punitio reproborum cùm ſit iuſta, iuſtitiam imitatur æternam, & exemplar ſuum habet in mente diuina. Et non tantum damnati affliguntur ab ignē, vt idem ait quæſt. x. vbi ſupra. ſed etiam ab aliis elementis, imò etiam à corporum cœleſtium influentia. Iuſtum enim eſt, vt quia rebelles fuerunt creatori, quod omnis creatura cōtrarietur eis in vltione: iuxta illud Sapien. 5. Armabit creaturam ad vltionem inimicorū, &c. Et paulò pòſt ſubdit: Et quia ignis eſt magis actiuus quā aqua, ideo ſub nomine ignis Dominus comprehendit omnem pœnam quam à rebus corporeis patientur: vt cùm dicit Matth. 25. Ite maledicti in ignem æternum. De iſto igne ita ſcribit Paulus Corteſius libr. iiij. ſuarum ſententiarum diſtin. xj. Tutius, ait, dicendum erit vindicem illum ignem in aliena materia conſiſtere, viq; ſupra progredientem naturam æternum futurum. Et paulò ſuprà: Nos exploſis ſententiis multò verius dicimus ignis eſſe ſpiritui, tanquam loco collocatū copulari: at quantus funeſtus ille ignis Dei inſtrumentum dicitur, inſitum illi eſſe affirmamus, ſpiritum quodammodo nexum continere, ob eamque cauſam ignem, qui ſit nequiſſimorum hominum corpora exuſturus, corporeum eſſe debere cenſemus: quandoquidem corpori nulla pœna magis quàm corporea congruat. Hæc Corteſius. Thomas Argentinus ſcribit, quod ille ignis infernalis dicitur corporalis, conſiderando, ſecundum ſe, & in propria ſua ſubſtātia, ſed quātum ad paſſionem quam infligit his, qui ex ordine diuinæ iuſtitiæ ſuæ actioni ſubiiciuntur: & ſic dicitur ſpiritualis, quia vt communiter dicitur, huiuſmodi paſſionem non infert actione reali, ſed intentione naturali. Et iſte ignis infernalis habet materiam ſtabilem, ita quod non indiget nouo cibo, ſeu fomento, ſicut ignis qui eſt apud nos. Teſtatur & ignem infernalem eſſe corporeum Auguſtinus, cùm ait: Gehenna iſta quæ ſtagnum ignis & ſulphuris dicta eſt, corporeus eſt ignis. Et Gregorius in libro dialog. ait: Ignem gehennę corporeum eſſe non ambigo: iſtæ tamen flammæ non lucent, quia totaliter fumo ſulphureo ſunt obtenebratæ & denigratæ: propter quod ſecundum Iſidor. in libro Etymol. Infernus dicitur quaſi intus furnus [illegible] eſt niger. Et ignis inferni (vt ait Thomas de Argeñ.) tenetur in medio terræ ex diuina ordinatione ſeu ſecundum ordinem diuinæ iuſtitiæ. Et [illegible] igni naturalitèr conueniat ferri ſurſum, tamen ſine aliqua violentia per cauſam ſuperiorem poteſt in terra perpetuò detineri.

Ignis Purgatorius dicitur per quem puniuntur animæ in charitate deceſſæ, habentes aliquid purgandæ,

propter quod ſatisfacere oportet ſummo Iudici. Et vt ſcribit Bruleſer di.xxj. qu.iiij. libr.iiij. Ignis Purgatorius, & licèt Auguſtinus viſus fuerit dubitare, alij tamen Doctores auferunt nobis dubitationem, quoniam hoc cognouerunt multiplicitatione, vt Gregorius in iiij.dialog. & Iſidorus, & communiter tenent Doctores noſtri temporis ignem Purgatorium eſſe materialem, qui eſt calidiſſimus, & obſcuriſsimus. Vnde idem ignis comburit exiſtẽtes in Inferno & Purgatorio: de quo Richardus diſtin.xliiij.artic.ij.qu.x.libr.iiij.ſic habet: Quia autem illi qui ſunt in Purgatorio puniuntur, vt purgentur, & ignis habet naturam purgatiuam, ideo videtur aliquibus, quod animæ in Purgatorio à nullo alio elemento, niſi ab igne puniuntur. Et Thomas Argeñ. di.xliiij. libr.iiij. ſcribit ſequendo communiorem opinionem de igne Purgatorio dicit, quod talis ignis eſt pars prædicti ignis infernalis, & iſtud videtur eſſe intentio beati Gregorij in libro dialog. vbi ait, quod idem ignis eſt Inferni & Purgatorij, quia ſicut ſub eodem igne aurum rutilat & palea fumat: ſic ſub eodem igne peccator crematur, & electus purgatur. Et quamuis iſtud ſit verum de lege communi, tamen de diuina diſpenſatione ſpeciali quandoque contingit oppoſitum, ita quod quibuſdam locis quidam purgantur: vt & latiùs declarat Thomas poſt Gregorium. Habent autem animæ in Purgatorio cum afflictione ſolatium, vt ſcribit Gerſon parte iij. tractat.iij. de canticis, & ſolario ex certa ſpe beatitudinis ex Eccleſiæ generali ſubſidiis, & piis amicorum ſuffragiis. Et quia charitas in eis congaudet veritati correctionis. Hæc Cancellarius. Idem Gerſon parte iiij.ſerm. pro defunctis dicit, quod de communi curſu Purgatorium eſſe in quadam parte Inferni prope limbum, in quo fuerunt antiquæ legis patres. Ibique eſt pœna multò aſperior & durior, quàm quæcunque pœna quæ poſsit eſſe in hoc mundo: & ibi affliguntur animæ plus vel minus, ſecundum quod magis vel minus punitionem meruerunt, & ſecundum quod magis vel minus oratur pro eis. Interdum per ſpecialem Dei diſpenſationem animæ purgantur in certis quibuſdam locis, & in certis huius mundi ſpaciis, in quibus fecerunt peccata, vt ibidem dicit Gerſon affluens & locuples Theologus. Hugo Victorius, vt eum refert Paulus Corteſius libro iiij. ſuarum ſententiarum, diſtinct.iij. negat illum certum expiatorem eſſe locum affirmans iiſdem locis mulctari manes, quibus ſit culpa contracta, &c.

Ignis conflagrationis, qui ante iudicium veniet, & durat poſt iudicium, ſecundum Doctores, mundum multis malis & vitiis infectum, purgabit: qui ſecundum Bedam aſcendet ad tantam altitudinem, ad quantam aſcenderunt aquæ diluuij, vt purget aërem infectum per fumum ſacrificiorum ipſis idolis immolatorum, vel tantum aſcendet ille ignis (vt dicit ſanctus Bonauentura diſtinct.xlvij. parte ij. quæſt.iij. libr.iiij.) quantum durant corpora conſumptibilia & paſsibilia. Quod autem mundus purgabitur iſto igne, & renouabitur circa tempus Iudicij, magis tenetur hoc auctoritate ſcripturæ, & ſanctorum, quàm ratione. Et ſi perſuaſiones ponat Petrus Paludenſis diſtinct.xlvij. libr.iiij. quem vide. Purgantur autem iſtæ mundi partes, quæ maculatæ ſunt peccato. Eritque iſte ignis eiuſdem ſpeciei ſeu naturæ cum igne iſto elementari, qui nunc eſt in mundo, vt ſentiunt Doctores: ſicut aquæ diluuij tempore Noë, fuit eiuſdem ſpeciei cum aqua elementari, quæ nobiſcum eſt. Hinc dicit Auguſtinus xx. de Ciuitate Dei: Figura huius mundi, mundanorum ignium conflagratione peribit, ſicut factum fuit aquarum inundatione diluuium. Sed motus huius ignis non conuenit illi naturaliter, ſed vt inſtrumentum diuinæ voluntatis. Illum autem ignem dupliciter conſiderare poſſumus. Vno modo, vt vrit corpora, quibus applicatur, & hoc ſibi conuenit naturaliter ſicut alteri igni corporibus applicato. Alio modo, vt ſpecialiter agit in talia corpora, quę erunt maculata per peccata, & hoc conuenit ſibi per ſupernaturalem virtutem mouentem ipſum ignem, tanquam ſuum inſtrumentum, & in hoc non conuenit cum aliis ignibus, nec tamen propter huiuſmodi ſupernaturalem virtutem iſte ignis diſtinguitur ſpecie vel genere ab aliis ignibus, quia talis diſtinctio eſt à principio eſſentiali & intrinſeco. Hæc autem virtus ſupernaturalis, nec eſt intrinſeca, nec eſſentialis ipſi igni, quia iſta virtus vel eſt voluntas diuina immediatè, vel eſt virtus Angelica applicans hunc ignem talibus locis, quibus Deo placet ipſum applicari. Thomas de Argentina diſtinct.xlvij.libr.iiij.concluſione ſecunda. Vide & latiùs Bonauent. quæſt.j. & ſequentibus, vbi ſupra. Et ille ignis incipit ante iudicium: dicitur enim in Pſalm. Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Et ſequitur iudicium, quia prolata ſententia contra impios, Chriſto dictante: Ite maledicti in ignem æternum, &c. Tunc iſte ignis tanquam inſtrumentum executiuum ſententiæ Iudicis à propinquioribus locis circunſtantibus concurrens, inuoluet omnes impios, & cum impetu vehementi deſcendet cum ipſis in infernum: vnde tunc implebitur verbum Domini, quo ait Deuteronom.32. Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſſima. Longior eſt Thomas Argentinenſis concluſione tertia, vbi ſupra. Vide & Richardum diſtinct.xlvij. articul.ij. quæſt.iiij.libr.iiij. & alios. Quos purget & cruciabit ille ignis. & quæſt.v. & vj. vbi ſupra. Addendum eſt & illud quod habet ſanctus Bonauentura diſtinct.xlvij.quæſt.vltima, libr.iiij.poteſt dici ſicut ſuper illud Malachiæ: Purgabit filios Leui: dicit Gloſſa: Duos ignes legimus futuros. Vnum qui purgabit electos, & præcedet iudicium. Alterum qui reprobos cruciabit: ſecundum hanc Gloſſam, inquit Bonauentura, dicendum, quod ſi dicantur duo ignes, quantum ad ſubſtantiam, ſiue duo ratione duorum effectuum dicendus eſt futurus ignis, ad elementorum probationem, quod debet vniuſcuiuſque opus probari & purgari in igne, vt totaliter ſiſtantur mundati in conſpectu Dei. Et hic præcedet faciem Iudicis, & purgando amicos, & inflammabit in circuitu inimicos. Eſt etiam ignis futurus ad purgationem mundi, & purgabit, & deinde reprobos cruciabit. Bonauentura. Aſtipulatur Paulus Corteſius libr.iiij. ſuarum ſententiarum, di.vij. cùm ait:

 I G

Nos prorſus intelligi volumus duplex eſſe ignis futuri genus. Vnum quod vi naturæ nitatur. Alterum quod quatinus iuris dicundi tempus anteceſſerit: Dei inſtrumento ſit in vindicãdo vſurum. Nam id quatinus ſit inſtrumentum futurum diſsimillimo iure vſurum eſſe volumus. Siquidem ſontes vltoris ignis natura plectentur. Probi autem quibus nihil ſit expiabile cõcretum ſine dolore ad buſtum agentur. Iſte inſuper ignis, vt habẽt Paludeñ. Tho. Argentineñ. & Richard. & alij, non perueniet ad Paradiſum, nec ad cœlum, quia nihil ibi purgabile inuenitur, vel quia nec locus tam citò inficitur peccato, ſi ſemel vel bis ſolũ in eo peccatur: ſicut quis vno tactu leproſi non leproſus efficitur, ſic Paradiſus, quia in eo ſemel tantùm parentes peccauerunt, non eſt infecta: nec cœlum propter peccatum malorum angelorum, ideo non purgabitur igne. Multa alia de iſto igne conflagrationis ſcribunt Doctores. Et dicit Richardus: Poſt iudicium non erit ignis niſi in ſphæra ſua, vbi eſt purus, & in inferno vbi eſt turbidus & fumoſus, &c. Vide & alios.

Ignorantia ſecundum Doctores Theologiæ & Canoniſtas, quædam eſt bona, qua ignorantur ea quæ eſſent occaſio peccati, vt Necromantica ſcientia, & huiuſmodi, quæ melius eſt neſcire quàm ſcire ſecundum Auguſtinum diſtinct. xxxviij. cap. Quamuis. Quædam eſt mala, qua quis ignorat quæ ſcire expedit, & deberet. Et hęc eſt multiplex. Alia iuris, alia facti: de quibus ſtatim dicetur. Eſt & ignorantia quædam indifferens (vt ſcribit frater Pelbartus libr. ij. Roſarij Theologiæ, in dictione *Peccatum*. §. x.) ſcilicet quæ nec eſt bona nec mala ſimpliciter, qua quis ignorat ea quæ non tenetur ſcire, nec ſibi expedit, quia talia non ſunt ſibi neceſſaria ſcire ad ſalutem, nec nocet ignorare. Quæ autem ſunt neceſſaria ſcire ad ſalutem? dicit Tho. prima ſecundæ quæſt. lxxvj. quod omnes fideles tenentur ſcire ea, quæ ſunt fidei, & vniuerſalia iuris præcepta, vt ſunt articuli fidei, & confiteri & communicare ſemel in anno, de quo ſupra diximus. Et quilibet debet ſcire quæ ad ſuum officium pertinent: ſicut Prælatus plus debet ſcire quàm ſubditus. Vnde Gerſon parte prima tractatu de proteſtatione circa materiam fidei, contrà hæreſes diuerſas, conſiderat. vj. ponit hanc regulam: quod nullus quæ ſunt officij ſui permittitur ignorare. Quæ regula reſpicit (vt ait) nedum Prælatos maiores, aut Principes ſuperiores, ſed minores & inferiores in vtroque ſtatu clericali: vt ſunt Curati & Confeſſores pœnitẽtiæ, & in ſtatu laicali, vt Præpoſiti, Baliui, &c. Gerſon.

Ignorantia multipliciter poteſt diſtingui, vt notat Dominus Prępoſitus Gabriel diſtin. xxij. quæſt. ij. libr. ij. Primò ſecundum oppoſitionem ad ſcientiam, & ſic capitur tripliciter, ſcilicet poſitiuè. Et dupliciter. Negatiuè. Poſitiuè idem eſt quod error, id eſt aſſenſus falſi vel diſſenſus veri. Ignorat enim quiſquis errat falſum credendo, aut vero diſſentiendo. Sic ignarus eſt errans. Ignorantia eſt error in anima. Et errare ſecundum Auguſtinum in Enchiridion cap. xvj. nihil aliud eſt quàm verum putare, quod falſum eſt, falſumq; quod verum eſt, vel certum habere pro incerto. Incertum verò pro certo ſiue falſum ſit ſiue verum. Et hanc ignorantiam poſitiuam quidam vocant Ignorantiam prauæ diſpoſitionis, pro eo quod ponit diſpoſitionem malam, ſcilicet errorem ignorantiæ. Alij clarius nominant ignorantiam erroneam. Negatiuè dupliciter accipitur, vel vt includit negationem infinitantem, vt, ſcilicet ſimpliciter negat ſcientiam in ſubiecto, ſiue apto nato, ſiue non nato ſcire. Sic infans dicitur ignorans, imò ſic lapis eſt ignorans, quia non ſciens. Alio modo accipitur, vt includit negationem priuantem, ſcilicet quæ negat ſcientiam in ſubiecto apto nato. Negatio enim priuatiua, non ſolùm priuat qualitatem à ſubiecto, ſed cum hoc ponit aptitudinem ad ipſam. Vt cæcus dicitur non videns, natus tamen videre. Negatio autem infinitans totum negat. Et ſic ſola rationalis creatura dicitur ignorãs pro tempore quo apta nata eſt ſcire. Sic infantes non ſunt ignari nec creatura inſenſibilis. Primo modo opponitur ſcientiæ contrariæ. Secundo modo contradictoriæ. Tertio modo priuatiuæ. Et quolibet prædictorum modorum ignorantia accepta, poteſt diſtingui in ordine ad obiectum, id eſt ad id quod ignoratur, & tunc diſtinguitur in ignorantiam iuris & facti.

Ignorantia iuris (vt ſcribit Gabriel vbi ſupra. & diſtinct. vj. quæſt. ij. art. iij. dub. viij. libr. iiij.) poteſt diſtingui ſecũdum diſtinctionem iurium, quorum aliquod eſt naturale, aliud diuinum, aliud humanum ſiue poſitiuum. Et illud vel eſt canonicum vel legale. Et ſic quædam eſt ignorantia iuris neceſſarij ad ſalutem: & eſt ignorantia iuris non neceſſarij ad ſalutem. Cognitio verò iuris neceſſarij ad ſalutem nõ eadem eſt apud omnes, ſed variatur ſecundum diuerſos hominum ſtatus, quia quædam ſunt neceſſaria ſciri Prælato, quæ non ſunt neceſſaria ſciri ſimplici ſubdito: de quo aliàs dictum eſt.

Ignorantia facti etiam diſtinguitur, quia quædam eſt facti in ſe, quędam eſt ignorantia circunſtantiæ, quædam eſt ignorantia ſequelæ ad factum. Exempla ſunt manifeſta. Et ignorantia facti dupliciter poteſt contingere (vt refert Gerſon parte ij. de natura & qualitate conſcientiæ) aut, ſcilicet adhibita diligentia: & hæc excuſat à toto, ſicut patet de concubitu Iacob cum Lia primogenita filia Laban, quem concubitum talis ignorantia excuſauit. Aut talis ignorantia facti contingit non adhibita debita diligentia, & hæc excuſat à tanto, ſed non à toto: vt patet de facto Lamech dum occidit Cain, cùm tamen feram putaret occidere. Quod factum talis ignorantia nõ excuſat à toto, ſed bene à tanto. Hæc Gerſon poſt Magiſtrum.

Ignorantia tertio modo diſtinguitur in ordine ad voluntatem tanquam ad cauſam. Et ſic ignorantiarum quædam eſt affectata, quædam craſſa & ſupina, & inuincibilis. Et has Magiſter ponit diſtin. xxij. lib. ij. tamen ſub aliis verbis.

Ignorantia affectata eſt, qua voluntas vult neſcire, ſiue vult ſcire actu poſitiuo, ſicut de quibuſdam dicitur: Noluit intelligere, vt bene ageret. Et alibi: Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus. Iob 22. Illa ignorantia (vt ſcribit Gerſon parte ij. de natura & qualitate conſcientiæ) duobus modis contingere poteſt, directè & indirectè. Directè, quãdo actus voluntatis fertur in ipſam ignorantiam,

rantiam,

rantiam, ſicut cùm aliquis vult ignorare vt excuſationem peccati habeat, vel vt à peccando non retrahatur. Indirectè verò iterum dupliciter contingere poteſt. Vno modo cùm aliquis actu non conſiderat quod conſiderare debet & poteſt. Et hæc dicitur ignorantia malæ electionis vel ex paſſione aliqua, vel ex malo habitu proueniens. Alio modo cùm aliquis notitiam quam de aliquibus deberet habere, non curat adquirere, & ſecundum hunc modum ignorantia vniuerſalium iuris quæ quis ſcire tenetur, voluntaria dicitur quaſi per negligentiam proueniens. Cùm enim non niſi propter negligentiam habeatur, voluntariè haberi videtur. Gerſon.

Ignorantia craſſa & ſupina (vt ſcribit Gab. di. xxij. q. ij. libr. ij. ar. j) eſt ignorantia quæ conſequitur negligentiam inquirendi ſcienda, quæ quidem non affectatur, nec volita eſt nec placet, ſed tamen tolli poſſet ſi diligens cura inquirendi & proficiendi adeſſet, quæ dicitur craſſa, quia cauſatur ex deſidia & pigritia laborandi ad adquiſitionem ſciendi, quæ frequenter adhæret craſſis & pinguibus hominibus. Et dicitur ſapientia, quia eſt mentium ad inferiora ac terrena declinatarum, nō potentium (verius non volentium) ad ſuperiora, æterna & ſalutaria ſe erigere. De quibus dicitur: Sapientes ſunt vt faciant mala, bene autē facere neſcierūt. Hier. 4. De quo videatur & Gabriël ſermone. j. in Cœna Domini.

Ignorantia inuincibilis eſt quæ manet poſt omnē diligētiam poſſibilem & debitam, & excuſat à peccato. Et dicitur inuincibilis (vt dicit Gabriël vbi ſupra.) non quin ſimpliciter poſſit vinci, ſed quæ manet poſtquam homo fecit omnia ad quæ tenetur pro eius expulſione. Sicut inuincibilis dicitur illa qua parochianus aliquis ignorat ieiunium certo die obſeruandum, pro eo quod ſuus plebanus vel paſtor pronuntiauit die & hora qua pronunciari ſolet, quo tamen parochianus ille præſens fuit diligenter auſcultans intimando, licèt ſimpliciter illa ignorantia vinci potuit, quia tamen fecit quod debuit intrando Eccleſiam, audiendo ſermonem, & auſcultando diligenter, dicitur illi inuincibilis. Hæc ignorantia inuincibilis, vt ſcribit Gerſon. parte. ij. de natura & qualitate conſcientiæ ſub duplici qualitate reperitur. Vna innata, alia incidēs. Innata omnino excuſat, & à tanta & à toto, vt in infantibus & à natura inſenſatis. Incidens verò iterum duplex eſt ſecundum quod dupliciter contingere poteſt.
Vna namque incidit ſine culpa, vt quando gratia exempli homo dando operam rei licitæ efficitur furioſus, & hæc quando totaliter ligat ſeu impedit rationem ſeu vſum rationis, excuſat à toto, aliàs nō. Alia verò incidit ex culpa, vt quando homo præſtitit cauſam ſuæ ignorantiæ, & tunc ſecundum aliquos, ſi talis ignorantia rationem ſeu vſum rationis omnino ligat ſeu impedit, tunc peccatum quod ſequitur, excuſat, vt gratia exempli. Cū furioſus qui per ſuam culpam incidit in furiam, ex vi illius furię occidit hominē, talis enim non peccat, quia vt animal brutum in ſolo impetu mouetur, & non ratione. Alij aliter ſentiunt qui dicunt, quod talis ignorantia non excuſat à toto, ſed bene à tanto. Vnde in caſu præcedenti talis furioſus minus peccat

quàm ſi furioſus non eſſet, peccat tamen. Prima opinio (inquit Gerſ.) probabiliter videtur, propter dubium tamen talibus ſi ſanentur debet ſecundum canones pœnitentia iniungi, vt dicit Gerſon. Vide & eundem lectio. ij. de vita ſpirituali animæ.

Ignorantia quarto modo diſtingitur in ordine ad actum peccati, vt ſcribit Gabr. vbi ſupra, & ſic eſt aliqua præcedens peccatum, aliqua concomitans, aliqua ſequens. Præcedens, quando ſi ſciret peccās, non peccaret, & talis ignorantia eſt cauſa vel diſpoſitio ad peccati actum, pro quanto ſine ea non fieret, licèt ipſa ignorantia non ſit volita. Concomitans eſt dum quis peccando aliqua ignorat, quæ nec ſunt cauſa nec effectus peccati: vt ſi quis peccās in die dominico, neſciens eſſe diem Dominicam, qui tamen ſi ſciret propter hoc non haberet ſe aliter ad peccatum, ita quod non minus peccaret. Sequens eſt quæ eſt pœna & effectus peccati, vt ignorantia quæ conſequitur ebrietatem, vt in Loth cognoſcente filias. Vel vt dicit S. Thom. in ſecunda ſecundæ. qu. vj. art. viij. quæ eſt volita formaliter ve affectata, vel virtualiter, vt ſupina. De Loth verò dicunt ſancti, & Bonauen. di. xxij. lib. ij. eum fuiſſe culpabilem, licèt ex alia parte dicunt eum fuiſſe aliquatenus excuſabilem. Vide eū latiùs ibi. Ex quo patet quod Loth, non omnino excuſatur à culpa inceſtus, cùm cognouit filias ſuas. Vide latiùs de hoc Bonauenturam quæſtio. iij. in fine vbi ſupra.

Agere ex ignorantia & agere ignorando vel ignoranter differūt (vt ſcribit Gab. di. xxij. q. ij. d. ij.) Nam agere ex ignorantia eſt ignorantiā eſſe cauſam vel diſpoſitionē ad huiuſmodi actū, puta quādo agens non ageret ſi non ignoraret, vt ſi quis in ſexta feria comederet carnes, ignorans eſſe ſextam feriam, non comeſturus ſi ſciret. Sed agerē ignorando eſt dum ignorantia habet ſe vt contingenter ad operationem, ita quod propter eam agens nec agit, nec ab actione ceſſat, ſuo modo aliud eſt peccare ex ignorantia, & peccare ignorādo. Et ignorātia aliqua excuſat pro quanto minor eſt contēptus volūtatis & receſſus eius à regula ſua, &c. Quæ autē ignorātia excuſat & quæ nō, conſulito de hoc S. Bona. di. xxij. q. vltima li. ij. & Gabr. vbi ſupra. Omnis autem ignorātia (inquit Bonauen.) aliquo modo excuſat peccatum. Et ratio huius eſt, quia minuit de ratione voluntarij, minuit etiam de ratione contēptus: cæteris enim paribus magis contemnit qui peccat ex induſtria, quàm qui ignoranter peccat. Et iterum cùm voluntarium includat in ſe cognitionem, quod priuat cognitionem, priuat de ratione voluntarij, quia ergo peccatum menſuratur ſecundum quantitatem libidinis & contemptus & ignorantia, diminuit de ratione horū generaliter, verum eſt quod omnis ignorantia inquantum huiuſmodi excuſat peccatum, & ſi tanta ſit quod priuet omnino rationem voluntarij & rationē contemptus, excuſat à toto: ſi verò non omnino priuet, excuſat à tanto. Excuſare à toto ſecundum Gabriëlem, quando actus nō imputatur ad peccatum. Excuſare à tanto, quando propter tale non tollitur ſimpliciter ratio peccati, ſed tamen propter ipſum actus peccati non imputatur ad tantam pœnam, quantum imputaretur illo excuſante non exiſtente. Ex

hoc patet in genere quando ignorantia actum excuſat à peccato ſimpliciter, id eſt in toto vel à tanto. Si enim ignorantia ſimpliciter tollit voluntarium, ſimpliciter excuſat à toto. Si autem non omnino priuat, ſed aliquantulum minuit voluntarium, non excuſat à toto, ſed à tanto, hoc eſt: non tollit rationem peccati, ſed rationem alicuius gradus grauitatis qui peccato ineſſet ſi ignorantia non accidiſſet. Ignorantia autem affectata magis aggrauat peccatum quàm excuſat. Vide latiùs Gabriëlem & Bonauentu. & infra. Sed Ignorantia inuincibilis (inquit Gabriël articul.ij. vbi ſupra.) præcedens voluntatis actum, ſiue poſitiua, ſiue negatiua, ſiue iuris ſiue facti, ſimpliciter excuſat à peccato, non ſolum in tanto, ſed in toto. Nemo enim faciens omnia & eorum nihil omittens ad quę tenetur, peccat, & qui facit quod debet, non peccat. Sed ignorantia craſſa præcedēs eorum, quæ homo ſcire tenetur non excuſat actum voluntatis à peccato ſimpliciter & In toto, ſed aliquantulum & in tanto, quia ſic agens actum aliàs difformem, agit contra legem quę pręcipit inquirere quę recta ſunt. Vnde 1. Cor.14. Si quis ignorat, ignorabitur. Et ad Ephe.5. Nolite fieri imprudentes ſed intelligentes quæ ſit voluntas Dei. Patet ſecundum, quia propter ignorantiam huiuſmodi minor eſt contemptus, ergo minus graue peccatum. Talis etiam ignorantia non excuſat peccantem, vt in inferno non ardeat, ſed fortè vt minus ardeat. Vide latiùs Gabriëlem & Magiſtrum in textu diſtinctio.xxij.libr.ij. Sed ignorantia affectata præcedens eorum quæ homo ſcire tenetur, peccatum aggrauat atque auget, quia volens ignorare legem per quam retrahi poſſet à peccato, magis contemnit, ergo grauius peccat. Et dicitur præcedens, quia ignorantia quæ concomitatur & quæ ſequitur non habet ſe ad actum voluntatis in ratione cauſæ, ſecus de præcedenti, quia nullo modo ab ea dependet, quia nihilominus fieret actus ſi ignorantia non concomitaretur. Vnde ebrius habens ignorantiam inuincibilem & furioſus, licet ex ſua culpa furiam & ebrietatē inciderit, tamē interficiendo hominē nō peccat, vt & prius dictū eſt, quia ad hoc quod actus ſit virtuoſus vel vitioſus, requiritur vſus rationis, quo quia tales ſunt priuati peccare non poſſunt, ſicut nec mereri. Et dicitur ignorantia eorum quæ quis ſcire tenetur, quia ignorantia rerum impertinentium non auget nec minuit, neque excuſat rationem peccati in actu voluntatis. Ignorantia quoque primorum parentum (vt inquit Gabriël) culpam eorum nihil excuſabit vel parum, quia ignorantia illa non fuit eorum quorum cognitio neceſſaria fuerit ad ſalutem, nec talis, quod ſi fuiſſet inuincibilis, excuſaſſet à peccatis, etiamſi verum fuiſſet quod ignorando putabant, non ideo præceptum tranſgredi licuiſſet quod noluerunt. Vnde ſi quandoque ignorantia excuſat, hæc excuſat qua id quod agitur ignoratur eſſe peccatum vel creditur eſſe bonum. Vide latiùs Gabriëlem. Et ignorantia ſecundum Alexand. quædam eſt in intellectu ſpeculatiuo, quædam in intellectu practico. Quantum ad primum non ſemper concomitatur ignorantia peccatum. Multi enim peccant ſcientes, habentes ſufficientem ſcientiam de faciendis, vt theologi effæminati. Eſt autem ignorantia in intellectu practico ſecundum quam aliquis cùm peccat non habet experientiam boni, aut iudicat actum malum nunc faciendum, non quidem vt malum, ſed vt conueniens vel vtile aut delectabile, aut aliquid nunc omittendum, & illa ignorantia omne peccatum comitatur. Et hoc vult Philoſophus iij. Ethi. Omnis malus ignorans. Vide Gabriël. poſt Alexan. art.iij. vbi ſupra. dub.iij. & alios latiùs de ignorantia.

Ignoſci, id eſt non imputari ad culpam. Auguſtin. In libro de bono coniugali ante medium dicit. Concubitum nuptiæ non cogunt fieri, ſed Impetrant Ignoſci, ſi tamen non ita ſit nimius, vt impediat tempora quæ debentur orationi. Ignoſcī pro eo videtur accipere quod eſt non imputari ad culpam, vt ait Richard. diſtinctio.xxxj. articul.iij. quæſtio.ij. libr.iiij. & non videtur loqui de ignoſci per pœnitentiam, quia ſic etiam fornicatio ignoſcitur, hoc eſt fornicans abſolui poteſt & veniam conſequi, & remisſionem peccatorum per pœnitentiam. Et ignoſcere alteri qui in alterum peccauit quiſquam eſt pars eleëmoſynæ vt innuit Gerſon parte iiij. in ſerm. de ſancto Ludouico.

Illabi aliquid alicui ſecundum Bonauentu. eſt ipſum eſſe intime præſens per præſentialitatem, per naturam & operationem. Exemplum: ferrum poſitum in fornace & ignitum, ignis dicitur illabi ferro. In ferro enim ſunt pori ſecundum Philoſophos, in quos intrat ignis, & eſt ferro præſens, diffundens ſe per naturam & operationem. Ita Deus intime eſt præſens animæ, & ſic intimus & intimior eſt animæ quam cuicunque creato, & hoc per naturam, eò quòd propter ſui ſimplicitatem & infinitatem vbique eſt, & per operationem. Bruleſer. quæſtion. vltim. diſtinct.j. libr.j. Et vt notat Gabriël. diſtinct. viij. quæſtio.ij. libr.ij. Illabi duo dicit, ſcilicet intimam pœnitentiam eius quod illabitur, & cui illabitur. Secundo dicit omnimodam & plenam pręſidentiam, & dominium illabentis ſuper illapſum, quorum ſi alterum deeſt, non eſt illapſus. Etſi demum poteſt eſſe ſubſtantialiter præſens animæ, illabi tamen ei eſt ſimpliciter impoſſibile, quia dæmon poteſt eſſe ſubſtantialiter præſens corpori humano, ergo etiam animæ. Patet & ſecunda pars, quia impoſſibile eſt dæmonem plenè poſſidere & dominari animæ, & in ea operari quicquid vult, quia hoc tolleret ab anima arbitrij libertatem. Sed ſolus Deus poteſt illabi menti rationali ſiue animæ, ſolus enim Deus habet in mente rationali plenum dominium regitiuum. Solus etiam poteſt impedibiliter in anima producere quicquid vult, atque ab ea tollere quæ vult, ergo ſolus illabitur Deus. Conſonat Gerſon parte. iij. tractatu de paſſionibus animæ, conſideratione. xv. vbi ait. Fatemur itaque quod Angelus non illabitur in ſpiritum noſtrum, quoniam hoc ipſum ſolius Dei proprium eſt, qui ita ſpiritum noſtrum ſolus poteſt dominanter poſſidere, fortiter atque ſuauiter, vt ſuæ motioni atque viuificationi ſpiritus noſter obediat vltro, & ſic vltro tamen vt non habeat fas obniti, & hunc ingreſſum Dei domina-

dominatiuum nominamus illapſum. Et in centilogio de impulſibus, vbi vult quod diuinus impulſus aliter fit quàm diabolicus. Deus illabitur animæ rationali quæ tria capit ab ipſo ſine medio, naturá, & gratiam & gloriam. Dicitur autem illapſus plenum ſuper animá interius, & exterius dominium. Cor regis (inquit ſapiens) in manu Dei eſt, quocunque voluerit, Inclinabit illud. Diabolus autem vel altera creatura dominium tale nunquá habet. Item diuinus illapſus & ſi non poſſit cogere liberum arbitrium vt liberum eſt, quoniam hoc implicat contradictionem, vt idem fiat violenter & non violenter, poteſt tamen inducere neceſſitatem ad illud quod ſibi placuerit, vt de anima non voluntaria poteſt reddere ſpontaneam. Docuit hoc Pauli conuerſio. Pluribus agit Gerſon de hoc. Ex quo infert poſtea quod ſtulta eſt præſumptio confidentium in conatu operum ſuorú quaſi præuenire poſſet gratię influxũ. Reſpexit vtiq; Dominus ad Abel, poſt ad munera eius. Cur autẽ ad Cain & ad munera eius non reſpexit murmuret ſi voluerit, ſuperbia non pertinget, detur voluntati Dei gratia ſua, detur & ſalus, &c. Illabi itaque propriũ eſt ſolius Dei, quoniam illabi animæ (vt idem ſcribit Gerſon parte iiij. ſermone de angelis) eſt ſubſtãtialiter illi coexiſtere, dominanter eam poſſidẽdo, & cauſaliter quo ad omnes actus regulando vel regendo, ita vt ex ordine cauſali & habitudinem ad animam habeat illabens eam vertere ad quemcunque actum voluerit, hoc autem ſolius Dei proprium eſt, quare dæmones vel angeli nullatenus animalibus illabi poſſe concedentur. Hæc Gerſon. Sed quod dicit Gloſſ. ſuper illud Luc. 4. Ecce homo habens dæmonium, intrauerat diabolus vnde exierat Chriſtus. Chriſtus autẽ exierat vbi illapſus erat. Reſpondet ad hoc Gab. vbi ſuprà, quod Gloſſa illa loquitur de ingreſſu, & egreſſu non ſecundum illapſum vel ſubſtantiã, ſed ſecundum effectũ gratiæ & malitiæ. Vnde non vult Gloſſa plus dicere niſi quod vbi fuit gratia, ibi cooperatione diaboli incipit eſſe malitia. Proprium itaque eſt diuinæ ſubſtantiæ illabi rationali creaturæ, vt & vult S. Bonauentu. diſtin. viij. parte. ij. qu. ij. libr. ij. ſententiarum, & habet Magiſter eadem diſt. in textu.

Illuminare, Id eſt illuſtrare. Vnde illud Ioã. 1. Deus illuminat omnem hominem, &c. A quo Illuminatio. Vnde homo illuminatur per gratiá, doctrinam, &c. Sed ſuprema illuminatio quæ eſt in hac vita (vt habet Paludenſis diſt. j. q. j. libr. iiij.) eſt per gratiam & charitatem, ſine quibus homo eſt in tenebris. Et via illuminatiua (de qua plura ſcribit Gerſon parte. iij.) eſt qua ho mo iam incipit videre & cognoſcere dilectum ſuum, quem prius propter rubiginem peccatorum videre nõ poterat, & cognoſcere inquam in hoc quod tot beneficia & tanta cõtulit, ita quod ab eius laude & gratiarum actione non ceſſare debet, tamen non principaliter debemus Deum diligere propter beneficia ſua, ſed propter immẽſam ſuam bonitatẽ & propter ſeipſum. Sicut enim propter lumen non videtur rẽs finaliter, ſed mediante lumine videtur clarius occaſionaliter, ſic illa via dicitur illuminatiua, quia accendit, prouocat & illuminat omnẽ hominem ad Deum diligendum. Hanc viam illuminatiuam Dauid habuit, cùm in Pſal. ait: Benedic anima mea Domino. & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto eius, &c. Plura de hac via Gerſ.

Illuſio ſiue deluſio, error, præſtigium propriè accipiendo differunt. Nam error ſuperius eſt ad reliqua duo, & deluſio ſuperius ad præſtigium. Nam omne præſtigium eſt deluſio, & omnis deluſio eſt error & non econuerſo. Eſt autem error generaliter iudicium falſum, proueniens ex variatione circa obiectum, potentiam vel medium, qua quod non eſt apparet vel res aliter quàm eſt, apparet. Præſtigiũ ſecundũ Alex. de Ales parte. ij. q. xliij. mẽb. iij. ar. 1. dicitur dæmonis illuſio, quę nõ habet cauſam ex parte mutationis rei, ſed ex parte cognoſcentis, & hoc ſiue quantum ad organum ſiue ad virtutem ſeu potentiam. Illuſio autem poteſt fieri tripliciter ſecundum eundem Alex. ibidem. Aliquando ſola agitatione hominum oſtendentium & occultantium, ſicut in tranſfectoribus. Aliquando virtute quorundam corporum mineralium, quæ certis rebus appoſita faciunt eã virtute naturali ſibi indita apparere talem qualis non eſt. Sic etiam dicit S. Bonauentu. quod ex poſitione candelæ & diſpoſitione, paleæ apparent eſſe ſerpentes operatione naturali. Ex his duobus modis fieri poteſt illuſio ſine dęmonũ cooperatione, quamuis & ipſi his modis vti poſſunt. Et quia (inquit Bonauen. di. viij. lib. ij.) iſte modus non latet dæmones, & ſunt miniſtri veloces potentes quæ neceſſaria ſunt ad hoc ſtatim offerre, ideo ſenſus noſtros frequenter deludũt, oſtendentes rem aliter quàm ſit. Tertio modo fit operatione dæmonum, quia res exiſtens non apparet, vel non exiſtens apparet, aut res exiſtentes aliter quàm ſe habent, apparent. Quomodo autem hoc contingat ponuntur varij modi à Doctoribus, qui tamen ſecundum Gabrielẽ (qui copioſe & perpulchrè hos ponit di. viij. qu. ij. ar. iij. lib. ij.) ad tres reduci poſſunt. Poteſt enim diabolus formare formas, ſicut poteſt diuerſarum formarum corpora quaſi ſubitò formare & aſſumere. Formas igitur diuerſas à ſe formatas poteſt viſui obiicere ſeu alteri ſenſui offerre, & illas frequenter mutare. Illas autem formas ſenſus volens noleńſque apprehendit. Vnde ſi formam Petro ſimilem obiicit, iudico me videre Petrum. Sic legitur in epiſtolari beati Hieronymi de ſancto Hilarione diabolum ſe transfiguraſſe in perſonas mulierum nudarum. Et in miraculis beati Hieronymi diabolũ ſe trãsfiguraſſe in perſonam Siluani. Et Nicetam in perſonam Simonis Magi, vt dicitur in itinerario Clemẽtis. Poteſt & dæmon phantaſmata & ſpecies ſeu habitus mouere, ipſoſque præſentare potentiæ cognitiuæ, & per hoc imaginationem ad eas conuertere. Sic per fortem conuerſionem intentionis phantaſma videtur veritas. Sic beatus Auguſtinus exemplificat, vt recitat ſanctus Bonauen. quod quidam tanta conuerſione cogitabat cuiuſdam mulieris imaginem, quod ei carnaliter commiſceri videbatur etiam vigilando. Et ſicut in ſomno videtur dormienti quod videat, audiat & ſentiat multa in veritate, cùm ſpecies ſeu phantaſmata mota veniunt ad organa ſenſuũ, quæ dæmon poteſt præſentare potentiæ cognitiuæ, & per hoc ad imaginationem ad eas conuertere, & per immiſſionem fumorum ſpiritus animales im-

mutare,

mutare, & phantaſmata diuerſimodè variare, ac intentioni offerre, & facere diuerſa homini apparere. Et hoc modo frequentiſſimè vtitur dæmon, vt dicit ſanctus Bonauen. Et huius ſignum eſt, quia nũquam facit hominem aliquid ſomniare de aliquo cuius imaginem, nec in toto nec in parte vnquam habebat in interiori organo virtutis imaginariè. Nunquam enim cæcos à natiuitate facit ſomniare de coloribus, nec ſurdos de ſonis, nec eis talia repræſentat in vigilia vel in ſomnis. Et huiuſmodi illuſio propriè (inquit Gabriël) dicitur præſtigialis. Poteſt autem dæmon ſuis præſtigiis (vt ibidem dicit Gabriël) ac multiplicibus dolis illudere ſenſibus humanis. Et hoc probatur per Aug. in de ſpiritu & anima. c. xxviij. Et in de ciui. Dei. l. xviij. c. xviij. ad idẽ aliquid tangit Augu. Sed in loco præfato ſic inquit: Quædam mulierculæ poſt Sathanam conuerſæ, illuſionibus & phantaſmatibus ſeductæ credunt ſe, & confitẽtur nocturnis horis cum Diana paganorum Dea, & cum Herodiade & innumera mulierum multitudine equitare, earumque iuſſionibus obtemperare. Ipſe namque Sathanas qui ſe transfigurat in angelum lucis, cùm mentem cuiuſquam mulierculę ceperit, & hanc ſibi per infidelitatẽ ſubiugauerit, illico diuerſarum perſonarum ſpecies mente quã captiuã tenet in ſomnis deludẽs, modò lęta, modò triſtia, modò cognitas, modò incognitas perſonas oſtendens, per deuia queq; deducit. Et cũ ſolus hic patitur ſpiritus infidelis non in animo, ſed in corpore opinatur euenire. Idcirco nimis ſtultus & hebes eſt qui hæc omnia quæ in ſpiritu fiũt, etiã accidere arbitratur in corpore. Hæc beatus Augu. Item in vitis patrum legitur quod quidam duxerunt puellam ad ſanctum patrem, quæ videbatur eis equa, ſed ſanctus ille pater deprehendit eam eſſe puellam. Et oratione ſua præſtigium diaboli fugauit. Item Boëtius iiij. de conſola. metro. iij. Et Aug. l. xviij. ca. xviij. de ciuit. Dei. Et Ouidius xiiij. Metamor. de ſociis Vlyſſis narrant. Vbi Aug. tangit de transformationibus ſociorum Vlyſſis in varias beſtiarum formas carminibus Circeæ. Quæ transformatio fieri non potuit ſubſtantialiter, ſed tantum apparenter, & ſecundum aliqua accidentia exteriora. Poterat enim diabolus aliam formam alterius corporis oſtendere & eos occultare, vel modo præſtigij intuentium oculos fallere, &c. Vide ad hoc latè Aug. vbi ſupra. & S. Thom. in de potentia, in q. xvj. ar. ix. & x. & Gabr. qui tres modos declarat exactius, quibus dæmones nos illudere tentant, quos vide apud eundem. Vide & hos modos illuſionis apud ſanctum Bonauen. diſt. viij. parte. ij. q. iij. lib. ij. copioſius.

Imago quælibet eſt ſimilitudo, & non econuerſo, quia imago addit eſſe expreſſum ab alio, B. Thom. parte prima. q. xxxv. ar. j. Et differt imago à ſimilitudine tripliciter ſecundum eundem. q. cxiij. ar. ix. vbi ſupra. Quia imago pertinet ad formam, ſcilicet ſpecialem, ſimilitudo autem ad naturam. Imago pertinet ad cognitionem veritatis, quæ eſt principium demonſtrans naturam intellectualem, ſimilitudo autem ad amorem virtutis. Imago pertinet ad potentias, ſcilicet memoriam, intelligentiam & voluntatem. Similitudo verò ad habitus cõſequentes, ſcilicet innocẽtiam & iuſtitiam. Et differt à ſta-

tua imago propriè, quod imago propriè ſuperficiẽ tantùm eius rei refert cuius eſt imago. Vnde pictores imagines faciunt colorum diuerſitate & lineamentis quibuſdam ſimilitudinem reddentes. Statua verò eſt quæ non modò ſuperficiem, ſed ſolidum corpus atq; perfectum reddit. Statuarij enim effigies rerum, lignis vel marmoribus, vel ebore, vel metallis exprimentes, quorum ars ſtatuaria vocatur. Eſt autẽ duplex imago, vt ſcribit S. Bonauẽ. di. xvj. q. ij. lib. ij. naturalis, ſcilicet & artificialis. Et cùm homo non repræſentet per formã artificis, ſed per ſuam formã naturalem & potẽtias ei naturaliter inditas, ideo homo non eſt imago artificialis, ſed naturalis, &c. Et imago ſecũdum eundem. q. j. vbi ſupra dicit expreſſam ſimilitudinem, & quia homo dicit expreſſam ſimilitudinem Dei, ideo homo dicitur imago Dei. Et vt notat Gabriël diſt. iij. qu. ix. ar. j. lib. j. Imago dicitur quaſi imitago, id eſt imitationem ago. Et ſecundum quod reperitur in creaturis tripliciter accipitur, vt ſcribit poſt Aliacen. q. iiij. ar. 4. li. j. Gabriël vbi ſupra. Vno modo pro ſubſtantia formata ab artifice ad ſimilitudinem alterius, ſecundum aliqua accidentia eiuſdem ſpeciei cum accidentibus eius, ad cuius imitationem formatur, ducens in notitiam rememoratiuam eius magis diſtinctam, qua, ſcilicet repræſentatur vt diſtinctum ab aliis talia accidentia non habentibus. Vel ſic: Eſt ſubſtantia formata ab artifice ad ſimilitudinem alterius ſecundum aliqua accidentia conformia, & eiuſdem ſpeciei cum accidentibus diſſimilibus repræſentans. Vnde imago Cęſaris propriè dicitur inquantum Cæſarem repræſentat, & non inquantum eſt pictura. Et patet de ſtatua Herculis, quæ quãtum ad figuram & colorẽ eſt eiuſdem rationis cum Hercule, non quãtum ad ſubiectum. Sic patet quod imago non eſt primo ſimilitudo totius; ſed eſt primo ſimilitudo accidentium, quia accidentia in imagine & prototypo ſunt eiuſdem rationis, nõ ſubſtantiæ. Secundo modo accipitur imago pro tali formata ſiue fiat ad imitationem alterius ſiue non. Quomodo duo homines multum ſimiles dicuntur alter alterius imago. Tertio modo accipitur pro omni vniuocè producto ab alio, quod ſecundum rationem ſuæ productionis producitur vt ſimile, illo modo filius dicitur imago patris. Et notificatur ſic imago (vt ſcribit Gabr.) Imago eſt ſimilitudo Dei reperta in creaturis, nata ducere in cognitionem recordatiuam propriorum diſtinguẽtium perſonas & vnitatis eſſentiæ cum quadam ſui imitatione. Et hoc in ſermonibus de feſto trinitatis clarius Gabriël expreſſit. Aliter deſcribitur veſtigium, quod ſuo loco patebit. Et licèt creatura rationalis impropriè dicitur imago trinitatis, vt dicit Gabriël qu. x. vbi ſupra, quia nihil reperitur in creatura eiuſdem ſpeciei cum Deo, tamen in qualibet creatura rationali, & ſolùm tali reperitur imago Dei, quia in qualibet rationali creatura eſt inuenire trinitatem, per quam ipſa poteſt duci in notitiam recordatiuam, ſcilicet, mentem, notitiam & amorẽ, in quibus conſiſtit ratio imaginis vt in partibus, & eo ipſo mens imago Dei eſt, quo capax eius eſt, vt dicit Aug. xiiij. de trinit. & habet Magiſter in textu. diſt. iij. libr. j. Item creatura rationalis eſt imago Dei propter ſimilitudinem ac [illegible]

ſimilium

ſimilium cum Deo, ſicut iuſtum, ſapiens, intellectiuum. Sed illę proprietates ſunt in Deo vere & cõſubſtantialiter & eminentius, quàm in creatura rationali in qua ſunt accidentia, ideo creatura rationalis & ſola dicitur imago Dei quamuis non ita perfecta, ſicut ſi eſſent vtrobique accidentia tam in Deo quàm in creatura. Conſiſtit autem ratio imaginis radicaliter & originaliter in animæ ſubſtantia, ſed perfectè & complectiuè in ſubſtantia animę & duobus actibus ab ea productis, ſcilicet actu volendi & iorelligendi, id quod eſt contra ſanctum Thom. qui ponit quod imago conſiſtat in potentiis animæ, & non in actibus, ſed contra eum eſt Aug. Petrus de Aliaco. Poteſt & conſiſtere in ſubſtantia animæ in duobus habitibus correſpondentibus illis actibus, vt dicit Gabriel. Nam ſicut pater in diuinis habet fœcunditatem ad producendum tam filium quàm ſpiritumſanctum, & cõmunicat filio fœcunditatem producendi ſpiritumſanctum. Ita ſubſtantia animæ eſt fœcunda tam intellectionis, quàm volitionis, & communicat actui intelligendi (quam primo producit) fœcunditatem producendi cum anima actum volendi. Siquidem actus volendi eſt à ſubſtantia animæ, & ab actu intelligendi, actus autem intelligendi à ſola animæ ſubſtantia. Sed quia perfecta imago cõſiſtit in ſubſtantia animæ, & actu intelligendi Deum, & amãdi Deum, qui actus quia non poſſunt eſſe in parte ſenſitiua, ideo in parte ſenſitiua beatus Augu. non conſtituit rationem imaginis.

Imago ſecundum Aliacen. & poſt eum notat Gabr. diſt. iij. qu. x. art. iij. dub. ij. libr. j. capitur dupliciter. Vno modo prout ſupponit pro ſubſtantia animæ, quæ eſt memoria, intelligentia, & voluntas, & ſic homo non perdidit imaginem Dei, licèt per peccatum bene perdiderat efficaciam bene operandi ex impedimentis quæ incurrit. Alio modo capitur, vt eſt nomen quaſi collectiuum ſupponens pro ſubſtantia animæ, & actibus cognitionis & delectionis Dei. Iſtos perdidit homo pro ſtatu naturæ lapſæ. Et ſic intelligitur Aug. cùm dicit, Creata fuit in homine imago Dei quam non ſeruauit. Sed de imagine quæ eſt in diuinis, quę dicit expreſſionem perſonæ, & etiam expreſſionem in ſummo vnius ad vnum conſulito S. Bonauen. di. xxxj. q. ij. libr. j. & quomodo filius imago propriè dicitur, imò dicitur imago pulcherrima, vel ſpecioſiſſima patris, & ita dilectiſſima à patre, vt ſcribit Gerſ. tract. iij. ſuper Magni. Reperitur autem in Chriſtiano triplex imago, vt ſcribit Iaco. de Valentia. q. final. poſt commentaria ſuper cantica, ſcilicet imago trinitatis in anima, quam accipit per creationem, per quam dicitur bonus naturaliter, cuius meminit & Gerſ. parte. iij. de verbo, & hymno gloriæ. Secunda eſt imago ipſius Adam terreni in carne, per quam natura noſtra dicitur corrupta, & ſauciata fomite, & morbo concupiſcentiæ, vnde eueniunt omnia mala culpæ, quàm imaginem accepimus per libidinoſam generationem. Vt dicit Aug. contra Fauſtum, &. xij. ſuper Geñ. quod hanc imaginem reliquerũt primi parentes in nobis impreſſam ex veſtigio, & ſimilitudine ſui peccati. Tertia eſt imago Chriſti in anima, quam accepimus per gratiam baptiſmi & regenerationẽ. Vnde Apoſtolus 1. ad Cor. 15. quod poſtquam omnes vſque ad Chriſtum portauimus imaginem ipſius Adam terreni, portemus ergo & imaginem ipſius Adam cœleſtis, qui eſt Chriſtus. Per hanc imaginem homo configuratur Chriſto per baptiſmum, & Eccleſiaſtica ſacramẽta, quę quidem imago Chriſti, licèt ad præſens nõ tollat imaginem ipſius Adam de carne, tamen tollit ipſam ab anima noſtra; hæc Valentia. Et quo ad primum dicit Pelbartus, poſt doctores, quod anima humana dicitur imago Dei quantum ad tria quæ ſunt in ea, ſcilicet memoria, intellectus, & voluntas, de quo Bruleſer. di. xvj. q. j. ij. & iij. iiij. v. & vj. quomodo homo ſit imago Dei, qui non parum multa de hoc ſcribit, & Aſtipulatur Gerſon. tracta. iij. ſuper Magni. Et homo factus eſt ad imaginem Dei. Vnde ſicut Dominus fecit hominem, vt ſibi ſoli ſubiectus dominaretur cæteris rebus mortalibus, ita ſibi indidit præ cæteris rationem tanquam legem intimam, vt viuant, neque enim (vt ſcribit Gerſ. parte. ij. in recõmendatione licentiandorum) propter aliud dicitur homo factus ad imaginem, & ſimilitudinem Dei, niſi quia ſui capax per rationem effectus eſt, ſecundum Aug. & expoſitores catholicos, &c.

De imaginibus ſanctorum. Imaginum introductio in Eccleſia, non fuit abſque rationabili cauſa, propter triplicem enim cauſam introductę fuerunt, videlicet propter ſimplicium ruditatem, propter affectuum tarditatem, propter memoriæ labilitatem, quæ perpulchrè declarat S. Bonauen. di. ix. q. ij. lib. iij. vt, ſcilicet ſimplices qui ſcripturas legere non poſſunt, vt in his picturis ſacramenta noſtræ fidei legerent, & vt homines excitarentur in his ad deuotionem, quæ pro nobis Chriſtus geſſit, ac ſi oculis cernerent. Solet enim affectus noſter plus excitari viſu q̃ auditu. Hinc Hor. in arte. *Segnius irritant animos demiſſa per aures, Quã quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus: & quæ Ipſe ſibi tradit ſpectator.* Et tertio modo ideo, quia ea quæ audiũtur ſolũ facilius traduntur obliuioni quã ea quæ vidẽtur. Et quoniam imago Chriſti introducta eſt ad repræſentandum eũ qui pro nobis crucifixus eſt, ideo omnis reuerẽtia quæ ei offertur, exhibetur Chriſto, & propterea imagini Chriſti debet cultus latriæ exhiberi. Latiùs Bonauẽ. Conſonat Gab. lect. xix. canonis. & Alex. de Ales. Idem Gabriël dicit lect. xlix. canon. Chriſtiana religio ſuſtinet in Eccleſia & oratoriis imagines, non permittit eo fine, vt ipſe adorentur, ſed vt fidelium mentes per earum inſpectiones excitẽtur ad reuerentiam & honorem exhibendum his quorum ſunt imagines, in quorum cognitionem recordatiuam ducunt. Eſt autem hominum quorundam ſtolidus error, qui ideo ad imagines afficiuntur, vt in ipſis credant eſſe aliquid numinis gratiæ vel ſanctitatis, quibus potentes ſint facere miracula, præſtare ſanitates, eripere a periculis, & à nocumentis ac inſidiis præſeruare. De quibus latiùs Gabriël expoſitione canonis lect. xlix. Vnde Gerſon parte. iij. de ſimplicitate cordis notula. xxij. ait: Imaginum nec vſus nec intuitus prohibetur, ſed talis inhæſio quæ meditantis cor ne ſurſum feratur quaſi circumligatum funibus aut inuiſcatum detinet. Superuolare igitur frequenter nititur, etiamſi recidere crebro cogatur. Et de adoratione imaginum vide in dictione *Adoratio*, &c. Nec prætereundum eſſe

dum eſſe cenſui quod ſcribit Gerſon parte.iiij.ſermone.j.de natiuitate Domini. Nos tales non adorare imagines debemus, ſcilicet ligneas & lapideas, quia nihil propriè adoramus niſi Deum. Si inclinor ante imaginem crucifixi, non oportet propterea me adorare illud lignum, ex quo facta eſt potius quàm quoduis aliud: ſed eſt ideo, quia ſolū Deum adoro, quem crux illa repræſentat. Quantum ad ſanctorum & ſanctarum imagines pariformiter eas non adoro, ſed honoro ſanctos & ſanctas qui per has repræſentantur imagines. Hæc Gerſon. Præterea vt idem ait parte.iij. tracta.de exercitiis diſcreris deuotorum ſimplicium. Nemo credat ſanctorum imagines (ſicut quidam hæretici ſenſerūt) eſſe contemnendas, ſed ſunt potius reuerenter tractandæ, & ea intentione qua Eccleſia Dei eas inſtituit dignè honorandæ. Et ſic diſcamus ab his viſibilibus mente tranſire ad inuiſibilia, corporalibus ad ſpiritualia. Ille namq; eſt finis imaginum. Non diſcrepat ab his Guilhel. in Rationali diuinorum. cùm ait de imaginibus. Sed nos illas non adoramus, nec Deos appellamus, nec ſpem ſalutis in eis ponimus, quia hoc eſſet idolatrare, ſed ad memoriam & recordationem rerum olim geſtarum eas veneramur, &c. Quare autem imagines in quadrageſima cooperiuntur, cauſam eſſe dicit Bruleſer. diſtin. xviij. qu.vj. in fine libr.iij. ad deſignandum clauſionem paradiſi cœleſtis: tempore autem paſſionis eius amouentur, ad deſignandum apertionem illius ianuę quæ eſt faciſis ingreſſus ad videndum Deum facie ad faciem. Plura aliàs de imaginibus.

Imaginari ad imago, quod propriè eſt alicuius rei ſimilitudinem mente comprehendere. A quo imaginarium dicimus quod re non eſt, ſed tantum cognitione comprehenditur, & imaginatio actus ipſe. Et vt ſcribit Dominus Cardina. Came. q.v. in fine libri primi ſen. Imaginari poteſt multipliciter capi. Vno modo idem eſt quod mente concipere. Et iſto modo non ſolùm vera, ſed etiam impoſſibila & contradictoria poſſunt imaginari, quia non eſt aliud quàm mente formare propoſitionem. Alio modo idem eſt quod mente formare aliquam propoſitionem cum apparentia, quod ita ſit, vel cum apparentia quod non ſit repugnantia quin ita poſſit eſſe. Et iſto modo dicitur multi quod contradictoria nō poſſunt imaginari, ſic loquēdo cōcedo inquit Petrus: quod poſitio de trinitate eſt imaginabilis à viatore. Vnde Augu. loquens de ipſa. j. de trin. Adoratur inquit, creditur, & ſic intelligitur. Etſi aliquæ authoritates inueniantur dicere, quod ipſam imaginari aut capere non poſſumus, intelligendum eſt quod nō perfectè & clarè, ſed tantum imperfectè & ænigmaticè. Hæc Aliaco.

Imaginatiua idem eſt quod phantaſia, vt B. Thom. parte.j.q.lxxviij.ar.iiij. dicit: Virtus autem imaginatiua, vt ſcribit Gerſ. parte.ij. de natura primorū motuum, eſt potentia apprehenſiua, in qua imaginationes rerum ſenſibilium reſeruantur. Iſta virtus plus abſtrahit quàm ſenſus, quum ſenſus non accipit formam rei niſi ipſa re præſente. Imaginari verò formam rei reſeruat, re etiam ipſa abſente. Et in hoc differt à ſenſu communi, quia ſenſus communis indiget præſentia rei exterioris, ſicut ſenſus particularis, imaginatio vero non. Ita vt [illegible] vocatur theſaurus formarum, quoniam formæ rerum à particularibus ſenſibus receptæ in ea retinentur & ſeruantur. Gerſon. Qui amplius de hac potentia ſcire voluerit, ad Philoſophum recurrat. De imaginationibus multa apud Gerſonem habentur.

Immediatè dicitur ſine medio vel continuò, nullo ſpacio interiecto, &c. à quo immediatius. Et aliquid dicitur dupliciter immediatius, vt ſcribit Scotus qu.j. quodlibet. Vel ita quod ipſum ſit medium inter primum & vltimum, & tunc eſt immediatius poſitiuè. Vel ita quod inter ipſum & primum non ſit medium, aut pauciora ſunt media quā inter tertium & primum, & ſic eſt immediatius negatiuè. Exemplum: Superficies eſt immediatior ſubſtantię quàm color, ita quod habet rationem medij poſitiue inter illa, ſed riſibile eſt immediatius homini quā color negatiuè, non enim mediat inter illa extrema poſitiuè q tanquā mediū inter extrema includitur. Illud immediatius dicit negatiuè vbi aliquid tanquā mediū magis excluditur. Latiùs vide Scot.

Immenſum capitur tripliciter, vt ſcribit Bruleſ. Negatiuè, priuatiuè, & affirmatiuè. Priuatiuè quidem non habet menſuram, eſt tamen aptum natum habere. Negatiuè immenſum eſt, quod non eſt menſuratum, nec eſt aptum natum menſurari, nec poteſt menſurari, & ſic Deus eſt immenſus & etiam infinitus, negando actum, potentiam, & aptitudinem, non tamen eſt immenſus priuatiuè, nec infinitus. Poſitiuè immenſum eſt quod habet ſummam plenitudinem perfectionis & entitatis ſine termino & ſine fine, & ſic Deus eſt immenſus ſolus, immenſum autem negatiuè bene dicitur de ente prohibito, puta chymera. Immenſitas autem in Deo quatuor complectitur ſecundum Aureo. in compen. propter quæ Deus immēſus dicitur: videlicet infinitatem, incomprehenſibilitatem, incircunſcriptibilitatem, & æternitatem. Nam poteſt Deus primò conſiderari in ſe: ſic eſt infinitus. Pſalm. Magnus Dominus & laudabilis nimis & magnitudinis eius non eſt finis. Secundo poteſt conſiderari in operatione ad intellectum, & ſic eſt incomprehenſibilis. Vnde Apoſtolus: O altitudo diuitiarum, ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius. Propterea Deus dicitur ſedere ſuper Cherubin, id eſt ſuper plenitudinem ſcientiæ, & ſuper omnem intellectum creatum. Tertio poteſt Deus cōſiderari in comparatione ad locum, ſic eſt incircumſcriptibilis. Vnde Amb. Nihil præſcriptum, nihil circunſcriptum, nihil diuiſum habet trinitas. Non enim loco clauditur, non extimatione concluditur, non ætate variatur. Quarto poteſt Deus conſiderari in comparatione ad durationem, & ſic eſt æternus. Hæc Pelbartus.

Immortale poteſt accipi propriè vel impropriè, vt ſcribit Gabr. di.xix.q.vnica.ar.j.libr.ii. Propriè vt cōtradictoriè opponitur huic quod eſt mortale, vt videlicet negatio incluſa negat potentiā moriendi, & ſic valet immortale, id eſt non potens mori. Impropriè, vt non opponitur cō radictoriè, ſed quaſi ſubcōtrariè, vt, videlicet negatio incluſa non negat potentiam,

potentiam, ſed actum, valens tantum, immortale, id eſt potens non mori, ſecundum illum modum Magiſter concedit quod homo pro ſtatu innocentiæ fuit mortalis & immortalis. Accipiendo (ait Gabriël) immortale propriè, homo non habuit corpus immortale pro ſtatu innocentiæ, quia pro illo ſtatu homo potuit mori, poterat enim ab eiſdem agentibus pati, à quibus nunc ſi applicata fuiſſent, non enim habuiſſent dotem impasſibilitatis, per quam corpora ſanctorum redduntur ſimpliciter impasſibilia: potuit & homo prohiberi à ſumptione cibi, potuit igne comburi, aqua ſuffocari, à beſtia comedi vel occidi à dæmone vel homine. Habuit enim corpus optimè complexionatum, & ita tenetur quod potuit conſequenter à ſuo contrario calore vel frigore exceſſiuo corrumpi, ergo. Sed bene homo habuit corpus immortale, ſecundo modo accipiendo immortale: quia potuit non mori pro ſtatu illo: quia habuit pro illo ſtatu adiutoria & remedia contra omnia mortem inducētia, & ita potuit mortem euitare. Copioſe hoc probat Gabriël vbi ſupra ar. ij. Habuit & prudentiam copioſam omnia mala cauendi, &c. Et vt idem dicit: Si homo in paradiſo non peccaſſet, mortuus nō fuiſſet. Vnde ad Rom. 5. dicitur. Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatū mors. Alia autem fuit immortalitas ſtatus innocentiæ: vt idem Gabr. dicit dubio. iij. vbi ſupra. & alia erit ſtatus gloriæ. Nam illa non reddidit corpus ſpirituale, ſed conſeruabat corpus animale, indigens cibo & potu, & in hoc fuit immortale, quia habuit ſufficientia munimenta contra omnem mortem. Sed immortalitas gloriæ reddet corpus glorioſum & ſpirituale, ita vt non indigeat corporalibus alimentis, nec alterari poſſit aut lædi à quibuſcunque extrinſecis, ſed erit in plena poteſtate ſpiritus ipſum viuificantis, animæ, ſcilicet rationalis quantum ad agere & pati per donum gloriæ, &c.

Immittere dicitur quaſi intus mittere. Vnde immittere cognitionem (vt ſcribit ſanctus Bonauentu. di. viij. qu. x. lib. ij. Et poſt eum Gabriël eadem diſtin. q. ij. ar. iiij. dub. iij. libr. ij.) accipitur dupliciter. Vno modo eſt principaliter ac ſufficienter cauſari vel efficere cogitationes in mente hominis. Alio modo largius vt eſt principaliter vel occaſionaliter aut excitatiuè mouere ad cogitationis formationē. Primo modo accipiēdo nec angelus bonus nec malus poteſt menti noſtræ immittere cogitationes, hoc enim ſolius Dei eſt, qui ſolus poteſt ſufficienter, id eſt ſine concurſu alterius cauſæ infundere cogitationes eas in mente creando, omnium enim effectuum ipſe eſt cauſa principalis & ſufficiens, ſine quo nihil factum eſt, ita nec etiam fieri poteſt, & ita nulla creatura præter eum poteſt eſſe cauſa totalis cuiuſcunque effectus, vt aliàs dicitur. Accipiendo autem immittere ſecundo modo ſiue largè, ſic poteſt angelus bonus bonas, & malus malas immittere cogitationes per modum incitantis & impellentis. Poteſt enim obiecta offerre & ſpecies habitus & phantaſmata mouere, quibus oblatis aut motis, ſequitur cognitio ſiue cogitatio, niſi potentia cognitiua circa alia ſit vehemētius occupata. Ita enim experimur in nobis quod nonnunquā apertis oculis prætereuntem non videmus, vel ſaltem nos videre non attendimus propter fortem imaginationem circa aliqua interiora. Et vt ait ſanctus Bonauen: Dæmones poſſunt compellere ad cogitationes malorum, ſed non ad cogitationes malas, intelligēdo per cogitationes malas, vicioſas. Cogitatio enim quæ eſt de malo, non eſt mala, niſi dum ſequitur affectio mala, quę eſt in poteſtate noſtra: vel nō poſſunt compellere ad cogitationes malorum ſimpliciter, vt ſcribit Gabr. vbi ſupra, licèt poſſent offerre obiecta & mouere phantaſmata, quia mens noſtra non poteſt multa cogitare, dum ergo frequenter circa ſalutaria eſt occupata, non poteſt neceſſitari ad dimittendum illa, & ſe conuertere ab iſtis (extendit rem Gabrël.) Dum ergo mens fuerit ocioſa, & non circa vtilia occupata, poteſt diabolus immittere cogitationes turpes & malas. Secus ſi fuerit in bonis vehementer occupata. Ex quo ſumit Gabr. duas regulas notabiles ad euitandas turpes cogitationes. Prima, ſollicitè curandum eſt ne contingat animum à bonis & vtilibus cogitationibus reuocare. Illis enim manentibus aliæ malæ ſubintrare non poſſunt. Hinc concordat illud Hiero. ad Paulī. Semper aliquid operis facito, vt te diabolus inueniat occupatum: non enim facilè capitur à diabolo, qui bono vacat exercitio. Quod non tam de exteriori opere & exercitio, quàm de interiori intellectum veritatem habet. Secunda regula, formanda eſt affectio dilectione Dei & æternorum, & locum non inueniet cogitatio turpium. Nam ſecundum Aug. ſic quicquid venerit in animum, illuc rapiatur vbi impetus dilectionis currit. Sic enim (vt dicit Bonauen.) facilè eſt ei qui ſolitus eſt in bonis animum exercere, malas cauere cogitationes, quia tali multo faciliùs eſt & delectabilius in bonis verſari cogitationibus quàm ſic carnalibus in fœdis & turpibus imaginibus. Et per prædictam (inquit Gab.) immisſionis diſtinctionem auctoritates multæ, quæ ſibi videntur contrariæ concordantur formaliter, &c.

Immunditia, impuritas, fœditas. Et quædam eſt ſpiritualis ſecundum Ly. ſuper Leuit. 11. & Deut. 14. & eſt idem quod peccatum, & non poteſt eſſe in brutis, quia carent ratione, ergo non poſſunt peccare. Alia eſt immunditia corporalis, & illa poteſt eſſe in brutis. Et immunditia corporalis eſt quadruplex ſecundum S. Bonauent. di. xij. in fine libr. iiij. Quædam eſt coniuncta ſpirituali ſecundum veritatem, vt pollutio veniens ex turpi cogitatione, vel crapula. Quædam eſt coniuncta ſpirituali ſecundum conformitatem, vt pollutio veniens ex diabolica illuſione vel ex naturæ ſuperfluitate, in qua ſentitur pruritus & delectatio inordinata. Quædam verò eſt coniuncta ſpirituali, tamen eſt generans horrorem immundiciæ in anima, vt pollutio veniens ex infirmitate. Quædam autem eſt purè corporalis, nullum horrorem immundiciæ in anima generans, vt immundicia in pede, vt quādo aliquis habet lutoſos & maculatos pedes. Et nulla (vt inquit ſanctus Bonauen.) corporalis immundicia de per ſe eſt impeditiua celebrationis aut ſacræ communionis, ſed bene de per accidens ratione concomitantiæ alicuius vel ſequelę in anima. Ita & poſt Bona. ſcribit Gab. le. x. cano. Et Gerſ. parte ij. trac. de pręparatione ad miſſam, & pollutione nocturna,

qui &

qui & multa de hoc ſcriptis notanda reliquerũt: & pollutione, de qua & infra ſuo loco amplius dicetur. Et vt inquit ſanctus Bonauen. prima immundicia impedit à perceptione ſacramenti, propter hoc quod homo debet ſe reputare immundum. Vnde non recipit ſacramentum cum reuerẽtia qui ſic immundus eſt, niſi neceſsitas compellat, & propter irreuerentiam priuatur fructu, & incurrit damnum. Secunda eſt immunditia quæ eſt in illuſione diabolica arceri debet ex cõgruo, quoniam quamuis non ſit certũ quod anima ibi maculata ſit, tamẽ rationabiliter poteſt dubitari. Et ideo qui ſe reputat immundũ, bene facit. Vnde Iſid. in ſen. libr. j. & habetur in decre. di. vj. Non eſt peccatum quiſquis nocturna illuſione polluitur, quamuis extra memoriam cogitationum ſeſe præſentiat, inquantum tamen hoc vt tentaretur, culpæ ſuæ attribuit, ſuamq; immundiciam ſtatim fletibus tergat. Tertia immundicia eſt indifferens, quia tantum eſt pœna, & ideo non arcet à perceptione ſacramenti. Si tamen ratione horroris abſtineat deuotio & reuerentia eſt laudanda. Vnde nec mulier menſtruata arcetur, nec etiam mulier poſt partum, ſicut dicunt iura. Quarta ſimpliciter eſt indifferens; inter omnes has immundicias prima magis impedit, vltima nullo modo. Omnes tamen impediunt de congruo ſecundum gradus, quando autem propter pollutionem ſit abſtinendum idem conſulit, dicens: Si ſentit aliquis inquinationem illam multum animam inclinaſſe, quia in actu illo dat homo conſenſum, tunc hoc fiat, ſiue in ſomnis ſiue in vigilijs, conſulendum eſſet ei facere reuerentiam ſacramento. Si autem ſentit naturam magis expeditam & vlterius deuotio trahat ad perceptionem, & ſolennitas tribuat aliquid quod multum recompenſet, dico ipſum (inquit Bonauen.) ſine remorſu poſſe accedere. Et quamuis pollutio ſit peccatum veniale vt ſcribit Brulef. di. xj. q. xv. lib. iij. magis tamen impedit quàm aliud veniale propter horroris diuturnitatem & maiorem deordinationem. Sed de pollutione infra quædam habebuntur.

Immutabile capitur dupliciter vt notat Brule. diſt. viij. qu. ij. libr. j. ſen. ſcilicet priuatiuè: & valet ſicut illud quod nõ mutatur, & tamen aptum natum eſt mutari, & ſic Deus nullo modo eſt immutabilis. Negatiuè dicitur illud immutabile, quod nõ ſolum de facto: ſed nullo modo etiam mutari poteſt, ſic Deus eſt immutabilis. Vnde Augu. vij. de trini. ca. vj. Omnis cratura mutabilis: ſolus Deus immutabilis. Et ad Titum vlti. Solus Deus habet immortalitatem. Quod exponens Augu. de trini. li. j. c. j. dicit quod vera immortalitas immutabilis eſt. De quo vide Petrũ de Aliaco q. vij. ar. iij. li. j. Et ſecundum Gabriẽlem di. xl. q. vnica ar. iij. li. j. Immutabile eſt duplex, ſcilicet reale & complexionale. Reale eſt neceſſarium. Complexionale eſt quod non poteſt mutari de veritate in falſitatem, vel econuerſo, ita quod aliquãdo fuerit verũ & poſtea fiat falſum, vel econuerſo, & tale immutabile non eſt neceſſarium, quia licèt aliquod tale verum non poſſit mutari de veritate in falſitatem, potuit tamen nunquam fuiſſe vel eſſe verum, & ideò nõ neceſſarium, ſicut hoc complexum Deus ſcit, quod Petrus ſaluabitur, vel ſciuit quod Petrus ſaluabitur, non poteſt mutari, &c. potuit tamen nunquam fuiſſe verum. Sic & de illa Deus prædeſtinauit Petrum, ſic non omne immutabile eſt neceſſarium. Gabriẽl vbi ſupra.

Immutabilitas dicitur per priuationem mutabilitatis. Et immutabilitas dicitur tripliciter (vt ſcribit S. Bona. di. viij. q. ij. li. ij.) Vno modo dicitur inuariabilitas, alio modo incorruptibilitas, tertio modo inuertibilitas. Si primo modo accipiẽdo in nulla omnino eſt creatura, neq; per naturã neq; per gratiã. Nam omne creatũ aut eſt accidẽs, aut habet accidẽs & ita variabile, ſic accepta variabilitas propriè, proprium eſt ipſius Dei. Si accipitur ſecundo modo, ſic in aliquibus creaturis eſt. In quibuſdam per naturam, vtputa in ſimplicibus. In quibuſdã per gratiam, vtputa in glorificatis corporibus, quæ ſunt incorruptibilia, nec ſic eſt propriè proprium diuinæ eſſentiæ. Si verò tertio modo dicatur immutabilitas, ſic omnibus creaturis ineſt per gratiam, nulli autem per naturam niſi ſoli Deo. Inuertibile enim per naturam eſt quod ex ſeipſo habet vt poſſit ſtare, hoc autem eſt in quo nulla eſt vanitas vel varietas, & in quo omnino nulla eſt eſſentiæ mutatio, nec ad eſſe, nec ad non eſſe, & hoc eſt ſolum æternum, ideò hæc inuariabilitas eſt in ſolo Deo, & eſt propriè proprium eius. Inuertibilitas autem per gratiam ineſt omnibus vel pluribus creaturis, quia Deus ſua gratuita bonitate cætera continet ne in nihil cedant; & loquitur de creaturis; qui dicunt quid completum & per ſe exiſtens. Hæc Bonauen.

Immutatio ſenſus eſt duplex (vt ſcribit Rich. diſt. xlix. ar. iiij. q. iij. lib. iiij.) Quædam quam cõcomitatur materialis organi tranſmutatio. Quędã quam talis tranſmutatio non cõcomitatur, ſed patitur ſenſus tantum paſſione animali. In prima immutatione ſenſus ita recipit formam ſenſibilem quod verè denominatur ab ea, vt cum homo calidus ita ſentit calorem quod inſtrumentum ſenſus eſt calidum. In ſecunda mutatione ita recipit ſimilitudinem formæ ſenſibilis quod non denominatur ab ea, ſicut patet in viſu. Viſus enim videndo album nõ efficitur albus, albedo enim vniuocè non prædicatur de albedine quæ eſt in pariete, & de eius ſimilitudine quæ eſt in oculo. Prima immutatio non poteſt eſſe ſine materiali tranſmutatione, quæ ſtare non poſſet cum impaſſibilitate beatorum, ſed ſecunda immutatio non requirit de neceſſitate niſi quãdam immutationem ſeu paſſionem animalem ſine hac autem eſſe non poteſt, quia ſenſus eſt quędam paſſio animalis loquendo de actu ſentiendi. Secũdo modo intelligo, inquit, Rich. quod in beatis quilibet ſenſus erit in actu, quia paſſio talis ſenſus eſt eius ſecũdaria perfectio, & hæc erit vt idem credit, non tãtummodo per aliquam influxum ab interiori, vt fortè à beatitudine animæ, ſed etiã per ſuſceptionem à rebus quæ ſunt extra animam.

Impaſſibilitas Stoici virtutes impaſſibilitatis dixerunt, non vtique quod virtuoſi nihil ſentirent aut paterentur, alioquin lapidibus eſſent pares, ſed quia paſſionem quamlibet præuenit virtuoſus, nec ſurrepit aliqua velut effrenis atque tyrannizans rationem, ita ſcribit Gerſ. parte iij. de paſſionibus animæ. conſid. ix. Et vt idẽ ait tract. v. ſuper Magnifi. Impaſſibilitas animæ per humanam induſtriam

non

non poteſt adquiri, neque per virtutes conſuetudinales à Philoſophis poſitas. Lex itaque carnis quæ fomes dicitur, ſemper introrſus hæret ſecundum Theologos: quæ lex compeſci paulò minus poteſt aſſuefactione contraria non euelli. Nec in hac vita requiritur impaſsibilitas animę pro proſecutione fœlicitatis æternæ: manifeſtat hæc gratia Dei tanquam iugum ſuaue & onus leue, quæ ſubitò peſſimos & inueteratos dierum malorum iuſtificat, & per baptiſmum & martyrium prouehit ad cœlos. Hanc non intellexerunt gratiam & purificationem ſpiritus homines illi ſine Chriſto, ſicut nec haberi poteſt ſine Chriſto, qui eam cui vult, & quam citò vult, communicat. Patuit in illo latrone benedicto comite ſuo in paſsione & regno. Neque impaſsibilitas in via haberi poteſt, neque in patria ſine ſtabilimento gratiæ, iuxta illud: Bonū eſt gratia ſtabiliri cor. Confunditur in hoc vanitas Philoſophorum, qui crediderunt virtutibus moralibus aſcendere poſſe cœlum, vt deducit Gerſon. Paſsibilitas verò animæ fit ſæpè occaſio virtutis exercendæ: ſicut in Paulo declaratur ex vtilitatibus per tentationes varias prouenientibus, quas eſſe cum paſsionibus nemo neſcit. Vnde qui non eſt tentatus quid ſcit? Et per multas tentationes oportet nos intrare in regnum Dei. De paſsibilitate animæ ibi Gerſon, quæ à multis viatoribus tolerari potius debet, quàm vt excutiatur eniti. De impaſsibilitate quæ eſt dos, vide ſupra in dictione *Dos impaſsibilitatis*.

Impeccabilitas dicitur impotentia peccandi. Impeccabilis, qui non peccat. Et capitur tripliciter. Vno modo purè, negatiuè, ſimpliciter: & ſic lapides, & ea quæ non habent liberum arbitrium, dicuntur impeccabilia. Secundo contrariè ſeu negatiuè, & per naturam: & ſic ſolus Deus eſt impeccabilis. Tertio negatiuè per gloriam: & ſic beati in patria dicũtur impeccabiles, aut per gratiam ſingularem in via, ſicut fuit mater Chriſti. Ita Gull. Vorrilong ſcribit, & frater Pelbartus libro ſecundo Roſarij Theologiæ, In dictione *Innocentia, &c.* De quo & aliàs.

Impedire, eſt implicare & inuoluere, retardare. Poteſt autem diabolus hominem impedire, Deo permittente, multipliciter, vt ſcribit Petrus Paludan. diſtin.xxxiiij.quæſt.ij.arti.iij.libr.iiij. Habet enim ex hoc, quod eſt ſpiritus, poteſtatem ſuper creaturam corporalem ad motum localem prohibendum vel faciẽdum, vnde poteſt corpora impedire ne ſibi etiam mutuo appropinquẽt, vel directè, vel indirectè, interponẽdo ſe inter eos, & in corpore aſſumpto: ſicut accidit ſponſo, qui deſpõſauerat idolum, & nihilominus contraxit cum iuuencula, nec potuit eam cognoſcere propter hoc. Secundo modo poteſt hominẽ inflammare ad actũ illũ, vel refrigerare ab actu illo, adhibẽdo occultè virtutes rerum, quas optimè nouit ad hoc validas. Tertio turbãdo imaginationem & extimationẽ, qua reddit mulierem exoſam, quia poteſt imaginationẽ imprimere. Quarto prohibẽdo directè rigorẽ membri, ſicut & motũ localẽ cuiuſcunq; organi. Quinto prohibẽdo immiſsionẽ ſpiritũ ad membra, in quibus eſt virtus motiua, quaſi intercludendo vias ſeminis, ne ad vaſa generationis deſcendat, vel ne ab eis recedat, vel ne excidatur, vel ne emittatur, & multis aliis modis. Cùm autẽ faciũt mulieres ſortilegia cũ fabis & gallarũ teſticulis, nõ eſt credendũ quod virtute illarũ rerũ vir impotẽs reddatur, ſed occulta virtute dæmonũ illudẽte ſortiariis per illa corporalia. Plus autẽ permittit Deus ſuper hunc actũ, per quem primũ peccatũ transfunditur, quàm ſuper alios humanos, ſicut & ſuper ſerpẽtes, qui magis incãtationibus deſeruiũt quàm alia animalia. Vide latiùs Palu. qui & ponit exempla: & magis permittit Deus (vt poſt alia idẽ dicit) in peccatores dæmones ſæuire q̃ in iuſtos. Vnde Angelus dixit Tobię in illos, qui libidini vacãt, &c. accepit dæmoniũ poteſtatẽ, licèt aliquãdo in iuſtos: ſicut in Iob: propter quod debẽt facere confeſsionẽ, & huiuſmodi, ne ferro manẽte in vulnere, fruſtrà ſit malagma apponere, &c. Et poſtea cõclu.ij. Non eſt poteſtas ſuper terrã, imò nec ſuper cęlũ poſt Deũ, qui Lucifero in naturalibus valeat cõparari: nec ſemper exorciſmi liberãt, quãdoq; quidẽ propter peccatũ, quãdoq; autẽ propter bonũ hominis cui nõ expedit nubere. Vnde nec Paulum tertiò rogantẽ cõtra Angelũ ſatanę, Dominus exaudiuit. Hæc Palud. Impedit & nos aliàs in multis & bonis operationibus, diabolus. Inſidiatur enim hominibus, &c. Quare omni modo curat mortales in præcipitium interitus dare, &c.

Imperium eſt actus rationis ordinãtis cum quadam motione ad aliquid agendũ. B. Tho. prima ſecundę q.xvij.art.v. Dicitur autẽ ab impero, as, quod idem eſt quod iubere: dictũ ab in particula intentiua, & paro, quaſi ſtatim paro vel prorſus paro: & imperare eſt actus rationis. Dupliciter autem ratio illum exercere poteſt, de quo videatur Gerſon. parte ij. de delectatione an ſit peccatum.

Imperiti, indocti, illiterati, quos & Dionyſius vocat eos, qui vel non ſunt fideles, vel qui tumentes iam Philoſophia, maleq; viuẽtes, cõculcant pedibus ſuis ſordidis quicquid nõ ſapiũt, quicquid etiã nõ intelligunt, canino dente lacerãt. De his Gerſon part. iij. de myſtica Theolog. part. iij. conſiderat. xxxj. cùm ait: Sicut multis qui clerici vel literati, aut ſapiẽtes, vel Philoſophi, aut Theologi nominãtur, occultandus eſt ſermo de myſtica Theologia: ſic plurimis illiteratis, & ſimplicibus (fidelibus tamen) tradi poteſt. Vnde B. Dionyſius plerunq; obteſtatur diſcipulũ ſuum Timotheũ, vt nullis imperitorũ hęc audiat. Imperitos vocat infideles vel Philoſophia tumentes: de quibus ait Euangelica parabola: Nolite ſanctum dare canibus, neque margaritas proiiciatis ante porcos. Sed econtrà ſimplices, qui quidẽ fidem habẽt, poſſunt ex ea cõſurgere ad vnitiuũ amorem cum Deo, per fortem, ſcilicet contritionẽ mortificatiuã ſenſualitatis, trahente eos Deo vinculis præceptorum ſuorum, & manſionẽ apud eos faciente, atteſtante Iſaia, quod ſuper humilem & quietũ, & trementẽ ſermones ſuos requieſcit Dominus, &c.

Impletio ab implere, quod idẽ eſt quod farcire, replere, perficere. Impletio mandatorũ Dei dupliciter accipi poteſt, vt notat Gab. d. xxviij. q. vnic. ar. j. li. ij. Vno modo quo ad ſubſtantiã actus præcepti. Sic audiens Miſſam in die Dominica, ſubueniens parentibus, dans eleẽmoſynam in extrema neceſsi-

tate conſtituto, etiam quacunque intentione hoc faciat, implet præceptum faciendo actum præcepti. Alio modo fit impletio præcepti quantum ad intentionem præcipientis. Intendit autẽ Deus præcipiens in omni præcepto, vt illud obſeruãdo mereamur ad vitã æternã ingredi, ſecundũ illud Mat. 19. Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Poteſt autem homo per liberum arbitrium ex ſuis naturalibus diuina præcepta, quo ad actus, ſubſtantiam implere, ſed non ad intentionem præcipientis, quæ eſt conſecutio ſalutis noſtræ. Poteſt enim honorare parentes, audire Miſſam, dare eleẽmoſynam in articulo neceſſitatis ex naturali honeſtate aut pietate, non ordinãdo in Deum tanquam finem, & ita non ex gratia. Patet quo ad ſecundum ad finem, ſeu intentionem præcipientis, nullus agere poteſt ſine gratia. Ad hunc enim finem non agitur niſi per opera meritoria, quæ præſupponunt gratiam, vt ait Gabriel.

Importunitas eſt euagatio mentis ad illicita, ſecundum quod in arce mentis reſidet volentis ad diuerſa ſe diffundere. Beatus Thomas ſecunda ſecundæ, quæſt. xxxv. artic. iiij. Importunum eſſe & importunè fieri, quæ ſunt, fiuntve præter rationem loci, ſeu temporis, ſeu perſonarum. Et importunum hominem dicimus procacem, moleſtumque: à quo importunitas dicta eſt, ſicut oportunum econtrà dicimus ſiue oportunè accidere, quod pro deſiderio noſtro accidit: à quo fit oportunitas, quod commoditatem ſignificat, ab ob & portus, quod nauigantibus maximè vtiles, optabileſque portus ſint: ideo duplici pp à quibuſdã ſcribitur opportunitas.

Impoſſibile, quod fieri non poteſt. Et ſecundum aliquos, vt ſcribit Gabriel diſtinct. xiiij. quæſt. iij. artic. ij. libr. iiij. non ſemper accipitur propriè, vt negat omnem poſſibilitatem, ſed vt dicit difficultatem. Nam perfecti, de quibus loquitur Apoſtolus ad Hebræos texto: Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtauerunt etiam donum cœleſte, & participes facti ſunt ſpiritus ſancti, guſtauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtuteſque venturi ſeculi, & prolapſi ſunt, rurſus renouari ad pœnitentiam, rurſus crucifigentes ſibimet ipſis filium Dei, & oſtentatui habẽtes. Vel exprimit impotentiã naturæ noſtræ, quę poteſt per ſe cadere, non autem per ſe reſurgere. Vide latius Gabr. ibi. Vel impoſſibile, id eſt difficile, vt exponit ſanctus Bonauentura diſtinct. xiiij. libr. iiij. loquitur enim Apoſtolus de perfectis, qui difficulter reſurgunt. Vel quia non ex viribus humanis, vel vt fiat vis in pœnitentia, quam ſequitur baptiſmus. Hic enim virtutem totam habet ab hoſtia paſſionis, & de hac dicit Apoſtolus decimo ad Hebræos: Non relinquitur hoſtia pro peccato, &c. Impoſſibile autem vt negat omnem poſſibilitatem, nemo ad hoc obligatur. Vnde qui dicit Deum præcipere impoſſibile, anathema eſt, vt dicit Petrus de Palude diſt. xxxviij. quæſt. iij. artic. iiij. libr. iiij. Et aliquid eſſe impoſſibile indicamus quatuor modis vel cauſis, vt ſcribit ſanctus Bonauentura diſtinct. xlij. quæſt. iij. lib. j. Vno modo per limitationem naturalis potentiæ, vt de trunco fieri vitulum, & virginem parere, mulier enim ſine ſemine non poteſt concipere naturaliter. Item partus clauſa porta propter corpulentiam, non poteſt exire: ſimiliter natura ſtatim non poteſt truncum in vitulum conuertere, cùm habeat potentiam limitatam. Secundo modo dicitur impoſſibile, non propter limitationem potentiæ, ſed propter limitationem noſtræ intelligentię, vt duo corpora eſſe in eodem loco, vel idem corpus in diuerſis, vel maius in minori loco, quia nullo modo poſſumus capere, cùm noſtra imaginatio ſemper dictat oppoſitum. Vnde etiam quando dicitur quod Deus facit ſic in Sacramẽto altaris, neceſſe eſt vt ratio contra ſe eleuetur, vt credat. Tertio modo dicitur impoſſibile propter priuationem omnis exiſtentiæ, ſecundum omnem comparationem, ſcilicet principij, medij, & vltimi, vt præteritum non fuiſſe præteritum. Omnis enim potentia, quæ intelligitur aliquid facere, reſpicit ens vel in ratione principij, vel termini, vel vtroque modo. Et quamuis Deus de omni ente creato poſſit facere quod non ſit, ſiue de ratione ſiue de re: tamen de eo quod fuit, & non eſt, facere quod non fuerit, hoc omnino Deo eſt impoſſibile, quia hoc facere eſt nihil facere. Quarto modo dicitur impoſſibile ſecundum illuſtrationem veritatis æternæ, & ordinem diuinæ ſapientiæ: vt verbi gratia. Vt duo oppoſita inſint eidem & ſecundum idem, hæc ipſa veritas æterna, eo ipſo quod veritas eſt, iudicat & illuſtrat, & indicat impoſſibile: ſicut & hic duo & tria nõ eſt quinq;. Item impoſſibile eſt, quod ſit triãgulus & nõ ſit figura: & hoc claudit in ſe duo cõtradictoriè oppoſita. Et quoniam Deus ſic eſt omnipotẽs, vt nihil poſſit, niſi quod decet ſuam potentiã, & nõ deordinat ſapientiã: ideo impoſſibilia quædã nõ poteſt, vt quod eſt impoſſibile propter priuationẽ omnis exiſtentiæ, & quod propter illuſtrationem veritatis æternæ, non poteſt omninò. Sed quod eſt impoſſibile propter limitationem potentiæ, vel propter limitationem intelligentiæ, quod Deo eſt poſſibile propter hoc quod eius potentia non eſt limitata, ſed infinita: & ideo ſupra naturam & intelligentiam poteſt, quarum vtraque eſt arctata. Vide latius ſanctum Bonauen. Et vt ſcribit Auguſtinus xxij. de Ciuitate Dei cap. iiij. ad probandum myſterium incarnationis, contra Paganos, tria videbantur impoſſibilia ante aduentum Chriſti apud Ariſtotelem & omnes Philoſophos. Primum impoſſibile erat apud eos quod Deus poſſet fieri homo. Secundum quod mundus & maximè Philoſophi & Sapientes hoc crederent, ſcilicet Deum poſſe fieri hominem. Tertiò videbatur eis magis impoſſibile, ſcilicet quod homines ſimplices & plebei poſſent perſuadere Philoſophis & cæteris, vt hoc myſterium incarnationis crederent. Vide latiùs apud Auguſtinum, quem & refert Iacobus de Valentia, Pſalm. 86. qui & fuſius rem pertractat.

Impreſſio ab imprimo, quod idem eſt quod imitto, intus calco, obſigno. Dicuntur & impreſſiones metheorologicæ. De quibus plura colligit frater Pelbartus libro ſecundo Roſarij Theologiæ. Et quia ad Philoſophos ſpectat de his tractare, ibi ſuperſedeo, remittens ad Philoſophos. Principalem tamen cauſam earum referam omnium impreſſionum ſecundum Theologos. Eſt autem cauſa principalis

cipalis & prima omnium impreſſionum Deus creator omnium rerum. Et hoc patet ex ſcriptura, Iob 38. vbi dicitur: Nunquid ingreſſus es in theſauros niuis. Lyra. Theſauri niuis dicuntur exhalationes humidæ, ex quarum congregatione generantur niues, & etiam grandines, quando congelantur à frigore. Ideo ſubdit: Aut theſauros grandinis aſpexiſti, quę præparaui in tẽpus hoſtis, in die pugnæ & belli, id eſt ad punitionẽ hoſtium in bellis. Sicut legitur de Siſara per grandines debellato. Iudic. 4. Vnde & Augu. ſuper Geñ. dicit, quod omnes exhalationes, venti, tonitrua, & nubila, pluuiæ, niues, grandines, ignes, & ſerena, occultis imperiis Dei à ſummis ad infima, fiunt bonitate Dei. Et nota ſecundũ Hierony. vbi ſupra. Licèt Philoſophi de cauſis iſtorũ aliqua dixerunt in generali, tamẽ obſcurè & imperfectè: nec ſunt inueſtigabilia ad plenũ naturali ratione vniuerſa illa. Vnde & ſępè in talibus ſibiinuicẽ cõtradixerunt, quia cauſa determinata taliũ, ignoratur: ergo, &c. Itaq; de iſtis Philoſophi dicũt aliquas cauſas ſecundarias in generali loquendo, videlicet quomodo ex vapore ſubtili fit aqua, vel ex aëre ignis, & quod Sole appropinquãte vapori vel rori, tunc ros & vapor eleuatus, aſcẽdit & generãtur impreſſiones. Sed de pluribus illis cõſulito Philoſophos Ariſtotel. & Albertũ, & alios in libr. Methaurorũ, ſcilicet de generatione fulminis, fulguris, coruſcationis, pluuij, roris, cometæ, iridis, & aliorum, qui abundè de his ſcribunt.

Improuidentia eſt defectus intelligentiæ & ſolertiæ, pertinens ad negligentiam & inconſtantiam. Beatus Thom. ij. ij. q. liij. art. ij.

Imprudentia ſumitur tripliciter, ſcilicet negatiuè, priuatiuè, & contrariè. Prima non eſt peccatũ, ſed ſecunda eſt peccatũ ratione negligentiæ. Tertia verò ſecundũ ſe eſt peccatũ mortale, ſi ſit cõtra præceptũ Dei, aliter eſt peccatũ veniale: ex B. Tho. ij. ij. q. liiij. ar. j. Et imprudẽtia eſt generale peccatũ participatiuè, nõ autẽ eſſentiale: cuius ſunt triplices partes, ſcilicet ſubiectiuæ, id eſt monaſtica, politica, & iconomica: potentialis, id eſt pręcipitatio ſeu temeritas, inconſideratio, inconſtantia, & negligentia. Et integrales, quæ reducuntur ad potentiales, ex B. Tho. ij. ij. q. liij. art. ij. Vide & de imprudentia in dictiõne *Prudentia* infra.

Impulſus ab impellere. Et nomẽ impulſus (vt ſcribit Gerſon par. iij. Centilogio de impulſibus) priùs impoſitum fuiſſe, ait, à motu locali, tanquã notiori ſenſibus, ſed tranſlatũ tanquã ad omnes alias motiones: & principalius nomen impoſitum fuiſſe motibus violentis quàm naturalibus, ſed extenditur etiã aliquãdo ad motiones & naturales, & præternaturales, aut ſupernaturales, atq; voluntarias: extenditur etiã ad vertiginem. Et largè capiendo ſignificat omnem motionem, cuius terminus aut priuatio, quies nominatur. Quæ duo dantur intelligi in cantico Mariæ: Depoſuit potentes de ſede. Depoſitio ad motum, ſedes pertinet ad quietem. Et impropriè impulſus extenditur ad omnem mutationem etiam qualis eſt creatio, vel aëris ſubita illuminatio. Propriiſsimè verò nomen impulſus extendi poteſt ad omnem operationẽ quamlibet intrinſecam & immanẽtem, ita non habere quietem (maximè in creaturis) oppoſitam. Sic diceremus, quod omnis res poſita in loco ſuo naturali, ſe premit & impellit quodammodo in ipſum. Et ſic accipiendo, ſignificat rem perfectiorem per modum quietis in ſuo loco, quàm per modum motus ad ſuum locum non habitum. Eſt enim imperfectionis in rebus creatis, quod in ſuis locis non valeat immobili pondere ſe locare. Solus Deus eſt huiuſmodi, ſicut ſolus eſt neceſſe, ſolus in ſeipſo, ſicut in loco proprio, nec auelli poteſt, nec mutari. Secus de qualibet creatura ad diuinam potentiam comparata. De impulſibus perplura ſcribit Gerſon in pluribus locis: & tractatu viij. ſuper Magnificat, ponit ſeptem ſpecies impulſus ſecundum Pſalm. Vnus eſt timor nocturnus, & hic eſt obſcurus. Alius eſt ſubitus, ſagitta volans in die. Tertius perplexus & inuolutus, negotium perambulans in tenebris. Quartus importunus. Quintus violentus, qui pariter exeunt ab incurſu. Sextus eſt à dæmonio meridiano, qui ſe in Angelum lucis transfigurat. Septimus eſt à diuinorum curioſo ſcrutinio ſuper filios hominum, qui pereunt omnes: à ſiniſtris cadent à latere tuo mille, qui videbantur perfectiores: & decem millia à dextris, omnes fide ſignati. Horrendus nimis eſt hic impulſus. Ecce dum hic viuimus, nauigamus velut in mari magno fluctuantium cogitationum. O quàm ſæpè ſuſcitatur & inhorret ſpiritus procelloſæ tentationis permittente Deo, impellente diabolo. Vide latiùs Gerſonem de impulſibus.

In quandoque ſumitur intranſitiuè, vt ſcribit poſt Adam Gabriel diſtinct. ij. quæſt. xj. lib. j. vt cùm dicitur: Eſſentia eſt in diuinis vel in patre: ſicut cùm dicitur: Creatura ſalis, id eſt quæ eſt ſal: quia natura diuina eſt eſſentia diuina: & pater eſt eſſentia, & pater eſt ſua proprietas relatiua, ſcilicet paternitas. Idem eſt de mente Damaſceni libr. j. cap. xj. Et vt ſcribit ſanctus Bonauentura diſtinct. xxxiij. libr. j. in dubio literali. In notat diuerſas habitudines. Aliter enim dicitur pater in filio, aliter paternitas in patre, ſicut proprietas diſtincta: ſic vult dicere Magiſter, quod aliter ſunt, ſiue dicuntur eſſe proprietates in eſſentia quàm in perſona. Nam in eſſentia dicuntur eſſe propter identitatem, ita quod In, omninò dicit identitatem. In perſonis dicuntur eſſe ſicut veræ proprietates in hypoſtaſibus, & determinationes in determinatis. In creaturis autem non eſt vnus modus ſine alio, quia proprietas non omnino idem eſt cum eo cui inhæret, non ſic in diuinis. Et vt idem ait diſtinct. xxxvij. in dubiis literal. libr. j. Deus non ſolùm eſt in creaturis, ſed etiam apud ſe. Vnde Auguſtinus in libro confeſsionum: Deus eſt in ſe vt Alpha & Ω. In mundo vt creator & rector. In Angelis vt ſapor & decor. In liberatis & electis, vt liberator & adiutor. In reprobis ſicut terror & horror. Et quando dicitur, quod Deus eſt in diabolo vel adultero, hoc intelligendum eſt quantum ad conſeruationem naturæ, vt dicit ſanctus Bonauentura diſtinctione xxxvij. circa textum. Nec (vt idem ait) ſordes corporales coinquinant corpus ſpirituale, quia nec cõmunicant in materia, nec dependent, vt patet in radio, qui nõ inficitur fæcibus, quia nec dependẽt, nec cõmunicat in tranſmutabili materia. Et

ſecundum Bruleferum diſtinct.vij.quæſt.iij.libr.j. In capitur dupliciter, quandoque priuatiuè, quandoque negatiuè: vnde in omnibus iſtis: Deus eſt infinitus: Deus eſt immenſus: Deus eſt immortalis: ſi ly in tenetur negatiuè. Vnde quando ſimpliciter negat non ponendo aptitudinem, ſunt veræ & catholicæ. Si verò in teneatur priuatiuè ſeu priuanter, ſunt falſæ & hæreticæ: quia ſic exponũtur: Deus non eſt finitus: & tamen Deus aptus natus eſt finiri. Deus non eſt mortalis, & tamen aptus natus eſt mori. Item anima intellectiua indiuiſibilis, punctus eſt, inquit, indiuiſibilis. Corpus humanum eſt inæquale cœlo: ſi in capitur priuatiuè, omnes ſunt falſæ: ſi verò negatiuè, omnes ſunt veræ. Brulefer.

Inhabilis idem quod ineptus, nõ habilis, vel nõ idoneus. Et aliquis poteſt dici inhabilis reſpectu alicuius actus exercendi, duobus modis. Vno modo, quia non poteſt illum actum licitè exercere, & hoc modo ſolùm dicimur poſſe, quod iuſtè poſſumus. Alio modo abſolutè & ſimpliciter: puta quando nihil poteſt efficere, dato quod totũ illud faciat quod in ſe eſt. Sic Epiſcopus hæreticus vel alius ſubiectus pœnæ canonicæ vel Eccleſiaſticæ cenſuræ, eſt inhabilis ad conferendum ſacramentum ordinis, primo modo dicto. Non enim poteſt conferre ſine peccato mortali: ergo non iuſtè & licitè. Et hoc probatur per auctoritates Innocẽtij, Gregorij, Cypriani, Hieronymi, Leonis, quæ ponuntur à Magiſtro in tex. diſtinct.xxv. Sed ſecundo modo loquendo de inhabilitate, tunc nullus prędictorũ eſt inhabilis ad conferendum ſacramentum Ordinis ſuppoſito, quod ſeruet in ordinando formam Eccleſiæ, & intendat conferre ſacramentum Ordinis, ſicut intenditur in Eccleſia, de quo videatur latiùs Thomam Argeñ.diſt.xxv.lib.iiij.

Inanis gloria, quod Græcè dicitur κενοδοξία, eſt inordinatus appetitus manifeſtationis propriæ excellentiæ ſecundum beatum Tho.ij.ij. quæſt.cxxxij. & differt à ſuperbia, quod ſuperbia inordinatè appetit excellentiam: ſed inanis gloria manifeſtationem eius: ideo non ſunt idem, ſed prima cauſat ſecundam. Thom. de hoc videatur alias.

Incantatio ab incantare, quod propriè eſt verbis ſolis vel etiam rebus quibuſdam adiunctis aliquid ſupra naturam moliri. Eſt autem incantatio ſuperſtitioſa (ſecundum beatum Thomam ij.ij. q.xcvj. artic.ij.) & illicita, ſi continet aliquid ad dæmones pertinens, vel nomina ignota, vel aliqua falſa, vel vana, vel aliqua ſigna præter crucem: quamobrem incantatio prohibetur. Vnde Leuit.19. dicitur: Non declinetis ad Magos, nec ab Ariolis aliquid ſciſcitemini, vt polluamini per eos. Et Leuit.20. Anima quæ declinauerit ad Magos & Ariolos, & fornicata fuerit cum eis: ponam faciem meam contra eam, & interficiam eam de medio populi ſui. Et Deut.18. Quando ingreſſus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, caue ne imitare velis abominationes illarum Gentium, nec inueniatur in te qui luſtret filium ſuũ aut filiam ducens per ignem: aut qui Ariolos ſciſcitet, aut obſeruet ſomnia atque auguria: ne ſit maleficus, nec Incantator, neque Phitones conſulat, nec Diuinos, & quærat à mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus. Et propter iſtiuſmodi ſcelera delebit eos, in introitu tuo perfectus eris, & abſq; macula cum Domino Deo tuo. Gentes iſtę, quarum poſsidebis terram, Augures & Diuinos audiunt, tu autem à Domino Deo tuo aliter iuſtitutus es. Et Auguſtinus libr.j. de doctrina Chriſtiana: & habetur xxvj.q. ij. illud ait: Omnes igitur artes huiuſmodi vel nugatoriæ vel noxiæ ſuperſtitionis, ex quadam peſtifera ſocietate hominum & dæmonum, quaſi pacta infidelis, & doloſæ amicitiæ cõſtituta penitus ſunt repudiandæ & fugiendæ Chriſtiano. Idem & habetur xxvj.quæſt.vltima. Admoneãt. Admoneant, inquit, infideles Sacerdotes populos ſuos, vt nouerint Magicas artes, incantationesque quibuſlibet infirmitatibus hominum nihil remedij poſſe conferre, non animalibus languẽtibus, claudicãtibusve, vel etiam moribundis quicquam mederi, ſed hæc ſunt laquei & inſidiæ antiqui hoſtis, quibus ille perfidus genus humanũ decipere nititur: & ſi quis hæc exercuerit clericus degradetur, laicus anathematizetur. Vnde & Gregorius, & habetur xxvj. qu.v. Si quis. Si quis Ariolos, Aruſpices, & Incantatores obſeruauerit, aut Philateriis vſus fuerit, anathema ſit: nec vllo Chriſtiano incantatione vti licet, de qua & aliàs latius dicitur.

Incarnatio ſecundum Scotum eſt dependentia naturæ humanæ ad perſonam alterius naturæ, vt ad terminãtem eius dependentiã ipſam ſuſtentificando. Vel ſic & breuius: Eſt humanę naturæ ſuſtentificatio à perſona extrinſeca alterius naturę. Per incarnationem verbi nihil aliud intelligimus, vt ſcribit Gabriel diſtinct.j. quæſt.j. libr.iiij. niſi aſſumptionem humanæ naturæ à verbo in vnitatem ſuppoſiti, per quam verè Deus dicitur homo, & homo Deus. Et poſt diſtin.xxij. in Epilogo de incarnatione, dicit: Incarnatio eſt aſſumptio humanæ naturæ à verbo in vnitatem ſuæ perſonæ, propter quam Deus factus eſt homo, ſiue Deus verè dicitur homo, & homo Deus.

Incarnari eſt terminare dependentiam ſuppoſitalem naturæ aſſumptæ. Ex quo ſequitur quod incarnatio non eſt vnio naturæ humanæ ad perſonam Chriſti: ita vt fiat perſona Chriſti. Item incarnari, inquit, nõ eſt pati, ſed eſt terminare dependentiam naturæ aſſumptæ, neq; incarnari correſpõdet huic actiuo incarnare tanquam paſsio actioni, ſed huic actiuo incarnare correſpondet tanquam paſsiuum aſſumi. Actio enim incarnandi quatinus tranſit in obiectum, tranſit in naturam humanam tanquam in paſſum, non in verbum. Non enim verbum, ſed natura aſſumpta patitur, & eſt in potentia obedientiali. Incarnari igitur & incarnare, licèt ſecundum vocem habent ſe vt actiuum & paſsiuum, non tamen ſecundum ſignificationem, vt patuit. Hæc ſecundum Scotum ſcripta ſunt à Gabr. vbi ſupra.

Incarnatio, animatio, & humanatio in hoc cœleſti myſterio differunt ſecundum Guil. Scoti imitatorem, libr.iij.diſtinct.ij. Incarnatio enim dicitur reſpectu carnis aſſumptæ. Sic loquitur Gregorius: Carnem deitas mediante anima ſuſcepit. Animatio verò dicitur reſpectu animę vnitæ, ſicut ad Voluſianum dicit Auguſtinus: Animam rationalem & per ipſam corpus humanũ optauit ſibi. Humanatio

verò

verò eſt reſpectu aſſumpti hominis, vel verius reſpectu aſſumptæ humanitatis. Vnde inquit Magiſt. in litera. Me ſuſcepit, vt totũ me liberet. Iſta tñ tria quandoq; capiũtur pro ſola incarnatione, ſicut dicit gloſſa ſuper illud Ioan. primo: Verbum caro factum eſt: per carnem totus homo intelligitur. Et incarnatio poteſt intelligi tripliciter. Primò actiuè, & ſic competit verbo Dei, quod ſecum vniuit carnem. Secundò paſſiuè, & ſic competit carni vnitæ. Tertiò actiuè & paſſiuè ſimul pro ipſa vnione humanitatis ad verbũ diuinum. Neceſſariũ autem fuit verbum Dei incarnari. Tum propter reparationem humanæ naturæ. Tum propter perfectionem vniuerſi, vt inquit frater Pelbartus li.iij. Roſarij Theo. & paulò poſt latiùs dicetur. Et in incarnatione (vt dicit Gab. di.ij. q. vnica, lib. iij.) tria conſiderantur, ſcilicet corporis formatio, formati corporis animatio, & animati corporis aſſumptio ſiue vnio eius cum verbo. In formatione corporis duplex concurrit motus ſeu mutatio, ſcilicet localis & alterationis. Localis qua materia corporis transfertur ad locum generationi deputatum: puta ſanguis matricem, etiam materiæ condenſatio in matrice, non fit ſine locali mutatione. Secundò concurrit motus alterationis, qua materia in loco debito alteratur, & diſponitur ad ſuſceptionem formæ ſpeciuocæ. Fit autem illa diſpoſitio per multas alterationes ad diuerſas formas accidentales, & fortè generationes ad diuerſas formas ſubſtãtiales, donec vltimatè diſponitur materia ad receptionem formæ ſpeciuocæ, quæ eius vocatur organizatio. Extendit hoc Gab. In animatione producitur ipſa anima in materia diſpoſita, & ipſa productiuè vnitur materiæ, quæ vnio eſt ipſa animatio. Nam ſi per diuinam potentiam forma ſpeciuoca prius tẽpore produceretur in materia, & pòſt vniretur in hoc caſu ante vnionẽ, non eſſet animatio. Vnio autem animati corporis cum verbo, eſt realiter & formaliter ipſa incarnatio: vnio dico ſuppoſitalis. Et corporis Chriſti conceptio, animatio & aſſumptio, in Virgine perfecta eſt, non temporaliter, ſed inſtantaneè, id eſt tota ſimul. Nam priuſquam Virgo conſenſum expreſſit, dicens: Ecce ancilla Domini, &c. Non videtur fuiſſe operatio aliqua ſpecialis ad Incarnationem, ſed vltimo inſtanti verborum corporis formatio, animatio, & aſſumptio ſimul completa eſt, vt latiùs probat Gab. vbi ſupra. Fuit autẽ opus incarnationis maximę gratiæ, vt & vult Augu. & maioris quã beatificationis. Latiùs Gab. di.j.q.ij.ar.ij.lib.iij. Et iſta benedicta incarnatio à tota Trinitate indiuiſe eſt effecta efficiẽter: licèt ad ſolam perſonã verbi ſit terminata, quia filius inquantũ homo, à tota Trinitate dicitur miſſus, prout explicatur Iſa.44. vbi dicit filius: Dominus miſit me & ſpiritus eius. Et hoc vult Iacob. de Valen. Pſal.44. & Pſalm.71. vbi explicat mirabilẽ modũ illius incarnationis per vellus Gedeonis. Quod myſterium incarnationis (vt ipſe ait) eſt nobis incõprehenſibile, & inſenſibile, & ineffabile. Arca quoq; teſtamẽti figurabat incarnationem Chriſti, vt idẽ ſcribit Pſal.79. Nam humanitas Chriſti eſt verũ tabernaculũ verbi Dei, in quo latebat verbũ ſiue diuinitas. Et ſicut in arca fœderis tria erant incluſa, ſcilicet tabulę legis, & virga Aaron, & vrna Mannę: ita in illa humanitate tria erãt incluſa, ſcilicet verbũ, & anima Chriſti, & caro: & ſic Chriſtus erit Deus, & Rex, & Sacerdos, & homo. Plura ibi Valentia. Tempus autem incarnationis dicitur tẽpus plenitudinis multiplici de cauſa: vt ſcribit ſanctus Bonauentura diſtinct.j. libr.iij. circa textum. Primò, quia Deus impleuit quod præfinierat. Vnde ſuper illud Galath.4. At vbi venit plenitudo temporis. Gloſſ. completum eſt tempus quod præfinierat pater, quando mitteret filium ſuum. Alia ratio eſt propter impletionem promiſſionis, quia ille nobis datus eſt qui fuerat repromiſſus. Vnde ſuper Ioan.1. Plenum gratiæ & veritatis. Gloſſa, quo ad impletionem promiſſorum. Tertia ratio eſt quantum ad completionem figurarum, quia in aduentu Chriſti figuræ veteris teſtamenti, ſunt impletæ veritate. Matth.5. Non veni ſoluere legem, ſed adimplere. Quarta ratio eſt propter plenitudinem gratiæ, quæ fuit in Chriſto, quæ fuit principium omnium plenitudinum. Vnde Coloſſ.2. In Chriſto habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Quinta ratio propter plenitudinem generationis, quæ eſt viri de ſola muliere: & hæc eſt conſummata in Chriſti incarnatione. Sexta ratio, quia tempus incarnationis eſt tempus ſextæ ætatis, in qua quidem eſt plenitudo & perfectio, vt ſicut mundus in ſexta die eſt cõſummatus, ſic in ſexta ætate ſit reparatus. Et de his ætatibus dicitur in dictione *Ætas*. Sexta autem eſt à Chriſto vſq; in finẽ. Hæc Bona.

Incarnationis rationes & cõgruitates Doctores ſancti plures ponunt. Sed ſanctus Bonauentura in Breuiloquio li.iiij.ca.j. reducit ad tres: & in tertio ſcripto diſtinct.j.quæſt.v. reducit ad quatuor. Thom. iij. parte, quæſt.j. artic.ij. & in tertio ſcripto. Gerſon parte ij. ſermone facto in die natiuitatis, illam potiſſimam cauſam veniendi ponit ſecundum atteſtationem ſanctorum, vt peccatores ſaluos faceret: & præcipua fuit noſtræ carnis purgatio. Latiùs ſcribit Gerſon. Et idem parte iiij. ſermone de eodem feſto, ponit alias cauſas. Gabriel diſtinct.ij. quæſt. vnica, libr.iij. art.iij. dub.ij. congruitates tres ponit Dominicæ incarnationis, quas diffuſe ibi recitat. Vide ſi placet. An autem Chriſtus eſſet incarnatus, nihilominus ſi homo non peccaſſet? conſulito Gabrielem dub.iij. vbi ſupra, recitantem de hoc opiniones Sanctorum & Doctorum, quas breuitatis gratia omitto. Vide autem ad hoc ſanctum Bonauen. in principio iij. & Gerſo. parte iij. ſuper Cantica canticorum ſympſalmate.v. Et quemadmodũ hominis præuaricationẽ præceſſit diabolica tentatio: ita incarnationem debuit præcedere Angelica ſalutatio, vt ſic ordo reparationis correſpõdeat ordini præuaricationis. Latiùs ſanctus Bonauentura libr.iij. circa textum. Opus autem incarnationis non ſine cauſa dilatũ eſt in finem mundi. Et licèt rationes temporum, quæ pater in ſua poteſtate poſuit, non eſt noſtrum cognoſcere, vt dicitur Actuum 1. tamen dubiũ non eſt quin ſapientiſſimus diſpoſitor temporum Deus, omnibus ſuis operibus congruentiſſimũ tempus elegit, quamuis hæc cõgruitas à nobis plenè in via ſciri non poſſit. Ponunt tamen Doctores varias rationes, cur in finem mundi Dominus opus incarnationis diſtulerit. Quarum vna eſt ſecundum ſanctũ Bonauen. diſt.j.quæſt.ij. libr.iij. Et poſt eum Gabriel ſcribit

dubio iiij.d.ij.lib.iij.manifeſtatio ſeueritatis vltionis diuinæ, quæ tantos patrum clamores ſuſtinuit antequam Redemptor mitteretur, & tanto tempore Adam cũ ſua poſteritate in limbo carceratus teneretur. Secunda, quia congruum fuit vt homo priùs conuinceretur de ſua ignorantia & impotentia, vt ſic humiliatus ſuis defectus cognitione confugeret ad gratiam Dei, & ſic capax remedij redderetur. Tertia, vt dilatione tanti beneficij creſceret deſiderium. Quod enim amplius deſideratur, & diutius differtur, precioſius reputatur. Quarta ratio, quia diſtantia à principio facit debilitatem in effectu. Et ideò quanto plus diſtant homines à principio ſalutis Chriſti, ſcilicet incarnatione, tantò magis debilitatur deuotio. Vnde ait Dominus, quod in nouiſſimis temporibus charitas refrigeſcet multorum. Vnde ſi à principio incarnatus fuiſſet, totus feruor deuotionis periiſſet. Dilata eſt igitur vtiliter ad finem ſeculorũ, quo minus effectus eius longo tractu temporis, tandem deficeret. De hoc latiùs Bonauentura & Gabriël ſcribit. Et de hac benedicta incarnatione multa agit Gabriël per plures quæſtiones, quas diligens lector & amator diuinæ ſapientiæ & liberaliſsimę Dei voluntatis, quam in opere incarnationis oſtendit, legere poterit: inueniet pulchra & notanda, & quæ poſſent mouere hominem ad diligendum Deum; qui ex maxima in nos charitatẽ hoc incarnationis opus ad noſtram vtilitatem perficere voluit, quæ ſingula breuitatis gratia omittere volo, ne ſicut in alijs multis, quæ reſcindo, faſtidio ſim lectori: legat qui voluerit loco allegato: imò amanti nihil longum erit faſtidioſum, &c. Videat ergo alias.

Incendere eſt inflammare, & vt ſcribit ſanctus Bonauentura di.viij.part.ij.qu.v.libr.ij.ſentent. Incendere eſt actus tranſlatus à corporalibus ad ſpiritualia. In corporalibus autem incendere, non eſt ignem generare, ſed potius igni pabulum miniſtrare, vel applicando ignem combuſtibili, vel combuſtibile igni. Sic & in ſpiritualibus ignis eſt concupiſcentia vel libido peruerſa. Pabulum iſtius ignis ſunt cogitationes & affectiones carnales, & terrenæ, & delectationes fœdæ. Incendere igitur eſt cogitationes & delectationes, vel affectiones malas ſubminiſtrare: non vt principale agens, ſed vt excitans & mouens: vnde oppoſito modo ſe habent immiſsio & incenſio, ſecundum Doctores. Nam immittere reſpicit agens principale, Incendere agens non principale, ſed excitans & ſubminiſtrans. Et quoniam diabolus poteſt nos ad malas cogitationes & affectiones excitare. Licèt non poſſit eas in nobis ſua poteſtate efficere, vel principaliter & effectiuè imprimere propter voluntatis humanæ libertatem, quæ eſt domina ſui actus, ſed poteſt nos mouere & excitare ad eas formandas. Ideo dicitur à Sanctis & Doctoribus, incenſor malorum, non immiſſor. Vnde Gregorius ſuper Iob 6. dicit, quod diabolus habet excitare ſtimulũ concupiſcentiæ carnis: ſicut etiam faciebat Apoſtolo Paulo. Auguſtinus etiam dicit: Vir & mulier, ignis & palea: Et hunc & hanc diabolus incendere non ceſſat, propter quod & diabolus cocus dicitur, vt & ſcribit Bruleſer diſtinct.viij.quæſt.xj.ſecundum illud Oſee 8. Omnes adulterãtes, ſicut clibanus ſuccenſus à coquente. in Gloſ. Clibanus ſuccenſus eſt peccator vel fornicator, Coquus diabolus. Et ſecundum eundem, incendere ſpiritualiter eſt miniſtrare malas affectiones vel intellectiones, quæ inclinant ad flammã libidinis: quare diabolus non immiſſor, ſed incenſor dicitur. Quid autem ſit immiſſor, dictum eſt ſupra.

Incendiarius propriè dicitur, qui ciuitatem, caſtrũ, domum, ſegetem, & ſimilia aliena incendit malo ſtudio, vt odio, vel vindicta, vel animo iniuriandi, vt patet xxiij.quæſt.viij.peſsimam. & xij.quæſt.ij. Quiſquis deuotiſsimam. De quo ſcribit & frater Oſwaldus libr.iiij. Roſarij Theologiæ. Secus ſi quis incenderet negligentia, vel caſu, vel iuſto bello. Incendiarij autem & effractores Eccleſiarum cum ſpoliatione, ſunt excommunicati ipſo iure: ſed incendiarij aliorum locorum, niſi excommunicetur, vel per ſtatuta, vel alio modo: ante tamen denunciationem non ſunt mittendi ad ſedem Apoſtolicam, &c.

Inceſtus (vt ſcribit Magiſter di.xli.lib.iiij.) eſt conſanguinearum vel affinium abuſus. Vel vt inquit Paludenſis di.xlij.qu.4.libr.iiij. Inceſtus eſt concubitus, & non niſi cum vera cognata vel affine. Et non eſt inceſtus niſi in gradu prohibito lege naturæ, à qua eſt ſola conſanguinitas vel affinitas vera. Vnde inceſtuoſi dicuntur, qui conſanguineis vel affinibus abutuntur. Committitur itaque inceſtus (vt ſcribit Bruleſer di.xxxiiij.qu.vj.lib.iiij.) quando aliquis cognoſcit conſanguineam ſuam, vtputa ſororem, matrem, aut cognatam: vel quando cognoſcit affinem: vtputa ſororem vxoris ſuæ. Beatus Thomas ij.ij.qu.cliiij.artic.j.ait: Inceſtus eſt cum perſona conſanguinea vel affini coitus prohibitus quadruplici ratione: quia naturaliter homo debet quandã honorificentiã parẽtibus, & per conſequẽs alijs conſanguineis. Secundò, quia perſonas ſanguine coniunctas, neceſſe eſt ad inuicem conuerſari. Tertiò, quia per hoc impediretur multiplicatio amicorum. Quartò, quia quum naturaliter homo conſanguineam diligat, ſi adderetur amor qui eſt ex cõmixtione venerea, fieret nimius ardor amoris, & maximũ libidinis incentiuũ, quod caſtitati repugnaret, Thomas: Dicimus autem inceſtum & inceſtus, quaſi non caſtus. Hinc inceſto verbum, quod ſignificat fœdo, polluo. Virgilius.

Totamq; inceſtat funere claſſem.

Eſt autem vitium deteſtandum & pœna prohibitum. Vnde Leuit.20. dicitur: Qui ſupra vxorem filiam matrem eius duxerit, ſcelus operatus eſt, viuus ardebit cum eis, nec permanebit tantum nephas in medio veſtri. Auguſtinus libr.de adulterinis cõiugiis. & habetur xxxij.q.vij. Adulterij. Adulterij malum vincit fornicationem: vincitur autem ab inceſtu. Peius eſt enim cum matre quàm cum alia vxore concumbere. Vnde Gregorius ad Felicem Epiſc. & habetur xxxv.q.iij. Nec eã. Nec eã quam aliquis ex propria cõſanguinitate coniugẽ habuit, vel aliqua illicita pollutione maculauit in coniugiũ ducere vlli Chriſtianorũ licebit, quia inceſtuoſus eſt talis coitus, & abominabilis Deo & cunctis bonis hominibus. Inceſtuoſos verò nullo cõiugij nomine deputãdos à S.Patribus ſtatutũ eſſe legimus, &c.

Incipiens

Incipiens, inchoans. Incipientes apud Theologos & Prædicatores, vel Concionatores verbi diuini ſæpè memorantur, & de eorũ ſtatu. Eſt enim ſtatus incipientiũ, proficientiũ, & perfectorũ. Quos Gerſon par.ij.ſer.de dominio Euãgelico facto in cœna Domini, cõparat ætati, cùm ait: Sunt nõnullę in ipſo profectu ætatis diſtãtiæ. Itaq; aliquis dici poteſt infantulus, ſicut incipiẽtes. Aliquis puerulus, vt proficiẽtes. Aliquis adoleſcẽtulus, vt perfecti. Sed nunquam pertingunt in hac regione ad plenã virilem ætatẽ, creſcant in Deũ moriendo neceſſe eſt. Infantulos dicimus nouiter ablutos & renatos per baptiſmũ aut pœnitentiã; quo ad primũ articulum vel titulũ puerulos maiuſculos, qui proficiũt ad vitiorum expugnationẽ, quo ad ſecundum. Adoleſcentulos deniq;, qui cum Ben-iamin adoleſcẽtulo ſunt in mẽtis exceſſu per liberam diuinorũ contemplationem & fruitionem, quo ad tertium. De his idem Cancellarius part.iij.de myſtica Theologia practica, conſiderat.ix. Perfecti ſunt qui vtroq; tempore ſciunt vti per arma iuſtitiæ à dextris & à ſiniſtris, velut ambidextri, dicentes cũ Apoſtolo: Scio abundare, & ſcio penuriam pati: gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. At verò de incipientibus & proficientibus videtur experientia cum ſcripturarum auctoritate doctrix eſſe, quod plus eis prodeſt tempus aduerſitatis, ſiquidẽ ipſa moderata ſit: & talis quę iudicium rationis integrum cuſtodiat, & in qua Dei munere patientia prouentum operetur. Hæc eſt antipariſtaſis quædam ſpiritualis, quæ contrarium fortificat. Hæc eſt cos ferrum exacuẽs. Hæc abſynthium pueros ablactans, auellensque ab vberibus. Hæc malleus dilatans & extendens in tribulatione (inquit Pſalm.) dilataſti mihi. Hæc lima poliens, mundans, æruginans, clarificans. Hæc fornax in qua aurum purgatur vt rutilet. Hæc virga qua percuſſus eripitur ab inferno, vt dicat tribulatus ex ſententia: Domine, ſi ſic viuitur, & in talibus vita ſpiritus mei, corripies me & viuificabis me. Ecce in pace amaritudo mea amariſsima. Et illud: Ingrediatur putredo in oſsibus meis, & ſubter me ſcateat, vt requieſcam in die tribulationis, & aſcendam, ſcilicet per contemplationem, ad populum accinctum noſtrum, ſcilicet ſummorum ciuium. Aduerſitas itaque (vt vult Gerſon) potentiori quadam manu mouet eos eripere ſe ab hoc limo profundo, & à terra ſe ſubleuent, dum illic tribulationem & dolorem inueniunt, agunt ſtudioſius, quod Propheta ſubiunxit: Et nomen Domini inuocaui. Plura Gerſon aliàs & Gabriẽl de incipientibus, proficientibus, & perfectis.

Incongruitas eſt duplex, vt ſcribit S.Bonaue.di.iiij.q.iij.li.j. Vna eſt ex diſcohærentia accidentium, vt Catonis eſt. Alia ex diſcohærentia intellectuum, vt cùm dicitur: Plures Petri. Prima incõgruitas tollit veritatem & falſitatem. Secunda verò incongruitas habet falſitatem coniunctam, & ideo quia per negationem remouetur falſitas: & ſancti malunt loqui verè quàm proprietatem ſermonis ſeruare, & loqui minus verè, ideo negant plures deos. Poteſt tamen dici (vt idem ait) quod quamuis hęc vox dij non ſit vox ſignificatiua ſecundum artem, & impoſitionem, tamẽ eſt vox ſignificatiua ex accommodatione vſus: vt olli pro illi: & ideo generat falſum intellectũ, affirmatiua & negatiua verũ, quamuis non Grammaticè. Hæc Bonauen.

Inclinatio ſecundum Occam qu.xix. tertij quotlibet. & qu.iiij. tertij ſentent. & poſt eum Gabriel di.xxiij.q.j.art.iij.dub.iij.lib.iij. accipitur dupliciter. Vno modo largè, & ſic nihil aliud eſt quàm eſſe in potentia ad aliud ſine omni actiuitate ad contrarium. Sic dicitur materia inclinari ad omnem formam, ad quam eſt impotentia: & ſic inclinatio nihil addit ei quod inclinatur, ſed eſt ipſa forma vel materia, quæ eſt in potentia ad aliud. Secundò accipitur ſtrictius, vt addit actiuitatem ei quod inclinatur. Et ſic inclinari eſt eſſe in potentia naturali ad aliquid reſpectu, cuius habet actiuitatem. Illo modo materia non inclinatur ad quamcunque formam. Materia enim reſpectu formæ, nullam habet actiuitatem: & illo modo accipitur cùm habitui attribuitur. Actus autem inclinationis, quia non eſt in poteſtate voluntatis, ſicut nec habitus vitioſus poſtquam fuerit acquiſitus, non imputatur ad peccatum, vt idem Gabriẽl dicit vbi ſupra. Et per hunc modum excuſantur primi motus à peccato. Et hoc videtur Auguſtin. iij.de libero arbitr. iuxta finem dicere, quod non eſt in poteſtate noſtra, quibus viſis tangamur: quibus viſis per intellectum tangamur, per affectũ, ſcilicet voluntatẽ. Non ergo ſunt illi motus primi peccata, neq; etiam meritorij ſi fuerint ab habitu virtuoſo. Et licèt voluntas nõ ſit libera, quantũ ad actum illius inclinationis, eſt tamẽ libera ad non ſequendum eum. Poteſt enim ex ſua libertate ſecundum inclinationem gratię actũ contrarium elicere cum maiori conatu, & auertere intellectum à conſideratione prioris obiecti, vt ceſſet primus actus ſiue inclinatio. Nam habitus quandó ſtat ſub actu cõtrario, tunc nõ inclinat, neq; habitus ille cogit voluntatẽ ad conſentiendũ ſuæ inclinationi actu elicito libero, quin poſsit elicere actũ contrariũ diſſentiendo: licèt quandoq; difficile ſit nón cõſentire. Vide latiùs Occam q.iiij.iij.ſen. Naturalis autem inclinatio ad multa hominẽ diſponit vel impedit: vt ſentit Gerſon parte iij. de myſtica Theologia practica, quod & exemplificat. Inſerere bonam naturam innatam à parẽtibus, vel aliunde, vel in iuuẽtute acquiſitã, dicit eſſe mirabiliter operoſam. Eſtq; (vt idem inquit) Philoſophi cõmune dictũ, animas inſequi corpora, quod experimento quotidiano cognitũ ſic accipiendũ eſt, vt nõ neceſsitatis vel coactionis ſit hęc ſequela, ſed inclinationis. Iuuat autẽ miris modis ad operationes has vel illas conformitatis inclinatio naturalis, ſicut ex aduerſo diſſonãs tantùm obeſt, quod vix libertas animi, vix diſciplinatio, vix conatus aſſuefactionis ſufficit euincere. Vide latiùs Gerſonem ibidem, inclinationes itaque bonæ naturales pro ſingulari Dei gratia habendæ ſunt, &c.

Inconſideratio eſt ſpeciale peccatum imprudentiæ, vt ſcribit ſanctus Thomas ſecunda ſecundæ, q.liij. ar.ij.& opponitur rectitudini iudicij in moralibus. Eſt enim, vt idem vult inconſideratio defectus iudicij in agibilibus humanis, proueniens ex eo quod contemnit vel negligit, attendere ea ex quibus rectum procedit iudicium, &c.

Inconſtantia eſt ſpeciale peccatũ imprudẽtię (vt dicit B. Thom. ij. ij. q. liij. art. ij. Deficiens à perficiendo bonum propoſitum, cuius principium eſt in appetitu, finis autẽ in intellectu, vt ibidem vult ar. v. Inconſtantia circa abſtinentiã à delectabilibus eſt filia luxuriæ, licèt etiã, quæ eſt in terribilibus, oriatur ex luxuria: & eſt, quando quis non ſtat conſtãs in propoſito, ſed ſine cauſa rationabili, ex aliqua paſsione, præcipuè ex amore concupiſcentiæ, facit contrarium illius quod deliberauerat: de hoc vide Gerſonem part. ij. de vitio ſeu peccato luxuriæ.

Incontinentia ſecundum Aulum Gellium, eſt quum à quibus rebus, voluptatibusque nos tenere debemus, non tenemus. Et vt dicit B. Tho. ſecunda ſecundæ q. clv. art. ij. propriè eſt circa concupiſcentias tactus, ſecũdum quod eſt circa honores, diuitias, & huiuſmodi. Impropriè verò eſt circa virtutes. Prima eſt peccatum dupliciter, ſcilicet recedendo à ratione, & immergẽdo ſe turpibus. Secunda tantum primo modo. Tertia verò non eſt peccatũ, ſed eſt perfectio virtutũ: & ſecundũ eundem Thom. duæ ſunt ſpecies incontinentiæ, ſcilicet præuolatio conſilij & debilitas in præconciliatis. Vide & de hoc Gerſonem part. ij. de cælibatu & caſtitate Eccleſiaſticorum, actu. iij. & apud alios, &c.

Incorporeum. Aliquid dicitur eſſe incorporeum dupliciter, vt ſcribit Gabriël di. viij. q. j. li. ij. Vno modo quod non indiget ſolatio corporis, nec propter ſe, nec propter alios: & ita ſolus Deus eſt incorporeus. Alio modo quod nõ indiget propter ſe. Vnde Bernard. homel. ij. ſuper Can. Demus ſoli Deo ſicut immortalitatem ſic incorporeitatem, cuius natura ſola, neque propter ſe, neque propter alium ſolatio indiget inſtrumenti corporei. Liquet autẽ omnem ſpiritum creatum corporeũm indigere ſolatio. Hęc Bernardus. Sed (vt ait Gabriël vbi ſupra.) quãtum ad operationes proprias, nullo modo corporibus adiuuatur: indiget tamen corpore aliquãdo in miniſterio aliorũ, ſeu propter alios: ſicut Angelus cùm mittitur, indiget quãdoq; corpore propter eos quibus mittitur: & illo modo Angeli ſunt incorporei, tam boni quàm mali: ita quod non habent corpora ſibi vnita tanquam partem ſui eſſentialem. Hinc Dionyſ. de Diui. nom. cap. iiij. circa principium, intelligibiles omnes, ſpiritualesque ſubſtantiæ veluti incorporales & omni materia carentes, intelliguntur. Sed quod Greg. in homel. Epiphanię, nominat Angelum animal rationale trãſumptiuè pro omni illo quod habet rationem vel intellectum. Et primo modo accepit Bern. incorporeum, vt patet ex textu verborum ſuorum, vbi ſupra.

Incorruptio idem quod integritas, perfectio, &c. Alia autem eſt incorruptio quam tenemus in via, atq; alia quam poſsidebimus in patria. De qua ſcribit Gerſon part. ij. in ſerm. de verbis Domini; Venite ad me omnes qui laboratis. Incorruptio patriæ eſt impaſsibilitas corporis, & æterna ſtabilitas cordis. Incorruptio verò viæ, eſt caſtitas corporis & puritas mentis. Vnde ad commendationẽ ſponſæ dicitur in Cant. Pulchra es & decora filia Hieruſalem. Pulchra, videlicet mundicia corporis: decora, puritate mentis. Veruntamen hoc ſciendũ, quod hanc ipſam vię incorruptionẽ perfectè nequaquam obtinere poſſumus in hac vita. Latiùs probat Gerſon, &c.

Incubus dicitur dæmon conueniens cum muliere. Succubus autem dæmon cõueniens cum viro. Beatus Tho. par. j. q. lj. ar. iij. Vide in dictione *Dæmon*.

Indeuotus, quandoq; accipitur (vt ſcribit S. Bonauent. d. ix. ar. ij. q. iij. in ſolut. argu.) pro illo qui accedit ad Euchariſtiã cum peccandi propoſito. Vnde dicitur In gloſ. 1. Corinth. 11. Indignè mãducat, qui accedit infidelis vel indeuotus, & peccator eſt indeuotus, quia charitas facit deuotum, qua caret peccator, &c.

Indignatio eſt dolor perturbans propter res ſecundas indigno collatas, ſecundum Ariſtot. lib. 2 Rhet. Et indignatio pro filia iræ ſumitur, quia quis non valet videre vel audire eum cui iraſcitur, ſecundum beatum Tho. ij. ij. q. xxxvj. ar. ij. Et venit ab indignus: ita & Indignor iraſcor, & indignabũdus iraſcens: & indignè, hoc eſt præter merita, & indignanter per indignationem.

Indiuiduum, Græcè ἄτομον, & eſt id quod indiuiſum eſt in ſe, & diuiſum à quolibet alio vltima diuiſione. B. Tho. j. part. q. xxix. art. iiij. Et indiuiduum dicitur dupliciter (vt ſcribit S. Bona. di. x. q. iij. l. b. iij.) Vno modo, quia dicitur de vno ſolo: & hoc modo indiuiduum dicitur quod eſt indiuiſum in ſe, & ſic abſque dubio Chriſtus ſecundum quod homo, eſt indiuiduum. Alio modo dicitur indiuiduum, quod eſt ab aliis diuiſum, & ſubſiſtit in ſe & per ſe. Hoc modo accipiẽdo indiuiduum humana natura in Chriſto nõ eſt indiuiduũ, eſt enim vnita verbo increato, ſicut ſuo ſuppoſito. Indiuiduũ ſecundum Gabr. lib. j. ſen. di. xxiij. q. vnica, ar. j. eſt res ſingularis ſiue totalis, ſiue per ſe ſubſiſtens, ſiue alteri innitens: vnde quęlibet res exiſtens eſt indiuiduum, quia quęlibet eſt ſingularis. Nam velle aut eſt ens rationis tantũ, aut ſi eſt ens reale, eſt ſingularis res, licèt ſignificando & prędicando ſit cõmunis. Et indiuiduum dicitur, quod de vno ſolo prædicatur. Et illud (inquit Gab.) non eſt quid nominis Indiuidui, ſed terminorum ſingularium, qui dicuntur indiuiduum. Latiùs apud Dialecticos videto de indiuiduo.

Induere Chriſtum (vt ſcribit S. Bona. di. iiij. libr. iiij. circa textum) eſt aliquem habitum accipere, per quem homo fiet aliquo modo conformis Chriſto. Vnde Auguſtinus in li. de Baptiſmo: & refert eum Magiſter di. iiij. li. iiij. Induunt homines Chriſtum aliquando vſque ad ſacramenti perceptionem, aliquando vſque ad vitę ſanctificationem: atque illud primum bonis & malis poteſt eſſe commune, hoc autem eſt proprium bonorum & piorum. Omnes ergo qui in Chriſti nomine baptizantur, Chriſtum induunt, vel ſecundum ſacramenti perceptionem, vel ſecundum vitę ſanctificationem: induunt enim Chriſtum, quem per gratiam inhabitantẽ habent.

Indulgentia (ſecundũ Archidiaconũ extra de pœni. & re. cap. Indulgentiæ. libr. vj.) quandoque dicunt remiſsionem pœnæ, quandoq; conceſsionem gratiæ, quandoq; diſpenſationem, quandoq; accipitur pro vacare ſeu operã dare, indulgere. vnde dicitur: Indulgere gulæ noli, quæ ventris amica eſt. Eſtque indulgentia mollis & delicata permiſsio. Quintil.

Mollis

Mollis illa educatio quã indulgẽtiam vocamus, ner uos omnes & mentis & corporis frangit. Eſt enim indulgere obſequi & aliquid delicatè concedere.

Accipitur & pro venia & peccatorum remiſsione. Et indulgere pro ignoſcere, in quo quidem carpũt theologos, & vt mihi videor non bene, quoniam ipſi theologi accipiunt vocabula, & ſi non ſemper in ſenſu proprio, vt ipſi Poëtæ & Oratores ſumũt, attamen in ſenſu proprio, vel vt deſeruit ipſis. Sunt enim nomina (vt aiunt) ad placitum. Audi eloquentiſsimum theologum Paulum Corteſium vocabulo indulgentia vtentem libr. iiij. ſuarum ſententiarum. di. iij. cùm ait. Quamquam aliqua theologorum diſſenſione certatur, cuiuſmodi ſenatus indulgentia dicatur. Et paulò pòſt. Quamquã vehemẽter hoc indulgentiæ auctoramentum ad mulctæ liberationem valiturum dicatur (vt theologi volũt) vehementius tamen quædam per ſolutionis genera, ob eſſentiæ præmium mereri quod longè ſit temporariæ mulctæ liberatione præſtantius. Hæc Corteſius eloquentia clarus, qui & alia de indulgentia ibi notat. Accipiamus hic & ſecundũ Theologos indulgentia pro his quæ dantur in eccleſiis. Et diffinitur ſic. Indulgentia eſt quædam remiſsio pœnæ debitæ pro peccato poſt cõtritionem habitã de Deo, vt colligitur extra de pę. & re. c. quod autem. Quas quidem indulgentias dant Prælati. Vel indulgentia eſt pœnæ relaxatio, quam quis iuſtè pro culpis propriis facere debuiſſet de theſauro Eccleſiæ ad diuinam iuſtitiam perſoluendã ſumpta, & (vt dicũt) indulgentiæ ſolùm reſpiciunt pœnam, non culpam, & ita non à culpa, ſed à pœna abſoluũt. Exprimũtur autem indulgentiæ diuerſis vocabulis, vt ſcribit frater Oſualdus libr. iiij. Roſar. Theologiæ ſecundum Gloſ. ſuper Cañ. Accepiſti de ſponſa duorum eſt vulgare Italicorum. Et dicitur carena à carentia hominum vel etiam cibariorum: Nam in illis xl. diebus homines includuntur in aliquo loco ſecreto iuxta eccleſiam, vbi non habent conſortium hominum. Vnde colligitur ex geſtis ſumniorum pontificum. Differentia eſt inter ſeptenam vel ſeptenarium, quadragenam & carenam, quæ etiam carentena aliquando dicitur. Nam Clemens papa primus conſtituit quadragenam, per quam deſignauit pœnitentiam xl. dierum cum ſeptem annis ſequentibus, quam pœnam iniungebat ratione vnius peccati mortalis, ita quod per iſtos vij. dies pœnitentes excludebantur ab Eccleſia, & incedebant capite diſcooperto, ſparſo crine, & poſt eoſdẽ dies iniungebatur eis pœnitentia ſeptennis. De quo vide latiùs alios, & fratrem Oſualdum vbi ſupra. Et infra hos annos ſeptem non vtebantur carnibus, nec vino, nec etiam lecto nec balneo, ſed dormiebant in terra aſpera vel lapide. Et expletis illis annis licuit ipſis primo communicare corpore dominico. Septenã Innocentius papa iniungebat primus pro vno peccato mortali, & pœnitẽtia huiuſmodi vocabatur ſeptenaria vel ſeptena Innocentij. Et quid pœnitentes ſingulis illius pœnitentiæ diebus facere tenebantur, legito apud alios. Sed carena ſiue carentena erat pœna includens pœnitentiam quadragenę & ſeptenæ, quia ſic pœnitentes abſtinebant à cibis, & à conuerſatione hominum, & ieiunabant in pane quadraginta diebus, licèt modò canones pœnitentiales ſint arbitrarij pœnæque arbitrariæ. Modò autem papa dans quadragenã vel ſeptenam vel catenam in literis indulgentiarum, prætẽdit abſoluere illos qui debitè vtuntur indulgentiis, vel tantam gratiam conferre remiſsionis quantam iſti per eaſdem pœnitentias meruerunt. Et ſic per annum pœnitentialem cõfert tantam gratiam remiſsionis, quantum homo mereretur per ſe pœnitendo per annum. Valent autem indulgentiæ, vt eſt communis doctorum opinio, ex abundantia meritorum Chriſti, & ſanctorum quæ vltra merita Chriſti ſancti ſuſtinuerunt. Sed Franciſ. Maro. in tractatu de indulgentiis, dicit: quod cùm merita ſanctorum ſint vltra condignũ remunerata à Deo, & ſic exhauſta quod ſolùm dantur ex merito Chriſti & paſsionis eius, cuius minima gutta ſanguinis vel ſudoris ſufficeret ad expiationem omnium peccatorum, quæ vnquam fuerunt perpetrata vel perpetrabuntur. Sed illud non videtur vt probat frater Oſualdus libr. iiij. Roſarij Theol. Quare addẽdum eſt id quod ſcribit Paluden. diſt. xx. qu. iiij. libr. iiij. qui vult quod in valore indulgentiarum eſt triplex cauſa. Vna ex parte Chriſti, alia ex parte ſanctorum, tertia ex parte Eccleſiæ, quæ diffuſe videantur apud Paluden. Et tantum valent (vt idem dicit) quantum ſonant, etiam in foro Dei hic & in purgatorio. Plura vide apud Paludeñ. Nec indulgentiarum conceſsio eſt paruipendenda ſeu contẽnenda, ſed amplectenda (vt ſcribit Gerſon parte. ij. tracta. de indulgentiis, conſidera. xij.) deuote in fide, ſpe, & charitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui poteſtatem taliũ clauium Eccleſiaſticarum dedit hominibus. Conſtat enim quod fructuoſior eſt & acceptabilior Deo & hominibus operatio talibus innitens indulgentiis quàm altera (& hoc cæteris paribus) non innitens. Conſilium igitur eſt ſolum & ſanum, quod abſque curioſa diſcuſsione de præciſa vel euidenti & certa quantificatione ſeu menſuratione huiuſmodi indulgentiarum, ſtudeat homo prius tales adquirere ſecundum qualitatem ſuę vocationis, pondus autem valoris illi relinquere qui omnia facit & fecit in numero, pondere & menſura. Vt autem indulgentiæ valeant (vt doctores ſcribunt) exigitur duplex conditio, vt & ſcribit Bruſeſ. di. xx. q. ix. libr. iiij. & Bonauen. qui eas relaxationes vocat. Et eſt duplex, ſcilicet ex parte donantis & ex parte recipientis. Ex parte donantis requiritur potentia honeſta & rationabilis cauſa. Ex parte recipientis exigitur confeſsio cum vera contritione; & fides cum vera deuotione, vt verè de peccatis ſit pœnitens & verè confidens quod paſtoris indulgentia valeat ſibi. Thomas non diſcrepat ab hoc, qui quatuor ponit requiſita ad valorem indulgentiarum in. iiij. di. xx. Primo quod ſit contritus & confeſſus, vel intelligitur hoc ſecundum interpretationem Eccleſiæ ſuo tempore vel in propoſito, vt aliqui volunt, frater Oſualdus, Cardi. Panor. Ioã. And. Palud. qui dicit verè pœnitentibus confeſsis, ſcilicet in propoſito. tutius tamen eſt quod confiteãtur, maximè cùm vix ſciant ſeculares verè conteri. Si verò commodè non poſſunt, conterantur, & habebunt indulgentias, ſed non exiſtentes in mortali non contriti. Gerſ. parte. ij. tract. de indulgen. confide. iij. ait: Poteſtas clauium Eccleſiæ

ſuper indulgentiis concedendis modis quibus conſueuit vti Eccleſia vel Eccleſiæ Prælati à ſummo vſque deorſum per quotationem dierum & annorum præſupponit neceſſariò remiſſionem vel indulgentiam in foro ſecreto conſcientiæ vel confeſſionis ſacramentalis de facto vel in voto ſeu propoſito, & ſæpius in facto iuxta tenorẽ bullarũ, quibus inſeritur hæc clauſula, verè pœnitentibus & cõfeſſis, niſi collator indulgentiarum intendat ſatis eſſe quod homo ſit in charitate, cõtritusq́; cũ propoſito tẽpore & loco confeſſionẽ facere actualẽ. Eſſet autem iſta (inquit Gerſ.) fauorabilior interpretatio ſine confeſſione qualibet, &c. Et quod habeat fidẽ indulgẽtias tantũ valere apud Eccleſiam. Et ſubſit rationabilis cauſa, quia dicit S. Bona. Nõ enim credendũ eſſet alicuius valoris ſi quis daret eã eũtibus videre torneamenta. Hinc Gerſ. parte. ij. de forma abſolutionis, confeſſionis ſacramẽtali ſcribit, quod poteſtas prælatorũ in dando indulgẽtias nõ eſt niſi quędã poteſtas diſpenſationis, q̃ debet eſſe rationalis & ad ædificationẽ. Et ideò ſi dẽt ſine cauſa rationali has vel illas indulgentias, vtputa pro ſolo intuitu fauoris humani, vel alio tali modo, non oportet quod indulgentiæ tantum valeant, quantum ſonant, de quo latius Gerſon. vnde indulgentiæ, vt ſcribit ſanctus Thom. in iiij. di. xx. & Rich. eadem di. ar. iij. qu. j. ſi dantur ab eo qui poteſt eas dare, & propter rationabilem cauſam, ſcilicet pro vtilitate Eccleſiæ, valent his qui ſunt in ſtatu gratiæ, dum tamen faciunt id quod continetur in forma indulgentiæ. per eas enim remittetur vel tota pœna peccatis debita, vel eius portio ſecũdum ipſarum tenorem. Valent enim quantum ſonant, puta xl. dies indulgentiæ valent. xl. dies pœnitentiæ ſiue ſit iniuncta ſiue non. Eſt autem in arbitrio dãtis indulgentiam taxare quantum remittitur de pœna, vt dicit ſanctus Thom. Vel ſecundũ alios tantum valent quãtum ſonant, ſecũdum taxationem factã à ſacerdote vel à lege, vel à diuina iuſtitia. Si verò detur remiſſio plenaria omnium peccatorum, ille qui ipſam lucratur ſi tunc moritur, ſtatim euolabit in paradiſum, & ſic vni tantum quandoque valet plenaria indulgentia ad decem dies, alij ad centum, alij ad mille, quia tantum tenebatur, quibus ſolutis remanet expeditus. Videatur ad hoc Paluden. di. xx. li. j. Solus autem Papa ſupremus (vt ſcribit Gerſon parte. ij. tracta. de indulgentiis conſidera. v.) Chriſtus cum patre & ſpiritu ſancto poteſt dare plenaria auctoritate omnimodam indulgentiam à pœna, & à culpa, quam dum confert, dat innumerabiles, & infinitos indulgentiarum dies. Plura ibi Gerſ. Poteſt autem hoc facere eccleſia vt vult Richar. vbi ſupra. quia hoc facit ex diuina auctoritate. Theſaurum enim meritorum, ſcilicet Chriſti, & martyrum & confeſſorum, & virginum recommendauit Eccleſiæ diſpenſandum, cũ Eccleſiæ in Prælatis tradidit claues regni cœlorum. Meritum enim paſſionis Chriſti ſufficiens fuit pro ſolutione omnium pœnarum noſtris peccatis debitarũ. Voluit tamen ad bonum noſtrum nos adultos per aliqua obſequia pœnalia fieri participes illius meriti. Vide eundem Richar. qu. ij. & iij. di. xx. li. iiij. Et ſi (vt inquit Paluden. diſtinct. xx. articul. iij. lib. iiij.) indulgentia eſt determinata & taxata quo ad quantitatem Eleemoſynæ, qui tantum dat, totum conſequitur, qui autem non tantum, quia non poteſt, non lucratur indulgentiam, licèt enim aliàs bona voluntas ſufficiat ad merendum, ſed ad ſatisfaciendum non ſic. Hoc modo pauper & diues non ſunt eiuſdem cõditionis. Nam qui moritur paratus ſatisfacere, non propter hoc eſt immunis, ita & velle lucrari indulgentias non facit eas lucrari. Si autem ſimpliciter dicatur quod indulgentiam habeat, qui tali pio loco ſubuenerit intelligitur ſecundum ſuam conditionem, de quo vide Paluden. Poſſunt autem dare indulgentias (vt habent Paluden. & Richard.) tam bonus quàm malus. Vnde Richard. libr. iiij. diſtinct. xx. articul. v. quæſtio. j. ait: Malus Epiſcopus poteſt indulgentias dare, quia non facit indulgentias de proprio merito, quo priuatur per mortale peccatum. Sed de theſauro Eccleſiæ, cuius peccatum non abſtulit ſibi diſpenſationem. Si autem non concordat diuinæ intentioni, ſua diſpenſatio nulla eſt. Vnde nec bonus nec malus indulgentias concedere poteſt, niſi (vt dictum eſt) ex rationabili cauſa, & Richard. vbi ſupra. Hinc Gerſon tracta. de indulgentiis ait, concedentes indulgentias taliter, & in intentione, & in verbis vel in ſcriptis ſuas conceſſiones moderentur, vt nec diuinæ iuſtitiæ cum miſericordia derogetur, nec ſcandalum maximè puſillorum præbeatur, vel ne facilis conceſſio maioris indulgentiæ pro minimis vel exiguis cauſis pariat in arduis & legitimis pro Eccleſia & republica negotiis detrimentum, hæc Gerſon. Poteſt & (vt inquit Paluden.) dare indulgentias qui in hac habet plenitudinem poteſtatis, vt ſummus pœnitentiarius, qui dat centum dies. Legatus poteſt dare in ſua prouincia indulgẽtias petennes. Epiſcopus & ſuperiores. xl. dies communiter, in dedicatione autem vnum annũ ſiue ſit vnus ſiue plures, pro anniuerſario non niſi. xl. dies. Abbas autem non poteſt dare indulgentias, nec quicunque inferiores Epiſcopis. Item archiepiſcopus poteſt dare indulgentias per totã prouinciam, niſi ſit præciſus, qui ſubditos non habet ſaltem quo ad vſum iuriſdictionis. Vide ad hoc Gerſonem parte j. de poteſtate Eccleſiaſtica, quis poſſit dare indulgentias. Indulgentiæ autem valent ſi impletur conditio quæ in eis comprehenditur, vt, ſcilicet faciat vel det hoc vel illud. Et non ſolùm valet illi qui implet conditionem, imò etiam alij pro quo hoc fit, ſiue viuus ſiue mortuus, dum tamen forma indulgentiæ hoc habeat, vt puta quod dicatur, quicunque hoc fecerit, vel pro quocunque hoc fecerit, ſiue viuus ſiue mortuus, habeat tantũ de indulgentia. Secus autem ſi forma hoc non habeat, quia ille qui dat indulgentiam eſt diſpenſator, & applicat cui vult, non autem ille qui non implet conditionem. Valent autem indulgentiæ defunctis per modum ſuffragij. De quo videas S. Bonauen. diſt. xx. q. penul. libr. iiij. Et Gabriel. lectione. lvij. canonis. qui vult & tenet, & probat auctoritatibus ſummorum pontificum, quòd indulgentiæ valeant defunctis per modũ ſuffragij, quando & ſummi pontifices dederunt plenarias indulgentias pro animabus in purgatorio, viſitantibus Eccleſiam beati Laurentij extra muros vrbis. Vide latius ibi. Et diui-

Et dicitur per modum ſuffragij, quod non eſt intelligendum quod quaſi modus ſuffragij tollat efficaciam indulgentiarum, ita quod opus illud pro quo dantur indulgentiæ factum pro animabus, nō plus valeat animabus quàm ſi idem opus vel ſuffragium factum eſſet pro eis, nullis indulgentiis adiunctis, ſicut quidam intelligere voluerunt: ſic enim fruſtra darentur indulgentiæ pro animabus. Sed quod dicitur per modum ſuffragij, excludit modū iudiciariæ poteſtatis, qui dicit iudicialem abſolutionē, & pœnæ debitæ in aliam pœnam voluntariè ac deuotè aſſumptam commutationē. Et ille modus iudiciariæ auctoritatis tantum habet locum in viuis, qui iudicialiter abſoluuntur, & quibus pœna debita in aliam voluntariè ab eis ac deuotè aſſumptam commutatur, vt vult Alexā. de Ales parte. iiij. q. lxxxiij. mem. v. Et poſt eum ſanctus Bona. in iiij. di. xx. q. v. Viui enim duntaxat, aſſumunt illud opus, vtpuта peregrinationem, eleēmoſynam, orationem, contributionem ad opus ſalutare, vel aliud huiuſmodi, pro quo dantur indulgentiæ, & ita indulgentiæ proficiunt eis per modum ſuffragij, id eſt propter aliquod opus ab alio factū, & eis per modum ſuffragij applicatum. Multo plura Gabr. vbi ſupra. & alias. Gerſon videtur declinare à prædictis parte iiij. ſermone pro defunctis. Plura alij de indulgentijs ſcripſerunt. Hæc pauca ſufficiant.

Indurare quandoque accipitur pro non miſerere. Vnde Apoſt. ad Rom. 9. Cuius vult miſeretur, & quem vult indurat, id eſt non miſeretur, vt exponit Aug. lib. j. ad Simplicianum. Et Dominus Cardi. Came. q. xij. li. j. Et indurari in peccatis, eſt perſeuerare in peccatis, ea non velle dimittere. Quomodo autē huiuſmodi duricies cauſetur dicit Gerſ. parte ij. de cordis induratione, quod Deus neminem deſerit, niſi prius deſeratur per auerſionem ab eo per peccatum, ſed deſertione facta, cadit homo in profundum & contemnit. Contemnenti verò Deus non dat gratiam, ſed reſiſtit, ac perinde non emollitur cor, nec liqueſcit ad gratię ſuſceptionem, tandem pœna damnationis infligitur, & obduratio confirmatur. Cauſa igitur obdurationis eſt voluntas auertens, & hæc initiat: voluntas reſiſtens, & hæc continuat: culpa promerens, & hæc confirmat: Deus gratiam non dans, & hæc non liberat: Deus iuſtè puniens, & hæc ordinat. Gerſon. Alexā. de Ales, parte. j. & Thom. ac Rayne. in ſumma aliique Docto. ſuper j. diſt. xlj. triplicem ponunt cauſam, cur Deus aliquos permittit indurari in peccatis, ita vt pereant, cùm tamen dicat Pſal. Suauis Dominus vniuerſis, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Prima eſt cauſa deficiens, & hoc eſt liberum arbitrium, quod eligit malum, & ſic deficit à bono. Secūda cauſa eſt permittens, ſcilicet Deus, cuius iuſtitia dictat vt homines permittat in ſuo libero arbitrio, & non cogat eum qui non vult accipere ſuam gratiam, nec reſurgere à peccatis. Tertia cauſa eſt promerens, ſcilicet peccatum tam originale quàm actuale. Nàm homo per peccatum ſuum demeretur perdere gratiam Dei & ſeparari à Deo. Eſa. 59. Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos & Deum, & per conſequens homo induratur ex propria malicia. Et ſecundum Antō. in ſumma parte ij. titu. viij. ca. ix. Auaritia præcipuè facit hominem indurari in malicia ſua. Exemplum de Iuda proditore & principibus ſacerdotum ac Phariſæis, quos indurauit auaritia. Secundo indurat bonorum temporalium proſpera fortuna. Vnde Aug. ad Marcellinum dicit: Nihil infelicius fœlicitate, id eſt proſperitate peccantium, quia mala voluntas velut hoſtis interior roboratur, id eſt induratur in ſua malicia, ex proſperitate ſua. Exemplum de Antiocho rege durisſimo in proſperitate, ſed poſtea in infirmitate ſe recognouit. 2. Macha. 9. Tertio indurat criminum aſſuefactio diutina. Nam ſecundum Philoſophum conſuetudo eſt altera natura. Et Greg. dicit: Difficilè ſurgit quem moles malæ conſuetudinis premit. Exemplum de aſſuetis in luxuria & huiuſmodi. Quarto indurat ira, odium & inuidia, quia ſic frigeſcit cor à Dei amore & congelatur ſicut glacies ex frigiditate indurata. Gen. 49. Maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura. Vltimò indurat emendæ contemptus, etiam per flagella. Et ideo Greg. dicit: Quos pœnitentia flagella non corrigunt, ad futura ſupplicia perpetua perducunt. Exemplum de Iudæis à Deo multipliciter flagellatis & de regno eiectis adhuc induratis. De quo & Pelbartus ſcribit, &c.

Induſtria eſt frequens exercitium circa rem honeſtam. A quo induſtrius dicitur, hoc eſt ſtudioſus, vigilans, callidus. Ponit Gerſon parte iij. de myſtica theologia practica, & tracta. de verbo & hymno gloriæ duodecim induſtrias pro practica. Prima induſtria eſt vocationi Dei intēdere, vel vocationem Dei attendere. Secunda, propriam complexionem agnoſcere. Tertia, officium vel proprium ſtatū aſpicere. Quarta, ſemet ad perfectionem extendere. Quinta, occupationes effugere. Sexta, curioſitatem deponere. Septima, longanimitatē aſſumere. Octaua, paſſionum vel affectionum origines animaduertere. Nona, tempus idoneum & locum inquirere. Decima, ſomno & cibo moderanter indulgere. Vndecima, meditationibus piis generatiuis affectuum inſiſtere. Duodecima, ſpiritum à phantaſmatibus auertere. Hęc vltima (vt inquit Gerſ.) difficilior eſt in practica.

Ineſſe. Aliquid ineſſe alteri tripliciter contingit, vt notat Gabriel di. xxxvij. q. vnica. ar. j. libr. j. ſcilicet per potentiam, præſentiam & eſſentiam. Per potentiam res ineſt alteri quam habet ſuæ ſubiectā potentiæ, quomodo etiam in corporalibus aliquid ineſſe poteſt alteri, ab eo tamen localiter diſtanti, ſicut ſol per potentiam ſuam in iſtis inferioribus, & Rex in regni ſui terris & hominibus, qui tamē modus loquendi apud Philoſophos non ſatis eſt vſitatus. Per præſentiam aliquid dicitur ineſſe in alio dupliciter. Vno modo per præſentiā cognitionis: quod, ſcilicet, eſt ſufficienter præſens vt cognoſcat aliquod vel cognoſcatur ab alio, quomodo obiectum dicitur eſſe in potentia cognitiua, quando actualiter cognoſcitur, licèt ab eo realiter diſtet. Secundo per permitentiam indiſtantiæ; quomodo, ſcilicet vnum non diſtat localiter ab alio: & iſto modo locus dicitur eſſe in locato, & econuerſo locatū in loco. Hic modus ſatis eſt vſitatus apud Philoſophos. Sed eſſe in alio per eſſentiam, eſt eſſe in aliquo, & non ab eo, neque aliquò ſibi intrinſeco diſtare

co diſtare quin ſit vbicunque eſt ipſum aut aliquid ipſius. Et illo modo forma dicitur eſſe in materia per eſſentiam, quia vbicunque eſt materia vel pars materiæ, ibi eſt forma. Illo modo locatum non eſt in loco, nec econuerſo, tùm locatum ſecundum aliquid ſui diſtat ab aliquo ipſius loci & econuerſo, veruntamen per eſſentiam quandoque valet tantum, id eſt per ſe, quomodo dicimus quod homo per eſſentiam eſt animal, & rationalis, quia hoc eſt neceſſariæ, & per ſe homo eſt animal. Vel etiam valet tantum, id eſt immediatè, quomodo anima dicitur per eſſentiam diſciplinabilis, quia eſſentia eius eſt illud cui immediatè conuenit eſſe diſciplinabile. Et vt idem ſcribit Gabr. ar. ij. vbi ſupra. Deus eſt in omnibus rebus per potentiam, quia Deus eſt cauſa omnium, quia hoc eſt eſſe in alio per potentiam poſſe producere vel conſeruare ſiue agere in aliud. Eſt etiam ipſe Deus in omnibus per præſentiam vtroque modo præexpoſito; nã ipſe diſtinctè noſcit omnia, etiam à nullo diſtat, vt dicit Aug. & habet Magiſter di. xxvij. lib. j. Eſt denique Deus vbique & in omnibus per ſuam eſſentiam, quia ſicut omnibus eſt præſens quod à nullo diſtat (vt dictũ eſt) propter quod dicitur Hiere. 23. Cœlum & terram ego impleo, & hoc fide creditur. Vnde Pſalm. Quo ibo à ſpiritu tuo, &c. Eſtque Deus in omni loco repletiuè, quia nullo loco abeſſe poteſt, nec aliquo terminari vel circunſcribi. De quo aliàs latiùs dictur. Hæc declarat melius Gabriel vbi ſuprà. Magiſter ex ſanctorum auctoritatibus colligit triplicem Dei in creaturis exiſtentiam. Quædam eſt generalis: Alia ſpecialis: Tertia ſingularis. Generali inexiſtentia omnes creaturas conſeruat. Speciali aſſiſtentia animas ſanctas inhabitat. Singulari præſentia naturam humanam aſſumens in vnitatem ſuppoſiti ſibi copulat. De qua vltima in. iij. libr. agitur à doct. De ſecunda. di. xix. li. j. de prima, di. xxxvij. libr. j. ſent. De quo & ſupra dictum eſt in dictione *Eſſe*.

Inæternum quandoque dicit interminabilitatem, interdum quandam vitæ diuturnitatem, quemadmodũ ſæpe loquitur ſcriptura. Et quamuis vt ſcribit Gabriel di. xix. q. vnica. ar. iij. dub. iij. lib. ij. poſt peccatum lignum vitæ non potuit corpus perpetuare, potuit tamen adiuuando naturam ipſum lignum longo tempore conſeruare.

Ineſſe, Inexiſtere: Modi eſſendi in quos poſuit Ariſt. continentur hoc carmine. *Inſunt pars totum, ſpecies, genus, calor igni*. Rex in regno, res in fine, locusque locato. Hos modos refert Gabr. di. xix. q. ij. lib. j. Et Gerſ. parte j. de Eccleſiaſtica poteſtate. cõſidera. vj. Ponit idem tract. ix. ſuper Magnificat, alios modos eſſendi in, ſicut aliquid eſſe in alio per manſionem quod duo dicit. Dicit enim diſtinctionem aliquam, quia nihil penitus ſine quauis diſtinctione reali, vel ratione ſubſtantiali vel accidentali abſoluta vel relatiua dicitur eſſe in aliquo, licèt bene concedamus aliquod eſſe idem ſibiipſi reſoluendo locutionem ad hãc negatiuam, quod idem non differt à ſeipſo. Alterum quod importat manſio dicit quandam vnionem ſeu cõuenientiam duorum in aliquo quaſi tertio, ſiue illud tertium ſit ſubſtantia, ſiue aliqua res relatiua, ſiue ſit accidens abſolutum, ſiue relatiuum. Et ſubiungit idem poſtea. Manſio mutua manducantis cum manducato in euchariſtiæ ſacramento, manifeſtam habet manducantis & mãducati diſtinctionem & diuerſitatem. Vniuntur autem per gratiam gratumfacientem per fidem & charitatem. Exempli gratia: Manſio Dei in homine & hominis in Deo, vt hic dicitur; eſt viuificatio & habitio vitæ æternæ ſaltem in radice, vt hic viuet in æternum, quia ſuam gratiam habet. Dicit autem Apoſtolus: quod gratia Dei eſt vita æterna. De hac vnione hominis cum Deo diffuſè legito Gerſonem vbi ſupra.

Inexiſtentia diſtingui poteſt tripliciter (vt ſcribit Gabriel di. xix. q. ij. ar. j. lib. j.) Quædam eſt per continentiam, quomodo locatum eſt in loco. Quædam per intimam præſentiam cum carentia cuiuſcunque diſtantiæ, ſicut angelus eſt in loco & accidens in ſubiecto, & forma in materia. Tertio modo per intimam pœnitentiam cum conſubſtantialitate, ſic vna perſona eſt in alia. Hoc modo inexiſtit alicui quod eſt ei intimè præſens & conſubſtantiale. Et hic modus inexiſtentiæ vocatur per incircumincesſionem. Et quicquid inexiſtit alteri per circumincesſionem, econuerſo alterum inexiſtit ſibi, Illum modum inexiſtendi deſcribit Dominus Cardi. Came. q. x. ar. ij. lib. j. Nam ſecundum eum illud dicitur ſic inexiſtens alicui quod eſt ab eo realiter diſtinctum ſibi intimè præſens, & ei conſubſtantiale, & ſic tam eſſentia quàm perſona importatur per hoc nomen inexiſtens, vt hic ſumitur. Ex illo habetur ſecundum Gabr. vbi ſuprà. ad hoc quod aliqua mutuò ſibi inexiſtant per circumincesſionẽ, tria requiruntur. Primum quod diſtinguantur realiter. Secundo quod ſint ſibi intimè præſentia. Tertio quod ſint vna ſimplex & ſingularis eſſentia. Et hunc modum eſſendi in non eſt reperire in creaturis, ſed tãtum in diuinis, nec hunc eſſendi modum Ariſto. poſuit. Quælibet autem perſona diuina eſt in alia per circumincesſionem. Vnde Ioannis. 14. dicitur: An non credis quia pater in me eſt, & ego in patre. Nec eſſentia eſt in perſona, nec relatio in eſſentia, nec relatio in perſona per circumincesſionem, quia ibi deficit realis diſtinctio. Et hæc inexiſtentia conuenit perſonis ratione relationis & eſſentiæ. Nam ratione relationis cõuenit eis perſonalis diſtinctio, ratione eſſentiæ conſubſtantialitas, ratione vtriuſq; intima præſentia. Item paternitas eſt in filio per circumincesſionem, ſed non in patre, nec tamen ideò filius eſt pater, quia paternitas non conſtituit filium, quia paternitas eſt omnibus modis idem patri. Sic non ſequitur, pater eſt in filio, ergo filius eſt pater, ſed magis oppoſitum ſequitur. Hæc Gabriel. poſt Dominum Cardin. Camer. vbi ſupra. & de hoc modo circumincesſionis ſupradictum eſt in litera C. & de hoc vide & Gerſ. tract. ix. ſuper Canti. Mariæ.

Infamia eſt læſæ dignitatis qualitas reprobata, quantum ad vitam & mores per argumentum à contrario ſenſu, ſicut fama eſt illæſæ dignitatis ſtatus, vita & moribus comprobatus, & in nullo diminutus. Eſt autẽ triplex infamia, ſcilicet facti. & hoc prouenit ex communi hominum locutione, vt dicit Bart. li. de minore, Secunda eſt iuris, quæ incurritur per

cur per ſententiam. Et regulare eſt quod non incurratur infamia iuris criminibus publicis, niſi per ſententiam, vt dicit Panor. extra de teſti. Item incurritur ipſo facto infamia iuris in quibus iure cauetur, quod incurratur ipſo facto, vt cum imperator militi aufert inſignia vel mittit in exilium. Itē qui exercet improbum fœnus, vſuras vſurarum exigētes. Item cum aliquis deprehenditur in adulterio, vel contrahit cū duabus, vel ſimul habet duas ſponſas. Item qui lenocinium exercet, vel filias vel nepotes proſtituunt. Item qui pugnant cum fera, hæc omnia in iure habētur expreſsius. Omnes autē infames ſecundum leges, ſunt infames etiā ſecūdum canones. Similiter omnes qui ex culpis ſuis ad ordines non poſſunt promoueri. Tertia infamia eſt canonica, & hæc incurritur per quodlibet peccatum mortale, & iſta durat donec ſublatum ſit crimen, ideo poſt pœnitentiam ſecundum Panor. ceſſat talis infamia. Et infamia facti tollitur per contrarium factum.

Infamatus & infamis differunt, vt ſcribit Scot. diſ. xxv. q. j. li. iiij. Infamatus eſt, qui de crimine aliquo publicè accuſatur. Infamis autem non eſt propter talem impoſitionem criminis, ſed vel per crimen publicum publicè commiſſum, vt forte ſi publicè periurauit, vel quodcunque aliud crimen publicè commiſit, propter quod ius determinat aliquem fore infamem, vel quia à iudice coram quo probatur crimen eius, iudicatur infamis. Ita quod omnis infamis eſt publicè notatus de crimine quod ius punit infamiæ pœna, ſed quandoque non eſt in iudicio de hoc conuictus, & tunc eſt infamis tantum à iure, & non à iudice: quandoque conuictus, & tali pœna iudice punitus, & tunc eſt vtroque modo infamis, & à iure, & à iudice. Ex iſtis habetur qualiter infamia contrahitur, ſcilicet ex impoſitione criminis infamatorij. Secundo incurritur à iure vel iudice puniente tale crimē tali pœna. Et infamia non ſemper ſequitur quantitatem culpæ, ſed crimē publicum, de quo vide in dictione *Iuramentum*.

Infans (vt ſcribit Pet. de Palud. di. xxiiij. q. iij. ar. ij. libr. iiij. Dicitur qui non compleuit ſeptennium, & infantes tonſuram ſiue coronam accipere prohibētur, & etiam ſponſalia contrahere prohibentur, vt idem ſentit diſt. xxvij. libr. iiij. Infantis enim ætas quid agat ignorat. Iſti namque vt dicit Gerſ. parte iij. lib. ij. de conſo. theolo. proſa. iij. iudicium rationis (quo libertas radicatur) nullum habent, &c.

Inferior pro minore, vel pro humili quandoque accipitur, vel pro indigno. Et reputare ſe inferiorem eſt dupliciter (ſecundum S. Bonauen. di. xxiiij. parte. j. ar. ij. q. j. in ſolu. argu. libr. iiij.) vel quantum ad vitæ meritum, quia nemo ſcit quanti ſit meriti. Sic debet ſe reputare homo inferiorem. Sed quantum ad officium non oportet.

Infernus vt ipſum nomen ſonat, dicitur quaſi inferus, vel infernus, quia inferius iacet vt dicit Paluden. di. xliiij. q. vj. li. iiij. Vel ſecundum Iſid. in libr. etymolo. infernus dicitur quaſi intus furnus, id eſt niger. Nam furnus idem eſt qood niger. Eſt enim infernus (vt inquit B. Thom. ij. ſenten. di. vj. q. iij.) horridus, tenebroſus, & pœnalis locus dæmonū. Et eſt quadruplex infernus ſecundum Theologos. B. Thom. di. xxij. q. iij. ar. ij. lib. iij. S. Bonauen. eadem diſt. q. v. lib. iij. Tho. Argen. di. xlv. li. iiij. Et Gabr. di. xxij. q. vnica. ar. iij. dubio. iij. libr. iij. Primus eſt profundiſſimus, & eſt damnatorum, in quo ſunt tenebræ, & quantum ad carentiam diuinę viſionis, & quantum ad carentiam gratiæ, & cum hoc pœna ſenſibilis. Et ſecundùm Docto. diſt. xlv. lib. iiij. propriè eſt locus perpetuus damnatorum, qui tam pœna ſenſus quàm pœna damni perpetuè puniuntur, ad quem locum nullus deſcendit niſi qui cum mortali in hac vita perſonaliter perpetrato ſine vera pœnitentia ab hac vita decedit, vt ſcribit Thom. Argentiñ. di. xlv. libr. iiij. Et iſte locus ſecundum communiorem opinionem habet eſſe in medio terræ vel ſub terra, vt dicunt Rich. Bonauen. Tho. lib. ij. di. vj. q. iij. art. ij. aſſentit, qui dicit eum eſſe in centro terræ, id eſt in medio. Rationabile enim videtur quod immundis & viliſsimis peccatoribus pro carcere perpetuo correſpōdeat locus viliſſimus, talis eſt in medio terræ, vbi tanquam ad ſentinam fœces totius mundi coguntur deſcendere, qui quidem locus habet multas qualitates læſiuas. Et ſecundum Bonauen. infernus creditur eſſe maxima concauitas, ac per hoc & maximę capacitatis. Prædictis ſubſcribit Bruleſ. di. vj. qu. iij. libr. ij. ſententiarum, vbi dicit: Sicut Deus ex piiſſima ſua miſericordia præparauit locum quendam amœniſſimum, clariſſimum & iocundiſſimum, pulcherrimum & altiſſimum electis ſuis: ita ex ſeueritate ſuæ iuſtitiæ parauit locum turpiſſimum, nefandiſſimum, &c. veluti carcerem perpetuum puniendis tranſgreſſoribus mandatorū ſuorum, & eſt infernus localis. Pœnalis autem infernus eſt ipſum infernale ſupplicium, quo puniuntur & cruciātur impij peccatores. Hoc modo tot ſunt inferna quot pœnæ, &c. ſecundum hoc loquitur Rich. di. xliiij. art. ij. q. j. lib. iiij. Et ſanctus Bonauen. di. xxij. q. iiij. libr. iij. quod infernus vno modo nominat cruciatum æternum vel pœnā, alio modo locū illius pœnæ vel cruciatus. De quo loco ita ſcribit Paulus Corteſius lib. iiij. di. vlt. poſt opiniones alias ſic concludit. Nobis verò æſtimandum eſt conſentaneum videri crebi infernum ſedem ſub telluris vertice eſſe conſtitutam. Nam quemadmodum grauiora ſuapte corporis natura inferiora dicuntur, ita terrena deorſum ſuopte pondere feruntur. Ac quemadmodum excelſiſſimum cœli templum fœlicium hominum lætitiæ appoſitū aptéq; deſcribimus, ita volumus funeſtis perditorum luctibus telluris viſcera congruere, quo ſane loco nequiſſimorum reorum nefaria voluntas oſtēditur. Nam primum eos dicimus orcum velle humano genere cōpleri, proboſque omnes dæmonum carnificum animaduerſione ſempiterna vexari eodemq; modo illis odioſum eſſe Deum. Hæc Corteſius. Secundus infernus iſto ſuperior eſt limbus puerorum, in quo, ſunt pœnæ duplices prędictę, ſed nulla pœna ſenſus, ſed pœna damni, quæ eſt carentia diuinæ viſionis, & beatæ fruitionis, eò quòd perpetuè peccato originali maneant maculati. Tertius ſuper hunc in quo ſunt tenebræ carentiæ diuinæ viſionis, non autem tenebræ gratiæ, ſed eſt ibi pœna ſenſus in quo ſunt animæ purgandæ, & pœna damni, vtraque tamen temporalis, inquit Argentinenſis. Adhuc ſupra hunc eſt quartus

quartus tenebroſus quantum ad carentiam luminis gloriæ & non gratiæ, & in quo nulla eſt pœna ſenſus, in quo fuére patres ab omni delicto peccati purgati, ad hunc deſcendit Chriſtus & ſecundum multos Doctores etiam ad locum ſecundum purgatorij omnes ſuos amicos, id eſt gratia ſibi incorporatos eripiens. Non autem ad limbum puerorum nec ad infernum damnatorũ, vnde nullum de his locis liberauit. Vnde dupliciter aliquis poteſt dici deſcendere ad inferos (vt ſcribit ſanctus Bonauen.) Aut quia deſcendit ad pœnã, aut quia deſcendit ad locum pœnæ. Primo modo non conuenit Chriſto, in eo enim nec fuit pœna damni, nec fuit pœna ſenſus. Secundo modo competit Chriſto. Deſcendit enim quantum ad illam partem in qua erant iuſti, qua detinebantur merito peccati primi parentis, quæ quidem pars conſueuit limbus appellari patrum. Etiam alij tres loci dicuntur infernus inferior, vt in Pſalm. Eduxiſti animam de inferno inferiori: vel profundiſſimum inferni Iob.13. In profundiſſimum inferni deſcendent oſſa mea, non comparatione ad partes inferni, ſed etiam ad cœlum aëreum caliginoſum, qui etiam dicitur infernus dæmonum, quo profundior eſt limbus patrum. Gabriël & Bonauentura. Deſcendit autem Chriſtus ad limbum patrum non compulſus neceſſitate (vt dicit ſanctus Bonauentu. diſtinctio.xxij.qu.iiij.lib.iij.) ſed ſua voluntate & poteſtate, vt illos eriperet qui tenebantur ibi compediti. Deſcendit, inquam ad ipſum infernum frangendum & expoliandum. Et Dominus in inferno non liberauit niſi animas electorum ſuorum, & eorum qui erant membra ipſius. Quamuis enim paſſio Chriſti omnibus ſuffecerit, non tamen influit niſi in eius membra, vt latiùs deducit ſanctus Bonauentu. quæſt.v. vbi ſupra. Animæ autem illæ in Chriſti deſcenſu factæ ſunt beatæ, & licèt ſtatim poſt mortem Chriſti habuerunt beatitudinem, & ſic patuit eis cœlum quantum ad præmium beatificum, ſed non quantum ad locum. Cuius ratio eſt, quia Chriſtus in omnibus primatũ debuit habere, vnde omnium aſcenſio debuit differri vſque ad aſcenſionem Chriſti, quare animæ ſanctorum nec ſtatim fuerunt de limbo eductæ, nec ſtatim in cœleſti paradiſo fuerunt collocatæ, diuina diſpenſatione hoc faciente ad noſtram ſalutem, vt latiùs de hoc ſcribit ſanctus Bonauentu. qu.vj. vbi ſupra, & poſt eum Gabriël di.xxij.qu.vnica.artic.iij dubio.iiij.lib.iij. Sed quod Dominus dixerit ad latronem: Eris hodie mecum in Paradiſo, Paradiſus ibi (vt dicit Augu.) non dicitur ille locus empyrei, nec locus Paradiſi terreſtris, ſed ipſa Dei viſio. Vbicunque enim homo ſit, dum tamen Deum apertè videat, poteſt dici eſſe in Paradiſo. Permanſit autem anima Chriſti in inferno vſque ad diem tertium reſurrectionis, quo limbus factus eſt Paradiſus propter apertam Dei viſionem, in quo & latro receptus eſt ſecundùm veriſſimam Chriſti promiſſionem. Gabriël. Vocat inſuper Chriſtus infernum ſiue diabolum tribus nominibus (vt ſcribit Iacobus de Valentia Pſal.21). Appellat enim ipſum carnem & leonem & vnicornem, & hoc ratione proprietatum iſtorum trium animalium. Eſt enim diabolus & infernus, immundus & obſcœnus per luxuriam, & mordax & latrans per auaritiam ſicut canis. Item eſt diabolus iracundus & inuidus ſicut leo, & eſt ſuperbus & elatus ſicut vnicornis, qui non patitur priorem nec æqualẽ in itinere, ſed vult quod omnia animalia ipſum poſt tergum ſequatur. Nec patitur etiã cõſortem ſecum in laribulo. Cùm ergo diabolus omnia ſupra dicta vicia hominibus ſuadeat, non debet de iure cruciare, nec in inferno detinere niſi ſolos immundos, & luxurioſos, & auaros, & inuidos, & iracundos, & ſuperbos. Ex quibus patet quod infernus de iure non poterat Chriſtum detinere, cum ab omnibus ſupradictis viciis eſſet liber & immunis, imò erat mundus, & mitis & humilis. Hæc Valentia Chriſtopolitanus Epiſcopus. Cùm autem in inferno ſontes & impij æternaliter cruciantur, cautum eſt & licitum ipſum formidare, vt habet Gerſon parte iij. de myſtica Theologia practica, conſiderati, ſeu induſtria prima.

Influere, infundere, immittere. Et influere ſenſum & motum, hoc eſt gratiam & virtutes, contingit dupliciter, vt ſcribit Gabriël diſtinctio.xiij.quæſt. vnica.articul.iij.dubio.ij.libr.iij. Vel per modum præparantis & diſponentis, aut per modum impartientis & principalis agentis. Primo modo conuenit Chriſto ratione humanæ naturæ, in qua patiendo & pro nobis ſatisfaciendo meruit omnibus gratiam & ſalutem ac peccatorum remiſſionem. Vnde Hebræ.5. Conſummatus factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ, & cap.9. Sanguis Chriſti qui per ſpiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſeruiendum Deo viuenti, & ideo noui teſtamenti mediator eſt Dei & hominis, &c. Influere ſecundo modo per modum principalis agentis conuenit Chriſto ſecundum naturam diuinam, quia ſolus Deus eſt qui principaliter illuminat pias mentes, ſolus eſt qui baptizat interius, ſolus qui gratiam ac dona virtutum infundit, ſolus qui peccata remittit. Cùm dico: ſolus Chriſtus, non excludo patrem nec ſpiritumſanctum, quoniam quicquid efficit Chriſtus ſecundum naturam diuinam, ſimul efficit tota trinitas, cuius opera ad extra ſunt indiuiſa. Et hoc modo non tantum perſona Chriſti, ſed etiam ipſa trinitas caput eſt quod influit in membra gratiam & virtutes. Pater itaque caput eſt, & ſpiritusſanctus caput eſt, ſicut filius, non tria, ſed vnum caput omnium electorum, hominum & Angelorum. Hæc Gabriël. Et ab influere venit influentia. De quo vide in dictione *Inſtinctus* infra.

Infidelis poteſt capi dupliciter, vt ſcribit Bruleſer diſtinctio.xxxix. quæſtion.j. libr.iiij. Vno modo quia caret fide, vt ille qui eſt baptizatus & tamen eſt hæreticus. Alio modo quia caret ſacramento fidei, id eſt non eſt baptizatus. Infidelis quoque dicitur non fidelis. Vnde infidelis ſeruus eſt, qui dona miniſterij ſacramentorum & officium accepit & hoc ſubditisocioſus ſubtrahit. Et ideo (quod abſit) à paſtoribus cum hypocritis deputandus, vbi erit fletus & ſtridor dentiũ, vt dicitur

dicitur Matth.24. Videatur de hoc Gabr. diſt.xiij. q.j.ar.iij.dub.v.lib.iiij. qui & multa de paſtoribus ibi agit. Omnis autẽ vita infidelium peccatum eſt, ſi & dum ex infidelitate operãtur, aliter non oporret quin poſſint bene & moraliter operari, ſicut de fidelibus extra gratiam, vt ſententia rectior tenet, vt ſcribit Gerſ.parte.ij.in regulis moralibus. Ab infidelis venit infidelitas, cuius ſpecies ſunt tres (vt ſcribit beatus Thom.ij.ij.qu.x.ar.v.& vj.) ſcilicet paganorum quæ grauis eſt, Iudæorũ quæ grauior, hæreticorum quæ grauiſſima, &c.

Infinitum eſt cuius ſemper ſecundum quantitatem accipientibus, eſt aliquid accipere extra, vt dicit Philoſophus.iij.Phyſicorum. Quod intelligitur ſic ſecundum Scotum.q.v. quotlib. cuius quantitatem accipientibus, id eſt quantumcunque accipientibus ſemper reſtat aliquid accipere. Et infinitum ſiue interminatum accipitur dupliciter. Cathegorematicè & ſincathegorematicè (vt ſcribit Gabriẽl di.j.q.iij. libr.ij.ſententiarum) Cathegorematicè eſt adiectiuum priuatiuè oppoſitum huic termino finitum, valens tantum, id eſt quantum oon terminatum.
Et quia ratio infiniti quantitati congruit ſecũdum triplicem quantitatem, ſecundum extenſionẽ multitudinis vigoris poteſt imaginari triplex infinitũ. Iofinitum extenſiuè eſt extenſum ſine termino. Et quoddam eſt ſimpliciter infinitum nulla ex parte terminatum nec ſecundum longitudinem, nec latitudinem, oec profunditatẽ, nec ſecundum aliquam differentiam poſitionis. Eſt & quoddam infinitum ſecundum quid, quod ex vna parte vel ſecundum vnam dimenſionem eſt terminatum, & non ſecundum aliam, vt iofinitum ſecundum longitudinem, & non ſecundum latitudinem: vel infinitum ſecundum longitudinem ſurſum, & terminatum deorſum. Infinitum diſcretiuè eſt multitudo non terminata vel non numeralis. Infinitum intenſiuè ſecundum vigorem eſt infinitum perfectione, & eſt imperfectio non menſurabilis, vel perfectio nõ terminata, vel perfectio quæ excedi nõ poteſt, aut qua nulla maior cogitari poteſt, aut perfectio omnem perfectionem eminentem includens, & cui repugnat omnis imperfectio. Et perfectio infinita eſt duplex. Quędam eſt infioita ſimpliciter, illa, ſcilicet quæ dicta eſt, & illa ſoli Deo conuenit. Et eſt perfectio ſecũdum quid ſiue in genere, & hæc eſt non terminata in eadem ſpecie, hoc eſt quod in eadem ſpecie excedi non poteſt, cuius, ſcilicet non eſt dabilis gradus vltimus ſuæ perfectionis, hoc modo infinitum eſt adiectiuum, & nihil refert præponere vel poſtponere. Vnde nihil refert ſic dicere, dies futuri ſunt infiniti & infiniti ſunt dies futuri, capiẽdo infinitum cathegorematicè. Item de infinito ſecundum multitudinem dicitur pariformiter ſicut de infinito ſecundum magnitudinem. Alio modo capitur infinitum ſincathegorematicè, & ſic non eſt terminus ſimplex, ſed æquiualet huic orationi aliquantum, & non tantum quin maius, vel aliquantum & quantumlibet maius, vel tantum, tantum, tantũ, & ſic ſine ſtatu, hoc eſt bipade, bipedale, &c. & ſit ſine ſtatu aut.j.ij.iij.iiij. & ſic ſine ſtatu, illo modo terminum ſequentem quem determinat facit ſtare confuſe tantum, & ſic capiendo multum refert præponere, vel poſtponere. Vnde multum refert dicere, partes continui ſunt infinitæ, & infinitæ ſunt partes continui.

Infinitum ſecundum Aliacen.q.xiij.ar.iij.libr.j.poteſt dici quatuor modis. Vno modo in duratione, quia durat æternaliter, & ſic ſecundũ Philoſophũ, non ſolùm Deus eſt infinitus, ſed omnes aliæ intelligentiæ, & cœlum imò materia. Alio modo quia mouet tempore æterno, & ſic ſolæ potentiæ actiuæ ſunt infinitæ, ſicut intelligẽtiæ, & corpora cœleſtia, quæ mouent vel localiter, vel ſaltem motu alterationis, &c. Alio modo quia mouet motu ſecũdum locum tempore æterno continuè & immediatè, & ſic ſecundum Philoſophum ſolæ potentiæ immateriales, ſicut intelligentiæ ſunt infinitæ. Quarto modo, quia eſt infinitum ſimpliciter, ſcilicet vel ſecundum quantitatem, vel ſecundum vigorem, & ſic ſecuodum Philoſophum nihil eſt infinitum, oec ſecundum quantitatem perfectionis, nec ſecundum intentionem vigoris. Sed quæcunque opinio fuerit Ariſto.tamen Magiſter Greg. tenet quod quilibet ſequendo ratiooem oaturalem habet ponere, aut ſaltem non negare quod eſt aliqua res iofiniti vigoris intenſiuè, & quod Deus eſt illo modo infinitus patet, quia hoc importat dignitatem, oec includit contradictionem vt nititur perſuadere. Oppoſitum tamen magis videtur dicendum, ſecũdum Aliacen.vt ibidem oſtendit, vide eum. Omnes autem Theologi & Philoſophi concordãt pooentes & dicentes Deum eſſe infinitum, ſed eſt diuerſitas in modo probandi. Et ſecundum S.Bonauen.di. xliij.q.iij.lib.j.duplex eſt infinitum, ſcilicet actu & in potentia. Infinitum in potentia Deus poteſt facere, & facit. Infinitũ verò in actu non poteſt facere nec facit. Id quod nec conuenit ſibi, nec creaturę, vt ibidem oſtendit & probat multis verbis, quem vide. Cui vidẽtur aduerſari Occam, Grego.de Arimi.in j.di.xlij.qu.iiij.qui volunt nullam includere contradictionẽ Deum poſſe facere actu infinitum. De quo conſulito Gabr.di.j.q.iij.libr.ij.qui multa de hoc ſcribit.

Infinitum ſecundum Thom.j.parte. q.vij.ar.ij.vbi ait: Eſſe ſimpliciter infinitum eſt proprium Dei. Vnde aliquid aliud à Deo poteſt eſſe infinitum ſecundum quid non ſimpliciter. Nam infinitum ſimpliciter non poteſt eſſe à principio aliquo, vt dicitur.iij. Phyſi. Sed omnia alia ſunt à Deo à principio primo. Vnde nec materia, nec numerus poteſt dici infinitum ſimpliciter ſecũdum quid, quia ſunt à Deo creata. Et quia potentia materiæ non ſe extendit niſi ad formas naturales, & limitatas, ſimiliter & de numero, hæc ex Thom. Item malum culpæ dicitur infinitum, non ſimpliciter ſecundum ſe, ſed ſecundum qoid, ſcilicet reſpectu diuinæ maieſtatis cui contrariatur, nec eſt ordinabile in finem. Vnde Gerſon de vita ſpirituali animæ lectio. 1.Cor.2. Omne peccatum eſt infinitæ offenſiuum, non tamen concedendum eſt quod peccata omnia ſimpliciter ſint æqualia, prout dixiſſe Stoicos referunt, Seneca & Tullius & alij. Non enim offenſas etiam infinitas oportet ponere ęquales eſſe, ſed vna eſt grauior altera & multiplicior Gerſon. Multa de infinito videre potes apud Gabr.

Infinitas ab infinito deducitur. Et infinitas actualis eſt in

eſt in cognitione diuina, quia actualiter cognoſcit Deus infinita poſsibilia. Omnia enim & ſingula cognoſcibilia Deus cognoſcit cognitione infallibili, & determinata, & hoc probatur auctoritate fidei, & canonicæ ſcripturæ, ad Rom. 4. vocat ea quæ nõ ſunt tanquam ea quæ ſunt. Et Heb. 4. Omnia nuda & aperta ſunt oculis eius. Sapien. 4. Scit omnia & intelligit ea: & qua ratione vnum cognoſcit, & alterum cognoſcere poteſt. Vide latiùs Gabr. diſt. xxxviij. q. vnica. ar. ij. concluſione. j. & ar. iij. dub. iiij. lib. j. vbi determinat, an Deus infinita cognoſcat, & quid Grego. de hoc ſentiat. Vnde Augu. xij. de ciui. Dei cap. xviij. vbi clariſsimè oſtendit contra Philoſophos Deum infinita ſua ſcientia comprehendere, & ſequitur infinitas quodam ineffabili modo, quia ſcientiæ ipſius incomprehenſibilis non eſt, Deo finita eſt, &c. plura Gabr. vbi ſupra.

Informare, Dominus Cardi. Cameracen. per informare intrinſecè. q. iij. ar. j. lib. j. non intelligit aliud niſi communicare alicui concretiuè illud quod aliquid continet abſtractiuè: ſicut anima, quæ eſt abſtractiuè vita, communicat corpori quod ſit viuẽs. Et ſecundum eundem differunt inexiſtere, informare & inhærere. Vnde licèt cõueniant per eſſe in, differunt tamen, quia non omne quod inexiſtit alicui, informat illud. Sicut patet de Deo qui inexiſtit cuilibet rei, & tamen nõ informat aliquã rem. Similiter nõ omne quod informat inhęret, ficut patet de intellectu humano, qui informat corpus, & tamen non inhæret ei, quia inhærere vltra informare requirit, quod illud quod inhæret alicui ſubiecto dependeat ab ipſo in genere cauſæ materialis. Sic autem non eſt de intellectu, cùm non ſit eductus de potentia materiæ, ſed creatus. Hæc ille. Informare (vt ſcribit Gerſon parte. iij. in deſcriptione terminorum ad Theologiam vtilium) eſt actuare ſubiectum in genere cauſę formaliter, virtute cuius actuationis denominationes, quæ competunt formæ in abſtracto communicantur materiæ, vel toti compoſito in concreto, niſi ſint denominationes includentes negationes atque ſubiecto repugnantes. Et charitas informat omnes virtutes vt ſupra dictum eſt, de quo ſcribit Bonauen. di. xxxvj. qu. vlt. lib. iij.

Infundere à quo infundi, & propriè humor dicitur infundi & diffundi, vt ſcribit ſanctus Bonauen. di. xiiij. libr. j. in dub. literali, ſed quia charitas humori comparatur, ipſa dicitur infundi & diffundi, quia ſicut arbor fomentum & vitam & viriditatem habet ab humore, ſic tota ſpiritualis machina ab amore. Ille autem amor infunditur inquantum intra recipitur. Diffunditur verò inquantum ex intimis procedens dilatat affectum ad dilectionem multorum, & mouet omnes animæ vires ad bonas operationes, operatur enim magna ſi eſt. Si verò operari renuit, amor non eſt, ſicut dicit Gregorius. Et ideo Dominus dicit Ioannis ſexto. Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Vnde ad Rom. 5. Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritumſanctum qui datus eſt nobis, &c. Et quia habet (vt idem Bonauen. ait) originem indeficientem ſicut fluuius, ipſa non minuitur.

Ingenitus & non genitus differunt ſecundum Magiſtrum di. xxviij. Solus enim pater dicitur ingenitus nõ ſpiritusſanctus. Poteſt autem ingenitum capi dupliciter, ſic etiam ſapientia ingenita, vt ſcribit Gabr. di. xxxij. qu. j. art. j. libr. j. poſt Dominum Cardinalem Came. q. viij. ar. iij. ferè in fine. libr. j. & ſanctus Bonauen. di. xiij. q. iiij. lib. j. Vno modo dicitur ingenitum omne quod non eſt genitum, & ſic eſſentia diuina eſt ſapientia ingenita. Vel vt inquit Bonauen. pro eo quod non generatur, ſic dicitur de eſſentia & ſpiritusſancto. Alio modo dicitur ingenitum quod eſt non genitum, & eſt generans, vel vt dicit S. Bonauen. prout tantum valet ingenitum quantum non ens ab alio, & à quo alij, hoc modo dicit notionem ſolius patris, quia dicit proprietatem & dignitatem in patre. Primo modo vt inquit Gabr. & Aliacenſis, quod filius eſt ſapientia ingenita identicè ad iſtum ſenſum quod filius eſt diuina eſſentia ſiue ſapientia, quæ eſt ingenita, & capiendo ſapientia ingenita eſſentialiter, & ly ſapientia genita perſonaliter termini iſti poſſunt affirmari de filio, vt vult Camera. Sed ſecundo modo filius non eſt ſapientia ingenita, quia ingenitũ hoc modo ſoli patri conuenit, & non diuinæ eſſentiæ. De hoc nomine ingenitus plura ſcribit ſanctus Bonauen. di. xxviij. libr. j. ferè. & Bruleſer di. xiij. qu. iiij. & xxviij. libr. j. & Doctor ſubtilis ponit longam declarationem huius termini ingenitus: diſt. xxviij. lib. j. Sufficiant hæc modica annotaſſe.

Ingratus, à quo ingratitudo. Eſt autem ingratitudo quælibet peccatum, quia tollit debitum gratitudinis, quod eſt debitum honeſtatis ſecundum beatum Thom. ſecunda ſecundæ. q. cvij. ar. j. Et ingratus vel ingratitudo dicitur dupliciter, vt ſcribit ſanctus Bonauen. di. xxij. libr. iiij. circa textum. & lib. ij. diſt. v. qu. j. Vno modo dicitur oblitio beneficij cum contemptu, vtputa quando eſt locus & tempus agendi gratias & recognoſcendi, & ſic eſt ſpeciale peccatum ſub omiſsione. Alio modo dicitur ingratus qui recipit bonum & reddit malum. Et hæc eſt circunſtantia peccati, & ſic eſt in omni peccato, & tantò magis aggrauans, quantò homo plura bona percepit. Vnde Aug. de pœnitentia, & habetur de pœ. di. v. c. conſideret. Ingratus enim extitit qui plenus virtutibus Deum omnino non timuit. In hoc enim quiſque peccator fit culpabilior, quo eſt Deo acceptior, ideo enim Adam plus peccauit, quia omni bono abundauit. Hinc Chryſoſt. ſuper Matth. Quantò maiora beneficia ſunt hominibus conſtituta, tantò grauiora peccantibus iudicia. Et Bernar. Ingratitudo eſt hoſtis gratiæ, inimica ſalutis: quoniam nihil ita diſplicet Deo quemadmodum ingratitudo. Ingratitudinem ſuperbi hominis carpit Gerſon parte j. ſermone de circumciſione Domini, cùm ait: Sed væ tibi peſſima, væ tibi nequã ingratitudo cordis humani, cordis incircunciſi: & certè inhumani, dum ad tantam gratiam notiſſimam Dei tui non corrigeris, nõ emolliris, non flecteris: humilis eſt ipſe, qui eſt Deus benedictus in ſecula. Et tu ceruicem erigis, tu ſuperbis terra & cinis, tu ſordida pellis inflaris & tenderis. Tu inquam inflaris & tenderis ſordida pellis, ſaccus ſtercorum & vermium. Humilis eſt ipſe legiſlator tuus obſeruans legem tuam, & tu quotidie legis ſuæ iugum ſuaue & leue contumaciter excutis &

con-

confringis, &c. Hæc Gerſon.

Inimicus, contrariũ eſt amicus. Eſt autẽ amicus qui amat & indiſſolubili familiaritatis iure coniunctus eſt, de quo vide in dictione *amicus*. Inimicus per oppoſitum, qui non amat, ſed qui lædere aut nocere ſtudet. Et eſt duplex, vt notat Brule. diſtin. xxx. quæſt. iiij. libr. iij. ſcilicet naturæ humanæ, qui eſt ſupra, vel ſecundum ſtatum viæ, ſcilicet, diabolus. Alius eſt inimicus hominum, ſcilicet, faciens alicui iniuriam, vel inferens aliquod damnum. Et eſt duplex, quidam perſonalis, alius cõmunis perſecutor eccleſiæ, vt Nero, & alij tyranni. Poteſt autem inimicus conſiderari dupliciter, vt ſcribit Scotus diſt. xxx. lib. iij. ſcilicet, per ſe, id eſt inquantum inimicus, & per accidens inquantũ homo. Primo modo inimicus non eſt tantũ malus priuatione boni, ſed habitu poſitiuo vitij, ſicut iniuſtus dicitur, non tantum carens habitu iuſtitiæ, ſed etiam habẽs habitũ iuſtitiæ contrarium cauſatum ex actibus iniuſtis: & inimicus inquantum talis eſt malus & vitioſus, & per conſequens nullo modo eſt diligendus ſic; hoc enim modo odiuit inimicũ qui dixit: Deficiant peccatores in terra & iniqui, ita vt non ſint. Non ſint quidẽ inimici ſiue iniqui, quia verte impios & non erunt. Prouerb. 12. Loquẽdo autem de inimico per accidens, ſcilicet, de homine, qui nunc eſt inimicus poſſumus diligere, ſcilicet, velle ſibi bonum ſpirituale, quo attingit vel natus eſt attingere Deũ, vel aliud bonum indifferens, quod poteſt ordinari ad illud. De primo, ſcilicet ipſum diligere Deũ amore amicitię, vt eſt bonum honeſtum, vel concupiſcere ſibi Deum, vt eſt bonum commodi ipſum audire miſſas, prędicationes, correctionẽ, inſtructionẽ, per quę conuertitur ad diligendum Deum. De ſecundo ipſum viuere vita corporali, eſſe ſanum, diuitem, fortem, & huiuſmodi. Latiùs Scotus rem proſequitur. Poſſum & (vt idem vult) oppoſita velle ſibi, ſcilicet paupertatẽ volũtariam & ita carere diuitiis. Itẽ infligi ſibi à Deo aliqua mala ad correctionem, ſi crederem ipſum per commoda & alia bona ſemper addere ad peccata ſua. Sicut iudex & actor debent nolle reum ex ſuppoſitione non eſſe talem. Poſſum & velle ſibi oppoſita illorum commodorum. Et quo ad hoc conformiter dicendum eſt de bonis fortunę, & de bonis corporis. Sed de vita corporali videtur dubium an poſſim illam ſibi odire vel nolle dicit Scotus. Sed ſi eſt malus tyrannus vel perſecutor bonorum, debet velle eum non eſſe talem, vel non eſſe finaliter reprobum. Sed ſi ponantur oppoſita iſtorum, poteſt velle ſibi potius mortem, tamen cum quadam triſtitia, quod non eſt ſimpliciter, ſed conditionaliter ſi nõ eſſet talis, &c. Vnde in fine quæſt. concludit Scotus. Pium eſt laborare pro vita proximi ſaluanda, quia ſupponendum eſt ſi eſt bonus quod erit melior, & valebit ſibi & aliis ſua bonitas, & ſi eſt malus, ſupponendum eſt quod corrigetur. Hoc enim eſt piè iudicare, ſcilicet ſemper interpretari melius quãdo nõ eſt oppoſitum manifeſtũ. Hæc Scotus. Addendum eſt & hoc quod ſcribit Gerſ. in regulis moralibus: vbi dicit de diligere proximum ſicut ſeipſum, quod eſt velle proximo omnia ea quæ ſecundum rectam rationem homo vellet, ſimiliter proximum ſuum velle ſibi. Hæc autem ſunt indiſpenſabiliter bona charitatis & gloriæ, & paulò poſt ab inimico parato totaliter ſatisfacere de iniuria, ego teneor ſatisfactionem ſuſcipere vel indulgere, tamen verbum meum aut ſocietatem ſolitam, aut talia dilectionis ſigna, poſſum interdicere ad mei & ſui cautelam, & non ad rancorem. Item inimicum non paratũ corrigi diligo quantum ſufficit ad ſalutem: ſi ei nolo malum damnationis, neque damni temporalis per iniuſta media. Item inimico meo incorrigibili aptare fas habeo, vt taliter ſibi ſit in anima, vel in rebus, qualiter ſufficit ad hoc quod neq; mihi, neque reipublicæ iniuſtum damnum poſſit inferre. Hæc Gerſon magnus conſcientiæ conſolator. Sunt & quatuor genera inimicorum qui infeſtant & infeſtarunt Eccleſiam, de quibus vide Iacobum de Valentia ſuper Pſalm.

Iniquitas eſt propriè in proximum, peccatum autem in ſeipſum. Impropriè verò ſunt idem. Thomas prima parte ſecundæ, qu. xxxiiij. art. j.

Iniuria (vt ſcribit poſt Petrum de Palud. di. xviij. qu. j. ar. ij. li. iiij. Gabr. eadẽ di. q. ij. ar. j.) dicitur omne quod non iure fit. Facere iniuriã, eſt ſimpliciter aliquẽ nolentẽ lædere, & ſcientem quem & quo & quomodo propter illius voluntatẽ ſecũdum Ariſt. v. ethi. Iniuriã pati eſt quũ à volentibus iniuſta inferuntur. Ariſto. j. retho. Iniuria propriè (vt Vlpianus ſentit) eſt iniquitas atque iniuſtitiã. Nam quũ quis iniquè vel iniuſtè ſententiã dixit, iniuriã feciſſe manifeſtũ eſt quaſi nõ iniuriã. Ponitur & iniuria aduerbialiter, hoc eſt ſine cauſa & immerito; quẽadmodũ iure pro merito accipi ſolet Cice. Neq; in iniuria factum eſt, hoc eſt non ſine cauſa, nõ immerito. Quandoq; pro contumelia ponitur. Plin. Tot ab eo iniuriis affectus, tot conuitiis laceſſitus. Quandoque pro damno. Pacu. Patior facilè iniuriam, ſi eſt vana contumelia. Sed hæc ad Grammaticos & Poetas. Ex iniuria autem tria oriri ſolent, vt ſcribit Gerſon parte ſecũda de vitio & peccato iræ. Primum eſt rancor in affectu. Secundum rancoris ſignum in effectu. Tertium eſt actio contra iniuriantem. Primum tenetur quilibet ſtatim remittere, etiamſi non rogetur. Secundum tenetur quis remittere ſi rogetur ſcilicet, veniam petẽti, & iuxta ſuam facultatem emendare parato. Tertium non tenetur quis remittere, &cæ. De iniuriam patiendo habes eundem parte iiij. ſermon. de cœna Domini. Exemplo Chriſti, vbi & increpat impatientes, cùm ait. Erubeſcat Chriſtianus diſcipulus hæc audiens, quem tanta leuitate frangunt iniuriæ, qui ad vnum puerile verbum durius factum implacabiliter excãdeſcit, reiicit patientiam, iugum dilectionis à ceruicibus excutit, diſcindit veſtem nuptialem charitatis, benignitatem execratur, & oculo toruo, facie minaci, tumenti ſilentio, vel canino latratu ad vindictam exercendam, tota iracundiæ furentis auiditate currit & rapitur. Porrò quantò ſatiùs eſſet obliuiſci iniuriarum, & hominem ad patrem ex hoc mundo tranſiturum, nequaquam talibus irretitum & implicatum retardari, & attendere illud Terentianum: Homini in vita nihil eſſe melius humanitate atque clementia. Pulchra Gerſon vbi ſuprà, ponens exemplum de Dauid.

Iniuſtitia eſt per quam aliena ſinguli contra leges retinent ſecundum Ariſt.li.j. Retho. Et eſt duplex, ſcilicet illegalis oppoſita iuſtitiæ legali. Alia ſecundum inæqualitatem ad alterum, de quo Thom. ſecunda ſecundæ.q.lviij.ar.v. &c.

Innaſcibile vel innaſcibilitas dupliciter accipitur, vt notat Gabr.di.xxviij.qu.vnica art.j.libr.j. Primò eſt res non nata. Secundò eſt res non producta, nec per productionem communicata, nec producentis vel producti cõſtitutiua. Corollarium, nec eſſentia, nec paternitas, nec filiatio, nec ſpiratio actiua aut paſſiua, nec conſtitutũ eſt innaſcibilitas. Et capiendo primo modo innaſcibilitas, non eſt proprietas patris: quia conuenit nõ ſolùm patri, ſed etiam ſpiritui ſancto. Sed capiendo ſecũdo modo, nullo modo eſt proprietas patris, quia pater non eſt proprietas patris, & innaſcibile eſt tantũ pater, quia nec eſſentia, nec relatio, nec cõſtitutum ex eſſentia & relatione: puta ſpiratione, actione nec filius nec ſpiritus ſanctus, ergo eſt tantũ pater, quia tantũ illa ſunt in diuinis. Et vt idẽ paucis verbis concludit. Si innaſcibilitas accipitur pro aliquo reali in diuinis diſtincto quomodocunque à patre eſſentia & paternitate, & ſpiratione, actione, & conſtituto ex eſſentia & communi ſpiratione ſecundum modum loquendi Doctorum: eſt nomen fictum, non habens correſpondentiam in re. Si autem ſignificat præciſe paternitatem, & nihil quomodocunq; diſtinctum à paternitate, tunc ſicut paternitas eſt proprietas patris, ita & innaſcibilitas. Gabr.

Innocentia vt ſcribit Bruleſer diſt.xix.qu.vj.lib.ij. capitur quadrupliciter. Primo modo pro pura innocẽtia per eſſentiam, & ſic dicitur eſſe bonitas, cui ex ſe annexa eſt omnis perfectio, & cui repugnat naturaliter omnis imperfectio ſine miſeriæ, ſiue culpæ, ſiue cuiuſcunq; alterius tam potentia quã actu, & ſic ſolus Deus eſt innocens. Secundò capitur innocentia pura per participationẽ, & ſic eſt quędam bonitas per participationẽ, carens omni miſericordia tam culpæ quã pœnæ, tam actu quã habitu, ſiue potentia ſiue poteſtate. Hæc ſolũ reperitur in beatis ſpiritibus. Tertio capitur pro ſtatu qui caret vitiis & peccatis, tamen ille ſtatus eſt mixtus multis miſeriis pœnalibus. Hoc modo omnes ſancti viatores ſunt innocentes: De quibus dicitur Pſalm. Innocentes & recti adhæſerũt mihi. Quarto modo capitur pro ſtatu carẽte culpa, & miſeria pœnæ poſſibili, tamen ad vtrunque, in hoc ſtatu erãt Adam & Eua ante peccatum. Et Innocentia ſecundũ Cicer. lib. Offic. eſt puritas animi, omnem iniuriæ illationẽ abhorrens. Et innocẽtia integritas eſt: ſicut nocentes propriè dicuntur qui iniuriã aut maleficium commiſerunt. Innocẽtes verò dicũtur qui ab omni iniuria & maleficio abſtinent. De quibus Pſal.23. Innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in vano animam ſuam, nec iurauit in dolo proximo ſuo, hic accipiet benedictionem à Domino, & miſericordiã à Deo ſalutari ſuo. Aug. de vera innocentia. Eam (inquit) innocentiam probat Deus qua homo non metu pœnæ fit innocens, ſed amore iuſtitiæ. Nam qui timore non peccat, quamuis non noceat cui vult nocere, & abſtineat ab iniquo opere, reus tãtum fit ſola voluntate. Idẽ ſuper Pſal.38. Vera innocentia eſt vbi integritas eſt ſine peccato, venditio eſt ſine debito, flagellum ſine merito, &c. Innocens præterea dupliciter poteſt dici ſecundum Richard.diſt.xiiij.artic.ix.quæſt.j.in ſolut.argum. lib.iiij. Aut qui non eſt nocens nec fuit, & talis innocens pœnitere nõ tenetur, ſed ſic pęnitentia non facit peccatorem innocentem. Aut qui nõ eſt innocens, ſed tantum fuit, & talis innocens pœnitere tenetur, & hoc modo pœnitentia peccatorem reddit innocentem. Hanc innocentiam Deus à peccatoribus requirit. Vnde Lactantius libr.vj.Diui.Inſtit. ait: Nihil ſancta & ſingularis illa maieſtas aliud ab homine deſiderat quàm ſolam innocentiam, quam ſi quis obtulerit Deo, ſatis piè religioſéque litauit. Et libr.vij.c.xxj. Tanta eſt vis innocentiæ, vt ab ea ignis ille refugiat innoxius, qui accipit à Deo hanc poteſtatem vt impios vrat, iuſtis obtẽperet, &c. De innocentiæ ſtatu vide in dictione *Status*. infra.

Innocens perfectè ſiue omnimodè, vt ſcribit Bruleſer diſt.xix.qu.iiij.lib.ij. dicitur qui nec habet peccatum mortale, veniale, nec originale de facto & ex modo conceptionis. Hoc dico (inquit ipſe) propter Virginem Mariam quæ non habuit de facto, habuiſſet tamen niſi Deus præſeruaſſet eam ex modo conceptionis. Et ideo ſolus Chriſtus eſt hoc modo innocens.

Innouare à quo venit innouatio. Vbi autem eſt innouatio (vt dicit ſanctus Bonauen.di.xlviij. art.ij. qu.iij.libr.iiij.) ſubſtantia remanet eadem, ſed ſub aliis proprietatibus, quare omnia elementa ſecundum ſubſtantiam poſt iudicium remanebunt, ſed quantum ad qualitatem innouabuntur, manebunt autem qualitates omnium elementorum, quãtum ad ſubſtantiam, ſed quantum ad rationem corruptionis innouabuntur, ſimiliter & formæ ſubſtantiales, vt melior & probabilior tenet opinio, de quo latiùs Bonauentu.

Inſenſibilitas eſt vitium quo prætermittuntur neceſſaria vitæ contra rationem, ideo eſt peccatum ſecundum beatum Tho. ſecunda ſecundæ, q.cxlij. ar.j. Et à ſenſus venit ſenſibilitas, & ſenſibile quod ſignificat tam id quod ſentit quàm id quod ſentitur. Item ſenſificum quod ſenſus cauſam præſtat.

Inſipientia Græcè ἀνοία & eſt idem quod ſtultitia, & contrariatur ſapientiæ B.Thom. ſecunda ſecundæ.q.xxxv.attic.iiij.

Inſpirare vel inſufflare ſecundum Gabr. diſt. xvij. q.j.ar.j.lib.ij.ſenten. idem eſt quod ſpiritum facere & eũ corpore vnire. Vnde dicitur: Formauit Deus hominem de limo terræ & inſpirauit in faciẽ eius ſpiraculũ vitę, & ſic ſolus Deus inſufflauit ſpiraculum vitæ in faciẽ Adæ, ita creat animam cuiuſlibet hominis. Hinc dicitur Pſal.32. Qui finxit ſigillatim corda eorum. Et Zach. Qui plaſmauit animam hominis in eum. Item Eſa. Qui finxit & fecit te in vtero. Et Gene.2. dixit Adam, Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea. Non dicit: Anima ex anima mea. Vnde datur intelligi, quod animæ rationales non ſunt de anima primi hominis, ſed caro de carne. Id quod & latiùs probat Gab.ar.ij. vbi ſupra. concluſione.iij. Inſpirare quandoque dicitur immittere, à quo inſpiratio, qui quidem modus eſt diuinarum vocationũ, vt ſcribit Gerſon parte ij. in ſer. de

ſer. de verbis Domini: Venite ad me omnes qui laboratis; quā multis modis fieri conſtat, fit namque timore, amore, pudore, compunctione, deuotione, intelligētia, ſapientia, datione, redditione, augmētatione, & cōſummatione cuiuſlibet gratiæ. Gerſon.

Inſtabilitas vt ſcribit ſanctus Thomas ſecunda ſecundæ, quæſtione trigeſimaquinta, artic. quarto, eſt mutabilitas loci vel propoſiti.

Inſtans Grecè inſωg dicitur, & eſt duplex (vt ſcribit B. Thom. opuſculo de inſtantibus. c. iij.) Vnum ſequens mobile, idem numero realiter differens ratione, & aliud continuans tempus non idem, ſed labens cum eo. Inſtans ſecundum Richar. de media Villa. ſuper. ij. di. ij. art. j. eſt aliquid indiuiſibile habens connexionem ad tempus, nō quidem pars temporis, ſed initium vel terminus à quo ſine reali diſcontinuatione temporis, partes temporis ab anima numerantur. Et hæc ex. iiij. iij. vj. Phyſicorum trahuntur. Et ſecundum eundem inſtans eſt in motu, & eſt menſura mobilis ſub ratione qua mobile. Reducitur autem ad tempus ſicut punctus ad lineam. Inſtans ſecundum Occam. cap. j. quartæ partis Phyſices. Grego. Arimineh. di. ij. q. j. art. ij. j. ſen. & Marſi. eſt premium mobile cōnotando locū in quo eſt, & quid immediatè in illo loco nō fuerit, & immediatè in eo nō erit. Nec inſtans (vt ait Occam) eſt res ſtatim deſinens eſſe in rerū natura, ſed inſtās nō eſt aliud à primo mobili, & ſecundū illos eadem res eſt inſtans & tempus, quāuis differāt ratione. Plura de hoc aliàs diſſeruimus. Aliter ſentiūt Thomas, Alber. Scotus & ſequaces, qui dicūt quod inſtans ſit quædā res fluens, quæ ſtatim corrūpitur & deſinit eſſe, nec poteſt per tempus permanere. Dicunt præterea quod inſtans ſit indiuiſibile ſecundum durationē & continuationem partiū temporis adinuicem, nec eſt tempus nec pars tēporis, ſed pro quāto terminat pars tēporis, & continuat eas: ad inuicem ſe habet vt primum formale temporis, & pro quāto ex fluxu eius imaginatur cauſari tempus dicitur primū materiale temporis, de quo aliàs dicitur latiùs. Et aliquid fieri in inſtanti (vt ſcribit Dominus Gardinal. Camera. qu. ix. ar. iij. li. j.) dicitur quando nulla eius pars præfuit antequam illud eſſet. Ex quo ſequitur quod nō ſtat aliquod indiuiſibile fieri & illud non fieri in inſtāti. Patet, quia nihil eius antè præfuit cùm ipſum careat partibus.

Inſtans æternitatis eſt ipſa æternitas, quæ Deus eſt vt ſcribit Dominus Cardinal. Camera. q. vij. Quæ ideo dicitur inſtans, quia ſicut inſtans tēporis ſi eſſet totum ſimul, nec in eo eſſet prius aut poſterius. Sic ipſa paternitas tota ſimul ſine ſucceſſione prioris & poſterioris exiſtit. Vnde ibidem dicitur quod generatio in diuinis eſt productio inſtantanea, loquendo de inſtanti æternitatis, quia eſt productio æterna. Ex his patet quod iſta conſequentia nō valet. Filius Dei eſt in iſto inſtanti, nec antè fuit nec poſt erit, ergo incipit eſſe vel deſinit eſſe: patet de inſtanti æternitatis. Patet & ſecundò infatuata ſubtilitas quorundam dicentium quod contradictoria ſunt vera in eodem inſtanti æternitatis, hoc enim clarè falſum eſt, quia ſicut ad cōtradictoria eſſe vera in eodē tēpore requiritur quodlibet eſſe verū in toto illo tempore, aliter non eſſent contradictoria, ſic ad ipſa eſſe vera in inſtanti æternitatis requiritur quodlibet eſſe verum æternaliter, quod manifeſtè implicat Aliacenſis.

Inſtigare, mouere. Vnde inſtigare ad bonum nihil aliud eſt quàm aſſentire & cognoſcere principium oſtendens aliquā operationem eſſe bonā & iuſtam, eamque fieri debere. Hoc autem nouerunt dæmones & damnati, nouerunt enim ſe prauè velle agere & peccare. Gabr. diſt. xxxix. qu. vnica. artic. iij. dubio primo libr. ij.

Inſtituere ſignum ad ſignificandum, vide in dictione *ſignum*.

Inſtinctus vt ſcribit Gerſ. part. iiij. de diffinitionibus terminorū ad theologiam vtiliū generaliter eſt fortis ac vehemens inclinatio libe. arbitrij mediatè vel immediatè ad aliqualiter ſe habendum vel non habendum: Et eſt multiplex.

Inſtinctus malus eſt inſtinctus directè vel indirectè ad peccatū, vel retrahēs à virtute, & idem eſt quod tentatio, *inſtinctus bonus* eſt inſtinctus promouēs directè vel indirectè ad virtutē, vel à vitio diuertēs, & inſpiratio idem eſt, vno modo extendit Gerſon.

Inſtinctus diuinus propriè eſt inſtinctus factus immediatè & per ſe à Deo tangente animam, & ex ſuſcitante & quodammodo actuante eam ad obediendum ſibi cum omni ſubiectione ſuperbiæ contraria. *Inſpiratio ſpiritusſancti* idem.

Inſtinctus angelicus eſt inſtinctus factus ab angelo bono principaliter tamē à Deo inducens animā ad obediendū Deo. Hunc ſemper comitatur profunda humilitas, ſibiipſi vileſcens. latiùs Gerſ. Inſtinctus diabolicus deſcribitur per oppoſitū, quod eſt inſtinctus principaliter factus à malo angelo inducēs ad peccatum, & immiſſio per angelum malum idem. Similiter ſuccēdere ad malum idem. Transfiguratio autem Sathanæ in angelū lucis eſt immiſſio diabolica vel inſtinctus diabolicus ſiue ſit viſibiliter ſiue inuiſibiliter inducēs ipſam animam ad malum ſub ſpecie magni boni. Gerſon.

Inſtinctus naturæ proprius & intrinſecus eſt inclinatio fortis rei, competēs eſſentialiter ſibi, & intrinſecè ex dono Dei ad finē ſuū mediatè vel immediatè conſequendū. Inſtinctus naturę proprius, ſed intrinſecus vel accidentalis, eſt inclinatio quędam ſuperaddita rei à ſua inſtitutione pro fine ſuo mediatè vel immediatè conſequendo. Appetitus naturæ idem eſt quod inſtinctus naturalis. Inſtinctus naturæ intrinſecus, ſed vniuerſalis eſt inclinatio rei ad bonum vniuerſi, vel ad obediendum ei, qui vniuerſalis conditor & rector eſt, potentia obedientialis idem. Inſtinctus naturæ corruptæ inſenſualitate & fortis inclinatio ſenſualitatis ad obiecta ſua nō expectando regulam rationis proueniens nobis ex peccato primorum parentum; & lex naturæ corruptæ idem. Item lex membrorum fomes peccati: tyrannus membrorum priuatio iuſtitiæ originalis idem. Inſtinctus intrinſecus naturæ intellectualis corruptæ, eſt inclinatio fortis ad condeſcendendum ſenſualitati ad vtēdum Deo, & fruendum creatura & ſpiritualiter formidandū. Vti autē Deo, eſt ipſum propter aliud à ſe diligere & quærere, & eſt quandoque mortale quandoque veniale. Frui creatura eſt ſpreto incommutabili bono adhære-

re creaturæ, & ſi hoc fiat tanquam fini principali, ſemper eſt mortale. Inſtinctus naturalis ab extrinſeco eſt tractus vehemens & ſubitus vel ab aliquo obiectorum quinque ſenſuum exteriorum, vel ab habitibus acquiſitis aut à cœleſti virtute vel forma vel influentia. Influentia autem cœleſtis, vel forma vniuerſalis eſt virtus quędam deriuata inferius ab intelligentiis, mediantibus orbibus ſuis & motu commouens corpora, quibus commotis animæ præſertim rationales formant ſibi phantaſmata proportionabiliter ad tales influentias, clarius vel obſcurius pro diuerſitate corporis hac virtute commori. Sicut puer ſolus in tenebris exiſtens format ſibi phantaſmata terribilia, & vehementer amans ſibi ſomnia fingit. Hęc Gerſon parte iiij. vbi ſupra. Regulandi autem ſunt inſtincti iuxta præcepta Dei. Non enim (vt inquit idem Gerſon parte iij. de perfectione cordis) inuenio regulam certiorem & fideliorem quàm legem Dei, iuxta illud: Conſilium meum iuſtificationes tuæ, &c.

Intellectus Græcè σύνεσις dicitur. Et eſt vis animæ quæ inuiſibilia percipit ſecundum Auguſt. libr. de ſpiritu & anima. Et ſecundum Ariſto. vj. ethi. intellectus eſt habitus principiorum, & libr. magnorum moralium: Intellectus eſt habitus circa principia intelligibilia. Et intellectus dicitur multipliciter. vt habet Pelbartus & Guil. Scotiſt. in j. ſenten. diſtinct. iij. parte: ij. artic. j. & Pelbartus libr. ij. Roſarij Theologiæ in dictione *Intellectus*. Vno modo eſt donum ſpiritusſancti. Eſa. 11. Requieſcet ſuper eum ſpiritus ſapientię & intelligentiæ, ſic intellectus ſecundum Lyram capitur pro dono infuſo, quo perficitur ſpeculatiua ratio ad apprehenſionem veritatis, ſicut ratio practica habet perfici in apprehenſione veritatis per donum conſilij. Et diffinitur ſic ab Augu. in ſermone quodam de timore. Intellectus vocatur quo ab omni infirmitate carnali corda mundantur, vt pura intentio dirigatur in finem ſuum, ſcilicet, Deum. Eſt intellectus quoddam lumen ſpirituale (vt ſcribit Gerſ. parte. ij. de. viij. beatitu.) infuſum ad cognitionem Dei in creaturis. Et differt à dono ſapientiæ (vt idem vult) quia Sapientia eſt cognitio per guſtum. Eſt enim quoddam lumen ſub quo vel in quo videntur & guſtantur diuina per experimentum. Vnde Sapientia prout eſt donum, eſt proprie guſtus Dei in donis ſuis. Intellectus autē non eſt per guſtum, ſed potius eſt lumen quoddam datum à Deo ad cognitionem Dei in creaturis, illis in quibus reſultat Deus per gratiam, vel in illis in quibus habet reſultare per gratiam & gloriam. Vnde intellectus eſt donum quo gratuitè cognoſcimus diſpoſitiones cœleſtium, per easque tendimus in Deum ſic diſponentem. Hæc Gerſon vbi ſupra. Secundo dicitur intellectus notitia principiorum, de quo Philoſophus. vj. ethi. dicit & ſupra dictum eſt, quod intellectus eſt habitus principiorum quæ per ſe nota habentur ſtatim cum ab intellectu percipiuntur, vt quod omne totum eſt maius ſua parte. Tertio modo capitur intellectus pro actu intelligendi, ſicut cùm dicitur: Hic eſt intellectus meus vel tuus, & illius intellectus eſt ſyllogizare, diſcurrere, regulas artium ſibi formare generales & infallibiles ad exemplar artis patrię, de quo videatur latiùs Gerſon parte iij. de conſolatione Theologiæ. libr. ij. proſa. iiij. Quarto modo capitur pro potentia intelligendi animæ, &c. Et intellectus hominis non poteſt intelligere pro ſtatu iſto niſi conuerſus ad phantaſma. Vnde nullam cognitionem haberę poteſt niſi eam ad quam mediatè vel immediatè concurrunt phantaſmata, de quo videatur Gabriël. diſtinctio. ix. quæſtione ij. articul. iij. libr. ij. ſententiarum.

Intellectus noſter eſt duplex, ſcilicet, humanus & fidelis, vt ſcribit Sanctus Bonauen. diſtin. x. quæſt. penul. li. iiij. ſenten. Si vt eſt humanus, ſic intelligit conuerſus ad imaginem & ſenſum, & iudicat ſecundum cauſas intrinſecas & inferiores, & ideo deficit in aſſentiendo, quia non aſſentit niſi ſecundum manuductionem quæ ortum habet ab imaginatione & ſenſu: & ſic iſte articulus dicitur eſſe ſupra intellectum, & contra intellectum, ſecundum quod eſt intellectus humanus. Si autem loquimur de intellectu ſecundum quod eſt fidelis, ſic dicendum eſt quod aſſentit ſecundum dictamen fidei, & ſecundum regulam veritatis æternæ, ideo ſufficit in aſſentiendo, & concordat in ratiocinando. Intellectus enim fidem habens ſtatim credit, ex quo propoſitum eſt ſibi, ſcilicet, quod Chriſtus eſt ſub ſpeciebus panis & vini, ad hoc adiutus lumine fidei. Similiter concordat in ratiocinando, quia aſpicit ad cauſas ſuperiores, ſic enim dicit intellectus. Deus poteſt facere omne quod eſt congruum, & fides aſſumit, congruum eſt quod caro Chriſti exponatur in cibum, & ideo ratio concludit quod Deus poſsit hoc ibi facere. Item intellectus dicit, quod veritas non poteſt dicere falſum, & fides aſſumit. Veritas dixit, hoc eſt corpus meum, & præcepit vt diceretur, ergo dixit verum. De quo & legito Magiſtrum Ioannem Gerſonem in Centilogio de conceptibus. Et cùm ſic in nobis duplex intellectus, ſcilicet, fidelis, & humanus, ideo ſentimus in nobis aliquando colluctationes, inquit ſanctus Bonauentura. Fidelis tamen intellectus præualet ei qui eſt humanus, qui eleuat ipſum extra animalitatem, attamen non ita eleuat quod comprehendat vt meritum fidei integrum maneat. Hæc Bonauentura. Eleuationis autem intellectus ſupra naturam ſui ſunt tres gradus, qui dicuntur tres cœli contemplatiui. De quo videatur Iacobus de Valentia in prologo ſuper Pſalterium, tracta. ij. De quibus cœlis dicitur & in oratione dominica: Pater noſter qui eſt in cœlis, id eſt in viris contemplatiuis, &c. Omnis autem cognitio noſtra (vt ſcribit Gerſon tracta. j. ſuper Magnificat.) quantumcunque fiat per ſpiritum naturali via ſine reuelationis immediato miraculo, capit à ſenſibus initium, per quos phantaſmata veniunt ad animā phātaſiantem, de quibus dicit Philoſophus, & Theologi conſentiunt, quod neceſſe eſt quemcunque intelligentem phantaſmata ſpeculari. Hæc ſunt ad ſpiritum, ſicut color ad viſum, &c. Idem ſentit tracta. iij. ſuper Magnificat. de intellectu agente.

Intellectus eſt duplex, ſcilicet practicus & ſpeculatiuus. Intellectus ſpeculatiuus ſecundū Ariſt. eſt ſolū reſpectu veri vt verum eſt. Intellectus verò practicus dicitur cōfeſſe ſe habēs appetitui, id eſt cōformis & pro-

& proteſus in appetitũ: cuius obiectũ eſt nõ ſolum verũ ſub ratione veri, ſed ſub ratione boni. Sed ſecundũ Gerſ. tracta. iij. ſuper Magnificat, de intellectu practico ſermo reſtrictior eſſe debet: vt ſolum dicatur practicus dum ad factibilia & agibilia inferiora conuertitur per extenſionem in affectum & in effectum operationis huius, conſiderando relationem ad fines proximos, non ad ſupremum: qui Deus eſt colendus & amandus, &cæt. Latiùs ſcribit Gerſon.

Intelligere vt ſcribit San. Bonauent. diſtinct. xix. in dubiis literalibus libr. j. & diſt. xxiiij. libr. iij. circa textum, dupliciter dicitur. Vno modo largè: idem quod cognoſcere aliquid quod per nomen dicitur. Illo modo præcedit aſſenſum fidei: quę eſt ex auditu, nec aliquid creditur quin iſto modo prius intelligatur. Alio modo intelligere idem eſt quod ratione apprehendere, vel præuia ratione cogitare. Iuxta quod dicit Augu. quod intelligimus, debemus rationi: quod credimus, auctoritati. Hoc modo conſequitur fidem: quia nulla ratio humana ſufficit ad manifeſtanda credibilia: niſi intellectus fide illuſtretur & captiuetur. Et de iſto intelligit Auguſt. cùm dicit: quod quædam ſunt quæ prius creduntur: & poſtea intelligũtur, ſicut ſunt articuli fidei, qui ſunt ſupra rationem. Quædam ſunt quæ non prius creduntur quã intelliguntur, ſicut ſunt antecedẽtia ad fidem: & ea quę ſunt de dictamine iuris naturalis ſicut Deum eſſe, Deum eſſe bonum. Quædam ſunt quæ creduntur, & nũquam intelliguntur, quia non poſſunt ratione probari, ſicut eſt hiſtoria humana geſta percurrens: nemo poteſt probare per rationem quod Abraham genuit Iſaac: ſed ſolũ per auctoritatem: & ſic patet quód intelligere aliquando præcedit fidem: aliquando ſequitur ſecundũ iſtum modum accipiendi: quamuis ſecũdum primũ ſemper pręcedat. Et ſecundum Philoſophum xij. meta. intelligere diuiniſsimum eſt. Intelligit & Deus ſe ſummè & perfectiſsimè: vt & Philoſophi & Theo. omnes ſentiunt. Intelligitque Deus omnia alia à ſe clariſsimè & diſtinctè. Vnde Prouerb. 16. dicitur. Omnes viæ hominũ patent oculis eius, & eiuſdem xiiij. Deus inſpector eſt cordis: ipſe intelligit & ſeruator eſt animæ tuæ, nihil fallit, redditque homini iuxta opera ſua. Et Pſal. 32. De cœlo proſpexit Dominus, videt omnes filios hominum, de quo latiùs videatur Gabr. diſt. xxxv. artic. ij. libr. j. & hoc fide credendum eſt. Vide ad hoc San. Tho. parte. j. qu. xiiij. artic. v.

Intelligentia eſt per quam animus ea proſpicit (quę ſunt) ſecundum Cice. li. rheto. & ſecundũ beatum Tho. intelligẽtia propriè ſignificat actũ intellectus & aliquando ſignificat ſubſtantias ſeperatas, ſcilicet angelos. Tho. prima parte. q. lxxix. ar. iiij.

Intelligentia poteſt capi quatuor modis: vt notat Brulefer. quęſt. iiij. diſt. ij. lib. j. Et ſecundum Guil. Scotiſt. capitur tripliciter. Primo modo pro natura merè ſpirituali intellectuali ſiue rationali nata per ſe exiſtere: ſic intelligẽtia eſt quædam portiuncula animæ, qua in quiete ſummo inhæremus, inde eſt quod angelici ſpiritus intelligentiæ nuncupantur à Philoſophis & Doctoribus. Secundo capitur intelligentia pro potẽtia, quæ eſt cognoſcitiua cuiuſcunque cognoſcibilis, & iſto modo ſolus intellectus eſt intelligentia. Tertio modo capitur intelligentia pro ipſo intellectu habente actu intellectionẽ genitam ſeu informatam actuali notitia. Quarto capitur intelligentia pro ſola actuali intellectione. Hęc Brulefer vbi ſupra. Et idem diſtinct. xiiij. quæſt. v. libr. ij. Guil. verò vbi ſupra, dicit tripliciter capi vt ſupra dictum eſt, vt diuiditur contra intellectum. Et Augu. de ſpiritu & anima dicit quód in primo intellectus vertetur in intelligentiam, & intelligentia in Deum. Secundo dicitur intelligentia vt condiuiditur voluntati, & ſic capitur cùm dicitur quod in mente ſeu intelligentia hominis imago conſiſtit trinitatis. Tertio modo dicitur intelligẽtia vel capitur pro ipſamet intellectiua potentia: vt informata eſt actu intellectionis: & iſto modo aſsignatur ab Augu. x. de trini. Secunda pars imaginis: ſic etiam. ix. de trini. dicit quod in his tribus imago conſiſtit trinitatis, ſcilicet, in mente, accipiendo mentem pro memoria, & in notitia, hoc eſt in intelligentia: & in amore & voluntate. Hæc Guil. Scotiſt.

Intelligentia ſimplex (vt ſcribit Gerſon parte. iij. de myſtica Theologia ſpeculatiua parte. ij. conſidera. x.) eſt vis animæ cognitiua ſuſcipiens immediatè à Deo naturalem quandam lucem, in qua & per quam principia prima cognoſcuntur eſſe vera & certiſsima terminis apprehenſis: & conſideratione xiiij. ſcribit intelligentiam tripliciter poſſe capi, ſcilicet pro virtute vel pro actu eius, vel pro habitu ex actibus derelicto.

Intemperantia vide in dictione *temperantia*.

Intentio multipliciter accipitur ſecundum S. Bona. q. vj. di. xxxviij. libr. ij. & poſt eum notat Gabriël eadẽ di. q. vnica, ar. j. Vno modo pro potẽtia intendente. Alio modo pro habitu quo intendit. Tertio modo pro actu intendendi: quandoq; pro obiecto quod intẽditur. Primo modo accipitur cùm intentio dicitur oculus, cùm verò lumẽ accipitur pro habitu dirigẽte, (cùm dicitur quod intentio eſt finis) ipſe, ſicut dicit, accipitur pro intẽto. Cùm verò dicitur quod intẽtio quędã eſt recta, quędam obliqua, accipitur pro actu: principalius tamen intentionis nomen impoſitũ eſt actui, ſic generaliter acceptum eſt actus potentiæ, quæ actu fertur in aliquid, ſiue moueatur à ſe, ſiue ab alio. Et intẽtio eſt actus volũtatis reſpectu finis. Et ſecundũ quod finis capitur tripliciter, cõmuniter, propriè, & magis propriè: ſic intentio capitur tripliciter, ſcilicet cõmuniter, & ſic omnis volitio eſt intẽtio, ſicut quodlibet volitũ dicitur finis communiter propriè: & ſic volitio illius propter quod aliquid eſt volitũ, dicitur intẽtio. Magis propriè volitio eius, quod eſt propter ſe volitũ, & aliud propter ipſum intẽtio appellatur. Quibus apparet, quod omnibus his tribus modis, intentio aliqua eſt vſus, aliqua fruitio, aliqua medium inter vſum & fruitionem, ſi ponitur medium, ſemper tamen eſt finis medij vel vltimi. Hæc Gabriël vbi ſupra. Et ſecundum S. Bonauen. diſt. xxxviij. libr. ij. tenet quod in nomine intentionis clauditur ſimul actus rationis & voluntatis, quia (vt inquit) intentio dicit quandam collationem vnius ad aliud, & cum hoc quandam cõuerſionem cum quietatione.

Primum pertinet ad intellectum. Secundum ad voluntatem. Gabr. poſt Bonauen. ar. iij. dub. j. vbi ſupra. Et intentio propriè accepta eſt volitio finis aſſequendi per media: & illa volitio eſt vnus actus, licèt nomen intentio poſſet cõnotare plures actus, ſcilicet actum medij relati in finem. Supponit tamẽ intẽtio pro volutione finis, quæ eſt vnus actus. Et dicitur intentio oculus & lumen metaphoricè, vt habet Gabr. dubio iij. vbi ſupra. Et non ſemper hæc pertinent ad intellectum, ſed etiam ad voluntatem. Vnde intentio dicitur oculus voluntatis, pro quanto per intentionem diſcernitur, quæ voluntatis operatio bona vel praua dicatur. Dicitur autem lumen, quia manifeſta eſt intendenti, non ſic opus. Scit enim homo quid intendit, quid verò ex opere ſequatur, neſcit: ideo opera dicuntur tenebrarum. Intẽtio quę manifeſta eſt homini agenti lumen, ſecundũ illud Apoſtoli ad Epheſ. 5. Omne quod manifeſtatur, lux eſt. Gabriël.

Intentio ſecundum Gabr. diſt. vj. quæſt. j. lib. iiij. eſt actus potentiæ liberæ, quæ fertur in aliquid. Fertur autem aliquid, vel vt in obiectum, vel vt in terminũ vel finem, vt latiùs declarat Gabr. de baptiſante, vbi ſupra. & di. xxxviij. q. vnica, lib. ij. Brulef. d. vj. q. ix. libr. iiij. intentionẽ propriè captam vel ſtrictè, ſic diffinit: Intentio eſt actus voluntatis tendentis in aliquem finem per aliquid, vel aliqua, vel ad ipſum finem ordinata: & propriè loquendo ſecundum eundẽ triplex eſt intentio, ſcilicet actualis, habitualis, & virtualis: de quibus & Gab. ſcribit poſt Scotum in quarto diſtin. vj. qu. vj. lect. vj. canonis. Vnde actualem intentionem (inquit Gabriël) habet, qui habet actum in voluntate elicitũ, reſpectu huius quod intendit: vt dũ quis habet actuale velle intrare Eccleſiam, actualiter intendit intrare Eccleſiam. Vel quando quis actu intendit celebrare. Iſta, inquit Brulefer, eſt perfectiſsima, nec eſt in dormiente. Habitualem verò intentionem (ait Gabriël vbi ſupra.) habet, qui habet in ſe habitum derelictum ex actu intentionis frequẽtato, inclinantem eum ad ſimiles actus, qualem etiam habere poteſt dormiens habituatus. Et iſta, inquit Brulefer, eſt imperfecta, & poteſt eſſe in dormiente. Intentionem autem virtualẽ, dicit Gabriël, habet is, qui ex virtute intentionis actualis præhabitę, procedit in opus ex illa tanquam ex radice: ita quod illa intentio actualis ſit principium ordinatum ad omnes illos actus ſequentes, ſicut intentio finis habet in ſe intentionem mediorum ad hunc finem ordinatorum: ſicut nunc intendẽs ire ad ſanctum Iacobum, ex intentione huius finis ordinat multa alia neceſſaria ad illum finem: exequens autem illa ordinata, non ſemper cogitat de eundo ad ſanctũ Iacobum, ſed ſæpè per operationes circa media, vel aliàs diſtrahitur ab actuali intentione prima: nihilominus tamen dicitur omnia facere ex prima intentione, & virtualiter habere illam primã intentionem in proſecutione mediorum pro quanto hæ actiones mediæ proceſſerunt à prima actuali intentione, & in eam tanquam in finem ordinantur. Quod ex eo patet, quia interrogatus, cur hoc agis, ſtatim reſponderet: propter ire ad ſanctũ Iacobum. In quo conſonat Brulefer, & exemplificat de celebrante Miſſam. Et intentio actualis, ſecundum eundem, non requiritur in baptizante ad hoc, quod baptizet: nec intẽtio habitualis ſufficit, quia iſta eſt in dormiẽte. Sed intentio virtualis eſt neceſſaria. Sufficit enim baptizantem quod priùs habuerit intentionem: ſimiliter dicendum eſt de omnibus ſacramentis. In omni enim ſacramento neceſſaria eſt intentio ſaltem virtualis. Conſonat dictis Scotus diſtin. vj. quęſt. vj. lib. iiij. quẽ latiùs videre potes. Et Gabriël diſt. vj. q. j. ar. ij. concluſ. v. lib. iiij. vbi dicit, quod ad baptiſmi veritatem non exigitur intentio actualis, nec ſufficit habitualis, ſed requiritur intẽtio virtualis, id quod diffuſe probat. Eodẽ modo dicendũ eſt de cõſecratione, quod ad conſecrandũ nõ requiritur intẽtio actualis cõſecrandi prolatione formę cõſecrationis, nec ſufficit habitualis, ſed virtualis requiritur, & ſufficit intẽtio in ſacerdote: hoc eſt requiritur & ſufficit, quod ſacerdos habuerit intẽtionem actualẽ conſecrandi, ex qua proceſsit ad opus celebrationis. Hæc pulchrè & abundè probat & oſtendit idẽ Gabr. lect. vj. canon. Et ſufficit (inquit ipſe) hæc intẽtio virtualis, etiã ſi in verbis cõſecrationis diſtrahatur, nihil actu cogitans de conſecratione. Et hæc vera ſunt, ſi opus celebrationis proceſsit ex prima intentione actuali ſine omni motu cõtrariæ volũtatis interueniẽte. Vide latiùs Gabr. ibidem magnũ ſcrupuloſæ cõſcientiæ cõſolatorem.

Intendere, vt notat Scotus di. xxxviij. lib. ij. dicit in aliud intendere. Hoc poteſt accipi generaliter, ſiue ab alio habeat quod in illud tendat, ſiue à ſe mouere ſe in illud. Poteſt etiã intendere in aliquid ſicut in obiectum præſens, vel vt in terminum diſtantem vel abſentem.

Intentio accipitur dupliciter apud Sanctos, vt vult ſanctus Bonauen. d. xl. q. j. lib. ij. & poſt eum notat hoc idem Gab. eadẽ di. q. vnica, li. ij. Vno modo intentio dicit volutionẽ finis ſimpliciter. Alio modo dicit volutionem finis ad quẽ aliquod mediũ ordinatur, & ita ſupponit pro volutione finis, & cõnotat mediũ ſeu aliquod in ipſum ordinatũ. Et ſecundum hoc dupliciter attenditur bonitas intentionis. Vno modo dicitur intentio bona ratione finis, quia eſt volitio talis finis, quem recta ratio dictat volendũ, non curando de mediis: ſic omnis volitio honeſtatis, pacis, dilectionis Dei & proximi, propter ſe dicitur intentio bona: Secũdo modo dicitur intentio bona, nõ tantũ ratione ſubſtracti, ſed etiã ratione cõnotati, hoc eſt non tantùm ratione eius quod volitur propter ſe, ſed etiã ratione mediorũ, quæ ordinantur in ſic volitũ. Et ſic dicitur intentio bona, in quo eſt bona & perfecta ordinatio operis ad finẽ intentũ, & ita ad bonitatẽ intẽtionis requiritur vtrunque, & bonitas finis, & recta ordinatio mediorũ ad finem. Hæc enim duo neceſſariò requiruntur ad hoc, quod oculus ſit ſimplex: ſicut dicit S. Bern. ad Eugeniũ, ſcilicet quod veritas ſit in electione, & charitas in intẽtione: hoc eſt dicere, quod tunc eſt oculus mentis ſimplex ſiue intentio bona, quando hoc amat finaliter quod eſt amandũ, & eligit quod eſt eligendũ: & hoc modo ſimpliciter verũ eſt: ſi oculus eſt ſimplex, totũ corpus lucidũ erit, quia intẽtione exiſtẽte hoc modo bona, opus eſt bonum, vt inquit Gab. Et ſi (vt dicit Brulef.) oculus eſt tenebroſus, hoc eſt intentio mala, & opus iudi-

catur malũ. Capiẽdo autẽ intentionẽ primo modo (inquit Gab.ar.ij.vbi ſup.) non ſufficit bonitas intentionis, vt ibidẽ multis probat. Vnde ſi quis furatur diuiti, vt ſubueniat pauperi, intẽtio quidẽ bona eſt, quia finis bonus eſt, ſcilicet ſubuenire pauperi: & tamẽ deficiunt ibi rectitudo obiecti, quia dat de non ſuo, & modi circunſtantiarũ cęterarũ: nõ enim ſunt (inquit Apoſtolus) facienda mala, vt eueniant bona, nec bonitas finis excuſat malè eligentem: vt autem opus ſit malum, ſufficit malitia intentionis, quia ad malitiã operis ſufficit defectus vnius cuiuſque requiſitorũ ad operis bonitatẽ, ſed ad operis bonitatẽ requiritur bonitas intẽtionis. Vbicunq; ergo eſt intẽtio mala, deficit intentio bona, quia cõtraria ſimul ſtare nõ poſſunt. Et per cõſequens, intentio mala ſufficit ad malitiã operis: nõ tamen ſemper requiritur intentio mala, quia poteſt eſſe operatio mala intentione exiſtẽte bona propter defectũ alterius circunſtãtiæ. Et vt dicit Brulef. qui intendit multũ peccare, multũ peccat qualecunq; opus faciat, nõ tamẽ qui intẽdit parũ peccare, parũ peccat, maximè ſi opus facit quod multũ habet de deformitate. Bonitas verò intẽtionis (vt inquit Gab. cõcluſ.iij. vbi ſupra) dicta ſecũdo modo ſufficit, & requiritur vt bona ſit operatio, quia iſta bonitas includit integritatem omniũ requiſitorũ finis & mediorũ. Et de intentione bona illo modo accepta, intelligẽdæ ſunt auctoritates Sanctorũ innuentium, quod ex intentione dicitur opus bonũ vel malum, vt illa Ambro. Affectus tuus operi tuo nomẽ imponit. Et illa Saluatoris: Non poteſt arbor bona fructus malos facere. Vbi ſecundũ Ambroſiũ per affectum, & arborem bonam, ſecundum Saluatorem intelligitur intentio bona ſecũdo modo dicta. Gab. vbi ſup. Vide & Gerſonẽ de hoc tract.xj. ſuper Magnificat. part. ij. Nec ad merẽdum (vt inquit Gabriël dub.ij. vbi ſupra.) vitam æternam ſufficit intentio bona abſq; opere exteriori, dum adeſt facultas, & ſi offert opportunitas: nec eſt mandatorum Dei impletio; nec virtutis perfecta ratio, nec voluntatis plenitudo: & abſque his non eſt ſufficiẽtia meriti. Hinc eſt quod ad meritum vitæ æternę non ſufficit bonitas intentionis abſque bonitate operis exterioris. Vt & vult ſanctus Bonauentura quæſt.iij. vbi ſupra. quæ intelligenda ſunt (ait Gabriël) dum & quando recta ratio dictat, ſic eſſe operandum aliqua operatione exteriori. Et ſecundum hoc intelligendæ ſunt auctoritates Sanctorũ, quorũ aliquæ videntur ſonare quaſi ſola voluntas ſufficit: quæ intelligendæ ſunt dum deeſt facultas, aut non eſt operandi oportunitas. Et quando dicitur quod voluntas pro facto reputatur: verũ eſt (inquit S. Bonauen.) quãdo nõ ſe offert bene operãdi oportunitas & facultas. Voluntas quoq; pro facto reputatur, vt idẽ dicit Bona. quantũ ad ſufficientiam ad ſalutem, & quantum ad præmium ſubſtantiale, quia nõ amittit regnum cœlorũ ex hoc quod non facit quod facere nõ poteſt. Non autẽ eſt verũ quantũ ad præmij excellentiam, ſiue quantum ad præmium accidentale. Aliæ verò auctoritates quæ dicunt, quod non ſufficit voluntas ſine operibus, veræ ſunt dum adeſt facultas & oportunitas. Si quis autem non habuerit facultatem, vt ſanctus Bonauentura ait, cùm nemo obligatur ad impoſſibile: ſola plenitudo voluntatis internæ ſufficit ad meritum ſine opere exteriori. Si autem habuerit facultatem, obligatur. Et ſecundum hoc dicit ſanctus Bonauentura, quod mandata Dei non ſolùm obligant ad volendum, ſed etiam ad faciendum: & ideo qui non implet diuina mandata cùm poſſit, potius meretur iram, quàm meretur gloriam. Vide latiùs Bonauen. Et propter hoc dicit Gregorius, quod nemo debet ſibi blandiri de bona voluntate, imò ad dilectionem conditoris, lingua, mens, & manus requiritur. Et ſicut hortatur nos ſanctus Ioannes, 1. Ioan. 1. Diligere debemus non ſolùm verbo, ſed opere & virtute. Intentio tamen opus rectificat & bonum reddit. Et (vt ait Richardus diſtinct.xxxviij. artic.viij. quæſt.j. lib.iiij.) ait: Deus plus ponderat intentionẽ quàm factum in his quæ ſibi offeruntur ſeu redduntur.

Intentio ſecundum Gerſonem parte ij. de intentione ac fine actionis ſeu operationis in generali, vt accipitur in morali, ſcilicet virtutis & peccati deſcribitur ſic: Intentio eſt actus voluntatis in aliquem finem tendentis per aliquid vel aliqua ad illum finem ordinata. Dicitur enim intentio, quaſi in illud tentio. Nam intentio ſemper aliquid reſpicit vt finem, ſecundum, ſcilicet quod illud eſt terminus voluntatis. Et eſt duplex, ſcilicet recta, & peruerſa, vt ibidem dicit: Deſcriptio intentionis rectè intelligitur per additionem, ſcilicet iſtorum verborum, debitum & debito modo. Deſcriptio verò peruerſæ ſeu corruptæ intentionis intelligitur per additionem oppoſitorũ ſeu contrariorum verborum, ſcilicet indebitum, & indebito modo. Non diſcordat Bruleſer diſt.vj.q.x.li.iiij. cùm ait: Intentio recta eſt actus voluntatis tendentis in aliquem finem debitũ, vt quando aliquis vult intrare religionem propter Deum. Sed intentio peruerſa eſt actus voluntatis tendentis in aliquem finem indebitum, vel indebito modo: vt quando quis vellet intrare religionem propter honores habendos, vel propter malum finem: ibi eſt intentio peruerſa. Et hæc (vt inquit ipſe) non obeſt baptizato, ſi ſaltem ſacerdos intendit facere quod facit Eccleſia. Et in deſcriptione intentionis rectæ (inquit Gerſon vbi ſupra.) illa duo verba: debitum & debito modo coniunctim accipiantur: cum ipſa duo ad hoc quod intentiò ſit recta, neceſſariò habeant concurrere. In deſcriptione verò intentionis peruerſæ ſeu corruptæ, illa duo verba oppoſita, ſcilicet indebitum, & indebito modo, accipiantur diuiſim, cùm alterum eorum ad hoc quod intentiò peruerſa vel corrupta exiſtat per ſe, ſufficiat etenim plura neceſſe eſt ad virtutem concurrere quàm ad vitium, imò per defectum vnius eorum, quæ neceſſariò ad virtutem requiruntur, tranſit in vitium. Hæc Gerſon, qui & ponit regulas, quandò intentio faciat actum bonum vel malum: qui & de intentione multa ſcripſit.

Intenſio tenebroſa ſecundum Gab. ſerm. Dominicæ quintæ, peregrinationis eſt, quæ lumẽ nõ participat illius quæ ordinatur actu, vel habitu, vel virtute in Deum. De hoc dicit Dominus, Matth. 6. Si lumen quod in te eſt, tenebræ ſunt: tenebræ quantæ erunt? Si oculus tuus nequam eſt, totũ corpus tenebroſum erit. Per oculum & lumen intentionem

cordis intelligit: per corpus verò opera quæ palàm apparent, vt dicit Beda ſuper Luc. Intentio autem tenebroſa, idem eſt quod corrupta vel peruerſa. Intentio præcipientis eſt duplex, vt ſcripſit reliquit Gabriel diſt.xxxvij.q.vnica, arti.iij.dub.j.libr.iij.ſen. Vna qua intendit finem, propter quem præceptũ dedit. Alia eſt intentio, ſecundum quam ſubditos obligare intendit. Tenetur autem ſubditus ſeruare præceptum ſuperioris, ſecundum intentionem ſecundam, & non ſecundum primam. Exemplificat Gabr. ibidem, quare intentio, quantum ad præcepta obligatoria, debent ſeruire illi intentioni, ſecundum quam vult obligare. Illa autem præcepta decem, vt idem ſcribit dub.iij. in omni ſtatu obſeruari debuerunt. In beatitudine eſt ſummè eorum obſeruatio in ſtatu innocentiæ, & in ſtatu naturæ lapſæ. In ſeptimo autem: Non furtũ facies: Dominus diſpẽſauit cum filiis Iſraël, ſpoliãdo Ægyptios: nec rapuerunt alienum, quoniam & Deus Dominus erat omnium bonorum Ægypti. de quo latiùs aliàs dicitur. Hoc etiam modo non peccauit Chriſtus, licentians dæmones vt intrarent in porcos, qui ſtatim præcipitati ſunt in mari. Matth.8. Si autem aliqui Iſraëlitarum ſiniſtrã habuiſſent intentionem, à peccato non excuſabantur: potuerunt & Iſraëlitici tanta accipere pro mercede, &c.

Intenſio fit pluriũ graduum accumulatione: de quo apud Philoſophos & alios. Videantur plura de ea, & Dominus Cardinalis Cameraceñ. quæſt.ix.lib.j.ſent. & alij, &c.

Interdictum dicitur ab interdico, id eſt prohibeo. Eſt autem interdictũ (vt diffinit Paludeñ.di.xviij.q.viij.principa.iiij.arti.j.lib.iiij.) cenſura Eccleſiaſtica in pœnam contumaciæ vel offenſæ lata, arcens præcipuè populum ne communicent Sacramentis. Et ponitur Eccleſiaſtica, ad differẽtiam interdictorum legalium, quæ olim erant ſolemnes verborum conceptiones, quibus Prætor aliquid fieri iubebat, maximè cùm de poſſeſsione, vel quaſi inter aliquos contendebatur. Et ex illis quædã erant reſtitutoria, quędã exhibitoria. Sacramẽtis, ponitur ad differentiã effectus maioris excõmunicationis, quæ ſeparat etiã à cõmunione fideliũ. Habet ergo ſimilitudinẽ cũ excõmunicatione minori, quæ à ſacramẽtis tantùm ſeparat .iij.q.iiij. Engeltrudã. & tamen excommunicatio minor ab alia receſsit, & interdictũ quodammodo in eius locũ, mutato nomine, ſurrexiſſe videtur, &c. Et nota, vt idem dicit, quod hæc cenſura quandoque interdictum, quandoque ſuſpenſio diuinorum, quandoque ceſſatio à diuinis dicitur. Propriè autem ſuſpendi dicuntur diuina, propter violationem Eccleſiæ, vel penſionem non ſolutam. Interdictum (vt ſcribit Scotus diſt.xxv.q j.lib.iiij.) eſt arctatio à quibuſdam actibus Eccleſiaſticis exercendis, vel ab aſsiſtendo quibuſdam talibus. Et licèt iſta pœna aliquando poſsit infligi loco, & non perſonæ: quandoque perſonæ & non loco: quandoque vtriq;: & ſicut infligitur, ita eſt ſeruanda: tamen vt eſt diſtincta à cæteris pœnis, frequentius infligitur loco, & non perſonis: niſi dum in loco ſunt, vt, ſcilicet in tali loco non liceat celebrare ſolemniter diuina, nec alios intereſſe: & iſta pœna interdicti quandoq; contrahitur à iure, quandoque à Iudice. A iure occurrit exemplũ de receptantibus vſurarios extraneos. extra de vſuris. vſurarũ voraginem. & eſt hodie in vj.li. A Iudice, propter cauſas innumeras: communius. propter inobedientiam cõmunem populi terræ: relaxatur per illum qui poſuit interdictum. Quandoque etiam relaxatur in certis caſibus à iure, vt patet extra de ſen.ex. Alma mater Eccleſia. & eſt hodie in vj.li. Sco. hæc. quem imitatur Gabr.lect.ix.canonis. Et quãdo populus eſt interdictus (vt ſcribit Paludeñ.) quocunq; vadit, ſecum fert ſuum interdictum, nec debet admitti ad diuina. Quãdo autem terra eſt interdicta, tunc illi de terra alibi admittuntur. Item homo qui declinat ad locum interdictum, fit interdictus quamdiu ibi eſt, quantum ad hoc quod ibi interdicuntur ſibi diuina, etiam pluſquam illis de loco qui ſunt clerici aut religioſi, qui intra ſuam Eccleſiã poſſunt audire diuina, hic autẽ non. Item vniuerſitas, vt idem Paludenſis dicit, quæ vltra tres menſes permittit alienigenas publicè fœnerantes in terra ſua habitare, ipſo facto eſt interdicta: & nihilominus terra eius fit interdicta, ſi per menſem ſuſtinuerit animo indurato populum ſuum primum interdictũ perſonale. Et tamdiu durat iſtud locale interdictum, quamdiu illi non expelluntur. Hæc Palud.d.xviij.quæſt.viij. libr.iiij. qui multa de interdicto literis mandauit, & ibidem, quæ tempore interdicti permittuntur, & quæ prohibentur. Et ſecundum aliquos conceditur ſacramentũ Confirmationis adultis, & ſimiliter ſacramentum Matrimonij, quod legittimè poteſt tali tempore contrahi, ſecundũ Hoſtieñ. ſed benedictio nuptialis prohibetur. Panor. verò dubitat. Clericis quoque conceditur ſepultura Eccleſiæ: de quo ſcribit frater Oſwaldus lib.iiij. Roſa. Theolog. de quo conſulas Iuriſperitos. Item conceditur Ordinum collatio, vt notat Innocen. in cap. Non eſt à nobis. Sed ſine neceſsitate nec clerici, nec laici poſſunt ordinari in loco interdicto, ſed alibi poſſunt ordinari, ſi ipſi nõ ſunt interdicti, &c.

Interdictum eſt duplex, vel duæ ſpecies ſunt interdicti. Nam aliud eſt generale, aliud ſpeciale. De quo videatur & Anto.par.iij.tit.xxvj.c.ij.§.j.& ij. Generale non ſolùm eſt, quando regnum, prouincia, vel terra, interdicitur. Verùm quandoque caſtrum interdicitur. extra de verbo.ſig. Cùm in partibus. Speciale verò eſt cùm inter plures Eccleſias, paucæ vel vna interdicuntur, ſed ſi villa vel caſtrum vnam tantùm habet Eccleſiam, & illa interdictio ſupponitur, vocatur generale. Latiùs vide Paludenſem d.xviij.q.viij.lib.iiij. Et hoc certũ eſt quod propter penſionem non ſolutam, vel delictum vnius clerici vel laici, non debet Eccleſia ſubiici interdicto, quia peccata ſuos actores tenere debẽt, & pœna non eſt vlterius extendenda quàm delictum in extendente reperitur. Papa autem poteſt interdicere & Prælati qui habent iuriſdictionem ab Epiſcopis ſeu collegiis, vel ab aliis: & ſi non poſſunt excommunicare, poſſunt tamen interdicere: & rationabiliter debet fieri. Alioquin lator incideret in pœnam illius. extra de ſen.ex. Sacro. Pœna autẽ illius concilij eſt, quod qui competenti monitione non præmiſſa ſententiam promulgat, ingreſſum Eccleſiæ per menſem ſibi nouerit interdictum. Alia nihilominus pœna mulctandũ, ſi viſum fuerit expedire. Ipſe in ſcriptis

ſerri debet & cauſa exprimi, latiùs vide Palud. Et forma interdicti talis eſt. Nos propter talem cauſam, ciuitatem vel terram Eccleſiaſtico ſupponimus interdicto. Interdictum igitur nomen eſt iuris, & plus importat quàm verbi proprietas ſonet. Aliter poteſt formari interdictum ad arbitrium latoris ſententia, videlicet vt interdicat celebrationem miſſarum cantu, vel celebrationẽ veſperarum, ſeu ſolemnitates alias, vel ſepulturam tantum, poteſt enim excipere quos vult, vt dicit Innocen. Et multæ pœnæ ſunt interdicti. Nam vniuerſa ſacramenta negãtur eis præter baptiſmum paruulorum, & pœnitentia morientium, quibus etiam conceditur viaticum. Et generaliter gratia ſepulturæ eſt laicis interdicta, vt dicit Innocen. ſuper cap. vt priuilegia. Plura apud Paludenſem & iuriſperitos videre poteris. Et nominatim interdicti ſunt qui proprio nomine vel ſufficienti exprimuntur circumlocutione & indubitata, & de quibus conſtat cuique quod ſunt interdicti. Nec facile interdictum eſt faciendum vel ponendum, periculoſa enim eſt ſuſpẽſio & interdictum piorum operum, vt vult Gerſ. parte.iiij. ſuorum operum. Et ſecundum Antoñ. parte.iij. ſummæ.ti.xxvj.c.j. Interdictum eſt ſeparatio à cæteris ſacramentis & omnibus diuinis officiis, & Eccleſiaſtica ſepultura. Vide ibidem conuenientiam iſtorum trium, interdictom, excommunicatio, & ſuſpenſio, quæ ſub communi nomine cenſuræ Eccleſiaſticæ dicitur. Ponit & ibidem eorum differentiam Anto. & quia illa aliàs patent, & partim dictum eſt, omittimus plura quæ Antoninus refert de interdicto.

Interpretatio eſt duplex, vt ſcribit Iaco. de Valentia, tract.ij.ar.iiij. prologi, in Pſalte. Vna dicitur, ex vna lingua in aliam facta traductio, & iſta dicitur interpretatio linguarum. Altera dicitur alicuius obſcuri & ænigmatici ſermonis facta declaratio, & iſta dicitur interpretatio ſermonum. Primo modo dicit Hieroñ. ad Deſideriũ in prologo ſuper Pentateucum. Aliud eſt eſſe interpretem, & aliud vatem. Sed ſecundo modo nõ ſolùm Apoſtoli & Doctores & omnes gloſſatores, ſed etiam omnes Prophetæ dicuntur interpretes, eò quia intellexerunt, & interpretati ſunt in lumine Prophetico ænigmaticas viſiones & obſcura myſteria ſacræ ſcripturæ. Et iſto modo etiam angeli dicuntur interpretes inter Deum & homines. Et Chriſtus dicitur medius interpres inter Deum patrem & Eccleſiam, quia quæcunq; audiuit à patre, nota fecit nobis. Ioã.15. Et ſic angelus Gabriël interpretatus eſt Daniëli miſterium.xx. hebdomadarum. Sic etiam Dauid fuit interpres, & Daniël, qui interpretatus eſt ſomnia Nabuchodonoſor, & ipſius Balthaſar. & ſomnia ſua propria. Et ſic etiam Virgilius libr.vj. Æneı. appellat Sibyllam vatem & interpretem, eò quòd interpretabatur reſponſa Apollinis, cùm dicit: *Magnam cui mentem, animumq; Delius inſpirat vates, aperitq; futura.* Prophetæ itaque & Apoſtoli dicuntur interpretes. Sed Dauid & Prophetæ interpretati ſunt ſcripturam, & illas ænigmaticas viſiones Prophetice de futuro, ſed Apoſtoli & Doctores interpretati ſunt eaſdem eſſe iam in Chriſto completas de præterito, & hoc in lumine Euangelico, quæ interpretatio Apoſtolorũ fuit multo perfectior, & diſtinctior & manifeſtior: quia fuit ſimul annunciatio veritatis, & interpretatio, vt patet per totum diſcurſum Euãgelicum, & actuum Apoſtolorum. Hæc Valentia. Scriptura autem ſacra (vt ſcribit Gerſon parte j. tract. contra hæreſim de communione laicorum ſub vtraque ſpecie, litera L.) in expoſitione ſuarum partium requiſiuit & requirit homines primò præditos ingenio. Secundò, exercitatos ſtudio. Tertiò, humiles in iudicio. Quartò, immunes ab affectato vitio. Patet, quoniam ex oppoſito alterius iſtorum quatuor ſolet facillimè falſus intellectus ſcripturæ ſuboriri, vt ſi ſit homo hebetis ingenij, ſi iners & neglector ſtudij, ſi ſuperbi & arrogãtis iudicij, ſi deniq; fuerit infectus & deprauatus ex affectu alicuius vitij, quoniam excæcat tales malitia eorum. Hæc Gerſon.

Intrinſecum (vt notat Gabr. di.ij.q.j.ar.j.lib.j.) dicitur, quod eſt de eſſentia rei, puta res met, vel pars eius eſſentialis per oppoſitum notificatur extrinſecum. Et eſſe intrinſecum in aliquo poteſt eſſe dupliciter, ſecundum ſanctum Bonauen. & poſt eum notat Gabr. di.viij.qu.ij.ár.j. libr.ij. Vel ſicut contentum reſpectu continentis, vt aqua reſpectu vaſis, & ſic dæmon poteſt eſſe intrinſecus in ſimulachris. Alio modo eſſe intrinſecum dicit aliquid quod influit in intima rei, & influendo perficit & conſeruat, & hoc modo non conuenit dæmoni, nec reſpectu ſimulachri, nec reſpectu hominis. Hoc modo intelligitur illa glo. ſuper illud Pſalm. Dominus in templo ſancto ſuo, quæ dicit: Simulachris aſſidere poteſt immundus, intrinſecus eſſe non poteſt, &c.

Inuidia eſt triſtitia de bonis alienis, ſecundum Ioã. Damaſ. Hug. libr.ij. de ſacramentis, dicit: Inuidiam eſſe odium alienæ fœlicitãtis. Aſſentit Augu. ſuper Pſal. Conuertit cor eorum. Sanctus Thom. ait: Inuidia eſt triſtitia de bono alterius inquantum æſtimatur diminuere gloriam propriam, ſecunda ſecundæ.q.xxxvj.ar.j. Et dicitur inuidia à nimis videndo, quod minus intuemur formam illius, de cuius fœlicitate ſumus ſolliciti. A quo inuideor, quod Horatius vſurpauit. A quo inuiſus, hoc eſt, odio habitus. Et Inoidos & inuidioſus differunt. Inuidus eſt qui actu alicui inuidet. Inuidioſus, qui morbo inuidentiæ laborat. Inuidia aliquando pro odio ponitur. Quintilianus: Ne ei tot ſcelerum commemoratione cõcitarem inuidiam. Hinc inuidioſum, pro inuiſo & odioſo ponimus. Et inuidia ex ſuo genere eſt peccatum mortale, vt ſcribit Gerſ. parte.ij. de ſeptem vitiis capi. quia directè contrariatur charitati. Charitati autem nihil eſt contrariũ, quod non ſit peccatum mortale. Poteſt tamen hoc peccatum eſſe veniale ſecundum aliquas ſui qualitates, vtpura quando in ſolo primo motu conſiſtit, vel propter aliquam aliam intentionem extra ſuam rationem trahitur, vt idem ſcribit Gerſon. Habet autẽ quinque filias ſecundum Grego. & hoc refert Gerſon parte.iiij. in deſcriptionibus peccatorum mortalium. Prima eſt odium, quod eſt velle malum alteri, & nolle bonum. Secunda, exultatio in aduerſis proximi. Tertia, afflictio in eius proſperis. Quarta, ſuſurratio, quæ eſt detractio latens. Quinta, eſt detractio quæ fit in aperto, intenditque melior apparere illo cui detrahit. Et ſecundum S. Bonauen.

& poſt eum Gabr.di.xxj. q.vnica.ar.iij.dub.j.l.ij. Hæc duo peccata, ſuperbia, & inuidia penè ſunt indiuidua & inſeparabilia, & vnum comitatur ad alterum. Superbus enim amat excellentiam, & ita nullum vult parem, & per hoc appetit excellentiam ſingulariter poſſidere, & ideo ſtatim actu, vel habitu inuidet, cùm nolit bonos conſimili bono quod appetit, alterum communicare. Mens autem diaboli his vitiis duobus poſſeſſa eſt. Nam ex his vitiis (vt dicit Augu.) qui prius fuit Lucifer, diabolus factus eſt, videns ſtatum hominis in quo potuit cadere & aſcendere, & cadendo ſub diabolica poteſtate redigi aſcendendo ad ſupernam ciuitatem vnde ipſe cecidit, peruenire. Ex ſuperbia motus eſt, ſimul & inuidia ad ipſum tentandum. Ex ſuperbia, vt ipſum ſibi ſubiiceret. Ex inuidia, vt ipſum à ſuperna fœlicitate impediret. Et ideo ſcriptura dicit diabolum ex inuidia hominem tentaſſe. Sapien.2. Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum. Et Magiſter. Videns diabolus hominem per inobedientiæ humilitatem poſſe aſcendere, vnde ipſe per ſuperbiam corruerat, inuidit ei, & qui prius per ſuperbiā diabolus fuerat, id eſt deorſum lapſus, zelo inuidiæ factus eſt ſathā, id eſt aduerſarius. Gab.

Inuidentia eſt ægritudo ſuſcepta propter alterius res fecundas, quæ nihil noceant inuidenti. Nam ſi quis doleat eius rebus ſecundis à quo ipſe lædatur, non rectè dicitur inuidere. Cice. in Tuſcu. quæſt. & ab inuidia ſic differt, quòd inuidia non ſolùm ad eum qui inuidet, ſed ad eum qui inuidetur, referri poteſt. Inuidentia verò in eum demum cadit qui inuidet. Vel inuidia eſt actus inuidendi, inuidentia ipſa ægritudo.

Inuidentia autem fraternæ charitatis ſeu gratiæ eſt duplex. Aut enim ex hoc oritur, quia per gratiam fratris putat aliquod bonum in ſe vel in alio quod appetit minui, & ſic pertinet ad inuidiam. Alio modo quia tanta malitia deprauatus eſt talis inuidens, quod bonum quod in ſe non videt, nulli alij ineſſe velit, licèt nihil ſibi ex hoc incōmodi accidat, vt ſcribit Gabr. diſt. xliij. q. vnica. libr. ij. ar. iij. dub. ij.

Inundatio dicitur aquæ abundantia & affluentia. Et inundatio illa tempore diluuij non fuit naturalis, ſed miraculoſa, ſicut & conflagratio ignium in fine mūdi futura. Et hæc inundatio nō peruenit ad Paradiſum, quia illæ aquæ non inundauerunt niſi ad puniendum peccatores, ſed in Paradiſo non fuerunt peccatores tempore diluuij. Nec audiendi ſunt aſtrologi dicere volentes, quod diluuium fuerit per concurrentiam ſtellarum humidarum, vt refert Scot. & poſt eum hoc idem ſcribit Gabr. di. xvij. qu. ij. articul. ij. libr. ij. Capitur & inundatio pro abundantia cuiuſlibet rei. Vnde eſt illud. Inundatio camelorum operiet te. Eſaiæ 60. Et illud Ezech. 26. Inundatione eius operiet te puluis eorum, &c. Et Eccle. 21. Scientia ſapientis tanquam inundatio abundabit, & conſilium illius ſicut fons vitæ permanet. Capitur & pro tribulatione. Vnde eſt illud Iob. 21. Et ſuperueniet eis inundatio. Inundatio, id eſt fortis & impetuoſa tribulatio ad modum aquæ inundantis, vt exponit ibi Nicol. de Lyra. Item pro bonis. Vnde Deutero. 33. dicitur: Qui inundationem maris quaſi lac ſugent, & theſauros abſconditos arenarum. Inundationem, id eſt bona apportata in nauibus per vndas maris, vt exponit Lyra.

Inuoluntarium ſimpliciter eſt illud (vt ſcribit Scotus diſtinct. xiiij. quæſtio. j. articul. iij. lib. iiij.) contra quod voluntas ſimpliciter remurmurat, & per conſequens per oppoſitum voluntarium poteſt intelligi tripliciter. Vno modo vt dicit Scotus, contra quod non omnino voluntas remurmurat, ſed patienter ſuſtinet. Secundo quod voluntariè acceptat. Tertio modo quod voluntariè cauſat. Vide eum latiùs & in dictione, *voluntarium*. Vnde (vt idem ait) omnis pœna eſt inuoluntaria. Quod verum eſt ſecundum ſe comparando ad voluntatem conſequentem affectionem cōmodi, tamen poteſt eſſe voluntaria voliſitate antecedēte, ſcilicet voluntariè applicatione cauſarū ad quas ſequitur. Poteſt etiā eſſe voluntaria voluntate iuſta acceptante, & voluntate ſequente affectionem iuſtitiæ, quia ſic accepit quicquid habet ordinem ad per ſe volendum iuſtè. Iſta autem triſtitia poteſt eſſe ad aliquid per ſe iuſtè volendum. Hæc Scotus.

Inuocatio Græcè, ἐπίκλησις, à verbo inuocare. Eſt autem inuocare, in ſe vocare per affectum & deuotum cultum, ſecundum S. Thom. ſuper Epiſtola ad Rom. 10. lect. ij.

Ioſeph. Quidam Ioſephus, quidam Ioſipos eſſe ſcribendū contendunt, ſed nihil ad nos modò. Inuenimus autem tres Ioſeph laudabiles in ſacra ſcriptura, vt ſcribit Bruleſ. diſtin. xxx. qu. ij. libr. iiij. Primus Ioſeph fuit filius Iacob, & primo genitus Rachelis vxoris Iacob: & iſte ſignat Chriſtum: quia fuit venditus à fratribus, ſic & Chriſtus traditus & venditus. De quo non parum ſcribit Iacobus Valē. Pſal. 2. & Pſal. 104. Secūdus Ioſeph fuit ſponſus Virginis Mariæ, qui honoratur in Euan. tribus rationibus & nominibus. Primò vocatur ſponſus Mariæ. Matth. 2. Secundò iuſtus vocatur, & canonizatur in Euāgelio. Matth. 2. quia ibidem vocatur iuſtus. Tertiò vocatur in Euangelio, pater Dei. Lucæ 2. Ego & pater tuus dolentes quærebamus te. Fuit autem Ioſeph pater Chriſti reputatione, vt ſcribit Gerſon parte iij. in ſermone de natiuitate Virginis Mariæ. Fuit pater curatione; quia nutritus. Fuit tertio pater generatione, non quidem ſua, ſed Mariæ vxoris ſuæ cooperante ſpirituſāncto, & quodammodo vices Ioſeph gerente, non virili ſemine, ſed myſtico ſpiramine. Plura ibidem Gerſon. Fuit autem (vt idem vult) Ioſeph iuuenis & deſponſatus eſt ſub quinquageſimo anno, & hoc propter myſterium Propheticum, quo dicitur in Eſa. Lætabitur ſponſus ſuper ſponſam, & habitabit iuuenis cum Virgine. Vbi glo. interlinearis & ordinaria dicit, Ioſeph cū Maria. Etiam fuit iuuenis ex eo vt obſequium & miniſterium præſtaret ipſi Mariæ & puero euntibus in Ægyptum, illic manentibus, & inde remeantibus, vt latiùs deducit ibi Gerſon. Depingitur autem ſenex propter mentis & caſtitatis virtutem, ſicut dicit Sapiens, quod ætas ſenectutis vita immaculata. Vel depingitur ſenex, ne aliquid carnale ſuſpicaretur de Ioſeph & Maria. Vel dicitur quod pictoribus atq; Poëtis ſemper fuit æqua

poteſtas quodlibet audendi, vt inquit Horatius. Multa Gerſon vbi ſupra. Vouit autem Maria (vt ibidem dicit) virginitatem. Vouit & Ioſeph ſecundum Doctores, cui voto non repugnauit vera matrimonialis coniunctio, neque corporum mutua tranſlatio. In quo matrimonio proles fuit, fides atque ſacramentum, vt infra latiùs dicetur de matrimonio. Et de virginitate Ioſeph videatur Gerſon parte.iiij. in Epiſtola de feſto Ioſeph inſtituendo. Tertius Ioſeph fuit ab Arimathia, de quo in Euangelio dicitur quod erat iuſtus.

Iperdulia, Vide in dictione, *adoratio*, vel in litera H. quia à quibuſdam cum aſpiratione ſcribitur.

Ira ſecundum Ariſt. libr.j. de anima, eſt accenſio ſanguinis circa cor. Aſtipulatur Ioan. Damaſ. libr.ij.c.xvj. cùm ait: Ira eſt feruor eius qui circa cor eſt ſanguinis, vaporatione fellis vel perturbatione fiens. Ira ſecundum Hugo. lib.ij. de ſacramentis, eſt irrationabilis perturbatio mentis. Ira ſecundum Aug. ſic deſcribitur. Ira eſt vlciſcendi libido. Secundum Caſſiodorum ſic deſcribitur. Ira eſt immoderatus animi motus, concitatus ad pœnam ſeu vindictam. Et intelligitur hæc dictio (vt ſcribit Gerſon parte ij. de ſeptem vitiis capitalibus) non de ira quæ procedit ſeu denominatur per zelum, quæ eſt quando quis contra ipſa vitia mouetur ſecundum ordinem rationis ad bonum finem, quia etiam homo interdum ſibiipſi propter ſua peccata & vitia iraſcitur, ſed intelligitur de ira, quæ procedit & nominatur per vitium. Iram dicit Corteſius li.iij. ſent. ſuatum, di.viij. eſſe vlciſſendi libidinem, quæ iurgia mentis, tumultum, ſtomachationem & peiorationem gignat. Et ira ſecundum Gerſonem vbi ſupra, habet duplex eſſe, ſcilicet naturæ, & moris. Quo ad eſſe naturę, non eſt propriè niſi paſſio quædam, ratione cuius paſſionis ſic purè ſeu abſolutè cõſideratæ, ira non eſt peccatum, imò magis eſt pœna. Quo verò ad eſſe moris ſeu morale, inquantũ illa paſſio deordinat à debito ordine rationis, debitoque fine, tunc dicit & importat vitium & peccatum. Nam ira iſto modo non dicit puram paſſionem, imò quandam actionem, qua deordinatur homo & quantum ad Deum, & quantum ad proximum. Vult enim à ſe vindictam exquirere quam non debet, niſi à Deo vel à iudice conſtituto expetere. Vel illam vindictam exercere apperit contra illum qui nõ meruit, vel vltra id quod meruit, vel non ſecundum legitimum modum & ordinem, vel nõ propter debitum finem. Greg. xxxj. lib. moral. ſex aſſignat iræ filias, quæ ſunt rixa, timor mentis, contumelia, clamor, indignatio, blaſphemia, de quibus latiùs Gerſon vbi ſupra. Ira autem per zelum (vt idem dicit in regu. moralibus) quæ eſt de malo culpæ, dicitur ex ſe laudabilis, ſed ex modo proſequendi poteſt fieri vltuperabilis, dum nec tempus, nec locum, nec modum nouit obſeruare, præſertim quando pertinacię coniuncta eſt, & turbantium ſeditionum magis adductiua quàm ſedatiua. Et ira quæ eſt appetitus deliberatus vindictæ propriæ, præter aut contra iuris ordinem ex ſe, & vt ſic eſt mortalis, præſertim ſi vindicta ſit notabilis detrimenti. Cauſas iræ ponit idem parte.iiij. de paſſionibus animi, ſcilicet paruipenſio, deſpectio, iuſtitia propria ad alios. Excellentia propria reſpectu deſpicientis, & beneficia vel amicitia prior excellentia lędendi, & hoc de per accidens. Impedimentum vindictæ, tamen ſuperabile. Deſpectio ſtudiorum noſtrorum & eorũ quæ agimus. Suſpitio, quod non inſit excellentia quam appetimus. Ignorantia nominis noſtri vel conditionis. Effectus verò iræ & conditiones ſunt (vt idem dicit) feruor cordis, delectatio ex ſpe, triſtitia ex timore, nuntiata mala aliorum. Ceſſat ex tempore, ceſſat ex magno malo illato. Aduerſatio tacet aliquando, quando loquitur nimis, immutatiò vultus & geſtus in oculis & dentibus. Species iræ ex effectu nominatæ ſunt furor, inſania, rancor. Hinc quidam iratorum, quidã acuti, amari, difficiles, &c. Magiſter Ioannes Gerſon cancellarius Pariſienſis, qui & aliàs multa ſcribit de ira.

Ira ſubita ſecundum Gerſonem parte iiij. in ſermone dominicæ ſexageſimæ, eſt in hominibus qui facilè iraſcuntur & inflammantur, & tunc omne id aperiunt quod in corde habent, præterea Horatius vocat eam tortam, cum ait:

Secretumq; teget, & vino tortus & ira.

Et hæc ira aſſimilatur tonitruo, quod ſubitò facit magnum ſonitum, & mox ceſſat, vel alicui magno igni ſtupatum aut puluerum machinatum, vbi fit magnus ſonitus ad paruum ignem, & illa ira quæ aduenit naturaliter ex primo motu, non eſt peccatum, vel eſt veniale peccatum, ſicut aliqui qui ſunt calidi calore citius iraſcuntur, quia ſanguis citius circundat cor eorum. Ira verò quę venit ſubitò per malam conſuetudinem, eſt magis reprobanda. Vide latiùs Gerſonem ibi, qui & alias iræ ponit ſpecies, ſcilicet prolixam, vel longam, vel grauantem, &c.

Ira ſecundum Bruleferum di.xiiij.q.iiij. libr.iiij. & concordat cum Magiſtro Ioan. Gerſone vbi ſupra, eſt duplex, ſcilicet ira per zelum, & eſt velle punire peccata aliena: & iſta ira fuit in Chriſto, ſicut quando eiecit ementes & vendentes de templo. Pſal. Zelus domus tuæ comedit me. Alia eſt ira per pœnitentiam, & eſt velle punire peccata propria, & iſta non fuit in Chriſto, nec in beata Maria, quia nullum habuit peccatum. De prima ira dicitur: Iraſcimini & nolite peccare, &c. Gloſ. Quid iuſtius quã vt ſuis peccatis quiſque iraſcatur propriis potius quàm alienis, ſeque puniens per pœnitentiam, ſe Deo offerat. Brulefer. Et ira ſecundum S. Bonauẽ. Vno modo dicit purè affectionem, & ſic ira dicitur affectus deteſtationis alicuius mali vel apparentis mali. Alio modo ira dicit affectum cum pœna, & ſic ira habet perturbationem & inquietationẽ annexam, hoc autem poteſt eſſe intrinſeca differẽtia, quia aut perturbatio illa ſolùm tangit potentias inferiores, & nullo modo tangit oculum mentis. Aut tangit oculum mentis ad tempus turbando, ſed non excedendo. Aut oculum mẽtis attingit ipſum perturbando & obnubilando. Et ſecundum hoc motus iræ in quadruplici differentia reperitur, ſecundum quod colligitur ex dictis ſanctorum, & habet S. Bonauen. di.xv.q.vlt. libr.iij. Vno modo dicit purè affectum deteſtationis, & hoc modo potuiſſet eſſe in Adam in ſtatu innocentiæ. Alio modo dicit motum deteſtationis cum inquietatione

& per-

& perturbatione partis ſenſualis ſine aliqua perturbatione mentis, & hoc modo fuit in Chriſto affectio iræ, ſicut enim dicit Euangelium: Infremendo conturbauit ſeipſum. Tertio modo dicit affectum deteſtationis cum commotione & perturbatione, non ſolùm partis ſenſualis, ſed etiam rationis ad tempus, & hoc modo reperitur ira in viris iuſtis, qui iraſcũtur ira per zelum. De quibus dicit Greg. quod inde mens perturbata proficit vt clareſcat, ſicut oculus per collyrium immiſſum ad tempus turbatur, vt poſtmodum clarius efficiatur. Quarto modo ira dicit affectum deteſtationis cum commotione ſenſualitatis, & etiam mentis, ita quod commotio illa habet ſecum perturbationem mẽtis annexam, vel ad illam eſt ordinata, & ſic eſt ira per vitium, & reperitur & prohibetur à Domino.

Ira Dei, vt Aug. ſuper illud ij. Pſal. Tunc loquitur ad eos in ira ſua, &c. ſcribit. Non oportet inquit iram & furorem Domini perturbationem mentis intelligi, ſed vim qua iuſtiſſimè vindicat ſubiectam ſibi ad miniſterium vniuerſam creaturam. Ira ergo Dei eſt motus qui fit in anima, quæ legem Dei nouit cum eandem legem videt à peccatore præteriri. Per hunc enim morum iuſtarum animarum multa vindicantur, quamquam poſſit ira Dei rectè intelligi etiam ipſa mentis obſcuratio, quæ conſequitur eos qui legem Dei tranſgrediuntur. Idẽ Pſal. 6. Non cadit in Deum iudicem perturbatio, ſed quod in eius miniſtris fit, quia per leges eius fit, ira eius dicitur, in qua ira non ſolùm argui ſe non vult anima quæ nunc orat, ſed nec corripi, id eſt emendari vel erudiri. Et Pſal. 9. ait: Multum iraſcitur Dominus dum non exquirit, dum quaſi obliuiſcitur, & non attẽdit peccata, & per fraudes & ſcelera ad diuitias, honoreſque peruenitur, quod maximè in illo Antichriſto euenturum eſt, qui vſque adeò beatus videbitur hominibus, vt etiam Deus putetur. Idem Aug. Pſal. 26. Ira Dei non eſt niſi auerſio vultus eius. De ira & furore Dei ſcribit Gerſon parte iiij. in expoſitione. 4. Pſalmi pœnitentialis. Scio inquit tu Domine (te docente) quia tu ſemper idem es, ideo tu in varios affectus non mutabilis es. De te quoque ſcriptum eſt. Tu autem Domine virtutum cum tranquillitate iudicas: furis ergo ſemper tranquillus, iraſceris ſemper placatus. Non eſt furor tuus, non eſt ira tua in te & in tuo affectu, ſed extra te eſt & effectu tuo: furor tuus, pœna eſt inferni, ira tua purgatorij pœna. In inferno quaſi furendo arguis, in purgatorio quaſi iraſcendo corripis. In illo per iuſtitiam arguis inſolubiliter, in iſto per miſericordiam corripis ſalubriter, & tamen ab vtroque opto liberari, dicens: Domine ne in furore tuo arguas me, &c. Hæc Gerſon. Non poteſt autem Deus maiorem oſtendere iram peccatori (vt ſcribit Iaco. de Valentia ſuper illud Pſal. 10. Pluet ſuper peccatores laqueos) quam non dare ſibi gratiam, & dimittere eum in adinuentionibus ſuis. Nam ex natura ſua corrupta & viriata ſemper ruit in diuerſa ſcandala & diuerſos laqueos poſtquam non habet præſeruatorem. Ita Iudæi obſtinati poſt mortem Chriſti ruerunt in diuerſa ſcandala, & inciderunt in diuerſos laqueos per illos. xl. annos, vt ait Ioſephus de bello Iudaico. Id quod & declarat & oſtendit Iacob de Valen. vbi ſupra.

Iracundia eſt exceſſus iræ, ideo eſt vitium oppoſitum manſuetudini ſecundum S. Tho. ij. ij. q. clviij. ar. j. Differtque ab ira, vt placet Donato, quod ira eſt ex cauſa, iracundia ex vitio multum iracentis. Ab ira venit iraſcor & iratus, ac iracundus, quæ ita differunt, quod iratus eſt qui ex aliqua ſe laceſſitus excanduit, iracundus qui ex quacunque etiam parua cauſa mouetur ad iram, ſemper alterum ex cauſa eſt, alterum ex moribus.

Iraſci eſt appetere vindictam, ſecundum Ariſt. iiij. Rheto. propter apparentem paruipenſionem. Bruleſ. di. x. qu. iij. libr. j. Et Deus dicitur figuratiuè iratus vel offenſus, tunc accipiendo iraſci pro velle vindicare, non includendo paſſionem concomitantem iſtiuſmodi velle. Deus formaliter eſt iratus vel offenſus, quia formaliter eſt volens vindicare peccatum commiſſum contra legem ſuam, vt ſcribit Scotus, & poſt eum Gabr. di. xiiij. q. j. ar. j. libr. iiij. Et vt ſcribit S. Bonauen. di. xlv. in dubiis litera. li. j. Deus habet ſigna iræ, non quæ ſignificent iram in ipſo, ſed quæ ſignificant irã in nobis, & verè quando in nobis ſunt. Et (vt ſcribit Paulus Corte. libr. j. diſtin. viij. ſent. ſuarum) quoniam ira eſt appetitio alieni mali cum libidine vlciſcendi minimè ſuapte ſpeciei, modo in Dei naturam cadit. Ex quo fas eſt ſcire eum quoque odio vacare. Nam cũ nulla ſit eius voluntatis procliuitas ad malum, perabſurdum eſt opinari quippiam odioſum eſſe Deo. Siquidem cum omnia ab eo tanquam ab auctore dimanent, ſi quippiam illi odioſum eſſe diceretur, neceſſe eſſet confiteri, eum id haud eſſe velle, quo nihil dici poteſt in omni Theologia indoctius. At nos interdum Metaphoricos quædam illi odioſa eſſe dicimus. Nam illi & malorũ genera eſſe odioſa, & aliquid ingentius boni genus velle affirmamus, quod haud fieri ſine minoris boni ademptione poteſt, quemadmodum quatinus iuſtitiæ tuendæ bonum velle affirmatur, quod fieri ſine animaduerſióne nequit. Quomodo enim generis humani ſocietas, iuriſque deſcriptio ſeruaretur, niſi tot fures, tot graſſatores, tot homicidæ, tot depeculatores, tot hoſtes publici plecterentur. Num cenſemus ſeruari hominum incolumitatem poſſe, ſi tot flagitiorum, vexationum, cędium, direptionum, rapinarum impunita ſcelera ferantur? Atque etiã gaudiũ & delectatio, quatinus patheticæ ſint à Dei natura abſunt. Hæc Paulus Corteſius, &c. A Deo quoque omnis turbida affectio abeſt, vt idem ſentit.

Irregularis, A quo irregularitas: & eſt (vt ſcribit Scotus di. xxv. q. j. li. iiij.) inhabilitas ad ſuſceptionem & executionem actuum ordinum. Vel irregularitas eſt impedimentum, repulſio executionis diuinæ officii ſeu ſacramenti ex canonica Inſtitutione proueniẽs. Iſta frequẽter incurritur à iure, quãuis poſſet aliquãdo infligi à iudice ſecundũ iura. Incurritur autẽ à iure ex quibuſdã criminibus & ex quibuſdã nõ criminibus, & ex quibuſdã quę quãdoq; poſſunt eſſe crimina, quandoq; non crimina. Et ſic tripliciter poteſt homo irregularitatẽ incurrere. Primo ex criminibus. Et hoc quadrupliciter. Primo propter ſimoniã, vt quãdo quis emit ordinẽ vel beneficium, & in huiuſmodi caſibus quãdoque ſolus

Papa

Papa poteſt diſpenſare, vt patet extra de ſimonia. c.nobis. Et idem patet j.q.j. Simoniacus autem in beneficio (vt ſcribit Scot.di.xxv.qu.j.libr.iiij.non ſic grauiter punitur, tamē ex quo ſibi conſtat quod ſimonia illud obtinuit, tenetur reſignare, & toto tempore, quo tenet, iniuſtè tenet, & tenetur ad reſtitutionem omnium quæ percepit. Hæc Scot. Et probantur hæc de ſimonia in diuerſis capitulis. Secundum crimen quo irregularitas contrahitur eſt furtum in aliquo ordine, puta quando ipſos tales prohibet accedere, & tamen contra eius prohibitionem faciunt, & furtiuè ſuſcipiunt ordines, tales efficiuntur irregulares. Tertium crimen, in eo qui miniſtrat in ordine non ſuſcepto, maximè ſicut eſt ſacer ordo & ſolennis miniſtratio. Et quod ſit irregularis, patet extra de clerico non ordinato miniſtrante. Quartum crimen efficiens irregularitatem, eſt contumaciter ſe habere in non ſeruando canonicas pœnas. Et hoc patet de clerico excommunicato vel depoſito miniſtrante, vbi intelligitur de maiore excommunicatione. Nam qui in minore excommunicatione, grauiter peccat, nullius tamen irregularitatis notam incurrit. Secundo, ſine criminibus contrahitur irregularitas, & tripliciter, ſequitur enim irregularitatem quæuis ſeruitus, non crimen. Vnde quilibet ſeruus proprius prohibetur ipſo iure ne ordinis ſacramentum ſuſcipiat, niſi manumittatur, vt patet de ſeruis non ordinatis. Sed de facto non impedit, vt ait Richar. Secundo ſequitur, illegitimè natum, quamuis huiuſmodi illegitimatio non ſit ex crimine illius qui taliter naſcitur. Et iſtud patet extra de filiis presbyterorum non ordinandis. Richar. dicit. Defectus natalium non impedit alicuius ordinis ſuſceptionem de facto, ſed bene de iure propter ſacramenti reuerentiam, & cum eis (vt inquit Scotus) faciliter diſpenſatur. Tertio ſequitur, corpore vitiatum, vel in aliquo membro notabili enormiter truncatum, vel graui & immūdo morbo laborantem & debilitatum, tales enim ſunt irregulares, nec debēt ſuſcipere ordines, vt patet de corpore vitiatis, & extra de clerico debilitato. Sunt & irregulares ſecundum Richar. qui ad reprimendum carnis tentationem, ſibi abſcindunt virilia, is enim non habet iuſtam cauſam caſtrationis ſuæ, quia virtute carnali vitio repugnādum eſt. Secus ſi ex cauſa iuſta abſcindantur. Tertiò, indifferenter, quandoque ex crimine, & quandoque non ex crimine aliquis efficitur irregularis. Et hoc contingit dupliciter, ſcilicet per homicidium & bigamiam, quorū vtrumq; eſt ſine peccato, & quādoq; cum peccato. Patet primū de iuſto Iudice, qui iuſtè damnat nocētes, qui ipſe vna cum notario & teſte ſunt irregulares & cōſul: vt patet extra de homicidio volūtario. Vnde Richar. ait. Cum zelo iuſtitiæ Iudex ſuſpēdit latronem, fit irregularis, & ſic actu virtutis aliquādo homo fit irregularis, inquit Rich. diſt.xxv.art.iiij.qu.iij.lib.iiij Homicidium autem quandoque eſt peccatum: vt cùm nocens innocentem occidit, vt patet de ſe: quia eſt contra mandatū Dei. Quod autē bigamia inducat irregularitatem, hoc patet extra de bigamis. Quod poſſet eſſe ſine peccato, patet, quia contrahens matrimonium cum muliere corrupta, efficitur bigamus: ſed hoc poteſt facere quis ſine peccato. Quandoque eſt peccatum bigamia, quia poſito caſu quod aliquis ducat vxorē virginem, ex hoc non contrahit bigamiā, ſed ſi poſtea illa mulier de ſcitu mariti ſui peccauerit cū alio viro, tunc in primo concubitu quo legitimus maritus peccauerit cum huiuſmodi vxore ſua adultera, ipſe contrahit bigamiam, & hoc vt plurimum non caret peccato, maximè ſi ratione ſuæ ſaturādæ libidinis fouet ſcienter adulterā, & non corrigit, neque repudiat eam. Vide latius de irregularitate Richar. diſt.xxv.ar.v. Et Petrum de Palud. eadem di.q.iij. etiam alios, fratrem Oſvvaldum lib.iiij. roſa.theologiæ. Et Anto. parte iij.titu.xxviij. per ſex capit. & Gerſonem. Sed hæc ſufficiant.

Iris ſecundum Ariſtot.iij. Metheororum, eſt ſpeculum Solis, quia in ea imago Solis exprimitur: Et diffinitur ſic communiter. Iris nil eſt aliud quā nubes rorida Soli oppoſita, radiis Solis multipliciter informata. Vel eſt refractio viſus à nube rorida ad Solem. Plura colligit de iride frater Pelbartus li.iij in fine roſarij theolog. & multa Ariſto.iij. Metheo. & Seneca. Et quia vocabulum eſt phyſicum, apud Philoſophos de eo videbis. Poſuit autem Deus arcum vel iridem in nubibus, in ſignū fœderis. Nam Geneſ. dixit Deus ad Noë: Ponam arcum meum in nubibus cœli, & erit ſignū fœderis inter me & terram, & non erunt vltra aquæ diluuij ad delendam vniuerſam carnem. Et hoc factum eſt propter Noë aſſecurationem, quia Noë maximè timebat ne iterum fieret diluuium, & quotidie orabat ne fieret, vt refert Ioſephus lib. antiquitatum. Alias rationes vide apud alios, & colligit aliquas frater Pelbartus li.iij. Roſarij theolo. Et de ſignis iridis videto apud Philoſophos, & de generatione eius.

Irriſio & ſubſannatio conueniunt in fine, ſed differunt in modo: quia prima fit naſo rugato: ſecunda verò fit ore, id eſt verbis & cachinno, ex ſan. Tho. ſecunda ſecundæ, qu.lxxv.art.primo.

Iter idem eſt quod via. Iter ſalutis & perditionis, quo vel in cœlum vel ad inferos itur. De his duabus viis dicitur Mat.7. Intrate per anguſtā portam, quia lata porta & ſpacioſa via eſt quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui intrāt per eam, quā anguſta porta & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inueniunt eā. De his Lactantius l.vj. diui. inſti.c.iij. Duæ ſunt viæ per quas humanā vitā progredi neceſſe eſt. Vna, ſcilicet q̄ in cœlū ferat, altera quæ ad inferos deprimat. Quas & Poëtæ in carminibus, & Philoſophi in diſputationibus ſuis induxerunt. Sed inquit melius & verius: quia duas iſtas vias cœli, & inferorū eſſe dicimus, quia iuſtis immortalitas, iniuſtis pœna æterna propoſita eſt, & in c.iiij. Vita eſt igitur virtutis, ac bonorū via quæ fert non in Elyſios cāpos (vt Poëtæ loquūtur) ſed ad ipſam mūdi arcē. At leua malorū exercet pœnas & ad impia tartara mittit. Eſt enim criminatoris illius qui prauis religionibus inſtitutis, auertit homines ab itinere cœleſti, & in viam perditionis inducit. Plura Lactantius.

Iter quoddam eſt terreſtre, quod agitur pedibus corporis. Quoddā eſt ſpirituale & cœleſte iter æternitatis, quod peragratur pedibus mentis, qui ſunt pes ſiniſter in intellectu, & volitio pes dexter in affectu, vt ſcribit Gerſ. parte.j. ſermone. pro viagio re-

gio regis Rommorũ. Hoc iter quale eſt ſi quis interrogauerit? reſpondeat Propheta, id eſſe viã mandatorum Dei, quam nedũ ambulaſſe, ſed cucurriſſe gloriabatur ipſe, cùm ait: Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum. Et rurſus. In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum ſicut in omnibus diuitiis. Et talia ſunt in hanc ſententiam abſque numero. Etenim tu qui peregrinaris hic à Domino, ſi pergendo vis ad vitã ingredi, ſerua mandata. Hæc eſt enim via regia, hoc iter proſperum, hæc compendioſa ſemita, quæ ducit ad vitam. Magiſter Ioannes Gerſon Cancellarius, &c.

Ironia Græca dictio eſt, & eſt vitium quo quis aſſerit minora de ſe quã credat, Ideo ſemper eſt peccatum, tamen leuius vt plurimum quã iactantia, ex San. Tho ſecunda ſecundæ quæſt. cx. artic. ij. Eſt & Ironia figura cùm aliquid contrarium dicitur & illuſionem, De qua apud grammaticos. Ironia vt ſcribit Paulus Corteſius libr. iij. ſenten. di. viij. tamen maxime crimen putatur, cùm palam ſibi aut nęuos quoſdam addit qui deſinit, aut quædam præſtantiora demit quæ ſuperſunt. Eodẽque modo oſtentatio malum capitale nominatur, ſi doloſe aut cum alterius iactura fiat.

Iubilatio eſt declaratio quędam & illuſtratio gaudii concepti. Eadem Iubilum dici poteſt. De quo in dictione, *Gaudium*. Et Iubilus ſecundum Gerſonem tracta. vij. ſuper Magnificat, non eſt niſi gaudium cordis intẽſum, quòd nec retineri poteſt intus, nec foris exprimi. Et San Tho. ſuper Pſal. 32. dicit. Iubilus eſt lætitia immenſa, quæ verbis exprimi non poteſt, ſed voce datur intelligi, &c.

Iucunditas eſt gaudium ad exteriora adeo prorumpens vt alios excitet ad gaudendum. San. Tho. iiij. ſenten. di. xlix. q. iij. ar. j.

Iudæus cõmuniter eſt quicunq; legem Moſaicam ad literam tenet. Dicunturq; Iudæi à nomine principalis tribus, ſcilicet, Iudæ, qui etiã prius Hebræi dicebantur, quia ab Hebet, cuius familia cultũ Dei tenuit, cæteris idolatria fœdatis. Dicuntur præterea recutiti propter circunſionem.

Iudex à iudico dicitur, quaſi ius dico, & iudicatio quæ eſt iuſti iudicium, ſecundum Ariſto. li. j. Politicorum. Hinc etiam iudicium quod eſt actus iudicis inquãtum iudex, id eſt, inquantũ eſt ius dicens, ideo eſt actus iuſtitiæ, id eſt executio iuſtitię, ſecundum San. Tho. ſecunda ſecundæ q. xl. ar. j. Et iudex eſt triplex. vt notat Gabr. di. xv. q. vj. li. iiij. ſcilicet, ordinarius, delegatus, & arbitrarius. Ordinarius cui ex dignitate vel officio conuenit iudicare: ſicut habens dignitatem vel officium, cui annexa eſt iurisdictio, ſicut Epiſcopi, Archidiaconi, &c. Delegatus cui ex ſpeciali commiſsione ordinarij iudicis conuenit incerta cauſa, vel etiam generaliter cognoſcere ſeu iudicare. Arbitrarius qui nullam habens poteſtatẽ, conſenſu litigãtium in Iudicem eligitur. Requiritur autem iudex ad ſententiãdum, de quo dicitur Deuterono. 16. Iudices & Magiſtros conſtitues in omnibus portis tuis, vt iudicẽt populum iuſto iudicio, nec in alteram partem declinẽt. Non accipiens perſonam neque munera: quia munera excæcant oculos ſapientum, & mutant verba iuſtorum. Iudicis quoque non eſt (vt inquit Ambro.) ſine accuſatione damnare, & habetur ij. quæſt. j. de manifeſta. Verum eſt hoc niſi crimen ſit notorium, fama enim publica reum accuſat. In iudicio autem quatuor neceſſariò perſonæ requiruntur, ſcilicet iudex, actor, reus, teſtis: aliæ perſonæ ſunt de congruitate, vt aſſeſſor, aduocatus, procurator, tabellio ſiue ſcriba, executor, & ita nõ ſemper, ſed in caſu requiruntur hæ vltimæ perſonę. Poteſt autem eſſe iudex quilibet qui non prohibetur, extra de ſpon. c. Cum apud. Prohibentur autem ſurdus, mutus & perpetuò furioſus, impubes, fœminæ, ſeruus excõmunicatus, conſanguinei, rei, & inimici actoris, vel alia cauſa ſuſpecti, nec infames, vel hæretici, vel imperiti, &c. Nam malus iudex iudicando peccat mortaliter, ſecundum Alexan. de Ales in iij. Et Rayne. & Hoſtienſis. Nec licet iudici vendere iuſtum iudicium. xj. quæſt. iij. Non licet. Nec iudex accipiat munera, vt dictum eſt. Poſſunt autem dictæ perſonæ ad iudicium requiſitæ deficere multis modis à iuſtitia, quibus innocentes damnificantur, vt notat Gabr. vbi ſupra. Et hoc vel ſcienter & ex propoſito corrupti prece, precio, fauore, inuidia, aut certa malitia. Aut ignoranter vel nõ è propoſito propter negligentiam aut alium caſum præter voluntatem accidentem. Vbi aduertendum vt idem ſcribit, quod quilibet in officio conſtitutus tenetur habere peritiam tantam vt poſsit officium iuſtè exercere. Vnde iudex Eccleſiaſticus habere debet ſaltem mediocrem ſcientiam, licèt eminens ſit affectanda. In ſeculari autem iudicio vt dicit Anto. ſi habet conſuetudinem cauſarum vel peritiam iudicandi, poteſt committi cauſa iura ignoranti, & poteſt eſſe ordinarius. Nam & milites poſſunt eſſe iudices, dantur enim aſſeſſores iudicibus vt conſulãt ignorantibus iura. Dum ergo non habent peritiam ſufficientem, aſſumat aſſeſſores iuriſperitos, vt tales conſulant, quorum informationibus ſuas ſuppleant imperitias. Debet autem iudex ſe conformare Deo in tribus, ſcilicet, in poteſtate, in veritate, & bonitate, vt ſcribit Gabriẽl poſt Alexand. de Ales parte iij. quæſtio. xl. membra iiij. homo enim iudicando gerit vicem Dei. Hinc Exod. 18. dixit Iethro Moyſi. Prouide de omni plebe viros ſapientes & timentes Deum, in quibus eſt veritas, & qui oderunt auaritiam, qui iudicent populum omni tempore. Poteſtas ſit in auctoritate, veritas in iudicij diſcretione, bonitas in animi rectitudine. Vnde Deuteronomio 16. Iudices & Magiſtros conſtitues in omnibus portis. Ecce auctoritas poteſtatis, vt iudicent populum iuſto iudicio: ecce iudicium veritatis. Nec in alteram partem declinent, ecce rectitudo animi, &c. Vide latiùs Gabriẽlem & quæ perſonæ admittuntur & quæ prohibentur in iudicio, & ſupra tactum eſt. Gerſon parte iiij. ſermone ad Regem Franciæ pro iuſtitia ponit tria ſigna, per quę cognoſci poſsit ſi iudex aliquis diligat iuſtitiam ſecundum tres habitudines ſeu reſpectus qui ſunt in vnoquoque iudice. Vnus reſpectus eſt ad Deum, & ad religionem ſuam. Alius ad Dominum ſuum, ſuamque damnationem. Alius ad ſemetipſum, qui ſeſe ſubdit rationi. Dicamus ergo (inquit) quod amor Dei ſuæque religionis ſignum eſt Iudicem terrenum diligere

Iuſtitiam,

ſuſtitiã. Longior eſt ibi Gerſ. Et addit poſtea, quomodo vnuſquiſq; iudex habere debet tres virtutes theologicas iuſtitię ſorores: Spem in potentia Dei, quod ei daturus ſit conſtantiã. Fidē in ſapiẽtia Dei, quod ei dabit prudentiam. Charitatem in veritate Dei, qui ei dabit temperantiã, benignitatem & clementiam. Alioquin iudex eſt corruptus & ſubuerſus à Throno iuſtitiæ, facile admodum niſi confirmatus ſit & ſtabilitus in Deo. Per has virtutes facile potẽtiam timet humanam, operatur per mundanam cautelam, deficit iudicando aut per auſteritatem, aut per iram ſubitam. Alia ſigna ibidẽ diffuſe declarat, quem vide ſi placet.

Iudicium vt ſcribit Sco. di. xlvij. q. j. lib. iiij. generaliter accipitur pro quacunque certa notitia, & illo modo ſenſus etiã diſtinctè apprehendens obiectũ, vel diſtinguẽs obiectum ab obiecto, vbi requiritur fortè magis diſtincta apprehẽſio, dicitur iudicium. Vnde ij. de anima, dicitur ſenſus cõmunis iudicare de ſenſibilibus diuerſorũ ſenſuũ. Alio modo dicitur iudicium certa apprehẽſio intellectualis etiam quæcunque, & hoc modo diffinitiua cognitio de aliquo poteſt dici iudicium de veritate illius. Iuxta illud. j. Ethi. Vnuſquiſque bene iudicat quę cognoſcit, & hic eſt bonus iudex. Adhuc magis propriè dicitur de aliquo vero complexo, quia ſecundum Augu. iij. de libero arbitrio, nullus iudicat de regulis æternis, ſed ſecundum eum de aliis. Vnde omne verum complexum apprehenditur eſſe verum per aliud, quia ſi eſt immediatũ, adhuc iudicatur verum per rationes terminorum: ſecundũ Philoſophum j. Poſte. Principia cognoſcimus inquãtum terminos cognoſcimus. Adhuc magis propriè dicitur de verbo complexio quod eſt concluſio, quia de concluſione iudicatur nedum per terminos, ſed per principia. Adhuc magis ſpecialiter dicitur de concluſione practica quàm ſpeculatiua, quia iudicium eſt dictamen intellectus practici cõſonum iuſtitię. Iuſtitia autem non reſpicit ſpeculabilia, ſed operabilia. Adhuc ſpecialius cùm lex non tantum determinat agẽda & fugienda, ſed determinat reddẽda præmia bene meritis, & ſupplicia malè meritis, vt ex amore præmiorũ alliciantur ad bene agendum, & ex timore pœnarum vel ſuppliciorũ retrahantur à malè agendo. Magis propriè iudicium accipitur vt eſt certa determinatio de prǽmiis vel ſuppliciis reddendis quàm de aliis virtutibus practicis. Illas autem veritates licèt quilibet poſſit ex principiis practicis elicere, & ſic quaſi ratiocinãdo iudicare. Tamẽ adhuc ſecretius iudiciũ accipitur prout pertinet ad habentem auctoritatem determinandi. Iuxta illud extra de ſententiis. Sententia à non ſuo iudice lata nulla eſt. Ergo cõpletiſſima ratio iudicij ſtat in hoc quod eſt completa determinatio & authentica reddendi alicui ſecundũ merita ſua. vt dicit Scotus. Illa autẽ completa determinatio includit perfectum dictamẽ intellectus, de hoc & perfectũ velle voluntatis, non qualecunq;, ſed efficax. Ex quo ſequitur quod principaliter iudicare includit principaliter dictare & principaliter velle habere velle efficax, vt dicit Sco. di. xlviij. q. j. l. iiij. Et vt ſcribit Iaco. de Valen. Pſal. 49. Iudiciũ eſt actus iudicis. Et ſic poteſt eſſe duplex actus iudicis. Quia aut iudicat ſecundũ legẽ, aut prǽuaricatores & obſeruatores legis. Primũ dicitur iudiciũ diſcretionis, inquantũ iudex interpretatur & declarat difficultates & ęnigmata legis, & diſcernit inter ea, quia eiuſdẽ eſt condere legem & interpretari, & diſcernere & iudicare ſecundum legem. Secundum dicitur iudicium examinationis inquantum iudex examinat obſeruatores & præuaricatores legis, & punit ſecundum merita & demerita. Et ſic tribuit vnicuiq; quod ſuum eſt, &c. Quot autem inueniuntur (inquit Gerſon parte ij. ſermo. facto in concilio Remenſi Dominica ij. poſt Paſch.) inter viros quorum iudicia circa agibilia & credibilia, vel nullum eſt vel obſcurum, timidum, & incertum vel erroneum, quia nec ipſos erudiuit lex Dei, nec regularis bene viuendi diſciplina perdocuit. Iudex igitur peritiã habere debet: &c. Paſſiones autem peruertunt verum iudicium vt vult idem Gerſon parte iij. de paſſionibus animi, quare periculoſum eſſe dicit homini dimittere ſe nimis labi & profundari in imagines vel phantaſias præſertim vitioſas, & circa peritura ſemperque labentia, vt ſunt beneficia, honores, & diuitiæ. Nam cùm generentur habitus ex actibus frequentatis, & habitus cauſent, naturaliter fit vt pondere ſuæ inclinationis ſic immutent imaginatiuam virtutem, & ex conſequenti totum hominem quod neceſſitate quadam trahitur homo velut brutum, vt quemadmodum fit in illis, quos Philoſophus beſtiales appellat. Sic vtique verum eſt quod omnis imaginatio profundata habet ſuã inſaniam vel ebrietatem, & quaſi dęmoniacam paſſionem, ſicut dicit Origenes. Lędit quoque notabiliter ſeu peruertit totaliter iudicium rationis, patet in Phylocaptis, patet in ambitioſis, in auaris, in inuidis, in impatientibus, in quibus verificatur illud Prouerbium. Furor fit læſa ſæpius patientia.

Iudicium rationis eſt duplex ſecundum San. Bona. Quoddã eſt in ſolo dictamine, & hoc eſt rationis. Aliud eſt ſecundum iudicium diffinitiuũ vt fiat vel non fiat, & illud nunquam eſt ſine volũtate, quantumcunq; enim ratio deliberet in eam partem, determinat diffinitiuum iudiciũ quam præoptat voluntas. Et ideo cùm dicitur quod volũtas ſequitur iudicium. Si intelligitur de iudicio quod conſiſtit in ſolo dictamine, non eſt ſemper verum quod ad illud ſequitur voluntas neceſſariò. Si autem intelligatur de iudicio diffinitiuo, ex hoc non ſequitur quod volũtas ſequitur principaliter actũ alienum, imo potius actum alienum trahit ad proprium.

Iudiciũ eſt duplex, ſcilicet approbatiuũ & condemnatiuum (vt ſcribit Sco. diſt. xlvij. quæſt. j. libr. iiij.) Nã iudici poſſunt eſſe manifeſta aliqua ex quibus ſequitur in particulari illum eſſe prǽmiandum, puta quia bene meruit: vel puniendum, quia malè meruit, & prima ſententia eſt approbatiua, ſecũda condemnatiua, iuxta iſta quandoque in nobis ferũtur duæ alienę ſententiæ, puta ſi pro aliquo proponantur digna merito, & iudex inueniat propoſita non eſſe vera, ſequitur ſententia propulſiua à præmio. Similiter ſi contra aliquem proponantur aliqua digna ſupplicio, & inueniantur non eſſe vera, ſequitur ſententia abſolutiua ſeu abſoluens, puta talem coram nobis accuſatum pronunciamus innocẽtem. Scotus. Et iudicium ſecundum ſanctum Bonauen. di. xlvij.

di.xlvij.q.iij.lib.iiij.dicitur tripliciter, ſcilicet communiter, propriè & appropriatè. Iudicium communiter dicitur collectio manifeſta meriti ad præmium. Iudicium propriè dicitur diſcuſsio meritorum & prolatio cum quadam diſcuſsione, & ſententiæ diffinitione. Iudicium dicitur appropriatè ipſo iudicio. Vnde iudicatus dicitur condemnatus. Primo modo omnes iudicabuntur in extremo iudicio, quia omnes conuenient, & patebit quomodo Deus omnibus retribuet ſecundum merita, & hoc eſt quod dicit Apoſtolos: Omnes manifeſtari oportet, &c. Secondo modo prout dicitur iudicium diſcuſsionis, non omnes iudicabuntur, & erunt quatuor ordines vt diſtinguit Beatus Greg. & Magiſter di.xlvij.libr.iiij. Tertio modo ſecundum quod dicitur iudicium condemnationis, iudicabuntur mali ſolùm, & illud iudicium incipit in præſenti per executionem in fidelibus, & per expoliationem in dęmonibus, & cōſummabitur in futuro. Vnde iudicium nō iterabitur, ſed conſummabitur. Hæc Bonauen. & concordat Scotus. Et ad hoc vt iudiciū ſit firmum, cōcurrit auctoritas & poteſtas. Auctoritas in ſententiando, & poteſtas in retribuēdo pręmium ſecundum meritum: ſi alterum eorū deficiat nō eſt iudicium, hæc duo principaliter ſunt in Deo (vt ſcribit Sanctus Bonauen.di.xlviij. quæſt.j.ar.j.lib.iiij.) Nam in ipſo eſt auctoritas ad ſententiandum, quia Dominus omnium eſt, & nos omnes ſerui eius. Eſt etiam poteſtas ad retribuendū, quia potentiſsimus, & non eſt qui contra eum ſe valeat erigere vel eius ſententiam irritare, hæc duo cōmunicauit Deus trinitas homini Chriſto auctoritatem dando & dominium, ſicut dicitur Act.2. Dominum fecit Deus hunc Ieſum. Poteſtatem etiam habet ſibi cætera ſubiiciendo, Mat.vlt. Data eſt mihi omnis poteſtas, & ideo ipſe eſt qui conſtitutus eſt à Deo iudex viuorum & mortuorū, ſicut dicitur Acti.10. Et ſecundum vtramque naturam habet auctoritatem, ſed ſecundum diuinitatē principalem & naturalem ſecundum humanitatē commiſſam, de quo latiùs ibi Bonauen. & infrà.

Iudicium eſt duplex vt notat Sanct.Bonauen. diſt. xviij.libr.iiij. circa textum. Vnum in præſenti, & hoc eſt iudicium in pœnitentiæ foro. & hoc magis eſt miſericordię quàm iuſtitiæ, quia modò eſt tempus miſericordiæ. Aliud eſt iudicium poſtremum, & illud eſt iuſtitiæ quod ſignanter Pſalmographus dicit: Cùm accepero tempus, ego iuſtitias iudicabo. Pſalm. 74.

Iudicium extremum, hoc eſt vltimum ſiue finale, & erit vniuerſalis ſeparatio bonorum à malis, vt dicit B.Tho.iiij.ſenten.di.xlvij.q.j.ar.j.de quo Pſal.95. Iudicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate ſua. Et Ecceſ.12. Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium pro omni errato, ſiue bonum ſiue malum ſit. Et Eſa.3. Dominus ad iudicium veniet cum ſenibus populi ſui, & principibus eius. Et Lucæ.21. Videbunt filium hominis venientem in nubę. De quo Matth.25.&.26. Cùm venerit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ. Et Marc.13. Ioan.5. Et.2.Corin.5. Apoſt. Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti: vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſsit, ſiue bonum, ſiue malum. Et 1.ad Theſ.4. Et.1. Petri 4. & aliàs in multis locis ſacræ ſcripturæ tractatur de iudicio illo extremo. Pręterea Augu. Hiero. Grego. Chry. Lactan. qui & plura de hoc iudicio ſcriptis reliquerunt. Videatur & Gabr. ſerm.j. dominicæ ij.aduentus Domini. Et dies huius iudicij variè nominatur in ſcriptura propter effectus illius diei ineffabilitatem, generali tamen vocabulo dies iudicij nominatur, quæ aliàs dies irę, dies caliginis, dies calamitatis & miſeriæ nominari ſolet. De quo vide Gabr.ſer.ij.vbi ſupra. Dicitur hæc dies amara peccatoribus. Dicitur & dies iudicij octauus, vt ſcribit Augu.Pſal.8. quod iam poſt finem huius ſeculi accepta æterna vita, tunc non erunt animæ iuſtorum obnoxiæ temporalibus, vel dicitur octauum iudicium, quod poſt duas generationes futurū eſt. Vna quæ ad corpus, altera quæ ad animam pertinet. Et in illo iudicio ſecundum Tho.de Argen.di.xlvij.li.iiij. quamuis iudex principalis ſit tantū vnus, tamen iudices aſſeſſores cōtingit eſſe plures. Nullus enim purus homo, ſed ſolū Chriſtus poteſt iudicare propria auctoritate, qui iudicabit (vt vult Pal.d.xlviij.lib.iiij.) in forma humana & glorioſa. Vnde Ioan.5. dicitur. Pater omne iudicium dedit filio, vt modò dictum eſt. Et ille qui fert ſententiā, eſt iudex principalis, & talis eſt ſolus Chriſtus, vt ſcribit Sanctus Bonauen.di.xlvij.q.j.li.iiij. Aſſeſſores autem erūt Apoſtoli & alij perfecti Chriſti imitatores in extremo iudicio, tanquam veri iudices iudicabūt, quia Mat.19. ſuper illo verbo. Vos qui reliquiſtis omnia dicit Gloſ. qui reliquerunt omnia, & ſecuti ſunt Dominū, hi iudices erunt: & loquitur de iudicibus quantum ad extremū iudicium. Et de iuſtis hominibus dicitur Sapien.3. Quod iudicabunt nationes & dominabuntur populis. Et loquitur ibi ſcriptura de extremo iudicio, & tales ſunt Apoſtoli & alij perfecti homines, Chriſti imitatores iudicabūt per modum aſſeſſorū. Et tunc perfecti omnes qui erunt aſſeſſores Chriſti, habebūt plenā notitiam omnium peccatorum tunc iudicandorum, nec latebit eos aliqua circunſtantia iudicanda: & quamuis naturali cognitione nō cognoſcant, tamē diuina reuelatione cognoſcent. Hæc Tho.Argent. Quod tangens Apoſtolus 1.Cor.4.ait. Nolite ante tēpus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, &c. Videatur & Richar.diſt.xlvij.lib.iiij. qui ait ar.j.q.j. quod ad hoc vt omnibus clarè manifeſtetur diuinæ iuſtitiæ perfectio in operibus ſuis, ordinauit diuina prouidentia eſſe venturum vniuerſale iudicium, quod erit omnibus manifeſtum, in quo electi ſui præmij, & reprobi ſui ſupplicij recipient complementum. Tunc enim augebitur ſupplicium reproborum & gaudium electorum. Vide latiùs eundem vbi ſupra & Palud.di.xlvij. qui dicit iudicium generale futurum omnium ſecundum fidem, iuxta illud Apoſtoli: Omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti, &c. cuius iudex erit Chriſtus, aſſeſſores Apoſtoli & perfecti. Aſsiſtentia autem illa (vt vult San.Bonauen.) non erit ad conſulendum, quia Dominus conſilio nō indiget, ſed erit tāquam ad quendam honorem & approbandā ſententiam iudicis. Et in illo iudicio Chriſtus ſub vtraque forma apparebit ipſis beatis. Damnatis verò apparebit

ſecundum humanam naturam, vt ſatis bene declarat Thom. Argen. duabus concluſionibus. diſtinct. xlviij. libr. iiij. ſecundum Scotum à beatis videbitur in forma glorioſa, ſed damnati vel nullam formam glorioſam videbunt, vel videbunt in corpore glorioſo, ſed nec ex hoc ſequitur aliqua delectatio ait Scotus diſtinct. xlviij. quæſt. j. libr. iiij. in ſolu. argu. Conſiſtet aut hoc iudicium in duobus actibus principaliter, vt ſcribit Argentinenſis diſtinctio. xlvij. libr. iiij. quorum vnus eſt diſcuſſio meritorum, alius eſt retributio præmiorum, & ſic erit iudicium diſceptationis, alterum retributionis. Videatur Palud. diſtinct. xlvij. quarti. Et quo ad præmiorum retributionem omnes iudicantur, vel ad pœnam æternam, vel ad gaudium æternum. Ita & angeli tam boni quàm mali iudicabuntur iudicio remunerationis, quantum ad præmium accidentale. Boni quidem remunerabuntur de miniſterio hominibus impenſo, quod tunc fiet. Mali verò punientur pro ſua nequitia qua homines ſeduxerunt, & ad peccatum adduxerunt. Etiam boni angeli tunc magis gaudebunt de noua ſocietate hominum beatorum. Et econuerſo mali aliquo modo tunc punientur de noua ſuper eos concultatione multorum damnatorum. Vide latius Thom. Argenti. Bonauen. & Richar. & alios. Et in hoc iudicio non interrogabimur quantum fuerit intellectus noſter acutus & eruditus (vt ſcribit Gerſon parte prima, conſidera. ix. an monachus pro ſtudio poſſit negligere diuina.) ſed qualis fuerit affectus noſter ad Dominum Deum noſtrum, hoc eſt, quàm ſimplex, quàm rectus, quàm pius, humilis, & deuotus, quamque ſpontaneus & fidelis in Dei ſeruitio ſecundum eam vocationem qua vocatus fuerit diuinitus. Vide plura & deuota apud eundem parte. iiij. ſerm. dominicæ. ij. aduentus. Et licet vnuſquiſque ſit iudicatus particulariter in fine vitæ ſuæ, tamen vniuerſale iudicium erit neceſſarium propter quatuor. Primò ad manifeſtandum veritatem perſonæ Chriſti omnibus gentibus & populis & linguis. Secundò veniet Chriſtus ad manifeſtandum occulta. Tertiò veniet Chriſtus ad iudicandum malè iudicata. Quartò veniet Chriſtus ad iudicandum non iudicata. Hæc declarantur fuſiùs à Iacobo de Valentia, Pſalmo 2. Et iudicium finale dicitur occultum, inquantum eius tempus eſt nobis ignotũ: vt dicit idem Pſal. 9. & alias dicitur, & habetur ſæpè in ſcriptura. Vnde Marc. 13. De die autem illo & hora nemo ſcit, neque angeli in cœlo, neque filius, niſi Pater, &cæt. Hæc autem dies iudicij dicitur dies mala & amara valde peccatoribus (vt tactum eſt ſuprà) damnatis, vt ſcribit Iacobus de Valentia, Pſalm. 48. Sed dicitur matutinum, & dies clara & mane, in qua reſurgent omnes iuſti, & claritatem gloriæ poſt tenebras, & perſecutiones huius vitæ recipient. Dicitur etiam matutinum, quia omnia quæ in hac tenebroſa nocte fuerunt occulta, tunc erunt omnibus manifeſta.

De Iudicis ſententia in extremo iudicio, de qua habetur Matthæi 25.

De ſententia Iudicis ita ſcribit Paulus Cortesius, cùm ait: Reſtare nunc videtur vt ſententiæ dicundæ locum perſequamur: quam quidem iure generatum in omnes Deum latarum dicimus, vt & præmiis afficiantur probi, & flagitioſa ſcelestorum, reorum immanitas vindicetur. Sententia autem vniuerſalis iudicij (vt ſcriptis reliquit Petrus de Palude diſtinctione quadrageſimaſeptima, libro quarto) erit vniuerſalis ſeparatio bonorum à malis, & remuneratio bonorum, & punitiò malorum: non ſolùm in anima, ſed in corpore. Ad bonos dicetur: Venite benedicti Patris mei, poſſidere paratum vobis regnum à conſtitutione mundi, &cæt. Tunc dicet & his qui à ſiniſtris erunt, id eſt ad impios: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius, &cæt. vt dicitur Matthæi vigeſimoquinto. Executio verò huius ſententiæ non fit modò (inquit Petrus de Palude) ſed fiet poſt generale iudicium. Nunc tamen fit executio particularis iudicij, quo quilibet iudicabitur in morte per præmium vel pœnam pertinentem ad ſolam animam, &cæt. Horribilis malorum ſententia, ſed bonorum delectabilis & iucunda, &cæt. Et per Iudicis ſententiã ſeparabuntur boni à malis: Vnde Scotus diſtinctione quadrageſimaſeptima, quæſtione prima, libro quarto, ait: Et ſi extremum iudicium generale ſit futurum, ad hoc tamen non poteſt haberi demonſtratio, quia minus notum eſt quàm reſurrectio. Sed ad iſtud bene ponuntur congruentiæ: quia congruum eſt omnes malos finaliter ſeparari ab omnibus bonis. Item vnuſquiſque, aut aſcribitur regno, vel carceri: tota multitudo præuiſa ad regnum debet aliquando determinari ad poſſidendum illud, & tota alia multitudo relinqui carceri, vt ſic ſit ſequeſtratio duarum familiarum, ſeu duarum ciuitatum, ſicut tractat Augu. per totum de Ciuit. Dei. Hæc autem ſequeſtratio fiet per iudicium generale. Vide alias congruentias, & latius apud Scotum.

De Iudicij loco.

Locus iudicij generalis (vt ſcribit Scotus di. xlvij. q. j. li. iiij. & di. xliij. q. v. lib. iiij.) probabiliter æſtimatur terra promiſſionis, ſiue vallis vel pars Ioſaphat determinata ibi, vel tanta pars quanta ſufficit pro reprobis. Vnde Ioëlis 3. dicitur. Adducam omnes gentes in vallem Ioſaphat. Non autẽ omnes erunt in illa valle, ſed ſæpius electi erunt in aëre, & maximè perfecti cũ ipſo iudice, ſecundũ gradũ ſuæ dignitatis & excellentiæ notabiliter collocati. Et vt vult Scotus, electi non erunt in terra, ſed rapientur Chriſto obuiam in aëre, & per conſequens reſpectu ipſius partis terræ intelligenda eſt hora. Sed quod tunc dicitur eſſe media nocte, accipitur à Matth. 25. & ab Apoſtolo. 1. Theſſalon. 5. Dies autem Domini ſicut fur ita in nocte veniet. Quod non videtur intelligendum ad literam, quia & ſi Dominus poſſet ſe manifeſtare ſingulis, tamen magis probabile eſt ad confuſionem reproborum, qui videbuntur & ab inuicem, & à bonis vt ſint in loco illuminato, & per conſequens tunc in loco reſurrectionis & iudicij non ſunt tenebræ mediæ noctis.

Ea ergo hora fortè qua Chriſtus reſurrexit, ea in cõparatione ad illam regionem reſuſcitabuntur mortui, vel ea hora qua adiudicatus eſt à Pilato, vel ea qua expirauit in cruce. Siquidem de hoc certum non habemus ex ſcriptura, & quodcunq; illorum ponatur, exponendũ eſt illud, media nocte, pro incertitudine. Hæc Scot. Vide latiùs alios Doctores.

De ſignis quæ præcedent iudicij diem.

Hieronymus (vt refert Richar. di. xlviij. ar. j. qu. iiij. lib. iiij.) enumerat quindecim ſigna futura ante iudicium, quæ tamen non affirmat, ſed dicit ſe ea legiſſe in annalibus libris Hebræorum, & ſunt hęc. Primo die maria omnia exaltabuntur. xv. cubitis ſuper montes. Secunda, omnia ęquora proſternentur in profundum, ita quod vix poſſint videri. Tertia, redigentur in ſtatum antiquum. Quarta, omnes beluæ & animalia quæ mouentur in aquis congregabuntur & eleuabuntur ſuper pelagus more contentioſo inuicem mugientes. Quinta, omnia volatilia cœli congregabuntur inuicem in campis plorantes, non guſtantes neque bibentes. Sexta flumina ignea ſurgent ab occaſu ſolis contra faciem firmamenti vſque ad ortum corruentia.

Septima omnia ſidera errantia & fixa ſpargent ex ſe igneas comas ſicut cometæ. Octaua, magnus terræmotus erit, ita vt omnia ædificia alta proſternantur. Nona, omnes lapides tam magni quàm parui in quatuor partes diuidentur vnaquaque petra aliam collidente. Decima, omnes planetæ fluent ſanguineum rorem. Vndecima, omnes montes & colles & ædificia in puluerem redigentur. Duodecima, omnia animalia venient ad campos de ſiluis & montibus rugentia, nihil guſtãtia. Tredecima, omnia ſepulchra ab ortu ſolis vſque ad occaſum patebunt cadaueribus ad reſurgendum. Quartadecima, homines de habitaculis ſuis recedent, non intelligentes neque loquentes, ſed diſcurrentes. Quintadecima, omnes morientur & reſurgent cum mortuis longe antè defunctis. Et quamuis (inquit Richar.) incertum ſit vtrum ſigna prædicta præceſſura ſint iudicium vt narratum eſt, cùm ibi ſint quædam quæ parum habent veriſimilitudinis, tamen certum eſt quod aduentum iudicis aliqua ſigna ſint præceſſura & propter iudicis reuerentiam, & vt homines ad iudicium præparent, quorum ſignorum aliqua ponuntur in Euangelio. Et ideo dicitur dies magna eò quòd magna ibi fient, vt inquit Magiſter diſt. xlviij. quarti. Hæc oſtenta & ſigna refert ſanctus Bonauen. diſtinct. xlviij. lib. iiij. circa textum, & in fine dicit. Hæc vtrum ita ſe habeant, Deus nouit, & de his parumper ſcribit Paulus Corteſius li. iiij. ſuarum ſenten. di. vij.

Iudicia Dei dicuntur dupliciter. Vno modo iudicatiua præcepta quæ erant in lege, quæ frequenter in Pſal. vocantur iudicia. Alio modo dicuntur diuina diſpoſitio, & diuini conſilij diffinitio, & iſta ſunt incomprehenſibilia quantum ab cognitionem, quia ante fiunt quàm ad noſtram cognitionem deducantur. Vel ſi ad noſtram cognitionem deducantur, non tamen cognoſcimus quare facta ſint niſi ſpiritus Dei reuelet, qui ſcrutatur profunda Dei, ita ſcribit ſanctus Bonauen. diſt. xlvj. li. iiij. circa textum. Vnde ad Rom. 11. dicit Apoſtolus: Quòd incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & Pſalm. 35. Iudicia tua abyſſus multa, id eſt hominibus abſcondita, vt dicit Lyra. Vnde Augu. Iudicia tua quod horum miſerens, hos excecas nulli ſunt penitus ſcrutabilia, tamen vtroſque ſaluas, hos corporaliter tantum, illos & ſpiritualiter. Iudicium autem Dei & hominum eſt diuerſum, vt ſcribit Gerſon parte. j. tracta. de proteſtatione circa materiam fidei contra diuerſas hæreſes conſid. viij. Aliter enim iudicat Deus, aliter homo. Deus inſpicit corda, & ſcit quid intus agatur. Humanum verò iudicium id ſpectat quod foris eſt, & poteſt certificari per ſigna, teſtes, voces, & opera. Idem de vita ſpirituali animæ le. iiij. Corrol. iij. ait, quod alio & alio reſpectu Deus ipſe iuſtificat & condemnat. Vult quippe legiſlatores publicos, de publicis tantummodo ſententiare, & ad iudicium ſuum occulta reſeruari. Propterea idem opus, ſicut eſt occultum Eccleſiæ & manifeſtum Deo, ſic aliter & aliter poterit iudicari. Idem Gerſon parte. iij. de conſola. Theol. lib. j. triplicem Deo curiam triplicemque thronum deputat. Reſidet in prima curia, & Throno indulgens gratia. Reſidet in altera curia, & Throno corrigens miſericordia. Reſidet in tertia curia, & Throno damnans iuſtitia, de qua per Apoſtolum: Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis. Et ſecundum Iaco. de Valentia Pſalm. 110. Iudicium Dei eſt triplex, ſcilicet examinationis & diſcretionis & ſecretionis, id eſt myſteriorum ſecretorum. Et ideo quandoque per iudicia in ſacra ſcriptura intelliguntur ſecreta iudicia Dei, ad Rom. 11. O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia, id eſt ſecreta eius. Item Pſalm. 35. Iudicia Dei abyſſus multa, &c.

Iudicare poteſt accipi tripliciter. Si accipiatur in communi, appropriatur Chriſto, qui non tantùm iudicabit in natura diuina ſecundum quam eſt creator, ſed etiam in humana ſecundum quam eſt redemptor, ſic iudicabit poteſtate ordinaria & delegata. Pater autem & ſpiritusſanctus non iudicabunt niſi poteſtate principali ſeu ordinaria. Iudicare autem ſecundum quod accipitur ex poteſtate delegata, non eſt Chriſto appropriatum, ſed proprium: quia nulla perſona in trinitate eſt homo niſi perſona Chriſti. Iudicare verò poteſtate principali ſeu ordinaria, commune eſt tribus perſonis, & ęqualiter eis conuenit, quia in eis eſt vna & eadem in numero iudicandi poteſtas, & ſunt vnus iudex, appropriari tamen poteſt pluribus perſonis ſecundum rationem aliam & aliam, non enim inconueniens eſt quod idem ſub ratione diuerſa pluribus approprietur perſonis. Vnde ſapientia ſub ratione qua importat cognitionem, appropriatur filio, & ſub ratione qua eſt donum, appropriatur ſpiritiuſancto. Ratione itaque poteſtatis quæ requiritur ad iudicandũ, iudicare poteſt appropriari patri, cui appropriatur potentia. Ratione autẽ diſcretionis quæ requiritur in iudicio poteſt appropriari filio, cui appropriatur ſapientia. Ratione autem rectitudinis quæ requiritur in voluntate iudicantis poteſt appropriari ſpiritiuſancto, cui appropriatur bonitas. Hæc Richard. diſtinctio. xlviij. articul. j. quæſt. j.

quæſt.j.libr.iiij. Videatur & Scot.eadem diſtinct. quæſtio.j. qui dicit quod Chriſtus habet poteſtatem commiſſariam vt homo, ſed non principalem, & ita non competit ſibi principaliter iudicare vt homo, &c.

Iudicare quando ſit peccatum & quale oſtendit Gerſon parte.ij. de cognitione peccatorum venialium & mortalium. conſide.v. vbi ait. Iudicare alium venit de ſuperbia: poteſt autem hoc iudicium fieri de operibus alterius, vel de ipſamet perſona, & hoc fit duobus modis. Vno modo per certitudinem. Altero per præſumptionem leuem ſolummodo & ſuſpicionem. Iudicare alium firmiter eſſe malum erga Deum & iuſtè damnandum peccatum eſt mortale, quia contra bonitatem ſpiritusſancti, quia in vno momento ſpiritusſanctus poteſt hominem facere bonum, ſicut Paulo fecit, Mariæ Magdalene & multis aliis, & poteſt homo eadem hora pœnitere. Eſtque ſtultum & iniuſtum iudicare de hoc quod neſcitur, quod citius iudicari debet ad bonum quàm ad malum. Iudicari de operibus poteſt eſſe quando opera de ſeipſis ſunt talia quod quocunque modo ipſa non poſſunt benefieri, nec per bonam intentionem, nec alio modo. Et ibi poteſt bene pro certo iudicari quod ſunt mala, & quod alter malefecit. Si opera ſunt indifferentia, vel talia quod poſſunt bene & poſſunt malè fieri iudicare pro certo quod mala ſint, niſi aliter appareat eſt peccatum mortale; quia tam citò, imò citius iudicari debet bonum quàm malum, quando fieri poterat bene. In hoc tamen caſu, & in aliis haberi poſſunt ſine mortali peccato, aliquæ ſuſpiciones & iudicia leuia, quanquam bonum ſit eas cauere. Et caueri debet bene, ne in tali caſu quis malum loquatur, aut diffamet alium per tales leues præſumptiones, & ſpecialiter in affirmando eas plus iuſto, aut contra bonum alterius ſicuti ad faciendum mori hominem conuenit certiſſimum habere iudicium, & ſimiliter in exulando, ſiue relegando extra patriam hominem, vel auferendo ſibi bonam famam ſuam notabiliter, in paruo tamen damno non eſt tale periculum. Hæc omnia Gerſon. Idem parte.ij. de reſolutione ſuper Cant. circa irregularitatem conſide.j. ait: quod aliter in moralibus quandoque iudicat Iuriſta, aliter Theologus, quia primus magis inſpicit forum contentioſum & extrinſecum, ſed Theologus magis attendit forum conſcientiæ, & intrinſecum quo ad Deum, &c. Aliter quoque iudicat carnalis, aliter ſpiritualis, vt idem ſcribit Gerſon tract.ij. de pollutione diurna propoſitione x. vide eum ibi.

Iudicium temerarium ſeu ſuſpicioſum eſt quum aliquis iudicat de his quæ ſunt dubia vel occulta propter aliquas leues coniecturas, ſecundum beatum Thom. ſecunda ſecundæ qũ.lx. artic.ij. De illo habetur Leuit.19. Non facies quod iniquum eſt, nec iniuſtè iudicabis. Et Matth.9. Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris, & eiuſdem.11. Venit enim Ioannes neque manducans; neque bibens, & dicunt, dæmonium habet. Venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt, ecce homo vorax & potator vini, Publicanorum & peccatorum amicus, Luce.6. dicitur. Nolite iudicare & non iudicabimini, nolite condemnare & non condemnabimini. Et Ioannis.7. Nolite iudicare ſecundum faciem, ſed iuſtum iudicium iudicate. Et de illo temerario iudicio ſæpè apud Apoſtolũ habetur vt ad Rom.14. Et 1.Cor.4.& 6. Et Iaco.4. Augu. in ſer. Domini in monte, & habetur.xj. quæſtione iij.cap. Temerarium. Temerarium iudicium plerumque nihil nocet ei, de quo temerè iudicatur. Ei autem qui temerè iudicat, ipſa temeritas, neceſſe eſt vt noceat. Et in Epiſtola & habetur xxxvj. quæſtio.vj. Iniquum eſt vt quiſque de alio iudicare velit, & iudicari de ſe nolit. Et de Ciuit. Dei libr.xix. Ignorantia Iudicis plerumq; eſt calamitas innocentis. Et de paſto. Temerariis iudiciis plena ſunt omnia: de quo deſperamus, ſubitò conuertitur & fit optimus: de quo multum præſumpſerimus, deficit & fit peſſimus, nec timor noſter certus eſt nec amor, &c. & in ſermo. Maximè hi temerè iudicant, qui de meritis aliorum, & facilè reprehendunt, qui magis amant vituperare, & damnare quàm emendare & corrigere, quod vitium vel ſuperbiæ eſt vel inuidiæ. Hieron. Epiſtola v. Non enim conſcientiæ latebras hominibus ſcire aut nudare permiſſum eſt, dicente ſcriptura. Homo in facie videt, Deus autem in corde. Deus ſolus intima & ſecreta conſpicit, ſed manifeſta eſt vox Domini monentis. A fructibus eorũ cognoſcetis eos. Ambr. ſuper beati immaculati. Iudicet ille de alterius errore, qui non habet in ſeipſo quod condemnet, iudicet ille qui non agit eadem quæ in alio putauerit eſſe punienda, ne quum de alio iudicat, in ſeipſum ſententiam ferat: iudicet ille, qui ad pronunciandum nullo odio, nulla leuitate ducitur. Grego. Debet quiſque proprias virtutes perpendere, & pro qualitate virium curam aliorum ſuſcipere, ne dum delectetur loco gloriæ, fiat ſubditis auctor ruinæ, & qui grauatur pondere ſuarum, velit fieri iudex alienarum culparum. Durum enim eſt, vt qui neſcit tenere moderamina vitæ ſuæ, iudex fiat vitæ alienæ, & aliàs plura de temerario iudicio, idem. Et Ioan. Chryſoſt. Sunt aliqui qui de omnibus malè iudicant. Dicunt enim: Si quis ſtudet & vacat humilitati, hypocrita eſt: ſi recreationi, guloſus eſt: ſi patientiæ, timidus: ſi iuſtitiæ, impatiens eſt: ſi ſimplicitati, fatuus eſt: ſi prudentiæ, malicioſus eſt: ſi maturitati, phlegmaticus eſt: ſi iucunditati, diſſolutus eſt: ſi religioni, ſingularis eſt: ſi ſocietati, ſecularis eſt: ſi ſilentio & paci, diſſimulator eſt: ſi aliorum correptioni, præſumptuoſus eſt: ſi inſtat vigiliis & orationibus, indiſcretus eſt: ſi dormitioni, ſomnolentus eſt: ſi prædicationi & aliorum ſaluti, appetitor laudis eſt: ſi deſiſtat, negligens: ſi habet gratiam hominum, adulator eſt: ſi adulari renuit, dicitur quod ſuperbus eſt. Hæc Ioannes Chryſoſtomus. Plura de hoc iudicio quàm propoſueram, ſcripſi, & ideo vt legentes perterriti auctoritatibus ſanctorum & ſcripturarum hoc conſuetum vitium cauerent, de quo aliàs multa ſcribuntur.

Iugum eſt multiplex, vt notat Gerſon parte ſecunda, ſermone de verbis Domini. Venite ad me omnes qui laboratis, ſcilicet iugum ſtatus humani,

I V

iugum cordis peruerſi, & eſt iugum Iudæi, ſeculi, diaboli, inferni. Iugum ſtatus humani eſt corruptio & mortalitas, & multiformis infirmitas, quibus omne humanum genus ſubiacere dinoſcitur. Vnde ſcriptũ eſt: Graue iugum ſuper filios Adam. Iugum cordis peruerſi eſt voluntas propria vel conſuetudo praua, qua ratio noſtra captiua tenetur & ſæpiſſimè ducitur quò non vult. De quo niſi filius nos liberauerit, nunquam veri liberi erimus. De cuius perſona oobis promittitur. Ecce ego venio dirumpere iugum captiuitatis veſtræ. Iugum Iudæi eſt obſeruantia legis ad literam. Iugum ſeculi eſt cupiditas. Iugum diaboli eſt peccatum vel iniquitas, de quo illud Iſaiæ: Iugum enim oneris eius & virgam humeri eius & ſceptrum exactoris eius ſuperaſti. Exactor autem noſter eſt diabolus, qui ad peccatum inſtigat, vt in fine nos ad iugum æternæ damnationis trahat. Iugum inferni, eſt æterna damnatio, qua faſciculi ad comburendum colligabuntur, vt illic coniungantur in pœna, qui æquales extiterunt in culpa. De hoc iugo poteſt accipi quod Dominus dicit per Ozeam. Propterea imponetur eis iugum, quod non auferetur. Latiùs Magiſter Ioannes Gerſon de his iugis. Sunt & alia quinque iuga boum, curioſitates, videlicet, quinque ſenſuum exteriorum, quæ iuga quidam in Euangelio coëmerat, & vt excuſatus haberetur à nuptijs, ea ſe probatum ire dicebat. Et differunt iugum & onus. Iugum Domini ſeruitutis eſt aſſumptio, onus verò eius quid aliud eſſe poteſt, quàm hoc quod diſcere ſub iugo præcipimur, ſcilicet vt ſimus mites & humiles corde. Eſt ergo iugum monaſticus ordo: onus autem pietas mentis & corporalis exercitatio. Vnde Dominus dicit: Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Super quibus verbis perpulchra ſcribit Magiſter Ioannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis, in eodem ſermone de verbis Domini: Venite ad me. Item iugum Chriſti charitas eſt, vt ibidem dicit, &cæt.

Iumentum eſt omne animal ſeruiens homini, ſecundum ſanctum Thomam, prima parte, quæſtione ſeptuageſimaſecunda, articulo ſecundo. Iumenti appellatione animalia continentur, à iuuando, hoc eſt auxiliando.

Iurare generaliter ſignificat omnem actum iurandi, ſiue bonum, ſiue malum, ſiue indifferenter. Et iurare, eſt Deum in teſtem vocare, & eſt actus latriæ. Vnde Hieronymus ſuper Matthæum. Qui iurat, aut veneratur, aut diligit eum per quem iurat. Sanctus Thomas ſecuoda ſecundæ, quæſtione lxxxix. articulo quarto. Et ſecundum ſanctum Auguſtinum, in de verbis Domini. Iurare, eſt Deum in teſtem aſſumere, intellige immediatè io ſe, vel mediante creatura. Et alibi ſecundum eundem. Iurare eſt ius veritatis Deo reddere, hoc fit cùm in teſtem veritatis aduocatur. Eſt autem nomen Dei adeo terribile & venerabile (vt ſcribit poſt ſanctum Bonauent, Bruleſer diſtinct. xxxix. qu. ij. libr. iij.) quod nullus debet eum in teſtimonium aſſumere niſi nouerit quid loquatur. Vnde ignorantia non excuſat in tali iuramento. Hoc enim debet vnuſquiſque ſcire, quod non debet iuramento aliquid firmare, niſi ſit de illo certus. Vnde ſi talis ignoret rem de qua iuret, hoc ipſo ſcit ſe malè iurare ſi eam iuramento affirmat, & iam non excuſatur à culpa. Vnde Magiſter Ioannes Gerſon parte. ij. de cognitione peccatorum venialium & mortalium, conſideratione. xiiij. Iurare falſum ſcienter in omni caſu eſt peccatum mortale, ſiue in rebus ſeriis, ſiue in iocis. Sed ſi per inaduertentiam aut facilitatem loquendi peieratur, poteſt eſſe veniale peccatum, quamquam mala conſuetudo non excuſet eos qui per ipſam periurant. Ibi vides quàm grande malum eſt aſſueſcere ſe iurationibus. Hæc Gerſon.

Iurare per creaturam (vt ſcribit Alexan. parte. iij. quæſtione xj. articul. ix. & habet Magiſter diſtinctione xxxix. libro tertio) eſt creatorem eius teſtem veritatis adducere. Inductum autem eſt iuramentum, quia homo ſciens hominem mendacem, id eſt poſſe mentiri & ignorantem, & per conſequens poſſe fallere & falli, ideo neceſſarium eſt adducere teſtem veracem & ſcientem, qui nec fallere nec falli poſſit, hic autem eſt ſolus Deus, qui non decipit, nec decipi poteſt. Hinc pro iure introductum eſt, vt quod ſub inuocatione diuini teſtimonij dicitur, tanquam pro certo vero habeatur. Ideo dicit Apoſtolus ad Heb. 6. Omnis controuerſiæ finis eſt iuramentum ad confirmationem. Vide latiùs Gabr. diſtinctio. xxxix. quæſtione j. libro tertio, qui clarius rem oſtendit.

Iurare per Deum (vt ſcribit Cancellarius parte. ij. in reg. mor.) eſt eum teſtem veritatis adducere, & fit licitè, imò meritoriè dum veritas ſubeſt, & reuerentia comitatur, & pia neceſſitas ex humana infirmitate conſurgens impellit.

Iurare in vanum (vt idem Magiſter Ioannes Gerſon. Cancellarius Pariſienſis dicit) eſt propriè Deum in falſitatem (cuius eſſe teſtis nequit) inuocare, ideo dum ex deliberatione fit, ſemper eſt mortale.

Iuramentum ſecundum Raymundum deſcribitur: Eſt affirmatio vel negatio de aliquo ſacræ rei atteſtatione firmata, vbi ſacræ rei atteſtatione includit tam Deum qui eſt ſanctuſſanctorum quá creaturam in qua relucet Dei perfectio: ſecundum Hoſtien. & Goffre. & Archi. iuramentum eſt aſſertio vel negatio de aliquo licito poſſibili & honeſto ſacræ rei atteſtatione firmata. Et iuramentum à iuro dicitur, iuro autem à iure. Quid enim eſt aliud iurare quàm promittere adhibitis teſtibus nos ita ſeruaturos, ac ſi ios eſſet. Licet autem tres comites, ſcilicet veritatem, iudicium & iuſtitiam: vt ſcribit Thom. ſecunda ſecundæ, quæſtione lxxxix. articul. iiij. & diſtinctione xxxix. quæſtione ij. articul. iij. de quibus plura videbis. Gabr. diſtinctione xxxix. quæſtione prima, libro tertio, qui hos comites iuramenti & conditiones & circunſtantias latè proſequitur, quæ ſingula reſcindo breuitatis gratia. Hos tangit & Hiere. cap. 4. Iurabitis viuit Dominus in veritate, io iudicio & in iuſtitia, &c.

Iuramentum ſecundum Scotum diſtinct. xxxix. libr. iij. eſt aſſertio dicti humani quod ipſum ſit

verum

verū & hoc vltimate. Aſſertio extēditur ad dictum affirmatiuū & negatiuū. Eſt autem aſſertio vltimata quæ fit per inuocationē diuini teſtimonij. Nam vlterior & certior aſſertio eſſe non poteſt. Ex quo ſequitur quod non tantū dum coram iudice tactis ſanctorū reliquijs, aut Euangelio, vel eleuatis digitis, ſed vbicunq; & quibuſcūq; verbis Deū in teſtē ſuæ aſſertionis quis inuocauerit, iurat ſiue dicat per Deū ſiue Deus nouit, ſiue corā Deo dico, aut Deo teſte, ſiue viuat Dominus, ſiue hęc faciat Dominus, hæc addat, vel aliis quibuſcunque modis, quorum diuerſi habentur in diuerſis ſcripturæ locis. Nec vna tantum eſt, ſed multiplex forma iurandi. Alex. de Ales parte iij. quæſtio. xxxj. meb. iij. arti. j. omnes modos iurādi ad quatuor reducit. Iurans enim veritatem primam & ſummam quæ Deus eſt & reueretur, & in teſtimonium ſuæ aſſertionis adducit. Debet autem veritas iſta reuereri inquantum principium hominis veritatis. Et tunc forma iurandi eſt, teſtis eſt mihi Deus, ſcit Deus quod non mentior, ait Apoſtolus. Hoc dico coram Deo, id eſt, Deo ſciente & teſtificante. Tertio inquantum iudex eſt & retributor præmiorum bonis, & tunc iuratur ſub hac forma. Viuit Dominus, id eſt, viuit qui vitam cunctis tribuit. Viuit anima mea, Dei, ſcilicet beneficio, vel viuit Dominus. Ita eſt, id eſt vera eſt aſſertio mea ſicut verum eſt Dominum viuere, & vitam bonis tribuere. Quarto inquantum retributor pœnæ malis, & tunc eſt forma iurandi. Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, vel non ſaluer. & ſic de aliis formis ad prędictas reducendis, de quibus vide & Gabrielem vbi ſupra. Iurare autem per execrationem vt vult beatus Auguſtinus Pſal. 7. eſt grauiſſimum iuriſiurandi genus, cum homo dicit, ſi illud feci, illud patiar. Vnde Pſal. 7. Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis. Videtur ibi Propheta iurare per execrationem inquit Auguſt.

Iuramentum eſt duplex, ſcilicet, aſſertorium quod eſt de præſentia & promiſſoriū quod eſt de futuro ſecundum beatum Thomam ſecunda ſecundæ. qu. lxxxix. artic. iij. Sed ſecundum Gabrielem, diſtin. trigeſimanona, quæſtione prima, libro tertio. Iuramentum aſſertorium eſt reſpectu cuiuſlibet temporis præteriti præſentis & futuri. Et eſt aſſertio alicuius cum iuramento non exhibendi per aſſerentem, vt cum aliquid iurat fuiſſe vel eſſe, vt ſi quis cras iuret eclypſim futuram aut pluuiam, aut non eſſe venturam, & huiuſmodi. Rarius tamen iuramentum aſſertorium eſt de futuro, & in iuramento aſſertorio quandoque fertur ſimpliciter de certitudine, quandoque de credulitate, vt dum datur teſtimonium de idoneitate perſonæ ad ſacros ordines promouendæ. Iuramentum promiſſorium eſt quo quis iurat ſe aliquid eſſe facturum vel non facturum, & eſt tantum futuri, vt dum quis iurat ſe alicui daturū cētum florenos, aut venturum ad talem locum vel non venturum, & vtrumque iuramentum eſt obligatorium. Aſſertorium quidem obligat aſſerentem vt verum dicat: ex quo talem teſtem inducit promiſſoriū, vt quod iurauit faciat, & ſemper manet obligatus donec iuratum perficiat. Ad hoc habes beatum Tho. diſt. xxxix. qu. iij. artic. j. qui dicit quod in aſſertorio ſit tantum vna obligatio, in promiſſorio duplex, de quo videatur Gab. conclu. iiij. vbi ſupra. Vtrumque autem iuramentum quandoque fit ſimpliciter ſine obligatione ſui vel alterius ad pœnam, quandoque cum obligatione, vt quando ſalus propria aut filiorum aut rerum iurantis æterna vel tēporalis obligatur Deo ad pœnam ſi peierauit, vt ſi dicitur. Si non eſt verū quod dico, aut ſi non impleuero promiſſum illud, hoc patiar, vel illud mihi contingat aut filiis meis, aut poſſeſſioni meæ, & ſolet fieri his & ſimilibus verbis. Hęc faciat mihi Deus, hęc addat, non ſaluer, non viuat filius meus, incēdio pereat poſſeſſio mea &c. Item per ſalutem meam: ſi quis iurando dicit, vel per filium meum. Sicut Ioſeph per ſalutem Pharaonis iurauit, obligat enim hoc Deo. Vnde Augu. in ſer. de periurio. Cùm quis aut per ſalutem ſuam, ſalutem ſuam obligat Deo, cū dicit, per filios meos oppignerat eos Deo; vt hoc eueniat in caput eorum quod exit de ore ipſius. Si verum, verū: ſi falſum, falſum. Et licèt omnis creatura ſit in plena Dei poteſtate, vt non magis eam Deo obligare poſſimus, tamen conceſſum à Deo eſt, vt poſſimus Deo tanquam noſtrum oppignerare. Et illud iuramentum dicitur execreatorium, quod eſt grauiſſimum ſecundum Aug. (vt dictum eſt) genus iuramenti, & non niſi in execratorio iuramento, licet ſine peccato per creaturam iurare, vt inquit Gabr. conclu. ij. vbi ſupra. Quando autem iuramentum fit ſine obligatione, huiuſmodi dicitur iuramentum aſſertorium vel promiſſorium ſimplex.

Iuramentum autem (vt ſcribit Gerſ. de vita ſpirituali animæ lect. iiij.) ſicùt & votum non obligant vbi vergunt palam ad deteriorem exitum. Idcircò recipiunt diſpenſationem, & relaxationem aut commutationem vt ſapiens (præſertim ſuperior) iudicabit. Nec iuramentum debet plus obligare quā voluerit, aut rationabiliter velle debuerit obligare ordinator talis iuramenti, & in cuius fauorem fit. Hinc ſaluatur quod dicitur de præſtitionē iuramenti apud vniuerſitates & collegia ſuper multis quæ manifeſtum eſt nullo modo cuſtodiri. Habenda itaque præſumptio quod exigentes talia iuramenta non intendunt obligare ad ea, quæ nec ipſi nec partes eorum obſeruarunt, & ſubintelligitur ſemper, & ſi non explicetur. Hæc aut ſimilis additio. Si & quantum rationabiliter talia cadunt ſub iuramento iuxta conſuetudinem & vtilitatem politiæ. Hæc Gerſon.

Iuramentum doloſum in aſſertorio quando iurans oppoſitum eius ſentit quod iurando aſſerit. In promiſſorio quando iurans ſe aliquid facturum in ipſo actu iurandi intendit oppoſitum, nec intendit ſe obligare ad illud quod iurat, & illud iuramentum quamuis obliget ad pœnam æternam ſimpliciter & ad ſeruandum promiſſum in foro Eccleſiæ exteriori, non tamen obligat ad ſecundum in foro conſcientiæ interiori. Diffuſe hoc probat Gabr. concluſione. v. diſtin. xxxix. quæſtio. j. libr. iij. Videtur ad hoc ſanctus Bonauentu. eadem diſtinct. artic. ij. quæſtio. j. libr. iij. & Petrus de Palu. in quarto. diſtinctione xxxviij. quæſtione ij. de votis. Obligatur tamen iurans doloſe in foro

conſciētiæ ad hoc vt is cui iurauit ex dolo ſuo non lædatur ſecundum illud 1. Theſſalon. quarto. Ne quis ſupergrediatur & circumueniat in negocio fratrem ſuum, &cæt.

Iuramentum incautum poteſt dici dupliciter (vt ſcribit Gabr. art. j. vbi ſuprà) Vel quia tranſit ſuper materiam omnino illicitam, puta aliquis iurat ſe facturum oppoſitum alicuius præcepti, vt qui iurat ſe aliquem velle occidere, vel adulteraturum, vel quia tranſit ſuper materiam quæ de ſe eſt licita, ſed tamen iuranti non eſt licita: puta aliquis abiurat opera perfectionis, ſcilicet nunquam intraturū religionem, nunquam viſitaturum infirmum, & in hoc ponit obicem ſpirituiſancto & eius motioni. Vnde licet quis licenter poſſit conſilia non acceptare, non tamen licet ſe ad non ſeruandum obligare. Poſſet etiam poni iuramentum aliquod incautum, quando iuras ſe facturum quod non poteſt facere, & quando iurat, putat ſe poſſe. Videatur Gabriël, Scotus diſtinct. xxxix. libro tertio, & ſanctus Bonauentura eadem diſtinctione, qui vult iuramentum incautum dici, quod vergit in exitum malum, vel in exitum minus bonum. Et primis duobus modis, inquit Gab. concluſione vj. vbi ſupra, non obligat ad promiſſi obſeruantiam, obligat tamen ad mortalem culpam: quia non poteſt inferior ſe obligare ad non obediendum ſuperiori, nec ad id quod ſecundū ſe eſt illicitū. Sic ergo iurās non ſolum non obligatur tali iuramento: ſed etiam non debet ſeruare, quia nō poteſt ſine mortali ſoluere promiſſum. Vnde Ambr. lib. de offic. Eſt nonnunquam contra officium ſoluere promiſſum, ſicut Herodes qui necem Ioannis præſtitit ne promiſſum negaret: & Iſidor. in ſolilo. In malè promiſſis reſcinde fidem. In turpi voto muta decretum. Quod incautè vouiſti, non facias. Impia eſt promiſſio quæ ſcelere adimpletur. Et lib. ij. ſenten. capite xiij. ait. Non eſt. Non eſt obſeruandum ſacramentum, quo malum incautè promittitur. Nec aliquod iuramentum (inquit Gabr.) quod obuiat charitati, ad ſeruandum obligat: quia ab obligatione charitatis abſolui non debemus, latiùs probat Gabriël. Item qui iurauit non intrare religionem, poteſt intrare ſine peccato, quia non tenetur tali iuramento, & ita non obligat ad non intrandum: vtroque autem modo iuramentum incautum obligat ad mortalem culpam, quia quicunque vocat Deum in teſtem, contra ſcipſum Deum mortaliter peccat, quia Dominus non eſt diſſenſionis Deus (vt dicit Apoſtolus 1. Cor. 14.) vt latiùs probat Gabr. Talis quoque in actu iurandi peierat & mortaliter peccat, & non poſtea dum iuramentum nō ſeruat, quia Deum irreuereretur contemnendo: non autem cùm oppoſitum eius, quod iurauit, facit. Nec iuramentum inuitum, quo iurauit ſe facturū quod non poteſt, dum ſeruare non poteſt, nō obligat: quia ad impoſſibile nemo obligatur. Si autem poſtea facere poterit, iurans manet obligatus, vt faciat cùm poſſit: vt ſi quis iurat ire ad ſanctum Iacobum, & ſuperuenit mortalis infirmitas, nō tenetur durante infirmitate, manet tamen obligatus, vt conualeſcens impleat. Et ſi dum iurauit probabiliter putauit ſe poſſe excuſatur in fauorabilibus, ſecus ſi non putabat aut ſtultè putabat ſe poſſe. Et præſertim excuſatur ſi impedimentum de nouo ſuperuenit quod præuiſum non eſt, &c. Plura Gabriël, vbi ſuprà, & concluſione vij.

Iuramentum coactum, eſt iuramentum metu extortum, vt ſi quis iurat aliquid eſſe verum aut ſe aliquid facturum, inductus metu alicuius mali quod timeret incidere, etiam ſi non iuret, vt ſcribit Gabr. diſtinctione xxxix. articulo primo, libro tertio. Illud iuramentum, vt idem inquit, articulo ſecūdo, concluſione octaua, in foro conſcientiæ eſt obligatorium: quia quicunque iurat volens cæteris paribus, id eſt ſi impletio iuramenti non vergit in deteriorem exitum, obligatur ſeruare iuramentum & fidem, ſi poteſt. Sed iurans coactè, iurat volens, quia voluntas non poteſt cogi ſimpliciter, neque lingua ad formandum verba, ſicut manus ad operandum, puta ſcribendum vel percutiendum, aut tenendum aliquid, nec metus excuſat eum, etiam qui cadit in conſtantem virum: quia metus non cadit in iurationem, hoc eſt, non inducit virum conſtantem ad iurandum contra mentem: quia ad non mentiendum, ſeu doloſe iurandum. Et ſi metu inducitur ad iurandum verum, & licitum tenetur tali iuramento: quia omne iuramentum licitum eſt ſeruandum. Ad hoc ſunt multa iura (vt inquit Gabriël.) Et dicitur in foro conſcientiæ, quia in foro exteriori non ligat: nō enim competit actio ei qui iniuſtè compellit ad iurandum. Si quis autem metu mortis iurat raptori dare centum florenos, tenetur ſibi dare, quia homo tenetur magis ſuſtinere iacturam temporalem, quàm frangere fidem ſacramento firmatam. Habet tamen is remedium, quod poteſt in iudicio repetere, aut iudici denunciare, qui ex officio tenetur raptorem ad reſtituendum compellere: nec debet iurare quod non velit denunciare, quia hoc eſt contra fraternam correctionem, & ita illicitum, ad quod non compellit metus cadens in conſtantem virum. Secus eſt in matrimonio, vbi metus tollit obligationē matrimonij, de quo ſuo loco dicetur. Et eſt caſus ille ſpecialiter à Deo exceptus, quia noluit ſic iurantem obligari. Singula prædicta melius declarat Gabriël. Omne autem iuramentum (vt idem vult Gabriël, concluſione prima) cum debitis circunſtantiis eſt licitum & ſæpè meritorium. Id quod eſt contra errorem Manichæorum hæreticorum dicentiū, quod in nullo caſu iurare liceret: moti verbis Saluatoris Matthæi quinto: Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Non periurabis, reddes autem Deo iuramenta tua. Ego autem dico vobis: non iurare omnino, & ſequitur. Sit ſermo veſter, eſt, eſt: non, non. Et Iacobi quinto, Ante omnia fratres mei, nolite iurare, neque per cœlum, neque per terram, nec aliud quodcunque iuramentum. Sed contra hoſce hæreticos probatur quod dictum eſt auctoritate ſcripturæ, facto Chriſti & Apoſtolorum, & ratione. Nam Deuteronomij ſexto dicitur: Dominum Deum timebis, & per nomen eius iurabis. & Matthæi quinto: Reddes Domino iuramenta tua. Reddimus autem Domino iuramenta ſecundum Auguſtinum, quando iuramus per Deum. Ad hoc innumeræ Doctorum auctoritates adduci poſſent. Sed maior eſt auctoritas Eccleſiæ quæ ſic determinauit in ca. Et ſi Chriſtus, de iureiurando.

Probatur

Probatur ex facto. Nam Deus iurauit per Angelos & ora Prophetarum. Vnde Gene.22.ait ad Abraham. Per memetipſum iuraui, quia feciſti hãc rem. Et frequenter habetur verbum hoc, viuo ego dicit Dominus. Et in Pſal. Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non fruſtrabitur eum. Item in nouo teſtamento frequenter Dominus ad confirmationem prædicatæ veritatis, addidit: Amen amẽ dico vobis, quod eſt fideliter, vel veraciter, ſiue in fide, aut in veritate, dico vobis, quod eſt iurare, quia eſt Deum in teſtem aſſumere, qui fidelis eſt & veritas. Et frequenter Paulus in Epiſtolis ad Rom.9. Veritatem inquit dico in Chriſto, non mentior. Et ad Philip.1. Teſtis eſt mihi Deus. Et 2.Cor.12. Coram Deo in Chriſto loquimur. Apoc.10. dicitur Angelum iuraſſe per viuentem in ſecula ſeculorũ. Et multa talia teſtimonia adduci poſſent. Probat & Gabriël. ratione ibidem, quem vide. Poteſt autem iuramentum eſſe actus bonus & licitus & honeſtus. Nam hæc teſtificatio fieri poteſt in bonum finem moralem vel theologicum. Moralem, dum fit propter certitudinem habendam humanarum aſſertionum, quæ eſt honeſta & neceſſaria humano conuictui. Theologicum, dum fit ad certificandum proximum in fide & doctrina ſalutis finaliter propter Deum. Latiùs probat Gabriël. Eſtque iuramentum actus latriæ, vt dictum eſt, quia adducitur Deus in teſtimonio veritatis tanquam veritas infallibilis & omnium cognitor. hoc autem eſt reuerentiam Deo exhibere, quia proteſtari & profiteri Deum eſſe ſummam & infallibilem veritatem, hæc autem pertinent ad cultum latriæ. Et ſi ille actus procedit ex charitate, & ordinatur in Deũ finaliter ſicut omnis actus charitatis tã Dei quàm proximi, eſt meritorius. Sed quod dicitur Matth. Ego dico vobis, non iurare omnino, quod & heretici pro ſuo errore confirmando adducũt, hac auctoritate intellexerũt omne iuramẽtum prohibitum Manichæi, & hoc ex ignorantia, vt dicit Bona. quia neſciebãt diſtinguere inter negationẽ præpoſitã ſigno vniuerſali & poſtpoſitum. Sed melius dicitur ſecundum Aug. li. cõtra mendaciũ, quod & ſi Dominus prohibuit omnem modum iurandi, ſiue per Deum, ſiue per creaturam, hoc non eſt ſimpliciter, ſed ex cauſa, hoc eſt, ex leuitate, non autem ex neceſſitate, ne, ſcilicet ex facilitate iurandi veniatur ad conſuetudinem iurandi, & à conſuetudine in periurium cadatur. Hinc Eccle.23. Vir multum iurãs, replebitur iniquitate. In re tamen vera, licita & honeſta non prohibetur iurare. Debet autem iuramentum fieri neceſſitate charitatis & vtilitatis proximi. Annumerat Alex. nouem cauſas comprehenſas ſub hac neceſſitate, quas vide apud Gabr. di.xxxix.ar.iij.dub.j.libr.iij. Sed quod dicit ſanctus Iaco. Nolite iurare, vbi non videtur prohiberi iuramentum, ſed iurandi voluntas. Nolite, id eſt non velitis, non voluntatem ſpontaneam habeatis, quoniam ad iurandum non debet quẽquam voluntas ſpontanea inducere, ſed neceſſitas trahere importuna. Hinc Aug. ad Hila. ait: Iurationem caue quantum potes, & hoc propter periculum conſuetudinis, & caſus in periurium, vt latiùs oſtẽdit Gab. & Aug. Et quod Dominus dicit. Sit ſermo veſter, eſt, eſt: non, non, &c. Dictis concordat, hoc eſt, ſi iurare cogeris, ſcias de neceſſitate venire infirmitatis eorũ, vtiq; quibus aliquid ſuades, quæ vtque infirmitas malũ eſt. Latiùs declarat Gab. Ex quibus ſumit ipſe hãc doctrinam, quod licet iurare per ſe malũ non ſit, tamen cauenda eſt ſummopere iurandi frequentia & conſuetudo etiam in ſermonibus veritate ſubnixis, nec mediocriter laborandum eſt vt cõſuetudo hæc vincatur. Difficilè enim eſt ſecundum Auguſtin. iurandi conſuetudinem extinguere, vnde ſanctus Bonauen. diſtin. xxxix. quæſtio.j. libr.iij. Aſſiduitas iurandi minuit reuerentiam veritatis, & quodammodo diſponit ad aſſertionem falſitatis. Vnde ad iuramentum quis non debet ire vltroneus, ſed coactus, neque præter neceſſitatem non eſſe iurandum ibi oſtendit ſanctus Bonauentura.

Iurare item per creaturam in ſimplici iuramento licitum eſt, ſi iurans habeat cum iurandi neceſſitate intentionem bonam nihil attribuendo creaturæ aliquid numinis, vel aliquid cognitionis, ſcilicet ſecretorum attribuendo vel infallibilitatem, quod eſſet mala intentio, & ſic peccaret. Et ideo Iudæis tanquam paruulis prohibitum eſt, ne per creaturam iurent, & conceſſum iurare per Deum, ne honor Deo attribuendus, ſcilicet veracitas & infallibilitas creaturæ attribuatur. Et ſecundum hoc intelligendi ſunt canones & patrum dicta prohibentia iurare per creaturas. Et propter eandem cauſam non eſt iurandum per idolum aut diabolum, ne diuina reuerentia transferatur ad idolum. Et de hoc bene loquitur Alexan. parte iij. quæſtio. xxxj. membr. iij. articul. iij. Videatur poſt eum Dominus præpoſitus Gabr. qui plura ſcribit diſtinct. xxxix. quæſtio. vnica. artic. ij. concluſione. iij. li. iij. Omne quoque iuramentum ſuis comitibus debitè circunſtantionatum obligat iurantem ad verificandum quod iurauit, ſaluis conditionibus generalibus quas in iuramento ſubintelligi ius commune voluit. De quo latiùs vide Gabr. concluſione ix. vbi ſupra. Et quia teſtimonium Dei inducitur in iuramento, maximè ei debetur reuerentia, & propter hoc pueri ante annos pubertatis, furioſi & fatui, ſimiliter & periuri prohibentur à iuramento, in quibus tenendũ eſt ne debitam habeant vel præſteut reuerẽtiam. Et quia non indiget hominis dictum confirmare, niſi quia de eius veracitate dubitatur. Derogat autem huiuſmodi dubitatio dignitati perſonæ, ideo perſonis magnæ dignitatis non conuenit iurare, vt ſunt ſacerdotes & religioſi, qui niſi magna neceſſitate aut vtilitate iurare nõ debẽt, vt docẽt canones. Similiter clericus laico iurare non debet niſi in certis caſibus. Iurandum autem eſt per Deum, etiã per creaturã, ſed nõ niſi inquantum in ea relucet aliquod veſtigium Dei. Et maximum iuramentum cæteris paribus (inquit Scotus) eſt iurare per Deum, quia nihil aliud licitè iuratur, niſi inquantum in ipſo ſpeciali modo eſt Deus. Ponit autem Alex. de Anglia. ix. cauſas quare iuramentũ fieri debeat ex neceſſitate. Prima eſt, pro veritate fidei, aut doctrinæ, aut aliàs vtili cõfirmãda. Secũda, pro veritate declarãda aut manifeſtãda. Tertia, pro amicitia contrahenda. Quarta, pro pace reformanda. Quinta, pro fidelitate ſeruanda. Sexta, pro obedientia & ſubiectione recognoſcenda. Se-

da. Septima, pro conſuetudine Eccleſiæ, ſtatutis, & lege ſeruandis. Octaua, quæ cum ſequenti eſt propter malum cauendum, propter calumniam cauendam: vt fieri ſolet in conteſtatione litis, & in cautione pacti ſeruandi aut debiti ſoluendi. Nona, pro infamia purganda. Has cauſas Gabr. recitans declarat melius, & probat per ſcripturam. Pro bono quoque publico licet accipere iuramentum ab idolatris, quia bonum publicum etiam ordinatur ad ſpirituale. Nam pax Eccleſiæ multum promouet bonum ſpirituale, maximè in infirmis. Ita Iacob pro bono ſuæ poſteritatis recepit iuramentum à Laban idolatra, & Iudas Machabæus à Romanis pro vtilitate gentis ſuæ. Sic Chriſtiani accipiunt hodie iuramenta à Saracenis, non autem pro vtilitate temporali vel perſonali, quia ſic præponenda eſt ſalus animæ commodo temporali, nec idolum eſt venerádum, hoc enim idolatrare eſſet. Vide latiùs Alexandrum & Gabriëlem. Vel fortè dici poteſt ſicut in vſura, quod quis cogente neceſſitate, poteſt bene vti peccato alterius, non quidem peccato ſub ratione peccati, ſed actu alterius qui fit ab alio peccato. Nec iurandum eſt Dominicis diebus & ſolemnibus, niſi ex magna neceſſitate: in illis enim diebus ſpiritualibus vacandum eſt, vt habetur in c.j. de feriis. Sic etiam in aliis ſacris diebus in quibus inſiſtendum eſt ſpiritualibus, vt in ieiunio & quatuor temporum, vt declarat latiùs Dominus præpoſitus Gabr. Conſuetudo verò omittens iuramenta tempore æſtiuo propter grandines & tempeſtates, vana eſt & ſuperſtitioſa, impia & iniuſta, quia malè videtur ſentire de Deo qui potens eſt vlciſci. Ita in granario & cellario ſicut in campo. Ita in ſemine ſicut in germine, vt fuſius declarat Gabriël. Et actus iurandi qui veſtitus eſt omnibus circunſtantię comitibus, ſecũdum dictamen rectæ rationis eſt bonus, qui verò habet circunſtantiam oppoſitam & vitioſam, eſt malus, vel qui caret aliqua circunſtãtia ad eius bonitatem neceſſariò requiſita, & actus exterior iurandi denominatur bonus vel malus vel indifferens. Vide latiùs Gabriëlem poſt Scotum diſtinctione trigeſimanona, quæſtione ſecunda, libro tertio: & quando iuramentum vel actus iurandi ſit peccatum vel non. Et multa alia de iuramento apud alios legere potes, & apud Iuriſconſultos. Sed hæc pauca ſufficiant: volui enim iſtum librum non excedere in quantitate, ſed paruum eſſe & pro incipientibus theologiæ ſtudere.

Iurgium idem eſſe videtur cum rixa, ſecundum ſanctum Thomam, ſecunda ſecundæ, quæſtione quadrageſimaprima, articulo ſecundo. Differunt tamen iurgium & lis, quod iurgium leuior res eſt, ſiquidem inter beneuolos & propinquos concertatio quædam iurgium dicitur. Inter inimicos autem lis appellatur. Cicero: admiror non rerum ſolùm, ſed etiam verborum elegantiam ſi iurgant beneuolorum concertatio, non lis inimicorum iurgium dicitur, &cæt.

Iuriſdictio eſt facultas atque poteſtas iuriſdicundi. Ius dicere enim eſt præeſſe iuridicundo, & legibus gubernare, ac iuſtitiam miniſtrare. Iuriſdictio (vt ſcribit Magiſter Ioannes Gerſon parte quarta, in deſcriptione terminorum ad theologiam vtilium) eſt poteſtas dãdi ius, hoc eſt, execrandi quod iuſtum eſt. Iuriſdictio politica eſt iuriſdictio coërciua alterius, vel vt alterius etiam inuiti. Et (vt idem ſcribit parte prima, de origine iuris & legum, cõſiderat. xiij.) iuriſdictio deſcribitur vel interpretatur, quod eſt iuriſdictio, id eſt, poteſtas ſeu facultas exercendi ius. Vel dicitur iuriſdictio quaſi iuris dictio, id eſt pronunciatio ſeu promulgatio iuris. Et eſt quadruplex iuxta quadruplicem legem, diuina ſcilicet, naturalis, canonica, ciuilis. Itaque iuriſdictio diuina eſt poteſtas exequendi ius quod competit alicui ſecundum legem propriam diuinam, & hoc in alterum vel tanquam in alterum. Non enim propriè dicitur habere quis iuriſdictionem in ſemetipſum, niſi fortè conſideretur tanquam alter ſit, vt vellent aliqui de pœnitentia dicere, proportionabilis eſt deſcriptio triplex, triplicis alterius iuriſdictionis ſecundum triplicem legem. Diuiditur autem iuriſdictio quandoque in coerciuam, quæ ſcilicet fertur in inuitum, & directiuam ſeu regulatiuam & ordinariuã, qualis fuiſſet etiam in ſtatu innocentiæ, & qualis eſt ſapientis ad inſipientiores, & perfectioris ad imperfectiorem, vt in angelis etiã poſuit Dionyſ. hæc Gerſon. Et eadem infra de auferibilitate Papæ ab Eccleſia, & de vita ſpirituali animæ, lect. iij.

Ius vt ſcribit Gerſon parte prima de origine iuris & legum, eſt poteſtas ſeu facultas propinqua conueniens alicui ſecundum dictamen primæ iuſtitiæ. Idem lect. iij. de vita ſpirituali animæ.

Ius diuinum ſecundum eundem parte quarta, in deſcriptionibus terminorũ ad theologiam vtilium, eſt ius competens alicui ex lege diuina.

Ius euangelicum eſt ius competens alicui ex lege charitatis, inquit Gerſon.

Ius ſecundum Ariſtotelem primo Politicorum, eſt ordinatio ciuilis ſocietatis. Vel eſt quod vel natura, vel ciuitas, vel populus, vel gens, vel conſuetudo iubet.

Ius diuinum & Euangelicum idem ſunt ſecundum Gerſonem parte ſecunda, in recommendatione licentiandorum in Decretis. Sunt autem quatuor genera talium, quæ propriè dicuntur ad ius diuinum & Euangelicum pertinere. Primum genus eſt eorum quæ continentur expreſſe in textibus canonicæ ſcripturæ, vt quod in principio fecit Deus cœlum & terram. Secundum, eſt eorũ quæ cõſequuntur conſequenter clarè in conſequentia neceſſaria, & euidenti apud omnem vtentem ratione ex eis quæ ibidem continentur. Tertium, eſt eorum quæ licèt non ſequantur in conſequentia clara apud omnes vtentes ratione, vel aliunde doctos, tamé apud exercitatos in ſacris literis conſequentia iudicatur optima vel ſequela. Quarta, eſt eorum quæ per reuelationem factam Eccleſiæ conſtant, & hoc vel expreſſe & manifeſtè per Prophetas ſeu miraculoſas atteſtationes. Vel implicitè per communem atteſtationem totius Eccleſiæ vel concilij generalis eam ſufficienter repræſentantis, ac per ſucceſſionem legitimam deriuatam ad poſteros per eos qui tales reuelationes habuerunt manifeſtè. veritates omnes aliæ tantò dicuntur magis pertinentes vel imper-

impertiuentes ad theologiam & ſuos profeſſores quanto proximius vel remotius poſſunt inferri ex prædictis. Hæc Gerſon. Vide eundem lectione iij. Cor.vij. de vita ſpirituali animæ.

Ius poſitiuum dicitur & humanum, & ſunt conſtitutiones humanæ. De illo iure Gerſon parte.ij. in recommendatione licentiandorum ſcribit, dicens. Vt igitur pœnæ variæ pro variis delictis ferrentur, neceſſe fuit, quemadmodum pro diuerſitate morborum ordinant medici diuerſitatem remediorum particularium. Conſtat autem huiuſmodi conſtitutiones arbitrarias eſſe vt plurimum, quæ licet inſtitutiones conformitatem quandam habeant ad legem diuinam in hoc quod non ei palam diſſonant, alioquin eſſent iniquæ, nihilominus nõ ita pertinẽt ad eam quin aliæ pœnæ poſſent ęqualiter ſtantibus illis principiis conſtitui, & hoc eſt ius quale appellamus purè poſitiuum vel humanum.

Ius naturale eſt quod vbique eandem vim habet, non quia ſic videatur vel non ſecundum Ariſt. li.j. Politicorum. Vel ius naturale dicitur quod eſt commune omnium nationum, eò quòd vbique inſtinctu naturæ, non conſtitutione habetur aliqua. Et ius naturale (vt ſcribit San. Bonauen. di.xxvj.ar.j. q.iij.li.iiij.) Quædam dictat ſimpliciter, vt Deum amandum. Quædam ſecundum tempus, vt omnia eſſe communia. Et ius naturale vel diuinum Papa tollere vel mutare non poteſt. Et ſecundũ Richar. di.xxxiij.ar.j.q.j.lib.iiij. Ius naturale eſt quod natura docuit omnia animalia, & ſic lex naturalis eſt quam naturalis ratio practica obſeruandum in agibilibus conſtituit.

Ius naturale dicitur tripliciter. vt ſcribit San. Bona. diſt.xxxiij.qu.j.art.j.lib.iiij. ſcilicet, communiter, propriè, & magis propriè. Et ſecundum hoc tripliciter diffinitur ab Iſid. Vno modo ſic, ius naturale eſt quod in lege & Euangelio cõtinetur, ſic diffinitur in principio Decreti. Sic habere cõcubinam eſt contra ius naturale, quia eſt cõtra legem & Euangelium. Vnde Deute.22.dicitur. Non mechaberis, vbi prohibetur omnis concubitus nõ matrimonialis. Et 1.Corinth.7.dicit Apoſtolus. Habeat vnuſquiſque ſuam vxorẽ, propter fornicationem, &c. Secundo modo dicitur propriè, & ſic diffinitur in principio Decretorũ. Ius naturale eſt quod eſt commune nationum, & hoc ius eſt quod dictat ratio recta. Tertio modo dicitur ius naturale propriiſsimè, quod natura docuit omnia animalia. De quo ſanctus Bona. vbi ſupra. Et aliquid dicitur eſſe de iure naturæ dupliciter, ſecundum Richar. di.xxvj.ar.j. q.j.lib.iiij. Vno modo illud quod cauſatur ex naturali neceſsitate non cooperante voluntate, niſi illius qui naturã inſtituit: & ſic dicimus quod de iure naturæ ignis eſt aſcendere ſurſum, ſic matrimonium non eſt de iure naturæ. Alio modo dicitur eſſe de iure naturæ illud ad quod natura inclinat, quamuis per lib.ar. perficiatur, ſecundum quem modũ actus virtutum dicuntur de iure naturæ. Et ſic matrimonium eſt de iure naturæ, quia ad ipſum inclinat natura generis & ſpeciei per comparationem ad principalem eius finem, qui eſt bonũ prolis, & per comparationem ad ſecundarium, qui eſt mutuum obſequium in rebus domeſticis, &c.

Ius ciuile eſt quod eſt ſociale ad vitam, & ſufficiens ſit ad libertatem & ęqualitatem, vel ſecũdum proportionem, vel ſecundum numerum, vt vult Ariſt. v. Ethicorum. Vel ius ciuile eſt quod quiſque populus, vel ciuitas ſibi proprium diuina, humanaque cauſa conſtituit, vt habetur di.j. circa principium.

Ius gentium eſt ſedium occupatio, ædificatio, munitio, bella, captiuitates, ſeruitutes, poſtliminia, fœdera pacis, inducię, legatorum nõ violandorũ, religio, connubia inter alienigenas prohibita, hoc inde iuſgentium, quia eo iure omnes ferè gentes vtuntur, vt habetur di.j. Iuſgentium.

Ius militare eſt belli inferendi ſolemnitas, fœderis faciendique nexus ſigno dato, egreſsio in hoſtem, vel pugnæ commiſsio. Item ſigno dato receptio, vt habetur diſt.j. Ius militare.

Ius primò impoſitum eſt ad faciẽdum rem iuſtam. Secundò, artem qua cognoſcitur. Tertiò, locum. Quartò, id quod redditur à iudice, ex San. Tho.ij. ij. quæſt.lvij. artic.j.

Ius & æquitas differũt, quod ius omnia recta & inflexibilia exigit. Aequitas verò eſt quę de iure multum remittit, ſecundum Donatum ſuper Teren. Differunt & ius & fas. Fas propriè eſt lex diuina: Ius verò eſt lex humana, ſecundum San. Tho.ij.ij. q.lvij.ar.j. Differunt & ius & lex, quia ius generale nomen eſt, lex verò iuris eſt ſpecies, ſecundum Iſidorum lib. Etymol.

Iuſpatronatus eſt poteſtas præſentandi clericum ad beneficium Eccleſiaſticum, ſecundum Tho.iiij.ſen. di.xxv.qu.iij.ar.ij.

Iuſtitia ſecundum Richar. li.iij.diſt.xxxiij.artic.v. qu.iij. prout eſt virtus, poteſt capi quatuor modis. Vno modo communiſsimè, ſcilicet pro qualibet rectitudine animi, ſiue in declinãdo à malo, ſiue in faciendo bonum, & ſic eſt quædam virtus iuſtitia generalis, ſecundum quam quilibet homo Sanctus dicitur iuſtus, vt dicit San. Bonauen. di.xxxiij.lib. iij. circa tex. Sic dicitur Mat.6. Attendite ne iuſtitiã veſtram faciatis coram hominibus. Quandoque capitur iuſtitia pro ſeueritate, vt apud eundem Bona. videri licet, & ſic diſtinguitur cõtra miſericordiam. Alio modo capitur iuſtitia pro rectitudine, per quam homo iuſtificatur in cõſpectu Dei, & ſic ſumitur pro charitate. Ita accepit Auguſt.lib.lxxxiij. qu. Iuſtitia quæ per cætera diffunditur eſt dilectio Dei & proximi. Tertio, pro qualibet virtute ordinata per iuſtitiam legalem ad bonum commune, & ſic eſt idem cum qualibet virtute, differens tamen ſecundum rationem. Quarto, pro habitu determinante voluntatem ad firmiter ſeruare volendum rectitudinem debitam in operantibus, quę ſunt ad alterũ. Et poteſt eſſe dupliciter. Vno modo ad alterũ qui eſt perſona ſingularis, & ſic eſt iuſtitia particularis diſtincta ab aliis virtutibus. Alio modo ad alterum quod eſt communitatis, & ſic eſt iuſtitia legalis, & omni virtute generaliter inquantum præcipit opera exteriora, & exteriora cuiuſlibet virtutis ad bonum commune referri, ſecundum quod dicit Philoſophus.iij. Ethi. Vnde Cicero ſic diffinit in antiqua rethorica. Iuſtitia eſt habitus animi bonus communi vtilitate ſeruata, cuilibet quod eſt ſuũ tribuẽs. Capitur & aliàs pro ipſo iure, quod

eſt ſua iuſtitia, & etiam pro actu reddendi vnicuiq; quod ſuum eſt, & ad gaudendum de opere iuſto, quia vt dicit Philoſophos j. Ethicorum. Neque iuſtum aliquis diceret non gaudentem operatione iuſta. Primo modo iuſtitia non eſt virtus, ſed eſt obiectum iuſtitiæ virtutis. Secundo modo eſt actus virtutis. Tertio modo eſt virtus, & hoc modo capitur quatuor modis, vt ſupra dictum eſt.

Iuſtitia ſecundum Dominum præpoſitum Gabr. di. xxxiiij. qu. vnica. ar. j. libr. iij. eſt virtus dirigens appetitum vt ſe bene habeat in ordine ad alterum. Poteſt autem quis ſe habere ad alterum dupliciter. Primò communicando ſe alteri quantum poteſt ſe illi communicare. Secundò, communicando illi aliquid aliud quàm ſe, vt communicando ſua. Virtus inclinans ad primum actum dicitur amicitia qua quis ſeipſum dat proximo quãtum poteſt ſe dare, & quantũ proximus poteſt eum habere. Et hæc eſt perfectiſſima virtus moralis, quia virtus iuſtitiæ ſimplicior, eſt perfectior virtute bene ordinante hominẽ ad ſeipſum, & hæc amicitia eſt perfectiſſima ſpecies iuſtitiæ. Si autem cõmunicet proximo aliud à ſe, aut erga bona extrinſeca, vel bona intrinſeca, aut bona pertinẽtia ad conuictum humanũ, ſiue ad vitam humanam. Iuſtitia ordinans circa bona extrinſeca, quibus homines indigent communicatione, dicitur iuſtitia commutatiua. Et frequentius dicitur iuſtitia pro tanto quod ea quæ ſic communicantur comitãtur illi qui communicat in aliquod æquiualens. Si autem communicet aliquid neceſſarium ad conuictum, id eſt ad ſimul in aliqua com munitate ciuili vel domeſtica viuendum. Aut ergo eſt regimen, & hoc conuenit præſidenti, & hęc ſpecies eſt innominata, poſſet tamen dici præſidentia vel denominatio iuſta. Aut communicat ei ſubiectionem iuſtam, hæc nominatur obedientia. hæc Gabr. Videatur de hoc Rich. di. xlvj. ar. j. q. j. li. iiij.

Iuſtitia ſecundum alios deſcribitur. Iuſtitia eſt habitus per quem iuſtorũ operationes fiunt, & per quẽ agunt & volunt res iuſtas. Ariſt. v. Ethicorum. Vel eſt virtus qua ſingula ſua ſecundum leges poſſidet. Idem libr. j. Rheto. & eſt virtutum præclariſſima. Et ipſa eſt omnis virtus, ſecundũ eundem vj. Ethi. Iuſtitia ſecundum Cice. j. Offi. eſt ſplẽdor magnus, ex quo viri boni nominantur, cuius munus præmium eſt, ne cui quis noceat niſi laceſſitus iniuria, deinde vt communibus pro communibus vtatur, priuatis vt ſuis. Et lib. iij. Rheto. idem ait. Iuſtitia eſt æquitas ius vnicuique tribuens pro dignitate cuiuſque. Et ſecundum Macro. Iuſtitia eſt ſeruare vnicuique quod ſuum eſt. De iuſtitia veniunt innocentia, amicitia, concordia, pietas, religio, affectus, humanitas. His virtutibus vir bonus præmium ſui, atque deinde reipublicæ rector efficitur. Et Vlpianus. Iuſtitia eſt conſtans & perpetua voluntas, ius ſuum cuique tribuens. Iuſtitia vt inquit Paulus Corteſius libr. 3. ſuarum ſententiarum diſt. viij. eſt vitiorum libripendix quę hominum actiones ad perpendiculum & amuſſim dirigit. Et eſt duplex. Vna, quæ eſt diſtributrix, altera commutatrix, de quibus paulò põſt dicetur. Iuſtitia ſecundum Gerſonem parte iiij. in deſcriptionibus terminorum ad Theologiam vtilium, eſt virtus moralis, inclinans reddere debitum alteri, vel vt alter eſt ſecundum rectam rationem. Iuſtitia ſecundum Auguſtinum, eſt virtus tribuens vnicuique quod ſuum eſt. Quæ diffinitio inquit Gerſon parte ij. de ſeptem virtutibus, conuenit iuſtitiæ tam ſecundum ſtatum viæ, quàm ſecundũ ſtatum patriæ. Eſt alia diffinitio Auguſtini: Iuſtitia eſt ſubuenire miſeris. Conuenit iuſtitiæ tantum ſecundum ſtatum viæ. Ponuntur autem ſecundum Magiſtrum in iij. lib. duo eius actus, ſcilicet actus eius in patria, qui eſt Deo regenti ſubeſſe, & actus eius in via, qui eſt miſeris ſubuenire, hi ſunt actus generales, & dare vnicuique quod ſuũ eſt, ad quos tenẽtur omnes. Sunt & ſpeciales eius actus, ſcilicet, ſoli Deo deſeruire, vel ſubuenire miſeris, & iniquos moribus corrigere & punire. De quo latiùs Gerſon vbi ſupra. Et ſecundum eundem parte ij. de ſollicitudine Eccleſiaſticorum. Iuſtitia amplè ſumpto vocabulo comparatur ad Deum & ad proximum, immo & ad ſeipſum ſicut ad alterum, prout in pęnitentia fit dum ſpiritus carnem ſubiicit ſeruituti. Iuſtitia ſecundum eundem parte j. de origine iuris & legum, & parte iij. de directione cordis, eſt perpetua & conſtans voluntas, ius ſuum vnicuique tribuens. Hæc autem deſcriptio competit principaliter iuſtitiæ diuinæ in ordine ad ſuas creaturas. Deus nempe ſolus eſt, qui voluntate perpetua & conſtanti dat vnicuique rei quod ſuum eſt, ſuum inquam non ex debito rigoris, ſed ex liberaliſſima & digniſſima donatione creatoris, & in directione cordis. Hinc conſurgit ordo qui eſt parium diſpariumque rerum ſua vnicuique tribuens diſpoſitio. Hinc conſequenter oritur pax, quæ nihil aliud eſt quàm ordinis tranquillitas, propterea bene dicitur, quod opus iuſtitiæ eſt pax, &c.

Iuſtitia diuina vt ſcribit ſanctus Bonauen. diſtin. xxxij. artic. iij. quæſt. ij. libr. ij. dupliciter conſueuit accipi. Vno modo dicitur iuſtitia ipſius diuinæ bonitatis condecentia. Alio modo dicitur iuſtitia prout conſiderat meritorum exigentiam. Si primo modo accipitur, decet diuinam iuſtitiam animam rationalem infundere carni ex Adam propagatæ, tum ex hoc quod eſt rerum conditor, tum ex hoc quod eſt prouiſor ſiue adminiſtrator. Diffuſius de hoc ibidem ſanctus Bonauentura & de qua videri poteſt Scotus diſtinctione xlvj. quæſtione j. libr. iiij. Et hæc diſtinctio vt notat Scotus, poteſt haberi ab Anſel. proſol. x. vbi loquens ad Deum dicit. Cùm punis malos, iuſtum eſt, quia illorum meritis congruit, & ſubdit. Cùm parcis malis, iuſtum eſt: non quia illorum meritis, ſed quia tuæ voluntati vel bonitati condecens eſt. Et tanta eſt illorum membrorum diſtinctio, quod Deus contra primam iuſtitiam operari non poteſt, nec præter eam, ſed præter iuſtitiam ſecundam poteſt operari, licet nõ vniuerſaliter, quia non poteſt damnare iuſtum vel beatum. Hæc Scotus. Et (vt idem ait) in Deo non eſt niſi vnica iuſtitia re & ratione. Tamen præter illam extendendo iuſtitiam, poni poteſt aliqua iuſtitia, vel magis aliquod iuſtum in creaturis. Mira quoque iuſtitia Dei in hoc oſtenditur, vt ſcriptis reliquit Sanctus Bonauentura diſtinctione ſexta, quæſtione prima, libro ſecundo, quæ tantam ſeruat iuſtitiam

ſtitiam, vt ordinem inſtitutum nullo modo infringat, tantum peccatum odit vt propter peccatum quos chariſſimos reputauit, abiiciat. Vnde credo inquit quod tam ſpectandum monſtrum diuinæ ſeueritatis in Angelo nobiliſſimo & primo homine, quorum vtrumque propriis manibus pſalmauit & decorauit, Deus nobis infirmis præpoſuit & oſtendit, vt addiſcamus quantû Deus odit peccatû, & maximè ſuperbiam, quod pro vno motu cordis nobiliſſima creatura omnium creaturarum æternaliter & ſine ſpe venię eſt damnata, & pro vno eſu pomi & ipſe Adam & tota poſteritas vſque ad finem mundi eſt mortalitati & multiplici pœnalitati ſubiecta, & niſi Dominus reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus. Ex his efficaciſſimû relinquitur argumentû, quod horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis. Si enim Deus non pepercit nobiliſſimo Angelo ſuperbienti, quid erit de viliſſimo cinere & abiectiſſimo in altum ſe extollenti, cùm iacere debeat in cinere & cilicio, imò in ipſo ſterquiliuio. Hæc San. Bona.

Iuſtitia hominis tota qua acquiritur regnum cœlorum conſiſtit in tribus, ſcilicet in munditia cordis, & operatione bonorum, & patientia in aduerſis propter Deum, quæ quidem tria (vt ſcribit Iaco. de Valentia Pſal. 4.) maximè debemus quærere à Deo, vt ibidē oſtendit. Et vera iuſtitia cōſiſtit in corde, locutione, & operatione exteriori, & hoc tam in præceptis affirmatiuis, quàm negatiuis, vt idē ſcribit Pſal. 14. Propter quod iuſtitia Euangelica excellit & præſtat iuſtitiam ve. legis, nā hæc prohibebat manum, & operationem malam. Sed iſta prohibet animum & linguam, & manû, ſcilicet propoſitum, & locutionem, & operationē malam, &c. Iuſtitia erga proximum in nouē conſiſtit, ſcilicet, in tribus circa perſonam, in tribus circa famá, in tribus circa bona temporalia. Vide eundem ibi. Differt autem iuſtitia ab aliis virtutibus. Nam omnes alię virtutes faciunt hominem perfectum & bonum virum, eò quòd ſunt hominis ad ſeipſum, ſed iuſtitia eſt ad alterum, vt in diſtributionibus & commutationibus, & vt conuiuitur cum aliis. De quo conſulas latiùs Iacobum de Valentia Pſal. 100. Et ſecūdum Ariſt. v. Ethi. & refert Iacobum de Valen. Pſal. 19. Iuſtitia dicitur à iuxta. Vnde illud dicitur iuſtum quod fit iuxta aliquod principium regulatiuum, & rectificatiuum, & menſuratiuum. Vnde ſicut opus domificationis & cuiuſcunq; alterius artis, redditur iuſtum & rectum quando fit iuxta illam regulam menſuratiuá, cum qua fabricatores menſurant ſua opera, ita pariter operationes humanæ redduntur & dicuntur iuſtæ, quando fiunt iuxta aliquam legem & regulam, & cōformantur & adęquantur illi legi & principio regulatiuo. De quo latiùs vide Chriſto. Epiſcopum vbi ſupra, & Pſalm. 45.

Iuſtitiæ diuiſiones.

Iuſtitia eſt triplex, vt notat Brulefer di. v. q. v. li. ij. ſcilicet, innata, acquiſita, & infuſa. Iuſtitia innata vel naturalis eſt ipſa voluntas noſtra vel rectitudo naturalis. Vel ipſamet libertas voluntatis, quæ naturaliter inclinatur ad bonum honeſtum. Iuſtitia acquiſita poteſt dici quęcunq; virtus moralis per quá poſſumus rectè agere, & hoc modo iuſtitia eſt virtus communis. Iuſtitia infuſa quæ dicitur gratuita, id eſt charitas. Et dicitur Theologicalis, quæ nominatur charitas, & eſt decor omniū virtutum, & eſt ſufficiens ad beatitudinem, &c.

Iuſtitia Quædam eſt legalis, quædam particularis, vt & notat Iaco. de Valentia Pſal. 17. Iuſtitia legalis cōſiſtit in operationibus quæ fiunt ſecundū legem, ſiue iuxta legem. Nam iuſtitia (vt ſuprà dictum eſt) dicitur à iuxta. Et illa operatio dicitur iuſta quæ fit iuxta legem, eò quòd nō deuiat à lege, nec à voluntate legiſlatoris, qui intendit ciues facere bonos, & ſic iuſtitia dicitur omnis virtus. Iuſtitia verò particularis eſt duplex, ſcilicet, commutatiua, & diſtributiua. Vnde Richar. diſt. xlvj. ar. j. qu. j. lib. iiij. ita ſcribit. Iuſtitia accipi poteſt ſecūdum rectitudinem voluntatis, qua vult aliquis reddere vnicuique in diſtribuendo vel commutando quæ eum decet. Et Iuſtitia diſtributiua eſt qua aliquis vult omnibus qui ſunt de communitate diſtribuere bona communia ſecundum debitam proportionis æqualitatem. Et vt ait Iacobus de Valentia. Hæc iuſtitia fit in diſtributione dignitatū & præmiorum & bonorum communium iuxta meritum & proportionē meritorum, ſecundum menſuram, & proportionem laborum, & virtutum, & hoc fit comparando res & perſonas ſecundum proportionem geometricam, vt dicitur. v. Ethico. Iuſtitia commutatiua eſt qua aliquis in commutando vult ſeruare debitam ęqualitatem ſecundum quantitatem, vt inquit Richar. vbi ſupra. Et hæc eſt quædam potentialis pars qua aliquis vult ſeruare in commutando debitam ęqualitatem non ſecundum quantitatem, ſed ſecundum proportionē, & illa iuſtitia (vt dicit Iaco. de Valen. vbi ſuprà.) fit in commutationibus & venditionibus, quæ cōſiſtit in proportione & ęqualitate commutatorum, quia dicitur cōmutatio iuſta quando fit iuxta medium rei ſecundum proportionē arithmeticam, ſcilicet quod vnum commutatum nō excedat alterum in pretio, vt dicitur v. Ethicorū. Et commutatiua iuſtitia propriè loquendo (vt inquit Richar.) in Deo non eſt, quia nulli eſt debitor ex legis neceſsitate, & tantum ſecundum quātitatem de bono tribuit vltra meritum, & de malo citra demeritum. Iuſtitia verò diſtributiua in Deo eſt, omnibus enim diſtribuit bona ſua ſecundum debitam proportionis æqualitatem. Hæc & alia Richardus. Vtrique iuſtitiæ aduerſatur lętifera peſtis, vt ſcribit Gerſon de directione cordis, conſideratione iij. Contrariatur enim commutatiuæ contractus vſurarius quo ad temporalia, & ſimoniacus quo ad ſpiritualia. Porrò iuſtitiam diſtributiuam vulnerāt & inficiūt promotio, remuneratioq; malè meritorum in republica Eccleſiaſtica, & ſpirituali. Eſt itaque triplex iuſtitia, ſcilicet, legalis, commutatiua, & diſtributiua. Iuſtitiæ diſtributiuæ (vt inquit Gerſon parte j. de origine iuris & legum) cōtrariantur promotiones indignæ, & intruſiones in officiis reipubli. & beneficiis Eccleſiæ. Commutatiuæ autē contrariantur contractus illiciti, vſura & fraus in temporalibus: Simonia & Giezia in ſpiritualibus, de quo paulò antè dictum eſt.

Iuſtitia Quędam eſt eſſentialis & primaria, altera eſt participata ſeu deriuata & attributiuè dicta. Eſſentialis

I V

tialis deſcripta eſt ſupra quæ eſt perpetua & conſtãs voluntas, ius ſuum vnicuique tribuens. Iuſtitia participata ſic deſcribitur ſecundum Magiſt. Ioannem Gerſo. de origine iuris & legis, eſt habitus vel tanquã habitus cõformis diuinæ iuſtitiæ, eiuſq; imitatiuus per participationem, quo habitu inclinatur habens eam facere ius vel reddere, ita quod ius eſt velut actus, vel vſus, vel effectus, vel titulus talis iuſtitiæ. Rurſus de iuſtitia ſic participatiuè dicimus, quod quædam eſt iuſtitia originalis, quędam regni cœleſtis, vt ibi. Primum quęrite regnum Dei & iuſtitiam eius. Et hæc eſt duplex. Quædam gloriæ, quædam gratiæ, &c.

Iuſtitia originalis vt ſcribit Bruleſer diſt. j. parte ij. quæſt. j. libr. iiij. eſt quidam habitus ſupernaturalis immediatè à Deo infuſus ipſi animę Adę facięs perfectam pacem & tranquillitatem inter partem ſenſualitatis, & rationem, & voluntatem, & partem intellectualem, & iſtud donum quo ad aliquid erat nobilius habitu charitatis, quia faciebat perfectam pacem inter partẽ ſuperiorẽ, & inferiorem. Tamen ſimpliciter donum charitatis eſt nobilius, cùm per ipſum anima reddatur chara & amica Deo, quod non faciebat iuſtitia originalis. Itẽ Adam receperat donum originalis iuſtitię pro ſe & pro tota ſua poſteritate, ideo ſumus debitores, quia ſi nõ habemus hoc, non prouenit ex defectu ipſius Dei dantis, ſed ipſius recipientis, qui non cuſtodiuit. Et iuſtitia originalis in primo homine (vt idem vult di. xxx. lib. ij.) erat quaſi fręnum, quo mediante ipſa anima regebat corpus ad imperium ſuæ voluntatis ſine rebellione, ſed cum omni fœlicitate. In nobis autem illud fręnum ablatum eſt, ideo anima non regit ſecundum rectam rationẽ niſi cum magno labore & difficultate, & hoc propter abſentiam iuſtitiæ originalis. Bruleſ. Et communiter ſecundum Doctores, iuſtitia originalis hunc ponitur habuiſſe effectum, ſcilicet facere perfectã tranquillitatẽ in anima quantum ad omnes potentias, ita quod naturaliter inferior non inclinaretur contra iudicium ſuperioris, aut ſi inclinaretur quantum eſt ex ſe, poſſet tamen ordinari & regulari ſine difficultate ſuperiorum, & ſine triſtitia inferiorum & per hoc tollere rebellionem ſenſualitatis quo aduerſatur rationi ac voluntati regulatæ, vt Dominus Prępoſitus Gab. di. xxx. q. j. li. ij. ſcribit, & iuſtitia originalis ſecundum eundem eſt ſupernaturale bonum Dei infuſum voluntati primi parẽtis. Itẽ omnis rebellio appetitus inferioris ablata eſt per iuſtitiã originalẽ, etiã in viribus inferiorib⁹, ita quod etiã potẽtiæ inferiores ex parte ſui delectabiliter obediebant rationi, &c. De quo latiùs conſulas Gabr. Et q. ij. vbi ſupra. Iuſtitia dupliciter dicitur eſſe debita. Vno modo quia in ſe accepta, & actione accipientis amiſſa. Alio modo quia accepta in alio, & actione alterius amiſſa. Primo modo peccatum actuale eſt carentia iuſtitiæ, ſecundo modo originale. Vnde magis comparatur peccato quaſi quieſcenti in animo poſt actum trãſeuntẽ quàm peccato actuali quod elicitur à voluntate peccante. Cùm autem pater Adam tranſgreſſus eſt præceptum peccato ſuo perſonali, nudauit ſe & poſteritatem ſuam iuſtitia debita. Omnis ergo poſteritas rea tenetur ex iuſtitia originali, quam habere debet & ea caret, &c. quare omnes filij iræ naſcimur, &c. Plura de hoc Dominus Præpoſitus Gabri. De hac iuſtitia originali legito Gerſonem parte iiij. ſermon. de conceptione Mariæ, & de eius effectu videto & eundem parte ij. in recommendatione licentiandorum in Decretis facta Pariſiis.

Iuſtitia publicæ honeſtatis. De qua Richar. di. xlj. ar. j. quæſt. iij. lib. iiij. & doctores, eſt propinquitas ex ſponſalibus proueniens, robur trahens ab Eccleſiæ inſtitutione propter eius honeſtatẽ, propinquitas ponitur pro genere. Nam in hoc pub. hone. iuſti. conuenit cum affinitate & cognatione, cætera ponuntur pro differentiis. Nam per hoc quod publi. hone. Iuſtitia à ſponſalibus prouenit, differt ab affinitate, quæ eſt propinquitas proueniens à carnali copula & à ſpirituali cognitione, quæ prouenit per legalem adoptionẽ. Et per hoc quod additur, robur trahens ab Eccleſiæ inſtitutione, differt ab illa propinquitate quæ dicitur cõſanguinitas, qui nõ prouenit ab Eccleſiæ inſtitutione, ſed à naturali generatione. Et iſta propinquitas quæ dicitur publicę honeſtatis iuſtitia, extendit ſe ad omnes cõſanguineos ita quod ſponſus hac propinquitate dicetur propinquus omnibus conſanguineis ſuæ ſponſæ. Et ſponſa eſt propinqua omnibus cõſanguineis ſui ſponſi. Et ideo dato quod ſponſalia diſſoluantur, ita quod matrimonium inter ſponſum & ſponſam non perficiatur, tamẽ ratione iam dictæ propinquitatis quę dicitur publicæ honeſtatis iuſtitia, ſpõſus nõ poteſt contrahere matrimonium cum aliqua cõſanguinea ſuæ ſponſæ, nec econuerſo, ſponſa cum aliquo conſanguineo ſui ſpõſi. Vide latiùs de hoc Tho. Argẽ. qui & iura ad hoc allegat. & Paluden. qu. ij. eadem diſt. De iſta publicę honeſtatis iuſtitia multa habentur extra de conſan. & affi. in. vj. libr. vt refert Sco.

Iuſtificare eſt iuſtum facere. Aliquid autem dicitur iuſtificare ſeu iuſtificãs (vt ſcribit San. Bona. di. xl. quæſt. ij. li. iij.) multipliciter. Vno modo effectiuè, & ſic ſolus Deus dicitur iuſtificare. Alio modo formaliter, & ſic gratia dicitur iuſtificare quę informat ipſam animam, expellendo iniquitatem culpæ, & dando rectitudinem iuſtitiæ. Tertio modo aliquid dicitur iuſtificans nõ ſolum in habitu, verùm etiam in effectu, & ſic charitas iuſtificat, ſiue fides quę per charitatem operatur. Quarto modo dicitur aliquid iuſtificans in ipſius iuſtitiæ exercitatione & vſu, & hoc modo mãdata Dei in quibus iuſtitia exercetur, iuſtificare dicuntur, quãdo modo debito obſeruantur. Item legi Euangelicæ (vt idem ait) cõpetit iuſtificare ſecundum triplicem modum, videlicet, formaliter ratione gratiæ ſacramentalis, & in effectu ratione amoris ſpiritualis, & exercitio ratione multiplicis boni operis ad quod dirigitur homo per cõſilia & præcepta, &c. Hæc Bonauen. Et ſecundum Gerſonem tract. x. ſuper Cantic. virginis. Non eſt maius cœlum & terram creare, quàm peccatores iuſtificare. Ratio, Non enim habet poſitiuum creatio contrariũ, ſicut cõtratiatur iuſtificationi peccatum. Rurſus creatione ſola potentia conſideratur, ſed in iuſtificatione, ſapientia, ſimul & beneuolentia nec minus cum potentia penſatur.

Iuſtificatio eſt quędam diſpoſitio in iuſtificato à iuſtificante effectiuè, ſed à iuſtitia formaliter, quæ in hoc vocatur charitas, vt ſcribit F. Oſvvaldus li. iiij.

Roſa.Theolo. Vnde ſecundum S.Tho.Bonauen. & Petrum de Tarátaſia,io omni iuſtificatione impij requiritur in voluntate aliqua cōparatio ad ſuſcipiendum in ſe gratiá iuſtificantem. Et iuſtificatio impij fit per infuſionem gratiæ & charitatis (vt ſcribit Gab.di.xxv.q.vnica ar.j.lib.iij.) per quam peccatori peccata remittuntur, ipſeq; gratificatur Deo, & Eccleſiæ incorporatur vt membrum viués,non tantũ oumero, ſed & merito: neq; extra Eccleſiam poteſt fieri remiſsio peccatorum. Hanc auté iuſtificationem per infuſam charitaté ſequitor communio ſanctorum, quo peccator iuſtificatus participat omnia bona ſanctorum omnium. Iuxta illud Prophetæ,io perſona peccatorum iuſtificati. Particeps ſum ego omnium timentium te,& cuſtodientium mandata tua. Charitas enim(quæ non quærit quæ ſua ſunt)facit omnia communia. Et ſecundum ſan. Bona.diſt.xvij.lib.iiij. Sola illa quatuor neceſſaria ſunt ad iuſtificationé,ſcilicet,gratiæ infuſio, motus liberi arbitrij,contritio,& peccati expulſio. Et qu. iij.vbi ſupra,ſecundum ſpeciale priuilegium poteſt Deus iuſtificate ſine omni pręparatione,cum ſecũdum legem commuoem non iuſtificet niſi eos qui ſe præparant,ſicut dicitur Zacha.1. Cōuertimini ad me,& ego cōuertar ad vos,&c. Adſtipulatur Rich. diſt.xvij.ar.iiij.q.ij.lib.iiij.cum dicit,ſicut quando ex vno eleméto fit aliud,cōcurrunt quatuor,ſcilicet vnius formę corruptio,& alterius generatio,& diſpoſitio ad corruptionem vnius,& diſpoſitio ad generationem alterius.Sic cum de impio fit iuſtus,requirũtur quatuor,ſcilicet impietatis deſtructio,quę eſt culpæ remiſsio,& gratię infuſio & diſpoſitio ad deſtructionem impietatis,quę eſt culpę deteſtatio, & diſpoſitio ad ſuſceptionem gratiæ, quæ eſt liberi arbitrij ad Deum cōuerſio.Et ſic patet quod gratiæ infuſio pertinet ad iuſtificationem impij. Et qn.j. vbi ſupra, ad hoc quod anima adulti formetur per iuſtificationé in eſſe gratiæ,oportet pręcedere conuerſionem volũtatis ad Deum tempore vel natura, qua•conuerſione diſponatur anima ad ſuſceptionem gratiæ, qua formaliter iuſtificatur, & hoc de lege cōmuni,&c. Et quamuis iuſtificatio impij ſit ſupernaturalis (vt idem ait q.ix.vbi ſupra.) nō tamen eſt miraculoſa, ſcilicet qoæ fit de lege cōmuni vbi requiritur aliqua diſpoſitio in adulto qui iuſtificatur,quamuis effectiuè fiat per poientiam ſupernaturalis agentis, de quo latiùs ibidem videatur de miraculo.

Iuſtificatio autem impij præter legem communem quę fit ſi Dominus iuſtificat adultum aliquem,qui prius ſe nō diſpoſuit, miraculoſa eſt,&c. Illud vero Augu. In peccatoribus præcedit aliquid quo digni ſunt iuſtificatione, dupliciter intelligi poteſt, ſecundum Dominũ Cardinalem Cameracenſem qo.xij. artic.ij.lib.j. Vno modo quod illud tale peccatores habeát à ſe, & ſic eſt illud falſom. Alio modo,quod habeant illod ex præueniente Dei miſericordia, & ſic eſt illud verum,& eſt de intentione Augu. cum dicit lxxxiij. cu.q.clxviij. Prorſus cuius vult miſeretur, & quẽ vult indurat. Et concludit. Præcedit ergo in peccatoribus aliquid,quo quamuis nōdum ſint iuſtificati, digni efficiaotor iuſtificatione, & idem præcedit in aliis peccatoribus quo digni ſunt obduratione,&c. Et ſic eſt intentio Augu.quod in quibuſdam peccatoribus, imò & in pluribus præcedit aliquid quo digni ſunt iuſtificatione, id eſt, Deus cōmuniter non dat iſtum effectum miſericordiæ,ſcilicet,iuſtificationem,niſi præcedat voluntas pœnitendi,ita quod Deus miſericorditer diſpoſuit, q̃ cuilibet habenti ſufficienté attritiooé per pęnitétiá, dabit gratiá iuſtificationis. Ideo dicuot doctores aliqui,quod ſufficiés attritio ſemper ſit cōtritio. Hęc Dominus Cardinalis Camera. Et li. Retractatio, dat intellectum ſuorum verborum Auguſti. & præcipuè huius quod addidit. Deus non miſeretur, niſi voluntas præceſſerit, dicit hoc eſſe dictum de miſericordia,quę ſequitur pęnitentiam,quod,ſcilicet præcedit talis voluntas pœnitendi, non autem de qualibet miſericordia Dei. Ná vt dicit, eſt quædam miſericordia Dei præueniens ipſam voluntatem,ſine qua non præparatur voluntas,&c.

Iuſtus à iure dicitur,& eſt is qui iura ſeruat. Quandoq; ponitur pro mediocri, cum & ius ipſum mediocritas quædam ſit. Vel iuſtus dicitur qui præditus eſt iuſtitia,vel qui ſeruat iuſtitiam,aut qui ſeruat mandata Dei. Ad hoc autem vt homo ſit ſimpliciter iuſtus, & iuſtificatus ad vltimam fœlicitatem & vitam æternam conſequendá, quatuor ſunt ſibi neceſſaria, vt notat Iacobus de Valentia Pſal.14. Primo, quòd mundetur ad omni macula & culpa præterita. Secundo, quòd poſsit vitare futura peccata,& ſi committit, quod iterum poſsit mundari. Tertio,quòd poſsit bonum operari erga Deum & proximum. Quarto,quòd ſit Deo gratus & acceptus, & ſua opera accepta ad vitam æternam, quia aliter non poſsit peruenire ad terminum beatitudinis. Iuſtus quoque omnibus dominatur, iuſtiſq; omnia eſſe communia oſtendit. Gerſon parte ij. ſermone de dominio Euágelico facto in cœna Domini. Vnde Actuum 4. dicitur. Multitudines credentium erat cor vnũ,& anima vna. Si cor vnũ (inquit Magiſter Ioannes Gerſon Cancellarius Pariſiéſis) & anima,imo vnũ corpus, & vnus ſpiritus, prout loquitur Apoſtolus ad Ephe.4. Quid cōuenientius quàm vt eorum ſit vna prorſus hæreditas,vna dam natio, vnus caſtus principatus. Hác veritatem cognouit egregius Doctor Aug. dum poſuit iure poli omnia eſſe cōmunia. Vide latiùs de boc Gerſonem. Iuſtus quoque (vt ſcribit Iacobus de Valétia ſuper illod Pſal.57. Lætabitur iuſtus cùm viderit vindictá.) Cùm viderit Deum punire peccatoré pro aliquo magno delicto, tria debet facere aut quatuor. Primo, laudare diuiná iuſtitiam. Secundo, timere iuſtum iudiciũ Dei. Tertio lętari & laudare Deum, quia non permiſit eum cadere in ſimile peccatum, ſed ſeipſum præſeruauit. Quarto,lauare manus ſuas in ſanguine illius peccatoris, id eſt, corrigere ſeipſum, & præſeruare ne cadat in tale peccatum, nec puniatur ſicut ille. Nam lauare manus in ſcriptura, nil áliud eſt niſi ſe innocentem reddere, & nō cum peccatoribus participare, ſed à peccato præſeruare, & corrigere,&c. Et vt idem ait Pſal.72. Caſtigatio iuſtorũ dicitur matutina,id eſt, velox. Nam quádo iuſti delinquũt in aliqoo, citò & velociter caſtigat eos Deus. Vnde Pſal. Et fui flagellatus tota die, & caſtigatio mea in matutinis. Per oppoſitum,caſtigatio ſceleratorum eſt communiter veſpertina, & ſera & tarda, quia Deus non caſtigat eos vſque ad

mortem;

mortem: quia moriũtur quo ad corpus & animam ad pœnam æternam. Vnde tales mala capiunt in interitu, &c. vt dicitur Pſal. 139. Vnde dicit Ambr. quod ilico ſi quis poſt peccatum flagellatur, hoc cedit ſibi in bonum. Nam ſignum eſt quod Deus non ſeruat ſibi punitionem poſt mortem. Per oppoſitum, malum eſt ſignum quando ſcelerati non flagellantur in hac vita, quia ſignum eſt quod Deus ſeruat pœnam in aliam. Ideo ait Aug. Hic vre Domine, hic ſeca, vt in æternum parcas.

De litera K.

K*athegorema* vt ſcribit Brulef. di. xxj. quęſt. j. li. j. eſt dictio quæ eſt per ſe ſignificatiua alicuius rei vniuerſalis, vel particularis. Sincathegorema eſt dictio quæ non eſt per ſe ſignificatiua, ſed eſt diſpoſitio dictionum kathegorematicarum, &c. De quo in logica plus ſcripſimus. Kyrie-leyſon, id eſt, Domine miſerere. Et ſunt duæ dictiones. Nam κύριος ὦ κύριε in vocatiuo, id eſt Domine, vel κύριος, id eſt, proprius, authẽticus, Dominus, vt inquit Ioannes Coraſtonus. De hac dictione Kyrieleyſon ita ſcribit Ioannes Reuchlin vir noſtra tempeſtate doctiſſimus, Latinæ, Græcæ, & Hebraicæ linguę peritiſſimus, ad Bebelium Poëtam noſtrum & amicum familiariſſimum, & dicit Kyrie triſyllabum eſſe, primamque per ypſilon, ſecundam verò Iota ſcribendum, cui ſit accentus in prima peracutus. Eleyſon verbum imperatiuum tetraſyllabum accentu ſimiliter antepenultima acuto, nec fit diphthongus vnquam ex ε & ι vocalibus, qua propter à noſtris ob ignorantiam Helleniſmi malè cœpit pronunciare hoc totum Kyrieleyſon quinque ſyllabarum, quaſi per ſynaloëphim eliſis vocalibus. Hæc Capnio, &c.

De litera L.

L*Abium* & Labium idem ſunt, à quo diminutiuum Labellum. Labia Dei, vt ſcribit Hieron. Epiſtola j. myſticè vtriuſque teſtamenti conſonantia intelliguntur. De quibus duobus teſtamentis in Prouerbiis dicitur, Prou. 16. Et diuinatio in labiis eius, in iudicio non errauit os eius.

Labor, eſt fatigatio vel functio quædam vel animi vel corporis grauioris operis vel muneris, ſecundum Cice. lib. ij. Tuſcu. quæſtio. Vel dicitur opera, dicitur & labos ſicut honos, lepos; de quibus in grammatica dicitur. Et labor dicitur dupliciter, vt ſcribit ſan. Bona. di. xlviij. art. ij. li. iiij. in fine. qu. j. Vno modo propriè, & ſic dicitur opus pœnale, & hoc modo nec corpora ſupercęleſtia, nec angeli boni laborant. Alio modo communiter, & ſic dicitur labor quodcunque obſequium, ſecundum quem modum angeli dicuntur laborare in vinea Domini, & circa nos, quia nobis obſequuntur, ſic & corpora cœleſtia. Hæc Bonauentura. Labor autem manuum ad tria ordinatur, vt literis mandauit Gabr. diſtinctio. xvj. artic. iij. dubio. j. lib. iiij. poſt Alexan. ſcilicet, ad ocium vitandum, ad corpus domandum, & ad victum quærendum. De primo Hiero. ad Ruſticum monachum. Semper aliquid operis facito, vt te diabolus occupatum inueniat. De ſecundo Apoſtolus 2. Corint. 6. annumerans ea, quibus corpus caſtigatur, dicit: In laboribus, in ieiuniis, in vigiliis, in caſtitate, &c. De tertio, Act. 20. Ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum erant, miniſtrauerunt manus iſtæ, &c. Et laborare quandoque manualiter etiam expedit deuotis & religioſis, vt ſcribit Gerſon parte iij. de exercitiis diſcretis deuotorum ſimplicium. Vnde contingit nonnunquã vt homines negligẽtes non quidem ob corporis debilitatem, ſed ex deſidia & carnis voluptate deueniunt ad magna pericula ſuarum animarum non ſolum in malis cogitationibus, ſed etiam quandoque in grauioribus. Prudenter itaque & rectiſſimè religioſorum inſtitutores ſuis deputarunt filiis certas horas non ſolum ad cantandum, orandum, ad meditandum: verum etiam ad labores manuum exteriores faciendum, prout clarè patet in regula ſancti Benedicti, & aliorum approbatorum ordinũ inſtitutionibus. Non enim aliqua cogitatio tam turpis, tam abominabilis mala & execranda, quàm non inueniat deteſtanda ocioſitas. Hæc Gerſon. Et idem in ſermone de verbis Domini. Venite ad me omnes qui laboratis, ponit ipſe plures hominum labores. Peccant quoque parentes (vt idem ſcribit parte iiij. ſermo. Dominicæ ſeptuageſimæ de acedia) cùm non docent pueros laborare vno vel alio modo. Aliud periculum eſt, futuræ paupertatis periculum, & de malis quæ eueniunt, præſertim in ſenectute, &c. Diſcretio autem laborum eſt neceſſaria, vt ibidem oſtendit Gerſon per multa exempla. Differunt laborare & eſſe oneratum, vt idem ſcribit in ſermone. Venite ad me, vbi ſupra. Nam qui leuem aliquam moleſtiã ſuſtinet, laborare ſimpliciter dici poteſt, qui verò grauẽ, & quæ ſupra vires ſuas eſſe videatur portat, iure oneratus eſſe narratur, &c.

Lac plura ſignificat ſecundum proprietates apud doctores, vt & ſcribit frater Pelbartus libro ſecundo, Roſarij Theolog. in dictione, *Lac*. Primò propter albedinem ſignificat caſtitatem & virtutum candorem. Canticorum quinto. Quaſi columbę inquit lacte lotę, id eſt candentes puritate, & per conſequens gratioſæ hominibus, ſic & animæ tales Deo acceptę ſunt, &c. Aliquando ſignificat propter dulcedinem ſapientiæ diuinæ dulcorem deſiderabilem 1. Petr. 2. Rationabiles lac concupiſcite. Aliquando propter conuenientiam lactis in alimentum paruulorum, ſignificat facilem doctrinã nouellis vel ſimplicibus in fide tribuendam. 1. Corint. 3. Quaſi carnalibus tanquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi, &c. Vnde Hiero. ſuper Iudic. homil. v. dicit. Lactis cibus in ſcripturis dicitur moralis inſtructio doctrinæ, quæ incipientibus velut paruulis datur, ſcilicet morum inquit correctio, enunciatio ſimplicis fidei, & diſciplina correctionis, & ſanctæ conuerſationis, non profunda & ſecretiora myſteriorum eis ſtatim tradenda ſunt: Aliquando lac ſignificat malum. Iuxta illud Pſal. Coagulatum eſt ſicut lac cor eorũ, id eſt malorum, quia lac coagulatur in caſeũ, & tandẽ ex caſeo per decoctionẽ fit fortiſſimũ bitumen, adeò quod etiã marmora & duriſſimos lapides in fractione cõnectit, ergo ſignificat obſtinationis cõpreſſionẽ in malo.

Lachryma eſt humor ex oculis flentium manans. Flere autẽ eſt lachrymas fundere, & lachrymæ cauſantur ex triſtitia, & aliquádo ex affectus teneritate præcipuè cùm cõſideratur delectabile cũ triſtabili, vt ex deuotione, ex ſan. Tho. ij. ij. qu. lxxxij. ar. iiij. Lachrymæ autẽ ſunt vtiles, niſi ſint nimiæ. Vnde Gerſon parte iij. de religionis perfectione, ac mode ratione, ait: Ferme nihil mẽtem noſtram ſic purgat, illuminat & ſerenat vt profunda compunctio, & lachrymarum inũdatio. Verum id quidem ſi obſeruatur illud, ne quid nimis. Fit autem nimis dum ex his incurritur euacuatio & perturbatio cerebri, dũ præterea flens redditur impotens ad opera ſibi neceſsitate faciendum incumbentia, vel ex voto vel ex præcepto, vel ex ſuperioris inſtituto, quãobrem hæc lachrymarum profuſio nonnunquam eſt abſcíndenda, &c. Hoc idem vult parte iij. de exercitiis diſcretis deuotorum ſimplicium, vbi & vult quod lachrymarum abundantia tentationes malas & cogitationes, & maculá animæ efficaciter abluit, & purgat & extinguit, ſi tamen diſcretio non deſit, ita vt caput, ſenſus & ratio non lædátur, & dummodo firma ſpes de Dei miſericordia nõ abſit, &c. Quiſque autem flet deliberatè temporalia, vel ſeipſum (vt idem ſcribit tracta. vj. ſuper cantico virginis) aut addit conditionem Deo, quam apponere Chriſtus docuit tam verbo quàm exemplo ſuo: Verũtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu, fiat voluntas tua. Et ita plorat meritoriè ſi dicto ſuo nõ diſſentit affectus vel effectus ſuus. Si verò conditionem huiuſmodi nec affectus nec effectus plorátis addiderint, actu vel habitu lamentum iam eſt ſeculi, nõ ſecundum Deum, & mortem operatur. Vide latiùs ibi Gerſonem. Fœlices autem ſunt lachrymæ (inquit Bern.) quas benignę manus conditoris abſtergunt, & beati oculi qui in talibus liquefieri elegerũt quã eleuari in ſuperbiá, quã omne ſublime videre, ꝙ auaritię & petulátiæ famulari. Et Caſsiodo. ſuper Pſal. Fuère mihi lachrymæ meæ, ait. Fletus eſt cibus animarũ, corroboratio ſenſuũ, abſolutio peccatorum, refectio mentiũ, lauacrũ culparũ. Et Chryſ. Lachrymę lauãt delictũ, quod pudor eſt cõfiteri. Idẽ ſuper Matth. Sicut poſt vehementes imbres, mundus ac aër purus efficitur, ita & poſt lachrymarum pluuias ſereuitas mentis ſequitur atque trãquillitas. Greg. in paſto. Vniuſcuiuſque mens tantum pœnitendo compunctionis ſuæ bibat lachrymas, quantum ſe à Deo meminit amiſiſſe per culpas, &c. Plura alia ſimilia aliàs inueniuntur.

Laicus vno modo capitur pro indocto, imperito, inſipiẽte & lapideo. Vnde laicus dicitur à λαός Græcè, quod eſt lapis Latinè. Secundo modo laicus capitur pro homine non habente ordinem ſacramentalem in Eccleſia Chriſti, vt ſcribit Brulefer diſt. v. qu. j. lib. iiij. De quo videas & in dictione *Clericus*. Et nota quod ſcribit ſanctus Bonauen. di. xxxiiij. ar. ij. q. j. li. ij. De quibus laicis in quibus mater cæcitatis ſuperbia regnat, quantum ad ea quæ ſunt fidei & morum. Cùm enim ſicut idiotæ præſumunt ſacram ſcripturam exponere quę eſt profundiſsima omnium ſcripturarum. Cùm iterum habeant quandam honeſtatem exteriorem, contemnunt vitam omnium aliorum, & meritò huius duplicis ſuperbię excæcâtur, vt incidant in errorẽ iſtũ peſsimum, per quem excæcantur à Deo, vt neſciant diſcernere quid bonum eſt & quid malum, dum multa genera peccatorum ponunt eſſe à Deo malo. Quos Eſa. præmõſtrat 5. ca. Væ qui dicitis malum bonum, & bonũ malum: ponentes tenebras lucẽ, & lucem tenebras, &c. Quare non omnes ſcripturæ libros legant laici. Quoniam nihil eſt tam ſanctũ & ſalubre & piũ quo non contingat abuti, ſic de libris euenit (inquit Gerſon parte j. in principio de laude ſcriptorum conſidera. xj.) quorum nõ eſt culpa, neque ſcribentium, ſed ſcelus eſt in abuſu, non tamen arcendi videtur (vt idem ait) ab opuſculis moralibus & deuotis, nullam in ſe difficultatem, nec ambiguitatem, nec abſurditatem in tranſlatione gerẽtibus, cuiuſmodi ſunt hiſtorię, vel vitę, vel legẽdę ſanctorum, nec non meditationes ſanctæ, &c.

Lamentum querela, queſtus. Et eſt duplex lamentum (vt literis prodidit Gerſon tract. vj. ſuper Magnificat. Vnum eſt in ſola ratione, non redundans paſsionaliter ad ſenſualitatem, & hoc appellatur diſplicentia vel odium, vel deteſtatio vel abominatio liberè elicita per iudicium rationis. Sic proportionabiliter de gaudio & deſiderio, & ita generaliter de omni nomine paſsionem ſonante competit accipere ſuo modo. Lamentum aliud eſt quod oritur & radicatur in ſenſualitate, aut ortũ in ratione deriuatur, & redundat ad cor ſenſuale, nõ aliter de cæteris affectibus, quos Philoſophi ſolas propriè voluerunt dici paſsiones quæ ſenſum afficiunt & quodammodo affligunt. Item lamentum aliquod eſt temporale, hoc eſt pro ſolis tẽporalibus incommodis apprehenſis à ratione, ſub ratione pœnæ afflictiuę. Aliud ſpirituale pro ſolis malis culpæ apprehenſum ſub ratione offenſæ diuinę bonitatis & iuſtitiæ. Lamentum pœnæ habent damnati, non lamentũ culpæ vt offenſiua fuit, aut eſt diuinæ iuſtitiæ, qualiter eſt in viatoribus plurimis inuenire. Et lamentum culpæ prout eſt offenſiua diuinæ iuſtitię hoc ſolum propriè eſt laudabile, & meritoriũ, nec poteſt procedere, niſi ab electione libera volũtatis, de quo multa Gerſon vbi ſupra.

Largitas, liberalitas. Differunt autẽ largitas humana & diuina. Vnde Gerſon parte iij. parte j. de mendacitate ſpirituali. Alia longè eſt diuinorum, & magnificentiæ Dei conditio, qui abſque detrimento ſui dat omnibus affluẽter, promptiorque eſt ad dandũ, quàm ſumus ad recipiendum. Ideoque vult ſemper eſſe per ſanctum deſiderium diſpoſitum ad ſuſcipiendũ dona ſua, quantò enim ea feruẽtius deſiderabis & petes, tantò abundantius accipies, &c. Aliter eſt largitas humana, quæ non ita omnibus ſubuenire defectibus poteſt, ſicut diuina largitas, de qua fuſius Gerſon vbi ſupra.

Laſciuia ſecundum Caſſiodorum ſuper Pſal. eſt indecẽs motus diſſoluti animi, & corporis ex intemperantia carnali procedẽs. Vel laſciuia eſt mollicies, petulantia, & nequitia. A laſciuio, id eſt molliter ago, & laſciuè, molliter, nequiter, &c.

Latria: Nomen latria (vt ſcribit Scotus di. ix. li. iij.) poteſt æquiuocè accipi. Vno modo pro cultu ſiue reuerentia exhibita Deo in actu interiori ratione ſummi dominij, vel ſummi boni. Vel pro reuerencia exhibita

tia exhibita Deo actu exteriori, vel habitu inclinante ad talem actum. Et ſecũdum eum eſt virtus moralis, & non Theologica, quia non habet Deum pro obiecto, ſed honorem deferẽdum Domino in creato. Latria itaque eſt reuerentia ſoli Deo debita & ſibi exhibita. Hanc diffinitionẽ declarat Brulef. di.ix.q.j.lib.iij. Latria eſt ſumma veneratio potentialis. Cultus, reuerentia, honor, in propoſito ſunt idem & religio. Religio autem ſecundum Tul. eſt quæ ſuperioris cuiuſdam naturæ (quam diuinam vocant) cultum cerimoniamque affert, & à tali religione dicuntur omnes chriſtiani religioſi de religione chriſtiana, cuius religionis Chriſtus eſt ſummus Patriarcha. Dicitur & latria pietas, inquantum tendit in Deũ ſummum bonũ, quia eſt pater omnium ſummus. Dicitur & ſeruitus ſimpliciter & anthonomaſicè, quia ipſe Deus ſicut eſt ſupremus Dominus, ſic eſt ſibi correſpõdens ſumma ſeruitus; quæ dicitur latria, de qua ſeruitute dicit ſaluator Mat.4. & Deuter.8. Soli Deo ſeruies. Hæc Brulefer vbi ſupra. Latria (vt vult Augu. nominat illud quo colitur Deus. Quomodo autem colitur Deus poteſt intelligi dupliciter, vt ſcribit S. Bonauen. diſt.ix.ar.ij.q.j.li.iij. Aut ſicut actu, aut ſicut habitu, ideo nomen latria æquiuocè dicitur, & aliquando ſtat pro actu, aliquando pro habitu, ſecundum autem quod ſtat pro habitu ipſius animæ habilitante ipſam ad cultum Dei, ſic eſt habitus virtutis inquantum eſt circa bonum, & difficile & meritorium, & ad ſalutem neceſſariũ, & circa huius opera præcipuè conſiſtit virtutis habitus. Probat & ibidem ſan. Bona. quod latria ſit virtus cardinalis q.iij. vbi ſupra, qui eſt cultus Deo debitus. Vnde ſecundum Auguſt. de ciui. Dei.li.x.c.j. Idem eſt apud Græcos latria quod apud nos religio, excepto quod nomen religionis eſt in plus. Vnde & ibidem dicit quod cultus Deo debitus quatuor nominibus nuncupatur, duobus apud Græcos, & duobus apud nos. Apud Græcos namque dicitur latria, & theoſebia, ſiue euſebia; apud nos verò dicitur pietas, & religio, ita quod iſta duo nomina reſpondent illis duobus, licet quodãmodo ſint in plus. Differunt autẽ latria & theoſebia ſecundum propriam acceptionem, licet aliquando accipiantur pro eodem, quia theoſebia dicit cultum interiorem, qui propriè ſpectat ad virtutes theologicas, ſed latria ſeruitutem exteriorẽ, qui ſpectat ad iuſtitiam, ſcilicet virtutem cardinalem. Hæc Bonauentu. vbi ſupra. Si autem latria dicitur cultus interior, cùm ille conſiſtit in credendo, & diligendo, & ſperando Deũ, ſic dicitur virtus theologica non ab aliis diſtincta, ſed conſequens ad omnes illas, de quo latiùs Bona. q.iij. vbi ſupra. Et latria (ſecundum Iaco. de Valeñ. Pſal.28. qui à prædictis nõ diſcrepat) eſt cultus ſoli Deo debitus ratione ſummæ omnipotentiæ & maieſtatis & ſapientiæ & bonitatis, & in munere & confeſſione laudis & adoratione conſiſtens, & ſic de iure propter ſeipſum debetur Deo ipſa latria, ſed adhuc Chriſto & Deo patri reſpectu noſtri debemus & tenemur exhibere latriam propter tria beneficia recepta, ſcilicet creationis, redemptionis, & glorificationis, & ratione victoriæ & triumphi, quem Chriſtus obtinuit de mundo & diabolo, &c. Eadẽ dicit Pſal.44. & ſic verè Chriſto competit latria, quia creator & vniuerſalis Dominus, & iudex, & redemptor & verus Deus (vt idem ſcribit Pſal.71.) Et ſecundum eundem Pſal.95. latria conſiſtit in tribus, ſcilicet, in confeſſione fidei & laudis cum munditia cordis, & in oblatione & adoratione. Et vt idem oſtendit differt latria veteris teſtamenti & noui. Nam illa latria non fiebat cum tali confeſſione interiori & exteriori, nec cum tanta munditia ex parte offerẽtis & oblati, quia ibi offerebantur animalia bruta. Hic autem offertur ſacrificium purum & mundum de ſe bonũ & acceptabile. Et ſic latria noſtra fit cũ maiori ſanctimonia & magnificẽtia, quia offertur Chriſtus Deus & homo, agnus ſine macula & immortalis. Hæc ille. In qualibet inſuper re Deo ſoli debetur laus, honor, & gloria, ſicut ipſe eſt omnia in omnib'. Hinc Pſal. Omnis terra ſiue omnis creatura adoret te Deus & pſallat tibi, pſalmũ dicat nomini tuo altiſſimo. Nulli verò creaturæ datur laus huiuſmodi per latriam (vt ſcribit Gerſon parte iij. tracta.j. de canticorum originali ratione) nec vt ſignũ eſt vt imago, nec propter aliã quãuis attributionẽ ſi propriè ſentiamus, ſicut nulla res creata ſummum bonũ eſt, neq; vt res, neq; vt ſignũ vel aliud attributũ. At verò laudamus in creaturis Deũ adoratione latriæ, ſicut in cruce & in imaginibus Chriſti, imò ſicut in omni re, quemadmodum quælibet eſt imago vel veſtigium tenuæ trinitatis, non minus naturaliter quàm aliqua ſit artificialiter. Caue tamen in laude vel latria creaturarum à ſcandalo, quale fieret ſi adoraretur publicè Deus in dæmone vel eius imagine in aſino, vel in bufone, imò nec in angelis & hominibus quantumcunq; ſanctis, quũ proprius eis & alter honor ineſt. Hæc Gerſon. Et per latriam vt ſemel dicam intelligitur theoſebia, id eſt, cultus vel ſeruitus ſoli Deo debitus, qui & adoratio ſtrictiſſimè ſumpto vocabulo dici ſolet, de quo latiùs vide ſuprà in dictione *Adoratio*, Gabr. lectio.xlix. canonis.

Laus eſt ſermo elucidans magnitudinem virtutis ſecundum Ariſto. li.j. & iij. rheto. & B. Thom. ſuper Pſal.17. Dicitur autem à laudo verbo, quod aliquãdo ſignificat verbis extollo. Horat. *Laudabunt alij claram Rhodon, aut Mitylenen*. Aliquando idem eſt quod nomino. Plautus. *Id ut ſcias Iouem ſupremum teſtem laudo*. Vnde illaudatus, qui ne nominari quidẽ dignus eſt, hoc eſt illaudabilis. Vel laus ſecundum aliquos propriè eſt vox populi de aliquo recta loquentis. Differunt autem laus & laudatio, quod laudatio eſt oratio ipſa laudantis laudes continens ipſius laudati. Laus verò eſt virtus ipſa non aliunde proueniens, ſed ſuis nixa radicibus. Virgilius. *Primam merui qui laude coronam*. Hinc laudabile dignum laude (& collaudo ſimul laudo) deducitur. Differunt & laus & honor vt ſcribit Iaco. de Valen. Pſal.148. Nam honor eſt præmium virtutis & tribuitur bonis. iiij. Ethi. aut eſt exhibitio reuerentiæ in teſtimonium virtutis ſecundum Ciceronem. Sed laus eſt cõmemoratio beneficiorum receptorum. Et ſic honoramus bonos & virtuoſos indifferenter, ſed laudamus benefactores agendo gratias pro beneficiis receptis. Sed quia quicquid boni eſt, in nobis recepimus à Deo. Iam nõ ſolum tenemur honorare Deũm eò quòd eſt bonus de ſe, ſed etiam iugiter tenemur laudare eum commemo

rando

rando beneficia, eò quòd omnia recepimus à Deo, & quia omnes creaturæ, quicquid boni habent, à Deo acceperunt, ideo omnes laudare debent. Hinc Pſalm. Laudate Dominum de cœlis, &cæ. Laus igitur proprie Deo debetur, à quo eſt omne bonum & meritum noſtrum. Hinc Auguſtinus ad Sixtum Presbyterum: Cùm coronat Deus merita noſtra, nihil aliud coronat quàm munera ſua.

Laudabile accipitur multipliciter (vt ſcribit Gabriël diſtinctione decimaſeptima, quæſtione prima, articulo tertio, dubio tertio libri primi. Vno modo pro omni natura quæ eſt bona, ſiue ſit creata, ſiue increata. Sic loquitur Auguſtinus iij. de libero arbitrio, dicens: Si laudatur rationalis creatura quæ facta eſt, nemo dubitet laudandum eſſe qui fecit. Alio modo dicitur cuius bonitas ordinatur ad aliquem alium actum. Et ſic dicitur primo Ethicorum, quod optimorum non eſt laus. Tertio modo accipitur laudabile, vt opponitur vituperabili: & ſic eſt aliquod bonum exiſtens in noſtra poteſtate dignum retributione & laude. Sicut vituperabile eſt aliquod vitium exiſtens in noſtra poteſtate dignum increpatione & pœnæ. De iſto dicitur tertio Ethicorum à Philoſopho. Nullus itaque improperabit cæco ex natura, vel infirmitate, vel ex plaga, ſed magis miſerebitur. Cùm autem qui ex vini potatione, vel alia incontinentia, omnis vtique increpabit. Earum autem quæ circa corpus malitiarum, quæ in nobis increpantur, quæ autem non in nobis non. Et ſic accepit Auguſtinus tertio de libero arbitrio. Motus quo huc vel illuc voluntas conuertitur, niſi voluntarius, atque in noſtra poteſtate poſitus, neque laudandus cùm ad ſuperiora, neque culpandus homo eſſet cùm ad inferiora detorquet. Primo & ſecundo modo charitas eſt laudabilis, ſed non tertio modo. Nec ſumus laudandi ſic, quia Deus infundit nobis charitatem, quæ non eſt in noſtra poteſtate, quamuis ſumus aliquo modo laudabiles, ſi nos diſponimus ad recipiendum charitatem. Similiter charitas laudabilis eſt, inquantum eſt operis meritorij cauſa & principium. Gabriël. Ratio autem laudis vel vituperij fundatur in libertatem arbitrij, vt ſcribit Gerſon parte tertia de paſsionibus animæ, conſideratione ſeptima, quare paſsiones omnes in animalibus brutis cenſendæ ſunt bonæ & pulchræ. Exempli gratia: Audacia & animoſitas, in leone & gallo: ira, in tigride & apro: voluptas, in porco, hirco & paſſere: timiditas, in lepore & oue: fraudulentia, in vulpe: adulatio, in cane: ſuperbia, in equo: triſtitia melancholica, in catto: auaritia, in cornice. Paſsiones itaque iſtæ neque malæ ſunt vel deformes in genere moris, cùm deſit ipſis animalibus libertas arbitrij in qua fundatur ratio laudis vel vituperij. Hæc Gerſon. Præterea laudabilis is dicitur, qui bene agit, vt ſcribit Gabriël diſtinctione vigeſimatertia, quæſtione prima, articulo primo libr.iij. quoniam ſicut propter paſsiones, ita propter actus ſecundum ſe conſideratos, ſimpliciter vt ſunt actus appetitus ſenſitiui, non vt conformiter vel difformiter rationi rectæ ſunt eliciti nullus laudatur vel vituperatur. Sed ſecundum paſsiones & actus, vt conformes vel difformes rationi rectæ laudamur vel vituperamur. Laus igitur & vituperium ſecundum Philoſophum (vt ait Gabriël) non conuenit paſsionibus intrinſecè eſſentialiter & ex ſe, ſed per quandam denominationem extrinſecam, ſcilicet per moderationem virtutis. Ex quo ſequitur, quod quantò aliquis eſt magis paſsionatus ſicut oportet, & quando oportet, & propter quod oportet, &cæ. tantò laudabilior eſt & virtuoſior, & econuerſo magis paſsionatus ſicut non oportet, & quando non oportet, &cæ. eſt magis vituperandus, magiſque vitioſus: & ſicut virtus habet ſedare paſsiones, ita & actus appetitus ſenſitiui. Virtutis enim eſt excitare paſsiones & actus, quod idem eſt, & quando oportet, puta iraſci, timere, audere, &cæt. Eius etiam eſt ſedare paſsiones vitioſas, & refrænare ſiue ſuperabundantes ſiue deficientes, & reducere ad medium ſecundum debitas circunſtantias: hoc eſt cohibere appetitum ſenſitiuum, ne eliciat actus contra rationem, & excitare vt eliciat ſecundum rationem. Hæc Gabriël, &c.

Legitimum dicitur quod eſt legi conforme, vt inquit Gerſon parte ſecunda de contractibus, parte j. conſideratione j. Illegitimum per oppoſitum idem quod illicitum, &c. Contractus autem quidam ſunt legitimi, quidam illegitimi, vt ibidem oſtendit Gerſon.

Lenitas, clementia, vel manſuetudo, vel mititas. Nihil enim ita efficax ad correctionem, emendationemque multorum repertum eſt, quemadmodum lenitas, vt inquit Gerſon par.ij. de paruulis ad Chriſtum trahendis, conſidera.iiij. Nihil enim homini melius eſt facilitate & clementia, (ait Comicus.) Hinc Saluator noſter ait: Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde. Id probat Gerſon per multa exempla. Quis egregium doctorem Auguſt. tanquam ſidus aliquod beneuolũ adquiſiuit Eccleſiæ? Ambroſ. Qua virtute? vtique beneuolentia & mititate. Videto latiùs ibi Cancellarium.

Leo in ſcriptura quandoq; ſignificat diabolum, propter ſęuam voracitatem. 1. Petri 5. Aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens, circuit, quęrens quem deuoret. Quandoq; ſignificat hominem ſanctum, ſicut Marcus figuratus eſt in facie leonis, Ezechiëlis primo.

Læſio, inflictio, vel moleſtia, &cæ. Læſio corporis eſt duplex, vt ſcribit Gabriël diſtinctione decimaquinta, quæſtione decimaquinta, articulo primo libr.iiij. Quædam infert damnum vltimum, puta mortem vel mutilationem membrorum, aut vulnerationem irremediabilem, per quod redditur inutile ad exercitium operationum naturalium ſibi debitarum. Alia eſt citra vltimam, & eſt vulneratio vel debilitatio organi vel membri curabilis, aut non in toto tollens operationem naturalem, ſed aliquantulum impediens. Prima dicitur læſio enormis, ſecunda mediocris: & in læſionibus citra mortem, tenetur lędens damna, quę incurrit læſus atque coniuncti præſentia & futura, paſſoſque dolores compenſare, & medicorum impenſas (ſi quæ factæ ſunt) ſoluere. Hoc probat poſt Scotum Gabriël articulo ſecundo, concluſione quinta, vbi ſupra.

Lætitia eſt geſtientis animi elatio voluptaria, ſecundum Ciceronem libr.3.de fin.bonorum & malorum. Vel lætitia in animo eſt commotio ſuauis iucunditatis in corpore, ſecundum eundem libr.2. de fin.bonorum & malorum. Aut lætitia eſt exultatio quædam animi gaudio efferuentiore euentu rerum expetitarum, ſecundum Aulum Gel.libr.2. noćti.atti.cap.xxvij. Vel ſecundum beatum Tho. iiij.ſenten.diſt.xlix.q.j.artic.j. Lætitia eſt expreſſio vel effectus interior, ſecundum quod ipſe affectus dilatatur roboratus & perfectus ex coniunctione appetitus. Diciturque lætitia quaſi latitia: quia dilatat, vt dicit Gerſon part.iij.tract.ij.de canticordo. Sunt autem duæ lætitiæ, ſcilicet bona & mala, ſecundum Philoſophum, vt & refert Gerſon parte ij.ſermone de omnibus Sanctis, qui incipit: Et exultabunt ſancti. Vna quæ eſt illudioſorum, pura, laudabilis, tranquilla, diuturna. Hinc eſt illud quod Philoſophia admirabiles habet delectationes firmitate & puritate. Alia dicitur quæ à vitioſis vitam pecudum eligentibus inquiritur: & hæc fœda, turpis, inquieta, breuis, nocitura, qualis fuit Sardinapali. Hanc lætitiarum varietatem locis plurimis ſcriptura ſacra non ſiluit. Lætamini, inquit, iuſti in Domino. Ecce bonam lætitiam. Audi malam. In maleficiis ſuis lætificant Regem. Et talia ſine numero poſuit ſacra ſcriptura. Et illud: Qui lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus peſsimis. Prouerb.2.

Leue dicitur illud quod eſt natum ferri à medio, ſecundum Ariſtot.libr.j. de cœlo & mund. Leuiſsimum autem quod ſuperfertur omnibus aliis ab eo ſurſum latis. A quo leuitas, quòd aliquando dicitur ſine pondere. Modò pro ſtultitia, inconſtantia, vtilitate ponitur. Eſt & leuitas ſpiritualis, quæ maximè conſiſtit in feruida charitate: & econtrà grauitas in mortalis peccati malignitate. Et ſicut eſt in materialibus, quod leuia petunt ſurſum & grauia deorſum: ſic eodē modo eſt in ſpiritualib⁹. Quamobrem ſicut decedentes in feruida charitate, tendūt ad locum ſummum: cœlum, ſcilicet empyreum, niſi impediantur: & hoc propter patres antiqui teſtamenti, & propter eos qui nondum ſatisfecerunt pro peccatis, qui retardantur donec perfectius purgantur. Decedentes verò in mortalis peccati deformitate, tendunt ad locum infimum, qui eſt terræ medium: ita ſcribit Thom. Argeñ. circa diſtin.xlv. lib.iiij.ſenten. Nam peccatū trahit deorſum: non ſecundum ordinem naturæ (vt inquit S.Bonauen. di.xlix.ar.j.q.ij.libr.iiij.) cùm non habeat conformitatem ad illum, ſed ſecundū ordinē iuſtitiæ: quia peccatum cùm ſit viliſsimū, diſponit hominem ad locum viliſsimum & infimum.

Leuir eſt frater viri. Leuitrices dicuntur duorū fratrum vxores, quæ non ſunt ſibiipſis affines: nec vir ſororis, & vxor fratris: quia affinitas non cauſat affinitatem. Oportet enim quod ſemper perſona quę eſt cauſa affinitatis, ſit conſanguinea alteri illorum. Palud.diſt.iiij.q.j.lib.iiij.

Leuita. Et proprio nomine Leuitę appellātur Diaconi, vt ſcribit S.Bonauen. in expoſitione textus diſtin.xxiiij.lib.iiij. In quo nomine clauditur proprius eorum actus, & principalis, ſcilicet miniſtrare ſacerdoti ſpecialiter & immediatè in ſacramentis. Ad Diaconos enim pertinet corpus Domini transferre in primitiua Eccleſia, etiam ſanguinem diſpenſare: vnde immediatè iſti ſacerdotibus aſsiſtunt & miniſtrant. Et dicuntur Leuitæ, vt idē ait, non quod officium habeāt Leuitarū, ſed quia conſimile illi, & per illud officium præfigurarum.

Lex eſt ratio ſumma inſita in natura, quæ iubet ea, quæ facienda ſunt, prohibet contraria. Eadem ratio quum eſt in mente hominis confirmata & confecta eſt lex. Cic.lib.1. & 2.de legib.ait: Lex eſt neq; hominum ingeniis excogitata, nec ſanctū aliquod populorum, ſed æternum quiddā quod vniuerſum mundum regeret, imperandi, prohibendiq; ſapientia. Idem 2.de natura Deorum: Lex eſt recti perceptio, prauiq; depulſio. Item lex eſt conſtitutio populi, in qua maiores natu ſimul cū plebibus aliquid ſanxerunt, vt habetur di.ij.cap.lex. Tho.prima ſecūdæ.q.xc.ar.j. Lex eſt regula & menſura actuum agendorum vel omittēdorum. Et q.xcj. ar.j. idem dicit: Lex eſt dictamen rationis practicæ. Gerſon parte prima de origine iuris & legum. Lex, inquit, eſt regula conformitatem habens ad dictamē rectæ rationis. Idem parte ij. in recommendatione licentiandorum in decretis, ait: Dominus ſicut fecit hominem, vt ſibi ſoli ſubiectus dominaretur cæteris rebus mortalibus: ita ſibi indidit præ cæteris rationem tanquam legem intimam & vnicam. Neq; enim propter aliud dicitur homo factus ad imaginem & ſimilitudinem Dei, niſi quia ſui capax per rationē effectus eſt. Aug.& expoſitores Catholici. Et idem Gerſon part.iiij. in deſcriptionibus terminorum ad theologiam vtilium, dicit: Lex eſt recta ratio practica ſecūdum quam motus & operationes rerum in ſuos fines ordinatè regulantur. Vel eſt ipſa talis regulatio in quocunque. Lex ſecundum Alexand.de Ales in iij.parte ſummę, eſt ſanctio ſancta, præcipiens honeſtum, prohibensq; cōtrarium. Et dicitur lex à ligando, id eſt obligando: vt ſcribit Gabriēl diſt.xxxvij.quæſt.vnica, ar.j.libr.iij. Vel à legendo, id eſt dictādo quid agendum ſit, vel quid publicè legatur. Et quamuis iſte terminus lex ſit generalis ad omnem legem creatam vel increatam, naturalem, humanam, vel diuinam, ſcriptam vel non ſcriptam: tamē quandoq; reſtringitur ad vnam ſpeciem, vt dicit Petrus de Aliac. Et quia lex decalogi obligatoria eſt, quæ & præceptiū & mandatum dicitur, extēdendo præceptum ad prohibitionem: dicendum eſt de ea, de qua videatur Gerſon lec.ij.de vita ſpirituali animæ, & in de pot.Eccleſ.cōſid.vlt.

Lex obligatoria (vt notat Gabriēl diſtinct.xxxvij. quæſt.vnica, artic.j.libr.iij.) eſt ſignum verum reuelatum creaturę rationali, quod eſt notificatiuum rectæ rationis dictantis ligari eam ad aliquid agendum vel non agendum, ad vitam æternam conſequendam, & damnationem euitandam, vt ſcribit Gerſon de vita ſpirituali animæ, lect.ij. Dicitur ſignum notificatiuum, quia nulla lex (inquit Gabriēl vbi ſupra) obligat liberum arbitrium, ſi notificata non fuerit: alioquin naturaliter ſatui & inſenſati, imò & bruta dicerentur obligati, & legem obligatoriā habere, cuius tranſgreſsio eſſet imputabilis ad pœnā, & obſeruatio ad præmiū: quod nullus dicit.

Sed

Sed quid de paruulis in vtero mortuis eſt dicendum, quod ibi nec eſt lex, nec præceptum, cuius tranſgreſsio imputatur ad nonam culpam actualem: ſed eſt ibi quoddam ſtatutũ diuinum, quo non obſeruato, non redditur hæreditas amiſſa in Adam primo parente. Vnde abſque libera commiſsione vel omiſsione ad cuius oppoſitum rationalis creatura obligata fuerat, peccatum eſſe non poteſt. Nullus quoque qui ignorantiam inuincibilem ſufficienter allegare poteſt, tranſgreſſor legis appellari poteſt, nec quo ad Deum, nec quo ad homines: plerunque tamen apud homines aliquis eſſe ſciens præſumitur, quia non poteſt iuridicè per teſtes iuſtam ignorantiæ cauſam aſsignare propter quod damnatur quandoque apud homines ille, qui verè eſt innocens apud Deum. An autem ſaluentur ignorantes legem, dicit Petrus Aliaceñ. quæſt. ij. artic. ij. in fine libr. iiij. Si alicubi eſſent ignorantes legem & nomen Chriſti, ſcilicet quod lex illa ſiue præceptum baptiſmi eos non arctat, nec illam ſeruare tenẽtur, ſed de eius non obſeruantia per ignorantiam excuſantur, tamen pœnam legis iuſtè ſubire compelluntur. Exemplũ de latrone qui legem hanc quòd latro ſuſpendatur ſeruare non tenetur, quia non debet eſſe homicida ſui, & tamen pœnam legis per iudicem iuſtè compellitur ſuſtinere. Sic dicendum eſt de infantibus qui decedunt ſine baptiſmate, ſcilicet quod impotẽtia eos excuſat ab obſeruantia præcepti de baptiſmo habẽdo, & ideo eis non imputatur ad culpam nouam, quod non fuerunt baptizati: & ita de circuncisione, ſed non ſequitur quod non damnentur, quia ſola anima Chriſtiana ſaluabitur, & quæ pactum Dei ſeruauerit, quod non eſt in iſtis, ideo damnantur: non quia culpam incurrerunt ex non obſeruantia, ſed quia pactum non ſeruauerunt. Hæc Dominus Cardinalis vbi ſupra. de quo legito aliàs latiùs.

Et lex eſt triplex, ſecundum quod triplex eſt ſignum notificatiuum, ſcilicet mentale, vocale & ſcriptum: ſic triplex eſt lex, ſcilicet indita ſiue per inſpirationem, ſiue per naturalem dictaminis euidentiam, ſiue per doctrinam. Lex prolata, lex ſcripta ſiue quod idem eſt lex mentalis, vocalis & literalis. Et dicitur in deſcriptione legis, vbi ſupra, ſignum verum, quia ſigna falſa & ſi quandoque ligare dicuntur per accidens, quomodo ligat conſcientia erronea, nihilominus de per ſe, & propriè legis obligatoriæ vim non habent. Dicitur rectæ rationis, quia ſignum rationis erroneæ propriè non eſt obligatorium, etiam ſi ſignum eſſet verum. Gratia exempli: vt ſignum ſiue propoſitio explicans præceptũ aliquod emanaſſe à ſuperiore iniuſtum: quamuis ſignum ſit verum, tamen non eſt obligatorium, quia non eſt ſignum rectæ rationis. Mandatum enim iniuſtum non emanat à recta ratione. Dicitur dictantis ſeu volentis ligari creaturam rationalem, &c. Ad excludendum legem conſultoriam aut permiſsiuam. Etiam ad innuendũ quod recta ratio præcipientis vna cum voluntate, eſt ratio obligationis inferioris, id eſt, qua inferior obligatur. Nam quantumcunque notificetur voluntas ſuperioris, niſi per illam velit ligari inferiorem, non conſurgit obligatio. Vnde nec tenemur nos cõformare in omnibus diuinæ voluntati, niſi cùm Deus vult nos illi conformari, hoc eſt non tenemur velle quicquid Deus vult, etiã cognitũ vt tale. Sed tenemur velle quicquid Deus vult nos velle, diuinæ tamen voluntati cognitæ tenemur non remurmurare. Hæc Gabriel vbi ſupra. & in primo diſtinct. vlti. &c.

Lex præceptiua (vt ſcribit Gerſon parte iiij. in diffinitionibus terminorum ad theologiam vtilium) propriè eſt lex libero arbitrio inſinuata ſigno, verbo, aut ſcripto, iubens ſub pœna diſſolutionis amicitiæ inter Deum & liberũ arbitrium, ne pro commodo vel incommodo violetur, & lex præceptiua & ſi multipliciter diuidi poſsit, tamẽ ſolet à Doctoribus diuidi in legem diuinã, naturalem, & humanam ſiue poſitiuam.

Lex diuina eſt ſignum verum creaturæ rationali reuelatum, notificatiuum rectæ rationis diuinæ volentis teneri illam, ſeu ligari ad aliquid agendum vel non agendum pro cõſecutione fœlicitatis æternæ. Et dicitur reuelatũ ad excludendum legem naturalem & humanam, quę non habentur per reuelationẽ immediatè à Deo. Dicitur pro cõſecutione ad excludendum leges politicas etiam à Deo reuelatas: vt ſunt leges veteris teſtamẽti, quę dicũtur iudiciales. Vnde nõ ideo pręciſe dicitur lex aliqua diuina ſeu de iure diuino appropriate, quia reuelata. Tradidit enim Deus plures leges patrib⁹ vete. teſt. pro regimine politico & ciuili: vt puta iudiciales, quę nõ immediata & directa intẽtione ordinãt ad finẽ vltimũ & ſupernaturalẽ: ideo nõ ſunt propriè diuinę. Et lex diuina (vt ſcribit Aliaceñ. q. veſperiarum) vt ſumitur pro lege diuinitus inſpirata, qualis eſt lex Moyſi vel Chriſti. Vno modo poteſt ſumi pro aliqua regula vna data à Deo aliquid pręcipiẽte vel prohibẽte. Alio modo pro aliqua vna cõgregatione plures tales regulas continente, qualiter tota doctrina Chriſti, dicitur lex Chriſti. Sic capiẽdo adhuc ſumi poteſt ſtrictè pro aliqua totali cõgregatione ſolũ cõtinente pręcepta & prohibitiones, quia hęc duo ſolũ pertinẽt ad legẽ ꝓpriè dictã. Alio modo poteſt ſumi largè pro aliqua totali cõgregatione: nõ ſolũ cõtinente pręcepta & prohibitiones, ſed etiam conſilia & promiſsiones pręmiorũ, cõminationes ſuppliciorũ, & multa huiuſmodi, quę licèt nõ ſint de ſubſtãtia legis proprię, quia nec ligãt, nec obligãt, eò quòd his nihil imperatur aut prohibetur: ipſa tamẽ ſunt fortiſsima adiutoria ad legẽ ſuſtinendam: ideo dicũtur partes legis diuinæ cõmuniter dictæ. Et lex diuina ſecundũ Gerſonẽ par. iiij. in deſcrip. ter. ad theolog. vtil. in hominibus propriè eſt lex per diuinã reuelationẽ acceptã ad regimen plurimorũ pro fine beatitudinis principaliter ordinata. Primũ ponitur ad differentiã legis priuatæ: aliud ad differentiã legum iudicialiũ in antiqua lege. Et in lege purè diuina (vt ſcribit Gabr. diſtin. xxxvij. quæſt. vnica, arti. j. libr. iij.) aſsignari poſſunt quatuor gradus. In primo ponuntur leges immediatè reuelatæ à Deo pro tota communitate hominum, aut principaliori parte ſcriptæ in Biblia: & præſertim in Euangeliis latis à Chriſto ad conſecutionem beatitudinis. In ſecundo gradu ponuntur leges diuinæ, quæ ex præcedentibus ſolis deducuntur in conſequentia euidenti. In tertio gradu

ponuntur leges diuinæ ex prædictis deductæ per ſucceſsiuam relationem Apoſtolorum & aliorum, æquiualentem ſcripturæ canonicæ: ſicut determinationes Eccleſiæ, quæ ſpiritu ſancto creditur regi. In quarto gradu ſunt leges ſpecialiter inſpiratæ & reuelatæ quibuſdam ſingularibus perſonibus pro ſe, aut pro paucis ad hoc electis. De quo plura ſcribit Gerſon de vita ſpirituali animæ, lect.ij.Coroll. vij. Et lex diuina, ſecundum Iacobum de Valentia Pſalm.118. nihil aliud eſt niſi effectus & ſignum & imago diuinę voluntatis: quia in ea lucet & manifeſtatur diuina voluntas erga actus humanos. Et ideo lex iſta dicitur recta & iuſta, quia eſt lata & condita iuxta diuinã voluntatem, quæ dicitur metrum & menſura omnium actuum humanorum. Et ideo actus humani intantũ dicuntur & ſunt iuſti & recti, inquantum ſunt facti iuxta diuinam legem, & ſunt ipſi conformes. Et tota lex diuina (vt idem ſcribit) cõſiſtit in dilectione Dei & proximi, vt ait Saluator Matth.22.& Luc.10. ſed in tali dilectione oportet quod ſeruetur ſpecies, modus & ordo, ſecundum Auguſtin. id eſt quod diligas illud, quod diligendum eſt, & modo & ordine quo diligendũ eſt: vt latiùs ibi ſcribit Epiſcopus Chriſtopolitanus. A lege autẽ diuina nulla lex, aut obligatio purè humana poteſt abſoluere aut excipere vel inſtituere quod modò obſeruetur, vt ſcribit Gerſon part.ij.tractatu de non eſu carnium.

Lex diuina ſecundum diuerſos effectus diuerſis nominibus nominatur in ſcriptura (vt notat Iacob. de Valentia tract.iiij.cap.iiij. prologi ſuper Pſalm. inquantum ligat & obligat hominem, dicitur lex Domini. Sed inquantum eſt à Deo prolata & ſcripta in tabulis, dicitur ſermo Domini, ſiue eloquiũ Domini. Sed inquantum prohibet mala fieri, dicitur præcepta ſiue præceptum, inquãtum autem admonet bona fieri, dicitur mandatum ſiue mandata. Sed inquantum eſt teſtificata à Deo & Prophetis, dicitur teſtimonium Domini. Sed inquantum per legem cognoſcimus voluntatẽ Domini, dicitur voluntas Domini. Sed inquantum fuit cõfirmata per mortem Chriſti teſtatoris, dicitur teſtamentũ Domini. Sed inquantum iuſtificat obſeruantes, dicitur iuſtitiæ ſiue iuſtitia Domini. Sed operationes quæ fiunt ſecundum iuſtitiam, dicuntur iuſtificationes. Sed punitiones & præmiationes quæ fiunt per iuſtitiam, dicuntur iudicia Domini. Inquantum verò ducit & dirigit homines, dicitur via. Item inquantum eius ſcripta omnia ſunt impleta in Chriſto, dicitur veritas. Inquantum ſumus per eam liberati, dicitur miſericordia: inquantum Deo pacificati, dicitur pax. Dicitur & lignum vitæ, & hoc metaphoricè, quia Deus dedit hanc legem loco ligni vitæ, in quo Adam præuaricatus eſt vt eam ſeruaret & coleret, expectando ex ea fructum vitæ. Et Patres veteris teſtamẽti eam ſeruarunt vſq; ad tempus Chriſti. Dicitur & lex Domini & vinea Domini, Matthæi 2.& 22. quæ data eſt nobis ad colendum. Dicitur etiam ſeges lex diuina. Vnde Chriſtus Luc.9. dixit: Meſsis quidẽ multa. Et Ioan.4. Aſpicite meſſes, quoniam albæ ſunt. Hæc latiùs declarat Iacob. de Valen. vbi ſupra, & Pſal.118.

Lex æterna (vt ſcribit Auguſtin. cõtra Fauſtum, &

refert Petrus de Aliaco in primum ſen.) eſt diuina mens ſeu voluntas ordinem naturalem ſeruari iubens, turbari vetans. Vnde patet ſecundum eundem, quod ſicut voluntas diuina eſt ſimpliciter prima in genere cauſæ efficientis, ſic ipſa lex ſimpliciter prima in genere legis obligãtis. Quare ſicut nulla cauſa poteſt agere ipſa non agente: ſic nulla lex poteſt obligare ipſa non obligante. Vel lex æterna eſt ſumma ratio, cui ſemper obtemperãdum eſt ſecundum Auguſt. vbi ſupra. Et ſecundũ Gerſonem par.iiij. in deſcriptionibus terminorũ ad theol. vtil. Lex æterna eſt diuina voluntas ordinatiua rerum à ſua arte producibiliũ vel productarũ, quo ad operationes & motus, & fines ſingularũ. Vel eſt perpetua & cõſtans volũtas, ius ſuũ vnicuiq; tribuens.

Lex prima (vt ſcribit Gerſon vbi ſupra) eſt beneplacitum ſeu voluntas ſupremi Domini Dei, præſtituentis rebus à ſe conditis fines ſuos, & motus, & operationes ad illos. Vel ſic: Lex prima eſt diuina voluntas præſtituens ordinem rebus à ſe conditis, &c. & ſecundum Aliaceñ. dicitur lex increata.

Lex Euangelica dicitur lex perfectę libertatis, quia liberat à ſeruitute pręuaricationis, vt ſcribit ſanctus Bonauen. diſt.xliiij.q.penult.lib.ij. ſiue etiam à ſeruitute legis, dum in ea datur ſpiritus charitatis, qui eſt ſpiritus libertatis: ſecundũ illud quod dicit Apoſtolus Rom.8. Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed ſpiritũ adoptionis filiorum. Et ideo ex hoc non ſequitur, qui eſt ſub lege Euangelij ſit liberatus à ſeruitute terreni dominij, &c. Et lex Euangelica nominatur quinque nominibus (vt ſcribit Iacobus de Valentia Pſalm.18.) Dicitur enim lex inquantum fuit à Chriſto lata. Secundo, dicitur teſtimonium inquantum fuit à Deo Patre approbata & teſtificata in baptiſmo, & in transfiguratione, cùm dixit: Hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite. Fuit etiam teſtificata per Prophetas & Angelos. Tertio, dicitur iuſtitia inquantum iuſtificat ratione conſiliorum & mandatorum affirmatiuorum & ſacramentorũ. Quarto, dicitur præceptum ratione prohibitorum, quia prohibet omne vitium. Quinto, dicitur iudicia, inquantum tribuit pręmium obſeruatoribus. Ex quo patet, quod vna & eadem lex habet multa nomina ſecundum diuerſos reſpectus. Sed quia in tota lege nihil iubetur niſi charitas & dilectio Dei & proximi: quia in his duobus mandatis vniuerſa lex pendet & Prophetæ, vt patet Matth.22. Ideo tota lex de cultu diuino, quæ pertinet ad dilectionem Dei: vel de præceptis moralibus, quę pertinẽt ad dilectionem proximi, vt ſcribit Iacobus de Valentia Pſalm.49. Et vt idem ſcribit Pſalm.118. lex Euangelica tripliciter iuſtificat, & facit hominem dignum vita æterna. Primò, per fidem, inquãtum credit Ieſum Chriſtum eſſe verum Deum & hominem, & redemptorem totius generis humani Meſsiam in lege promiſſum. Secundò, iuſtificat per charitatem perfectam erga Deum & proximum. Tertiò, per ſpem, inquantum contemptis rebus terrenis ponit finem ſuum in cœleſtibus à Chriſto promiſsis. Et ſic non operatur propter aliquod præmium temporale, ſed propter vitam æternam promiſſam, &cæ. Et lex Euangelica dicitur lex ſeu regula Chriſti, & illa lex

poteſt

poteſt ſumi vno modo ſtrictè (vt ſcribit Dominus Cardinalis Cameraceñ.qu.veſperiatum) pro congregatione illorum, & ſimile eorum quæ docuerũt Apoſtoli & diſcipuli eius auctoritare ſua. Vnde lex Chriſti ſeu regula, dicitur tota doctrina Euangelica: intelligendo per Euangelium non ſolùm doctrinam quatuor Euangeliorum, ſed generaliter nouum teſtamentum. Quemadmodum doctrinam ſuant vocat Paulus Euangelium, 2.ad Timoth.1. Sed ſic capiendo adhuc poteſt multipliciter ſumi. Vno modo pro talis doctrinæ veritate, ſiue ſit in mente, ſiue in ſcripto, vel in voce. Alio modo poteſt ſumi pro talis veritatis vel obiecti intellectuali cognitione. Vnde non minus propriè dicitur lex vel præceptum, vel prohibitio ipſa cognitio agendorum, vel non agendorũ, quam ipſa veritas enuntians quid agendum, vel non agendum: ideo dicit venerabilis Hugo.1.de Sacramentis, parte.vj.cap. vj. Quid cognitio faciendorum fuit, niſi quædam ad cor hominis facta præceptio: & quid rurſum cognitio vitandorum, niſi prohibitio. Hæc autem cognitio poteſt eſſe multiplex, quia vel ſolũ apprehentiua, vel iudicatiua. Et ſi iudicatiua, vel cum formidine, vel cum certitudine. Et ſi cum certitudine, vel poteſt eſſe habitualis vel actualis: vel ab habitu acquiſito ſolùm, vel ab habitu etiam infuſo. Vnde ſecundum hoc loquendo propriiſsimè lex Chriſti poteſt dici fides infuſa, vel actus eius, quo creatura rationalis firmiter aſſentit doctrinę Chriſtianę veritatibus. Hæc Dominus Cardinalis Aliaceñ. Vltra legem autem veterem Dominus opus habuit inſtituere legem Euangelicam, vt ſcribit Gerſon parte ij. in recommendatione licentiandorum in decretis facta Pariſiis. Siquidem ad nihil perfectum adduxit lex antiqua, dicente Apoſtolo ad Hebræos ſeptimo: Nihil ad perfectũ adduxit lex. Erat enim figura & vmbra nouæ legis. Nam omnia in figura contingebant eis, ait Apoſtolus. Aduenıente igitur re, vel luce, impleta eſt lex non ſoluta. Ac perinde conſtituti ſunt Apoſtoli, Diſcipuli, & Euangeliſtæ, tanquam doctores huius legis, & cæteri ſucceſſores eorum, quos Theologos nominamus, non ſecundum corticem literæ, quæ occidit, ſed ſecũdum interiorem ſpiritum, qui viuificat. Hæc Gerſon. Cùm ergo lex Euangelica ſit regula, & diſpoſitio totius vitæ noſtrę, vt nos bonos efficiat, & Deo charos, & acceptos ad vitam æternam in quatuor conſiſtit. Primò pręcipit diuinum cultum, cùm dicit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, &c. & pręcipit omnes articulos fidei, cùm dicit: Si creditis in Deum, in me credite. Et ſic pręcipit ſpem, fidem, & charitatem, & latriam, & hoc quo ad Deum. Secundò pręcipit omnem innocentiam, & iuſtitiam, & puritatem, cùm dicit: Beati mundo corde. Tertiò prohibet omne vitium, & ſeparat prauos à iuſtis in meritis, cùm dicit: Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Matt.7. Quartò minatur perpetuam pœnam obſtinatis in iudicio, cùm dicit: Ite maledicti in ignem æternum. Et iſta quatuor continet lex Euangelica, quę docet quid agendum, quid credendum, quid petendum, & quid fugiendum. Hęc Dominus Iacobus de Valentia Epiſcopus Chriſtopo.

Lex creata ſeu participata, vt ſcribit Gerſon par.iiij. in deſcri.ter.theol.vtil.eſt participatio, vel emanatio, vel mutuatio, vel ſimilitudo quędã analoga legis æternę, vel effectus eius ordinem in rebus conditis, aut ſeruans, aut ſeruare dictans.

Lex naturalis obligatoria, vt ſcribit Gabr.diſtinct. xxxvij.q.vnica.art.1.lib.iij. eſt ſignum naturaliter habitum notificatiuum rectę rationis diuinę, volentis creaturam rationalem ligari ad aliquid agendum, vel non agendum, pro conſecutione finis ſui naturalis, qui eſt felicitas humana, ſiue monaſtica, ſiue iconomica, ſiue politica. Dicitur autem ſignum purè naturaliter habitum, quod inditum eſt cuilibet homini non impedito in vſu debito rationis. Impeditur autem per corpus, per errores, per vitia multa: & differt à diuina, quia hęc acquiritur per reuelationem. Lex verò naturalis ex naturali lumine intellectus, quamuis quicquid acquiritur lumine naturali intellectus, idipſum Deus poteſt immediate reuelare, ſicut patet in datione pręceptorum in vtraque lege veteri & noua. Differunt quoque ex parte finis. Nam lex diuinà de propinquo ordinat, & de per ſe ad felicitatem æternam. Naturalis verò ad felicitatem humanam huius vitę, in reliquis particulis conueniunt lex naturalis & diuina. Videatur de hoc Gerſon de vita ſpirituali animę lectione ſecunda, Corol.v. & parte iiij. in deſcriptione terminorum ad theologiam vtilium, vbi ait: Lex naturę eſt in rebus creatis regulatio motuum, & operationum, & rer dinationum in ſuos fines. Et legi naturali conſonum èſt (vt ſcribit Gabriël diſtinct.xv. queſt. [illegible] artic. iij.dubio.j.libr.iiij.) vt inutiles homines communis pacis, & reipublicę turbatores, quales ſunt fures, de medio tollantur.

Lex naturalis animalium (vt ſcribit Gerſon parte iiij. in deſcriptione terminorum ad theologiam vtilium) eſt lex quam habet quolibet animal non impeditum vel indiſpoſitum. Lex naturalis hominum, eſt dictamen legis practicum, quod natus eſt habere quilibet homo non impeditus in vſu rationis, nec ex indiſpoſitione corporis, nec ex deprauatione vitiorum.

Aliquid eſſe de lege naturæ dicitur dupliciter, ſicut dupliciter dicitur aliquid eſſe notum vel habitum (vt ſcribit Gabriël diſtinctione trigeſimaſeptima, quæſtione vnica, articulo primo libr.iij.) Primo modo dicuntur nota naturaliter, quæ ſunt principia practica: nota ex terminis, aut concluſiones ſequentes ex eis: & hæc ſtrictiſsimè dicuntur eſſe de lege naturæ. Alio modo dicuntur quædam naturaliter nota, & de lege naturæ: quia licèt non ſint neceſſaria, nec ex terminis euidentia, nec ex talibus ſequuntur in conſequentia ſimpliciter neceſſaria, ſunt tamen multa conſona iſtis. Hæc diſtinctio poteſt declarari exemplo. Nam ſuppoſito illo principio, pacificè viuendum eſt in communitate, non neceſſario ſequitur ex hoc quod quilibet debet habere diſtinctas poſſeſſiones: poſſet enim ſtare pax inter conuiuentes, etiam ſi illis omnia ſunt communia: etiam ſuppoſita infirmitate eorum qui conuiuunt, & tamen poſſeſsiones eſſe diſtinctas pro perſonis infirmis valde conſonat pacificæ conuerſationi.

Infirmi enim magis curãt bona ſibi propria quàm communia, & magis vellent communia eis appropriari quàm cõmunirari, & cuſtodibus bonæ cõmunitatis, & ita ſuſcitatur lis & contentio. Non autem omnia præcepta ſunt de lege naturæ, vt ſentit Scotus ſtrictè accepta: probat hoc idem Gabr. diſt. xxxvij. q. vnica. ar. ij. lib. iij. quia nõ omnia illa præcepta ſunt principia practica ex terminis euidẽtia, aut concluſiones ex illis in conſequentia neceſſaria illatæ. ergo. Sed duo præcepta negatiua primæ tabulæ ſunt de lege naturæ propriæ, vt ſunt illa duo præcepta: Non habebis deos alienos. Et: Non aſſumes nomen Dei tui in vanum: hoc eſt, non facies Deo irreuerentiam. Illa nanque ſunt principia practica ex terminis euidentia aut concluſiones ex eis neceſſario conſequentes. Nam ſuppoſito quod ſit naturaliter notum vnum tantum eſſe Deum, vt probat Philoſophus 12. Metaph. ſequitur formaliter alienum non eſſe habendum. Sequitur enim formaliter: Nihil quod non eſt Deus pro Deo eſt colendum ſeu habendum. Alienus Deus non eſt Deus: ergo alienus Deus pro Deo non eſt habendus. Præmiſſæ ſunt naturaliter, imò ex terminis notæ, & ſunt practicæ. Sic & ſecundũ præceptum ſequitur ex principiis per ſe notis: ſic arguendo: Summè reuerendo non eſt irreuerentia facienda: Deus eſt ſummè reuerendus, quia ſummè bonus, ideo ei non eſt irreuerentia facienda. Secundæ verò tabulæ præcepta, tam affirmatiua quàm negatiua, ſunt de lege naturæ, non ſtrictè, ſed largè accepta. Non ſtrictè, quia eorum quę ibi præcepta ſunt, aut prohibita non ſunt principia practica ſimpliciter neceſſaria, nec concluſiones ſimpliciter neceſſariæ, ſed ſunt de lege naturæ communiter accipiendo: de quo plura legito apud Gabriël. Legis quoque naturalis ſtrictè præcepta non ſunt diſpenſabilia: vt ibidẽ dicit Gabr. concluſ. iiij. quia illa fundantur in primis principiis euidentibus & neceſſariis, quæ quia neceſſaria mutari non poſſunt, quia euidentia ſunt, declaratione nõ indigent: ergo non ſicut diſpenſabilia. Et quãuis Legiſlator Deus circa obſeruantiam præceptorum ſecundæ tabulæ ſimpliciter diſpenſare poſſet per præcepti relaxationẽ, non tamen ſic diſpenſat de facto propter magnam eorum cum lege naturæ propriæ proximationem. Non enim illud implicat contradictionem. Vnde negandum non eſt quin Deus præcipere poſsit alicui occidere innocentem cùm plenum habeat dominium & poteſtatem occidendi & viuificandi. In quo caſu reuocaret præceptum de homicidio, quantum ad illum cui oppoſitum eius præciperet. Si enim legitur præcepiſſe Abraham vt occideret Iſaac filium ſuum. Geneſis 22. Sic Oſee mandauit vt acciperet fornicariam, & faceret filios fornicationis. Oſee 10. quamuis ſecundum Doctores, non præcepit Oſee fornicari, ſed contrahere matrimonium cum fornicatrice, poſt contractũ tamen continente: licèt etiam ad literam hæc præcipere potuiſſet. Cùm non ſit magis legi naturæ diſſonum fornicari quàm occidere innocentẽ. Itẽ ſentiũt Doctores de Sanſone, quod inſtinctu ſpiritus ſancti ac familiari eius cõſilio ſeipſum cum Allophilis interemit: ergo reuocatum eſt quãtum ad eum præceptum: Non occides. Gabr. vbi ſupra.

Lex humana quæ & poſitiua & præceptiua dicitur, eſt ſignum verum humana traditione, & auctoritate in mediatè conſtitutum notificatiuum rectæ rationis volentis rationalem creaturam ad aliquid agendum vel non agẽdum propter finem aliquem rationi conſonum, vel temporalem obligare. Et ſecundum hos duplices fines diſtinguitur ius humanum ſiue lex humana in legem canonicam & ciuilem, quæ duntaxat diſtinguitur ex parte finis. Nam finis legis canonicæ eſt conſecutio felicitatis æternæ in qua concordat cum diuina. Finis legis ciuilis eſt felicitas humana, monaſtica, politica, vel icõnomica, in qua conuenit cum lege naturali. Poteſt tamen eadem lex eſſe diuina, naturalis, & humana, alia tamen & alia ratione: de quo vide latiùs Gerſonem lect. ij. de vita ſpirituali animæ, & in de poteſt. Eccleſ. conſid. vlt. Ad hoc videatur & Gabr. diſt. xxxvij. q. vnica. art. j. libr. iij. Et Gerſon parte iiij. in deſcript. ter. ad theo. vtil. Lex humana ſeu poſitiua eſt lex per ratiocinationem ex lege naturali deducta in conſequentiis probabilibus ad finem debitum humanæ creaturæ. Dicitur autem probabile, quod pluribus & maximè ſapientibus apparet verum. Lex poſitiua iuſtè requirit in Legiſlatore prudentiam & auctoritatem. Prudẽtiam, vt ſecundũ rectam rationem practicam dictet quid faciendum pro communitate. Auctoritatem, quia dicitur lex à ligando, ſed non quæcunq; ſententia prudentis ligat communitatem, nec aliquem ſi nul li præſideat, &c. Hæc Sco. di. xv. q. ij. libr. iiij. Et vt ſcribit Dominus Cardinalis Camer. Quicquid eſt iuſtum lege humana, eſt iuſtum lege diuina. Nam omnis lex humana debet eſſe conſona legi diuinæ. Ex quo ſequitur quod nullum Principis ædictum, Prælati præceptum, Politicæ ſtatutum, aut Eccleſiæ decretum eſt iuſtum vel iuſtè obligatorium, niſi ſit diuinæ legi conſonum. Vnde Auguſtinus de vera religione cap. xxij. & lib. j. de libr. arbitr. vbi dicit, quod in temporali lege nihil eſt iuſtum, quod non ex æterna lege homines ſibi deriuarint: quicquid igitur (vt poſtea Aliaceñ. dicit) eſt iuſtum iure poli, eſt iuſtũ iure fori, & econtrà. Et ideo ſic oſten dit Ioan. Salesberienſis in ſuo Policratico libr. iiij. cap. vj. omnium legum inanis eſt cenſura ſi non diuinæ legis imaginem gerat. Vnde Aliacenſis ait: Quicquid eſt iuſtum aliquo iure, eſt iuſtum iure diuino: & quicquid diuino iure eſt iuſtum, nullo iure iniuſtum, vt clarũ eſt. Ex quo patet, quod quicquid eſt iuſtum in foro interiori, eſt iuſtum in foro exteriori. Hæc Cardinalis in principio in primum Sen. Vnde Scotus diſt. xliiij. lib. j. ait: Nulla lex eſt recta niſi quatenus à voluntate diuina acceptatur. De lege humana & poſitiua non parum ſcriptis reliquit Gerſon in multis locis.

Lex priuata (vt ſcribit Gerſon part. iiij. in deſcrip. ter. ad theo. vtilium) eſt lex per diuinam reuelationem accepta ad regimẽ perſonę ſingularis vel paucorum. Diuina autem reuelatio eſt illuſtratio humanæ naturæ rationalis, ad quam habendam vel modum habendi ipſa de communi curſu ſibi indito non attingit.

Lex ciuilis & temporalis (vt idem ſcribit Gerſon vbi ſupra) eſt lex humana ad finem naturalem ſocialis

cialis vitæ bene regulandæ immediatè & principaliter ordinata, & per illum qui curam communitatis gerit ſufficienter promulgata. Sed lex ciuilis & ſpiritualis eſt lex humana ex principiis creditis, vel per ſe notis, probabiliter deducta, ad finem ſupernaturalem immediatè & principaliter ordinata, per illum vel illos qui curam cōmunitatis habent ſufficienter promulgata.

Lex charitatis ſecundum eundem Gerſonem in via, eſt ius propinquum fruendi Deo propter ſe, & cæteris omnibus vtendi propter Deum, quomodocunque iuſtè placuerit ad meritum vitæ æternæ. Gerſon.

Lex conſiliatiua ſecundum eundem vbi ſupra. Vel conſiliū eſt lex libero arbitrio inſinuata, cuius obſeruatio laudem habet, & violatio culpā nō habet. Sed lex cohibitiua (vt ibidem ſcribit) quaſi media inter præceptum & conſilium, eſt lex libero arbitrio inſinuata ſigno aut verbo, aut ſcripto, ligans ne violetur, cuius tamen violatio non eſt diſſolutiua amicitiæ & vnitatis inter Deum & liberum arbitrium, nec inter homines ad inuicem. Hæc Cancellarius Pariſienſis.

Lex vt ſit iuſta, duo ſunt neceſſaria (vt ſcribit Gabriël diſt.xv.q.ij.lib.iiij.) auctoritas & prudentia, qua ſecundum rectam rationem habens auctoritatem, dictet quid faciendum, & quid expediat ad finem debitum, & ad pacificam conuerſationem, & neceſſariam cōmunitatis ſuſtentationem. Ex quo patet vnde eſt iuſtitia in proprietatum poſſeſſione, & dominiorum rerum. Nam quicquid ſecundum leges huiuſmodi inſitas poſſidetur, iuſtè poſſidetur; quod verò contra eas tenetur, iniuſtè tenetur. Dicitur & lex iuſta ſecundum eundem Gabrielem diſt.xvj.q.iij.ar.j.lib.iiij. poſt beatum Tho.prima ij.q.xcvj.ar.iiij.ex fine, ex actore, & ex forma. Ex fine, quando ordinatur ad bonum commune. Ex actore, quando non excedit poteſtatem ferētis. Ex forma, quando ſecundum proportionem imponuntur ſubditis onera in ordine ad bonum commune. Et ſecundum hoc leges huiuſmodi onera inferētes proportionabiliter vnum non plus alio grauantes iuſtæ ſunt, per oppoſitum iniuſtæ ſunt, ſi excedunt limites facultatis ſtatuentis. Aut quia non faciunt ad vtilitatem boni communis, ſed magis ad cupiditatem propriam ſtatuentis, aut gloriam eius. Vel etiam ſi onera inæqualiter imponuntur multitudini: licet ordinetur ad bonum commune. Et in foro conſcientiæ non ligat, niſi fortè ad vitandum ſcandalum, vel turbationem: propter quod etiam quis debet iuri ſuo cedere, ſecūdum illud Matth.5. Qui angariauerit te mille paſſus, vade cum eo alia duo: & qui abſtulerit tibi tunicā, da ei & pallium. Sunt etiam leges iniuſtæ, cùm fuerint contrariæ mandatis diuinis: ſicut leges tyrannorum inducentes ad idolatriam, aut alia peccata: & tales leges non ſolùm non obligant, ſed omnino non ſunt ſeruādæ: quia oportet plus obedire Deo quàm hominibus. Act.4. Hæc Thomas.

Lex iniqua (vt ſcribit Gabriël diſt.xv. q.vj. art.iij. dubio.iij.lib.iiij.) dicitur quæ eſt contra ius naturale vel diuinum, aut etiam contra ius poſitiuum, contra libertatem Eccleſiaſticam, aut facta ad opprimendos pauperes, & iuſtitiam impediendam, vt dicit Hoſtienſis lib.v.de reſtitut.§. Quid de cōdentibus leges iniquas, multa iura ad hæc allegans. Et licèt de iure talia ſtatuta non valeant, tamen facientes ea, & conſentientes, ac voluntariè ea obſeruantes, atque ſecundum ea iudicantes, peccant mortaliter: & ſi ſunt contra Eccleſiaſticam libertatem, ſunt excommunicati. Statuentes quoque tales leges reſtituere, tenētur omne damnum quod prouenit alicui ratione talis legis: & ſimiliter obſeruātes & aliquid per eas adquirentes: multis probat Gabriël.

Differunt eſſe in lege & ſub lege, vt ſcribit diuus Auguſtinus ſuper illud Pſalm.1. Sed in lege Domini. Vnde qui eſt in lege, ſecundum legem agit: qui eſt ſub lege, ſecundum legem agitur. Ille verò liber eſt, iſte ſeruus. Deinde aliud eſt lex quæ ſcribitur & imponitur ſeruienti. Aliud lex quæ mente conſpicitur ab eo, qui non indiget literis. Et eſſe ſub lege (vt ſcribit ſanctus Bonauentura diſtin.j. libro iij. circa textum) dicitur tribus modis, vel quantum ad cauſam, vel quantum ad obſeruationem, vel quantum ad motiuum. Quantum ad cauſam ſunt illi, qui nati ſunt ſub peccato. Quantum ad obſeruationem ſunt iſti, qui legem obſeruant. Quantum ad motiuum ſunt illi, qui timore ſeruiunt. Chriſtus itaque non fuit ſub lege quantum ad cauſam, vel quantum ad motiuum, ſed ſolum quantū ad obſeruationem, aliter tamen quàm alij homines: quia eſſe ſub lege quantum ad obſeruationem, poteſt eſſe dupliciter: vel quantum ad obedientiam obligatoriam, vel quantum ad obedientiam ſpontaneam. Et primo modo ſunt homines: Secundo modo Chriſtus qui ſe mera liberalitate legalis obſeruantiæ (vt exemplum daret) veri obedientis, ſubdidit. Vnde Apoſtolus ad Galatas quarto. & refert Magiſter Sententiarum in principio iij. Sententiarum. Cùm venit igitur plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum factum de muliere, factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erant redimeret, vt in adoptionem filiorum Dei reciperemur.

DE LEGIBVS veteris Teſtamenti.

Leges veteris teſtamenti quædam dicuntur iudiciales, quædam ceremoniales, quædam morales, vt notat Gabriël diſtinct.xxxvij.quæſt vnica. artic.j. libr.iij. Morales fuerunt præcepta de actibus virtutum, de quorum numero eſt decalogus, quæ etiam habemus in noua lege. Et moralia ad ius naturale pertinent: & ideo nullam mutabilitatē recepiſſe monſtrantur. Ceremonialia fuerunt præcepta de actibus exterioribus diuini cultus, quibus ſcilicet homo diuinam ſeruitutem profitetur, vt ſacrificium, veſtes ſacerdotales, templi introitus, quæ dicuntur ceremonialia, vt recitat ſanctus Thomas prima ſecundæ, quæſt.xcix.artic.iij. quaſi munera Cereris, quæ dicebatur Dea frugum, eò quòd primò ex frugibus oblationes Deo offerebātur. Vel vt Valerius Max. refert, à Cere oppido iuxta Romam, eò quòd ibi ſacra Romanorum oblata ſunt.

Inde pręcepta legis quę ad exteriorē Dei cultū pertinent, ceremonialia dicuntur. Et dicitur ad exteriorem cultū, quia actus interioris cultus Dei ſunt actus virtutum moralium, ſcilicet fidei, charitatis & ſpei. Et lex vetus (vt inquit Rabbi Salomon) bene habebat ſexcenta præcepta ceremonialia: ideo grauior lege noua. De qua aliàs dicetur, & infra. Iudicialia ſunt de actibus particularibus iuſtitiæ obſeruandę inter homines, vt eſt illud: Oculum pro oculo, dentem pro dente. Hæc triplicia præcepta tanguntur Deutero. 6. vbi dicitur: Hæc ſunt præcepta, ceremoniæ, & iudicia. Præcepta antonomaſicè dicuntur moralia. Ceremoniæ & iudicia, præcepta de exterioris cultus diuini actibus & de iuſticialibus retributionibus. Et quantum ad iudicialia, lex noua eſt leuiſsima, quia nulla iudicialia Chriſtus imponit, vt plenius videre poteris apud Gabriëlem diſt. vltima libri tertij. Fuit autem (vt ſcribit Scotus diſtin. vltima libr. iij.) vetus lex multò grauior noſtra lege. Et poſt alia dicit: Et ideo noſtra ſacramenta, quæ habent efficaciam in virtute paſsionis Chriſti iam exhibitæ, plus cōferunt de gratia quàm ſacramenta veteris legis. Habemusq; & doctrinam magis explicitam, & exempla ſanctorum plura & efficaciora ad imitādum: & etiam plura merita ſanctorum, qui non tantum ſibi, ſed & nobis meruerunt, ac nobis ſuis interceſsionibus auxiliantur. Eſt & adiutoriū valde notabile, quia nobis pro obſeruatione legis Chriſtianæ promittitur explicitè vita æterna. Illa autem rarò vel nunquam explicitè niſi bona temporalia. Hæc omnia Scotus & alia. Videatur ad hoc Gabriël diſt. vlt. lib. iij qui & dicit quod lex vetus fuit multò grauior, quantū ad multitudinem & difficultatem obſeruando quàm noua lex, præſertim quo ad ceremonialia. Lex enim noua ſecūdum Auguſt. paucis & manifeſtis ritibus eſt cōtenta. Non enim habet lex noua niſi ſeptem ſacramenta, quæ etiam non ſunt omnibus Chriſtianis neceſſaria: non enim omnes contrahunt matrimonium, nec omnes ſuſcipiunt ordines. Sed neceſſarius eſt baptiſmus, & poſt lapſum pœnitentia. Lex quoq; noua gratiæ & Euangelij diſtat præceptis, ſacramentis, & promiſsis, à lege veteri, quamuis quo ad moralia ſunt eadem præcepta in vtraq; lege. Id quod diffuſe probat Gabriel q. vlt. libr. iij. Lex inſuper vetus dicitur lex timoris: noua verò lex amoris. Et ideo ſecundum beatum Thom. diſt. vlt. lib. iij. q. iiij. artic. ij. Et poſt eum ſcribit hæc eadem Gabriël diſt. vlt. ar. iij. lib. iij. quia lex noua ex oſtenſione diuinæ charitatis initium ſumpſit: quia in effuſione ſanguinis Ieſu Chriſti, quæ fuit perfectiſsimæ charitatis ſignum, in eo etiam nouum teſtamentum confirmatum eſt. Lex autem vetus in oſtenſione diuinæ poteſtatis (quæ timorem incutit) & initium ſumpſit. Vnde & in ipſa legis datione propter fulgura, voces & tonitrua terror audiētes inuaſit, vt dicerēt: Non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur. Exod. 20. Sic & lex vetus ad ſui obſeruantiā homines inducebat per comminationem pœnarum. Noua verò lex per beneficia exhibita & ſperanda. Item lex vetus eſt imperfectorum, ſecundum illud ad Hebr. 7. Nihil ad perfectum adduxit lex. Noua verò perfectorum ſecundum Matth. 5. Eſtote perfecti, ſicut & pater noſter cœleſtis perfectus eſt. Imperfectorum autem eſt timere ac cauere malum, operari bonum, timore pœnæ: perfectorum verò eſt amare. Siquidem perfecta charitas foris mittit timorem. Hanc charitatem præcipit Chriſtus Legiſlator noſter, & tanquam ſignū ſuæ legis ac diſcipulatus præſtituit, dicens, Ioan. 13. In hoc cognoſcent omnes quia mei diſcipuli eſtis, ſi dilectionē habueritis ad inuicem. Hæc Gabriël in fine lib. iij. ſententiarum. Quomodo autē vetus lex ceſſauerit, vide ſupra in dictione *Ceſſatio*. Et ſi accidentalia legis fuerunt mutata & abolita, & officialia. Sed eſſentialia legis ſemper manſerunt vna & eadem. Nam ſemper fuit vnus Legiſlator & conditor vtriuſq; legis. De quo conſulito Iacobum de Valentiā. Latius tracta. iij. ca. ij. regula ſiue claue. vij. prologi ſuper Pſal. Et ſecundum eundem Pſalm. 24. Lex vetus nihil aliud fuit niſi quędam via dirigens in Chriſtum, tanquam in finem immediatum: & ideo nuſquā petit regnum cœlorum, ſed ſemper petit Chriſtum Meſsiam futurum, qui doceat viam in regnū cœlorum. Et ideo ſicut lex vetus dicitur via in Chriſtū, ita lex Euangelica dicitur via in regnū cœlorum. Et ideo Chriſtus dicitur oſtium, Ioan. 10. Et dicitur via, veritas, & vita, Ioan. 14. Et lex vetus dicitur teſtimonium, vt idem Valent. ſcribit Pſal. 77. Primò, quia fuit per Angelos teſtificata. Secundò, quia repoſita eſt arca teſtimonij contra præuaricatores, Deut. 31. Tertiò, quia tota lex vetus facit teſtimonium de Chriſto futuro. Ideo ait Saluator, Ioan. 5. Scrutamini ſcripturas, quia ipſi teſtimonium perhibent de me. Nam Moyſes de me ſcripſit, &c.

Lex talionis eſt qua par pœna redditur, qua redditur vita pro vita. Et pœna talionis ſi lege detinetur iuſta eſt, quia naturali rationi conſona, & approbata, non ſolùm lege Moyſaica, ſed etiam Euangelica. De hac lege ſcribit Scotus, & poſt eum Gabr. diſt. xv. lib. iiij. ſenten. qu. xv. Optimè, inquit, prouiſum eſt communitati, vbi ſtatuta eſt lex talionis, maximè in cauſa homicidij, ſicut in lege veteri ſtatuta erat. Vnde Exod. 21. Qui percuſſerit hominem volens occidere eum, morte moriatur. Et ſequitur: Et reddat animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, aduſtionem pro aduſtione, vulnus pro vulnere, liuorē pro liuore. Et ſimile Leuit. 24. Verum non ex eo, quia in lege veteri ſtatutum fuerat, nunc obligat ſubiectos Euangelio, quos ſolùm moralia illius legis non iudicialia obligant, neque ceremonialia, ſed quia de nouo à Principe vel communitate ſtatuta. Lex enim robur habet à Legiſlatore in illa communitate vbi ſeruatur, non ab alio: licèt ratio ſtatuēdi ſumatur ab alio. Et hoc modo iudicialia multa legis Moyſaicæ poſſent à Papa vel Imperatore ſtatui à Chriſtianis obſeruanda: nec per hoc Chriſtiani iudaizarent, quia non obſeruarēt ea vt ſtatuta à Moyſe, ſed vt ſtatuta à Legiſlatore Euāgelico, ſcilicet Chriſto, à Principe qui habet ſtatuere leges in Eccleſia Chriſtiana. Sicut vna ciuitas alterius ciuitatis leges aſſumere poteſt, & eas obſeruare. Et ſecundum Scotum, homicida vitam proximi iniuſtè ſecurius agit, ſi ſatisfaciendo ſe ſponte ſubmiſerit pœnæ legis conſtitutæ: hoc probat poſt eum Gabriël vbi ſupra, art. ij. concluſione. j. Vnde

Matthæi 26. ait Dominus: Omnis qui occidit gladio, gladio peribit: non autem ſibi conſciſcere vel inferre debet mortem. Vbi autem lex talionis non eſt ſtatuta, aut occiſori non inflicta, reſtitutio alia neceſſaria eſt, in piis operibus, aut afflictiuis paſsionibus, pro occiſo in vim ſatisfactionis ſponte aſſumendis. probat Gabriël concluſ.iij. vbi ſupr. Sunt itaq; ipſi bona ſpiritualia impendenda opera, ſcilicet meritoria, ac defunctorũ ſuffragia in occiſum directa, & propter eum aſſumpta, vt anima quam abſtulit cõmodum aliquod ſentiat. Quanta autem fieri debeat, iudicandum hoc eſt ſecundũ iudicium & prudentiam diſcreti & prudentis confeſſoris, vel ſecundum arbitrium boni viri. Latius ſcribit Gabriël vbi ſupra.

Lex indicatiua & lex imperatiua, vide in dictione *Præceptum.*

Libellus repudij. Scotus diſt.xxxiij.libr.iiij.ſenten. & poſt eum recitat Gabr. diſt.xv.q.xj.libr.iiij.qui & ponit opinionem de libello repudij, ſecundum quam libellus repudij nõ ſolùm fuit permiſſus, ſed etiam cõceſſus, & pro illo tempore licitus quaſi vera eſſet. Sicut & de vſura, quę non fuit licita Iudęis, ſed permiſſa reſpectu alienorũ, ſicut libellus repudij: ita quod pro tempore legis licitũ erat ex diuina diſpenſatione, ſed pro lege Euangelica à Domino reducta eſt ad naturalem rectitudinẽ & perfectionem: ideo ibi vniuerſaliter prohibita quantum ad effectum & quantum ad affectum. Vnde repudium vxoris (ſecundum quod dicit Dominus: & reperit S.Bonauen.di.xxxiij.ar.iij.q.j.lib.iiij.) nunquam licitum fuit, vt ſine culpa fieret: fuit tamen licitum vt fieret ſine pœna. De quo latiùs vide apud S.Bonauen. Repudiatio itaque fuit permiſſa, quia nõ punitur in lege. Permiſit ergo Moyſes, quia non poterat prohibere hoc malum: quoniam triplex malum inde ſequeretur, ſcilicet defectus ſacramenti, quia non vellent vxores ducere. Secundò multiplicatio fornicationis. Tertiò homicidium. De quo latiùs Bonauen.q.ij.vbi ſupr. Videatur de hoc Richar.diſt.xxxiij.ar.iij.q.j.lib.iiij. Et Petrus Palud. eadem diſt.q.j.ar.ij. Thom. Argeñ. ita ſcripſit de libello repudij: Non licebat, inquit, in veteri lege mulierem repudiare, niſi ex aliqua cauſa eueniẽte poſt contractum matrimonij: nec indifferenter licebat propter quamlibet cauſam euenientem, ſed ſolùm propter tales cauſas quibus bonum prolis poterat aliquantulum impediri. Et hoc vel quantũ ad corpus: puta ſi mulier apparuit ſterilis, vel fuit leproſa, vel aliqua alia notabili fœditate maculata: vel quãtum ad animã, puta ſi fuerit mulier mali moris, propter continuam etiam cohabitationem prolis cum matre, vt plurimum proles ſequitur mores matris. Et quia viri Hebræi fuerunt duriſsimi cordis, ideo ne propter mortale odiũ ipſi occaſione prædictorum defectuum vxores occiderent, permiſit Moyſes diuortiũ fieri inter virum & vxorem, declaratis cauſis prædictis, & in libello conſcriptis, qui libellus repudij dicebatur. Hæc Thom. Argentiñ.

Liber. Libri duplex eſt proprietas (vt ſcribit S.Bonauen.diſt.xliij.ar.j.part.ij.q.j.libr.iiij. Vna in ſe, ſcilicet ſcientiæ retentio in ſimultate & vniformitate. Et ratione huius proprietatis nomẽ libri transfertur ad Dei notitiam. Alia eſt proprietas ad nos, quia per librum eſt in nobis oblitorum recordatio. Et ratione huius trãsfertur ad vim illam per quam fit recordatio prętеritorũ. Humanitas autem Chriſti ſiue viſio eius, non dicitur liber. Liber itaque poteſt dici Dei notitia. Et dicitur virtus diuina ſecundum duplicem proprietatem. Vide eundem qu.ij. vbi ſupr. de libro vitæ. De quo & iam parumper aliquid ex Doctoribus aſſeremus.

Liber vitæ ſecundum Tho.j.part.q.xxiiij.art.j. & poſt eum Rayne.in ſumma ſua. & Auguſtin.ſuper illud Pſalm.68. Deleantur de libro viuentium, & cum iuſtis non ſcribantur, dicit: Liber vitæ eſt notitia Dei, qua prædeſtinauit ad vitam quos elegit. Vnde ſicut aliqui deſcribũtur in ciuitate vel conſulatu: ſic in ciuitate triumphante repræſentantur in Dei notitia electi ad vitam æternam admittendi. Vnde Lucæ 10. Gaudete quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis. Et Iſaiæ 4. Sanctus vocabitur omnis qui ſcriptus eſt in vita in Hieruſalem. Dicitur & liber vitę notitia Dei, quo vincunt omnia per notitiam. Et Auguſtinus: Liber vitæ eſt quædam vis diuina cauſata immediatè à Deo, qua fiet vt in die iudicij vnicuique bona & mala reducentur ad memoriam. Et Bonauentura diſtin.xxxj.libr.iij.circa textum. Liber vitę eſt diuina diſpoſitio, ſecundum quam aliquis ordinatur ad vitam, & reputatur eſſe dignus vita. Et aliquid poteſt dici dupliciter ſcribi in illo libro, vt idem dicit. Vel ſecundum præſentis iuſtitiæ reputationem. Vel vt dicit Cardinalis Cameraceñ. ſecundum præſentem iuſtitiam, vel ſecundum finalis gratiæ præuiſionẽ bonam vel æternam præſcientiam. Cardinal. Cameraceñ. Et primo modo dicitur ſcribi in libro vitæ, quia ſcribuntur eius merita. Secundo autem modo non ſolùm quia ſcribuntur eius merita, ſed etiam quia ipſe ordinatur ad vitam ſecundum prædeſtinationẽ diuinam. Hoc modo ſoli ſaluandi ſcribũtur in hoc libro. Qui verò primo modo ſcribitur, deletur quantum ad præſentem iuſtitiam, quia iam non reputatur dignus vita. Qui ſecundo modo ſcribitur, nunquã deletur. Deletio autem illa non dicit aliquam immutationem factam circa ipſum Deum, ſed ſolũ circa meritum immutatum. Concordat cum Bonauen. Aliacen.q.ix.art.ij.libr.j. Et ſic ſecundum eundem poteſt dici aliquẽ eſſe amicũ Dei dupliciter. Vel ſecundum æternam Dei dilectionem, vel ſecundum pręſentẽ diſpoſitionẽ. Et aliquis poteſt eſſe amicus Dei primo modo & nõ ſecundo modo, & ecõuerſo: De quo videatur ſupra in dictione *Amicus.* Et Bonauen.in.iiij.di.xliij.ar.j.par.ij.q.ij. Aſtipulatur his Iacobus de Valentia Pſalm.68. cùm ita ſcribit: Liber vitæ ſiue viuentium dupliciter ſumitur in ſacra ſcriptura. Nam vnus liber dicitur diuinæ prædeſtinationis ſecundum æternum propoſitum: & tunc nihil aliud eſt niſi diuina voluntas beneplaciti, quæ ab æterno propoſuit gratiam iuſtis parare, & eos elegit, & in ſuo libro aſcribendos, & iuſtificãdos propoſuit, in quo libro ab æterno primò fuit ſcriptus Chriſtus homo & virgo Maria, & omnes Apoſtoli & iuſti. Secundus liber dicitur liber vitæ ſecundum præſentem diſpoſitionem, & iſte eſt conſcientia cuiuſlibet iuſti diſpoſita per gratiam. Et iſte liber nõ eſt in Deo niſi obiectiuè, inquantũ

Deus perſpicit in anima iuſti ſimilitudinē ſuæ bonitatis, per quā iuſtus Deo gratus & acceptos ſecundum præſentem diſpoſitionē, & de iſto libro multi nouiter delentur per peccatum, & in eo nouiter ſcribuntur per nouam gratiam. Vnde Pſal. Deleantur de libro viuentium, & cum iuſtis nō ſcribātur. Pſal. 68. Et dicitur ideo liber vitę (vt volunt doctores) quia talis notitia eſt eorum qui eliguntur ad vitam: & non eorum qui condemnantur ad mortem, propterea non dicitur liber mortis, ſe vitæ. Secundo, quia in eo ſunt ſcripta merita quæ ducunt ad vitam æternam. Tertio, quia eſt liber ſummæ & beatæ vitæ, quæ antonomaſicè dicitur vita. Non autem dicitur liber vitæ naturæ, quæ eſt mortalis, nec gratiæ quæ amitti poteſt, ſed gloriæ perpetuæ cœleſtis. Et dicitur liber vitæ tribus modis ſecundum Alexan. Thomam & Rayne. Primo modo dicitur exemplar vitæ, & ſic non eſt aliud quàm notitia prædeſtinationis Dei in ſe & approbationis diuinæ. Secundo modo liber vitæ dicitur exemplum vitæ, & ſic attribuitur Chriſto, qui dicitur liber vitæ ſecundum humanitatem, quia dat nobis exemplum viuendi quo modo perueniamus ad vitam cœleſtem. Tertio modo liber vitæ dicitur aliquid inquantum eſt ſignum vitæ, & ſic ſacra ſcriptura dicitur liber vitæ. Eccleſiaſtici 24. Hæc omnia liber vitæ. Gloſ. Hæc omnia quæ ſcripta ſunt in veteri & nouo teſtamento, ſunt liber vitæ, ſcilicet, quia documenta vitæ æternæ. Vnde ex his concludit Alexan. quod liber vitæ primo modo eſt quid increatum: ſed ſecundo modo & tertio eſt quid creatum. Et ſicut liber militiæ (ſecundum Richar. ſuper. iij. libr. diſt. xxxj. art. ij. quæſt. j. Concordat Thom. parte. j. qu. xxiiij. ar. j. Et Rayne. in ſumma ſua) dicitur tripliciter quod milites inſcribuntur, & quod in eo traditur militiæ ars & ſcientia; & quod in eo recitantur militum facta. Ita liber vitę ſimiliter dicitur tribus modis. Primo liber vitæ dicitur conſcriptio eorum qui ſunt electi ad vitam, hæc eſt notitia Dei. Secundo, dicitur traditio eorum quæ ducunt ad vitā æternam, vt ſunt libri vtriuſq; teſtamenti. Tertio, dicitur recitatio eorum operum per quæ promerentur homines vitam æternam. Ad hæc tria homo debet ſe obſeruare primo, vt ſpē habeat, quia cōſcriptus eſt in libro vitæ. Secundo, vt obſeruet Dei mandata, tradita in veteri teſtamento, ſcilicet, decalogū; & in nouo etiā, ſcilicet, in Euangelio. Tertio, vt operetur bona & caueat peccata, quia ad iudicium trahetur. Vide latius Alexan. Thom. & Rayne. Et propriè loquendo & ſimpliciter ſoli boni ſunt ſcripti, quia ſola gratia finalis facit ſimpliciter dignum vita æterna, boni autem præſentialiter ſecundum quid, id eſt ſecundum præſentem iuſtitiam. Etſi aliquando homines à peccato reſurgunt ſaltem finaliter, tunc manifeſtum eſt eos eſſe conſcriptos. Cùm autem peccat homo quicunque ſiue bonus ſiue malus conuerſus recidiuando in peccatum, tunc dicitur deleri de libro vitæ ſecundum quid, id eſt ſecundum præſentem iuſtitiam. Vnde Exod. 32. Dominus dicit: Qui peccauerit in me, delebo eum de libro vitæ. Et quamuis (ſecundum Richar. de media Villa; ſuper iij. libr. articul. ij. quæſt. ij.) in libro vitæ propriè loquendo nō ſunt ſcripta niſi bona, tamen ſub bonis comprehenduntur etiam mala pœnæ inquantum iuſta ſunt, quia vt ſic ſunt bona. Et ſecundum eundem & Thomam prima parte quæſtione xiiij. ille qui eſt ſimpliciter ſcriptus in libro vitæ, non poteſt deleri; ſed qui ſecundum quid eſt ſcriptus deletur: vt latiùs patet apud eoſdem.

Liber mortis (vt ſcribit Iacobus de Valētia Pſal. 88.) eſt duplex. Vnus dicitur ſecundum æternum propoſitum in quo Deus ab æterno nouit reprobandos & obſtinandos & æternaliter puniendos. Et alter dicitur liber mortis ſecundum præſentem diſpoſitionem, in quo ſunt ſcripti peccatores temporaliter ſecundum quod ſunt extra gratiam in peccato. Et iſti duo libri nullo modo ſunt in Deo niſi obiectiuè ſecundum quod in eis Deus nouit culpam & difformitatem ſecundum præſentem diſpoſitionem. Differt autem liber vitæ ſecundum æternum propoſitum ab vtroque libro mortis. Nam ille liber eſt ſolùm in Deo, cùm ſit diuina voluntas, quæ eſt ſola cauſa omnium prædeſtinatorum, ſed liber mortis nullo modo eſt in Deo niſi obiectiuè (vt dictum eſt) ſecundum præſcientiam, eò quòd Deus non eſt cauſa obſtinationis nec peccati alicuius, per quod ſcribitur in libro mortis & reprobationis. Et ideo talis liber mortis nihil aliud eſt niſi conſcientia hominis ſubiecta peccato à Deo difformi. Vnde de his duobus libris, ſcilicet mortis & vitæ dicitur Apocalypſi. 20. quod in die iudicij mare & infernus dedit mortuos ſuos, & aperti ſunt libri ante iudicem. Et apertus eſt alius liber qui eſt vitæ, & iudicati ſunt mortui ſecundum ea quæ erant ſcripta in libris: & qui non eſt ſcriptus in libro vitæ, miſſus eſt in ſtagnum ignis. Et liber vitæ aperietur in iudicio, quia tunc manifeſta erūt omnia etiam abſcondita cordis. Libri quoque conſcientiarum ſingulorum hominum aperiri dicuntur. Differunt quoque liber vitæ ſecundum æternum propoſitum à libro vitæ, ſecundum præſentem diſpoſitionem. Nam ille eſt ſolùm in Deo, iſte autem in conſcientia hominis. Item ab illo ſeculo ab æterno ſcriptus, nullus deletur, ab iſto multi delentur per peccatum, ſicut in eo multi nouiter ſcribuntur per gratiam. Ex prædictis patet quod liber vitæ prædeſtinatorum, eſt tantū vnus, in quo ſunt ſcripti ab æterno ſoli electi, & iuſti, eò quòd eſt ipſa æterna voluntas. Sed alij libri tā mortis quàm vitæ, ſecundum præſentem diſpoſitionem, vel iuſtitiam ſunt multi, quia vnaquæque conſcientia, & anima hominis eſt liber ſuorum operum, ſecundum quæ opera ſaluantur, vel damnantur, de quo libro quis poteſt deleri per peccatum, aut in eò ſcribi per gratiam. Hæc Iaco. de Valen. Chriſto. Epiſcopus ſuper illud Pſal. 68. Deleantur de libro viuentium, &c. & Pſal. 138. multa ſcribit. Ex quo patet quod multi ſunt ſcripti in libro prædeſtinationis, ſecundum æternum propoſitum, qui non ſunt ſcripti in libro vitæ ſecundum præſentem diſpoſitionem. Sic Paulus & Auguſt. qui ab æterno fuerunt prædeſtinati, ſed per multa tempora fuerūt ſcripti in libro mortis, ſecundū pręſentē diſpoſitionem, dum fuerūt in peccato & infidelitate, ſicut de multis aliis dicitur. Et multi poſſunt eſſe ſcripti in libro vitæ, ſecundū præſentē diſpoſitionē qui ſunt ſcripti in libro mortis & reprobationis ſecundum æternum

æternum propoſitum, ſicut potuit eſſe Iudas ſi aliquando fuit in gratia. De quo copioſius ſcribit Valentia vbi ſupra. Non diſcrepat ab his S. Bonauen. di.xliij.ar.j.parte.ij.q.ij.lib.iiij. vbi dicit quoſdam ſcriptos eſſe finaliter, quoſdam temporaliter, vide eum.

Liber conſcientiæ, vt ſcribit Bruleſ. diſt.xliij.li.iiij. eſt ipſe intellectus in quo ſunt, vel fuerunt ſcriptæ omnes cogitationes bonæ vel malæ, quæ in nobis fuerunt: & eſt ipſa voluntas, in qua ſunt vel fuerũt omnes affectiones bonæ vel malæ, quas vnquam habuimus, ita quod ex iſtis duobus codicibus componitur liber conſcientiæ omnium meritorũ, quorum in iudicio erit lectio & memoria, &c.

Liberalis (vt ſcribit Stephanus Bruleſ. di.vj.qu.vlt. lib.j.) dicitur ille qui dat non expectando retributionem, de quo vide & in dictione *beatitudo*, à quo liberaliſſimus. Eſt autem Deus liberaliſſimus: paratus eſt enim dare omnibus gratiã diſpoſitis ad recipiẽdum, ſed nulla videtur melior diſpoſitio ad gratiam quàm innocẽtia, & recta voluntas: vt ſcribit Gab. di.iiij.q.vnica.li.ij. Et vt inquit S. Bona. liberaliſſimus eſt Deus, ſaluo tamen ordine ſapientiæ, & iuſtitię. Et quamuis ab inſtãti creationis cuiuſlibet hominis poſſet eum ex libertate beatificare, tamen longo tempore tardat. Similiter quamuis poſſet cuilibet paruulo dare gratiam, ſine baptiſmate, tamen non dat. Cuius ratio eſt, quia gloria eſt bonum laudabile, ideo nõ datur niſi per meritum laudabile, & ideo conuenit eam dari præcedente aliquo merito condigni: vide latiùs Gabr. q.vnica.di. iiij.libr.ij. & à liberalis venit liberalitas.

Liberalitas ſumitur duobus modis: vt ſcribit Bruleſ. di.x.q.j.lib.j.ſen. Primo modo pro quadã virtute morali, ſic accipitur. 4. ethi. & deſcribitur ſic: Liberalitas eſt quædã virtus moralis, ſtatuens menſuram id eſt, moderamen in pecuniis paruis, id eſt in bonis fortunæ, quo ad ſumptus dationem vel acceptionem ſecundum vrbanam decentiam. Primò dicitur: eſt virtus moralis, quia cuilibet virtuti aſſignatur materia, ideo dicitur in pecuniis. Et dicitur paruis, ad differentiam magnificentiæ. Eſt autẽ medium inter illiberalitatem & prodigalitatem. Idem autem ſunt illiberalitas & auaritia. Itẽ omne quod poteſt numiſmate comparari dicitur ibi pecunia, prodigalitas eſt minus vitiũ quàm illiberalitas, quia magis accedit ad liberalitatẽ, eò quòd non quærit redditionem. Vel liberalitas eſt virtus beneficiorũ erogatrix, quam pro affectu benignitatem, pro effectu beneficentiam dicimus. Aut liberalitas eſt mediocritas circa pecunias dandas. Nam liberalis dabit propter honeſtatem, & rectè quibus oportet & quando oportet: vt vult Ariſto. 4. Ethi. Liberalitas ſecundum beatum Thom. ij.ij. q.cxvij.ar.j. eſt virtus bene diſpenſandi diuitias in vſus bonos ſibi ſuiſque & aliis. Cuius ſecundum Valerium Maximum lib.v. duæ ſunt comites: humanitas & clemẽtia. Moderatur quoq; ipſa liberalitas (vt ſcribit Gerſon parte ij. de ſeptem vitiis capitalibus, de vitio ſeu peccato auaritiæ) interiores affectiones diuitiarum: puta vt non nimis amare velit vel deſiderare aut delectari in eis. Hoc enim modo opponitur liberalitas auaritiæ: quia auaritię affectiones moderatur. Liberalitatem diffinit Paulus Corteſius lib.iij. ſententiarum diſtin.viij. vt ea ſit ad bene de multis promerendum opitulatrix virtus, quæ crumenam in largiendo laxet: contra quam maximè auaritia exardeſcat. Ea enim eſt opum inexhauſta auiditas, quæ tanquam mare nulla acceſſione redundat, ex cuius tenebroſo antro exiliũt velut ſerpentes, proditio, fraus, dolus, iniquitas, vis, peieratio, & dura quædam ad opem ferẽdam ſilex. At cõtra prodigalitas extra riuos defluit, quod eo leuius malum videri debet quo pluribus largiendo ſuffragatur: aut quo propinquius liberalitati adhęreſcit. Hæc Corteſius theologorum eloquẽtia. Perfecta inſuper liberalitas (vt ſcribit Ambroſius libro primo de officiis) eſt vbi ſilentio quis tegit opus ſuum, & neceſſitatibus ſingulorum occultè ſubuenit, quẽ laudat os pauperis, non labia ſua. Denique perfecta liberalitas fide, cauſa, loco, tempore cõmendatur, vt principium operis circa domeſticos fidei. Plura Ambroſius de liberalitate vbi ſuprà. Vnde & Grego. in moral. & habetur di.lxxxvj. Fratrem noſtrum. In ipſa autem liberalitate modus adhibendus eſt rerum & perſonarum. Rerum, vt non omnia vni, ſed ſingulis quędam prębeantur, vt pluribus prodeſſe poſſimus. Perſonarum, vt primum iuſtis, deinde peccatoribus, quibus tamen dare prohibemur: non quia homines ſunt, ſed peccatores, &c. Alio modo capitur liberalitas (vt ſcribit Bruleſer vbi ſuprà) pro liberalitate voluntatis, hæc autem eſt conditio intrinſeca voluntatis, ſecundum quam ipſa liberè elicitiua eſt ſuarum actionum vel volitionũ. Vnde voluntas eſt appetitus cum ratione liber. Non eſt ergo modus intrinſecus, ſed eſt de ratione eius. Liberalis eſt ille qui dat nõ expectãdo redditionem ſecundum Auicennã. 6. Metaphyſ. Et hoc dicit quo ad aliquid & virtutem moralem, & libertatem voluntatis. Quandoque aliqua dona donãtur per modum liberalitatis, ſed ſpirituſſanctus eſt ſummum donum. Item ſpirituſſanctus omnia habet à patre, & filio, & nihil dedit patri & filio, ideo per modũ liberalitatis procedit. De liberalitate plura legũtur apud Philoſophos.

Libertas eſt naturalis facultas eius quod cuique facere libet, niſi quod vi aut iure facere prohibetur: vt habetur inſtitut. de iure perſonarum princi. cuius oppoſitum eſt ſeruitus, venitq; à liber. Et ſecundũ Senecã, libertas eſt nulli rei ſeruire, nulli neceſſitati, nullis caſibus fortunæ ab æquo diſcedere. Et libertas quandoq; capitur impropriè: vt diſtinguitur contra coactionem, hęc cõpetit intellectui. Alio modo capitur vt opponitur ſeruituti creaturæ rationalis, & hoc vel ſeruituti culpæ vel pœnæ. Hoc modo beati ſunt liberiores quàm viatores. Tertio modo opponitur neceſſitati, ſed quod neceſſitas opponitur contingentiæ ſecundo modo dictæ, & ſic libertas eſt quædam indifferentia vel contingentia & diſtinguitur contra principium actiuum naturale. Vide de hoc Gabriëlem diſtin. prima quæſt. vj. libr. j. Et libertas quantum ad rectitudinem, vt ait Holkot qu.iij. quam principaliter importat, & pro qua ſupponit quocunque modo accipiatur, eſt voluntas, in diuerſis tamen acceptionibus diuerſa habet connotata. Nam & libertas ſupponit pro voluntate, connotando aliquid poſſe fieri contingentes

genter ab eadem, vt vult Gabriël diſtinct. x. qu. ij. ar. ij. dub. ij. li. j. Et quantum ad quid rei iſtius nominis libertas voluntatis (dicit Holkot) quod eſt ipſa voluntas. Quantum verò ad quid nominis huius termini libertas ſecundum quod modò vtimur eo, & ſecundum quod Philoſophus vtebatur, libertas eſt poteſtas quædam, qua voluntas concurrentibus omnibus requiſitis ad ſuum effectum habet quod poſsit cum eis coagere, & ponere actum ſuum ad effectum, ſeu non ponere ſicut ei placuerit, & hæc vocatur libertas contradictionis. Dare autem voluntati libertatem (vt ſcribit Gabriël di. xxxvij. qu. vnica. libr. ij. poſt Scotum) nihil aliud eſt niſi dare ei facultatem eliciendi, & non eliciendi, & ad quemlibet actum, quem elicere voluerit velle ſibi coagere. Et diuina voluntas determinat ſe ad hoc, ſcilicet dando voluntati creatæ libertatem. Nihil verò efficienter vult diuina voluntas voluntatem creatam velle, niſi quod vult voluntas creata.

Libertas eſt multiplex, ſcilicet libertas à peccato, à miſeria, & à neceſsitate, vt habet Gabriël di. j. qu. j. libr. j. Libertas à peccato ſupponit pro voluntate, & connotat eam eſſe in gratia. Libertas à miſeria connotat eam eſſe ſine pœna. Libertas à neceſsitate connotat eam non poſſe cogi. De quo meminit Bern. de libero arbitrio, cum ait: Quum nobis triplex poſita ſit libertas à peccato, à miſeria, à neceſsitate, hanc vltimo loco poſitam contulit nobis in conditione naturam. In prima reſtauramur à gratia, media reſeruatur nobis in patria. Iudicatur prima libertas naturæ, ſecunda gratiæ, tertia gloriæ. Prima habet multum honoris, ſecunda plurimum virtutis, nouiſsima cumulum iocunditatis. Libertas indifferentiæ connotat voluntatem non magis inclinari ad vnum oppoſitorum quàm ad aliud. Libertas contradictionis connotat voluntatem velle poſſe vtrumque oppoſitorum.

Sic omnes iſti termini ſupponunt pro vna re quæ eſt voluntas, non ſunt tamen nomina ſynonyma propter diuerſa connotata. Vel ſecundum eundem Gabriëlem diſtinct. xxv. q. vnica. libr. ij. diſtinguitur libertas in libertatem naturæ, gratiæ & gloriæ. Libertas naturæ eſt libertas à coactione, libertas gratiæ eſt libertas à culpa. De qua beatus Ambroſius de Ioſeph. Ille verò inquit in quauis conditione ſeruitij liber eſt, qui amore non capitur, auaritiæ vinculis non tenetur, metu criminis non obligatur, qui ſecurus expectat præſentia, quē non terrent futura. Libertas gloriæ eſt libertas à miſeria. Vel ſecundum eundem diſt. vij. quæſt. vnica. libr. ij diſtinguitur libertas triplex, ſcilicet à ſeruitute, à coactione, ab immutabilitate ſeu neceſsitate. Libertas à ſeruitute eſt qua aliquis non eſt ſubiectus vel addictus ſeruituti culpę, miſeriæ, vel temporalis pœnæ. Et ſecundum hanc triplicem ſeruitutem poſſet illa libertas oppoſita tripliciter ſubdiſtingui. Libertas à coactione eſt qua quis non poteſt violentari ad faciendum aliquid, vel patiendum contra naturalem inclinationem, quomodo graue motum ſurſum violentatur. Iſta libertas etiā conuenit intellectui, quia licet aliqua cognitio poteſt cauſari in intellectu immediatè à Deo, ita vt illa non ſit elicita ab intellectu, nec in eius poteſtate, non tamen intellectus cogitur per illam intelligere: quia intelligere per quamcunque intellectionem, non eſt contra naturalem inclinationem intellectus. Et illa libertas non excludit neceſsitatem, quia in caſu intellectus neceſſario intelligeret, non tamē coactè. Libertas immutabilitatis vel neceſsitatis, prout neceſsitas opponitur contingentiæ, eſt quædā indifferentia vel cōtingentia ad vtrumq; oppoſitorū, id eſt, facultas agendi & nō agendi, patiendi, & nō patiendi. Et ſic diſtinguitur contra principium naturale. 2. Phiſi. & 9. Meta. quod neceſſario agit cęteris paribus. Voluntas libera omnibus aliis eodē modo ſe habētibus poteſt velle & nō velle. De hoc latiùs quęre di. j. q. vj. & di. x. q. ij. primi ſcripti Occā. & Gabr. poſt eū. Et vt idē Dominus prępoſitus Gabr. notat di. xliiij. vel vlt. li. ij. ſentē. Libertas ſemper bona eſt, licet abuſus malus, nō tamē libertas ſiue potentia faciendi malū aut peccatū, mala eſt ſed bona, & (vt ita loquitur) radix honoris & laudis humanæ. Vnde in commendatione viri iuſti dicitur Eccle. 31. Qui potuit trāſgredi, & nō eſt trāſgreſſus: & facere mala, & nō fecit. Nec laudabile eſt facere bonū vbi nō eſt poſſe facere malum. De quo pulchrè loquitur B. Hiero. ad Demetriadē virginem, quē & refert Gabriël vbi ſupra. Et licet poſſe peccare (vt idem ait) arguit libertatem, non tamē eſt de ratione libertatis, quia nullum carens libertate, habet potentiam peccandi. Patet & ſecundum, quia in Deo & beatis eſt libertas, & tamē nō eſt in eis potentia peccandi. Siquidē implicat Deū poſſe peccare, beati quoq; ſtante confirmatione ſimiliter peccare nō poſſunt, vt probat latius Gabr. Nō diſcrepat Gerſnn. tract. xij. ſuper cantico virginis, cū ait. Sanctitas libera ab omni contagione puritas eſt ſponte ſeruata. Sic ſanitas ſuo modo, ſic nobilitas, ſic libertas ducunt facultatem proximā & facilem ad operationes proprias & ordinatas & debitas exercendas.

Libertas eſt duplex bona & mala, quamuis (vt dictum eſt ſuprà) libertas ſemper bona eſt, abuſus autem malus. Vnde Apoſtolus Petrus ait. Quaſi liberi libertate, ſcilicet tali, quæ ſumma ingenuitas eſt, in qua ſeruitus Chriſti cōprobatur, vt ſcribit Gerſon parte. ij. ſermone de oratinne facto in conſilio Cōſtantienſi. Eſt enim altera fallax quædā libertas omni ſeruitute deterior, quomodo notat Petrus cū ſubdit, nō quaſi velamen habentes maliciæ libertatem, ſed vt ſerui Dei. Talis eſt peccator qui velut onagrum liberū natum ſe putet, dum dimittitur ire poſt deſideria cordis ſui in adinuētionibus ſuis peſſimis, quaſi bos laſciuiens. Sed nihil eſt infœlicius (dicente Auguſtino) fœlicitate & impunitate peccantium. Idem Aug. de vera religi. de bona libertate ait. Quem delectat vera libertas, ab amore rerum mutabilium liber eſſe appetat. Et quem regnare delectat, vni omnium regnatori Deo ſubiectus ſit, plus eum diligendo quàm ſemetipſum. Idē de correctione & gratia. Prima libertas voluntatis erat poſſe peccare, nouiſsima erit multo magis non poſſe peccare. Prima immortalitas erat non poſſe mori, nouiſsima erit multo magis non poſſe mori. Prima erat perſeuerantiæ poteſtas bonum poſſe non deſerere, nouiſsima erit perſeuerantiæ fœlicitas bonum non poſſe deſerere.

Liberum arbitrium prout Philoſophi loquuntur de
libero arbitrio, & vt diſtinguitur cõtra principium
naturale, eſt intellectus ſiue voluntas, hoc eſt ani-
ma intellectiua reſpectu illius actus quem habet in
ſua poteſtate. Et reſpectu illius dicitur voluntas (vt
& habet Philoſophus 2.phiſ.) vbi diuidit in agens
liberũ ſeu voluntatẽ. Vide ad hoc Gabr.di.xxv.q.
vnica,l.ij. Liberũ arbitriũ ſecũdum Anſelmũ eſt po
teſtas ſeruãdi rectitudinẽ volũtatis propter ipſam
rectitudinẽ, hoc eſt: eſt poteſtas ſeruãdi rectitudi-
nẽ, id eſt conformãdi ſe rectitudini primę ſeu increa
tæ quantũ eſt ex ſui natura propter ipſam rectitudi
nem. Hæc enim eſt rectitudo volũtatis cõformitas
eius cũ diuina volũtate, quód nihil aliud eſt quã po
teſtas volendi aliquid conformiter diuinæ volun-
tati, propter hoc quia conformis eſt, vel quia ſic
vult diuina voluntas, & iſta conuenit Deo, angelis
& hominibus & damnatis, qui quantum eſt ex na
tura ſua, poſſunt ſe conformare rectitudini, quia
voluntati diuinæ quæ eſt prima rectitudo, nec
conuenit alij à rationali natura, quia etſi bru-
tum quandoque ſeruat rectitudinem, vt canis
diligendo catulos ſuos, non tamen ſeruat propter
rectitudinem quam non agnoſcit. Sola enim ratio-
ne cognoſcitur & ſola voluntate ſeruatur. Hæc er-
go poteſtas dicitur liberum arbitrium, quia nemo
poteſt cogi rectitudinem deſerere cum eam habue-
rit, licet eam non habitam ſibi dare non poſſit, nec
perditam eam recuperare, poteſt tamẽ habitam nõ
deſerere. Res enim omnis libera eſt ab ea re à qua
cogi niſi volens, vel prohiberi non poteſt, vt dicit
Anſel. & poſt ipſum Gabriël vbi ſuprà. Vnde Pe-
trus de Aliaco in principio in primum ſententiarũ
ait: Vbi non eſt arbitrij libertas, ibi eſſe non poteſt
naturalis impeccabilitas. Eſt ergo diffinitio liberi
arbitrij ſecundum Anſel. poteſtas voluntatis & ra-
tionis, ſeruando ſecundum ſuam naturam rectitu-
dinem volũtatis propter ipſam rectitudinem, non
curando an ſit contingens vel neceſſaria. Et illa dif-
finitio conuenit omni naturæ rationali ſiue creatæ
ſiue increatæ. Et in ſolis ſubſtantiis rationabilibus
reperitur liberum arbitrium, vt ſcribit S. Bonauen.
di.xxv.q.j.li.ij. Et q.iij. vbi ſuprà. liberum arbitriũ
comprehendit & rationem & voluntatem, vnde
arbitrium eſt ipſius rationis, libertas verò eſt ipſius
voluntatis, ad cuius nutum & imperium moueri
habent cætera quæ ſunt in nobis. Vnde liberum ar-
bitrium ſecundum Auguſt. dicitur ab arbitrando,
quia à rationali parte quid eligat quidue recuſet no
men accepit. Liberum arbitrium ſecundum Berñ.
in ſuo liberi arbitrij ſic diffinit. Eſt conſenſus ob
voluntatis inamiſſibilem libertatem, & rationis
indeclinabile iudicium. Conſenſum accipit vt ex-
ponit Alexan. quaſi medium inter ſenſum mentis
& ſenſum carnis. Et eſt poteſtas habens ſe vt me-
dium potens aſſentire appetitui carnis, & etiam ap
petitui mentis. Et illa tantum conuenit (vt dicit
ſanctus Bonauen.) creaturæ, non concedendo ſta
tum, & poſſit ſic intelligi. Eſt conſenſus, id eſt fa-
cultas conſentiendi ſenſui mentis vel ſenſui ratio-
nis ob libertatem voluntatis inamiſſibilem, id eſt,
inſeparabilem à voluntate & iudicium indeclina-
bile rationis. Indeclinabile, id eſt, inſeparabile à vo
luntate, quia voluntas non poteſt in actum niſi
oſtenſo obiecto per intellectum vel rationem. Li-
berum arbitrium ſecundum Augu. & ponit magi-
ſter di.xxiiij.li.ij. Eſt facultas rationis & volunta-
tis qua bonum eligitur gratia aſſiſtente, vel malum
ea deſiſtente. Quæ ſecundum magiſtrum datur de
libero arbitrio viatorũ tantũ. Illud enim ad vtrũ-
que flecti poteſt. Et dicitur liberũ quantũ ad volun
tatẽ quę poteſt in oppoſita. Et dicitur arbitriũ quã-
tum ad rationem diſcretiuam boni & mali. Illa er-
go animi potentia qua bonum vel malum poteſt
velle, vtrunque diſcernens, liberum arbitrium vo-
catur, quod bruta animalia non habent, quia ratio-
ne carent. Et cap.xx. de Eccleſiaſticis dogma. ſiue
diffinitionibus orthodoxę fidei. Arbitrij libertas eſt
rationalis voluntas, inquit Augu. Eſt ergo arbitriũ
hoc liberum ad vtrumlibet, quia voluntas ſponta-
nea appetitu moueri poteſt, ad ea quæ bona vel ma
la iudicat ratio. Et hoc modo horum eſt tantum li-
berum arbitrium qui voluntatem mutare poſſunt,
& in contraria deflectere. In quorum poteſtate eſt
eligere bonum vel malum & vtrumlibet ſecun-
dum electionem facere vel dimittere, & illo modo
nec eſt in Deo nec in beatis. Et quamdiu homo eſt
in hac vita (vt ſcribit Rich. di.xx.ar.j.q.j.l.iiij.) re-
tinens liberũ arbitrium ſicut poteſt ſe à Deo auer-
tere ex defectibilitate propria, ita poteſt ſe ad Deũ
conuertere dignè cum auxilio diuinæ gratiæ. Po-
teſt itaq; homo in articulo mortis quamdiu vſum
retinet liberum arbitrium pœnitere dignè, tunc
enim eſt pœnitentia digna cum pœnitens efficaci-
ter dolet de peccatis, & proponit cauere à mortali-
bus futuris, & cõfiteri verè & ſatisfacere pro poſſe,
& quod ad hæc omnia principaliter moueatur per
amorẽ bonitatis diuinæ. Hos autẽ omnes motus
mentis poteſt habere ille qui in hora mortis incipit
pœnitere, quamuis ſit difficilè. Et quando hoc acci-
dit eſt ſpeciale beneficiũ diuinę miſericordię, vt pa-
tet de latrone Luc.23. Et licet ſecundum hanc aſſi-
gnationem liberi arbi. ipſe non conueniat Deo, ta-
men communiter attribuitur Deo & beatis. Et ſe-
cundum quod dicit libertatem à coactione & ne-
ceſſitate ſecundum diffinitionem Anſelmi. etiá ſe-
cundũ quod dicit libertatẽ à culpa & miſeria. Et li-
berum arbitrium eſt idem realiter quod voluntas,
ſecundum quod in ea eſt virtus intellectus. Vnde
liberum arbitrium eſſe dicitur facultas voluntatis
& rationis, ita ſcribit beatus Thom. prima parte q.
lxxxiij.ar.iij.& iiij. Nec liberũ arbitrium eſt in bru
tis, vt idem oſtendit qu.lviij.art.iij. vbi ſupra. Hinc
Gerſ. tract.xj. ſuper cantico Mariæ, ait. Liberum ar
bitrium eſt facultas rationis & voluntatis, quaſi li-
berum de ratione iudicium. Vnde Eccle.15. Deus
ab initio conſtituit hominem: & reliquit illum in
manu cõſilij ſui. Sed quod ſcribit magiſter di.xxv.
lib.ij. quod libertas arbitrij ab omni labe & corru-
ptela immunis eſt, & rectitudo voluntatis, & om-
nium potentiarum animę ſinceritas atque viuaci-
tas, non ponit diffinitionem lib. arbit. ſed deſcribit
ſtatum eius in primis parentibus ante lapſum. Ita
ſcribit Gabr. di.xxv.q. vnica. li.ij. Et quomodo li-
bertas arbitrij concurſu generali Dei non impedi-
tur ſed fortificatur, nec libertas arbitrij indicat nos
cogi per aſtra, nec per artem magicam, & quod li-
bertas arbitrij data ſit homini non in malum, ſed
in pri-

 L I

in priuilegium. Et quod in libertate arbitrij fundatur ratio laudis & vituperij. Hæc ſingula videantur apud Gerſonem ſuis locis, ſed hæc curioſis legenda relinquo, ne immenſum excreſcat opuſculũ quod paucis ſcribere voſui. Et liberum arbitrium ſecundum Petrum de Palud. di.xx.q.j.libr.iiij.eſt triplex ſcilicet, Dei, hominis & angeli. Vnde liberum arbitrium Dei quod eſt inflexibile ante & poſt, iuxta illud: Ego Deus, & non mutor. Angeli autem quod ſit vertibile ante & non poſt, tamen liberum arbi. hominis eſt vertibile vſq; ad mortem. Vnde legiſtæ dicunt quod deambulatoria eſt hominis voluntas vſque ad vltimum vitæ exitũ, ſic intelligendo quod vſque tunc poteſt homo eligere quod prius refutauit, & econuerſo. Sic homo poteſt veniam cõſequi ſi ingemuerit, quacunque hora, & in fine vitæ ſuæ. Sed rarò eſt quod in morte incipiet eſſe vera pœnitentia, vt & ſupra tactũ eſt, hoc probat Paluden. Concordat Richar.di.xx.vt ſuprà dictum eſt.

Libido eſt quicquid libet. Diciturque à labãdo ſecundum Varronem, quod quæ placent, in mẽtem prolabantur. Vnde non modò turpium ſed etiam honeſtarum rerum voluntas libido dicitur. Saluſtius: Magiſque indecoris armis & militaribus equis quam in ſcortis atque conuiuiis libidinem habent. Terentius. Neque tuæ libidini aduerſabor, hoc eſt voluntati. Si verò libidinem ſimpliciter dicimus, neque cui rei additur, de venerea intelligimus. Hinc libidinoſus, hoc eſt in libidinem propenſus, & libidinoſe, molliter, laſciuè deſcendunt. Libidini ſubſunt ira, excãdeſcentia, odium, inimicitia, diſcordia, indigentia, deſiderium, &c. Et huiuſmodi ſecũdum Ciceronem lib. Tuſcul. quæſtionum.

Libido (ſecundum ſanctum Bonauen. di.xxxj.li.ij. qu.ij.ar.j. Et di.xxxviij.libr.iij.circa tex. Concordat Thom.di.xxxj.libr.ij.qu.ij.ar.j. Et Guil. Scoti imitator) capitur tripliciter. Vno modo libido dicitur improba voluntas, ſecundum quem modum dicit Aug. in de libero arbitrio. Nihil enim videmus in toto maleficiendi genere niſi libidinem dominari, hoc eſt voluntaris improbitatem, & ſic eſt radix mortalium peccatorum. Vnde Brulefer. qu.iiij. libr.j.di.viij. ait: Libido eſt praua animi cupiditas, vnde tot ſunt libidines, quot vitiorum cupiditates. Vt cupiditas vindictæ, eſt libido iracundiæ, cupiditas vanæ gloriæ, eſt libido ſuperbiæ: ſi tamen non addatur aliquid, tunc libido ſtat communiter pro luxuria carnis. Et libido dicitur cauſa omnis peccati, vt dicit Aug. & repetit Gerſon parte ij. de ſeptẽ vitiis capitalibus, ſed alio reſpectu, propter, ſcilicet inordinatam delectationem quæ ex ipſa libidine habetur in creatura, quæ delectatio inordinatè afficit & attrahit animam, & auertit à ſummo bono. Eſt enim libido voluntas improba, qua mouetur anima rationalis ad hoc quod inordinatè delectetur in creatura. Ex hac libidine omnia alia peccata ſecundum prius & poſterius, hoc eſt mediatè vel immediatè, alia tamen via ſeu ordine quàm à ſuperbia inſurgũt. Alio modo dicitur libido delectatio immoderatè, ſecũdum quod dicimus maiorem eſſe libidinem in opere virtutis generatiuo quàm alterius potentiæ. Tertio modo dicitur libido corruptio vitioſa, quam dicimus eſſe in ſemine, & etiã virtute generatiua propter actum generãdi, ſecundum quam ipſa vis generatiua dicitur eſſe corrupta & infecta. Omnibus his modis contingit libidinẽ eſſe circa actum generationis humanę, quoniam ibi eſt corruptio vitioſa, & delectatio immoderata, & voluntas improba. Sine prima tamen libidine hoc eſt improba voluntate contingit generari frequenter ſine ſecunda, hoc eſt immoderata delectatione vix aut nunquam, ſine tertia nunquam, ſi fit generatio ſecundum legem naturæ. Hæc ſanctus Bonauentura.

Licet quandoque accipitur pro decet (vt ſcribit Richar.d.xxvij.ar.iiij.q.iiij.l.iiij. Vnde dicitur: Cũ bigamis non licet diſpenſari, extra de biga. non ordi. ſuper eo. & infra. eo. ti. Nuper. Aliàs licet pro poſſibile eſt, vel conceditur, vt aliàs dicitur & in Grammatica.

Ligare & ſoluere. Vnde Gerſon parte. ij. de poteſtate ligãdi & ſoluendi. Aliquis dicitur ligatus corporaliter, quando non poteſt exercere conuenientes operationes in toto vel in parte. Vt ligatus pedes & manus non poteſt operari manualiter, nec ambulare. Dicitur autem ſolui dum tolluntur vincula & redditur ſuæ libertati, quæ poſſit liberè vti membris ſuis. Tractum eſt deinde nomen ligationis ad ſpiritualia, & ſimiliter nomen ſolutionis vel abſolutionis, vt dicatur anima rationalis ligata quando non poteſt vti liberè legitimis actibus conuenientibus ſuæ conditioni. Sic dicitur ſomnus ligare ſenſuales aut intellectuales operationes, quas vigilia ſoluit. Et iudex dicitur per ſententiam ſuam iudicialem pœnalem ligare ſubditum, dum tollit ab eo liberam facultatẽ aliquid ciuiliter exercẽdi. Abſoluit verò dum facultatẽ huiuſmodi reſtituit. Hæc Gerſon. vide & infrà in dictione ſententia quid ſit ligare & ſoluere iudicialiter.

Lignum, &c. Per lignum, fœnum & ſtipulam ſecundum Magiſtrum di.xxj.lib.iiij. intelliguntur venialia peccata per quandam ſimilitudinem, quia venialia in eodem ſubiecto cum charitate exiſtẽtia, poſſunt per ignem purgari & ſpiritualem ignem charitatis dilectionis conſumi, ſicut lignum, fœnũ, & ſtipula conſumuntur per ignem. Et quia tardius cõſumitur lignum quàm fœnum, & fœnum quàm ſtipula, ideo per lignum ſignificantur venialia grauiora, per fœnum modica, per ſtipulam minora. Huic concordat Glo. 1. Cor. 3. ſuper illud verbũ in lignum, fœnum & ſtipulã, dicẽs: Lignum, fœnum & ſtipulam ædificant, qui etſi aliena non rapiunt, rebus tamen infirmitati conceſſis aliqua dilectione ſupple obliqua inhærent, quæ ſecundum ſuos amandi hic modos diutius vt lignum, vel minus vt fœnum, vel minimum vt ſtipula ignem ſuſtinebũt, & qui hæc Deo non pręponunt, ſalui erunt per fundamentum, qui verò hæc Deo præponunt non ſuperædificant, ſed deſtruunt fundamentũ. Hæc ſcribit Richard. diſtinct. xxj. articul. ij. quæſtione iiij. libr. iiij.

Lignum vitæ (vt communiter tenent Doctores vt ſcribit Gabr. di.xix.q.vnica li.ij.) habuit virtutem conſeruandi vitam hominis in ſtatu innocentiæ perpetuo. Scotus verò aliter dicit quod fructus ligni vi-

gni vitæ licet habuit virtutem prolongandi vitam, non tamen in perpetuo conſeruandi, & probat hoc ratione. Vide Gabr. vbi ſuprà refellentem Scoti rationem. Et ideo dicitur quod poteſt homo confortatione ligni vitæ in vita perpetuò conſeruari. Nã agens phyſicum ſicut poteſt repatiendo debilitati, ita poteſt etiam augeri in virtute ſua. Sicut videmus de igne quantò plura conbuſtibilia applicantur, tantò magis augmentatur virtus eius intenſiua. Hæc eſt reſponſio Occã. in iiij. qu. x. Et vis ligni vitæ conſeruatiua hominis ſecundum Bonauentu. non fuit ligni à natura ſpeciuoca, ſed ex dono Dei ſpeciali ad ſalutem hominis corporalis. Sicut quod veſtimenta & calciamenta tanto tempore præbere poterant obſequium hominis: ita vt non veteraſcerent, non fuit à natura eorum, ſed ſpeciali dono Dei. Homine igitur lapſo in peccatum ſubtracta & immutata fuit ipſa vis ligno vitæ, vt irreuocabiliter ſtaret Dei ſentẽtia. Stipendium peccati mors. Ad Rom. 6. &c. Geneſ. 2. quocunque die comederetis morte moriemini, &c. Vnde Iaco. de Valen. Pſal. 1. dicit quod illud lignum vitæ plantatum in paradiſo, duo principaliter conferebat cultori ſuo Adæ ſiue primis parentibus. Nam primò præſtabat vitam perpetuam ſine aliqua miſeria in præſenti præſeruãs ab omni infirmitate & triſtitia, & conferebat immortalitatem, quia poterant non mori edendo eius fructum. Secundò poſt longam durationem fuiſſent tranſlati in vitam meliorem in cœlum æternum, vbi æternaliter fruerentur Deo viſo & amato, &c. Et licet varia & diuerſa genera lignorum fuiſſent in paradiſo terreſtri, tamen inter alia erant duo ſpecialisſima. Vnum lignum vitæ, Aliud ſcientiæ boni & mali: & fuerunt in medio paradiſi, & vnum iuxta alterum, vt ex vno acciperet affectũ amoris, & ex alio timoris Dei. Fuerunt ergo in paradiſo triplicia ligna, ſcilicet in nutrimentum, in documentum & ad viuendum perpetuum, vt ſcribit Bruleſ. di. xix. q. v. lib. ij. Per lignum quoque vitæ intelligitur Chriſtus, de quo Iacobus de Valen. Pſal. 1. Item quilibet homo iuſtus poteſt dici lignũ vitæ, qui facit bonos fructus ſuorũ operũ, ſicut per lignũ ſterile impij & iniqui intelligũtur. Dicitur & lignum vitæ crux dominica, quod dedit fructum redemptionis, vt ibidem ſcribit Valentia.

Limbus ſecundum Gerſonem. parte. ij. in expoſitione. v. articuli fidei, eſt pars ſuperior inferni, quo detinebantur ſaluandi, quouſque debitum primi parentis per mortem Chriſti ſolueretur. Et Chriſtus deſcendit ad inferna, id eſt limbum. Quod autem dicitur in Pſal. Eruiſti animã meam ex inferno inferiori, non eſt contrarium. Dicitur enim ibi limbus infernus inferior reſpectu aëris caliginoſi, in quo vt in ſuo inferno affliguntur modò maligni ſpiritus. Vnde reſpectu illius aëris quo ad ſitum limbus hoc eſt ſuperior pars inferni, dicitur infernus inferior.

Limbus paruulorum aut puerorum eſt locus proximus damnatorum, vt determinant doctores di. xlv. quæſt xj. & ideo eſt locus vilis & detentio ſecundum ſanctum Bonauen. reſpondet infectioni carnis, quæ ſecundum eum eſt naturale in peccato originali. In hunc locum deſcendunt paruuli, qui

decedunt in peccato originali, quibus nulla pœna debetur, eo quòd nullum commiſerunt peccatum actuale, debetur tamen eis pœna damni, quæ eſt carentia diuinæ viſionis & beatificæ fruitionis, eo quòd perpetuò originali maneant maculati, & iſtæ limbus dicitur coniunctus inferno, quamuis in eo nulla ſit pœna ſenſus, de quo conſulas Gabr. diſt. xxxiij. qu. vnica. libr. ij. qui de pœnis paruulorum multa cõſcribit. Vide eum, & Paulum Corteſium. libr. iiij. d i. iij.

Limbus patrum dicitur ad quem ſancti patres deſcenderunt antequam Chriſtus virtute ſuæ paſſionis ianuam regni cœleſtis aperuit, in quo loco erat pœna damni tantum, & eadem temporalis, quia ad hunc locum Chriſtus poſt paſſionem ſuam deſcendit, & ſanctos patres cum cæteris fidelibus ibidem exiſtentibus inde liberauit. In hoc limbo quærebãt ſancti patres à Ioanne, quando Chriſtus veniret ad eos, qui patres (vt ſcribit Gerſon ſuper Marcũ) incolę limbi deſerti, & bene deſerti, & à fęlicitate alieni, cupidi multumq; de ſua liberatione certũ aliquid audire ſitiebãt, &c. Iſte locus quandoq; dicitur infernus eo quòd Chriſtus ad eũ deſcendens dicitur deſcẽdiſſe ad inferna, quẽ ipſe deſtruxit, liberãs ex eo ſuos fideles. Hic locus alio nomine dicitur ſinus Abrahæ, quia Abrahã dictus eſt pater fidei, eo quòd ipſe primus vnum verum Deum adorauit, & quia ad hunc locum ſolùm fideles & prædeſtinati colligebantur. Vnde ſanctus Bonauen. di. xlv. ar. j. q. j. libr. iiij. quia ſinus Abrahæ erat expectatio gloriæ, ita ſonat in bonum, quia eſt ibi requies, aut per priuationem mali, aut per collationem omnis boni, & ſic eſt locus gloriæ. Infernus verò qualitercunque accipiatur, ſonat in malum, vt vult ſanctus Bonauen. Sed poſtquam Chriſtus ianuas cœli aperuit, tunc ſinus Abrahæ dicitur locus gloriæ, ſcilicet ipſum cœlum empyreum, in quo omnes purgati fideles quaſi in loco quietis & tranquillitatis ſecurisſimæ ſtationis perpetuò lætabuntur, Et dicitur ſinus tranſſumptiuè à maris trãquillitate. Significat enim portum maris, in quo naues tranquilla ſecuritate locantur, ſic accipimus dum oramus in exequiis defunctorum, vt animæ eorũ per manus ſanctorum angelorum in ſinum Abrahæ deducantur. Ita ſcriptis reliquit Thomas Argentinenſis di. xlv. lib. iiij.

Lingua dicitur à ligando cibo ſecundũ Varro. Lingua enim cibos cõglobat & deprimit ac tranſmittit in ventrem. Vel dicitur à lingendo, quia lingit adulando, mordet detrahendo ſecundum Hugo. li. ij. de anima. Vel dicitur quod ſit dentium ſeptis, quaſi muro circumuallata, ac ligata. Quandoq; lingua accipitur pro affectione animæ. Vnde linguam diuitis, de quo habetur Luc. 16. exponit Richar. di. vlti. libr. iiij. circa textum pro affectione animæ linguam mouentis ad peccandum, pro qua voluntas punitur. Et Bruleſ. di. vltima. lib. iiij. ait, quòd diues qui petebat guttam aquæ ad refrigerandum linguam ſuam, nõ affligebatur in lingua materiali aut corporali, quia non habebat, eo quòd ſola anima cruciabatur, ſed affligebatur in anima ex conſideratione illius pœnæ, quam habebit poſt iudicium ſicut aliàs dicitur, quod affliguntur animæ ab igne materiali per ſolam conſiderationem illius, & ſimi-

liter dæ-

liter dæmones affligentur poſt iudicium.

Locus eſt ſuperficies corporis aliud continentis immediatè ei & diuiſa ab eo. Ex quo patet quod non totum corpus locans eſt locus. Gratia exempli non tota ſphæra ignis eſt, locus aëris contenti, ſed ſola pars vltima ignis quæ tangit aërem. Gabr. di. ij. qu. ij. libr. ij. Ex quo patet quod vltima ſphæra non eſt locus terræ, quia non eſt immediata terræ. De hoc latiùs tractatur in quarto phyſicorum. Et licet Philoſophus multas ponat locorum conditiones. Sanctus tamen Bonauen. q. ix. di. ij. libr. ij. reducit eas ad tres, quæ ſunt concinere, menſurare, conſeruare, quæ tamen non conueniunt loco reſpectu cuiuſlibet locati. Vide latiùs Gabr. & Bonauen. & quæ ſubſtantiæ ſint in loco, ſcilicet & corporales, corruptibiles & incorruptibiles & incorporales ibidem oſtendit, ſed de hoc aliàs. Et aliquid eſſe in loco circunſcriptiuè, diffinitiuè & repletiuè, videatur ſupra in dictione *eſſe* in loco, &c. Et locus dicitur vacuus, vt ſcribit ſanctus Bonauen. di. xij. art. ij. q. iij. lib. ij. aut propriè aut per priuationem omnis corporis, aut largè ſecundum vulgarem modum, per priuationem corporis ſolidi & ſenſibilis. Sicut dicitur arca vacua propter abſentiã panis, & dolium vacuum propter abſentiam vini. Sic etiam intelligendum eſt in vacuitate materiæ quod dupliciter vacua dicitur, aut quia nõ habet aliquam formam: & ſic terra nunquã fuit vacua, aut quia nõ habuit formã omnimode perfectiuam, & ſic terra quamuis eſſet vacua tamen locum poterat replere, quia erat extenſa & corporea. Bonauen.

Locale dicitur quod cõtinetur à loco, mẽſuratur loco, cõſeruatur in loco, & terminatur loco. Et locale dicitur ſecundum ſanctum Bonauen. di. xxxvij. li. j. quod ſequitur leges loci: ſicut temporales quod ſequitur leges temporis. Leges autem loci ſunt quantum ad actum continendi, menſurandi, ſaluãdi, terminandi ſecundum quas locus ſe habet ad locatum per modum impartientis, & locatum ſe habet ad locum per modum ſuſcipientis. Et quoniam Deus ſic eſt præſens loco, vt nihil ab eo omnino recipiat, ſed ſolus eius indigentiam ſuppleat, & det loco virtutem continendi, & locato virtutem replendi. Hinc eſt quod Deus nullo modo dicendus eſt localis, ſicut habet magiſter in textu di. xxxvij. lib. j. Locus tamen Dei impropriè dicitur templum Dei, non quòd eo contineatur. Id autem nihil melius quàm anima munda intelligitur. Deus itaque eſt illocalis, vt latiùs deducit magiſter, multa de loco videantur apud Philoſophos, etiam theologos, ſed quia phyſicum vocabulum, ideo latiorem explanationem remitto ad Philoſophos.

Locutio eſt vocis per linguam explanatio, ſecundum Ariſto. 4. li. de animalibus. Locutio autem animarum ſeparatarum, nihil aliud eſt (vt ſcribit Gerſon ſuper Marc.) quàm manifeſtatio libera & intelligibilis ſui, vel eorum qui in eis ſunt, quæ locutio tantò eſt vehementior & clamoroſior, quantò intelligibilior atque apertior.

Loqui mentaliter (vt notat Gabr. di. ix. qu. ij. ar. iiij. lib. ij.) accipitur ad ſimilitudinem locutionis vocalis. Loqui autem vocaliter eſt proferre verba vocalia, vt aliquis audiat vocali auditione, & intelligat illud quod per voces ſignificatur, hoc eſt, formet in ſe conceptus vocibus correſpondentes. Sic loqui mentaliter nihil aliud eſt niſi habere vel formare in ſe verbum mentale, vt aliquis audiat mentaliter, & intelligat quod per verbum mentale ſignificatur. Eſt autem verbum mentale cogitatio actualis. Loqui ergo mẽtaliter, eſt actualiter cogitare, vt ipſe vel alius intelligat quod per cognitionem ſignificatur. Audire autem mentaliter, eſt videre cogitationem actualem alterius Angeli vel hominis. Sicut audire vocaliter non eſt aliud niſi apprehendere voces à ſe vel ab alio prolatas. Iſta probantur per Aug. xv. de tri. c. x. Formata propriè cogitatio ab ea re quam ſcimus verbum eſt quod in corpore dicimus, quod nec Græcũ eſt, nec Latinũ, nec alicuius alterius linguæ. Ecce quod cogitatio verbum eſt. Quod autem loqui mentaliter non eſt niſi habere verbum mentale, ſcilicet cogitationes, ſic dicit paulò ſuperius eodẽ c. Quædam ergo cogitationes, locutiones ſunt cordis, vbi & os eſſe dicimus. Et poſt foris, cum per corpus hoc fie: aliud eſt locutio, aliud viſio. Intus autem cum cogitamus vtrumque vnũ eſt. Item & ſi verba non ſonant in corde ſuo, dicit vtique omnis qui cogitat. Probat & ibidẽ Aug. audire mẽtaliter, non eſſe aliud quàm videre cogitationem actualem alterius, eodem c. vbi dicit: Auditio & viſio duo quędam ſunt inter ſe diſtantia in ſenſibus corporis. In animo non eſt aliud atque aliud videre & audire, ac per hoc cum locutio foris non videatur, ſed potius audiatur, locutiones tamen interiores, hoc eſt cogitationes, dum cognoſcuntur & audiuntur & videntur. Vnde de Domino dixit Euãgeliſta: Cùm vidiſſet inquit cogitationes eorum. Ex illis patet quod angelus loquendo alteri nihil facit, niſi quod cauſat cogitationem alicuius obiecti in ſe, quæ cogitatio in loquente cauſata tanquam obiectũ, cauſat effectiuè in angelo audiente notitiã intuitiuam ſuimet cogitationes. Vide copioſè apud Gabri. vbi ſupra, & in dictione, *Angelus*. Et locutio mentalis ſupponit pro formatione conceptus in loquente, & connotat voluntatem manifeſtandi huiuſmodi conceptus.

Loqui dupliciter eſt, vt ſcribit S. Bonauen. di. x. ar. iij. q. j. lib. ij. Vno modo loqui dicit actum in ſe ſiue intrinſecum. Alio modo actum ad alterũ, ſiue quodammodo extrinſecum. Primo modo loqui idem eſt quod verbum formare ſiue gignere. Alio modo idem eſt quod verbum formatum depromere ſiue exprimere. Primo modo locutio ſiue in Deo, ſiue in homine, ſiue in angelo, non eſt aliud quã cogitatio. Secundo modo, plus dicit quã cogitationem, ſed differt in diuerſis. In Deo enim loqui ad alterũ ſupra intellectum, notat effectum ſecundum reuelationem. Non enim dicitur Deus nobis loqui ſolùm quia intelligit, ſed etiam quia reuelãdo aliquid aliquam illuſtrationem in nobis efficit. Vnde Gre. in Mora. Dei locutio ad nos intrinſecus facta videtur potius quàm auditur, quia dum ſemetipſum ſine mora ſermonis inſinuat, repentina luce noſtræ ignorantiæ tenebras illuſtrat. In homine verò non ſolum addit effectum in alterum, ſed etiam actum & ſignum medium. Cùm enim homo loquitur alteri, non ſolùm cogitat, ſed cogitationem ſuam for

mando

mando vocem ſenſibilem alij interpretatur & explicat. De quo latiùs perquirito apud Bonaueor. Cauendum autem eſt (vt inquir Gerſon parte ij. de paruulis ad Chriſtum trahendis) ne quis aliquid ſiniſtrum alicui de aliquo loquatur, niſi vel vt ille de quo loquitur, ab illo cui loquitur, emendetur: vel ne ille cui loquitur ei familiaritate iungatur, & ab ipſo corrumpatur. Nec Prælatus, inquit ibidem, prædicationem dimittere debet propter ſubſannationem, vbi ſunt aliqui boni inter malos, vel quamuis omnes ſint mali: ſpes tamen ſit de correctione, aliàs debet tacere, vel poteſt ad alium locum tranſire vbi fructum poſsit facere. Et loqui Dei, vide infra in *Videre Deum*: de quo Gerſon loquitur tract.ij. ſuper Cantico Virginis. Sciens, inquir, Deus nos paruulos & balbos, voluit inſtar nutricis frangere verba ſua, quibus ipſe nobiſcum, & nos ſecum intelligibiliter vtrunque loqueremur. Conceſsit igitur locutiones tranſſumptiuas à rerum cognitarum ſimilitudinibus aſſumptas tam abundanter, vt nihil inueniatur quod non valet ad ipſum trahi nominãdum, quod loquẽdi genus appellaut Dionyſius ſymbolicum. Hoc typo loquendi Deus pater habet os, ex quo filius eius increata ſapientia prodiiſſe ſe gloriatur. Ego, inquit, ex ore altiſsimi prodij primogenita ante omnem creaturam. Habet & vterum. Ego, inquit, ex vtero ante Luciferũm geoui te. Hæc Gerſon. Refert præterea multum loqui, vel dicere in perſona alterius, & loqui auctoritate alterius, ſiue vt miniſter (vt ſcribit Gabriël diſtinct.xxj. poſt Scotum quæſt.vnica, artic.iij.dub.j.libr.iiij.) Nam loqui in perſona alterius, eſt induere perſonam alterius: hoc eſt loqui vt intelligantur omnia verba locutionis referri ad perſonam alterius, vt non loquens (ſed ille ex cuius perſona loquitur) intelligatur hæc agere vel non agere, quæ loquens exprimit ſua locutione, vt cùm Iſai.3. ait: Dominus locutus eſt: Filios enutriui & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me. Loqui autem auctoritate alterius, eſt loqui in perſona ſua propria, ex commiſsione tamen alterius. Vnde confeſſor qui audit & dicit, puta abſoluit, facit in perſona ſua, ſed vt miniſter Dei. Sicut omnia ſacramenta miniſtrantur ex perſona miniſtri, ſed auctoritate Dei, &c.

Lucerna à luceo, Græcè λύχνος vocatur, & lucernarum vſum primi Ægyptij monſtrauêre, vt auctor eſt Euſebius libro decimo præparationis: & in ſcriptura quandoque accipitur pro linea generationis. Nam ſicut quamdiu non extinguitur, dicitur durare lucerna: ita quamdiu ſuccedit aliquis in linea generationis, dicitur durare eius lucerna. Vnde dictum fuit ipſi Dauid: Iam non egredieris in bellum, ne extinguas lucernam in Iſraël. 2.Regum 21. Et ideo promiſit Deus ipſi Dauid, vt produceret eius lucernam vſque ad Chriſtum, id eſt, quod non deficeret eius linea & generatio. Vnde dicit Pſalm.131. Illuc producam cornu Dauid, paraui lucernam Chriſto meo. Quod & patet in Matthæo, qui deſcribit generationem Chriſti à Dauid vſque ad Chriſtum, per Mariam virginem de ſtirpe & generatione Dauid. Iacobus de Valentia.Pſalm.131.

Lucrum à quo lucellum, id eſt paruum lucrum. Ratio autem lucri & finis debet eſſe ſub fine cœleſti (vt vult Gerſon parte j. de laude ſcriptorum) & quamuis operarius eſt dignus ſuo cibo & mercede ſua, tamen principalis & finalis eius intentio in honore Deo & Eccleſiæ, in charitate non ficta, in ſua demum, aliorumque perpetua ſaluta figatur, vt ſit finis lucri ſub fine cœleſti, quatenus non iam duo fines aduerſi, ſed vnus vtrobique cenſeatur.

Lucrum turpe dicitur (vt ſcribit Gabriël diſtinct. xv. quæſt.xiij. artic.j. libr.iiij.) quod eſt acquiſitum cum turpitudine peccati: ſicut omne lucrum, quod acquiritur per actum aliquem commiſſum, vel omiſſum, vel admiſſum, qui eſt peccatum per ſe ex genere actus vel ex circunſtantia: & licèt hęc acquiſitio ex variis oriatur vitiis, tamen communiter oritur ex duobus, aut ex auaritia, aut acquiſitio lucri aut mercationis illicitæ, ex tempore vel loco, aut ex Mathematica incantatoria, ſeu aliis illicitis, ac prohibitis artibus. Aliquando & ſecundo ex intemperantia, vt ex illicita voluptate: ſicut ex meretricio, fornicatione, adulterio, hiſtrionatu. Aliquando ex vtroque ſimul, ſcilicet auaritia & luxuria: poteſt tamen quandoque oriri ex ſuperbia vel inuidia, & pluribus aliis malis radicibus. Vide latiùs Gabriëlem & beatum Thomam in iiij.ſcripto.diſtinct.xv.quæſt.viij.artic.ij. Et licèt meretricium & lenocinium ſit in lege prohibitum, nulla tamen lege prohibitum eſt, ne leno vel meretrix precium ſuæ turpitudinis accipiat. Vnde Auguſtinus, vt allegat Alexand.de Ales parte iiij.quæſt.lxxxvj.§.vlt.meretrix turpiter acquirit, ſed non turpiter accipit. Sic multi actus ſunt lege prohibiti, vbi tamen nulla lex vetat, ne pro illis actibus precia vel dona recipiátur: ſicut de mercatore patet, qoi in ſacro die vel loco vendit, quod prohibetur: non tamen prohibet lex, vt precium ſuæ mercis non recipiat. Ex quo accipitur differentia inter turpe lucrum & iniquum. Nam quando actus quo quis lucratur eſt prohibitus, non autem lucrum, tunc dicitur turpe lucrum. Sed quando lucrum ipſum eſt lege prohibitum, non ſolùm dicitur turpe lucrum, ſed iniquum. Hæc Thomas, & poſt eum Gabriël vbi ſupra. Et lucrum acquiſitum dolo & fraude, & quod dicitur iniquum, reſtituendum eſt. Lucrum verò acquiſitum vbi non competit repetitio, & ſi aliquis non tenetur de neceſsitate ſalutis reſtituere vel erogare pauperibus: eſt tamen ſalubre conſilium vt non retineat, ſed eroget in pios vſus, vt diffuſè probat Gabriël vbi ſupra.

Luctus non ſolùm dicitur ploratio, ſed etiam inſigne iudicium mœrentis: ſicut eſt veſtitus niger & pullus. Sæpè enim ipſe habitus, vultusque, & veſtis, luctus dicitur. Et luctus ſecundum Gerſonem parte ſecunda, ſermone facto de omnibus Sanctis, qui incipit: Beati qui lugent, conſideratione quarta, eſt vitalis animæ motus ſurgens ex apprehenſione obiecti, vt diſconueniens eſt. Cuius effectus eſt (præſertim ſi ſit in ſenſu) conſtrictio quidam horror, & fuga, & reniſus. Eſt autem ratio diſconuenientiæ diſproportio læſiua, armoniæ & vnitatis debitæ. Et ſecundum eundem luctus & conſolatio ſub vna acceptione

generali duæ paſsiones ſunt: illæ duæ contrariæ quas aliter nominamus dolorem & gaudium, quæ complectuntur in ſuo genere ſi impaſsiones omnes reliquas enumeratas à Philoſopho 2. Ethi. & 2. Rheto. & à Poëta ſexto Æneid. & ab aliis alibi. Conſequuntur autem hæ paſsiones iſtæ duæ luctus & conſolatio, vel dolor & gaudium, ad duas rationes obiectalis generalis & extremas, quarum vna eſt vt boni conuenientis, & altera mali diſconuenientis. Dicitur & (vt ibidem ſcribit) luctus beatitudo, non quidem formaliter, ſed communicat beatitudinem his in via, vel quia ducit ad eam, & habet ſic deſcribi pro habitu. Luctus eſt habitus animæ gratioſus, quo inclinatur fugere & horrere obiectum ſub ratione mali, inhoneſti, & diſconuenientis apprehenſum, &c. & ille regulariter beatior eſt in hac valle miſeriæ, qui luctu bono plenior eſt: vide latiùs Gerſonem vbi ſupra.

Ludus dicitur in factis, iocus in verbis. Et ludorum quidam ſunt honeſti & ad exercitium vel ad recreationem ordinati, vt qui viribus corporis aut ingenio innituntur, non fortunæ, vt proiectio pilæ aut lapidum, aut telæ, arcus vel baliſtæ ad metam ſiue luctatio, curſus in ſtadio, & ſimiles. Alius eſt ludus qui innititur fortunæ ex cupiditate lucri, & hic dicitur ludus alearum, ſiue fiat taxillis ſiue cartis, ſiue alio modo, qui ſubeſt fortunæ, vt dicit Aſtenſis. Eſt etiam ludus tabellarum mixtus, qui fit in tabulis ducendis ad iactum taxillorum, quia quantum ad proiectionem taxillorum, innititur fortunæ: quantum ad tabulas ducendas, innititur ingenio. Et ille ludus ſimiliter dicitur ludus aleæ, quia innititur fortunæ, licèt non ſoli fortunæ, vt vult Angelus in ſumma, & omnis talis eſt prohibitus, vt. ff. de aleatoribus per totum. Et in authen. de ſanctis Epiſcopis. §. interdicimus. vide de hoc latiùs Gabriëlem diſt. xv. quæſt. xiij. lib. iiij. Et Petrus de Palude dicit ludum prohibitum propter blaſphemiam. Et tenet Angelus in ſumma poſt Aſteñ. quod ille qui valde ſeruit ludo, hoc eſt qui ducit in conſuetudinem, peccat mortaliter. Secus de eo qui rarò ludit, vel ludit cauſa recreationis, vel cauſa conuiuij. Nam quicquid fit intentione mala, peccatum eſt. Lucrari autem à proximo, vnde notabiliter damnificatur quacunque via ſaltem ex intentione, vix vel nunquam à mortali excuſatur: eſt enim contra ſextum præceptum: Non furaberis. & contra decimum: Non concupiſces. Aut etiam ratione temporis: vt in die feſto ſi requirit exceſsiuum laborem, aut per ipſum negligitur diuinum officium, maximè Miſſæ, quoad laicos. Si verò non concurrit aliqua prædictarum circunſtantiarũ, ſed fiat ratione honeſtæ recreationis vel virtutis, aut ingenij exercendi, non eſt peccatum ſaltem mortale. & ſecundum Richardum diſtin. xvj. artic. iiij. quæſt. j. libr. iiij. ait: Ludorum quidam ſunt honeſti & deuoti: vt cantus Eccleſiarum, quæ fiunt ad honorem Dei & Sanctorum, & hi ſunt laudandi, & tali ludo ludebat Dauid coram arca Domini. Quidam turpes & tales ludi ſunt (inquit) fugiendi. Quidam ſunt ordinati ad recreationem, qui bene & malè poſſunt fieri, & ab his pœnitentes vt frequentius abſtinere debent. His tamen interdum cauſa recreationis vti poſſunt: ſimili modo diſtinguendum eſt de ſpectaculis, vt ibidem dicit. Et quamuis aleator, vt ſcribit Gabriel vbi ſupra, artic. ij. concluſione iij. ex cupiditate lucrans aliquid notabile lucratur ab aliquo quem non attraxit, & qui ſua donare poteſt, etiam ſine dolo & fraude, peccet mortaliter. Ipſum tamen ad lucri reſtitutionem vel erogationem de neceſsitate ſalutis teneri non eſt certum euidenter. Ludens enim ex cupiditate, agit contra charitatem proximi, concupiſcendo bona proximi cũ damno eius: & quamuis certum non eſt de reſtitutione facienda, tamen conſilium eſt & ſecurus agit, ſi quis reddiderit vel in pios vſus diſtribuerit. Gabriël longior eſt vbi ſupra. vide ad hoc Richardum diſtinct. xv. artic. v. quæſt. viij. lib. iiij. Ludus autem ſcacorum, vt idem Richardus dicit, ſine taxillis, prohibitus eſſe non videtur, eò quòd ibi exercetur humanũ ingenium, niſi fortè in caſu cùm homines agunt pœnitentiam. Gabriël tamen diſtin. xv. quæſt. xiij. artic. iij. dub. ij. aliter ſentire videtur ex dictis Hieronymi, & de conſec. diſt. v. Nunquam. Non decet clericum ludis tempus conſumere, præſertim, inquit Gabriël, cùm ludus ille ſcacorum valde animum diſtrahit, & tempus plurimum conſumit. Nimis denique miſer eſt, qui in ſortem Domini aſſumptus, extra Dominum in huiuſcemodi vanitatibus recreationem quærit, quaſi in ſummo ac delectabiliſſimo bono, recreatio haberi non poſsit. Et ſicut dicit Hieronymus: Ama ſcientiam ſcripturarum, & carnis vitia non amabis: ita de ludo dici poteſt: Ama ſcientiam ſcripturarum, & ludum & ocium iners non amabis. Gabriël. Eſt præterea ludus de quo dicitur 1. Corinth. 10. in gloſſ. Ludus eſt geſticulatio libidinoſa, cuiuſmodi eſt in choreis. Spectacula ſunt (ſicut dicit Auguſtinus) & cithara, & venatio, & huiuſmodi. Dicit autem ſanctus Bonauentura diſt. xvj. in literalibus dubiis, libr. iiij. quod ludus chorearum non eſt malus ſecundum ſe, ſicut patet de ſorore Moyſi, Exodi 15. ſed fit malus quadruplici de cauſa, propter modum, quando eſt modus laſciuus: propter finem, quando fit ad prouocandum libidinem: propter tempora, vt ſi fiat tempore triſtitiæ: propter perſonam, vt ſi fiat à perſona religioſa: his remotis poteſt fieri, pœnitenti autem non competit, quia eſt tempore triſtitiæ. Similiter iudicandum eſt de ſpectaculis, vt idem dicit ſanctus Bonauentura.

Lumen naturale ſecundum Petrum de Aliaco diſt. ij. q. iij. ar. iiij. li. j. dicitur lumen, ſiue cognitio, ſine errore intellectui poſsibilis de communi curſu naturæ. Et dicitur ſine errore, quia cognitio erronea non debet dici lumen naturale, ſed potius tenebra. Et vt idem ait, in lumine naturali non eſt nobis per ſe aut per experientiam notum vnum tantum eſſe Deum. Articulum quoque de vnitate Dei (vt idem inquit) crediderunt Philoſophi, & probauerunt in lumine naturali: patet in libris Ariſtotelis, & aliorum plurium Philoſophorum. Et quamuis articulus de vnitate Dei non poſsit nobis fieri euidens in lumine naturali, tamen hoc poteſt in lumine ſuperiori: quia in lumine ſupernaturali. Et vt idem dicit quæſt. v. artic. iij. lib. j. proprietas Philoſophi eſt quod innitatur lumini naturali, niſi vbi oppoſitum docet lumen fidei. Vnde

ipſe ait: Non ſunt digni vocari Philoſophi, qui cōcedunt aliquid ita difficile ad ſuſtinendum, ſicut & poſitio de Trinitate, abſque hoc quod ad hoc cogantur fidei auctoritate. Item omnis poſitio debet a Catholicis & ab omnibus negari, cuius oppoſitum circumſcripta fide apparet euidens in lumine naturali: & hoc niſi ad concedendum ipſa cogit auctoritas fidei, &c. Et lumen ſecundum Gerſonem parte iij. de oculo dicitur omne quod manifeſtatur. Signat autem Deus duplex lumen ſuper animas, ſcilicet vnum naturale & aliud ſupernaturale, vt ſcribit Iacobus de Valentia, Pſalm. 4. Lumen naturale eſt lumen intellectus agentis & rationis, quo omnia naturalia anima noſtra poteſt cognoſcere per ſtudium & actionem: & ſic poteſt cognoſcere quomodo anima noſtra eſt immortalis, & dependens à primo eſſe, quod eſt Deus: prout naturaliter cognouerunt Philoſophi Deum & intelligentias, & animam noſtram eſſe immortalem, & in eadem parte intellectus ponit lumen rationis, quæ dicitur inferior pars, per quod poteſt cognoſcere quæ ſunt bona vel mala, iuſta vel iniuſta, turpia vel honeſta, agenda vel non agenda. Vnde ſicut primum lumen dicitur ſpeculatiuum, ita ſecundum dicitur practicum: & tamen vtrunque lumen dicitur nobis naturaliter inſitum. Latius de hoc Valentia. Lumen autem ſupernaturale eſt illud, quod infunditur ex ſpeciali dono ſpiritus ſancti, eleuans intelligentiam vltra naturam ſui, ad apprehendendum ea quæ ſunt ſupra humanam facultatem, prout ſpiritus ſanctus diuidit ſingulis prout vult. 1. Corinth. 12. Et illud dupliciter peruenit ad nos. Vno modo per ſpiritualem infuſionem & illuſtrationem: & ſic receperunt ipſum Patriarchæ & Prophetæ in veteri teſtamento, & Apoſtoli & ſancti Doctores in nouo teſtamento. Secundo peruenit illud lumen ad ſimplices fideles per doctrinam & prædicationem. Longior eſt ibi Valentia. Et lumen ſpiritualiter accipiendo, vt notat Guil. Scot. imitator ſuper j. diſt. iij. part. ij. art. j. eſt quoddā mentis accidēs, quod nobis lux vera Deus infundit, quo intellectus noſter poteſt per creaturas Deū & S. Trinitatē cognoſcere. Vnde de Chriſto ſcribitur Ioā. 1. Erat lux vera, quę illuminat omnem hominē venientē in hunc mundū. Item omnis potentia cognitiua dicitur lumen potentiale.

Lumen eſt duplex, ſcilicet corporale & ſpirituale. Vnde Alexander parte iij. quæſt. xiij. dicit, quod in corporalibus verum eſt, quod maius lumen obfuſcat minus lumen, non autem in ſpiritualibus. Cuius ratio eſt, quia omnia lumina corporalia ſunt ad vnum actum, ſcilicet manifeſtationis, qui actus verè & pleniſsimè eſt à lumine ſuperiori. In corporalibus autem non ſic. Nam lumina donorum aut virtutum non ſunt ad vnum actum. Vel vt dicit ſanctus Thomas parte iij. quæſt. ix. artic. j. quod ſi duo lumina fuerunt eiuſdem ordinis, maius obfuſcat ſeu abſorbet minus, ſicut lumen Solis, lumen candelæ, quia ſunt in ordine illuminantis: vbi verò maius lumen eſt in ordine illuminantis, & minus in ordine illuminati, tunc maius lumen non obfuſcat, ſed auget lumen minus, ſicut Solis lumen illuminat aëris lumen. & Gabriël diſtinct. xiij. quæſt. vnica, art. j. lib. iij.

Lupus. Per lupum quandoque ſignificatur malus paſtor, vt ſcribit Gerſon parte ij. in ſermone facto in concilio Remenſi, Dominica ſecunda poſt Paſcha: Qui lanam & lac ouium, imò carnes & oſſa, per violentiam & exactionem ſumpit, caſſat & opprimit: & per gulam & luxuriam, lanam & lac ouium conſumit, qui de ouibus non curat. Tales execratur Ezechiël 34. cū ait: Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod craſſum erat occidebatis, gregem autem meum non paſcebatis. Quod infirmum fuit, non conſolidaſtis: & quod ægrotum erat, non ſanaſtis. Quod confractum eſt, non alligaſtis: & quod abiectum eſt, non reduxiſtis: & quod perierat, non quæſiſtis, ſed cum auſteritate imperabatis eis, & cum potentia, & reliqua in hanc ſententiam.

Lux, vt ſcribit Brulefer, eſt qualitas corporis lucidi. Lucidum eſt ipſum corpus habens lucem. Luminoſum, eſt ipſum corpus illuminatum. Et lux ſignificat id quo colores manifeſtantur, vt videri poſsint, ſiue quo viſibile in potentia, ſit actu viſibile. Sumitur & tranſſumptiuè ex vſu loquentium ad omne illud quo manifeſtatur cognoſcibile: ſicut dicit Apoſtolus ad Epheſios quinto: Omnia quæ manifeſtantur, à lumine manifeſtantur. Et ſequitur: Omne quod manifeſtatur, lux eſt. ſic Deus & Angeli, lux & lumen dicuntur, ſicut & dona & habitus lumina dicuntur. Hinc dicitur in Symbolo Nicæno: Deum de Deo, lumen de lumine. vbi lumen eſt notionale pro qualibet perſona: & omnes tres ſunt tria lumina notionalia, & ſunt vnum lumen eſſentiale. Dicimus & lumen fidei, lumen gratiæ, gloriæ.

Lux ſecundum ſanctum Bonauen. accipitur tripliciter. Vno modo pro forma ſubſtantiali, quæ dat eſſe corpori lucido. A quo luminoſum, corpus eſt principaliter actiuum. Alio modo lux dicitur eſſe fulgur, quod eſt circa corpus luminoſum, quod ſequitur exiſtentiam lucis in tali numero, & quod eſt etiam obiectum ſenſus & operationis inſtrumentum: & ſic eſt accidentale complementum. Et triplex eſt actus lucis (vt idem ſcribit Bonauentura diſtinct. vltima, artic. ij. lib. iiij.) ſcilicet manifeſtare, dirigere & delectare: ſic & in luce ſpirituali, vide eum latius. Vnde lumen (vt ſcribit Richardus diſtinct. vltima, artic. v. quæſt. j. lib iiij.) per ſe eſt delectabile, per accidēs autē poteſt eſſe triſtabile, inquantū aliquid oſtendit quod diſplicet: & quia infernus eſt locus omnis triſtitiæ, ideo ſimpliciter locus tenebroſus eſt, nec eſt ibi aliquod lumē purū, quod viſum delectet: eſt ibi tamen lumen aliquod obſcuritati permixtū, quo damnati videre poſsint vnde doleant. Richardus. Et lux & lumen apud multos pro eodem accipiuntur. Eſt tamen aliqua differentia rationis nominum. Nam lumen ſupponit pro luce, & connotat eius effluxum à luce, hoc eſt productionem à luce. Probatur, quia lux Solis non poteſt dici lumen, quia non eſt producta ab alia luce corporali. Lux Lunæ, ſtellarum ac nubium, & inferiorū, per irradiationē Solis ſuper ea cauſata, poteſt dici lumē & etiā lux. Et lux etiā poteſt dici qualitas intenſa, & lumen remiſſa ab ea procedēs, vt refert Gab. ſecundū aliquos vbi ſupra.

Et de quidditate luminis ſanctus Bonauentura ponit ſeptem opiniones, ex quibus nihilominus vix colligi poteſt (vt ait Gabriel diſt.xiij.lib.ij.) quid ſit lumen, imò nec adæquata ſignificatio nominis. Et lux (vt idē dicit Gab.dub.ij.)eſt accidens Solis, quia poteſt etiā auferri à Sole per potentiā diuinā, ſicut frequētet habetur in Prophetis. Et ſecundum quoſdā ita Sol fuit priuatus lumine in paſsione domini. Item poteſt augeri. Vnde Iſa.30. Erit lux Lunæ ſicut lux Solis, & lux Solis erit ſeptupliciter ſicut lux ſeptem dierū. Non eſt ergo lux de eſſentia Solis, ſiue pars eius eſſentialis: licet ſit accidens proprium ſeu inſeparabile naturaliter, ſicut albedo cigno. Hæc Gabriel.

Lux & lumen, radius & ſplendor, differunt ſecundum Richardum libr.ij. diſtinct.xiij. artic. ij. qu.j. Et Thomas in ſcripto. diſtin.xiij. eodem libr. art. iij. Et Pelbartus poſt eos refert li.iij. Roſarij Theologiæ. Quod lux dicit quandam formam accidentalem in corpore lucido exiſtentem actu, à quo alia illuminantur, vt eſt lux in Sole vel in ſideribus, &c. Lumen autem dicitur ſecundum quod lux ipſa per ſui multiplicationē eſt recepta in corpore diaphono illuminato. Sed radius dicitur illuminatio, diffuſio ſecundum directam lineam oppoſitam corpori lucido, puta Soli, & huiuſmodi: & ideo vbicunque eſt radius, ibi eſt lumen, ſed non econuerſo. Contingit enim lumen eſſe in domo ex reflectione radiorum Solis, quamuis non ex directa oppoſitione propter aliquod corpus interiacens, propter cuius obſtaculum radius non poteſt directè intrare talem domum illuminatam. Et eſt triplex radius, ſcilicet rectus, reflexus & fractus, ſiue refractus: de qua in perſpectiua videri poteſt. Et Algazel in ſua perſpectiua, & in Meteorum Ariſtotelis. Splendor verò dicit lumen reflexum à ſuperficie corporis opaci politi, præſertim & terſi, ſicut à ſuperficie argenti vel aquæ, vel lapidis precioſi, ex qua reflexione radij aliquando exeunt.

Luxuria dicit generaliter omnem inordinatam concupiſcentiam delectationis, ſiue carnalis, ſiue ſpiritualis, hac peccauit Lucifer, ſecundum Scotum, & poſt eum ſcribit Bruleſer diſtin.v. quæſt.j. lib.ij. ſcilicet capiendo luxuriam pro inordinato amore ſui ipſius vel alterius, fuit enim inordinatus amor ſui ipſius concupiſcentiæ. Et quia concupiuit beatitudinem intenſiſsimè, quia non minorem quàm Deus habet: & quia concupiuit beatitudinem nimis accelerando, quia nolebat eam mereri, ſed ante tempus determinatum volebat habere: volebat & eam habere ſine meritis vltra ordinationem diuinam. Fuit & inordinatus amor excellentiæ ſuper alios: peccauit ergo hoc modo peccato luxuriæ. Et licèt propriè vt eſt diſtinctum capitale vitium contra alia capitalia, dicitur eſſe in actibus venereis, extenditur tamen ad omne delectabile mouēs appetitum inquantum delectabile, vt ſcribit Gabriel diſtinct.vj. quæſt. vnica, libr.ij. Luxuria (vt inquit Corteſius) prælium cum caſtitate init, & varia armorum genera ad dimicandum affert. Item luxuria eſt concupiſcentia expetiendæ voluptatis vel concubitus deſiderium ſupra modum, vel contra rationem efferens, ſecundum Hugonem libro de Sacramentis. Et ſecundum beatum Thom. ſecunda ſecundæ quæſt.cliij. & in quæſt. de malo. q. xv. Luxuria eſt appetitus inordinatus venereorum, & principaliter eſt circa voluptates venereas. Secundariò autem dicit exceſſum in aliis (vt inquit Thomas.) Et ſecundum Ciceronem, luxuria ſiue luxuries, ſiue luxus, eſt immoderata appetitio cuiuſcunque rei grata rationi non obtemperans, capiturque pro immoderata perfuſione. Intelligimus (inquit Cicer.) quàm ſit turpè defluere luxuria, delicatè ac molliter viuere: ſumitur etiam pro nimia rei abundantia. Vnde luxuriari quoquo modo profundere, modo nimium abundare ſignificat. Virgilius: *Luxuriem ſegetum tenera depaſcit in herba.* Reperitur & luxurior & luxor, aris, in eadē ſignificatione. Dicuntur autem hæc à luxo, quod ſignificat ſoluo, à quo etiam luxa & luxata membra dicuntur ſoluta, & ſuis locis mota. Item luxati quorum membra ſuis locis mota ſunt. Plin. Alteæ radix decocta luxatis prodeſt.

Luxuria ſecundum Gerſonem in tripartito de confeſsione circa peccatum luxuriæ, & in tripartito de præceptis decalogi, cap.xj. & in regulis moralibus, vbi ſic ſcribit: Luxuria ex genere ſuo moralem dicimus propter corruptionem generatiuę virtutis, maiorem quàm nutritiuæ ac minorem eius neceſſitatem: & quia contrariatur huic præcepto: Non mœchaberis: & vt per bona matrimonij actus iſte quæratur excuſari. Conſenſus in delectationem luxuriæ circa obiectum ſibi prohibitum, eſt mortale peccatum, ſiue ſit in cogitatione, ſiue in verbis, aut in viſu, aut tactu, aut nutibus, aut operatione. Quamobrem familiaritas magna hominum carnalium mutuo præſertim ad nudum, quantumcunque eiuſdem generis aut ſexus, aut diuerſæ ætatis periculo proxima eſt, ideoque vitanda eſt. Grauitas peccatorum luxuriæ ex genere ſic ordinatur ſecundum grauius & minus graue, quanquam ex circumſtantiis poſsit eorum grauitas aliter variari. Beſtialitas cum brutis, Sodomia cum eodem ſexu, aut in vaſe non ordinato, mollicies ſecum, ſacrilegium dicatarum, inceſtum parentum, ſtuprum virginum, adulterium ligatorum, fornicatio ſolutorum, luxuria generaliter. Et licitum eſt (inquit Gerſon) ſuam caſtitatem ſicut propriam vitam defendere vim vi repellendo. Et comparatur luxuria porco, vt idem ſcribit in compendio Theologiæ de ſeptem vitiis capitalibus: Superbia verò vel vana gloria comparatur leoni, Inuidia cani, Ira lupo, Acedia aſino, Gula vrſo, Auaritia ericio comparatur. Comparantur & illa vitia ſecundum eundem ſeptem grauibus infirmitatibus. Superbia ſeu vana gloria comparatur corporis inflationi, Inuidia lepræ, Ira phreneſi, Acedia letargię, Auaritia hydropici, Gula epilentiæ, Luxuria comparatur febri. Et ſecundum eundem parte ij. de ſeptem vitiis capitalibus, Luxuria ſic deſcribitur: eſt ex immundis deſideriis veniens lubrica mentis & carnis proſtitutio. Secundum alios ſic deſinbitur: Luxuria eſt libidinoſæ voluptatis appetitus, & intelligas hunc libidinoſum appetitum, quando eſt ex conſenſu rationis [illegible] quod ipſa ratio cùm cohibere poſſet non tamen cohibet, quia tūc talis libidinoſus appetitus eſt peccatū mortale.

Luxuria ſecundum Iſidorum, eſt ſolutio in voluptates: voluptates autem maximè venereæ ſoluunt animum hominis. Adhuc ſecundum alios, luxuria eſt corporis incontinentia ex pruritu carnis originem trahens. Et ſecundum Gregorium xxxj. Moralium, octo aſsignantur filiæ luxuriæ, ſcilicet cæcitas mentis, inconſideratio, inconſtantia, præcipitatio, amor ſui, odium Dei, affectus præſentis ſeculi, horror ſeu deſperatio futuri: de quibus Gerſon plura ſcribit. Species verò ſunt ſeptem, ſcilicet ſimplex fornicatio, ſtuprum, adulterium, ſacrilegiũ, inceſtus, raptus, peccatũ cõtra naturã, de quibus ſupra. & Gerſon plura de his ſcriptis reliquit. Videatur & Alexan. par. ij. & aliàs habetur in ſummis Antonini, &c. & colligit plura Pelbar. libr. iij. Roſarij Theol. Et ſecundum Gerſonem, luxuria eſt libidinoſa quædam circa actus venereos voluptatis concupiſcentia. Hæc autem concupiſcentia luxuriæ dupliciter contingere poteſt ſeu conſiderari. Vno modo prout eſt ſolum in corde. Alio modo prout etiam ab extra conſiſtit in opere. Quantum ad primum modum poteſt hoc iterum contingere tripliciter. Primo modo prout ipſa concupiſcentia in ſolo primo motu cõſiſtit, & tunc non eſt niſi veniale peccatum. Secundo prout ipſum motum naturalem ſequitur conſenſus in delectationem, licèt non in opus, & ſic eſt peccatum mortale. Tertio modo illa concupiſcentia conſiderari poteſt, prout etiam ex deliberatione conſentitur in opus, & tunc eſt mortale peccatum: etiam ſi pro tunc non tranſeat in actum ab extra. De quo latiùs conſulito Gerſonem, qui & ponit remedia parte ij. in ſermone de ſancto Bernardo. Et parte iiij. in ſermo. de ſancto Antonio, ſcilicet oratio: fugere occaſiones, quibus quis trahi poteſt ad perpetrandum peccatum, ſicut colloquia: item fugere ocioſitatem. Item ieiunium, & generale quoddam remedium contra hoc peccatum, & contra omnia alia, eſſet ſæpius loqui, audire de ſancta ſcriptura ad vitam miſericordiæ noſtræ renouandam & lauandam, vt ratio redderetur clarior, per quam videre poſſemus & habere virtutes, ſi pura eſſet. De hoc vitio multi multa literis mandarunt, ſed hæc prædicta ſufficiant nobis, & adhuc rudibus in Theologia, &c.

De litera M.

MAgica ars, quę prohibita eſt, & quid ſit, videatur in litera A.

Macula, turpitudo, ſordes, ponitur & pro nota, & ſigno, & infamia. A quo maculoſus, ſordidus, immundus. Eſt & macula animæ, quæ ſecundum Petrum Paludeñ. nihil eſt aliud quàm priuatio gratiæ, & remiſsio quo ad maculam, non eſt niſi reſtitutio per pœnitentiam. Sicut macula Lunæ eſt priuatio lucis, & pulcrificatio eſt eius illuminatio. Paludenſis diſtin. xix. quæſt. j. art. ij. libr. iiij. Et hæc eadem eſt remiſsio quo ad culpam, quæ culpa eſt defectus quidam voluntarius, ſed omnis priuatio gratiæ eſt defectus quidam voluntarius ſiue voluntate perſonæ, vt in mortali actuali, ſiue voluntate naturæ vt in originali, &c. Vide & in dictione *Reatus*. & Magiſtrum in textu diſt. xviij. libr. iiij.

Magiſter is appellatur, qui alicuius rei præ cæteris curam gerit, ſecundum Hoſtieñ. Magiſtri propriè dicuntur artium præceptores. Transfertur tamen hoc nomen ad omnes, quibus præcipua cura rerum incumbit. Dicuntur autẽ vel à monendo vel monſtrando, quod magis cæteris poſsint, vel quod magis quàm cæteri diligentiam & ſollicitudinem rebus, quibus præſunt, debent. Hieronymus ſuper illud Matth. 22. Magiſter, ſcimus quia verax es: Magiſtrum vocant, vt quaſi laudatus myſterium cordis ſui ſimpliciter aperiat, eosq́; velit habere diſcipulos. Et epiſtola lxxxix. Magiſter probæ ætatis & vitæ, eruditionisq́; eligendus eſt, &c. Iacob. in epiſtola cap. 3. Nolite plures magiſtri fieri, fratres mei, ſcientes quoniam maius iudicium ſumitis.

Magnum vel magnitudo, accipitur quadrifariam, vt notat Gabriël diſt. xix. quæſt. j. lib. j. & eadem ſcribit Dominus Cardinalis Cameraceñ. quæſt. x. ar. j. libr. j. Vno modo largiſsimè, & ſic idem eſt quod perfectio, vel perfectum. Sic dicit Auguſtinus vj. de Trinit. quod in his quæ non mole magna ſunt, eſt idem melius eſſe quod maius eſſe, & illo modo quælibet res eſt magna vel magnitudo quædam. Secundo modo capitur largè pro omni continente plura, ſiue ſit per ſe vnum, ſiue aggregatiuè, quomodo numerus, populus, exercitus, & motus magnus dicitur, & vnus maiur alio: ita accipit Auguſtinus cùm dicit, quod anima eſt maior ſeipſa, quando recipit virtutes. Tertio modo ſtrictè capitur pro aliquo continente, plura eiuſdem rationis facientia vnum per ſe, ſiue illa plura diſtinguantur loco & ſitu, ſiue non. Sic charitas intenſa eſt magna, & maior charitate remiſſa. Quarto modo capitur ſtrictiſsimè, vt eſt ſpecies quantitatis diſtincta contra multitudinem, & capitur pro aliquo continente plura eiuſdem rationis facientia per ſe vnum diſtincta loco & ſitu. Et hæc dicitur magnitudo dimenſiua. Et hoc modo loquitur Auguſtinus quinto de Trinit. & allegat Magiſtrum diſtinct. viij. libr. j. cùm dicit, quod Deus eſt ſine qualitate bonus, ſine quantitate magnus. Sic etiam quantitas quadrupliciter diſtinguitur. Eſt enim quantitas virtutis, durationis, diſcretiua, & quantitas molis, quæ facilè ex dictis patent. Sed magnitudo in diuinis ſecundum vſum ſanctorum, vt Gabriël & Aliacenſis ſcribunt, quandoque accipitur vt eſt merè abſolutum, ſicut ſapientia, perfectio, & ſic nullo modo diſtinguitur ab eſſentia: & illo modo perſonæ dicuntur æquales propter eſſentiam vnam in eis. Et ſicut omnium perſonarum eſt vna eſſentia, ita & vna magnitudo. Et ſic pater non eſt formaliter eſſentia, ita nec eſt formaliter magnitudo: & ſic paternitas ex ſe ſiue formaliter, nec eſt æqualis, nec inæqualis filiationi, ſed tantum ratione eſſentiæ, quæ eſt eadem vtrique, paternitati ſcilicet & filiationi. Alio modo accipitur magnitudo pro omni realitate poſitiua ſiue abſoluta, ſiue relatiua. Iſto modo paternitas ex ſe & formaliter, eſt quædam magnitudo, ſicut ex ſe eſt quædam entitas realis, & ex ſe eſt perfecta & perfectior omni creatura, eiq́ue ex ſe repugnat omnis imperfectio. Vide latiùs Gabriëlem & Aliacenſem.

Magnanimitas quæ fortitudini maximè eſt coniun cta, vt ſcribit Paulus Corteſ.lib.iij.ſenten.ſuarum, diſt.viij.quatenus ſcilicet in tetum magnarum difficultate verſetur, cui contraria eſt animi tenuitas, quam Græci μικροψυχίαν vocãt. Opponitur quandoquidem magnum & paruum inter ſe ſuapte natura diſſideant: hæc eſt naturæ ſuæ inſcitia, quæ robur virtutis delumbat, ac à rerum magnitudine recedit, quarum eſt aptiſſimè capax: hæc Corteſius. Et ſecundum Ariſtotelem 4. Ethic. Magnanimitas eſt virtus quæ verſatur circa magnos. Et libro 1. Rheto. eſt virtus magnorum beneficiorum effectiua. Cuius contrarium eſt puſillanimitas. Magnanimitas ſecundum ſanctum Thom. ij. ij. qu. cxxix. artic. j. importat extenſionem animi, vel ad magna abſolutè, vel ſecundum proportionem. Et ibidem artic. iij. Magnanimitas, ait, eſt virtus tendens ad maxima ſecundum rectam rationem. Et magnanimitas ſi vltra modum ſe extollat (vt inquit Seneca de quatuor virtutibus) faciet virũ minacem, inflatum, turbidum, inquietum in quaſcunque excellentias dictorum atque factorum neglecta honeſtate feſtinum, &cæ. Et ſecundum eundem: Si magnanimitas à comitate humana ſit remota, feritas quædam erit & immanitas, &c. De hac virtute multa videãtur apud Philoſophos, &c. Et Anto. part. iiij. titu. iij. cap. v.

Magnificentiã, quæ Græcè dicitur μεγαλοπρέπεια, eſt magnarum rerum & excelſarũ cum animi ampla quadam & ſplendida propoſitione cogitatio, atque adminiſtratio, ſecũdum Ciceronem in Rheto. & ſecundum Ariſtotelem lib. 1. Rheto. Magnificentia eſt virtus magnitudinis ſumptuum effectiua. Cuius contrarium eſt modicitas. Magnificentia (vt ſcribit ſanctus Thom. ij. ij. quæſt. cxxxiiij. art. j.) eſt virtus factiua magnorum. Et eſt virtus generalis, ſi ſumatur facere cõmuniter, ſcilicet pro omni opere. Si verò propriè, ſcilicet pro operatione exteriore, eſt virtus ſpecialis. Magnificentiam dicit Paulus Corteſius lib. iij. ſuarum ſenten. diſt. viij. ex fortitudine naſci, quę eſt magnorum operum confectrix, cum decentia ſumptuum collocandorum. Magnificus (vt inquit Gerſon tract. iiij. ſuper Cantic. Mariæ) non de honore vel gloria curam habet, ſed de operibus præclaris, quæ gloria digna ſunt & honore: colit lucem, ſpernit vmbram. Gloria ſua eſt (ſicut dicit Apoſtolus) teſtimonium conſcientiæ ſuæ, nõ de alieno pendet iudicio, cui modicum eſt ſi iudicetur ab hominib⁹, vel ab homine, aut ab humano die. Nam qui ſe iudicat Dominus eſt. Fit humilis proinde in fuga gloriæ: fit magnanimus in operatione magnorum, cum dignitate meritorum. Denique cùm gloriatur, in Domino gloriatur. hęc Gerſon. Et ſecundum eundem parte iiij. ſerm. de ſanctis Petro & Paulo. Differunt magnificentia & ſuperbia. Nam ſuperbia duntaxat propriam quærit laudem, ſiue bonũ alibi euenire debeat ſiue non. Magnificentia verò omnino per contrarium ſolum habet oculum ad veritatẽ alterius, & ad honorem Dei: taliter quod ſi illa cõmoditas æquè bene euenire deberet perſonale vituperium incurrendo, vel vt gloriam illam haberet alius, non tamẽ ob id deſineret facere quod facit. In tali verò caſu ſuperbia omnino bene operari conaretur. Magnificẽtiæ proprietas (vt idẽ ſcribit tract. xj. ſuper Magnificat) eſt conſummatio fortis inchoatorũ, ſicut ad magnanimitatẽ ſpectat aggreſſio conſiderata magnorum.

Magnificatio Domini (vt ſcribit Gerſon trac. v. ſuper Cantic. Virginis) eſt ſpecies pietatis corde, ore vel opere, proueniens ex conſideratione vel proteſtatione diuinæ magnitudinis & maieſtatis ſui dominij. Eſt enim maieſtas quaſi magnitudinis ſtatus. Et magnificatur Dominus à creatura, non in augmentum ſui in ſe, ſed quia magnus eſſe prædicatur, canitur & laudatur. Aut certè quia magnificentia facit animam cui magna facit qui potẽs eſt. Nam quos iuſtificauit, hos & magnificauit, vt dicit idem Gerſon tract. j. ſuper Magnific. & tract. ij. ſuper eodẽ Canti. Virginis. Magnificare Dominũ nihil aliud eſt quàm magnum ſignificare: non enim facimus Deum aliter magnum. Sunt autem modi ſignificandi magnitudinẽ Dei ſine numero, in genere duo. Vnus interior in anima cognoſcente & diligẽte Deũ. Etenim fide, ſpe & charitate, magnificatur in anima Deus, quoniam magnus ab ea & in ea ſignificatur. Modus alter eſt exterior tã multiplex quàm varia ſunt ſigna quę repręſentare poſſunt ab extra magnitudinẽ Dei. Quid eſt enim ſignificare, niſi aliquid intellectu repræſentare: ſit hoc per voces, ſit per colores, vel ſpecies colorũ, ſit per obiecta quorumlibet ſenſuum, ſit per ænigmata figurarũ in ſcripturis ſanctis, ſit per reuelationes myſteriorũ. Hęc Magiſter Ioãnes Gerſon Cancel. &c.

Maieſtas eſt decus, amplitudo & dignitas, vel populi vel Senatus, vel Magiſtratus, vel Principis, vel Imperatoris, aut etiam priuati magni viri vel alterius etiam rei inanimatæ. Et maieſtatis crimẽ Iuriſconſulti diffiniunt eſſe, quod aduerſus populũ Romanum, vel aduerſus ſecuritatem eius committitur. Et ſecundum ſanctũ Tho. ſuper epiſtolam ad Hebræos: Maieſtas eſt ſumma poteſtas.

Maius & minus capiuntur dupliciter, vt ſcribit Gabriel diſt. j. quæſt. ij. lib. iij. Vno modo vt maius dicitur quod excedit aliud in certa & determinata quantitate, & ſic non attribuitur infinitis, nec vnũ eſt maius alio. Alio modo largiùs, vt maius dicitur quod continet omnia quæ continet aliud, vel ſibi correſpõdens, & cũ hoc alia: & ſic cõceditur vnum infinitũ eſſe maius alio, & minorẽ eſſe medietatem totius, quàm totum. Sic (vt idem ſcribit lib. ij. d. j. q. iij.) aliqua dicuntur eſſe maius & minus æqualia dupliciter. Vno modo, vt dicunt, cõparationem vnius quantitatis ad aliam ſecundũ menſuram, vt æqualia dicantur quorũ eadem eſt menſura. Maius quod excedit aliud in certa quãtitate, minus quod exceditur in quantitate: & ſic non attribuuntur infinitis, eò quòd infinitũ non eſt menſurabile. Alio modo accipiũtur largiùs illi termini: vt æqualia ſint aliqua ſic ſe habentia, quod quicquid eſt in vno, id vel ſibi correſpõdens eſt in alio, & nihil vltra. Sic ſi Deus in qualibet parte proportionali horæ produceret lapidẽ, multitudo lapidum productorũ eſſet æqualis multitudini proportionaliũ partiũ horę, licèt vtraq; multitudo ſit infinita. Et maius largè dicitur quod cõtinet omnia quę cõtinet aliud vel ſibi correſpõdens, & cũ hoc alia: & ſic maior eſt multitudo

tudo partium totius cõtinui quàm eius medietatis, & minor medietatis quàm totius. Gabr.

Magis & minus vt notat S.Bona. d.xiij.lib.j.circa tex.dupliciter poſſunt conſiderari,ſcilicet,in cõparatione ad idem,& ſic dicunt intenſionẽ & remiſsionẽ. Vel in cõparatione ad diuerſas ſubſtãtias & naturas,& ſic dicũt gradũ & exceſſum:& ſic eſt bene ponere magis & minus in ente reſpectu creatoris & creaturę,& reſpectu creaturarũ ad inuicẽ,ſed in cõparatione creaturæ ad creatorẽ eſt exceſſus improportionabilis & infinitus,reſpectu creaturarum ad ſeinuicem,eſt proportionabilis. Hæc Bonauen.

Maior & minor prout attribuũtur Chriſto, ſic ſunt diſcernenda. Chriſtus eſt maior ſeipſo ſecundũ humanitatẽ,minor ſeipſo ſecundũ Deitatẽ, & ſic minor patre ſecundũ humanitatẽ,hoc eſt dictu:diuinitas in Chriſto maior eſt,quia creator,quã humanitas quæ eſt creatura. Vnde canitur in Symbolo: Æqualis patri ſecundum diuinitatem, minor patre ſecundum humanitatem.

Maledictio eſt imprecatio malorum. De quo multa ſcriptis reliquit Anton.parte ij.titul.vij.cap.v. Vnde maledicere eſt idem quod malum dicere. Poreſt autem maledictio fieri dupliciter, vt notat Gabriël diſtinct.xviij.quæſt.ij. artic.j.lib.iiij. poſt Thom. Vno modo intentione ibi ſiſtendi, vt dum quis ex ira vel odio imprecatur malum perſonæ, non in bonum perſonæ, ſed in malum eius appetitu vindictæ vel inuidiæ; & hoc modo omnibus modis prohibita eſt. De hac loquitur Apoſt. Rom.12. Benedicite maledicentibus vos,& nolite maledicere. Alio modo fit imprecatio malorũ in bonũ eius cui imprecatur, ſcilicet vt per hæc mala corrigatur, & correctus à peiorib⁹ preſeruetur vel liberetur:ſicut Medicus ſecat & abſcindit membrũ vt vitã cõſeruet:& hoc modo maledictio quandoq; eſt licita & ſalutifera,puta quãdo is qui maledicitur aliter ſanari nõ poteſt, & talis eſt excõmunicatio, & quia diabolus incorrigibilis eſt, & maledictio in bonũ eius dirigi non poteſt, nec debet tanquã iam iudicati à Deo irreuocabili ſententia,non eſt maledicendus. Plura apud Anto.de maledictione,vbi ſupra.

Maleficium eſt virtutũ naturaliũ faſcinatio ſiue obſtupentia,& fit quãdo diabolus per aliquã artẽ impedit naturalia;vt quãdo ad requiſitũ ſortilegarum impedit diabolus quod aliquis nõ poſsit cognoſcere vxorẽ ſuã,dando impedimentũ circa partẽ generatiuã. Et maleficia ſiue incãtationes poſſunt quãdoq; fieri per adhibitionẽ,rerũ naturaliũ maleficiatis:vt venenatarũ herbarũ,radicũ,lapidũ,& cæterorum ſimiliũ,quorũ occultas proprietates nouerunt dæmones,vt ſcribit Gab.di.viij.q.ij.at.iiij.dub.ij. li.ij. Et nõ eſt dubiũ quin talia applicata ſuis paſsiuis,poſſunt habere nõ ex dæmonũ virtute, ſed ſua naturali proprietate operationẽ efficacẽ. De quo latiùs cõſulito ibidem Gabr. Videatur & S.Bona.di. xxxiiij.at.ij.q.ij.li.iiij. Et Palud.eadẽ di. Fiũt autẽ maleficia per malignos ſpiritus, qui vt ſcribit Scotus d.xxxiiij.li.iiij. habentes pactiones cũ hominibus,ſeruãt promiſſa,non quia veraces,ſed vt alij eis adhereãt,quia ſi nulla pacta ſeruarẽt,nulli eis ſeruirẽt:& vt illi quibus ſeruãt promiſſa,eos celãt. Nam ex ſuperbia ſua pręcipuè appetũt honores diuinos.

Deus autẽ permittit eos exercere poteſtatẽ ſuã ad impediendum aliquos vel ab aliquibus actibus,in quos poſſent ſi non eſſent impediti:& hoc vel propter peccata eorũ, vel propter aliquã aliam cauſam occultã,& hoc modo Magus habẽs pactũ cum dæmone,procurat ab eo vt iſtũ impediat à tali actu,tali muliere quamdiu tale maleficiũ perſeuerat, puta acus curuata,vel aliqua huiuſmodi. Et hoc dicitur fieri aliqua virtute occulta,vt inquit Domin⁹ Prępoſitus Gabr.lect.iiij.canonis:nõ inſiſtẽte ei à quo tale fieri dicitur,ſed aſsiſtẽte: ſecundũ quem modũ malefici & incantatrices quoſdã effectus producere dicũtur, vt extrahere lac vaccarũ de ſedibus,vel manubriis ſecuriũ: quod fit nõ aliqua naturali virtute maleficiorũ,neq; ex eorũ merito, ſed virtute occulta,ſiue mala ſiue bona aſsiſtente. Sic ſancti fecerũt aliquando miracula aſsiſtente virtute diuina, non ſemper propter merita ſanctorum,ſed ſic etiã nonnulli reprobi miracula fecerunt, dæmones expulerunt propter generandum fidem in populo, &c. Poſſunt autẽ malefici nocere ſuis maleficiis, vt ſcribit S.Tho.in ij.d.vij. & viij. Nam poſſunt elementa cõcutere,aërem cõturbare,ac mentes hominum alienare & corpora lędere,& temporalia bona perdere,ſicut diabolus fecit ipſi Iob. Dicit tamen Ioannes Nider in præceptorio,quod maleficus qui per aliqua ſigna exteriora exercet ſua maleficia,non facit illa per opera ſua immediatè,ſed per dæmones: ſicut quando malefica intingit ſcopam in aquam vt fiat grando, talis intinctio non cauſat grandinem, ſed diabolus,ex pacto ſi Deus permiſerit. Similiter quãdo malefica acũ incuruat,dicens:quamdiu acus ſic ſtat, tamdiu talis non poſsit coire cum vxore. Similiter quando maleficus imaginem ceream pungit, tunc diabolus maleficiatum pungit. Nec licet talia maleficia per aliquod maleficium tollere, vt vult idem Thomas in iiij.diſt.xxxiiij.q.ij.quia ſecundum Apoſtolum: Non ſunt facienda mala, vt eueniant bona. Remedium contra impedimentum per dæmonem ſcribit Scotus. Si per orationes ſanctorum impediatur virtus dæmonis, bene fit. Si autem Deus illos non exaudiat, tunc ſi ſciretur, maleficium deſtrueretur, dæmon non fatigaret eum ampliùs, quia ex pacto non adeſt niſi dum durat aliquod ſignum. Ex hoc patet (vt idem ait) quod truſatica eſt illa quæſtio, an liceat tollere maleficium intentione curandi maleficiatum; non enim ſolùm licet, ſed eſt meritorium deſtruere opera diaboli. Nec in hoc eſt aliqua infidelitas, quia deſtruens non acquieſcit operibus malignis, ſed credit dæmonem poſſe & velle fatigare, dum tale ſignum durat, & deſtructio talis ſigni imponet finem tali vexationi, vt dicit Scotus. Non tamen licet miniſterio dæmonum per alias incantationes curare priores. Sed curandæ ſunt (vt & Gabriël inquit diſtinct.viij.quæſt.ij.artic.iiij. dub.ij.libr.ij.) ſanctorum orationibus fuſis ad Dominum eleëmoſynis & piis operibus. Vel ſi Deo amouere non placet, patienter veniunt tollerandæ. De maleficiis aliàs dicatur. Et de his notanda ſcriptis reliquit Doctor eruditiſsimus Martinus Plauſch egregius verbi diuini ſeminator & concionator,& paſtor Eccleſiæ Tubingæ, quem & de ſagis doctiſsimè prædicantem audiui.

Malitia eſt mentis atq; animi deprauatio, à tramite veritatis deuia, ſecundum Ambro. in Examerõ. Et ſecundum Ciceronẽ lib. 3. de natura Deorum: Malitia eſt verſuta & fallax ratio nocendi. Et differt à vitioſitate, quod malitia certi cuiuſdã vitij nomen eſt, vitioſitas omnium. Et malitia eſt triplex, quæ quadruplici bonitati (de qua ſupra dictum eſt in litera B.) opponitur, vt ſcribit Gabriël di. vij. q. vnica, a. j. lib. ij. Poſitiua vel priuatiua quo ad tres ſequentes bonitates. Sed priuatiua tantum primæ bonitati: quia nihil eſt malum naturaliter, ſed duntaxat non ens non eſt bonum naturaliter. Secundæ opponitur malitia ex genere: quia, ſcilicet, trãſit ſuper obiectum diſcõueniens, vt velle comedere venenum vel archillam, odire Deum. Tertiæ opponitur malitia ex circunſtantia: quia habet circunſtantiam actum inordinantẽ, puta contra dictamen rationis rectæ: licèt tranſeat ſuper obiectum conueniens ſecundum dictamen rationis rectæ: aut caret aliqua circunſtantia debita ineſſe actui vt ſit bonus virtuoſè: vt velle comedere cibum naturæ conuenientem contra præceptum Eccleſiæ, in tempore, ſcilicet prohibito: vt carnes in ſexta feria. Quarta malitia eſt in demerito, dum actus non elicitur ſecundum inclinationem charitatis. Vel quia non ineſt: vel ſi ineſt, non tamen ſecundum eius inclinationem elicitur: longior eſt Gabr. vbi ſupra. Et vt idem ſcribit di. xxxvij. q. vnica, art. iij. dub. iij. li. ij. Quædam ſunt poſitiua, quibus eſſentialiter eſt annexa malitia: vt latrocinium, furtum, adulterium, de quibus dicit Philoſophus 3. Ethicor. quod mox nominata cõuoluta ſunt malitia, connotãt enim deformitatem illa nomina. Vide latiùs ibi Dominum Præpoſitum Gabr. Excæcat autem malitia intellectum dupliciter, vt ſcribit poſt Scotum idem Gab. d. xxxvj. q. vnica, ar. iij. dub. iij. libr. iij. Vno modo priuatiuè, alio modo poſitiuè. Poſitiuè, quia auertit à conſideratione recta: voluntas enim eligens oppoſitum alicuius dictati à recta ratione, nõ permittit intellectum diu ſtare in illo dictamine, ſed auertit ipſum ad conſiderandum rationem pro oppoſito ſi qua poſſent eſſe rationes Sophiſticæ aut probabiles ad illud, aut ſaltem auertit intellectum à ſuo vero dictamine, ad conſiderandum aliquod impertinens, ne ſtet illa actualis diſplicentia, ac remorſus qui habetur eligendo oppoſitum dictati, poſitiuè autem excæcat. Nam ſicut voluntas rectè eligens finem, præcipit Intellectum conſiderare illa quæ ſunt neceſſaria ad illum finem: & intellectus ſic inquirendo, media ordinata ad illum finem rectum generat in ſe habitum prudentiæ. Ita voluntas eligens ſeu præſtituens ſibi malum finem (poteſt enim ſibi præſtituere malum finem vt inordinatam delectationem) imperat intellectui conſiderare media neceſſaria ad conſequendũ illum finem. Et ſicut habitus generatus ex imperio voluntatis bene eligentis in intellectu dictante circa medium ad illum finem bene electum aſſequendum, eſt prudentia: ita voluntate malæ eligente, habitus acquiſitus ex intellectus dictamine circa ea quę ordinantur ad illud malè electum, eſt error & habitus directè oppoſitus habitui prudentiæ: & poteſt vocari imprudentia vel ſtultitia: non tantũ priuatiuè, ſed poſitiuè & contrariè: quia ſicut prudens habet habitũ quo rectè & promptè dictat media ordinata ad finem debitum: ita ille habet habitũ quo promptè inueniat media ordinata ad finẽ à voluntate mala præſtitutum. Et quia talis habitus generatur ex imperio voluntatis malè eligẽtis: pro tanto verum eſt quod voluntas mala excæcat intellectum, non quod faciendo errare circa aliqua complexa, ſed faciendo intellectum habere actum conſiderandi obiecta media ad malum finem. Et habitus ille error eſt in agibilibus, licèt non ſit error deceptiuus quantum ad ſpeculationem. Hæc Scotus, hoc eſt (vt inquit Gabr.) error ille non eſt error in cognitione veri, quia illa media inuenta ad finem vitioſum præſtitutum ad eum conſequendum, vera ſunt media. Eſt autẽ error in motibus, quia cùm finis pręſtitutus malus ſit, & malitia dicitur error in motibus: omnia quæ ad hunc finẽ ordinãtur, mala ſunt: & ſic erronea in motib⁹. Peccare autẽ ex propria malitia, propriè (vt ſcribit Gerſon par. ij. de peccato in ſpiritũ ſanctũ) eſt, quando voluntas ſcit & poteſt alicui malo reſiſtere: & tamen ex ſola malitia illud eligit, & hoc eſt peccatum in ſpiritum ſanctũ: quod grauius eſt aliis, quũ grauius ſit peccare ex malitia, quàm ex infirmitate vel ignorantia. Et multa mala proueniunt ex malitia, quæ enumerat Gerſon parte iij. in Centilogio de impulſibus, decad. viij. Et ſicut malignus impulſus ex pura & excogitata malitia prouocat ad peccandũ, ita honeſtas ſola trahit bonos ad laudabiliter operandum, &c.

Malignus dicitur quaſi malus ignis, id eſt prauam habens intentionem, ſecundum ſanctum Thom. ſuper Pſalm. 36. Eſt enim malignus, aſper, difficilis, inuidus, auarus. Hinc maligiſam viam dicimus, quę anguſta & ardua eſt. Virgilius: *Aditusq; maligni.* Et malignus dicitur quaſi malè ignitus, inquit Gerſon de impulſibus, decade. vj.

Maleuolentia eſt voluptas ex malo alterius, ſine ſuo emolumẽto, ſecundùm Ciceronem in Tuſcul. quæſtionibus.

Malus qui contrariatur vel opponitur bono, & eſt generale nomen, turpia ſimul & detrimentoſa cõplectens. Vnde dicimus malum culpæ, pœnæ, malum militem, malum Grammaticũ, Logicum, &c. Et quilibet malus, vt ſcribit Bruleſer diſtinct. xxj. artic. ij. quæſt. ij. libr. j. bonum proprium quærit & non commune. Vnde quantumcunque mali videantur concordare, nunquam tamen ſunt concordes ſimpliciter. Vnde meretrix quærit vel intendit principaliter pecuniam, aut propriam delectationem: fornicator verò aliquid aliud, &c. Et mali omnia trahunt ad ſuum interitum, vt inquit Magiſter Ioannes Gerſon Cancellarius tract. vj. ſuper Cantico Virginis. Et malum ſecundùm Ioannem Damaſcenum libr. ij. cap. iiij. & ſanctus Thom. ij. ſenten. diſtin. xxxiiij. quæſt. j. nihil aliud eſt quàm boni priuatio: ſicut tenebræ ſunt priuatio luminis: vel nihil aliud eſt quàm bonum imperſectum, & malum eſt corruptio boni, vt inquit ſanctus Bonauentura diſt. xxxj. lib. iiij. circa textum.

Malum eſt triplex, ſcilicet naturæ, pœnæ, & culpæ, vt notat Bruleſer diſt. iij. q. vij. libr. ij. Vel quadruplex eſt malum, vt ſcribit Gerſon part. ij. de ſeptem petitionibus orationis Dominicæ. Vnũ originale,

aliud

aliquid actuale, quod eſt duplex, nã aliud eſt mortale, aliud veniale. Quartum, eſt pœna peccatum conſequens. Primum autem malum eſt innatum, duo ſequentia ſunt malum additum. Quartum eſt malum inflictum, & ab omnibus his petimus liberari, dum in perſona Eccleſiæ orantes & loquentes dicimus: Sed libera nos a malo, &c. Et malum (vt inquit Richar.di.xxxvij.li.ij. & di. vlt.li.iiij.) principalius dicitur de culpa, quam de pœna, ergo illa pœna eſt peior quæ eſt propinquior peccato, &c.

Malum naturæ vt ait Brulefer.di.iij.q.vij.lib.ij.eſt deformitas vel monſtruoſitas exiſtens in aliquo ente naturali, proueniens ex ſuperfluitate vel diminutione naturæ, ſicut cæcitas, vel claudicatio, vel alia indiſpoſitio.

Malum pœnæ eſt pœna. Malum culpæ eſt peccatum. Et malum culpæ dicitur quod committitur malè agendo, quale eſt homicidium, furtum & huiuſmodi. Malum pœnæ quod Deus ob mala commiſſa immittit, vt eſt illud propheticum. Ego Dominus creans malum. Et illud Prophetæ Amos.3. Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit. Et maxima mala ſunt mala culpæ, vt ſcribit Gabr.le. lxxij.canonis, quia ſeparãt nos à ſummo bono, ſecundum illud Eſa.49. Peccata veſtra diuiſerunt inter vos & Deum veſtrum, & peccata veſtra abſcõderunt faciem eius à vobis. Mala media ſunt peccatorum occaſiones quæ inducunt ac præcipitant in mala culpæ, quales ſunt tentationes dæmonis, mundi, vel carnis. Tertia ſunt mala pœnæ corporis & animæ afflictiua, vt dolor & triſtitia, & cætera afflictiua. De quibus lec.lxvj. canonis. idem ſcribit.&c.

Malum culpæ dupliciter poteſt accipi, vt ſcriptis prodidit Gabr.di.xxxiiij.q.vnica.ar.j. lib.ij.poſt Bonauen. Vno modo concretiuè. Alio modo abſtractiuè. Concretiuè concernit duo, ſubſtractum, ſcilicet, quod res illa eſt quæ denominatur à malitia, puta homo malus vel anima mala, aut actio mala, & connotatum hoc eſt malitia, à quo homo peccator dicitur malus. Alio modo abſtractiuè vt ſolum connotatũ importat, à quo peccator dicitur malus: & hoc modo malum idem eſt quod malitia, & habet ſe ad ly malitioſus, ſicut peccatum ad ly peccator. Verum quod & malitia & peccatum poſſunt quãdoq; accipi purè abſtractiuè, vt præciſe important illud à quo res aliqua primò denominatur mala, & non rem ipſam denominatam. Alio modo vt actum aliquem importat ſubſtractiuè, quem in ſe habet peccator, vel quẽ faciẽdo dicitur peccator: & connotat illud à quo dicitur formaliter peccatum, vt actum homicidij dicimus peccatum & actum intemperantiæ, licet actus ille eſſe poſſet & non eſſe peccatum. Non ergo actus homicidij gratia exempli à ſe denominatur peccatum, ſed ab aliquo alio. Et malum purè abſtractiuè ſeu peccatum non eſt ens aliquod, ſed priuatio boni, & ſicut quãtum ad rationem formalem mali nihil eſt, quia priuatio boni, ſic non habet cauſam efficientem, ſed deficientem, hoc eſt, non habet cauſam per quã fit aliquid, ſed quia deficit cauſa, ipſum quoq; deficit, hoc eſt, quia bonũ non eſt, malũ eſſe dicitur, id eſt priuatio boni. Sed capiẽdo malũ cõcretiuè, aut abſtractiuè nõ purè, vt importat rẽ aliquã ſubſtractiuè, omne malũ eſt à cauſa poſitiua efficiẽte: probat hoc Gab. vbi ſuprà.ar.ij. Vnde S.Bona.di.xxxiiij. art.ij.qu.j.libr.ij. ponere malum aliquod eſſe quod nihil habeat de bono, non ſolũ eſt peruerſitatis hæreticæ, ſed etiam manifeſtæ cæcitatis & ſtultitiæ illius, ergo eſt cauſa poſitiua. Et quantum ad formale nullus poteſt intendere malum, vt ſcribit Gabr. vbi ſuprà.dub.j.quia ſub ratione illa non eſt appetibile. Bonũ enim eſt quod omnia appetũt, j. Ethi. & S.Dionyſius. Nemo operatur ad malũ reſpiciẽs. Nihil ergo intenditur à voluntate, niſi tantum bonum ſimpliciter, vel bonum ſibi. Aliter poteſt accipi, vt intẽdat aliquod malum ſimpliciter, ſed bonũ ſibi. Sic malum poteſt fieri, & fit quandoque ex intentione, licet non niſi à malitioſis. Sunt enim quidam qui habent malitiam inſeparabiliter coniunctam, & qui talia intendunt, per cõſequens intendũt, id quod eſt eis inſeparabiliter coniunctũ. Gab. Et cum dicitur: malum eſt in bono, intelligendum eſt, id eſt bono aliquo caret, bono quod habere deberet, caret, id eſt tale non habet. Et malum eſſe in bono concretiuè verum eſt, non abſtractiuè, ſicut cæcus & priuatum viſu, de aliquo ſcilicet homine prædicatur, cæcitas autem de nullo. Vide Gab.dub. ij.vbi ſuprà. Poteſt autem malum dupliciter iungi bono, vt ſcribit ſanctus Bonauen.di.xxxj libr.iiij. circa lit. Aut vt corruptibili, aut inquantum medicinali. Si inquantum corruptibili, ſic malum fœdat bonum. Si inquantum medicinali, ſic curatur & expellitur. Et eſt exemplum, morbus iunctus naturæ ſanæ eam vitiat & infirmat, morbus verò iunctus medicinæ non reddit medicinam morbidam, ſed potius curatur ab ipſa. Et quoniam matrimonium eſt bonum medicinale, ideo non fœdatur à malo, ſed potius curat malum. Et ſic intelligitur: Magiſter di.xxxj.li.iiij. cùm ait: Si concubitus qui fit cauſa prolis culpa caret, quid Apoſtolus ſecundũ indulgentiam permittit (ita enim ait) hoc autem dico ſecundum indulgentiam, cui autem præſtatur venia niſi culpæ? Et ſequitur, incontinentiæ malum eſt quod vir cognoſcat vxorem, etiam vltra neceſſitatem procreandi liberos, ſed ibi eſt nuptiarũ bonum, non propter illud malum culpabile eſt hoc bonum, ſed illud malũ fit veniale propter bonũ nuptiale. Quod non reprehendit Apoſtolus, ſed malum incontinentiæ, &c. Et cùm dicitur, omne malum eſt ab inſtinctu diaboli, intelligendum eſt (vt ſcribit S.Bonauen.di.xxj.ar.ij.qu.ij.libr.ij.) ſicut à mouente primo, nõ ſicut à motore proximo. Nam abſente diabolo peccatum poteſt eſſe à libero arbitrio, vel voluntate propria, vel attrahente carnis cõcupiſcentia. Et malum quoddam eſt cõtra gratiam diuinam, vt fornicatio, vt ſcribit ſanctus Bonauen. di.xiiij.libr.iiij. circa explanationem textus. Et eſt malum contra gratiam, rationem, & naturã, vt zodomiticum, & illud eſt peſſimum. Vel ſi quod aliud genus peccati ſit peius, vt blaſphemia in Deum, ſiue ſpiritus blaſphemiæ. Et de hoc Magiſter in iiij.di. xiiij. Quod ſi quis ad ſummũ perueniat malorum, & inde tamen velit reuerti ad virtutis viam, ſuſcipit Deus libenter, & amplectitur, & facit omnia quatenus ad priorem reuocet ſtatũ, talis eſt (inquit Ioannes Chryſto. de reparatione lapſi) erga ho-

mines pietas Dei,&c. Et in malo duo conſideranda ſunt, vt literis mandauit Richardus, ſcilicet natura, & vitium, & ſic hominis natura, ita ex charitate debet diligi, quod tamen eius vitium odiatur. Sic per eleemoſynam quiſquam debet ſubuenire indigentiæ naturæ, vt per hoc eius malitia non foueatur. De quo Gabr. latius ſcribit poſt Richar. di. xvj.q.iiij.ar.ij.concluſione.vj.lib.iiij. Sunt autem quædam mala (vt ait Scotus) quæ non ſunt punienda per homines, ſed relinquenda vltioni diuinæ, ſcilicet omnia in quibus homo vt homo non poteſt ſufficienter docere veritatem, eo modo quo debet doceri ad hoc quod iuſtè feratur ſententia debitè punitiua. Hæc Scotus diſtin.xxxix.libr.iiij. Vnum inſuper malum dicitur maius vel minus altero. Vnde quando dicitur; Inter duo mala minus eſt eligendum, vt habetur.xiij.di. duo mala, intelligendum eſt de malis pœnæ. Nam dum neceſſitas compellit duarum pœnarum alteram incurrere, eligenda eſt minor, vel maius malum eſt fugiendum. Sed nunquam malum culpæ eſt eligendum. Cum enim ex lege Euangelica, nemo eſt perplexus, ita vt cogatur peccare, non eſt dabilis caſus, in quo neceſſitatur homo ad peccandum. Cum ſecundum Aug. omne peccatum actuale ſit voluntarium, nec facienda ſunt mala culpæ (tam mortalis quàm venialis) vt eueniant bona, ad Rom.3. Vel intelligitur illa auctoritas. Inter duo mala minus malum eſt eligendum, negatiuè, quia malum non cadit ſub electione, id eſt vnum malum eſt minus alio. Gabr. d.xv.q.xj.ar.ij.concl.iij.li.iiij. Eſt item minus malum, vt ſcribit. Scotus.q.iiij.d.iiij.li.iiij. alicui quod inuitus ſeruet legem Chriſtianam, quàm quòd impunè permittatur agere contra eam, quia minus malum eſt aliqua bona agere & mala fugere quàm liberè & imponè mala perpetrare, & bona omittere. Vide ad hoc Gabr. diſtinct.iiij.q.ij.lib.iiij.

Mammona quandoque vocatur poſſeſſio terrena, vt ſcribit ſanctus bonauen. diſtinct.xlv. circa tex. libr.iiij. De hac facit homo ſibi pauperes amicos, dum eorum ſubuenit neceſſitatibus, pauperes autem Chriſti orant, vt grati ſuis beneficiis. Hinc dicitur Matth.5. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Ex quo patet quòd beneficium temporale (inquit Bonauen.) non eſt ſicut finis motiuus, ſed ſicut aliquid inducens, & quoniã hoc non principaliter intẽditur, ideo propter hoc nõ orant finaliter, & oratio nõ venditur, ſed impetratur per accidens, ſcilicet per acquiſitionem amoris.

Mandatum dicitur quaſi manu datũ, vt ſcribit Bruleſer.di.xxxvij.q.j.lib.iij. Et differunt mandatum, præceptum, prohibitio. Mandatum eſt commune ad præceptum & prohibitionem, præceptum eſt tantum de mandato affirmatiuo, prohibitio de mandato negatiuo. Mandatum autem reſpicit affirmatiuum & negatiuũ. Et mandata Dei dupliciter contingit impleri, vt ſcribit S.Bonauen.d.xxviij.q.iij. li.j. Vno modo quantũ ad genus operis, alio modo quantũ ad intentionẽ mandãtis. Si loquamur de intentione mandatorũ, quantum ad genus operis, ſic per gratias gratis datas cõtingit ea impleri, ſicut per fidem mandatum de adoratione, & per quandam naturalem pietatem & deuotionem mandatum de parentum honoratione, & ſic de aliis. Alio modo eſt loqui de impletione mandatorũ quantũ ad intentionẽ mandantis, & ſic quia Deus præcipit mandata ad hoc quod voluntas noſtra conformetur voluntati ſuæ, & hæc non poteſt eſſe abſq; charitate, & charitas eſſe nõ poteſt abſq; dono gratię gratum facientis mãdata Dei ſecundũ intentionẽ mandantis, abſq; huiuſmodi dono nõ poſſunt obſeruari. Et hoc eſt quod dicit Apoſt.Rõ.13. Qui diligit proximũ, legẽ adimpleuit. Et iterũ: Plenitudo legis eſt dilectio. Et 1.Tim.1. Finis præcepti eſt charitas, de corde puro, &c. hoc ipſum etiã inſinuatur Deut.6. vbi poſt enumeratione mandatorum decalogi ſubditur mandatũ charitatis, quo dicitur: Diliges Dominum Deum tuum ex toto cor.&c. Et paulò poſt dicit: Mandata Dei leuia ſunt & ſuauia, hoc intelligitur vt ipſe ait in reſpectu habẽtis charitatẽ. Homini enim habẽti charitatẽ, eſt facilè diligere inimicũ, ſed non habenti, eſt valde difficilè & quaſi impoſſibilè. Et eſt exemplũ in auibus, quę leues ſunt ad volandũ, quãdo habent pennarũ abundantiã, quãdo verò pẽnis priuãtur, graues ſunt & volare nõ poſſunt. Ideo Dominus dicit: Mandata ſua eſſe leuia, quoniã volẽtibus illa ſeruari & cõuerti ad ſe, dat charitatẽ & pennas virtutũ, per quã poſſunt volare, & ſe ſuper ſeipſos faciliter eleuare. Pelagius autẽ errauit, qui credidit aliquẽ ex ſimplici mandatorũ obſeruãtia, quantũ ad exteriora opera dignũ eſſe vita ęterna, quod eſt cõtra fidẽ piam & ſanã. Vnde Apoſto. 2.Cor.13. enumerãs multiplex genus operis, & poſt hoc ſubiũgit. Si charitatem nõ habuero, nihil mihi prodeſt. Id quod Pelagius nõ cõſiderauit, quare in errorem lapſus eſt pernicioſum. Adſtipulatur prædictis Gerſon parte iij. de cõſiliis euangelicis & ſtatu perfectionis, vbi poſt multa cõcludit quod charitas & eius mãdata per ſe & eſſentialiter integrant, cõſtituunt & perficiũt vitã Chriſtianã, &c. Et vt idẽ dicit parte.j.tract.cõtra ſectã Flagellantiũ ſe. Mãdatum ſiue lex Chriſti ſufficiẽter data eſt in præceptis decalogi, quorũ obſeruatio facta cum bona ſimplicitate. Et vt ita dicatur groſſa fide, ſatis eſt ad ſalutem, præſertim laicorum & populariũ abſq; noua grauiſſimorũ onerũ impoſitione, iuxta illud Chriſti: Si vis ad vitã ingredi, ſerua mãdata. Dicitur quoque, qui diligit proximũ, legẽ impleuit: ergo illud ſolũ mandatũ deberet in lege cõtineri. Ad hoc videatur S.Bona.di.xxxvj.li.iij.circa tex. qui ita dicit, quod mandata & documenta in ſacra ſcriptura multiplicãtur propter duo, videlicet propter remouẽdam cęcitatẽ ex parte intellectus, & propter excludendũ faſtidium ex parte ipſius affectus. neceſſe eſt enim quod ſciamus modos ſecundũ quos debemus ordinari ad proximũ & ad Deũ: & quia illi varij ſunt, & nos ignorãtes ſumus, nec poſſimus ſimul illa capere, ideo oportuit diuiſim per diuerſa documẽta diſtinguere. Rurſus quia affectus noſter faſtidit vnum & delectatur in varietate, ideo diuerſis modis ſcriptura docet, & inſinuat vnõ & idem, vt affectus noſter, dum in diuerſis & variis idẽ inuenit, proficiat in vnitate, & delectetur in varietate, vt tantò profectus ſit maior, quantò delectabilior, & propterea modò in ipſa ſacra ſcriptura reperiuntur mandata obligatoria, modò attractiua, modò monita ſalutaria, modò documenta

Prophe-

prophetarum, modò Euangeliſtarum, vt ex omnibus his excludatur faſtidium, & homo perfectus dirigatur ad bonũ. Et ex hoc conuinci poteſt quod ſacra ſcriptura, & ſi magna ſit, tamen optimè tradita eſt, & nihil continet ſuperfluum, nihil etiã diminutum. Hæc ſanctus Bonauen.

Mandatum facere & perficere differunt, perficere enim vltra facere importat meritoriè, & ad conſecutioné gloriæ obſeruare mandatũ. Gab. in ij. ſent.

Manducatio dicit tria, ſcilicet fractioné, deglutioné, & nutritioné ſecũdum S. Tho. iiij. ſen. di. xij. q. j. ar. iij. & venit à verbo mãducare. Ponit autẽ Bruleſ. di. ix. q. j. li. iiij. differẽtiam inter iſta tria verba: mãduco, edo es, & comedo Grãmaticè loquendo. Nã edo es eſſe, eſt comedere totaliter, vel vorare, vel turpiter comedere cibũ ſine maſticatione. Comedo ſignificat cũ aliis comedere turpiter, vel cũ aliis vorare, & non differt ab edo niſi quod cũ hoc ſignificat ſocietatem habere. Manducare verò idem eſt quod honeſtè comedere, ſed illa differentia ſępe confunditur. Nam Eccle. dicitur: Qui edunt me, adhuc eſurient, &c.

Manducare ſacramentum poteſt fieri quadrupliciter, ſcilicet manducare ſacramentum & non ſacramentaliter, & manducare ſacramentum ſacramentaliter, & non ſpiritualiter, & manducare ſacramentaliter & ſpiritualiter. De quo plura legito apud Scot. di. viij. q. iij. lib. iiij. Et Gabr. di. ix. q. j. ar. j. li. iiij. Bonauen. Bruleferum, &c. Item Gerſon. tract. ix. ſuper Cantico Virginis. Manducare ſacramentum & non ſacramentaliter, eſt mãducare hoſtiam conſecratam, quæ realiter & verè continet corpus Chriſti, & tamen non vt talem, hoc eſt ſecundum Rich. ſine intentione generali vel ſpeciali implicita vel explicita ſumendi ipſum, vt ſignum tale continens corpus Chriſti, hoc modo ſumunt bruta animalia, infideles, hæretici. Circa hoc ſacramentum etiam mali chriſtiani ſumentes cibum illum ſicut alium cibum, non diſcernentes eum à communi cibo. De quibus Apoſtolus. 1. Cor. 11. dicit, quod talis iudiciũ ſibi manducat, non diiudicãs corpus Domini, id eſt, non diſcernens à communibus cibis, vt exponit Scotus. Et hoc fieri poteſt ex ignorantia, vt ſi quis ſumeret hoſtias, neſciens eas eſſe cõſecratas, quia fortè inueniret eas expoſitas extra locum cõſuetæ reſeruationis, vel ex infidelitate, ſicut paganus ſi daretur ſibi: & ſicut mulier illa, de qua legitur in legenda ſancti Grego. quæ panes conſecratos coxerat, nec credidit ibi eſſe corpus Chriſti, vel ex cõtemptu etiã ſtãte fide, vt à malo Chriſtiano. Poſſet tamen manducare ſacramentaliter capi largius (vt dicit Richar.) pro manducatione ſpeciei, quæ eſt ſacramentũ, & ſub qua realiter continetur Chriſtus, ſecundum quem modum manducatur ab omni manducante ſpecies prædictas, ſiue homine, ſiue bruto. Et ſic nõ refert dicere, ſumere ſacramentum, & ſumere corpus Chriſti ſacramentaliter, ſed ita non accipitur communiter, vt vult Gabr. di. ix. q. j. ar. j. lib. iiij.

Manducare ſacramentum ſacramentaliter, eſt manducare ſacramentum, vt ſignum corporis Chriſti in eo realiter contenti, & ita recipiunt fideles credentes contineri ſub ſpeciebus quas ſumunt corpus

Chriſti, ſiue ſint boni, ſiue mali. Vnde manducatio ſacramẽtalis (vt inquit Gerſon. tract. ix. ſuper Cant. Mariæ) dumtaxat eſt actualis ſuſceptio ſacramenti corporalis cum informi fide ſiue charitate. Et vt Bruleſ. ait di. ix. q. iij. lib. iiij. manducare ſacramentaliter eſt manducare ſacramentum, ita quod requiritur intentio, & intentionis regulatio. Vel ſecundum fidem quæ eſt in ipſo, vel ſecundum fidẽ quæ eſt in altero. Intentio inquam neceſſaria eſt (vt ipſe ait) & oportet ſic manducantem ſecundum eũ credere, quod ſub ſpeciebus lateat aliquid ſpirituale quod ſumere intendit vel oportet, ſaltem intendat ſumere quod alios credere æſtimat, quamuis ipſe non credat.

Manducare ſacramentum ſpiritualiter dupliciter poteſt accipi. Vno modo ex parte modi, & ſic eſt manducare corpus Chriſti, non ſub propria ſpecie viſibiliter, ſed ſub tegumento accidentiũ panis inuiſibiliter, & ſic quicunque ſumit ſacramentaliter, ſumit ſpiritualiter. Alio modo ex parte effectus, vt eſt manducatio quam ſequitur ſpecialis refectio & mutatio animæ, quo modo ſumunt qui dignè accedunt. Vnde ſic manducare ſpiritualiter (vt ait Bruleſe.) eſt cum fide & ſpe & charitate Chriſto adhęrere. di. ix. q. ij. lib. iiij. & di. xj. li. iiij. idem ait. Manducare ſpiritualiter eſt recognoſcere iſtud ſacramẽtum, & affici circa eius paſsionem, quę fuit in multiplici afflictione corporis & effuſione ſanguinis. In quo manifeſtatur immẽſa Dei charitas, & in hoc anima perfectè reficitur & delectatur. Tunc quoque ſpiritualiter manducat (vt ſcribit S. Bonauen. di. xij. parte ij. q. j. li. iiij. in ſolu. argu.) quando mouetur motu fidei & charitatis, quia tunc maſticat & incorporat, & ideo ſi negligit, non reportat effectum. Manducatio autem ſacramenti ſolũm ſpiritualis, non ſacramentalis fit per fidem huius ſacramenti, quæ per dilectionem operatur, vt ait Gerſon tract. ix. ſuper Magnificat. Refert quoque dicere, manducare ſacramentum ſpiritualiter, & manducare corpus Chriſti ſpiritualiter, quia manducare ſacramentum ſpiritualiter, includit manducare ſpecies, quæ ſunt ſacramentum. Sed manducare corpus Chriſti ſpiritualiter, nõ. Vnde ſpiritualiter, mãducans, qui etiam ſacramentum nõ manducant. Et ſic manducare ſpiritualiter, eſt Chriſto incorporari, quo modo manducant quicunque in Chriſtum credunt, ac per charitatem ei vniuntur, & per hoc corpori ſuo myſtico incorporantur, ſecundum illud Augu. Crede & manducaſti, crede fide formata. In mãducatione corporali duo ſunt, maſticatio & incorporatio. In ſpirituali maſticatur per fidem, incorporatur per charitatem, non cibus manducanti, ſed manducans cibo, id eſt ſumens Chriſto, ſecũdum illud Aug. Cibus ſum grãdium, creſce & manducabis me, non ego in te, ſed tu mutaberis in me. vij. confeſsi. Et illo modo manducant ſpiritualiter etiam qui non ſuſcipiunt ſacramentum, imò quicunque ſunt in gratia. Manducant etiam ſpiritualiter infantes baptizati qui credunt in Chriſtum fide formata, non eliciendo actum fidei aut charitatis, ſed habendo fidem & charitatem infuſas. Hæc Gabr. di. ix. q. j. ar. j. lib. iiij. Ex dictis habetur quod triplex eſt. Manducatio prima eſt ſacramentalis, & hæc officit, quia eſt mors malis. Secunda ſpiritualis: &

lis:& hæc proficit, non ſufficit. Tertia ſacramentalis & ſpiritualis, & illa ſufficit, ſecundum c. Omnis vtriuſque. Videatur de hoc Gabr. ſerm. iij. de cœna Domini, qui incipit, hoc facite in meam commemorationem. Et ſecundum eundem diſt. ix. vbi ſupra. Manducatio ſpiritualis eſt de neceſsitate ſalutis, ſine ea enim ſalus adipiſci nequit. Nam incorporatio qua homo incorporatur Chriſto per fidem & charitatem, per quas fit membrum corporis Chriſti myſtici, eſt neceſſaria ad ſalutem: ſed hæc incorporatio eſt ſpiritualis Euchariſtiæ manducatio. Vnde Ioã. 6. dicitur: Niſi mãducaueritis carnẽ filij hominis, &c. non habebitis vitam in vobis, quod ſecundum Aug. intelligitur de manducatione ſpirituali. Hæc Gabr. concluſione. j. vbi ſupra. Manducatio verò euchariſtiæ ſacramentalis ratione ſui effectus non eſt de neceſsitate ſalutis, quia ſine effectu euchariſtiæ poteſt haberi ſalus, quia effectus euchariſtiæ nõ eſt prima gratia qua iuſtificatur impius, ſed illam præſupponit, & prima gratia ſufficit ad ſalutem, ergo non requiritur alia. Effectus autem manducationis euchariſtiæ eſt gratiæ augmentum qua anima Deo grata nutritur, & creſcit in gratia, vt ad perfectionem veniat. Hæc autem perfectio non eſt neceſſaria ad ſalutem, quia quicunque gradus gratiæ gratificat & reddit habentem dignum vita, & conſtituit hæredem regni. Dominus præpoſitus Gabriel. concluſione. ij. & concluſione. iij. idem ait: Manducatio ſacramenti Euchariſtiæ, eſt de ſalutis neceſsitate ratione præcepti diuini & Eccleſiæ. Eſt enim præceptum diuinum quod nemo contemnat ea quæ Deus inſtituit pro conſequenda ſalute, etiam ſi fuerint de conſilio, licet conſilium diuinum non liget ad ſui executionem, tamen ne contemnatur, de quo aliàs vide & eundem ſermo. de ſancto Bartholomæo. Ex quo ſumitur quod viator dum probabiliter ſibi imminet exitus de via, tenetur ſumere ſacramentum euchariſtiæ, quod inſtitutum eſt pro viatico exeuntium de eccleſia militante dum aſsit facultas percipiendi, quia aliàs videtur contemnere. Eſt etiã præceptum eccleſiæ, vt patet per c. Omnis de pe. & remiſ. vbi præcipit eccleſia omnibus fidelibus vtriuſque ſexus, adultis ſuſcipere euchariſtiam ad minus annis ſingulis in Paſcate. Verũ, quia præcepta ſunt affirmatiua, non obligant pro ſemper. Excipiuntur enim quidam caſus in quibus aliàs, &c.

Manducare dignè ſecundum Bonauen. eſt ſufficienter ſe præparare ſcilicet, peccati omnis expulſione, reuerentia & dilectione. Per oppoſitum, indignè manducare, de quo videatur Dominus Præpoſitus Gabr. di. ix. ar. ij. q. j. lib. iiij. & lect. lxxxvij. canonis, vbi & agit de indignè ſumentium pœna. Vide & lect. vij. Et quantam quiſque diligentiam habere debet, vt caueatur indignus acceſſus. Idem habet lectione viij. canonis. Vide & eundem ſermone. j. in cœna Domini. De quo & Gerſon in ſuo Tripertito. & Scotus di. xvij. qu. j. libr. iiij. quæ breuitatis gratia omittimus.

Ma[illegible] eſt id quod per confesſionem vel probatione[illegible] legitimè notum fuerit, vel euidentia rei, quæ nulla poſſit tergiuerſatione celari, vt habetur in c. Quũ olim, de verbo. ſigni. Et manifeſtũ idem eſt quod clarum, apertũ, quaſi ad manus foris ſtãs. Hinc manifeſto verbum, & manifeſtè, idem quod clarè, & manifeſtarius, qui vulgò notorius dicitur. Plautus. Capio ſuſtem, obtrunco gallum furem manifeſtarium. Inde manifeſtabile, quod differt à manifeſto & notorio, vt ſcribit Bruleſer di. ix. qu. ix. libr. iiij. Nam manifeſtabile eſt illud quod poteſt manifeſtari in publico per teſtimonium duorum teſtium. Notorium dicitur quod patet, de quo vide in litera. N

Manſio idem quod habitatio. Accipitur & pro diuerſitate præmiorum. Vnde dicitur Ioan. 14. In domo patris mei manſiones multæ ſunt, id eſt diuerſitas præmiorum, vt exponit Gabr. di. xxix. q. vnica. ar. iij. dub. j. lib. iij. Vel vt dicit Gloſ. id eſt diuerſa præmia meritorum. Vnde ſecundum Richard. di. xlix. ar. ij. qu. viij. libr. iiij. In beatitudine eſt conſiderare beatitudinis obiectum, ſcilicet bonum increatum, quod vnum & idẽ exiſtens ab omnibus participatur, & ipſam diſpoſitionem beatorum per quam id bonum clarè videndo. & perfectè diligendo ipſum participant. Ex parte obiecti participati non eſt vnus alio beatior, quia idem eſt obiectum quod omnes participant, ſed ex parte diſpoſitionis beatorum vnus eſt beatior alio, inquantum vnus videt alio clariùs Deum, & diligit perfectiùs. Sunt igitur inæqualiter beati, propter inæqualem ex parte beatorum diſpoſitionem. Vnde dicitur: In domo patris mei manſiones multæ ſunt, &c. Manſio autem Dei in homine, & hominis in Deo dicitur viuificatio & habitio vitæ æternæ, ſaltem in radice, vt hic viuet in æternum, quia ſuam gratiam habet. Dicit autẽ Apoſtolus, quod gratia Dei eſt vita æterna. De hac manſione permulta ſcribit Gerſon trac. ix. ſuper Magnificat. Et exponens illud, in domo patris mei, &c. multæ ſunt inquit, manſiones, & tamen vnica eſt. Multæ quidẽ propter multitudinem ſingularium gratiarum formalium differentium in perfectione, ſicut ſtella differt à ſtella ſecundũ Apoſtolum. Eſt autem vnica gratia gratificans obiectaliter clariùs & obſcuriùs, non in actu ſuo intrinſeco (qui certè vnicus eſt & immenſus & idem) ſed in effectu extrinſeco. Sic ſaluatur illud de proſa. quod vna eſt vox lætitium, & vnus ardor cordiũ. Vide latiùs Gerſonem, &c.

Manſuetudo vt ſcribit Paulus Corteſ. lib. iij. di. viij. eſt irarum mitigatrix, & differt à clementia, vt patet in litera C. & in dictione, *Clementia*. Et ſecundũ Ariſt. libr. 4. Ethic. Manſuetudo eſt mediocritas circa iram. Vel ſecundum eundem li. 1. & 2. Rheto. eſt depresſio atque ſedatio iræ. A quo manſuetus qui is dicitur ſecũdum Io. Chryſoſ. ſuper Matthæũ, qui cum prouocatus fuerit, nec malum cogitat facere, nec facit. Et opponitur manſuetudo inuidiæ, acediæ, iræ, vt habet Gerſon parte. ij. in ſer. de ver. Domini: Venite ad me omnes qui labo. Et ibidem. Sit manſuetudo charitatiua, ſit iocũda, ſit tranquilla. Charitatiua ſit, vt pro aliena fœlicitate nõ teneat liuorem. Iocunda ſit, vt de propria aduerſitate non habeat dolorem. Tranquilla ſit, vt in nullo caſu exerceat rancorem ſiue furorem. Hæc Gerſon.

Manumisſio eſt libertatis datio ſecundum Vlpianum.

Manus eſt organum organorum, quia facit omnia inſtrumenta,& eſt loco omnium inſtrumẽtorum: ſecundum S.Thom.parte.iij.q.lxxxiij.ar.v.Et interdum ſignificat multitudinem. Virgilius.
Hinc manus ob patriam pugnando uulnera paſſi.
Aliquando pro poteſtate. Ouidius. *Anneſcis longas regibus eſſe manus.* Sed in poëtas obiter incidimus.Ioſue.9.Nunc autem in manu tua ſumus.Et Iudic.2. Iratusque Dominus contra Iſraël,tradidit eos in manus diripientiũ. Et 1.Pet.5.Humiliamini ſub potenti manu,& multis in locis ſcripturæ,&c.

Mare, A quo marinus. Quod autem mare fluat & refluat, eſt ex motu lunæ,cui aqua naturaliter ſubditur, ſecundum S.Thom.prima parte.q.cv.ar.vj. Et cor impij dicitur mare feruens, de quo legito Gerſonem parte.iij.de monte contemplationis.ca. xxx.ab hoc mari gratia Dei liberat.Hoc autem donum gratiæ veraciter tribuitur ſolis inquirentibus ipſum diligenter atque ardenter,& ad hoc ſe diſponentibus,vt ibidem dicit.

Maria interpretatur ſtella maris vel illuminatrix, & Syro ſermone domina dicitur, vt dicit S.Tho. ſuper Matth. Et Maria ſecundum Grammaticos proferri debet penul.breui:vt Marius,ita & Lucia, licet vſus oppoſitum vſurpet apud pleroſque. Maria(vt ſcribit Bruleſ.di.xxx.q.ij.lib.iiij.eſt nomen Hebræum,& interpretatur tripliciter. Primo modo Maria,id eſt,maris ſtella, quia ducit nauigantes in hoc mundo ad portum ſalutis. Secundo modo dicitur illuminatrix,quia genuit lumen mundi,ſcilicet Chriſtum Ieſum.Eam illuminatricem eſſe dicit Gerſon tract.xij.ſuper Cantico Mariæ. Tertio modo interpretatur domina. Hæc B.Virgo mater Chriſti ſecũdum S.Bonauen. maior eſt poſt Chriſtum omnibus angelis quantum ad gratiam & gloriam, quia ipſa eſt exaltata ſuper omnes choros angelorum vt cantitur:quamuis quantum ad naturam cùm eſſet pura creatura,humana,mortalis erat inferior.Sed quia per gratiam eſt mater Dei electa, ergo eo ipſo regina cœli & domina angelorum & omnium creaturarum,vt volunt doctores,& Eccleſia canit. Vnde ipſa eſt ſuperior omnibus,tum dignitate maternali,tum maieſtate reginali,tum ſuperioritate ſingulari. Et Pelbartus de ea plura ſcriptis reliquit. Vnde Hiero.ad Paulam & Euſtochium. Cæteris per partes, Mariæ verò ſe tota infudit plenitudo gratiæ. Et Bernardus: Deus omnium bonorum plenitudinem poſuit in Maria,vt ſi quid gratiæ, ſi quid ſpei, ſi quid ſalutis in alios redundauerit,non niſi per manus Mariæ tranſierit,quam beatam dicunt omnes generationes, & quæ ab omni peccato fuit immunis,etiã originali, cuius laus edici non poteſt.Et de eius laude multi plura ſcripſerunt in ſermonibus ſuis.& Gabri.& cæteri,& Gerſon valde multa de ea ſcripſit.Hæc eſt noſtræ ſalutis exordium. Hæc(vt melior & ſanior tenet opinio vel ſententia) concepta erat ſine originali peccato. Hanc Mariam dicit Gerſon tracta.ix. ſuper Magnificat. Maiori cognitione totius ſeculi cũ decurſu fuiſſe præditam quàm Prophetarum,vel Apoſtolorum, vel philoſophorũ cetus vllus fuit, & ita cunctis Prophetis & ſanctis fuit doctior,&c.

Martyrium Græca dictio eſt, nam μαρτύριον teſtimonium ſignificat,& μάρτυρος teſtis dicitur. Eſt autem martyrium actus virtutis quadruplicis,ſcilicet fortitudinis vt elicientis principaliter,patientiæ verò vt elicientis cõmuniter: ſed charitatis vt imperantis, & fidei vt finis, ex S.Tho.ij.ij.q.cxxiij. ar.j.& ij.& ar.iij.dicit. Martyrium eſt actus maximè perfectionis, non quidem ſecundum ſe,ſed vt imperatur à charitate.Et vt eam oſtendit,& ar.iiij. ibidem dicit quod mors eſt de ratione martyrij. Et eſt triplex martyrium, ſcilicet corporis tantum, vt in innocentibus.Secundum, eſt affectionis tãtum: ſicut ſunt patientes aduerſitates amore Chriſti, aut per compasſiones proximorum, de quibus dicit Greg.Sine ferro martyres eſſe poſſumus,ſi patientiam in animo veraciter cuſtodimus.Idem: Qui dolorem exhibet alienæ necesſitati, crucem portat in mente.vnde Bern.in ſerm. Quod martyrium grauius quàm inter epulas eſurire, inter veſtes multas precioſas algere,& paupertate premi inter diuitias quas offert mundus, quas oſtentat malignus,quas deſiderat noſter appetitus: propterea pauperibus pariter & martyribus regnum cœlorum promittitur, quia paupertate quidẽ emitur, ſed in paſſione pro Chriſto abſque dilatione percipitur. Tertium eſt martyrium voluntarium, per quod peruenitur per quatuor.Primò,vt habeat cauſam bonã.1.Pe.3. Si quid patimini propter iuſtitiam,beati. Et Aug. Non pœna facit martyrem, ſed cauſa. Nam ſi attendimus ſolas pasſiones, coronantur & latrones. Propterea Saul non eſt martyr,qui ad euaſionem illuſionũ Phyliſtim ſe occidi procurauit.1.Regũ.vlt. Ioannes verò baptiſta, quia mortem ſuſtinuit pro veritate,verè eſt martyr. Vnde dicit Petrus de Palud. quod ſi mulier prægnans occideretur pro fide catholica,in vtero occiſus puer martyr eſſet corpore tantùm,ſicut innocentes.Secundò,requiritur ad martyriũ,recta intẽtio.Ideo Iudas Machabæus nõ dicitur martyr,qui propter humanã verecundiã nolens declinare de bello,ait: Abſit vt inferamus crimen gloriæ noſtræ.1.Mach.9.Tertiò,ad martyrium requiritur voluntas non coacta, ideo latro à Chriſti dextris pendens propriè nõ dicitur martyr,quia coactè ſubiit pœnam , & cauſam habuit malam, ſcilicet latrocinij. Quartò,ad martyrium requiritur perſona diſtincta quæ occidit. Ideo Eleazarus qui ſe præcipitauit in perſequentes legem Dei, vt habetur 2.Macha.14.non eſt martyr. Similiter Samſon,licet cõnumerentur inter ſanctos Heb.11.nõ tamen propriè dicuntur martyres, quia ſeipſos occiderunt.Similiter dicit Aug.li.j.de ciui.Dei,quod quædam mulieres propriam ne caſtitatem auerterent, & hoc ex inſtinctu ſpiritusſancti, ſine quo nullus debet ſe occidere, ſed potius diuinæ gratiæ ſe committere, quæ vbique poteſt ſaluare & liberare,&c.

Martyrium dicitur perfectum quando nihil deeſt quod ad illud requiritur. Requiruntur autem tria ad perfectum martyrium, ſcilicet pœna mortis, ſicut in beatis,Laurentio & Stephano, & ſic Ioannes Euangeliſta non dicitur martyr,quia licet paſſus ſit in feruentis olei dolio,tamẽ ibi non eſt mortuus. Secundò,requiritur patiendi voluntas,& ſic innocentes non dicuntur propriè martyres, quia non voluntariè paſſi ſunt. Tertiò,requiritur cauſa.

Vnde in Gloſ.ſuper illud Pſalm. Deus Deus meus reſpice, dicit quod martyrium non facit pœna, ſed cauſa. Hæc autem cauſa eſt teſtimonium iuſtitiæ, quæ eſt per fidem, & ſic vt dicit Magiſter, latro non dicitur martyr propriè, quodámodo tamen dicitur martyr ſecundum quid. Vnde Hierony. Chriſtus latronem de cruce inuitauit ad Paradiſum, & ne quis putaret aliquando ſeram eſſe conuerſionem, homicidij pęnam fecit eſſe martyrium, de ſe autem non fuit completum martyrium. Adſtipulatur ſanctus Bonauentu. di. iiij. libr. iiij. circa tex. vbi dicit duo concurrere ad martyrium completum, ſcilicet iuſtam voluntatem, & iuſtam cauſam. Primum deficit in innocentibus. Secundum verò in latrone, & ita de ſe neutrum fuit completum martyrium. Sed Dominus in innocentibus (quia ſimul cum ipſo nati ſunt, & propter hoc quod erat coætaneus illis) ſuppleuit quod deerat ex parte voluntatis, ſicut in latrone quod deerat ex parte cauſæ. Hinc Richard. Ille latro & ſi non fuit martyr quátum ad cauſam, fuit tamen quantum ad voluntatem. Maximum autem martyrium quod ſuſtinet quis pro Eccleſia (vt habet Gerſon parte. 1. de pace conſide. ij. Et parte iij. de conſolatione Theol. libr. iiij. proſa. v. & vltima) plures annumerans martyres, quorum exemplis perſpicuum fit omnem hominem qui perimitur odio iuſtitiæ & veritatis, dum ſectatur illam proſequitur aut defendit, inſignitur apud Deũ vero titulo martyrij qualecunque apud homines iudicium fuerit, per quod martyrium deletur in proprio ſanguine quælibet culpa, ſimul & pœna, vt protinus homo liber & expeditus euolet in cœlũ, vbi ſtatum habebit omnium bonorum aggregatione perfectum, &c. Scribit quoque de martyribus Scot. diſt. xv. libr. iij. quod ſi inquit in martyribus expoſitis maximis tormentis intellectus habuit vſum ſuum, hoc fuit ex ſpeciali gratia. Nã ſicut dicit Aug. lxxxiij. quęſt. q. xxxvj. Nemo eſt qui non plus lugeat dolorem quã appetat voluptatem, quãdoquidẽ videmus immaniſſimas beſtias, etiam aſperitatibus terreri dolore & metu, quare vehemẽs vel dolor excellens in parte ſenſitiua natus eſt impedire vſum rationis, & plus impedit vſum rationis dolor vehemens, quã delectatio. Vnde Aug. 14. de ciui. Dei. c. xvj. qua maior in corporis voluptatibus, nulla eſt ita, vt ipſo momẽto tẽporis quo ad eius peruenitur extremum penè omnis eius acies, & quaſi vigilia cogitationis obruitur. Et Philoſophus. 7. Ethy. dicit, quod furatur intellectũ ſpiſſe ſapientis, igitur multo magis dolor vehemẽs ſenſibilis natus eſt de cõmuni lege impedire vſum rationis. Hæc Scotus vbi ſupra. Idem Scotus di. xxxij. libr. iiij. Nimia tormenta ita impediunt vſum rationis, ſicut voluptates, & tamen martyres ſcienter ſe exponentes talibus tormentis non peccauerunt, ſed meruerunt, & fortè vt aliàs dicit, in iis fuit intentio virtualis, ſi vſu veniret rationem aliquo modo abſorberi, qua voluerunt conſtantiſſimè pugnare pro fide Chriſti, & pati tormenta. Et di. xlj. libr. ij. & in iij. di. xv. & repetit di. vj. q. vj. libr. iiij. Vbi dicitur ſecundum Scotum, quod fortè martyres in actu ſuſtinẽdi martyriũ non habuerũt intentionem, niſi virtualem, quia immenſitas pœnarũ abſorbebat fortè vſum rationis, iſta tamẽ perpeſſio pœnarũ erat quidam effectus deriuatus ex intentione ſeruandi fidem Dei, & ideo dũ durabat paſſio, durabat ſemper iſta intentio virtualiter ſicut in effectu. Hæc Scotus, & quia magna pœna eſt, & paſſio in martyrio, conſiliũ eſt perfectis expectare martyriũ. Sed imperfectis (vt ſcribit Gab. ſer. de S. Barnabo.) niſi diuinitus moniti incautum eſt nimis, & præſumptuoſum, tantæ tentationi ſe offerre, in qua plurimi reperiuntur cecidiſſe, & fidem negaſſe, vt recitat Euſebius li. vj. Eccle. hiſtoriæ c. iij. Vnde Greg. Homel. 11. Niſi quis prius intus moriatur deſideriis carnis, nunquam mori poterit pro Domino foris. Et qui non dat pro Domino ſubſtantiam ſuam, quando daturus eſt animam? De martyrio aliàs plura videto & Antoninum.

Mathematica Græca dictio eſt. Nam μαθηματικὴ dicitur, & eſt ſcientia quadruuialis. Periti verò huius ſcientiæ μαθηματικοὶ dicuntur. Iuuenalis, nota mathematicis geneſis tua. Diciturque mathematica, quoniam veteres Græci Geometriam, Muſicam, Arithmeticam, & Aſtrologiam diſciplinas altiores μάθηματα appellabant. Vulgus autem Chaldæos quoque magos mathematicos vocat. Exinde autem his ſcientiis ornati ad perdiſcenda mundi opera, & principia naturę procedebant, at tunc demique φυσικοὶ phyſici, id eſt naturales nominabantur. Aliàs mathematici dicuntur Genethlici aſtrologiq;, & Chaldæi vocantur, quorum ars eſt vt naturas hominum ex vultus inſpectione pronſtient, ab his quandoque cauendum eſt. Vnde S. Bonauẽ. diſtinct. vij. q. vlt. in fi. libr. ij. Allegans illud Augu. ſuper Geneſ. ad literam in fine, bono Chriſtiano, ſiue mathematici, ſiue quilibet impiè diuinãtes, maximè vera dicentes cauendi ſunt, ne cõſortio dęmonũ animam deceptam pacto quodã ſocietatis irretiãt.

Mater à materia dici videtur, quod in fœtu materiam præbeat. Nam ſemen patris pro artifice eſt, & formam præbet, mater ſanguinem ex ſe præſtat ex quo fœtus formatur. Aliquando tamen mater pro nutrice ponitur. Et mater reſpectu prolis generandæ ſe habet, quandoque actiuè, ſicut cauſa actiua partialis cum patre, qui cum matre integrant vnam cauſam totalem, tamen quia formas eiuſdem ſpeciei ſequuntur potentiæ naturales eiuſdem rationis. Mas & fęmina ſunt eiuſdem ſpeciei 10. Meta. ſicut tenet ſanctus Bonauentu. & Scotus diſtin. iiij. libr. iij. & Occam. quæſt. iij. & Oyta. qu. j. art. j. & poſt hos ſcribit generalis præpoſitus Gabr. latiùs libr. iij. diſtinct. iiij. qu. vnica. Et in miniſtrando materiam pater ſe habet vt ars, & mater vt lignum, reſpectu ſcamni producendi. Et ad rationem materniratis (vt idem dicit Gabriël) requiruntur & ſufficiunt quatuor, ſcilicet miniſtrare materiam corpori prolis. Secundum actiuè concurrere ad productionem prolis quantum ad formam vltimam eductam de potentia materiæ. Tertium prolem productam in vtero conſeruare. Quartum ipſam prolem vſque ad quantitatem certam & tẽpus partus nutrire aut augmẽtare. Henricus de Oyta hęc clarius habet. Vide Gabrielem. vbi ſupra. quĩ cõcluſ. j. di. iiij. q. vnica. l. iij. dicit beatiſ. imã virginẽ Mariã fuiſſe verã Dei matrẽ Chriſti & verbi ſecundũ naturã hominis aſſumpti, & hoc fides noſtra habet

habet & tenet, & perſæpè habetur in ſcriptura. Vnde dicitur Ioan. 19. Stetit iuxta crucem Ieſu mater eius. Et Matth. 1. Tolle puerum & matrem eius, & ſimilia multa. Et Gabriel lõgior eſt ibi. Mariæ quoque (vt idem ait concluſione ij.) verius conuenit maternitatis ratio reſpectu filij ſui, quàm cuicunq; matri prolem ſecundum rationem naturæ curſum generanti: quia ratio maternitatis conſiſtit in miniſtratione materiæ corpori prolis, & in cooperatione ad formationem corporis organizationẽ, & formæ inductionẽ ac formati corporis nutritionẽ, & augmentationẽ, & quod vtrunq; miniſtrãs & productũ ſint viuẽtia vita ſenſitiua eiuſdẽ ſpeciei. Maria aut Virgo materiam ſola miniſtrauit: de nulla enim alia materia quã de corpore aut ſanguine virginis collecta eſt ſubſtantia materialis corporis Chriſti, quod in ſola virgine inuenitur. Nam in cæteris matribus, concurrit etiam ſemẽ patris, quod eſt extrinſecum ſubſtantiæ matris. Et ideo corpus Chriſti de ſola matre & non aliquo ſumpto ex patre formatũ eſt. Fuit ergo in hac parte verius mater Chriſti, quàm quæcunque alia mater ſui filij naturalis. Sed ibi in inſtanti omnia facta ſunt. Vnde ſubito in eodem inſtanti conſenſus virginis dicentis: Ecce ancilla, &c. ſpiritusſanctus collegit guttulas ſanguinis in corpore virginis diſperſas ad matricem, in eodem inſtanti condenſauit, figurauit, in corpuſculum organizatum animauit, & verbo vniuit. Hæc Gabriël. qui latiùs de hoc ſcribit. Et concluſione iij. dicit Mariam eſſe matrem Chriſti naturalem & miraculoſam. Fuit inquam miraculoſa quantum ad modum producendi, qui erat ſubitus, qualis nõ eſt proceſſus naturalis in generatione hominis, fuit & naturalis inquãtum miniſtrabat humorem ſufficientem de naturali ſua ſubſtantia ad conceptum, ſed fuit ſuper naturam inquãtum ſola miniſtrabat, quantum alia mater commixta viro, vt dicit ſanctus Bonauen. Vide latiùs Gabriëlem vbi ſuprà. Et cum dicitur: Maria eſt mater Dei, Dei ſtat perſonaliter pro filio, & non eſſentialiter, ex vſu loquendi Eccleſiæ. Cum dicitur Maria eſſe mater Dei, reſtringitur ly Deus per nomen mater ad ſtandum pro filio tantũ in diuinis, quia valet: Maria genuit Deũ, gigni verò conuenit filio, ergo valet: genuit Deum filium, vel eſt mater Dei filij & non patris aut ſpiritusſancti, vt habet fides. Gabriël diſtinctione iiij. quæſtione vnica, articul. iij. dubio primo. libr. iij.

Materia ſeu materies, eſt qua aliquid fit, vt materia libri membrana & atramentum. Item materia libri eſt hypoteſis ipſa. Horatius. *Sumite materiam veſtris, qui ſcribitis æquam viribus.* Materia domus dicitur lapides, ligna, calx, tegulę, quapropter non immeritò materiæ appellatione ligna omnia comprehenduntur, quod Græci ὕλην pariter & ſiluam, & materiam vocent, cum ligna dicuntur ſolum ea materia quæ ædificiis apta eſt. Dicitur & materia fabrica lignaria. Et materia, vt deſcribunt Philoſophi eſt ſubiectũ primum vniuſcuiuſq; ex quo aliquid fit. Hanc diffinitionem, & eius declarationem perquirito apud Philoſophos 1. Phyſicorum. Et licet in cauſa naturalium communi productione pręſupponitur materia, vt ſcribit Gabr. diſt. v. qu. ij. ar. ij. dub. ij. libr. j. tamen reſpectu potentiæ diuinæ plus influentis in omnem effectum, quàm quæcunque cauſa, non plus præſupponitur materia quã forma, quoniam ſicut Deus producit formam in materia præexiſtente, ita poſſet creare materiam ſub forma naturali præexiſtente. Ponit & ibidem quod eſſentia diuina non ſit materia, vel quaſi materia. Nam materia ducit in perfectionem, & nulli attribui poteſt, niſi cui poteſt attribui aliquid imperfectionis, ſed in Deo nihil imperfectionis exiſtit, &c. Et ſecundum Phyloſophum plura attribuuntur materiæ, vt habet Scotus di. xiiij. libr. ij. & Gabr. eadem di. qu. j. ſcilicet quod eſt per ſe principium naturæ, 1. Phyſi. quod eſt per ſe cauſa. 2. Phyſicorum & 5. Meta. quod eſt per ſe fundamentum formarum. 1. Meta. quod eſt pars alicuius compoſiti. 7. Metaphy. quod eſt per ſe ſubiectum mutationum ſubſtantialium. 5. Phyſi. quod eſt terminus creationis, & quod eſt per ſe cauſa compoſiti. 2. Phyſi. quod manet idem ſub vtroque termino trãſmutationis. 1. Phyſi. quæ omnia in naturali philoſophia habent latius declarari, de quibus modò ſuperſedemus. Dicitur quoque materia eſſe in forma (vt ſcribit Gerſon tracta. ix. ſuper Cantico Mariæ) nedum quia recipit influxum formalem ab ea, ſed quia communicat ſibi potentialitatem ſubiectiuam, vt ſubſtet in ea, ſicut in materia, quamuis dicitur ſolum patiens, nihilominus appetitiua ſimul eſt, vt accipiat formam vt perficiatur ab ea. Sic locatum appetit locum vt conſeruetur, & locus locatum vt conſeruet ipſum. Similiter Deus inquit Gerſon, qui bonorũ noſtrorum non indiget, vult gratuita pietate communicare ſe creaturæ ſuæ, præſertim rationali quæ communicatio dicitur inhabitatio ſecundũ triplex genus cauſæ extendendo ad creationem & conſeruationem, & obiectalem motionem, vel immutationem vocabulum cauſæ. Gerſon.

Materia poteſt capi dupliciter (vt ſcribit Bruleſ. q. ij. diſt. viij. lib. j. Primo modo ſecundum ſe & abſolutè. vt eſt nuda & denudata ab omni forma. Illo modo ab Ariſto. 1. de gene. & corrup. vocatur ὕλη: Ab Auguſtino verò & aliis vocatur materia informis. Vnde ſic materia diſtinguitur ab omni forma, & nullam includit: illo modo materia eſt inuariabilis, nec habet viciſſitudinem. Illud autem dicitur habere viciſſitudinem quod recipit vnum poſt reliquum viciſſim, quandocunque autem aliqua viciſſim fiunt, dicunt mutabilitatem. Alio modo poteſt materia capi vt eſt formata, & ſic non caret variabilitate. Et ſecundum Gabr. di. xij. q. ij. lib. ij. materia capitur tripliciter. Vno modo pro partibus quantitatiuis, ita quod omne illud dicitur habere materiã quod habet partes quantitatiuas. Secundo modo capitur materia pro ſubſtantia motui & tranſmutatiua ſubiecta, iſto modo cœlum habet materiam, quia habet partes quantitatiuas, & eſt ſubſtantia motui circulari ſubiecta. Tertio modo accipitur pro ente exiſtente in potentia ad formam ſubſtantialem, quod cum forma ſubſtantiali natum eſt cõſtituere vnum totum compoſitum, & ſic capit Philoſophus, 1. Phyſicorũ. Vide Gabriëlem ibi recitantem duas opiniones diuerſas. Vnam quæ vult cœlum habere materiam: alia huic aduerſatur. Vtraq; tamen opinio probabiliter poteſt ſuſtineri, & rationes alterius ſoluere, vt videre potes apud Gabriëlem.

briele. Et mareria prima propriè nihil poſita amet formam vel appetat, vt mulier virum, & turpe pulchrum, & formam informe ſecundum Philoſophum. & poſt eum ſcribit Gerſon parte.iij.tractatu primo de cãticordo originali ratione, neq; tamẽ ſecundum Gerſonem materia putanda eſt purè nihil. Alioquin qualiter eſſet pars eſſentialis compoſiti, dicitur tamen ex ſe nihil eſſe ſupplendum eſt formale, quale communicat ſibi forma, & hoc modo dicitur ens ſolum ſubſtantiale, vt idem ſcribit tractatu.iij.ſuper Magnificat, quæ de ſe non eſt principaliter nihil, cum ſit pars ſubſtantialis compoſiti, ſed conſiderata ſine forma non eſt actus formalis, & informis dicitur. Et ſic turpis appetens formam ſicut aliquid pulchrum, &c. Et materia prima eſt terminus creationis ſecundum Aug. & Magiſtrum di.xij.lib.ij. Hæc enim eſt quæ diuerſis nominibus nominatur. Gene.1. In principio creauit Deus cœlum & terram, & habet Gabr.di.xij.q.j.art.ij.concluſione iiij.libr.ij. Et vt idem dicit art.iij.dub.ij. vbi ſupra, licet per naturalem potentiã materia non poteſt ſtare nuda tamen per diuinam potentiã poteſt ab omni forma tam ſubſtantiali, quàm accidentali ſeparari & ſeparatim conſeruari. Vide latiùs Gabriel. qui & in fine dubij refert duas opiniones. Vnam Augu. qui videtur velle materiam in principio creatam ſimpliciter eſſe nudam ab omni forma tam ſubſtantiali quàm accidentali. Cui videtur repugnare Hugo. de ſacra.lib.j.parte.j.cap.iiij. Idem videtur ſentire magiſter. Quod autem horum ſit verius, vel quod factum fuerit, ipſe nouit quid fecit. Vide latiùs Gabr. vbi ſupra.

Materia eſt triplex (vt notat Brulef. in prologo li. ſententiarum, ſcilicet in qua, ex qua & circa quam. Materia in qua eſt ſubiectũ recipiens in ſe aliquod accidens. Vnde omne ſubiectum recipiens aliquod accidens ab eo realiter, diſtinctum eſt materia in qua ipſius accidentis. Et materia in qua cuiuſlibet ſcientiæ eſt ipſe intellectus. Omnis enim color eſt in corpore, & omnis ſcientia in anima. Materia ex qua eſt illa ex qua cum forma conſtituitur compoſitum. Materia verò circa quam eſt ipſum obiectum potentiæ circa quod verſatur ipſa potentia.

De materia ſacramentorum, Vnde Gabr.di.iij.qu. vnica.ar.j.l.iiij.ait: Capiendo materiam & formam proprie pro altera parte compoſiti ſubſtantialis in ſacramentis, non eſt aſſignare neque materiam, neque formam, cùm ſacramentum non ſit compoſitum ſubſtãtiale per ſe vnum, ſed vel operatio quędam circunſtantionata verbis & intentione, &c. Aut aggregatum ex his, & hoc quo ad ſex ſacramenta vel ſpecies accidentales permanentes, vt in ſacramẽto Euchariſtiæ. Sed materia ſimiliter & forma, quãdo fit de ſacramentis mentio, capitur metaphyſicè. Et hoc dupliciter. Nã quia ſacramentũ eſt ſignũ ſenſibile, duo in eo conſiderantur, ſcilicet ſenſibile aliquid quod ſignificat effectũ ſacramẽtalem. & ipſa ſignificatio propter quam ſenſibile ſignũ eſt impoſitũ ad ſignificandum. Pro primo ſupponit nomen ſacramentum, & ſecundum connotat. Et ſic primum, ſcilicet ſignum eſt materiale vel ſubſtratum, ſecundum formale ſeu connotatum. ſic ſignificatum ſubſtratue dicitur materia, ſed ſignificatum formale dicitur forma, de quo in logica tractatur. Et ita loquẽdo de ſacramentis omnia ſenſibilia in ſacramentis, res, operatio, & verba, puta in baptiſmo aqua, lotio, verba dicuntur materia, & ipſa ſignificatio forma. Sic autem non cõmuniter loquuntur doctores de materia & forma ſacramentorum. Alio modo quia in ſacramentis no.ieſt. eſt res aliqua ſenſibilis vel corporea, quam Aug. & Hugo nominant elementum. Et verba ſine quibus elementum non eſt ſacramentũ, ſaltem in aliis ab euchariſtia, ſecundũ illud Aug.hom.viij. ſuper.Io.1. qu.j.detrahe. Accedat verbum ad elementum & fit ſacramentum. Elementũ autem (quia magis materiale ſiue corporale) dicitur materia, & verba (quia magis ſpiritualia) dicuntur forma, ſicut compoſito ſubſtãtiali, forma eſt ſpiritualior materia, & principalior pars compoſiti, ſicut verba in ſignificando ſunt principaliora quàm res ſenſibilis ſecũdum Aug.ij.de doct.chriſtiana: verba inter homines obtinuerunt principatũ in ſignificãdo, ita communiter accipiunt doctores materiã & formã in ſacramentis. Verũ quia in re ſenſibili etiam duo frequenter ſunt, operatio tranſiens, & res (in qua fit operatio) permanens, vt aqua, oleum, chriſma, &c. Operatio vt lotio, vnctio dicitur materia propinqua, aqua, oleum, chriſma, &c. materia remota: ratio, quia in rebus illis vt permanentes ſunt, non eſt ſacramentũ, ſed in operatione accedente, ideo baptiſmus non dicitur aqua, ſed lotio in aqua. Vtramque ergo materiam tangit diffinitio baptiſmi. De qua ſupra in litera B & in dictione *Baptiſmus*. propter quam cùm dicitur: baptiſmus eſt lotio. Remota cum additur, in aqua. Et de materia cuiuſlibet ſacramenti videatur ſuo loco.

Matertera dicitur ſoror matris. Matertera magna, id eſt, ſoror eius pro matertera, id eſt, frater & ſoror proaui & proauiæ, quos alij vocant patruus, auunculus. Amita, matertera maxima. Petrus de Palu. di.xlj.l.iiij. & dicitur matertera quaſi mater altera.

Matrimonium. De ſacramẽto matrimonij valde plura ſcripſerunt doct. ex quibus perpauca vel modica ſcribere viſum eſt id quod vltimo loco ordinatur inter ſacramenta, quia minus habet de ſpiritualitate, vt vult S. Tho. quamuis ſit primum in via generationis, tamen in via ſanctitatis & perfectionis eſt poſterius. Eſt & verũ ſacramentũ, vt ſcribit Tho. Argen. quia ſacræ rei ſignum. Et nõ eſt ſolum ſignum gratiæ, ſicut cætera ſacramenta, verum etiam eſt ſignum coniunctionis Chriſti & eccleſiæ, quæ ſunt res ſacratiſſimæ. Hinc Apoſtolus Paulus ad Ephe.5. loquẽs de matrimonio, ait: Sacramentum hoc magnum eſt, &c. & matrimonium eſt ſacramentum no.le. & ſignificat gratiã (vt inquit Tho. Argenti.) quam etiam aliquo modo cauſat, & per conſequens ſignificat coniunctionem fidelis animæ cum Deo, quæ fit per gratiam & charitatem, & vnitatem ſeu coniunctionem Eccleſiæ cũ Chriſto. Et matrimonium quod Corteſius li.iiij.ſententiarum di.vj. connubium vocat, non modò ſacramentum eſſe vult, ſed etiam naturæ munus. Itaq; ob eam partem qua ſacramentum nominatur cum in ſenatus partitione conſiſtat, haud dicimus in emptione aut licitatione verſari, quandoquidem ſit promul-

promulgatio lata, vt ſi quis ob ſponſalia ſacra pecuniam acciperet, non modò repetundaru, ſed etiam muneralis ambitus poſtuletur, ſeruitusque cenſura plectatur. At ob eam partem qua naturę munus nominatur, haud quaquam in connubiis de paciſcendo aut de pecuniis capiundis cautum eſſe dicimus. Hæc Corteſius.

Matrimonium ſic deſcribitur ſecundũ Scotum, Eſt vinculum indiſſolubile inter marem & mulierem ex mutua tranſlatione poteſtatis corporũ ſuorum ſeinuicem facta, ad procreandã prolem debitè educandam, Vel ſecundum Aug. lib. de virginitate beatæ Virginis, ait: Matrimonium eſt legitima ſocietas inter virũ & fœminã, in qua ex pari cõſenſu ſemetipſum alteri debet. Et Magiſt. iiij. ſen. di. xxvij. Matrimonium eſt viri, mulierisq; coniunctio maritalis inter legitimas perſonas, indiuiduam vitæ conſuetudinem retinẽs. Et habetur xxij. qu. ij. §. j. Coniunctio ibi, vt ſcribit Bruleſ. non capitur pro coniunctione carnali, ſed pro cõiunctione animorum. quæ fit prolatione verborum de præſenti, vtpote: Ego accipio te in meam: & ego accipio te in meum. Ponitur & coniunctio pro genere, cætera pro differentiis (vt inquit Tho. Argeñ. di. xxvij. li. iiij.) Et dicitur matrimonium (vt dicit Iſido. li. ix. Etym.) quaſi matris muniũ, id eſt officiũ, quia dat mulierib' eſſe matres. Vnde Aug. in li. cõtra Fauſt. Matrimonium ideo dicitur, quia nõ ob aliud debet mulier nubere, niſi vt mater fiat. Et licèt (vt ſcribit Petrus Paludeñ. diſt. xxvj. q. j. lib. iiij.) pater generationis ſit actor & penè vxoris dominus, tamẽ matrimonium plus aſſcribitur matri quàm patri: quoniã eius officiũ plus apparet in matrimonio quàm officium viri. Nam ante partum oneroſus, in partu doloroſus, poſt partum laborioſus, ſibi naſcitur partus. Vel vt ſcribit Thom. Argeñ. nomen ſequitur cognitionem: & ideo non ſemper à digniori, ſed ab euidentiori & certiori eſt res denominanda. Licèt enim anima hominis eſt dignior quàm corpus, tamen quia corpus eſt magis ſenſibile & cognoſcile quàm anima: ideo homo magis denominatur à corpore quàm ab anima. Dicitur enim homo ab humo. Sic quia certius & euidentius hanc matrẽ facere ad generationẽ & nutritionẽ huius prolis, quæ ſpectant ad officiũ matrimonij quàm hunc patrem: ideo matrimoniũ meritò denominatur à matre, & quod mater eſt magis officioſa circa prolem quàm pater, vt inquit B. Tho. di. xxvij. q. j. ar. j. lib. iiij. Exterior verò poſſeſsio magis dicitur patrimonium, quod vir magis & virilius laborat in acquirendo quàm vxor: ideo dicitur patrimonium, quaſi ſpectans ad patris officiũ. Paludeñ. & Tho. Argeñ. Vocatur autẽ matrimoniũ aliis nominibus, ſcilicet nuptiæ, coniugiũ, connubiũ. Nuptiæ quidẽ dicuntur ſecundum Rich. d. xxvij. ar. j. q. j. li. iiij. eò quòd nubentium capita velentur. Velantur autẽ (vt vult Palud.) mulieres vt nouerint ſe ſemper viris fore ſubiectas. xxxiij. q. v. fœminę. Ratione eſſentię (ait Rich.) dicitur coniugium, vel quod cõmuni iugo coniungantur. Ratione effectus qui eſt proles, dicitur matrimoniñ, quaſi matris muniũ, id eſt officiũ, eò quòd matri incumbit officium nutriẽdæ prolis, vel quaſi matrẽ muniens, quia per ipſum prole munitur, vel quaſi matrem monens, ſcilicet ne derelinquat virum. Rich. Nuptiæ dicuntur ſecundum Paludenſem à nube: vt ſicut nubes tempus offuſcat & turbidũ reddit, ſic nuptiæ dicũt offuſcare nupta, vt quo ad geſtus laſciuos & cõtactus corporales omnib' reddatur obſcura & turbida, pręter q̃ viro ſuo. Connubiũ autẽ dicitur quaſi ſimul nubiñ: & coniugiũ quaſi ſimili cõſenſu iunctũ, &c. Et dicitur vnũ matrimonium inter virum & mulierem, ratione vnius finis: puta, ratione prolis generãdę. Indiuiduitas verò matrimonij poteſt conſiderari dupliciter. Vno modo inquantum vinculum. Alio modo quo ad habitationem & thorum. Primo modo non tollitur indiuiduitas matrimonij per diuortia celebrata cauſa fornicationis. Vnde perſona petens ſeparari à coniuge fornicante, non exauditur à Iudice, niſi ſub hac conditione, quod toto tempore huiuſmodi ſeparationis caſtè viuat: nec licet ſibi contrahi cum aliqua perſona viuente coniuge fornicatore, & ſi voluerit, poterit eidẽ reconciliari, & matrimonialiter ſibi cohabitare ſicut primò. Et prædicta diffinitio data per Magiſtrũ, non cõuenit vniuerſaliter omni matrimonio, ſed ſolũ matrimonio fideli & conſummato per ſubſequentẽ carnalẽ copulam. Eſt ſignũ in hoc ſacramento eſt verbũ vel nutus, & hoc eſt ſignũ principale: ſed ſignũ minus principale eſt culpa carnalis. Signatũ in hoc ſacramẽto eſt coniunctio Chriſti cũ Eccleſia, quę cõiunctio ſignificatur per ſignũ, & per illã coniunctionẽ carnalẽ, &c. Et actus exteriores (vt ſcribit Tho. Argeñ.) quibus perſonæ matrimoniũ contrahẽtes ſe mutuo obligant, ſunt ſacramentũ tantũ. Sed gratia à Deo data perſonis legitimè contrahẽtibus, ac etiã coniunctio Chriſti cum Eccleſia per matrimoniũ figurata, ſunt res ſacramẽti tantũ, ſed ipſa perpetua perſonarũ cõtrahentiũ mutua obligatio eſt ſacramentũ, & res ſacramẽti. Nã reſpectu actuũ exteriorũ quo ſunt ſacramentũ tantũ, iſta obligatio eſt res ſacramẽti, ſed reſpectu cõiunctionis Chriſti cũ Eccleſia quã ſignificat, & reſpectu gratiæ quã efficit, eſt ſacramentũ. Videatur ad hoc Rich. di. xxvj. ar. iiij. q. j. li. iiij. & an ſit matrimoniũ in genere relationis. Et ſecundum eũ hoc ſacramentũ primò figurat charitatem, qua coniuges debẽt ſeſe mutuo diligere dilectione ſancta: & hanc rem diſpoſitiuè efficit. Significat & vnionẽ Chriſti & Eccleſię, quã ſignificat, ſed nõ efficit. Ipſa autẽ charitas eſt res tantũ. Hęc Rich. Citius autem cõtrahit matrimoniũ mulier quàm vir, ſcilicet in duodecimo annò, vir in. xiiij. Rationẽ ponit Petrus de Palud. di. xxvij. q. j. art. ij. lib. iiij. quia licet vir & mulier conualeſcant æquali tempore ad rationem, nõ tamen ad potentiã actus, quia minor potentia ſufficit ad patiendum quàm ad agendum.

Matrimonium, contractus matrimonij, & ſacramentũ differũt, ſecundũ Scotum, matrimoniñ, vt ſupra dictũ eſt. Contractus verò matrimonij eſt maris & fœminæ mutua tranſlatio corporũ ſuorũ pro vſu perpetuo, ad procreandã prolẽ debitè educandam. Sacramentũ matrimonij eſt expreſsio certorum verborum maris & fœminæ ad ſeinuicem ſignantium, traditionem mutuæ poteſtatis corporum ad prolem debitè procreandam ex inſtitutione diuina, efficaciter ſignificans gratiam conferendam mutuo contrahentibus ad coniunctionẽ mutuam animorum gratioſam. Scotus.

De matrimonij eſſentia. Et hæc ſecundum Rich. conſiſtit in ſenſibili actione ſuſcipientiũ ſacramentum. Vnde verbũ primò prolatum ab altero eorũ, habet cauſam materiæ. Et verbũ ſecundo prolatũ ab alio, rationẽ habet quaſi formę, eo modo quo verba ſunt forma in ſacramẽto: ſicut enim verbũ cùm accedit ad elementũ fit ſacramentũ, vt dictũ eſt aliàs & ſupra: ſic cùm ad verbũ illius, qui primò dicit: Accipio te in vxorẽ, accedit verbum alterius, dicẽtis: Et ego accipio te in virũ: vel econuerſo fit ſacramentũ, nec dicendũ, vt idẽ ait, quod benedictio ſacerdotis ſit forma huius ſacramẽti, illa enim eſt quod ſacramẽtale non pertinẽs ad eſſentiã ſacramenti. Vnde S. Bona. ait: Ad eſſe matrimonij duo ſufficiũt, ſcilicet legitimitas in perſonis, & vnitas in cõſenſu. Ad ſolemnitatẽ verò & decorẽ ſiue honeſtatẽ requiritur & parentũ traditio & ſacerdotũ benedictio. Hæc autem ita ſunt ad decorẽ ſacramẽti, vt tamẽ ſint de neceſſitate præcepti. Hæc Bona. di. xxviij. q. v. li. iiij. Et quia cauſa efficiẽs matrimoniũ eſt cõſenſus vtriuſque, vt habet Magiſt. d. xxviij. li. iiij. expreſſus per verba de præſenti. de quo videre potes Rich. diſt. xxviij. li. iiij. ar. j. q. j. & de cõſenſu futuro cũ carnali copula accedẽte cõſenſu de præſenti, q. ij. ibidẽ. & quod matrimoniũ nõ poteſt cõtrahi ad tempus, vt idẽ habet ar. ij. q. j. ponẽs triplicẽ ibidẽ rationẽ, &c. Idcirco de conſenſu parumper ſcribendum eſt.

De conſenſu matrimonij, de quo Gerſon part. ij. in regulis moral. de matrimonio ita ſcribit. Conſenſus mutuus expreſſus per verba de præſenti, quo transfertur pro perpetuo corpus viri in poteſtatẽ mulieris, & econtrà: in eis propter quæ coniunctio talis ordinatur, cauſat matrimonium de iure naturali, & diuino: nihilominus limitatur conſenſus ad certas perſonas cum certis circunſtãtiis, & quicquid aliter fuerit attentatum, poteſt illud inualidare ſuperioris auctoritas. Hęc Gerſon. Neceſſe autẽ (ſecundũ Bonauen. di. xxviij. li. iiij.) ad hoc vt fiat matrimoniũ eſt cõſenſum exprimi ſimpliciter. Vnde dici debet: Accipio te in meã: quod ſi alio modo cõſentiat, nõ eſt cõſenſus matrimonialis ſiue cõiugalis, ſed adulterinus. Vnde deficit matrimoniũ verũ, ſiue deficiat in corde ſiue in ore cõſenſus ſimpliciter, ſed quando in corde, tunc in conſpectu Dei, & ſecundũ veritatem: quando in ore, tunc in facie Eccleſiæ. Vide latiùs Bonauen. q. ij. vbi ſupra. & Paluden. eadẽ di. Et Richar. qui di. xxvij. ar. j. q. ij. lib. iiij. ait: Ad hoc vt verè contrahatur in foro conſcientiæ & Dei, qui cordiũ nouit occulta, requiritur conſenſus interior. vide eum latiùs ibi. Matrimoniũ itaq; fieri non poteſt abſq; cõſenſu voluntatũ ipſorũ contrahentiũ. Et cõſenſu exiſtẽte fictè, nunquã cõtrahitur matrimoniũ: quia cõſenſus fictus non eſt cõſenſus, ſicut nec homo pictus homo, ſed in foro exteriori non procedit. Et ad hoc vt conſenſus efficiat matrimonium, neceſſe eſt, vt exprimatur per verba de præſenti, vel ſaltem per ſigna huiuſmodi verbis æquipollentia: latius ſolent hæc tractari apud alios Doctores. Item ad contrahendum matrimonium non eſt neceſſarius conſenſus in carnalem copulam explicitè, quamuis in eſſentia matrimonij cõtineatur copula carnalis. De hoc vide Richardum, art. ij. q. iiij. Et ſanctum Bonauen. qu. vj. vbi ſupra, libr. iiij. Nec copula carnalis requiritur ad verum matrimonium, tamen oportet conſentire in carnalem copulam, vel abſolutè vel ſub conditione, ita quod oportet habere intentionem conſentiendi in copulam carnalem ſi aliquis eorũ debitũ quærat. Vnde inter Mariam & Ioſeph (vt infra dicetur) fuit verũ matrimoniũ, ita quod ſi Ioſeph quæſiuiſſet matrimonij debitum virgini Mariæ, ipſa tenuiſſet reddere. Nec propterea ſequitur, quod non vouerit caſtitatem, quia certificata erat à Deo, quod Ioſeph nunquam quæreret ei debitum matrimonij. Ita ſcribit Bruleſer diſt. xxviij. q. vj. lib. iiij. Vide ad hoc S. Bonauen. q. vj. diſt. xxviij. li. iiij. De debito matrimonij, vide ſupra in dictione *Debitum.*

Matrimonium, dupliciter poteſt conſiderari, vt ſcribit Richar. diſt. xxvj. ar. iiij. q. iij. libr. iiij. Vno modo quantum ad eius perfectionem primam, quę eſt perfectio eſſentialis, & ſic carnalis copula non eſt de eius integritate, ſed ſine illa eſt matrimonium ratum. Aut quantum ad eius perfectionem ſecundam, quæ eſt perfectio aliquo modo accidentalis: & ſic carnalis copula eſt de eius integritate: per illam enim efficitur matrimonium conſummatum: ſicut dicitur quod puer per eius deductionem ad quantitatem perfectam efficitur vir conſummatus, qui tamen puer exiſtens habebat totam ſuam perfectionem in eſſe primo, qui reſpicit hominis eſſentiam. Vide ad hoc ſanctum Bonauen. diſt. xxvj. ar. ij. q. iij. lib. iiij.

Matrimonium eſt triplex (vt ſcribit ſanctus Bona. d. xxvij. lib. iiij. in expoſitione textus.) Quoddam eſt initiatum, quoddam ratum, quoddam conſummatum. Matrimonium initiatur deſponſatione de futuro, ratificatur in conſenſu de præſenti, conſummatur in copula carnali. Eſt quoque, vt ſcribit Richar. di. xxxix. art. j. q. ij. lib. iiij. & habetur xxviij. q. j. Si quis Iudaicè. Matrimonium legitimum & non ratum, quod legali inſtitutione vel prouinciæ moribus contrahitur, quod tamen ſeparabile eſt. Matrimonium ratum & non legitimum, eſt matrimonium contractum inter fideles, qui ſacramentum baptiſmi ſuſceperunt, contemptis ſolemnitatibus, quæ debent adhiberi ſecundum conſuetudinem Eccleſiæ, & patriæ morem, vt matrimonium clandeſtinum. Matrimonium ratum dicitur, quod inſeparabile eſt. Illegitimum eſt propter contemptum ſolemnitatis, quæ ſecundum legem & patriæ morem adhiberi debet. Legitimum & ratum eſt contractum inter fideles, qui ſacramentum baptiſmi ſuſceperunt, & non ſunt perſonæ illegitimæ ad contrahendum, & ſolemnitates debitas ſecundum conſtitutionem Eccleſiæ, & more patriæ adhibuerunt. Et inter infideles (vt idem vult Richar.) non poteſt eſſe matrimonium ratum, quia tale ſeparabile eſt per alterius conuerſionem ad fidem, altero in infidelitate remanente, ſed inter eos poteſt eſſe matrimonium legitimum, quia nec lege naturæ, nec lege diuina prohibentur matrimonialiter copulari, nec per aliquam conſtitutionem Eccleſiæ, quia ſecundum Apoſtolum 1. Corinth. 5. Eccleſia non iudicat de his quæ foris ſunt, quamuis autem illud matrimonium non ſit ſacramentum, tamen ſit ſeparabile, quia nullum ſacramentum ante baptiſmum

ſuſcipi

ſuſcipi poteſt, tamen eſt io officiõ naturæ & quoddam fœdus ſocietatis humanæ. Infidelis itaq; cum infideli poteſt verum matrimoniũ contrahere, quia apud tales eſt lex naturæ: de quo vide latiùs Tho. Argeñ. qui & exempla ponit veteris teſtaměti, &c. Conſanguinitas autě impedit matrimoniũ: ſic etiá affinitas: de quo ſuo loco videtuc. Fidelis autě cum infideli non poteſt cõtrahere verũ matrimoniũ, & hoc maxime propter ſtatutũ Eccleſiæ, quo huiuſmodi ſacramentũ prohibetur contrahendũ, & dirimitur contractũ. vc patet xxiȷ.q.ȷ. in pluribus capitulis. de quo cõſuliro Tho. Argeñ. d.xxxix. li.iiȷ. qui & plura diſſerit de hoc. Vnde Apoſt. 2. Cor. 6. ait: Nolite iugum ducere cum infidelibus, & aliàs.

Matrimonium clandeſtinũ dicitur tripliciter (vt ſcribit Rich. di.xxviiȷ. ar.iȷ. q.iiȷ. li.iiiȷ.) Vno modo dicituc clandeſtinũ, quod contrahitur ſine præſentia teſtiũ. Alio modo quod contrahitur non adhibitis ſolemnitatibus conſuetis, quamuis contractũ fuerit in præſentia teſtiũ. Tertio modo, quãdo fit ſine præmiſſa denũtiatione. Allegat ad hoc iura, & quolibet iſtorum modorũ ſi adfuit mutuus conſenſus per verba de præſenti expreſſus, eſt verũ matrimonium ſecundũ Dei & conſcientiæ iudiciũ. Illud tamen quod ita eſt clandeſtinũ, quod nõ fuit in præſentia teſtiũ, nõ iudicabitur verum matrimoniũ ab Eccleſia, quæ iudicat ſecundũ allegata. Vide latiùs Rich. Prohibẽtur autě clandeſtina matrimonia, de quo videatuc Palu. d.xxviiȷ. q.iȷ. lib.iiiȷ.

De miniſtro matrimoniȷ, ſcribit Scotus di.xxvȷ. lib. iiiȷ. dicens, quod plerunq; ipſimet cõtrahentes miniſtrant ſibiipſis hoc ſacramentum, vel mutuo vel vterq; ſibi, ſed nec hoc requiritur neceſſariò, quia aliquando patres contrahunt pro filiis & filiabus præſentibus eis, non exprimentibus ſigna pcopria, & ſic miniſter huius ſacramenti poteſt eſſe indifferens quicunque poteſt miniſtec eſſe in contractu matrimoniȷ, &c.

De inſtitutione. Eſt autem matrimoniũ principaliter (ſicut & alia ſacramenta) à Deo inſtitotũ. Vnde Matth. 19. dicitur: Quos Deus cõiunxit, homo non ſeparat: & quãuis matrimoniũ efficiatuc humano conſenſu, hoc tamẽ noo fit cum excluſione inſtitutionis diuinę. Illa enim excluſa, nullus cõſenſus humanus ſufficeret ad faciendũ verũ & legitimũ matrimoniũ. Quantũ verò ad perſonarũ contrahentiũ determinationem, matrimoniũ eſt ab humana inſtitutione: & huius determinatio ſæpè eſt à mandato Eccleſiæ: puta, quod nullus cõtrahat matrimonium cum aliqua ſibi attinẽte infra quartũ gradũ cognationis, in quibus tamẽ poteſt Papa diſpenſare. De quo latiùs vide Tho. Argeñ. d.xxvȷ. li.iiȷ. & alios. Eſt autẽ matrimoniũ inſtitutũ in officiũ, & remedium. In officium, vt genus humanũ non pereat. Hinc dicitur Geñ. 1. Creſcire & multiplicamini. In remedium, ſcilicet contra cõcupiſcentiam, dum illam refrænat vt medicamentum, vt ſcribit ſanctos Bonauen. di.xxvȷ. q.ȷ. lib.iiiȷ. Vel vt carnis vitium cohiberetur, vt inquit Paludeñ. Vnde Apoſtolos: Vnuſquiſq; habeat ſuam vxorem propter fornicationem. Et per hoc matrimonium differt ab aliis ſacramentis, vt etiam vult Brule. di.xxvȷ. q.ȷ. lib.iiiȷ. quia omnia alia ſacraměta ſex ſunt inſtituta ſolum propter remedium, ſed matrimonium non ſolum in remedium, ſed etiam in officium eſt inſtitutum. Ante lapſum autem in officium, poſt lapſum verò in remedium, & etiam in officium, vt ait ſanctus Bonauentura vbi ſupra. De quo videatur Richar. eadem diſt. art.ȷ. quæſt.iȷ.

Matrimonium eſt duplex, carnale & ſpirituale. Et matrimonium carnale voluit Deus eſſe ſignum ſpìritualis (vt ſcribit Gerſon parte ȷ. de nuptiis Chriſti & Eccleſiæ) & ideo, quia nulla in primis videtuc animæ deuotæ conſideratio ſuauior, altior atq; benignior, quàm ſi pura cordis ſimplicitate, & humilitate meditetur ſe ſponſam Chriſti, quoniam ſicut in humanis affectibus amocoſis præcellit dilectio ſponſę corpocalis ad ſponſum, & econtrà reciprocè ſupec amorem patris & matris: ſic non potuit amor mutuus animæ ad Deum, & Dei ad animam teneriori (vt ita dicamus) feruentiori, & intiniori nomine, vel exemplo tradi quàm ſponſi & ſponſæ: vide latiùs ibi Gerſ. Et in hoc matrimonio ſpirituali Deus ſponſus eſt, & anima ſponſa: vidẽ eundem tract.iȷ. ſuper Magnific. & aliàs multa de ſpirituali matrimonio.

Matrimonium Mariæ & Ioſeph. Hoc matrimonium fuit perfectum, non tamẽ conſummatũ, quia hoc non poteſt ſtare cum puta virginitate, ſed Mariæ virginitas manſit puriſsima: matrimoniom autem conſummatur, nõ niſi per carnalem copulam: vide Doct. diſt.xxx. lib.iiiȷ. & Scotum q.iȷ. arti.iȷ. Et Paludeñ. q.iȷ. ar.iȷ. qui & dicit, quod beata Virgo cõſenſit, non ſolum in cohabitationem domus, ſed etiam in copulam coniugalem ſimplicitec: in copulam autem carnalem ſub conditione, ſi Deus eam iuberet. Ponit autẽ idem quintuplicẽ cauſam quare beata Virgo debuit deſponſari. Primò, ex parte exempli, ne vicgines aliæ ſe excuſarent, vt filia Iudæi incluſa, à clerico imprægnata: dixit ſe à Deo imprægnatã. Vnde Iudęi Meſsiã expectabant, quouſq; mulier ædita eſt. Secundò, ex parte ſacramenti, quia hoc matrimoniũ perfectius ſignificat coniunctionẽ Chriſti cũ Eccleſia, quã quodcunq; proptec fœconditatem, ſimiliter & integritatem, licèt aliud perfectius coniunctionẽ Chriſti, & humanę naturę, quę deficit à ſimilitudine matrimoniȷ propter vnitatẽ perſonæ, ſecundũ Greg. in Homel. de nuptiis filiȷ Regis. Tertiò, ex parte viri, vt genealogia texeretur, & vt obſequiũ præſtaret Mariæ, & puero in Ægyptũ, &c. Quartò, ex parte ipſius Virginis, ne lapidaretur tanquã filia ſacerdotis, id eſt cremaretur vel moreretur, quia tribus regia & ſacerdotalis erãt permixtæ. Quintò, ex parte nati, vt diabolo partus celaretur per impedimentũ, & vt nuptias approbaret: & licèt Deus poſſet aliter celare, hic tamen fuit modus conuenientior, quia rarius coniuges ſunt virgines. Hæc Paludenſis. Et vt idem ait, matrimonium vel coniugium fuit perfectum, & quantum ad eſſentiam, & quantum ad tria bona, ſcilicet fidei, prolis, & ſacramenti, nõ autem quantũ ad ſecundam perfectionẽ, quæ eſt eius operatio, vt carnalis copula. Primũ patet, quia fuit conſenſus expreſſus per verba de præſenti in copulam coniugalẽ, quo ſolũ eſt verũ & perfectũ matrimoniũ eſſentialiter. Secundũ patet, quia vbi nullũ

adulteriũ, ſed ſumma caſtitas, ibi bonũ fidei & nulla infidelitas. Tertiũ pater, quia etiã prolis bonũ fuit in ſemine, in quo omnes Gentes benedicerentur. Illud autẽ matrimonium, vt idem dicit, concluſ. v. nunquã fuit per carnalẽ copulã conſummatũ. Vide latiùs eũ. Et matrimoniũ B. Mariæ virginis & Ioſeph, fuit corporale & ſpirituale aliquo modo (vt idem ſcribit di. xxvj. q. iij. lib. iiij.) vide eum, &c.

De bonis matrimonij. Iacobus de Valen. annumerat quatuor bona propter quæ matrimoniũ eſt inſtitutũ. Pſal. 118. Primò, ꝓpter bonũ mutui obſequij. Secũdò, propter bonũ fidei & ſacramentũ. Tertiò, propter bonum prolis, vt patet Gen. 2. Sed quarto fuit confirmatum in remediũ libidinis, & ne concupiſcentia imputaretur poſt quã natura & vniuerſa caro fuit corrupta & prona ad malum, vt patet Gen. 8. Sic etiam alia ſacramẽta inſtituta fuot in remedium, vt vbi ſupra dictum eſt. & ibidẽ oſtendit Epiſcopus. Nam baptiſmus datur ad delendum peccatum originale iam habitum. Et cõfirmatio datur ad robur & ad reſiſtẽdum tentationibus à peccato antequã perpetretur. Pœnitentia autẽ datur ad delendum peccatũ actuale iam perpetratũ. Extrema autẽ vnctio datur decedentibus & pœnitẽtibus ad delendũ venialia & oblita ad pleniorem remiſsionem pœnatũ debitarũ ex peccatis confeſsis & oblitis. Sacramentũ autẽ matrimonij ſolũ datur ad remediũ ne actus venereus & libidinoſus debitè cõmiſſus inter cõiuges imputetur ad peccatũ mortale, &c. Magiſter & Doctores di. xxxj. li. iiij. triplicia ponunt bona matrimonij, per quæ etiã finalis matrimonij cauſa oſtẽditur, quæ per ſe eſt procreatio prolis, & fornicationis euitatio. Per accidẽs autem, ſcilicet quę ex intentione cõtrahentis fit, eſt multiplex. De quo latiùs perquirito apud Richa. d. xxx. ar. iij. q. j. li. iiij. Sunt autẽ bona matrimonij ſecundum Doct. in iiij. d. xxxj. fides, proles & ſacramentum. Fides eſt quod ſuã cognoſcat & nõ aliam: & hoc eſt bonũ moris de ſe ordinatum, & cadit in genere honeſti. Et fides capitur pro fidelitate quã habent, & promiſerunt ſibiinuicẽ vir & mulier, vt inquit Brulef. Bonum prolis cadit in genere cõferentis: cõfert enim prolis multiplicatio ad ſpeciei conſeruationem & perfectionẽ numeri, ſicut cibus ad conſeruationẽ indiuidui. Bonũ verò ſacramenti cadit in genere delectabilis, quia tanta eſt ibi vnio vt relinquat homo patrem & matrem, & ſint duo in carne vna. Vnde pręcipitur viris vt vxores diligant ſicut ſua corpora. Vide latiùs de hoc ſanctum Bonauen. di. xxxj. q. j. lib. iiij. Et ſacramentum capitur ibi (vt inquit Brul.) pro inſeparabilitate & indiſſolubilitate inter virũ & mulierem, & ſacramentum eſt de neceſsitate matrimonij. Sacramentum enim venit ex mutua obligatione & diuina inſtitutione, & ſignatione illius vnionis. Et ideo, quia iſta ſunt de neceſsitate matrimonij, per conſequens & ſacramentũ. Sed alia duo bona quodammodo ſunt de eſſe, quodammodo de bene eſſe. Si enim loquamur quantum ad matrimonij vſum, ſicut ſunt de bene eſſe, quoniam vſus matrimonij ab his eſſe poteſt. Si autem loquamur quantum ad matrimonij contractum, qui eſt per matrimonialem cõſenſum, ſic poteſt eſſe contractus abſque his duobus bonis, vtputa, in ſterilibus & in cõtinentibus. Et quicunque in ſuo contractu addit conditionẽ repugnantem alicui iſtorũ bonorũ, ille non vult obligari ad huiuſmodi bonum, ergo non contrahit matrimonium. De quo latiùs conſulito Thomam Argentinenſem di. xxxj. li. iiij. & alios. Et inter illa tria bona ſimpliciter omnibus penſatis bonũ ſacramenti eſt principalius (vt inquit Richar.) tum quia dignius, tum quia matrimonio eſſentialius: quia bonum ſacramenti inquantum eſt ſacramentũ, eſt ſacramentum gratiæ: cætera bona reducuntur ad matrimonium tanquam inquantum ſunt efficatia naturæ. Et bona illa in ſtatu innocentiæ manſiſſent integra & pura, modò autem ſunt permixta etiam malis. Et per prædicta bona coniugij (vt ſcribit Thom. Argeñ. & cæteri) actus carnalis copulæ à peccato ſufficienter poteſt excuſari: & hoc omnes Catholici dicunt, & maximè ille coitus excuſatur à culpa mortali, quando fit gratia prolis, vt vult ſanctus Bonauẽ. Eſt enim, inquit Tho. Argenti. matrimonium res bona, qua quis vti poteſt ſine peccato. Eſt enim à Deo inſtitutum, vt dictum eſt ſupra: ergo eſt bonũ. Imò (vt idem vult) actus carnalis copulę poteſt eſſe meritorius, ſuppoſito quod huiuſmodi coniunx ſit in charitate, ſine qua nullus actus poteſt eſſe meritorius de cõdigno. Si autẽ ille actus ſit cauſa reddendi debiti, & nõ intẽdit prolẽ, tunc nec eſt peccatũ mortale nec veniale. Sed ſi nõ exigitur, ſed ipſe exigit, & tunc vel hoc fit ratione indigentiæ vel propter libidinẽ ſatiandam. Primo adhuc excuſatur à peccato, quia nõ ſolùm ad officium, ſed in remedium eſt inſtitutũ matrimonium poſt lapſum, vbi ſupra viſum eſt. Si ſecundo modo dupliciter poteſt cõtingere, vel ſua intentio ita abſorbetur huiuſmodi libidine, quod nõ ſolũ cũ ſua, ſed etiã cum alia ſi copiã poſſet habere huiuſmodi libidinẽ vellet explere, & tũc mortaliter peccat, eò ꝙ ſua intẽtio caret coniugali fide: ſed ſi manet intra limites matrimonij, tunc dicitur cõmuniter quod non mortaliter, ſed venialiter peccet. Et ratione periculi annexi, quo ſe exponunt huiuſmodi homines, qui ſic ſuam explere volunt libidinẽ, quia notabiliter abbreuiant vitam ſuam, & intantum vitiant & corrumpunt vires corporales, quod quandoque efficiuntur paralytici, quandoq; epilentyci, quãdoq; leproſi, ratione huius non poſſunt ſe excuſare à mortali, etiã in huiuſmodi libidine effrenata, quãdoq; attentãt aliquas innaturales adinuẽtiones, quæ ſunt ita turpes & enormes, quod nequaquam poſſunt excuſari à peccato mortali. Hæc Argentiñ. Vide & Brulef. di. xxxj. q. iiij. v. & vj. li. iiij. & Scotum de illis bonis eadem diſt. & alios.

De effectu matrimonij, qui ſecundum Scotum di. xxvj. li. iiij. eſt duæ gratiæ in animabus contrahentium, & hoc niſi ſit obex peccati mortalis hinc & inde. Non enim ſufficit ad gratiam percipiendam, quod contrahens non ſit fictus reſpectu ſacramenti, ſed oportet quod priùs pœnituerit, quia iſtud ſacramentum non dat primam gratiam. Secundus effectus eſt vnio animarum contrahentium, ſed primus effectus totalis eſt vnus, ſicut gratioſa coniunctio animarum.

De conditionibus quæ quandoq; apponũtur in matrimonio, dicendum videtur, de quibus ſcriptis ali-

quid

quid reliquit Rich.d.xxviij.ar.ij.q.ij.li.iiij.cùm ita ait: Conditionũ appoſitarũ in cõtractu matrimonij quædam ſunt cõtra matrimonij ſubſtantiã: vt ſi alter dicat alteri: Contraho tecũ ſi generationẽ prolis euites, quod eſt cõtra bonũ prolis. Vel contraho tecũ ſi procuraueris venena ſterilitatis, vel aliquid huiuſmodi, & tunc nulla eſt obligatio (inquit Bonauen.) vel donec inueniã aliam honore vel facultate meliorem, quod eſt cõtra ſignificationẽ ſacramenti (vt inquit Richar.) aut ſi adulterandã te tradas, quod eſt cõtra bonũ fidei: & ſub talibus conditionibus nullum eſt matrimoniũ. Non diſcrepat ab hoc Thom. Argenti. di.xxxj.lib.iiij. qui vult quod quãdo aliquid apponitur, quod repugnat alicui triũ bonorum matrimonij, tunc non cõtrahitur matrimonium: vide eum ſi placet. Quædam ſunt conditiones (vt ait Richar. vbi ſupra) quæ nõ ſunt contra ſubſtantiam matrimonij, & iſtarũ quędam ſunt turpes aut impoſsibiles, & matrimoniũ ſub talibus contractum cõditionibus tenet, quia pro nõ adiectis habentur, vt ſi dicatur: Cootraham tecum ſi furatus fueris, vel ſi Deum offenderis. Talis conditio (inquit Bonauen. di.xxviij.q.iij.li.iiij.) pro nõ adiacta habenda eſt. Quædam ſunt cõditiones honeſtæ & poſsibiles, & iſtarũ quędam ſunt de præterito (vt ſi dicatur) Contraho tecum ſi maritus tuus mortuus eſt: quædã de præſenti, (vt ſi dicatur) Cõtraho tecum ſi tu es virgo: & ſub iſtis & conſimilibus conditionibus, martimoniũ contractum tenet exiſtentibus rebus in cõditionibus appoſitis, aliter non. Quædam ſunt conditiones de futuro, vt ſi dicatur: Contraho tecũ ſi patri tuo vel patri meo placuerit, & tunc iudicandum eſt ſicut de ſponſalibus ſub conditione contractis: quia vt dicitur extra de condi. in deſpon. appo. Super eo. huiuſmodi cõſenſus non eſt de pręſenti habendus, licèt per verba de præſenti euidentius exprimatur, quia in alieno arbitrio non habito, ſed habendo conſiſtit. Hæc Richar. Videatur ad hoc S. Bonauen. di.xxviij. q.iij. li.iiij. & in fine dicit: Si cõditio eſt de futuro, quod eſt neceſſarium. Vt accipio te in meam ſi Sol oritur cras: tunc eſt matrimonium. Si autem conditio eſt contingẽs, dicit ipſe quod non eſt matrimooium, eò quod conſenſus depẽdet de futuro, ſicut & conditio. Et ideo iudicãdum eſt ſicut de futuro, nec eſt matrimoniũ, niſi carnalis copula ſubſequatur, quia tunc intelligitur à conditione appoſita receſsiſſe. De aliis conditionibus ibidem vide Bonauen. Nec illud prætereundum eſt, quod in nuptiis celebrandis tria debẽt obſeruari tempora, ſcilicet à tempore primæ Dominicæ Aduẽtus, vſque ad octauam Epiphaniæ: à tempore Septuageſimæ, vſque ad octa. Paſchæ: & à tertio die ante Aſcenſionem Chriſti, vſque ad octa. Pentecoſtes ſiue feſtum Trinitatis, & hoc maximè fit propter diſſolutiones, quæ ibi fiunt, & propter choreas. Sed matrimoniũ quod fit per ſimplicem cõſenſum, poteſt in iſtis temporibus bene fieri, vt ſcribit Brulef. diſt.xxxij.qu.vij.li.iiij. Vide ad hoc Argeñ.d.xxxiiij.li.iiij.

De diſſolutione matrimonij. Matrimoniũ poſſe diſſolui, dupliciter poteſt intelligi (vt ſcribit Richard. di.xxvij.ar.ij.q.j.li.iiij.) aut quantum ad thorum, aut quantum ad vinculũ. Primo modo poteſt diſſolui per mutuum diſſenſum: ſi enim ambo diſſentiunt à carnali copula, poſſunt concorditer facere continentiæ votum, quo facto vnus alij non tenetur obedire, quãtum ad carnalem copulam. Secundo modo matrimoniũ diſſolui non poteſt per mutuum diſſenſum. Cuius ratio eſt, quia mutuus conſenſus nõ eſt tota matrimonij cauſa, ſed ad hoc principaliter concurrit inſtitutio diuina, quia Deus ordinauit vt poſt mutuum cõſenſum, vinculum illud non maneat ſubiectũ voluntati eorum: ideò quantum ad vinculum diſſolui non poteſt per mutuum diſſenſum. Et qu.ij. idem ait, quod in matrimonio non cõſummato, adhuc non eſt niſi cõiunctio ſpiritualis: & ideo per mortẽ qua homo ſpiritualiter ſeculo moritur ipſe ſolui poteſt, quia morte moritur per hoc quod in religione profitetur. Matrimonium verò conſummatũ, vt idem ſcribit, q.iiij. vbi ſupra. nullo modo poteſt ſolui, quantum ad vinculum niſi per alterius cõiugum corporalẽ mortem, iam enim facti ſunt vna caro per carnalẽ cõmixtionem, & ideo per religionẽ qua homo ſpiritualiter moritur mundo, ſolui nõ poteſt, quia iam non eſt coniunctio ſpiritualis tantũ, ſed etiã carnalis. Vide latiùs ibi Richar. Ex mutuo tamẽ conſenſu diſſolui poteſt quantũ ad thorum per religionis ingreſſum, altero etiã remanẽte in ſeculo, ſi nõ ſit ſuſpectus de incõtinentia: ita tamen quod votum caſtitatis emittat antequã alter profiteatur. Si autẽ mulier eſt ita iuuenis quod de ipſa poſsit oriri ſuſpicio, ſi remaneret in ſeculo, vir profiteri non debet, niſi ipſa religionẽ intret quantumcunq; remanẽs in ſeculo velit caſtitatẽ vouere. vide latiùs ibi Richar.

De impedimentis matrimonij ponit Eccleſia magnam ſollicitudinem circa matrimonij impedimenta, & quæ perſonæ ſunt legitimæ, & quæ non, ad contrahendum: quodque impediat, quibusque matrimonium impeditur, & cõtractum dirimitur, & non eſt admirandum, inquit Scotus di.xlij. in fine lib.iiij. ſi ſollicitudinem tantã ponit Eccleſia in ordinando matrimonia, quia communitas Chriſtianorum vtitur matrimonio, per cuius vſum multiplicatur populus Chriſtianus: & ideo ſic ordinari debet, vt in eius contractu & vſu vitentur ea, quæ obuiant charitati, ſiue in Deum ſiue in proximum, & ſeruanda ſunt quæ congruunt honeſtati: vt ſic honeſtum matrimonium Chriſtianum cõgruè ſignificet illam benedictam coniunctionem Chriſti & Eccleſiæ. de qua dicit Apoſtolus Epheſ.5. Sacramentum autem hoc magnum eſt. dico autem in Chriſto & Eccleſia: quæ coniunctio nunc eſt per fidem & aliqualem dilectionem, ſed in patria erit per viſionem, & perfectam fruitionem ſponſæ non habentis maculam neque rugam ad ſponſum ſpecioſum præ filiis hominum. Hæc Scotus. Quoniam verò alia ſacramenta ſint ſpiritualia, huic autem actio carnalis coniuncta eſt, ſcilicet cõiunctio quæ eſt per coitũ, ideo facilius recipit impedimenta, vt ſcribit ſanctus Bonauentura diſtinct.xxxiiij. artic.j.quæſt.j.libr.iiij. Impedit autem matrimonium error perſonæ & conditionis. Error verò fortunæ vel qualitatis: vt ſunt diuitiæ, pulchritudo, turpitudo, boni mores & mali, ſunt matrimonio accidentalia: & ideo error circa talia non impedit. De quo latiùs vide Richardum diſtinct.xxx. art.j. quæſt.j.& ij.libr.iiij.& Sco. eadem diſt. quæſt.j.&

Corteſium lib.iiij.di.vj.ſuarũ ſententiarũ. Et error conditionis eſt ignorantia ſeruitutis, & maximè quando conditio vergit in deteriorem partem, impedit matrimoniũ, vt inquit Tho. Argenti.d.xxx. lib.iiij. Et quo ad conditionem ſeruitutis & libertatis, partus ſequitur matrem de iure communi, vt habet Rich.diſt.xxxvj.ar.v.q.ij.lib.iiij. & ibidem ponit rationẽ, quam vide. Et ſeruus de voluntate domini poteſt cõtrahere matrimonium. Et ſi onus matrimonij ſit in aliquo repugnans ſeruitiis conſuetis, dominus tamen concedens contrahere, relaxat ſibi illa ſeruitia conſueta implicitè. Scotus latiùs de hoc ſcribit di.xxxvj.q.j.lib.iiij.

Matrimonij impedimenta ſunt duodecim, quæ & contractum dirimunt. Et cõprehenduntur his verſibus, quos refert S.Bona.& Richar.diſtin.xxxiiij. artic.j.quæſt.ij.libr.iiij.

Error, conditio, uotum, cognatio, crimen,
Cultus diſparitas, uis, ordo, ligamen, honeſtas,
Si ſis affinis, ſi fortè coire nequibis.
Hæc ſocianda uetant, connubia iuncta retractant.

De quibus & Hoſti. &c. Error ſignificat errorem perſonæ. De quo videto Doct.di.xxx.& Tho.Argenti.& alios, vt quãdo quis putat eſſe illum vel illam, qui vel quæ non eſt. Conditio ſignificat ſeruitutem, de qua & Doct.d.xxx.de quo & ſupr. Votum continentiæ ſolemne, priuatũ enim & ſi impediat matrimoniũ contrahendũ, tamen non dirimit contractũ. De quo & vide in dictione *Votum* infra. Cognatio eſt triplex, quædam carnalis, quædã ſpiritualis, tertia legalis. De his ſuis locis dicitur. Cultus diſparitas, puta quando de duobus coniugibus infidelibus vnus cõuertitur ad fidẽ Chriſtianã, alio perſeuerãte in ſua infidelitate, tũc fidelis poteſt cõtrahere matrimoniũ de nouo cũ perſona fideli, & diſſoluitur primũ matrimoniũ. Vis & violentia, & coactio. Coactione autẽ abſoluta non impeditur contractũ matrimoniũ, quia cõſenſus hominis non poteſt abſolutè cogi. Coactio verò conditionata prout inducit metum cadentẽ in conſtantẽ virum, impedit matrimonium, & quãtum ad iudiciũ Dei & Eccleſiæ. Coactio verò leuis, ex leui motu proueniens, nõ impedit matrimonium, quia talis coactio potius non debet dici coactio. De hac re latiùs perquirito apud Doctores, di.xxix. li.iiij. Rich.& Argenti. Prohibet quoq; ordo nõ quilibet, ſed ſacer ordo prohibet contrahendũ, & dirimit contractum, & vt ſentiunt Doctores Scotus & Bona.di. xxvij.li.iiij.eò quòd Eccleſia facit tales perſonas illegittimas ad contrahendũ, non ſolũ prohibẽdo ne fieret, ſed etiam ſi fieret annullando. De quo vide & Richard.di.xxvij.arti.j.li.iiij. Et ex eo maiores ordines impediunt matrimoniũ, quod tale deputatur hos habens miniſterio ſacro, quod requirit munditiam mentis & carnis, perſpicacitatẽ intellectus, & feruorẽ affectus, ad quæ diſponit cõtinentia, & ad eorum oppoſita frequẽtia carnalis actus, vt dicit Stotus. Et quidẽ iſtud ſtatutũ de cõtinentia clericorum (vt ſcribit frater Oſwaldus in Roſ. Theol.) fecit Eccleſia, quia potuit, quia licuit, quia decuit, quia expediens fuit: & Latini tale ſtatutum ſuper ſe libenter receperunt. Sed Græci dederunt tergũ, nec in tam nobile ſtatutũ conſenſerunt: ideo ablatum eſt ab eis regnum, &c. Item ligamen im-

pedit: puta, ſi habet legittimã vxorem viuentem, & ſi cum alia cõtrahit, nõ tenet matrimoniũ, quia de iure naturali vna debet eſſe vxor vnius. Item honeſtas, id eſt publicæ honeſtatis iuſtitia: de qua videatur di.xlj.& ſupra in dictione *Iuſtitia*. Impedit & affinitas. De qua ſupra in litera A. & di.xlj.lib. iiij. Vltimò dicitur, ſi coire nequibis, hoc eſt impotentia coëundi. Et impotentia coëundi eſt quando carnalem copulã non poteſt exercere, vel (vt dicit Palud.di.xxxiiij. q.ij.li.iiij.) Impotentia coëundi eſt vitium animi & corporis vel vtriuſq;, quo quis impeditur alij carnaliter commiſceri. De quo vide latiùs apud eundẽ. Et hæc impotentia quãdoq; eſt ex parte viri, ſcilicet vel ex frigiditate naturali, vel ex læſione accidẽtali: vt ſi caret teſticulo, vel ex incãtatione eſt maleficiatus, & ſi eſt maleficiũ perpetuũ, hoc eſt, vltra tres annos durauit: & ſi interim nullo remedio ſanari poteſt. Vide & de hoc S.Bonauen.di.xxxiiij.ar.ij.q.ij.li.iiij. Quandoq; contingit ex parte mulieris, vt ſi mulier eſt ita arcta, quòd vir nõ poteſt ei carnaliter cõiungi, quę quidẽ impotentia coëundi ſaltem perpetua, impedit & dirimit contractũ matrimoniũ: & ſi huic impotẽtiæ nõ poteſt ſubueniri (vt inquit Scotus) nec per artẽ, nec per naturã: de hoc latiſsimè vide apud Doct. Tho. Argẽ. Rich. S.Bona. Scotũ, Paludẽ.di.xxxiiij. li. iiij. Si autẽ impotẽtia ſequitur matrimoniũ cõſummatum, nõ dirimit, vt dicit Sco. quia tunc poteſtas eſt tradita verè, & ille cui ſit tradita, miſſus fuit in poſſeſsionẽ. Impedit & furia matrimoniũ contrahendũ: & hoc ſi cõtrahit tẽpore quo vacat ipſe vſu rationis, nec lucida habet interualla, & exiſtit in furia. Si enim cõtrahit tẽpore quo habet lucida interualla, tũc matrimoniũ tenet: quia, vt inquit Rich.d. xxxiiij.ar.iiij.q.j.li.iiij. illo tẽpore cõſentire poteſt. Cõcordat Tho. Argẽ. eadẽ di. Impedit & inceſtus matrimoniũ contrahendũ: de quo legito Rich.q.ij. vbi ſup.& Argẽ. Dupliciter autẽ poteſt cõſiderari inceſtus. Vno modo ratione criminis, quo inceſtuoſus inficitur, & ſic prohibet matrimoniũ cõtrahendum, licèt nõ dirimat cõtra huiuſmodi prohitionẽ contractũ. Alio modo ratione affinitatis quã interdum ipſe inceſtuoſus adquirit: & ſic nõ ſolũ prohibet matrimoniũ contrahendũ, ſed etiã dirimit cõtra huiuſmodi prohibitionẽ contractum: de quo latiùs apud Doct. & Rich. vbi ſupr. Itẽ propter adulteriũ vir poteſt dimittere vxorẽ, & viceuerſa: niſi & ipſe fornicatus fuerit: vel ſi vxor vi oppreſſa fuerit, aut ſi credebat mortuũ, vel ſi alter ſub ſpecie mariti cognouit eam, vel ſi maritus tradidit eam adulterandã, præſertim inuitã. Aut ſi maritus poſt adulteriũ cognouit eam, & tolerauit: vel ſi matrimonio in infidelitate vtriuſq; cõtracto vir dedit vxori libellũ repudij, & vxor alteri nupſerit, tunc enim ſi vterq; cõuertatur ad fidẽ, vir tenetur eam recipere. Addunt aliqui, ſi vir abſtinendo contra voluntatẽ vxoris ei occaſionẽ adulterandi dedit. Latiùs de hoc ſcribit Rich.di xxxv.ar.j.q.j.li.iiij. Et Tho. Argẽ. eadem di. qui & addit, quod ſi vxor alicuius fuerit ab alieno viro vi oppreſſa, quia tunc excuſatur per impotentiam. Illis exceptis poteſt vir vel vxor dimittere vxorẽ vel virũ propter adulteriũ: & hoc in pœnã mulieris, quę fidẽ fregit, & in fauorẽ viri, qui fidem ſeruauit. Si autẽ mulier veliet ſe corrigere & emendare,

dare, nõ tenetur eã dimittere: vel ſi fornicatio ſoli viro nota eſt, tũc debet corripere eã in occulto. Sed ſi ſentiret eã incorrigibilẽ, ne ſuo crimini videatur cõſentire, tunc credo, inquit Rich. q. ij. vbi ſupr. tenetur eam dimittere: vide latiùs eum. Diuortiũ tamen (vt inquit Argeñ.) nõ debet fieri inter coniuges auctoritate propria, ſed debet fieri iudicio Eccleſiæ, quia in exterioribus correctionibꝰ nõ debet in eadem cauſa idẽ eſſe actor & iudex, nec etiã reus & iudex, &c. Videatur ad hoc S. Bona. di. xxxv. q. ij. & iij. lib. iiij. Impedit & ætas matrimoniũ. Vnde pueri vel maſculi ante decimumquartũ annũ: puellæ verò ſiue fœminæ ante duodecimũ, ſecundũ leges, matrimoniũ inire nequeũt. Quod ſi ante prędicta tempora inierunt, id eſt matrimoniũ cõtraxerunt, ſeparari poſſunt. ext. de deſpõ. impu. A nobis. Et hoc habet Magiſt. di. xvj. li. iiij. niſi ante carnaliter ſe cognoſcãt, quia tunc malitia ſupplet ætatẽ, & quandoq; cõplexio præuenit tempus: ante hoc verò tempus nõ videtur habere prudentiã & diſcretionẽ, quæ requiritur ad habendũ matrimonialem cõſenſum, nec habet potentiã coëundi, quæ requiritur ad reddendũ matrimoniale debitũ. Si autẽ, ait Scotus, habet diſcretionẽ ſufficientẽ & poteſtatem iſtam ad debitũ conſenſum, poteſt contrahere: quia habet quod debet, & conſenſum & ſignificationẽ. hæc Sco. Vide ad hoc Argeñ. di. xvj. li. iiij. & S. Bonauen. eadẽ di. ar. ij. q. j. Impedit & vxoricidiũ matrimonium contrahendum. De quo vide S. Bona. di. xxxvij. ar. ij. q. iij. lib. iiij. & Richar. eadem diſt. ar. ij. q. ij. poteſt tamen diſpenſari cum eo, vt apud eoſdem licet videre, & paulò pòſt dicetur.

Crimina quę prohibent matrimoniũ contrahẽdum, & dirimunt contractum, tria ponit Tho. Argeñ. di. xxxvij. li. iiij. Primum ſi adulter procurat mortem vxoris legitimæ, ea intentione vt contrahat matrimoniũ cum adultera, vel adultera procurat mortẽ mariti ſui, vt cõtrahat cum adultero, iſti nunquam poſſunt contrahere. Et hoc intelligendum eſt, ſi iſta procuratio ſit cum effectu, ita quod mors coniugis ſequitur. Nam ſi venenũ dediſſet coniugi, & per hoc non eſſet mortuus, ſed alia morte cuius adulter nõ eſt cauſa, tale matrimoniũ nõ eſt dirimendũ vt dicũt Raym. & Hoſti. & cęteri Doct. Secũdum crimen eſt, ſi adulter, viuẽte vxore ſua, dat fidẽ adulteræ de matrimonio contrahẽdo cum ea poſt mortem vxoris ſuæ, vel poſt mortẽ mariti ipſius adulteræ. Tertiũ crimen eſt, ſi adulter cũ adultera de facto cõtraxit matrimoniũ per verba de pręſenti, viuẽte vxore ipſius adulteri, vel viuẽte marito ipſius adulterę: iſtę duę perſonę nunq̃ poſſunt habere verũ matrimoniũ etiã poſt mortẽ ſuorũ coniugũ. Hęc Argeñ. & copioſius hæc tractãtur à Iuriſconſult.

Crimina, quæ prohibent matrimonium contrahendum, ſed non dirimũt contractũ, ponunt Iuriſconſulti ſeptem, & ea refert Tho. Argentiñ. di. xxxvij. quarti. Primũ eſt inceſtus, & habetur xxxij. q. vij. cap. ſi quis viduã. c. Qui dormierit. Secundũ eſt raptus ſponſæ: puta, ſi aliquis rapit violenter mulierem alteri deſponſatam. & hoc habetur xxvij. q. ij. c. cap. ſtatuimus. Tertiũ eſt vxoricidium: puta, qui vxorem ſuã occidit ductus zelo vindictę, iracundia, vel inuidia. & de hoc habetur xxxiij. q. ca. admonere. Sed ſi quis occideret vxorẽ vt contraheret cum adultera, tunc dirimitur matrimoniũ, vt ſuprà dictum eſt. Quartũ eſt ſuſceptio propriæ ſobolis de fonte baptiſmi in fraudẽ matrimonij, ne poſtea teneretur reddere debitũ carnalis copulę propter cognationem ſpiritualem. Et iſtud habetur xxx. q. j. c. de eo. Quintũ eſt occiſio presbyteri. Vndę extra de pœn. & re. ca. qui presbyterũ. dicitur quod ille qui occidit presbyterũ, duodecim annis pęniteat, & cingulo militiæ careat, nec deinde contrahat. Sextum crimẽ eſt propter quod aliquis ſuſtinuit ſolemnem pœnitentiã: poſtquam enim alicui pro ſuo crimine iniuncta eſt ſolemnis pœnitẽtia, ille deinceps non debet cõtrahere matrimoniũ. xxiiij. q. ij. c. de his. Septimũ, ſi quis ſciẽter accipit monialẽ in vxorẽ, & de iſto habetur xxvij. q. j. c. hi qui. Hos caſus ponit Hoſti. in ſua ſum. & tractatur in iure de his. Metus quoq; cadens in conſtantẽ virũ, impedit matrimoniũ. de quo videto in dictione *Metus* latius infra. Et hæc de impedimẽtis matrimonij, de quibus & etiã de matrimonio permulta ſcribunt Doct. Pauca ex multis ſcribere volui: & ſi longior fui quàm propoſuerã, feci ex eo quod nihil ſuperfluũ credo ſcripſiſſe quodq; vtile eſſet hęc ſcire: & quod Dominus Prępoſ. Gab. Biel Spireñ. nihil de hoc ſacramẽto propter vitæ cũ morte citiori cõmutatione ſcripſit. Sed quęrito & ſcrutare latiùs apud Theol. & Iureconſ.

Mœchia nomine mœchiæ (vt habetur xxxij. qu. iiij. metrices. & refert Petrus de Palu. di. xxxv. q. j. ar. j. lib. iiij.) omnis illicitus concubitus atq; illorum membrorum non legitimus vſus intelligi debet: & quicunq; coitus fornicarius quãuis mœchia (vt ſcribit Gerſ. part. ij. in expoſitione ſexti præcepti) magis propriè adulterium dicatur. Mœchos enim Gręcè, adulterium dicitur Latinè. Et ad hanc reduci poteſt fornicatio ſpiritualis ſicut idolatria. de qua Ierem. 3. Mœchata eſt cum lapide & ligno. Poteſt etiam ad hanc reduci expoſitio praua ſacrę ſcripturæ. Vnde 2. Corinth. 2. Non ſumus ſicut plurimi adulterantes verbum Dei.

Medicina, remedium. Eſt autem duplex medicina, ſcilicet remouens morbum & promouens ad perfectam ſanitatem. Prima conuenit infirmis: ſecunda verò ſanis. ex B. Thom. iij. parte. q. lxxx. ar. iiij. Ars medicinæ duplex, ſcilicet ſpeculatiua & practica. Idẽ in quæſt. de veritate, q. ij. art. ix. Et vt notat Gabriel diſtin. xvj. quæſt. iij. artic. iij. dub. j. libr. iiij. triplex eſt medicina, ſcilicet curatiua, conſeruatiua, & præſeruatiua. Licet autem omni tempore medicinam accipere (vt ibidem dicit) ſecundum vnam opinionem: imò emens medicinas, vt Deo eò melius ſeruiat, mereri poteſt, vt ſcribit Gerſon parte ij. de intentione ac fine actionis, regula quinta. Et finis medicinæ eſt ſanitas. Res omnium quæ hic optantur deſideratiſſima (vt idem ait Gerſon ſermon. de omnibus Sanctis, quæ incipit: Exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis) quanquã (vt idẽ ait) innumerabiles ſunt morborũ ſpecies, quibus mederi ars humana nõ ſufficit ſatis, quæ ad hanc rem probationis affert ſenium ipſum quod vllà nequit arte reſtaurari. Quid autem in cœlis, vbi nec languor, nec ſenium, nec mors, non æſtus febrium, ſed perpetuo vigore iuuentutis

quatuor dotes corpus ipſum ornant, perficiūt, conſolidant, vt ſit præfulgidum, agile, peruium, pulchrum, impaſsibile. Exultate ergo quibus cura eſt ſanitatis, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis. Hæc Gerſon.

Mediator & medius, differunt ſecundum S. Bona. & poſt eum ſcribit Gabriel diſt. xix. q. vnica. artic. iij. dub. iiij. lib. iij. Medium dicitur habens aliquod commune cum vtroq; extremorum. Mediator ſuper hoc addit officium reconciliationis. Eſt ergo Chriſtus medium inter Deum & hominē per participationem vtriuſq; naturæ, diuinæ & humanæ, & ſimiliter proprietatum vtriuſque naturæ. Nam habet iuſtitiam, & innocentiam, & beatitudinem, cum diuina: mortalitatē & paſsibilitatem cum humana. Primo modo eſt medium ſecundum ambas naturas: ſecundo modo tantū ſecundū humanam. Eſt etiam mediator, quia exiſtens mediū officium reconciliationis exhibuit ſecundū naturam humanam tantùm, ſecundum quam ſacrificium dignum pro peccatis hominum obtulit. Ex quo habetur quod tantùm Chriſtus, non Pater aut Spiritus ſanctus mediator eſt dicendus, quia ſolus medius, vt patuit. Et de hoc Magiſter diſt. xix. lib. iij. qui plura de hoc narrat. Adſtipulatur Richar. lib. iij. diſt. xix. ar. ij. qu. iij. qui dicit loquendo de vtili reconciliatione inter Deum & genus humanum, ſolus Chriſtus fuit mediator, ſecundum quod expreſſe dicit Apoſtolus 1. Timoth. 2. Vnus eſt mediator Dei & hominum, homo Ieſus Chriſtus. Dicuntur & Sacerdotes mediatores inquantum miniſtri veri mediatoris, vice cuius ſalutaria ſacramenta hominibus miniſtrant.

Medium ſecundum Guil. Scoti imitatorem in j. diſ. xij. & fratrem Pelbertum, quandoque dicitur per abnegationem vtriuſque extremi, ſicut medium in moralibus, & illud dicitur mediocritas, quæ eſt inter exceſſum & defectum. Nam medium vnde deſcendit eſt quod participat de vtroq; extremorum: vt liberalitas eſt medium inter prodigalitatem & auaritiam. Iſto modo Chriſtus dicitur media perſona in diuinis, ſcilicet per abnegationem: quia nec eſt pater, nec ſpiritus ſanctus, & cum patre coouenit: quia ſicut pater producit ſpiritum ſanctum, ſic & filius. Et etiam cum ſpiritu ſancto, quia ſicut ſpiritus ſanctus producitur, ſic & filius producitur, quamuis alio modo. Secundo dicitur mediū quod extrema continet virtualiter tantūmodo. Iſto modo pater ſapit naturam medij, quia eſt principium productiuum filij & ſpiritus ſancti. Tertio modo dicitur mediū per participationē formalem vtriuſque extremi, ſic tepidum inter calidū & frigidum. Iſto modo eſt quædam quaſi proportio medij ad ſpiritum ſanctum, inquantum à patre & filio communiter ſpiratur. Hinc Bonauentura dicit, quod in ſpiritu ſancto vniuntur pater & filius, ſicut duæ candelæ in lumine ab eis procedente. Guilhel. hæc. Quarto modo dicitur mediū per quod vel quo aliquid producitur: ſicut prima cauſa agit mediāte ſecunda; vt cùm homo generat hominem, & ſol. 2. Phyſic. Sed cùm Deus creat animam de nihilo, facit hoc immediatè per ſeipſum: ſecus in generatione corporis. Pelbartus.

Medium eſt duplex, ſcilicet medium colligantiæ, & medium congruentiæ, vt ſcribit S. Bonauen. di. ij. libr. iij. Medium colligantiæ eſt per quod extrema ligantur ad inuicem, ſicut duo corpora ad inuicem iunguntur interueniente glutino. Medium congruentiæ dicitur ratione cuius congruum eſt aliqua duo extrema produci ad aliquam vnionē, ſicut mulier nobilis mediante nobilitate, congruentiam habet vt ſit ſponſa Regis, cū tamē Rex ſibi vnitur, magis vnitur ſicut cōiugi quàm ſicut nobili. Si intelligitur de medio colligantiæ pro eo quod verbū immediatè & inſeparabiliter vnitur tā carni quàm animæ, ideo nō cadit ibi anima medium quaſi glutinum vel vinculum inter corpus & Deum. Si autem intelligitur de medio congruentiæ, ſic abſque dubio concedendum eſt, quod caro vnitur Ipſi verbo mediāte ſpiritu creato. Non enim erat congruū quod Dei verbū, qui eſt vita, acciperet corpus niſi viuificatum: nec congruebat eum qui eſt ſpiritus immortalis, vniri corpori niſi viuificato ſpiritu immortali: vnde illud corpus eſſet idoneū ad incorruptionem. Et hoc eſt quod dicitur in textu Magiſtri quod incōmutabilis & inuiſibilis veritas per ſpiritū animam, & per animā corpus, totum hominē ſine ſui contagione ſuſceperat. Et accipitur ſpiritus pro ſuperiori portione animæ: ſicut dicit Magiſter, qui maiorē conuenientiā habet cum Deo: anima verò pro inferiore parte animæ, ſecundū quam viuificat corpus. Et per hæc duo nihil aliud datur intelligi, quàm illud corpus congruū eſſe ad vnionem, quod quidē habet per animā viuificari, & per ſpiritū ad perpetuitatē & incorruptionē ordinari. Hæc S. Bonauen. vbi ſupr. Et per mediū aſſumptionis (vt ſcribit Gabr. di. ij. q. vnica, ar. j. lib. iij.) nō intelligitur vnio ipſa, ſiue ſit relatio, ſiue qualitas abſoluta, qua formaliter extrema dicuntur vniri. Sed medium (quādo ſit mentio de incarnatione) intelligitur ipſius vnionis, id eſt de aliquo diſtincto ab vnione & extremis requiſito ad hoc quod ſit vnio. Vnde illud dicitur vniri immediatè, quod vniretur omni alio ab ipſa vnione & termino circunſcripto. Mediatè verò vniri dicitur quod ad ſui vnionē exigit aliquid aliud ab vnione & termino diſtinctum ad hoc vt vniatur.

Medium eſt duplex (vt ſcribit Gab. vbi ſupra.) ſcilicet intrinſecū & extrinſecū. Mediū intrinſecū eſt aliquid quod eſt pars naturę aſſumptæ: & ſic ponere mediū in incarnatione, nihil aliud eſt quàm ponere, quod vna pars naturæ aſſumptæ aſſumeretur mediante alia: puta, caro mediante anima. Medium extrinſecū eſt diſpoſitio aliqua requiſita ad vnionē, diſtincta à natura aſſumenda, & ab aſſumente, vt in propoſito eſſet donū aliquod vel habitus præparans naturā vt aſſumi poſsit. Et vtrunq; medium diſtinguitur, quia eſt mediū neceſsitatis, ſine quo omnino vnio fieri nō poſſet. Et eſt mediū congruitatis, ſine quo ſimpliciter fieri poſſet vnio, attamen decet vt ſine eo nō fiat: ſic dicitur, quod gratia eſt mediū cōgruitatis, acceptationis ad vitā non neceſsitatis. Mediū quoddam aliud eſt quod, aliud eſt quo. Medium quod eſt illud cui priùs vnitur, & per illud alteri. Sicut anima eſt medium acceptationis corporis ad vitā, non enim acceptaretur corpus ad vitam eter-

æternam, niſi anima eſſet accepta. Medium quæ eſt diſpoſitio aliqua præparans ad aliquid, etiamſi ſibi illud non conueniat. Sic lumen gloriæ eſt medium videndi Deum & eo fruendi, licet lumen Deum non videat aut eo fruatur. Gabr. Et in vnione hypoſtatica animæ & corporis cõuenienter ponitur medium congruitatis. In vnione animæ medium extrinſecum, ſcilicet gratia. In vnione totius naturæ & corporis medium intrinſecũ, ſcilicet anima, quia congruum eſt vt corpus nõ aſſumatur ſine anima, nec anima ſine corpore gratificante gratia, & ratio congruitatis maximè ſumi poteſt à fine: nam aſſumptio illa facta eſt propter reparationem humani generis. Non poteſt autem corpus reparari ad beatitudinem anima non reparata, ſicut non poteſt corpus beatificari anima non beatificata, cùm ex beatitudine animæ fluit beatitudo corporis, ſed nec anima beatificari poteſt ſine gratia, per quam acceptatur ad gloriam. Latiùs Gabriël.

Medium cognitionis eſt quadruplex (vt ſcribit Gerſon. tract. v. ſuper Magnifi. Vnum eleuans, alterum contemperans, alterum adducens, aliud coniungẽs. Exemplum in oſtenſione coloris. Primò requiritur lumen medium eleuans potentiam viſiuã & ponens colores in eſſe ſpirituali & viſibili, & diaphono ſeu perſpicuo. Hoc autem medium non impedit, quin cognitio colorum dicitur immediata. Eſt ſecundum medium contemperans obiectũ viſibile oculo corporali, vt ſeruetur armonia conueniens oculo, vt non ab exceſſu viſibilis deſtruatur. Ne præterea peruium & perſpicuum nimia radiatione proportionem excedat ad oculum, ſed nec tale medium prohibet cognitionem immediatam dici & intuitiuam, quid eſt medium tale niſi proportio complectionis organi videntis. Eſt medium tertium deducens obiectum ad oculum, quia ſenſibile poſitum ſupra ſenſum non facit ſenſationem ſecundum Ariſto. & experientiam propriam neceſſe eſt ſpecies eſſe medias, quæ deducunt per medium conueniens in contemperatam rem ſenſibilem ad proprium ſenſum ſuum. Diſcurre per omnes & ſingulos ſenſus & videbis. Et quartum medium coniungens obiectum cum potentia. Vocatur autem huius medium actus quo res intuitiuè videtur, fortè etiam habitus infuſus vel adquiſitus poteſt dici tale medium, niſi melius referatur ad medium eleuans, &c. Vide latius Gerſon.

Medium quoddam eſt in contractibus, vt eſt precium, & eſt tanquam medium adæquatiuum. Et cum difficile ſit (vt inquit Gerſon. parte ij. de contractibus, parte j. conſid. xix.) tale medium ſemper inuenire propter affectiones varias & corruptas hominum, prorſus expediens eſt, vt illud mediũ capiatur prout ſapiẽs iudicabit, ſicut loquitur Ariſt. de medio virtutis. Nullus autem debet cenſeri ſapientior quàm legiſlator, propterea ſpectat ad eum præcipuè, quantum poſſibile eſt iuſtum precium ſtatuere, quale non licet tranſgredi priuata voluntate quæ debet coërceri vel ligari, prout reipub. depoſcit vtilitas.

Medium virtutis inquirendum eſt (vt Philoſophus ait) vt ſapiẽs iudicabit, & poſt eum ſcribit Gerſon. de contractibus parte iij. attentione x. Et de illo medio dicitur illud Terentij. *Ne quid nimis.* Quod Horat. plus expreſſit, dicens:

Et modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos vltra citraque nequit conſiſtere rectum.

Et Cice. 2. in offi. Modus eſt optimus decus obſeruare. Vnde Philoſophus deſcribẽs virtutem eſſe in medio, nõ quidẽ indiuiſibili, ſed in certa latitudine, prout eſt ſignũ ad ſagittã. At verò qualiter accipiẽdum ſit medium huius, ſi quiſque vlterius pergat inquirere, reſpondeat pro me (inquit Gerſon. parte. ij. tract. de non eſu carnium) idem Philoſophus quod medium illud eſt quo ad nos, & vt ſapiens iudicabit, neque enim poteſt aliter ſub generali regula vel arte notificari tale medium. Idcirco virtus quam multa gignit experientia certius quam ars ſola tale medium coniecturat. Et quia attendit particulares circunſtantias omnes clarius & ſolidius operatur, quanquam ars & doctrina multum afferant cõmoditatem virtutis exercitiũ quærẽtibus. Gerſ.

Mediocritas eſt medium inter exceſſum & defectum. Et mediocritas eſt tutiſſima (vt inquit Gerſon parte ij.) vbi ponit cauſas dimittendi cancellariam. Hinc illud Ouid. 2. Metam. *Medio tutiſſimus ibis.* quamuis hoc de phaëtonte currum ſolis ducere volenti & conanti dicitur ab Apolline. Sic liberalitas medium eſt inter prodigalitatem & illiberalitatem, ita de aliis virtutibus, quæ in mediocritate conſiſtunt, dicendum eſt.

Meditatio (vt ſcribit Gerſ. parte. iij. ſer. de natiuita. Virginis Mariæ) eſt vehemens animi applicatio ad diuinum aliquod inueſtigandum, cognoſcendum fructuoſe & deguſtandum. Quæ meditatio rectè per Ioſeph exprimitur, quia Ioſeph creſcens interpretatur. Neq; enim poteſt aliter anima melius excreſcere ſpiritualibus augmentis quàm per meditationem fortem & ſalubrem, per quam aſcendit anima de virtute in virtutem, reiecta vel ſuperata fluxibilitate inanium cogitationum, & volutabro deſideriorum carnalium euacuato. Hæc inſuper meditatio, quia robuſta eſt, neq; fluida vel eneruis, ſicut eſt ipſa cogitatio, rectiſſimè vir dicitur, &c. Vir inquã Mariæ, per quẽ omnis mẽs illuminata vel illuminatrix diuinitus intelligitur. Hæc Gerſ. Et in eadẽ parte iiij. de myſtica theologia ſpeculatiua cõſide. xj. tres ſunt termini generales, quibus maximè vſos fuiſſe video eos qui de contẽplatione per modum artis locuti ſunt, cogitatio, meditatio, contẽplatio, & hi termini quanquam aliquando permiſcuè ſumãtur ab aliquibus, ſicut eandẽ rẽ per ipſos ſignificare cõtingit, nihilominus diſtinctas habet ſignificationis rationes, quas per facile & difficile, per vtile vel inutile ſentiũt aliqui. Vnde cogitationẽ ſic eſſe deſcriptã reperio à venerabili Richar. in ſuo de contemplatione. Cogitatio eſt improuidus animæ obtutus circa ſenſibilia ad euagationẽ pronus. Meditatio eſt prouidus animæ obtutus in veritatis cognitione ſeu inquiſitione vehemẽter occupatus. Contẽplatio eſt perſpicax & liber, idẽ expeditus animi cõtuitus in res ſpiritales perſpiciendas vſquequaq; diffuſus, & in diuina ſpecula ſuſpẽſus. Cogitatio igitur vagatur, & ſerpit ſine laborẽ & fructu. Meditatio nititur & intendit cum laborẽ & fructu. Contemplatio circumuolat, & circũfer-

ritorum, & eſt memoria non futurorum nec præſentium, ſed præteritorum, vnde ſenſus eſt præſentium, ſpes futurorum, memoria præteritorum. Ariſt. in de memo. & remiſ. Et vt ſcribit Gerſ. parte. iij. in centilogio, de conceptionibus, conceptiones vltimæ & poſterioris cellulæ cerebri quæ memoratiua dicitur, ſumuntur cum circunſtantia præteriti. Et illic ſpecies quaſi ſopitę dicuntur, niſi fuerint excitatæ per vias ingeniatas à natura, vnde phantaſmata fluunt & refluunt dę cellulis anterioribus, & mediis in poſtremam, & econtra. Gerſ.

Memoriale à memoria deriuatum, de quo memoramus vel memoriam habemus, vel quod facit nos recordari de aliquo, vnde memoriale paſſionis Chriſti. Habemus autē triplex memoriale paſſionis, ſcilicet in ſcripto, verbo & ſacramento. In ſcripto, vt quando paſſio deſcribitur vel narratur per ſcripturam, vel quando imaginibus exprimitur, & hæc eſt memoriale quaſi mortuum, & habet fieri ad viſum qui apprehendit magis de longinquo. In verbo, vtpote quando aliquis verbotenus narrat paſſionem Chriſti, & illud partim eſt viuum & partim mortuum. Viuum eſt in corde bonorum prædicatorum, ſed mortuum in corde tepidorum & malorum, vel viuum in corde & cogitatione, non viuum in voce, & hoc eſt audiendum. Auditus autem non ita apprehendit de longinquo. In ſacramēto vero eſt memoriale, cum ipſum corpus Chriſti ſignificatur & continetur in ſpecie panis, & ſanguis in ſpecie vini, & hoc eſt memoriale viuum, quia ipſe Chriſtus ſeipſum ibi præbet, offerens nobis corpus, quod pro nobis fuit occiſum: & ſanguinem, qui pro nobis fuit effuſus, & hoc eſt ad guſtum, qui de proximo apprehendit, vt iam non quaſi ſpeculatione, ſed quadam experientia paſſionis eius memores ſimus. Si ergo attendit affectum noſtrum paſſio deſcripta, & amplius & feruenter prædicata, multò magis inflammare & afficere debet in hoc ſacramēto expreſſa. Et hoc abſque dubio facit, ſi quis ſenſum habet & illum conuertit ad hoc ſacramentum. Ille ergo eſt, qui ex hoc ſacramento efficaciam reportat, qui ſe conuertit. Ille verò audit miſſam, non qui tantum verba dicit, vel audit ſine deuotione, ſed ad hoc memoriale totam mentis intentionem conuertit. Hæc ſanctus Bonauen. di. xij. parte. ij. qu. j. in ſolutione argu. in fio. libr. iiij.

Mendacium eſt falſa vocis ſignificatio cum intentione fallendi, ſecundum Aug. lib. de mendacio. Et mendacium dicit vtramque falſitatem, ſcilicet inadæquationem ſermonis ad rem, & ad proferentis intentionem. Mentiri autem vnam tantum importat falſitatem, ſcilicet inadæquationem ſermonis ad intentionem mentis, ſiue credulitatem mentis. Ex quo ſequitur quod ſtat aliquem verum dicendo mentiri, & dicendo falſum non mentiri, vt ſi dicat verum quod credit falſum, & aſſerendo falſum quod credit eſſe verum. Nam loquitur contra mentem, & ita mētitur, quia mentiri eſt contra mentem ire, ſiue verum ſiue falſum aſſerat. Et omnis mentiens dicit mendacium, & mentiri eſt concretum, & mendacium abſtractum. Ratio, dicens verum contra opinionem eius mentitur, ſed quod dicit non eſt mendacium, ex B. Thom. iij. ſententiarū. di. xxxviij. q. j. Et mentior à mente deriuatur, quod eſt contra id quod eſt in mente loquor, differtque à mendacium dico. Nam qui mentitur, non ipſe fallitur, ſed alterum fallere cōnatur. Qui verò mendacium dicit, ipſe fallitur, quum credat ſe verum dicere. Vnde vir bonus pręſtare debet ne mentiatur, prudens ne mendacium dicat: illud à mente deducitur, hoc à menda, quod errorem ſignificat. Vnde Stephanus Bruleſer. q. ij. li. j. diſt. j. ait: Mentiri eſt proferre aliquid quod dictum ſiue verum, ſiue falſum contra animū & contra opinionem ſuam. Eſt enim contra mentem ire. Vnde ſi Iudæus incredulo corde in fauorem Chriſtianorum diceret: Chriſtus veſter Deus eſt, mentiretur, qui tamen verum diceret. Et mendacium ſecundum Aug. (vt ſupra dictum eſt) eſt falſa ſignificatio vocis cum intentione fallendi, vbi vocis ponitur pro quolibet ſigno ſignificatiuo, ſiue ſit vox ſiue ſcriptum, vel aliqua res ad ſignificandū aſſumpta, ſicut ſunt nutus & manualia indicia monachorum & geſtus corporum. Nam ſecundum S. Thom. di. xxxviij. li. iij. qu. j. & B. Anbro. non ſolum in verbis falſis, ſed etiam in ſimulatis operibus eſt mendacium. Et ideo mendacium eſt, ſi quis geſtu corporis falſum aliquod deſignat cum intentione fallendi, id eſt cum intentione falſum dicendi. Non autem in omni mendacio concurrit intentio fallendi, id eſt decipiendi auditorem. Nam in iocoſo non ſemper fallitur audiens, quia vt dicit Magiſter. Mendacium quod ioco fit, non fallit: ſcit enim cui dicitur cauſa ioci dici. ſicut fabulæ, de quibus ſciunt audientes quod non eſt verū quod dicitur: nec narratur tanquam verum, nec audiens decipitur, nec loquens intendit decipere, nec ſermo finis eſt de ſe deceptiuus, quia non eſt talis quod natum ſit ſibi credi ab auditoribus, ſed magis quod ſciatur eſſe dictum ſine omni opinione facienda alicui de veritate, vt dicit Scotus di. xxxviij. lib. iij. Et Aug. ſuper illud Pſal. 5. Perdes omnes qui lo. men. ponit duo genera mendaciorum, in quibus non magna culpa eſt, ſed tamen non ſunt ſine culpa, aut cūm iocamur, aut vt proximis proſumus, mētimur. Illud primum in iocando, ideo nō eſt pernicioſiſſimum, quia non fallit, nouit enim ille cui dicitur ioci cauſa eſſe dictum. Secundum autem ideo mitius eſt, quia retinet nonnullam beneuolētiam. Illud verò quod non habet duplex cor, nec mendacium quidem dicendum eſt: vt ſi quis non reddat gladium furenti repetenti. manifeſtum eſt enim tunc non eſſe reddendum, ne vel ſe vel alios occidat donec ei ſanitas reſtituatur, &c. Deſcribitur & mendaciū ſic: Mēdacium eſt falſa ſignificatio, id eſt ſignū falſe repręſentās cū intētione fallēdi, id eſt cū intētione falſum ſignū exhibēdi. Mētiri eſt loqui cōtra illud quod animo ſentitur, hoc eſt, mētiri eſt exhibere ſignū ad ſignificandū aliquod cōtra id quod mente creditur, vt qui dicit falſum credens ipſum eſſe verum, aut dicens verum credens ipſum eſſe falſum. De quo latiùs vide Gabriel. diſtin. xxxviij. quæſt. vnica, artic. j. libr. iij. Et omnis qui dicit mendacium, mentitur, ſed non viceuerſa, vide ibidem. Item aſſerens falſum, credens ipſum eſſe verum, non mentitur, quia non loquitur contra id quod non ſentit, id eſt

id eſt, credit. Et licet multa diſtinguantur mendaciorum genera, ſcilicet octo quæ plenè habentur xxij.q.ij.primum. Breuior tamen & planior eſt diſtinctio quod mendaciorum aliud eſt perniciosum, aliud iocoſum, & aliud officioſum, quæ diſtinctio patet.xxij.q.Ne quis.Et de hoc videatur Gerſon.parte.ij. in expoſitione octaui præcepti, & in tripertito de præceptis decalogi.ca.xij.

Mendacium pernicioſum, eſt mendacium quod nocet ex ſe cui dicitur, aut illi de quo dicitur, ſiue noceat quo ad animam & mores, ſiue quo ad corpus, ſiue quo ad res exteriores coniunctas vel poſſeſſas (vt ſcribit Gabriël diſtinct.xxxviij. qu.vnica, ar.j. lib.iij.) Et illud ſemper eſt mortale, vt inquit Gerſon in expoſitione octaui præcepti. Vnde ſi (vt inquit Scotus.di.xxxviij.libr.iij.) nocumentum eſt quantum ad religionem Chriſtianam, puta, circa fidem vel mores, tunc eſt peccatum mortale, & vtiliter omne tale mendacium ex deliberatione dictum eſt mortale. Vide latiùs ibi Scotum. Et mendacium pernicioſum (vt ait Paulus Corteſius li.iij. ſententiarum diſtinct.viij.) eſt pyxis & quædam veneni latebra qua alteri nocetur.

Mendacium officioſum, quod alicui prodeſt, & nulli nocet, vt ſi quis neget ſcire aliquem inimico eum occidere volenti. Gabriël vbi ſupra. Vel vt Corteſius ait vbi ſupra, eſt quo homines iuuantur, aut nocitura tolluntur, quæ quidem genera leuius aut grauius trutina culpæ contractæ ponderantur.

Mendacium iocoſum (vt idẽ ſcribit Gabr.) eſt quod fit ad recreationem ſine deceptione eius cui profertur, vel cum deceptione ſine nocumento notabili, in quo iocantur illi qui ſciunt alterum decipi, & finaliter poteſt & ipſe iocari, vt cum fabulæ dicuntur. Et ſicut ſecundum Aug. fuit mẽdacium Ioſeph qui veraciter potuit decipere verbis iſtis, exploratores eſtis, &c. & tamen ipſe qui ſciuit veritatem iocari potuit de eorum deceptione & timore. Illud mendacium Corteſius vocat facetum, quo hominũ mentes ad ſuauitatem exhilarantur. De quo videatur & Scotus di.xxxviij.li.iij. Et ſecundum doct. Bonauen. Thom. Rich. & omnes, non omne mendacium eſt peccatum mortale, imò de ratione ſui generis indifferens eſt peccatum & ad mortale, & ad veniale. Et ratio huius eſt, quia lingua poſita eſt in lubrico, & facilius eſt loqui quàm facere, & ideo non ſemper ponderari poteſt actus linguę faciliter, propter quod dicitur Iaco.3. Qui non offendit in verbo, hic perfectus eſt vir. Propter quod etiã peccatum mendacij non eſt generaliter mortale, ſed fit mortale ratione materię circa quam, & ratione cõtemptus, & ratione nocumẽti, & ratione libidinis, quæ faciunt mendacium eſſe pernicioſum & mortale. Vnde mendacium officioſum & iocoſum vel facetum ſecundum Gabr.diſt. xxxviij.quæſt.vnica, articul.ij. concluſio.iiij. neque in perfectis, neque in imperfectis ex natura actus eſt mortale, ſed tantum veniale peccatum, quia neutrum eſt ex ſe contra charitatem, neque Dei, neque proximi, quia tunc non eſſet officioſum neque iocoſum, ſed pernicioſum, noceret enim dicenti, ſi eſſet contra charitatem Dei, noceret etiam proximo, ſi eſſet contra charitatem proximi, & ita eſſet pernicioſum.

Quod etiam non ſit perfectis mortale, probat multis Gabr. Et dicitur non ſine cauſa ex natura actus, non eſt mortale mendacium, iocoſum, & officioſum, quia tale poteſt perfectis eſſe mortale per accidens, ſicut quodlibet veniale poteſt fieri mortale, vt ſi fieret ex contemptu vel ex tanta libidine quod paratus eſſet ipſum committere etiamſi eſſet contra præceptum, aut contra conſcientiam etiam erroneam, aut ſi fieret in doctrina pietatis, vbi non eſt mentiendum.xxij.q.ij.primũ. aut ſi ſcandalizaret proximum: aut damnũ ſeu nocumentum inferret, in quo caſu non manet officioſum ſeu iocoſum, ſed erit pernicioſum. Vniuerſaliter enim ſecundum legem euangelicam ſcandala puſillorum ſunt vitanda: ſecundũ illud Mat.18. Væ homini illi per quem ſcandalum venit. Vide plura apud Scotum, & poſt eum Gabri. vbi ſupra. Vel quando quis (vt dicit S. Bonauen. diſ. xxxviij.q.vj.li.iij.) ex certa ſcientia vel malitia impugnat veritatem ſiue pietatem, vt fidem chriſtianam & bonos mores ſubuertat. Hoc inquam modo mentiendi non contingit reperiri grauius mendacium. Plura ibi Bona. de mendacio ſcribit. Mendacium autem officioſum aut iocoſum eſt veniale ex eo (vt ſcribit Gabr. vbi ſupra.) & ſecũdum B.Aug. quia omnis abuſus rei eſt peccatũ, qui autẽ vtitur aliquo contra finẽ proprium, abutitur. Et hoc contingit in omni mẽdacio, & in omni qui mentitur. Sed locutio data eſt homini ad exprimendum conceptionẽ cordis, quãdo autem quiſquã loquitur quod in corde nõ habet, abutitur ſermone, & loquitur quod non debet: ergo peccat. Hinc ait ſanctus Bona.diſt. xxxviij.q.ij.li.iij. quod abſque dubio omne mendacium eſt peccatum. & adeo eſt ipſi mẽdacio eſſentiale eſſe peccatũ, vt nullo peccato, nullo fine, nulla diſpenſatione, nec humana nec diuina poſſit fieri bene. Et hoc Aug. dicit expreſſe, & nititur magiſter probare, & in hoc cõmuniter concordant doctores, ſed rationẽ huius difficile eſt aſſignare. Ideo vt paulò pòſt dicit. Mendaciũ nullo modo poteſt bene fieri, neq; aliquo fine, nec aliquo præcepto diſpenſatiuo, quia ſemper manet in eo deordinatio, quę quidẽ eſt ex diſcordia vocis & intellectus. Vide latius Bonauẽ. & Gabr. qui & vult quod quando veritas & vtilitas doctrinę & iudicij aufertur, tunc mendacium iocoſum & officioſum poteſt fieri pernicioſum.

Mendacium, mentiri & decipere: hęc vocabula accipi poſſunt dupliciter, vt ſcriptis mandarunt Grego. Arimi. in primo: di.xlij. Et Cardi. Camera.q.xij.ar.iij. & Gabriël diſt.xxxviij.q. vnica.ar.j.li.iij. &c. Vno modo vt includát deordinationẽ, id eſt vt non ſolum important actum mentiendi, hoc eſt actum proferendi falſum cum intentione decipiendi, vel proferendi aliquid contra mentẽ, ſed cum hoc connotát inordinationem, id eſt quod talis actus proferatur cum circunſtantia mala, ſcilicet iniuſtè, indebitè contra legem. ſecundum quam acceptionem mox nominata conuoluta ſunt malitia, ſicut Philoſophus dicit de adulterio, furto &c. Et ita cõmuniter accipiũtur hęc nomina & verba à ſanctis & doctoribus, ſecundum quem modum impoſſibile eſt Deum mentiri, vt dicit Apoſtolus ad Hebr.6. aut etiam mendacium pręcipere, vel decipere, eò quod impoſſibile eſt Deum aliquid facere inordinatè vel

male,

malè, quia eò quod aliquid vult aut facit, ordinatè & bene facit. Alio modo accipiuntur, vt non cõnotant huiuſmodi inordinationem ſeu circunſtãtiam ex ſe malam, ſed dicunt actum illum contra mentem prolatum, ſiue inordinatè fiat ſiue non inordinatè, ſecundum primam acceptionem in diffinitione mendacij, & mentiri oportet addere inordinatè, vel ſaltem intelligere, eò quod dicitur cum intione fallendi ſeu contra mentem. Sed ſecundo modo accipiendo addi non debet, nec intelligi verbis prædictis, per hanc diſtinctionem multa contraria ſoluuntur. Et licet ſecundum ſanctum Bonauen. & Scorum, & Doctores communiter ſequentes beatum Aug. in li. de mendacio, dicunt omne mendacium eſſe peccatum, vt & habet Magiſter in textu, di. xxxviij. libr. iij. in aſſigoando tamen rationem ſunt diuerſi. Quidam eò quòd ſit eontra veritatem ſummam, S. Thom. ij. ij. q. cx. ideo mendacium dicit peccatum, quia eſt malum ex genere, ſiue ex obiecto, quia tráſit ſuper materiam diſconuenientem actui. Contra eum & ſequaces arguit Scotus. Alij vt S. Bonauen. di. xxxviij. lib. iij. alias nituntur aſſignare cauſas, quæ ſimiliter poſſunt impugnari, eò quòd mentiri includit intentionem malam quæ benefieri non poteſt, ſed fallit hoc in mendacio iocoſo. Impugnat hoc Gabriël vbi ſupra, qui & dicit accipiendo mendacium, primo modo nullum mendacium fieri poteſt, ſine peccato in ſenſu compoſi o, ſecus in ſenſu diuiſo, hoc eſt: quod nõ poteſt actus aliquis ſimul eſſe mendacium & nõ eſſe peccatum, ſed eo ipſo quod eſt mendacium, eſt peccatum. Poteſt tamen actus idem qui nunc eſt mendaciũ eſſe, & non eſſe peccatum, ſed tunc cum non eſt peccatum, non eſt, neque dicitur mendacium. Hoc probè declarat Gabriël, & patet ex dictis. De potentia quoq; Dei abſoluta cuiuſlibet generis mendacium acceptum ſecundo modo, fieri poteſt ſine peccato. Probatur de pernicioſo quod nocet proximo, quia ſecundum B. Augu. aliqui merentur decipi, ac deceptione puniri. Nam & Apoſtolus ad Rom. 1. de gẽtilibus Deum cognoſcentibus, & non vt Deum honorantibus, ait. Propter quod & tradidit illos in reprobum ſenſum, ergo iuſtùm eſt tales decipi, vltra ergo iuſtum eſt eos decipere. Poteſt ergo aliquis eos iuſtè decipere. Item poteſt Deus præcipere, vt per mendacium alium decipiat, ſic decipiens non peccat. Item deceptio quandoque eſt pœna iuſta, ergo aliquis poteſt iuſte infligere, maximè ſi hoc à Deo pręcipiatur, & tunc non peccaret, ſed cæteris paribus mereretur. Item Deus decepit per malos homines & angelos, vt dicit Aug. in li. lxxxiij. quæſtionum. qu. liij. ergo hoc idem poteſt per bonos. Item poteſt tollere præceptum de mendacin, & tunc mentiens non peccat, ſiquidem nemo peccat qui non agit contra legem. Hæc Gabr. vbi ſupra poſt Aliacen. & Greg. de Arim. Sed ſtante lege omne mendacium pernicioſum ex deliberatione dictum, eſt mortale peccatum, quia ſimpliciter prohibetur illo præcepto. Non dicas cõtra proximum falſum teſtimoninm, non curando an in iudicio vel extra iudicium id fiat. Hinc eſt quod dicitur Sap. 1. Os quod mẽtitur, occidit animam. Et in Pſal. Perdes omnes qui loquuntur mendacium, & ſimilia multa, quæ omnia intelliguntur de mendacio pernicinſo. Videatur ad hoc Gabriël concluſione iij. vbi ſupra. Nec illud prætereũdum eſſe cenſui, quod & ſcribit idem Gabriel artic. iij. dub. j. vbi ſupra. Et concordat ſanctus Bonauen. di. xxxviij. q. ij. li. iij. quod in ſacra ſcriptura nullum mendacium continetur, ſed quęcunque in ſacra ſcriptura aſſertiuè ponuntur in ſenſu literali quem prætendit ſpirituſſanctus, veriſſima ſunt & nulla falſitate permixta. Sed nonnulla mendaciter ab improbis dicta recitantur in ſcriptura, ſicut blaſphemię Iudæorum, quæ nullatenus aſſeruntur, quia talia vt recitantur ab aliis dicta accipiuntur materialiter, & vt ſic nec ſunt vera nec falſa. Dicuntur etiã non nulla figuratiuè aut parabolicè, in quibus ſententia literalis non eſt illa quam voces vel ſcripta ſecundum primam Grammaticalem impoſitionem ſignificant, ſed quam res importatæ per dictiones indicat, & quem ſpirituſſanctus auctor ſcripturæ, tali modo loquendi dedit. Et in talibus figuratiuis locutionibus non contingit mendacium ſecundum primas verborum ſignificationes. Vnde non eſt mendacium, dum figuratiuè dicitur. Pratum ridet, quia nõ eſt ſenſus quod pratum actum ridendi producat, ſed quod floreat. Sic non eſt ſenſus literalis, quod ligna ſiluæ ierunt ad ramnum. Iudicum. 9. ſed quod homines Iſraëlitæ, ſcilicet per ligna ſignificati iuerunt, vt patet ex doctorum expoſitionibus. Sic ad alia multa dici poteſt, quæ adduci poſſunt. Itẽ excuſatur mendacium à peccato, vbi concurrit conſilium ſpirituſſancti. Sicut de Iacob dicit Aug. & habet magiſter in calce diſt. xxxviij. Et ſi diligenter attenditur, non eſt mendacium, ſed myſterium. Intendebat enim matri obedire, quæ per ſpiritumſanctum nouerat myſterium. Et ideo propter familiare conſilium ſpirituſſancti quod mater acceperat à mendacio excuſatur Iacob. Vide latiùs Gabrielem vbi ſupra. Nec patres & homines laudati ve. teſt. ſemper excuſantur ab omni mendacio, ſaltem officioſo & iocoſo, quoniam nõ fuerunt perfectiores Apoſtolis, qui tamen non negantur venialiter peccaſſe, etiam poſt ſpirituſſancti perceptionem, vt Ioannes in ſua canonica teſtatur. Et latiùs de hoc vide vbi ſupra Gabriëlem. Vnde ſi laudamus bona facta eorum, & illa accipimus in exemplum, mala tamen in exemplum non recipimus, nec pertinaciter defendimus vel excuſamus. Nec Abraham mentiebatur. Non enim dixit contra id quod in mente habuit, cùm dixit ſeruis ſuis ſe reuerſurum cum Iſaac Geñ. 22.

Nec facilè fuit mendacium Abrahæ imponendum (cuius vita & obedientia fuit omnibus exemplaris) vt dicit Scotus & poſt eum Gabriël. Et vt dicit S. Bonauen. di. xxxviij. qu. ij. libr. iij. Et ſi Abraham vellet filium ſuum immolare, credebat tamen ex magnitudine fidei ſuæ (ſicut dicit Apoſtolus, quod Dominus eum ſuſcitaret) ſciebat enim quod firma erat promiſſio qua dictum ei fuerat. In Iſaac vocabitur tibi ſemen. Hæc ille. Et ſic mentitus non fuit Abraham. Vel (vt inquit Gabr. lect. lxix. canonis. In præcepto dato Abrahæ eſt attendere verba præcipientis, & intentionem præcipientis, præceptum illud ſecundum mentem præcipientis prætendebat obedientiam Abrahæ fieri notam cæteris in exemplum, & non immolationem filij, quàm præcepti verba ſignificabant. Quemadmodum & prælatus

religioſus quandoque præcipit fratri ſuo aliquod arduum, quod tamen per ipſum non vult adimpleri, vt experiatur obedientiam fratris. Hæc Gabriël vbi ſupra, qui & longior eſt. Nec Iſaac mentitus eſt, dicens Geneſi. 24. Rebeccam ſororem, quia verè eius cognata filia Batuelis filij Nachor fratris Abrahæ. More autem illius gentis omnes cognatæ ſorores dicebantur, ſicut cognati fratres.
Similiter dicẽdum de Abraham, qui vxorem ſuam dixit eſſe ſuam ſororem. Geneſ. 20. & 12. quæ fuit filia Aram fratris Abrahæ, vt habetur Gen. 11. De Iacob verò dicente ſe primogenitum, &c.
Si placet excuſare à peccato, poteſt dici quod verba Iacob ſecundum certum intellectum vera fuerunt. Erat enim Iacob Eſau, non in perſona, ſed officio & dignitate quantum ad ius primogenituræ, & ſic verum dixit propter quod non decepit patrem, & benedictio debebatur Iacob electione diuina, quæ elegit eum in vtero materno, licet pater non intellexit, tali modo loquendi vſus eſt ſaluator Matth. 11. dicens de Ioanne: ipſe eſt Elias. Accedit & illud de Ioſeph, qui erat perfectus ſeruator diuinæ legis, cuius mendacium ad fratres ſecundum Scotum, & beatum Auguſt. 5. ſuper Geneſ. fuit iocoſum, quando dixit eos eſſe exploratores, quod apparet ex euentu, quoniam in fine veritatem eis aperuit, qui ſic meruerunt puniri propter venditionem. Vel ſecundum Bonauentu. dicitur quod dixit fratres exploratores, tentando dixit, aut interrogando non aſſerendo. Vnde potius intelligenda ſunt interrogatiuè quàm affirmatiuè. Quando autem dixit ſe peritum in augurandi ſcientia: largè accipitur verbum augurandi pro futurorum prouiſione. Bonauentu. De obſtetricibus, vt habetur Exod. 1. ſecundum Alexand. in facto earum duo conſiderantur, pietas compaſſionis & mendacium. Compaſſio opus bonum fuit moraliter, & ſi proceſſit ex charitate, fuit etiam meritorium, pro quo remuneratæ ſunt temporaliter, non tamen propter hoc priuatæ præmio æterno, ſaltem ſi affuit charitas. Mendaciũ verò fuit officioſum, quia profuit & vtile fuit ad ſalutem paruulorum, & nulli nociuum, & ideo veniale, & idcirco non impediuit meritum pietatis, licet illi mendacio præmium non debebatur.
Propter hoc dicit Scotus, Deum remuneraſſe eas pro bono motu, & tamen non abnegaſſe eis vitam æternam pro illo peccato, quod erat eis veniale. Scotus diſtinct. xxxviij. libr. iij. & Gabr. videatur & ſanctus Bonauentu. circa textum. Item de Raab, dicitur ſimiliter quod propter pietatem in nuncios commendatur, non propter mendacium officioſum, quo ſaluauit viros ad ſe declinantes, Ioſue 2. Item de Iudith varios recitat dicendi modos Scotus. Similiter & Nicolaus Liranus ſuper c. 9. & 10. Iudith, poteſt tamen dici breuiter, quod affectio Iudith ad liberationem populi per interfectionem publici hoſtis, qui laborabat cultum Dei deſtruere funditus, & expugnare populum fuit bona & commendabilis. Item ornatus eius ad capiendum Holofernem laqueis oculorum ſuorum excuſatur, quia non dependebat ex libidine ſed ex virtute, vt tanquam per aptum medium ad eum interimendum venire poſſet. Non tamen ſequitur quod nitebatur inducere Holofernem ad concupiſcendum ſe coitu adulterino vel fornicario, ſed magis coniugali, in qua concupiſcentia non peccaſſet mortaliter & excitatio coniugalis concupiſcentiæ ſuffecit tanquam medium ad finem à Iudith intentum. Nec tamen à mendacio Iudith excuſatur ſimpliciter in multis dictis ſuis, ſed tamen omnia fuerunt officioſa & ad liberationem populi Iſraëlitici ordinata, & ita non fuerunt mortalia. Et licet fuerunt nociua Holoferni, quia ad eius interitum tendentia, non tamen propter hoc fuerunt mortalia peccata, quia fuit dignus morte, & iure belli à quocunque aduerſariorum potuit ipſe ſine peccato occidi.
Commendatur ergo (vt inquit Gabriël. vbi ſupra) Iudith quantum ad affectionem liberationis populi, & omnia licita quæ ad illam fuerunt ordinata. A mendaciis tamen non commendatur, ſed tamen à mortali crimine excuſatur. Quamuis Scotus dicat non omnino certum eſſe quod excuſata ſit ab omni peccato mortali. Nam velle alium peccare eſt peccatum mortale, vt ipſa videtur cùm ornauit ſe, vt caperetur in appetitu ſuo ab Holoferne. Item de fictione & ſimulatione dicit ſanctus Bonauentura, quod ſimulatio eſt quædam deceptionis, quædam doctrinæ, & quædam cautelæ. Prima fuit Ioſue, quando ſimulauit ſe fugere habitatores Hai, vt eos longius ab oppido protraheret & ita proſterneret, vt habetur Ioſue 8. Et Dauid ante Regem Achis ſtultum ſe ſimulauit. 1. Regum 21. Et Iehu cùm finxit ſe cultorem Baal. Secunda fuit Domini qua docuit diſcipulos officium hoſpitalitatis. Vnde & cogerunt illum dicentes, Lucæ vltimo. Mane nobiſcum, per quod metuerunt illum cognoſcere, de quo dicit Scotus diſtinctio. xlix, quæſtione xv. libr. iiij. quod Deus poteſt cauſare viſionem in oculo non beato per qualitatem quæ non eſt illius obiectum, & ſic potuit cauſare viſionem in oculis diſcipulorum de peregrino ipſo exiſtente in claritate & colore proprio non habente in ſe illam formam aut colorem, nec tamen decipiebat, quia deceptio non eſt niſi in via motum, nec tamen fuit ibi illuſio, quia certi erant quod ipſe fuit talis in perſona. Hæc Scotus. Vnde Petrus Paludenſis, diſtinctione xxx. quæſtio. ij. articu l. ij. concluſione v. libro quarto, inter cætera dicit, faciens aliquod factum non vt fallat, ſed vt veritatem ſignificet, vel ad aliquod bonum, licet ex illo facto aliqui eliciant ſignificatiuè aliquod falſum, non mentitur facto: ſicut Chriſtus quando finxit ſe longius ire, non enim fecit hoc ad decipiendum, nec ad ſignificandum itinerationem quam facere volebat, ſed ad prouocandum eos ad inſtantiam hoſpitalitatis, & ad ſignificandum quod diſtabant ab eo in fidelitate, ſicut alibi nolebat eos præterire. Et ſimiliter beata Virgo non tenebatur dicere qua intentione contraheret. Vnde licet non intenderet matrimonium conſummare, quod videntes credebant, non eſt mentita facto. Hæc Paludenſis, vbi ſupra. Tertia verò ſimulatio hypocriſis vel duplicitatis quæ eſt in hypocritis, qui in ſigno exteriori oſtendunt ſe eſſe bonos, & interius

nus replentur mal ia. Primæ duæ non tenent rationem mendacij, ſed tertia. Ideo primæ duæ non ſunt peccata, ſed tertia, de quo latius con ultro Gabriel. di. xxxviij. qu. vnica iii ſin. lib. iiij. Et tantum de mendacio dicta ſufficiant.

Mendicare, eſt vitæ alimenta poſtulare. Contingit autem tripliciter mendicare (vt notat Gabr. di. xvj. qu. iiij. ar. iij. dub. j. lib. iiij. poſt Alex. qu. clvij. parte iiij. memb. ij. ar. ij.) Primo ex neceſsitate naturę, vt dum quis petit ab alio quod per ſe habere non poteſt propter paupertatem vel infirmitatem aut vtrumque. Hic modus miſerabilis eſt tolerabilis, & per patientiam fit meritorius & laudabilis, ſicut legitur de Lazaro mendico & infirmo iacente ante ædes diuitis, quod mortuus portatus eſt ab angelis in ſinū Abrahæ. Ex quo colligitur quod mendicitas ex neceſsitate proueniēs, eſt occaſio directiua ad vitam æternam, iuxta illud quod dicit Grego. Mala quæ nos hic premunt, ad Deum ire compellunt. Secundo modo quis mendicat pro ocio fouendo, vel pro lucro cumulando, vel vtroque modo, & hæc mendicatio eſt culpabilis. De quo Amb. libr. ij. de offi. ca. xvj. Veniunt validi nullam cauſam niſi vagandi habentes, & volunt ſubſidia euacuare pauperum, exinanire ſumptum, nec exiguo contenti, maiora quærunt ambitu veſtium captantes petitionis ſuffragium & natalium ſimulatione lucrantes licitantesque incrementa quæſtuum. Et ſequitur ibidem modus adſit largiendi, vt nec illi inanes recedant, neque transſcribatur vita pauperum in ſpolio fraudulentorū. Tertius modus mendicandi eſt ſupererogatiuus iuſtitiæ, ſcilicet cū quis mendicat pro Chriſto venerando, & proximo ædificando: venerando, ſcilicet per imitationem & cultus exhibitionem, per imitationem quantum ad contemptum ſui, & vilificationem ſiue abiectionem, quod Chriſtus euidentiſsimè fecit. Vnde Hieron y. Eſto vilis quantum poteris, nunquam Chriſto vilior eris. Laudabilis eſt illa mendicatio voluntaria, qua ſe quis exponit vt redemptori ſuo ſe conformet, & cultui diuino mente liberiore aut euangelizationi vacet, depoſita ſeculi ſollicitudine, & proximum ædificet, & prouocet ad pietatem. Ex his patet quæ mēdicatio eſt reproba, quæ tolerabilis & quæ laudabilis & meritoria, & per hoc qui licitè poſsint mendicare, paulò pòſt ſcribit de hoc Gabr. vbi ſupra.

Mendicitas eſt duplex, ſcilicet corporalis & ſpiritualis, & de vtraque multa ſcriptis prodidit Gerſon in multis locis ſuorū operum & tractatuum. In mendicitate ſpirituali vtiliter quiſque petet, ſi tantummodo ſalutaria, ſi diuinæ volūtati placita, ſi diuinæ legis mandata implere deſiderabit, in omnibus itaque deſideriis diuinum anteponendū eſt beneplacitum, & vt ſua voluntas fiat, deſideretur. De hac mendicitate ſpirituali longum tractatum, & plura alia ſcripſit Gerſon, quem videre potes. Et idem Gerſon, volens Deum ſore pium & miſericordem, eſto & tu tibipſi miſericors. Eſt enim durus duris, pius piis, bonus bonis, ſeuerus malis. Talē vtiq; illum inuenies, qualis & tu fueris in tuis deſideriis, non quidem per mutabilitatem eius, ſed per tuam. Volens inſuper in curia ſuæ iuſtitiæ abſolutionem conſequi, tu teipſum accuſabis, iudicabis, condemnabis, punies, & ſic remiſsionem impetrabis. Quod ſi te conteris defendere & iuſtificare vias tuas, confuſionem profectò & condemnationem reportabis, &c. Hac ſpirituali mendicitate eſſe voluit Chriſtus, cum per Prophetam teſtatur: Ego, inquit médicus ſum & pauper. Apparuit hoc in omnibus ſuis orationibus, quas ad Deum patrem fecit, præſertim in cruce cùm dixit: Deus Deus meus, vt quid me dereliquiſti. Hanc voluntarie ſuſceperunt omnes ſancti, imò ipſe Chriſtus, vt dictū eſt: Nõne & rex ille potentiſsimus Dauid in ſuo Pſalterio ſe huius quæſtuoſæ mendicitatis ſectatorē profitetur, dum ſe nominat nunc infirmum, nunc orphanum, nunc vulneratum, nunc cæcum, nunc ſurdum, nunc impotentem, nunc alienum, peregrinum, nunc captiuum, iacentem in puluere & ſtercore, & ſic de aliis innumeris neceſsitatibus. Et Salomon ille ſapientiſsimus ſe dicebat pauperem, infirmum, breuiſsimi temporis, minorem ad intelligendum legem Dei, & ita in tota ſcriptura diſcurrendo inuenimus vniuerſaliter de omnibus ſanctis. Gerſon. qui multa de mendicitate ſpirituali ſcribit, &c.

Mens poteſt accipi quadrupliciter (vt ſcribit Bruleſ. di. xxx. lib. j. Primo prout dicitur à mene, id eſt Luna ſeu defectus, ſic ſtat pro tota anima, tam pro potentiis ſuperioribus quàm inferioribus, mens autem præſertim ſtulti (ſecundum ſapientis verbum) vt Luna mutatur. Lunatica quippè eſt quam ſpiritus immundus mittit nunc in ignem cupiditatis malè inflammantem, nunc in aquam rumoris malè ſuffocantem, nunc elidit in terram cogitationum noxiarum, de terrenis & voluitatur, & clamar, & ſtridet, & ſpumat, & areſcit, & diſcerpitur per varia, vix tandem redit ad ſe per lucidum interuallū, vt Deum noſcat & ſe, & hoc ab infanria. Ita ſcribit doctiſsimus Ioannes Gerſon tractatu. vij. ſuper cantico Virginis. Secūdo mens dicitur à metiendo, & ſic capitur mens pro quacunque potentia cognoſcitiua vel iudicatiua, quia talis menſurat obiectum. Tertio capitur mens, prout dicitur ab eminendo, & ſic capitur pro parte ſuperiore animæ ſiue rationis, & ſic accipit communiter Augu. iſto modo, mēs nō reperitur in potētiis ſenſitiuis, nec in anima ſenſitiua, nec in anima vegetatiua, nec in eius potētiis, ſed ſolū eſt in portione ſuperiore. Quarto modo accipitur mens, vt dicitur à meminiſſe, & tunc valet ſicut memoria. Capitur etiā pro potentiis ſenſitiuis, in quibus minimè conſiſtit imago. Et mens ſecundum Gerſonem tract. vij. ſuper Magnificat, omnibus hominibus eſt æqualis libertatis, quo ad eſſentiam & actum primum, ſed non quo ad actum ſecundum, propter impedimenta vel adiutoria, modò iſtis, modò illis aduenientia. Multa de mente ſcribit ibi Gerſon, &c.

Menſtruum eſt profluxus ſanguinis, vt ſcribit Bruleſer. di. xxxij. qu. v. lib. iiij. qui ſolùm euenire mulieribus per menſem vel per circulum Lunæ, & cauſat in eis infirmitatem. Et quãdo vir (vt dicunt Doctores) cognoſcit mulierē tempore iſto, proles efficitur gibboſa, vel cæca, vel leproſa, vel haber aliam infirmitatem. Etiam iſte ſanguis eſt venenoſus, ita

quod

quod ſi canis comederet, efficeretur rabidus, & ſi ſanguis tangeret ſegetes, deſiccarentur. Et quãuis omni tempore ſiue in menſtruo, ſiue in alio, debet debitum reddi, ſed non debet peti, ideo ſi aliquis eorum petit, alter debet reddere, tamen ille qui petit tali tempore, malefacit. Brulef.

Menſura ſecundum S. Thom. prima ſecundæ. q. xc. ar. j. eſt illud, per quod cognoſcitur quantitas rei. Et ſecundum eundem eſt duplex. libr. ij. ſenten. di. ij. qu. j. & in q. de veri. qu. j. ar. v. ſcilicet intrinſeca, & extrinſeca. Prima, in quolibet eſt méſurato ſubiectiuè. Secunda verò, in vno ſolo. Et Ariſt. 10. Metaph. Menſura eſt id quo res cognoſcitur, eſt enim metrum quo primo vnumquodque cognoſcitur. Cognoſcitur autem res tripliciter, & ſecundũ hoc aliquid tripliciter dicitur méſura, vt ſcribit Gab. di. ij. q. j. ar. j. l. ij. Primo modo méſura rei eſt cauſa efficiens cognitionis apprehenſiuæ rei, hoc eſt cognitionis qua res primò apprehenditur. Sic intellectus eſt menſura rerum quas intelligit, & obiectum quod eſt res intellecta, eſt menſura cognitionis. Secundo accipitur menſura pro illo quod ducit in rememorationem alicuius prius noti, quomodo dicimus quod imago Petri repręſentat Petrum, & ſic repræſentans poteſt dici menſura repræſentati, & iſti modi ſunt generales & communes tam quantitati, quàm aliis à quantitate. Tertio modo accipitur menſura magis propriè, pro illo quod ducit in cognitionem quantitatis alterius. Metrũ enim eſt (ait Philoſophus) quo quantitas cognoſcitur. Sic menſura præſupponit cognitionem rei menſuratæ in ſe, & notificare eius quantitatem, vt ſi pannus primo notus eſt ſecundum ſuam eſſentiam, quia pannus, & per applicationem vlnæ notificatur eius quantitas ſecundum longitudinem. Vlna eſt menſura longitudinis panni. Ex quo patet quod menſuratum poteſt prius eſſe cognitum ſecundum ſe quàm menſura, licet non ſecundum quantitatem. Et ſicut quadruplex eſt quantitas, ſcilicet multitudinis, extenſionis, durationis, & perfectionis, ſecũdum hoc quadruplex eſt menſura, ſic in exemplo. Primo modo, vnum eſt menſura multitudinis, & numeri: ſecundo modo, vlna panni: tertio modo, tempus motus: & quarto modo, perfectius minus perfecti. Quomodo Deus poteſt dici menſura omnium, pro quanto vna res eſt perfectior quæ magis accedit ad perfectionem Dei, quàm alia, & albedo reſpectu colorum. Et quandoque menſura eſt in anima, quandoq; in re extra, & ſemper menſura eſt notior menſurato, & hoc quantum ad eius quantitatem, quia per minus notum non cognoſcitur magis notum. Nec res ſecundum ſubſtantiam ſuam menſurari poteſt, quia vt ſic conſiderata non eſt, nec habet quantitatem. Non enim eſt de ratione ſubſtantiæ quod ſit magna, multa, aut tantæ durationis vel perfectionis. Item Deus eſt menſura perfectionis angelorum, quia per cognitionem Dei & Angelorum poteſt cognoſci quod vnus eſt perfectior alio, quia plus accedit ad perfectionem Dei quàm alius. Et Deus eſt omniũ menſura aliorum à ſequentumcunque diuerſorum, quia omnium perfectiones cognoſci poſſunt per acceſſum ad diuinam perfectionem. Item nihil eſt menſura ſuiipſius, & menſura eſt tantum finitorum, vnde & multitudinis angelorum ſicut quarumcunque rerum numerabilium, menſura eſt vnitas in re extra, vel in intellectu, quia ita ſunt numerabiles angeli (cùm non ſunt infiniti) ſicut cæteræ multitudines rerum ſeparatarum, & per conſequens ſimili menſura quantum ad eorum multitudinem ſunt menſurabiles. Multitudo autem numeratur vnitate. Nulla autem eſt menſura extentionis angelorum, quia in angelis non eſt quantitas molis, cùm ſint extenſiuè indiuiſibiles, & ita non ſunt extenſi, quare nec menſurabiles ſecundum extenſionem. Ratio autem menſuræ finito congruit vt dictum eſt. Quando verò ſancti dicunt quod Deus menſuratur æternitate, non intelligunt, quod Deus qui ſimpliciter eſt immenſus, menſuretur per creaturam aliquam, aut etiam ſuam eſſentiam. Sed intelligunt quod ſicut per tempus & partes temporis menſuramus omnia temporalia, ita durationem Dei infinitam cognoſcimus, quia neceſſariò coexiſtit omni tempori in actu & in potentia. Quantitas verò durationis, quorumcunq; aliorum à Deo non cognoſcitur à nobis niſi ex hoc ſolo, quia coexiſtit maiori vel minori tempori in actu vel in potentia. Eſt autem Deus menſura perfectionis aliorum vt dictũ eſt. Hæc ſingula latiùs declarat Gabr. di. ij. qu. j. per totum libr. ij.

Mercatura dicitur ars vel actus mercandi. Et eſt triplex mercatura, ſcilicet nauigatio, demptio, id eſt fœneratio, & negociatio ſecundum Ariſto. li. 1. Politicorum. Negociatio de ſe non eſt vitioſa, licet habeat turpitudinem, ideo licita eſt ſi fit ad finem honeſtum vel neceſſarium, id eſt quod negotiator lucretur moderatè, ſcilicet vel ad ſuæ familiæ ſuſtentationem, vel pauperum vel communitatis, ſi in honeſto vel iuſto contractu & non ad cupiditatem, ſecũdum B. Tho. qu. lxxvij. ar. iiij. Vnde Gerſon parte j. tract. de modo viuendi omnium fidelium, ponit hanc regulam mercatorum quod non in die dominica mercentur, nec periurẽt, ab illicito ſibi caueãt lucro, nec ad diem vendant, vel carius propter dilationem, vt debitum ſuum tempore promiſſo ſoluant, nec ſcientes mentiantur, æquam ſtateram habeant, æqua pondera, & æquam menſuram. Et ad cauendum periurationes & mendacia, & alia peccata (vt idem ait parte ij. de cognitione peccatorum venialium & mortalium, conſide. xx. de peccatis quæ fiunt in mercantiis. Ego conſulo (inquit Gerſon) ſeruari cõſuetudinem quorundam bonorum & fidelium mercatorum, hoc eſt non ſuperferre ſuas merces, ſed eas vendere ad vnum verbum, & quando videbitur hęc conſuetudo, citius & breuius emetur & ſiet placitum Deo: vult & quod per mercantiam non perdatur ſeruitium Dei, ad quod tenetur per præceptum Dei & Eccleſiæ, & quod cuſtodiatur bona fides, & quod non vendatur carius ad creduliratem quàm ad argentum, in quo homo debet examinare ſuam conſcientiam. Vide latius Gerſonem ibi. Et vt ait Ambr. libr. iij. de officiis in contractibus, vitia eorum quæ veneunt, prodi iubentur. At niſi intimauerit venditor, quãuis in ius emptoris tranſierint doli actione accuſatur. Et dicitur mercatura à mercor: & differunt merx & mercatura, quod merx eſt ſpecies ipſa quæ emitur venditúrve, à quo mercimonium & commercium.

Mercatura verò eſt actus ipſe emendi ac vendendi merces. Mercem Varro à merendo ære dictam vult. Mercis appellatio, vt vult Vlpianus, ad res tantum mobiles pertinet, & merx aliquando dicitur pecunia, aliquando ius ipſam recipiendi, aliquando eſt proprium corpus ſerui alicuius, vt ſcribit Gerſon parte ij. operum tractatu de contractibus parte j. conſideratione quarta.

Merces eſt illud quod recompenſatur pro operis retributione, ideo reddere mercedem eſt actus iuſtitiæ, ſicut reddere pretium rei emptæ, ſecundum beatum Thomam prima ſecundæ, quæſt.xiiij. artic.j. Mercenarius verò actus is dicitur, qui fit propter mercedem, non autem qui eſt circa eam. Beatus Thomas iij. ſenten. diſtinct.xxvj.quæſt.ij.artic.j. & dicitur à mereor: magna quoque merces promittitur Chriſtianis Deum diligẽtibus, & eius pręcepta ſeruãtibus. de quo vide Gerſ. in ſer. de omnibus San. par.ij. qui incipit: Exultate quoniã merces veſtra copioſa eſt in cęlis. Et aliàs de hoc dicitur.

Mercenarius (vt ſcribit ſanctus Bonauentura diſtinct.xxvij. quæſt.vj. lib.iij.) dicitur ille, qui principaliter habet oculum ad mercedem. Nam ſi eam aſpiceret non principaliter, non propter hoc mercenarius eſſet: ſecundum hoc intelligendum eſt, quod duplex eſt merces, videlicet creata & increata, temporalis & æterna: & ſecundum hoc duplex eſt mercenarius, videlicet bonus & malus: & duplex mercimonia, vna laudabilis, alia vituperabilis. Nam qui principaliter reſpicit ad mercedem creatam & temporalem, malus mercenarius eſt, & hunc vituperat Ioannes, dicens: Mercenarius autem fugit, quia mercenarius eſt. Ille verò qui reſpicit principaliter ad mercedem æternam, de qua Geñ.15. Merces tua magna nimis, bonus mercenarius eſt: & hic mercenarius panibus abundat, ſpei, fidei, & charitatis: ſicut dicit Ambroſius ſuper illud Lucæ 15. Quanti mercenarij, &c. Vnde motus charitatis ſecundum aliquod genus mercimonię poſſit eſſe mercenarius, ſcilicet ſecundum quod conſtituit mercedem ſuam circa bonum increatum, ad quod tendit ſicut ad finale præmium, & deſiderat tanquam omne bonum. latiùs Bonauentura. De malo mercenario loquitur Gabriël ſermone j. Dominicæ, Miſericordia Domini: Mercenarius, inquit, eſt qui locum quidem paſtoris tenet, ſed lucra animarum non quærit, terrenis commodis inhiat, honore prælationis gaudet, temporalibus lucris paſcitur, impenſa ſibi ab hominibus reuerentia lætatur. Gabriël poſt Gregorium in Homel. qui & dicit, quod non paſtor, ſed mercenarius vocatur, qui non pro amore intimo oues Dominicas, ſed ad temporales mercedes paſcit.

Meritum quandoque accipitur, vt ordinatur ad bonum, quandoque vt ordinatur ad malum ſeu pœnam. & ſic dicitur meritum malum, & hoc propriè dicitur demeritum. Vocabulum itaque meritum, quandoque eſt indifferens, plerunque tamen & bonum ſumitur, & deſcribitur ſic ſecundum beatum Thomam parte iij. quæſt. xlix. artic.6. Meritum eſt actio qua iuſtum eſt, vt agenti aliquid detur. Vel ſecundum Gerſonem parte iiij. in deſcriptionibus terminorum ad Theolog. vtilium. Meritum eſt actus laudabilis factus ad bonum alterius verè vel interpretatiuè ſeu reputatiuè pro quo exigitur præmiũ. Dicitur reputatiuè propter Deũ, qui bonorũ noſtrorũ non eget. Demeritũ per oppoſitum eſt actus vituperabilis factus verè vel interpretatiuè ſeu reputatiuè ad malum alterius pro quo exigitur ſuppliciũ. Scotus d.xviij. li.iij. ita diffinit: Meritum eſt aliquod acceptatũ in alio, pro quo ab acceptante eſt aliquid retribuendũ illi, in quo eſt quaſi debitũ illi pro illo merito vel alteri pro quo meruit. Non enim meritũ dicit ſemper actum, qui ſit in poteſtate eius cui fit retributio, ſed hoc ſolum eſt, quando aliquis mereretur ſibiipſi, quando autẽ vnus meretur alteri per orationes, vel alias afflictiones acceptas Deo, quamuis illa ſint in poteſtate merentis, nõ tamen ſunt in poteſtate eius pro quo facit, & tunc meritũ formaliter dicit ordinẽ alicuius actus laudabilis in merentẽ ad acceptantẽ, quod acceptãs acceptat, vt cõtribuat ei pro quo accipiatur. Ex hoc ſequitur quod vnus poteſt mereri pro alio. Scotus. Vel meritũ eſt operatio aliqua liberè à voluntate elicita ad præmij retributionẽ illi vel alteri acceptata. Et meritũ totum noſtrũ conſiſtit in iuſtitia & operatione ſecundũ iuſtitiam, & per conſequens in operatione ſecundũ virtutẽ erga Deũ & proximũ. Sed iuſtitia præſupponit munditiã & puritatẽ, ſed talis munditia cõſiſtit in declinãdo ab omni malo: ideo oportet quod antequã quis operetur iuſtitiam ſit ſine macula, vt ſcribit Iacob. de Valen. Pſalm.14. & ſic perfecta iuſtitia Chriſtiani cõſiſtit in declinãdo à malo, & faciendo bonũ, quia vltimũ præſupponit primũ, ideo primũ meritũ beatitudinis eſt mundũ ſe cuſtodire, abſtinendo à malo, poſtea ſequitur operari bonũ. Valentia. Et ſecundum Gabr. di.xxvij. q. vnica, li.ij. ad rationem meriti in actu duo requiruntur in genere. Primum libera eius elicitio. Secundum ad præmij retributionem acceptatio. de quo vide ſupra in dictione *Actus meritorius*. Radix autem omnis meriti (vt ſcribit Gabriël diſtin.xviij. quæſt. vnica, libr.iij.) propriè loquendo de merito conſiſtit in affectione iuſtitię voluntatis, non in affectione commodi, nec in affectione iuſtitiæ, vt regulat affectionem commodi (vt dicit Scotus in iij. eadem diſtin.) & obiectum circa quod aliquis meretur, eſt Deus, vt idem vult. Videatur latiùs & Scotus, & poſt eum Gabriël vbi ſupra. Radix quoque meriti eſt charitas, quæ primò inclinat ad diligendum Deũ propter ſe Deum, &c. Nullus autem actus eſt meritorius, niſi eliciatur ſecũdum inclinationem charitatis: ideo non eſt meritorius, niſi referatur in Deum propter ſe dilectum. Hæc autem dilectio Dei, eſt ſecundum affectionem iuſtitiæ. Et communiter apud Doctores, meritum eſt duplex, ſcilicet meritum de congruo & meritum de condigno.

Meritum ex condigno eſt meritum pro quo exigitur præmium ex debito (vt ſcribit Gerſon par. iiij. in deſcriptione terminorum ad theolog. vtilium.) Et hoc dupliciter, vel ex debito pacti, & legis & Domini dignificantis actum ad tale præmium, vel ex rigore iuſtitiæ, ſic quod ſi non redderetur præmium, iniuſtè ageretur cum merẽte. Et hoc ſolum

(inquit Gerſon) reperitur inter creaturas adinuicem. Gab. di. xxvij. q. vnica, art. j. lib. ij. & in expoſitione canonis lect. lix. ita diffinit: Meritum condigni ſiue de condigno, eſt actus à voluntate elicitus vel liberè procedens ad præmium alicui ſecundum debitum iuſtitiæ retribuendum. Conſiſtit autem iuſtitia illa in quadam proportione meriti ad præmium & æqualitate: iuſtitia enim ſtricta ſicut non reddit minus bonum pro maiori, ita nec maius bonum pro minori. Requiritur igitur ad meritum de condigno proportio æqualitatis meriti ad præmium. Hæc autem æqualitas attenditur vel ex natura & cõditione intrinſeca actus & præmij, vel ex ordinatione pacto aut cõuentione, aut promiſſione præmiãtis. Exemplum primi, vt quando merces cõmenſuratur vtilitati, quam præmians conſequitur ex actu & operatione merentis. Exemplum ſecundi, quando ex conuentione, pacto vel liberalitate promittitur tantum pro tali. Sic dicitur in Euangelica parabola: Nónne ex denario diurno conueniſti mecum? non facio tibi iniuriam, ſcilicet dando tibi ſecundum conuentionem: tolle quod tuum eſt, & vade. Matth. 20. Vbi iuſtitia ſeruata fundatur in conuentione non in natura actus. Et meritum de condigno exigit aliquid in operante, aliquid in opere, & aliquid in præmiante. In operante quod ſit amicus. Inimicus enim ſecundũ Auguſtin. non eſt dignus præmio, ſed pœna. Peccator itaque apud Deum nihil meretur de cõdigno, quia non eſt amicus Dei, ſed inimicus. Similiter enim odio ſunt Deo impius & impietas eius. Sapien. 14. & fructus impiorũ inutiles. ibidem cap. 4. In opere quod ſit ordinabile ad vtilitatem, vel honorem præmiãtis: ideo opus, inquit Gab. exiſtentis in gratia non ordinatum finaliter in Deum, non eſt meritorium de condigno. Nullus quoque poteſt mereri niſi agat, quia omne meritũ eſt actus, ergo mereri eſt agere, per locum à coniugatis, vt ait Brulef. In præmiante requiritur acceptatio ſiue ordinatio actus ſic eliciti vel imperati ad tale præmium. Eſt autem hæc ordinatio nihil aliud quàm diuina voluntas, quæ ab æterno voluit actum à tali & ex talibus principiis elicitum eſſe meritum condignum tali præmio, & condignitas illa attenditur ex diuina acceptatione, quia ab æterno voluit actum ſic ex gratia elicitum eſſe dignum tali præmio. Verum quoque eſt quod Deus ſemper præmiat vltra condignum, ex gratuita enim acceptatione diuina & mera liberalitate ſua præmiat. Hæc Gab. vbi ſupra. Et ad meritum de condigno ſecundum Alexan. de Ales parte iij. q. lxix. memb. v. art. ij. tria requiruntur, ſcilicet gratia, quæ eſt ſpiritus ſanctus, & gratia creata, quæ eſt habitus infuſus, & libera voluntas. Et ita ſi aggregantur omnia quę cõcurrunt ad meritum, patet cõdignitas ad omnia quæ ſunt in præmio, &c. Nullum itaq; eſt meritũ ſine gratia, &c.

Meritum de cõgruo eſt meritum, vt ſcribit Gerſon vbi ſupra. pro quo exigitur pręmium de congruo. vel ſecundum Gab. vbi ſupra. Meritum de cõgruo eſt actus liberè elicitus, acceptatus ad aliquid retribuendum non ex debito iuſtitiæ, ſed ex ſola acceptantis liberalitate. Et hoc meritum non coexigit æqualitatem dignitatis cum retributo neq; in operante, nec in opere, nec in retribuente: poteſt enim pręmians aliquid retribuere operanti intuitu alicuius actus, alias non daturus, non tamen tanquam digno in ſe, nec in ratione operis condigni, ſed ex ſua liberalitate, etiam ei qui inimicus eſt. Gabr. vbi ſupr. Vbi & cõcludit quod anima informata gratia per actũ à volũtate ſimul & gratia elicitũ, de cõdigno meretur æternę beatitudinis pręmium. Id quod & auctoritate probat vtriuſque teſtamenti. Vnde 2. Paral. 15. dicitur: Et erit merces operibus veſtris. Matth. 5. Merces veſtra copioſa eſt in cœlis. Probat & hoc ratione, & per diffinitionẽ meriti. Vide eundem. Opera verò noſtra (vt notat ibidẽ) in ſe & in ordine ad noſtram voluntatem conſiderata, præciſe ſunt indigna tãto pręmio imperfecta, & defectibus plena. Secus ſi conſiderãtur vt ſunt à ſpiritu ſancto mouente & inhabitante, ac à gratia cooperãte, nec non à Dei voluntate ipſa vt digna acceptante. Sic enim digna ſunt tali præmio beatifico, ſecundũ illud Heſter 6. Hoc honore dignus eſt quemcunque Rex voluerit honorare. In pręmio enim eſt cõſiderare beatitudinẽ formalem Dei, ſcilicet fruitionẽ & beatitudinẽ obiectiuã, quæ eſt Trinitas benedicta. ſecundũ illud Geñ. 15. Ego ſum merces tua magna nimis. verba ſunt Dei ad Abraham. Et diuina ordinatio ſeu voluntas, qua vult ſic operantẽ tali mercede ſic operari, ſecundũ illud Apoc. vl. Merces mea mecũ eſt: hoc eſt in mea poteſtate ac voluntate. Per hæc poſſumus intelligere auctoritates plures, quæ contradici poſſunt, & dictis contrariari, vt ſunt illæ Rom. 8. Non ſunt cõdignæ paſsiones huius temporis ad futurã gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Et Luc. 17. Cùm feceritis quæcunq; præcepta ſunt vobis, dicite, ſerui inutiles ſumus. Et Iſa. 64. Quaſi pannus menſtruatæ vniuerſæ iuſtitiæ veſtræ. Vide latiùs Gabr. ibi: Et licèt Deus nullius debitor eſſe poſsit ex natura rei, poteſt tamen ſe facere debitorem noſtrum ex ſua libera voluntate, nobis promittendo pro talibus actibus tantum præmium. Sicut homo gratis promittens alicui ex ſua libertate donum, ſe debitorem illi conſtituit, tenetur enim ſecũdum iuſtitiam ſeruare promiſſum. Vnde Apoſtolus Rom. 11. Quis prior dedit ei, & retribuetur ei? quaſi dicat, nullus. Loquitur Apoſtolus de redditione ex natura rei debita, ſcilicet pro aliquo priùs ad ſui vtilitatem recepto. Hoc locum non habet in Deo, qui nullius eget. Gabr. Et vt ibidẽ ait: Anima nõ poteſt actu voluntatis liberè elicito mereri primam gratiam de condigno. Poteſt autẽ anima per actum à voluntate cooperante gratia elicitum mereri de condigno einſdem gratiæ augmentum, quia gratia (vt inquit Auguſtin.) meretur augeri, vt aucta mereatur & perfici. Item habens gratiam, habet vnde poteſt proficere in gratia. Fuſius declarat Gabr. Anima verò obicis remotione ac bono motu in Deum ex arbitr. libertate elicito primam gratiã mereri poteſt de congruo: quia actum facientis quod in ſe eſt, Deus acceptat ad tribuendum gratiam primam, non ex debito iuſtitiæ, ſed ex ſua liberalitate. Hinc dicitur Zachar. 1. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Et Iacob. 4. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. Et Apocalyp. 3. Ego ſto ad oſtium & pulſo, ſi quis aperue-

aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum. Conuerti ad Deum, appropinquare Deo, aperire illi, eſt facere quod in ſe eſt. Conuertitur autem Deus ad hominem, appropinquat ei, & intrat habitando in eo, & cœnando cum illo per gratiam, quam infundit. Multa alia & plura ſcribit Gabriël concluſione iij. vbi ſupra. Vnde ſecundum Alexandrum: Si peccator auertit ſuum liberum arbitrium ab actu peccati, conſiderando diuinam iuſtitiam damnantem reprobos, & conuertit ipſum ad obediendum Deo, & diligendum Deum ex conſideratione miſericordiæ, qua ſaluat electos, ex primo generatur timor, è ſecundo ſpes: hoc faciendo facit quod in ſe eſt. De quo ſupra in dictione *Facere*. Et efficacia meriti principaliter ex tribus colligitur, ſecundum ſanctum Bonauen. quæſt. vj. diſtinct. xxix. libr. ij. & poſt eum ſcribit & notat Gabriël eadem diſtinct. quæſt. vnica, ſcilicet ex difficultate operis, ex promptitudine voluntaris, & ex magnitudine charitatis. Difficultas operis multũ facit ad meritũ, & intantum vt homo, qui eſt multò minoris charitatis, quàm Angelus, poſsit mereri vt perueniat ad ſublimitatem angelicam. Etiam promptitudo voluntatis plurimum facit ad meritum, quantumcunque enim in homine ſit gratia, niſi ſit voluntas gratiæ conſentanea: nunquam elicit opera meritoria, & quantò magis voluntas gratiæ ſubiacet & conformatur, tantò magis homo in operibus meritoriis exercetur. Magnitudo charitatis principaliter iotet omnia facit ad meritum, quod ſecundum illius quantitatem attenditur remuneratio præmij ſubſtantialis. Pondus enim amoris dat valorem operibus meritoriis, &cæ. Et vt ait Gabriël diſtinct. xvij. quæſt. iij. libr. j. in fine. Meritum non commenſuratur labori, ſed perfectioni charitatis & intentioni actus. Et meritum attribuitur actibus aliarum virtutum inquantum ſunt formatæ, & non aliàs. Vnde Apoſtolus primæ Corinth. 13. Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam: factus ſum velut æs ſonans & cymbalum tinniens. Sanctus Bonauentura diſtinct. iiij. quæſt. v. libr. iij. ponit triplex meritum, ſcilicet congrui, digni & condigni. Meritum congrui eſt in quo peccator dicitur gratiam ſibi mereri, cùm ad gratiam ſe diſponit. Meritum digni in quo, ſcilicet vir iuſtus orat pro alio, & meretur exaudiri, vt quãdo Stephanus orauit pro ſancto Paulo, de quo videatur & Eggeus in Chryſopaſſo. Meritum condigni eſt quo quis ex tanta charitate meruit tantam gloriam. Vnde beata Virgo (vt idem ait) meruit merito congrui concipere filium Dei ante incarnationem, quoniam præ nimia ſua puritate & humilitate & benignitate idonea erat, vt efficeretur Dei mater: poſt annunciationem verò poſtquam conſenſit, & Spiritus ſanctus in copioſitate gratiæ in eam deſcẽdit: ideo non ſolum habuit congruitatem, ſed & dignitatem: & extunc meruit, non ſolum merito congruitatis, ſed dignitatis obumbrari & imprægnari virtute altiſsimi. Sed merito condigni non potuit mereri concipere filium Dei pro eo, quod hoc excedit omne meritum, & etiam quia erat ipſius meriti glorioſæ Virginis fundamentum. Vide latius ibi Bonauent. & meritum ſecundum Gerſonem parte iiij. in deſcriptione terminorum ad Theologiæ vtilitatem, quoddam dicitur vitæ æternæ, & eſt actus laudabilis à charitate mediatè vel immediatè proueniens, pro quo dignificauit Deus hominem ad vitam æternam quam habebit, ſi obicem non poſuerit. Meritum autem hoc moritur per peccatum mortale, vt habet Gabriël diſtinct. xxvij. dub. iij. libr. ij. Et ad meritum vitæ æternæ de condigno, requiritur quod ſit elicitum, ſecundum inclinationem gratiæ, & per hoc condignum præmio, & acceptum à Deo liberaliter ad huiuſmodi præmium. de quo vide Gabriëlem diſtinct. xvij. quæſt. iij. libr. j. Vnde nullus actus ſine gratia ſiue charitate eſt meritorius: vt patet & ſupra litera A.

Meritum temporale ſecũdum Gerſonem, eſt actus laudabilis moraliter bonus, pro quo dignificatur quis ad præmium aliquod temporale.

Merita intueri contingit dupliciter (vt ſcribit ſanctus Bonauentura diſtinct. xxvj. vbi agit de ſpe libr. iij.) vel attribuendo ſibi vel attribuendo gratię diuinę. Intueri autem merito attribuendo ſibi, hoc eſt ſuperbię & vanitatis, & ſic intuentur ſuperbi, qui dicunt: Manus noſtra excelſa, & non Dominus fecit hæc omnia. Contra quos dicitur Deuterono. nono: Ne dicas in corde tuo propter iuſtitiam meam introduxit me Dominus, vt terram hanc poſsiderem. Intueri autem merita referendo ad diuinam gratiã, hoc eſt humilitatis & veritatis, & hoc modo motus ſpei ex intuitu meritorum habet oriri, per quem modum intuebatur Paulus merita ſua, primæ Corinthiorum decimoquinto: Abundantius omnibus laboraui. Non autem ego, ſed gratia Dei mecum.

Mereri dicitur tripliciter (vt ſcribit ſanctus Bonauentura diſtinct. xviij. quæſt. ij. libr. iiij.) Vno modo ſimpliciter abuſiuè. Alio modo partim propriè & partim impropriè. Tertio modo ſimpliciter propriè. Simpliciter abuſiuè dicitur mereri, qui facit aliquod opus bonum de genere bonorum, tamen facit illud malo animo, id eſt mala intentione, ſicut ille qui dat eleëmoſynam cum murmure. Talia enim opera aliquando remunerantur à Deo ex immenſa largitate, ſicut innuitur de Nabuchodonoſor. Ille verò meretur, partim propriè, partim abuſiuè, qui facit opus de genere bonorum & bona intentione. Veruntamen non ex charitate, ſicut aliquis peccator facit opera de genere bonorum & propter Deum, in quibus de congruo ſe diſponit ad gratiam. Ille verò meretur ſimpliciter propriè, qui facit bonum opus & bona intentione & ex charitate: & primum meritum dicitur meritum interpretatiuum: ſecundum dicitur meritum congrui: tertium meritum condigni. Nemo autem poteſt mereri ſalutem ſine vita gratiæ. Impoſsibile eſt enim (vt inquit Gerſon de vita ſpirituali animæ lectione prima.) animam ſola vita naturali viuentem operari ſalutem ſuam. Cuius Pelagianus error oppoſitum affectabat. Itaque ſi non poteſt corpus mortuum vitales operationes exercere, quomodo dicet aliquis animam vita ſua carentem, quæ eſt ſpiritus ſanctus

in opera vitæ ſpiritualis exire poſſe. Hæc Gerſon. Et mereri (ſecundum Gabriëlem diſt.xviij.quæſt. vnica,artic.ij.dub.iij. libr.iij. poſt ſanctum Thomam quæſt.v.eadem diſtin.) tribus modis contingit ſecundum quod per meritum tripliciter aliquid fit merenti debitum. Vno modo quando res quædam meretur, fit de non debito debitum. Sic primo actu charitatis poſt iuſtificationem impij iuſtificatus facit ſibi vitam æternam debitam, priùs fuit ſibi indebita. Alio modo, quando de debito facit ſibi magis debitum, quod cōtingit dum per actum meriti charitas augetur. Tertio modo, quando aliquod quod vno modo eſt ſibi debitum, facit alio modo ſibi debitum, ſicut puer baptizatus, cui debetur vita æterna ex habitu gratiæ in baptiſmo infuſo, quando vſum liberi arbitrij habere incipit, facit ſibi eam debitam ex actu à charitate elicito.

Primo modo meruit Chriſtus in primo inſtāti ſuæ cōceptionis gloriā corporis, impaſſibilitatem animæ ſibi & nobis vitā æternā, quæ priùs non erant debita. Secūdo modo Chriſtus mereri non potuit, quia charitas in anima Chriſti non eſt augmentata, quæ in primo inſtanti accepit tantam charitatem, quantæ fuerat capax. Tertio modo Chriſtus meruit omnibus actibus ſuis poſt primum inſtans ſuæ conceptionis, quia omnes actus ſui proceſſerunt ex charitate. Vide latiùs Gabriëlem & etiam Bonauen. vbi ſupra. qui & quæſt. vlti. in fine diſt. xviij. lib. iij. ait: Efficacia omnis meriti fundata eſt ſuper merita Chriſti. Meruit quoque nobis Chriſtus & ſibi, non obſtante quod toto tempore vitæ comprehenſor fuerat & beatus. Meruit & nobis gratiam & gloriam, id quod declarat & oſtendit clariùs Gabriël diſt.xviij.quæſt.vnica,artic.ij.libr. iij. Et non tantùm meruit in ſua paſſione, ſed ab inſtanti incarnationis in ſua conceptione, quę à Gabriële multis probantur, & plura de Chriſti merito ſcribit, & plena eſt ſcriptura de hoc, &c.

Meritum aliquod eſſe tale reſpectu alicuius cōferendi alteri, dupliciter poteſt conſiderari. Vno modo quantū ad ſufficientiā. Alio modo quantū ad efficientiā, vt literis mādauit Gab.d.xix.q.vnica,ar.j. li.iij. Meritū ad ſufficientiā eſt, quādo actus merētis acceptatur ad retributionem faciendam conditionaliter, ſcilicet ſi is cui meretur antecedentia ad retributionem ordinata non omittat, neque impedimentum præſtet, vt ſi quis meretur apud Principem, vt omnibus characterem ſuum habentibus, & tali hora curiā Principis intrantibus daret vnum florenum, iſte ſufficienter meruiſſet vnum florenum, etiam eis qui characterem ſuum non acciperent aut curiam hora determinata non intrarent.

Meritum ad efficientiam eſt quod ſimpliciter acceptatur ad aliquid retribuendum realiter & cum effectu. Et Chriſtus Adæ & toti ſuæ poſteritati ſufficienter meruit gratiā, & apertionem regni, & tanquam merito ſufficienti ſua paſſione, vt præuiſa, præcedentibus obtinuit remiſſionem peccatorum & gratiam, ſed vt exhibita apertionem regni & gloriam, probat id Gabr.ar.ij. vbi ſup. quem vide.

Meritum eſſe infinitum tripliciter poteſt accipi. Vel ratione propriæ perfectionis, id eſt vt actus ipſe dicitur infinitus. Vel ratione perſonę merentis vel ex voluntate acceptantis. Primo modo nullum meritum dici poteſt infinitum, quia infinitas perfectionis repugnat creaturæ. Omne autem meritum eſt quid creatum. Actus namque diuinus non eſt meritum, ſed dator præmiorum. Quicquid enim eſt in Deo, eſt Deus: velle ergo animæ Chriſti ſiue eius fruitio, qua perfectiſsimè quantum creaturam decet fruebatur, ſecundum ſe finita fuit & finitum, quia creatura. Secundo modo meritum Chriſti potuit dici infinitum, quia actus perſonæ infinitæ. Siquidem omnia opera Chriſti fuerunt verbi tanquā ſuppoſiti, quod fuit infinitum, licèt illa opera humanitatis Chriſti non fuerunt verbi ſecundum naturam infinitam diuinam; ſed ſecundum naturam finitam humanam. Tertio modo meritum dicitur infinitum extenſiuè quod acceptatur pro infinitis. Et hæc infinitas ſicut & ſecunda, non eſt infinitas ſimpliciter, ſed ſecundum quid. Non autem requiritur infinitas in merito vt acceptetur pro infinitis. Vnde vt dicit Scotus diſt.xix. Sicut omne aliud à Deo, ideo bonum eſt, quia à Deo volitū, non econuerſo. Sic meritum in tantū meritum eſt, pro quanto acceptatur. Nam ideo meritum eſt, quia acceptatur non econuerſo, quia meritum & bonū ideo acceptatum. Poteſt autem meritum quodcunq; tantum & pro tantis acceptari paſſiuè, quātum & pro quantis vult tota Trinitas acceptare actiuè: quià quantū vult tantum poteſt. Nec vt pro infinitis acceptetur requiritur formalis ratio infiniti in merito. Nec requiritur infinitas ex circunſtantia ſimpliciter, ſed benè de congruo, propter quod magis congruum fuit meritum in ſe finitum (ſed tamen perſonæ infinitæ) acceptari pro infinitis extenſiuè quàm perſonæ finitæ, quia ibi nec ratione operis in ſe, nec ratione operantis eſſet congruitas acceptationis eius pro infinitis. Et meritum Chriſti non tantum fuit acceptatum vt exhibitum, ſed etiam vt præuiſum, ſiue vt exhibendum, ad aliud tamen vt præuiſum, & ad aliud vt exhibitum. de quo latiùs videatur Gabr. vbi ſupra. Et licèt meritum Chriſti ſecundum ſe finitum, fuit ſimpliciter pro infinitis, tamen Adæ filiis (ſi futuri eſſent) acceptatū eſt ſufficienter: paſſione etiam ſua & morte quas pro hominū reparatione ipſe Chriſtus patri obtulit tantum prædeſtinatis gratiam finalem & gloriam efficaciter meruit. Et quamuis omnibus Adæ filiis ſalutem principaliter meruit Chriſti paſſio, cooperabatur tamen ſaluandorum operatio tanquam meritum de congruo vel condigno. Hæc ſingula pluribus verbis vel copioſe & abundè declarantur & probantur à Gabriële diſtinct.xix.art.ij. in v. concluſionibus lib.iij. & multa aliàs de merito ſcribuntur. Hæc ſufficiant paruulis.

Meſsias Hebraicè, Græcè Chriſtus, Latinè vnctus dicitur: ſunt autem multa nomina meſsiæ. pluribus enim nominibus Meſsias in lege promiſſus ſcribitur & nominatur (vt ſcribit Iacobus de Valentia tract.iiij. cap.j. prologi ſuper Pſalm.) ſcilicet Deus, Dominus, Tetragrammaton, verbum Domini, nomen Domini, ſalutare Dei, dextra Domini, brachium Domini, ſanctus Domini, Sanctus ſanctorum, iuſtus hæres, Rex, Sacerdos, Chriſtus, filius Dei, Dauid, Meſsias. Omnibus ſupradictis nominibus nominatur Meſsias Chriſtus, quorum

quorũ quædã ſunt ſibi naturaliter propria, & quædam ab effectu vt patet. Nam naturaliter eſt Deus, & filius Dei & Dominus, ſed ab effectu dicitur ſaluator & dextra Dei, &c. Meſsiam autem Iudæi temporaliter regnaturum quidam expectant. Contra quos ſcribit Gerſon tract. xij. ſuper Cant. Virginis, dicens: Falluntur ergo Iudæi Meſsiam expectantes (neſcio quem) temporaliter apud eos regnaturum cum potentia, pompaque ſeculari, cùm de paupertate regnaturi Meſsiæ, de paſsione & abiectione ſuæ propheriæ omnes ad tempora Meſsiæ reſpicientes impletæ ſint, &c.

Metaphora dicitur Latinè tranſlatio, de qua videatur apud Grammaticos. Fitq; cùm nomen aut verbum ex proprio loco in eum transfertur, in quo aut proprium deeſt, aut trãſlatum proprio melius eſt: vt, *claſsiq; immittit habenas*. Item, *arrectis auribus aſto*. Et, *ferrum armare veneno*. Nam & venenum armare, & ferrum armare tranſlatio eſt. Item ruſtici dicunt gemmam in vitibus & ſitire ſegetes. Item illa ad ornatum lumẽ orationis generis claritatem & concionum procellas, & eloquentię flumina. Et de metaphora plura ſcribũtur à Cicerone & Quintiliano libr. 8. & nihil ad nos. à quo metaphoro, quod eſt idem quod transfero, & metaphoricus, a, um. vt metaphorica locutio & metaphoricè. Sancti autem ſæpè loquuntur metaphoricè, quæ locutiones non ſunt intelligendæ ſecundum proprietatem verborum, vt ſcribit Gabr. diſt. xxxvj. quæſt. vnica, artic. iij. libr. j. vt cùm Deus dicitur vitis, agnus, leo, lapis, &c. ſecundum Auguſtin. Sic etiam Anſelmus cùm dicit: Creatura in Deo eſt creatrix eſſentia: capit creaturam in Deo pro cauſa productiua creaturę, & iſta eſt eſſentia creatrix omnium. Sic Deus eſt vita viuentium, omnis boni plenitudo, omnia in omnibus cauſaliter. Ex his patet multorum argumẽtorum ſolutio, & multarum auctoritatum pia & catholica expoſitio. Sancti itaque ſæpè loquuntur metaphoricè, non ſine cauſa. Et vtuntur huiuſmodi metaphorica locutione, vt homines quandoque ad Dei laudem alliciant, vtque in nullo alio à Deo quærant delectationem, conſolationem & auxilium, qui ſolus eſt cauſa fontalis omnium delectabilium, vtilium, à quo omnia ſunt expectanda, quum ipſe immediatè (& nullo alio ſi placet concurrente) omnia poteſt, quæ deſiderari honeſtè valent, tribuere. Ideo dicit Auguſtinus: In creatura deeſt quod laudamus, in creatore nihil deeſſe poteſt. Laudent ergo creatorem totum, ibi eſt cauſaliter, ſcilicet quod ex partibus ſingulis inuenitur. Et vt ſcribit parte ij. in ſermone Dominicæ xix. poſt Pentecoſtes, collatione eiuſdem ſermonis. Idcirco, ait, tranſſumptionibus, metaphoriſque prædicantes vtimur, quatenus noua minus faſtidiat varietas, & à cognitis ad apprehendenda magis ignota ſubuectet & ſubleuet. Quia enim nobis (exempli gratia) domus materialis ſenſu, quotidianoque vſu maximè cognoſcitur per illius ſimilitudinem, quaſi per vehiculum aliquod inoccultarum rerum, ſcilicet conſcientiæ & gloriæ comprehenſionem, facilius eleuamur. Gerſon. Sic etiam obumbratis figuris vtitur ſcriptura, vt credenda (quæ acumen noſtræ intelligentiæ naturalis excedunt, quibus & intellectus cum difficultate aſſentit) manuductione quadam vel ductu intelligat homo, & ad fidem firmã mirabilium operum Dei, excellentium hominis intelligentiam & potentiam inflammetur, & incitatur. De quo videre potes Gab. ſer. j. Dominicæ xiiij. &c.

Metus eſt expectatio mali, ſecundum Ariſtotelem 4. Ethic. Vel metus eſt opinio magni mali impendentis. Cui ſubiiciuntur pigritia, terror, timor, pauor, exanimatio, conturbatio, & formido. Eſt autem duplex metus, vt notat Gabriẽl diſt. xxxix. quæſt. j. libr. iij. Quidam eſt metus cadens in conſtantem virum, id eſt in virum virtuoſum, vt dicit Richardus diſtinct. xxix. artic. j. libr. iij. & eſt (vt ait Gabriẽl) dum quis metu maioris mali fugiendi, eligit minus malum, & ille poteſt cadere in virum conſtantem & virtuoſum: vt quando non leui æſtimatione, ſed certitudinaliter, ſaltem certitudine ſufficiente in actibus humanis ſcit malum ſibi inferendũ: quod maius eſt ſibi inconueniens quàm actum illum diſplicentem elicere: & poteſt contingere quod ſecundum rectam rationem ſibi ſit maius inconueniens: vtporè mors, carcer, mutilatio enormis, ſtuprum, & ſimilia. Cùm enim ille ſit dominus voluntatis ſuę, poteſt velle aliquod, quod aliàs nollet, & imperare actum aliàs nolitum antequam incurrat iſta mala, & hoc ſecũdum rectam rationem. Et talis metus dicitur cadere in conſtantem virum, dum illud malum fugiendum ſit magis inconueniens viro quàm illud, quod tali metu elicit: vt ſi quis voluerit aliquem interficere niſi det centum florenos, metus inducens ad dandum centum florenos, cadit in conſtantem virum: quia vir conſtans & virtuoſus magis debet velle & effectualiter tradere centũ florenos, quàm vitam perdere. Et ergo nullus metus poteſt inducere virum conſtantem ad peccandũ mortaliter, quia pro nullo malo fugiendo dictat ratio recta peccandum eſſe mortaliter: quia nõ poteſt eſſe maius malum quod imminet quàm ſit peccatum mortale. Et licèt metus culpam attenuet, non tamen à culpa excuſat. Vnde Auguſtinus ij. de Ciuitat. Dei: Talis potius quælibet mala pati decernat, quàm malo conſentiat. Et refert Gabriẽl diſtin. xv. quæſt. iiij. artic. ij. concluſ. iij. libr. iiij. Et iſte metus dicitur metus iuſtus, & impedit matrimonium, etiam quantum ad iudicium Dei, & quantum ad iudicium Eccleſiæ. De quo conſulas Richardum diſtinct. xxix. artic. j. quæſt. j. libr. iiij. Et Bonauen. eadem diſt. Et Tho. Argenti. Petrum de Palude, quæſt. j. artic. ij. qui & dicit, quod reſpectu fornicarij actus non poteſt eſſe iuſtus metus: quia melius eſt omnia mala pati, quàm ſoli malo conſentire. Et Bonauentura dicit, quod nullus timor reſpectu peccati perpetrandi, poteſt nec debet cadere rationabiliter in virum conſtantem, ſed reſpectu alicuius rei faciendæ quæ non eſt noſtræ ſaluti contraria. Sicut vir conſtans rationabiliter priùs deberet permittere ſe interfici, quàm Deum negare. Aſſentit Scotus cùm dicit diſtin. xxix. libr. iiij. Nullus metus poteſt inducere aliquem ad peccatum mortale, ſecundum rectam rationem: quia non poteſt eſſe maius malum quod imminet quàm ſit illud peccatum: quia nulla pœna peior eſt quàm culpa mortalis. Hæc Scotus.

Metus cadens in virum incõſtantem (vt ſcribit Gabriël di.xxix.q.ij.li.iij.) eſt quando maius malum vel inconueniens admittitur ad fugiendum minus malum, vel conueniens, vt qui peccat ne ſubſtantiam temporalem perdat, aut mortẽ ſuſtineat corporalem, ne diuitias habitas perdat. Et dicitur metus leuis, qui ſecundum Theologos matrimonium non impedit: & de quo Richard. videatur di.xxix. ar.j.qu.j.libr.iiij.&c. Et vt ait Gabriël: Nullum eſt peccatum mortale magnum vel paruum, quin vitari poſsit, abſque hoc quod incidatur aliud mortale: quia nunquam poteſt mortaliter peccare, niſi pleno voluntatis conſenſu. Voluntas autem non poteſt cogi ad cõſenſum, licet poſsint violẽtari membra exteriora ad actum, qui tamen nunquã eſt peccatum voluntate non conſentiente: & ideo magis mortale ſemper vitari poteſt abſque commiſsione minoris peccati mortalis. Gabr. vbi ſupra.

Meus, tuus, &c. & alia pronomina poſſeſsiua, noſtrum, veſtrum, poſſunt attribui alicui dupliciter, vt ſcribit Bruleſer di.xviij.q.vj.lib.j. Vno modo mediante compoſitione, quando, ſcilicet attribuuntur alicui in propoſitione: vt liber eſt meus. Alio modo immediatè ſeu ſine compoſitione, quando, ſcilicet attribuũtur alicui ſine copula verbali. Et quando meum & tuũ attribuuntur alicui mediante aliqua compoſitione, ponũt habitudinem propriam, ſcilicet poſſeſsionem. Vnde quicunq; habet Deum, habet etiã omnia quæ pertinẽt ad Deũ cõmuniter. Item de eſſentialib⁹ in diuinis, dicũtur pronomina poſſeſsiua, vt Deus Deus meus, Domine Dominus noſter. Item illa pronomina ſpecialius dicuntur de filio quàm de eſſentialibus, propter incarnationẽ. Specialiſsimè tamen dici poteſt per poſſeſsionem, quod ſpiritus ſanctus eſt noſter, eò quòd ſpiritus eſt pignus hæreditatis æternæ. Et quando dicimus, ſpiritus noſter, tunc nõ dicitur ſpiritus à ſpiratione paſsiua, quæ propria eſt ſpiritui ſancto: ſed dicitur, ſpiritus noſter, ab inſpiratione, quia per eum nobis bona inſpirantur. Vnde dicitur: Charitas diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum. Et quando illa pronomina adduntur alicui ſine compoſitione, non ponunt ſuam propriam habitudinem, niſi ſolum ad terminum cui adduntur. Vide de hoc Bonauen. Et vt ſcribit Gerſon parte ij. de tractatibus parte ij. propoſitione viij. Vnde aliquid dicitur meũ vel tuũ, quod dependet ex legibus nedum diuinis, ſed poſitiuis: propterea conſilium habendum eſt, nedum à Theologis, ſed à Canoniſtis, qui ſi diſcordare videantur, lex Euangelica ſeu Theologica tanquam architectoria Iudex erit, vel epikeis, ſeu gnomica, vel interpretatiua.

Miles, Græcè στρατιώτης, venitq; à mille, quaſi milleſimus quiſque, hoc eſt quiſquis ex millenario numero fuerit. A quo milito verbum, hoc eſt militiam exerceo: & commilito nomen, qui ſimul militat, ſocius in bello. Et regula militum tangitur Luc.3. Neminem cõcutiatis, ſcilicet in perſona per potentiam indebitè. Nemini calumniam faciatis in rebus quam per militiam facere poſſeris. Et cõtenti eſtote ſtipendiis veſtris, id eſt de redditibus veſtris multis temporibus. Accipiendo verò ad defendendam patriam. 2.Machab.15. Accipe gladium ſanctũ munus, &c. Rom.13. Non ſine cauſa gladiũ portat, &c. Hæc refert Gerſon part. j. tract. de modo viuendi omnium fidelium. Et militia Chriſtiana eſt quotidie pugnare contra vitia. Hinc Iob: Militia eſt vita hominis ſuper terrã. In hac militia (vt inquit Gerſon part.iiij.ſer. Dominicæ primæ Aduentus, de gula) neceſſe eſt die quolibet præliari contra omnem maledictam ſocietatem tyranni capitanei, peccati mortalis, falſi proditoris, qui eſt ſine numero. cõtra eũ ſe tenent pro humano genere domina pœnitentia, & omnis multitudo virtutum, quarum gratia Dei eſt Regina: alioquin tota humana natura iamdudum fuiſſet amiſſa.

Miraculum eſt res, quæ vnde manauerit, aut qua ratione conſtiterit, dignoſcere eſt arduum, vt elicitur ex prologo vltimi cap.1.li. Valerij Max. Vel ſic: Miraculum eſt quicquid præter naturæ vſum euenit; & ideo in admirationem nos trahit. Et venit miraculum à miror. Mirari autẽ propriè eſt re aliqua tanquam noua obſtupefieri. Aliquando mirari eſt cum voluptate & delectatione intueri, & aliquãdo venerari. Hinc admirabile, id eſt admiratione dignũ: & admirabũdus, id eſt admiratione plenus, &c. Miraculum ſecundũ Alexan. de Ales, part.ij.q.xliij. memb.x. prope finem. & poſt eum ſcribit Gab. di. viij.q.ij.ar.iiij.dub.j.lib.ij. largè acceptum, eſt operatio vel opus quod fit præter ſolitum naturæ curſum. Et adſtipulatur Auguſtinus in de vtilitate credendi, qui ait: Miraculum eſt arduũ aliquod & inſolitum ſupra ſpem & facultatem exiſtens admirantis. Arduum dicitur ſecundũ Alexã. ſupra poteſtatem naturę. Vel dicitur arduum, quia ſolus Deus facit. Fit enim miraculum (vt inquit Brulef. di.vij. q.xj.lib.ij.) in iſtis operibus in quibus natura pro tunc non poteſt, vt quod fiant roſæ in hyeme. Vel dicitur arduum, quod ſolus Deus id facit. Ita opus incarnationis eſt miraculum, & productio Euæ ex coſta. Item iuſtificatio peccatorum (inquit Brule.) quod maius eſt miraculum quàm cęlum & terram creare, vt vult Iacobus de Valentia in Pſal.74. & Pſal.87. Item reſurrectio generalis erit miraculum. Hæc latè deducit Bruleſer vbi ſupra. Dicitur inſolitum, quod eſt contra ſolitum curſum naturæ, ſicut illuminatio cæci. Supra ſpeciem virtutis humanæ, ſupra facultatem, id eſt ſupra rationem & poteſtatem admirãtis. Propter primum, eclypſis Solis non eſt miraculum: propter ſecundum, creatio animæ intellectiuæ: propter vltima duo reſpectu Dei nullum eſt miraculum, quia nihil eſt ſupra facultatem Dei. De ratione autem miraculi propriè ſumpti, tria ſunt, vt ſcriptis reliquit Richardus di.xvij. artic.iiij. quæſt.iiij. libr.iiij. Vnum eſt, quod fiat per actiuam potentiam ſupernaturalis agentis, quod opere naturæ fit: & ſi quandoque ſit mirabile, eò quòd ignoretur cauſa, ſecundum Auguſtinum xxj. de Ciuitate ca.iiij. tamen miraculum non eſt. Aliud eſt, quod in materia non ſit aliqua diſpoſitio, niſi ſolum pura potentia obedientiæ ad hoc quod in ipſa vel de ipſa fiat illud opus, quod eſt miraculum. Tertium eſt, vt ſit præter modum conſuetum. Vnde dicit Auguſtinus primo libro retract. cap.xiij. quod ſi ſolita eſſent, miracula non eſſent. Quamuis autem non omne mirum vel mirabile ſit miraculum, tamen omne miraculum, & eſt mirabile,

rabile, & eſt mirum. Et propter iſta tria dicitur, quod miraculum eſt opus arduum præter curſum naturæ & inſolitum. Hæc Richardus, qui & ibidem vult, quod iuſtificatio impij, quæ fit de lege communi, nõ eſt miraculoſa, quia non eſt inſolita, & de lege communi requiritur aliqua diſpoſitio in adulto qui iuſtificatur, quamuis effectiuè fiat per potentiam ſupernaturalem agentis. Iuſtificatio autem impij præter legem communem, quæ fit ſi Dominus iuſtificat adultum aliquem, qui priùs ſe non diſpoſuit, miraculoſa eſt: quia in tali iuſtificatione ſunt omnia illa tria, quæ ad miraculũ requiruntur. De quo & ſupra dictum eſt in dictione *Iuſtificatio*.

Miraculum poteſt dupliciter contingere. Vel quantum ad rem factam, vel quantum ad faciendi modum, quantum ad rem factam: quando effectus vel res producitur non concurrente cauſa ſecunda naturali. Aut in ſubiecto non habente ordinem naturalem ad talis effectus ſuſceptionem. Exemplum primi, vt eſt creatio noui effectus inſoliti ſecundũ ſe totum de nihilo. Exemplum ſecundi, vt ſuſcitatio mortui cadaueris, illuminatio cæci nati: ſic partus Virginis, dimenſionum penetratio, replicatio eiuſdem corporis ſimul ad loca diſtincta circunſcriptiuè locantia, ſunt miracula. Secundò, quantum ad faciendi modum tantum, cùm aliquid producitur à cauſis naturalibus, ſed in mora breuiore quã ſit ſolitus naturæ curſus, propter inconſuetam & ſubitam applicationem actiuorum & paſsiuorum. Illo modo ſubita productio ranarum de puluere terræ, quæ tamen fieri poſſet per naturam tempore longiore, dicitur miraculum quantum ad modum, non quantum ad factum. Et hoc verum ſi huiuſmodi effectus educantur de potentia materiæ, ſic quaſi ſubitò qualificatæ & diſpoſitæ. Formæ enim ſubſtantiales non producuntur ſeu generantur in materia, niſi materia diſpoſita. In termino autem diſpoſitionis forma inducitur inſtãtaneè ſiue ſubitò, ſicut eſt in ligno igne appoſito, quod dum ſufficienter calefactum eſt & exiccatum in omnibus eius partibus vniformiter, ſubitò erumpit flamma. Vide latiùs Gab. di. viij. q. ij. art. iiij. lib. ij. Et quantò diſpoſitio materiæ acceleratur per celerem actiuorum applicationem, & impedientium remotionem, tantò effectus celerius producitur. Vnde ſi illa ſucceſsiua & moroſa applicatio maturantiũ fructus arboris fieret ſubitò, ſubitò produceretur fructus: ſicut fieri potuit in virga Aaron ſubitò producente gemmas, flores & fructus. Nume. 17. & ita de aliis. Et ſicut dicit ſanctus Auguſtinus in de mira. ſcripturæ, quod nihil eorum quæ fecit Deus per Moyſen & Aaron, contra naturam factum eſt, id eſt non contra poſsibilitatem naturæ quodammodo ordinatè ad illa: vt cùm ex aqua factus eſt ſanguis, & ranæ ex puluere, cyniphes, & locuſtæ, &c. Erat enim materia illorũ in potentia ad huiuſmodi formas. Sic ergo in his operibus non fuit miraculũ quantũ ad factũ, ſed quantũ ad modum faciendi, vt protinus fieret, quod per naturã fieri poſſet ſucceſsiuè. Et hunc modũ ſubdiſtinguit Alexan. Nam aut huiuſmodi operatio fit ſubitò, id eſt in inſtanti, & ſic fit à diuina virtute: & ſic propriè dicitur miraculum. Vel fit ſubitò ſeu repentè, id eſt in tempore, quaſi imperceptibili: & ſic dicit, quod verè non eſt miraculum dicendum, ſed mirabile. Sed quia difficilè poſſunt illa diſtingui, quando ſic vel ſic fiant: ideo frequenter miraculum pro mirabili, & econuerſo, mirabile pro miraculo accipitur, quamuis differant miraculum & mirabile, vt infra videbis in dictione *Natura*. Clariùs ſubdiſtinguit Gabriël vbi ſupra. Nam illæ conuerſiones vel mutationes, in inſtanti, vel repentè, poſſunt dupliciter fieri. Vel ſic quod effectus illi non producuntur à principiis naturæ, ſed immediatè à Deo, ſiue in inſtanti, ſiue ſucceſsiuè, & tunc eſt verè miraculum ſecundum primum modum, licèt eundem effectum naturæ poſsit producere in tempore. Alio modo poteſt effectus produci à principiis naturæ in inſtanti, vel in tempore ſubitò, propter inſtantaneam vel repentinam applicationem actiuorum paſsiuis præter ſolitum naturæ curſum, & tunc nõ eſt propriſsimè miraculum, ſed propriè mirabile, hoc eſt miraculum ſecundo modo. Nam & natura poteſt producere effectum in inſtanti diſpoſito recipiente. Sic tenet Philoſophus de lumine & viſione. Hæc Gabriël vbi ſupra.

Miracula ſunt duplicia. Vera & miracula falſa, ſiue mendacia, vt ſcribit Gabriël vbi ſupra. Miracula vera dicuntur ea, quæ ordinantur ad bonũ finem, ſcilicet eruditionem Eccleſiæ, & ſalutem fidelium: talia ſunt miracula bonorum Angelorum & ſanctorum. Miracula falſa & mendacia ſunt, quæ ordinantur ad deceptionem & ſubuerſionem videntium: licèt quandoque res illæ veræ res ſint quæ videntur. Vnde omnia miracula dæmonum ſunt ſigna falſa & prodigia mendacia. Et ſecundum hoc dicit Apoſtolus 2. ad Theſſal. 2. de Antichriſto: Cuius eſt, inquit, aduentus ſecundum operationem Satanæ in omni virtute & ſignis, & prodigiis mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis his qui pereunt. Intendit enim homines decipere per miracula ſua, & facere credere non Deum eſſe Deum, & ſeducere in interitum ſempiternum. Et ideo omnia eius miracula ſiue fiant per veram rerũ immutationem, ſiue per apparentiam ſolum & illuſionem, falſa ſunt & mendacia ſigna. Et quamuis miracula propriè ſecundum primũ modum ſuprapoſitum dæmones facere non poſſunt, quia nõ poſſunt facere, aut inducere res aut formas nouas in ſubiectum vel materiam non diſpoſitam ad earum ſuſceptionem: poſſunt tamen facere miracula ſecundo modo dicta. Patet primum, quia nõ poſſunt facere aut inducere res aut formas nouas in ſubiectum vel materiam non diſpoſitã ad earum ſuſceptionem. Patet ſecundũ, quia poſſunt repentè actiua paſsiuis applicare præter ſolitũ naturæ curſum, propter quem ipſa actiua producũt veras res de nouo, quæ taliter iam ſubitò produci non poſſent, niſi dæmonum miniſterio actiua paſsiuis applicarentur. Vnde dicitur Exod. 7. quod virga Aaron proiecta, verſa eſt in colubrũ: fecerunt autẽ malefici per incantationes Ægyptiacas, & arcana quædã similiter, & proiecerũt ſinguli virgas ſuas quę verſæ ſunt in dracones. Sicut ergo verſio virgæ Aaron in colubrum fuit vera, ſic & virgarũ Magorum Pharaonis in dracones facta eſt, ſecundum ſanctum Auguſtinum, non phantaſticè, ſed verè vel collectione ſeminum, vel aliter, vt patet per gloſſam ibidem.

M I

Et ſecundum Auguſtinum, dæmones quamuis mali, naturam tamen ſuam non amiſerunt. Ideo dum per incantationem eorum malefici aliquid efficere conantur, diſcurrunt per mundũ, & ſubitò ſemina eorum, de quibus hoc agitur, afferunt. Sicq; ex illis permittente Deo, nouas rerum ſpecies producunt. Hæc Gloſ. Et plura de hoc in dictione *Maleficium*. Omnia quoque dæmonum miracula, etſi aliquando quãtum ad rem de nouo productam vera ſunt, tamen quãtum ad finem ſigna ſunt mendacia, quia omnia operatur ad fallendum & perdendũ homines. Idcirco differunt miracula Dei & dæmonum, vt ſcriptis mandarunt Brulefer diſt.vij.q.xj.lib.ij. Guil.Scotiſta & S.Tho.di.vij. lib.ij.q.j.art.iij.& frater Pelbartus libr.ij.Roſarij Theol. in dictione *Dæmones*.§.lv.quia hic Deus, ibi diabolus operatur. Vel miracula Dei fiunt ab ipſo Deo: dæmones autem ſua faciũt miniſterialiter. Alio modo, quia miracula Dei fiunt per publicam iuſtitiam, ſecundum veritatem & apparẽtiam, dæmonum fiunt per priuatos contractus. Et ſic differũt ex parte miniſtrorum. Differũt & ratione vtilitatis, quia ſemper per miracula Dei ſunt ad vtilitatẽ Eccleſiæ vel aliquorum, vt ad augendam fidem, vel cõfirmandum, vel ad ſanationem infirmorum. Sed miracula dæmonum ſunt ad ſolam vanitatem & curioſitatẽ, vt volitare per aëra, facere ranas, & huiuſmodi. Differũt & ratione finis, quia miracula diuina ordinãtur de ſe & ex intentione Dei ad laudem & gloriam Dei, & ad vtilitatem Eccleſiæ: ſed diabolica ad commodum proprium, vel ad fraudem vel deceptionẽ, aut vanam gloriam, ex intẽtione dæmonis facientis. Vnde Antichriſti miracula, dicuntur ſigna mendacia, 2.Theſſ.2.eò quod fallere intendit animas.

Miraculum, ſignum, & prodigium, differũt, vt ſcribit Bruleſ.di.vij.q.xj.libr.ij. quia ſigna ſunt parua miracula, prodigia verò ſunt magna. Vnde dicitur de ſancto Stephano, quod fecerit ſigna & prodigia magna in populo, plenus gratia & ſpiritu, ſicut eſt reſuſcitatio mortuorũ. Signum, facere ranam. Miraculum eſt commune vtriſque. Differunt & miraculum & mirabile: de quo in dictione *Natura*, videbitur. De miraculis multa literis mandauit Gerſon. Vnde parte ij.ſer.de quatuor domibus, Dominica nona poſt Pentecoſtes: dicit & tenet nullum propriè & verè dictum miraculum ab alio quàm à Deo poſſe creari, quoniam ſolus eſt qui ſuper omnem cauſarum naturalium curſum & ordinem dominatur. Multorum tamen fuit ſententia, & inter alios vt opinatur, Auguſtinus fuit: Deum per malos nonnunquam mirabilia operari: & hoc non fit falſi teſtis, abſit: ſed in damnationem tam illius qui facit, tam illorum qui ſeduci & erroribus excæcari meruerunt. Et quemadmodum dicunt de Antichriſto ad probationem electorum. Vnde Apoſtolus: Sine charitate montes poſſe transferri non negat. 1.Corinth.13. Et de nouiſsimo die aiebat Chriſtus: Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: quia nunquam noui vos. Matth.7. Et de pythoniſſa Samuẽlis Prophetæ verè ſuſcitatrice. 1.Regum 28. Et Iuda, ſatis cogens eſt argumentum. Miracula verò quæ ſancti fecerunt, per Dei virtutem ea fecerunt, vt apud eundem Gerſonem videre licèt. Ponit & multas cauſas quare tam Martyres quàm Confeſſores, viri & mulieres fecerũt & faciunt miracula, in opuſculo Gerſon parte ij. contra impugnantes ordinem Carthu. ſcilicet vt prædicatio eorũ & nomen Ieſu Chriſti, in quo tantum eſt ſalus, efficax probaretur. Sic Petrus claudum, & per illum octo milia Iudæorũ ſanauit: illos in anima, iſtum in corpore & in anima. Sic & cæteri Apoſtoli non ad oſtenſionem ſuæ ſanctitatis, ſed ad exaltationem nominis Chriſti. Aliquando ne prædicatio propter miniſtros contemnatur. Aliquando ad confirmationem Chriſtianorum nõdum plenè in fide fixorum. Alias cauſas vide apud eundem. Et plura ibidem de miraculis, parte j.de poteſtate Eccleſiaſtica, ait: Poteſtas faciendi miracula, dicitur donum gratis datum, conueniẽe potens cuilibet ex fidelibus, prout ad ædificationem Eccleſię iudicabit expediẽs ſpiritus ſanctus, qui diſtribuit ſingulis prout vult. Et miracula huius temporis (vt idem ait epiſtola ad Magiſtrum Vincentium) ſuſpecta ſunt, niſi facta priùs examinatione diligenti, &c. Et in ſerm. vbi ſupra. ſi ætas noſtra fidei & moris inops habeat miracula, incredulitatis noſtræ ſigna ſunt, & damnationis (niſi melioremur) indicia. Plura aliàs de miraculis Magiſter Ioannes Gerſon. Nec tamẽ eſt contra Dei ordinationem etiam hoc tempore fieri miracula. Non enim (vt ait Iſaias) abbreuiata eſt manus Domini, vt non poſsit redimere. Cùm igitur (vt ait Gerſon par.ij.in fine.de mirabili victoria cujuſdam puellæ) reuelatione occultorum, & operatione miraculorum genus humanum indiget excitari & reuocari, nunc in vno populo, nunc in alio, piè cenſendum eſt talia nobis non denegari. Sicut enim poteſtatẽ ſuam non alligauit ſacramentis: ita nec alligauit eam alicui tẽpori, locis aut perſonis: quimimo in multis eius miſerationibus ſemper aſsiſtit humano generi, congrua remedia & auxilia prouidendo. Hæc Magiſter Ioannes Gerſon Cancellarius Pariſieñ. qui & aliàs plura de miraculis ſcripſit.

Myrrha arbor quædam Arabiæ. Virtus autem paſſionis Chriſti metaphoricè myrrha dicitur, propter accommodam ſimilitudinem, vt ſcribit Iacobus de Valen. Pſalm.44. Nam myrrha eſt quædam parua arbor aromatica, quæ naſcitur in Arabia, cuius ſuccus etiam dicitur myrrha: quæ quidem arbor agitata à ventis contrariis, ſcilicet ab Aquilone & Auſtro: emittit ſudorem precioſiſsimum ad modum gummi, quę dicitur prima myrrha, ſed quia non poteſt exire multũ de ſucco primo modo: ideo agricolæ vulnerant arborem faciendo paruam inciſionem in latere trunci, & ſic emanat copia ſucci & liquoris. Et ſic totus ille liquor, qui egreditur ab illa arbore in menſe Martij, tam per agitationem ventorum, quàm per inciſionem factam in latere, dicitur myrrha prima & electa, virtuoſiſsima & precioſiſsima præſeruans ab omni corruptione, & ſanans, & deſiccans omnem putredinẽ. Iſte autem liquor qui emanat in ſequentibus menſibus, dicitur myrrha ſecunda: quæ licèt ſit bona, tamen non eſt tanti valoris & virtutis. Ad huius ergo a[illegible]is liquoris ſimilitudinem tam Chriſtus quàm ſua paſſio di-

ſio dicitur prima myrrha, & electa. Nam in menſe Martij Chriſtus fuit agitatus & afflatus à duobus ventis contrariis, ſcilicet à Iudæis, & à Pilato cum ſuis miniſtris de populo gentili, qui primò in horto emiſit ſudorem ſanguinis, poſtea per flagella & clauos, & vltimò per vulnus lateris exiuit ſanguis & aqua in remiſſionem peccatorum. Vnde omnia ſacramenta receperunt virtutem. Hæc Iacobus de Valentia.

Miſeria eſt copia tribulationis, & inopia conſolationis, quando multifariè quis patitur, & à nemine releuatur, ſecundum Auguſt. lib. diffinitionum. Summa autem miſeriarum ineuitabiliũ medicina eſt obliuio, inquit Gerſon tract. j. circa principium ſuper Magnificat. In duobus verò conſiſtit poſt lapſum noſtra miſeria, vt ſcribit Iacobus de Valẽtia. Pſalm. 89. Primo, quod fuit nobis abbreuiata vita. Secundò, quia illa breuis vita eſt variata per multas ætates, & infirmitates, & defectus. Nam incipimus ab infantia, & mutamur in pueritia, & exinde in iuuentutem, & exinde in ſenectutem, & exinde in decrepitum. In quibus ætatibus ſunt multi & varij defectus, & infirmitates & miſeriæ, imo quantò magis creſcunt dies, magis creſcunt miſeriæ, & ſic nunquam homo in eodem ſtatu permanet. Hinc dicitur: Multæ tribulationes iuſtorum. Et per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum. Et illud: Omnes qui piè volunt in Chriſto viuere, perſecutionẽ patientur. Et item. In mundo preſſuram habebitis. Et illud: Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum. Hoc tamẽ ſuaue eſt Apoſtolis & martyribus. Item corpus caſtigare ieiuniis, animam afficere lachrymis & orationibus, voluntatem propriam odire, ſolitudinem amare, ſed ſuaue hoc eſt veris Chriſti confeſſoribus & virginibus. De quo vide latiùs Gerſonem parte ij. ſermone de verbis Domini. Venite ad me omnes qui laboratis. Et anima apud Gerſonem, parte iij. de mendicitate ſpirituali, in principio conqueritur ſe eſſe detruſam in hunc tetrum ac doloroſum carcerem præſentis exilij: & ſe eſſe pauperẽ, ægrotam, captiuam, læſam, ſauciam, nudam, omnibus egentem. Plura ibi de miſeria humana ſcribit Cancellarius. Et vt ſub vno cõcludantur omnia de vniuerſitate bonorum, in profundum omnis miſeriæ ſumus iniecti poſt peccatum primi parentis.

Miſeria eſt duplex, ſcilicet pœnæ, & culpæ, vt ſcribit Gabr. diſt. iiij. qu. vnica, libr. ij. Vnde ſecundum eum angeli miſeria pœnæ poterant eſſe miſeri in primo inſtanti creationis de potentia Dei abſoluta, quantum ad afflictionem & incommodum, licet talis afflictio non fuiſſet propriè pœna, quia pœna connotat culpam. Pœna enim dicitur illatio incommodi, ſeu afflictio pro culpa commiſſa, tunc autem non præceſſit culpa, potuit autẽ infligi à Deo immediatè pro illo primo inſtanti, ſicut dari beatitudo. Vnde ſanctus Aug. iij. de libe. arb. Si Deus ab initio feciſſet hominem in pœna, non eſſet propter hoc Deus vituperandus, aut iniuſtus. Sed de miſeria culpæ, quamuis aliqui opinati ſunt, quod angelus in primo inſtanti non potuit peccaſſe, tamen dico (inquit Gabr.) quod Angelus in primo inſtanti potuit fuiſſe in miſeria culpæ, quia potentia perfecta ad operandum, & non limitata ad rectè operandum, poteſt operari non rectè, talis eſt angelus, habuit enim in illo inſtanti volitiuam perfectam, & tunc potuit habere perfectam volitionem, & non limitabatur tunc ad rectã operationem plus quàm in ſecundo inſtanti, quia non fuit confirmatus plus in primo inſtanti quàm in ſecundo: potuit ergo habere operationem non rectam, potuit enim ſe amare amore amicitiæ ſuper omnia contra rectam rationem. Vide latiùs Gabr. ibi.

Miſericordia eſt ægritudo animi ob alienarum miſeriarum ſpeciem, ſecundum Sene. li. de clementia. Miſericordia ſecundum Damaſ. li. ij. c. xiiij. eſt triſtitia in alienis malis. Vel miſericordia eſt ægritudo extrinſeca alterius iniuria laborantis. Nemo enim parricidæ, aut proditoris ſupplicio miſericordia commouetur, ſecundum Cice. li. Tuſcul. quæſt. Miſericordia eſt alienę miſeriæ in noſtro corde cõpaſſio, qua vtique ſi poſſumus ſubuenire, compellimur, ſecundum S. Aug. libr. ix. de ciuit. Dei, & S. Thom. prima parte. qu. xxj. ar. iij. Miſericordia ſecundum Paluden. di. xlvj. libr. iiij. dupliciter accipitur. Vno modo pro paſſione, per quam aliquis cõpatitur alteri patienti, quaſi partẽ paſſionis alterius in ſe ferens. Alio modo accipitur pro actu vel habitu voluntaris, quo aliquis vult ſubleuare miſeriam alterius, accipiendo miſeriam primo modo, ipſa nõ eſt in Deo, quia miſericordia vt dicit paſſionem, Includit in ſe triſtitiam & pœnam, ſed nec triſtitia, nec pœna poſſunt eſſe in Deo, ergo nec miſericordia vt eſt paſſio. Sed accipiendo ſecundo modo miſericordiam pro voluntate releuandi miſeriam alterius, ſic eſt in Deo, quia Deus nihil agit circa nos niſi volens, ſed Deus per ſua beneficia miſerias noſtras frequenter releuat, ergo in ipſo eſt voluntas tales miſerias releuandi. & per conſequens miſericordia ſecundo modo. Paludenſis. Vnde miſericordia duo importat, vt literis prodidit Rich. di. xlvj. ar. ij. q. j. lib. iiij. Vnum tanquã eſſentiale, aliud tanquam accidentale. Primum eſt promptitudo volũtaris ad ſubueniendum miſeris, in quo conſiſtit tota virtutis miſericordiæ eſſentia. Aliud eſt paſſio triſtitiæ, quæ oritur in appetitu ex cognitione miſeriæ alterius, quantum ad primũ ſummè eſt in Deo, ſed non quantum ad ſecundum. Nec propter hoc minus eſt in Deo eſſentia miſericordiæ, quia illa triſtitia eſt ab ea ſeparabile accidens, quamuis ab illo accidente imponatur nomẽ miſericordiæ, ad ſignificandum. Vnde ſecundum etymologiam vocabuli poteſt dici miſericordia, quaſi miſeria cordis ex cognitione alterius miſeriæ generata, vide ad hoc Scotum diſt. xlvj. q. ij. li. iiij.

Miſericordia eſt duplex, ſcilicet liberans, & parcẽs, vt ſcribit Scot. di. xlvj. q. iiij. lib. iiij. Miſericordia liberans totam miſeriam excludit: parcens, ſed non liberans, partem eius quæ debetur excludit, & in punitione eſt miſericordia parcens. Melius fundamentum habetur Iaco. 2. Miſericordia ſuperexaltat iudicium, quia quantò ad aliquod opus concurrunt plures virtutes, tantò illud eſt perfectius. Si ergo iudicium ſit à iuſtitia, & cum hoc miſericordia, tantò perfectius eſt, ſi autem eſt infligendo aliquod quod iuſtitia dictat infligendum, remittitur aliquid ad

quod miſericordia inclinat remittendum, & ſic iudicium diuinũ ſuperexaltat miſericordia, pro quanto perfectius eſt ex miſericordia, quàm eſſet ex ſola iuſtitia. Vnde miſericordia Dei tantò maior demonſtratur (inquit Iaco. de Valen. Pſal. 105.) quantò maioribus peccatoribus & rebellibus & ingratis præſtatur, vt & latiùs ibidem oſtendit.

Miſericordia (vt ſcribit S. Bona. di. xlvj. art. ij. qu. ij. li. iiij.) ſimiliter & iuſtitia dicitur tripliciter. Vno modo miſericordia largiſſimè dicitur diuinæ bonitatis affluentia. Communiter verò dicitur benignitas in ſupererogatione bonorum. Strictè verò dicitur pietas in ſubleuatione malorum. Similiter & iuſtitia dicitur communiſſimè diuinæ bonitatis condecentia. Communiter verò dicitur liberalitas in retributione præmiorum. Strictè, ſeueritas in punitione malorum. Secundum hos tres modos (vt idem ait) concurrunt in eodem opere miſericordia & iuſtitia Dei. Omnia enim facit ex affluenti benignitate, & nihil facit ex affluẽti bonitate, quod non decet bonitatem ſuam, & hoc quo ad primum modum, ſed quo ad ſecundum modum, quia cum tribuit bona, non retribuit niſi merenti, & ſuper illud quod meruit. Tertio modo ſimul concurrũt, quia nunquam ita ſeuerè punit, quin aliquod debitum de pœna dimittit, vide ad hoc Tho. Argenti. Concordat Richard. qui ait poſt alia di. xlvj. art. ij. q. iij. li. iiij. inquantũ enim remunerat ſecundum condignum, eſt in illo opere iuſtitia, inquantũ verò præmiat vltra condignũ, eſt in illo opere miſericordia. Similiter inquantũ punit malos, eſt in illo opere iuſtitia, inquãtum verò punit circa condignum, eſt in illo opere miſericordia. Adſtipulatur his Paluden. quẽ videre potes, qui plura de hoc ſcribit.

Miſericordia Dei eſt duplex, vt ſcribit Petrus de Paluden. di. xlvj. q. j. ar. iij. libr. iiij. ſcilicet, liberans, & relaxans. Nam ſicut homo (vt ipſe inquit) miſericors nõ repellit laudabiliter, nec virtuoſè miſeriam alienam, niſi quantum ratio iudicat, ſic Deus non repellit miſeriam noſtram, niſi quantum ordo ſuæ ſapientiæ iudicat eam repellendã, quæ ſi ſecundum ordinẽ diuinæ ſapientiæ totaliter repellatur, vocatur miſericordia liberans. Si verò non totaliter liberatur, ſed de ea aliquid minuatur, vocatur miſericordia relaxans. Eadem Scotus vbi ſupra. Iuſtitia quoque diſtributiua ponitur in Deo ſecundũ eundem reſpectu creaturarum, inquantum omnibus creaturis dat ſecundum vniuſcuiuſq; dignitatẽ. Iuſtitia autẽ & miſericordia vt ſunt in Deo, nõ differunt realiter, nec differũt ex natura rei formaliter, differunt ſolùm ſecundum rationem ſeu conceptibiliter. Et quod peccator pœna infinita damnetur, eſt ratio, quia peccauit in Deum, qui eſt bonum infinitum. Qualitas autem culpæ communiter penſatur ſecundum dignitatem perſonę per culpã offenſæ. Item Deus in puniendo non ſeruat menſuram & tantitatem ſecundum æqualitatem quantitatis: puta, quod tantum det de pœna, quantum ipſe reus meruit, ſed ſeruat menſurã & tantitatẽ ſecundum æqualitatem proportionis, quia maiorem peccatorem magis acerbè punit, & minorẽ minus. Hæc ſcribit Tho. Argen. di. xlvj. li. iiij. &c.

Miſericors à compatiendo alienæ miſeriæ vocabulum eſt ſortitus. Et hinc appellata eſt miſericordia, quia miſerum cor facit aliena miſeria, ſecundũ Iſidorum lib. Etymologiarum. Et qui miſericordiam cõſequi voluerit, faciat miſericordiã, vt vult Gerſ. tract. vij. ſuper Cãtico virginis, cũ inquit. Si vis miſericordiã, fac miſericordiam & ama eã: ſerua leges cutiæ quas dictat miſericordia. quales leges? Dimittite, & dimittemini: nolite iudicare, & nõ iudicabimini: date, & dabitur vobis. In qua enim menſura menſi fueritis, remetietur & vobis. Deniq; iudiciũ ſine miſericordia fiet ei, qui non fecerit miſericordiã. Remota miſericordia, & quis iudiciũ ſuſtinebit, &c. Et opera miſericordiæ, vt idẽ refert tract. de cõſiderationibus, quas debet habere princeps, parte ij. Quædam ſunt corporalia, & ſeptẽ, alia ſeptem ſpiritualia, quæ duobus metris complexa ſunt. *Colligo, poto, cibo, tego, ſano, viſito, condo. Corrige, doce, ſolare, remitte, fer, ora.* De quibus aliàs dicitur, & in dictione *Eleemoſyna* dictum eſt. Tria bona conſequitur miſericor. (vt ſcribit Iacobus de Valen. Pſal. 111.) ſcilicet, bonos, virtuoſos, & pacificos filios. Secundo, Deus augmẽtat ei bona tẽporalia. Tertiũ præmium erit abſolutio à peccatis. Nã eleẽmoſyna extinguit peccatũ, & iuſtificat hominem, & præſeruat ipſum à peccato, & ſi eſt in peccato, illuſtrat ipſum & mouet ipſum ad pœnitentiã agendam. Et hoc vult Dauid Pſal. 111. cũ ait: Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis. Potens in terra erit ſemen eius, & iuſtitia eius manet in ſeculũ ſeculi, &c. Et ſicut miſeratio Dei (vt idẽ Iacobus ait) eſt maximum opus inter omnia opera Dei, ita opera miſericordiæ ſunt maiora inter omnia opera hominis & maioris meriti, excepta latria, quæ debetur Deo. Et (vt idẽ vult) Deus maximè laudatur in operibus miſericordiæ exercẽdis, quia Deus magis laudatur opere, quã ore. Principiũ autẽ & cauſa miſericordiæ in omnibus eſt timor Domini. Ideo Dauid volẽs cõmendare miſericordiã in hominibus, incipit à timore Domini. Sed quia inter omnia mãdata Dei, de charitate eſt maius mandatũ, vt patet Matth. 22. & per totũ diſcurſum Euangeliũ. Et quia maximè Chriſtus in iudicio exiget à nobis opera charitatis & miſericordię, vt patet Matth. 25. Ideo omnis vir qui timet Dominũ, cupit adimplere opera & mandata charitatis & miſericordiæ. Hęc Chriſtopolitanus Epiſcopus.

Miſer & miſerabilis differũt, quod miſer eſt in miſeria cõſtitutus. Miſerabilis verò miſeratione dignus. Ouid. *Sic q; miſer ſemper: nec ſis miſerabilis ulli, &c.*

Miſſa capitur dupliciter, vt notat Gab. lect. lxxxix. canonis. Vno modo accipitur pro ipſa hoſtia ſacra. de quo venerabilis Hugo. li. ij. de ſacramẽtis, parte viij. c. xiiij. ait: Ipſa hoſtia ſacra miſſa vocari poteſt, quia trãſmiſſa eſt primũ, ſcilicet à patre nobis, vt nobiſcũ eſſet, poſtea à nobis patri, vt apud patrẽ pro nobis intercederet. Primũ à patre nobis per incarnationẽ, poſtea patri à nobis per paſſionẽ. Modò in ſacramẽto per paſſionis eiuſdẽ commemorationẽ. Primũ à patre nobis per ſatisfactionẽ, qui nobiſcũ eſſe incipit, poſtea patri à nobis per oblationem, qui pro nobis intercedit. Alio modo accipitur miſſa, quaſi tranſmiſſa, vel tranſmiſſio ſecundum eundem Hugon. quia populus fidelis per minuſ-

miniſterium ſacerdotis qui fungitur vice mediatoris inter Deum & homines, preces, ſupplicationes, vota & oblationes tranſmittit altiſsimo. Vel dicitur ab emiſsione cathecuminorum & excommunicatorum, ſecundum S. Tho. iij. parte. qu. lxxxiij. ar. iiij. & miſſa dicto ab emittendo, eſt idem quod emiſſa, vt ſcribit Bruleſ. di. xiij. q. iiij. libr. iiij. & iſta eſt miſſa cathecuminorum, quia mittebantur cathecumini antiquitus, quando ſacerdos incœpit offerre ſacra. Alia eſt miſſa ſacrorum, & durat vſque ad finem. Et dicitur miſſa à mittendo, quia ibi mittitur agnus, id eſt Chriſtus ad patrem ad dimittendum peccata noſtra. Alio modo poteſt dici miſſa à dimittendo, vt eſt in fine, quando populus dimittitur, quando, ſcilicet Diaconus dicit: Ite miſſa eſt. Vnde ſic exponitur. Ite miſſa eſt, ite ſupple ſecuri, quia miſſa eſt hoſtia, ſcilicet Chriſtus ad patrem, vt intercedat pro nobis. Vel vt exponit Gabr. lectio. lxxxix. canonis. Ite ad propria & pro veſtra, & fratrum corporali neceſsitate procuranda redite, quia miſſæ officium & preces pro vobis fundendæ ſunt finitæ. Ite, quia miſſa eſt veſtra oratio ac deuotio æternis illata ſedibus angelorũ, miniſterio ſanctorum, qui ob Chriſti reuerentiam miſſæ ſacrificio aſtiterunt, ob quam veſtram deuotionem & orationem cœleſtis pater greſſus veſtros ſalubriter dirigit in viam morum tutiſsimam & virtutum. Vel, ite miſſa eſt ſecundum primam acceptionem miſſę. Ite, miſſa eſt hoſtia Chriſtus mediator. Ite poſt ipſum, hoc eſt, ſequimini ipſum. Vide latiùs ibi Gab. Dicitur quoque miſſa per tranſſubſtantiationem ſubſtantiæ panis & vini in corpus Chriſti & ſanguinem, vbi incipit ſub vtraque ſpecie totus eſſe Chriſtus, quaſi de nouo eſſet miſſus. Vnde Magiſter di. xiij. libr. iiij. Miſſa dicitur, eò quod cœleſtis miſſus ad conſecrandum & viuificandum adueniat. Cœleſtis iſte miſſus ſicut exponit Innocentius, & refert S. Bonauen. di. xiij. circa tex. lib. iiij. eſt magni concilij angelus, iſte inquam mittitur ad conſecrandum, quia iſte eſt ſacerdos inuiſibilis, qui conſecrat & conficit hoc ſacramentum vbicunq; conficiatur, non tantum eſt hic miſsio, ſed etiam miſsio ſacrificij ad Deum per ſummum angelum, ſcilicet Chriſtum, aſsiſtentibus magnis angelis, propter quod in fine dicitur, ite miſſa eſt, & propter hoc miſſa rectè appellatur. Et de miſſa eſt loqui dupliciter, vt idem ſcribit S. Bonauen. q. iiij. di. xiij. libr. iiij. ſcilicet quantum ad ſubſtantiale quod eſt ibi, & hoc eſt confectio corporis & ſanguinis Domini, & quantum ad hoc æqualitas eſt in omnibus, quia vnum & idem ab omnibus fit. Sunt etiàm in miſſa aliqua circumadiacèria, ſicut petitiones, orationes, obſecrationes, & deuotus affectus, & quantùm ad hoc melior valet miſſa boni ſacerdotis, quia magis prouocat ad deuotionem, & ſi quis libentius audiat miſſam ſacerdotis deuoti, credo (inquit Bonauen.) quod bene facit, dum tamen credit ipſum in ſubſtantiali non ſuperexcedere peccatoris miſſam, alioquin periculoſe erraret. Conſonat Richar. diſt. xiij. ar. j. q. j. in fine lib. iiij. cùm ait. Quamuis virtus miſſæ principaliter conſiſtit in ſacramento, & quantum ad hoc æqualiter eſt bona miſſa celebrata à malo ſacerdote ſicut à bono, tamen quantum ad aliqua ſecundaria, poteſt eſſe miſſa boni ſacerdotis melior, quia quantum ad illa non habet efficaciam ex opere operato ſolùm, ſed etiam ex ſanctitate & deuotione operantis, & ideo cæteris paribus melius eſt audire miſſam à bono ſacerdote quã à malo. Hæc Richardus. Sunt autem quatuor de neceſsitate in miſſæ celebratione, vt ſcribit frater Oſualdus libr. iiij. Roſa. Theolo. ſcilicet ſacerdos, forma verborum, intentio, panis & vinum, &c.

Miſſa eſt duplex, vt ſcribit Gabr. lect. xiiij. canonis. Quędam eſt miſſa conuentualis ſiue popularis, quę tanquam principale diei officium in conuentu totius populi ſeu parochianorum diebus ſingulis celebratur, quæ & parochialis miſſa, ſolennis, publica vel ſumma quandoque appellatur. Alia eſt miſſa priuata, peculiaris vel votiua, quæ à ſacerdotibus ex ſpeciali inſtitutione, beneficio vel deuotione non ſic pro toto populo celebratur. Vide latiùs ibi Dominum Præpoſitum Gabr. per iura probantem ſingula.

De celebratione miſſæ. Laudabile autem eſt, imò laudabilius eſt (vt inquit Gerſon in regulis moral. de ſacramento euchariſtiæ (quàm oppoſitum cæteris paribus & ceſſante legitimo impedimento quotidie celebrare. De quo vide in dictione, *Euchariſtia* ſupra, & alias apud Gerſonem. Et miſſam celebrare in patenti loco bonum eſt (vt idem ſcribit tract. ix. ſuper Magnificat.) quod illic eſt oblatio vna & plures offerunt. Offert filius, offert ſpiritus eius ſanctus, offerunt angeli, offerunt ſacerdotes, offerunt fideles aſsiſtentes, qui quantò plures ſunt & deuotiores, tantò fit acceptior oblatio, quod valet pro celebrantibus in medio ſeu patenti Eccleſiæ loco. Et debet miſſa celebrari de die, non de nocte, vt vult Petrus de Palud. di. xiij. q. ij. lib. iiij. quia miſſa pertinet ad tempus gratiæ, quod per diem ſignificatur. Vnde nox præceſsit, dies autem appropinquauit. Et Chriſtus dicit: Sum lux mundi. In nocte tamen natiuitatis Domini, media nocte vel circa horam illam, & in nocte reſurrectionis, circa principium noctis celebrantur miſſæ, propter priuilegium & ſolemnitatem illarum noctium. Videatur ad hoc latius Richar. diſt. xiij. ar. ij. q. iij. lib. iiij. iura allegantẽ, & Gab. lect. xiiij. canonis. Communiter tamẽ ſolẽnis miſſę celebratio tribus horis inſtituta eſt fieri, ſcilicet, hora tertia, & ſexta, & nona. Celebratio enim miſſæ eſt memoriale paſsionis Chriſti, qui ſecundũ Aug. iij. li. de concordia euangeliſtarũ, crucifixus fuit hora tertia linguis Iudæorum, hora ſexta manibus militũ, & hora nona exſpirauit. Cõſuetudo tamen eſt vt non dicatur hora nona, niſi in diebus ieiuniorum, & maximè quãdo ordines celebrantur. Miſſæ autem priuatę dici poſſunt ab aurora vſque ad ſextam, & communis conſuetudo eccleſiæ obſeruat, quod in diebus non ieiuniorum ſolemnis miſſa celebretur inter tertiam & ſextam. Richardus vbi ſupra. Vide & de tempore celebrationis miſſæ Magiſtrum Guil. in rationali diuinorum. li. iiij. c. j. Celebrantur autem tres miſſæ die Natalis Domini. Prima quæ eſt ante diem, ſignificat tempus ante legem, quãdo eramus in tenebris. Secunda cùm dieſcit, & ſignificat tempus ſub lege, quando nondum plena Dei cognitio habebatur. Tertia, in die, ſcilicet plena & ſignificat

tempus

tempus gratiæ, quando iam plena cognitio habebatur. Richardus qu.iiij.vbi ſupra. Quod autē non celebratur miſſa in die paraſceues, eſt ideo vt idem ait, quia dupliciter repræſentatur ab Eccleſia paſſio Chriſti. Vno modo inquantum fuit in Chriſto ſecundum ſe & abſolutè. Secundo modo inquātum illius paſſionis effectus ſeu influentiæ ad nos perueniunt, ſeu in nos deſcendunt. De quo latiùs ibi Richar. Miſſa autem non debet celebrari niſi in loco ſacro, quia ſic inſtituit Eccleſia, vt patet in Decreto: in caſu tamen magnæ neceſſitatis permittūt iura celebrari in loco non ſacro, ſi tamen tabula ſit conſecrata, cæteraque ſancta myſteria ad illud officium pertinentia ibi affuerint, vt vult Richard. di. xiij. art. iij. qu. j. libr. iiij. Nec licet celebrare niſi ſuper altari lapideo, propter ſignificationē, quia Chriſtus petra dicitur. Richardus vbi ſupra. q. ij. Nec licet celebrare calice lapideo, nec ligneo, nec vitreo, propter periculum, ſed aureo vel argento, vt idem dicit. q. iij. vbi ſupra. Nec licet celebrare ſine igne, & veſtibus ab Epiſcopo benedictis, de quo latius legito Richar. q. iiij. vbi ſupra. Beatus autem Apoſtolus Petrus primus omnium Antiochiæ dicitur celebraſſe, ſecundum quod dicit Hugo. ij. lib. de ſacramentis. parte viij. c. vltimo, & de conſecra di. j. Iacobus dicitur. Iacobus cui primum credita eſt Hieroſolymitana Eccleſia, & Baſilius Cęſarienſis Epiſcopus, addiderunt nobis miſſæ celebrationem, id eſt ordinem celebrandæ miſſæ, ſecundum glo. ibidem. Et poſt alij alia addiderunt ad decorem & ſolennitatem, vt habetur xj. Eccleſiaſtica: ita ſcribit Richar. di. xiij. circa literam. Repelluntur autem à celebratione miſſæ quatuor hominum genera, ſcilicet hæretici, publici, ſciſmatici, ſimoniaci, fornicarij notorij, ab iſtis quatuor ſecundum Durandum prohibetur audiri miſſa.

Miſſa ſicca ſecundum Guil. Epiſcopum in rationali diuinorum dicitur, quum ſacerdos nō poteſt conficere, quia fortè iam celebrauit vel ob aliam cauſam: poteſt accepta ſtola Epiſtolam & Euangelium legere, & dicere orationem Dominicam, & dare benedictionem. De hoc latiùs vide ibi, qui & paulò pòſt ſcribit ſacerdotem poſſe vna die plures miſſas celebrare, ſicut in feſto natalis Domini, & vbi neceſſitas exigit: puta, ſi quis moriatur. Tertio, cauſa honeſtatis, vt ſi aliqua magna perſona ſuperueniens velit miſſam audire. Item propter peregrinos vel hoſpites, aut comeātes vel infirmos aut ſpōſos. Et propter raritatem clericorum, & paupertatem Eccleſiarum, ſacerdotes proprios non habentium. Legitur etiam quod Leo Papa ſæpè ſepties & aliquādo nonies eadē die miſſam celebrauit, ſacerdos tamen aliā miſſam eadem die celebraturus, in vltima tantum miſſa perfuſionem ſumat, quoniam ſi in prima ſumeret, ieiunus non eſſet, & ſic alia miſſa impediretur, aliàs autem quotiens celebrat, totiens corpus Chriſti & etiam perfuſionem ſumat. Hæc Guil. in rationali, &c.

De valore miſſæ. Poteſt miſſa valere dupliciter, vt ſcribit Scot. in quotli. & Bruleſ. di. xiij. q. iiij. l. iiij. ſcilicet ſpecialiſsimè, ſcilicet ipſi celebranti. Secundo generaliſsimè pro tota Eccleſia, tam pro viuis, quàm pro mortuis. Specialiter valet illis, pro quibus celebratur. Probabile autem videtur, vt ſcribit Scotus qu. xx. quotli. quod miſſa non ſolùm valet virtute meriti ſiue operis operantis, ſed etiam virtute ſacrificij, & operis operati. Vel non ſolum valet virtute meriti perſonalis ſacerdotis offerentis, ſed etiam virtute meriti generalis Eccleſiæ, in cuius perſona per miniſtrum communem offertur ſacrificium. Alioquin miſſa mali ſacerdotis, qui in illo actu non meretur perſonaliter, ſed demeretur, nulli valeret in Eccleſia, quod reputatur communiter inconueniēs. Nam quandocunque Chriſtus, vt ſummus ſacerdos offert, panis quem dat, id eſt caro eius eſt mundi vita. Iuxta illud Ioan. 6. Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. Et de valore miſſæ legito Gab. lect. xxvj. canonis, qui rem multis extendit & declarat. Nec non conſulas Dominum Cardinalem Camera. q. v. ar. j. lib. iiij. de valore miſſæ. Et Gerſonem, qui de miſſa per multa notanda ſcriptis reliquit, quæ omnia breuitatis gratia relinquo. Superſtitioſum autem eſt, friuolū, temerarium & vanum, imò nociuum aſſerere per auditionem miſſæ talia vel talia bona temporalia, quenquam aſſecuturum, vt ſcribit Gerſon parte. iiij. contra ſuperſtitioſos ſermones. Stat enim quod bona illa de quibus ibi dicit, quod aliquis illo die non moriatur ſubitò, non fiat cæcus, nec carebit ſuſtentatione ſufficienti corporalis vitæ, & ita de quibuſdam bonis temporalibus. Stat inquam quòd bona illa ſint alicui homini in detrimentum ſuæ ſalutis, & mala oppoſita in bonum ſuū. Ergo dicere quod miſſa vniuerſaliter conferat illa bona, eſt dicere quod in caſu miſſa deuotè audita operatur in præiudicium ſalutis æternæ. Pro hoc facit quod dicit Aug. multos in petitione proſperitatum exaudiri Deo irato, & patuiſſet in Apoſtolo de ſtimulo carnis. Et in pueris quotidie cernimus verbera eis in bonum prouenire. Non ergo pro temporalibus ſolum bonis audienda eſt miſſa. De quo latiùs legito Gerſonem vbi ſupra. Illa autem quæ requiruntur ad celebrationem miſſæ, ſicut ſunt veſtimenta, orationes & ea quæ in miſſa fiunt, repræſentant noſtræ redemptionis myſterium, quod in incarnatione fuit inchoatū, in natiuitate & prædicatione promotum, in paſſione completum, in reſurrectione declaratum, & ideo quædam repræſentant pertinentia ad incarnationem, quædam ad natiuitatem, quædam ad Chriſti prædicationem, quædam pertinentia ad paſſionem, quædā ad reſurrectionem. Quæ ſingula, ſcilicet veſtimenta, introitus, gloria in excelſis, epiſtola, offertorium, graduale, euangelium, præfatio, eleuatio, quid ſignificent legito apud Richard. di. xiij. ar. iiij. qu. iiij. li. iiij. quæ quia multa ſunt & longa, omitto, & aliàs illa videantur. De miſſa multi plura ſcripſerunt. Gabriël doctiſsimè in canone ſcripſit.

Mittere ſecundum S. Bonauen. di. xv. qu. iiij. lib. j. Vno modo importat differentiam ſubſtantialem, vt cùm importat dominium, vt cùm dicitur: Deus mittit Angelum. Alio modo diſtinctionem perſonalem, vt cùm importat auctoritatem in mittente & ſubauctoritatem in miſſo reſpectu mittentis, vt cùm dicitur: pater mittit filium. Tertio modo importat diſtinctionem ſolum, quantum ad modum intelli-

intelligendi, ſicut cùm dicitur, voluntas eſt inſtrumentum ſeipſum mouens, quia idem eſt mouens & motum. Similiter cùm dicitur: Spirituſſanctus mittit ſe, idem eſt mittens & miſſum, ratione differens, mittens inquam ſecundum quod eſt Deus, ſed miſſum ſecundum quod donum.

Mitti, vt ſcribit Dominus Cardinalis Came. qu. ix. ar. j. li. j. & poſt eum Gabr. di. xv. q. vnica, ar. j. li. j. eſt perſonam aliquam ab alia productam per nouã exiſtentiam in aliqua creatura rationali ſecundum ſpecialem modum exiſtendi in ea manifeſtare produci, & iſta manifeſtatio fit aliquid operando circa creaturam, per quam operationem perſona quæ mittitur, manifeſtari dicitur. Mittere verò eſt perſonam aliquam productam per nouam exiſtentiam in aliqua creatura rationali, ſecundum determinatum modum exiſtendi in ea manifeſtare produci. Gabr. vbi ſupra. Ex quo primo ſequitur quod mitti dicit proceſſionem temporalem, connotando æternam. Item duæ perſonę ſolum mittuntur, quia tantum duæ perſonæ producuntur. Et licet cũ mittitur filius aut ſpiritusſanctus, etiam veniat pater, & nouo modo exiſtat in creatura rationali, ſecundum illud Ioan. 14. Ad eum veniemus, pater, ſcilicet & ego filius, tamen pater non mittitur, quia non eſt perſona producta. Item mittere nõ importat productionem mittentis, ſed perſonæ miſſæ ſicut ly mitti. Item perſona mittit ſeipſum, quia perſona producta poteſt de nouo exiſtere in creatura rationali ſecundum nouum modum exiſtendi in ea, & in ea aliquid operari vnde manifeſtetur. Sic ſpirituſſanctus nouo modo exiſtens in Apoſtolis, & producendo ſonum & ignem ſuper capita Apoſtolorum, manifeſtauit ſuam præſentiam, & ſeipſum miſit. Item mittere conuenit tribus perſonis, ſed mitti non, quia tantum duæ perſonæ ſunt productæ. Item mittere & mitti important reſpectum eundem realem, ſcilicet productionem paſſiuam perſonæ miſſæ, & nullũ reſpectũ rationis, quia cõſideratio intellectus noſtri nihil operatur in huiuſmodi miſſionibus. Omniũ horum dictorũ (inquit Gab.) ratio, eſt impoſitio & vſus terminorum, qui colligitur ex modo loquendi Magiſtri, & ſanctorum. Et mittere non eſt dictio notionalis, ſed omnibus tribus perſonis communis. Mitti non conuenit patri, quia mitti eſt perſonam productã creaturæ dari, ſed pater non eſt perſona producta. Vnde Aug. iiij. de trini. Si etiam pater viſibilis mundo apparuiſſet, non niſi abſurdiſſimè à filio vel ſpiritu ſancto diceretur mitti. Cõuenit igitur mitti ſolum duabus perſonis, ſcilicet productis. Aſſentitur huic S. Bonauen. di. xv. qu. iij. lib. j. cùm ait. Miſſio ſemper duo habet ex ſuo intellectu, ſcilicet emanationem, & manifeſtationem per effectum, quia ergo importat emanationem, paſſiuè miſſio dicta eſt.

Hinc eſt quod cùm pater omnino careat principio, quod de ipſo nullo modo poteſt dici miſſio paſſiua. Et vt idem dicit in fine quæſtionis. Mitti non remouetur à patre, quia dicit ignobilitatem, ſed quia dicit emanationem & ſubauctoritatem, quæ quamuis non ſit ignobilitatis, tamen non conuenit patri. Et mitti ſecundum Augu. iiij. de trin. eſt cognoſci eſſe ab alio, & tunc filius mittitur, cùm ex tempore cuiuſquam mente percipitur. Quia ergo

principaliter miſſio importat manifeſtationem, & connotat in miſſo emanationem, vt inquit S. Bonaueu. qu. iiij. vbi ſupra, ideo manifeſtatio ſumitur per hoc quod eſt mittere per modum actionis, & per hoc quod eſt mitti per modum paſſionis, ſed emanatio vtrobiq; vniformiter. Vnde ſenſus eſt, pater mittit filium, id eſt declarat ſiue manifeſtat filij emanationẽ, ſiue filiũ emanare. In paſſiua verò ſenſus eſt, filius ſiue ſpirituſſanctus mittitur, id eſt manifeſtatur ab alio emanare. Pater itaq; mittit filiũ, & filius mittitur à patre, quia filius emanat à patre, & manifeſtatur à patre. Vide latiùs ibi S. Bona.

Miſſio eſt duplex, ſcilicet viſibilis, & inuiſibilis, de quo vide & infra in dictione *proceſſio*. Miſſio viſibilis ſic deſcribitur. Eſt aliqua apparitio rerum corporalium facta circa creaturam rationalem humanam, eidem creaturæ rationali repręſentans miſſionem inuiſibilem perſonæ. Bruleſer diſtinctione decimaſexta, libri primi. Concordat Gabriël diſtinctione xvj. quæſt. vnica, libr. j. Miſſio inuiſibilis, vt ait Gabr. eſt hominis per gratiam gratum facientẽ adoptatio ſine ſigni alicuius ſenſibilis oſtenſione. Quando, ſcilicet ſpiritus ſanctus per gratiã, quã inuiſibiliter animæ infundit eam illapſu ſanctificatiuo acceptat ad vitam, & in filium regni ac hæredẽ Dei adoptat: talis modi inuiſibilis gratiæ collatio, & hominis per gratiam adoptatio dicitur miſſio inuiſibilis. Et miſſio viſibilis (vt idẽ ait Gabr.) quandoq; fit per realem aſſumptionẽ naturæ creaturæ viſibilis, in vnitatem perſonæ. Hæc miſſio eſt filij incarnatio, de qua libr. iij. dicitur. Alio modo fit ſine tali aſſumptione, de qua & di. xvj. lib. j. ſen. In huiuſmodi autem ſignorum ſenſibilium apparitione ſeu inuiſibilis ſpiritus ſancti miſſione non ſemper ſignificatur inuiſibilis miſſio tunc fieri primò, dum apparent res corporales, ſed ſimpliciter tunc fieri, aut prius facta fuiſſe, & adhuc permanere, vt dum viſa eſt columba de cœlo deſcendere, & ſuper Chriſtum manere, Matth. 3. non tunc primò Chriſtus recepit gratiam neq; gratiæ augmentũ, quam ſecundum omnem plenitudinem habuit ab inſtãti conceptionis ſuæ. Suo modo Apoſtoli in die Pentecoſt. dum ſuper capita eorum apparuit ignis, iam antè habuerunt gratiam, licèt tunc receperunt gratiæ augmentum. Gabr. vbi ſupra. poſt Dominum Cardinal. Camer. q. ix. ar. j. lib. j. fuerunt autem illæ ſpecies, quæ ſic apparuerunt veræ res (vt idem ſcribit Cardin.) & tamen potuerunt eſſe tales, quales apparuerunt, vel potuerunt eſſe aliquæ aliæ conuenientes cum aliis rebus, & ſimilibus accidentibus exterioribus. Vnde quando ſpiritus ſanctus apparuit in ſpecie columbę, dicit Petrus, quod fuit vera res, & tamẽ hoc potuit fieri per veram columbam, vel per aliquam aliam rem, de nouo creatam, habentem accidentia exteriora ſimilia accidentibus columbæ, & ſicut Deo placuit, ita factum eſt. Aliaceñ. In illis autem rebus ait Gabr. viſibilibus inuiſibile mitti dicitur nõ in ſe, ſed in aliquo inſtituto ad ipſum ſignificandum propter aliquas eius naturales proprietates, licèt ergo Angelorũ miniſterio factæ fuerunt res illæ, non tamen ſignificabãt Angelum, ſed perſonam ſpiritus ſancti. Et cùm non fuerunt aſſumptæ ad agendũ aliquid, ſicut humanitas Chriſti, quæ fuit hypoſtaticè aſſumpta, non ſic res illæ viſibiles,

viſibiles, ſed ad iudicandum ſolum non oportuit, quod durarent diutius quá habebant explere ſuum officium, ita ſentit S.Tho.j.ij.q.xliij.ar.vij.

De miſsione viſibili filij, & ſpiritusſancti, de qua Gabr.ſcribit di. quod Chriſtus tantum ſemel viſibiliter miſſus eſt in incarnatione ſua, qua non ſolum apparuit, ſed humanam naturam in vnitaté ſuppoſiti nunquá derelinquendá aſſumpſit. Vnde verè factus eſt homo, & miſsio viſibilis filij propriam, & maximam habuit vtilitatem (vt ait S.Bona.di. xvj.q.ij.li.j.de qua in.iij.li.ſen.dicitur.) Sed miſsio ſpiritusſancti (vt idem inquit) viſibilis, vtilis eſt ad manifeſtandum, & emanationem, & inhabitationem, &c. Spiritusſanctus autem quadruplici ſpecie viſibiliter miſſus eſt, vt habet Gab.d.xvj.l.j.ſcilicet in ſpecie columbę ſuper Chriſtũ baptizatum apparẽnte in Iordane Mat.3. In ſpecie nubis lucidæ in transfiguratione Mat.17. In ſpecie flatus ſufflante Chriſto reſurgente, & dicente: Accipite ſpiritum ſanctũ, quorũ remi.peccata. Ioá.20. In ſpecie ignis ſiue linguę igneę in die Pẽt. Act 2. In his auté quatuor ſpeciebus miſſus eſt, vt ſignaretur effectus aliquis ſpecialis per ſpiritumſanctum cauſatus in receptiuo. In ſpecie quidem columbę, columbina Chriſti ſignificabatur ſimplicitas, atque humilitas. In ſpecie nubis lucidę, elucidanda veritas. In ſpecie ignis feruida charitas. In figura linguarum docentium prędicatorum integritas. In ſpcie flatus, affectus viuacitas. Flatus namque de interiori vitę principio procedit, ſignumque eſt inexiſtentis vitę: huiuſmodi verò viſibiles miſsiones ſpiritusſancti tantum in noua lege factę ſunt Chriſto, diſcipulis, ac credentibus, & non in veteri lege, licet in illa viſiones multę, & apparitiones patribus, ac populo leguntur factæ, vt nubes protegens filios Iſraël in de ſancto à calore ſolis. Atq; ignis lucens eis per noctem, vt habetur Exod.13. Illa tamen non apparuerunt ad repræſentandum ſpiritumſanctum inuiſibiliter miſſum per donum charitatis, ſed ad alios effectus, nec decuit tũc temporis ſignum plenitudinis gratiæ exhiberi ante tempus plenitudinis gratiæ, quod ad Chriſti aduentum incepit, vt vult Apoſtolus ad Gal.4. vide latiùs Gabr. vbi ſupra.

Miſsio quædam eſt per auctoritaté (vt ſcribit Gabr. di.x.q.vnica, ar.iiij.li.ij.) vt quádo mittés propria poteſtate, nõ ab alio ſubdelegata aliũ mittit. Alia eſt per miniſterium vel ſubauctoritatem: & quamuis à ſolo Deo per auctoritatem mittantur angeli, tamen miniſterialiter contingit ab angelo angelum mitti. Ná à quocunq; angelus mittitur, refertur ad auctoritaté diuiná tanquá ad cauſam principalé & primam. Quod autem ab alio, hoc patet per illud Zach.2. Angelus qui loquebatur in me, egrediebatur, & alius angelus egrediebatur in occurſum eius, & dixit ad eum: Curre, loquere ad puerũ iſtũ di. Abſque muro habitabitur Hieruſalẽ. Vide latius Gabr. Et de miſsione angelorũ, vide B.Tho.di.x. & xj.Bona. & Rich. Et ſupra in dictione *Angelus*. Omnis auté miſsio angeli qua vnus aliũ mittit, & miniſteria illa reducuntur ad auctoritatem Dei, cuius mandatis & ordinationi omnes parent.

Miſsio dæmonis (vt ſcribit Alexand.de Ales parte.ij. qu.xxxvj. membr.ij. quem ſequitur Gabriël qu. vnica, artic.iij.libr.ij.) reſpicit ordinationem poteſtatis ad tentandum, quæ poteſtas tentandi eſt ſub poteſtate diuina. Et licet intentio diaboli in tentando contraria eſt intentioni diuinæ, cùm illa ſit mala, illa bona, nihilominus vtitur Deus tentatione diaboli. Tentatio enim qua diabolus tentauit beatum Iob, quantum fuit de voluntate diaboli, fuit ad ſeducendum, ſed eam ordinauit Dominus ad bonum, ſcilicet ad patientiæ probationem & coronationem. Sic cùm Dominus permittit malos tentatione diaboli vinci, deceptio ipſa qua tentatus decipitur, inquantum pœna debitũ peccatis decepti à Deo eſt. Nam & pœna, quia iuſta, bona eſt, & culpæ ordinatiua. Et angeli mali à Deo mittuntur. Vnde 3.Regum vlt. dicitur, quod exercitus cœli ſtabat coram Domino à dextris & à ſiniſtris, ſcilicet boni angeli & mali. Similiter in tentatione Iob, malis angelis vtitur Deus benè, ſicut & homo Dei creaturis malè, & multa alia teſtimonia adducit Gabriël vbi ſupra. Nec propter hoc Deus mittit eos ad ſeducendum & perdendum animas, cuius eſt ſaluare, ſecundum illud 1.Thim.2. Qui vult omnes homines ſaluos fieri. Vide latiùs Gabriëlem ibidem. Et miſsio malorum nihil eſt aliud quàm ordinatio poteſtatis eorum ad puniendum, & permiſsio voluntatis eorundem ad ſeducendum, Deus tamen iuſtè operatur propter peccati pœná infligendo. Vnde Gloſ. ſuper illud Pſal. Immiſsiones per angelos malos. Et eſt B.Auguſt. Poſſumus ſine dubitatione malis angelis attribuere mortes peccatorum, & mortes primogenitorum & obdurationes Ægyptiorum. Hanc enim rem cum Deus facere dicitur, non inſtigando & inſpirando, ſed deſerendo hoc facit, vt illi operentur in filios diffidentiæ, quod Deus iuſtè debiteq; permittit. Vide latiùs Gabr. allegans ad hoc auctores.

Myſterium dicitur ſecretum, & illud (vt ſcribit ſanctus Bonauentu.di.xj. circa textum libr.iiij.) non eſt inueſtigandum, vt homo velit ratione comprehendere quod Dominus voluit occultare, & qui aliter facit, peccat, & præſumptuoſus eſt, dum ſe eleuat ad id ad quod non poteſt pertingere. Qui autem diſputat de fide, non ad myſterij inueſtigationem, ſed potius ad defenſionem, ille non facit contra hoc quod dicit Aug. & Magiſter di.xj.libr. iiij. cùm ait: Myſteriũ fidei credi ſalubriter poteſt, inueſtigari ſalubriter non poteſt, &c.

Myſticum interpretatur abſconditum, Inde theologia myſtica, quæ immittitur ad ſui doctrinam experientiis habitis ad intra in cordibus animarum deuotarum. De qua Gerſon parte iij. de myſtica theologia ſpeculatiua conſid.j. & in fine videatur in dictione *Theologia*.

Mitis dicitur qui ſemper fuit ſine ira, ſcilicet pius & humilis, manſuetus verò qui de veritate reducitur ad hoc ſecundum B.Thom. ſuper Pſal.24. Et mitis propriè dicitur lenis, clemens, manſuetus, cuius cõtrarium eſt immitis, hoc eſt aſper, ſæuus, crudelis. Vel mitis ſecundum Gorram eſt qui alium non offendit. Manſuetus verò qui ſe offendentes tolerat. Vnde per Metaphoram mitis pro tranquillo accipitur. Virgilius. *Mitis ut in morem ſtagni placidæq; paludis*. Accipitur & pro maturo, idem.

Sunt nobis mitia poma. A mitis fit miteſco, hoc eſt manſueſco, vt feræ educatæ domi miteſcunt: à quo mitigo, id eſt, mitẽ ago, ſed hæc ad Grammaticos. Et Chriſtus ſaluator noſter mitis fuit verbis & factis. Hinc ipſe dicit: Diſcite a me, quia mitis ſum & humilis corde, de quo perpulchrè loquitur, & ſcribit Gerſon parte ij. ſer. de verbis Domini. Venite ad me omnes qui laboratis. Mititatem Chriſti imitari hortatur ibidem Gerſon, vide & vocabulum mitis in dictione *beatitudo*.

Mixtio eſt miſcibilium prius alteratorum vnio in aliquo effectu communi, in quo ſaluantur virtualiter miſcibilia, non quantum ad ſubſtantiam, ſed quantum ad qualitates eorum, non tamen ſecundum gradum intenſum, ſecundum quem fuerũt in miſcibilibus, ſed ſecundum gradum remiſſum: & mixtio eſt inferius ad generationem ſecundũ Scotum ſaltem ſimplicem. Nam ad generationem ſimplicem non requiritur, niſi vnum actiuum particulare & vnum paſſiuum. Similiter vnum quod generatur, & vnum quod corrumpitur. In mixtione autem requiruntur plura miſcibilia ſe mutuò alterantia & corrumpentia: in quorum natura corruptis formis miſcibilium: puta, elemẽtorum introducitur forma mixti, alia à qualibet forma miſcibilium, habens tamen æqualem conuenientiam ſeu temperamentum medium cum miſcibilibus. Et mixta dicuntur componi ex elementis, quia frequenter elementa concurrunt ad generationẽ mixti, nõ autẽ ſemper concurrunt. Nam aliquando mixtum generatur ex mixto ſine coactione ſubſtantiæ elementorum, quandoque mixtum generatur concurrente vno elemento, quandoque concurrentibus pluribus, quæ latiùs videantur apud Philoſophos. Videatur & Scot. di. xv. li. ij. & Gabr. eadem diſt.

Modeſtia eſt in animo continens moderatio cupiditatum, ſecundum Cice. libr. iij. Rheto. no. Vel eſt per quam pudor honeſtatis claram & ſtabilem cõparat auctoritatem. Vel eſt ſcientia earum rerum, quæ aguntur aut dicuntur collocandorum ſecundũ eundem libr. j. offi. Modeſtia ſecundum B. Tho. ij. ij. q. cxliij. eſt virtus moderatiua paſſionum, ideo adiungitur temperantiæ (vt virtuti principali) quia eſt circa difficillima. Modeſtia (vt inquit Corneſius lib. iij. ſuarum ſententiàrum. di. viij.) eſt mediocritatum metatrix, ex qua humilitas oritur, quæ cum ſit ſui gnara animo frænum adhibet, ne inſolentius ſupra naturam ſuam tollatur.

Moderamen. Vnde moderamen inculpatæ tutelæ. (vt notat Gabr. di. xv. q. iiij. libr. iiij.) eſt dum quis cauſa tuendi vel defendendi ſe reſiſtit aduerſario cum tanto moderamine, quod nõ excedit modum in defendendo plus lędendo ex propoſito aduerſarium quàm illata exigat violentia, de quo apud iuriſperitos.

Moderamen ſalarij ex quatuor attendi poteſt ſecundum Alexan. xliiij. parte. iij. membr. ij. & poſt eum ſcribit hoc idem Gabriel di. xv. qu. vj. libr. iiij. ſenten. ſcilicet ex quantitate cauſæ, ex labore aduocationis, ex ſcientia & facundia aduocantis, & ex cõſuetudine regionis. Puto tamen inquit Gabr. omnia illa reduci poſſe ad laboris quantitatem præſentis vel præteriti. Nam cauſa magna maiorẽ curam & ſollicitudinem habet, & per conſequens maiorem laborem exigit infideli aduocato. Sic ſcientia & facundia laborem habuerunt præteritum, quibus hæc acquiſita ſunt. Regionis quoque conſuetudo, quatinus eſt rationabilis, innititur quantitati laboris. Nam labores, vigiliæ, & fatigationes vendi poſſunt, non dona Dei gratis accepta. Vide latius Gabriel.

Modus, ſpecies, ordo ita deſcribuntur à Gerſone parte iiij. in deſcrip. ter. ad Theo. vti. Modus in rebus eſt limitatio diuinæ potentiæ efficientis. Species eſt limitatio diuinæ ſapientiæ exemplantis. Ordo eſt limitatio diuinæ bonitatis finientis. Menſura eſt modus, numerus eſt ſpecies, pondus eſt ordo & primis correſpondet vnitas, ſecundis veritas, tertiis bonitas. Modus & menſura & vnitas in libero arbitrio vt tale eſt, attenditur in efficiendo vel non efficiendo liberè conformiter ad diuinam potentiã agentem. Species, numerus & veritas conformiter ad diuinam ſapientiam exemplantem. Ordo, pondus & bonitas conformiter ad diuinam bonitatem finientem. Hæc Gerſon.

Modus cognoſcendi Deum eſt quadruplex (vt habet S. Bonauen. di. xxiij. ar. ij. qu. iij. libr. ij. & poſt eum clarius ſcribit Gab. eadem di. qu. vnica, ar. iij. dub. ij. ſcilicet per fidem, per contemplationem, per apparitionem, & per apertam viſionem. Primum eſt gratiæ communis. Secundum gratiæ excellẽtis. Tertium gratiæ ſpecialis. Quartum gloriæ conſummantis, & illi modi diſtinguuntur ſecundum diuerſum modum diuinæ præſentiæ: præſentiæ dico ſecundum quod præſens eſt in ratione obiecti. Et ſicut Aug. dicit præſens intellectu ad vidẽdum. Nã in primo præſens eſt Deus aliis quibus ſe reuelauit, quorum auctoritati credimus. Quod enim credo Deum eſſe trinum & vnum, hoc credo Dei filio, qui hoc enarrauit & prædicauit, & ſpiritui ſancto, qui hoc patribus inſpirauit: quod enim credimus hoc auctoritati debemus, ſicut dicit Aug. in de vtilitate credendi. In ſecundo modo eſt præſens in effectu proprio, qui modus tanto eſt eminentior, quãto effectu diuinæ gratiæ magis ſentit in ſe homo, vel etiam quanto melius ſcit cõſiderare Deum in exterioribus creaturis. In tertio eſt præſens in ſigno proprio ſicut apparuit Abrahæ in ſubiecta creatura, quę ipſum Deũ figurabat. Et ſicut ſpiritus ſanctus apparuit in colũba & in igneis linguis diſpertitis. In quarto eſt præſens in ſeipſo, quo videtur in lumine proprio, quia facie ad faciẽ in vultu ſuo, quæ viſio merces eſt omnium meritorũ. Primum & vltimum cognoſcendi genus non competebat ſtatui innocentiæ propter cognitionem ænigmaticam, & propter hoc quod cognitio fidei plurimum eſt ex auditu, vt dicit Apoſtolus ad Rom. 10. vltimũ verò propter ſummam perfectionem, ideo modò exhibebatur homini in ſtatu vię exiſtẽti, ſed in pręmium promittebatur. Media verò duo, ſcilicet contemplationis & apparitionis vtrique ſtatui innocentiæ & præſentis miſeriæ cõmunia eſſe potuerũt maximè contemplationis, quæ ibi potiſſimè vigebat, tum propter animæ puritatem, tum propter carnis & inferiorum virium ſubiectionem, quibus duobus, quia communiter caret anima in ſtatu natu-

naturæ lapſæ, ideo non poteſt ad illum gradũ contemplationis attingere. Et ſecundum hæc exponendæ ſunt ſanctorum auctoritates, ſicut Hugonis li. de ſacramentis, dicentis: quod Adã cognouit Deum ea cognirione, qua per præſentiam contemplationis ſcienti manifeſtius cernebatur. Item illa magiſtri, iiij. libr. di. j. Homo ante peccatum ſine medio Deũ videbat, & ſimiles quæ intelligendæ ſunt de cognitione per contemplationem, non per remotionem cuiuſcunque medij, ſed per remotionem velaminis & obſcuritatis, qualis eſt in his qui aliquo modo vitio peccati infecti ſunt. Gabr. vide & ad hoc S. Bonauen. vbi ſupra.

Moliri eſt cum difficultate conari, etiam à mole (vt inquir Richar. di. xxxiiij. art. iiij. libr. iiij. circa literam. Vnde Magiſter in textu eadem diſt. igitur ſi vir aliam vxorem vult accipere, manifeſta patet ratio, quia ſuggerente diabolo odij fomitem exoſam eam habuerit, & ideo eam dimittere mendacij falſitate molitur. Varia apud Grammaticos & elegantiores moliri ſignificat.

Mollicies opponitur perſeuerantiæ. Eſt enim mollis qui recedit à bono propter triſtitias cauſatas ex defectu electionum, quaſi cedens debili mouenti ſecundum Ariſto. lib. 7. Ethic. Vnde Paulus Corteſius diſt. viij. libr. iij. ſuarum ſententiarum dicit: Molliciem ob eam cauſam à bonorum genere recedere, propterea quod languidius in perferendo liqueſcit facileque (vt ait Ariſto.) ab imbecillo flectente torquetur. Eſt etiam mollicies contra caſtitatem, quæ alio nomine dicitur immunditia, ſeu voluntaria pollutio, & eſt vitium contra naturam, quando, ſcilicet procuratur pollutio venerea delectationis cauſa abſque concubitu, & hoc vitium fit per frictionem vel tricationem membri pudendi, etiamſi propter ætatem non fuerit ſubſecuta pollutio, vt inquit Gerſ. parte ij. tractatulo. de confeſſione molliciei, quoniam ibi eſt complementum delectationis illecebroſæ, & forſan perdidit virginitatem ſaltem animi, & magis perdidit, quã ſi pro illa ætate iuiſſet ad mulieres. Fortè tamen probabiliter (vt idem ait) dici poteſt quod per pœnitentiam virginitas reparatur in non polluta, ſicut de mentali corruptione, quæ ſic in conſenſu intrinſeco eſſe dicimus, dum corporalis deflotatio ſeu pollutio non eſt ſubſecuta, hæc Cancel. Et hoc peccatum (vt idem ait de arte ſiue ſcientia audiendi confeſſiones) committitur etiam ante pubertatis annos, imò & ſemper imputatur in vigilia, dum completa tranſit delectatio, etiam pollutione non exiſtente. Et tracta. de pollutione diurna idem ait propoſitione ij. Nulla pollutio diurna debet propriè dici mollicies, niſi fuerit per conſenſum liberum, vno modo vel alio prouocata vel extorta, quoniam ſicut non fuit pollutio hæc in poteſtate patientis, ita nec peccatum: mollicies autem ſonat in peccatum, quoniam dicit Apoſtolus: quod neque molles regnum Dei poſſidebunt.

Momentum ſumitur dupliciter, pro inſtanti & pro tempore imperceptibili, ſecundum B. Thom. ſuper Epiſtolas 1. Cor. 15. lect. 9. Et momentum propriè ſignificat exiguam quandam mutationem & penè indiuiſibilem, veteres hoc etiam momen dicebant quod Græci atomon vocant. Lucretius, Mominaſi à paruo poſſunt impulſa moueri. Et vt ſcribit Rich. di. xliij. ar. v, q. j. in fine libr. iiij. Momentum anguſtiſſimum temporis ſpacium, in quo mora eſt breuis. Vnde Apoſtolus. 1. Cor. 15. ait: Omnes reſurgemus in momento. Et dicit ibi Rich. quod verbum momentum non cogit, quod in eodem inſtanti reſurgunt illi qui in aduentu iudicis inuenientur, &c. A momento venit momentaneum, hoc eſt caducum, & quod facilè mutatur ac deficit. Deriuantur autem à moueo. Vnde & mobilis qui facilè mouetur, mobilitas, mobiliter, motio.

Monachus idem eſt quod ſolitarius. Et dicitur à monos, id eſt ſolus, & is eſt qui viuit ſeparatus ab hominum conuerſatione. Et à monos venit etiã monarcha, id eſt vnicus princeps, & monarchia, hoc eſt vnius principatus. Et monarcham ſupremum ponit Ariſt. Deum eſſe. De monachis plura ſcribit Gerſon in ſuis operibus. Et aliàs de his multa ſcribuntur.

Moneta dicta eſt quod nos ſigni impreſſione vel autoris vel precij moneat. A quo monetarius qui monetam cudit. Poteſt autem moneta tribus modis falſificari ſecundũ quod tria ſunt de ſubſtantia monetæ, ſcilicet materia metallica, quãtitas ponderis, & publica forma, vt dicit Panor. in c. quanto, de iureiur. Et in quolibet horum poteſt committi falſitas. In ſubſtantia, quia non ſeruatur liga legitima. Liga, id eſt ſpecies mixturæ vel gradus metalli propter admixtionẽ vilioris materiæ, aut materia conſueta in quantitatis exceſſiua. In pondere, quia non habet legitimum pondus. Et de hoc vide latius Gabriël. In forma committitur falſitas quando mutatur nomen, ſignũ aut imago eius qui monetauit. Eſt autem hæc forma monetæ quædam teſtificatio veritatis & iuſtitiæ ipſius monetæ, quod, ſcilicet ſit veræ ſubſtantiæ & iuſti ponderis, vt dicit Guilhel. Orem, in ſuo tracta. de moneta. Vnde frequenter in moneta Chriſtianorum, principum vel communitatis, ponitur imago Dei, vel alicuius ſancti, & nomen eius aut ſignum crucis, quod antiquitus fuit inſtitutum in teſtimonium veritatis monetæ in materia & pondere, vt dicit Guilhelm. Orem. Si ergo princeps ſub iſta inſtitutione mutet materiam ſiue pondus, ipſe videtur tacitè mendacium & periurium committere, ac falſum teſtimonium perhibere. Ipſe enim abutitur hoc vocabulo moneta. Nam dicitur moneta ſecundum Hugui. à moneo, quia monet ne ſit fraus in metallo vel pondere. Mutatio autem monetę multipliciter fieri poteſt, de quo legat Gabriëlem di. xv. qu. ix. libr. iiij. Falſificans verò monetam in ſubſtantia, forma vel pondere peccat mortaliter in damnum reipub. tenetur damnum illatum reſtituendo compenſare, quia talis iniuſtè damnificat. Item expendens ſcienter monetam falſam pro vera & iuſta, falſarius eſt: tenetur reſtituere illata damna. Item expendens ſcienter monetam non currentem aut aliàs minus valentem pro bona & currẽte, fraudat proximum, & tenetur reſtituere, ita ſentiunt Angelus in ſumma & Antoñ. Et poſt eos latiùs probat & declarat Gabriël vbi ſupra. ar. ij. Transferens autem vt vult Antoñ. monetam de certo loco vbi minoris valoris æſti-

ris æſtimatur ad locum, vbi magis valet, non peccat, ſi non aliàs fraude committatur, quia licet (vt inquit Gabriel) cuilibet ex induſtria ſine alterius damno lucrum quærere, &c. Et mutatio monetarum (vt ait Gerſon in regulis moralibus) poteſt eſſe par aut maius delictum ex ſe quàm eſſet in caſu falſam aliquam fabricare : quoniam ſecundum damnum Reipublicæ opus tale quodlibet aſſumit modum culpæ. Quod ſi Princeps dicat ſe Dominum monetæ eſſe, ſit ergo dominus bonus diſpenſator, non tyrannus diſsipator. Gerſon plura: Gabriël vbi ſupra.

Monſtrum dicit deordinationem aliquã in natura, & dicit etiam ſubſtantiã aliquã. Subſtantia, vt quidam dicunt, cauſam habet poſitiuã, quæ eſt Deus. Inordinatio illa non habet cauſam poſitiuam, ſed priuationem, & hæc eſt vt in plurimum improportio virtutis agentis ad materiam : aut enim materia ſuperabundat aut deficit ſecundum proportionem caloris operantis & virtutis. Vnde Auguſtinus tertio de Trinit. Voluntas Dei prima, & ſumma cauſa eſt omnium ſpecierum atq; motionum. Nihil enim fit, quod non de interiori aut intelligibili aula ſummi Imperatoris egrediatur ſecundum ineffabilem iuſtitiam. Et non ſolum fecit ea, quæ perſeuerantia cõſuetudinis admirationem non admittunt, ſed etiam ea, quæ propter raritatem & inſolitum euentum mira videntur: vt ſunt defectus luminarium, & terræmotus, & monſtroſi animantium partus, & his ſimilia, quorum nihil fit ſine voluntate Dei. Et loquitur Auguſtinus de monſtris, quantum ad id quod habent ſubſtratum: tamẽ aliter poſſet dici, vt ſcribit ſanctus Bonauentura diſtinct. xlv. in dubiis literalibus lib. j. quod monſtra etiam ſunt à Deo puniente, quando pœnæ ſunt: & ſic habent rationem ordinis, quamuis enim Deus non faciat contra ordinem in finem, facit tamen contra ſolitum curſum naturæ frequenter, vel ad vindictam vel ad miſericordiam. Et monſtrum ſecundum Philoſophum libro 2. Phyſico. eſt indiuiduum productum ſub diſpoſitionibus ſuæ ſpeciei pro tunc notabiliter diſconuenientibus præter ſolitum curſum naturę, vt eſt hermofrodita vel androgiuus. Et ſicut refert Scotus diſtinct. vj. quæſt. ij. lib. iiij. de monſtro quodam, quod habuit duo capita, quorum vnum expreſsit nolle de eo, de quo aliud expreſsit velle. Vnum enim voluit continere & ſobriè viuere, at aliud laſciuire & epulari: & cùm vnum per os ſuum excederet, reliquum clamabat ſe grauari: diuerſitas itaque fuit in illo monſtro voluntatum, ſcilicet velle & nolle: & ita duæ fuerunt ibi animæ ſecundum Scotum.

Mora eſt expectatio temporis dilatio. A quo morula diminutiuum. Auguſtinus libro confeſſ. Quæro quomodo dies dicitur non tantùm morula Solis ſuper terram, ſecũdum quod aliud eſt dies, aliud nox. De moris autem Angelorum, vide ſupra in dictione *Angelus*.

Moralia veteris teſtamenti, vide in dictione *Leges veteris teſtamenti*. Moraliter agere, vide in dictione *Agere*. De moribus bonis & malis, videantur libri Ethic. Ariſtotelis & aliorum Philoſophorum, & Gerſon in multis locis, quæ (ne prolixior ſim quàm oportet in hoc opere) relinquam curioſis legenda de his.

Moroſus (vt ſcribit Gabriël diſtinct. xv. quęſt. xiiij. dub. iij. libr. iiij.) dicitur qui non tradit rem quam tradere tenetur, licet eam tradere intendat: & habet communiter locum in debitis, commodatis, depoſitis : item in ablatis contra domini voluntatem. Nam fur aut raptor ſemper eſt in mora, quia ſemper tenetur reſtituere ſi poteſt. Et quod aliquis ſit vel dicatur moroſus, quatuor requiruntur. Primum, quod teneat rem quam tradere teneatur. Secundò, quod ſciat ſe teneri, vel ſaltẽ quod ſcire debeat. Tertiò, quod interpellatus ſeu monitus fuerit ad tradendum, & hoc à die vel ab homine. A die, ſi dies vel terminus tradendi conſtitutus eſt. Tunc enim terminus ipſe adueniens dicitur interpellare ab homine, ſi termino tradendi non conſtituto à domino rei per ſe vel per alium petitur traditio. Quartò, quod habeat poſsibilitatẽ tradendi. Et moroſus in tradendo rem quã tradere tenetur: ſi res perit, etiam ſine ſua culpa, caſu fortuito, tenetur de damno domino rei, maximè ſi fuerit dubium, an res etiam apud dominum reſtituta periſſet : patet per regulam iuris. lib. vj. Moral. vbi dicitur : Mora ſua vnicuique eſt nociua. Hęc Gabriel, qui eſt paulo longior. de hoc aliàs. Moroſus dicitur qui eſt peruerſis moribus. Cicero: At ſunt moroſi, & anxij, & iracundi, & difficiles ſenes. à quo moroſitas, quæ dicitur animi quædam diſplicentia, quum iugi & ſubruſtica aſperitate commouetur, quando non ita ad vnguem, & ex eius ſententia actum eſt quod poſtulabatur. Differt autem moroſus à morato, quia moroſus, qui eſt malis moribus. Moratus, qui bonis moribus eſt prędıtus. Et morem gerere, obſequi, obedire. de quo aliàs apud Grammaticos videatur.

Mors eſt receſſus animæ à corpore, ſecundum Ariſtotelem libro de morte & pomo. à quo morior & mortalis, id eſt morti ſubiectus : & mortiferum, quod mortem affert, & morticinus, exanguis, corruptus, vt caro morticina, quæ in vlcere eſt ferè corrupta. Et mors dicitur multipliciter (vt ſcribit ſanctus Bonauentura diſtinct. xviij. libr. iij. circa textum.) Eſt enim mors ſeparatio animæ à corpore. Et eſt mors ſeparatio à Deo per peccatum : & eſt mors ſeparatio animæ à viſione Dei ad tempus. Et cùm dicit Ambroſius, Quod Chriſtus mortuus eſt pro debitoribus mortis, accipitur mors primo modo & quarto modo. Omnes enim ſumus debitores mortis primo modo : & omnes erant debitores mortis quarto modo : & nos ipſi debitores eſſemus, niſi precium ſolutum eſſet. Et vt ſcribit Gabriël diſtinct. xxj. quæſt. vnica, artic. j. lib. iij. Mors hominis, inquit, non eſt niſi ſeparatio animæ à corpore. Hac enim anima à corpore ſeparata, totum compoſitum moritur, quia deſinit eſſe compoſitum : caro moritur, quia priuatur forma quæ eſſentialiter eſt vita. Anima & ſi annihilari poteſt, manens tamen mori non poteſt, quia ſeipſa viuit eſſentialiter, & non per aliquod ſuperadditum. Vnde impoſsibile eſt animam eſſe & non viuere, ſicut impoſsibile eſt animam eſſe & non eſſe animam. Verbum per cõmunicationem idiomatũ mo-

 ritur,

ritur, quando deſinit ſubſiſtere in natura aſſumpta viuente. In paſsione verò Chriſti anima realiter & verè ſeparata eſt à carne, quia inclinato capite tradidit ſpiritum. Ioannis decimonono. & Matth. vigeſimoſeptimo. Clamans voce magna emiſit ſpiritum. Illa traditio & emiſsio ſpiritus fuit ſeparatio animæ à carne. Et hac ſeparatione animæ Chriſti à carne, non ſolùm Chriſti humanitas & corpus, ſed & ipſe Chriſtus verè fuit mortuus, vt & probat Gabriël vbi ſupra. articul. ij. quia vtrunque vita quam habuit priuabatur. Et quamuis in morte Chriſti facta eſt animæ & carnis ſeparatio, manſit tamen diuinitatis cum vtraque indiſſoluta vnio. Nam Chriſtus ſepultus eſt, & ſimul deſcendit ad inferna, vt dicit ſymbolum. Non autem deſcendit, nec ſepultus eſt ſecundum diuinitatem, ſecundum quam eſt immutabilis: igitur ſecundum naturam aſſumptam ſibi vnitam: nihil autem aſſumptæ naturæ fuit in ſepulchro niſi corpus, nec in inferno niſi anima, & Chriſtus vtrobique fuit: ergo vtrobique fuit natura diuina vnita naturæ aſſumptæ in ſepulchro carni, in inferno animæ.

Et licèt caro Chriſti in ſepulchro (vt ſcribit Gabriël articul. iij. dubio. ij. vbi ſupra) habuit cauſas intrinſecas & extrinſecas naturales ad ſui reſolutionem, non obſtante vnione eius cum verbo, non tamen fuiſſet reſolutum, ſed à putrefactione conſeruatum nouo miraculo. Vnde Pſalm. Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem. Vide latiùs Gabriëlem ibi, & in fine dubij concludit, quod nulla ſubſtantialis forma (tenendo vnitatem formæ ſubſtantialis in compoſito) ſucceſsit ſeparationi animæ, ſed materia corporis Chriſti fuerat nuda, quantum ad formas ſubſtantiales, non habens in ſe per illud triduum quo fuit in ſepulchro aliquam formam ſubſtantialem, licèt habuerit formas accidentales, vt latiùs apud Gabriëlem videre poteris.

Mors tripliciter poteſt homini contingere (vt ſcribit ſanctus Bonauentura diſtinct. xix. quæſt. v. lib. ij. & eum imitatur Bruleſer diſtinct. eadem, quæſt. v.) aut per elementorum pugnam & diſſolutionem, id eſt elementorum qualitates ſiue qualitates primas, aut per huius radicalis conſumptionem, aut per extrinſecam læſionem. Primo modo contingit per qualitates intrinſecas primas partium organicarum, quæ ſunt adinuicem contrariæ, & ita poteſt vna ſuperare aliam. Vnde contingunt febres & aliæ infirmitates ad mortem diſponentes. Secundo contingit ex continua conſumptione humidi per calorem naturalem, quo tamen deficiente ſequitur mors. Et licèt per humidum cibale reſtauratur deperditum, non tamen in tali puritate qualis fuit in deperdito etiam virtus conuerſiua, quia eſt agens Phyſicum, ideo agendo repatitur, & ita debilitatur continuè, donec non poteſt conuertere cibum, nec reſtaurare deperditum in ea puritate, quæ ſufficit ad conſeruandam vitam. Hinc homo deficiendo ſeneſcit, & ſenectam ſequitur mors, quæ etiam ſequitur ſi nullum extrinſecus læſiuum accederet. Tertio modo contingit mors per læſionem extrinſecam, vt per aërem, ignem, vel aquam, aut violentiam à dæmone, beſtiis, vel homine, vel alio opprimente aut lædente. Et ſi homo in Paradiſo non peccaſſet, mortuus non fuiſſet, vt ſcribit Gabriël diſtinct. xix. quæſt. vnica, artic. ij. concluſ. iij. libr. ij. Vnde Romanorum quinto: Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors. Potuit enim omnia cauere inducentia mortem, & ſi non cauiſſet, peccaſſet: & ita innocentiam perdidiſſet. Sic enim habuit præceptum de comedendo de omni ligno Paradiſi excepto ligno ſcientiæ boni & mali, vt vult Magiſter diſtinct. xx. ita & habuit præceptum naturale de cauendis cæteris ſui corruptiuis. Quod ſi non feciſſet, peccaſſet, & innocentiæ ſtatum exceſsiſſet. Gabriël.

Mors, vt eſt priuatio vitæ, habet comparationem ad inferentem, & ad eum qui ſuſtinet. Vnde aliquis dupliciter poteſt tradere alium in mortem, vt ſcribit ſanctus Bonauentura diſtinct. xx. circa textum libri tertij ſententiarum. aut quia facit vt alij inferant ei mortem, aut quia facit vt ipſe ſuſtineat mortem, & quoniam ſuſtinentia mortis Chriſti fuit à Deo patre, & fuit à Chriſto: quia Deus pater voluit quod ipſe ſuſtineret mortem, & ipſe voluntariè ſuſtinuit. Hinc eſt quod traditus dicitur à patre, traditus etiam à ſe. Rurſus, quia Iudas & Iudęi procurarunt, vt alij inferrent ei mortem. Hinc eſt quod traditus dicitur à Iuda & à Iudęis, & quoniam fuit laudabilis mortis ſufferentia: illatio autem fuit vituperabilis. Hinc eſt quod traditio Dei & Chriſti laudatur, Iudæ & Iudæorum vituperatur: & ſic patet quod mors à parte ſufferentis fuit Deo placita & accepta, ſed à parte infligentium fuit tantum permiſſa. An autem concedendum ſic quod Iudæi operati ſiot bonum, reſpondet ibidem ſanctus Bonauentura, quod eſt opus operans, & opus operatum, & bonum poteſt dicere bonitatem circa opus operans, vel circa opus operatum. Si circa opus operans eſt ſimpliciter negandum, quia tale opus in Iudæis ſimpliciter fuit malum. Circa verò opus operatũ, quod quidem fuit mors & paſsio Chriſti, hoc dupliciter poteſt intelligi. Aut primò & per ſe, & ſic eſt falſum quod Iudæi ſunt operati bonum. Illud enim opus operatum bonitatem non habuit ex intentione Iudæorum. Si autem intelligitur per accidẽs & ex cõſequenti, ſic habet veritatem. Iudæi enim operati ſunt paſsionem Chriſti, quæ quidem fuit maximum bonum & ſaluberrimum toti mundo. Hæc ſanctus Bonauentura.

Mors. Mortem ſubire intentione placendi Deo, poteſt eſſe tripliciter, vt ſcribit ſanctus Bonauentura diſtinct. xxx. quæſt. ij. libr. iij. Vno modo quando adeſt neceſsitas vel deſerendi iuſtitiam vel amittendi vitam. Alio modo quando ſe offert opportunitas diuinam gloriam manifeſtandi & ædificandi Eccleſiam. Tertio modo ſolùm ex hoc, quod vitam ſuam habet exoſam. Primum eſt iuſtitiæ & neceſsitatis. Secundum eſt perfectionis & ſupererogationis. Tertium eſt ſceleritatis & crudelitatis. Vnde Auguſtinus: Illos qui ſemetipſos præfocant & præcipitio collidunt propter vitę pręſentis odium, dicit eſſe ſceleratiſsimos homicidas, tractans illud Ioannis duodecimo: Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit

ſtodit eam. Pro loco autem & tempore, vt vult Bonauentura, vbi talis optio detur, vel quod iuſtitia deletatur, vel quod vita perdatur. ibi omnes quantumcunque ſunt imperfecti, tenentur mortem ſubire, & præeligere magis Deo dilecto mori, quàm ipſo offenſo viuere. Vbi verò talis neceſsitas non imminet, nec datur optio, tamen offert ſe opportunitas manifeſtãdi diuinam gloriam, & ædificandi Eccleſiam, ſi homo ſe morti exponat, mortem ſubire eſt perfectionis & ſupererogationis, ad quam non omnes tenentur pro Chriſto. Potes ad hoc videre Gabriëlem non ineptè ſcribentem, ſermone de ſancto Bartholomæo, vbi de martyrio ſcribit. Etſi (vt inquit Gerſon parte ſecunda, tractatu de non eſu carnium) pro temporalibus quibuſdam adipiſcendis conſeruandis, non dico infirmitati, ſed vitæ periculo, & morti licenter nos exponimus: multò magis pro bonis ſpiritualibus adquirendis, conſeruandis aut recuperandis ſeu reſtaurandis, vel pro malis depellendis, non eſt quomodolibet illicitum, vel irrationabile ſimilia perpeti, &c. De morte quoque & arte moriendi multa ſcripſit Gerſon in ſuis operibus, &c.

Mortale accipitur tripliciter. Vno modo dicit naturalem aptitudinẽ ad moriendum. Alio modo poſsibilitatẽ ad moriendũ. Tertio modo neceſsitatẽ, vt ſcribit S. Bonauen. diſt. xliij. ar. j. quæſt. iiij. libr. iiij. Oppoſitum eſt immortale, de quo videatur in litera I. Dicitur & mortale quod mortificat & occidit, ſicut mortalis morbus vel mortifer. vnde & mortale peccatum, quod animã occidit, & ſeparat animam à Deo. de quo infra in litera P.

Motus eſt actus entis in potentia ſecundum Ariſtotelem. Et motus etiam motio dicitur. hinc terræmotus, cuius cauſa ſunt venti in cauernis terræ incluſi. Et motus ſecundum Occam eſt realiter ipſum mobile adquirens ſucceſsiuè partem formæ vel loci, & tunc idem erit motus & motum. Vel dicitur quod ſupponit pro mobili & termino ſucceſsiuo adquiſito, & ita non eſt quid vnum, ſed ſimul ſubiectum mobile & terminus, qui ſucceſsiuè ſubiecto adquiritur. Per ſubiectum intelligo mobile, vt inquit Gabriël diſtinct. ij. quæſt. ij. articul. j. libr. ij. Vide Occam de motu in ij. quæſt. ix. qui plura de hoc ſcribit. Et apud Phyſicos, qui non parum multa de motu commentantur, quæ relinquo ſtudioſis perſcrutanda.

Motus localis (vt ſcribit Occam j. quodlib. quæſt. v. & poſt eum Gabriël quæſt. iij. diſtinct. ij. lib. ij.) eſt coexiſtentia alicuius ſucceſsiua & continua diuerſis locis ſine quiete media. Dicitur ſucceſsiua, quia ſi ſimul coaſsiſteret diuerſis locis, ſicut anima diuerſis corporis membris, non moueretur: propter quod Deus, qui omnibus locis præſens eſt ſemper, non mouetur localiter. Dicitur diuerſis locis, quia manens in eodem loco præciſe non mouetur. Dicitur continua ſine quiete media, quia ſi intercipitur per quietem, non eſt iam motus vnus, ſed poſſunt eſſe plures. Similiter ſi Deus corpus vnum exiſtens in vno loco corrumperet, & poſteà reproduceret in alio loco, non eſſet motus localis, licet corpus illud ſucceſsiuè coexiſteret diuerſis locis, quia nõ eſt ſucceſsio cõtinua: vnde & Angelus mouetur localiter, quia poteſt ſucceſsiuè coaſsiſtere diuerſis locis ſine quiete media. Hinc dicitur ad Hebræos primo: Nónne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus miſsi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis. Cùm autem mittuntur de cœlo ad nos, ſunt in diuerſis locis continuè & ſucceſsiuè, nec ſunt vbique nec ſimul pro eodem inſtanti in cœlo & in terra. Et dum ad terram à Deo mittuntur, non manent in cœlo: & dum ſunt in cœlo empyreo, non ſunt in terra, vt vult Damaſcenus libro ij. cap. iij. Et ideo cùm mittuntur de cœlo ad terram ſucceſsiuè, aſsiſtunt diuerſis locis. Confirmatur, quia anima beata æquabitur Angelo, iuxta promiſsiones Chriſti, Matth. vigeſimoſecundo: Erunt ſicut Angeli Dei. Anima verò beata, imò beatiſſima, quæ eſt Chriſti, localiter mouebatur: quia deſcendit ad inferos, ſicut dicit articulus fidei. Item Angelus non ſolum ad motum corporis cui aſsiſtit, ſed per ſe immediatè abſq; corporis cuiuſcunq; mutatione poteſt localiter moueri, quia non ſemper cùm mittũtur, aſſumunt corpora: nõ enim mittuntur ad operationes corporales exercendas, quomodo miſſus fuit Raphaël Tobiæ, ſed frequenter ad intellectus illuminationẽ, aut affectus inclinationem: ſicut Angelus miſſus ad Ioſeph in ſomnis, Mat. 1. Hæc autẽ nõ fiunt in corpore, ſed in mente. Gabri. qui rem latius probat art. ij. vbi ſupra.

Moueri localiter aliquid poteſt eſſe vel imaginari tripliciter (vt ſcribit Dominus Cardinalis Cameracenſis quæſt. v. articul. ij. libr. iiij. ſenten.) Primò modo propriè, quia tranſit de loco ad locum, dimittendo locum in quo præfuit, & adquirendo nouum, & tranſeundo per locum medium, ſi ſit locus medius inter primum & ſecundum: ſic corpus Chriſti non mouetur localiter, quando incipit eſſe ſub ſacramento. Secundo modo minus propriè aliquid poteſt dici moueri localiter, quia dimittit locũ in quo præfuit, & habet nouũ locũ: nec tamẽ trãſit per mediũ locũ, quamuis ſit locus medius inter primum & ſecundũ. Et ſic corpus Chriſti nõ mouetur localiter, quãdo incipit eſſe in ſacramẽto: quia non dimittit primũ locũ, ſi tamen dimitteret illũ, quãuis non tranſiret per mediũ, diceretur moueri localiter iſto modo. Tertio modo & adhuc minus propriè, aliquid poteſt dici moueri localiter, quia præfuit in loco, & adquirit vel habet nouũ locũ, quãuis nõ dimittat primũ, nec tranſeat per mediũ. Et ſic corpus Chriſti mouetur localiter quãdo incipit eſſe in ſacramento: quia iſto modo moueri localiter, nihil aliud importat, niſi eſſe hic, & immediatè fuiſſe alibi, & nõ fuiſſe hic. Nec eſt concedendũ quod corpus Chriſti mouetur de cœlo ad ſacramentũ, quia moueri de aliquo loco, eſt dimittere illũ: ideo corpus Chriſti mouetur mutatione, quæ eſt ab eſſe in cœlo, ad eſſe in ſacramẽto: quia ſimul eſt in cœlo & in ſacramento. Hæc Aliacenſis vbi ſupra.

Mouere organicè & non organicè, vide infra in dictione *Potentia organica*.

Motiua vis ſenſitiua eſt duplex, ſcilicet naturalis & animalis. Vis motiua naturalis eſt, quæ non mouet per apprehenſionẽ, néc eſt ſubiecta imperio rationis, & talis eſt virtus vitalis & pulſatiua, quę mouet arterias & cor ſecundũ dilatationẽ & conſtrictionẽ.

Et huiuſmodi virtus eſt in corde, ſicut in proprio organo, vnde ſolum habet eſſe in animalibus perfectis pulmonem & cor habentibus. Et hæc vis per ſpirationem & reſpirationem eſt principium contemperandi calorem cordis & corporis. Vis motiua animalis eſt, quæ mouet per apprehenſionem, & eſt triplex, quia quædam mouet per modum dirigentis, quædam per modum imperantis, & quædam per modum exequentis; ex beato Thoma, opuſculo de potentiis animæ.

Motus habet plures ſpecies. Eſt enim motus circularis, motus obliquus, & motus rectus, motus progreſſiuus, &c. De quibus & multa de motu apud Phyſicos perquire.

Motus animæ nihil aliud eſt (vt ſcribit Gerſon parte ij. in compendio Theologię de primis motibus, an ſint peccata) quàm animæ inclinatio in aliquid. Et ideo illis animæ viribus ſeu potentiis, quibus inclinatio non conuenit, non attribuitur propriè motus. Inclinatio autem eſt in appetitu, quæ mouet in aliquod agendum vel habendum: & ideo actus appetitiuarum virtutum animæ motus propriè vocantur non actus virtutũ apprehenſiuarũ.

Motus eſt triplex, ſcilicet naturalis, ſenſitiuus, rationalis, vt ſcribit Gerſon vbi ſupra. Motus ſeu appetitus naturalis eſt quem non imaginatio gignit, ſeu cauſa, ſed ipſa qualitatum naturalium diſpoſitio, quibus naturales animę vires ſuas actiones exercent. Hic motus in nullo rationi ſubiacet, nec obedit, ſed nec voluntas ſuper eo quodcunque habet dominium, cùm naturalis ſit, & ſit extra genus moris ſeu morale: & ideo nec in eo peccatum eſſe poteſt. Et occurrit iſte motus repentè ſeu ſubitò, vt eſſet dare exemplum in repentino motu, ſeu appetitu cibi vel alterius delectabilis. Et dicitur motus naturalis ex eo, quia ad naturaliũ qualitatũ actionem conſequitur. Et vocatur iſte ab aliquibus primò primus motus, & dicitur eſſe in ſenſualitate ſimpliciter conſiderata.

Motus ſeu appetitus ſenſitiuus eſt, qui ex præcedenti imaginatione vel præcedenti motu naturali conſequitur. Et vocatur iſte motus ſecundò primus, quia eſt ille motus qui primò poſt motum naturalem inſurgit ſeu occurrit. Et attribuitur iſte motus ſenſualitati, ſcilicet cõſideratæ reſpectiuè, prout eſt quodammodo ad rationem ordinabilis, & ab ea perſuaſibilis: & eſt humana, & deſcribitur hoc modo ſic: Primus motus eſt motus ſenſualitatis, ſecundum impulſum fomitis tendens impetuoſè ad fruitionem creaturæ delectabilis: huiuſmodi primo motus ſenſualitatis quodãmodo in noſtra poteſtate ſunt, & quodammodo non. Si enim quælibet eorum ſingulatim conſideretur, ſic in noſtra poteſtate ſunt, quia quemlibet eorum poſſumus præuidẽdo declinare & impedire ne inſurgat. Si autem omnes ſimul conſiderentur, non ſunt in poteſtate noſtra, quia licet impedire poſſimus, ne iſte vel ille inſurgat, non eſt tamen in poteſtate noſtra facere, quin aliquis inſurgat: imò dum vni obuiare nitimur ex altera parte poteſt alius motus ſurrepere, non enim poteſt eſſe ſimul intentio voluntatis retinentis contra diuerſa in actu, vt dari poteſt exemplum de nauta, qui ſingula foramina ſuæ nauis obſtruere poteſt, ne per illa aqua intret, ſed non poteſt omnia ſimul obſtruere vt aqua nuſquã intret. Et ratio eſt, quia huiuſmodi primi motus ſenſualitatis, ſicut ſunt peccata, ita ſunt pœna peccati, ſcilicet originalis: & ideo meritò dicuntur venialia, quia hoc ipſo venia digna ſunt. Vide latiùs Gerſonem ibi de primis motibus, de quibus & videre potes Alexandrum de Ales parte ſecunda qu. cxxv. membr. j. Et Gabriël. lect. lxxviij. canonis, qui & diffinitionem primi motus ſupra poſitam abundè declarat: & primi motus oriuntur ex lege carnis, quæ immediatè eſt coniuncta ſenſualitati, & in diffinitione fruitio capitur pro delectatione. Et omnis primus motus vitium eſt, ſicut & quilibet actus ſurreptitius: quia omnis motus à lege fomitis ortus, & omnis actus ſurreptitius, eſt contra ordinem primæuæ inſtitutionis humanæ naturæ, igitur eſt vitioſus. Sed neque primus motus, neque alius actus in ſenſualitate eſt peccatum eſſentialiter & intrinſecè, quia illo modo peccatum eſt in ſola voluntate, cuius eſt liberũ arbitrium. Item aliquis motus primus, neque mortaliter, neque venialiter eſt culpãdus: patet de corruptis violenter, de quibus videas apud Auguſtinum decimo de Ciuitate Dei cap. xxv. Vnde quamuis (inquit Gabriël) violenter corrupta delectationes ſentiat, nequaquam tamen peccat, ſi non mente conſentiat. Nullus ergo carnis motus peccatum inducit ſi omninò voluntas non conſentit. Hinc beata Lucia ad Paſcaſium tyrannum inquit: Non inquinatur corpus, niſi de conſenſu mentis: Nam ſi me inuitam violari feceris, caſtitas mihi duplicabitur ad coronam. Vide alia apud Gabriëlem vbi ſupra. qui & ratione id probat, ſcilicet aliquos primos motus nõ eſſe peccata, & poſt hoc ait: Non ſolùm primus motus in ſenſu, ſed naturalis condelectatio vel contriſtatio in appetitũ intellectiuo (ſi ponitur) non eſt peccatum: quia ſicut nec motus ſenſus, ita nec condelectatio vel contriſtatio naturalis eſt in poteſtate voluntatis. Primorum autem motuum illi tantum imputantur ad veniale peccatum, qui ſunt voluntarij per liberi arbitrij verum, vel interpretatiuum conſenſum, quia ſimpliciter inuoluntarium, non eſt peccatum ſecundum beatum Auguſtinum, & ſanctum Bonauent. diſtinct. xlj. quæſt. v. libr. ij. Si tollatur liberum arbitrium, nullo modo erit peccatum. Tollitur autem reſpectu illius motus, qui nec ſimpliciter, nec interpretatiuè eſt voluntarius. Vnde carnalis tentatio fieri poteſt ſine actuali peccato, quia illa fit per primos motus. Hi autem fieri poſſunt non concurrente libero arbitrio verè vel interpretatiuè, vt dictum eſt. Videre potes latiùs Gabrielem lectione lxxviij. canonis de primis motibus. Et ſermone ſecundo Dominicæ xxj. vbi ait, quod ante actum elicitum peccatum eſſe non poteſt. Si ergo reluctatur nolens delectabile, & delectationem, coronatur pro reſiſtendi merito, ſi acceptat actu elicito conſentiendo, conſummatum eſt peccatum veniale vel mortale. Poteſt tamen etiam venialiter peccare, ſi tardius repellit ſi imperfectè ante plenam deliberationem conſentit, & ſic patet quando primi motus ſunt peccata vel non. De quo latiùs aliàs. breuia nobis & pauca ſufficiant.

Motus

Motus rationalis qui eſt ipſius rationis, cuius eſt actus humanos regulare, & in finem vltimum dirigere, quæ quidem ratio eſt potētia ſuperior, in qua fit conſummatio, & hinc eſt quod in ratione conſiſtit peccatum mortale: in ſenſualitate verò quæ eſt potentia inferior, non conſiſtit niſi veniale, de quo conſulas latiùs Gerſonem parte ij. in compen. Theol. de primis motibus.

Mulier eſt illa, quæ amplius virgo non eſt. Quare Cicero obiurgantibus eum nonnullis, quod ſexagenarius Popiliam virginem duxiſſet, reſpondit: Cras mulier erit. Mulieris appellatione (vt vult Caius Iuriſconſultus) etiam virgo viripotens continetur, hoc eſt *Matura viro, iam plenis nubilis annis*. Vnde & illud de beata virgine Maria dicitur Apocalyp. 12. Apparuit ſignum magnum in cœlo mulier amicta Sole & Luna. Et illud: Mulier circundabit virum. Et illud Saluatoris: Mulier, ecce filius tuus, &cæ. Et illud Prouerb. vltimo: Mulierem fortem quis inueniet, procul de vltimis finibus precium eius. Hæc enim eſt mulier illa fortis & ſapiens, beata virgo Maria, quæ infirmitatem & fatuitatem primæ mulieris ſe & poſteritatem ſuam perdentis repararet, ac prudentia oris, & pede virtutis caput ſerpentis contereret, qui primam mulierem decepit & vicit, vt ſcribit Gabriël ſermone ij. de natiuitate beatæ Mariæ virginis. Mulier autem ſecundum Guilhelmum Scoti imitatorem diſtinct. xviij. libr. ij. & alios, dicitur quaſi mollis aër, & hoc tripliciter. Primò propter infirmitatem, propter quam eſt fragilior & mollior ad reſiſtendum malo quàm vir, vt in pluribus. Secundò propter molliendum, Eccleſ. 42. Melior eſt iniquitas viri quàm mulier benefaciens. Lyra. Melior eſt, id eſt minus mala eſt, ſcilicet ad cohabitandum, quia magis emollit cor viri ad peccandum carnaliter quàm iniquitas viri cohabitantis alliciat ad conſentiendum. Nam ſecundum Gerſonem in multis locis dicit mulierum cum viris familiaritatem perniciosiſsimam eſſe, &c. Vel aliter ſecundum Guilelmum Scoti imitatorem, vt & refert frater Pelbartus libro ſecundo Roſarij Theologiæ, quia vir ſignificat fortem in virtutibus, mulier infirmum. Melior autem dicitur iniquitas viri, id eſt hominis fortis caſus in vitium, ſcilicet occaſionaliter, quia fortius reſurgit quàm mulier benefaciēs, id eſt quàm ſi infirmus operetur bonum, quia ex hoc in ſuperbiam erigitur. Tertio modo dicitur mulier propter ſexum contra virum diſtinctum, ſicut Eua fuit dicta mulier cùm eſſet virgo adhuc in Paradiſo, & propter ſexum, & propter Adæ inductionem in peccatum molliendo cor illius ad conſenſum: ergo mollis. Et ob hoc mulier, quaſi mollis aër. Vnde Origenes diffinit dicens: Mulier eſt caput peccati, delicti mater, tranſgreſsio legis antiquæ, expulſio Paradiſi, & conſequenter arma diaboli. Mulierum regulam ponit Gerſon parte prima, tractatu de modo viuendi omnium fideliū, cùm ait: Regula mulierum eſt, quod non ſe indecenter ornatas oſtendant. Aures, collum, guttur, & caput tegant: humiliter in Eccleſia, & vbique ſe habeant, nec alias mulieres per ſuperbiam ſuam inuitent.

Multus, a, um, à quo multitudo, quod eſt frequentia & copia: & multifariam, quod multis modis fari poteſt, & multi quandoque valet, id eſt omnes: vt cùm dicitur: Multi euigilabunt. Multi, vt dicit Auguſtinus vigeſimo de Ciuitate Dei, id eſt omnes. Et talis modus loquendi (vt inquit ſanctus Bonauentura diſtinctione xliij. art. j. q. ij. libr. iiij.) frequenter inuenitur in ſcriptura.

Multiloquium eſt multitudo locutionis cum ſuperfluitate vel præter vtilitatem vel neceſsitatem. Et ſic intelligitur Prouerb. 10. In multiloquio non deerit peccatum: ex Alexand. de Ales tractat. de multiloquio. Et multiloquium eſt filia gulæ, ſecundum beatum Thomam ij. ij. quæſt. cxviij. artic. vj. Multiloquium quoque multiloquentia dici poteſt. Et multiloquia nocent contemplatiuo & ſtudioſo, & diuina contemplanti, vt vult Gerſon parte prima epiſtola ad ſtudentes collegij Nauerrę, cùm ait: Addam expertus quod nihil fermè quieti mentis & contemplationi plus inſidioſum, nihil ita precioſiſsimæ rei temporis, ſcilicet conſumptiuum, nihil poſtremò perfectioni ſcholaſticorum aliundè probatorum plus obuians, quemadmodum colloquia, non ſolùm praua, quæ corrumpunt bonos mores, ſed etiam illa quæ ſuperfluè diuque pertrahuntur, aut ſuper rumoribus vulgò volitantibus, aut ſuper ludicris pluribus & ineptis fabulationibus, aut ſuper contentionibus hominum in aduerſa tendentium, & ſimilibus quibus à mane vſque ad veſperam, imò profundam plerunque noctem dies ſenſim atteritur: per quæ dum ſe oblectauerint vel ignauiæ vel indignationi, vel faſtidio ſuo mederi putantes, triſtiores & inquietiores, & mente diſsipatiores remanebunt: profuot tamen nec nego (vt idem inquit) probatorum virorum colloquia, qui aſcenſum contemplationis, & ſuæ arduitatis diſcrimina ſuo labore, ſuiſq; periculis experti ſunt. Hæc Cancellarius Pariſienſis. & idem vult parte iij. de mendicitate ſpirituali parte ij. &c.

Mundus capitur dupliciter (vt ſcribit Gabriël diſt. xliiij. quæſt. vnica, artic. j. libr. j.) Vno modo pro tota cōgregatione omnium rerum creatarum, ſiue ſint ſubſtātiæ ſiue accidentia. Vnde ſecundum Poſſidonium in Metheor. mundus eſt, qui conſtat ex cœlo, terra, & terrenis, cœleſtibuſque naturis. Et ſic excluditur Deus, qui nō eſt quid creatum. Siue ſecundum Poſsidonium, mundus dicitur, qui conſtat ex diis & hominibus, iiſque rebus quæ horum gratia conditæ ſunt, ab ornatuque dicitur, quem Græci κόσμον vocant. Alio modo pro toto quodam compoſito vel aggregato ex multis contentis ſub vno corpore, & illo continente. Et hoc dupliciter. Vel præciſe pro partibus, quæ ſunt ſubſtancię, vel indifferenter pro omnibus. Vnde mundus ſecundum Gerſonem parte iiij. in deſcrip. terminorum ad Theologiam vtilium, eſt vniuerſitas rerum ab arte diuina conditarum, quæ res ab eius dominantiſsimo & liberrimo regimine ſuis legibus ordinantur. Vel ſic: Mundus eſt ens vniuerſum & perfectum, Vel eſt vniuerſitas perfecta. Iſte mundus ſecundum veritatem quam ponit ſanctus Bonauentura di. j. q. j. lib. ij. in eſſe productus eſt: & non ſolū ſecundō ſe totū, ſed etiā ſecundum

ſua principia, quæ non ex aliis, ſed de nihilo ſunt producta. Hæc autem veritas & ſi cuilibet fideli ſit aperta & lucida, latuit tamen prouidentiam vel prudentiam Philoſophicam, quæ longo tempore ambulauit per deuia. Quos redarguit ibi S. Bonauen. & eorũ errores de productione mundi, & vbi defecit (inquit ipſe) Philoſophorum peritia, ſubuenit nobis ſacroſancta ſcriptura, quę dicit omnia eſſe creata. Mundus itaq; nõ fuit productus ab æterno, vt & Brulef. ſcribit di.j.q.j.lib.ij. quia in principio creauit Deus cœlum & terram, & mundus per ipſum factus eſt. Ioan.1. In principio creauit, id eſt in initio temporis, &c.

Mundus archetypus (vt inquit Gerſon vbi ſupra) parte iiij. eſt Deus, vt ab ipſo vnico & ſimpliciſſimo producibilis eſt mũdus exterior pro vtraq; ſui parte, ſpirituali, ſcilicet & corporali. Mundus idealis idẽ, & mundus exemplaris idem. Mundialis ars, & primordialis idem. Et vt ſcribit Brulef. di.xliiij. q.j.lib.j. Mundus archetypus eſt filius Dei, vel notitia diuina. Vnde ſanctus Augu. dicit, quod mũdus iſte ſenſibilis factus eſt de nobiliſsimo mundo. Etiã ſecundum aliquos mundus archetypus capitur pro mundo exemplari, ab archos quod eſt princeps, & typus quod eſt mundus, quaſi principalis mundus. Et iſto modo mundus nihil aliud eſt niſi eſſe cognitum rerum creabilium ſiue idea, vt ſunt complexa neceſſaria, aut determinatione voluntatis, vt contingentia. Et de iſto mundo exemplari loquitur Boëtius 3. de conſol. metro. 9. ad Deũ. Tu cuncta ſuperno ducis ab exemplo pulchrũ, pulcherrimus ipſe. Mundum gerens, ſimiliq; ab imagine formans. Capitur & mundus pro homine, qui dicitur microcoſmus, id eſt minor mundus, ſecundũ Philoſophũ & Gregor. quia iuxta aliquid omnis creatura, homo dicitur. Iſte mũdus (vt inquit Gerſon) continet in ſe duplicem ſubſtantiam, corporalẽ, ſcilicet & ſpiritualem, Dei capacem, ad finẽ beatitudinis ordinatas. Iſte minor mundus (vt idem ait) eſt nexus quidã duplicis ſubſtantiæ corporalis & ſpiritualis, ratione cuius nexus ipſe capax eſt omniũ, tam ſpiritualiũ quàm corporaliũ, gerẽs eorũ quandam imaginem & exemplũ. Macrocoſmus verò ſecundũ eundem Gerſ. eſt maior mundus exemplatus, & productus à mundo archetypo Deo continens in ſe vniuerſam creaturã corporalem & ſpiritualem ad ipſum Deũ finaliter ordinatam. Et mundus ſpiritualis in mũdo maiori eſt vniuerſitas creaturarum ſpiritualium. Vel ſpecialius mundus ſpiritualis eſt vniuerſitas intelligentiarum ſeparatarum cũ ſuis actibus vel habitibus ſpiritualibus ordinata ad Deũ, & inter ſe & ad inferiores creaturas. Hierarchia cœleſtis idem: ſpeculum æternitatis idem, catena æternitatis idem, catena aurea idem, liber ſpiritualis idẽ. Mundus corporalis eſt vniuerſitas ſubſtantiarum corporalium vel extenſarum cum ſuis accedentibus ordinata per genera, ſpecies, & indiuidua & per motus, & fines ſubordinatos ad ſupremum finem Deum. Catena argentea idem, liber naturæ viſibilis & ſenſibilis idẽ, carmẽ ſenſibile mundi idem, ſcala Iacob idem, vel eſt macroſmus. Mundus ſpiritualis in microſmo, eſt anima rationalis, vel habens agere ſuum ſeparatum ab organo corporeo, potentia rationalis idem, microcoſmus ſpiritualis idem, hierarchia ſpiritualis & ſubcœleſtis idem. Mundus corporalis in mũdo minori eſt anima, prout ipſa habet agere ſuum per organum corporeum, aut eſt compoſitum ex corpore & anima ſic ſe habente in agere ſuo corporeo, potentia organica idem. Hæc Gerſon part. iiij. vbi ponit diffinitiones terminorum ad theologiam vtilium. Capitur & mundus pro amatoribus ſeculi. Vnde dicitur: Mundus eum non cognouit, id eſt mundani homines. Ioan.1. Item pro mũdi delectabilibus & vitiis. Vnde 1. Ioan. 2. dicitur: Nolite diligere mundum, id eſt mundi delectabilia inordinatè, neque ea quæ in mundo ſunt, id eſt vitia, vel pro ſtatu mundi quo ad culpam. Vnde Ioannis 10. Mundus in maligno poſitus eſt. Capitur & pro mundana conuerſatione, quæ vana eſt & immunda, vt habet ſanctus Bonauentura diſtin.j. artic.ij. quæſt.j. libr.ij. Vnde Ioannis 18. dicit Saluator: Regnum meum non eſt de hoc mundo: intelligitur de mundana conuerſatione, quia ipſe non regnat in malis, ſed in bonis: quorum conuerſatio eſt in cœlis. Similiter diabolus eſt Princeps mundi, & non Deus, Ioannis 12. & 14. intelligitur de mundanè & ſeculariter conuerſantibus. Ipſe namque ſuadet diabolus in delectationibus ſeculi conſolationem quærere (vt ſcribit Gerſon parte iij. tractatu de diuerſis tentationibus diaboli.) Capitur & mundus pro multitudine reproborum, vt dicit Brulefer diſtin.j. quæſt.j. libr.ij. Vnde Ioannis 17. dicitur: Non rogo pro mũdo, id eſt pro reprobis. Capitur & mundus pro ſuperiori & perfectiore parte mundi ſenſibilis, ſcilicet pro illa parte quæ continuè mouetur & motu regulari, ſcilicet proſperis. Brulefer diſtin. xliiij. quæſt.j. lib.j. & alij Doctores. Et Bonauentura vbi ſupra. Capitur & mundus pro ornatu muliebri, quaſi munitus, quamuis alij à mouendo dictum velint: quoniam id genus ornatus ſit, quod ſumunt mulieres ac deponunt. Et mundum in neutro genere veteres dixerunt. Hinc ſit mundus, a, um, hoc eſt purus, terſus, politus. A quo immundus, impurus, obſcœnus. Et mundo & mundifico verba, hoc eſt depuro, detergo. Et mũdicia, quæ & mundicies dicitur, hoc eſt lauticia. & contrarium eius eſt immundicia, vel immundicies, quæ & pro luxuriæ ſpecie accipitur. Et aduerbia mundè & immundè, quæ à Grammaticis latiùs differuntur.

Murmurare capitur dupliciter, vt notat Bruleſer diſtinct. xvij. quæſt. ij. libr. iij. ſenten. Vno modo propriè, & ſic nihil aliud eſt, quàm aliquod bonum factum loqui malè detrahendo illi, qui fecit illud bonum, vt quando aliquis punitur iuſtè, murmurat contra Prælatum. Si autem aliquis dicat veritatem, vel loquitur de aliquo, qui malè fecit, non eſt murmuratio. Alio modo capitur largè, & ſic nihil aliud eſt, quàm ab obiecto diſconuenienti, & corruptiuo, vel offenſiuo declinare, ſeu tale quantum in ſe eſt, refugere. Sic capitur quando dicitur, quod voluntas carnis per paſsionem Chriſti in malo proprio murmurabat, id eſt quantum ex ſe erat, paſsionem refugiebat. Hæc Brulefer. Ab eo venit murmuratio; & eſt oblocutio indebito modo facta contra Deum, vel factum alicuius. Vel murmuratio eſt quædam querela, cum impatientia in his quæ homo deberet patienter ferre. Vnde Sap. 1. dicitur:

dicitur: Cuſtodite vos à murmuratione, quæ nihil prodeſt: & murmuro verbum factitium propriè de aqua dicitur. Murmur enim leuis aquæ, ſtrepitus appellatur, ponitur tamen pro quocunq; ſtrepitu: accipitur tamen murmuro pro eo quod eſt ſecretè obloquor, & maledico. Vnde murmurator, &c.

Mutare propriè eſt transferre. Varro: Fac vt te aliquo cum omni familia mutes. Item variare, vnde mutare animi ſententiam dicimus, à quo mutabile, quod facilè mutatur. Virgilius: *Varium & mutabile ſemper fœmina.* Item immutabile, quod nullo modo mouetur ac flectitur. Commuto ſimul muto. Mutari ſecundum Gabriëlem diſt.viij.qu.vij. libr.j.ſenten.accipitur tripliciter. Largè eſt aliquid recipere eſſe poſt non eſſe, vel econuerſo. Strictè eſt recipere aliquid, quod prius nō habuit, vel non habere, quod prius habuit, ſiue maneat antè & pòſt, ſiue non. Strictiſsimè eſt aliquid manens ſecundum ſuam eſſentiam habens aliquid ſe informans, quod prius non habuit, vel econuerſo. Deus eſt immutabilis primo modo, quia eſt neceſſe eſſe. Eſt etiā immutabilis ſecūdo & tertio modis, quia eſt ens ſimpliciter infinitum, ideo non poteſt perfici, & ex conſequenti non poteſt aliquid in ſe recipere. Item nihil aliud à Deo eſt immotabile primo modo, quia omnia alia à Deo producta ſunt, de non eſſe ad eſſe, quod fide creditur, & ſi ratione naturali non probetur. Aliqua tamen creatura eſt immutabilis ſecundo & tertio modis, quia aliqua creatura eſt quæ nullius eſt receptiua, ſed tantùm poteſt recipi, aliàs eſſet proceſſus in infinitū, ſi non daretur ſtatus in aliqua, quæ non reciperet aliam. Hæc Gabriël vbi ſupra. poſt Dominum Cardinal. Camera.q.vij.art.iij.ſuarum ſententiarum. Deum quoque eſſe immutabilem, oſtendit Prophetia Malach.cap.3.cùm dicit: Ego ſum Dominus, & nō mutor. Idem oſtendit Paulus Corteſius li.j.di.viij.dicens: Cumque is cauſa Catholica rerum vniuerſarum ſic intelligi debet, fieri non poſſe, quin ſemper eius voluntas expleatur ob eamq; cauſam notum eſt eam mutari nullo modo poſſe: quo fit vt nec dolor, nec triſtitia in Dei naturā cadat, cum nullis perturbationibus, quas Græci πάθη vocant, quatiatur Deus, ex quo eorum ſtolidiſsima leuitas exploditur, qui mœrentes, & lamētantes deos induxerunt, traduxeruntq; eos ad humanæ naturę mœrentis luctū, quo nihil eſſe poteſt à Dei natura diſiunctius: quare & pœnitētia inuidia, & metu quoq; vacat, vt paulò pòſt idem oſtēdit ille eloquētiſsimus Theologus Corteſius. Gaudium quoq; & delectatio quatenus patheticæ ſint, à Dei natura abſunt, vt idem latiùs probat vbi ſupra. Cùm omnis turbida affectio abſit à Deo: vide Corteſ.latiùs.

Mutatio quæ eſt in eadem ſpecie alteratio in magis & minus, ſecundum Ariſtot.lib.5.Phyſi. Et mutatum eſſe eſt pars motus diſcreti & terminus motus continui ſecundū Tho.1.part.q.liij.art.ij. Sunt autē tres mutationes naturales, ſecundū Rich.d.xj.ar.j.q.v.li.iiij. ſcilicet ex non ſubiecto in ſubiectū, id eſt ex ente in potentia in ens in actu ſimpliciter, & hæc eſt generatio. Et ex ente in actu ſimpliciter in ens in potētia, quā dicit Philoſ. ex ſubiecto in nō ſubiectum, & hæc eſt corruptio. Et ex ſubiecto in ſubiectū, id eſt ex ente in actu in ens in actu, ſub qua cōprehenduntur alteratio, loci mutatio, diminutio & augmentū, quæ fit per conuerſionē nutrimenti in corpus. Sic dico (inquit Rich.) quod extendendo nomē mutationis, tres ſunt ſupernaturales mutationes. Vna de nullo modo realiter ente in ens: & hæc eſt creatio cui cōuenit ratio mutationis, & hæc inter mutationes naturales magis aſsimilatur generationi. Alia ex ente in nullo modo ens, & hæc dicitur cōuerſio ſeu annihilatio, quæ inter naturales mutationes magis aſsimilatur corruptioni. Alia eſt ex ente in actu ſecundū ſe totū in aliud ens actu, ſicut eſt conuerſio ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti, quę inter naturales mutationes magis aſsimilantur mutationi, qua nutrimentū mutatur in corpus, quod nutrimentū cōuertitur in corpus præexiſtēs in actu, & deſinit eſſe quod erat antè. In multis tamē differunt iſtę mutationes duę, quia per tranſitionem nutrimēti in corpus plus eſt de ſubſtantia in corpore quàm antè, ſed per tranſitionem ſubſtantiæ panis in corpus Chriſti, non eſt in eo plus de ſubſtantia, nec plus de quātitate quàm antè. Et ſubſtantia panis poſt conuerſionem non remanet, nec quantum ad formam, nec quantum ad materiam. Et in hac conuerſione ſubſtantia panis ex vno ad aliud vadit, quia à ſui natura recedit per hoc quod conuertitur in corpus Chriſti. Et illarum mutationem, vt idem ait qu.vj.vbi ſupra. quarum eſt æqualis menſura illa ſimpliciter mirabilior eſt in cuius termino à quo minus eſt de poſsibilitate ad terminum ad quem: creationis autem & incarnationis & iſtius mutationis ſunt mēſuræ æquales: quælibet enim facta fuit in inſtanti, & in termino à quo creationis, qui eſt terminus non aliquid, non eſt aliqua poſsibilitas ad aliquid. De quo latiùs conſulas Richard. quæ mutationum fuit mirabilior, ſcilicet incarnatio vel conuerſio panis in corpus Chriſti, &c.

Mutuum dicitur quaſi de meo tuum, vt dum rem meam trado tibi ad tempus, poſt temporis lapſum repetendam, vt ſcribit Gabriël di.xv.q.xj.libr.iiij. ſententiarū. vnde in mutuo transfertur dominium rei mutuatæ de mutuante in eum qui recipit mutuum: & propriè locum habet in his rebus, quæ vſu conſumuntur, vt in pecunia & victualibus. In his verò quibus vſus diſtinguitur à dominio locū non habet mutuū, ſed accommodatio vel locatio. Vnde Alexan.de Ales part.iij.q.lxvj.mem.j.oſtendit in quibus rebus poteſt fieri mutuum, dicens: Nota quod non poteſt committi vſura, niſi in his rebus tantùm, circa quas contingit fieri mutuum, ſcilicet quæ conſiſtit in numero, pondere & menſura. Numero, vt in pecunia numerata: pondere, vt ære, argento, auro, &c. quæ ſtateræ appenduntur: menſura, vt frumento, vino, oleo, panno, &c. Et mutuatio (vt ſcribit Gerſon parte ij. ſuorum operum de contractibus, parte prima, conſideratione quarta) eſt contractus per quem fit tranſlatio dominij ad alterum, nullo precio mediante: non quidem ad ſemper vel pro ſemper, quia iam eſſet liberalis donatio. Sunt autem duo contractus (vt habetur in Gloſſa cap.conqueſtus.de vſuris) quæ de ſui natura volūt eſſe gratuiti, vt mutuū

& commodatum. In illis enim vltra ſortem nihil expectatur. Nam ſi fiant pro lucro, ſtatim tranſeunt in aliud genus contractus: nam ſi mutuum non fuerit gratuitum, eſt vſura. Sic in commodato ſi aliquid pro accõmodatione accipitur, deſinit eſſe commodatũ, & tũc fit vel vẽditio, vel permutatio, vel locatio. Alexã. Et in cõtractibus emptionis vel vẽditionis, cõmodationis, locationis, cõductionis, non cõmittitur vſura propriè dicta, quamuis multi tales ſint iuſti, multi etiam in fraudem fiant vſurarum. Patet & differentia mutuationis ab aliis contractibus. Nam in mutuo res ipſa traditur gratis, vbi nihil ſperandũ eſt, iuxta verbũ Chriſti Luc. 6. Mutuum date, nihil inde ſperãtes, ſupple principaliter (inquit Gerſon) vel ex pacto, quoniam pactum de recipiendo eſt pecunia mẽſurabile, & ita mutui contractus inficitur. Debet tamen recipiens mutuũ per legem amicitiæ & beneuolentiæ mutuanti quandam beneuolentiã quam poteſt intendere, & expectare ille qui dat mutuum, etiam per exhibitionem exterioris boni vel officij, vt quod in caſu ſimili recipiet ab illo mutuum vel aliud amicitię bonum. Hæc Gerſon. Alij verò contractus non ita gratis fiunt, &c.

Mutuo & mutuor dicitur, & mutuare, id eſt mutuũ dare & mutuor deponentaliter, quod eſt mutuum recipere (vt ſcribit Gabriël vbi ſupra.) Hinc Pſalm. Mutuabitur peccator, & non ſoluet. Mutuabitur, id eſt, mutuum recipiet. Et pro regula habendum eſt quod ſi mutuum fit principaliter ſpe habendi vltra ſortem, nullum periculum poteſt excuſare, quin ſit vſura talis contractus. Si verò mutuum fit liberaliter, & pòſt propter periculum aliquid accipitur, excuſatur. Vnde ſi quis mutuat ſpe lucri, & principaliter, vſurę crimine notabitur. Hæc enim ſpes ſecundum Docto. vſurarium facit. Similiter qui ſperat poſt mutuum: puta, mutuat gratis, abſque intẽtione lucri, tamen lapſo tempòre vult aliquid ſibi dari propter mutuum, ſimiliter vſurarius eſt. Eſt & vſurarius, quando mutuans nullũ ſperabat lucrum, ſed debitor propter mutuum dat ſibi præmium, & mutuans propter eandem cauſam recipit. Si verò ſperat ſecundario, quia etiamſi crederet ſe non habiturum vltra ſortem, nihilominus mutuaret propter charitatem, talis ſpes non facit vſurarium. Conſulito latiùs de mutuo Alex. de Ales, & videatur poſt eum Gabriël. di. xv. q. xj. libr. iiij.

De litera N.

NAris ideo dicitur, quia per eã vel odor, vel ſpiritus nare nõ deſinit ſecundum Lactan. lib. de opific. Dei. Nares Dei ſecundum Hieronymũ epiſt. j. eſt inſpiratio eius in corde fidelium, vt eſt illud 2. Regum 22. Aſcendit fumus de naribus eius, id eſt lachrymoſa compunctio pœnitentium in ſpiratione eius.

Naſci vide ſuprà in dictione *Generari*, vt de filio dicitur. Naſci verò temporaliter illud dicitur quod de nouo producitur, aut ſubſiſtit in natura de nouo producta. Non itaq; eſt concedendũ, quod natura diuina ſit nata ex Virgine, quia natura diuina non producitur de nouo, nec ſubſiſtit in natura humana de nouo producta, quia ſubſiſtere eſt ſuppoſiti: natura autẽ diuina nõ eſt ſuppoſitũ ſaltem formaliter: naſci verò & generari nõ prędicantur niſi formaliter. Si tamen ex ſuppoſitione prædicarentur identicè natura diuina eſſet nata de Virgine, eſſet etiam filia virginis, quia aliquid cui natura diuina eſt eadem realiter, ſcilicet ſuppoſitũ verbi genitum eſt de Virgine, & filius Virginis: ita ſcribit Gabr. di. viij. quæſt. vnica, ar. iij. libr. iij. Et paulò pòſt ait: quod filius Dei neque ratione eſſentiæ diuinæ, nec ratione proprietatis, dicitur natus ex Virgine, ſed ratione naturæ humanæ ad vnitatem ſui ſuppoſiti aſſumptæ: hoc autem non conuenit naturę diuinæ, cùm non ſit ſuppoſitum. Et verbum non ideo dicitur natum ex Virgine, quia incarnatum, id eſt carni vnitũ: ſed quia ſubſiſtit in natura humana ex Virgine nata, hoc autem non conuenit naturę diuinę. Item habere animam rationalem, voluntatem humanam, intellectum, conceditur de verbo, & non de diuina natura: licèt prædicata diuina, hoc eſt conuenientia Deo ratione alicuius intrinſeci in Deo, non ratione creaturæ (quæ non important ſuppoſitum) dicta de perſona etiam dicuntur de eſſentia. Secus tamen eſt de temporalibus (vt dictum eſt.) Gabriël. Per hæc habetur naturam diuinam non eſſe natam de Virgine. Sed quando dicitur quod natura diuina eſt incarnata, duplicem hoc habet intellectum, vt ſcribit ſanctus Bonauentura diſt. v. quæſt. v. libr. iij. Vnde cùm dicitur: Diuina natura eſt incarnata, id eſt carne vnita, & hoc abſque dubio verum eſt. Alius ſenſus: Diuina natura eſt incarnata, id eſt caro facta, & ratione iſtius non admittitur communiter à Doct. vt latiùs ibi determinat Bonauentura. Hoc enim nõ recipitur: Diuina natura eſt caro facta. Longiorem explanationem videto apud Bonauen. Et in quo ſenſu poſsit concedi hæc propoſitio: Diuina natura eſt caro facta. Si enim intelligitur ſic: Diuina natura eſt caro facta, id eſt conuerſa in carnem, & hæc ſimpliciter eſt falſa. vel intelligitur: Diuina natura eſt caro facta, id eſt factum eſt vt diuina natura ſit caro. Et hæc quidem propriè loquẽdo eſt falſa, quia caro nõ prędicatur de diuina natura. Si autẽ intelligitur ſynecdochicè, vt ſit ſenſus: Diuina natura eſt caro, id eſt homo: & ſic illud aliquo modo poſſet concedi propter cõuenientiam ad hypoſtaſim, quæ facit idiomatũ cõmunicationem, propter hòc quod hęc eſt vera. Homo eſt diuina natura, id eſt ille, qui eſt homo, propter nimiã tamẽ expreſsionẽ tacenda eſt, ne videatur natura prædicari de natura, vel naturarum fieri identitatẽ aut confuſionẽ, quę omnia relegenda ſunt ab illa excellentiſsima vnione & aſſumptione, inquit Bonauentura.

Naſci vel gigni filium Dei ſpiritualiter in cordibus noſtris, non eſt aliud (vt ſcribit Gerſon part. ij. ſermone facto in die Natiuitatis Domini) quàm eum tanquam ſpiritualem amicũ adiutorem, protectoremque, & viuificatorem in anima noſtra nouiter ſuſcipere, & inhabitatorẽ poſsidere. Vnde Matth. 12. ait Saluator: Quicunque fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis eſt: ipſe meus frater & ſoror, & mater eſt. Totiens namque anima velut mater in ſe Deum parturit, quotiens per mandatorũ ſuorum

rum obſeruationem ad gratiam eius redit. Hæc eſt optanda natiuitas, vt ait Gerſon.

Natiuitas eſt duplex, ſcilicet natiuitas in vtero, qua fœtus fit primò homo, vt patet Matth. 1. dicente angelo ad Ioſeph: Quod in ea natum eſt, de ſpiritusſancto eſt. Vel natiuitas in vtero eſt ex coniunctione animæ cum carne. Natiuitas ex vtero eſt egreſſus prolis de ventre, qua paruulus egreditur de matre primò apparens viſibilis. Ita S. Bonauē. di. iij. q. iij. libr. iij. ſcribit. Et Bruleſ. di. viij. qu. j. libr. iij. Hanc vtramque natiuitatem de Chriſto tangit Gerſon in expoſitione tertij articuli fidei qui eſt. Qui conceptus eſt de ſpiritusſancto, natus ex Maria virgine. Conceptus igitur eſt de ſpiritusſancto non naturaliter, ſed operatione ſpiritusſancti, & quaſi ſecundum appropriationem cauſę efficientis. In quo verbo tangitur natiuitas eius in vtero, ſcilicet qua natus eſt de patre veniens, nec tamen recedens. De qua Matth. 1. Quod natum eſt in ea, de ſpiritusſancto eſt. Gloſ. natum, id eſt conceptum. Dicitur poſtea, natus ex Maria Virgine, ſcilicet natiuitate ex vtero. De qua Luc. 2. Et peperit filium ſuum primogenitum, ita Gerſ. ſcribit.

Natiuitas hominis eſt triplex (vt ſcribit Gerſ. parte iiij. in ſer. de ſancto Antonio.) Vna eſt doloroſa. Alia gratioſa. Tertia glorioſa. Prima eſt corporalis: duæ aliæ ſunt ſpirituales, vna quidem per gratiam, altera per gloriam, prima eſt tum bonorum, tum malorum, ſecunda eſt propria bonis in hoc mundo, qui per gratiam ſunt regenerati, & hæc ad tertiam ducit natiuitatem, quæ ſurſum in cœlis eſt in gloria, in regeneratione cùm ſederit filius hominis, &c. & hoc fit mediante pœnitentia, & præcipuè poſt peccatum mortale, poſt baptiſmum perpetratum. Prima natiuitas quæ eſt doloroſa, eſt quando puer naſcitur & plorat in hoc mundo mortali: hæc natiuitas non ſolum doloroſa eſt, verum etiam vicioſa, niſi gratia eam purgarit, propter quam cauſam Iob & Hieremias iſtam deplanxerunt natiuitatem, in qua non eſt materia gaudij, ſed fletus & gemitus. Alia natiuitas eſt glorioſa, eo quòd fit in gloria. Hęc natiuitas eſt cũ anima recipit primo ſuã habitationẽ & ſuã gloriã, de qua perſępe meminit Gab. in ſuis ſermonibus de ſanctis & de dedicatione tẽpli. Natiuitas gratioſa eſt, quã homo recipit in ſecundo ſacramẽto baptiſmatis, aut poſtmodũ per pœnitentiam, quæ quidem natiuitas honorabilis eſt nobilis & deſiderabilis. In hac natiuitate gratioſa dantur & infunduntur omnes virtutes, & præcipuè tres theologicę: fides, ſpes, & charitas, vt anima in hac vita gratioſa ab omnibus inimicorum humani generis ſeruetur inſultibus, qui quidẽ inſultus fiunt mediante peccato maledicto proditore Dei contra ipſam animam. Nos id heu quolibet die experimur magis quàm nobis opus eſſet. Hæc Gerſon vbi ſupra. Vide & eundem de triplici natiuitate, parte ij. ſermone facto in die natiuitatis Domini.

Natus quandoque eſt nomen, & eſt idem quod filius, quandoque participium. Vnde illa negatur, Chriſtus eſt natus ſpiri. ſanct. Illa verò cõceditur, quod eſt natus de ſpiritusſancto. Nam in prima accipitur nominaliter, quia mutat regimen participij. Sic enim natus accipitur pro filio, in ſecunda accipitur participaliter, & ſic capitur generaliter pro viuente producto de aliqua materia, ſiue viuente, ſiue non viuente. Sic dicimus vermes naſci de cadauere. Sic conceditur Chriſtum eſſe natum de ſpiritusſancto, prout dicit circunſtantiam cauſæ actiuæ, non materialis. Non enim natus eſt de ſpiritusſancto ſicut de materia. Sic natus eſt de virgine, ſed de ſpiritusſancto natus eſt tanquam de opifice, ſiue de cauſa efficiente. Hæc Gabr. di. iiij. qu. vnica, art. iij. dub. ij. libr. iij.

Natura generaliter accipitur pro entitate. Vnde Aug. contra Manichæos in lib. de moribus eorundem ait: In catholica Eccleſia dicitur omnium naturarum atq; ſubſtantiarum eſſe auctorem Deum, & paulò ante. Ipſa natura nihil aliud eſt, quàm id quod intelligitur in ſuo genere aliquid eſſe, ita vt nos iam nouo nomine ab eo quod eſſe vocatur eſſentia, quia plerumque ſubſtantiam nominamus, ita veteres qui hæc nomina nõ habebant pro eſſentia & ſubſtantia naturam vocabant. Ex quo patet quod B. Aug. per naturam intelligit omne quod in ſuo genere aliquid eſt, & omne quod habet aliquid eſſe, & omne quod eſſe ſiue quod eſt, & nos quodlibet tale vocamus eſſe, ſiue eſſentiam. Gabr. ſcribit di. xxxvij. q. vnica, lib. ij. ſic Deus & Angeli dicuntur natura. Vnde natura (vt idem ſcribit diſt. j. qu. j. libr. iij.) ſecundum Occam, eſt res aliqua poſitiua habens eſſe reale, non tantũ eſſe obiectiuum in anima. Et natura in intellectualis (vt ibidẽ dicit) eſt anima angelus, Deus, vel quæ habet intellectum partem ſui eſſentialem, vt homo, & di. v. Natura (inquit) vt diſtinguitur contra perſonam, accipitur pro qualibet entitate, quę non eſt formaliter incommunicabilis.

Natura ſecundum Bruleſer. capitur quadrupliciter di. j. q. j. libr. iij. & di. xxxiiij. q. j. libr. j. & Boëtius in li. de duabus naturis, & vna perſona. Vno modo pro eo quod poteſt diſtinctè & perfectè intelligi ab intellectu noſtro & poſitiuè, iſto modo omnis natura poſitiua eſt natura, ſic Deus angeli dicuntur natura. Secundo modo capitur pro aliqua ſubſtantia quæ poteſt agere vel pati, non ſolùm inſtrumentaliter, ſed etiam tanquam principale agens, ſic ſola ſubſtantia de genere ſubſtantiæ eſt natura. Iſto modo Deus non eſt natura, nec accidens. Tertio modo accipitur pro differentia ſpeciuoca conſtituente vnam ſpeciem ſpecialiſſimam, vel ſubalternam, vt rationale reſpectu hominis. Quarto modo capitur natura, prout eſt principium motus & quietis. Et ſic diffinit Ariſto. 2. Phyſi. eſt principium mouendi & quieſcendi eius in quo eſt primo, & per ſe & non per accidens. Secundum Hilarium, natura eſt omne quod poteſt eſſe principium natiuitatis alicuius, quod dicitur natũ, iſto modo voluntas in diuinis non eſt natura, quia non eſt principium alicuius, quod dicitur natum, quia ſpiritusſanctus non naſcitur, ſed procedit: hoc modo ſecundũ Frãciſcum de Maro. iſta ſe habent per ordinem, ſubſtãtia, natura, eſſentia, & quidditas. Vnde omnis ſubſtantia eſt natura, ſed non econtra. Nam ponimus multas quidditates in Deo, ſcilicet bonitatem, volitionem, & intellectionem, & tamen non ponitur

niſi vna eſſentia. Et natura dicitur à naſcendo ſecũdum B. Thom. j. parte. qu. xxix. art. j. ea enim facit omnia naſci. Vnde primo impoſitum eſt ad ſignificandum generationem viuentium, vt eorum natiuitas, & publicatio dicitur natura quaſi naſcitura. poſtea tranſlatum eſt ad ſignificandum principium generationis, vel mutationis huius intrinſecum, quod principiũ eſt forma, vel materia, de qua multa Phil. 2. Phyſi. & dicitur de principiis rerum naturalium, vt ſunt materia, & forma. Interdum natura ponitur pro vi, vnde herbarum arborumque naturas dicimus.

Natura ſecundum S. Bonauen. tripliciter accipitur vt ipſe ſcribit di. xxxvij. libr. ij. circa textum. Vno modo natura dicitur res quæ naturaliter ineſt, vel proprietas quæ naturaliter ineſt. Secundo modo dicitur natura largius, non ſolum res per ſe ens vel proprietas naturaliter inhærẽs, ſed etiã omne quod cõſeruat naturam, vel quod ſaltem aliquo bono nõ priuat. Iſtos duos modos ponit Magiſter ſententiarum. di. xxxvij. libr. ij. Tertio modo dicitur natura largiſsimè omne ens quod eſt in aliqua re naturali, ſiue ſit naturaliter inhærens ſiue non, ſiue ſalutiuũ ſiue non. Cùm ergo dicit Aug. quod natura eſt omne quod Deus fecit, poteſt accipi natura tribus modis, ſecũdum quod facere Dei accipitur tripliciter. Vno modo facere dicitur Deus creando. Secundo modo concreando. Tertio modo cooperando. Et ita ſecundum quod extenditur verbũ faciendi, extenditur nomen naturæ, ſicut facere dicitur Deus actionẽ ſubſtratã peccato cooperando libero arbitrio, ſic etiã nomen naturæ ſe extendit ad illã actionem. Et ſic facere Dei nunquam ſe extendit ad deformitatem, ſic nec natura. Vnde Aug. & allegat magiſter in textu vbi ſupra. Quamobrem quod natura nõ eſt Deus nõ fecit, quia natura eſt omne quod fecit. Item omne quod natura bonum eſt Deus ex nihilo fecit, non diabolus. Ex hac auctoritate non poteſt haberi quod actio ſubſtrata deformitati nõ ſit à Deo. Bonauentu.

Natura adhuc accipitur dupliciter (vt idem Bonauen. ſcribit di. xviij. q. ij. in fine li. ij. Vno modo dicitur omne quod cõpetit rei à ſua naturali origine, & ſic competit creaturę, vt ex ea producatur omne quod Deus vult. Opus enim reſpectu ſui artificis habet in ſe potentiã perfectè, cũ per omnia ſubiacet eius volũtati, & cõtra hanc naturã Deus nunquã facit, imo quicquid facit de creatura, ſecundũ hanc naturã facit, ſic mulier de coſta nõ eſt formata contra naturã. Alio modo dicitur natura propriè vis inſita rebus ſecundũ quas res naturales peragunt curſus ſuos & motus ſolitos. Hoc modo accipiendo naturam aliquando Deus facit cõtra naturã, aliquãdo ſupra naturam. Tunc facit contra naturã, quando facit aliquid cuius ſimile in natura & à natura, habet tamẽ alio modo omnino diuerſo, vt patet in hoc quod natura dat alicui viſum & ſucceſsiuè in primaria generatione, ſimiliter & dat vitã, nũquam tamẽ cæcũ reducit ad viſum, nec mortuũ ad vitam. Si ergo Deus virtute hoc faciat aut alicui cæco viſum reſtituat & mortuo vitã, tũc dicitur facere cõtra naturã, id eſt cõtra ſolitũ curſum naturæ, & tũc dicitur miraculũ. Quãdo verò Deus facit aliquid cuius ſimile natura facere nõ poteſt, & ad quod natura non habet ordinem ſecundum propriam virtutem, ſicut quãdo Deus factus eſt homo, vel quãdo corpus mortale factum eſt glorioſum, tunc facit ſupra naturã. Et illud opus propriè dicitur mirabile & non miraculum. Hæc S. Bonauen.

Natura eſt duplex, ſcilicet naturans quæ eſt Deus. De hac Ouidius loquitur primo Meta. cũ ait: *Hanc Deus & melior litem natura diremit*: hinc mens & cauſa à Platone appellatur. Vnde Seneca: Nihil aliud eſt natura quàm Deus & diuina quædã ratio toti mũdo & partibus eius inſerta. Alia eſt natura quã indidit creaturis, de qua ſupra. Hanc diſtinctionẽ innuit Gerſ. ſuper cãtico Mariæ, tracta. xj. Et vt idẽ vult in trilogio aſtrologię theolizatæ, contra ſuperſtitionẽ cuiuſdã medici, & de erroribus circa artem magicã, natura aut miraculo diuino cauſantur omnia, aliàs de diabolica pactione operatio ſuſpecta eſt. Vnde dicit quod omnis obſeruatio cuius effectus expectatur aliter quã per rationẽ naturalem aut per diuinũ miraculũ, debet rationabiliter reprobari, & de pacto dæmonũ expreſſo vel occulto vehementer haberi ſuſpecta. Sicut determinauit rem pore noſtro inquit ipſe ſacra theologiæ facultas Pariſien. vniuerſitatis.

Natura intellectualis eſt triplex (vt oſtendit Bruliſer. di. xvij. qu. j. libr. iij. ſcilicet ſuprema & diuina. Alia eſt media & angelica. Alia eſt infima & humana. Natura humana (vt idem ait di. j. q. j. lib. iij. nihil aliud eſt quàm humanitas. Quid autem ſit humanitas, patet ſupra in litera H. Vel natura humana (vt ſcribit Gabr. di. v. qu. vnica. libr. iij.) nihil aliud eſt niſi compoſitũ ex materia & forma rationali. Et omne tale compoſitũ dicitur natura humana, ſiue actu dependeat ad aliquid ſuppoſitaliter, vt in verbo, ſiue ſubſiſtat in ſeipſa, vt in Sorte vel Petro. Et licet natura, quandoq; ſubſiſtat ſuppoſitaliter in ſeipſa, & per conſequens ſit perſona in creaturis, non eſt tamen formaliter perſona, quia eſſe perſonam non eſt de ratione eius formali, vt latiùs videri poſsit apud Gab. vbi ſupra. Et quęlibet pars cõpoſiti eſt natura. Vnde & dicimus hominẽ cõpoſitum eſſe ex duabus naturis, corporali, ſcilicet & ſpirituali, carne & anima, ſicut dicimus in Chriſto eſſe tres naturas, carnẽ, ſcilicet & animã, & deitatẽ. Hæc Gab. Et natura humana in Chriſto eſt ſimilis naturæ noſtræ, quantum ad eſſentialia (vt & ſcribit Gabr. di. j. qu. j. art. iij. dubio vlt. libr. iij.) quia eiuſdem ſpeciei eſſentialis, ſed non eſt ſimilis in omnibus accidentibus. Nam in natura aſſumpta fuit, & eſt beatitudo & ſumma charitas, ſciẽtia & dona in ſummo, quę non ſunt in noſtra: ſicut in vno homine ſunt accidẽtia quæ nõ ſunt in alio, ſicut alia in iuſto, alia in peccatore. Et quamuis (vt idem Gab. ait, di. j. q. ij. ar. ij. dub. ij. lib. iij.) natura & ſuppoſitum ſunt idẽ, non tamen vniuerſaliter omnis natura eſt idem ſuppoſito. Et quicquid cõuenit naturæ quæ eſt ſuppoſitũ, cõuenit etiam ſuppoſito. Aſſumi autẽ nõ conuenit naturę quę eſt ſuppoſitũ. Sed poſſe aſſumi, hoc cõuenit tam naturæ quã ſuppoſito, ſaltẽ per prædicationẽ, ſed nõ aſſumi. Gabr. hæc. Et nomine naturæ quã Chriſtus aſſumpſit (vt habet Magiſter di. ij. lib. iij.) non intelligitur natura communis ſpe-

nis ſpecifica, ſed natura ſingularis, quæ eſt hæc caro, & hæc anima, & natura aſſumpta eſt ſingularis propria ſingularitate: quia omne exiſtens eo quòd eſt, eſt ſingulare. Vide latiùs Gabrielem vbi ſupra. Et latè de hoc tractat Occam in primo di.ij.qu.vj. Sunt autem in Chriſto duæ naturæ (vt omnes ſentiunt catholici) integrè & perfectè, diuina, ſcilicet & humana ſub vna perſonalitate verbi (vt & ſcribit Iacobus de Valentia Pſal.109.) Nam verbum aſſumpſit naturam humanam ſine aliqua perſonalitate creata, imò perſonauit & ſuppoſitauit illam per perſonalitatem ſuam, & ſic manet vnum ſolū ſuppoſitum, & vna ſola perſona habens duas perfectas naturas. Et ratione iſtarum duarum commonicantur idiomata in Chriſto. Et ſic dicitur Chriſtus verus Deus & verus homo, & dicitur creator & creatura, & mortuus & paſſus ſecundum diſtinctas naturas, vt aliàs ſupra dictum eſt. Iſte Chriſtus eſt conſubſtantialis & coæternus, & coæqualis patri ſecundum diuinitatem: ſed eſt minor patre ſecundum humanitatem, & ſecundum hāc humanitatem accepit regnum mundi à patre ex tempore, & poteſtatem ſacerdotalem ſummam, & iudiciariam poteſtatem. Et ſic reſpectu huius humanitatis dicit pater filio: Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Et ſub iureiurando dedit ſibi ſacerdotiū æternum, & iudiciariā poteſtatē. Hæc Chriſtopolitanus Epiſcopus vbi ſupra.

Natura diuina (quæ teſte Damaſce. in primo ſuo eſt pelagus infinitæ ſubſtantiæ) capitur quinque modis. Vno modo propriiſſimè pro ipſa natura diuina ſiue deitate, in qua tres perſonæ coëxiſtūt, quę eſt increabilis, & ſic eſt prima entitas communis patri & ſpiritui ſancto. Alio modo capitur perſonaliter ſiue notionaliter, & ſic capitur pro aliquo includente & habente diuinam naturam. Sic pater dicitur diuina natura, ſimiliter filius & ſpiritusſanctus dicitur diuina natura, ſic diuina natura valet ſicut perſona diuina, quæ includit naturam. Tertio modo capitur prout eſt principium naturale productiuum naturaliter diuinæ perſonæ: iſto modo intellectus in patre diceretur natura, ſimiliter & memoria fecunda, non autem voluntas. Quarto modo pro qualibet vi exiſtente naturaliter in natura diuina: iſto modo omnia attributa poſſunt dici natura, ſcilicet intellectus, voluntas & ſapientia, quia Deus naturaliter habet ſapientiam. Quinto modo capitur prout idem eſt quod incommutabilis neceſſitas, & ſic dici ſolum conditionem circa actum elicitum. Iſto modo ſecundum nominales ęquè incommutabiliter pater producit ſpiritum ſanctum ſicut filius. Vide de hoc Scotum di.x.li.j.

Naturale venit à natura, quod eſt ſecundum naturam. Et naturales filij dicuntur illegitimi, quod ſola natura non coniugali lege ſint orti. Et naturale eſt quod conuenit rei ſecundum ſubſtantiam eius, id eſt, quod per ſe ineſt ei ſecundum B.Thom. prima ſecundæ.q.x.ar.j. Et naturale (vt ſcribit Petrus Palud.di.xxxiij.q.j.li.iiij.) eſt cuius principium eſt natura, ſicut igni ferri ſurſum: vel materia, vt motus cœli: vel forma, vt motus elementi. Vel ſecundum naturā vniuerſalē, ſicut fluxus & refluxus maris, & motus circularis ignis & aëris. Vel ſecundum naturam particularem vel ſpeciei, vt adamantis attrahere ferrū. Vel generis, vt grauis ferri deorſum. Et quidem naturalius eſt rei ſequi inclinationem naturæ vniuerſalis quā particolaris, ſicut graue aſcendit ad ſupplendum vacuum. Item naturalius eſt ſequi inclinationem naturæ ſpeciei, quando eſt cauſata à natura vniuerſali quā naturā generis, ſicut licet ferrum vt graue habeat tendere deorſum, tamen vt alteratum ab adamante virtute cœleſti fertur ſurſum, vt in actu patet de ſepulchro Mahumeti. Hæc Paludenſis. Paulus Corteſius Theologorum eloquentia bipertito metitur naturale li. iiij. ſententiarum ſuarum diſtinct.vj. in principio. Nam quippiā ex principiorum genere naturæ neceſſitate ortum eſſe affirmamus, quemadmodum ignem dicimus ſupera ſuapte natura capeſcere, ex quo genere nec connubium, nec id quidem quod libera optione cumulatur naturale dici volumus. Alio verò modo quippiam naturale expendimus ad quod appetendum natura moueatur, quod quidem inter media animæ optione expletur, vt actus naturales nominantur. Ex quo genere probamus connubium naturale dici, quandoquidem ad id naturæ ratio cum appetitione moueatur procreandi cauſa. Hæc Corteſius. Quæ & latiùs hic probat Scotus di.xliij.q.iiij.libr.iiij. ſcribit vocabulum naturale ęquiuocari, quem imitatur Brulef.di.j.q.j.lib. iij. Quod apparet ex hoc, quia diuerſis opponitur. Et illa eſt vna doctrina theologorūm cognoſcendi multiplex. Opponitur enim naturale vno modo ſupernaturali. Hoc modo incarnatio (inquit Brulef.) ſiue vnio verbi diuini ad naturam humanam non eſt naturalis ſed ſupernaturalis: quia nō fit ab agente naturali naturaliter, ſed ſupernaturaliter, quia à ſolo Deo potuit fieri. Secundo modo vt diſtinguitur contra violentum, hoc modo incarnatio filij Dei eſt naturalis, quia quælibet creatura habet naturalem inclinationem ad obediendum diuinæ potentiæ, & maiorem quam ad quodcunque aliud. Vnde potentia obedientialis eſt illa qua Deus poteſt facere de creatura & opere ſuo quicquid non implicat contradictionem. Tertio modo vt diſtinguitur contra liberum, hoc modo incarnatio verbi non eſt naturalis, ſed libera, quia Deus merè & liberè vniuit ſibi in vnitate perſonæ naturā noſtrā. Et (vt idem ait Scotus) reſurrectio erit naturalis, vt naturale opponitur violento: ſed non naturalis, vt naturale opponitur ſupernaturali, ſed erit ſupernaturalis. Ratio primi, quia paſſum inclinatur naturaliter ad formam quam recipit. Ratiò ſecundi, quia non recipit ab agente naturalem ordinem habente ad iſtud agendum, ſed ſupra totum iſtud latius videre potes apud Scotum. Addit adhuc quartum modum naturale Brulefer prout diſtinguitur contra artificiale, hoc modo (inqoit Brulef. vbi ſupra.) incarnatio Chriſti eſt artificialis, quia eſt ab arte diuina, ſimiliter & quælibet creatura. Et naturalia creaturæ rationalis (vt idem Brulef. ſcribit di.j.lib.iiij.) ſunt duplicia, ſcilicet eſſentialia, vt eſſentia animæ, & ea quæ ſequuntur eam naturaliter & neceſſariò, vt intellectus & voluntas. Alia ſont accidētalia vt clementia, ingenioſitas, pulchritudo corporis facundia. Et poſſunt dici gratiæ gratis datæ. Brulef. Vtimur quoque naturalibus pro fidei & charita-

charitatis ſupernaturalis inductione ſed non principaliter. Vnde Gerſon in trilogio aſtrologiæ theologizatæ. parte 3. propoſitione iij. ſic dicit: Fides quamuis ſit ſupernaturalis, non refutat rationes & congruentias naturales, nec charitas ſupernaturalis motiua naturalia ad amandum, quoniam talia faciunt ad conſolationem fidelium atque mundanorum, hoc tantū obſeruare conuenit, ne fidelis Dei amicus vtatur talibus rationibus & obſeruationibus tanquam principalibus & cogentibus motiuis ad credendum Deo, ſibique per charitatem inhærendum, alioquin meritum fidei perderetur, & irriſio maior apud infideles & humanos ſequeretur ſcientibus illis quod talia nō conuincūt. Hæc Gerſ.

Neceſſarium (vt ſcribit Gabr. di. x. q. ij. li. j. eſt quod non poteſt nō eſſe, & ſic neceſſariò producit quod non poteſt non producere. Et neceſſarium ſimpliciter quod per nullam potentiam poteſt non eſſe, quod ſoli Deo conuenit, vt inquit idem Gabr. di. j. q. ij. libr. iiij.) Omne enim quod non eſt Deus, poteſt non eſſe, ſicut quandoque non fuit, & ita non eſt neceſſarium ſimpliciter: ſic ſacramenta non ſunt neceſſaria homini ſimpliciter, poteſt enim eſſe ſine ſacramentis. Etiam non ſunt neceſſaria homini ad finem, quæ eſt beatitudo, quia Deus poteſt beatitudinem conferre ſine ſacramentis, beatificat enim angelum ſine præuiis ſacramentis, ſimiliter & hominem ſi in ſtatu innocentiæ ſtetiſſet, nullis præcedentibus ſacramentis. Denique de facto ſaluat quoſdā ſine ſacramentis, eos, ſcilicet qui propter defectum miniſtrorum ſacramentis quæ deſiderant vti non poſſunt, ſicut de baptizatis baptiſmo flaminis vel ſanguinis. Non enim (vt ait Magiſter) Deus ſuam potentiam alligauit ſacramentis.

Neceſſitas dicitur à non ceſſo, vt dicit Guilhel. Scoti æmulus. di. vj. li. j. quaſi non ceſſans eſſe. Ceſſo autem eſt ab opere vaco. Vnde Apoſt. ad Col. 1. Non ceſſamus pro vobis orantes & poſtulantes vt impleamini agnitione voluntatis eius, &c.

Neceſſitas quædam eſt abſoluta, quædam ex ſuppoſitione. De quo videatur Gabriël di. xvij. q. j. lib. j. & di. xxvij. q. vnica, ar. iij. dub. iiij. lib. ij. Et Occam in quodli. vj. qu. ij. & habetur in primo di. xvij. Et Alexan. parte ij. q. lxix. art. penul. Et Gabriël in iiij. d. j. q. ij. Neceſſitas abſoluta vel ſimpliciter dicta eſt quādo aliquid eſt ſimpliciter neceſſarium, ita quod eius oppoſitū includit contradictionem. Et hęc eſt abſolutè neceſſaria. Homo eſt riſibilis, Deus eſt, & huiuſmodi, quia contradictio eſt quod hæ ſint falſæ & contradictoriæ veræ. Neceſſitas ex ſuppoſitione vel ex conditione eſt quando aliqua conditionalis eſt neceſſaria, quāuis tam antecedēs quàm conſequens ſit contingens. Sic hæc eſt neceſſaria, ſi Petrus eſt prædeſtinatus, Petrus ſaluabitur, & tamen tam antecedens quàm conſequens eſt cōtingens. Et dicitur neceſſitas conditionata, id eſt ſecundum quid, (vt inquit Gerſon parte ij. in compendio theologiæ de ſacramento confirmationis,) vt ſi homo nō debeat debilitari, neceſſe eſt bene comedere. Et iſto modo dici poteſt (vt ait ipſe) quod confirmatio ad ſalutem eſt neceſſaria. Nam ad hoc quod debeat vita ſpiritualis & ſalus in baptiſmo adepta robuſtè contra hoſtes ſpirituales cuſtodiri, neceſſe habet hoc ſacramento confirmari & confortari. Datur enim hoc ſacramentum ad robur, nō autem ſimpliciter eſt neceſſarium, ſicut & cætera, vt & ſuprà dictum eſt. Nec obſtat quod dicit ipſe Gerſon, quod abſoluta neceſſitas eſt, quia illud ſine quo res eſſe non poteſt, neceſſarium dicitur. Sic baptiſmus neceſſarius eſt ad ſalutem, quia ſine eo nō eſt ſalus, niſi cum neceſſitate excluderet ſacramentum. Vel neceſſitas ex ſuppoſitione (vt inquit Gabriël vbi ſuprà.) dicitur quando aliqua talis con ſequentia eſt neceſſaria. Sic dicitur quòd Deus non de neceſſitate acceptat actum elicitum ex charitate creata, loquendo de abſoluta neceſſitate. Sed poteſt de potentia ſua abſoluta illum actum non acceptare, accipiendo non acceptare, pro non velle alicui dare vitam æternam: quia ſecundum ſanctos Deus nihil agit ad extra de neceſſitate, nec aliquid aliud à ſe vult neceſſariò, ergo quocunque actu poſito in viatore, Deus non de neceſſitate naturę vult ſibi dare vitam æternam, & per conſequens non acceptare talem actum. Hæc Gabriël in primo vbi ſuprà. Eſt præterea adhuc multiplex neceſſitas, de qua multiplici neceſſitate videantur doctores, S. Bonauen. di. vj. q. j. lib. j. Rich. Thomas, Guilhel. Scotiſ. Pelbartus, & Dominus præpoſitus Gabr. di. xvj. q. vnica. ar. j. lib. iij. Eſt enim neceſſitas violentiæ ſiue coactionis quæ mouet contra naturā: vt lapis proiectus neceſſitatur ſurſum moueri, vel qualis eſt neceſſitas corruptionis ligni poſiti in ignem quod violēter ab igne corrumpitur. Neceſſitas verò coactionis eſt contra voluntatem. Eſt etiam neceſſitas indigentiæ, vt cibi & potus in paupere. Et quædam eſt vrgens, vt cum proximo ſubueniendum eſt, ſicut eſt eleēmoſynæ diſtributio, & orādo (vt inquit Gerſon de perfectione cordis) pro qualibet & in qualibet aduerſitate proximorum pro ſua eruditione, caſtigatione, conſolatione, patientia, cibo, potu, veſte, ſanitate. Sciet pater omnium Deus, & volet deſiderium pauperis exaudire, & præparatione eorum audiet auris ſua. Gerſon. Eſt præterea neceſſitas ineuitabilitatis, qualis eſt in morte & in primis motibus (inquit ſanctus Bonauē.) Hanc neceſſitatem incurrit homo ex carentia originalis iuſtitiæ. Pſal. De neceſſitatibus meis erue me. Eſt & neceſſitas exigentiæ, quæ eſt in materiam diſponenda ad formam vel diſpoſita. Eſt & neceſſitas immutabilitatis æternæ, hæc ſola cadit in Deum, & nulla alia. Hoc modo Deus pater neceſſariò gignit filium neceſſitate immutabilitatis æternæ, & principaliter eſt in Deo (vt inquit Bonauen.) quia ipſe ſolus eſt qui principaliter ſibi omnino ſufficit, & qui ſecum omnino conuenit. Hæc autem neceſſitas non repugnat libertati voluntatis, ſed ſolùm vertibilitatis, qualis non eſt in Deo. Nec neceſſitas coactionis (vt idem ait) cadit in Deum, &c. Eſt inſuper neceſſitas finis (vt ait Gabr. di. xvj. q. vnica, li. iij.) ſiue conditionata, ſic neceſſarium eſt ad finem, ſine quo finis haberi non poteſt, ſic merita ſunt neceſſaria ad beatitudinem conſequendam. Et hoc poteſt accipi ſecundum potentiam Dei ordinatā vel abſolutam (vt idem ait Gabr. di. xxvij. q. vnica, libr. ij.) tunc dicitur quod Deus dat gratiam facienti, quod in ſe eſt neceſſitate immutabilitatis & ex ſuppoſitione, quia diſpoſuit dare immutabiliter gratiam facienti

quod

quod in ſe eſt. Illa ergo ordinatione ſtante & ſuppoſitione nō poteſt non dare gratiā facienti quod in ſe eſt, quia tunc eſſet mutabilis. Sic prædeſtinatum non poteſt non ſaluare in ſenſu cōpoſito, quia impoſſibile eſt prædeſtinatum non ſaluari, licet in ſenſu diuiſo, qui prædeſtinatus eſt poteſt non ſaluari, quia poteſt non eſſe prædeſtinatus, cum prædeſtinatio cuiuſcunque (vt ſuo loco infra videbitur) ſit contingens. Sic omnis ordinatio Dei ad extra eſt contingens. Hæc Gabriël in ij. vbi ſupra. Et ſecundum ſanctum Bonauen. eſt adhuc quædam neceſſitas ex naturæ inſtitutione, & eſt neceſſitas ex corruptione. Prima eſt data, ſecunda eſt quam incurrit homo ex culpa. Prima neceſſitas omnino excludit culpam, ſecunda verò excludit culpam actualem mortalem non venialem. Vnde ſicut vult Aug. de perfectione iuſtitiæ hominis, quia homo noluit vitare peccatum cum potuit, inflictum eſt ei non poſſe cum velit.

Neceſſitas (ſecundum beatum Thom. in iij. ſcripto di. xvj. q. j. & poſt eum ſcribit Gabriël eadem di. q. vnica) quædam dicitur moriendi, & hæc neceſſitas moriendi partim ineſt homini ex natura, partim ex peccato. Ex natura quidem, quia corpus hominis compoſitum eſt ex contrariis, quæ nata ſunt agere & pati adinuicem ſecundum diuerſas partes organicas, ad quorum actionem ſequitur tandem corruptio corporis, corruptis, ſcilicet qualitatibus ad operationes vitales requiſitas. Item propter conſumptionem humidi radicalis, & propter violentans extrinſecum, tamen in ſtatu innocentiæ per donum à Deo gratis datum (ſiue id fuerit lignum vitæ, ſiue originalis iuſtitia, ſiue vtrumque ſimul) largita eſt huiuſmodi immortalitas. Nam per hoc donum potuit caueri omnis corruptio, & per conſequens mors, ſed propter peccatum donum illud perdidit, & ideo relicta eſt humana natura (vt dicit Diony. de cœleſti hierarchia) in ſtatu qui debetur ei ex natura ſuorum principiorum ſecūdum quod dictum eſt Gene. 3. Terra es, & in terram reuerteris: & ideo poſt peccatum neceſſitas moriendi ineſt homini ex peccato, ſicut ex remouente prohibens donum illud, ſcilicet vitæ conſeruatiuū. Chriſtus autem (vt idem ait ar. ij. vbi ſupra.) qui eſt verbum patris, non habuit ſimpliciter moriendi neceſſitatem ſecundum aſſumptam naturam, quia potuit non mori, ergo non habuit abſolutam moriendi neceſſitatem. Potuit nanque naturam aſſumptā perpetuò conſeruare, probat prolixius ibi Gab. Ita etiam in alio homine non eſt abſoluta moriendi neceſſitas. Ex potentia verò Dei ordinata in natura humana à verbo aſſumpta fuit moriendi neceſſitas, quia verbum aſſumpſit naturā humanam cum generalibus ſuis defectibus pœnalibus ſine peccato, ſed magnus defectus fuit moriendi neceſſitas, ergo & illum aſſumpſit. Illā autem neceſſitatē moriendi ſecundum naturam humanam Chriſtus aſſumpſit nulla ſua neceſſitate, ſed ſola miſericordi & amoroſa voluntate: potuit enim non aſſumere, ſed voluntariè ex nimia dilectione generis humani naturam humanam aſſumpſit, peccatum tamen non aſſumpſit, longior eſt Gabr. probando. Aſtipulatur ſanctus Bonauen. cum dicit. Neceſſitas patiendi in Chriſto fuit videlicet propter noſtram redemptionem, & fuit neceſſitas moriendi & patiendi non contracta ſed aſſumpta. Bonauen. di. xvj. q. iij. l. iij. qui & ibidem ponit quadruplicem neceſſitatem ſecundum quatuor genera cauſarum. Eſt enim neceſſitas ſecūdum cauſam formalem ſecundū quam dicitur neceſſarium eſt calidum calere. Et eſt neceſſitas ſecundum cauſam materialem, ſecundū quam dicitur quod neceſſe eſt calorem in ſummo conuerti in ignem. Et eſt neceſſitas ſecundum cauſam efficientem, quæ dicitur neceſſitas ſecundum violentiam & coactionem, & ſecundum hanc dicimus quod lapidem fortiter impulſum neceſſe eſt moueri, de quo ſupra dictum eſt. Eſt etiam neceſſitas ſecundum cauſam finalem, ſecundum quam dicimus quod ſerram neceſſe eſt eſſe dentatam, quia eſt ad diuidendum ſolida & dura, ſolo quarto modo (ait Bonauē.) neceſſitas patiendi fuit in Chriſto, videlicet propter noſtram redemptionem, vt dictum eſt. Quantum enim in ſe fuit neceſſitatem non habuit ad patiendū, quia nec fuit in eo humanæ conditionis corruptio, nec potuit eſſe coactio, & ideo non poteſt ei conuenire neceſſitas ſecundum alia tria genera cauſarum. Hæc S. Bonauen. qui & latius rem pertractat.

Neceſſitas quædam eſt conſequentiæ, quædam cōſequentis. Neceſſitas conſequentis eſt illa, vt ſcribit Brulef. qua aliquid ita eſt quod non poteſt non ita eſſe, vel qua ita ſit vt non poſſit oppoſitum eius fieri, & dicitur abſoluta. Neceſſitas conſequentiæ in qua vna propoſitio ſiue neceſſaria ſiue contingens in bona conſequentia infert aliam ſiue contingentem ſiue neceſſariam. Videatur ad hoc S. Bonauen. di. xxxviij. ar. ij. q. j. libr. 1. Et Gabriël. di. xx. q. vnica, ar. j. libr. iij. vnde ponit exemplū. Deus ita præordinauit hominem redimi per paſſionem Chriſti, ergo ſic eſt redemptus. Cum qua neceſſitate conſequentiæ ſtat contingentia antecedentis & conſequentis, ſicut neceſſe eſt me moueri ſi curro, ſequitur: Curro, ergo moueor, & tamen antecedens eſt contingens ſimiliter & conſequēns. Sic neceſſariò ſequitur, ſi homo loquitur, viuit: quāuis ipſum viuere non ſit neceſſariū, hoc modo ex ſuppoſitione diuinæ ordinationis (qua ordinauit nullum de maſſa perditionis propagatum ſaluare regulariter) id eſt ſi non excuſat ſuſcipiendi in potentia niſi per ſacramenta (vt ſcribit Gabr. di. j. q. ij. lib. iiij.) Ipſa ſacramenta ſunt ad ſalutem neceſſaria, quia impoſſibile eſt aliquem ſaluari ſine ſacramentis ſtante illa ordinatione Chriſti. Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & ſpiritu, non poteſt introire in regnum cœlorum Ioan. 3. Sic in præſcito (vt dicit S. Bonauen. di. xxxviij. ar. ij. qu. j. libr. j.) non eſt neceſſitas abſoluta, ſed ſolum conſequentiæ, quia neceſſariò ſequitur: Deus præſcit hoc, ergo erit, &c. Sic etiam (vt ait Gabr. di. xx. lib. iij.) non fuit ſimpliciter neceſſe hominem reparari, ſicut non fuit neceſſe hominem creari, & hoc contra Anſelmum qui voluit in lib. Cur Deus homo, quod hominem ad beatitudinem creatum, & à iuſtitia lapſum, neceſſe fuit reparari, ne Deus in ſuo opere fruſtraretur & inuanum fecerit, quod de tam ſublimi natura facere cœpit, li. ij. c. iiij. & multa alia Anſelm. Cuius rationes nihil probāt niſi procedant ex ordinatione diuina præſuppoſita, quæ tamen ordinatio non eſt ſimpliciter neceſſaria,

neceſſaria, ſed merè contingens dependens ex libera voluntate Dei, cui licet quod vult facere, nec aliquod opus Dei ad extra eſt neceſſarium, cùm Deus ad extra non niſi contingenter agit. Sed reparario fuit opus ad extra. Alius item modus ſecundũ Aug. & Leonem Papam redimendi hominem non defuit Deo, vt Magiſter deducit di.xx.libr.iij. Modus tamen ille redimendi per vnigeniti paſſionem fuit congruentiſſimus omnium modorum quibus potuit redimi genus humanum: quia ille modus præuiſus eſt & præordinatus ab infinita ſapientia trinitatis, & ex nimia dilectione hominis, ſicut dicit Apoſtolus ad Epheſ.2. Deus qui diues eſt in miſericordia propter nimiã charitatem ſuam, qua dilexit nos cùm eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Chriſto, cuius graria eſtis ſaluati, ideo modum ordinauit qui magis homini profuit & congruentior fuit. Huius autem congruentiæ varias cauſas ponunt ſancti, quarum aliquas ponit Magiſter in textu vbi ſupra. Aliquas quoque addunt Doctores S. Tho. ſanctus Bonauẽ. Alexand. & cæreri. Quomodo autẽ Chriſtus nos ſua paſſione & morte redemit, videre potes Scotum & poſt eum Gab. di.xx.lib.iij.ar.iij.dub.j. Spontè enim Chriſtus animam ſuam obtulit pro iuſtitia ad patris honorem pro nobis, quam oblationem pater acceptauit tanquam ſatisfactionem pro omnium peccatis, vide latiùs vbi ſupra.

Neceſſitas quædam eſt præcepti ſiue miniſtri, quædam ſacramenti. De quo videatur Gabr. circa ſacramenta. Et Gerſon parte j. de poteſtate Eccleſiaſtica conſide.ij. & tract. contra hęreſim de cõmunione laicorum ſub vtraq; ſpecie, quæ dicit quod circa miniſtrationem vel inſtitutionem ſacramentorum quædã ſunt de neceſſitate ſacramenti & de iure diuino, quædã verò ſunt tantummodo de neceſſitate præcepti & de iure humano ſeu poſitiuo. Exemplũ in materia noſtra quod fiat conſecratio per talẽ verborũ formã, quod in tali materia panis, quod per ſacerdotem hoc eſt de neceſſitate ſacramenti & iuris diuini. Quod autẽ fiat in tẽplo ſeu altari ſacrato, quod cũ talibus veſtibus & cũ lumine, quod cũ talibus orationibus, epiſtola & euangelio, & quod ieiuno ſtomacho, ieiunio etiã naturæ. Hæc inquam omnia (dicit Gerſon) atq; ſimilia ſunt de ſolo præcepto humano & variabili. Sicq; eccleſia poſſit ex cauſis rationabilibus etiã præmiſſa omnia, & aliqua talia immutare, & immutata ſub præcepto tradere ſic quod tunc peccaret homo faciendo illud, in quo nũc meretur, & quod tranſgrediendo peccaret. Et trãſgreſſio neceſſitatis præcepti graue peccatũ eſt, ſicut quod excõmunicatus nõ cõſecrat. Verũtamen hæc tranſgreſſio nõ impedit conſecrationis effectũ principalẽ, quæ eſt tranſſubſtantiatio. Altera neceſſitas conſecrationis vel ſacramenti conſiſtit in hoc quod miniſter ſit ritè ordinatus, habens intentionẽ conſecrandi cũ forma & materia debitis, quod ſi alterum defecerit, nihil efficitur & peccatur. Hanc poteſtatẽ tradũt Doctores cõcorditer parẽ eſſe in omnibus qui cõſecrati ſunt ſacerdotes, quę poteſtas collata fuiſſe creditur in cœna Domini, dũ dixit Chriſtus Apoſt. Hoc facite in meã commemorationẽ. Vbi Doctores cõmuniter ſentiũt, quod Iudas fuit illic ſacerdos cõſtitutus, ſicut prius electus in apoſtolatũ poteſtatẽ prædicãdi & faciẽdi miracula ſuſceperat. Et hic ſumitur argumentum (inquit Gerſon) quod poteſtas eccleſiaſtica non neceſſariò fundatur in fide vel gratia, ſed in charactere baptiſmali, quem de lege communi neceſſariò prǽſupponit.

Negatio eſt enunciatio alicuius ab aliquo ſecundũ Ariſto. lib. 1. perihermenias: & differt à priuatione, quod negatio eſt remotio alicuius ſimpliciter. Priuatio eſt remotio alicuius in ſubiecto apto nato ad illud ſecundũ Ariſt. li. 4. Meta. Dicitur autẽ negatio à non & ago, quãdo ponitur pro dico. Vnde negare nihil aliud eſt quã dicere aliquod nõ eſſe. Et negatio ſecundũ doctorẽ ſubtilẽ in primo d.xxiiij. in ſolutione ſecũdi dubij, & poſt eũ ſcribit Guilh. æmulus ſuus, tripliciter capitur. Nã prima dicitur negatio extra genus, ſcilicet quæ omnẽ negat entitatẽ. Et nihil funditus ponit, de qua eſt primũ principiũ: ſcilicet de quolibet affirmatio vel negatio, & de nullo ambo ſimul. Secũdo dicitur negatio priuãs, & eſt illa quę aliquid negat ab aliquo, ponit tamẽ aptitudinẽ ad eſſendũ, & ſic pater in diuinis nõ dicitur ingenitus, quia nõ habet aptitudinẽ, vt gignatur. Tertiò dicitur negatio in genere, & eſt illa quæ aliquid ponit in quo fundatur. Differt tamẽ à negatione priuãte, quia non ponit aptitudinẽ, iſto modo pater bene dicitur ingenitus vt aliàs dicitur. De negatione plura alia apud dialecticos perquirito, & quædam in logica ſcripſimus.

Negare Deũ dupliciter fieri poteſt (vt ſcribit Iacob de Valen. ſuper Pſal. 13. Dixit inſipiẽs in corde ſuo, nõ eſt Deus.) Vno modo directè & aſſertiuè. Alio modo indirectè. Primo modo Adã nõ negauit Deũ, quia ſemper cognouit Deũ eſſe creatorẽ & Dominũ. Sed ſecũdo modo nõ negauit Deũ indirectè & dubitatiuè, inquantum putauit ei aliquid ineſſe ſiue deeſſe Deo, quod eſt cõtra eius maieſtatẽ & immẽſam ſapientiã, ad quod ſequebatur Deum non eſſe Deũ, quia putauit eſſe inuidum & finitũ ſapientia, quod & ibi probat. Et ſic Adã credendo diabolo & vxori induxit in eoſdẽ errores, licet indirectè. Sed gẽtiles & quidã Philoſophi magis directè negauerunt Deũ, dicentes Deũ nõ habere curã, nec prouidentiã de actibus humanis, ſed Iudæi magis directè negauerũt Deũ negando Chriſtum eſſe Deũ, & Meſſiam in lege. Vide latius ibi Valentia.

Negligentia eſt omiſſio vel contemptus. Et ſecundum B. Thom. qu. liiij. artic. j. eſt defectus debitæ ſollicitudinis ſecundũ interiorem actum. Differt autem ſic à pigritia & torpore, quod pigritia eſt tarditas in exequendis præceptis prudentiæ. Torpor eſt remiſſio in executione poſtquam quis cœperit. Negligens dicitur quaſi neceligens ſecundum Iſidorum, & beatum Thomam vbi ſupra. Et tunc eſt peccatum mortale quando prætermittitur actus de neceſſitate ſalutis vel circumſtantia eius, vel quum voluntas eſt à Deo remiſſa in his quæ Dei ſunt, vt totaliter deficiat à charitate Dei quod fit ſolum per contemptum. Si ſecus, eſt veniale. Etſi prouenit (vt vult Thomas) negligentia ex quadam remiſſione voluntatis, vt homines non percipiant ea quæ debent, & obmittunt quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, ſiue ſit actus ſiue circũſtantia, erit peccatũ mortale, vel ſi voluntas ſit intantũ re-

remiſſa, vt totaliter à charitate Dei deficiat, eſt peccatum mortale, & hoc præcipuè quando ſequitur ex contemptu. Obmiſſio verò circa ea quæ non ſunt de neceſſitate ſalutis ob defectũ feruoris, non eſt mortale, ſed veniale peccatum. Hæc Thomas ſecunda ſecundæ. qu. liiij. art. j. Et vt ſcribit Alean. de Ales de negligentia, ſecunda ſecundæ. q. viij. quando, inquit gratia Dei excitat peccatorem ad conuertendum faciens recognoſcere peccatum ſuum, tunc tenetur cõteri vel dolere actu de peccatis, aliàs nouo peccato peccat, ſed hoc plus docet ſpiritusſancti vnctio quàm homo. Nulla autem negligentia vel omiſſio eſt criminaliter culpabilis (vt ſcribit Gerſon parte xxvj. in regulis moralibus) abſq; conſenſu verò vel interpretatiuo comitãte vel præuio. Et pauló pòſt. Sola negligentia mortalis eſt, per quam id quod ſub præcepto cadit omittitur, quamuis culpabilior in exercitiis ſpiritualibus & hierarchicis, vt in miſſa, quàm prophanis, &c.

Negotiatio, mercatura, vel operatio. Et quædam eſt negotiatio, vt ſcribit Richar. di. xvj. ar. iij. q. ij. l. iiij. quæ nullo modo exerceri poteſt ſine mortali peccato, & ab hac neceſſarium eſt abſtinere verè pœnitentes. Quædam vix poteſt exerceri ſine peccato, non tamen eſt impoſſibile, & ab hac expedit abſtinere pœnitentes propter ſecuritatem, & maiorẽ pœnitentiæ perfectionem. Vnde dicitur de pœnitẽtia. di. v. Qualitas. Pœnitenti vtilius eſt diſpendia pati, quã periculis negotiationis aſtringi, quia difficilè eſt inter ementis vendentisque commercium non interuenire peccatum. Hæc autem negotiatio maximè interdicitur clericis, di. lxxxviij. Conſequens eſt. Alia eſt negotiatio pia, & illa quæ ordinatur ad ſubueniendum pauperibus, & pupillis, & viduis: & hæc (inquit Rich.) non impedit pœnitentiam, & clericis etiam licita eſt. di. lxxxviij. Decernit. Hæc autem optima eſt negotiatio (vt ait Gerſ. parte ij. ſer. de diuino Euãgelio facto in cœna Domini) qua abſque auro & argento, & vlla commutatione ſupple ciuili, vinum compunctionis, & lac deuotionis, & cum Deo negotiatur de regno cœlorum. De quo latius vide Gerſonem. Accipitur & negotiatio pro nimia occupatione mẽtali circa temporalia impediens diuina. Vnde eſt illud Mat. 22. de inuitatis ad nuptias. Illi autem neglexerunt, & abierunt: alius in villam ſuam, alius verò ad negotiationem ſuam.

Nemo id eſt, nullus homo, & capitur dupliciter, vt ſcribit Stephanus Brulef. di. xxj. ar. ij. q. ij. li. j. Vno modo propriè & de rigore ſermonis: & tũc tãtum valet ſicut nullus homo, hoc modo nõ intelligitur iſta auctoritas. Nemo nouit filium niſi pater, & nemo nouit patrem niſi filius, non tamen excluſo ſpiritusſancto (vt dicit Gerſon tract. xj. ſuper Cantico virginis) qui prorſus eſt eiuſdem cognitionis eſſentialis cum patre & filio, &c. Alio modo capitur nemo vſualiter, & ſic ſtat pro natura aliqua non cognoſcẽte, & ſic iſta eſt vera. Nemo inter angelos niſi Gab. nũciauit virgini Mariæ Chriſti cõceptionẽ.

Neophytus Græca dictio eſt. Etenim νεόφυτος, idẽ quod nouella planta. Quare neophytus is dicitur qui nouus eſt in fide, vel religione, vt habetur di. xlviij. c. Quoniam. Et ſecundum Richar. di. vj. lib. iiij. circa literam, dicitur à neos quod eſt nouum, & phytos quod eſt fides, quaſi nouus in fide, vel à phytos quod eſt quærere, quaſi nouus quæſitor. Et Magiſter di. vj. libr. iiij. ait: Neophytus nouitius interpretatur, vel rudis, & dicitur neophytus, nuper ad fidem conuerſus, vel in diſciplina religioſæ conuerſationis rudis.

Neſcientia idem quod ignorãtia. Differunt tamen iſta tria, neſcientia, ignorantia & error, ſecundum Franciſ. Maro. & Guilh. Scotiſ. in ſecundo. di. xxij. & canoniſtas, vt refert frater Pelbar. libr. ij. Roſa. Theol. in dictione, *Peccatum*. c. x. Nam neſcientia ſolum ſimpliciter negat ſcientiam eorum quæ ſcire quis non tenetur. Et hæc ſecundũ Diony. eſt æquè in angelis & beatis qui multa neſciunt, & Deus facit eis quando vult reuelationes talium, illuminando. Sed ignorantia ponit negationem priuationis addentis debitum ſciendi, quia eſt neſcire quod tenetur ſcire. xxxvij. di. c. fin. Error autem dicit priuationem diſpoſitionis, quia vltra prædicta addit volũtatis affectionem, aut ad minus dicit malitiam. Vnde cum ignorantia dicit carentiam ſcientiæ, vel priuationem eius notitiæ quam quis natus eſt habere. Error addit vltra hoc contrariam diſpoſitionem, qua impeditur ne habeat ſcientiam veritatis, intantum quod approbat temerarie tenens vera pro falſis, habens falſa principia & falſas opiniones, ex quibus falſam ſentẽtiam profert de his quæ neſcit. Tunc ergo propriè dicitur errare, verũ pro falſo putando. xxij. q. ij. In quibus, &c.

Neuma ſignificat ſpiritum ſanctum. Cur autẽ hoc vocabulum neuma, ad ſignificandum ſpiritumſanctum tractum eſt, non ſatis inuenio (inquit Gerſ. parte iij. tracta. ij. Tho. iij. de canticordo) niſi quod ſpiritus Domini continet omnia & ſcientiam habet vocis quod perſpicum fuit in Apoſtolis. Significat autem neuma combinationem vocum vel notularum ordinatam.

Nexus (vt ſcribit S. Bonauen. di. x. parte ij. q. ij. li. j.) propriè dicitur de ſpiritusſancto ſiue vnitas amborum. Ratio huius eſt, quia pater & filius communicant in ſpiritu, & ideo amborum eſt vnitas. Et rurſum ille ſpiritus eſt amor, & ideo cõmunicant in eo vt in vno amore, & quia amor propriiſſimè nexus eſt, ideo ſpiritusſanctus propriè nexus eſt, quia amor mutuus eſt amor vnicus & ſubſtantificus. Hæc ille. Et quãdo dicitur quod ſpiritusſanctus eſt nexus amborum, tantum valet, vt dicit Brulef. di. x. art. ij. qu. ij. libr. j. id eſt ſpiritusſanctus eſt amor vniformiter ab vno principio productiuo productus à duobus. Vide & de hoc infra in dictione, *ſpiritusſanctus*.

Nihil ſignificat peccatum. Vnde Ioan. 1. Sine ipſo factum eſt nihil, id eſt peccatum, vt ait B. Aug. Vel nihil ſignificat etiam non aliquid. Vnde idem ait in lib. de natura boni exponens illud Ioan. 1. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, id eſt ſine ipſo non eſt factum aliquid. Nihilum idem quod nihil: vide & in dictione res, infra quid ſit nihil. Et aliquid eſſe de nihilo ſecundum Anſel. in mono. tripliciter poteſt intelligi, vt recitat S. Bonauen. di. v. in dubiis literali. libr. j. Vno modo vt nihil accipiatur ſimpliciter priuatiuè vel negatiuè,

vt cum

vt cùm dicitur de tacente, ille loquitur de nihilo. Alio modo poſitiuè, vt ſi ita dicatur aut intelligatur aliquid fieri ex nihilo, ſicut cultellus de ferro. Tertio modo partim poſitiuè, partim priuatiuè, vt ſi dicatur aliquid fieri ex nihilo, quia poſt nihil eſt aliquid, ſicut dicitur, de paupere fit diues. Ratio autem huius multiplicitatis (vt idem ait) eſt hæc. Nam primò diſtinguendum eſt, quia negatio eius quod eſt nihil, poteſt ſiſtere intra vel extra ad verbũ ferri, ſi feratur ad verbum: tunc fieri de nihilo eſt non fieri, ſicut loqui de nihilo, id eſt de nulla re. Si autẽ non feratur ad verbum, tunc affirmatur fieri, & tũc duplex eſt, quia de, poteſt intelligi materialiter, & tunc ſignificatur quod nihil ſit de materia alicuius, & habetur ſecundus ſenſus. Item poteſt teneri ordinaliter, & tunc eſt ſenſus, creatura dicitur fieri de nihilo, & habetur tertius ſenſus. Vnde intelligendum eſt illud Magiſtri di.v.libr.j. Oſtenditur quoque ex illis verbis filium & ſpiritumſanctum non eſſe de nihilo, ſed de aliquo, nec tamen de aliqua materia. Vnde Hil. in xij.l.de tri.ait: Vnigenitus Deus cũ natus ſit, patrẽ teſtatur auctorẽ, cũ ex manẽte natus eſt, non eſt natus ex nihilo: & cũ ante tempus natus eſt, non eſt natus ex nihilo: & cum ante tempus natus eſt, in omnem ſenſum præuenit naſcendo. Hinc apertè dicitur, vt ait Magiſter, quod filius non eſt natus ex nihilo, ſimiliter & ſpiritusſanctus non eſt dicendus eſſe vel procedere ex nihilo: quia filius de ſubſtantia patris natus eſt, id eſt à patre eſt, cum quo eiuſdem ſubſtantiæ eſt & eadem ſubſtantia. Ex quo ſenſu accipiendum eſt etiam illud, pater genuit id quod eſt ipſe, id eſt filium, qui eſt hoc quod pater. Hæc Magiſter. Et ſecundum eundem Bonauen. di.j.q.j.li.ij. Aliquid dicitur etiam eſſe ex nihilo. Vno modo materialiter vt ex ferro cultellus. Secũdo modo crealiter, vt ex patre filius. Tertio modo ordinaliter, vt de mane fit meridies, primis duobus modis verum eſt ex nihilo nihil fieri. Tertio modo verum eſt ſecundum naturam, ſed falſum ſupra naturam. Per virtutem enim infinitam quæ non indiget fulcimento materiæ, ita faciliter poteſt aliquid produci ex nihilo, ſicut de aliquo, alioquin non eſſet virtus primi principij infinita, ſed egeret materiæ fundamẽto, & ideo illi virtuti ſoli hoc attribuendum eſt neceſſario, quamuis non poſſet conſimile reperiri in aliquo creato, hoc enim eſt eius proprium, ſicut & ipſa omnipotentia. Hæc S. Bonauen.

Nobilitas eſt quędam maiorũ claritas ſecundũ Ariſ. li.2.Rheto. Vel nobilitas (vt idem vult) eſt honorabilitas progenierum. Nam attenditur ſecundum virtutem generis. Et 4. Politicorum idem dicit quod nobilitas ſiue ingenuitas eſt virtus & diuitię antiquæ. Vel ſecundum Boëtium li.iij.proſa.vj.de conſo.Phi. Nobilitas eſt quædam laus veniens de meritis parentum. Et cum nobilitas ſit quædam de meritis veniens laus parentum, hoc in ipſa nobilitate bonum eſt (vt inquit Gerſ.parte.iij. ſer.de natiuitate Mariæ Virginis, conſide.j.) vt impoſita nobilibus neceſſitudo videatur, ne à maiorum virtute degenerent. Alterum nobilitatis bonum, quia probabile eſt ſecundum Ariſto. ex bonis bonos naſci, præſertim vbi diſciplina bonarum artium & virtutũ iam cõfeſtim à puero tradi poteſt & debet nobilius, & hoc ſi vero & non ficto nomine nobiles velint haberi, &c. Eſt & nobilitas corporis (vt ibidẽ dicit Gerſon) quam dare videtur armonica, complexionis diſpoſitio bona. Item nobilitas ſecundum eundem Gerſon. parte ij.tract.de nobilitate, ſic deſcribitur. Eſt eminentia quædam vel principalitas vel excellentia inter alias res ſui generis, habens facultatem aliquam in illas præſertim propinquas influendi. Sic nobilitas deſcripta ait Gerſon, conuenit cum libertate quæ eſt dignitas aliqua ſuiipſius non alterius gratia, determinatio patet.j.politi.multa per exempla: quoniam in omni genere damnatur aliquod vnum quod in illo genere primũ eſt & nobiliſſimum, tam in animatis quàm in anima carentibus. Nobilitas in primis eſt ſupereminenter, nec extra in ipſa trinitate beata quæ ad ſanum intellectum dicitur ſupercœleſtis hierarchia. Eſt & nobilitas in angelis ſecundum triplicem hierarchiam quæ cœleſtis appellatur. Eſt & nobilitas in eccleſiaſtica hierarchia quæ ſubcœleſtis dicitur exemplata per cœleſtem ſecundum tres ſtatus Eccleſiæ. Nobilitas verò largè conſiderata ponitur à philoſophantibus & theologis ſecundum quatuor gradus creaturarum, quarum aliquæ habent eſſe ſolum naturale. Alia eſſe & viuere, quædam eſſe & viuere & ſentire, quibus etiam hominibus ſuperadditur intelligere, & quæ res ſint nobiliores cæteris abunde declarat Gerſon. vbi ſupra.

Nobilitas hominis reperitur in ſuperiori mentis apice, quæ creata eſt ad imaginem & ſimilitudinem beatiſsimæ trinitatis ſecundũ tres potentias in vna eſſentia, memoriam, intelligentiam, & voluntatem conformiter ad hierarchias, & ordines angelorum. Nobilitas eſt iterum in ratione ſecũdum duplicem portionem ſuperiorem, & inferiorem tanquam virum & mulierem. Et nobilitas humana reſpiciens principaliter animam, vel hominem vt homo eſt, magis attenditur à Philoſophis, iuxta illud: Nobilitas ſola eſt anima quæ moribus ornat. Quo in loco fas eſt inſequi diſtinctionem theologicam incipientium, proficientium & perfectorum, quam Ariſ. nõ ſoluit ſub aliis licet verbis, ponens inter homines quoſdam continentes vel incipientes, alios temperatos tanquam proficientes, tertios heroicos tanquam perfectos aut diuinales: de quorum numero Hector erat, qui videbatur non hominis mortalis eſſe filius, ſed Dei. De nobilitate verò corporis & aliarum rerum, vide latius Cancellarium Pariſien. vbi ſupra. Nobilitas verò ſecundũ Theologos magis poteſt euehi, vt ſit vna perfectiſſimarum hic ſecundum tres theologicas virtutes militantium. Altera in cœleſti fœlicitate perpetuò regnantium. Sic enim Deus legitur feciſſe Chriſtianos, genus electum, & regale ſacerdotium. Reges inſuper & regnum tanquam nobiliſſimè regnantes ſuper omnia præſertim in pleniſſimo proprij corporis dominio. Vnde Salmõ: Melior eſt ſapiẽs viro forti, & qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbiũ. Sed qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati, & ita ſeruus viliſſimæ rei imò nihili, cùm nihil fiant homines cum peccant (inquit Gerſon.) Illud inquam nihil, de quo Ioan. Sine ipſo factum eſt nihil. Gloſſ. id eſt peccatum, quid autem magis alienum ab omni nobilitate, quid prorſus aduerſum ſorori ſuæ libertati

bertati quàm ignobiliſsimũ ſeruitutis tale iugum, quàm eſſe mancipium tam impurũ, abominãdum, deteſtabile. Sunt autẽ ſex ſpecies uobilitatis (vt ſcribit Gerſon de nobilitate) quę ſunt naturalis, parentalis, honeſtalis, vernalis, heroicalis, ſupernaturalis, quarum ſingularum talis eſt deſcriptio ſecundum Gerſonem.

Nobilitas naturalis eſt eminentia quædã notabilis, homini proueniens ex perſpicaci iudicio rationis. Hęc non eſt per ſe moraliter vel meritoriè laudabilis, nec ex electione liberi arbir. dicitur laudabilis.

Nobilitas parentalis eſt præeminentia quædam notabilis homini proueniens ex laude conditionis parentalis, non quidem ex primis parentibus, quia communis eſt ad omnes. hæc ſimiliter non eſt per ſe moraliter laudabilis, quia ab extrinſeco venit, nec ex electione. Et hæc militanti in armis attribuitur ſtatui.

Nobilitas honeſtalis eſt eminentia quædam notabilis, homini proueniens ex beneplacito honeſtãtis ipſum vel honeſtantium, vel per filialem adoptionem à Principe, vel per promotionem ad dignitatem aliquã: hæc ſimiliter quia ab extrinſeco venit, nec ex electione propria, non eſt de ſe moraliter laudabilis.

Nobilitas virtualis eſt eminẽtia quędã notabilis, homini proueniẽs ex aſſuefactione vel habituatione virtutũ moralium: hæc quia venit ab intrinſeco & electione, de ſe laudabilis eſt: & de hac Gerſon parte iiij. pro hoſpitali Pariſiẽſi, ait: Non eſt par nobilitas ad exemplũ ſummi Regis nobilitati huic quę eſt benefacere & ſuccurrere afflictis & indigentibus, quia eſt magnificentia, & liberalitas eſt proprium Dei facere miſericordiam.

Nobilitas ſupernaturalis, eſt eminẽtia quędã notabilis, homini proueniẽs ex charitate, quæ ſupernaturalis gratia eſt, per quã homo fit per adoptionem filius Dei, fit anima ſpõſa Chriſti, fit templũ ſpiritus ſancti, ſine qua nobilitates cæteræ nihil ſunt, nihil proficiunt, obſunt potius aliquãdo, quia quod altũ eſt hominibus, abominatio eſt apud Deũ. Remanet quoq; homo filius & vas cõtumeliæ apud interitũ æternũ: & ideo deterioris conditionis ſunt brutis, propterea nulla nobilitas eligibilior eſt (inquit Gerſon) nulla dignior q̃ eſſe Chriſtianũ re & nomine, & ita pręclariſsimus (dicit Gerſ.) in Rege Francorum titulus eſt ꝙ Chriſtianiſsimus nominetur. Per oppoſitũ autẽ dicitur ignobilitas, quę ibidem apud Gerſ. videri poteſt, quę reperitur pręcipuè in peruerſis moribus iuxta gradus multiplices vitiorum.

Nobile eſt id quod ex bono prodiit genere. Generoſum autem quod non à ſua natura degenerauit. Et nobile aliquãdo ſignificat excellens & dignum notitia, aliquando ſignificat notum.

Nocere ſignificat obeſſe, à quo nocumentum. Et ſicut duplex eſt malum, ſcilicet culpæ & pœnæ: ſic etiam duplex eſt nocumentum, vt dicit ſanctus Bonauentura di. j. in dubiis literalibus lib. ij. Et quando dicit Magiſter in eadem diſt. quia ſummè boni erat prodeſſe velle, & omnipotentiſsimi nocere nõ poſſe, non intelligitur, vt dicit ſanctus Bonauentura quantum ad nocumentum, quod facit malum pœnæ, ſed quod facit malum culpæ, &c.

Nolo non ſemper priuat omnimodam voluntatem, vt Bonauen. ſcribit, ſed voluntatem principaliter mouentem. Vnde Apoſt. ad Rom. 7. Non quod volo bonũ, hoc facio: ſed quod nolo malũ, hoc ago: & talia ſunt venialia, & quia in peccato veniali (maximè quod excitat cõcupiſcentiam carnis) voluntas non præuenit mouendo, ſed motioni accedit complacendo vel non reprimendo, & ideo venialia non ſunt ſimpliciter inuoluntaria. Gabr. di. xlj. q. vnica. dub. iij. in fine lib. ij.

Nolitio, vide infra in dictione *Volitio*, litera V.

Nolle ſecundum Scotum eſt triplex. Nolle, ſcilicet ſimpliciter & abſolutum, nolle conditionatum & nolle naturale. Primum non habuit Chriſtus, ſed ſecundum: vt patet in ſua oratione, quando dixit: Pater, ſi poſsibile eſt, tranſeat à me calix iſte. Aliud eſt nolle naturale, & vocatur à Bonauent. vt natura. Et nolle ſimpliciter, & abſolutum, & conditionatum, & naturale, ſecundum Scotum reperiuntur in ratione: vt ratio eſt. Ad nolle autem abſolutum ſequitur triſtitia, ſecundum prædictos Doctores. Etiam ad nolle conditionatum, quo aliquis nollet aliquid quantum in ſe eſt, tamen vult ſimpliciter ne pereat: vt pater de iaciẽte merces ſuas in mare: ad iſtud, inquam, nolle ſequitur triſtitia: vt patet de mercatore proiiciente ſic merces ſuas in mare, facit id cum triſtitia & dolore, & tamen vult proiicere ſimpliciter ne pereat, & ratione iſtius velle non triſtatur, ſed quia non vult conditionale inquantum in ſe eſt: vtpote ſi eſſet ſerenitas temporis, & ad illud nolle conditionatum ſequitur triſtitia, & ſufficit tale nolle ad cauſandum triſtitiam. Nolle naturale, eſt quo voluntas non vult incommoda corporis, & eſt actus elicitus & liber, & non ſolùm inclinatio naturalis, ſecundum quod aliqui intelligunt. Dicitur autem naturale, quia eſt ſolum conſonum naturali inclinationi: & conſequitur naturam animæ propter connexionem ipſius ad corpus. Vide latius de hoc infra in dictione *Velle*. Et de nolle Chriſti, videatur Brulefer diſt. xvj. qu. iiij. libr. iij. & apud alios. Vide & ſupra in dictione *Actus*.

Nult tertia perſona à nolo, eſt actus poſitiuus. Non vult, actus negatiuus. Hinc Gab. lib. j. ſenten. d. xj. q. vj. ar. ij. lib. j. ait: Qui actu poſitiuo nult beatitudinẽ, vult non frui beatitudine: quia idẽ eſt eſſe beatũ, & frui beatitudine obiectiua. Hanc autẽ dictionẽ nult, nõ admittit Brulefer d. xlv. q. vlt. lib. j. cùm ait: Quidã groſſo modo loquẽtes dicunt nult, ſed hæc dictio non videatur Latina. O bone Brulefer, qui alios carpere vis imperitiæ Latinę linguę, ipſe barbarè quãdoq; loqueris. Nec (vt ipſe dicit) bene dicitur groſſo modo, ſed imperitè, indoctè, craſſo ingenio, ineleganter, non Latinè: ſed incidi in Grammaticam. Nec arbitror ſemper bonum eſſe, ſeſe omnia circa Grammaticam occupare, & negligere ſacram ſcripturam: nec nos cæteros imitantes ſemper Latini ſumus in hoc opere vel elegantes, plus penſi habemus fructiferas ſanctorum ſententias & eruditiones, quàm Latinitatem. Sed de hoc aliàs. Coguntur quoque Theologi quandoque vti vocabulis minus Latinis, ad differentiam aliorum, vt & eo melius poſsint exprimere ſenſa

ſcripturæ,quæ non ſemper Donati regulis,& aliorum Grammaticorũ lege eſt ſubiecta. Rarò etiam inueniuntur Theologi,qui & ſapientia,& ſcientia ſacræ ſcripturæ clareant & eloquẽtia,&c. Nam qui eloquentiã plus volunt curare & Latinitatẽ quàm fructum & vtilitatem ſacratiſsimæ ſcripturæ, turpiter labuntur & errant.

Nomen apud Grammaticos varia ſignificat. Nomina ſunt inſtituta ad placitum. Multipliciter quoq; æquiuocantur in ſcripturis tam Gentiliũ quàm Catholicorum, propter quæ alius ſic, alius ſic accipit: & ſi quandoque de rebus conſtet,magna quoq; eſt diuerſitas quandoque auctorum & Doctorum in quid nominis terminorum,& propter diuerſas impoſitiones,aut propter diuerſum voluntariũ vſum, qui habet vim impoſitionis: hinc cõtingit nomen de eodem verè & falſè prædicari propter diuerſas acceptiones apud diuerſos. Item eadem propoſitio vocalis & ſcripta eſt ſimul vera & falſa, propter terminorum eius æquiuocationem. Gabr.di.xxij.artic.j.lib.iij. & diſt.xxxv.qu.vnica,art.ij.lib.iij. Et propter multiplicem acceptionem nominis quandoque oritur diuerſitas, quare, vt dicit Gloſſ.ff. de ſuppellectili legata.l.Labeo.Et refert Scotus q.xx. art.iij.quotlib. nõ ex opinionibus ſingulorum,ſed ex communi vſu nomina ſunt intelligenda. Vnde extra de ſpon.ex literis.vbi dicitur:Si alter non intellexerit quod alter propoſuit,ad communem verbi intelligentiam recurratur,& cogatur vterq; verba prolata in ſenſu illo retinere, quem ſolent rectè intelligentibus generare.Et ſicut in multis conſuetum eſt,quod dum ſpeciei non eſt nomen impoſitum,retinet nomen generis: ſicut fortitudo dicitur virtus,licèt virtus ſit genus. Sapien.8. Sobrietatem docet & prudentiam, iuſtitiam & virtutem, id eſt fortitudinem.

Nomen accipitur tripliciter, vt habet ſanctus Bonauentura d.ſt.iij.q.ij.lib.iiij.& diſtin.xxij.q.ij.lib.j. quem imitatur Brulefer diſt.xxij.q.ij.lib.j. In nomine enim tria ſunt,ſcilicet vox,ſignificatio & ratio innoteſcendi. Vnde & nomen multipliciter ſumitur. Vno modo pro voce ſignificãte,aut pro omni voce ſignificatiua incomplexa, vt cùm dicitur: Petrus eſt nomen Apoſtoli: & ſic conſtat quod in Deo ſunt plura nomina. & ſic idem ſunt,nomen, dictio,& terminus. Hoc modo nulla oratio eſt nomen. Iſto modo verbum,participium,&c. eſt nomen,quia eſt vox impoſita ad ſignificãdum. Sic capitur quando quæritur: Vtrum Deus habeat vnum ſolum nomen an plura. Aliquando nomen accipitur pro re ſignificata, vt cùm dicitur: Bonum & honeſtum ſunt idem nomine; & ſic in diuinis quodammodo eſt dicere nomen vnum,quodammodo plura. Si enim res dicatur eſſentialiter, ſic omnia vnum. Si perſonaliter, ſic plures & plura nomina correſpondentia. Aliquando nomen accipitur pro notitia voce expreſſa, vel pro ipſo notamine, ſiue ratione innoteſcendi, & ſic dicẽdum quodammodo nomen vnum,quodãmodo plura. Si enim accipitur ratio innoteſcendi ex parte Dei,ſic innoteſcit per virtutem, quæ vna & magna eſt, & ſic vnum nomen Dei eſt & magnum ſiue maximum. Vnde Ierem.10. Magnus in re & magnum nomẽ tuum, id eſt quæſitum ad rationem innoteſcendi, ſiue virtutem,per quam innoteſcit, ſecũdum quod dicitur in Pſalm. Notus in Iudæa Deus,in Iſraël magnum nomen eius. Si autem accipitur ratio innoteſcendi ratione effectuum ſiue creaturarum,ſic diuerſa ſunt nomina. Nam Deus innoteſcit nobis temporaliter, ſcilicet per cauſalitatem,per ablationem,& per excellentiam, & ſecundum hoc eſt multitudo nominum. Si enim nominetur per cauſalitatem,multa ſunt nomina, quia multos habet effectus. Si per ablationem,multa ſunt nomina,quia multa remouentur,ſcilicet omnia creata. Si per excellentiam, multa,quia in multis in omnibus,ſcilicet conditionibus nobilitatis excedit creaturas. Et quædam nomina (vt idem ait q.iij.vbi ſupra.) ſunt quæ ſignificant rem, cuius veritas eſt in Deo, & oppoſitum in creatura,vt immenſus & æternus: & talia nullo modo transferũtur, nec ſecundum rem,nec ſecundum impoſitionem. Quædam ſignificãt rem,cuius veritas eſt in Deo, & ſimilitudo eius in creatura, vt potentia,ſapientia,& voluntas: & talia nomina transferuntur à creaturis in Deum, non ſecundum rem,ſed ſecundum impoſitionem: quia prius impoſita ſunt in creaturis, quàm in Deo, licèt prius ſint in Deo. Quædam ſunt nomina,quæ ſignificãt rem, cuius veritas eſt in creatura, & cõſimilis proprietas in Deo: vt lapis & leo. Res enim ſignificata eſt in creatura,ſed ſimilitudo proprietatis,vt ſtabilitas & fortitudo eſt in Deo, & iſta propriè ſunt tranſlatiua. Et vbi deficiunt nomina, vt idem ait di.xxvj. in dubiis literal.lib.j. decet fingere: ſed in diuinis melius eſt tacere quàm fingere, propter vitandum errorem. Et vt nomen capitur pro notitia, ille dicitur magni nominis, cuius nominis fama percrebuit. Et quoniam vna eſt notitia patris, filij & ſpiritus ſancti, quia vna fides. Et ideo dicunt baptizantes: Baptizo te in nomine patris, & filij,& ſpiritus ſancti,& non in nominibus. Accipitur & nomẽ pro fama alicuius. Vnde Salomõ: Melius eſt nomẽ bonũ q̃ diuitiæ multæ. Inde dicitur nominioſus,id eſt famoſus. Ignominioſus,id eſt infamis.

Nomen. Nomina quatuor ſiue vocabula (vt ſcribit ſanctus Bonauen. di.xxiij.qu.iij.lib.j.) reſpondet quatuor vocabulis in Græco,quæ ſunt vſia,vſioſis, hypoſtaſis, & proſopon. Vſia reſpondet eſſentiæ, vſioſis ſubſtantiæ,hypoſtaſis ſubſiſtẽtiæ, proſopon perſonæ. Et vbi Græci vtuntur vocabulo hypoſtaſis,nos vtimur perſona, & ita pro ſuppoſito diſtincto. Et Damaſc. dicit, quod hypoſtaſis eſt ſubſtãtia cũ proprietatibus,& ita ſignificat actu diſtinctum.

Nomina iſta abſtracta,ſapientia,iuſtitia,dilectio,in creaturis important perfectionem ſecundam rei ſuperadditam,vt ſcribit Gab.di.iij.q.iij.lib.j.poſſunt & accipi abſolutè,vt ſine connotatione important rem illam abſolutam,à qua aliquid dicitur ſapiens, iuſtum,diligens: hoc enim in creatura eſt qualitas quædam informans actionem, ſicut caliditas informat materiam. In Deo verò non eſt quid ſuperadditum,ſed omnibus modis eſſentia diuina, & quia vtrobiq; eſt res abſoluta, poteſt ſignificari abſolutè. Omnis enim res abſoluta poteſt abſolutè ſignificari. Poſſunt nihilominus ſignificare connotatiuè, connotando,ſcilicet tendentiam potentiæ per huiuſmodi

iuſmodi abſoluta in obiectum, per quam ipſa potentia bene vel malè diſponitur: ſic ſunt de prima vel ſecunda ſpecie qualitatis, quia præter illam perfectionem connotant aliud, ſcilicet ſubiectum, quę ſcilicet ſubiectum & obiectū diſtinguuntur ab illa perfectione pro qua ſupponunt. In Deo autem & ſi ſubiectum prædicatione non diſtinguitur à perfectione, id eſt Deus à ſapiētia, tamen diſtinguitur ab obiecto quod eſt creatura, in quā tendit cognoſcendo vel retribuendo vel amādo. Sed de cōcretis, ſcilicet ſapiens, iuſtus, &c. dicitur quod illa accipiūtur quandoq; vt cōmuniter, & vniuocè prædicātur de Deo & creaturis, & ſic ſunt connotatiua, quia non poſſunt abſolutè de creatura prædicari, eò quòd ſemper cōnotent præter ſubiectū pro quo ſupponunt qualitatē ſuperadditā. Alio modo accipi poſſet ſapiens (licèt non de vi ſermonis) vt præciſe attribuitur Deo, ita quod nihil ſignificat ſubſtractiuè vel formaliter extra Deū. Et vt valet tantū ſapiēs, id eſt ens quod ſapit ſeu increatus iuſtus Deus. Et ſi ſic accipitur, eſt cōceptus quidditatiuus. Et ſi fuerit cōpoſitus, eſt nobis poſsibilis. Si ſimplex erit cōceptus abſolutus correſpōdens ad Deus, ſed ille nō eſt nobis poſsibilis in via: illo modo capiēdo nō prędicatur vniuocè de Deo & creatura, ſicut & habet Occā ij. quotli. q. iij. quia habet aliud quid nominis vt attribuitur Deo, & aliud vt attribuitur creaturę. Primo modo dicitur ſapiens quod habet ſapientiam ſibi inhærentē. Secundo modo dicitur ſapiēs, quod eſt ſapientia. Vide latiùs Gab. vbi ſupra.

Nomen accipi differenter in diuinis poteſt eſſe tripliciter: aut quantum ad ſuppoſitum, aut quantum ad ſignificatum, aut quātum ad connotatū. Primo modo accipitur differenter hoc nomen Deus, quia cùm dicitur, Deus eſt æternitas, & Deus generat in prima pro natura, in ſecunda pro perſona: & illud non inducit aliquam multiplicitatē. Alio modo cōtingit nomen differenter ſumi, quantum ad ſignificatum, ſecūdum quod ipſe terminus in vna ſui acceptione ſignificat eſſentiā, in alia perſonam: ſicut hoc nomen pater prout dicitur Deus, pater filij, & prout dicitur pater noſter: & hoc inducit æquiuocationem, quia eſt diuerſitas ſignificationis non in re ipſa, ſed in ſignificando. Tertio contingit differenter accipi ratione connotati, vtpote hoc nomen principium dictum eſſentialiter connotat effectum, dictum perſonaliter, nihil connotat creatum: & illud inducit multiplicitatem ſecundum analogiam, non ſecundum æquiuocationem: ſecundum analogiam quidem, quia accipitur pro diuerſis ſiue diuerſa importat, quæ non habent niſi vnitatem proportionis, & ideo neceſſariò oportet quod incidat ibi analogia, ſed non æquiuocatio, quia æquiuocatio habet plures inſtitutiones, & determinatè accipitur pro qualibet, ſicut patet in hoc nomine canis, ſed non ſic ſe habet hoc nomen principium. Nam principium de ſua impoſitione impoſitum eſt ab actu producendi non creandi, nec generandi. Vnde ſicut producere de productione filij & creaturæ, non dicitur æquiuocè, ſed analogicè: ita & hoc nomen principium ſecundum has tres accipitur comparationes differenter. Hæc ſanctus Bonauentura.

Nomina prædicabilia de Deo vel ſignificātia Deū, quædam ſunt eſſentialia, quædam perſonalia, quædam notionalia, & quædam communia. Eſſentialia quæ ſupponunt pro eſſentia vel natura, vt eſſentia eſt: & horum quædam ſunt ſubſtantiua, vt natura, eſſentia, Deitas, diuinitas: quædam adiectiua, vt communicabilis: quædam ſunt numeralia, vt Trinitas, trinus: quædam non, vt eſſentia, ſapientia, bonitas: perſonalia verò quæ ſupponunt pro ſuppoſito, vt ſuppoſitum eſt: vt pater, filius, & ſpiritusſanctus: & ſub perſonalibus comprehenduntur nomina proprietatum & notionalia, quia frequenter pro eodem accipiuntur, vt dicit Magiſter di. xxvj. vt paternitas, filiatio, generatio actio, generatio paſsio, ſpiratio actio, ſpiratio paſſio. De illis namque ſæpè eſt idem iudicium. Et horum quædam ſunt communia omnibus perſonis, vt perſona, hypoſtaſis, ſuppoſitum. Quædam verò ſolum vni perſonæ vel duabus tantùm conueniunt, vt pater, filius, ſpiritus ſanctus, ſpirator ſiue ſpirās. Et iterum quædam concreta ſiue adiectiua, vt iam dicta: quædam abſtracta & ſubſtantiua, vt paternitas, filiatio, ſpiratio, generatio, &c. Communia verò ſunt quæ indifferenter tam pro ſuppoſito, quàm pro eſſentia ſupponunt, etiam ſi ad imaginationem eſſent diſtincta: vt ens, res, aliquid, creator, gubernator, ſapiens, parens. Gabriel diſt. iiij. quæſt. j. lib. j. Videatur ad hoc Cardinalis Cameracenſis quęſt. v. lib. j. vide & apud eoſdem regulas de prædicatione iſtorum nominum notādas. Sed ne longior quam eſſe propoſui ſim, remitto te ad Gabr. & Cardinalem.

Nomina diuina ſunt multa. Vnde Scotus diſtincta xxij. lib. j. dicit quod ad minus multa nomina imponuntur quæ ſignificant Deum in communi, quia ſic materialiter poteſt cōcipi à ſimplici viatore. Vel ſi verū eſt quod diſtinctius poteſt ſignificari quàm concipi, poteſt Deus nominari à viatore nomine ſignificante hanc eſſentiam: quicquid ſit de iſtis veriſimile eſt Deum nominari tali nomine: & hoc ſiue illud nomen ſit impoſitum ab ipſo Deo vel ab Angelo cognoſcente ipſum Deum, vel à viatore: veriſimile eſt enim quod multa nomina ſint in ſacra ſcriptura diſtinctè illam eſſentiam ſignificantia, ſicut Iudæi dicunt de nomine Dei, quod vocant Tetragrammaton. Et veſter Deus dicitur Exodi tertio: Hæc dices filiis Iſraël: qui eſt, miſit me ad vos, hoc nomen mihi, eſt in æternum. Et capite ſexto: Ego Dominus qui apparui Abraham, &c. Nomen meum Adonai indicaui eis. Eſt ergo Deus nominabilis à viatore nomine ſignificante propriam eſſentiam, vt eſt hæc eſſentia: quia viator poteſt vti illo ſigno intendens exprimere ſignificatum illius ſigni, ſiue ipſe impoſuerit illud ſignum, ſiue alius quicunque, quo cognouit ſignificatum: & tali etiam ſigno poteſt viator vti tanquam nomine; licèt non potuerit illud tanquam ſignum. Hæc Scotus. Et licèt multa ſint nomina diuina, non tamen diuerſitas rei diuerſis vocabulis ſignificatæ exprimitur, ſed varietas ſenſuum & effectuum in creaturis monſtratur (vt ſcribit Richardus diſtinct. xlvj. libr. iiij. circa textum) inquantum, ſcilicet ex conceptionibus diuerſis, quas à creaturis accipimus diuerſas rationes attribuimus Deo; ita vt non ſit in Deo diuerſitas

ſecundum rem, ſed ſecundum rationem tantum, quæ tamen conceptiones caſſæ non ſunt, quia illis reſpōdet in Deo realis vnitas ſine reali pluralitate.

Nomina diuina ſecundum Hugonē de ſancto Victore, ſunt quadruplicia, & poſt eū ſcribit hoc idem Brulefer diſt.xxij.queſt.iij.lib.j.quædam ſunt multiuoca, quædam diuerſiuoca. Alia ſymbolica, & alia anagogica: ideo autem diuinæ naturæ nomina imponimus (vt inquit Paulus Corteſſus lib.j.diſt.ixl in fine.) quatenus eius abſolutio in rerum creatarum abſolutione ſplendeſcit, multaque etiam interdum metaphoricos inducimus. Multiuoca dicuntur illa (vt inquit Hugo) quæ ſub multiplicatione vocum important vnam & eandem rem omnino, vt Theos Deus, omnia talia ſunt ſynonyma in diuinis. Alia ſunt diuerſiuoca. & dicuntur illa nomina diuina, quæ important vnum & idem ſignificatum ſub alia & alia ratione, ſicut veritas diuina ſub ratione veritatis, iuſtitia diuina, miſericordia diuina, eſſentia diuina. Alia ſunt ſymbolica, & dicuntur illa nomina diuina, quæ ex viſibilibus creaturis quaſi tranſſumptiuè attribuimus Deo, ſicut lux & ardor. Dicimus enim quod Deus eſt lux, quia nihil obſcurum eſt in Deo: licèt non ſit lux corporea. Sub illo modo attribuitur Deo leo, & hoc propter fortitudinem: lapis ſeu petra, propter ſtabilitatem. Item Chriſtus eſt agnus, &c. Dicitur autem ſymbolus eſſe collatio viſibilium formarum ad inuiſibiles, à ſyn quod eſt con, & bolos quod eſt conuenientia. Nomina anagogica dicuntur nomina quæ attribuuntur Deo cum exceſſu, vt Deus eſt ſuperſubſtātialis, & hæc eſt diſtinctio Hugonis, & poſt eum ſcribit Brulefer vbi ſupra. Dicitur autem quandoque aliquid de Deo per cauſam, vt idem vult Brulefer diſt.xxx.quæſt.j.lib.j. vt, tu es patientia mea, id eſt tu cauſas in me patientiam. Domine ſpes mea, id eſt cauſa ſpei meæ. Item aliquid dicitur de Deo per vnionem, hoc modo omnia prædicata quæ dicuntur de natura aſſumpta à verbo, dicuntur de verbo diuino etiam: vt Chriſtus eſt flagellatus pro nobis, mortuus, &c. Quandoque autem dicitur de Deo per quandam comparationem ad aliquod temporale: vt Dominus refugium, &c. Hæc Brulefer. Sancti quoq; frequenter ſolent nomina cōnotatiua ſupponētia pro Deo, & connotantia creaturam, dicere relatiua, vt ſcribit Gabriel diſt.xviij.quæſt.j.art.iij.lib.j. Et licèt talia nomina nihil niſi abſolutum ſignificēt, propter huiuſmodi connotationem dicuntur relatiua. Sic dicuntur ſpes & refugium, miſericordia, &c. nomina relatiua, id eſt connotatiua. Sic etiam donum ſolet dici nomen relatiuum, nec dicit reſpectum rationis, quia nullus talis eſt ponendus, vt dicit Gabriel vbi ſupra. Illa quoque nomina, intellectus & voluntas, aliquando capiuntur abſolutè, vt & præciſe dicunt aliquod abſolutum in Deo, non connotando aliquod notionale, vt dicit Gabriel diſt. vij.q.ij. lib.j. Aliquando vt determinatè connotant aliquod notionale, quæ diſtinctio non eſt diſtinctio alicuius realiter exiſtentis in Deo, ſed eſt diſtinctio vocabulorum. Et ſimili modo poteſt dici de intelligere velle, & cæteris attributis. Primo modo accipiendo illa nomina, intellectus diuinus, voluntas diuina, ſunt termini ſynonymi cum eſſentia: & ita quicquid prædicatur de eſſentia, prædicatur de intellectu diuino, ſimiliter de voluntate: & ita ſicut eſſentia eſt principium elicitiuum generationis verbi & ſpirationis ſpiritusſancti, ita & intellectus. Similiter voluntas & actus intelligendi & volendi. Sed accipiendo ſecundo modo intellectus, connotat generationem, & voluntas ſpirationem: ita quod quid nominis intellectus eſt illud principium producendi verbū, & voluntatis eſt illud principiū ſpirandi ſpiritum ſanctū. Sic ergo abſolutè ſumendo & primo modo, de omnibus attributis dici poteſt (ſecundū Occam & Gabrielem) quod de quolibet eorum verificatur eſſe principium elicitiuum, non pro ſe, ſed pro re: puta, eſſentia diuina. Sed ſecundo modo vt connotant actum generandi vel ſpirandi, conceditur quod filius producitur per modum intellectus, & nō ſpiritus ſanctus, id eſt filius generatur, & ſpiritus ſanctus non generatur, ſed ſpiratur. Sic enim intellectus dicit diuinam eſſentiam elicitiuam actus ſpirandi. Iſto ergo modo propter diuerſa terminorum connotata aliquid dicitur de intellectu, & non de voluntate, & econtra. & negantur de ſe inuicem, quia generare non eſt ſpirare. Gabri. poſt Occam vide latiùs, &c.

Nomina rerum nonnunquam attribuuntur ſignis quaſi metaphoricè, propter aliquas ſimilitudines proportionales repertas ſignorum, ad ſigna quæ eſt rerum ad res. Sicut aliquando genus dicitur materia: quia ſicut materia vna diuerſis formis informatur cum quibus facit vnum, ita vnum genus per differentias determinatur cum quibus conſtituit vnam diffinitionem, vt ſcribit Gabriel di.viij. quæſt.ij.lib.j. vbi paulò antè notat quod frequenter per res intelliguntur nomina rerum: quod eſt dictum: frequenter nomina rerum, ſcilicet primæ intentiones accipiuntur non pro rebus, ſed pro ipſiſmet nominibus, vt cùm dicitur: Qualitas accidentaliter prædicatur de nomine ſubiecti: vt hic homo eſt qualis, Et hoc frequenter cōtingit quando prædicatum eſt ſecundæ impoſitionis. Et per hoc multæ auctoritates quæ aliàs eſſent de rigore verborum falſæ, ſaluantur. Gabriel.

Nomen Dei dicitur ſanctum, quia nomen impollutum, incontaminatum, conſecratum, confirmatum, ſine terra, ſine concreatione materiæ, & ab omni prorſus impuritate liberum & alienum, vt ſcribit Gerſon ſuper Cantico Mariæ, tract.v. Sanctum, inquam, nomen illius, qui dedit filio ſuo Ieſu Chriſto nomen ſalus. Nam ideo Ieſus à Deo & Angelo, & homine nominatus eſt, quia ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum, ipſo dicente, Quia nemo venit ad patrem niſi per me. Vel nomen Dei dicitur ſanctum à ſanctitate, quam Dionyſius deſcribens, ait: Sanctitas eſt ab omni inquinatione libera & perfectiſsima & incontaminatiſsima puritas. Græcè enim vocatur Agyos ſanctum, ab a quod eſt ſine, & ge terra, &c. Vide latiùs Magiſtrum Ioannem Gerſonem vbi ſupra.

Nomina Dei apud Hebræos præcipua, ſecundùm Iſidorum lib. Etymolog. vt eum refert frater Pelbartus, ſunt ſcilicet primom Eloi, quod nomē Chriſtus Dominus in cruce exclamauit. Marc.15. Eloi, quod eſt interpretatū Deus meus. Secundū nomen

eſt Ado-

eſt Adonai. De quo Exod.6. Ego Dominus, & nomen meum magnum Adonai non indicaui eis, ſcilicet Patriarchis, ſed tibi Moyſi: & interpretatur Dominus dominans, ſecundum Hieronymum. Tertium nomen eſt Sadai, quod ſecundum eundem Hieronymum interpretatur omnipotens. Quartum, Sabaoth, id eſt exercituum vel virtutum, ſcilicet Angelorum Dominus. Sed præ his eſt vltimum nomen Dei, & præcellentiſsimum apud Hebræos, quod dicitur nomen Domini Tetragrammaton, ſic dictum à tetra, quod eſt quatuor, & gramma litera, quaſi quatuor literarum. & hoc nomen ſignificat diuinam eſſentiam puram & nudè, prout in ſe conſiſtit circumſcripto omni alio: ideo eſt nomen incommunicabile alteri, & proprium ſolius Dei. Et dicitur ineffabile, quia ſignificat rem ineffabilem, ſcilicet nudam eſſentiam diuinam. De quo vide in litera T. Et Chriſtus (vt ſcribit Chriſtopolitanus Epiſcopus, Iacobus de Valentia tractat.iiij. cap.j. prologi in Pſalm.) propriè dicitur nomen Domini Tetragrammaton, notificans ineffabilia de patre, quæ omnia comprehenduntur ſub hoc nomine Ieſus. Vnde hoc eſt nomen quod Deus non reuelauit patribus veteris teſtamenti, quia ſolus Chriſtus debebat ipſum nobis reuelare. Habet autem Chriſtus multa nomina, vt & ibidem oſtendit. & qu. finali. poſt commentaria ſuper Cantic.artic.iij.concluſ.j. Nam (vt ipſe ait) iſta decem nomina, verbum Dei, filius, veritas Dei, æterna ſapientia Dei, lux æterna, ſiue lumen, ars patris, æterna vita, & lex æterna, & Chriſtus, & reparator humanæ naturæ, & Ieſus: vnam & eandem perſonam diuinam ſignificant realiter, ſed differunt quo ad modos ſignificandi, & ſecundum effectus. Vnde Ieſus Chriſtus dicitur verbum patris inquantum ab æterno eſt dictum à patre, & eſt cõceptus diffinitiuus quo pater diffinit & comprehendit ſeipſum. Et dicitur etiam verbum patris, per quod pater ex tempore dixit & creauit omnia creata ad extra. Item Chriſtus dicitur filius æternus Dei patris, inquantum ab æterno eſt productus à patre per modum naturę. Item dicitur veritas Dei patris, inquantum eſt imago patris æqualis, & ipſi per omnia ſimilis. Item dicitur ſapientia patris, inquantum eſt genitus & productus de tota ſcientia & memoria fœcunda patris, & per ipſum omnia ſapienter diſponit. Item dicitur lumen, inquantũ eſt coæternus patri, ſicut lumen ipſi Soli: & procedit à patre æternaliter ſicut lumen à Sole, quia ſicut nunquam fuit Sol ſine lumine, nec econuerſo: ita nunquam pater fuit ſine filio, nec econuerſo. Et ſicut lumen procedens à Sole illuminat & viuificat omnia, ita filius procedens à patre illuminat & viuificat omnia, & maximè omnem hominem venientem in hunc mundum. Item Chriſtus dicitur ars patris, inquantum in eo ab æterno continentur ideæ & rationes omnium rerum creatarum, ad quarum inſtar ex tempore facta ſunt omnia. Item dicitur vita per eſſentiam: & quia omnibus influit eſſe, & dat vitam naturaliter, & ſpecialiter hominibus dat vitam gratię & gloriæ. Et dicitur lex æterna, inquantum ab æterno omnia præuidit, & ex tempore omnia regit & ritè diſponit. Item dicitur Chriſtus, inquantum ex tempore verbum caro factũ eſt: & eſt Deus & homo, per quod verbum incarnatum Deus pater nobis locutus eſt. Item dicitur nomen Dei, per quod Deus pater notificauit nobis ſuam voluntatem. Item dicitur Ieſus, inquantũ eſt ſaluator & reparator humanę naturę. hęc Iacob. de Valen. Et ſecundũ eundẽ in prologo vbi ſupra. Chriſtus dicitur dextra Dei, & brachium Domini, eò quòd pater per ipſum operatus eſt ineffabilia. Itẽ dicitur hæres, inquantũ recuperauit hæreditatẽ Dei, ſcilicet genus humanũ de poteſtate diaboli, tanquã filius primogenitus patris. Itẽ dicitur ſanctus ſanctorũ, quia iuſtus & caput omnis ſanctitatis & gratiæ, à quo omnes gratiæ deriuantur ad ſua membra. Itẽ dicitur Rex, quia hæres patris. Itẽ dicitur Sacerdos, quia ſeipſum ſacrificiũ pro omnibus obtulit, & omnia ſacramẽta Eccleſiaſtica cõſtituit. Dicitur & Chriſtus, quia vnctus oleo lætitiæ donorũ ſpiritusſancti, non ad menſurã præ cæteris tanquam caput, vt ab eo deſcenderet vnctio ad ſua membra per participationem. & ſic fit vnus Chriſtus ex capite & membris. hæc Iacobus de Valentia vbi ſupra.

Nomina populi Dei, quæ magis in ſcriptura frequentãtur, ſunt iſta, ſcilicet Iacob, Iſraël, ſemẽ Abrahæ, filij Abrahæ, ſiue Iſraël, ſiue Iacob, filij Dei, populus Dei, vinea Domini, ciuitas Dei, conſilium & congregatio iuſtorũ, Eccleſia Dei, ſiue domus Dei, quod corpus myſticum, ſiue hominem myſticũ ante Chriſtum appellamus. De quibus copioſè ſcribit Iacobus de Valen.cap.ij.tract.iiij.prolog.in Pſal. vbi dicit ſecundum Aug.contra Fauſt. & xvj.de Ciuit. Dei, cap.ij. quod multa nomina ſunt impoſita antiquis patribus veteris teſtamẽti, quæ nõ ſunt impoſita à caſu nec humana voluntate, ſed ſolo Dei præcepto & inſpiratione, inquantum illi fuerũt imago & figurà Chriſti & Eccleſię, quia omnia contingebant illis in figura. de quo latius legito ibi Valent.

Nomina locorum in quibus habitat populus Dei, quæ magis frequentantur in ſcriptura, ſunt quinque, ſcilicet Hieruſalem, Sion, Iudæa, terra Iſraël, & hæreditas Domini. De quibus latiùs ſcribit Iacobus de Valentia, tract.iiij. cap.iij. prologi ſuper Pſalm.

Nomina legis diuinæ, de quibus ſcribit Valentia. cap.iiij. vbi ſupra. dicens, quod lex Domini ſecundũ quod habet diuerſos effectus & reſpectus, ita diuerſis nominibus nuncupatur. Nam inquantũ eſt à Deo lata, & inquantũ ligat & obligat hominẽ, dicitur lex Domini: ſed inquantũ eſt à Deo prolata & ſcripta in tabulis, dicitur ſermo Domini ſiue eloquiũ Domini, ſed inquantũ prohibet mala fieri, dicitur præcepta ſiue præceptũ, inquantũ autẽ admonet bona fieri, dicitur mandatũ ſiue mãdata. Sed inquantũ eſt teſtificata à Deo & Prophetis, dicitur teſtimoniũ Domini. Sed inquantũ per legẽ cognoſcimus voluntatẽ Domini, dicitur voluntas Domini. Sed inquantũ fuit cõfirmata per mortẽ Chriſti teſtatoris, dicitur teſtamentũ Domini. Sed inquantũ iuſtificat obſeruãtes dicitur iuſtitię ſiue iuſtitia Domini. Sed operationes quę fiũt ſecundũ iuſtitiã, dicũtur iuſtificationes. Sed punitiones & præmiationes quę fiũt per iuſtitiã, dicũtur iudicia Domini. Inquantũ verò ducit & dirigit homines, dicitur via.

Inquantũ eius ſcripta omnia ſunt impleta in Chriſto, dicitur veritas. Inquantum per legem ſumus liberati, dicitur miſericordia. Item inquantum Deo pacificati, dicitur pax. Item arbor ſiue lignum vitæ, & hoc metaphoricè, quia Deus loco ligni vitæ dedit hanc legem, & hanc patres veteris teſtamenti ſeruarunt vſque ad tempus Chriſti, ex qua receperunt fructum in tempore ſuo, ſcilicet fructum redemptionis: & ſic eandem legem ſecundũ veritatem colentes, nos expectamus fructum gloriæ. Dicitur & lex Domini vinea, dicitur & ſeges. De quo vide latiùs ibi Iacob. de Valentia.

Nomina diaboli & populi eius magis frequentata in ſacra ſcriptura, vt idem ſcribit Iacobus de Valentia vbi ſupra, cap. v. Vnde diabolus dicitur, quia diuiſus, quia ab initio in veritate nõ ſtetit, ſed à Deo diſceſſit: & ſicut ipſe fuit diuiſus, ita etiam fuit diuiſor: quia hominem à Deo per peccatum ſeparauit, & continuè inter homines zizaniam ſeminauit. Matth. vigeſimotertio. & à veritate diuinæ legis nos ſeparare conatur. Secundò dicitur Satanas, id eſt contrarius & aduerſarius, quia ab initio nobis aduerſatur & inimicatur, & omni veritati reſiſtit. Item dicitur peccator, quia ab initio peccat & mentitur, Ioannis ſexto. Item dicitur exterminator, Apocalyp. nono. quia extra terminos diuinæ viſionis & beatitudinis eiecit, & continuè conatur extrahere. Item dicitur mors, Apocalyp. ſexto. quia hominem in mortem deiecit, & actor mortis ipſe fuit. Et hæc ſunt nomina diaboli magis frequentata. Dicitur etiam Belial & Leuiathan, terribilis & vaſtans. Sed nomina populi diaboli ſunt Sodomæ, Ægyptus, in epiſtola Iacobi, eò quòd tales ſunt occæcati in tenebris peccatorũ. Item dicitur Babylon, quia confuſio, Apocaly. 16. quia inter membra diaboli non eſt ordo, ſed horror & confuſio, cùm omnes ſeruiant vitiis & malis cupiditatibus, & ſic in eis non ratio, ſed ſenſualitas dominatur. Et ideo per talia nomina in ſcriptura communiter populus ſiue membra diaboli, aut hæretici & infideles & mali intelliguntur. Hæc Chriſtopolitanus Epiſcopus vbi ſupra.

Nomina priuatiua, ſicut ſunt cæcus, pauper, tenebroſus, non addunt aliquid ei qui cæcus dicitur, pauper vel obſcurus, ſed ſignificant hunc non habere lumen, diuitias vel viſum. vt ſcribit Gabriel di. j. quæſt. j. lib. iij. De priuatiuis nominibus quærito & legito latiùs apud Dialecticos.

Nomina primæ impoſitionis, quę ſignificant res ea ratione, vt non ſunt ſigna. Nomina verò ſecundæ impoſitionis, quæ ſignificant res ea ratione, vt ſunt ſigna. Exemplum primi, vt homo, animal. Exemplum ſecundi, nomen, pronomen, &c. De quo lege, gito & conſulas Logicos & Bruleferum diſt. xxij. quæſt. iiij. libr. 4. & in Logica de hoc ſcripſimus.

Nominabile, effabile, narrabile, idem ſunt. Et nominabile eſt illud quod poteſt dici, vel vocari, vel appellari. Et ſic capitur dupliciter. Vno modo aptitudinaliter, & ſic eſt illud quod aptum natum eſt dici. Alio modo potentialiter, & ſic eſt illud quod poteſt dici, nec ſunt idem. Conſtat enim quod cæcus aptus natus eſt videre, non tamen poteſt videre naturaliter. E diuerſo de lapide reſpectu vbi ſurſum. Corollarium: Omnis res creata eſt apta nata nominari. Es qui melius cognoſcit Deum, diſtinctius nominat, quare beati diſtinctius poſſunt nominare Deum quàm viatores. Fideles quoque diſtinctius loquuntur de Deo, quàm infideles & Philoſophi. Nominabile ſiue effabile ſecundum ſanctum Bonauent. di. xxij. q. j. li. j. dicitur dupliciter ſicut intelligere. Vno modo per perfectam expreſſionem. Alio modo per ſemiplenam narrationem. Si dicitur effabile ſiue nominabile ſecundum perfectam expreſsionem: ſic dicẽdum quod Deus ſibi ſoli eſt intelligibilis, & ſic ſibi ſoli eſt effabilis & nominabilis, non alio nomine quàm ipſe ſit, nec alio verbo quàm ipſe ſit. & ſicut nobis eſt incõprehenſibilis, ita & ineffabilis, ita etiam innominabilis. Et per hunc modum loquitur Dionyſius & Philoſophi. Si verò dicatur effabile & nominabile ſecundum qualemcunque nominationem, ſic quemadmodum Deus eſt nobis cognoſcibilis, ita & effabilis & nominabilis: & qui melius cognoſcit, melius effatur, & melius nominat & expreſsius. Vnde expreſsius nominat fidelis & ſcriptura, quæ fidei ſuffragatur, vt ſacra ſcriptura, quàm ratio vel Philoſophia. Vide & in dictione *ineffabilis*. Ita ſentit Bonauentura, Rich. & Thom. & Pelbar.

Notio ſecundum Guil. Scotiſ. in primo diſt. xxvj. dicitur à noſco, is, quia notiones faciunt nos venire in cognitionem diuinorum. Vnde ſecundũ Boëtium: Notio communiter accipiendo eſt ſimplex conceptus mentis, quo res cognoſcitur. Sic autem non accipitur in diuinis. Sed propriè ſecundũ quod eſt in diuinis, ſic dicit formam relatiuam ſecundum quod eſt principiũ innoteſcendi perſonas diuinas. Vnde notio propriè eſt formale principiũ cognoſcẽdi perſonas, hęc Theologi cõmuniter. Et capitur tripliciter notio ſecundũ eundẽ Guil. Scot. & poſt eũ ſcribit frater Pelb. Vno modo cõmuniter pro manuductione noſtri intellectus in cognitionẽ diuinorũ. Iſto modo ſunt infinitę notiones, quia quęlibet creatura poteſt nos manuducere in generali ad cognoſcendu Deũ. & ſic antiqui Doct. ponebãr notiones infinitas, ſed nimis impropriè. Secundo modo dicitur notio impropriè ſecundũ numerũ diuinarũ perſonarũ accepta: ita quod ſicut tres perſonæ ſunt notæ, ſic tres ſunt notiones quibus noſcũtur, ſcilicet, ingeneratio in patre, & generatio in filio, & proceſsio in ſpiritu ſancto, ſicut dicit Damaſ. lib. j. ca. viij. Omnia, inquit, in diuinis ſunt præter ingenerationem, generationẽ, & proceſsionem. Et iſto modo acceperũt antiqui quidam Doctores notionem, ſed adhuc impropriè. Tertio modo notio capitur propriè, & ſic dicitur quælibet diuina originatio, ſiue dicatur negatiuè, ſicut innaſcibilitas: ſiue affirmatiuè, ſicut cæteræ notiones. Ponuntur enim à Magiſtris communius tantum quinque notiones propriè, & ſic ordinatur quod tres ſunt in patre, ſcilicet, innaſcibilitas, & generatio actiua, & ſpiratio actiua. Item duæ ſunt in filio, ſcilicet, generatio paſsiua, & ſpiratio actiua. Denique vna ponitur in ſpiritu ſancto, ſcilicet, ſpiratio paſsiua. Et ſecundum eundem Guil. & Thom. in ſcripto primo, diſtinct. vj. quæſt. v. iſta tria, relatio, & proprietas, & notio, & ſi ſunt idem re, differunt tamen ratione, in hoc quod relatio dicitur relatiuè ad ſuum termi-

num vel obiectum. Sed proprietas inquantum cõſtituit perſonam: notio verò dicitur inquantum ducit in cognitionem perſonę diuinæ. Exemplum, paternitas dicitur relatio, ſecũdum quod ad filium refertur. Et dicitur proprietas inquantum ſoli patri conuenit: ſed dicitur notio inquantum notificat patrem. Et vt ſcribit ſanctus Bonauentura diſtinct. xxxiij. quæſt. iiij. lib. j. Denominatio notionis importat emanationem vt actum importat & relationem. Et notio nõ ſupponit perſonam, quia plures notiones ſunt in eadem perſona (vt idem ait) & notio non denominat, niſi ſuppoſitum, vt dicit in fine illius quæſtionis. Vide & de notione in dictione *Proprietas*, & in dictione *Prædicatio*, & in dictione *in diuinis*.

Notionale, vt ſcribit Stephanus Brulefer in prologo ſenten. eſt illud quod conuenit vni ſoli perſonę, vel ſolis duabus, vt paternitas, ſpiratio actiua. Dicuntur autẽ prædicata vel nomina notionalia, quia faciunt nos deuenire in notitiã trium perſonarum. Vide eundem diſtin. ij. qu. iiij. libr. j. & omne proprium eſt notionale, ſed non econuerſo, quia proprium tantum conuenit vni perſonæ, notionale verò duabus. Et notionale in plus ſe habet quàm proprium. Vide ad hoc Scotum quæſt. j. quotli.

Notitia eſt idem quod cognitio. Et quędam eſt apprehẽſiua quo aliquid vel aliqua complexè vel incomplexè cogitamus. Notitia adhæſiua ſiue iudicatiua, eſt actus intellectus quo aſſentit vel diſſentit alicui complexo proportionali, credẽdo ipſum eſſe verum vel falſum: & eſt tantùm reſpectu complexi propoſitionalis. Et ſecundum Cameracẽ. Notitia quædam eſt ſenſualis, alia intellectualis, vt deducit præfatus Doctor de brutis, quæ multas formant notitias complexas de ſenſibilibus quæſt. iij. artic. j. Et notitia ſenſualis ſecundum eum, eſt notitia ad quam cauſandam per ſe concurrit virtus aliqua ſenſitiua, aut aliquid exiſtens in ipſa. Intellectualis, eſt notitia intellectus, ſiue omnis notitia ſenſualis hominis ſit intellectualis, ſiue non. de quo multa ibidem. Vide & Gregor. di. iij. lib. j.

Notitia intuitiua eſt notitia incomplexa termini vel terminorum rei vel rerum, virtute cuius poteſt euidenter cognoſci aliqua veritas contingens, maximè de præſenti, vt quod res eſt vel non eſt, quod eſt hic vel ibi, vt eſt viſio exterior ſortis. Per hanc enim cognoſco euidenter ſortem eſſe, & ſi per potentiam diuinam illa viſio conſeruaretur ſorte deſtructo, per eandem cognoſcerem euidenter ſortem non eſſe. Dicitur, per potentiam diuinam, quia naturaliter eſt impoſsibile. Nam viſio intuitiua dependet cauſaliter ab obiecto in fieri & eſſe. Et hæc notitia non eſt tantum ſenſibilium, ſed etiam intelligibilium, licèt non omnium, quia non eſt reſpectu habituum, ſed reſpectu actuum tantum, quia intellectus noſter cognoſcit intellectiones & actus voluntatis, delectationes & triſtitias. Nam euidenter ſcio me intelligere velle, nolle cogitare, quod fieri non poteſt ſine notitia intuitiua. Et hoc eſt verum quando eſt ſufficienter perfecta notitia intuitiua. Poteſt enim illa notitia intuitiua quandoque eſſe nimis remiſſa, & nimis imperfecta & obſcura. Vel poteſt eſſe aliud impedimentum ex parte obiecti vel medij, & tunc paucæ contingentes poſſunt euidenter cognoſci. A tali etiam notitia intuitiua incipit experimentalis cognitio, & per conſequens omnis notitia intuitiua eſt ſingularis. Vide de hac notitia intuitiua Magiſtrum Ioannem Gerſonem tractatu v. ſuper Magnificat. & in Logica, & aliàs.

Notitia abſtractiua dupliciter accipitur. Vno modo accipitur pro notitia vniuerſali abſtracta à multis ſingularibus: vt conceptus ſpecificus omnium hominum, & talis cognitio non eſt aliud quam cognitio alicuius vniuerſalis abſtrahibilis à multis ſingularibus. Alio modo accipitur Notitia abſtractiua, ſecundum quod abſtrahit ab exiſtentia & non exiſtentia, & ab aliis conditionibus, quæ contingenter accidunt rei, virtute cuius de re contingenti non poteſt ſciri an ſit vel non ſit, vel alia veritas contingens: vt notitia quæ habetur de obiecto in eius abſentia. & omnis talis naturaliter acquiſita præſupponit notitiam intuitiuam eiuſdem obiecti. De notitia plura videantur apud Gabriëlem quæſt. j. prologi. & Cardinalem Cameracẽ. quæſt. iij. lib. j. & Gregor. de Ari. & ſupra in dictione *Cognitio*. Et multa apud Dialecticos, quæ omnia breuitatis cauſa omitto. Et ſecundum ſanctum Thom. quotli. vij. vel viij. vel xj. cap. iiij. notitia dicitur quadrupliciter, ſcilicet natura, potentia, habitus, & actus cognoſcendi.

Notitia infallibilis (vt ſcribit Dominus Cardinalis Cameracẽ. q. xij. ar. iij. lib. j.) eſt quę nõ poteſt eſſe falſa, ſiue aſſenſus verus, quo non eſt poſsibile falli. Falli autem eſt aſſentire taliter eſſe qualiter nõ eſt, vel non taliter eſſe qualiter eſt.

Notitia Dei (vt ſcribit Brulefer di. xxxviij. q. j. lib. j. cap. iij.) licèt ſit vnica ac ſimpliciſsima, ac ſummè eadem, ſibi tamen propter diuerſos ſtatus rerum, & propter diuerſos effectus: notitia diuina quandoque nominatur præſcientia, quandoq; ſapientia, quandoq; præuidentia, quandoq; diſpoſitio, quandoq; prædeſtinatio, quandoq; prouidentia. Poteſt etiã vocari ars, ſcientia, ſapiẽtia & notitia. Illa autẽ quatuor dicũt notitiã Dei vel cognitionẽ, inquantum eſt de omnibus. Pręſcientia Dei eſt de futuris, ſimiliter præuidentia. Diſpoſitio eſt notitia Dei inquantum eſt de rebus fiendis. Vnde ſicut ſapientia & notitia eſt in plus quàm præſcientia obiectiuè, ſcilicet ratione obiectorũ: ita etiã præſcientia eſt in plus quàm diſpoſitio. Præſcientia enim eſt tam de bonis quàm de malis futuris: diſpoſitio autẽ ſolùm eſt de rebus poſitiuè fiendis, & ſic non eſt de malis. hæc Brulefer, &c.

Notorium, vt ſcribit Gabr. diſtin. xiij. q. j. dub. iiij. lib. iiij. dicitur tribus modis, ſcilicet quod conſtat per propriam confeſsionem in iure factam: vel per iudicis ſentẽtiam, aut per facti euidẽtiam, vt quod, offert ſe conſpectui, & nulla poteſt tergiuerſatione celari. vt in cap. quæſitum. de coha. cler. & muli. Notoriũ primis duobus modis dicitur notorium iuris. Tertio modo dicitur notorium facti. Sed crimen publicum vel manifeſtum dicitur, quod ex ſciẽtia & certo auctore procedit, & poteſt probari. Occultũ verò quod probari nõ poteſt, vel quod ab Eccleſia toleratur. vt in cap. veſtra. de cohabit. cler.

& mulieri. Vnde notorius fornicator debet euitari, quia debet ſtatim euitandus iudicari. Iudicari, ſcilicet non à ſubditis, ſed à Prçlatis. Plura de hoc Gabriël vbi ſuprà. Vide & de notorio iuris & facti Gerſonem parte j. in aſſertionibus Magiſtri Ioannis parui.

Notum per ſe (vt ſcriptis reliquit Dominus Cardi. Camer. q. iij. arti. ij. libr. j.) eſt propoſitio, quæ, vel alia ſibi æquiualens in ſignificando cuilibet vti ratione potenti naturaliter poteſt eſſe nota abſq; indigentia notitię alicuius extrinſeci. Dicitur, vel alia ſibi æquiualens, &cæ. vel omnino ſimilis, quia ipſa propoſitio per ſe nota debet eſſe talis, quod cuilibet aduertenti eã ſit euidens, nec poſsit naturaliter eſſe dubia. Per primum excluduntur propoſitiones dubiæ, creditæ vel opinatæ: per ſecundum verò propoſitiones, quæ licèt non ſint dubiæ, tamẽ poſsint eſſe dubiæ ante demonſtrationem vel experientiam. Dicitur, ſine indigentia notitiæ, quia ſi ad ſuam notitiam alia notitia eſſet neceſſaria, iam non eſſet per ſe nota. Dicitur, alicuius extrinſeci, quia non excluditur notitia terminorum per hoc quod dicitur, per ſe: nam ſine notitia terminorum nõ poteſt eſſe aliqua propoſitio nota: ſed non ſufficit notitia terminorum, ſed cum hoc requiritur formatio propoſitionis. Vnde dicit Philoſophus: Principia cognoſcimus, inquantum terminos cognoſcimus. Et ſecundum eundem Petrum Aliacenſem, ipſa propoſitio, & non ſignificatum ipſius propoſitionis, dicitùr per ſe notum. Non enim ipſe ponit complexe ſignificabile, ſicut aliqui imaginantur. Ex quo ſequitur, quod nulla propoſitio contingens eſt per ſe nota, ſicut iſtæ & ſimiles: ego intelligo, ego diligo, quarum quælibet per experiẽtiam intellectualem eſt nota. Et licèt mihi ſit nota, non tamen cuilibet alteri, nec propoſitio demõſtrabilis, nec omnis propoſitio immediata eſt per ſe nota. Nam omnis propoſitio demonſtrabilis eſt dubitabilis, ſed nulla dubitabilis eſt per ſe nota. Et multæ ſunt immediatæ, quæ abſque experientia cognoſci nõ poſſunt; ſicut iſtæ: aliquid mouetur, calor eſt calefactiuus. Vide latiùs Aliaceñ. Et quãuis (vt idem ait paulò poſt) illa propoſitio: Deus eſt, non ſit per ſe nota nobis exiſtentibus in via: ipſa tamen quam formant beati in patria, eſt per ſe nota: quia ipſa quam nos habemus eſt naturaliter dubitabilis, ſed beatus apprehendens illos terminos, & formans propoſitionem naturaliter, aſſentit ei ſicut primo principio: nec poſſet eam plus dubitare quàm primũ principium. Nec illa propoſitio: Deus eſt, quam formamus: & illa quam format beatus, ſunt omnino ſimiles ſpeciuocæ, ſed vna eſt perfectior alia in ſpecie. Patet, aliter vna eſſet per ſe nota ſicut alia, quod eſt falſum. Et licèt iſta propoſitio: Deus eſt, non ſit nobis euidens, aut euidenter demonſtrabilis, ipſa tamẽ eſt naturaliter probabilis. Philoſophi enim naturali ratione probauerunt primũ motorem eſſe, primam cauſam eſſe, primum principiũ eſſe, vt patet 8. Phy. & 12. Metap. igitur. Vide latiùs Cameraceñ. Et (vt idem ait) ex ſola Dei gratuita vnione cum mente noſtra per modum obiecti viſibilis, ac luminis ſufficienter de ſe lucentis, cum aliis ex parte potentiæ noſtræ intellectiuę requiſitis, poteſt euidenter cognoſci Deum eſſe. & ibidem probat.

Nouitas, vt ſcribit ſanctus Bonauentura di. xxvj. in dub. literal. li. j. Vno modo ſonat in vitium, alio modo non, quando eſt facilis adiunctio, quod ſententiam etiam facit, quæ non habet ortum ex veritate antiqua. Hinc Apoſtolus 1. Timoth. vlt. dicit, vocum nouitates eſſe vitandas, prophanas ſcilicet. Vnde & nouorum terminorum abſurdam inuentionem arguit & reprehendit Gerſon parte iiij. de modis ſignificandi, quoniam ſtabilitas ſcientiarum multum dependet à quid nominis terminorum. Faciunt denique tales, vt ab aliis non intelligãtur: qui mutant terminos, quos poſuerunt patres eorum. & quid ſequitur niſi confuſio linguarum Babylonica in ædificatione turris ſcientiæ. hæc Gerſ.

Nouum dicitur dupliciter, vt ſcribit ſanctus Bonauentura di. xv. lib. ij. circa tex. Vno modo nouum dicitur contra antiquitatem curſus naturæ, & conſuetudinem rationalis creaturæ: & ſic Deus nõ ceſſauit in ſex diebus facere nouam creaturam: imò multa facit miraculoſe & mirabiliter contra ſolitum curſum naturæ & conſuetudinis humanæ. & iſta noua dici poſſunt. Alio modo dicitur nouum, cuius nulla ſimilitudo præceſsit, nec etiam aliquod principium creatum quod eſſet ipſius ſeminatium. Sic dicit Magiſter d. xv. lib. ij. quod nouam creaturam facere ceſſauit. Vnde Eccleſ. Nihil ſub Sole nouum, nihil enim produxit cuius non fecerit aliquo modo ſimile, vel cuius non produxerit principium ſeminale in operibus ſex dierum. Et dicitur Deus feciſſe nouũ, cùm mulier circundedit virũ. Iere. 31. vbi nouitas attenditur in hoc (vt idem ait S. Bonauen. di. iij. li. iij.) quod ipſe erat Deus & homo, cuius ſimile nunquã præceſſerit, in hoc quia ab inſtanti conceptionis Chriſtus vir fuerat adeo perfectus, quod perficere nunquam potuit: & huius ſimile nunquam fuit: & ita nouum. De quo videre poteris Gabr. ſerm. ij. Annuntiationis beatę Mariæ virginis, qui incipit: Hęc eſt dies. qui pulchra & notanda de hoc ſcribit. Nouum & ſolũ tale dicit eſſe æternum. Gerſon part. iij. tract. ix. ſuper Magnific. Vetera ſunt omnia & ad interitum tendentia quæ ſeparantur ab æterno. Breuis diſtinctio veteris & noui, ſicut & temporalis & æterni, &c. & trac. xij. ſuper Cantico Virginis, ait: Quia fecit mihi magna qui potens eſt, quando creauit me: requieuit & ſe vniuit in tabernaculo meo, quãdo noua facta ſunt omnia in cœlo & in terra. Quomodo noua? Eo nimirum, quia æternitati ſunt coniuncta. Vidit hoc Pſalm. ſæpius incitans ad canticorum nouitatem. Cantate Domino canticum nouum, quia mirabilia fecit, &c. Et nouum dicitur quandoque quod facit hominem nouum, vt præceptum de dilectione dicitur nouum, quia exuto homine veteri, induite nos hominem nouum, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate veritatis. Epheſ. 4. Et dicitur nouum, quia facit de filio iræ filiũ regni & Dei. De quo vide Gabriëlem ſerm. de ſanctis Simone & Iuda.

Nox capitur quadrupliciter, vt ſcribit Brulefer diſt. xiij. quæſt. ij. lib. ij. Vno modo pro ipſis dæmonibus, vt vult Auguſtinus ſuper Geñ. Secundo modo pro peccato, vt dicitur à noceo, es: quia peccatum plus omnibus nocet. Tertio modo accipitur

nox pro abſentiã illuminationis ſuper hemiſpherium noſtrũ. Et hoc modo capitur dupliciter. Vno modo pro abſentia ſolis, alio modo pro abſentia luminis cauſati à nube lucida, quæ fuit facta prima die. Quarto modo accipitur nox pro tribulatione vel aduerſitate. Vnde Pſal.1. Et in lege eius meditabitur die ac nocte. Pro iniquitate accepit Aug. ſuper illud Pſal.5. Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. Iniquitas (ait ipſe) malignitas, mendacium, homicidium, dolus & quicquid huiuſmodi eſt, ipſa nox eſt, qua tranſeunte fit mane vt videatur dies. Capitur & nox pro errore conſcientiæ, de qua Gabr. ſer. j. dominicæ v. peregri. Vnde Ioan.9. Venit nox, in qua nullus operari poteſt. Nox inquit Gabr. eſt error conſcientiæ debitum finem in ſuis operibus non intendens. Et quicunq; principalem finem ſui corporis creaturam conſtituit, in nocte ambulat. Omnis creatura nox eſt ex ſe, quia vanitati ſubiecta eſt omnis creatura. Rõ.8. Solus creator lux eſt. Ego, inquit, ſum lux mundi, quicunque hanc lucem non participat, in tenebris eſt. Accipitur & nox allegoricè, vt ſcribit Iacob. de Valen. ſuper 1. Pſal. Et ſic lex vetus dicitur nox, & lex noua dicitur dies. Et ſic dicit Apoſt. ad Rom.13. Nox præceſſit, dies autem appropinquauit. Et dicitur nox tempus illud ab Adam vſque ad Chriſtum, vt idem Valen. ſcribit Pſal.117. Propter abſentiam Chriſti & vetus lex dicta eſt nox, quia omnia contingebant illis in vmbra & figura. Sed cum ortus eſt Chriſtus Sol iuſtitiæ, factus eſt dies ſuper vniuerſam terram, & quæ omnino erant occulta ſub vmbra & figura, apparuerunt manifeſta inquantum fuerunt impleta in Chriſto, & maximè apparuerunt in luce manifeſta poſt reſurrectionem. Fugauit ergo Chriſtus triplicem noctem in ſuo ortu & reſurrectione. Nam fugauit vmbram omnium ceremonialium veteris legis. Secundo, fugauit tenebras peccatorum omnium. Tertio, ignorantiam & ſuperſtitionem idolorum de populo gentili. Sũt inſuper noctes vmbræ creaturarum, ſunt quoq; tribulationes intus aut exterius ex peccatis, aut pœnis contribulationibus exurgẽtes, vt dicit Gerſon parte iij. ſuper Canti. canti. in pſalmare 5.

Nubes quandoque ſancti dicuntur & metaphoricè, quia ſicut per nubes terra, ita & nos per eos irrigamur pluuia ſalutaris gratiæ. De quo videre potes Gabr. ſerm. iij. de omnibus ſanctis, qui incipit, virtus eius in nubibus, &c.

Numerus vt eſt verior opinio non importat rẽ ſuperadditam rebus numeratis, ſed ſupponit pro rebus connotando eas eſſe plures. Et ſicut populus, non ſupponit pro re vna, ſed pro multis, ita numerus: tamen conceptus numeri eſt vnus & idem genus habens ſub ſe multas ſpecies, quarum quælibet ſignificat res plures, vt binarius, ternarius, non eſt niſi duæ res diſtinctæ, & numerus ſpecies eſt prædicamenti quantitatis, de quo videatur in logica. Vide Gabr. di. xxiiij. q. ij. libr. j.

Numerus eſt triplex, vt notat Gabr. di. xxiiij. q. ij. li. j. ſcilicet eſſentialis, accidẽtalis, & mathematicus. Numerus eſſentialis eſt qui neceſſariò conuenit rebus, ita quod ipſis manentibus illa ſpecies numeri non poteſt verè de eis negari, & eſt rerum quæ nõ poſſunt per ſe facere vnum, vt numerus trium angelorum. Numerus accidentalis eſt numerus ſignificatus per terminum numeralem, qui poteſt verè affirmari, & verè negari de rebus ipſis manentibus in eſſe, vt numerus duarum aquarum ſeparatarum, quæ ſunt duæ aquæ, & ſi confluunt vel coniunguntur, non duæ aquæ, ſed vna dicuntur. Numerus mathematicus eſt ſuperior ad vtrunque.

Numerus eſt duplex, ſcilicet numerãs, & numeratus. Numerus numerans eſt intellectus ſecernens partes multitudinis quas numerat, vel etiam conceptus quibus numerat, illo modo Deus eſt numerus. Vnde in Pſal. Qui numerat multitudinem ſtellarum. Numerus verò numeratus eſt res numeratæ. Et ille capitur dupliciter. Vno modo ſtrictè, & ad iſtum tres requiruntur cõditiones, ſcilicet quod ſit multitudo quædam vno mẽſurata. Et ideo dicitur numerus multitudo ex vnitatibus profuſa, ſecundum Boët. & etiam Philoſophum. Secundo, quod talis numerus ſit qualibet ſua parte maior. hunc ponit Diony. vltimo de diui. nominibus. Tertio, quod vnitates inter ſe ſint eſſentialiter diſtinctæ, ideo dicit Boë. de trinit. Vbi nulla eſt diuerſitas, ſcilicet eſſentialis, ibi nullus eſt numerus. Et ſecundum hoc poteſt numerus deſcribi ſic: Eſt multitudo ex vnitatibus eſſentialiter diuerſis profuſa, quarum quælibet minor eſt ea. Secundo modo capitur magis communiter, pro qualibet pluralitate rerum diſtinctarum, ſiue eſſentialiter ſiue nõ. Et quãuis (vt inquit Gab. di. xxiiij. q. ij. ar. ij. l. j.) in diuinis nõ ſit numerus captus ſtrictè, eſt tamẽ ibi numerus cõmuniter acceptus & largè, quia nõ eſt ibi multitudo aliquorũ eſſentialiter diuerſorũ & eſt ibi pluralitas perſonarũ realiter diſtinctarũ, vt ex fide ſupponitur. Et numerus in diuinis nõ addit aliquid perſonis numeratis. vnde trinitas in diuinis nihil aliud importat quàm perſonas patris & filij & ſpiritusſancti realiter diſtinctas. Et ſecundum S. Bonauen. diſt. xxiiij. art. ij. qu. j. libr. j. In diuinis aliquo modo eſt numerus, & aliquo modo non. Nam ſecundum quod dicit diſtinctionem perſonalem ſecundũ originem, ſic dicendum eſt numerum eſſe in diuinis, ſed ſecundum aggregationem & diuiſionem ſubſtantialem non eſt ponendus numerus in diuinis. Vnde vt idem ait: In diuinis negãdum eſt eſſe numerum ſimpliciter, ſed concedendum eſt numerum eſſe perſonarum. Hæc Bonauentu. Et ſicut conceditur, vt ait Gabr. quod trinitas angelorum non eſt numerus, ita concedi poteſt quod trinitas perſonarum non eſt numerus, id eſt ſignificatur per vnum terminum numeralem, ſcilicet trinitas, & ita trinitas perſonarum eſt vnus numerus, nihil aliud importans, niſi quod in diuinis ſunt tres perſonæ, quarum vna non eſt alia, licet ſint eadem eſſentia. Ille tamen terminus numeralis trinitas, nihil ponit in Deo, id eſt non importat aliquid ſuperadditum vel adueniẽs Deo, aut diuinis perſonis. Verum ſi numerus ſolum prædicaretur de pluribus eſſentialiter diſtinctis in Deo, non eſſet numerus. Sic enim pater & filius & ſpiritusſanctus non diſtinguuntur numero, quia ſunt vna res numero ſingulariſſima & ſimpliciſſima. Si tamen numerus accipitur, vt prædicatur de quibuſdam pluribus realiter diſtin-

ctis, verum eſt quod dictum eſt ſopra. Et ſi dicitut in diuinis trinitas eſt maioe vna oerſona vel duabus, id eſt nihil aliud eſt dicere, quã quod tres perſonę ſunt plures perſonę quã duę vel vna, ſic cõcedi tur. Si autẽ intelligitur de maioritate dignitatis aut perfectionis, ſic trinitas non eſt maior perſona vna vel duabus. Gab. du. j. vbi ſupra. poſt Occã in Cen.

Numerus pluralis frequenter more ſcripturæ ponitor pro ſingulari, & econuerſo, vt habet Magiſter di. xxxiij. lib. ij. & Gabr. eadem di. q. vnica, art. iij. dub. j. in fine, & S. Bonauẽ. qu. ij. eadem di. art. ij. Vnde Pſalm. Ecce in iniquitatibus conceptus ſum. Gloſ. iniquitates ſunt peccata originalia. Ratio autem; vt idem ait, quare ſcriptura originale cùm ſit vnum, pluraliter nominat, eſt propter multiplicitatem inclinationum ad malum quæ ex originali peccato naſcuntur. Aug. & refert eum Magiſter in tex. qui ait, quia in ſcriptura per ſingularem numerum pluralis numerus ſæpè ſignificari ſolet, vt ibi. Ora ergo ad Deum vt auferat à nobis ſerpentem, non ait ſerpentes, quos patiebatur populus. Et econuerſo, per pluralem ſignificatur ſingularis numerus, vt in Euangelio. Mortui enim ſunt qui quærebant animam pueri: non ait, mortuus eſt, cùm loqueretur de Herode. Et in Exodo. Fecerunt Deos aureos, cùm vnum fecerunt vitulum, de quo dixerũt. Iſti ſunt dij tui Iſraël. Ita & originale vnum plurali numero ſignificatur, cũ dicimus, paruulos in peccatorũ remiſsionem baptizari, & in peccatis & iniquitatibus concipi, inquit Magiſter. Perſæpè quoque in ſcriptura numerus certus accipitur pro incerto, vt eſt illud Daniël 7. Millia milliũ miniſtrabãt ei, & decies millies centena millia aſsiſtebãt ei. De quibus Gabr. ſerm. de S. Michaële, & ſer. j. de omnibus ſanctis, & Apoca. 7. Duodecim millia ſignati, &c.

Numiſma Græci numum νόμισμα vocant, quo & Latini eodem modu vtuntur. Horatius: *Retulit acceptos regale numiſma Philippos*. Maro. *Cur data ſunt equitibus quinque numiſmata quære*. Numiſma verò ἀπὸ τοῦ νόμου, quod eſt lex, quia permutatione vti homines ſolerent, lege numi vſus introductus eſt, qua propter noſtri numum, monetam appellauere, quod ſigno numiſmatis moneretur, cuius pręcij eſſet. Et numiſma eſt certa menſura omnium commutabilium, & venaliũ, & numiſmatis vſus ex neceſsitate eſt inuentus, vt & vult Ariſt. 5. Ethic. c. 1. & 1. Polit. Nam cũ omnes res adinuicẽ immediatę cõmutari nõ poſſunt, & homines ſine earũ commutatione (pro eo quod non omnibus omnia neceſſaria abundant) ſuſtentari nõ poſsint, præſertim in tãta multitudine hominũ. Tum propter diſtantiam locorũ, in quibus cõſiſtunt res cõmutandę, & difficillimè earũ tranſportationẽ. Tum propter diſtantiam temporum futurorum quo res ſine ſui corruptione ſeruari nõ poſſunt. Tum ex multiplici hominũ indigentia. Quomodo autẽ numiſma debeat eſſe vel moneta, ſcilicet in certo pondere & charactere, principis auctoritatẽ habẽtis inſignitũ. Cõſolas Gabr. d. xv. q. ix. l. iiij. & vide in dictio. *Moneta*.

Nunc ſecundum Ariſto. 4. Phyſi. eſt continuatio temporis, & ſic eſt eius ſubſtantia, continuat enim præteritum & futurum, & omnino eſt terminus temporis, eſt enim huius principium, & illius finis. Hæc ille. Et vt dicit Albertus: nunc eſt ſubſtant in temporis, ſecundum Ariſt. quia tẽpus nihil aliud eſt quàm nunc fluxu ſuo ſuſcipiens eſſe cõtinui. Nam ſicut videmus, in linea eſt punctus cõtinuans & terminans, ſic in tempore eſt nũc, cõtinuans & terminãs in principio & in fine. Quod patet ex hoc, quia motus terminatur ad nunc (puta iam pręteritus) & aliquis incipit in nunc (puta futurus) nec aliter partes temporis continuę eſſe poſſent. De quo vide latius apud Alber. & poſt eũ fratrũ Pelbar. li. ij. roſa. theo. in dictione. *Tempus*, §. viij. Et quod dicit Ariſ. 4. Phyſi. Nihil habemus de tempore niſi nunc, id eſt, præſens tempus intelligitur, ſic quod nullũ tempus eſt ſimul & adęquate niſi nunc, quoniã vt etiam Augu. lib. xj. confeſsionum dicit. Tempus præteritum iam non eſt, & tempus futurum nondum eſt, præſens autem ſolum tempus eſt, & ſi ſemper pręſens ſtaret, nec in pręteritum tranſiret, iam nõ eſſet tempus, ſed æternitas. hæc Auguſt.

Nuptiæ id eſt, matrimonium ſeu cõnubium, de quo vide & in dictione, *Matrimonium*. Et nuptię ſecũdę, ſed etiam tertiæ & quartæ ſunt licitæ: dum tamen fiant bono animo, ſcilicet, propter prolem generandam, vel propter fornicationẽ vitandã, vel propter neceſsitatẽ ſuam ſuſtentandam, vt cũ cõtrahit cum muliere vt ipſum foueat, & ecõuerſo. Hæc S. Bona. d. xlij. ar. iij. q. j. li. iiij. Vnde Augu. Nõ contẽnimus quãtaſlibet nuptias. Et Hieronymus, etiã quod Dominus nõ damnauit ſeptẽuiram, id eſt, quæ habuit ſeptẽ viros. De quo legito & Rich. di. xlij. ar. iij. q. j. lib. iiij. & Petrum de Palu. eadẽ di. q. iij. & alios. Sed quod dicit Chryſ. ſuper Matth. quod ſecundæ nuptię ſecundum veritatis rationem ſunt verè fornicatio, id eſt, ſignum incõtinenti. Vel intelligi debet quãdo nõ conſtat ſufficienter de morte prioris coniugio. Sunt & ſecundæ nuptiæ honeſtæ, non tamen ita honeſtæ cęteris paribus (vt ait Rich. q. ij. vbi ſupra.) ſicut primæ, propter ſignũ alicuius pronitatis ad incõtinentiam. Vnde aliqua benedictione carent, qua non carent primę. Vnde ſacerdos (inquit Palud.) benedicens ſecundas nuptias ſuſpẽſus eſt: niſi conſuetudo excuſet, & ad ſedem apoſtolicam eſt mittendus. Dico, ſuſpẽſus primò per hominem, non quod iure ipſius ſit ſuſpenſus. Habent & ſecundæ nuptiæ ait Rich. q. iij. vbi ſupra, rationem ſacramenti quantum ad omnia quę ſunt de eſſentia & neceſsitate ſacramenti, aliqua tamen accidẽtalia deſunt, ſcilicet, perfectio ſignificationis. Sũt & nuptię ſpirituales, ſcilicet, cõiunctio Chriſti cũ eccleſia, quæ hic in via inchoantur, & in patria conſummantur. Vel inchoatæ, quando vniuit naturã humanam cũ diuina in vtero virginali in opere incarnationis. Sunt & nuptiæ Chriſti ad hominem, quæ inchoantur per fidẽ & baptiſma, ratificantur per charitatem, cõſummatur per gloriã. De hoc legere potes plura apud Gab. ſer. j. dominicę. xx. & Gerſ. parte. j. ſer. facto Conſtantię, in die S. Antonij. Et parte. iij. ponit plura genera ſpiritualiũ nuptiarũ, tract. de Canticorũ originali ratione, & tract. iij. de cãticis & ſolario. Tomo. ij. Et Iaco. de Valen. Pſal. 44. ait: Tres nuptiæ leguntur in ſcriptura, quas pater fecit filio ſuo. Primò fuerunt nuptiæ incarnationis, in quibus verbum vniuit ſibi hominem in vnitatem ſuppoſiti, De quibus Ioann. 1. dicitur; Verbum caro

factum eſt, & Mat.22. Simile eſt regnum cœlorum homini regi qui fecit nuptias filio ſuo, &c. Secundę fuerunt nuptiæ recōciliarionis: in quibus Chriſtus vniuit ſibi totam eccleſiam in vnitate myſtica. Tertiæ nuptiæ fuerunt glorificationis: quæ factæ ſunt in die reſurrectionis, vbi Chriſtus recuperauit corpus glorioſum. Quæ perficientur nobis in die reſurrectionis: vbi nos reſurgemus induti ſtola gloriæ, de quibus Apoſt.2. Gaudete & exultate, quoniam venerunt nuptiæ agni: & ſponſa ornauit ſe, de hoc latius ſcribit Iaco. Valen.

Nutritio eſt duplex, ſecundum dominum Cardinalem Cameracen. quęſt. vj. art. iij. in fine, libro iiij. Vna propriè dicta, quæ eſt per conuerſionē alimēti in rem alendam, ita quod ex illa fiat reſtauratio rei deperditæ: ſic capiendo ſpecies ſacramentales non nutriunt. Alio modo vocatur nutritio quęcumque reductio membrorum animalis ad ſtatum priorem ſecundum qualitates, & ſic poteſt homo nutriri ex hoſtiis conſecratis, quia talis hoſtia habet actionem naturalem in membra hominis, qualē haberet non conſecrata: ideo ſimili modo poteſt reducere complexionem lapſam ad ſtatum naturalem, ſaltem ſecundum qualitates, qualiter quęcūque alia non conſecrata, licet nō poſſit conuerti in materia membri animalis. Hæc Aliacenſis. Et differunt nutritio & refectio, vt ſcribit Brulefer di. xij. quęſt. vj. lib. iiij. Refectio enim alimenti ſumptio eſt ad replendum loca euacuata per digeſtionem. Nutritio inſequitur refectionem, quia eſt alimenti in alium conuerſio per virtutem digeſtiuam.

De litera O.

O *eſt interiectio* affectum ſignificans. Nulla autem pars orationis efficatior eſt ad mouendos affectus quàm interiectio, tradente Hugone, & experientia teſte. vt & ſcribit Gerſon parte. iij. ſuper Canticum canticorum ſin pſalmate. x. Vnde de qualibet petitione orationis dominicæ cum ſuſpiratione interiectiua dici ſolet à quibuſdā vt *O Pater*, *O noſter*, *O qui es in cœlis*. De quo vide Gerſ. ibi.

Obduratio poteſt capi dupliciter, ſicut communiter dicunt doctores, & ſcribit dominus Cardinalus Gameracēſis quęſt. xij. articulo. ij. lib. j. Vno modo pro ipſa reprobatione. Alio modo pro obſtinatione mentis in peccato, & ſic non eſt reprobatio, ſed potius ſequela eius: quia ille cui Deus non vult miſereri, & gratiam conferre, à peccato non conſurgit. Similiter conſtat quod iuſtificatio non eſt prędeſtinatio, ſed prędeſtinationis effectus. Et Aug. lxxxiij. quæſt. lxviij. accipit obdurationem, ſecundo modo, cum ait: Prorſus, cuius vult miſeretur: & quē vult indurat. ſicut patet per exemplum Pharaonis, quod ibidem introducit. Et Magiſt. diſt. xlj. lib. j. Si meritum quęrimus obdurationis & miſericordiæ: obdurationis inueniemus, miſericordiæ non inuenimus. accipit ibi Magiſter obdurationem primo modo ſcilicet pro æterna reprobatione, ſed pro temporali obſtinatione cordis: cuius meritū eſt frequenter pręcedens peccatum, ſicut patet in Pharaone: quia ſicut dicit Auguſtinus, vbi ſupra. Propter crudelitatē quā exercuit in eis quibus miſericordia & humanitas debebatur, meruit pęnam, vt induraretur ei cor. Et obduratio ſecundum ſanct. Bona. diſt. xl. art. iij. qu. j. lib. j. Et concordat Richardus, eadem diſtinctione, in ſpiritibus eſt tranſlatiuè dicta, ab obduratione in corporibus. In corporibus autem duritiam ſequitur triplex proprietas, quamuis inſit corpori per eandem naturā, nō ſic ſpiritui. Durum enim eſt quod eſt inabile ad ſuſcipiendum, eſt ſtabile ad permanendū, & iterum forte ad rebellandum, ſiue reſiſtendum. Et vt dicitur 4. Metheo. Durum in corporibus eſt, quod non cedit tactui. Secundū hunc triplicem modum, cor obdurari dicitur tripliciter. Primo modo dicitur cor obdurari, ex hoc quod eſt inabile ad impreſſionem gratiæ ſuſcipiendam. Vel cor humanum dicitur obduratum, quando non cedit tactui diuinæ inſpirationis, & pręceptis diuinis rebellat. Et de tali ſcribitur Eccle.3. Cor durum malè habebit in nouiſſimo: Et qui amat periculū, peribit in illo. Et hoc modo (inquit Bonauētura) ſonat in paſſionem, & eſt pęna conſequens culpam. Secundo modo dicitur cor obduratum, quod eſt in peccato ſtabilitum, quod eſt multū compactum ad amorem peccati, & hoc modo obduratio eſt peccatum cum diſpoſitione, ſiue diſpoſitio peccati pręcedentis. Tertio modo dicitur cor obduratum cor rebelle, quod vult Deum & eius mandata & gratiam impugnare, & hoc modo eſt ſpeciale peccati genus, ſcilicet peccatum in ſpiritumſanctū. Et ſecundum Aug. lib. de prędeſtinatione ſanctorum, & etiam refert Guil. Scoti imitator in primo di. xlj. Obdurari, eſt obuiare Dei mandatis, & reſiſtere diuinæ inſpirationi ex voluntatis malitia. Et ſecundum illū triplicem modum diuerſæ auctoritates procedunt de obduratione quæ videntur ſibi obuiare, ſed diuerſis viis procedunt ſecundum membra prædictæ diſtinctionis. Concedendum ergo eſt quod obduratio vno modo eſt pœna, concedendum nihilominus quod aliis modis eſt culpa ſiue diſpoſitio culpę. Et obduratio inquantum eſt pœna, vt ait S. Bonauen. q. ij. vbi ſupra. dicit animæ ineptitudinem, & ita dicit defectionem pœnalem, & pœna omnis inquantū talis eſt iuſta & ordinata. Vide latiùs ibi. cauſa autem obdurationis, vt ſcribit Gerſon parte ij. de cordis induratione, eſt voluntas auertens, & hæc initiat: voluntas reſiſtens, & hęc continuat: culpa promerens, & hęc confirmat: Deus gratiam non dans, & hæc non liberat: Deus iuſtè puniens, & hęc ordinat.

Obedientia eſt voluntatis propriæ ſubiectio, ſecundum Ioan. Damaſ. libr. iij. c. iiij. Et obedientia hominis ad Deum ſecundum S. Anſelmum, eſt affectio voluntatis coniunctæ Deo. Obedientia hominis ad hominem, eſt debita reuerentia minoris ad maiorem. Obedire, idem quod parere, ex ob & audio componitur. Aliquem autem teneri ad obedientiam alterius poteſt intelligi dupliciter, vt notat Thom. de Argen. di. xxix. li. iiij. ſenten. Vno modo de neceſſitate. Alio modo de congruitate. Vnde in talibus quæ ſpectāt ad regimen & gubernationem domus & familiæ, filiusfamiliàs tenetur de neceſſitate patri obedire, tamen in his quæ ſpectāt ad indiſſolubilem filij obligationē, ſicut fit in matrimonio, filius non tenetur de neceſſitate obedire patri, quamuis hoc deceat de cōgruitate. Vnde cùm Apo

ſtolus

ſtolus dicit ad Coloſ.3. Filij obedite patribus veſtris per omnia, hoc eſt enim placitum Deo. Ibi per omnia non intendit Apoſtolus facere diſtributionem ſimpliciter generalem, ſed accommodam, quàtum ad ea quæ ſpectant ad regendam familiam, & regimen ipſius domus. Iunior quoque debet obedi re ſenioribus in omnibus quę nõ ſunt cõtra Deum. Obediendum quoque etiam indocto & ſimplici prælato. De quo legito Gerſonem parte ij. in quæſtionibus, cum ſuis reſponſionibus, & tract. de pręparatione ad miſſam, & pollutione nocturnæ. Sæpè enim tanto erit obedientia tua placentior Deo, ubique fructuoſior, quãto eſt indignior ille cui propter Deum ſubiici non refugis. Multa alia de obedientia ſcribit Gerſon. Nec autẽ eſt obediendum ſuperiori, vel principi cõtra Deum, vt ſcribit Gerſon, parte ij. dialogo duorũ militum Franci & Angli. Creatori enim vel Deo eſt magis obediendum. Vnde Petrus de Palud. di. ij. ar. iij. concluſione ij. li. iiij. Deo tenetur homo in omnibus & per omnia obedire, non ſolùm in indifferẽtibus, ſed in his quæ de ſe videntur mala: ſicut occiſio innocentum, vel fornicatio, &c. Et obedientia erga Deum in duobus conſiſtit: vt dicit Gerſon parte iiij. ſer. dominicæ in ramis Palmarum. In innocentia, & pœnitentia. Innocentia eſt ſibi cauere à peccato, pœnitentia delet peccatum quod iam eſt perpetratum, &c. Multa aliàs de obedientia dicuntur. Et Anto. parte. iiij. titu. v. c. xj. & diffinitur ſic ſecundũ Guil. vt ibi recitat Anto. Obedientia eſt obtemperantia ſecundum regulam ſacræ ſcripturæ maioribus quibuſcunque debita. Vel ſic. Obedientia eſt ſpontanea & rationalis propriæ voluntatis abnegatio. De excellẽtia dicit Greg. viij. q. j. Sciendum quod obedientia ſola fidei meritum poſſidet, ſine qua quiſq; infidelis eſſe conuincitur, etiam ſi fidem videtur tenere. Et ſecundum S. Thom. ſecunda ſecundæ. qu. cx. Obedientia eſt excellentiſſima virtutum moralium: ſed theologicæ ea excellentiores ſunt. Multa de hac virtute Anton. vbi ſupra. & alij.

Obex idem quod repagulum, vel dicitur cuiuſcunque rei obiectio vel obſtaculum. Vnde obex gratiæ quandoque dicitur peccatum mortale quàtum ad reatum. Quandoque dicitur peccatum mortale quantum ad actum interiorem & exteriorem, qui eſt conſenſus & complacentia peccati. Primum remouere non poteſt homo: quia peccatum quo ad reatum non remouetur niſi per peccati remiſſionem, quod ſolius Dei eſt: qui tamen paratus eſt remittere facienti quod in ſe eſt. Obicẽ ſecundo modo dictum poteſt remouere peccator: quia poteſt ceſſare à conſenſu & actu peccandi, imò odire peccatum, & velle non peccare. Gabr. diſt. xxvij. qu. vnica, ar. iij. dub. iiij. lib. ij. Et vt idem ait ar. ij. concluſione iiij. vbi ſupra. Anima obicis remotione ac bono motu in Deũ ex arbitrij libertate elicito primam gratiam mereri poteſt de congruo, quoniam actum facientis quod in ſe eſt, Deus acceptat ad tribuendam gratiam primam, non ex debito iuſtitiæ, ſed ex ſua liberalitate, &c. Et obex (vt ſcribit S. Bonauen. di. xij. parte. ij. q. j. lib. iiij. in ſolu. argu.) non tantum eſt peccatum, verum etiam ſolicitudo & diſtractio. Quare autem ſacramentum Euchariſtiæ non habet efficaciã in recipiente, triplex eſt obex, vt ſcribit Bruleſer di. xij. q. x. lib. iiij. Primus obex, eſt peccatum mortale, in quo committitur offenſa mortalis. Secũdus obex, eſt omiſſio debitæ præparationis. Tertius obex, eſt ſolicitudo vel diſtractio nimia circa exteriora. Videatur ad hoc Gab. ſer. j. de Euchariſtiæ ſacramento, quod ad dignam eius ſuſceptionem requiritur obicis remotio, id eſt peccati mortalis amotio, &c.

Obiectum & obiectus eſt oppoſitio cuiuſcunq; rei ac etiam verborum, ita & obex, hoc eſt, obiectio cuiuſcunque rei. Philoſophi obiectũ vocant quicquid cerni poteſt, hoc eſt, quicquid oculis obiicitur. Vel ſic, Obiectum non eſt materia ex qua, ſed eſt materia circa quam. Et obiectum habet rationem formæ inquantum dat ſpeciem, ſecundum S. Thom. prima ſecundæ, qu. xviij. art. ij. ab obiicio, quod eſt oppono. Et obiectũ ſecundũ Guilh. Scot. in primo. di. xxxv. dicitur quod ſe obiicit ſeu præſentat potentiæ operãri: puta, color dicitur obiectũ viſus: & ſonus obiectũ auditus. Itẽ ens vel verũ eſt obiectum intellectus noſtri. Et Gerſon tract. v. ſu per Magnificat, ait. Quidam dicũt quod obiectum intellectus naturaliter & pro ſtatu præſenti eſt quidditas rerum naturalium habita per abſtractionem intelligẽtię, vel intellectus agentis ex phantaſmatibus. & parte iiij. in Centilogio de cauſa finali, dicit ens eſſe obiectũ intellectus & volũtatis, &c. Et eſſentia diuina (vt ait Gabriel vbi ſupr.) eſt obiectum intellectus Dei. Obiectum (vt dicit Gabr. di. xxxiij. q. vnica. ar. j. lib. iij.) eſt circa quod operatio verſatur, ſicut artifex circa materiam. Et obiectum quod eſt ad finem, duplex eſt. Aut eſt veritas practica cognoſcendi. Aut eſt materia circa quam ſunt aliqua operanda: vt ibidem dicit Gab. Et obiectum eſſe (vt inquit Petrus Paludenſis. di. xlix. q. v. li. iiij.) eſt in quod fertur quocunque modo potentia. Potentia autem (dicit Gabr.) eſt vis animæ eliciẽs actũ ſeu operationẽ. Omnis autẽ operatio animæ rationalis verſatur circa finem tanquam circa obiectum immediatè, vel circa medium ad finem. Et propter hoc virtus diuiditur in moralem & theologicam immediatè.

Obiectum quoddam eſt primum primitate originis vel generationis, quoddam primum primitate adæquationis, quoddam primum primitate perfectionis, vt notat Gabr. di. iij. qu. j. libr. j. poſt Occam, & di. xxxvj. q. iij. libr. j. Obiectum primum primitate originis, vel generationis, eſt quod terminat actum intellectus. Obiectum primum primitate adæquationis eſt, quod prædicatur de omnibus à potentia apprehenſibilibus, quodque eſt communiſſimum inter omnia alia apprehenſibilia, ab illa potentia ſiue quodlibet ſub eo contentum ſit apprehenſibile ſub propria ratione, & in particulari ſiue non. Vel quod prædicatur de omnibus per ſe cognoſcibilibus à tali potentia, quo modo hoc commune coloratum, vel lucidum, dicitur eſſe obiectum primum viſus, non quidem quod hoc commune ſit viſibile, ſed quia de omni viſibili prædicatur. Obiectum verò primum primitate perfectionis eſt perfectiſſimum apprehenſibile à potentia. Et ſecũdum eundem Gabr. vbi ſupra poſt Occam: Deus non eſt obiectum primum primitate generationis pro

ſtatu

ſtatu iſto. Nam ipſe Deus non cognoſcitur à nobis pro ſtatu iſto, nec cognitione intuitiua, nec abſtractiua, nec Deus eſt obiectum intellectus noſtri primitate adæquationis, quia non de omnibus intelligibilibus prædicatur. Sed Deus eſt obiectum primum intellectus noſtri primitate perfectionis, quia Deus eſt ens perfectiſſimum, & cùm ſit aliquo modo à nobis cognoſcibilis. Item Deus eſt principium noſtræ cognitionis tanquam cauſa efficiens, & non vt obiectum cognitum. Vide latiùs Gabr. vbi ſupra. Et ſecundum eundem di. xvij. q. j. li. j. obiectum eſt terminus ampliatiuus ad quinque tempora. Vnde non ſequitur a eſt obiectum, ergo a eſt in fine quæſtionis dub. vlt.

Obiectum volitionis eſt illud quod volũtas vult ipſa volitione, ſicut obiectũ intellectionis, eſt quod intellectus intelligit ipſa intellectione: vt inquit Gabr. di. xlj. q. vnica, l. ij. ar. ij. cõcluſione. iiij. Vnde (vt idem ait) Si volũtas volẽs aliquid cũ certis circunſtãtiis, vult etiã illas circunſtantias, vt volens aliquid propter Deum: quia ſic dictatum eſt, & in tali loco & tempore, vult etiam Deum, rationes, tempus, & locum: & omnia illa ſimul vna volitione, ergo ſingula ſunt partialia obiecta, quamuis vnum ſit principalius alio.

Obiectum fidei eſt veritas credita: ſicut obiectum ſcientiæ eſt veritas ſcita: & tot ſunt obiecta, quot credibilia, licet inter illa vnum poſſet dici primum obiectum, quod eſt quaſi principium ex quo alia inferuntur. Quale eſt hoc complexum. Omne reuelatum à Deo eſt verum in ſenſu quo eſt reuelatum, vt Deum eſſe trinum: & vnum eſt reuelatum à Deo: ergo verum. Vide latiùs Gab. di. xxiiij. q. vnica, ar. j. notabi. j. lib. iij. Et S. Bonauen. eadem di. q. ij. Et cognitio obiecti theologici (vt idem ait Gabr. q. xxvj. ar. iij. dub. ij. lib. iij.) eſt per actum fidei. De obiecto charitatis, vide in dictione *diligere*, & de obiecto ſpei in dictione *ſpes*.

Obiurgatio idem eſt quod reprehenſio. Obiurgationem benignam dicit Paulus Corteſ. lib. iij. ſuarum ſententiarum di. vij. in fin. eſſe ægrotationis medicinam. Nam & Abſinthium ſtomacho interdum datum, & mel quoque vulneribus interdum adiectum, obeſt. Quod caſtigationis genus cum ex charitate dimanet latiſſimè patere volumus. Nam homines & maiores & minores gentium obiurgandi ſunt: idque etiam quandoque facinoroſis nephariiſque hominibus licere dicimus, modò id clementiori obiurgatione fiat, nec verendum ſit, vt medendo bilis excitetur. Itaque indeſinenti modo ſuaues caſtigationes tanquam bellaria ex ſaccaro appinnantur, vt ori ſuauitas reſideat. Hæc Corteſius: De fraterna verò correctione vide ſupra in dictione, *Correctio fraterna*.

Oblatio eſt omne quod exhibetur in cultu Dei. Sacrificium verò ſi inde fiet aliquod ſacrum conſumendum, ſecundum B. Thom. ij. ij. q. lxxxv. ar. iij.

Oblatio (vt ſcribit Brulef. di. j. parte ij. qu. iij. libr. iiij.) capitur tripliciter. Vno modo communiſſimè, ſcilicet pro omni illo quod Deo iuſtè offertur cũ deuotione, ſiue actu interiori, ſiue exteriori. Secũdo modo cõmuniter, ſcilicet prout diſtinguitur cõtra decimã & primitiuã: & ſic quodcunq; offerebatur Deo

præter decimã & primitias, dicebatur oblatio. Tertio modo capitur oblatio ſtrictè, & ſic diſtinguitur contra ſacrificium & holocauſtum. Et ſic capiebat Pſal. Acceptabis ſacrificium iuſtitiæ & oblationes & holocauſta, & ſic fiebat in rebus inanimatis, vtputa in liquidis. Vide & de hoc in dictione *Sacrificium*.

Obligari (vt ſcribit Petrus de Aliaco in principio in primum ſententiarum) eſt teneri ad aliqualiter eſſe vel non eſſe, ſiue ad aliquam diſpoſitionem habendam, vel aliqua diſpoſitione carendam. Sed teneri eſt haberi à ſuo ſuperiori prohibitionem vel præceptum de aliquo exiſtente in inferioris libera poteſtate. Et vt ſcribit S. Bonauen. di. xxx. q. iij. libr. iij. quinque modis obligatur aliquis ad aliud. Primum genus obligationis eſt propter mandatũ diuinum. Secundum eſt propter votum emiſſum. Tertium eſt propter officium ſuſceptũ. Quartum eſt propter vitandum ſcandalum. Quintũ eſt propter conſcientiæ iudicium.

Obligatio eſt duplex, ſcilicet abſoluta & conditionalis (vt ſcribit Brulefer di. xxxviij. q. ij. li. iij.) Obligatio abſoluta qua quis ſimpliciter ad aliquid faciendum obligatur, ita quod ſi illud non facit, incurrit omiſſionis reatum. Obligatio verò conditionalis eſt qua quis obligatur ad aliquid faciendum, ſi vult peruenire ad præmium, & hæc obligatio in eo qui omittit, non inducit omiſſionis peccatum, ſed ponit implicitè conditionis defectum. Si loquamur de obligatione conditionali, mandata decalogi obligant ad opera formata. Si quis enim vult ad vitam ingredi, neceſſe eſt ex charitate ſeruare mandata, quæ quidem charitas eſt meriti principium. Si autem loquamur de obligatione abſoluta, tunc diſtinguendum eſt in ipſis mandatis, quia dupliciter conuenit de eis loqui: aut de eis in vnũ collectis, prout habent reduci ad mandata duo charitatis, aut de quolibet per ſe ſingulatim. Si primum, cùm igitur contineatur regula iuſtitiæ ſecundum ordinem ad Deum & ad proximum, per quam excluditur omne peccatum, ſic concedi poteſt quod obligant ad aliquod opus formatum, vel in ſe habet vnde exire poſſit in illud, vel in diſpoſitione ſi non habet vnde poſſit in illud exire, vel in diſpoſitione ſiue per præparationem ad illud. Tenetur enim homo ſic mandata decalogi implere, vt per ipſorum impletionem præparet locum ipſi gratiæ, qua obtenta exeat, cùm locus & tempus eſt in opera meritoria, ad implenda duo charitatis mandata. Si loquamur de quolibet ſingulatim & per ſe, ſic accipiẽdo propriè opus formatum, hoc eſt opus meritorium. Et loquendo de obligatione abſoluta, mandata decalogi non obligant ad opera formata. Et vt ſcribit Gerſon parte ij. in regulis moralibus, non eſt ſeruitus ſed libertas parere legibus, quin obligatio per votum aut præceptum (cæteris paribus) auget virtutis & meriti rationem. vtrobique enim additur circunſtantia bona in voto latriæ, in præcepto obedientiæ. Et vt ibidem dicit, ſubditi obligãtur obedire ſuperioribus, in his dũtaxat reſpectu quorum ſunt ſuperiores, & dum regulas ſuæ damnationis non excedunt. Nullus quoque actus (vt ibidem dicit) debet ab homine prohiberi ſub pœna peccati

mor-

mortalis alicui inuito, etiam ſubdito, niſi ad illum tani ſit obligatus per legem diuinam explicitè vel implicitè, virtualiter vel in forma. Nam ſolus Deus eſt qui habet imperium æternę vitæ & mortis. Vide latius ibi Gerſon. de obligatione. Itē nos obligamur Deo ad gratitudinem & gratiarum actionem, ex eo quod non punit noſtra peccata venialia pœna æterna, quantū ſibi obligamur de remiſſione peccatorum mortalium, quia commutat pœnam æternam in temporalem. Brulef. di. v. q. j. li. ij.

Obligari ad impoſſibile. Vnde creaturam rationalem obligari ad impoſſibile dupliciter poteſt intelligi (vt ſcribit Petrus de Aliaco. q. xiiij. ar. iij. lib. j.) Vno modo propriè, ſcilicet quod obligatur ad faciendum impoſſibile. Alio modo impropriè, ſcilicet quod obligatur ad volendum impoſſibile. Secūdus modus multum differt à primo, quia primum non eſt in poteſtate creaturæ, ſed ſecundum multos eſt in libera poteſtate voluntatis creatæ. Nam ſecundū Ariſto. volūtas eſt impoſſibilium. Item eā obligari ad impoſſibile poteſt intelligi dupliciter, ſcilicet vel ad impoſſibile ſimpliciter vel impoſſibile ſibi. Et eā obligari ad impoſſibile ſibi poteſt intelligi dupliciter. Vno modo quod obligatur ad aliqualiter eſſe vel nō eſſe, qualiter eſſe vel nō eſſe per nullā potentiā poteſt ſibi cōuenire. Alio modo quod ad aliquid obligatur quod nō eſt in ſua poteſtate, ſic quod per ſuā potentiā actiuā poſſit ſibi cōuenire. Et creatura rationalis nō poteſt obligari ad impoſſibile. Primo modo, ſcilicet ad faciendum impoſſibile, ſiue ad aliqualiter eſſe vel non eſſe, qualiter eſſe vel nō eſſe eſt ſimpliciter impoſſibile. Voluntas etiam diuina nō poteſt ſic obligare. Et nihil poteſt creaturā rationalē obligare, Deo nō obligāte, iuxta illud Apoſtol. Rom. 13. Nō eſt poteſtas niſi à Deo. Et Hiero. Quicunq; dicit Deū præcipere aliquod impoſſibile, anathema ſit. Et illud Augu. Deus ſeruū pigrum non damnaret, ſi ea quæ fieri nullo modo poterant imperaret: talis quoque obligatio nō poteſt eſſe rationabilis. Sed creatura poteſt obligari ad impoſſibile ſecundo modo, ſcilicet ad volendū impoſſibile. Ad hoc enim nō apparet ſequi aliqua contradictio, imò aliqui cōcedunt, quod de facto peccator illo modo obligatur ad impoſſibile, ſcilicet ad volendum peccatum ſuum præteritum non fuiſſe quod ſecundū articulū Pariſien. eſt impoſſibile. Creatura quoq; rationalis (vt idē ſcribit Aliacen.) nō poteſt obligari ad ſibi impoſſibile. Primo modo, id eſt ad aliqualiter eſſe, &c. Vt verbi gratia ad eſſe lapidē. Et ex hoc patet falſitas opinionis illius, quæ dicit, quod peccās mortaliter obligatur ad pœnas incompoſſibiles, quia demeretur puniri æternaliter, & annihilari ſimpliciter. Poteſt autē creatura rationalis obligari ad ſibi impoſſibile ſecundo modo. Patet, quia quælibet rationalis creatura tenetur habere gratiā, & quilibet viator fidē infuſam, & tamē hoc non eſt in creaturæ poteſtate actiua. Hæc Dominus Cardinalis vbi ſupra. Et vt ſcribit Iacobus de Valen. Pſal. 118. ad tria nobis impoſſibilia impedita per peccatum ſumus obligati. Primo ad credēdum quæ non videmus, nec poſſumus naturali ratione cōprehendere. Secundo ad agendū & operandum quod nō poſſumus facere. Itē ad ſperandū quæ nō tenemus, nec ex noſtris viribus poſſumus acquirere ſine gratia Dei, & ideo manifeſtè patet quod virtutes theologicales collatę ſunt nobis in ſupplementū iuſtitiæ originalis & præmiorū eius. Nā illę virtutes iuſtificāt nos in ſupplementū illius originalis iuſtitiæ. Nō ergo miretur Pelagius, & quicunque alius ſi obligamur ad ea quę ſunt nobis impoſſibilia, poſtquā impedimētū fuit à primis parētibus nobis perpetratū, nec hoc eſt cōueniens. Vnde idē dicit quod licèt abſq; gratia Chriſti, nemo poſſit implere diuina præcepta, &c. nec vitare peccatū, tamē omnes obligamur ad ſeruandū diuina præcepta, & vitare peccatū, & agere opera miſericordiæ, nec eſt incōueniens quod quis obligetur ad ſibi impoſſibile in caſu, &c. An autē aliquis poſſit obligare ad mortale, reſpondet ad hoc Brulef. di. v. qu. j. libr. ij. Quod nullus hominū nec ſummus pōtifex & generaliter omnes homines poteſt obligare ad peccatū mortale. Itē nullus legiſlator ſicut princeps ſecularis vel eccleſiaſticus Prælatus poteſt obligare aliquē ad exercendum actum aliquē ſub aliqua pœna, quam ipſe nō poteſt infligere, & nullus poteſt infligere pœnam peccati mortalis. Vnde ſi rex mihi præciperet quod irem Pariſios ſub pœna deſtructionis vel interfectionis animæ meæ, illud præceptū nihil valeret. Nullus enim poteſt infligere pœnā æternā niſi ſolus Deus, quia pœna peccati mortalis, eſt pœna æterna. Eccleſia verò ſi innititur ſpiritui ſancto, etiam ſummus pōtifex, vel aliquis pręlatus inquantū innititur ſpiritui ſancto poteſt obligare ad peccatū mortale, & ideo eſt quod Eccleſia ieiuniū quadrageſimale obligat. Alia perſuaſio quod ſicut ſolus Deus dat vitam æternā & gratiā, ſic ſolus Deus dat auctoritatē obligandi & infligēdi pœnam æternam. ſolus claudit & nemo aperit: aperit, & nemo claudit. Hæc Brulef.

Obliquum vnde obliquitas. Et obliquitas voluntatis creatæ ſiue culpa eſt ſtatus voluntatis creatæ difformis obligationi voluntatis diuinæ. Et iſte ſtatus difformis nihil eſt niſi voluntatē creatam aliqualiter eſſe, qualiter tenetur nō eſſe, vel ipſam aliqualiter non eſſe qualiter tenetur eſſe. Primū pertinet ad peccatū cōmiſſionis. Secundū verò ad peccatū omiſſionis. vt ſcribit Dominus Cardina. Camera. qu. xiiij. ar. ij. li. j.

Obliuio (ſecundū Rich. di. vij. ar. iij. q. j. l. j. & cōcordat in ſententia S. Bona.) fit dupliciter. Vno modo ſic, q̄ delētur ſpecies de memoria, & ſic amittit quis aliqua quæ antè in ſua memoria retinebat habitualiter: iſto modo nō cadit obliuio in dęmonib⁹, quia in eis nulla eſt deletio ſpeciei, quādo potentia memoratiua in angelis & dæmonibus eſt incorruptibilis, & etiā quia ſpecies ſunt eis innatę vel concreatæ. Alio modo fit obliuio ſic quod ipſa intelligentia nō cōuertitur actione ſua ſuper ea, quę in memoria retinētur, vt deberet cōuerti recordādo. Et iſto modo in dæmonibus cadit obliuio maxima, quia cū totaliter ſunt cōuerſi ad mala per obſtinationē, adeo ſunt deformati totaliter, quod in intelligētia eſt deceptio, in volūtate obliquatio. Et in memoria inhabiles ſunt facti ad reminiſcendum multa bona quæ fecit Deus eis, & ſalutis ſuæ obliti nolūt omnino recordari actualiter, licèt poſſent ex innatis ſpeciebus ſi vellent, ſed ex odio Dei nolūt huiuſmodi recolere. Latius colligit & ſcribit de hoc Pelbartus. libr. ij.

libr.ij. Roſarij Theol.in dictione *dæmones*. ꝟ.lij. Et obliuio eſt præteritorum aut futurorum laborum per laudem compoſitorum aut componendorum voluptaria & voluntaria ac grata iucundaque prætermiſſio, omniumque honeſtatum rerum ignauior perditaque negligentia. Hinc obliuioſus qui facilè obliuiſcitur. Obliuio autem peccatorum eſt noxia confitenti: vt ſcribit Gerſon parte ij.de modo confeſſionis, quia non delentur virtute confeſſionis ſacramentalis: ac perinde virtus clauium quæ remittit magnam partem pœnarum debitarum ad huiuſmodi peccatorum deletionem non ſic efficaciter applicatur, prout fit circa peccata quæ ſacramentaliter & expreſſe ſunt confeſſa, & homo tenetur illa confiteri dum redeunt ad memoriam, ſed ſi non redeunt, nihilominus homo ſaluabitur ſi fecerit ſufficientem diligentiam recordandi, cũ Deus non obliget ad impoſſibile. Eſt igitur additio fruſtra quum dicitur in abſolutione de oblitis & contritis. Hæc Gerſon.

Oblocutio eſt occulta detractio ſecundum B.Thom. ſuper Pſalm.43. & differt ab exprobratione, quod hæc eſt ingeſtio improperij in facie oblocutio, vt dictum eſt.

Obſeruantia eſt per quam homines aliqua dignitate antecedentes cultu quodam & honore deſignantur ſecundum Ciceronem in Retho. Huius cõtrarium eſt deſpicientia inobſeruantiaque cum quadam animi auerſione. Obſeruantia eſt ſub pietate, ſicut pietas eſt ſub religione. Et eſt virtus ſpecialis, per quam honorantur perſonæ in dignitate conſtitutæ ex B.Thom. ſecunda ſecundæ, q.lxxx. Vide & de hoc Antonium parte iiij.tract.v. cap.x. ſuæ ſummæ.

Obſcurum à quo obſcuritas. Et dicitur à cura: quod ea quæ lumine carent, curam nobis obiiciant. Eſtque propriè obſcurum, quod eſt ſine lumine per metaphoram interdum pro ignobili ponitur, interdum pro tecto latenti & abſcondito. Vnde obſcuram orationem dicimus, vel obſcurum ſermonem, quod ænigma dicitur. Eſt enim ænigma quæſtio verborum obſcuritate inuoluta, ſecundum B.Thom.ij. ſenten.diſt.xxiij. qu. ij.artic.j.

Obſeſſio dæmonis dicit intimam & ſubſtantialẽ pœnitentiam dæmonis corpori humano. Præſentia intima dicit præſentiam indiſtantem & penetratiuam, ſubſtantialem tamen. An autem dicat operationem eius in corpore ipſum conturbando, impediendo & affligendo, dubium eſt. Conſiſtit autem in acceptione termini. Siquidẽ intima dæmonis pœnitentia cognoſci nõ poteſt ab homine, niſi per aliqua eius opera in corpore (vt ſcribit Gabr. di.viij.q.ij.lib.ij.vt ibidem notat ex Bona. quemadmodum dæmones per naturæ ſuæ ſubtilitatẽ & ſpiritualitatem poſſunt naturaliter quæcũque corpora penetrare, & in eis ſine aliquo obſtaculo impedimenti ſubſiſtere, etiã ratione ſuæ naturalis potentiæ corpora, in quibus ſunt, poſſunt commouere, & turbare, vexare ac affligere, & naturales operationes talis hominis impedire, niſi prohibeatur à ſuperiori virtute. Sed quare Deus permittit, hoc latet humanam induſtriam, quia iudicia Dei occulta. Certum autem quod non permittit iniuſtè, nec ſine cauſa. Vel permittit Deus huiuſmodi fieri ſiue ad gloriæ ſuæ oſtenſionẽ in poteſtatiua eorum eiectione, ſiue ad peccati punitionem, ſiue ad peccantis correctionem, ſiue ad noſtram eruditionem. Videre potes & Gerſonem parte j. ſerm. de Angelis, &c.

Obſtinatio eſt quædam pertinacia. Eſtque pertinax imprudenter tenax, quaſi omnino tenax, ſecũdum Iſid.li.Etymo. Et differunt pertinax & perſeuerãs & obſtinatus, quia perſeuerans eſt quantum oportet, pertinax verò plus quàm oportet, obſtinatus eſt ille qui perſiſtit in ratione peruerſa, abſtinens à bonis: ſicut continens propriè eſt qui perſiſtit in ratione recta à prauis concupiſcentiis abſtinens, ſecundum B.Thom.ij.ij. q.clv.ar.j.ab obſtino verbo, quod ſignificat obfirmo, venit obſtinatio, hoc eſt animi firmitas, & obſtinatus, obfirmatus. Et ſecundum Brulefer.di.vij.q.v.lib.ij. Obſtinatio vno modo capitur pro firma adhæſione in malo, quę eſt perſeuerantia continua perfecta, & firma in malo, quod obſtinatus elicuit. Alio modo pro impoſſibilitate reuertendi ad pœnitentiam fructuoſam. Et ſic deſcribitur. Eſt impoſſibilitas reuertendi ad dignum fructum pœnitentiæ, proueniens ex iuſtitia Dei punitiua, qui decreuit omnes damnatos nunquam ſibi reconciliari. Vnde paſſus iniuriam, nolẽs remittere peccãti amore Chriſti, vt ſcribit Iacobus de Valentia ſuper Pſal.50. magis æſtimat ſuam iniuriam & pluris pretij quàm ſit paſſio Chriſti, & ſic nunquam merebitur veniã de peccatis ſuis, dum manſerit in tali obſtinatione: quia non eſt ratio vt paſſio Chriſti valeat ſibi & non alteri ſecundum æſtimationem ſuam. Et obſtinatio vt eſt peccatum in ſpiritumſanctum, vt dicit S.Bonauen. eſt voluntas complacens ſibi in culpa perperranda, priorem culpam non deteſtans, ſed approbãs: & ita eſt actus procedens ex malicia reſpectu culpæ futurę. Gabr. di.xliij.q.vnica, dub.ij.in fine li.ij. Et differt ab impœnitentia, quod obſtinatio eſt reſpectu peccati futuri, impœnitentia reſpectu præteriti. De quo ſupra in litera I.videatur. Obſtinatio quandoque in bono accipitur, ſed rarò, vt aliàs ſcripſimus.

Obtrectare eſt contra alienam ſententiam tractare ſeu maledicere, & ob id obſiſtere, ſicuti eſt cùm alicuius dicta aut facta deprauantur, à quo obtrectator. Hiero.in præfatione Pente. Periculoſum opus certè obtrectatorum meorum latratibus patẽs. Ponit Iacobus de Valentia Pſal.50. tria genera obtrectatorum ſiue ęmulatorum, qui conſueuerunt impugnare pœnitentiam ſiue remiſſionem, & arguere & iudicare Deum, & murmurare contra eum in remiſſione peccatorum, ſicut eſt diabolus, & illi qui paſſi ſunt iniuriam, cùm vident viuere & etiam proſperari illos qui eis iniurias & damna intulerũt: illi murmurant, imò blaſphemant contra Deum, dicentes Deum eſſe iniuſtum, & acceptatorẽ perſonarum. Tertiò volunt Deum arguere & temerè iudicare. Et iugiter murmurat generatio peſſima hypocritarum, qui reputantes ſe iuſtos, aut volentes iuſti apparere, iugiter mordent, & rodunt publicè peccatores, & blaſphemant & murmurant contra Deum, dicentes: Quare Deus permittit eos, & talia ſce-

lia ſce-

quibus credendis nos illuminant: credibilia verò nobis & eis pro ſtatu viæ communia, ſicut trinitatem, & huiuſmodi, metuerunt ipſi videre ſicut & nos. Credibilia autem nobis propria ſicut articulos incarnationis vident per reuelationem: vnde de omnibus myſteriis gratiæ, de quibus nos illuminant ad fidem, habent ipſi gratuitam viſionem. Oculo autem corporali, mortali videri non poteſt Chriſtus in altari, ſecũdum quod eſt ibi, quia velatum eſt ſpeciebus opacis, vltra quas acies figi non poteſt. Nec etiam videtur oculo immortali beatæ Virginis. vide latiùs vbi ſupra. Sed quod aliquando apparuit in ſpecie pueri, vel carnis crudæ vel ſanguinis, dicit Paludenſis, quod illæ ſpecies carnis vel pueri apparentis, non ſunt propriè ſpecies Chriſti apparentis in propria effigie, plus quàm prius, quia tunc oporteret ipſum deſcendere de cœlo: & cùm illæ ſpecies aliquando diu fuerunt ſub claue reſeruatæ, tamdiu corpus Chriſti fuiſſet incarceratum, ſed ſunt ſpecies ſuperinductæ prioribus corruptis. vnde nec tunc videtur in propria ſpecie, quia nec ipſe eſt in forma pueri, vel carnis, vel ſanguinis, ſed totus integer, &c. ſub illis ſpeciebus eſt verum corpus Chriſti, non obſtante ratione aliquorum dicentium, quod non manet Sacramentum, quia ibi mutantur ſpecies ſenſibiles, quæ ſunt de ratione Sacramenti: ergo Chriſtus non manet ſub Sacramento. Rationem illorum ſoluit Paludenſis, vide eum: quamdiu enim manet quantitas ſemper eſt ibi corpus Chriſti, licèt qualitates mutentur: puta, quod ſpecies à fumo denigrantur vel ſpecies vini infrigidentur, aut calefiant aut rarefiant, &cæ. Et de ratione Sacramenti altaris eſt quantitas cum aliquo colore & figura, ſed accidit ei, quod ſit iſte color vel contrarius iſti, iſta figura vel alia. Vnde mutatio circa iſta dum tamen maneat quantitas, non mutat Sacramentum: tamdiu enim manet corpus Chriſti quamdiu ibi manſiſſet ſubſtantia panis. Iſtas autem ſpecies (inquit Paludenſis) non debet miniſter ſumere propter horrorem, & excuſatur à præcepto Eccleſiæ, quod celebrantes communicent, quia ad inſolitum non refertur, vel cõficiat in alia materia. Debet autem reſeruari in loco vbi eſt verũ corpus Chriſti, cùm ſit verũ corpus Chriſti. Hæc Paludeñ. Corpus itaq; Chriſti non videtur oculo corporali, neq; per ſe, neq; per accidens. Per ſe non, quia ſubſtantia nõ videtur. Nec per accidẽs, quia accidentia, quæ videntur, non ſubiectantur in corpore Chriſti: ideo per ea non videtur corpus Chriſti (vt inquit Gabriël.) Videtur autem ad hunc ſenſum, hoc eſt ſpecies videntur, ſub quibus verè & realiter continetur Chriſtus: licèt non per omnia ſicut contentum in continente locatur. De quo latiùs conſulito Gabriëlem lectione xlv. canon. Vnde iſtæ propoſitiones ſecundum Dominum Cardinalem Cameraceñ. quæſtion. v. libr. iiij. video corpus Chriſti vel tango, &c. non ſunt veræ niſi ad iſtum ſenſum: Video vel tango ſpecies ſub quibus eſt corpus Chriſti, &c.

Oculus eſt duplex, dexter & ſiniſter. Per ſiniſtrum quandoque intelligitur conſideratio minus principalis: per dextrum magis principalis: vt timor ſeruilis eſt donum Spiritus ſancti & bonus, quia timore pœnæ æternæ ambobus oculis declinat & facit bonum, tamen eſt minimus. Timor verò initialis eſt ille, qui reſpicit pœnam ſiniſtro oculo, ſed oculo dextro reſpicit offenſam, & iſte eſt melior præcedenti. Sed timor filialis eſt caſtus, & eſt qui oculo dextro reſpicit amorem Dei, ſed oculo ſiniſtro reſpicit offenſam, & iſte optimus eſt, & ſpeciale donum Dei. Brulefer diſtin. xxviij. quæſt. iiij. libr. ij.

Oculi animæ rationalis ſunt duo (vt ſcribit Gerſon part. iij. de myſtica Theologia, conſideratione vj.) vnus ſpectans ad cognitiuam potentiam, alter ad affectiuam. Ille ſecundus propriè dicitur oculus amoris vel oculus ſponſæ, de quo in eiuſdem Canticis: Vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum. Et conſideratione xj. dicit: Reducuntur quinque ſenſus ad duos oculos, qui ſunt intellectus & voluntas cognitionis & amoris. Viſus enim & auditus per appropriationem magis ſpectant ad intelligentiam, cæteri tres ad affectum vel amorem.

Oculus ſimplex eſt oculus rectus: de quo veritas. Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum (ſupple operationum tuarum, inquit Gerſon tractatu xij. ſuper cantico beatiſsimæ Virginis) erit lucidum & rectum. Ratio, quia & finis præſtituetur bonus, & ad finem ordo rectus, non diſtortus per ineptitudinem aut vitium, &c.

Oculus Dei. Oculos Deus habere dicitur, pro eo, quod omnia videt, & nihil eum latet: in cuius conſpectu, ait Apoſtolus ad Hebræos quarto, nulla creatura inuiſibilis eſt. Omnia enim nuda & aperta ſunt oculis eius. Aliter enim oculi reſpectu gratiæ eius intelliguntur, vt eſt illud in Pſalmo decimooctauo: Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos: ita ſcribit Hieronymus Epiſtola prima.

Odium eſt ira inueterata ſecundum Ciceronem libro quarto Tuſcul. qu. Odium ſecundum Auguſtinum in libro diffinitionum, eſt vetus ira ex pluribus cauſis collecta diuturno tempore perſeuerans. Et ſecundum beatum Thomam prima ſecundæ, quæſt. xxix. artic. j. & ij. Odium eſt diſſonantia appetitus animalis, vel appetitus rationalis ad apprehenſum vt diſconueniens, ſicut amor eſt conſonantia eius ad cõueniens. Odium (vt ſcribit Gab. d. vj. q. vnica, lib. ij.) eſt quo quiſquã, quia habere non poteſt cupita contrariantibus inuidet. Vel vt alij dicunt: Odiũ eſt quo voluntas reſilit ab obiecto diſcõuenienti, vel vt diſcõuenienti. Et Deus nõ poteſt habere odiũ ad intra, quia dicit de ratione ſui imperfectionẽ, ad extra tamẽ odit peccatum. Et (vt idem ſcribit Gabr. vbi ſupra.) Quod ergo diabolus ſtatim vt ſuã vidit pulchritudinẽ, inordinatè ad ſe conuerſus, præſumpſit, volens ſuam perfectionem eſſe à ſe, & per eam dominium ambiuit: quia quod habere non potuit prout voluit, Deo inuidit, & affectu odij cõtraiuit, & in hoc firmatus eſt, quia hoc ipſum à Deo omnino ſeparauit, & perfectũ obſtaculũ poſuit: ſicut perfecta charitas perfectè Deo iungit. Sic ergo ſuperbia præſumptionis primũ fuit ge-

neratione. Superbia ambitionis primùm fuit conſummatione,& odium Dei auerſio fuit in mali cõfirmatione, & per hoc concordari poſſent multæ auctoritates Sanctorum & Doctorum, quæ non vniformiter diabolum peccaſſe aſſerunt, quia his omnibus peccatis peccauit. Et quo ad inchoationem peccatum diaboli initiatum eſt in preſumptione,conſummatum in ambitione, confirmatum inuidię & odij auerſione,&c.Et ita non tantum vno peccato,ſed pluribus peccauit.Gabriël concluſ.iiij. & v.vbi ſupra,& latiùs.

Odium dicitur dupliciter (vt ſcribit ſanctus Bona. di.xiiij.art.ij.q.j.lib.iiij.in ſolut.argum.) aut cum quadam diſciplina, aut cum vi ſurreptionis vindicta & ira. Et primũ eſt in concupiſcibili,ſecundum in iraſcibili,& tale eſt in pœnitẽtia. Sicut enim per iram & zelum iraſcitur homo, & indignatur peccatis proximi,ſic per pœnitentiã peccatis ſuis,&c. Et odiũ deducitur ab odi verbo anomalo,quod ſignificat odio habeo,à quo oſus & peroſus dicitur,qui odio habet. Hinc odioſus interdũ,qui odio habet, interdũ moleſtus: & ab odio venit odior. An autẽ Deus poſsit odiri, dicit Scotus quod implicat contradictionẽ, quod Deus odiatur, quia nihil oditur niſi propter malũ aliquod exiſtẽs vel apparẽs,& in Deo nulla eſt,nec apparet malitia. Alij tamen ferè omnes dicunt, quod voluntas creata poteſt ex ſua peruerſitate odire Deũ, & hoc propter ſuã libertatem. Et hæc opinio videtur concordare ſcripturis. Vel dic ſecundum Bruleferum diſtin.vij. quæſt.ij. lib.ij.quod Deus etiã in ſe & abſolutè poteſt odiri ſecundum Scotum.Si autem conſideretur in quantum puniens,ſic bene poteſt odiri in ſuo effectu.& ſic poſſunt opiniones concordari.

Odium differt ab inuidia, quod odium in brutorum etiam natura comperitur. Inuidia verò humanum genus non excedit, ſecundum Plutarch. differunt quoque, quia iuſtè inuidemus : odio verò iuſtè quàm plures habentur:ſicuti qui neq; malorũ conſuetudinẽ fugiunt. Multi odio ſe habẽt,nemo ſibi inuidet. Et odiũ Dei eſt filia luxuriæ. Odium verò proximi eſt filia inuidiæ. Et vt vult Anton.part.ij. tit.viij.ca.iij. oritur frequẽtẽr ex ira. Propter quod dicit Auguſtin. in regula. Lites etiam nunquã habeatis, aut quàm celerrimè finiatis,ne ira creſcat in odium,id eſt ab ira procedat poſtea in odium. Directius tamen oritur ex inuidia. Et ratio eſt ſecundum beatum Thom.ij.ij.quæſt.xxxiiij.art.vj.quia ex inuidia ipſum bonum proximi redditur contriſtabile,& per conſequens odibile: ſed ex ira oritur odiũ, ſecundũ quoddam augmentũ. Nam per iram appetimus malũ proximi ſecundũ quandã menſuram, prout,ſcilicet habet rationẽ vindictæ, poſtea per continuationẽ iræ peruenitur ad hoc,quod malũ proximi abſolutè deſiderat,quod pertinet ad rationẽ odij. Et ſic patet quod cauſatur odiũ formaliter ex ipſa inuidia: ex ira autẽ diſpoſitiuè. Vide multa de odio Anton. vbi ſupra. & B. Thom. Et odium quod eſt paſsio puta,non eſt peccatum, ſed odium Dei vel proximi ſemper eſt peccatũ. Et poteſt deſcribi,quod odium eſt quo appetitur malum alicuius in malũ eius, quod pro tanto dicitur: quia qui appetit malum proximo propter aliquam bonam cauſam : vtputa,infirmitatem vel mortem, ne noceat bonis, vel vt conuertatur ad Deum, & huiuſmodi, iſtud propriè non eſt odiom, quia non intendit præciſe malum illius. Et differt ab ira, quia iratus appetit malum alicuius ſub ratione boni,ſcilicet ſub ratione vindictæ, vt puniatur is contra quem eſt iratus, de defectu commiſſo, ſed odiens ſolùm intendit in malum exoſi. Et odium eſt contrarium charitati. Et eſt odium ſui, & eſt odium Dei, & hoc horrendum. & eſt odium proximi, quod eſt fugiendum. Et de his latè ſcribit Antonius,vbi ſupra.

Offendere & defendere propriè contraria ſunt. Offendere eſt lædere, moleſtare: defendere, tueri. Aliquando offendere eſt inuenire, de quo aliàs diximus. A quo offenſio & offenſa,quæ differũt. Quod offenſio ſemper paſsiuè accipitur,offenſa verò actiuè. Cicero: In corpore ægro odioſa eſt omnis offenſio. Idem: Quum tot eius offenſas pati non poſſem, inde diſceſsi. & Offenſa vide in dictione *Reatus*. Et offenſio proximi non fit ſine offenſione Dei, quia prius offenditur. Et licèt (vt ſcribit Iacobus de Valentia Pſal.50.) peccator lædat proximum,tamen in primis offendit Deum, quia eius legem tranſgreditur & præuaricatur & violat, & eius præcepta contemnit: ex cõſequenti lædit proximum,inferendo ſibi damnum in fama,vel in bonis,vel in perſona, & hoc corde, vel ore,& opere: & ſic omne peccatum eſt infinitum in debito,quia eſt contra Deum infinitum. Et licèt pro damno & iniuria proximi poſsit ſatisfieri aliquo finito precio, tamen iniuriæ factæ Deo nullum precium finitum, poteſt ſatisfacere. Vide latiùs Valentian. vbi ſupra.

Officium eſt actus congruus cuiuſque perſonæ. Vel ſic : Officium eſt quod quiſque efficere debet pro ſuæ conditione perſonæ. In quo animaduertere oportet quid loco conueniat, quid tempori, quid rerum aut perſonarum dignitati. Hinc officioſus dicitur obſequioſus, & qui facilè merentibus exhibet honorem. A quo officioſe cum officio, & obſequioſe. Et dicitur officium ab officio,quod antiquã pro officio vtebantur. Officium etiam dicitur magiſtratus, vel quia honoris gratia inſtitutus eſt, vel quia opem populo fert. Vel quia ius quod cuique debetur,reddit. Cæteræ verò artes actionem ſuam officium vocant. Vnde officium Grammatici, officium Medici,officium Architecti,& officium Preſbyteri eſt caſtè viuere & pacificè,& officium Sacerdotalę eſt celebrare diuina,vel (vt dicunt) Miſſam habere. Et illud non imponitur vt neceſſario homo exequatur (vt ſcribit ſanctus Bonauentura di. xij.libr.iiij.) ſed pro loco & tempore, vt ſibi videbitur expedire. Et ideo ſi conſcientia dictat, quod ſit abſtinendum ob ſui indignitatem & reuerẽtiam ſacramenti, non peccat. Nec etiam prædicator, niſi quando videt imminere periculum: vel negligit officium per inobedientiam: eſt enim ei iniunctum, vt illud exequatur. Capitur & officium pro illo quod fit ab aliquo. Vnde officiũ mendacis hominis (vt ſcribit Iacob.de Valent.Pſalm.5.) eſt zizaniam & diſcordias ſeminare. Enumerantur inſuper ſeptem officia ſecundum Doctores periculoſa, ſcilicet

licet cura rei familiaris, militia, procuratio, adminiſtratio, mercatio, aduocatio, & officium Epiſcopatus, quæ tamé non ſunt prohibita. Ná & de Epiſcopatu (quod cæteris perículoſius eſt) dicit Apoſtolus: Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. 2. Timoth. 3. Gabriël diſtinct. xv. qu. x. artic. primo lib. iiij.

Officium Eccleſiaſticum quandoq; ſumitur pro iure officiandi: quandoque pro obligatione ad officiandum: quandoque verò pro actu officiandi. Eſt autem huiuſmodi actus ſicut deſcriptibilis (ſecúdum Gerſonem parte ij. tractatu de ſimonia. ſuppoſitione ij.) quod eſt exercitium aliquod impenſum ad vtilitatem alterius, vel aliorum, pro conſecutione felicitatis æternæ, & damnationis euitatione. Vnde per hanc vltimam clauſulam differt officium Eccleſiaſticum ab officio temporali, vel ciuili, videlicet ratione finis proximi, ſeu principaliter intéti: quoniam finis proximus officij ciuilis, eſt felicitas ſeu tranquillitas politica vitæ præſentis. Officium autem Eccleſiaſticum habet finem altiorem, videlicet ſalutem æternam animarum. Gerſon.

Olocauſtum dicitur oblatio vel ſacrificium, quod vel ex debito, vel ſponte oblatum totum incendebatur. De quo vide & in dictione *Sacrificium*, & in dictione *Oblatio*.

Omiſsio importat prætermiſsionem boni debiti in ordine ad legem diuinam vel humanam: vel in ordine ad proximum. Primo modo opponitur iuſtitiæ legali. Secundo verò opponitur iuſtitiæ ſpeciali, ſecundum beatum Thomam ſecunda ſecundæ, quæſt. lxxix. artic. iij. Non autem quæcunque dimiſsio inducit peccatum omiſsionis (vt ſcribit ſanctus Bonauentura diſt. v. quæſt. j. lib. ij.) Contingit enim omittere circunſtantiam, & tunc non eſt peccatum omiſsionis, ſed negligentia quædam. Contingit omittere actum, & hoc dupliciter, vel generaliter vel ſpecialiter. Generaliter ſecundum quod apprehendit præceptum affirmatiuum, ſicut tranſgreſsio contra negatiuum. Vnde non omittit qui non vitat fornicationem, ſed qui non honorat parentes, & ſecundũ quod eſt actus ſpecialis, poteſt eſſe actus principalis vel non principalis, & non eſt omiſsio peccatum principale, niſi propter actum principalē: ſicut patet de eo qui tenetur ire ad Matutinas, tenetur ſe induere, & ſurgere de lecto, & ſic de aliis: & quáuis ſint multi actus, vna eſt omiſsio. Ad hoc autem quod ſit peccatum, cenſendum eſſe omiſsionis, oportet quod ſit omiſsio actus nõ circunſtantiæ, affimatiui non negatiui, principalis non annexi. Hæc Bonauentura. Et de omiſsione, vide & in dictione *Peccatum omiſsionis*. Et Gerſonem parte ij. in regulis moralibus, qui ait, quod nulla eſt negligentia, vel omiſsio criminaliter culpabilis abſque conſenſu vero vel interpretatiuo concomitante vel præuio. Et in compendio Theologiæ de peccato veniali & eius cognitione, ait, omiſsio eorum, ſcilicet ad quæ homo tenetur, quia aliàs propriè non eſſet omiſsio, aliquando contingere poteſt ex ſola inaduertentia ſiue obliuione, vtputa, gratia exempli: Cùm aliquis hora debita qua tenetur ire ad Eccleſiam, obliuiſcitur ire. Et talis omiſsio nullum vel modicum eſt peccatum, quia iam extra actum voluntatis eſt. Si autem illa omiſsio ex aliqua alia cauſa, ſiue propinqua ſiue remota præcedente, circa quam homo præuidere poterat & debeat, contingeret, eſſet maius peccatum circa illa quàm circa ipſam omiſsionem in ſe. Si autem propter infirmitatem vel aliàs eſſet impeditus vel detentus contra ſuam voluntatem, tunc omiſsio non haberet rationem peccati, nec propriè debet dici omiſsio. Si verò ſubiacet voluntati hominis, tunc habet rationem peccati. Vnde quando quis non vult hora qua debet ire ad Eccleſiam vitans laborem, &c. tunc talis actus propriæ voluntatis & de per ſe, pertinet ad omiſsionem. Vel aliquis negligit ire hora debita ad Eccleſiam, quia vult ludere vel bibere, & ludit vel bibit: certum eſt quod ille actus ludendi vel bibendi illa hora, eſt actus cõiunctus illi omiſsioni. Sed ſi quis de ſero vigilat, ex quo contingit quod omittit ire ad Eccleſiam hora Matutinarum, certum eſt quod ipſe actus vigilandi de ſero non eſt coniunctus ipſi omiſsioni. vide latiùs Gerſon. Per hoc quiſquam apud ſe perpendere poteſt, quando peccata omiſsionis ſunt mortalia vel venialia, vel grauia vel leuia: conſideratis, ſcilicet. obligatione, qua quis ad faciendum aliquid tenetur, & neceſsitate vel vtilitate illius ad quod ſic tenetur, & cauſis ſeu occaſionibus ex quibus omiſsio conſurgit. Gerſon. Et vt idem ait in regulis moralibus. Quantum obligamur & quotiens ex diuina auctoritate quærere ſalutem noſtram æternam, tantum & totiens obligamur bene operari ex gratia. Et quia non pro quolibet momento tenemur actualiter tendere ad beatitudinem æternam (cùm hoc ſit præceptum affirmatiuũ) idcirco non ſemper culpabiliter omittimus, dum extra gratiam aliquid operamur, &c.

Omnipotens accipitur dupliciter (vt notat Gabriël diſtinct. xlij. quæſt. vnica, artic. j. libr. j.) Vno modo, quia eſt agens quod poteſt in omne poſsibile mediatè vel immediatè. Alio modo accipitur propriè Theologicè pro illo qui poteſt in omnem effectum immediatè & in quodcunque poſsibile, quod non eſt ex ſe neceſſarium, nec includit contradictionem: ita, inquam, immediatè, quod ſine omni operatione, cuiuſcunque alterius cauſæ agentis poteſt in quemlibet effectum. Concordat Scotus diſtinct. xlij. libr. j. Et ſecundum Dominum Cardinalem Cameracẽ. omnipotens dupliciter poteſt intelligi. Vno modo quo ad effectum. Alio modo quo ad efficiendi modum, ſcilicet quia ſe ſolo poſsit in omnem effectum: vtroque modo Deus eſt omnipotens. Vnde Exodi decimo quinto dicitur: Omnipotens nomen eius. De primo enim non eſt dubium. De ſecundo modo probabile eſt, ſecundum fidem (vt inquit Aliacenſis quæſt. xiij. artic. j. libr. j.) Et ſecundum eundem, Deus dicitur omnipotens, vel omnipotentia, non à potentia paſsiua, ſed actiua. Patet primum, quia eſt articulus fidei: vt apparet in ſymbolo, quod nõ dicatur omnipotẽs à potentia paſsiua, quia nihil poteſt pati cùm ſit intranſmutabilis. Iacobi 1. Apud quẽ non eſt tranſmutatio, nec viciſsitudinis obumbratio. Dicitur & Deus omnipotens, qui nullam in moliendo materiam efflagitat cum nullo antecedente moliatur: vt dicit Paulus Cort. lib. j. di. vij.

Et Dominum Deum, quem Chriſtiani ob vniuerſalem ſuam poteſtatem quam habet, & in ſubſtantiam & actionem omnium creaturarum, vocant omnipotentem, ipſi Philoſophi vocauerūt primam cauſam à qua dicebant oriri, quod cauſæ ſecundæ eſſent, & quod cauſæ eſſent, vt & oſtendit & ſcribit Martinus Plantſch Doctor ſacræ Theologiæ, & egregius Concionator, in opuſculis de ſagis veritate prima. Et Deus dicitur omnipotens, non quia eſt omnia poſſe (vt ſcribit Gabriël diſtin. vltima, quæſt. vnica, artic. iij. libr. ij.) non enim poteſt eſſe natura lapidis, aut natura non vitalis, ſed eſt omnipotens, quia poteſt facere omne factibile, hoc eſt omne poſitiuum etiam in peccato, & quamuis à Deo eſt actus peccandi, non tamen dicitur peccator, vt aliàs dicitur. Omnipotens itaque valet tantum, id eſt potens facere omne factibile, ita quod factibile diſtribuitur & non potentia. Vnde potentia generandi non eſt potentia, ſicut nec perfectio: quia potentia eſt reſpectu factibilium tantum, ſecundum modum loquendi ſanctorum, & ita filius eſt omnipotens, quia omne factibile poteſt producere & deſtruere: nec omnipotens dicit potentiam reſpectu cuiuſlibet, ad cuius eſſe non ſequitur contradictio, ſed tantum reſpectu factibilis, ad quod non ſequitur contradictio. Gabriël diſtinct. xx. dub. ij. libr. j. Et quando dicitur omnia quæ habet pater, habet filius, valet tantum: omnia quæ habet pater, quæ dicunt perfectionem ſimpliciter, id eſt eſſentialem, quæ eſt in omnibus tribus perſonis, habet & filius. Secùs de perfectione notionali: ſic filius eſt omnipotens ſicut pater. Hinc tres perſonæ ſunt æquales ſecundum potentiam (vt dicit Cardinalis Cameraceñ. quæſt. x. artic. iij. libr. j.) Hinc dicitur in ſymbolo: omnipotens pater, omnipotens filius, omnipotens ſpiritus ſanctus. Et Deum eſſe omnipotentem, eſt ſola fide creditum (vt habet Gabriël diſtinct. xlij. quæſt. vnica, artic. ij. libr. j.) & probatur auctoritate ſanctorum & ſcripturæ & ſymboli. Vnde Eccleſ. 1. dicitur: Vnus eſt altiſſimus creator omnipotens, Rex potens & metuendus. Ioannis 1. Sine ipſo factum eſt nihil. Item extra de ſum. Trinit. & fid. cath. cap. firmiter. Ipſe eſt creator omnium viſibiliom, ſpiritualium, & corporalium: poteſt & rationabiliter perſuaderi. Nam Deus eſt cauſa omniom, ergo omnipotens. Omnia enim eſſentialiter dependent à Deo: & per conſequens eſt cauſa omnium. Antecedens probatur, qoia omne aliud à Deo non minus dependet à Deo quàm vna creatura ab alia, ſed vna creatura dependet ab alia: ergo. Ex quo ſequitur Deum eſſe omnipotentem, eſt fide creditum, quodque ſe ſolo poteſt in omnem effectum poſitiuum ſine cooperatione cauſæ ſecundæ: hoc autem ratione naturali probari non poteſt. Cuius Scotus ponit quatuor rationes. De quo vide latiùs Gabriëlem vbi ſupra. Petrum Aliaceñ. quæſt. xiij. artic. j. Et Gregor. de Ari. diſtin. xlij. libr. j. Vide & in dictione *Potens*. Cùm autem dicitur Deus non poteſt peccare: ergo non poteſt omnia. & per conſequens non eſt omnipotens. Reſpondetur ſecundum Magiſtrum diſtin. xlij. & Gabriëlem artic. iij. vbi ſupra. dub. j. Poteſt Deus quicquid poſſe eſſe potentia: nunc autem peccare, infirmari, & mori, deficere, & huiuſmodi, nō eſt poſſe, ſed eſt nō poſſe, quia eſt deficere. Veruntamen quicquid poſitiuū eſt (vt modò dictum eſt) in peccato Deus poteſt producere: & ſic omne poſitiuū quod poteſt produ cere creatura, poteſt producere Deus: nec tamē ideo ſequitur quod poſſit peccare, mori, mentiri, &c.

Omnipotentia ſecundū Petrū de Aliaco q. xiij. art. j. libr. j. poteſt accipi dupliciter. Vno modo largè, & ſic deſcribitur: Omnipotētia eſt potētia omnis producibilis productiua. Alio modo ſtrictè, & ſic deſcribitur: omnipotētia qnod eſt potētia cuiuſlibet factibilis, ſiue omnis producibilis ad extra productiua. Primo modo non ſumitur apud ſanctos, ſed ſecundo modo. Nam omnipotētia primo modo dicta, nō dicit perfectionē ſimpliciter: nec illo modo Deus dicitur omnipotēs, quia talis nō cōuenit cuilibet perfecto ſimpliciter, quia nec filio, nec ſpiritui ſancto, nec eſſentiæ diuinæ: ſed ſecūdo modo dicit perfectionē ſimpliciter. Et illo modo Deus dicitur omnipotēs: & talis cōuenit cuilibet perfecto ſimpliciter: ptoducere itaq; diuinā perſonam nō dicit perfectionem ſimpliciter, ſed bene poſſe prodocere creaturā. Et omnipotētia (vt ſcribit S. Bona. d. xlij. in dub. literal. lib. j.) eſt ſolius Dei propriè, quia dicit potentiā infinitā, quę in nulla creatura poteſt eſſe, nec in Chriſto, nec in alia ſecundū humanā naturā. Vnde ſi de Chriſto dicatur omnipotentia, hoc intelligitur ſecundū idiomatū communicationē. Si autē dicatur de credētibus, diſtributio eſt accōmoda ſolū de miraculis. Non itaq; poteſt cōmunicari omnipotētia alicui creaturæ, nec animæ Chriſti (vt & idē vult S. Bona. d. xiiij. q. vlt. li. iij.) niſi eatenus qua cōmunicatur ei nomē & excellētia diuinitatis, hoc eſt (vt dictū eſt) per cōmunicationem idiomatū, quę ortū habet ex perſonali vnione. Sicut enim poſſumus dicere quod homo eſt Deus, ita poſſumus dicere quod homo eſt omnipotēs. Quod autē non poteſt cōmunicari omnipotentia creaturæ eſt, quia omnis creatura eo ipſo quod ex nihilo eſt, deficit à ſumma ſtabilitate. Vnde nō exiſtit per ſeipſam, deficit à ſumma ſimplicitate. Vnde nō agit per ſe totā, deficit à ſumma immēſitate: vnde diſtare poteſt in ipſa virtus à ſubſtātia: & quando io ſe nō ſubſiſtit, nec à ſe, niſi ſuſtentetur à diuina potētia. ideo impoſſibile eſt ipſam eſſe omnipotentem, non poteſt enim ſeipſam ſuſtinere. Latiùs ibi declarat S. Bona. quare creaturæ nō cōmunicatur omnipotentia, ſicut ſoli Deo cōuenit ſumma ſtabilitas, ſumma ſimplicitas, ſumma etiā immēſitas: ſic etiā omnipotentia quæ neceſſariò requirit iſta tria. Ideo omnipotentia cōmunicari nō poteſt alicui creaturæ, nec animæ Chriſti, nec alij. Et quāuis alicui creaturæ cōueniat, vt poſſit omnia ſcire, nec tamē cōuenit vt poſſit omnia facere. Vide ad hoc & Gab. d. xiiij. q. vnica, art. iij. dub. iij. lib. iij. qui dicit, quod ratio omnipotentiæ includit eſſe principiū omniū factibilium de nō eſſe ad eſſe. Hæc autē repugnat creaturæ, quia nulla creatura poteſt eſſe principiū omniū poſſibiliū, quia nō ſuiipſius. Vide & ibidē quod omnipotētia attribuitur homini Chriſto per cōmunicationem idiomatū, ſicut cęterę proprietates diuinę, &c. Et quamuis, vt modò dictum eſt, omnipotentiam ſoli Deo conuenit, Gerſon tamen videtur aduerſari parte ij. ſermone de dominio Euangelico facta

in cœna Domini, qui & omnipotentiam attribuit creaturæ: ita enim ſcribit: Quia iam non vno, ſed triplici titulo Chriſtianus Monarcha eſt, Chriſtiano omnia dedit in manus, Chriſtianum fas eſt dicere potentiſsimum. Audebo dicere & omnipotentiſsimum, & arguar blaſphemiæ, ſi non hoc Apoſtolus ſimilis nobis de ſe dixerit: Omnia poſſum, omnipotens ſum (exponit Bernar.) in eo qui me confortat Chriſtus. ad Phil. 4. Si parua eſt Apoſtoli auctoritas, tibi ſatis ſit illa Chriſti, qui ait: Credenti nihil eſt impoſsibile. Matth. 17. Vide latiùs ibi Gerſonem.

De potentia Dei, vide infra in litera P.

Operatio eſt multiplex. Quædam ad locum, quę vocatur motus localis. Alia ad formam abſolutam, & hæc eſt multiplex ſecundum multiplicitatem formarũ. Nam ſunt formæ non vitales. Similiter quędam vitales: & harum aliquæ ſunt vegetatiuæ potentiæ tantùm, aliæ ſenſitiuæ, aliæ potentiæ intellectiuæ. Formæ ad quas eſt operatio vegetatiua, ſunt formæ ſubſtantiales totales, ad quas eſt generatio: vel partialis, ad quas eſt nutritio vel augmentatio. Formæ potentiæ ſenſitiuæ & intellectiuæ, ſunt formę accidentales, ſcilicet cognitionis ſenſitiuę & intellectiuæ, &c. Gabriël lib. ij. diſt. viij. q. j. qui dicit ibidem quod omnem motum localem poteſt cauſare Angelus in aſſumpto corpore ſecundum ſpeciem, & ita motum membrorum palpebrarum, manuum, pedum, linguę, & motum etiam inſpirationis & reſpirationis, etiam motum qui videtur eſſe progreſsiuus. Latiùs Gabriël. Non autẽ poteſt Angelus in corpore aſſumpto in operationes vitales potentiæ vegetatiuæ, vt eſt nutritio, augmentatio, generatio: vt ibi rotundè probat Gabriël. Poteſt & in comeſtionem quæ præcedit nutritionẽ. Et licèt nõ poſsit fieri vera nutritio, poteſt tamẽ fieri iuxta poſitio elementi per Angelum, quod poteſt ſubitò & imperfectè miſceri ſi velit: vt ſic apponendo corpori apparet augmentari & creſcere (vt ibidem dicit.) Vnde dixit Raphaël Tobiæ 12. Videbar quidem vobiſcum manducare & bibere, ſed ego cibo inuiſibili & potu vtor, qui ab hominibus videri nõ poteſt. Siquidem viſus fuit cibum maſticare & traiicere, ſed conuerſus non fuit in corpus viuens, &c. Item nec poteſt Angelus in aſſumpto corpore producere actus potentiæ ſenſitiuæ, cognitiones, ſcilicet & appetitiones, hoc eſt neque viſionem, neque auditionem, quia illi actus requirunt animam ſenſitiuam tanquam principium actiuum & organum. Et omnes cognitiones quas Angelus habere videtur per membra ſeu partes aſſumpti corporis, non ſunt niſi cognitiones intellectiuæ, quas etiam habere poſſet corpore non aſſumpto. Patet, quia mouendo linguam verba format, quibus loqui videtur, & per hæc verba conceptus ſuos aliis exprimere. Percipit etiam voces loquentium, & intelligit ſermones eorum, qui ſine cognitione fieri non poſſunt. Et hæ cognitiones in Angelo non ſunt ſenſitiuæ, ſed intellectiuæ, &c.

Operatio intellectus eſt quæ cõponit & diuidit ſimplices cognitiones in ſe formatas, componendo ex eis propoſitiones affirmatiuas, aut diuidendo, faciendo propoſitiones negatiuas, per quas diſcurrit arguendo. Format inſuper intellectus notitias adhæſiuas, quibus aſſentit vel diſſentit propoſitionibus. Vide de hoc multa Gabriëlem di. iij. quæſt. ij. lib. ij. Et aſſenſus huiuſmodi (vt idem dicit) quandoque generatur ex ſola notitia intuitiua extremorum propoſitionis: & talis poteſt dici experimentum. Quandoque ex notitia quacunque terminorum propoſitionis neceſſariæ. Et talis aſſenſus vocatur intellectus, capiendo intellectum non pro potentia habituali, ſed pro notitia actuali diſtincta contra alios habitus, quibus non contingit aſſentire falſo. 6. Ethic. Aliquando generatur aſſenſus ex neceſſaria illatione ex euidentibus præmiſsis. Et ſic vocatur ſcientia, ſi fuerit neceſſariorum, hoc eſt ex aſſenſibus præmiſſarum neceſſariarũ propoſitionum, ipſam in neceſſaria cõſequentia inferentium. Quandoque ex propoſitionibus non neceſſariis, ſed falſis: & ſic aſſenſus falſe genitus eſt error. A veris contingentibus & probabilibus: & ſic dicitur opinio, ſuſpicio, coniectura. Et quandoque generatur ex auctoritate ſola, & ſic eſt fides. Horum autem actuum habitus derelicti eiſdem nominibus nominantur: hæ videntur operationes intellectus, vt dicit Gabriël vbi ſupra.

Operatio voluntatis eſt quam operatur voluntas, & eſt actus ipſius voluntatis. Et operatio voluntatis cum exteriore, non eſt magis meritoria, vel demeritoria, quàm ſit ſola interior ſine exteriore imperata. Quod intelligendum eſt ſtante ſemper æqualitate actus interioris, dum fuerit cum exteriore, & ſine exteriore: probat Gabriël diſtin. xlij. quæſt. vnica, libr. ij. vt ſi ſit homo volens occidere & occidat, ille non eſt maiori pœna dignus apud Deum, quàm ſi vellet occidere, & non occideret. Suppoſito quod æquè plenam, & in omnibus ſimilem voluntatem occidendi haberet. Et pariformiter dico de diuerſis hominibus habentibus æquè plenam, ac intenſam voluntatem occidendi, quorum vnus occideret, alius impeditus non occideret. Nam vnus non plus demeretur quàm alius, probatur & auctoritate Auguſtini libr. j. de libero arbitrio cap. iij. Si cui non contingit facultas concumbendi cum vxore aliena, planum tamen aliquo modo ſit eum cupere, & ſi poteſtas non detur ſibi eſſe cum ea, non minus reus eſt, quàm ſi in ipſo facto deprehenderetur. Quidam autem non minus reus eſt, niſi quod non minori pœna dignus eſt. Idem Auguſtinus: In ipſo animo vbi appetitus voluntatis hominum eſt humanorum men ſura factorum, continuò pœna ſequitur culpam. Et infra: Affectus voluntatis omnium factorum, meritorumque menſura eſt. & ſequitur: ex qualitatibus quippe voluntatum, non ex temporum ſpaciis ſiue rectè facta ſiue peccata metimur: & concludit: menſura peccatorum non in productione temporum eſt, ſed in voluntate peccantium. Probat & ratione Gabriël, vide eum. Et ſi fortè contingeret tantam eſſe voluntatem in eo qui nõ operatur, quanta eſt in eo, qui opus exercet, vbi voluntas eadem eſt, meritum diſsimile eſſe non poteſt. Peccat autem plus homo extenſiuè concomitante exteriore operatione, quàm ſola interiore voluntate, quia peccat pluribus peccatis. Nam tam voluntas interior mala eſt, quàm operatio exterior impe-

imperata. & vtrumque eſt peccatum: & poteſt dici vuum peccatum quantum ad imputabilitatem, actus tamen exterior nullam propriam bonitatem moralem habet, propter quam magis imputatut voluntati quàm ſolus actus iutetior, ſecundum Occam. Vide latiùs Gab. de his di. xlij. q. vnica, art. ij. concluſ. j. & ij. & iij. lib. ij.

Operatio humana eſt quam operatur homo. Et vt ſcribit Iacob. de Valentia, Pſal. 50. ferè in fine. quatuor ſunt genera humanarum operationum ſecundum Philoſ. 2. Ethic. Nam quædam ſunt merè naturales: & ſecundum iſtas, nec laudamur, nec vituperamur. Et quædam ſunt, quæ procedunt ab habitu virtutis, ſicut opera temperantis & fortis: & tales operationes dicuntur virtuoſæ, & ſunt per ſe laudabiles, & præmiandæ, quia ſunt totaliter bonę. Quædam autem operationes ſunt totaliter contrariæ virtuti, ſicut furta, homicidia, & adulteria, & ebrietates, &c. quę ſunt ſemper mala & vituperanda. Quædam verò ſunt operationes, quæ non procedũt ab habitu virtutis, nec ſunt aliquo modo cõtra virtutem, ſed tendũt ad virtutem, & fiunt propter virtutem: ſicut ſunt illi actus & operationes ex quibus frequentatis generatur habitus virtutis, quæ quidem operationes licèt non ſint totaliter bonæ, nec dicuntur virtuoſæ, tamen nullo modo ſunt dicendæ malæ: imò ſunt bonæ & laudabiles. Ratione finis ad quem tendunt, & ratione habitus virtutis quem generãt, eò quòd exercitatio talium operationum generat habitum virtutis: ideò licèt tales operationes non præmientur in ſe, tamen præmiãtur in habitu virtutis quem generãt, & in operationibus ſequentibus virtutem. Ita pariter in vita Chriſtiana (vt ibidem ſcribit) ſunt conſideranda quatuor genera operationum. Nam quædã procedunt ab ipſa charitate, & fide formata, vt ea quæ fiunt ab aliquo viro iuſto ſecundum legem, & pręcepta diuina, & talia opera dicũtur totaliter bona, & meritoria vitæ æternæ. Quædam autem fiunt contra diuinam legem, & charitatem ab aliquo peccatore, ſicut furta & homicidia, & adulteria, & falſa teſtimonia, quę totaliter ſunt mala, quia procedunt à malo principio & mala voluntate: & iſta dicuntur ſimpliciter mortua, quia merentur mortẽ æternam. Quædam autẽ opera fiunt ab aliquo, quę nec fiunt ex charitate, nec contra charitatem, nec propter Deum, nec contra diuinam legem, ſed naturaliter propter aliquod naturale intereſſe, vt defendere cognatum, cõſanguineum: quæ quidem opera nõ ſunt meritoria ſecundũ Greg. in homel. quia aliud eſt diligere proximũ propter Deum, & aliud propter propinquitatem ſanguinis & cognationis. Quædam autẽ ſunt, quæ licèt nõ procedãt à charitate, tamẽ nõ fiunt cõtra charitatẽ, nec cõtra legem Dei: imò fiunt ſecundũ legem diuinã & præcepta, & propter Deũ, & ordinãtur in charitate, ſicut ſunt eleẽmoſynæ, & operationes, & alia opera miſericordiæ quæ fiunt ab aliquo peccatore, non proponente manere in illo peccato, ſed deſiderante agere pœnitentiã, prout accidit in multis: quę quidẽ opera licèt non dicantur ſimpliciter bona, tamen de ſe nullo modo dicuntur mala, poſtquã nõ fiunt cõtra charitatẽ, nec diuina præcepta. Valent. Et iſtæ operationes poſſunt dici informes, quibus peccatrix anima intẽdit facere quod in ſe eſt, ſed diſponit ad vitam (vt ſcribit Gerſ. de vita ſpirituali animæ, lec. j. ferè in principio) non quod iſta diſpoſitio ſufficiat, vtpote quę lõginqua eſt, & nihil de vita ſpiritus habẽs in ſe, ſed quia nihil interim anima maius habeę quod faciat quàm vt bene vtatur ſuis naturalibus potẽtiis & donis quibuſdã gratuitis, licèt non viuificatis. Vide plura apud Gerſonem.

Operari meritoriè, eſt parere fructũ vitæ (vt inquit Gab. d. iiij. q. j. cõclu. ix. li. iiij.) à quo cooperor. De quo vide in litera C. Et principiũ operationis humanę eſt voluntas, ſine qua nec opus eſt meritoriũ, nec laudabile (vt dicit Scotus di. xvij. lib. iij.)

Operatio diuina eſt vbi Deus operatur. Vnde eſt illud Ioan. 2. Pater meus vſque modò operatur. Hæc operatio non poteſt impediri vbi Deus operatur vt tota cauſa, quemadmodũ ſcribit S. Bona. di. xxiiij. art. j. q. j. lib. iiij. Operatur autem Deus cõſeruando creaturas ſuas in eſſe & actiuitate ſua, & cooperando actionibus earũ. Ipſo enim agẽte, volente, conſeruante & cooperante, mulieres pariunt, ſegetes creſcunt, flumina fluunt, etiam in ſabbato. de quo videre potes Doctorem Martinũ Plantſch, veritate ſeu propoſitione j. in opuſculo de ſagis.

Operire idẽ eſt quod tegere, velare, occultare. Aliud eſt operiri in cõſpectu hominis, aliud eſt in conſpectu Dei, vt ſcribit S. Bonauen. diſt. xxij. part. j. q. j. lib. iiij. In conſpectu hominis cooperiri poteſt aliquid, ita tamẽ quod propter hoc non deſinat: ſicut pictura operitur panno, non quia non ſit, ſed quia non apparet. In conſpectu autem Dei quem nihil poteſt latere, operire eſt facere quod non ſit. Et hoc modo charitas operit, priora peccata delendo, & id cũ iam nõ ſunt, remoto operimẽto modò apparẽt.

Opinio ſumitur multipliciter (vt ſcribit Petrus de Aliaco art. iij. q. prologi.) Vno modo pro præſumptione ſeu aſſenſu temerario, quo quis æſtimat ſe ſcire quod neſcit. Et ſic ſumit Auguſtiuus in libro de vtilitate credendi, cap. xxj. Tria ſunt, inquit, genera profectò improbanda ac deteſtanda. Vnum eſt opinantium, id eſt eorum qui ſe arbitrantur ſcire quod neſciunt, &c. Et infra quod opinamur, inquit, debemus errori. Alio modo ſumitur pro aſſenſu alicuius propoſitionis indifferenter. Vide latiùs ibi Cardinal. videatur & ſanctus Bonauent. di. xxiiij. lib. iij. quæſt. v. qui ponit duplicem acceptionem vocabuli Opinio. Dicitur enim vno modo opinio acceptio vnius partis cum formidine alterius. Alio modo dicitur opinio acceptio animæ generata ex rationibus probabilibus, ſecundum quod conſueuit dici, quod ſyllogiſmus Dialecticus generat opinionem: & ſyllogiſmus demonſtratiuus generat ſcientiam. Primo modo, vt habet ſecum annexam formidinem & vacillationem (vt inquit ſanctus Bonauentura) non poteſt ſtare ſimul cum habitu fidei circa eandem materiam, pro eo quòd fides facit plenè conſentire in alterã partem, ita quod omninò reputat eius oppoſitum falſum aut erroneum: nec propter hoc aliquam rationem ſuperuenientem poteſt ad oppoſitum inclinari. Si autem opinio dicatur ſecundo modo, ſic circa idem ſimul & ſemel poteſt eſſe opinio & fides, quoniã multi fideles habent ad ea, quæ credunt

multas

multas veriſimiles rationes, & multas probabiles, quæ habent generare opinionem: & illa acceptio generata fidei non repugnat, imò ſubſeruit & famulatur. Eſt enim in fidei fomentum quo ad infirmos, & oblectamentum quantum ad perfectos. Hæc ſanctus Bonauentura.

Opinari idem eſt quod putare, ſuſpicari, opinionem habere. Lactantius lib.3. Id enim opinatur quiſque quod neſcit. An autem liceat contrariè opinari diſcutit, perquirit, & commentatur ſanctus Bonauentura diſtinct.xxvij. quæſt.iiij.lib.j. Et concordat beatus Thomas in ſcripto eiuſdem primi diſtin.xxxiij. artic.vlt. Vnde contrariè opinari ſecundum ſanctum Bonauent. vel poteſt eſſe circa ea quæ ſpectant ad doctrinam humanæ inquiſitionis, vel circa ea quæ ſpectant ad doctrinam Chriſtianæ religionis. Circa ea quæ ſpectant ad doctrinam humanæ inquiſitionis, licet contrariè opinari, & contrà aſſerere: quia illa non faciunt ad ſalutem. Hinc credo Gabriëlem dixiſſe diſtinct. iiij. quæſt.j. artic.iij.dubio ij.libr.iiij. In opinabilibus, quæ vt opinabilia dicuntur, non eſt inconueniens aliqua nunc ſecundum vnam opinionem aſſerere, & nunc eius contrarium ſecundum aliam opinionem: hoc etiam frequenter Philoſophos & Sanctos feciſſe inuenitur. Secùs ſi contraria dicerentur determinatiuè. Hæc Gabriël. Aſſerere autem contraria in his quæ ſpectant ad doctrinam religionis diſtinguendum eſt, vt idem vult ſanctus Bonauentura vbi ſupra. Nam quædam ſunt de neceſsitate fidei, quædam de neceſsitate ſcripturæ, quædam ſunt his annexa, vt ſunt quę faciunt ad fidei explicationem, & ſcripturæ expoſitionem. Circa ea quæ ſunt de neceſsitate fidei opinari cōtraria ſimpliciter eſt peccatum in altero, ſcilicet qui falſum opinatur. Et ſi ſit ſimplex opinio, eſt peccatum erroris: ſi autem aſſertio & defenſio, non tantum eſt error, ſed hæreſis dicenda eſt. In his autem quæ ſunt de certitudine ſcripturæ ignorantes ſcripturas, licet contrariè opinari, nec eſt culpa: vt ſi vnus homo ſimplex credat, quod Iacob fuit pater Iſaac, alter non, ſed econuerſo. Et licèt primus hoc ſuſpicetur vel opinetur, tamen non peccat, quia ignorat ſcripturam. Scienti autem ſcripturam non licet, imò peccat ſi ſimpliciter opinetur: ſi autem defendat, hæreticus eſt iudicandus, quoniam contradicit ſcripturæ ſacræ. In his autem quæ ſunt annexa fidei vel ſcripturæ, aut vna opinio ſequitur ad fidem & ſcripturam, & ad alteram ſequitur oppoſitum. Et tunc dicendum, inquit Bonauentura, quod ante percontationem, licet contrariè opinari, ſed poſt percontationem non licet, imò peccatum eſt, ſicut in his quæ ſunt determinata per fidem & ſcripturam: ſicut fuit de opinione Poretani circa proprietates: dicebat enim illas non eſſe Deum, & ad hoc conſequitur contrarium fidei. Cùm enim Eccleſia adoret proprietatem, tunc adoraret non Deū, & nō Deus eſſet adorandus. Vnde poſtquam oſtenſum eſt ſibi inconueniens, niſi retractaſſet errorem, fuiſſet ab Eccleſia hæreticus iudicatus: ſed hoc retractauit in concilio Remenſi (vt dicit Bern.) In his quæ ſunt annexa fidei, nec repugnāt, quia dubia ſunt, licet opinari, ſed nō licet aſſerere dubium circa Deum, quia opinari, eſt rationis cōferentis: ſed aſſerere dubium circa Deū, eſt rationis ſuperbiētis. Bona. vbi ſupra. Et in fine illius quæſtionis dicit: Qui propria auctoritate de Deo aſſerit vel affirmat, quod nec ſcriptura, nec fides dicit, nec ad illa ſequitur, præſumptuoſus eſt iudicandus, etiam ſi verū dicat: & ſi dubitet corde & affirmat ore, mendax eſt. Si vtroque modo aſſerit, ſuperbus eſt: ſed ſi tantummodo opinatur, nec aſſerit, ſed opinionē tenet, in talibus non peccat. Et (vt idē dicit d.xliij.q.j.lib.ij.) melius eſt pie dubitare quàm aliquid temerè diffinire. Et vt idem inquit di.xv.lib.ij.circa textum, quando aliquid aſſertiuè dicūt catholici tractatores, in hoc nō diſcordant, quia quod aſſerunt, per reuelationē ſpiritus ſancti dicunt, qui nō eſt cōtrarius. In eo verò in quo opinantur, diſſentire poſſunt. Et aliquando diſſentiūt, quia opinio venit aliquādo ex probabili coniectura rationis, in qua homo frequenter decipitur, deceptio eſt potius quæ eſt pœna quàm culpa, à qua vix aliquis tractatorum Catholicus immunis fuit: & ideo talis diſſenſio reprehenſibilis non eſt, quamuis enim diſcordent aliquo modo iudicia, concordant tamen deſideria. Omnes enim Catholici tractatores veritatem dicere volunt. Hæc illè.

Opinio autem quam habet communis doctrina, illa potius & ſemper ſequenda eſt (vt inquit Gerſon parte iij. ſuper Cantica canticorum, partitione j.) quoniam curioſitas eſt non doctrinæ pietatis opinionibus extraneis delectari. Vnde modò opinio de conceptione B. Mariæ virginis, quod ipſa præſeruata ſit penitus ab omni originalis peccati cōtagione, eſt modò imitanda & tenēda, quam modò omnes Catholici & veri Chriſtiani tenent: de qua re diffuſe ſcribit Gabr.d.iij.q.j.lib.iij. Nec tamen (vt idē ait) propter hoc culpādus eſt B. Bernardus, ſed nec S. Thom. S. Bonauen. cæteriq; Doctores cum magno moderamine oppoſitum opinantes, quoniam eorum tempore hoc licuit, quum nulla determinatio vel conſilij vel Apoſtolicæ ſedis facta fuit: nec feſtiuitas illa generaliter tunc fuit per orbem celebrata, quæ ſi præceſsiſſent, haud dubium (inquit Gabriël) quin promptiſsimè ſuæ opinioni ceſsiſſent, & Apoſtolico magiſterio conſenſiſſent. Hæc Gabriël.

Opinio hæretica eſt quæ cōtrariatur fidei pertinaciter. Et ad hoc quod aliquid ſit opinio hæretica, requirūtur præcipuè tria, ſecundū Alex. de Ales. ij. ij. tit. de hęreſi. Et poſt eum habētur in ſumma Ange. vnde per conſequens ſecundum iſta tria iudicatur opinio hæretica. Primum eſt falſa credulitas in rationali, quod eſt quod erret in articulis fidei, & eius ſacramentis, ſcilicet Baptiſmo, Euchariſtiā, & ſic de aliis. extra de hæret. cap. ad abolendam. Vnde iſta falſa credulitas contra fidem eſt dupliciter. Primò directè & principaliter, & ſic omne illud quod eſt contra articulos fidei, eſt falſæ credulitatis. Secundò indirectè & ſecundariò, ſicut eſt dogma peruerſum vel expoſitio extorta in ſcripturis diuinis, ex quibus ſequitur corruptio alicuius articuli fidei vel determinationis Eccleſiæ, & huiuſmodi, vt volunt Canoniſtæ. Secundum requiritur peruerſa voluntas in concupiſcibili, ex qua vult temerè contra fidem vel Eccleſiam. Tertium requiritur defenſionis vel aſſertionis, aut etiam impugnationis pertinacitas

ex parte iraſcibilis, ſcilicet quod pertinaciter hoc teneat: quia ſi quis erret in fide & alus prædictis, ſi tamen paratus eſt corrigi, non eſt hæreticus: patet in textu xxiiij.q.iij.cap. Dicit Apoſtolus. & cap. Qui in Eccleſia. & Gloſſ. ibidem. & xxiiij.q.j. Hęc eſt fides, & extra de ſumma Trinit. & fide Cathol. cap. Damnamus. verbo pertinaciter, &c. Et vt ſcribit frater Pelbartus in Roſario Theol. illi opinioni magis adhærendum eſt, quæ magis videtur concordare cum dictis ſanctorum & determinationibus Eccleſię. Si autem de alus rebus, tunc fauendum eſt ei qui melioribus rationibus roboratur. Et Albertus Magnus dicit, quod frater ſimplex & quilibet homo poteſt cum ſalute ſequi in cõſiliis, quamcunque opinionẽ voluerit, dummodo alicuius magni Doctoris opinionẽ ſequitur, &c. Et ſecundũ Augu. in ſum. in materia iuris diuini, veteris & noui teſtamenti præfertur Theologus. In materia verò iuris poſitiui Canoniſta prefertur in materia canoniſali, ſed in materia legali præponitur Legiſta. Sed quid de Doctoribus quatuor Eccleſię cum opinãtur cõtrarie; dicitur ſecundũ Gloſſ. d. ix. ca. veteris. Quod quando prædicti diſcordant, tunc in diſputationibus ſubtilibus & quæſtionibus præfertur Auguſtinus. Sed in tranſlationibus vel hiſtorialibus & interpretationibus præfertur Hieronymus. In moralibus autem Gregorius. In ſermonibus verò & iudiciis præfertur Ambroſ. vt &, notat Gabriel xv. di. cap. Sicut. & in Angeli. ſumma. Et hoc tenendũ eſt pro regula generali, quod dicta ſanctorũ ab Eccleſia approbatorum ſunt firmiter tenenda, & præcipuè, dicta quatuor Doctorum vſque ad vltimum iota ſeruari debent, & defendi vſque ad ſanguinis effuſionem. di. xvi. cap. ſi. & xxv. q. j. Sunt quidem. Intellige niſi eſſent retractata ab eidẽ vel per Eccleſiam correcta. xvj. di. j. & ij. & di. xxij. cap. j. Et niſi diſcordarent in decretis eorum. Quæ autẽ opinio eſt magis ſequenda, quando diſcordãt Doctores? Dicendum ſecũdum Ambr. & Doctores, quod in iure canonico & ciuili ſuper his quę ſpectant ad articulos fidei & ad ſalutem animæ, quãdo Doctorum approbatorum eſt diuerſitas, deciſio ſpectat ad Papam, cui ſtandum eſt. In aliis autem licet cuilibet eam, quæ ſibi placet, opinionem ſequi, &c. puta de Salomone, vtrum ſit ſaluatus vel damnatus. Similiter fuit olim de Mariæ virginis aſſumptione in corpore glorificato. Sed iam ſecundum quod dicit Hoſtien. de feriis, cap. cõqueſtus, &c. approbata & cõmunis opinio eſt, quod ſit glorioſo corpore aſſumpta. Idem dicit Innoc. de conſtit. ne innitaris, &c.

Optimum quoddam eſt ſimpliciter, vt diſtinguit Bonauent. quoddã eſt in ordine vniuerſi. Vnde Dionyſ. Optimi eſt optima adducere. loquitur de optimo in ordine nõ abſolutè: ſicut vinum eſt bonum in ſe, & tamen non eſt bonum in ordine ſanandi febricitantem: ideo non vult quod res debuerit fieri in optimo ſtatu ſimpliciter, ſed in ſtatu in quo optime ſaluaretur ordo vniuerſi, & eius pulchritudo hic cõſiſtit in ordinato proceſſu, quo peruenitur ab imperfecto ad perfectũ, ab inferiori ad ſupremum, à merito ad premiũ: hic autem ordo requirit vertibilitatem naturæ intellectualis ſaltem à principio ſuæ creationis. Aliàs niſi eſſet vertibilis, mereri non poſſet. Vel poteſt dici, quod optimum dici poteſt, vel comparãdo ad principium quo producitur, vel comparando ad propriam bonitatem, & gradum perfectionis eſſentialis, quem recepit à producente. Primo modo verum eſt, quod ſemper optimũ producit optima, id eſt optima voluntate, quia ſua voluntate quæ ſemper eſt optima & infinita. Secundo modo non eſt verum, quod optimum producit optima ſemper, quia tunc non produceret niſi vnũ, vel ſaltem niſi res perfectiſsimæ ſpeciei, vt recitat Gab. diſt. xxiij. q. vnica, art. iij. dub. j. lib. ij. vbi & ſcribit cùm quæritur, quare Deus non produxit naturam impeccabilem, quę melior eſſet peccabili? Reſpondetur, quod non placuit: diuinæ enim voluntatis cauſa quærenda non eſt, cùm ſecundum ſe ſit iuſta & optima, nec habet cauſam priorem, nec aliam regulam, ſecundum illud Apoſtoli Rom. 11. Quis prior dedit ei, & retribuetur illi: nec quia res bona ideo volita, ſed quia volita ideo bona.

Opus. Opera ſunt multiplicia, & de quibuſdam vide in dictione *Operatio*: de aliis in ſequẽti. Eſt enim opus carnale, eſt opus pœnale, eſt opus ſatisfactorium, eſt opus moraliter bonum, eſt opus conformatũ, eſt opus ſupererogationis, eſt opus mortuũ, eſt opus incarnationis, eſt opus Dei, eſt opus laboriosum, de quibus pauca videantur. Et opus Græcè *ἔργον* dicitur. Et differũt opus & opera, quod operæ ſunt diurni officium, Opus verò finis, fructusq; operæ, ſecundum Vlpianum Iuriſcõſultum. Terentios vtrumq; vno verſu optimè expreſsit, cùm ait: *Quod in opere faciundo operæ conſumis tuæ.* Hinc operæprecium, id eſt fructuoſum, & ad rem pertinens. Aliquando tamen opus pro opera capi videtur. Virgil. *Mollibus è ſtratis opera ad fabrilia ſurgit.* Opus quandoque prò neceſſe accipitur: vt ægrotanti opus eſt Medico. Hinc oportet venit, quod ſignificat pariter neceſſe eſt. Et operam dare, eſt diligentiam impendere: & propriè opera ad corpus, cura ad animam, diligentia ad vtrumque refertur, de quo aliàs diximus.

Opus bonum moraliter eſt opus elicitum, aut imperatum conformiter ad dictamen rectæ, id eſt inculpabilis rationis: & quum multa dictat ratio recta debere conuenire actui, vt ſit rectus, ex pluribus dependet eius ratio bonitatis, de quo conſulas Gab. d. xl. q. vnica, art. j. lib. ij. Nullum autẽ opus bonum quantumcunque paruum, vt ſcribit Bruleſ. d. xxix. q. vj. lib. ij. poſſumus facere ſine diuino auxilio, & generali influentia, quia ſecunda cauſa non poteſt agere, niſi mediante prima. Id quod multis probat Doctor Martinus Plantſch in opuſculo de ſagis maleficis: veritate, ſeu propoſitione prima. Differunt autem opera moralia & opera meritoria. Nam opera moralia dicuntur illa (vt ſcribit Bruleſer d. xxxij. q. ij. lib. iij.) quæ eliciuntur vel imperantur ab ipſa voluntate, ſecundum eſſe completum dictamen rectæ rationis. Opera meritoria dicuntur illa, quę eliciuntur à voluntate ſecundum inclinationem charitatis vel gratiæ: & omne opus meritoriũ eſt opus morale, ſed non econtra.

Opus virtuoſum & laudabile eſt triplex, vt notat Bruleſer in Prologo j. ſententiarũ. Nam quoddam eſt opus virtuoſum ſimplex, pertinens ad vitã contemplatiuam, cuiuſmodi eſt amare Deum, audire

Miſſam,

Miſſam, & orare Deum. Aliud eſt opus virtuoſum ſimplex, pertinens ad vitam actiuam: ſicut eſt recipere hoſpites, miniſtrare infirmis. Dicuntur autem ſimplicia, quia nõ ſunt permixta. Tertium eſt opus virtuoſum, pertinens ad vitam actiuam. Deriuatur tamen à plenitudine contemplationis; vt eſt prędicare, alios docere: nõ enim ſimpliciter pertinet ad vitam actiuam docere: ſed etiam ad contemplatiuam. Et opus vitæ contemplatiuæ eſt ſimpliciter melius & nobilius, quàm ſit de facto opus ſimplex vitæ actiuæ, ex quo vita contemplatiua, eſt ſimpliciter melior vita actiua. Et licet opus ſimplex vitæ actiuæ ſit virtuoſum & bonũ; non eſt tamen ęquè perfectum: imo minus perfectum opere deriuato ex contemplatione. Eſt autem duplex difficultas in opere virtuoſo: Vna ex parte operantis, & hęc non facit opus in ſe eſſe virtuoſius. non enim ſequitur: Difficilius eſt mihi ieiunare quàm orare: ergo melius eſt ieiunare quàm orare &c. Alia eſt difficultas ex parte operis in ſe. Et illa facit opus bonum magis meritorium. Vnde docere & prędicare ſunt difficiliora operibus ſolummodo contemplationis; difficultate operis in ſe: igitur ſunt magis meritoria. Opus itaque vitæ actiuæ deriuatum à vita contemplatiua, eſt ſimpliciter nobilius, & virtuoſius in genere moris, quam ſit ſimplex contemplatio. Nã magis & perfectius eſt illuminare, quàm lucere. Illuminare enim præſupponit lucere, & ſicut maius eſt illuminare quàm lucere, ita maius eſt contemplata aliis tradere, quàm de facto contemplari ſolum. Hæc Brul. vbi ſupra.

Opus bonum ſiue bene operatum (vt ſcribit Gabriel diſt. xxiij. qu. ij. art. iij. dubio. iij. lib. iij.) intelligitur opus quod à potentia elicitur conuenienter ad finem proprium potentiæ, cuius eſt. Sic quia oculi, id eſt, potentiæ videndi, finis eſt videre. Equi seſſorem ſuauiter ferre, velociter currere, & imperterrite hoſtes inuadere: Ideo diſpoſitiones, quibus oculus diſponitur ad perfectè & clarè videndum, dicuntur virtus oculi. Sit membrorum fortitudo, quo equus ad fines ſuos bene diſponitur, eſt virtus equi. Sic eſt, quia finis proprius intellectus eſt cognitio veri; & finis proprius, voluntatis eſt adeptio boni; habitus inclinans intellectũ ad apprehendendum clarè obiectum, & ad aſſentiendum promptè & firmiter vero, eſt virtus intellectus. Et habitus inclinans voluntatem ad delectabiliter volendum bonum, & nolendum malum, eſt virtus voluntatis. Hæc Gab. Et opera noſtra (vt ſcribit Chriſtopolitanus epiſcopus Pſal. 89.) ſunt in duplici genere. Nam quædã pertinent & diriguntur ad proximum, & pertinent ad charitatem proximi. Et quędam diriguntur in ſolum Deum: & iſta pertinent ad cultum diuinum & latriã: ſicut oratio, oblatio, & adoratio. Vide latius ibi Valentianum.

Opus excellens dupliciter poteſt dici (vt ſcribit ſanct. Bona. diſt. xl. quæſt. iiij. lib. ij.) Aut ſecundum vanam æſtimationem: ſicut aliquis reputat excellentiã vindicare ſe de aduerſariis, & prędominari aliis. Aut ſecundum veritatis dictamen: & ſic ſuſtinere ignominioſiſſimum genus mortis pro Chriſto, eſt opus magnæ excellentię. & tale opus excellentię non condiuiditur contra opus humilitatis: imo ſimul cum illa ſtat & neceſſariò eam requirit tanquam ſociam: & dum in ſe habeat difficultatem & dignitatem & charitatem præambulam, & humilitatem annexam, non eſt mirum ſi diſponit ad maiorem gloriam. Bonauen.

Opus laborioſum quandoque dicitur magis tale ex ipſo opere, quia arduum eſt, aliquantulum excedẽs vires naturales. Alio modo dicitur laborioſum propter operantis defectum, propter quem magis laborat, & iſta laborioſitas minuit meritum, prima auget. & ad illa promouet charitas, quia facit aggrediendi ardua. Gabr. diſt. xvij. q. iij. ar. iij. dub. iij. lib. j. & d. xxix. lib. ij. Hinc Aug. Omnia ſæua, leuia & propè nulla facit charitas. Meritum autem (vt Gab. vbi ſupra, dicit) non cõmenſuratur labori; ſed perfectioni charitatis & intentioni actus: vt & alias dicitur.

Opus facile. Et duo ſunt quæ faciunt opus facile. Primò affectus operantis. Secundò precium rei adipiſcendæ, vt dicit Iaco. de Valen. Pſal. 118.

Opera quædam dicuntur viua, quædam dicuntur mortua, quædam mortificata. Opera viua dicuntur quę fiunt ex radice ſpiritualis vitę, quę eſt charitas, propter quæ operans remunerandus eſt vita æterna, hæc tamen per ſequens peccatum mortale mortificantur: nõ per ſe, nec abſolutè, ſed per accidens, & in relatione ad peccatorem, quia durante peccati mortalis obſtaculo, homo pertingere nõ poteſt ad efficaciam illorum operum, quia cum peccato mortali remunerari non poteſt in vita æterna. Rich. di. xiiij. ar. viij. q. ij. lib. iiij. Et dicuntur opera viua (vt habet Paludan. diſt. xiiij. qu. vij. lib. iiij.) quia facta ſunt à viuente vita gratiæ: & ſunt meritoria vitæ æternæ; quamdiu non impediuntur. Opera mortua dicuntur illa quę facta ſunt à carente vita gratiæ, vt ait Petrus de Palud. vel quę non ſunt meritoria vitæ æternæ propter defectum debitæ circunſtantiæ, quę tamen ſunt bona ex genere, & per conſequens nata viuere. Quę verò ſunt mala ex genere, nõ ſunt mortua priuatiuè, quia nunquam ſunt nata viuere. Quæ autem à principio erant meritoria, & poſtea ſuperuenit mortale; dicuntur mortificata (vt dicit Paludenſis.) Vel opera dicuntur mortua ſecundum Rich. vbi ſupra. quæ non fiunt ex radice ſpiritualis vitæ, quæ eſt charitas, & talia ſunt opera bona in peccato mortali facta. Ponit & differentiam hanc inter opera mortua & mortificata Gabr. diſt. xiiij. quęſt. ij. ar. iij. dub. v. lib. iiij. poſt Magiſt. & docto. Mortua dicũtur quę nunquã acceptata ſunt ad beatificam præmiationem, & talia ſunt omnia quę nõ ſunt elicita ex gratia, ſicut omnia opera exiſtẽtis in mortali. Etiam opera exiſtentis in gratia, nõ tamen ab eo in finem vltimũ ordinata. Sed opera mortificata ſunt quę ad præmium ęternum ſunt à Deo acceptata, ſed per ſequẽs mortale peccatũ ab aſſecutione præmij impedita, talia ſunt opera meritoria ex gratia elicita lapſum in mortale præcedẽtia. Et licèt opera per culpam mortificata reuiuiſcant per pœnitentiã, non tamẽ mortua, quia quod nunquã vixit, non reuiuiſcit, & quia opera prius mortua nullã habuere efficaciam reſpectu futuri prẹmij beatifici, nõ adquirunt illam per remotionem impedimenti. Vide latiùs Gabriëlem vbi ſupra. Et diſt. iiij. qu. j. in fine li. iiij. vbi dicit quod opus bonũ mortuum,

ideſt in mortali peccato factum nunquam reuiuiſcit, quantum ad meritum operantis: quod mereretur ſi non in mortali fieret, ſed quantũ ad effectum quem aliundè habet poteſt reuiuiſcere. Exempli cauſa: Eleemoſyna in peccato mortali facta non reuiuiſcit quantum ad meritum dantis, reuiuiſcit tamen quantum ad orationem pauperum eleemoſynam recipientium, quibus impetrant gratiam dãti. Sic abſtinentia & corporis caſtigatio in mortali facta non reuiuiſcit quo ad meritum abſtinentis, ſed quia caſtigatio ex ipſo opere habet carnem ſubiicere ſpiritui, quantũ ad illum effectum reuiuiſcit, quia cedẽte fictione, caro ſubiectior eſt ſpiritui quàm ſi non præceſsiſſet caſtigatio. Sic ſuſceptio baptiſmatis, quantum ad meritum quod mereretur ſi ſuſciperet, contritus non reuiuiſcit, ſed quantum ad effectum quẽ habet ex opere operato per diuinam aſsiſtentiam, reuiuiſcit. Nec vt ſic eſt opus ſuſcipientis, ſed Dei ſuo ſigno aſsiſtentis. Hæc Gabriël. Et de operibus ſatisfactionis eſt idem iudicium ſicut & de aliis operibus, vt vult idem Gabriël diſt. xvj. quæſt. ij. poſt. dub. iiij. lib. iiij. Opus enim meritorium mortificatum reuiuiſcit, ſed opus mortuum, id eſt extra charitatẽ factum nunquã reuiuiſcit: vt ſupra patet. Aſtipulatur Rich. & Palud. vbi ſupra. quos & latiùs videre potes. Sed his videtur diſſentire Iacobus de Valen. in fine Pſal. 50. quando dicit quod iuſtificatus pèr pęnitentiam poteſt mereri augmentum gloriæ per bona opera quæ fecit dũ erat in peccato, & hoc per nouam oblationẽ in virtute nouæ gratiæ. Probat hoc multis ratione & exẽplo de illo qui eſt extra gratiã principis, & tamen multa bona agit aliàs, & exul à terra propter principem illa opera proſunt ei, poſtquam redit in gratiam cum principe. Talis ergo (vt ipſe vult) clementia non eſt neganda in Deo reſpectu iuſtificati per pęnitentiam, qui ante pœnitentiam nunquã ceſſabat orare, & alia bona opera exercere. Hinc dicit Luc. 16. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Subiungit & Valentia. quod talia opera facta à peccatore non ſunt mortua, ſed viua, & à principio viuo, quia à gratia præueniente & impellente ad bene agendum, ſunt facta. Sed ſi quis diceret: Talia opera ſunt facta ab homine mortuo in peccato, ergo ſunt mortua. Negatur inquit conſequentia, ſicut nõ valet: Domus facta eſt ab homine albo, ergo eſt alba, eo quòd accidit domificatori quod ſi albus: ita accidit homini quod ſit peccator inquantũ agit talia bona, ſed nõ accidit ſibi, imo eſt neceſſe quod operetur per gratiam ſaltem pręuenientẽ & diſponentem. Et licet talis homo non dicatur viuere vita gratifica: tamen viuit per talem gratiam diſponentem quantũ ad illa bona opera agẽda. Bona igitur opera facta in peccato valent iuſtificato per pœnitentiam poſt conuerſionẽ eo modo quo dictum eſt in virtute nouę charitatis. Quare ibidẽ hortatur epiſcopus Chriſtopolitanus, quod exiſtẽs in aliquo peccato, nõ debet ceſſare orare, nec bona opera agere cum propoſito & conatu agendi pœnitentiam. Hæc Valen. Vide ad hoc Gabr. diſt. xvj. qu. ij. ar. iij. dub. iiij. lib. iiij. qui non parum multa ſcribit.

Opus carnale eſt opus peccati. Ex quo (vt ſcribit S. Bonauen. diſt. vlti. ar. ij. q. j. lib. iiij.) generatur vermis ſpiritualis. Et tunc dicitur peccatum putridum, quando anima in eo requieſcit finaliter: vt idem dicit quęſt. ij. vbi ſupra. Quando autem ſit peccatum mortale delectari in opere carnali, conſulatur Gerſ. parte. ij. in quæſtionibus quibuſdam, & ſuis reſponſionibus, qui ita ſcribit. Quod ſi quis tentatus fuerit de aliquo peccato mortali, ſi delectatur in eo delectatione moroſa, & placeat ſibi illa delectatio ratione deliberata, ita quod non vellet quod tentatio recederet, ſed quod tentatio duret amplius, poſito quod non vellet actualiter committere peccatum, hoc eſt exercere peccatum ſuum ad extra, peccat mortaliter. Sic intelligitur illud beati Thomę de Aquino, qui dicit quod cõſenſus delectationis peccati mortalis eſt peccatum mortale. Propterea (inquit Cancellarius Pariſienſis vbi ſupra) cautiſsimũ eſt ſtatim abigere tales recogitationes operum carnalium, tam aliorum quàm ſuorum, quãuis ſit aliquãdo in tali recogitatione vitium quoddam curioſitatis noxię, quàm non oportet eſſe peccatum mortale, potius quàm ſit delectatio carnalis. Et hęc curioſitas communis eſt apud quemlibet ex ſenſibus, vt oculus non ſaturatur viſu, nec auris auditu, & poteſt magis dici delectatio huiuſmodi ſenſualis, quàm carnalis ſeu libidinoſa. Hæc Gerſon.

Opus inſuper carnale opponitur ſpirituali. Nam opus carnale eſt opus carnis vel vitioſum vel malum. Opus verò ſpirituale eſt opus ſpiritus vel bonum vel virtuoſum, vel meritorium. Et opera carnis dicuntur opera tenebrarum, & opera ſpiritus arma lucis dicuntur, vt dictum eſt. Opponuntur & ex eo, quia caro concupiſcit aduerſus ſpiritum (inquit Apoſtolus.) Annumerat autem Apoſtolus ad Galat. 5. opera carnis, quæ ſunt ſecundum eum. Fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitię, contentiones, æmulationes, ira, rixa, diſſenſiones, ſectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia. Et qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur. Fructus autem ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas, &c. Quod autem opera carnis dicantur opera tenebrarum, & opera ſpiritus arma lucis, habetur ab eodem Apoſtolo ad Roman. 13. cùm inquit: Abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, ſic vt in die honeſtè ambulemus, nõ in comeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione, & æmulatione, ſed induimini Dominum Ieſum Chriſtum, & carnis curam ne feceritis in deſideriis.

Opus pœnale dicitur dupliciter (vt ſcribit Gab. diſt. xvj. quæſt. ij. artic. j. lib. iiij. Vno modo formaliter, ſcilicet quod infert afflictionem, vel pœnam agenti interiorem, ſcilicet triſtitiam animæ, vel dolorem exteriorem corpori, vt contritio, ieiunium, caſtigatio, labor corporalis. Vel opus dicitur pœnale (ſecundum Paludenſem, diſtinct. xv. quæſtion. j. libr. iiij.) quicquid eſt contra rationem voluntatis, & huiuſmodi, non eſt inquit ſatisfactorium, quia nec virtuoſum. Alio modo virtualiter, ſcilicet quando eminenter includit perfectionem operis pœnalis, & reddit hominem paratum ad ſubeundum

passionem,

paſsionem, aut laborem ſi facultas vel opportunitas occurreret. Sic actus intenſus charitatis Dei, licèt delectet habentem intantum, quod etiam opus naturaliter pœnale reddit dulce & delectabile. Sic de beato Stephano, Petro, Andræa, &c. ſcribit beatus Auguſtin. in ſoliloq. ca. xxij. quibus dulcedo & feruor charitatis lapides, torrentes & crucem fecit dulces, eosque paratiſsimos reddidit ad tormenta ſæuiſsima tolletanda: attamē talis actus dilectionis Dei includit virtualiter contritionem peccatorum. Non enim ſimul ſtāt Deum ſuper omnia diligere, & tamen peccatum quod cōtra Deum eſt, non odire, ſi in cogitatione occurrat. Gabriël vbi ſupra. Vel opus pœnale ſecundo modo dicitur (vt Paludenſis ait) quicquid eſt priuatio alicuius boni quamuis placeat voluntati: & ſic per tale opus pœnale in ſe liberale voluntati fit ſatisfactio.

Opus ſatisfactorium (vt poſt Richard. ſcribit Gabr. di. xvj. q. ij. dub. vij. lib. iiij.) eſt opus ſeu actus voluntatis elicitus vel imperatus. Ideo flagella vndecunque inferantur ab extrinſeco, vt ſic non ſunt ſatisfactoria. Sed voluntaria ſufferentia eorum pro remiſsione peccati ſatisfactoria eſt, quia illa eſt à voluntate tanquam ab actiuo principio. Concordat Paludenſis vbi ſupra.

Opus ſupererogationis dicitur opus conſilij vel quod fit vltra id ad quod quis debet: & opus ſupererogationis includit meritum, quare Deus non poteſt propriè facere opera ſupererogationis, quia Deus non poteſt mereri. Item ſacerdotem dicere horas, non eſt ſupererogationis. Item ieiunare per Quadrageſimam, nō eſt ſupererogationis. Item aliquid alicui, quandoque eſt ſupererogationis, & poſtea non eſt ſupererogationis, ſed neceſſariū. Sicut aliquem ſeruare regulam fratrum minorum, ante votum eſt ſupererogationis, poſtea eſt bonum neceſſarium: poſt profeſsionem enim ex communi lege vouentium tenetur, quia vouentibus eſt lex poſita de reddendo. Bonum autem ſupererogationis non habet malum oppoſitū: ideo nec conſiliū habet ſignum oppoſitū. Hæc Brulef. d. xlv. art. iij. q. lib. j.

Opus formatum. Et dicuntur opera formata dupliciter. Vno modo per excluſionē deformitatis peccati. Alio modo per poſitionem dignitatis meriti. Si primo modo accipiantur opera formata, ſic præcepta decalogi obligant ad opera formata: obligāt enim ad vitādum omnia peccata mortalia. Omnia namque peccata mortalia aut capitalia in mandatis Dei habentur prohiberi. Nam ſuperbia prohibetur in adoratione Dei, & in honorificatione proximi: inuidia verò & ira, in fuga homicidij: acedia in ſanctificatione ſabbati: auaritia verò in prohibitione furti: luxuria & gula ſibi coniuncta, in prohibitione mœchiæ & adulterij, vbi prohibetur omnis coitus & immoderata delectatio carnis. Si ſecundo modo, ſi loquamur de obligatione cōditionali mandata decalogi obligant ad opera formata. Si quis enim vult ad vitam ingredi, neceſſe eſt ex charitate ſeruare mandata, quæ quidem charitas eſt meriti principium. Secùs eſt de obligatione abſoluta. Videatur ad hoc ſanctus Bonauen. di. xxxvij. qu. ij. libr. iij. & aliàs patet ſufficienter in dictione *Præceptum.* Debemus autem mādata obſeruare ſecundum intentionē præcipientis: & hoc verum eſt de obligatione conditionali, ſi volumus ad vitam ingredi. Poſſet tamen & aliter dici, quod intentio Legiſlatoris non ſolummodo fuit ad hoc vt homo perueniret ad gloriam, ſed etiā vt vitaret pœnam. Mandata autem ſi obſeruentur quantum ad opera extra gratiam facta, ſufficiunt ad vitādam pœnam. Et propterea non ſequitur, quod per mandata obligetur quis abſolutè ad opera meritoria, vt dicit ſanctus Bonauen. vbi ſupra. in ſolu. argu.

Opus operatum & opus operans, ita diſtinguuntur: Opus operatum, eſt opus vel ſignum exterius exhibitum, quod fit ad ſignificandum aliquod, & valet ex inſtitutione & pacto, ſicut ſacramenta nouæ legis valent ex opere operato, hoc eſt ex vi ſacramenti conferunt gratiam, ſi nihil aliud impediat, hoc eſt ſi ſuſcipiens non ponat obicem, vel non eſt peccato inquinatus mortali. Opus verò operās, eſt motus ipſius agentis interior. Et fructus ſacramentorum eſt, vt per ea conſequamur gratiam, non ſolùm ex opere operante, ſed ex opere operato (vt ſcribit Gab. ſermone primo de Circunciſione Domini) quod nullis aliis operibus eſt conceſſum, nec ceremoniis veteris legis (vt dicūt Doctores ex verbis Auguſtin. quæ ponit Magiſter di. j. quarti.) Sic autem cōferunt gratiam ex opere operato, quia ad conſequendam gratiam per ea non requiritur ſecundum Scotum, motus bonus interior de cōgruo ſufficiens ad gratiæ infuſionē, ſed ſufficit quod ſuſcipiens ea non ponat obicem infidelitatis contrariæ voluntatis aut conſenſus in mortale peccatum commiſſum vel cōmittendum. Qui enim tale aliquid repugnans gratiæ in ſe haberet, gratiam accipere non poſſet, quoniam contraria & repugnantia ſimul ſtare non poſſunt, patet in paruulis baptizatis, & pœnitentibus ſolum attritis. In primis nullus motus liberi arbitrij præcedit. In ſecundis & ſi aliquis præcedit, tamen talis propter ſui imperfectionem gratiam de congruo non meretur, & tamen ambo virtute ſacramenti gratiam conſequuntur. Gabriël poſt Scotū vbi ſupra. Dicimus præterea quod Miſſa & mali & boni ſacerdotis ex opere operato eſt æqualis, ſed ex opere operante eſt inæqualis: quoniā tam boni quàm mali ſacerdotis Miſſa eſt melior. Sic Miſſa dupliciter dicitur valere ex opere operante, hoc eſt ex merito perſonali perſonæ celebrantis, propter quod confert Deus petita à ſacerdote eis quibus orationē & Miſſæ ſacrificium applicat. Ex opere operato, id eſt ex ipſa conſecratione, oblatione, ſumptione venerabilis Euchariſtiæ, non habendo reſpectum ad perſonalem ſanctitatem aut meritum ſacerdotis. De quo vide latius Gabriëlem lect. xxvj. canonis. Vnde Auguſt. in lib. de corpore Chriſti. In myſterio corporis & ſanguinis Domini nihil à bono maius, nihil à malo minus perficitur ſacerdote: quia nō in merito cōſecrantis, ſed in verbo perficitur creatoris, &c. Sacramentalia verò valent ex opere operante, non ex opere operato: de quo aliàs latiùs dicitur, & infra videbitur aliquid, cùm de ſacramento agetur. Vnde Gerſon tract. ix. ſuper Cantico Mariæ, ait: Sciebat (inquit) loquitur de beata Virgine, Euchariſtiæ ſuſceptionem virtutem habere priuilegiatam, quam dicimus vim operis operati. Addit: hæc vis ad pro-

prium

prium meritum ſolius voluntatis vel proprij operis plus valet hic, ſicut & in baptiſmo actualiter accipere quàm ſolum voluntatis deſideriùm habere. Quo circa(inquit Gerſon)ſtultè agunt qui ſe reddunt inhabiles ad ſuſceptionem: ſtultè qui ſine cauſa rationabilis impedimenti ſe ſubtrahunt. Prudenter verò qui ſibi bene conſcij frequenter accedunt, porrò meretur ſacerdos dignè conſecrans, ſed amplius dignè communicans, etiam non ſacerdos. Hæc Gerſon.

Opus aliquod prodeſſe alij per accidens dupliciter poteſt intelligi: vt ſcribit Richardus di.xlv.art.vj. quæſti.ij. libro iiij. Aut quia eſt purè paſſiua occaſio vtilitatis illius: quia ex ſe magis ordinatur ad defectum, quamuis homo ex bonitate ſua inde illius vtilitatem eliciat, & tale opus facienti nõ prodeſt, ſed obeſt. Alio modo: quia quamuis non ſit per ſe cauſa vtilitatis, tamen ordinatur ad inducendum homines ad faciendum alterius vtilitatem, & tale opus prodeſſe poteſt facienti, ſicut eſt mortuos ſepelire, quod prodeſt viuis ſepelientibus: quia tale opus fidem reſurrectionis aſtruit (vt dicit Auguſt.) & homines ad eleëmoſynam faciendam excitat. Luminaria, etiam panni, & alij ſumptus, qui fiunt in ſepulturis mortuorum, prodeſſe poſſunt per accidens, inquantum per talia homines excitantur ad compatiendum, & per conſequens ad orandũ pro eis, & inquantum etiam pauperes fructum capiũt, & eccleſia propter Deum honoratur: & ſic Tob.12. ſepultura inter cęteras eleëmoſynas computatur, vt habet Richar. quæſt.j. vbi ſupra.

Opus Dei eſt quod fit à Deo. Et ſi Deus omniũ eſt cauſa(vt dictum eſt in dictione *cauſa prima*)tamen agit & mediante creatura multa alia. Eſt igitur cauſa omniũ eorũ quæ fiunt vel mediata vel immediata, opera autem Dei ſunt perfecta, vt dicitur Deut. 32. Et opus Dei (vt ſcribit ſanctus Bonauen.di.iiij. parte.ij.qu.j.lib.ij.)eo ipſo quod opus Dei eſt, neceſſe eſt ipſum eſſe laudabile, eſſe ordinabile, eſſe acceptabile, eſſe perfectum, vel perfectibile. Nihil facit Deus quod non deceat ſuam maieſtatem. Vnde dicere vel ponere quod diabolus à Deo habuit originaliter ſibi innatam malitiam voluntatis, nõ tantum falſum eſt, imo hæreticum: cùm enim Deus in omnibus operibus laudabilis exiſtat, nõ eſt credendum quod faciat opus aliquod vituperabile. Plora ibidem Bona. Et cùm potentia Dei prout ad extra reſpicit, & operando ſe extendit, eſt eadem in qualibet perſonarum (vt ſcribit Gerſon tract.v. ſuper cantico virginis) & ſecundum iſtam opera trinitatis ſunt omnino indiuiſa. Opus verò Dei opificis in prima mundi productione eſt triplex, ſcilicet opus creationis, opus diſtinctionis, opus ornatus. Opus creationis eſt opus productionis creaturæ de nihilo, quod deſcribitur ante omnẽ diẽ, cùm legiſlator Moyſes ait: In principio creauit Deus cęlum & terram, &c. Opus diſtinctionis eſt quo abinuicem diſtinctę ſunt partes mũdi principales, ſcilicet cęlum & elementa, aut per formas ſubſtãtiales ſpeciuocas de nouo nõ quidẽ creatas, ſed de preiacenti materia productas, vel accidentales, & per locationẽ eis debitam & diſtinctam, & hoc deſcribitur factum tribus primis diebus, quorum primo facta eſt lux. Secundo firmamentum. Tertio aqua & terra cum plantis. Opus ornatus eſt productio luminariũ & mixtorum in cœlo ex materia elementorum, quibus cœleſtia corpora & ipſa elementa ornantur, & hoc deſcribitur vltimis diebus facta, ſcilicet quarta quinta, & ſexta. Quarta opus ornatus cęli. Quinta ornatus aquæ. Sexta ornatus terræ. Hęc Gabr. diſt. xij. quæſt.ij.lib.ij.

Opera diuina ſecundum Iacob. de Valent. Pſal.91. ſunt in triplici genere vel ſunt triplicia. Quædam dicuntur opera creationis, & quædam opera permiſſionis, & quędam opera redemptionis, & quędam opera iuſtificationis & punitionis. Prima opera, ſcilicet, creationis: puta, cœlũ & elementa & omnis ornatus eorum, dicuntur opera magnifica, quia demonſtrant Dei omnipotentiam, de quibus modò dictum eſt. Opera permiſsionis, ſcilicet, quare Deus permittit proſperari malos, & affligit bonos in hac vita, pertinent ad profundiſsimam & abyſſalem ſcientiã Dei. Opera verò punitionis malorum pertinent ad Dei iuſtitiam: & demonſtrant Deum eſſe iuſtiſsimum. Sed iuſtificationes bonorum pertinent ad Dei miſericordiã, quia ſicut punit malos per iuſtitiam, ita iuſtificat & vocat & exaltat bonos non ex meritis, ſed per ſolam miſericordiam, & talia opera etiam pertinẽt ad altitudinẽ ſapiẽtię & ſcientiæ Dei, ideo dicũtur inſcrutabilia & inueſtigabilia, eo quòd nullus poteſt reddere cauſam, cùm ſint ex volũtate Dei, & occultiſsimis iudiciis eius, & talia opera dicuntur profundiſsimæ cogitationes Dei. Hæc Valentia. De his operibus Dauid loquitur. Pſal.91. cùm ait. Quàm magnificata ſunt opera tua Domine? nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ, vir inſipiens non cognoſcet, & ſtultus non intelliget hæc, &c.

Opus incarnationis eſt, dum Chriſtus aſſumpſit humanam naturam, & illud opus excedit limites naturæ(vt ſcribit Gab. diſt.ij.quęſt.vnica.dub.iij.lib. iij.) Et de opere incarnationis ſiue incarnatione ſupra dictum eſt.

Orare eſt mentẽ in Deum eleuare, à quo oratio. Et oratio ſecundum Rich. diſt.xv.ar.iiij.qu.j.lib.iiij. dupliciter poteſt accipi. Vno modo pro deſiderio obtinendi aliquid à Deo, quo deſiderans ordinetur in ipſum, & ſic oratio eſt quidã aſſenſus animæ intellectiuę ad Deum, qui eſt voluntas vt eliciẽtis, & intellectus vt dirigentis. Vnde Gloſa ſuper illud Pſal. Accedite ad Deum, dicit fide inhęrendo & duobus pedibus geminæ charitatis currendo. Primum pertinet ad directionem intellectus. Secundum ad ſenſum affectus, etiam ſic accipitur oratio ſecundũ quod 1. Cor.2. diſtinguitur contra obſecrationem, poſtulationem & actionem gratiarum, & etiam in Gloſ. ſuper illud Pſal. Domine ante te omnẽ deſiderium meum, vbi dicitur: Nũquam deſinit orare, qui nõ deſinit amare. Alio modo orare idẽ eſt quod prædictum deſiderium loquendo Deo proponere, nõ per modum indicatiuum, ſed ſupplicatiuũ: & ſic orare eſt actus intellectus, vt elicientis, & voluntatis vt mouẽtis, & ſic loquitur Iſido. de oratione x. lib. Etym. vbi dicit. Orare eſt dicere. Et Auicen. x. mera. cap.iij. cùm dicit, quod per orationem homo eſt eloquens Deo. & Philoſophus 1. Ethic. ca. penult.

penult.vbi dicit. Ad oprima deprecatur oratio.

Orare eſt poſtulare. Vnde Aduocatos dicimus oratores & oratlones vocantur poſtulationes (vt inquir Paludenſis. diſtinct.xv. art.j.lib.iiij.) & poſtulare ſecundum leges eſt deſiderium ſuum, vel amici in iudicio eoram iudice proponere vel exponere (inquit Palud.) qui & ibidem dicit quòd quiſque & in quocunque ſtatu orare debeat. Et clerici prius pſalterium quàm Philo. addiſcant: aliàs nõ excuſantur à culpa, & de modo orandi ibidem dicir. Orare pro aliquo, eſt orare pro alicuius ſalute, idcirco pro martyre nõ eſt orandum teſte. Augu. de verbis Apoſtoli di. Iniuria eſt pro martyre orare in eccleſia, cuius nos debemus orationibus commendare, pro aliis autẽ defunctis oratur. Si ergo (vt ſcribit ſanctus Bonauen. circa textum. di. xlv. lib. iiij.) conſtare debet nobis quod martyres ſtatim beatificantur, ſicut nullus debet de eorum gloria dubitare, ita pro eis nullus deber orare. Si enim orat, videtur præſumere quod non ſint martyres verè, & nõ tantum præſumere ſed etiam exterius innuere, ac per hoc iniuriam martyri facere. Vel orare pro aliquo eſt petere ſalutem eius vel accelerationem ſalutis, ſic pro aliis defunctis oratur: & quomodo tam pro viuis quàm pro defunctis ſit orandũ, aliàs multa à multis ſcribuntur, pręſertim à Gerſone in multis ſuorum operum tractatibus & ſermonibus.

Orare autem & deprecari differunt ſecundum Iacobum de Valen. Pſal. 16. Nam orare eſt aliquid petere indifferenter. Sed deprecari eſt ab aliquo malo perere liberari.

Orare fictè dicitur is qui illud pro quo orat neque vult nec deſiderat.

Oratio dicitur quaſi oris ratio, & eſt triplex (vt notat Bruleſ. di. xvij. qu. iiij. lib. iij.) quædam logica, alia rhetorica, & theologica. Prima eſt vox cõplexa ſignificatiua ad placitum. Rhetorica dicitur quælibet propoſitio diſſuaſiua vel perſuaſiua, qua perſuaderur quę præponitur ab aliquo Rhetore facta alicui principi. Alia eſt theologica, & eſt quidam ſapor mentis in Deum terminatus. Et de hac oratione dupliciter loqui poſſumus, vt ſcribit Thom. Argẽ. di. xxiij. lib. iiij. Vno modo vt eſt publica conueniẽs alicui ex officio. Alio modo vt eſt priuata conueniens alicui ex merito vitæ. Primo modo oratio boni Laici non eſt efficacior quàm mali ſacerdotis: quia ſacerdos dicens orationem, qua confert ſacramentum vnctionis extremæ &c. quæ oratio ſibi cõuenit ex officio, orat enim in perſona totius Eccleſiæ, & ideo vt ſic oratio eſt efficacior oratione cuiuſcunque Laici, qui orat tanquam perſona priuata & ſingularis. Licet ſecundo modo oratio boni Laici efficacior eſſe ſolet. Vide ad hoc Gabriëlem lecti. lxij. canonis.

Oratio ſecundum ſanct. Bonauen. di. xv. lib. iiij. capitur tripliciter: propriè, communiter & communiſſimè. Propriè oratio eſt aſcenſus ad Deũ ad aliquid deguſtandũ vel impetrandum vel exoluendũ. Communiter verò oratio dicitur ſecundum quod comprehendit omnem actum contemplatiuè ad Deum relatũ. Cõmuniſſimè ſecundum quod cõprehendit omnẽ bonũ actum ſecundũ quod dicitur. Nõ ceſſat orare, qui non ceſſat benefacere in Glo. 1. ad Tim. 5.

Oratio variè à multis deſcribitur. Vnde Alexan. parte iiij. qu. lxxxviij. multas orationis diffinitiones recitat verbaliter differentes ſecundum ſententiam ſatis concordantes, quas & vide apud Gabr. lectio. lxj. canonis. Damaſce. lib. iij. cap. xxiiij. ita diffinit. Oratio eſt aſcenſus intellectus ad Deum. Cui conſonat illa Augu. in ſerm. de oratione & ieiunio.

Oratio eſt pius mentis affectus in Deum directus. Dicitur affectus pius ſecundum Bruleſ. diſtin. xvij. qu. iiij. lib. iij. id eſt actus affectandi vel affectionis & pius à pietate. Pietas autẽ capitur pro cultu diuino completo fide, ſpe, & charitate. Ex quo ſequitur quod nulla oratio eſt propriè oratio niſi fulciatur fide, ſpe, & charitate. Oratio enim eſt quædam auis pulcherrima emiſſa ab arca Noë eccleſiæ, & quãdo eſt bene ordinata, retulit ramum oliuæ virentem.

Vnde duæ ſunt alæ, ſcilicet fides & ſpes, & ſine his non poteſt volare. Charitas autem eſt vita orationis, quia mortua eſt ſine ipſa, etiã ordinata pulcherrimis plumis, ſcilicet humilis & ſubdita, reuerẽs & deuota. Item Pagani & infideles non poſſunt orare quamdiu ſunt tales, quia oratio eſt pietas complectẽs cultum diuinum totum, id eſt fidem, ſpem, & charitatem. Vnde licèt Idolatræ colendo idola, petunt multa à diis ſuis, tamen non orant, quia oratio eſt affectus pius, & oportet quod ſit charitate formatus. Item Iudęi licèt multa petant à Deo, permanentes in perfidia ſua, non poſſunt orare, quia non poſſunt habere affectum pium: nec dæmones & damnati poſſunt orare, quia licèt habeant fidem & ſpem, non tamen formatam, nec timent timore ſeruili, ſed horribili. Nec viatores in Eccleſia Chriſti quamdiu ſunt in peccato mortali, orant propriè loquendo. Patet, quia non piè orant, quia pietas complectitur ſpem, fidem & charitatem, quia ſunt ſicut ligna arida & ſicca non animata. Vnde differentia eſt inter petere & orare (vt idem Bruleſer ſcribit) hinc bene tales poſſunt petere, ſed non orare: quia omnis qui orat, petit, ſed non econuerſo, niſi dicere velis quod alia ſit oratio informis, & iſta eſt ſine charitate. Alia formata charitate, & quamdiu homo eſt in peccato, non poteſt orare. Vnde periculoſum eſt (vt ait Bruleſer.) accipere eleẽmoſynas, & bona ad orandum, vt faciunt religioſi & ſacerdotes: quia ſunt fures & latrones, quia Miſſæ eorum & orationes nihil valent, quantum ad opus operantis, ſiue ad meritum perſonale. Secùs quantum ad opus operatum. Iuſti verò & bene dirigentes affectum ſuum pium in Deũ, propriè orant. Vnde omnes ſancti & ipſe Chriſtus propriiſſimè & ſine intermiſſione pro nobis orant. Orationes itaque ſiue preces creaturæ nunquam ſunt Deo gratæ, niſi ſit in gratia. Probatur & per illud Geñ. 4. Reſpexit Dominus ad Abel & ad munera eius. Ad Cain autem nõ reſpexit, nec ad eius munera. Vnde Eſa. 1. Cùm multiplicaueritis preces, nõ exaudiam: manus enim veſtræ plenæ ſunt ſanguine. Et dicitur oratio in Deum directa, propter quod nullus homo per ſe poteſt orare alium hominem, nec poteſt orare angelos nec beatos, nec virginem glorioſam. Et licèt nullus homo poſſit orare ſanctos, poteſt tamẽ licitè rogare & petere ab eis aliquid, tamen ſancti orant continuè Deũ pro nobis. Et oratio eſt aſcenſus mentis in Deum, ſed mens in Deum nõ aſcen-

dit niſi

dit niſi purgetur. Non diſcrepat à ſuperiori diffinitione illa Hugonis: cùm dicit: Oratio eſt conuerſio in Deum per pium & humilem affectum. Vel ſecundũ Glo. ſup. illud. j. Theſſal. vlt. Sine intermiſſione orate. Oratio eſt expreſsio deſiderij propter bonum adipiſcendum, vel malum remouendum informata per verbum exterius vel interius. Aliter diffinit ſanctus Gregorius x. moral. dicens: Orare eſt amaros in compunctione gemitus, & non compoſita verba reſonare. Cui ſimilis eſt illa Hugonis: Deuotio ex compunctione procedens, quæ datur ſecundum ſtatũ pœnitentis. Item ſanct. Bernat. in quadam epiſtola. Oratio eſt hominis Deo adhærentis affectio & familiaris quædam & pia allocutio, & ſtatio illuminatæ mentis ad fruendum Deo quamdiu licet. Cui conſonat iſta ſanct. Ambroſ. Oratio eſt cibus mentis, claraque alimonia ſuauitatis, quæ membra non onerat, ſed in ornamenta conuertit. Ornamenta vtique morum atq; virtutum VVilhel. in diuina Rheto. ſic diffinit in ſua generalitate. Oratio eſt petitio quę ad Deum dirigitur, vel ad perſonas, vel perſonam propter ipſum. Petitio autem genus eſt ad orationem, quæ generaliter eſt locutio inclinatiua alterius ad bonum præſtandum, vel malum remouendum. Et dicitur, inclinatiua, non optatiua: quia non eſt idem, optare & petere, multi enim optant & deſiderant quæ non petunt, & optant vel deſiderant quæ omnino habere nolunt, ſicut viri ſancti & ſapientes qui multa concupiſcunt & deſiderant ſecundum ſenſualitatem, à quibus tamẽ ſe abſtinent viriliter, & auertunt. Qui autem petit indubitanter, oſtẽdit ſeſe velle obtinere quod petit. Hæc VVilhel. Ex his patet quod oratio eſt actus quidem potentię rationalis, quia relatus ad Deum, quod referre in Deum ſoli potentiæ rationali conuenit. Eſt enim oratio aſcenſus intellectus ad Deum, videtur & eſſe actus voluntatis & affectus. Eſt enim oratio ſecundum Augu. pius mentis affectus in Deum directus, vtrũque itaque videntur ſanctorũ diffinitiones aſtruere orationem eſſe, vel actum intellectus vel voluntatis. De quo videas & Gab. lect. lxj. cano. Oratio ſecundum S. Tho. iiij. ſent. diſt. xv. Et ij. ij. q. xxxiij. art. iiij. eſt oris ratio per quam noſtri cordis intima manifeſtamus Deo. Vel oratio eſt oſtenſio voluntatis noſtræ ei à quo impetrare ſperamus id quod deſideramus. Gerſon. parte ij. in ſerm. de oratione, ait: Nuncius eſt oratio quę duabus alis ſubnixa eſt, fide, ſpe, quæ animata eſt charitate, & quæ ornata eſt tanquam plumis virtutum multiplicitate. Vnde quid eſt oratio, niſi aſcenſio vel eleuatio mentis in Deum per pium & humilem affectum, quo fit vt dum oramus nos familiari quadam proximitate Deo colloquimur. Multa ibi de oratione ſcribit, & aliàs in multis locis, ſcilicet de mendicitate ſpirituali parte prima, & in ſermone pro defunctis, parte quarta, & in multis aliis locis, ſed laconiſmo gaudemus.

Oratio quædam eſt purè mentalis, quædam purè vocalis, quædam media vel mixta. De quo videatur Sanctus Bona. diſt. xv. art. ij. qu. iij. lib. iiij. & Alex. parte iiij. qu. ix. memb. ij. art. vj. Et Gabr. lect. lxij. canonis. Oratio purè mentalis eſt quando labia nõ mouentur, ſed cor ad Deum loquitur. Quomodo orabat Anna. de qua 1. Regum 1. dicitur. Et Gloſſa ſuper illud Pſal. Exaudiſti Domine deprecationem meam dum clamarem ad te. Clamor fit ad Deum non voce ſed corde: quia multi ſilentes labiis clamauerunt, multi ſtrepentes corde auerſo nihil impetrare potuerunt. Clama ergo intus vbi Deus exaudit. Oratio purè vocalis, quando nihil cogitat in his, quę dicit nec in generali nec in ſpeciali: ita quòd referat intentionem ad ſenſum verborũ vel finem: ſed cùm orat fabricat caſtra, hoc eſt mente verſat inania, & penitus impertinentia. Et ſic mentalis ſimpliciter excedit vocalem (vt inquit ſanctus Bonauentura.) acceptiorque eſt Deo: vt vult Gerſon parte ſecunda, de ſollicitudine Eccleſiaſticorum) oratio mentalis quàm vocalis. Oratio mixta in qua ſcilicet orat mẽtaliter & vocaliter, & de iſta diſtinguendum eſt ſecundum ſanctum Bona. vbi ſupra. quia aut verba illa impediunt affectum, quia ſic inflammatus eſt, quod immediatè fertur in Deum, & tali vtilior eſt oratio mentalis. Si autem iuuatur vtilior eſt vocalis, & multi ſunt tales & maximè illi qui non ſunt viri ſpirituales, ad quorum affectus prouocandos inſtitutæ ſunt vocales orationes. Et vt idem ait: Credo quod omnis ſit ſatisfactoria: quia nulla eſt in qua non laborant virtutes animales, & quantum delectantur ſpiritus tantum caro frequẽter tabeſcit, & virtutes animales minus ſunt intentæ regimini corporis. Credo tamen (vt idem dicit) quod illa inter cæteras eſt magis ſatisfactoria in qua accenditur homo ad gemitum, quia hæc eſt in qua Deus maximè delectatur. Vide latius ibi ſanctum Bona. Conſonat Bruleſe. diſt. xv. libr. iiij. vbi ponit pro regula quod omnis oratio vocalis requirit orationem mentalem, ſed non econuerſo. Apud Deum enim non eſt agendum verbis ſed affectibus. Hinc dicitur Matth. 6. Orantes nolite multum loqui ſicut Ethnici faciũt. Et licèt oratio mentalis ſufficiat quo ad Deum, qui inſpector eſt cordis, vtilis tamen eſt priuata vocalis propter plures cauſas, quas aſsignãt doctores, Alexander, Thomas, & cæteri poſt eos, ſcilicet propter excitationem interioris deuotionis: propter mentis illuminationẽ, quę fit per verba. Itẽ propter recordationem faciliorem rerum tempore orandi. Vnde Gloſſa Mat. 6. ſuper illud. Non apud Deum agendum eſt verbis, ſed rebus, intentione cordis, affectu ſimplici. Quarto propter mẽtis ab euagatione cuſtodia. Quinta cauſa eſt plenior debiti redditio. Sexta eſt redundantia quædam ab anima in corpus ex vehementi affectione ac deuotione, ſecundum illud Pſalm. Lætatum eſt cor meum, & exultauit lingua mea. Sæpè enim mens orantis deuotione accenſa in fletus, & ſuſpiria in iubilos, & voces inconſideratè prorumpit. Septima cauſa eſt inſtructio proximorum. Vnde Gloſſa Mat. 6. Vult Deus rogari & venerari, vt bonitas eius deriuetur ad plurimos, & ſtatus iuſtitiæ ſeruetur apud ſubiectos. Vide latiùs apud ſanctum Bonaue. diſt. vltima. & Gabriël lection. lxij. canonis illas cauſas clarius explicãtem & deducentem. Et cùm in oratione (vt ſcribit Palũdenſis diſtinctione. xv. quæſtione quinta articulo j. libro quarto) præcipuè attendatur orantis deuotio, ideo tantum debet oratio extendi quantum orantis deuotio poteſt protendi,

tendi, ideo ſi multum poteſt protendi, & oratio debet eſſe diuturna & prolixa. Si autẽ prolixitas vel diuturnitas faſtidium parit, non eſt vltra protrahenda, de conſecratione di. v. Non mediocriter. Melius eſt ſeptem pſalmos decantare cum puritate, & ſpirituali hilariate quàm totius pſalterij modulatio cum triſtitia. Cæteris ergo paribus crebris oratio melius valet. De prolixitate orationis exempla ſunt in Chriſto, in Arſenio, in beato Dominico, qui pluries pernoctabant in oratione. De crebritate in Bartholomęo qui centies per diẽ & centies per noctem flexis genibus orabat. De attentione & deuotione in monachis Ægypti, qui (vt dicunt in vitis Patrum) nec oſcitabant, nec ſpuebant pſalmodizantes. Et vt idem Paluden. ſcribit concluſione iij. vbi ſupra. Licèt non ſemper actualiter debemus orare, tamẽ in virtute ſemper orare debemus, quia vt dicit Gloſſa ad Theſ. Non ceſſat orare, qui non ceſſat bene agere. Horis tamen & temporibus conſtitutis orare debemus, ne intentio noſtra frigeſcat, vt tenentes ſurgere ad matutinas quicunque debẽt eas orare illo tempore. Vnde Pſal. Media nocte ſurgebã ad confitendum tibi, vnde horam non licet prætedire, nec anticipare, vt nomẽ ſit conſonũ rei niſi ex cauſa. Et ſecundũ hoc poſſunt accuſari vel excuſari, qui dicũt matutinas in ſero, quia ſi hoc faciũt, vt plus dormiant, vel propter aliã nõ licitã cauſam accuſabiles ſunt. Si autẽ propter breuitatem noctiũ & ſolennitatẽ officij, vt quædam eccleſiæ faciũt, excuſabiles ſunt. Latiùs Palu. Vnde Hugo dicit quod ante horam orare prouidentia eſt, poſt negligentia. In hora obedientia intelligendũ eſt (inquit Palud.) quando hoc fit ex rationabili cauſa. Clerici quoque & beneficiati & religioſi ad horas canonicas tenentur iure diuino & humano. Et propter hoc tenentur attendere corde præcepto diuino, & ſi non humano, quia hoc importat oratio, quæ eſt aſcenſus mentis in Deum. Oratio quoque debet eſſe attenta (vt inquit Paludenſis concluſione iiij. vbi ſupra.) quantum ad verba, vt impleatur præceptum, nec ad hoc deuotio interior requiritur quam purus homo impetrare non poteſt, ſicut nec in vtero baptizare. Vnde ſtudioſe & deuotè ſine ſincopa & feſtinatione & garrulatione loco & tẽpore dici debet. Et ad orationem ſicut ad quodlibet opus bonum poteſt requiri duplex attentio (vt idem Paluden. ſcribit) Vno modo vt oratio ab intentione procedat. Alio modo vt intentio continuè comitetur orationem. Primo modo requiritur attẽtio ad orationem tam publicam quàm priuatam, non ſolum quidem propter meritum: ſed etiam ad vitandum peccatum, quando oratio dicitur ex pręcepto. Primum patet ſic, quia nullum opus meritorium eſt, niſi ex intẽtione procedat, aliter enim nõ eſt opus humanum, cùm homo ſit homo per rationẽ & voluntatem. Si ergo oratio debet eſſe meritoria, oportet quod procedat ex intentione. Similiter ſi vitetur tranſgreſſio præcepti, quia pręceptum datur hominibus, ideo oportet quod non procedat ex ſola imaginatione quæ communis eſt nobis & brutis, ſed ex deliberatione quæ requirit attentionem.

Non requiritur tamen quod attentio cõcomitatur actualiter totam orationem, quia nec hoc requiritur in quibuſcunque bonis operibus, nec eſt poſſibile

propter euagationem mentis humanæ, requiritur tamen quod orans non ſcienter diſtrahat mentẽ ab intentione, hoc enim nõ poteſt eſſe ſine culpa mortali vel veniali, ſi enim euagatio ſit ſolum ſecũdum actum interiorem, licèt ſit temeraria & grauis ex quo eſt à propoſito, fortè tamen non eſt peccatum ſaltem graue, niſi eſſet contemptus, quia eccleſia nõ habet iudicare de actibus interioribus merè: propter hoc enim nõ poteſt ea prohibere ex pręcepto, propter quod ſi miniſter Eccleſiæ dicendo horas cogitet aliud, non videtur tranſgreſſor pręcepti Eccleſiæ, quantum eſt ex natura facti. Si autem euagatio mentis ſit ex hoc quòd aliquis ſcienter ſe occupet in actu exteriori, qui non ſecum patitur attentionem orationis, tunc videtur eſſe culpa mortalis, & directè contra pręceptum Eccleſiæ: quod habetur extra de celebratione Miſſarum. Dolentes. vbi dicitur: Diſcretè pręcipientes in virtute ſanctæ obedientiæ, vt diurnum officium pariter & nocturnũ quantum eis Deus dederit ſtudioſe pariter celebrent & deuotè. Hoc autem modo obſeruant qui occupantes ſe in actu exteriore ſciẽter ſibi attentione ſubtrahente. Plura ibidem Paludenſis. Debet inſuper oratio (vt idem dicit) eſſe integra, vt nihil de ea furetur ſincopando, omittendo, nimis feſtinando. Vnde tenetur redicere ſi notabiliter malè dixerit. Licèt poſſit ei pœnitentia commutari ne duplicatum dicat officiũ: quia vicarius Dei poteſt commutare reſtitutionem Deo faciendam in aliquod Deo acceptius. Et ad hoc quòd oratio ſit meritoria ſecundum eundem, vel ſatisfactoria, vel liberatoria ſiue acquietatiua, requiritur quòd eius attẽtio ſit intenta. Item quòd ſit continuata habitu non autẽ actu: niſi quòd ſpontè non euagetur mens: quia ſi ſpontè & deliberatiuè euagauerit in illis, quæ tunc dicit, non videtur acquietare, ſed tenetur redicere, cùm orare ſit actus mẽtis non oris, & ſic non oratio niſi ſit attentio. Hæc Paluden. qui & de oratione & eius effectu permulta ſcribit, & qualis attentio habenda in oratione ſit, legito & Gerſonem part. ij. de ſollicitudine Eccleſiaſticorũ. & parte iij. tractatu de oratione & eius valore valdè plura ſcribit. Sed quia laconiſmo gaudemus, te ad Gerſ. remittimus, qui & ibidem vult quòd orans vocaliter orationem quam tenetur exoluere (quia de voluntariis nõ oportet repetitionẽ fieri) ſi percipit orans quod euagatur, nec attendit ad verba vel ad ſententiam, ſi facit hoc ex inaduertentia & diſplicet ſibi dum aduertit, nequaquam dicendus eſt interrumpere orationem, nec ad iterationem obligatur.

Plura ibi de oratione vide Gerſonem & aliàs, & quando orationem interrumpere licet, &c.

De orationis conditionibus, ad hoc videatur Rich. diſt. xv. ar. iiij. qu. vij. lib. iiij. ſanctus Bona. di. xvj. in dubiis literalibus. lib. iiij. Bruleſ. diſt. xvij. q. iiij. libr. iij. Et Gabriël lectione lxiij. canonis. Ad hoc enim vt oratio ſit impetràtoria vel exaudibilis, requiruntur aliquę conditiones, ſcilicet vt ille qui petit, petat humiliter & frequenter & bona intentione, quod eſt piè petere & etiam perſeueranter & vtilia ad ſalutem, quod orans ſit conſtanter fundatus in fide. Vnde Iacobi 1. Poſtulet in fide nihil hęſitans. Talis autem (inquit Richard.) oratio ſemper exauditur inquantum homo orat pro ſe, quamuis non ſem-

non ſemper inquantum orat pro aliis. Vide latiùs ibi Richardum. Bruleſer prædictis aſſentitur, qui vult quod oratio fiat diſcretè: ideo mater filiorum Zebedæi petens quod vnus filiorũ ſederet ad dexteram, alius ad ſiniſtram, non fuit exaudita, quia oratio eius fuit indiſcreta: vel ſi quis malediceret alicui. Secũdò quod fiat piè, id eſt ad ſalutem, quia omnia quæ petimus, petere debemus pro ſalute noſtra: ideo Paulus non fuit exauditus. Et multi petunt multa, qui non exaudiuntur, quia non piè id ad ſalutem petunt. Et illa conditio petere piè, ſecundum beatum Thomam diſtinct.xv. quarti, quæſt. vltima, includit omnia ex parte petentis ad orationem efficacem requiſita, vt ſunt quod confidenter petat, humiliter, recta intentione, ordinatè, attentè. Non petit autem piè, qui non petit ex fide, ſpe, & charitate, ſecundum Hugonem, qui orare dicit adhærere Deo fide, ſpe, & charitate, quare exiſtens in peccato mortali, non petit piè: de quo latiùs vide Gabriëlem lectione lxiij.canonis. Tertiò petat perſeueranter: & iſta perſeuerantia (inquit Bruleſer) debet intelligi maximè ſine interruptione peccati. Quartò oportet quod fiat iuſtè, id eſt ex gratia & charitate, & hoc eſt piè orare.

Quintò requiritur quod fiat pro propria ſalute, quia aliquando perſona pro qua oratur, eſt indigna & in peccatis: & quandocunque aliquis petit cum iſtis conditionibus, indubitanter accipit, vt inquit Bruleſer. Licèt ita citò non accipiat, tamen accipit. Vnde Richardus vbi ſupra. Omnis oratio debito modo facta, vt dictum eſt, exauditur, non ſemper ſtatim, ſed pro illo tempore, quo diuina miſericordia exauditionem conſpicit vtiliorem eſſe omnibus penſatis. Vnde Auguſtinus homel. cij. ſuper Ioan. quædam non negantur, ſed vt congruo dentur tempore differuntur. Iſtas orationis conditiones diffuſe pertractat Gabriël in expoſitione canonis, vbi ſupra. Nec illud eſſe prætereundum cenſui, quod ſcribit Dominus Cardinalis Cameracen. quæſt. xiiij. art. ij. libr. j. quod in qualibet oratione a quouis viatore, imò ab vniuerſali Eccleſia factam pro ſalute alicuius viatoris, ſiue pro quocunque contingenti futuro vel poſsibili, debet ſaltem habitualiter & implicitè circunſtãtia ſine conditio diuini beneplaciti ſubintelligi. Patet per ſimile de oratione Dominica, in qua dicitur: Fiat voluntas tua. Similiter patet per exemplum de Chriſto, qui quando orauit, dicens: Pater, tranſeat à me calix iſte: ſubiunxit illam conditionem: Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. de qua oratione Chriſti paulò pòſt videbitur. Ex quo ſequitur (vt ibi vult Aliaco) quod in caſu aliquis licitè poteſt orare pro aliquo, quod ſcit vel ſaltem firmiter credit ſe non impetraturum: ſicut videtur fuiſſe oratio Chriſti.

Nec propter hoc ſequitur, quod talis oratio ſit ſtulta vel ocioſa, quia iſte ad illam tenetur, & Chriſtus fecit illam in exemplum imitationis, & ad myſterium, ſicut dicunt Doctores. ideo non fruſtrà. Item ſi cui reuelaretur ſua damnatio (vt idem tenet) iſte poteſt licitè, imò tenetur orare pro ſua ſalute, & velle ſe eſſe ſaluandum: quia iſte ex tali reuelatione non abſoluitur à priori obligatione, nec poſt minus tenetur ad præcepta Dei de dilectione ſui & oratione quàm prius, Sed hoc eſt contra Gregor. Arimi. In nullo autem loco congruentius oratur quàm in eccleſiis Deo conſecratis, quod oſtenditur per illud Pſal. 77. In Eccleſiis benedicite Domino. Et Dominus. Domus mea domus orationis vocabitur. Multas ad hoc ponunt doctores rationes, quod congruentius ſit in eccleſiis orare quã aliàs. Vide copioſè de hoc Gab. lect. lxij. canonis.

De orationis effectibus & valore. Tres autem ſunt effectus orationis. Primus communis eſt omnibus actibus charitate informatis, qui eſt mereri. Secundus effectus orationis proprius, eſt impetrare quod petitur. Tertius eſt quem principaliter efficit, ſcilicet quædam ſpiritualis refectio mentis. Et poteſt addi quartus, qui eſt ſolutio debiti, ad quod orans tenetur. De his Dominus præpoſitus Gabr. lect. lxij. canonis. Et inter cæteras orationes, oratio dominica eſt efficatior, vt oſtendit Rich. di. xv. ar. iiij. q. viij. lib. iiij. & hoc propter auctoris dignitatem. Chriſtus enim ore ſuo immediatè illam fecit, & diſcipulos docuit, vt habetur Matth. 6. Et hoc oſtendit etiam orationis ſententioſa breuitas, quæ multum commendat orationem vocalem. Vide ad hoc S. Bona. di. xvj. in dub. lit. lib. iiij. De oratione dominica per multa ſcriptis reliquit Gabr. lection. lxiiij. canonis. Et Gerſon præcipuam dicit eſſe orationem Dominicam de mendicitate ſpirituali, & tract. de petitionibus in oratione dominica cõtentis, & aliis locis ſuorũ operum. Poteſt inſuper oratio vel meritum in triplici gradu intelligi valere alicui ſiue pro aliquo, ſecundum Scotum, quæſt. xx. quotli. Vno modo ſpecialiſsimè, & ſic ſemper valet oranti quando eſt in gratia: ipſe enim habet motum animi bonum & elicit opus bonum: iſte motus & illud opus non ſic ſunt alterius pro quo orat ſicut orantis, nec poteſt iſte ordinata voluntate ſic illud alteri dare, quod non ſit ſuum meritum, quia magis tenetur ex charitate diligere ſeipſum quàm alium, immo fortè non poſſet dare alteri ſic, cùm iſtud eſſet peccatum. Alio modo generaliſsimè, & ſic valet toti Eccleſię, nec enim debet orãs aliquem de eccleſia excludere. ſed ex intentione habituali omnis includere. Tertio modo, ſcilicet modo medio valet illi cui per orantem ſpecialiter applicatur, non enim valet ei ſpecialiſsimè, vt patet ex primo membro, ſed nec præciſe valet ſibi generaliſsimè ſicut cuicũque, tunc enim fruſtra in Eccleſia eſſent ſpeciales orationes aſsignatæ, aliæ pro viuis, aliæ pro mortuis, & iterum pro viuis aliis & aliis, puta pro benefactoribus amicis & aliis, vt patet in orationibus in Miſſali Romano pro diuerſis aſsignatis perſonis & ſtatibus vel congregationibus.

Fruſtra inquam eſſent iſtę ſpecialiter aſsignatę, quia non plus valerent illis quàm generaliter cuicunque in eccleſia. Hæc Scotus. Vide ad hoc Gabriël. lect. xxvj. canonis poſt Scotum, de valore orationis vide multa apud Gerſon. & aliàs. Sancti quoque & doctores multa de ea ſcripſerunt, &c.

De oratione Chriſti. Oratio vt dictum eſt, eſt aſcenſus mentis in Deum: & ita inferioris ad ſuperiorem & minoris ad maiorem. Sic Chriſtus ſecundũ diuinitatem non orauit: quia in hoc fuit ęqualis patri, ſed cum patre orantibus petita concedit. Sed bene orauit ſecundum aſſumptã naturam ſecundũ quam

fuit minor patre (vt ſcribit Gabriël diſtinct.xvij. quæſt.vnica, articul.iij.dubio ij.) Orauit quoque Chriſtus pro ſe & ſuis membris, quæ tamen non ſimpliciter voluit, ſed ſub conditione, vt eſt illud in cruce: Pater dimitte illis, quia neſciunt quid faciunt, id eſt conditionaliter, ſi conuerſi pœnitentiam agerent. Per hoc poſſunt concordari multæ ſcripturæ, quarum aliquæ aſſerunt Chriſtum non exauditum, vt illud Pſalm. Clamabo per diem & non exaudies: aliquæ aſſerunt ſemper exauditum, vt illud Ioan.11. Ego autem ſciebam, quia ſemper me audis. Decuit autem Chriſtum orare, maximè in diebus carnis ſuæ (vt dicit ſanctus Bonauentura diſtin.xvij.lib.iij.& quæſt.penult. idem ait) & concordat Bruleſer, quod Chriſtus fuit in omni petitione (qua petiit vt exaudiretur) exauditus: hoc eſt in omni, eò quòd petiit voluntate rationis ſiue ratione abſoluta. Non autem in omni, eò quòd petiit voluntate carnis vel pietatis fuit exauditus: nō enim petebat vt exaudiretur, ſed vt nos exaudiremur, ſicut petiit calicem à ſe transferri, & ſuis crucifixoribus condonari. Vnum ex voluntate carnis ad oſtenſionem naturæ aſſumptæ. Alterum ad oſtenſionem benignitatis & miſericordię, &c. Nec oratio Chriſti fuit ficta (vt ſcribit Gabriël, vbi paulò antè.) Tum, quia non fuit niſi pro eo, quod volebat appetitus ſenſitiuus, in cuius perſona orationem propoſuit. Tum, quia (vt dicit ſanctus Bonauentura) & modò dictum eſt, quia illæ orationes (licèt exauditus non ſit, non tamen fuerunt fruſtra) quia magis fuerunt ad noſtram eruditionem quàm ad petiti impetrationem. Similiter magis ad veritatis humanæ naturæ oſtenſionem, ac pietatis & miſericordiæ. Etiam ad oſtendendum, quod erat Deo obediens & non cōtrarius, dum orando eum vt ſuum principium recognoſcebat, vt dicit beatus Thomas. Item ad noſtræ imbecillitatis conformationem, vt non diffidamus ſi pericula paſſionum perhorremus, & per hoc ſpem erexit in nobis contra naturalem aduerſitatis timorem. Item vt oſtenderet voluntatem noſtram diuinę voluntati in omnibus ſubiiciendam, præſertim in eo quod adiunxit: Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu: & in hoc ordinauit charitatem in nobis, quę affectum noſtrum diuinæ voluntati per omnia conatur ſubiicere, vnde magis in oratione pro nobis orauit, quàm pro ſe. Hæc Bonauentura, & poſt eum Gabriël, vbi ſupra. Et conſonat Cardinalis Camera. quæſt. xiiij. artic.ij.libr.j.

Orator, Græcè ῥήτωρ dicitur. Et venit ab orando, hoc eſt dicendo. Differunt autem orator & rhetor, & declamator: ſic orator eſt qui in iudiciis vel in concionibus agit. Rhetor qui Rhetoricen profitetur. Declamator, qui aut docendi alios, aut exercendi ſe gratia fictam cauſam agit, vt in veris cauſis poſtea poſſit orare, quod declamare dicitur. Quare declamare erit ficto themate componere. Hinc actiones ipſæ orationes & declamationes vocantur. Differunt & orator ſpiritualis & ſecularis, vt habet Guil. Pariſienſis in De Rheto. diuina, cap.ij. & poſt eum ſcribit Gabriël lectione xxxj. canonis. Vnde orator ſecularis intendit ſua oratione mouere iudicem & inclinare in partem ſuam, vt ſcilicet pro parte ſua iudicet & ſententiet. Orator verò ſpiritualis per orationem ſuam quam coram altiſſimo fundit, non intendit ipſum mouere, quem ſcit indubitanter in vltimitate ſtabilitatis in nobiliſſimum, ſed potius ſemetipſum, vel à malo in quo eſt bonum, vel à bono in melius, quod eſt dicere, quia intendit ſemetipſum facere idoneum per orationem, vt ei concedatur quod impetrare intendit, vt ſi petimus liberationem à malo quatinus intuitu iſtius petitionis malum à nobis Deus auferat. Si petimus donationem alicuius boni, vt intuitu orationis efficiamur hoc accipere digni & idonei: non vt per illam oratiōē flectamus Deum vt nobis hoc conferat, quaſi nunquam conferre voluerit: & tunc primò velle conferre incipiat, ſed ab æterno hoc conferre diſpoſuit. Ad petitionem tamen noſtram factam vel faciendam tempore certo. Secùs eſt de homine qui petitionibus vincitur, vt hoc vel illud faciat, quod nunquam facere diſponit, & ita de nouo incipiat velle facere. Hæc Gabriël vbi ſupra. Non tamen cùm Deus diſponit vel vult aliud facere, diſponit in omnem euentum (vt ſcribit Bruleſer diſtinct.xvij. quæſt.iiij. libr.iij. in fine.) ſed præſuppoſitis antecedentibus, quæ ſunt bona opera, ſicut diſpoſuit nos ſaluare: ſi tamen velimus per bona merita ſalutem acquirere, &c.

Ordo eſt parium, diſpariumque rerum ſua cuique loca tribuens diſpoſitio, vt dicit Auguſtinus xix. de Ciuitate Dei. Si enim omnia, inquit Auguſtinus, eſſent æqualia, iam non eſſent ordinata: ideo dicit parium, diſpariumque, vt refert Guilel. Scotiſta di. xx. libr.j.& di.xliiij.eiuſdem libri. Vnde ordo eſt charitatis, & dicitur ordinatus amor: ordinatur autem amor ad Deum, proximum, ad ſeipſum. Chriſtus eſt Deus & proximus ſimul. Moyſes ſimiliter inter Deum & proximum mediator erat. Élias denique bonum zelabat vtriuſque. Hæc Gerſon tractatu ix. ſuper cantico Mariæ. Et ordo, vt ſcribit Bruleſer diſtinct.xx. quæſt.prima, libr.j. poteſt ſic deſcribi: Ordo eſt habitudo prioris ad poſterius, & econtrà. & vbicunque eſt ordo, ibi eſt prius & poſterius: & quot modis poſſunt dici prius & poſterius, tot modis poteſt dici ordo. Et de ordine diligendorum, vide in dictione *Diligere.*

Ordo eſt triplex (vt ſcribit ſanctus Bonauentura di.xx. artic.ij.q.j.libr.j.) ſcilicet ſecundum potentiam, ſecundum anteceſſionem, & ſecundum originem. Ordo ſecundum potentiam dicitur, quorum vnū eſt ſuperius ad aliud inferius. Et hoc poteſt eſſe dupliciter vel in loco vel in dignitate. Et hic ordo non cadit in diuinis. Vnde dicit Euſebius: In diuinis eſt numerus, ſed non ordo. Ordo verò ſecundum anteceſſionem dicitur eſſe eorum, quorum vnum prius eſt, alterum verò poſterius. Et hoc dupliciter. Aut quia antecedit duratione ſiue tempore, aut prius naturali intelligentia ſiue cognitione: & hic ordo non eſt in diuinis, quia hic ordo tollit æqualitatem & ſimultatem, quorum vtrunque perfectè eſt in diuinis. Ordo autem ſecundum originem, ſiue ſecundum emanationem, eſt producentis ad productum. Et iſte ordo eſt in diuinis, quia ibi eſt ordo principij & principiati, ſiue

producentis & producti. Er qu.ij. vbi ſupra, dicit quod ordo dicitur eſſe alicuius dupliciter, aut ſicut ordinati, aut ſicut rationis ordinandi. Ordo in diuinis ſicut ordinati dicitur perſonæ patris, & filij, & ſpiritus ſancti. Sicut rationis ordinandi dicitur naturæ. Natura enim dicit vim productiuam, ſecundum quod dicit Philoſophus, quod eſt vis inſita rebus ex ſimilibus ſimilia procreans. In diuinis autem eſt ordo ſecundum productionem, id eſt dicitur ibi ordo naturæ, id eſt naturalis originis. Vide latiùs ibi Bonauenturam. Nec ordo perfectionis eſt in diuinis, non plus quàm ordo durationis: quia vbi eſt ordo perfectionis, ibi eſt magis perfectum & minus perfectum. Sed in diuinis nihil eſt imperfectum ſeu minus perfectum, ſed Dei reſpectu aliorum à ſe eſt ordo cauſalitatis & ordo perfectionis. In Deo autem reſpectu alicuius, quod eſt in Deo, eſt ordo originis, id eſt aliquod originans, & aliquod originatum. Gabriël diſtinct.xxxv.queſt.iij.libr.j. Aſtipulatur Paulus Corteſius diſtinct.ix. libr.j.ſententiarum in fine: fatendum erit, inquit, naturæ ordinem in diuinitate, ſtatui cùm ſemper ordo ad quodpiam principium collatione referatur, ſed intelligendum eſt origine ordinem ſine antegreſſione ſtatui qui Domino Auguſtino auctore naturæ ordo dicatur.

Ordo alius eſt perfectionis, alius generationis. Nam priora ordine generationis frequenter ſunt poſteriora ordine perfectionis, vt ſcribit Gabriël diſtinct.xxvj. quæſt vnica, artic.iij. dubio.ij. libr. iij. Vbi plura de ordine virtutum Theologicalium, dicit: & in fine ordine perfectionis: charitas eſt prior fide & ſpe, vt dicit Apoſtolus: Maior horum eſt charitas. Item charitas eſt forma omnium virtutum, qua in donis creatis nullum eſt maius. Secùs de ordine generationis: de quo plura Gabriël, & concordat Dominus Cardinalis Cameracenſis quæſt.vnica, iij.ſententiarum artic.ij. Sic actus fidei ordine generationis eſt prior actu ſpei & charitatis, quia non poteſt voluntas per actum ſuum rendere in obiectum, niſi cognitum per intellectum. Cognitio autem obiecti Theologici eſt per actum fidei, & loquendo de virtutibus Theologicis acquiſitis. Nam de infuſis loquendo non eſt inter eas ordo generationis, quia ſimul infunduntur. Deus enim cuius perfecta ſunt opera (vt dictum eſt ſupra) perficiendo animam, ſimul eam perficit ſecundum omnes potentias: intellectum, ſcilicet per fidem, voluntatem, ſecundum duplicem eius affectionem, per ſpem & charitatem. Poteſt tamen dici, quod fides infuſa eſt naturaliter prior aliis, propter actum eius, qui poteſt eſſe ſine actu ſpei & charitatis, & non econuerſo. Hæc Gabriël, qui de acquiſitis Theologicis virtutibus longior eſt.

Ordo quidam eſt (vt notat ſanctus Bonauentura diſtinct.xliiij. quæſt.iiij. libr.ij. qui reſpicit naturam, ſecundum omnem ſtatum, & eſt ordo qui reſpicit naturam, ſecundum ſtatum ſuæ corruptionis, & ſecundum hoc quædam ſunt de dictamine naturæ ſimpliciter, quædam de dictamine naturæ, ſecundum ſtatum. Deum eſſe honorandum dictat natura, ſecundum omnem ſtatum, hominem verò adæquari homini dictat, ſecundum ſtatum ſuæ primæ conditionis. Hominem autem homini ſubiici, & hominem homini famulari dictat ſecundum ſtatum corruptionis, vt mali compeſcantur & boni defendantur, niſi enim eſſent huiuſmodi dominia carentia malos propter corruptionem, quæ eſt in natura, vnus alterum opprimeret, & communiter homines viuere non poſſent. Non ſic autem eſſet ſi homo manſiſſet in ſtatu innocentiæ: qolibet enim in gradu & ſtatu ſuo maneret. Et ſecundum Gabriëlem diſtinct.ij.quæſt. vnica, artic.j. libr.iij. duplex eſt ordo, ſcilicet naturæ & temporis. Ordo naturæ eſt quo poſterius non poteſt eſſe ſine priore, ſed econuerſo prius eſſe ſine poſteriore. Siue vbi vnum dependet ab altero, & non econuerſo. Dependens in hoc ordine eſt poſterius, & id à quo dependet eſt prius: licèt ſint ſimul duratione. Sic Sol eſt prior radio ſuo, licèt tempore ſint coæui, quia radius dependet à Sole, & non Sol à radio: & iſta prioritas ſeu ordo naturæ vniuerſaliter eſt inter cauſam & effectum. Ordo temporis eſt, quo vnum duratione præcedit aliud, ita quod vnum prius incipit, ſicut inter patrem & filium in creaturis. Gabriël vbi ſupra. qui & ibidem dicit, & probat, quod inter corporis formam animationem & animati aſſumptionem fuit ordo naturæ in verbi Dei incarnatione, præcedit enim ordine naturæ formatio corporis animationem, & animatio aſſumptionem. Conceptio quoque corporis Chriſti, animatio, & aſſumptio in Virgine perfecta eſt: non temporaliter, ſed inſtantaneè, id eſt tota ſimul. Nam priuſquam Virgo conſenſum expreſcit, dicens: Ecce ancilla Domini, &cæ. non videtur fuiſſe operatio aliqua ſpecialis ad incarnationem, ſed vltimo inſtanti verborum corporis formatio, animatio, aſſumptio ſimul completa eſt. Plura de hoc ibi ſcribit Gabriël. Vnde Auguſtinus in de fide ad Petrum, cap.xv. Firmiſsimè tene & nullatenus dubites, non carnem Chriſti ſine diuinitate conceptam in vtero Virginis priuſquam ſuſciperetur à verbo: ſed ipſum verbum Deum ſuæ carnis acceptione conceptum, ipſamque carnem verbi incarnatione conceptam. Ad idem Damaſcenus libr.iij. cap.ij. Simul fuit caro, ſimul verbi Dei caro, ſimul animati caro, &c.

Ordo Angelicus ſecundum Magiſtrum diſtinct.ix. libr.ij.& Gregorium, eſt multitudo cœleſtium ſpirituum, qui inter ſe aliquo munere gratiæ ſimilantur, propter Angelos diuerſorum ordinum, qui ſe excedunt in munere gratiæ & naturæ: ideo ſequitur ſicut in naturalium donorum participatione conueniunt. Ordo itaque fundatur in dono naturæ, completur autem dono gratiæ. Nam meliora naturalia diſponunt ad maiora dona gratuita, vt dicit ſanctus Bonauentura. Et in qualibet Hierarchia ponuntur tres ordines. In prima, ſecundum omnes, ſunt Seraphin, Cherubin, Throni. In media & infima diuerſitas inuenitur. Nam ſanctus Dionyſius in media ponit Dominationes, Poteſtates, & Virtutes. Sed ſanctus Gregorius & Bernardus ponit Dominationes, Principatus, & Virtutes. Similiter in tertia Hierarchia ponit Dionyſius Principatus loco Virtutum, Econuerſo

uerſo Gregorius, Virtutum ordinem ponit loco Principatus ordinis. Rationem diuerſitatis ponit Gabriel diſtinct.ix.quæſt.j.libr.ij. quem videre potes. Et nomina ordinũ impoſita ſunt à donis gratiarum, quibus ſeſe excellunt. Eſt enim donum vnum dignius altero. Nam omnibus eminet charitas, ſecũdum ſanctum Auguſtinum, deinde ſcientia, deinde tentio. Et dona illa gratuita communia ſunt omnibus Angelis. Siquidem omnes ſunt beati, omnes perfectè Deo fruuntur, omnes ſemper vident faciem patris, omnes firma tentione adhærent Deo. Et vt ſeruetur diſtinctio ordinum in omnibus ab eo dono, quilibet ordo nominatur quod in eo excellentius eſt, à quo tamen ſuperiorum ordo nullus nominatur. Et primus à fruitione ſiue charitate nominatur: & dicitur nomine Seraphin, qui eſt ſimpliciter donũ excellentiſſimum. Secundus, à ſcientia aut viſione denominatur Cherubin: poſt charitatem verò excellentius donum viſio ſeu ſcientia: poſt illud tentio correſpondens ſpei, per quam quieſcit in eo Angelicus ſpiritus, vt in ſuo bono: ideo ab illo dicitur & denominatur Tertius Throni ſiue ſedes, quod quietem importat. Inferiores ordines à donis nominantur, quibus ſeruiuntur in creaturas obiectiuè: inter illa videtur maius donum dominari Angelis bonis: ideo primus ordo ſecundæ Hierarchiæ ab illo denominatur ordo Dominationum: deinde bonis hominibus principari: vltimo malis ſpiritibus, licèt quilibet ordo ſuo inferiori dominetur ac principetur. Sic ergo ſecundus ordo nomen habet Principatus: Tertius, Poteſtates, &c. Angelorum autem beatorum multitudo innumera in nouem choros ſeu ordines eſt diſtincta. Numerus autem ſupernorum ciuium Deo numerabilis, nobis innumerabilis eſt. Et illi nouem ordines tres Hierarchias conſtituunt, ſcilicet ſupremam, mediam, & infimam. Et hæc copioſe habentur apud ſanctum Dionyſium, & poſt eum ſcribit Gabriel vbi ſupra. Et ad ſingulos ordines Angelorum, ſecundum ſanctum Bonauent. aſſumentur ſaluandi: quia homines ſaluandi poſſunt in via ad tantam gratiæ eminentiam eleuari, & in patria ad tantam gloriam ſicut Angeli. Igitur poſſunt ad ſingulos ordines aſſumi: quia vbi eſt paritas in gloria, non eſt diſparitas in ordine. Et (vt vult Gregorius homel.xxxiij.) aſſumuntur ad ſingulos ordines homines terreni, ordinum officio in terris imitantes. Vnde ait: Diſtinctæ conuerſationes hominum, ſingulorum agminum ordinibus congruunt, & in eorum ſortem per conuerſationis ſimilitudinem deputantur. Vide latiùs de ordinibus Angelorum Dominum Præpoſitum Gabrielem diſtinct.xix.libr.ij. & in ſequentibus de Angelis. de quibus & ſupra dictum eſt.

Ordo quandoque ſumitur pro modo viuendi religioſorum. & hoc modo plures ſunt ordines, vt ordo ſancti Benedicti, ſancti Auguſtini, ſancti Dominici, &c. de quo aliàs dicitur. Et videatur de his ordinibus Antoni. in ſumma. Vnde ordinem ingredi dicimus, hoc eſt religionem intrare, vel aſſumere talem regulam vel modum viuendi monaſticum vel religioſum, &c.

Ordo (vt eſt Sacramentum) habetur & deſcribitur à Doctoribus diſtinct.xxiiij. libr.iiij. & vt ſcribit Thomas Argentin. diſtinct.xxiiij.libr.iiij.ſentent. Non ſolùm in rebus naturalibus, de quibus locuti ſunt Philoſophi, verum etiam in rebus Eccleſiaſticis, de quibus loquuntur Theologi, verè eſt dare ordinẽ: quia vbicunq; eſt dare multitudinem, diuerſos gradus & poteſtatis & dignitatis includentem: ibi eſt dare ordinem: ſed in ſancta Dei Eccleſia eſt dare huiuſmodi multitudinẽ: quia huiuſmodi gradualis diuerſitas dignitatis & poteſtatis, non poteſt eſſe ſine ordine. Et non ſolùm reſpicit ſacramentum ordinis honeſtatem interiorem, ſed etiam exteriorem, vt ſcribit Stephanus Brulefer diſtinct. xxv.quæſt.viij.libr.iiij. Vnde requiritur honeſtas à parte originis, nominis, corporis, actionis, conditionis, & conuerſationis. Propter defectum à parte originis, ineptus eſt filius Sacerdotis, ſpurius, & etiam quilibet illegitimus. A parte nominis ſiue famæ, inepti ſunt infames, & publicè pœnitentes. Propter defectum à parte corporis, inepti ſunt corpore vitiati: ſicut leproſi, & epilentici, & dæmoniaci. Propter defectum à parte actionis: vt quãdo incidit in peccatum enorme ſiue factum: vt homicidium: & propter magnum horrorem & ſanguinis effuſionem, ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè fiat. Propter defectum conditionis, vt ſeruus: & etiam propter defectum conuerſationis.

Ordo poteſt dupliciter accipi, vt ſcribit Richardus di.xxiiij.artic.iij. qu.ij.lib.iiij. Vel pro ritu ſeu ſigno quo traditur poteſtas ordinato, vel pro ipſa poteſtate tradita. Primo modo ordo eſt Sacramẽtum tantùm: ſecundo eſt Sacramentum & res, ſcilicet reſpectu ſigni prædicti, & Sacramentum rei, id eſt gratiæ gratum facientis, ſeu augmenti eiuſdem: qui dignè ordinem ſuſcipienti confertur. Et deſcribitur ſic ordo, vt habet Magiſter in textu diſtinct.xxiiij.libr.iiij. Ordo eſt ſignaculum quoddam ſacrum quo ſpiritualis poteſtas traditur ordinato & officium: hoc Sacramentum eſt ſacræ rei ſignum, quia characteris & gratiæ à Deo infuſæ. Et deſcribitur ordo hic quantum ad actum exteriorem, cùm dicitur, ſignaculum: & quantum ad effectum interiorem, cùm dicitur, ſpiritualis poteſtas: & quantum ad illius poteſtatis ſubiectum, cùm dicitur, ordinato: & quantum ad eius poteſtatis executionem, cùm vltimò additur, & officium. Eandem etiam deſcriptionem ponit Hugo de Sacramentis. Quidam antiquorum Magiſtrorum ita diffiniunt: Ordo eſt Sacramentum ſpiritualis poteſtatis ad aliquod officium in Eccleſia ordinatum. Paulus Corteſius libr.iiij.ſentent.diſtinct.iiij. poſt Magiſtrum Sentent. dicit: Ordinis ſacrum ſignum quoddam eſſe ſenatus, quo ſpiritus imperium initiato tribuatur. Et ordo, vt dicit Brulefer, eſt ordinata poteſtas. Ordo ſecundum Scotum, eſt gradus eminens in Eccleſia, diſponens de congruo ad actum aliquem, ad conſecrationem, vel diſpenſationem Euchariſtiæ pertinentem. Concordat Brulefer di.xxiiij.q.j.lib.iiij. Et ordo vt eſt Sacramẽtum tantũ (vt inquit Tho. Argen.) tranſit & non manet in ſe formaliter: licèt aliquo modo in ſuo effectu, ſcilicet in charactere,

dicitur res & Sacramentum. Cuius eſt cauſa non ſolùm ſignificatiua, ſed etiam aliquo modo diſpoſitiua. Et ſunt ſeptem ordines, & in quolibet ordine (vt ſentit Petrus de Palude diſtinct.xxiiij. quæſt.ij. artic.iij. concluſione j. libr.iiij. & Richardus eadem diſtinct. artic.iiij. quæſt.ij. & Thomas Argentin. & alij) imprimitur character diſtinctus & ſpecialis, quia ordinatur quilibet ad diſtinctum actum. In omni quoque ordine confertur gratia: Quia Dei perfecta ſunt opera. Vide latiùs de hoc Petrum de Palude. Et vt idem ait: Omnis ordo ordinatur ad Euchariſtię ſacramentum. Ordo enim (vt ipſe inquit) miniſtrorum Eccleſiæ, qui ſunt mediatores inter Chriſtum & populum: eſt ad faciendum vnionem populi cum Chriſto. hoc autem fit maximè per ſacramentum Euchariſtiæ, in quo Chriſtus continetur realiter, & à nobis ſumitur. vnde dicitur Sacramentum vnionis. Hæc autem vnio fit duplici actu, ſcilicet per Sacramenti confectionem, & populi dignam præparationem. In primo actu deſeruiunt quatuor ordines, ſcilicet Accholytatus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Sacerdotium: ſed differenter, quia Accholyxtus habet materiam conſecrandam præparare in vaſis non ſacris, ipſe vrceolum cum aqua & vino præparat, & tradit Subdiacono. Subdiaconus verò habet eam ponere in vaſis ſacris, in quibus fit conſecratio. Diaconus verò habet eam offerre Sacerdoti ad conſecrandum, & conſecratum diſpenſare, ſaltem ſanguinem cum vaſe mediante. Conſecratio autem pertinet ad Sacerdotem. In ſecundo verò actu in præparatione populi deſeruiunt alij tres ordines, ſed differenter: quia duo eorum diſponunt remouendo, prohibens vel malum hominem, vt oſtiarius: vel malum angelum, vt exorciſta. Tertius verò, ſcilicet lector, præparat offerendo bonam diſpoſitionem quo ad cognitionem veri, & dilectionem boni: quod fit legendo prophetias de Chriſto in veteri teſtamento contentas. Hæc Petrus de Palude. Et de actibus vel operationibus, vel officiis iſtorum ſeptem ordinum, videre potes latiùs apud alios circa diſtin.xxiiij. ſcilicet, ſanctum Bonauent. Thomam Argentin. Petrum de Palude, & Paulum Corteſium, diſtinct.iiij. & Scotum diſtinct.xxiiij. artic.ij. lib.iiij. vbi dicit, quod non eſt proprius actus Diaconi legere Euágelium, & Subdiaconi Epiſtolam, ſed iſti ſunt remoti & minus perfecti eorum actus. Perfectiſsimi autem & proprij illorum ordinum, ſunt quos habet vnus immediatè circa Euchariſtiam diſpenſandam & conſecrandam, ſicut Sacerdotium. Alius materiam eius offerendam, ſicut eſt Subdiaconatus: vel diſpenſandum Euchariſtiam, ſaltem ſanguinis, & eſt Diaconatus, &cæ. Et licèt ſint ſeptem ordines, eſt tamen vnum Sacramentum, vt ſcribit Thomas Argentinenſis & alij, ratione finis qui eſt vnire fideles Chriſto, mediante Euchariſtia, quæ eſt Sacrámentum vnionis. Et Sacramentum ordinis licèt prædicetur de quolibet ordine ſupradicto, tamen de ſolo ordine Presbyteratus prædicatur, ſecundum ſuam rationem completam: de aliis autem ſecundum magis & minus, ſecũdum quam vnus ordo magis appropinquat ad ordinem Presbyteratus, & alter minus. Et ideo licèt ſint plures ordines, qui ſunt partes poteſtatiuæ huius Sacramenti, tamen Sacramentum ordinis eſt vnum Sacramentum & non plura. Id quod latiùs probat Thomas Argenti. Et iſti ordines licèt ſic ſe habeant, quod ſemper perfectior præſupponit imperfectiorem, ſecundum ſtatum Eccleſiæ, tamen huiuſmodi ordo præſupponens non eſt ſimpliciter neceſſarius & eſſentialis. Nam clericus promotus per ſaltum non eſt reordinandus quantum ad illum ordinem, quem per ſaltum ſuſcepit, ſed ſolũ eſt ſupplendum illud quod ſibi deficit de ordinibus, quos nondum ſuſcepit: vt declaratur extra de clerico per ſaltum ordinato, cap. tuæ literæ. Et idem patet diſtinct.ij. cap. Solicitudo. De illis ſeptem ordinibus potes & aliàs videre Gerſonem parte ij. de Sacramento ordinis. Rabanum Maurum Archiepiſcopum Moguntiñ. in libr. de inſtitutione clericorum, & Guil. Epiſcopum in rationali ſuo, &c.

Ordo ſecundum Scotum libr.iiij. diſtinct.xxiiij. artic.iij. propriè loquendo de Sacraméto, non eſt Sacramentum, quia omne Sacramentum eſt ſignum ſenſibile. Sed ordo (vt dictum) eſt gradus ſpiritualis. Tamen accipiendo Sacramentũ pro ſigno inuiſibili, ſicut aliquid dicitur res & Sacramentum: hoc modo poteſt dici Sacramentũ, quia ſignum conuenientis gradus executioni actus debiti illi gradui. Ponit itaque ordinationem pro Sacramento vno ex ſeptem, cuius iſta ſecundum eum poteſt eſſe deſcriptio. Ordinatio eſt inſtitutio alicuius in gradu Eccleſiæ præeminente, cui conuenit aliquod miniſterium circa Euchariſtiam exhibendã, facta à miniſtro idoneo certa verba proferente, & ſimul cum intentione debita miniſterium gradus illius aliquo ſigno viſibili repræſentans ex inſtitutione diuina efficaciter ſignans gratiam præeminentem, qua ordinatus dignè aliquod miniſterium exequatur. & Epiſcopus & ſolus in ſacris ordinibus eſt idoneus miniſter huius Sacramenti. Vnde Sacramentum ordinis datur, quando Epiſcopus dat poteſtatem alicui conficiendi corpus Chriſti, & illa ordinatio vocatur Sacramentum, vt & vult Bruleſer poſt Scotum. Similiter dicendum eſt de ordine Subdiaconatus, & aliis ordinibus inferioribus. Et ordines non ſanctos aliquando ex commiſsione poſſunt conferre: vt Abbates priuilegiati. Et materia huius Sacramenti, ſecundum Gerſonem, ſunt ſigna viſibilia cum verbis, quibus ſpiritualis poteſtas tradi oſtenditur: vt in hoſtiariis traditio clauium cum verbis ad hoc pertinentibus. In lectoribus traditio libri Prophetarum cum verbis ad hoc inſtitutis, & ſic de aliis. Gerſon. Forma huius Sacramenti (vt inquit Scotus vbi ſupra) eſt illa quam Epiſcopi habent in ſuis libris Epiſcopalibus. Sed in Sacerdotio videtur probabilę, quod ibi ſint duæ formæ partiales, in quarũ altera cõferatur poteſtas cõficiendi Euchariſtiã: in reliqua poteſtas abſoluẽdi in pœnitentia: & iſtis coniungũtur duæ materiæ, hoc eſt, duo ſigna viſibilia propria. Formę primę traditio calicis & patenę cũ hoſtiis eſt. Accipe poteſtatẽ celebrãdi: ſecũdę formę, impoſitio manus Epiſcopi ſuper caput. Accipe ſpiritũ ſanctum, vt ſic Epiſcopus cõcorditer agat ſummo Epiſcopo Chriſto, qui priùs cõtulit poteſtatẽ Apoſtolis cõficiendi q abſoluẽdi. Sco. Ex hoc patet quomodo ſeptẽ ſunt

ordines

ordines qui ſunt inſtitutiones in ordinibus, & illi ſeptem dicuntur contineri ſub Sacraméto ordinis, vel magis propriè ſub Sacramento ordinationis, inquantum eſt vnum Sacramentum. Vide latius Scotum, &cæ. Res huius Sacramenti tantum eſt gratia ſpiritus ſancti infuſa, vel poteſtas ſpiritualis. Res & Sacramentũ eſt character qui imprimitur. Gerſon. Quidam volũt nouem eſſe ordines in Eccleſia militante, ſicut ſunt nouem ordines Angelorum in Eccleſia triumphante. Et ſecundum quoſdam illorum Epiſcopatus & Archiëpiſcopatus cõſtituunt duos gradus, qui additi ſeptem præcedentibus, faciunt nouem. Secundum alios corona vel tonſura eſt primus ordo & Epiſcopatus vltimus, & ſic fiunt nouem cum ſeptem prænominatis. Sed communis Doctorum ſententia eſt, vt ponantur ſeptem. De tonſura infra dicetur litera T. Vnde ſecundum Richardum diſtinct. xxiiij. artic.v.quæſt.ij.libr.iiij.dupliciter poteſt accipi ordo. Vno modo pro gradu poteſtatis ordinatæ mediatè vel immediatè ad conſecrationem corporis vel ſanguinis Chriſti. Alio modo pro quolibet gradu poteſtatis reſpectu quarumlibet actionum ſacratum. Primo modo Ordo eſt ſacramentum, & ſic Epiſcopatus non eſt ordo. Vnde nec characterem imprimit propriè loquendo de charactere, vt quidam dicunt: & prçterea vnus ordo non dependet à præcedenti quantum ad neceſsitatem Sacramenti, quamuis ſequens de iure recipi non debeat priori prætermiſſo, ſed ſi non presbyter ordinaretur io Epiſcopum, nihil eſſet factum. Secundo modo Epiſcopatus eſt ordo, non ſacramentum, ſed ſacramentale. Et hoc modo Epiſcopatus ab Iſidoro libr.vij.Etymolog.cap.xij. & Dionyſius cap.v. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ. & à Magiſtro diſtinct. xxiiij. libr.iiij. cap.vltim. dicitur ordo. Petrus de Palude dicit, quod Epiſcopatus eſt ordo, ſed non diſtinctus à Sacerdotio: & eſt Sacramentum, ſed non diſtinctum à Sacramento ordinis, & imprimit characterem, ſed non alium. Vult itaque probabiliter dici, quod Epiſcopatus ſit ordo: propter hoc aliquando vocantur Epiſcopi Presbyteri, & econtrà. Sanctus Bonauentura parte ij.articul.ij. quæſt.iij.diſtinct.xxiiij. libr.iiij. ſcribit, quod Archipresbyter, Epiſcopus, Archiëpiſcopus, Patriarcha, Pontifex ſummus, vltra Sacerdotium non addunt ordinem, nec gradum nouum, ſed ſolùm dignitatem & officium. Vide latiùs ibi Bonauenturam. Nec Pſalmiſtatus eſt ordo, ſecundũ eundem, vbi ſupra.qu.ij.ſed officium ordini annexum, ſicut cantoratus, vt dicit Guilielmus in Rationali diuinorum. Septem igitur ſunt ordines ſecuodum communem Doctorum ſententiam, ſcilicet Hoſtiariatus, Lectoris, Exorciſtæ, Accholyti, Subdiaconi, Diaconi, & Presbyteri, quorum (vt inqnit Gerſon) eſt conficere corpus Chriſti, quod eſt excellentiſsimum officiorum humanorum: & ideo ſupra Sacerdotium oon eſt ordo ſuperior, imò nec Epiſcopatus, nec Archiëpiſcopatus. Solus autem Epiſcopus de iure poteſt ordinare ſeu ordinis Sacramentum conferre, vt dictum eſt. Vaſa quoque non niſi ab Epiſcopo conſecrantur. Hæc videtur eſſe ſententia Iſidori libr.Etymol. vbi ait: Epiſcopus ſummus Sacerdos & Pontifex maximus nominatur: ipſe enim efficit Sacerdotes & Leuitas, & omnes ordines Eccleſiaſticos diſponit.

Ordinis ſacramentum ſex neceſſaria requirit, vt ſcribit Gerſon & alij, ſexum, ſcilicet virilem. Vnde mulier non eſt ſuſceptibilis ordinis: oon enim (vt vult Richardus) mulier debet tonſurari. Turpe enim eſt (inquit Apoſtolus) mulieri tunderi. Viri itaque ſolùm ordinandi ſunt, vel maſculini generis homo. Requiritur & baptiſmus præcedens, qui etiam eſt fundamentum cæterorum Sacramentorum, excepto coniugio. Vnde ſi aliquis non baptizatus ordinaretur, nihil reciperet. Item poteſtas ordinantis, quia qui non eſt Epiſcopus, ordines conferre non poteſt. Item iotentio recta, vt ſcilicet ordinans intendat facere quod facit Eccleſia, & ſimiliter ordinandus, ſecundum quoſdam. Item materia ſeu Sacramentum, vt traditio libri, & ſimilium cum forma verborum. Item tempus ſeu ætas, ſecundum aliquos: quoniam ſi paruulus ordinetur etiam præcedentibus aliis gradibus, nihil reciperet: cùm ſecundum eos in hoc Sacramento exigatur tam intentio recipientis ordinem, quàm conferentis. Paruulus autem quia non habet vſum liberi arbitrij, non habet intentionem. Alij volunt quod ætas ſit de congruitate, & non de neceſsitate huius Sacramenti: & ideo in prædicto caſu paruulus ſecundum eos recipit characterem, nec ſecundum eos eſt reordinandus. Scotus diſtinct.xxv. quæſt.ij. libr.iiij. dicit quod puer oon habens diſcretionem, non poteſt recipere ordinis Sacramentum: quia non poteſt cum debita reuerentia recipere talem gradum, qui confertur in ordine, quamuis ordines minores poſſet recipere, vbi non requiritur votum continentiæ. Vide latiùs Scotum. Multa præterea ſunt de honeſtate (vt dicit Gerſon) & de congruitate, tam ex parte conferentium ordines, quàm ex parte temporis, quæ reperies expreſſe in ſumma Ray. libr. iij. Ordinandi quoque (vt vult Richardus diſtin. xxv. artic.vj. quæſt.ij. libr.iiij.) ſine quacunque nota infamiæ eſſe debent, qui pluribus ibi rem pertractat. Et ex prædictis ſeptem ordinibus ſolum tres maiores dicuntur ſacri, ſcilicet, ordo Subdiaconatus, ordo Diaconatus, & ordo Presbyteratus: & hoc, vt inquit Gerſon, propter dignitatem quæ inducitur miniſtrantibus in tribus maioribus ordinibus: oportet enim eos vouere continentiam. Vel dicuntur ordines ſacri ſecundum ſanctum Bonauent.diſtinct.xxiiij. libr.iiij. in explanatione textus tripliciter. Primò largè, quia ſacrum exigunt miniſtrum, ſecundum illud Eſaiæ 52. Mundamini, qui fertis vaſa Domini. Vnde quia contingunt res ſacratas, ſacri debent eſſe. Hinc Paulus Corteſius diſtinct.iiij. libr.iiij. ſuatum ſententiarum, dicit: In quocunque ſacrorum ordine, dum quis cæteris dux conſtituitur, eum in quocunque genere impudenter delinquere: ſi modò cum capitalis facinoris morſu initietur: ob eamque cauſam in ordinum genere ædicti, noo ſacri neceſsitate, vitæ integritatem flagitari. De congruitate igitur & honeſtate requiritur probitas Sacerdotis, non de neceſsitate Sacramenti, &c. Secundò ſtrictè dicitur ſacer ordo, vt dicit ſanctus Bonauentura, quia ipſum Sacramentum diſpenſat;

 & quo-

& quodammodo tractat deferendo, & aliis adminiſtrando, & ſic Diaconus & Subdiaconus. Tertio modo ſacrum dicitur propriiſsimè, quia ſacram rem conficit: & hoc cõuenit ordini ſupremo, & ideo ſacerdos appellatur. Hæc ſanctus Bonauentura. Et de ſacramenta Ordinis hęc pauca dicta ſufficiant. Legant ſtudioſi plura apud alios Theologię Doctores.

Ordinatum. Scotus di. xliiij. libr. j. ſcribit. Aliquid eſſe ordinatum & ordinatè fieri, eſt dupliciter. Vno modo ordine vniuerſali, quod pertinet ad legem communem: ſicut ordinatum eſt ſecundum legem cõmunem, omnem finaliter peccatorem eſſe damnandum: vt ſi Rex ſtatuat quod omnis homicida moriatur. Secundo modo ordine particulari circa hoc iudicium, ad quod nõ pertinet lex, quia lex eſt de vniuerſalibus caſibus: de caſu autem particulari non eſt lex, ſed iudicium ſecũdum legem, quod eſt concluſio legis, vt quod iſte homicida moriatur. Vnde Deus (vt ibidem dicit) nõ ſolùm poteſt agere aliter quàm ordinatũ eſt ordine particulari, ſed etiã aliter quàm ordinatũ eſt ordine vniuerſali, ſecundũ leges iuſtitiæ poteſt ordinatè agere, tam illa quæ ſunt præter illum ordinẽ, quàm illa quæ ſunt contra illum ordinem, poſſunt à Deo ordinatè fieri potentia abſoluta: potentia tamen ordinata non dicitur niſi ſecundũ ordinem legis vniuerſalis, nõ autem ſecundũ ordinem legis rectæ de aliquo particulari. Quod apparet ex hoc, quia poſsibile eſt Deũ ſaluare aliquẽ, qui tamen morietur in peccato mortali, & damnabitur: non autem conceditur ipſum poſſe ſaluare Iudã iam damnatũ: nec tamen hoc eſt impoſsibile potentia abſoluta Dei, quia non includit contradictionẽ. Potentia igitur abſoluta poteſt Iudam ſaluare, potẽtia verò ordinata poteſt iſtum peccatorem ſaluare, licèt nunquã ſaluabitur: ſed lapidem nec poteſt beatificare potentia abſoluta, nec ordinata. Et ſecundũ hoc patet reſpectu cuius dicitur potentia abſoluta in Deo, ſcilicet inquantum poteſt contra legem vniuerſalem, & non contra legem particularem. hæc Scotus vbi ſupra.

Origo, vt dicit ſanctus Bona. di. xxvij. in dub. liter. lib. j. ſemper dicitur relatio. Poteſt ergo accipi origo vel reſpectu creaturæ, vel reſpectu perſonæ. Si reſpectu creaturæ, ſic eſt reſpectu totius Trinitatis, & appropriatur patri: ſi autem reſpectu perſonæ, ſic poteſt accipi actiuè vel paſsiuè. Si actiuè, ſic eſt patris & filij, ſed appropriatur patri. Si paſsiuè, ſic filij & ſpiritus ſancti, & appropriatur filio, non ſecundũ quod ſimpliciter dicitur, ſed ſecũdum quod origo dicit emanationẽ per modũ naturæ. Sic enim cùm id ſit propriũ filij, ſimiliter & origo, ſecundum quod ſic accipitur. Et hoc modo accipitur cùm dicit Magiſter d. xxvij. lib. j. Et proprietas qua filius ſemper eſt filius, quia ſemper genitus eſt à patre. & hæc eadem dicitur filiatio, vel genitura, vel natiuitas, vel origo, vel naſcibilitas, &c.

Originale peccatum. Videatur de hoc infra in litera P. & in dictione *Peccatum originale*.

Orthodoxus, id eſt fidelis, catholicus. Et dicuntur orthodoxi, id eſt rectè glorioſi, vt ſcribit Dominus Præpoſitus Gabr. lect. xxiiij. canon. Vnde Orthodoxus, ab orthos Græcè, quod rectum Latinè, & doxa gloria, quaſi vir rectæ gloriæ. Vel ſecundum Papiã, doxos, id eſt doctrina vel regula. Vnde Orthodoxus, quaſi rectam regulam ſeu doctrinam credendo & viuendo tenens. Vnde orat Sacerdos in canone: Et omnibus orthodoxis, id eſt omnibus fidelibus Chriſtianis, rectè Chriſti fidem ac doctrinam tenentibus. Hi enim tantũ rectè poterunt gloriari, quibus cõſcientię teſtimoniũ conſonat de fide nõ ficta. Iuxta dictũ Apoſtoli 1. Corinth. 3. Gloria noſtra hæc eſt, teſtimoniũ conſcientię noſtrę, quod in ſimplicitate cordis & ſinceritate Dei, nõ in ſapientia carnali, ſed in gratia Dei cõuerſati ſumus, &c.

Os Dei, eſt Dei filius, Dei patris, id eſt Chriſtus Dominus. De quo Ierem. Propheta ex Iudęorum perſona affatus ait: Quia os eius ad iracundiam prouocamus. Aliter verò os Domini, ſermo eius ſiue viſio accipitur: de quo ſermone Dei Iſaias Propheta 58. ait: Os Domini locutum eſt, hoc eſt verbũ, filius Dei patris, per quem omnia facta ſunt. De quo in Pſalm. dicitur: Verbo Domini cœli firmati ſunt. Pſalm. 32. Et alibi Pſalm. 106. Miſit verbũ ſuum, & ſaturauit eos. Et in Euangelio Ioan. 1. In principio erat verbum. hæc Hieronym. in Epiſt. j. & Gerſon tract. ij. ſuper Cantic. Marię dicit: Os habemus Dei patris, os filij, oſculũ vtriuſq;, quod eſt ſpiritus ſanctus, os ſuum aperuit. Chriſtus habens labia diſtillantia myrrham primam mortificatiuã vitiorũ, cuius tot ſunt oſcula, quot verba: ipſe ſimiliter cum patre & ſpiritu ſancto aperuit ora Prophetarum, aperuit & os prædicatorum & doctorũ, qui ſapientiam eructãt, porrigeõtẽ oſcula volentibus. Dicuntur autem prædicatores os Dei, ideo quia ſeparant precioſa à vili. Et paulò pòſt dicit Gerſon: Deus ſicut eſt vnus & omninomius, ita vnus eſt, multiplexq;. Sciens itaq; Deus nos paruulos & balbos, voluit inſtar nutricis frangere verba ſua, quibus ipſe nobiſcũ, & nos ſecũ intelligibiliter vtrinq; loqueremur. Conceſsit igitur locutiones trãſſumptiuas à rerũ cognitarũ ſimilitudinibꝰ aſſumptas, tam abundantet vt nihil inueniatur quod nõ valet ad ipſum trahi nominandum, quod loquendi genus appellauit Dionyſius ſymbolicum. Hoc typo loquendi, Deus pater habet os, ex quo filius eius increata ſapientia prodiiſſe ſe gloriatur. Ego, inquit, ex ore altiſsimi prodij, primogenita ante omnẽ creaturam: habet & vterum. Ego, inquit, ex vtero ante Luciferum genui te.

Oſculum. Multiplex oſculum reperitur in ſacra ſcriptura, & ſeptuplex, ſcilicet vnionis, amoris, reuerentiæ & honoris, reconciliationis & pacis, impiæ proditionis, laſciuiæ & procacitatis, vt ſcribit Gab. lect. lxxxj. canonis. De primo dicitur Cant. 1. Oſculetur me oſculo oris ſui: vbi ad literam loquitur de vnione verbi cum natura humana. De ſecundo dicitur Gen. 27. Accede & da oſculũ mihi, fili mi, ait Iſaac ad filiũ ſuũ Iacob. De tertio, ſcilicet oſculo reuerentiæ, dicitur Luc. 7. Oſculũ mihi non dediſti: hæc autẽ ex quo intraui, non ceſſauit oſculari pedes meos. De quarto oſculo pacis. 1. ad Theſ. vlt. Salutate fratres in oſculo ſancto. De quinto proditionis. Mat. 26. Quemcunq; oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eũ, dixit Iudas. De ſexto dicitur, Prouer. 7. de muliere vaga & iuuene vecordi: Apprehenſum deoſcu-

deoſculatur iuuenē, & procaci vultu blanditur. De laſciuo oſculo dicit Gerſon part.ij. in Tripartito, de præceptis decalogi, cap. xiij. quod omnes amplexus, oſcula, & cōſimiles actus, principaliter ex luxurioſis cogitationibus, & turpibus, & carnalibus procedentes cum conſenſu deliberato, ſunt grauia delicta, tantoque grauiora ſi perſonæ fuerunt affines, aut religioſæ, vel eiuſdem ſexus: & quod enormius eſt, ſi in talibus attactibus vel oſculis talis non ſeruetur honeſtas, qualis in publico ſeruaretur. hæc Magiſter Ioannes Gerſon.

Oſtentatio capitur pro iactantia & inani gloria: & venit ab oſtento, quod ſignificat ſæpè, & cum iactantia quadam oſtendo, à quo deſcendit. Oſtendo verò componi videtur ab ore & tendo, quoniam ora in id ſolemus extendere quod volumus demonſtrare. Et ab oſtento fit nomen oſtentum, quod dicitur monſtrum: de quo in dictione *Monſtrum* videatur. Et oſtentatio (vt ſcribit Paulus Corteſ. lib. iij. ſuarum ſentent. diſt. viij.) malum capitale nominatur, ſi doloſe aut cū alterius iactura fiat. Conſulit Gerſon part. iij. tract. de diuerſis tentationibus diaboli, quod ſi malum opus quiſquam fecerat, ne oſtēdat in patulo & aperto, ne aliis occaſionem peccandi det. Si verò opus bonum, & putat quod cæteri malum hoc iudicent, vel noſcit quod alij malè iudicent: ſi non eſt neceſſarium ad ſalutem, intermittendum eſt. Si autem ad bonum alterius, vel propter inanem gloriam oſtendi & manifeſtari poteſt ad ſalutem alterius: nec in hoc quiſquam ſe laudare debet. Hinc concludit Gerſon, quare nequaquam optare quis debet, vt in eo quod agit bono, ab aliis commendetur: neque multò minus ſuam debet depromere, prædicareque laudem, vel etiam procurare vt hoc fiat ab aliis, ſed totum Deo relinquendum eſt, qui de nihilo nouit operari ingentia. Frequenter namque videmus quo amplius ſuam quis oſtentare quærit innocentiam, aut proprium bonum in aliorum notitiam ducere, eò minus ab aliis æſtimatur & curatur. Longè etiam minus tum ſibi, tum cæteris apud Deum proficit. Hæc Magiſter Ioannes Gerſon Cancell. Pariſień. &c.

De litera P.

P*abulum* idem eſt quod cibus, & propriè pecudum, & aliorum brutorū herbaceus, fœniceus, paleaceus, vel ſtramentaticius cibus eſt: ſed capitur pro quocunque cibo, etiam pro cibo ſpirituali, quo homines paſcuntur. Vnde Dominus ad ſanctū Petrū dixit: Paſce oues meas: paſce verbo & exemplo, paſce ſubſidio, paſce verbo prædicationis doctæ, paſce exemplo cōuerſationis ſanctę, paſce ſubſidio charitatis piæ. Quiſquis hoc modo (vt ſcribit Gerſon part. ij. in ſerm. facto in conſilio Remenſi, Dominica ij. poſt Paſcha) pauerit oues ſuas triplici pabulo ſalutari, verus imitator cenſendus eſt, paſtoris boni implens ſententiā Chriſti, quum dicit: Bonus paſtor animā ſuam dat pro ouibus ſuis, &c.

Pacificum & pacifica, oblationes ſunt, & vocabantur quæ ſponte offerebantur pro gratiarum actione, ſiue pro præcedentis voti impletione, ſiuè pro ſpontanea & voluntaria deuotione. De qua vide in dictione *Sacrificium*, &c.

Palpare ſiue palpari (vtrunque enim dicitur) propriè eſt leniter, & quaſi tentando tangere. Vnde pro adulari frequenter accipitur: & palpatores, & adulatores. A quo frequentatiuum palpito, quod eſt leniter & frequenter moueor. Vnde cor palpitare dicitur ob frequentem motum. A quo palpatio, quæ non pertinent ad tactum (vt inquit ſanctus Thomas iij. ſentent. diſtinct. xxj. quæſt. ij. artic. iiij.) vt diſcretiuus eſt contrariorum, ſcilicet calidi & frigidi, & huiuſmodi: ſed vt diſcretiuus eſt corporum ſolidorum. A palpo venit palpabile, & quodlibet tale dicitur tangibile, ſed non econuerſo. ex ſancto Thoma iiij. ſentent. diſtinct. xliiij. quæſt. ij. artic. ij.

Panis dicitur à paſcendo (vt Varroni placet.) Vnde pappa deducitur, quod propriè eſt cibus puerorum. Et panis dicitur omne quod reficit, vt vult Gerſon tract. ix. ſuper Magnificat. Dicitur namque à pan quod eſt totum, &c. Et eſt panis furniceus, qui in furno coquitur, qui à Græcis κλίβανος, clibanus dicitur. Eſt panis ſubcinericius, qui ſub cinere. Et focatius, qui in foco. Eſt & panis azymus, & eſt panis ſine fermento. A Græcis enim fermentum ζύμη dicitur, & a, id eſt ſine. Panis quoque eſt duplex, creatus & increatus, de quo ſcribit Bruleſer diſtinct. x. quæſt. vj. libr. iiij. Panis increatus dupliciter accipitur. Vno modo eſſentialiter, & eſt tota Trinitas. Vnde Lucæ 14. Beatus qui manducabit panem in regno Dei. Alio modo capitur perſonaliter, & eſt ipſe filius Dei. Ioan. 6. Ego ſum panis viuus qui de cœlo deſcendi. Panis verò creatus poteſt capi quinque modis, ad quos poſſunt omnes alij reduci. Primus panis ſacramentalis, & eſt corpus Chriſti. Ioan. 6. Panis quem ego dabo, caro mea eſt, pro mundi vita. Secundus panis eſt ſpiritualis, & ſunt virtutes exeuntes in homine iuſto. Nam anima reficitur per virtutes, ſine quibus anima moritur ſpiritualiter. Tertius eſt panis ſciētialis, & eſt ipſa ſcientia per quam iuuenes docentur à doctoribus. Vnde Apoſtolus 2. ad Timoth. 4. erit enim tempus in quo ſanam doctrinā non ſuſtinebūt, &c. Quartus eſt panis materialis, de quo quotidie veſcimur corporaliter. vnde dicitur frange eſurienti panem tuū. Quintus eſt panis pœnitētialis, qui deguſtatur per contritionē, maſticatur per confeſſionē, & digeritur per gratiæ ſuſceptionē. Pſal. Surgite poſtquā ſederitis, qui manducatis panē doloris. Gab. lec. lxx. canon. ponit triplicē panē, ſcilicet ſubſtantialē, ſuperſubſtantialem, & ſuperfluum. Panis ſubſtantialis eſt victus tenuis ſufficiens ad corporalis vitæ ſuſtentationem, vt non deficiat tantum. Qui ideo dicitur ſubſtantialis, quia ad ſubſtantiæ conſeruationē neceſſarius eſt & requiritur. Panis ſuperſubſtantialis eſt quo corporalis vita conſeruatur cum bona corporis, membrorum & virium valetudine, quæ ſufficit ad operationē perſonæ incumbentiū ordinatā executionē. Panis ſuperfluus, eſt qui præter prædicta voluptates multiplicat, & ſenſuales delectationes parit, qui non ad finem hominis, qui eſt animæ ſalus, promouet, magis autē impedit. Pro primis duobus

licitum eſt orare, ſed non pro tertio, vt ibidem vult Gabr. Et lect.lxxj. dicit Chriſtum eſſe panem non ſecũdum rei veritatem, ſed ſecundũ ſimilitudinem tropi. Et dicitur panis ſuperſubſtãtialis, quia eſt ſuper noſtrã ſubſtantiã, vel quia eſt egregius & præcipuus, & peculiaris, qui dicitur & panis cœleſtis, panis vitæ, panis Angelorum, & dicitur panis ſacramentalis. Et illo pane reficitur quilibet exiſtens extra mortale: vt vult Alexan. part. iiij. quæſt. xxxvij. Illum panem petimus dari, cùm dicimus: Panẽ noſtrum quotidianum. Et de illo pane ſacramentali, qui eſt Chriſtus, multa ſcribit Gabriel vbi ſupra.

Panis intelligentiæ illuminantis, qui eſt verbũ Dei auditum, lectum, meditatum ſeu contemplatum, nos illuminãs ad intelligẽtiam ſcripturarum, fidei, bonorum promiſſorum, quæ ſunt æternæ felicitatis gaudia, & malorum comminatorum in damnatione perpetua. Illo namq; pane etiã mens ſpiritualiter reficitur, ac in ſpirituali vita educatur. Vnde ſcribitur: Nõ in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei, id eſt ſcriptura ſacra, quę ſecundũ Greg. eſt tanquã os Dei, quia per eam loquitur Dominus nobis omnia quæ vult à nobis fieri. De illo pane latiùs ſcribit Gabr. lec. lxxj. cano.

Panis deuotionis eſt panis ſpiritum ſurſum agens. Hunc præſtat panis verbi Dei deuotè ſuſceptus, ac diligenter maſticatus. hæc Gabr. lect. lxxj. canonis, qui & de pane pœnitentiæ ibidem dicit: Quem petere peccatori eſt ſaluberrimum. De quo Pſalm. 79. dicitur: Cibabis nos pane lachrymarũ, & potũ dabis nobis in lachrymis in menſura. Et Pſal. 10. Sicut cinerẽ panem manducabã. Panis præterea dicitur omne quod reficit. Vnde triplex eſt panis, ſecũdum Gerſ. parte ij. ſerm. de verbis Domini: Venite ad me omnes qui laboratis, ſcilicet panis incipientium, proficientiũ, & perfectorũ. Incipientes aluntur pane laico ſiue ordeaceo: proficientes pane ſancto & mundo: perfecti, manna de cœlo. Panis incipientiũ eſt conſcientię purgatio: panis proficientiũ eſt ſancta deuotio: manna perfectorũ eſt pura contemplatio. Panis laicus ſiue ordeaceus eſt aſper & hiſpidus, ſicut ordeũ aſperum & hiſpidũ eſt: panis ille afflictio pœnitentiæ eſt ordeũ, vnde conficitur panis: hic eſt contritio vera, confeſsio pura, intenſa voluntas pœnitendi, & Deo in cinere ac cilicio ſatisfaciendi. Panis hic colligitur ex conſideratione peccatorum, conſpergitur timore Iudicis viuorum atq; mortuorum: coquitur metu gehennalium tormentorum. Hic panis ſic collectus generat cõſcientiæ purgationem. hæc Gerſon, qui plura ibi ſcribit & notanda de hoc triplici pane.

Papa, Grecè πάπα dici poteſt, & eſt ſummus Pontifex, qui habet plenitudinem Pontificalis poteſtatis, ſicut Rex in regno: ſed Epiſcopi aſſumuntur in partẽ ſollicitudinis, quaſi Iudices ſingulis ciuitatib⁹ prępoſiti: ex ſancto Tho. ij. ij. q. xcviij. ar. ix. & iiij. ſen. di. xx. art. iiij. Dicitur autem à papæ admirãtis interiectione: vel quod ſit papas, hoc eſt pater omniũ Chriſtianorũ. Papas enim pro patre accipitur, ſiue pro eo qui puerum alit. Eſt autẽ nomen venerationis à Syracuſis tractũ, apud quos pas pater dicitur: inde per geminationẽ papas. Dicũtur & Papę Sacerdotes, quemadmodum Presbyteri, hoc eſt ſeniores appellãtur. Vnde Dominus Hieronymus in Epiſtolis ſępè ſcribit ſancto & beatiſsimo Papę Auguſtino: & non ſolùm Papa pater noſter eſt, ſed & frater: & ideo fraternè corrigi poteſt. De quo videatur Magiſter Ioannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis, part. j. tract. Quomodo & an liceat in cauſis fidei à ſummo Pontifice appellare, ſeu eius iudicium declinare. Et aliàs multa de Papa & eius poteſtate ſcribit, &c. qui & abſque mendacio vel adulatione poteſt appellari ſanctiſsimus, etiam ſi ſit nequiſsimus, poteſt adorari cultu dulię vſque ad oſcula pedum: & ita de reliquis honoribus, vt idem Magiſter Ioannes Gerſon ſcribit parte j. de poteſtate Eccleſiaſtica, conſideratione xj. in fine. Oportet autem vnum eſſe Papam, vt idem vult in libello de auferibilitate Papæ ab Eccleſia. Et aliàs multa de Papa & eius potentia & iure in operibus ſuis ſcribit Magiſter Ioannes Gerſon Cancellarius, &c.

Parabola ſiue parabole dictio Græca παραβολὴ, & venit à παραβάλλω, quod eſt aſsimilo. Eſt autẽ parabola ſententia habens obſcuram ſimilitudinem, ſecundum Thom. prima parte q. j. artic. x. Et ſuper Eſa. 14. idẽ ait. Parabola eſt ſermo ſimilitudinarius qui aliud dicit, & aliud ſignificat. Et Ioannes Craſtonus ait: παραβολὴ, idem eſt quod comparatio. Et vt ſcribit Iacobus de Valẽtia Pſal. 77. Parabola ſiue prouerbiũ non ponitur gratia ſui, ſed alterius. Nam prouerbiũ dicitur quaſi pro alio verbum. Et parabola dicitur à para, quod eſt iuxta, & bole, ſententia, quaſi iuxta ſententiam alterius. Item parabola nil aliud eſt niſi propoſitio alicuius rei geſtæ, vel tanquam geſtæ pro aliqua veritate ſimilitudinariè exemplariter inferenda, & ſic ſemper ponitur pro alio. Et quia tota ſacra ſcriptura veteris teſtamenti non poſita eſt gratia ſui, ſed inquantum figurabat myſteria noui teſtamẽti: ideo dicuntur parabolæ & propoſitiones, quæ præmiſſæ ſunt in veteri teſtamento, ad inferendum myſticè & propheticè concluſiones & veritates Euãgelicas: & ideo ſicut totum vetus teſtamẽtum nil aliud eſt niſi quædam parabolæ & propoſitiones præmiſſæ ad inferẽdum & figurandum legem Euangelicam: ita tota lex Euangelica nil aliud eſt, niſi quædam parabolæ & propoſitiones præmiſſæ, ad inferendum & figurandum legem Euangelicam: ita tota lex Euãgelica nil aliud eſt, niſi quædã veritas & cõcluſiones illatæ ex myſteriis & ſcripturis legis veteris. Nam ſicut veritas cõcluſionis continetur virtualiter & confuſè in propoſitionibus præmiſsis, ſed poſt illationẽ patet veritas diſtinctè in cõcluſione: vt patet j. Poſteriorũ. Ita veritas Euãgelica cõtinebat virtualiter & in cõfuſo in lege veteri, ſed poſt aduentũ Chriſti patuit illa veritas diſtinctè per Chriſtũ in Euãgelio. Et ſic tota lex vetus nil aliud eſt, niſi parabolæ & propoſitiones reſpectu Euãgelij. Et ſic Eccleſia catholica, & quilibet fidelis, quãdo legit ſcripturã veteris teſtamenti, non legit gratia ſui, ſed ad myſterium & ad prophetiã, prout figurat veritates legis Euangelicæ: aliter intelligentia veteris legis non eſt vera nec Catholica, quia veritas eius eſt Euangelium, hæc Chriſtopolitanus Epiſcopus vbi ſupra in prologo ſuper Pſal. tract. j. c. ij. &c.

Paradiſus Græca dictio eſt. Nam παράδεισος pomarium

riũ ſignificat. Vnde & poma illa paradiſea vocantur à ſitu, quod ferè in omnibus pomarijs inſerantur odore, ſaporeque inſignia. Et eſt triplex, ſcilicet terreſtris, cęleſtis, & ſpiritualis, id eſt viſio Dei, vt vult, S. Tho. prima parte. qu. cij, art. j. & ij. ij. qu. clxxv. art. iij. Et vt idem ait ſecunda ſecundæ. qu. lxxxiiij. artic. iij. Paradiſus terreſtris eſt locus corporeus in oriẽte vt in nobiliſſimo loco, & interpretatur hortus. Eſtque locus conueniens habitationi humanę, quia habet aërem temperatum & tenuiſſimum, & plantas ſemper floridas, vt idem dicit Tho. parte j. q. cij. ar. ij. Paradiſus corporalis (vt ſcribit Gab. di. xvij. q. ij. lib. ij.) eſt locus deliciarũ & amœnitatis, & quantum ad beatos eſt cœlum empyreum, quãtũ ad viatores eſt locus amœnus in partibus oriẽtis conſtitutus. Vide latiùs Gab. ibi & ſan. Bona. diſt. xvij. in dubiis literalibus lib. ij. Videantur & pulchra apud Corteſium lib. ij. diſt. v. ſuarum ſent. Damaſceñ. ait: Diuinus paradiſus, eſt Dei manibus in Edon plantatus, gaudij & exultationis vniuerſæ promptuarium. De hoc corporali peradiſo dicit Iſid. xiiij. Etymol. ca. iij. Paradiſus eſt locus in orientis partibus cõſtitutus, cuius vocabulum ex Græco in Latinũ vertitur hortus. Porrò hębraitè Edõ, quod in noſtra lingua deliciæ interpretatur: quod vtrumque iunctum facit hortum deliciarũ. Eſt enim omni genere ligni pomiferarum arboris conſitus, habens etiam lignum vitæ. non ibi frigus, non ęſtus, ſed perpetua aëris temperies: è cuius medio fons prorumpens totum nemus irrigat. Dividitúrque in quatuor naſcentia flumina, cuius loci poſt peccatum hominis aditus intercluſus, ſeptuſque eſt vndique romphea flammea, ideſt muro igneo accinctus: ita vt eius cum cœlo penè iungatur incendium. De hoc loco Beda dicit, quod pertingit vſque ad lunarem circulũ. Vnde neque aquæ diluuij illic peruenerunt. Et Magiſter, hunc vult in orientali parte eſſe longo interiacente ſpacio vel maris vel terræ, quã incolunt homines. Vnde quod dicitur plantatus à principio, antiqua tranſlatio habet ad orientem. De quo latiùs videre poteris apud Gab. vbi ſupra, & Scotum diſt. xvij. libr. ij. Videatur & Iacob. de Valen. Pſal. 71. in fine. qui ait concluſio. j. quod paradiſus deliciarum vnde Adam fuit expulſus, eſt aſſignanda in illa parte auſtrali vltra mẽſam ſolis, & ambos tropicos. Plura ibi de paradiſo ſcribit. Dicit autem Gab. quod ille locus ſit nobis occultus & ignotus, nec aliquis coſmographus hunc locum inuenit, nec ſcriptura canonica ſitum eius certificat, quamuis dicat paradiſum eſſe regionem temperatam ad orientem circa mediam regionem collocatam. Vide latiùs eum & Paulum Corteſium vbi ſupra. Et paradiſus eſt duplex, ſecundum quod duplex eſt fruitio. vt infra dicetur.

Paradiſus ſpiritualis dicitur per allegoriam, pro ſtatu animæ triumphantis ac militantis Eccleſiæ. Et (vt dicit S. Bonauen. di. xvij. in dub. litera. lib. ij.) Paradiſus ſpiritualis dicit ſtatũ vel quietẽ & amœnitatem deliciarum ſpiritualium, & iſte poteſt eſſe ſecundum duplicem ſtatum, ſcilicet Eccleſię triumphantis, & eccleſiæ militantis. Vnde paradiſus ſpiritualis duplex eſt ſiue dupliciter dicta. Vna eſt in Eccleſia militante, altera in Eccleſia triumphante. Vnde illa quæ dicuntur in Gene. de paradiſo ſpirituali, exponi poſſunt metaphoricè, vt loquitur ſan. Bonauen. ſecundum vnam poſitionem. & idem S. Bonauen. diſt. xx. lib. iiij. circa explanationem textus dicit, quod paradiſus vno modo dicit ſtatũ fruitionis. Alio modo dicit locum aptum & idoneum. Et ille locus duplex eſt, ſecundũ quod fruitio eſt duplex. Quædam per ſpeculum & imperfecta, & tali competebat paradiſus terreſtris, quoniam locus eſt terrenus, tamen quietus, eleuatus. Quędam eſt fruitio plena, & hæc eſt in patria, & huic competit locus ſupercœleſtis.

Paradiſus cœleſtis capitur pro viſione Dei, vel pro beatitudine regni cęleſtis, quæ non ſine viſione eſt, vt ſcribit Gab. lect. lxvij. canonis. Vbicũque enim homo ſit, dum tamen Deum apertè videat, poteſt dici in paradiſo eſſe, De quo dixit Chriſtus ad latronem Luc. 23. Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo. Hæc cœleſtis paradiſus clauſa eſt per peccatum, & per Chriſti paſſionẽ aperta eſt ianua cœleſtis paradiſi, vt vult ſan. Bona. di. xviij. q. vlt. lib. iij. Hinc eſt quod per meritũ Chriſti patuit nobis ingreſſus in cœlum. De hac cœleſti paradiſo loquitur Gerſon parte iij. ſerm. de omnibus ſanctis, qui incipit: Regnum cœlorum vim patitur. q. j. Paradiſus inquit, eſt clarè videre Deum facie ad fatiem, eum ſummè amare, & de viſione & amore eius ineffabiliter lætari, abſque quatũque inuidia, habere perfectam ſecuritatem ſic perpetuò permanendi. Per quod patet hominem poſſe eſſe in paradiſo abſque hoc, vt ſit ſuperius in cœlis, ſicut fuit de latrone. Patet etiam paradiſum non eſſe in comedendo, in bibendo, aut in luxuriando, quemadmodum dicũt Saraceni. talis enim paradiſus potius ſpectaret ad mutas beſtias, quàm ad homines, &c. Regnũ enim Dei non eſt eſca & potus. Gerſon, &c. Et paradiſum cęleſtem duabus virtutibus acquirimus, gratia videlicet, & veritate, vt ſcribit Iaco. de Valen. Pſal. 83. Gratia eſt virtus ſacramentorum qua purgamur à peccatis, & adiuuamur & præſeruamur, & pœnitentiam agimus. Veritas autem eſt fides articulorum & intelligentia legis diuinæ. In omnibus autẽ quæ ſcriptura tradit de paradiſo (vt dicit Gabr. di. xvij. li. ij. ar. ij. conclu. j.) eſt pro fundamento tenenda veritas hiſtoriæ, & deſuper ſpirituales expoſitiones fabricandæ, &c.

Parapherna Græcũ eſt παράφερνα. vnde paraphernalia bona dicuntur à iure conſultis, quæcunque pręter dotem fœminis ſpõſis dantur, à παρὰ præter, & φερνὴ dos, multi tamen imperiti paraphrena dicunt. Vide & in dictione, *bona coniugatorum*, &c.

Pars. Partes ſunt in quas materialiter diuiditur totũ, ſecundũ S. Tho. q. xc. ar. j. Et eſt triplex pars, ſcilicet integralis, ſubiectiua, & potẽtialis. Et ſimiliter totũ triplex, ſcilicet integrale, vniuerſale & poteſtatiuũ, ſecundũ S. Tho. prima parte. q. lxxvj. ar. viij. & ij. ij. q. xlviij. De quo vide Gab. di. xxxiij. ar. ij. li. iij. Pars integralis, quæ intrat conſtitutionem totius, ſicut paries domus. Pars ſubiectiua eſt inferius contentũ ſub ſuperiori, vt ſpecies reſpectu generis. Pars potentialis eſt, quæ nõ recipit prædicationem totius, ſed aliquid de potentia, ſiue perfectione totius participat. Sic dici poſſet, quod anima ſenſitiua eſt pars potentialis animæ intellectiuę. Nam anima

intellectiua dicitur tota anima, eò quod in ipſa omnes potentię animę cógregantúr. Et anima ſenſitiuá in brutis dicitur pars potētialis animæ intellectiuę, quia aliquid perfectionis animę intellectiuę, ſcilicet vitá cognitiuam participat, ſed nō intellectiuá. Sic ſecundum húc modū aſsignantur tripliciter partes in virtutibus. Primo integrales, cū, ſcilicet ponitur pars alicuius virtutis, illud quod requiritur ad perfectionē eius, vt dum ad perfectionem virtutis plures requiruntur conditiones, id quod reſpicit vnam conditionem, vocatur pars integralis. Sic Tullius Cicero, ponit memoriam præteritorum intelligentiam præſentium, & prouidentiam futurorum partes prudentiæ, quia prudentia innititur experiētiæ, quæ colligitur ex memoria præteritorum, & cognitione præſentium, ex quibus ſumitur prouidētia futurorū. Secūdo modo partes ſubiectiuæ, quę ſunt ſpecies contentæ ſub vniuerſali, & illæ ſolæ partes ſubiectiuæ, recipiunt prædicationem totius, licèt vna pars de alia non prædicatur, tamen de ſingulis prædicatur totum, ſicut genus de ſpecie. Sic partes prudētiæ ſunt ſpecies eius, ſicut prudentia politica, prudentia iconomica, prudentia ethica ſiue monaſtica. Tertio modo partes potentiales, quę ſunt virtutes participātes aliquid de modo qui principaliter & perfectè inuenitur in aliqua virtute. Et ſic Phyſica, Dialectica, Rhetorica ponuntur partes potentiales prudentiæ, pro quanto participant aliquem modum eius. Et generaliter omnes artes & diſciplinæ, eò quod de omnibus his ordinat prudentia, à quibus & quantū ſunt addiſcendę vel exercendæ. i. Ethi. hæc Thomas. Vide latiùs Gabr. vbi ſupra.

Pars alicuius accipitur adhuc dupliciter, vt ſcribit Gab. di. xvj. q. j. ar. j. lib. iiij. Vno modo pro termino primæ impoſitionis. Et ſic dupliciter. Vno modo largè pro eo ex quo res cōſtituitur, vel quòd ad rei conſeruationem vel naturalem operationem requiritur. Et hoc modo etiam humores in corpore humano exiſtentes, ſcilicet ſanguis, cholera, melancholia, plegma dicuntur partes hominis. Et potentiæ animæ etiam apud eos qui dicunt eas eſſe diſtinctas ab anima, dicuntur partes animæ. Vnde. iij. de anima ait Philoſo. De partibus autē animæ, &c. per partes intelligit animæ potentias, vt vult Gab. vbi ſupra. & etiā d. xv. q. vnica. l. iij. Etiā quandoq; ea quæ habent ordinē vel adiunctionē ad aliquid dicuntur partes eius, & ſic ſanctus Tho. ij. ij. virtutes adiunctas principalibus dicit earū partes potētiales. Alio modo accipitur magis propriè pro illo ex quo res compoſita realiter conſtituitur. Et hæ duplices. Quędā eſſentiales, quę ſe habēt, vt actus & potētia, & ſunt materia & forma compoſita ſubſtantialis. Quędam ſunt integrales, ex quibus totū integratur eiuſdem rationis cū toto, vt ſunt mēbra animalis, & partes graduales formæ intenſibilis; & partes quātitatiuæ rei extēſę, ſic eſt terminus primę intentionis, ſed pro termino ſecundæ intentionis terminus inferior dicitur pars ſui ſuperioris, & hę dicuntur partes ſubiectiuæ. Hoc modo ſpecies ſunt partes generis, & indiuidua ſpecierū, ſic homo, bos, leo &c. ſunt partes animales, de quo in logica differtur. De ratione partis capiendo pro termino primę impoſitionis, ſunt duo, vt ſcribit Gab. di. vj. q. ij. li. iiij. Primū, quod realiter diſtinguitur ab eo cuius eſt pars. Nihil enim eſt pars ſuiipſius. Et propter hoc licèt anima replicetur ſub partibus corporis, tamē anima in pede non eſt pars animæ informantis totum corpus: quia anima quæ eſt in pede, eſt eadē quæ eſt in capite, manu & toto corpore. Secūdo requiritur quod ipſa ſic eū alia cōponat ſiue integret totum id ſecundū primū & propriiſsimū idētitatis modū. Sic ſcientia nō eſt pars animę, quia ſiue aſsit animę ſiue nō, anima ſemper eſt eadē, & in nullo ſubſtātialiter mutata. Primū, deitas nō eſt pars Chriſti aut verbi, quia eſt eadē realiter verbo. Itē natura humana nō eſt pars Chriſti, quia nō eſt pars verbi. Chriſtus autē & verbū idē ſunt. Nō igitur humanitas neq; diuinitas eſt pars Chriſti. Ex quo ſequitur quod licèt Chriſtus ſubſiſtit in duabus naturis, diuina, & humana, nō tamen cōponitur ex eis. Et hoc patet per Damaſ. li. iij. c. iij. dicentē incōuertibiliter, & inalterabiliter. Vnitæ ſunt adinuicem duę naturæ, neque natura diuina excedente à propria ſimplicitate, neque verſa humana in deitatis naturā, neque ex duabus vna facta cōpoſita natura. Vide latiùs Gab. vbi ſupra, & Magiſtrum diſtin. vij. libr. iij. Vide ad hoc ſanct. Bonauen. in dub. lit. di. vij. lib. iij.

Pars aliquid eſſe ex parte dicitur dupliciter, ſecundum S. Bona. Vno modo, quia deficit à perfectione alicuius perfecti, ad quod habet quandam diſpoſitionem per quā eſt in potentia ad perfectiorē, ſicut qualitas remiſſa eſt in potētia ad qualitatē intēſam. Alio modo, quia deficit à perfectione alterius ad quod eſt diſpoſitio quædā cū ſui oppoſitione, ſicut tepidum ad calidum. Eſt enim tepidū diſpoſitio ad calidum, & tamē opponitur calido, quia idē nō eſt calidum & tepidū, & intrante caliditate, expellitur tepiditas. Primo modo charitas viæ dicitur eſſe ex parte. Et quod ſic eſt ex parte nō tollitur in patria, ſed perficitur. Secundo modo, fides, & ſpes ſunt ex parte, & quod ſic eſt ex parte, tollitur in patria. Et de ſecundo modo loquitur Apoſtolus cū ait. Cū venerit quod perfectū eſt, euacuabitur quod ex parte eſt, ſed neque fides infuſa neque acquiſita manet cū aperta viſione in patria. Et idē dicitur de ſpe. Charitas verò quę viatori infunditur, eidem numero in beatitudine cōſeruatur. Dicit enim Apoſtolus: Charitas nūquam excidet, & etiam quia nullā includit imperfectionē, probabile tamen eſt charitatē acquiſitam vię, in patria nō manere. Nam charitas viæ ſicut dicitur de fide & ſpe, eſſentialiter includit imperfectionem repugnantem patriæ. De iſtis latiùs perquirito apud Gab. di. xxxj. q. vnica. lib. iij.

Partes aliquotæ dicuntur quæ aliquotiens ſumptæ reddunt numerum ſuum eſſentialē, vt ſunt. j. ij. iij. quæ conſtituunt numerum ſenarium. Item centenarius componitur ex partibus aliquotis, & non aliquotis, & ideo eſt imperfectior, denarius autem eſt perfectiſsimus, ad quem ſtat reſolutio omnium numerorum, & dicitur limes primus, centum autem eſt limes ſecundus. Bruleſer diſtin. j. parte. ij. qu. iij. lib. iiij.

Partes proportionales ſiue eiuſdē proportionis partes dicuntur, quorū talis eſt proportio primę ad ſecundā, qualis ſecundę ad tertiam, & ſic conſequenter, vel vbi talis eſt proportio prioris ad ſequētem, qualis eſt ſequentis ad ſequentem, vt ſi continuum

diuidatur

diuidatur in duas medietates, & ſecunda medietas iterũ in duas. Et ſic cõſequenter ſuo modo dicatur de diuiſione ſecundum quamcũque proportionem multiplicem. Et cuiuſlibet continui infinitæ ſunt partes proportionales ſiue eiuſdem proportionis diſtinctæ, quarũ nulla eſt pars alterius, infinitę dico ſincathegorematicæ. Item non datur vltima pars cõtinui ſecundum diuiſiones in partes eiuſdẽ proportiones, datur tamen vltima pars ſecundum diuiſiones in partes eiuſdẽ quantitatis. Gab. di. j. qu. iij. lib. ij. & multa ibidẽ de partibus proportionalibus.

Parſimonia vt ſcribit Paulus Corteſ. lib. 3. ſentent. diſtin. viij. eſt victus moderatrix, vel parſimonia eſt qua animi honeſti, & vtilis cauſa, ne diſpendiũ faciant, & bona ſua opum nomine vel facultatum appellata, inutiliter inhoneſteque conſumant, ſed tueantur atque cuſtodiant, prudenter conſiderant, cuius contrariũ eſt luxuria ſeu luxus, & bonorum ſuorum dilapidatio. Videturque parſimonia à frugalitate differre, quòd parſimonia eſt generalius quoddam, frugalitas verò propriè cibus, potusque mentis frugi, ac bene compoſitæ moderatio, cuius contrarium eſt voracitas. Frugalitas ſecundũ Cice. complectitur ſortitudinem, iuſtitiam, prudentiam. Et dicitur parſimonia à parco, quod parſi habet in præterito, quod idem eſt quod abſtinere. Sed quãdo habet peperci, ſignificat ignoſcere, concedere, indulgere, de quo aliàs. Accipitur itaque parſimonia pro moderatione ſumptuum, & parcitate, hoc eſt conſeruatione rerum. Hinc parcus qui frugi eſt, & ſumptibus parcit, & parcitas, quæ idem eſt quod parſimonia.

Paruificentia eſt vitium oppoſitum magnificentię, & eſt circa magnos ſumptus, ideo eſt minus vitiũ quàm illiberalitas, ſecundum beatum Thom. ij. ij. qu. cxxxv. art. j.

Paruulus. vt notat Bruleſ. di. iiij. quæſt. xij. lib. iiij. poteſt capi quadrupliciter. Primo modo dicitur paruulus per carentiam iniquitatis. Vnde Apoſtolus Malitia eſtote paruuli. Chriſtus hoc modo erat paruulus in cruce ſicut in vtero matris ſuę virginis glorioſæ: ſic paruula erat virgo glorioſa quando concepit Chriſtum ſicut erat quãdo concepta eſt in vtero matris ſuæ. Item Ioan. bapti. erat magis paruulus quando baptizauit Chriſtum, quã quando fuit conceptus, quia conceptus fuit in originali peccato. Impoſſibile quoq; eſt aliquẽ hominẽ ſaluari de potentia Dei ordinata, niſi ſit paruulus, capiẽdo paruulum pro carentia iniquitatis. Secũdo modo capitur paruulus pro carẽtia elationis, & iſti ſunt humiles. & de iſtis dicebat Chriſtus Mat. 28. Sinite paruulos venire ad me. Et iterũ. Niſi quis humiliauerit ſe ſicut paruulus iſte, nõ introibit in regnũ cœlorũ. Et quicunq; humiliauerit ſe ſicut paruulus iſte, hic maior eſt in regno cœlorũ, Mat. 18. Nõ pręcipitur Apoſtolis vt inquit Hiero. in orne. vt ætatẽ habeãt paruulorũ, ſcilicet vt innocentiã, & animi puritatẽ, &c. Tertio modo capitur paruulus per carentiam diſcretionis, & eſt homo qui nunquam vſus eſt libero arbi. vt ſunt parui & immediatè nati, & etiã quantumcunque magni in quantitate, qui nunquam habuerunt viſum liberi arbi. vt ſunt fatui & furioſi. Quarto modo capitur paruulus per defectum perfectæ quantitatis, & ſunt illi qui nondum attigerunt. xxv. anuum, quia ſecundum Philoſophũ vſque ad illam ætatem poſſunt creſcere. De paruulis non parum multa ſcripſit Gerſon parte ij. & quomodo ad Chriſtum ſunt trahẽdi, & quod apti ſunt ad accipienda bonorum ſtudiorum ęxordia, quando nondũ falſas opiniones altiùs inbiberunt, quando nondum radicitus hærent pernicioſæ adinuentiones in eis, & de ſcandalizantibus paruulos & multa quæ apud Gerſonem lector diligens, & curioſus legere poterit.

Paſcha capitur multis modis (vt habet Rich. di. xj. art. ij. q. iij. lib. iiij. in ſolu. argu.) & S. Bona. eadem di. ar. ij. q. j. Innocen. & Alexa. & Gab. lect. xxxiiij. canon. & Gerſon parte iiij. in ſerm. de cœna Domini, ſecundum illos quandoq; accipitur pro hora immolationis agni typici. Vnde. Luc. 22. Appropinquabat dies feſtus azymorum, qui dicitur paſcha. Glo. paſcha dicitur ſolus dies in quo agnus occidebatur ad veſperum, id eſt. xiiij. luna primi menſis. Quandoque accipitur pro agno paſchali typico. Vnde Luc. vbi ſupra. Venit autẽ dies azymorum in qua neceſſe erat occidi paſcha. Vnde Mat. 26. Vbi vis paremus tibi comedere paſcha. Quandoque accipitur pro vero agno paſchali, qui eſt Chriſtus Dominus. 1. Cor. 15. Etenim paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Quandoque pro die feſto azymorũ, quæ fuit. xv. poſt æquinoctium vernale. Ioan. 13. Ante diem feſtum paſcę ſciens Ieſus. Quandoque accipitur pro cibis paſchalibus, panibus, ſcilicet azymis, quibus veſcebantur tempore paſchali, qui per ſeptem dies comedebãtur à Iudæis. De quo Exod. 12. Primo menſe. xiiij. die menſis ad veſperam comederis azyma vſque ad xxj. eiuſdem menſis veſperã. Et ſic accipitur Ioan. 18. Non introierũt pretorium ne contaminarentur, ſed manducarent paſcha. Et ſecundum Alexan. refert dicere diẽ paſchæ, & diem feſtum paſchæ, nec ſunt idem, vt patet ex lege. Dies enim paſchæ eſt. xiiij. luna. dies feſtus paſchæ. xv. luna. Vnde Leuit. 23. Menſe. x. xiiij. die ad veſperũ paſchæ Domini eſt, id eſt paſcha. Et xv. die menſis huius ſolẽnitas azymorum Domini eſt. Et ita ante diem ſolennem paſchæ, quæ fuit luna xv. facta fuit cœna Domini, id eſt, xiiij. luna ad veſperam, &c. Dicimus autẽ paſcha, æ, & paſcha, atis, quod planè nomen hebræum eſſe ac tranſitum ſignificare docet Hiero. ſic inquiens: Paſcha quod hebraicè dicitur phaſe, non à paſſione vt plerique arbitrantur, ſed à tranſitu nominatur, vel à tranſitu filiorum Iſraël à Pharaone, vel eò quòd exterminator videns ſanguinem in foribus Iſraëlitarum, pertranſierit, nec percuſſerit eos. Augu. A diligentioribus & à doctoribus inuentum eſt, quia paſcha hebræum verbum eſt, & non interpretatur paſſionem, ſed tranſitum, per paſſionem enim tranſiuit à morte ad vitam, & fecit nobis viam credentibus in reſurrectione eius, vt tranſeamus & nos de morte ad vitam. Sic enim Dominus ipſe ait: Qui credit in me, tranſit à morte ad vitã. Et à paſcha venit paſchalis & paſchale, quod ad paſcha pertinet, vt paſchalis dies, agnus, paſchale ſacramentum. Paſchales verò oues, quaſi paſcuales dicuntur.

Paſſio, perturbatio, affectus & affectio, Græcè pathos

thos dicitur. A Neotericis verò auctoribus Eccleſiaſticis, paſsio vſurpatur pro animi vel corporis morbo. Sunt auté quatuor pręcipuè paſsiones. Duę à bonis, gaudere, ſcilicet, & cupere ſeu ſperare. Lętitia, de pręſenti eſt: ſpes, de futuro bono. Duæ à malis, dolere & timere. Dolor, de præſenti: Timor de futuro malo. Paſsio ſumitur multifariam. Vno modo generaliter pro adquiſitione vel deperditione alicuius formæ, aut inceptione, vel deſitione alicuius rei: quomodo ſubiectum quodlibet adquirendo formam, aut perdendo adquiſitam. Similiter omne quod generatur aut corrumpitur, dicitur pati. Secũdo modo accipitur ſtrictius pro quacunque inclinatione rei in aliquod adquirendũ vel conſeruandum ſiue ſit inclinatio naturalis indiſtincta à potentia, ſiue diſtincta, ſiue rei ſuperaddita. Et ſub hac generalitate loquitur de paſsione Gerſon Cancellarius Pariſienſis in ſuo tractatu de paſsione animæ. & ſic non ſemper diſtinguitur à potentia inclinata: ſic etiam naturalis inſtinctus, qui nihil ſuperaddit naturæ, dicitur paſsio. Tertio modo accipitur vt diſtinguitur cõtra potentiam & habitum. ita accipit Philoſophus 2. Ethic. pro forma aliqua in potentia appetitiua, nata regulari ratione recta ad hoc vt ſit recta. Sic tripliciter capitur. Vno modo generaliter pro qualibet huiuſmodi forma potétiæ appetitiuæ, ſiue ſit actus elicitus, ſiue qualitas actum elicitum conſequens, vt delectatio vel triſtitia, ſiue appetitus ſit ſenſitiuus, ſiue intellectiuus. Secundo ſtrictius pro huiuſmodi forma appetitus ſenſitiui. Et ſic excluduntur paſsiones partis intellectiuæ.

Tertio modo ſtrictiſsimè pro ſolo actu elicito appetitus ſenſitiui, & ſic excluditur qualitas ſequens huiuſmodi actus. Et ita videtur accipere Philoſ. 2. Ethicorũ ca. 5. cùm dicit delectationes & triſtitias ſequi paſsiones. Quidam magis reſtrigentes vocabulum accipiunt pro actu elicito intenſo vehementer ad actum exteriorem impellente. Et illo modo actus remiſſus non dicitur paſsio, nec habens actus remiſſos, dicitur paſsionatus, ſed qui tales habet intenſos. Prima acceptio vltimarum trium ſatis communis eſt: & ſecundum hanc poteſt ſic deſcribi, vt habet Gabr. diſt. xxiij. quæſt. j. art. j. lib. iij. Paſsio eſt forma vel qualitas diſtincta à cognitione exiſtens ſubiectiuè in potentia operatiua requirẽs cognitionem actualem ad ſuum eſſe exiſtere. Per primum excluditur omnis cognitio actualis ſiue ſenſitiua ſiue intellectiua. Per ſecundum excluduntur omnes habitus cognitiui: quia illi non inhęrent potentiæ appetitiuæ: vt talis eſt. Per tertiũ excluduntur omnes habitus appetitiui in ſenſu vel voluntate, imò generaliter omnes habitus qui poſſunt eſſe ſine actuali cognitione: vt in dormiéte. Ex quo ſequitur quòd omnis actus appetitiuus tã ſenſitiuus quàm intellectiuus, hoc eſt, omnis ſenſualis appetitio, & omnis volitio actualis, etiam delectatio vel triſtitia conſequens in appetitu ſenſitiuo, vel in voluntate, eſt paſsio. patet ex deſcriptione. Quod actus eliciti appetitus ſenſitiui ſint paſsiones, oſtẽdit Philoſophus cùm dicit. Dico paſsiones quidem concupiſcentiã, iram, timorem, audaciã, gaudium, amicitiam, odium, deſideriũ. Hæc autem ſunt actus appetitus ſenſitiui, quos conſequuntur delectatio, vel triſtitia: vt ibi dicit Philoſophus. Vide latius Gabr. vbi ſupra. Et quicquid eſt in potentia appetitiua pręter habitum, eſt actus aut delectatio, vel triſtitia conſequens actum, & per conſequens paſſio: quia vniuerſaliter quicquid eſt pręuiũ delectationi, vel triſtitiæ ſecundũ Philoſophũ, eſt paſsio. nec cognitio eſt paſsio, ſed pręuia paſsioni, & cauſa eius partialis, quæ cũ potẽtia cauſat paſsioné, &c.

Paſsio ſecundum Damaſce. eſt motus appetitiuę virtutis ſenſibilis in imaginatione boni vel mali. Et Euſtratius, eſt motus appetitus ſenſitiui in phantaſia boni vel mali. Et accipitur motus pro inclinatione actuali, qua appetitus actualiter tẽdit in bonum proſequendũ aut in malum fugiendum, aut in adepto bono quieſcẽdum. Vide latius Gabr. vbi ſupra. Item paſsio capiendo, tertio modo poteſt ſic diffiniri. Paſsio eſt actus elicitus appetitus ſenſitiui, requirens cognitionem præuiam ad ſui exiſtentiam. Et ſic per primum actus elicitus excluditur delectatio & triſtitia, per ſecundum habitus, &c.

Paſsio ſecundum Gerſonem parte iij. trac. de paſsionibus animę ſic diffinitur. Paſsio eſt inclinatio quędam vel coaptatio ſeu ſimilitudo & cõuenientia derelicta ab agente in paſſum, per quã trahitur quodammodo ipſum paſſum ad agens aut eidem coaptatur vel aſsimilatur & refugit contrariũ, vt homo affectus per amorem ad aliquid inclinatur ad illud. Et ſi non habet deſiderat ſeu concupiſcit ipſum. Et ſi adipiſcitur quieſcit, & delectatur in eo: odit verò contrarium & abhorret approximationem eius, & ſi ei coniungitur, dolet ſeu triſtatur. Et hæ ſunt ſex paſsiones, tres reſpectu boni ſimplicis, & tres ſimiliter reſpectu mali: amor, concupiſcentia, delectatio, odiũ, fuga, dolor vel inquietudo. Et (vt idem ait) paſsiones in omnibus animalibus brutis cenſendę ſunt bonę & pulcrę: vt audacia & animoſitas in leone & gallo: ira, in tigride & apro: voluptas, in porco, hirco & paſſere: timiditas, in lepore & oue: fraudulentia, in vulpe: adulatio, in cane: ſuperbia, in equo: triſtitia melancholica, in catto: auaritia, in cornice. Iſtæ paſsiones neque malæ ſunt, neque deformes in genere moris, cum ipſis animalibus deſit libertas arbitrij, in qua fundatur ratio laudis vel vituperij. Paſsiones verò animales in omnibus viatoribus ſunt, vt plurimum vituperabiles & malæ & turpes, quare & ab eodem Gerſone parte iiij. ſerm. ad regem Frãciæ pro iuſtitia cõparantur tyrannis. Homo namque (vt idem dicit ſupra parte iij.) cùm ſit natura rationalis, ipſe factus eſt vt diſcernęret inter bonum & malum, & vt magis bonum magis diligeret. Cõſtat verò Deum eſſe ſummũ bonum, ordinatus eſt igitur homo ad cognoſcendũ & diligendum Deum, in quo ſtat ſua iuſtitia, ſua bonitas & gloria. Sed omnium iſtorum ac ſimilium videmus in hominibus contrarium propter paſsiones corporis, quæ trahunt animã ad delectationes ſordidas & malas: trahunt in terrores & ſuperſtitioſas inſanias: trahunt magis ad operationes corporis, quàm ad operationes virtuoſas: trahunt ad obligationem, ignorantiam, inquietudinem: trahunt ad afflictiones, ad rebelliones, ad pœnam & mortem plus quàm in brutis, & in iuſtis ſæpè plus quàm in iniuſtis, & hoc factum eſt ex culpa per ingratitudinem cõtra Deum perpetrata. Sunt igitur paſsiones

illæ

illæ vituperabiles, quia tollũt obedientiam, ſunt & malę & turpes tanquã priuãtes in homine ex vitioſa radice modum, ſpeciẽ & ordinẽ preueniunt quippe iudiciũ rationis, quod oporteret ſubſequi, turbant, ligant, atque tyrannizãt dominium rationis, ita vt nimis ſentiat homo illam ſententiam: Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam. Et illud, iugum graue ſuper filios Adam. Hęc Gerſon. Et quia notãda nõ omittere volui. Plura alia ſcribit Gerſon de paſſionibus vbi ſupra, & aliàs. Sunt autem multæ paſſiones animæ (vt habet Magiſt. di. xxxvj. lib. ij.) allegant auctores. Et poſt hos ſcribit ſan. Bonau. di. xxxvj. q. ij. lib. ij. quæ non ſunt ſolùm pœnales, verùm etiam culpabiles, ſicut ira & inuidia. Licèt autem huiuſmodi paſſiones peccata ſint, nõ tamen ſunt peccata inquantum paſſiones, ſicut idem Aug. dicit & habetur in litera, quia inſunt nobis à natura. Dicitur autẽ 2. Ethi. quod propterea quæ inſunt nobis à natura nec laudamur, nec vituperamur.

Omnis autem paſſio inquantum ipſam aliquis patitur, non eſt peccatũ, ſed huiuſmodi paſſiones peccata ſunt ratione inordinationis voluntatis coniunctę, vel antecedẽter vel cõſequenter. Propter quod notandum quod eſt paſſio illata ab extrinſeco, & circa hanc non conſiſtit meritum nec demeritũ, niſi inquantum à voluntate reſpuitur vel acceptatur.

Vnde occidi pro Chriſto non eſt meritorium, niſi inquantum volitum eſt ab eo qui occiditur. Vnde propriè loquẽdo in talibus paſſionibus nõ eſt quid meritorium, ſed ſufferentia paſſionis. Eſt & alia paſſio quæ ortum habet ab intrinſeco. Et hæc dupliciter poteſt oriri, quia quædam oritur ex corruptione naturæ, quędam verò ex conuerſione voluntatis liberæ. Et illa quæ oritur ex corruptione naturę, in duplici differentia eſt, quoniã natura corrupta eſt vitioſa corruptione per cõcupiſcentiam, & corrupta eſt corruptione pœnali per mortalitatem inflictam. Illæ igitur paſſiones quæ oriuntur ex corruptione naturæ, vt eſt corrupta pœnali corruptione, tenent rationem pęnę tantum, vt fames & ſitis. Illę verò quæ oriuntur ab ipſa, vt eſt corrupta corruptione vitioſa, non tantũ habent rationem pœnæ ſed etiam culpæ, ſicut ſunt inordinatę affectiones animæ quæ conſurgunt ex morbo concupiſcentiæ, & tales ſunt paſſiones iræ, & inuidiæ, & cõſimiles. Secundum autem quod huiuſmodi paſſiones animę oriuntur ex voluntatis conuerſione, ad aliquod bonum amabile, ſic ſecundum quod voluntas habet cõuerti dupliciter, paſſiones huiuſmodi ſunt in duplici genere. Voluntas enim aliquando conuertitur ad bonum ſimpliciter, & tunc deteſtatur, & odit quod aduerſatur illi bono, vtpote peccatum, & hoc modo paſſiones inde ſurgentes ſunt iuſtæ & meritoriæ. Conuertitur etiam aliquando voluntas ad bonum proprium & ad bonum, vt nunc & tunc paſſiones quæ inde cõſurgunt, culpabiles ſunt & malę, ſicut & voluntas à qua oriuntur, ſed nõ habent plenam rationem mali & culpæ niſi quando voluntate conſummantur, vtpote quando aliquis vult iraſci, vel etiã vult cõtriſtari. Et ſic patet quod huiuſmodi paſſiones animę peccata ſunt, & inquãtum oriuntur ex corruptione cõcupiſcentiæ, & inquantum ortum habent ex inordinato amore voluntatis deliberatiuę. Hæc Bonauentura. Aſtipulatur Gerſon in regulis moralibus de ſuperbia & vana gloria, qui ait: Paſſio naturalis, vt ira, amor, gaudium, odiũ, inuidia, fames, ſitis, delectatio, deſiderium, & ſimiles ſi fiant abſque omni conſenſu, nullum peccatum ſunt. Si verò cum conſenſu, ſed non ex conſenſu, inter venialia deputantur. Similiter de actibus rationis tã in portione ſuperiori, vt eſt blaſphemia, quàm inferiori, vt appetitus vindictę diceretur. Gerſon. Et paſſiones infirmitates animæ dicuntur. Vnde Rich. diſt. xxij. qu. vltima lib. ij. dicit quod infirmitas animæ dicitur vel fragilitas, quando ex cõcupiſcentia vel paſſione anima inclinatur ad intenſius volendũ aliquid. Vnde paſſiones ſunt infirmitates animæ: vt dicit Tullius lib. 4. de Tuſc. qu. & talis infirmitas ſæpius eſt cauſa peccati, ſecundùm Iſido. lib. ij. de ſummo bono. cap. xvij. Quoniam anima eſt infirma, quando vincitur per concupiſcentiam, vt inclinetur ad intẽſius volendum aliquid inordinatè. Idem quoque dicit quod grauius ſit peccare ex induſtria quàm ex infirmitate. Paſſio itaque quandoque alleuiat peccatum (vt idem ait Richa. circa literam eadem diſt.) quod grauius eſt peccatum ex infirmitate quàm ex ignorantia, quia cæteris paribus plus excuſat ignorantia, & per conſequens plus attenuat quã infirmitas, & quod ignorantia plus tollit de ratione voluntarij. Nam tollit cognitionem particularium, circa quæ conſiſtit operatio bona vel mala, niſi eſſet tãta infirmitas vel fragilitas, & tam parua eſſet vel voluntaria ignorantia quod plus excuſaret infirmitas quàm ignorantia.

Oportet inſuper inter doctrinas de paſſionibus animę hoc ſpecialiter attẽdere, vt ſcriptis reliquit Gerſ. parte iij. ſuper Cantica canticorum ſympſalmate. j. conſideratione, quòd apud Theologos amplior eſt acceptio paſſionum ſicut amoris vel amationis, & cõſequentium inde quàm apud Ariſtotelem naturalis habeat traditio. Ipſe enim nullas niſi in iraſcibili & concupiſcibili ſenſuali cenſuit propriè reponendas eſſe paſſiones, ſicut nec in Deo vel angelis. Nos autẽ ſequẽtes Auguſt. cum cęteris Theologis, ponimus omnia nomina paſſionũ nedum in ratione humana, nedum in eius mẽte & ſpiritu, nedum in angelis & beatis, ſed in ipſo Deo glorioſo, omni tamẽ imperfectione ſecluſa. Dicimus enim Deum delectari & gaudere ſicut & beatum eſſe. Gerſon. Et paſſiones ſunt familia in regno animæ, vt vult Hugo de regno animæ, &c.

Paſſiones quædam ſunt corporales, quædam naturales ſeu animales, quædam ſpirituales. Paſſiones corporales ſunt pœnæ inflictæ corpori, vel ſupplicia tormenta, quibus corpus patitur, torquetur, & cruciatur, ſicut fuerunt paſſiones martyrum quę & martyria vocant. De paſſionibus animalibus ſiue ſenſualibus & naturalibus dictũ eſt ſupra. Et paſſiones ſenſuales ſecundum Gerſonem tractatu vj. ſuper cantico glorioſæ virginis, quę non ex iudicio rationis proueniunt, ſed quadam naturali neceſſitate ſunt ſenſibus impreſſæ, non ſunt ſic dicendæ paſſiones humanę, ſed animales: ſunt ob hoc impertinẽtes ad laudem vel vituperium prout tales ſunt. Dicitur ideo per Caſſianum bona vel mala media, quibus vti contingit bene vel malè per liberum arbitrium. Hæc Gerſon. Et vt idem dicit tractatu de paſſionibus animæ, ponẽs regulam de bonitate vel

malitia

malitia morali paſsionum. Dum enim paſsiones regi debent ratione, nec reguntur: illę tunc iudicandæ ſunt, aut criminaliter, aut venialirer malæ. Nam ſenſualitas in homine participat de voluntario in hoc quod ordinata eſt audire rationem, quam dum renuit audire, peccat & turpis eſt: dum ratio habet liberum arbitrium ſuum: hoc dicitur propter infantes. Gerſon.

Paſsiones ſpirituales, dicuntur ſpirituales affectiones: & hæ magis attendendæ ſunt animæ ad deuotionem vocatæ quàm ſenſuales: vt illas adipiſci & ſecundum eas affici mereatur, vt vult Gerſon parte tertia, tractatu de paſsionibus animæ: conſideratione xij. Et quoniam vt ipſe dicit nominum grandis eſt ſæpè penuria, quorum nihilominus inſtitutio libera eſt, transferamus deinceps paſsionum animalium, de quibus Philoſophi tractauerunt ad affectiones huiuſmodi ſpirituales: quales habet anima, dum contemplans Deum amat ipſum, vt totum amabilem: cõcupiſcit ipſum, vt totum deſiderabilẽ, fruitur & quietatur & delectatur in eo, vt in toto bono vtcumq; iam adepto. Odit verò quicquid ab hoc toto amabili, toto deſiderabili, toto delectabili ſeparare poteſt. Hinc illud ſibi vehementisſimum odiũ ad peccata horror & abominatio & fuga & deteſtatio, ſi videantur inſtare, dolor autem acerbisſimus & inquietudo moleſtiua ſi forſan affuerint. Hinc pręterea ſpes ingens dũ cõſiderat magnificentisſimam & munificentisſimam Dei liberalitatem repromittentem ęterna. Audacia rurſus magna nimis in aggrediendo grandia propter Deum. Zelus quoque diuini cultus & honoris. Deſperatio autem in viribus propriis vel de viribus propriis, vt ex conſideratione tantorum diſcriminum & diuinorum iudiciorum inſcrutabilium metus ingens. Ecce habemus in ſpiritu paſsiones xj. principales. Amorem, concupiſcentiam, delectationem, odium, fugam, triſtitiam, ſpem, deſperationem, audaciam, metum, iram vel zelum. Et differunt paſsiones animales & ſpirituales. Nam animales vt ſunt tales, verſantur circa rationem commodi vel incommodi. Spirituales verò ad rationem ſolius iuſti vel iniuſti reſpiciunt. Gerſ. vbi ſupra. Et paſsiones ſpirituales immittũtur frequẽter ab angelo Dei bono, quãuis crebro perturbãtur ab immiſsionibus per angelos malos factis. De quo nõ parum multa ſcribit Gerſ. vbi ſupra, & parte iiij. ſerm. de angelis.

Paſsio & paſsibilitas ſibi correſpondent, vt potentia & actus. Et ſicut paſsio dicitur dupliciter, ſic & paſsibilitas. Paſsio autem vno modo vt ſcribit Petrus de Palud. diſt. xliiij. qu. ij. lib. iiij. & ſupra tactum eſt, accipitur largè pro receptione formę quãtumcunq; conuenientis naturę rei. Secundo modo accipitur ſtrictè pro amiſsione formę conueniẽtis ſecundum naturam & receptionem formæ diſconuenientis, & cõtrariæ ſecundũ naturã. Et ſimili modo paſsibilitas dicitur dupliciter pro potẽtia ſuſceptiua primæ paſsionis aut ſecundæ. Et paſsibilitas animæ (vt habet Gerſo. tract. v. ſuper Magnificat) fit ſæpè occaſio virtutis exercendæ, ſicut patuit in Apoſtolo Paulo. Et hoc declaratur ex vtilitatibus per tentationes varias prouenientibus, quas eſſe cum paſsionibus nemo neſcit. Vnde qui non eſt tentatus quid ſcit? Et per multas tentationes oportet nos intrare in regnũ Dei. Et paſsibilitas animę (vt idẽ ait Gerſ.) neceſſariò cõiungitur præſenti vitæ mortali, nec aliquando minus in contemplatiua quàm in actiua, tam exterius quàm interius, tam in bonis quàm in malis, licèt diuerſis finibus & meritis. Probãt hoc exempla beatorum præcedentium cum experientia præſentium. Diſpenſat & hæc Deus frequenter vt nõ apponat ſe homo magnificare ſuper terram. Paſsibilitas quoque (vt idem dicit) debet à multis viatoribus tolerari potius quàm vt excutiatur eniti. Paſsibilitas quoque animæ obſtare ſolet plurimum quęrentibus contemplationẽ & ſuauitatem quietis internæ. Conſonat omnis doctrina ſanctorum quod regulariter ad contemplationis quietem nemo peruenit niſi paſsionibus edomitis in anima etſi non radicitus euulſis. Gerſon.

Pati eſt quoddam recipere. Vnde duplex eſt modus paſsionis (vt ſcribit Petrus de Palude diſtinct. xliiij. quæſtion. vj. libr. iiij.) Vno modo naturaliter, ſecundum eſſe naturale, ſicut calor ignis recipitur in aëra vel in igne. Et ſecundum hunc modum receptionis eſt vnus modus paſsionis qui dicitur paſsio. Alio modo recipitur aliquid in aliquo ſecũdum modum intentionalem, ſicut ſimilitudo coloris recipitur in aëre vel in oculo. Et ſecundũ hunc modũ receptionis eſt alius modus paſsionis, qui vocatur paſsio animæ, &c. Et quamuis agere in communi ſit nobilius pati in cõmuni: eò quòd nobiliſsimum agens eſt nobilius nobiliſsimo paſſo: tamẽ aliquod pati, aliquo agere eſt nobilius, & reſpectu eiuſdem & reſpectu diuerſorũ. Reſpectu eiuſdẽ patet: quia nobilius eſt intellectum vel ſenſum recipere & pati intellectionem vel ſenſationẽ quàm lapidem agere illas cognitiones: vt obiectum, &c. Reſpectu diuerſorum patet, quia nobilius eſt recipere intellectionem quàm producere vnum calorem. Hæc Dominus Cardinalis Cameracenſis quæſt. ij. art. j. libr. j. ſententiarum.

Paſsio obuia voluntati dupliciter difficultat volũtatem. Vno modo rationẽ obũbrando ne rectè iudicet, qua errante volũtas recta eſſe non poteſt. Vnde 2. Rheto. dicit Philoſophus. Non eadem videntur amantibus & odio habentibus, neque iratis & manſuetè habentibus. Vnde Boët. j. de conſola. metro. vij. Nubila mens eſt vinctaque frenis hæc vbi regnant, Loquitur de quatuor paſsionibus, gaudio, dolore, ſpe, & timore. Alio modo delectationem aut triſtitiam noxiam voluntati ingerendo. Nata eſt enim voluntas appetitui ſenſitiuo condelectare & contriſtari. Contrariari autem inexiſtenti delectationi & conari à triſtitia difficultatem facit, ſicut econuerſo conari ad delectabilia promptitudinem affert. Vnde 10. Ethicor. cap. 7. Coauget enim (ait Philoſopus) operatione propria, vel aliter in opere proprio delectatio cõfirmat & meliorem ac diuturniorem facit. Alienæ verò officiunt. Corrumpunt autem operationem proprię triſtitię, &c. quæ ibi ſequuntur. Gabri. diſtinctio. xxviij. quæſt. vnica. lib. ij. dubio. iij.

Paſsio & propaſsio differunt. Nam propaſsio ſecundum Magiſtrum di. xv. poſt B. Hiero. ſuper Mat. dicitur. Dum quis ita timore vel triſtitia aut dolore

afficitur,

afficitur, vt mens inde à rectitudine, aut Dei contemplatione non moueatur. Sanctus Bonauentu. di.xv. dicit lib.iij.circa textum) propaſsionem ſecundum generalem nominis ſui acceptioné,paſsionem diminutam. Hæc autem eſt illa quę ſiſtitur infra rationem vt ratio eſt, & ita propaſsio dicit paſsionem partis ſenſualis vel virtutis naturalis. Et hoc modo vult dicere Magiſt. & Hierony. huiuſmodi paſsiones fuiſſe in Chriſto. Erant enim ex horrore ſenſualitatis,non ratione partis rationalis. Paſsio verò dicitur cum mens turbatione victa à rectitudine declinat : hanc Chriſtus non habuit, qui ſicut non peccare,ita nec à rectitudine aut perfectiſsima Dei contẽplatione declinare potuit,defectus itaque pęnales quos Chriſtus aſſumpſit nõ ſecundũ paſsionem,ſed propaſsionem volens ſuſtinuit,&c.

De paſsione Chriſti.

Paſsio Chriſti ſub quo nomine intelligo (inquit Gab.di.xv.q.vnica.ar.ij.lib.iij.)dolorem, triſtitiã, lęſionem, &quicquid ad pęnam pertinet a Chriſto paſſam,fuit minor quàm animæ ſeparatæ in inferno,aut purgatorio.ita ſentit Thomas parte iij. qu. xlvj.ar.vj.in ſolutione tertię rationis. Et probatur, quia paſsio animæ ſeparatę excedit omne malũ huius vitæ, ſicut gloria ſanctorum excedit omne bonum huius vitæ. Vnde Augu. de pœna purgatorij in de vera & falſa pœnitentia ca.xviij.ait . Hic autem ignis & ſi æternus non ſit, miro tamen modo eſt grauis , excellit enim omnem pœnam quam vnquam paſſus eſt aliquis in hac vita. Nunquam in hac carne tanta inuẽta eſt pœna. Latiùs ibi Gab. Concurrit & diuinum iudicium quod ibi grauius quàm hic punit. Ibi quippè arguit in furore,ſcilicet in inferno,in ira,in purgatorio . Hic verò in miſericordia & paterno flagello. Hinc Propheta orat. Domine ne furore tuo arguas me,neque in ira tua corripias me,&c. Pœna autem Chriſti paſſa pro redemptione humana,maior fuit intenſiuè & extenſiuè omni pęna quoi ſicunque hominum experta in hac vita. Et inter omnes huius vitæ paſsiones fuit pœna Chriſti maxima, vt ex doctoribus & ſanctis Alexan. Thom. Bonauen.& cæteris colligi poteſt, quæ quidem paſsio ſe extendit ad omniũ cauſarum genera,ſcilicet ad cauſam efficientem, materialem, formalem,& finalem . Quo ad efficientem,paſſus eſt ab omni cõditione ſexu, & ſtatu,quia à Gentibus, Iudæis,inimicis gaudentibus, amicis cõdolentibus,mulieribus flentibus,à diſcipulis dormientibus,à compatiẽte matre,& à tota trinitate, à patre dilectiſsimo, à ſeipſo & ſpiritu ſacto . Paſſus ab vtroque ſexu mulieribus,ancillis, Annæ pontificis, Petrum ad negationem impellentibus. Et ſimiliter à viris paſſus eſt ab omni ſtatu principibus, & miniſtris ſimplicibus,doctis & Scribis,extraneis & notis,à fugientibus diſcipulis, à Petro negante,à Iuda tradente. Quo ad cauſam materialem. Magna fuit paſsio Chriſti propter obiectorum numeroſitaté. Nam paſſus eſt de omnibus quę ad eum extrinſecus pertinebãt,ſcilicet de peccatis & offenſa patris omniũ quos generaliter redimere venerat. Specialiter diſcipulorum, quos ex omnibus in ſui familiaritatem elegerat, & eccleſiæ ſuæ quaſi fundamenta ſolida deputauerat Petri negantis , Iudæ tradentis & crucifigẽtium,multas quoque irriſiones,opprobria ſuſtinuit.de quo latiùs quęre apud Gab. Paſſus pręterea toto corpore & omnibus eius membris ſecũdum omnes ſenſus . Videantur de hoc multa apud Gab. Quantum ad cauſam formalem fuit Chriſti paſsio maxima,actuum, ſcilicet ſuorum peruerſiſsimas interpretationes. Paſſus enim eſt in verbis cõtradictores,in prædicatione detractores, in operibus obſeruatores, in miraculis blaſphematores, in pœnis irriſores,in morte exprobratores. Fuit inſuper quo ad cauſam finalẽ maxima propter fructus modicitaté,qui ſequebatur: paucioribus enim profuit efficienter,auxerunt & pœnam locus,tẽpus & circunſtantiæ. De quo copioſe legito apud Gab.di. xv.q.vnica.lib.iij. Fuit itaque Chriſti paſsio maior quàm vnquam aliquis paſſus eſt in terra. Quinimo incomparabiliter pœnã grauiorem ſuſtinuit quàm poſſet homo purus ſuſtinere(vt ſcribit Gerſon parte ij. in compendio Theologiæ , expoſitione.5.articuli fidei) eò quod præbebat ei illa vnio robur & vires ad ſuſtinendam tam amarã paſsionem,in qua purus homo qui eiuſdẽ teneritudinis eſſet(vt dicũt) in initio paſsionis defeciſſet. Et ſecundum Augu. de verbis Apoſtoli. Chriſtus non fuit crucifixus nec paſſus tanquã perſona priuata,quia nũquam peccauerat,ſed tanquã perſona cõmunis,& caput Eccleſię pro omnibus ſuis membris,ideo ſicut omnes fuimus baptizati in Chriſto, & omnia noſtra peccata pręterita & futura affixit cruci,&per conſequẽs fuerũt punita in Chriſto. Nã ideo paſſus eſt tale genus paſsionis,vt ſcribit Iaco.de Valẽ. Pſal.50.vt omnia peccata poſſet delere & pro omnibus pati. vide eũ latiùs ibi. Hæc paſsio Chriſti non exterior inflicta corpori,ſed intus volita ex affectu animi,fuit cauſa meritoria ſalutis & gratiæ, & omniũ ad ſalutẽ ordinatorũ, quæ inſtituta ſunt & data humano generi (vt ſcribit Gab. di.ij.q.prima.ar.iij.dub.j.lib.iiij.) & eſt prolixior,multo ibi Gabr. Videatur ad hoc Scotus di.ij.quarti.q.j. Et quamuis paſsio Chriſti ſit ſimpliciter bona, vt ſcribit S.Bona.diſt.xx.circa textum.li.iij. tamen actio Iudæorum fuit mala ſimpliciter,quia ex mala voluntate & radice proceſsit. Et dicitur bona,quia à bona voluntate patiẽtis, & magis dicitur ſimpliciter bona quàm mala, vt eſt à mala voluntate inferentis, imo maximum bonum & ſaluberrimum fuit toti mundo paſsio Chriſti. Vide latiùs ſanctum Bonauen. vbi ſupra. Chriſtus autem (vt Bruleſer ait diſt.xvj.qu.j.lib.iij.) in ſua paſsione nõ exercuit miracula potentiæ,ſed potius vſus eſt armis patientiæ, hæc breuiter ſufficiant de paſsione Chriſti. Fortaſsis ſi Deus nobis ſuam gratiam(vt ſperamus)dederit,aliquid de paſsione dulciſsimi Domini noſtri omnipotentiſsimi Ieſu Chriſti ſcribemus ſuo tempore.

Paſtor dicitur qui curam habet paſcendi. Et paſtor (vt ſcribit Gab.diſt.xiij.qu.j.dub.v.lib.iiij.)qui in ſuam ſollicitudinem & curam ſuſcipit oues dominicas,tenetur eas paſcere ex officio,alioquin conuinceretur ſummum paſtorem Chriſtum oſ, qui eas ſibi commiſit,non amare. Vnde beatus Grego. in paſtorali, parte j.cap.v. Petro Dominus ait: Petre amas me? Qui cùm ſe amare protinus reſpõdit, audiuit: Si diligis me,paſce oues meas. Si ergo vis dilectionis paſtio eſt gregis,quiſquis virtutibus pollẽs Dei gregem

gregem renuit paſcere, paſtorem ſummum conuincitur non amare, hoc dicit B. Grego. de renuentibus ſuſcipere curam gregis, cùm tamé ſufficiant ad regendum: quáto magis verum eſt de his qui onus regendi ſuſceperunt, & tamen paſcere ſubditos refugiunt. Debet autem (vt idem ait Gab. vbi ſupra) paſtor triplici paſtura paſcere commiſſum ſibi gregem, ſcilicet inſtructionis verbo, ſacramentorum miniſterio, & tépórali ſubſidio, quod pluribus declarat & probat Gabr. Tenetor autem ad hæc tria, ex dilectione diuina, cuius ſunt oues propriç, etiam ex dilectione proximi, & ex officio quo tenetur, & vitæ ſtipendio quod ratione officij recipiunt ab omnibus. Siquidem beneficium datur propter officium. Vide multa de hoc apud Gabrielé vbi ſupra. Triplex autem eſt officium paſtoris atque pontificis (vt ſcribit Gerſon parte iiij. in oratione pro licétiandis in decretis,) ſcilicet nutrire, dirigere, ſtabilire: Nutrire, quo ad viuificationem: dirigere, quo ad illuminationem: ſtabilire, contra præcipitationem. Primum appropriatur magis ad paſtorem, reliqua duo ad pontificem, tria ſimul ad Deum creatorem. In quo ſecundum Apoſtolũ viuimus, mouemur & ſumus, id eſt ſtabilimur, &c. Paſcat inſuper paſtor ſi verus paſtor eſſe voluerit oues ſuas verbo & exemplo & ſubſidio. Paſcat verbo doctæ prędicationis, paſcat exemplo conuerſationis ſanctæ, paſcat ſubſidio pię charitatis, prędicatio docta fundatur in fide, conuerſatio ſancta roboratur in ſpe, ſubuentio pia conſummatur in charitate, vt dicit Gerſon parte ij. ſermone facto in concilio Remenſi dominica ſecunda poſt Paſcha, qui & ibidem multa de paſtoribus ſcribit, quomodo ipſi oues paſcere debeant, & animã ponere pro ouibus. Tenetur quoq; paſtor ſiue curatus ſobdito petẽti Encharistiam, eam per ſe vel alium miniſtrare, quocunque tempore id petierit, ſi impedimento legitimo ſe non poterit rationabiliter excuſare. Id quod multis probat Gab. di. xiij. q. j. ar. iij. dub. v. li. iiij. Cõmunis quoque ſentẽtia eſt doctorũ quod ſubditi ius habeant petendi Euchariſtiã à ſuo curato. Dicit enim Alex. de Ales par. iiij. q. xlix. membro j. Subditus videtur habere ius in petendo. Item beatus Thom. in 4. diſt. ix. qu. v. ar. iij. ait. Quilibet Chriſtianus habet ius in perceptione euchariſtiæ, niſi illud per peccatũ mortale amittat. Vnde cùm in facie Eccleſię non conſtat illum amiſiſſe ius ſuum, non oportet ei in facie Eccleſiæ denegare. Item ſanctus Bona. eadem di. viij. Item Rich. eadẽ di. q. iij. ar. j. idẽ ſentit quod ſacerdos tenetur dare ſubdito Euchariſtiam, niſi habeat contra eum legitimam exceptionem. Conſonat Durandus eadem di. Et videri poteſt Gabr. vbi ſupra. Multa aliàs dicuntur de paſtoribus. Et videri poteſt Gabr. in ſermone Dominicæ; Miſericordia Domini: qui incipit. Ego ſum paſtor bonus. & ſermone præcedente &c.

Pater ſecundum Guil. Scoti imitatorem in primo; di. v. dicitur à patrando: quia patrat & producit filium: ſeu à pater, quia in filio patet & relucet pater per ſimilitudinem naturalem. Et ſecundũ eundem generare plus dicit quã pater, quia omnis pater eſt generans vel generatiuus: ſed non econuerſo. Multa enim generant, vt ignis generat ignem: & tamẽ non dicitur pater. Plures etiam homines generant fętum conceptus: nec eſt paternitas quouſque fructus ſit ſimilis gignenti. Vnde iſta in nobis etiam diſtinguũtur ſecundum tẽpus, in Deo verò diſtinguuntur ſecundum ordinem intelligentiæ. Guil. Et pater dupliciter in ſcriptura accipitur, vt & ſcribit & Gab. lect. xx. canon. Accipitur enim quãdoque eſſentialiter, & quandoque notionaliter. Eſſentialiter attribuitur toti trinitati & ſingulis perſonis coniunctim & diuiſim, ſicut cętera nomina eſſentialia quæ de ſingulis perſonis & omnibus ſimul in ſingulari numero prædicantur, ſicut increatus, immenſus, ęternus, omnipotens, Dominus, Deus. De quo in ſymbolo Athanaſij. Æternus pater, æternus filius, æternus Spiritus ſanctus, & tamen non tres æterni, ſed vnus æternus. Secùs de nomine, perſona ſiue ſuppoſitũ. Sic accipitur eſſentialiter in cantico Moyſi Deut. 32. Nónne ipſe eſt pater tuus qui poſſedit, fecit & creauit te. Sic etiam Mat. 6. in oratione dominica: Pater noſter qui es in cęlis, vbi intentio fertur ad totam ſanctam trinitatem, & non ad ſolam perſonam patris, vt & ſcribit Thomas & Docto. quia Deus ipſe qui & pater, filius & ſpirituſſanctus, eſt pater noſter creatione & adoptione. Et ſic in dominica oratione vna adoratione adoramus trinitatem, dicẽdo: Pater noſter qui es in cœlis. Accipitur alio modo pater perſonaliter & notionaliter, vt eſt proprium primæ perſonæ quæ à nullo eſt, & eſt terminus perſonalis vnam tantum perſonã importãs. Et ſic ſemper accipitur quãdo ponitur reſpectu prædicati perſonalẽ proprietatẽ importantis, etiam cum excluſione cęterarũ perſonarũ, vt cùm dicimus: Pater à nullo eſt, nec factus, nec creatus, nec genitus, nec procedens. Similiter pater genuit ſibi filium coęternum & cõſubſtantialem: poteſt tamen quandoque capi notionaliter reſpectu prædicati eſſentialis, ſed nõ cum excluſione alicuius perſonarum, vt hic: Pater creauit mundum. Pater incarnauit, id eſt incarnari fecit filiũ. Pater in mortẽ tradidit filiũ. Pater poteſt accipi notionaliter, etiã poteſt accipi eſſentialiter. Et pater eſt nomen amoris & pietatis, quod natura ipſa docet in patre naturali, & fides noſtra aſtruit in patre ſpirituali, vt ſcribit Gabriël lection. lxiiij. canon. Dicitur autem Deus pater multiplici ratione, præter illam quę reſpicit ęternam generationem, vt ibidẽ ſcribit Gabr. de qua Eſaiæ 53. Generationem eius quis enarrabit? ſecundum quam ſolius filij eſt pater. Eſt enim pater prædeſtinatione Eph. 1. Creatione Malach. 2. imaginis participatione Deuter. 32. Geneſ. 1. Redemptione Eſaie. 63. Sacramentali regeneratione, ad Titum 3. Fidei inſtructione Iacobi 3. gratiæ adoptione Rom. 8. Accepiſtis ſpiritum filiorum in quo clamamus Abba pater. Hæc videantur clariua apud Gabriëlem vbi ſupra, & Gerſonem parte ij. in compendio Theologiæ, tractatu de ſeptem petionibus contentis in oratione dominica, & earum expoſitione. Videatur & de hoc ſupra in dictione *Abba*. Et accipiendo pater propriè non poteſt dici Spirituſſanctus pater Chriſti (vt ſcribit Gab. di. iiij. q. vnica. ar. iij. dub. ij. li. iij.) licèt habuit actiuitatem principalem in formatione humanitatis Chriſti, quia ad rationem patris requiritur quod producat aliquod viuens de ſua ſubſtantia in eadem ſpecie. Nunc autẽ Spirituſſanctus nõ produxit Chriſtum

ſecundum

ſecundum deitatem, ſed productus eſt ab eo, ſecundũ humanitatẽ verò non produxit eum de ſua ſubſtantia: quia nihil ſubſtantiæ deitatis ſpiritusſancti ingreſſum eſt ſubſtãtiam humanitatis Chriſti. Nec humanitas Chriſti eſt eiuſdem ſpeciei cum ſpiritu ſancto. Poteſt tamen dici pater Chriſti ſecundũ humanitatẽ impropriè & trãſſumptiuè: licèt illa propoſitio in vſu loquẽdi non eſt, ne detur occaſio errandi; vt crederetur ſpiritusſanctus de ſua ſubſtãtia genuiſſe Chriſti humanitatẽ. Poteſt & ſic trãſſumptiuè tota Trinitas dici pater humanitatis Chriſti: ſicut eſt omniũ exiſtentium creatione pater: eam enim creauit, nec ſolus ſpiritusſanctus, ſed & pater, imò & Chriſtus, quia humanitas Chriſti à tribus perſonis æquè creata eſt & producta. Gabriel latiùs vbi ſupra. Non tamẽ dicitur pater ſpiritusſanctus, quia non creauit Chriſtũ: non enim Chriſtus dicitur creatura, vt aliàs dicitur, niſi dicatur pater Chriſti ſecundũ humanitatẽ, ſed impropriè, vt dictũ eſt.

Patibulum & crux differunt ſecundum Gerſonem parte ij. in compendio Theologiæ, expoſitione iiij. articuli fidei, quia ſecundum Iſidorum, patibulum propriè dicitur vbi homo ſuffocatur & ſtatim moritur. Crux verò vbi diu tortus, tandem languenti morte moritur, vbi mors grauior & productior eſt: tamen ſæpè vnum pro alio ponitur.

Patientia eſt virtus contumeliarum, & omnis aduerſitatis impetus æquanimiter portans, ſecũdum Ciceronem in Rhetorica. Et ibidem: Patientia eſt honeſtatis & vtilitatis cauſa rerum arduarũ & difficiliũ voluntaria ac diuturna perpeſſio. Vel patientia eſt ſuas & ſuorum iniurias ac cætera mala æquanimiter ferre, vt habetur xxiij. q. j. §. j. Patientia (vt ſcribit Bapriſta Mantuanus libr. j. de patientia cap. xxxj.) eſt habitus in iraſcibili, qui non ad impugnandum ea quæ concupiſcibilem offendunt, & ſeu ſui nocent, ſed æquo animo tolerandũ inclinat. Ipſius namq; iraſcibilis flammã extinguit, rabiem ſedat, furorem emollit. Fiet autem in nobis hic habitus ſi aduerſa mitiſsimè & ſine reſiſtẽtia frequenter feramus. Scotus in iij. ſentent. diſt. xxxiiij. fortitudinem dicit genus eſſe, ſub quo ſpecies collocantur duæ. Vna qua aduerſa repellendo certamus, & hanc bellicoſitatem vocat. Altera qua æquanimiter ferimus, & patientia dicitur. Patiens (ſecundũ Baptiſtam vbi ſupra.) eſt qui pro virtute, pro legibus, pro pietate, pro Deo nititur, quicquid acciderit ferre, nec frãgitur. Et cap. xxxij. ſcribit de gradibus patiẽtiæ. Non eſt magna patiẽtia (inquit Gerſon parte iij. in epiſt. quadam) quam parua res perturbat. Et ibidẽ oſtendit, quod patiẽtia facit neminem tibi poſſe nocere, &c. Et patiẽtia perfectũ opus habet. Id quod bene declarat Gerſ. par. iij. de cõſol. Theolog. li. iij. Et ibidẽ habet quomodo philoſophia aliter ſuadet patientiã, aliter Theologia. Aliàs multa de patiẽtia idẽ ſcribit. Eſt & patiẽtia aſinina ſecundum eundem Gerſonem ſuper Cantic. Mariæ, tractatu viij. quæ fert non ferenda: quales notabat eſſe Apoſtolus Corinthios.

Patria eſt vrbs ſeu oppidum vnde orti ſiue oriundi ſumus: dicta quod communis omnium parens ſit. Aliquando prouincia ipſa ex qua orti ſumus, patria dicitur, ſed tamen impropriè. Hinc patrium quod patriæ eſt. Accipitur & tranſlatiuè pro patria cœleſti, ſcilicet pro regno cœlorũ, id quod conſequimur potiſsimũ tribus virtutibus (vt ſcribit Iacob. de Valen. Pſal. 83. in fine.) Prima eſt humilitas, quia omnis qui ſe humiliat, exaltabitur, ſecũda eſt veritas: Nam ex veritate naſcitur omnis virtus: nam ſi verus eſt, de neceſsitate erit iuſtus: & per conſequens nemini vult nocere, nec fraudẽ inferre, ſed cuilibet proximo prodeſſe: quare ex veritate naſcitur iuſtitia, & ex iuſtitia innocẽtia, & ex innocẽtia miſericordia, & per cõſequens humilitas, ſine quibus nemo poteſt cõſcendere in ſuperna tabernacula. Tertia virtus eſt miſericordia. Nam per opera miſericordiæ recipimur in æterna tabernacula, vt ait Saluator Luc. 16. Facite vobis amicos de mãmona iniquitatis, vt cũ defeceritis, recipiãt vos in æterna tabernacula. Hæ igitur tres virtutes ſunt media, quibus cõſequimur æterna tabernacula: quas quidem virtutes Deus diligit: Et habẽtib[9] has virtutes, Deus dat gratiã in præſenti, & gloriã in futuro. Hinc dicit Propheta Pſal. 83. quia miſericordiã & veritatẽ diligit Deus: gratiã & gloriam dabit Dominus, &c.

Patriarcha nouum quidem & Græcũ vocabulum. Et eſt is qui Patrum, hoc eſt Pontificum Princeps & primus eſt. Omnia autem geſta Patriarcharum, & omnia myſteria veteris teſtamenti, fuerunt quædam figuræ & ſigna, & picturæ myſteriorum noui teſtamẽti, in quibus præuidit Dauid omnia myſteria futura de Chriſto & Eccleſia, vt refert Iacob. de Valent. in prolog. ſuper Pſal. & repetit Pſal. 2.

Patrinus: Patrini vocantur (vt ſcribit Hugo lib. ij. de Sacramentis, part. vj. cap. xij.) qui paruulos ad Baptiſmum offerunt, & pro ipſis ſpondendo quaſi fideiuſſores ad Deũ fiunt. Hi propterea patrini vocantur, quia regenerãdos ad vitam nouã offerunt, & quodãmodo auctores fiunt ipſius regenerationis nouæ: & de eorũ obligatione non parũ multa legito apud Gabr. di. vj. q. iij. art. iij. dub. j. libr. iiij. Et Gerſonẽ part. ij. in compendio Theol. de Sacramento Baptiſmi. Et ſecundũ Auguſtin. patrini maximè ad duo tenẽtur, ſcilicet admonere ad virtutes, & docere ſymbolum & orationẽ Dominicam. Dicit autem Magiſter Albertus, quod patrini ad iſtam diligentiam obligantur: ſi tamen aliter non iſtruantur paruuli. Sed quia parentes ſunt communiter in iſtis circa paruulos diligentes. Credo (inquit Gerſon) & etiam Pater noſter cantatur in Eccleſia, & mores prædicantur, ac in bonis operibus oſtenduntur in magna parte, excuſantur modò patrini. Secus autem fuit in primitiua Eccleſia, quãdo paruuli inter fideles nutriebãtur. Deniq; patrini in perſona paruulorũ reſpõdent: & tantũ valet cũ ipſi patrini dicũt Credo, ac ſi paruuli met dicerẽt: Sacramẽtum fidei paratus ſum ſuſcipere. Quod verũ videtur (ait Gerſ.) cùm nõ habeãt obicẽ cõtrariæ volũtatis vel diſſenſus, & ad credendũ iſta non reperiatur in eis vſus liberi arb. Patet ergo q; patrini ita pro paruulis reſpõdentes nõ mentiuntur, &c. Et patrini idonei nõ poſſunt eſſe infideles cũ teneãtur inſtruere paruulũ in fide catholica, quod nõ poteſt infidelis, &c.

Patruus dicitur frater patris, quaſi alter pater. Et ſimiliter fratres aui, proaui, abaui, & ſic in infinitum, quia omnes (vt ſcribit Petrus Paludenſis diſtin. xl.

quæſt.j. libr.iiij.) parentum loco ſunt, qoibus paterna reuerentia exhibetur, quæ repugnat ſocietati maritali. Vnde (vt idem ait) propter hanc rationem in linea aſcendẽtium & deſcendentium in infinitum nuptiæ prohibentur, ex quo videtur quod in linea recta in infinitum prohibeatur matrimonium, adeò vt ſi Adam hodie viueret, nõ inueniret vxorem ſecundũ Legiſtas vel Legiſperitos. Vnde Enoch rediens temporibus Antichriſti, noo poterit ducere vxorem, quia omnes deſcendimus ab eo. Sic à Noë, quia omnis generatio Cain diluuio periit, & hoc propter reuerentiam quæ debetur maioribus. Paludẽſ. vbi ſupra. Patruus magnus eſt frater aui, vt idem dicit, diſt.xlj.q.j.lib.iiij.

Paupertas & pauperies idem. Eſt autem multiplex diſtinctio paupertatis quam ponit Alexander par. iiij.qu.cviij. membr.ij. & quem imitatur Gabriel diſt.xvj.quæſt.iiij.art.iij.dub.j.libr.iiij. Eſt autem duplex, ſcilicet ſimulata & vera pauperũ. Primo modo non eſt poteſtas recipiendi eleëmoſynas, ſicut nec diuitum: hoc patet ex diffinitione eleëmoſynæ, quæ fieri debet indigẽti ex cõpaſſione: deniq; huiuſmodi pauperes ſolẽt ad mẽſas alienas reſpicere, aut propter pec[illegible] cõgregationẽ, aut lautiorẽ ventris refectionem, vel aliquid huiuſmodi. Paupertas nõ ſimulata, ſed vera, duplex eſt, ſecundũ Hiero. ad Ruſtic. ſcilicet voluntaria vel expedita, & neceſſaria, vel illata: prima habet gloriã, ſecũda cruciatũ. Aſſentit S.Tho. cõtra Gent. li.iij. ca.cxxxiiij. qui ait: Paupertas eſt duplex, ſcilicet ex coacta neceſsitate, & paupertas ex propria volũtate. Illis debetur eleëmoſyna, ſi nõ poſſunt ſe per labores ſuſtẽtare: vel ſi habeat iuſtã cauſam recipiẽdi. Id quod latiùs declarat Gab. vbi ſupr. Licitumq; eſt & meritoriũ, vt idem paulò ſupr. dicit, omnia relinquere, & effici pauperem propter Deũ. Nam hoc inſtruit doctrina & vita Chriſti, inſinuat Apoſtolorũ cõuerſatio, & omniũ fidelũ primitiuæ Eccleſiæ, quibus erant omnia cõmunia, nec quiſquã aliquid ſuũ eſſe dicebat. Act. 2. & 4. Hoc enim eſt conſiliũ Euãgelicæ perfectionis, prout latè declarat Alexã. par.iiij.q.cvj. & poſt eũ vide Gab. vbi ſupr. Regulã pauperũ ponit Gerſ. part.j. tract. de modo viuẽdi omniũ fidelium. & eſt hæc: vt diuitibus libẽrer & fideliter ſeruiãt, nec diuitibus propter diuitias ſuas inuideãt, nec propter paupertatẽ adulatione vel detractione peccent, nec impatienter, ſed gratãter paupertatẽ ſuſtineãt, nec iniuſtè ditari cupiant, nec Eccleſias propter diuites vexẽt, nihil furti à familia ſuorũ vicinorũ, nec ab aliis retineãt. De paupertate aliàs multa ſcribit Gerſon. Paupertas ſecundũ B.Thom. ſuper Eſa.48. confert ſeptẽ bona, ſcilicet peccatorũ recognitionẽ, virtutũ conſeruationẽ, cordis quietẽ, deſiderij impletionẽ, ſpiritualiũ bonorũ dulcedinẽ, meritorũ exaltationẽ & cœleſtẽ hæreditatẽ. Multa aliàs de paupertate ſcribuntur à Doct. qoę omitto. Laconici enim magis q Attici eſſe volumus in hoc opere. Eſt & paupertas ſpiritualis: de qua videatur in dictione *Beatitudo*.

Pax deſcribitur à beato Auguſtino xix. de Ciuitate Dei, cap.xiij. eſt tranquillitas ordinis, id eſt quieta & ſuauis concordia debitum ordinem ſeruans: vbi enim non eſt ordo, ibi confuſio: vbi confuſio, ibi pacis perturbatio. Eſt autem quædam pax malorum, quæ opponitur paci bonorum. Pax hominis vera eſt ordinata hominis ad Deum in fide ſub æterna lege obediẽtia. Et hæc eſt pax homiois ad Deũ, ex qua oritur pax hominis ad ſeipſum & proximũ. Eſt enim pax homiois ad ſeipſum ordinata cognitionis, actioniſque conſenſio: vt quod recta ratio dictat, efficaciter voluntas imperet: vnde ſequitur actio ordinata. Pax ad proximum eſt cum omni homine ordinata concordia: vt, ſcilicet nulli noceat & cùm poſsit, proſit, vt ſcribit Gabriel lect.lxxxj. canon. Diuiditur & pax in pacem ſpiritualem, ac internam pectoris, ac pacem externã & terrenam temporis, & pacem ſupernam, & cœleſtem æternitatis. Quæ diuiſio non multum differt à priori. Nam pax temporis requirit pacem cum proximo. Pax interna ſpiritualis aut pectoris exigit pacem cum ſeipſo: pax cœleſtis ac æternitatis complectitur pacem perfectã cum Deo. Hæc eſt de qua dicit Apoſtolus: Pax Dei quę exuperat omnem ſenſum. Finis autem politiæ Eccleſiaſticæ, & cuiſlibet legis, cauſa regulantis, eſt pax ſalutifera (vt ſcribit Gerſon parte j. de pace, conſiderat.j.) Hoc ſatis expreſſit diuinus noſter Philoſophus Tarſenſis Paulus Apoſtolus, qui finem legis & præcepti nunc dilectionem eſſe dixit, nunc Ieſum intelligens, in dilectione pacem, in Ieſu ſalutem, vt ſit finis pax ſalutaris. Et tantũ eſt bonum pacis ſalutiferæ (vt idem dicit conſiderat.iiij.) vt pro eius adeptione, neque mundanus honor, neque ſtatus, neque gradus, neque propria vtilitas, debeant aliquem deterrere, & nihil prorſus niſi peccatum contra legem Dei æternam: multa ibidem de pace & aliàs. Et pax eſt bonum, quod omnia appetunt, vt idem vult. Eſt & pax conſcientiæ; quod eſt tale bonum, quod aliquod ei comparari nequit, vt idem dicit parte iij. de monte contemplationis. Et ſerm. habito Maſſiliæ coram Papa Benedicto, ait: Pax eſt tranquilla bonorum concordia. Non enim eſt pax impiis, dicit Dominus, &c. Alia de pace apud alios legito. Si enim ſingula vel quædam quę omitto, ſcribere vellem, volumen fieret magnũ; quod paruum ſemper eſſe decreuerim, quod non doctis, ſed adhuc rudibus ſcribere volui.

Peccare eſt iniquè agere, vel malè, vel iniuſtè agere, & facere contra regulam voluntatis. Peccare (vt vult Thomas prima parte quæſt.xciiij. artic.j.) eſt voluntariè auerti à Deo. Et ſecundum Iacobum de Valentia Pſalm.48. Peccare nihil aliud eſt niſi animam à laqueo ſenſualitatis, & concupiſcentiæ, & fomitis carnis capi & illaqueari, quem quidem laqueum nemo poteſt euadere (vt idem dicit) nec vitare, niſi gratia Chriſti, vt ait Apoſtolus ad Rom. 7. Et peccare propriè eſt adulterium committere, dictum quaſi pellicare, hoc eſt cũ pellice coire, & peccatus ipſum adulterium quaſi pellicatus. Veteres autem in quarta declinatione & maſc. genere vſurpauerunt, modò in ſecunda tantùm declinatur & in neutro genere, & pecco & peccatum de omnibus delictis atque erroribus dicuntur: à quo peccator & peccans: de quibus infra videbitur.

Peccare actualiter nihil eſt aliud quàm voluntariè aliquid agere, vel omittere, cõtra rectam rationem, hoc eſt non cõformiter ad rationem rectam. Nam peccat

peccat qui aliter agit quàm debet, propter quod recte vituperatur. Ille autem aliter agit quàm debet, qui contra rationem rectam agit, extendeodo agere ad omittere, quia ratio recta oſtendit quæ agenda ſunt, quæ fugienda. Et peccatum dicit id quo aliquis denominatur peccare. Gabriël diſtin.xxxv. quæſt.voica, artic.j.libr.ij. Et quando dicitur: Nemo peccat in eo quod vitare non poteſt. Verum eſt ſecundum beatum Thom. quando illam impoſsibilitatem noo incidit ex ſua culpa. Vnde ſi quis voluntariè ſe præcipitauit in foueam, vnde exire oon poſſet, noo excuſatur à peccato omiſsionis, propter impoſsibilitatem faciendi, quia ipſa impoſsibilitas fuit voluntaria. Si verò impoſsibilitas non eſt voluntaria, aut ſi incidit ſine ſua culpa: puta, fecit quod in ſe eſt, dicitur quod tunc oon facieodo, quod præceptum eſt, non peccat ſecundum veriorem opinionem. Vide de boc latiùs Gabriëlem diſtin.xlj. quæſt.vnica, artic.iij.dub.iij.libr.ij. Peccare quoq; eſt ſe auertere à Deo, id quod nec cõuenit, nec conuenire poteſt ſummæ ac infinitæ iuſtitiæ. Impoſsibile enim eſt Deum peccare, quia non poteſt ſe auertere à ſeipſo: peccare autem eſt ſe auertere à Deo. Voluntas quoque Dei ſuipſius eſt regula, & ideo non poteſt noo eſſe recta: nec quodcunq; extra ſe ideo vult, quia rectum, ſed quia vult, ideo eſt rectum. Vnde impoſsibile eſt voluntatem diuinam diſcordare à recta ratione: vide latiùs apud Gabriëlem de hoc, quod Deus peccare non poteſt, diſtin.xxxvij.quæſt.vnica, artic.iij. dub.j. libr.ij. & diſt.xij.quæſt.vnica, artic.j.libr. iij. vbi vult perſonam Chriſti ſecundum naturam diuinam peccare penitus non potuiſſe, nec natura bumana à verbo aſſumpta non dimiſſa, peccare potuit de potentia Dei ordinata: quoniã natura illa fuit & eſt in beatitudine cõfotmata, cui repugnat omne peccatum, quæ beatitudo tolli oõ poteſt de potentia ordinata: ſic nec ab Angelis confirmatis, & aliis beatis Secùs ſi natura dimitteretur & vt in ſe cõſideraretur, &c. vide latiùs Gab.in iij. vbi ſupra art.ij.

Peccare multis modis fit, ſicut multa & varia ſunt peccata, de quibus infra videbimus. Et qui peccat volens deſiderio & cupiditati ſatisfacere, vt poſtea ab iſto peccato ceſſat, errat. Admoneet enim oonnunquam boſtis ſcelus intantum alicui peccato iocumbere, aut illicitè cuidam vacare voluptati, vt exinde ad plenum is ſatietur, neque poſtmodum illius vnquam rei concupiſcentiam habeat. Ideo verò iſtud agit hoſtis (vt ſcribit Gerſon parte iij. tract. de diuerſis tentationibus diaboli) quia grauiter in boc nouit delicturũ. Agnoſcit etiam quod & ſi is modico tempore huiuſmodi deſiderio carebit: paulò pòſt tamen multò rentabitur fortius: vt enim qui æſtu graui, febreque laborant, cùm gelidam aquam biberint. Primò releuari videtur, deinde verò longè grauius & vehemeotius affliguntur. Sic expleta libidine illius, poſtmodum amplius ingraneſcit cupido. Sic etiam & hi qui quantò plus ſe vngulis ſcalpunt & fricant, rantò magis pruriginem ſentiunt. Atqui ſi modicum id tolerare poſſent, citius multò liberarentur. Gerſon.

Peccare volens & peccare voluntariè differunt, vt refert Gabriël di.xiiij.quæſt.iij.art.ij.lib.iiij. Nam volens peccat, qui paſsione aliqua victus peccat, oõ ex malitia in peccato perſeuerat. Sed volũtariè peccat, qui ex habitu & malitia, ac perſeueranter peccat. Vnde Hebr.10. Voluntariè peccantibus nobis poſt acceptam ootitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hoſtia, ſcilicet alia & alia. Exponit Gloſſa ibidem. voluntariè in peccatis manentibus non relinquitur hoſtia, id eſt talibus oõ proficit hoſtia Chriſti ad peccati remiſsionem, quia deficit pœnitentia. Gabriël.

Peccatum malum & indebitum, illa nomina frequenter oportet ſumere noo contrariè, ſed contradictoriè, vt ſcribit Gabriël diſtinct.j.quæſt.prima, dubio j.libr.j. vt lapis dicitur malus, id eſt non bonus contradictoriè. Item peccatuoi, id eſt actus, non meritorius, aut moraliter bonus: nec illud dictum, vt idem ait, eſt extortum, ſed dictis ſanctorum conſonum. Hinc frequẽter Auguſtinus actionem non meritorium dicit peccatum. Et virtutem quæ eſt ſine pietate, & quæ ad vitam non conducit, negat eſſe verã virtutẽ lib.5.ca.xix.de Ciuit. Dei. & cap.xij. Itẽ lib.xxij.ca.xxiiij. dicit virtutes dãdas filiis regni & promiſsionis. Et li.xv.ca.xxij. Sic actio infidelium peccarum eſt, id eſt, eſt actio non perducens ad vitam. Durum enim dicere, quod in omni actiooe ſua Philoſophi infideles peccauerſint, propriè loquendo de peccato.

Peccatũ dicitur dupliciter. Aliquãdo dicitur culpa (vt ſcribit S. Bona.d.iij.art.ij. q.j.li.iij.) ſicut cõmuniter cooſueuit accipi. Aliquando pœna peccati. Sicut Rom.8. dicitur: Peccato dãnauit peccatũ. Aliquãdo dicitur cauſa peccati finis. Rom.7. Sed quod nolo, malum, facio: non operor ego illud, ſed quod habitat in me peccatũ. Et omne peccatũ dicitur iniuſtitia, dicitur mors, dicitur infirmitas, vt ſcribit idẽ Bonau.d.xvij.circa literã li.iiij. & di.xviij.in dub. liter.li.iiij. dicit: Peccatũ ſortitur tria nomina: dicitur enim macula ratione turpitudinis, dicitur fœtor, eò quòd per ipſum refugit affectus rectè ordinatus: dicitur & peccatũ æternæ mortis debitum, prout exit in effectum puoiendi, &c.

Peccatũ & vitiũ differũt, vt notat S. Bonauen.d.iij. art.ij.q.j.li.iij. Nã peccatũ dicit culpã. Vitiũ dicit culpæ ſequelã: vnũ tamẽ perſæpè pro reliquo ſumitur: colligit & frater Pelbar.li.ij.roſ.Theol.in dictione *Peccatũ*.§.j. differentiã inter iſta tria, peccatũ, culpa, & crimẽ. Nam peccatũ cõmuniter ſolũ oominat vitiũ, ſine hoc quod nominet deformitatẽ, vt ſic cõmunitet ſicut & vitiũ, olſi cõtraberetur deformitas, quia ſic bene eam denotat. Sic dicitur defectus cõmuniter. Nam & Philo.2.Phyſic.nomioat peccata in rerũ naturis: & ita peccata accipit pro vitiis & defectibus. Itẽ culpa ſuper vitiũ & peccatũ, vel defectũ addit deformitatẽ, aut venialẽ, aut originalẽ, aut mortalẽ. Sed crimẽ addit culpæ magnitudinẽ. Item Apoſt.1.Tim.3. cũ dicit: Oportet Epiſcopũ eſſe ſine crimine: nõ dicit quod oportet Epiſcopũ eſſe ſine peccato, aut culpa, aut defectu, aut vitio, quia omnia huiuſmodi non poſſumus de communi lege loquendo euitare. Sed de crimine dicitur notanter, ſignificans mortale peccatum, quia talia committuntur ex voluntate deliberata, & poſſunt Dei adiutorio omnia huiuſmodi euitari, ſaltẽ à Chriſtiano,

cùm in Baptiſmo infunditur gratia contra peccatum adiuuans. Hæc refert frater Pelbartus. Et peccatum in genere, ſecundum Auguſtinum libr. de Ciuitate Dei, eſt abſentia boni vbi debet eſſe.

Peccatum ſic deſcribitur: Peccatum eſt actus deuians ab ordine debiti finis contra regulam naturæ, rationis, vel legis æternæ, ſecũdum beatũ Tho. j. part. quæſt. lxiij. art. j. & ij. ij. quæſt. clxij. art. j. & prima ij. q. xxj. artic. j. Vel peccatum nihil aliud eſt, ſecundum Auguſtinum, quàm neglectis rebus æternis, temporalia ſectari. Vel ſecundum eundem: Peccatum nihil aliud eſt quàm vtendis frui, & fruẽdis vti. Vel peccatum ſecundum Ambroſ. eſt præuaricatio legis diuinæ & cœleſtiũ inobedientia præceptorum. Vel peccatum eſt omne quod eſt contra naturalem inclinationem: quia cõtrariatur legi naturæ. ex beato Thom. ij. ij. q. cxxxiij. art. j. Diffinitionem Ambr. ſupradictam declarat Iacobus de Valeſi. Pſalm. 31. Vel peccatum eſt voluntas retinendi vel conſequendi, quod iuſtitia vetat, ſecundum Auguſtinum, de duabus animabus. Vel peccatum eſt auerſio ab incommutabili bono, & conuerſio indebita ad commutabile bonum, ſecundum Auguſtinum lib. de libero arbitrio. Vel peccatum eſt affectio mala voluntaria, ſecundum eundem. Peccatum ſecundum Scotum diſt. xliij. lib. ij. eſt auerſio à Deo, & conuerſio ad creaturam. Non eſt autem auerſio aliud (vt ſcribit Gerſon part. ij. in compendio Theolog. tract. de vitiis naturæ & voluntatis) quàm diſconformitas voluntatis creatæ à voluntate diuina, quod eſt in omni peccato vbi aliquid vult voluntas creata, quod non vult Deus. Peccatum igitur eſt auerſio ab incommutabili bono, ſcilicet Deo, ad commutabile bonum conuerſio, ſcilicet bonum creatum.

Peccatum ſecundum Auguſtinum diffinitur ſic: Eſt dictum vel factum, vel concupitum contra legem Dei. Vbi dictum, factum, & concupitum non accipiuntur pro re aliqua, quæ cogitatur aut concupiſcitur, dicitur, vel fit, &c. ſed accipiuntur pro actione ſiue pro actu interiore, ſcilicet velle, aut eius executione. Gregorius de Arimi. di. xxxiiij. ſecundi, artic. j. dicit, quod illa nomina ponuntur loco infinitiui: ita vt valet tantum: peccatum eſt dictum, &c. id eſt, dicere, facere, vel concupiſcere. Et hoc accipiendo peccatum purè, abſtractiuè: quomodo communiter accipitur, cùm dicimus, adulterium, furtum, ebrietatem, &c. eſſe peccatum. Conuenientius videtur poſſe dici, quod accipiũtur termini illi dictum, &c. pro actu dicendi, faciendi, concupiſcendi. Vnde aptius exponuntur per ſua verbalia, ſic: Peccatum eſt dictio, factio, vel concupitio, ſeu concupiſcentia alicuius contra legem: vt ſcribit Gabriël diſtinct. xxxv. quæſt. vnica, libr. ij. Et dicitur contra legem Dei, vbi lex æterna extendit ſe ad omnem rectam rationem, & non ſolùm ad perceptionem vel prohibitionem propriè acceptam. Nam qui facit contra dictamen rectæ rationis: etiam ſi nullum peccatum de confirmando præceſſerit, aut prohibitio de difformando, nihilominus peccat. Sicut dicit Apoſtolus ad Rom. 2. Quicunq; ſine lege peccauerunt, per legem iudicabuntur: vbi innuit aliquos, ſine lege data, peccaſſe. Et hoc innuit beatus Auguſtinus ſtatim poſt datam diffinitionem, cùm ſubdit: Lex verò æterna eſt ratio diuina: vel voluntas Dei ordinem naturalem conſeruari iubens, perturbari vetans: tantum ergo valet contra legem æternam, quantum ſi dicatur contra diuinam rationem, &c. Cùm ergo diuina ratio rectiſsima ſemper ſit, omne quod eſt contra æternam legem, eſt contra rectam rationem: & quicquid eſt contra aliquam rectam rationem, eſt contra quamlibet rectam rationem de eo. Nam circa idem quælibet ratio rectè cuilibet rationi rectè conſonat, & nulla alteri aduerſatur, ſicut nec veritas veritati: ſequitur quod quicquid eſt contra rectam rationem, eſt contra legem æternam: ac per hoc, ſecundum Auguſtinum, rectè dicitur peccatum eſſe dictum, vel factum, vel concupitum contra rectam rationem. Item, quia æterna lex eſt ratio diuina, vel voluntas naturalem ordinem ſeruare iubens, & perturbari vetans, quiſque agit contra rationem rectam, turbat naturalem ordinem, qui eſt, vt omnes actiones, moresq; hominis ſint rationi ſubiectæ. Vnde Auguſtinus primo de libero arbitrio, cap. vij. Animæ motibus cùm ratio dominatur, ordinatus homo dicendus eſt: non enim ordo rectus, vel omnino ordo appellandus eſt, vbi deterioribus meliora ſubiiciuntur, &c. Qui igitur agit contra rectam rationem, agit contra æternam legem. Item ſi quis ageret contra ſolam legem naturalem ſiue rectum iudicium rationis, vtique peccaret: licèt ſi ſuper hoc additum præceptum haberet, amplius peccaret. Huic conſonat illud Apoſtoli ad Romanos 5. Lex ſubintrauit, vt abundaret delictum. Vide latiùs Gabriẽlem vbi ſupra.

Peccatum breuiter ſic deſcribitur: Peccatum actuale eſt voluntaria commiſsio, vel omiſsio contra rectam rationem: & eſt generalis diffinitio includens peccatum cordis, oris, & operis, commiſsionem & omiſsionem. Cuius declarationem clariorem vide apud Gabriëlem diſtinct. xxxv. quæſt. vnica, libr. ij. & Gregor. diſtinct. xxxiiij. artic. ij. libr. ij. Aſsignantur quoque & aliæ diffinitiones peccati à Doctoribus, ſecundum cauſas, ſcilicet efficientem, materialem, & formalem ipſius peccati. Sed hæ ſufficiant. Deum autem videre peccata, vt refert Scotus diſtinct. xiiij. quæſt. prima, lib. iiij. ſecundum Auguſtinum ſuper illud Pſalm. Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, &c. eſt ad pœnam imputare. Auertere autem faciem à peccatis, hoc eſt ad pœnam non reſeruare. Ita ergo dicit peccata ab eo tecta, non vt Deus tunc non videat, ſed vt nolit animaduertere, id eſt punire. Ergo ipſum remanere (inquit Scotus) in reatu poſt actum tranſeuntem, nihil aliud eſt niſi ipſum à Dei voluntate ordinari ad pœnam condignam illi peccato. Peccatum verò purè abſtractiuè acceptum præciſe pro illo vnde formaliter quis denominatur peccans: puta, pro ipſa nequitia vel iniuſtitia, ſic importat puram priuationem: poſſet tunc ſic deſcribi: Peccatum eſt voluntaria carentia conformitatis ad rectam rationem debitæ voluntati. Carentia, id eſt non obſeruatio peccatum partiale ex ſupradictis. Et hoc verum eſt, ſi eſt, dicit, actum ſignatũ. & hoc ſufficit in diffinitione terminorum negatiuorum, & ficto-

& fictorum, vt ſcribit Gabriel diſtin.xxxv.libr.ij. Et peccatum formaliter non eſt aliqua entitas poſitiua, ſed alicuius boni corruptio & defectibilitas. Vnde Ioánis primo: Sine ipſo factum eſt nihil. Et omne peccatum formaliter eſt iniuſtitia. Itẽ peccatũ formaliter dicit obliquitatẽ ſeu deformitatem repugnãtem rectitudini in actu. Et peccatũ actuale mortale eſt formaliter corruptio rectitudinis moralis in actu elicito, nõ qui infuit, ſed qui ineſſe debuit: quia voluntas libera debitrix eſt, vt omnem actum ſuum conformiter eliciat regulæ ſuperiori, ſecundum præceptum diuinum. Et ideo quando agit difformiter ab illa regula, caret rectitudine ſeu conformitate actuali debitæ. Hæc enim rectitudo quæ eſt conformitas actus ad regulam, deberet ineſſe actui, id eſt actus deberet elici conformiter regulæ: & carentiam huius conformitatis (quod eſt actum non habere conformitatem) formaliter importat peccatum. Et ſic peccatum eſt corruptio rectitudinis, ſeu corrumpit rectitudinem, id eſt formaliter importat carẽtiam huius rectitudinis. Peccatũ etiam dicitur deordinare peccatorem, inquantum peccator peccando ponit ſe extra ordinem rectitudinis & obedientiæ, ac ſubiectionem voluntariæ à Deo præmiandæ. Dicitur etiam peccatũ ordinare, inquantum peccator peccando ſe ponit ſub ordine punientis iuſtitiæ diuinæ, ordinantis vt omnis peccãs ſit ſub pœna priuãte eum debito decore; quod peccatori eſt magnum malum. Vide ad hoc ſanctum Bonauent. diſtin.xxxvj.libr.ij. Et Gabr. eadem diſt. quæſt. vnica, artic.iij.dub.iiij.libr.ij. Et peccatum reddit totum hominem miſerũ propter duo. Primò, quia infirmat animam & totum corpus. Secundò, quia contrahit animam quo ad omnes potentias. Nam peccator eſt in ira Dei ad pœnam æternam deſtinatus. Non poteſt autem maior miſeria eſſe quàm eſſe in ira Dei: ſicut non eſt maior felicitas quàm eſſe in eius amore. De quo plura ſcribit Iacobus de Valentia Pſalm.60. Et vt ibidem dicit: Peccator ex vno peccato ruit & cadit in aliud tanquam infirmus, inualidus, & turbatus. Nam ex gula & ocioſitate cadit in luxuriam, & ex luxuria in zelum & inuidiam æmulorũ: & ſic ruit in odiũ, & homicidium, & etiam in ſortilegia, & blaſphemias, & infidelitatem. Item ex ſuperbia cadit in inuidiam & odium, quia non vult pati maiorem nec æqualem: & ſic ruit ad furta & homicidia. Item è peccato auaritiæ ruit in rapinam, & vſuram, & ſimoniam, & inuidiam, & odium, & homicidium: ex quo peccatum reddit hominem miſerũ, & perturbat rationem & animam, quæ quidem infirmitates non poſſunt ſanari niſi per pœnitentiam. Hęc Valentia. Et peccatum primum cauſa eſt omnium poſteriorum, pro quanto irretitus vno peccato habet diſpoſitionem, vel principium inclinãs naturaliter ad omnia alia peccata, vel caret illo fræno quod prohibet à quolibet peccato. Nam principium excludens omnem actum, vitioſum eſt velle in omnibus obedire rectæ rationi propter Deum, &c. Sic ſuperbia eſt cauſa inuidiæ: quia cùm ſuperbus deſiderat habere ſingulariter & excellenter bonum aliquod, inuidet alij habenti idem bonum æque excellenter vel excellentius: quia per hoc impeditur ſuperbus ab eo quod ipſe vult. Et hæc eſt ſententia Occam in prima parte dialog.lib.vj. cap.lxxix. & in iiij.quodlib.q.vj. Vide ad hoc Gabrielem diſtinct.xxxvj.quæſt.vnica, dubio ij, lib.ij. Aſtipulatur ſanctus Bonauentura, qui dicit & vult vnum peccatũ eſſe cauſam alterius diſpoſitiuè, diſt.xxxvj. lib.ij. circa textum. Peccatum inſuper ſex mala affert homini (vt ſcribit Chriſtopolitanus Epiſcopus Pſalm.102.) Primò, elongat eum à Deo. Secundò, ſauciat animam culpa. Tertiò, captiuat in poteſtate diaboli. Quartò, reddit hominem Deo odioſum. Quintò, expoliat ipſum omnibus bonis, non ſolùm gratificis, ſed etiam gratuitis. Sextò, indurat ipſum ex conſuetudine in malo. Concordat Gerſon parte ij. in compendio Theologiæ tract. de vitiis naturæ & voluntatis, qui & multos effectus peccati mortalis ponit, quem videre potes. Ita per oppoſitum medicina pœnitentiæ ſex operatur in pœnitẽte. Primò, facit Deũ propitiũ, vt tanquã Medicus accedat ad peccatorẽ, & appropinquatur. Secundò, ſanat ipſum à vulnere peccati. Tertiò, redimit à captiuitate diaboli, & liberat à morte perpetua & finali impœnitentia. Quartò, reddit Deũ benignũ reconciliando ſibi peccatorẽ. Quintò, reddit bona, quæ per peccatũ fuerant mortificata. Sextò, renouat ipſum in nouã vitã, fortificãdo omnes potentias, & excitãdo habitus virtutũ theologicaliũ, & donorũ ſpiritusſancti: etiam operatur meritoriè per gratiã renouantẽ & perficientẽ. Hæc Iacob. de Valẽtia. De pœnitẽtia infra dicetur. Peccatũ autem quod per pœnitentiã nõ diluitur, mox pondere ſuo ad aliud trahit: vt dicit Greg. Aſsignãtur autẽ à Doctor. plures peccati diuiſiones, ſecundũ diuerſas peccati origines & cauſas: de quibus infra patebit. Omne autẽ peccatũ (vt ſcribit Gerſon part.ij. in cõpendio Theologiæ, tract. de vitiis naturæ & voluntatis) aut eſt originale aut actuale. Si actuale, aut eſt mortale aut veniale, &c.

Peccatũ originale (vt ſcribit Gerſ. vbi ſupr.) eſt illud, quod à noſtra vitioſa origine trahimus. Et eſt auerſio quædã habitualis à Deo, qua anima prona effecta eſt non reddere iuſtitiã quam debet. Vnde omnes ferè Doctores reſpectu effectus ipſius peccati originalis conſonant in ipſam auerſionẽ habitualẽ, ſecundũ Aug. Hugo de S. Victore dicit, quòd originalis culpa eſt corruptio ſeu vitiũ quod naſcendo cõtrahimus per ignorantiã in mente, & concupiſcentiam in carne. De hoc vide latiùs Gerſonem.

Peccatum originale ſecundum Magiſtrum di.xxx. lib.ij. eſt qualitas morbida, animæ vitiũ, ſcilicet cõcupiſcentiæ: & cõtrahitur à parentibus, quia cauſatur à qualitate morbida carnis, quam caro cõtraxit ex libidinoſa concupiſcentia ſiue ardore parentum coeuntium in prolis ſeminatione, &c.

Peccatum originale ſecundum Anſel. in de cõceptu virginali. & Scotum di.xxxij. & Occam q.ix. tertij quodlib. quæſt. vlt. Gregor. diſt.xxx.ij. ſenten. Illi dicunt quod peccatum originale non dicit aliquid poſitiuũ, ſed eſt carentia iuſtitię originalis debitæ: vt acceptæ in primo parẽte, & in ipſo amiſſę. Cùm enim peccatum formaliter eſt iniuſtitia: iniuſtitia autem non eſt niſi carentia iuſtitiæ debitæ: vt declarat Anſelmus in caſu diaboli, cap.xvj. patet quod peccatum originale eſt carẽtia & priuatio

originalis iuſtitię debitę ineſſe, quam Adam accepit pro ſe & tota poſteritate ſua. Sed cùm Adam peccauit & transgreſſus eſt præceptū peccato ſuo perſonali, nudauit ſe & poſteritatem iuſtitia debita. Extendit rem Gabriel di.xxx.q.ij.lib.ij. Alexan. verò part.ij.q.cxxij. & Thó. prima ſecundæ, q.lxxxij. & ſanctus Bonauent. in ſecundo ſcripto diſt.xxx. volunt iſti peccatū originale ſupponere pro vitio concupiſcentiæ, & connotare carentiam iuſtitiæ originalis debitæ. Dico non ineſſe concupiſcentiæ, ſed debitę ineſſe animę lege propagationis à primo parente deſcendenti. Vnde dicit Alexand. Originale peccatum habet vtrunque culpam & pœnam. Culpa eſt carentia iuſtitię ſeu deformitas quędam qua ipſa anima deformatur. Concupiſcentia eſt ipſa pœna. Beatus Thom. vbi ſupra, dicit peccatum originale habet priuationem originalis iuſtitiæ, & cum hoc inordinatam diſpoſitionem partium animæ. Vnde non eſt priuatio pura, ſed quidam habitus corruptus, non tamē habitus infuſus aut adquiſitus, ſed habitus per vitiorum originem innatus. Et art.iij. dicit, peccatū originale materialiter quidem eſt concupiſcentia: formaliter autem eſt defectus originalis iuſtitiæ. Vide ad hoc Gabrielē concordantem opiniones Magiſtri & Anſelmi. Magis autem videtur diſputatio de nomine quàm de re. multa ibi Gabriel. Paulus Corteſius Theologorū eloquentia, loquens de peccato originali libr.ij.di. vij. ait: Duplex eſt huius viperei mali tabes. Vnum genus eſt in quo à perſona natura inquinatur. Alterum in quo perſonam natura contaminat, quo quidem humanum genus tanquā natiuo quodā morbo vexatur. Plura de hoc vide, qui & ſentētias multorum ibi refert ſub breuitate: vide & Iacobum de Valentia de originali peccato, ſi placet Pſalm.45. qui multa de hoc ſcribit.

Peccatum originale dicitur dupliciter, vt ſcribit ſanctus Bonauent. di.xxxiij.art.ij.q.ij.lib.ij. poſt Hugonem. Vno modo dicitur originale peccatū, quod eſt origo omnium peccatorum. Et ſic peccatū Adæ dicitur originale peccatum, & hoc modo originale peccatum non tantùm eſt vnum ſpecie verū vnum numero. Alio modo dicitur originale peccatum, quod eſt in nobis ab origine, & à quo cætera vitia ſumunt in nobis originem.

Peccatum originale multis vocatur nominibus, vt ſcribit ſanctus Bonauen. d.xxx.li.ij. circa textū. Et Gerſon part.ij. tract. de vitiis naturæ & volūtatis, ſecūdum enim quod originale peccatū comparatur ad animam. Vocatur quādoq; infirmitas, quia reddit animā impotentē ad reſiſtendū motibus. Quandoq; vocatur fœditas, quia per ipſum anima maculatur. Vocatur pronitas, propter continuam appetitus inclinationem ad malum. Dicitur corruptio, quia ad nihilum ducit: & peccatū appellatur quandoq; vitiū, quia eſt diminutio bonorū naturalium. Vocatur & lāguor naturę, quia durat in natura corrupta. Habet etiam nomina, ſecundū quod cōparatur ad corpus. Vocatur enim quādoq; lex carnis, eò quòd lege diuina ſit carni inflicta. Vnde quandoq; lex membrorum vocatur, quia mouet organa ad operationem concupiſcentiæ. Vocatur & tyrannus propter dominationē, quaſi violentam in ipſa concupiſcentia. Vocatur quandoque fomes, quia ſicut ignis fouet ignē, ita per ipſum fouetur in carne peccatum, ſecundū actus generatiuę, & nutritiuę. Vocatur quādoque ſtimulus carnis, quia ſtimulat carnem ad primos motus, & animū ad cōſenſum. Habet quoque nomina, ſecundum quod cōparatur ad actus delectabiles. Et ſecundū hoc vocatur cōcupiſcentia, quę ſonat vitiū in actu, prout eſt in adultis. Item cōcupiſcibilitas, quæ ſonat vitiū in potentia, prout eſt in paruulis. Habet etiā nomē, ſecundum quod cōparatur ad primum hominem, à quo contrahitur, & ſic vocatur originale, quod eſt carentia debitæ iuſtitiæ. Gerſon hæc. Vide & Bonauent. vbi ſupra. Omnis autē propagatus ab Adam per ſeminum cōmixtionem, contrahit originale peccatum generaliter, niſi fuerit ex priuilegio præſeruatus ſpecialiter, & hoc eſt cōtra hæreſim Pelagianorum. Et dicitur, ex ſeminum cōmixtione propter Chriſtum, quem impoſsibile fuit peccato maculari, tam originali quàm actuali. Nam & B. Auguſtinus infectionem illam, nō attribuit propagationi, ſed libidinis ardori in ſeminum cōmixtione. Vnde ſcribit Scotus di.iij.q.ij.lib.iij. natura humana in Chriſto non contraxit originale. Et dicitur ideo, quia non fuit filius naturalis Adæ, & ideo non erat debitor iuſtitiæ originalis. Acceperūt enim illi ſolum iuſtitiam originalem in Adā, qui ab eo erāt deſcenſuri, ſecundum rationem ſeminalem, hoc eſt reſpectu quorum Adam habuit rationem patris naturalis, ſecundū naturalē propagationem. Vnde ſi Chriſtus fuiſſet purus homo & non Deus, miraculoſè tamen natus de Virgine, nunquam contraxiſſet originale. Vide de hoc Gab.d.iij.q.ij.art.iij.lib.iij. Peccatū inſuper originale de facto non eſt ſine fomite, quæ eſt lex carnis ad inordinatas cōcupiſcentias inclinante, cōtra dictamen rectę rationis. Vnde Apoſtolus Rom.7. Video aliam legem peccati, quę eſt in membris meis. Gloſſ. interlin. Legē in membris, id eſt fomitē. & Gloſſ. marginalis: rectè fomes peccati lex dicitur, quia legitimè factum eſt, vt qui non obediuit ſuo ſuperiori, ei non ſeruiat ſuum inferius, id eſt caro. Gab. vide latiùs di.xxx.q.ij.ar.ij. conclu.iiij. Et peccatum originale, quantum ad debitum iuſtitiæ originalis, eiusque carentiam trahitur mediante carne, & nō mediante anima à primo parente: probat hoc Gabr.di.xxxj.q.vnica, libr.ij. quia mediāte carne eſt filius naturalis Adæ, & non mediāte anima. Poteſt autē anima dupliciter liberari ab hoc peccato, ſcilicet dādo ei iuſtitiā originalem, vel remittendo debitū habendi, de quo conſulas Gabr.di.iij.q.j.art.ij.lib.iij, &c.

Peccatum tranſire in prolem, poteſt intelligi tripliciter ſecundū S. Bonauent. quæſt.j.di.xxxiij.lib.ij. Et poſt eum Gabr. eadē di.q.vnica, aut punitione, aut imitatione, aut trāsfuſione. Punitione, ita quod proles puniatur pro peccato parentis: & hoc vel punitione tēporali vel æterna. Imitatione ſiue exemplo, vt quādo ad exemplar peccatorū priorū aliquis in ſimile peccatū labitur. Sic peccatū diaboli tranſiuit in genus humanū, ſecundū illud Sapien.2. Inuidia diaboli mors introiuit in orbē terrarū. Imitantur autē illum qui ſunt ex parte illius. Non autem tranſit peccatū, niſi in eos qui ſpōtè voluerint imitari. Transfuſione quādo propter peccatū parentis

etiam

etiam proles cõſtituitur debitrix apud Deum. Peccata autem proximorũ parentum imitatione tranſeunt in prolem parentum vitia voluntate propria iterantem: frequenter enim proles imitantur mores parentũ, licet non ſemper. Nonnunquã filij parentũ vitia deteſtantur. Sic Ezechias ſanctus patris idolatræ Achab opera deteſtatus, toto corde Domino ſeruiebat; vt habetur 4. Reg. 16. Item parentum peccata quandoq; puniuntur in filiis pœna temporali: nunquã tamen perpetua gehennali. Patet multipliciter ex ſcriptura. Nam 3. Regum 14. habetur: Ego inducam malum ſuper Hieroboam, & ſuper vniuerſam domum eius, &c. Similiter habetur de Baaſa Rege Iſraël, 3. Reg. 16. Sic & in diluuio & in Sodomis, infantes & pueri perierunt propter peccata parentum. Sic Dauid punitus fuit in populo propter peccatum numerationis populi: & ſimilia multa. Et vt multa poſteris Deus præſtat beneficia propter parentes bonos, ita parentes malos temporaliter quandoque puniuit in poſteris: non autẽ, vt dictum eſt, puniuntur pœna gehennali. Nam dicitur Ezech. 18. Anima quę peccauerit, ipſa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris, nec pater portabit iniquitatem filij. quod intelligendum eſt de morte æterna gehennali. Item ad Galath. 6. Vnuſquiſque onus ſuum portabit. Et ſecundum hanc diſtinct. penè multæ ſcripturæ, quæ videntur contrariæ, concordantur. Et peccata proximorum parentum non tranſeunt in prolem inducendo culpæ reatum. Probat hoc idem Gabriël poſt Bonauen. diſtin. xxxiij. q. vnica, lib. ij. & art. ij. idem ait: Paruuli damnati pro ſolo originali nõ actuali crimine, nullã habebũt pœnam ſenſus in corpore aut ſenſu exteriori, vt & Magiſt. in textu ſentit. Nec eſt eis pœna vermis, nec interior triſtitia, ſed pœnam damni habẽt quod carent viſione Dei in perpetuũ. Et pœna hęc eſt leuiſsima inter cęteras pœnas damnatorũ. Solũ itaq; habent carentiã viſionis & fruitionis Dei, & detinẽtur in loco vili. Hęc latiùs probantur à Gabr. vbi ſupra. Et dub. ij. notat, quomodo corpora paruulorũ ſint impaſsibilia, dum ponit diſtinctionẽ hanc: Aliquid non pati ab actiuo proximato, contingit dupliciter. Aut ex virtute quam habet in ſe, aut ex ordinatione diuinę iuſtitiæ. Hoc ſecundo modo corpora paruulorũ ſunt impaſsibilia, non per virtutẽ aliquã reſiſtendi agẽti ſibi communicatã. Sed & corpora damnatorũ ſunt incorruptibilia, nõ ex virtute ſua, ſed ordinatione diuinę iuſtitiæ, ne deficiant in pœna, ſed maneant, vt crucientur in ſecula ſeculorum, vt dicitur Apocal. 20. Nam ignis & cætera agẽtia in inferno, inſtrumenta ſunt diuinæ iuſtitiæ, id eſt ſecundũ regulam eius cruciant. Hinc eſt quod in eodẽ igne alius plus alio punitur, ſcilicet plus qui magis peccauit: neq; ignis ille agit affligendo niſi peccatores actualia peccata habentes. Vnde ſi corpus paruuli volueretur in illo infernali igne, non ſentirent pœnam: quia deficit materia in quam agit ille ignis, ſcilicet peccatum actuale: & hoc propter ordinem diuinæ iuſtitiæ. Sic nec eſuriunt, nec ſitiunt, nec patientur inordinatos motus, & concupiſcentias fomitis manentis, quos etiam dum vixerunt non ſenſerunt, nec aliàs patientur ab intra vel ad extra ſenſibiliter; agente hoc ordine iuſtitiæ Dei. Gabriël vbi ſupra, &c. Et peccatum originale grauius eſt quàm veniale: quod ſicut mortale ſeparat à conſortio Dei, veniale non. De quo latiùs conſilio Guil. Scotiſtam. & quod originale punitur pœna damni æterna, quæ eſt grauiſsima ſecundum Chryſoſtomum. Veniale autem punitur pœna temporali. Dicitur & peccatum originale caput draconis (vt ſcribit Iacobus de Valentia Pſalm. 73.) id eſt diaboli; quo primò mordet in noſtra libidinoſa generatione. Septem autem vitia capitalia ſunt capita in cauda draconis, quibus mordet hominẽ per proceſſum temporis, & in adulta ætate. Et Baptiſmus non ſolùm extinguit peccatũ originale, quod dicitur caput, ſed etiam actualia peccata, quę ſunt ſeptem capitalia in cauda draconis. Hæc Valentia.

Peccatum moris dicitur quod peccatori imputatur ad vituperium, ſicut econuerſo opus iuſtum imputatur facienti ad laudem vel vituperium. Gabr. di. xxxv. q. vnica, libr. ij.

Peccatum actuale eſt duplex, ſcilicet mortale & veniale, de quibus modò dicendum: & primò de peccato mortali & eius nominibus, diuiſionibus, & quomodo cognoſcatur. Deinde de veniali, poſt modum de differẽtia mortalis & venialis. Peccatum actuale eſt dictũ vel factũ, vel concupitũ contra legem Dei, vt ſupra dictũ eſt. Et ponitur dictũ, propter peccatũ oris: factũ, propter peccatũ operis: cõcupitũ, propter peccatũ cordis. Et in peccato actuali materiale eſt actus peccati iniuſtus, quo manente non remittitur peccatum. Et hoc verũ eſt loquendo de actu interiori elicito, vt ſcribit Gab. d. xxxij. q. vnica, libr. ij. Hoc autem tenendum eſt omnino (vt ſcribit & ſentit ſanctus Bonauent. diſt. xxj. q. j. lib. iiij.) de omni peccato generaliter, quod nullum omnino poteſt deleri ſine gratia gratum faciente. Sicut enim decreuit nos ſanare diuina miſericordia, & ſonat ſcriptura, quæ maximè ponit gratiam eſſe neceſſariam ad delenda peccata. Eſt quoque illud tenendũ, vt literis mandauit Iacob. de Valentia q. finali poſt cõmentaria ſuper Cantica, cõclu. viij. quòd nemo ex propriis viribus poteſt vitare peccatũ, nec implere diuina pręcepta, niſi gratia Dei & auxilio ſuperiori adiuuetur. Vide eũ latiùs ibi. Eſt autẽ peccatũ mortale maius malum quocunq; malo temporali: ideo pro nullo malo tẽporali cauẽdo peccandum eſt mortaliter (vt ait Gabriël diſt. xv. q. xj. artic. ij. libr. iiij. concluſ. iij.) Nec peccatum in homine eſt effectus diaboli (vt ſcribit Richar. di. v. art. j. in ſolutione argumen. lib. iiij.) ſed voluntatis propriæ. Non enim eſt à dæmone niſi ſuadendo & inclinando. Peccatum autem mortale non contrahitur quantumcunque ſit eius ſenſatio, niſi ſit eius cõſenſus, vt vult Gerſon part. iij. tract. de remediis contra puſillanimitatẽ, in fine, vbi dicit: Non omne quod eſt factum cõtra præceptum aut votum, aut iuramentũ, aut etiã cõtra Dei interdictũ, eſt peccatum mortale, quia in quodlibet horum ſtat peccari poſſe per ſurreptionem quandam, & abſque perfecto rationis conſenſu. Et tractatu de diuerſis tentationibus idem ait: Atqui nõ cùm impiæ mentem cogitationes tangunt, peccamus mortaliter: ſed duntaxat cùm eis conſentimus, id eſt quãdo illi voluntas noſtra fauet, quãdo eas ipſa cũ delectatione

complectitur, quando eas adeſſe gaudet: quamdiu verò hæ ſibi diſplicent, ſibiq; ſunt horrori ac odio, nullũ eſt mortalis noxę periculũ, Gerſon. Peccatũ quoq; mortale ſemper tollit charitatẽ. Dicitur autẽ aliquis eſſe tripliciter in peccato mortali: vel quia adhuc eſt in affectu vel actu peccandi, aut quia de cõmiſſo peccato nõ eſt abſolutus, quia nõ ſufficienter contritus eſt, vel quia licèt in foro conſcientiæ, non tamẽ in foro pœnitẽtiæ abſolutus eſt, quia nõ cõfeſſus. De quo videatur Gab. d. ix. q. ij. art. j. lib. iiij. Et ſerm. primo de Euchariſt. ſacramẽto. & Scotus diſt. ix. q. j. lib. iiij. Et peccatũ (vt ſentit Gerſon tract. de vitiis naturę & voluntatis) propriè nõ eſt ſubſtãtia vel res aliqua, ſed defectus & corruptela. Et ſecundũ eundẽ (vt ibidẽ dicit) aliud eſt peccati actus, aliud peccati habitus, aliud peccati reatus. Peccati actus aliquid eſt, ſed quãdo nõ amplius fit, deſinit eſſe, etiã ſine gratia. Sed peccati habitus qui ex malis actibus relinquitur, etiã aliquid eſt, & remanet interdũ ceſſantibus etiã ipſis actibus, ac etiam poſt infuſam gratiã; peccatiq; remiſsionem: peccati verò reatus ſiue macula, ſecundũ rem nihil eſt, deformat tamen animã, non per modũ poſitionis, ſed per modũ priuationis: ſicut truncatio membri per modum priuationis corpus deformat & maculat. Gerſon. Dicit etiã Auguſtin. quod ſicut abſtinentia nulla ſubſtantia vel res eſt: & tamen ex ea corpus langueſcit: ita peccatum non eſt aliqua ſubſtantia vel res: ex eo tamen natura minuitur & corrumpitur: deletur tamen ſemper per gratiam.

Peccatum mortale actuale diuerſis nominibus per Doctores nominatur ſecundum diuerſas eius proprietates, & operationes, & effectus, vt & notat Gerſon tract. de vitiis naturę & volũtatis. Vocatur enim quãdoq; macula, & hoc ideo, quia imaginem Dei deformat & maculat. Vocatur quãdoq; reatus, quoniã ad æternã pœnã obligat. Vocatur quandoq; pollutio, & hoc quantũ ad contagionẽ contractam ex terrena delectatione. Vocatur quãdoq; delictũ, & hoc ſecundũ quod eſt receſſus à dignitate gratiæ habitæ. Vocatur quandoq; culpa, & hóc prout reſpicit pœnã quã meretur & incurrit. Vocatur quãdoq; offenſa, & hoc eſt, quia cõtra Deũ eſt, & cõtrà Deũ facit. Vocatur quãdoq; pręuaricatio, & hoc inquantũ mandatũ Dei reſpicit, quod tranſgrediẽdo præuaricatur. Vocatur quandoq; peccatũ, prout cõuerſio fit ad bonũ cõmutabile cũ auerſione à bono incommutabili. Vocatur quandoq; ſcelus propter magnã iniuriã, quæ peccando Deo fit. Vocatur etiã quandoque nefas, prout eſt illicitum perſonæ perpetranti. Vocatur etiam quandoque crimen, prout eſt dignum accuſatione & pœna. Gerſon. Multis itaque nominibus vocatur peccatum mortale, & originaliter eſt à voluntate ſiue à libero arbitrio, & initiatur in cogitatione, procedit & creſcit in delectatione, perficitur in conſenſu, &c.

De diuiſione peccati mortalis. Vnde peccatorũ mortaliũ, vt habet Gerſon tract. de vitiis naturæ & voluntatis: alia ſunt carnalia, alia ſpiritualia. Carnalia autẽ maioris ſunt infamiæ: ſpiritualia verò maioris culpæ. Peccata purè carnalia, ſunt gula & ſuperbia (vt ſcribit Guil. Scotiſta di. xxx. lib. ij.) Purè ſpiritualia ſunt hæc quatuor, ſuperbia, inuidia, ira, & Acedia: media verò inter vtraque, ſicut eſt auaritia, quæ participat cum vtriſque, &c.

Peccata mortalia quædam ſunt cõmiſsi, alia delicti (vt ſcribit Gerſon vbi ſupra.) Aliqua enim cõmittuntur in faciendo, alia in omittẽdo. Prima peccata ſunt præuaricatio ſeu trãſgreſsio legis quo ad præcepta negatiua: vtputa, Non occides: Non mœchaberis. Secunda ſunt præuaricatio ſeu trãſgreſsio legis quo ad præcepta affirmatiua, ſicut ſunt: Diliges Dominũ Deum tuum ex toto corde, &c. Honora patrem tuum, &c. Et ſecundum hanc etiam diuiſionem dicitur peccatum mortale eſſe, & fieri contra duas partes iuſtitiæ. Quarum vna eſt declinatio à malo. Alia eſt facere bonum.

Peccatum omiſſionis dicitur dupliciter. Vno modo impropriè pro peccato, quo aliquis non omittit, quod tenetur omittere. Et ſic omiſsio ſemper coniuncta eſt peccato commiſsionis. Qui enim non omittit aliquid quod omittere tenetur, facit quod prohibitum eſt: ergo non omittendo committit, & omne tale peccatum omiſsionis eſt voluntarium. Secundo modo accipitur propriè, & eſt dum aliquis omittit actũ, quẽ tenetur facere. Et ita cõtrariatur præcepto affirmatiuo. De peccato omiſsionis vide ſanctum Tho. j. ſecundæ, q. lxxj. art. v. Et Gabr. diſt. xlj. q. vnica, dubio iij. libr. ij. Et ſanctum Bonauent. diſt. in. v. quæſt. j. lib. ij. De quo & in dictione *Omiſſio.* Tunc autem peccatum omiſsionis perpetrari dicitur, quãdo aliquis applicat ſe ad actũ illicitum incompoſsibilem cum illo actu ad quem tenetur: vt ſi quis tenetur ire ad Matutinas, & inebriet ſe, vel ſit in colloquio infructuoſo, & ſic de aliis: propter quod non ſurgit ad Matutinas, tunc omittit cùm ſe inebriat, aut infructuoſe fabulatur. Si verò applicat ſe alicui actui bono ad quem tenetur, & ex illo feſſus dormiat, & non ſurgat, non omittit. Si verò fuerit actus Indifferens, & tamen impeditiuus ad quẽ tenetur, illi intendendo omittit. Hæc Alexander de Ales, qui & multa de omiſſione ſcribit. Et poſt eum videatur latiùs Gabriël, vbi ſup. qui dicit ibidẽ, quod omne peccatũ actuale eſt voluntariũ, ita quod in poteſtate voluntatis eſt peccare tali peccato, & non peccare: quia omne peccatũ, aut eſt peccatũ cõmiſsionis aut omiſsionis. Si primũ, poteſt actũ illum nõ elicere. Si omiſsionis, tunc aut poteſt elicere actũ volendi quẽ omittit, & ita ſi non elicit, voluntariè omittit. Aut tunc nõ poteſt quãdo tenetur: aut propter impetum quod fuit in poteſtate voluntatis, aut quod non fuit in poteſtate. Si ſecundũ, non peccat dimittẽdo. Si primum volens, nõ amouit impedimentũ: & ita volens virtualiter omiſit: quiſque enim vult antecedens, virtualiter vult & conſequens, &c. Gabriël.

Peccatorum mortalium, quoddam committitur in Deum, & aliquod in patrem, aliud in filium, aliud in Spiritumſanctũ. Quoddam cõmittitur in proximum, & quoddam in ſeipſum. Peccatur in Deum quadrupliciter (vt ſcribit Gerſon tract. de vitiis naturæ & volũtatis.) Primò malè de ipſo per infidelitatem ſentiendo. Secundò ipſum blaſphemando. Tertiò eius Sacramenta indignè miniſtrando & tractando. Quartò eum tentando. Rurſus Deum tentando peccatur tripliciter. Nam tentatur vel

eius potentia ſigna, ſcilicet ab eo petendo, vel tentatur eius iuſticia, per humanas, ſcilicet probationes: vtputa, per candens ferrum vel duellum vel ſimilia, iudicium eius exquirendo. Vel tentatur eius miſericordia, ſuam, ſcilicet quaſi examinando bonitatem, ſe ſtultis periculis committendo. In proximum peccatur etiam tripliciter, vel bona ſua ei indebitè auferēdo, vel bona propria ſibi in ſua neceſſitate non cōmunicando, vel mala perſuaſione aut malo exemplo eum in peccatum trahendo & inducendo. In ſemetipſum autem peccat quis etiam tripliciter, vel ſibiipſi neceſſaria ſubtrahendo vel ſuperflua ſumendo, vel vltra vires ac debitum moderamen quippiam aggrediendo. Hæc Gerſon.

Peccatum in Patrem quando volūtas quæ eſt coniuncta appetitui ſenſitiuo nata ſibi condelectari, & peccās occaſionaliter ex inclinatione appetitus ſenſitiui ad ſuum delectabile, peccat ex paſſione, quod dicitur peccatū ex infirmitate ſeu impotentia, quæ conſurgit ex amiſſione originalis iuſtitiæ. Et illud peccatum eſt appropriatè in Patrem, cui attribuitur potentia. Gab. di. xliij. qu. vnica. lib. ij.

Peccatum in Filium eſt quando voluntas agit per cognitionē intellectiuā, hoc eſt, præſupponit cognitionē intellectus illius obiecti circa quod elicit ſuū actū, ideo ratione errāte ipſa cōformiter eliciēte, nō rectè elicit niſi error eſſet inuincibilis, & ſic peccat ex ignorantia. Et illud peccatū appropriatè dicitur in filium, cui appropriatur ſapiētia. Gab. vbi ſupra.

Peccatum in Spiritumſanctum eſt quando voluntas peccat (vt idem ſcribit Gabr.), ex libertate propria non condelectando appetitui ſenſitiuo, nec ex errore rationis, & tunc dicitur peccare ex malitia, quia non ex paſſione ſiue odio, neque ex errore in ratione peccat, ibi enim eſt pleniſſima ratio peccati, quia pleniſſima ratio voluntarij, quia nihil eſt aliud à volūtate alliciens eam ad malum, neque in ſenſu, neq; in intellectu, ſed ex mera libertate ſua, ſiue aliqua occaſione extrinſeca eligit velle cōtra dictamen rationis, etiam ſi non tendat in ipſum malum ſub ratione mali. Et illud peccatum dicitur cōmitti in Spiritumſanctum, cui attribuitur bonitas. Concordat Gerſon qui dicit. Peccatū in Spiritumſanctum dicitur quando ex certa malitia, id eſt ex ipſa deliberata electione mali peccatur, quod ex improba voluntate liberi arbitrij procedit, quia vt tactum eſt, peccatur tunc cōtra bonitatem, quæ attribuitur ſpiritui ſancto. Vide latius Gerſonē parte ij, vbi multa agit de peccato in Spiritum ſanctum.

Et dicitur peccatum in in Spiritumſanctum (vt dicit Gab. diſt. xliij. lib. ij.) non quia eſt offenſiuum Spiritusſancti, & non patris aut filij. Nam harum perſonarum trium, ſicut vna eſt eſſentia, ita vna volūtas, vna bonitas, vnus honor & dignitas; & quicquid eſt contra vnam perſonam in diuinis, eſt contra omnes. Et per hoc quiſquis offendit & inhonorat Spiritumſanctum, offendit & inhonorat patrē & filium. Nec ideo quia actus illius peccati terminatur obiectiuè ad Spiritumſanctum, & non ad filium vel patrem. Sed ideo dicitur in Spiritumſanctum, quia fit ex malitia & contemptu. Et ratione illius dicitur grauiſſimum & irremiſſibile. Vel dicitur grauiſſimum, ſecundū Bonauen. di. xliij. qu. iij, lib. ij. quia naturam maximè lędit, & quia oculos Dei maximè offendit. Grauiſſimum autem peccatum dici non poteſt (vt ſcribit Gabriēl vbi ſupra.) niſi ſit contra præceptum primæ tabulæ. Nam peccata cōtra præcepta ſecundæ tabulę ſolum virtualiter auertunt à Deo: ſola peccata primæ tabulæ formaliter & actualiter auertūt ab obiecto perfectiſſimo, ſcilicet à Deo. Et ſicut ſolus actus charitatis: puta, amor Dei amicitiæ, eſt actus perfectiſſimè conuerſiuus in Deum propter ſeipſum, ſine relatione ad aliud extra ſe: ita ſolus actus huic contrariè oppoſitus, ſcilicet, odium Dei in ſeipſo (ſi eſſet poſſibile) eſſet grauiſſimum peccatum. Poſt actum verò charitatis, perfectiſſimus actus quo tendit voluntas in Deum, eſt actus ſpei: cuius oppoſitū erit peccatum grauiſſimum, & hoc eſt peccatum deſperationis. Sed actus deſperationis procedēs ex certa malitia, dicitur peccatū in ſpiritū ſanctum. De qua in perſona deſperatorū loquitur Ieremias cap. 18. Deſperauimus, poſt noſtras cogitationes ibimus, vnuſquiſque prauitatem cordis ſui mali faciemus. Vide Scot. di. xliij. lib. ij. Et ſecundum eum tria requiruntur ad peccatum in Spiritum ſanctum. Primò quod ſit contra præcepta primæ tabulæ. Secundò quod ſit ex certa malitia: non ex paſſione aut errore ſeu turbulentia rationis aut voluntatis. Tertiò quod ſit actus oppoſitus perfectiſſimo actui conuerſiuo in Deum poſt actum amoris amicitiæ id eſt, actui ſpei. Huius enim ſcilicet, amoris Dei (ſecundum plures) actus oppoſitus non eſt poſſibilis.

De peccato in Spiritumſanctum dupliciter contingit loqui. Strictè prout includit tres conditiones prædictas (vt inquit Gabriēl vbi ſupra.) & ſic ſola deſperatio & præſumptio adiuncta ſemper finali impœnitentiæ, & dū procedat ex certa malitia, ſunt peccata in Spiritumſanctum, quia directè ſunt cōtra perfectiones diuinas, ex quibus oritur remiſſio peccatorum. Et ita dicit Iſido. ſuper Leuit. Hoc ſancti patres irremiſſibile peccatū & blaſphemiam in ſpiritumſanctum dixerunt. In ſceleribus vſque ad finem vitę perſeuerare, de ſalute ſua deſperare, de miſericordia & potentia redemptoris diffidere. Alio modo largius vt dicit peccatum remiſſibile, difficile, non ſolum contra principiū remiſſionis in Deo, ſed etiam quod tollit diſpoſitionem remiſſionis peccati in peccatore, quæ ſunt veritatis adhæſio, deſiderium gratiæ, diſplicentia de peccato, & eleuatio mentis à malo. Hæc autem ſunt: Impugnatio veritatis agnitæ: Inuidentia fraternæ gratiæ: Impœnitentia & Obſtinatio, inquantum tamen illa procedunt ex certa malitia.

Peccatum dicitur irremiſſibile dupliciter, hic & in futuro (vt ſcribit Gabr. vbi ſupra. di xliij. ſecundi.) Vno modo ſimpliciter, quod non remittetur, qualis eſt ſola finalis impœnitentia. Hoc enim non remittetur in præſenti ſeculo. Sic enim non eſſet finalis, quia ſi remitteretur, non duraret in finem. Nec in futuro, quia nihil nō remiſſum in hoc ſeculo remittitur in futuro ſtāte immutabiliter illa ſentētia: Lignum vbi ceciderit ſiue ad auſtrū, ſiue ad aquilonem, ibi erit: Eccle. 11. Hoc eſt (vt dicit Scot. di. vij. l. ij.) cuiuſcunq; creatura rationalis amore permanſerit, in illo permanebit. Non autem omnis finalis

 impœ-

impęnitentia dicitur peccatum in Spiritúſanctum, non enim illa qua homo recedit morte præuentus ſine pœnitentia, ſed illa qua homo habet propoſitum nunquá pœnitendi, quę oritur ex deſperata obſtinatione, de qua Augu. ait de fide ad Petrú. Quod peſſimi hominis incidunt in hoc peccatú, vt Cain qui dixit: Maior eſt iniquitas quá vt veniá merear. Credidit enim miſericordiam Dei eſſe minoré ſuó delicto. Sed miſericordia Dei eſt bonitas, quæ appropriatur Spirituiſancto, & ideo dicitur peccatum in Spiritumſanctum, vt dicit Scotus. Alio modo dicitur peccatú irremiſſibile, nó quin remitti poſſit & ſæpè remittatur, ſed quia opponitur principio remiſſionis. Et hoc vel in remittéte vel in peccáte, vel in dono ad remiſſioné diſponéte. In Deo remittété principium remiſſionis eſt Dei miſericordia & iuſtitia. Principiú remiſſionis in dono diſponente ad remiſſioné eſt veritatis cognitio, & gratię collatio. In peccáte eſt illa, quæ ſunt retractiua à peccato. Et ſecundú Scot. principiú diſpoſitum ad remiſſionem peccati in peccatore eſt aliqualis diſplacentia de peccatis cum cóuerſione ad Deum, hoc autẽ peccatum inquantú habet propoſitú de nó pœnitendo in tali obſtinato, tollit omne tale diſpoſitiuú, ait Scot. diſ. xliij. li. ij. Duo autem ſunt quę retrahunt à peccato, ſcilicet turpitudinis peccati conſideratio, & delectationis abbreuiatio. Et ſecundú hęc diſtinguútur ſex peccata in Spiritumſanctum. Vide Bona. in breuiloquio parte iij. ca. finali. & Thom. ij. ij. queſt. xiiij. Gerſonem parte ij. de peccato in Spiritúſanctum, & poſt hos ſcribit Gab. di. xliij. lib. ij. quæ quidam peccata ſunt cótra principia prędicta, ſcilicet, deſperatio cótra Dei miſericordiá, pręſumptio cótra Dei iuſtitiá. Impugnatio agnitę veritatis cótra veritatis agnitioné. Inuidétia fraternę charitatis cótra gratię collationem. Impęnitentia qua nó cóſideratur turpitudo peccati, & ita eligit homo nunquá de eo pęnitere. Obſtinatio qua vult peccati delectationi perpetuó inhærere. Primis duobus modis peccatur cótra Deú, duobus aliis contra proximú, duobus vltimis cótra ſeipſum. Et túc peccatú dicitur in Spiritumſanctú quando procedit ex certa malitia & nó ex infirmitate vel ignorátia. Vnde ſicut charitas dat formá operi meritorio, quia à charitate nominatur opus meritoriú, ita malitia dat nomé peccato, vt dicitur in Spiritumſanctum. Vnde nihil horú dicitur peccatú in Spiritumſanctum, niſi procedat ex certa malitia. Non auté omne peccatú ſecundú Gerſ. vbi ſupra, quod ex certa malitia cómittitur dicitur eſſe peccatú in Spiritúſan. prout cómuniter accipitur. Dupliciter enim cótingere poteſt aliquem ex certa malitia, id eſt ex ipſa electione mali peccare. Vno modo ex inclinatione habitus vitioſi ſeu aſſuefactione, imo ſecundú aliquá circúſtantiá ex propria ſciétia & deliberatione, quod tamen nó peccaretur in Spiritúſanctum, imo illud (inquit Gerſ.) in quolibet genere peccati contingere poteſt. Alio modo poteſt quis ex propria malitia peccare ex eo, ſcilicet quod ipſe ſcienter & per cótemptum abiicit & remouet à ſe illud quod in eo poterat electioné ſeu continuationé peccati impedire. Et cú omnia quæ peccati electioné ſeu continuationé impedire poſſunt, & impediút, ſint propriè effectus ſpiritusſancti in homine. Ideo ille qui ipſa ſic peccati electionem ſeu continuationé impedientia à ſe ſciéter & per contemptú abiicit & remouet, dicitur ex propria malitia & in Spiritumſanctum peccare: & ita accipitur propriè ex propria malitia peccare. Gerſ.

Peccatum adhuc dupliciter poteſt intelligi, irremiſſibile ſiue irremediabile. Vel de potentia Dei abſoluta vel ordinata. De potétia Dei abſoluta manifeſtum eſt quod omne peccatum eſt remiſſibile & remediabile, quia oppoſitum non includit contradictonem, poteſt etiam Deus peccatum non vindicare nec imputare ad pœnam, poteſt enim Deus peccatori ad tempus parcere nó infligendo pęnam, & ita in æternum. Poſſet etiam de potétia abſoluta obſtinationem diaboli tollere & infundere gratiá: & per conſequens remittere peccatum. Sed de potentia ordinata dicitur peccatum irremiſſibile, quia ſecundum legem Dei ſtatutam non remittetur vel ex ſe vel ex parte ſtatus. Ex ſe omne peccatum viatoris eſt remiſſibile. Ex parte ſtatus omne peccatum vſque ad terminum vitæ durans eſt irremiſſibile. Statuit enim Deus nullum peccatú remittere niſi in via ſecundú illud Eccle. 11. Si ceciderit lignú ad auſtrum vel aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit. Vnde locú quem hîc pręparaueris, ſcilicet, in via, in futuro habebis Gab. di. vj. qu. vnica, lib. ij. Cóſonat Sco. eadé di. q. ij. Sic de peccato Luciferi dicitur, ex quo in illo peccato deuenit ad terminú, omnia peccata eius facta ſunt irremediabilia, quáuis prius peccatú ex ſe nó fuit irremediabile, quia ſi pœnituiſſet, inueniſſet veniam & miſericordiam (vt ait Scot.) Sancti autem doctores allegant plures congruitates remediabilitatis peccati hominis, quæ non fuerunt in peccato angeli, vt quod homo peccat alio inſtigante, diabolus nullo inſtigáte, diabolus ſua malitia, homo occaſionaliter malitia aliena. Diabolus natura perfectior, homo natura infirmior. Gab. vbi ſupra. Et (vt idé dicit Gab. di. xv. q. j. ar. j. lib. iiij.) peccatú quo ad culpá nó remittitur ſine gratia & charitate. Gratiaq; & mortale peccatum ſtante lege, ſunt immediate oppoſita, ita quod omnis homo aut eſt in gratia, aut eſt in mortali peccato, & nullus ſimul in mortali & gratia. Et peccata oblita remittuntur ſi quis fecerit ſufficientem diligentiam & debitam ad confitendum ea. Si verò non fecerit ſufficientem diligentiam, & aliqua ſubterfugiunt memoriam, propter ſuì negligentiam, tunc nullum peccatum dimittitur, neque cognitum neque oblitum. Gabri. dubio j. vbi ſupra & longior eſt.

Peccatum remitti per aliquod multipliciter poteſt intelligi ſecundum quod ly *per* dicit varias circunſtantias cauſę. Vno modo intelligitur peccatú mortale deleri per aliquod táquam per cauſam formalé, vt quádo illud eſt forma inhærens animæ expellens ſeu non compatiens ſecum mortale peccatum. Secundo tanquá per cauſam efficienté principalem diſpoſitiuam aut inſtrumétalem. Tertio modo per ipſum vt per ſignú pronuncians vel oſtendés abſolutioné à peccatis. Ité quádoque peccatú remittitur, quo ad culpá, quandoq; quo ad pęná, & quandoq; quo ad vtrunque, de quo legito Gabr. diſtinctione xiiij. quæſt. ij. art. j. & ij. libr. iiij. Et cùm tria ſint in peccato, ſcilicet, actio mala & ipſa interior macula, & ſequela

& ſequela ſecundum ſanct. Bona. diſt. xvij. lib. iiij. actio mala expellitor timore, macula dolore, ſed ſequela charitatis ardore. Vnde timor eſt in iuſtificatione, vt dicitur preparatio ad iuſtitiã, dolor vt infuſio iuſtitię. Charitas ardor io conſummarionem, Bonauen. quęſtion. iij. vbi ſupra. Et de hoc latiùs in dictione *Pœnitentia*.

Peccatum quoddam eſt occultum, quoddam publicum. Et peccatum ſuum occultum nemo tenetur in publico cooſiteri, quia non teoetur quicunque ſtatim in iudicio ſe reum confiteri nondum cõuictus. Nam reprehenduntur per Propheiá qui peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicaueruot. Gab. di. xv. q. xvj. concluſ. iiij. lib. uij. idem ſentit Scotus, &c.

Peccatum capitale ſecundum Guil. Scotiſ. & Pelbartum, & alios dicitur dupliciter capitale. Primò quod capite plectitur ſeu punitur, ſicut eſt crimen læſæ maieſtatis & conſimilia. Secundò capitale peccatum dicitur illud, vnde primò peccata orta ſunt. Hoc modo peccatũ Luciferi dicitur capitale peccatum, ſicut ipſe Lucifer caput nominatur ooiniũ malorum, vt dicit Gloſſa ſuper illud Abacuc. Percuſſiſti capur de domo impij. Tertiò dicitur capitale peccatum, id eſt principale ſecundum Magiſtrum. Nam ſicut caput habet ſupra membra eminẽtiam, ſic tale peccatum ſuper alias ſuas filias habet eminentiam in malitię graoitate. Sunt autem ſepté peccata capitalia, ſcilicet, ſuperbia, inuidia, ira, acedia, auaritia, gula, luxuria. de his ſuis locis dicitur: & multa de his ſcribit Gerſ. par. ij. de ſeptem vitiis capitalibus, quæ cõmparat ipſe ſeptem ferocibus beſtiis. Superbia ſeu vana gloria comparatur leoni. Inuidia cani. Ira lupo. Acedia aſino. Gula vrſo. Luxuria porco. Auaritia comparatur ericio. Comparantur & hęc vitia ſeptem grauibus infirmitatibus. Superbia ſeu vana gloria comparatur corporis inflationi. Inoidia lepræ. Ira pheneſi. Acedia letargiæ. Auaritia hydropiſi. Gula epulentiæ. Luxuria comparatur febri. Hæc vitia (vt idem dicit) curantur deuota ac frequenti paſsionis meditatione, de quibus latiùs & valde multa apud Gerſonem videbis. Et ſicut (vt ſcribit Iacobus de Valentia qu. finali poſt commentaria ſuper cantica.) ad peccatum quo natura corrupta eſt per primos parentes cucurrerunt tres perſonæ, ſcilicet, ſerpens offerens pomum prohibitũ, & Eua acceptás ipſum & offerens viro, & Adam comedens ipſum, vt complaceret vxori. Ita pro maiori parte ad omne peccatũ concurrunt tres partes hominis, ſcilicet ſenſus offerens rem delectabilẽ vel vtilem, & appetitus ſenſitiuus & ſenſualitas appetens, & alliciens voluntatem, vt conſentiat & ipſa voluntas condelectans, & ſequens ſenſualitatem. Nam ſicut ſerpens oſteodit fructum perſuadendo mulieri, & mulier perſuaſit viro vt comederet: ita ſenſus offert rem prohibitã ipſi ſenſoalitati, & ſenſualitas offert & perſuadet voluntati, & ſic conſummatur peccatum per cõſenſum voluntatis. Ex quo patet quod primi parẽtes reliquerunt nobis impreſſam imaginem & veſtigium ſui peccati. Hæc Valentia.

Peccatum diaboli (vt ſcribit ſanctus Bonauen. di. v. qu. j. libr. ij.) initiatum eſt in præſomptione: ſtatim enim vt vidit ſuam pulchritudinem, præſumpſit. Cõſummatum eſt in ambitione, quia præſumẽs de ſe, appetiit quod omnino ſupra ſe fuit, & ad quod peruenire non potuit. Sed confirmatum eſt in inuidię & odij auerſione, quia ex quo obtinere non potuit quod appetiit, ideo inuidere cœpit, & affectu odij cõtraire, & in hoc confirmatũ eſt: quia hęc omnino ipſum à Deo ſeparauit, & perfectũ obſtaculum poſuit, ſicut perfecta charitas perfectè Deo iungit.

Peccatum contra naturam. Et communiter peccati contra naturam quatuor ſpecies ſeu modi aſsignantur. Primus eſt quãdo abſque omni concubitu cauſa delectationis venereæ pullutio procuratur, & vocatur propriè mollities, pertinetq; ad peccatum immunditiæ venereę, ſeu lubricoſæ. Secundus modus eſt ſi fiat per concubitum ad rem non eiuſdem ſpeciei, & vocatur propriè beſtialitas. Tertius modus eſt ſi fiat cõcubitus ad rem eiuſdem ſpeciei, ſed non ad debitum ſexum, vt puta, maſculi ad maſculum, vel fœminæ ad fœminam. Et vocatur propriè Sodomiticum. Quartus modus eſt ſi fiat concubitus ad rem eiuſdem ſpeciei, & debiti ſexus, ſed non fiat in debito inſtrumento, vel aliàs fiat monſtroſa quædã deordinatio & vilitas in modis cõcubendi. Hæc Gerſon parte ij. de ſeptem vitiis capitalibus.

Peccatum mortale quomodo cognoſcitur, videndum eſt quod ſcribit Gab. di. xv. qu. xiij. ar. ij. concluſione iij. Corolla. j. lib. iiij. Incautum eſſe & malum aſſerere aliquem actum fore peccatũ mortale vbi illud nec ſufficienti auctoritate nec euidenti ratione oſtendi poteſt. Nam hoc eſt ponere laqueum pedibus ambulantiũ & inducere certũ mortale vbi mortale nõ eſt, vel eſſe certũ vbi non eſt. Nam iſta aſſertio dõ acceptatur à populo, licèt foret erronea, facit tamen contrauenientem peccare mortaliter, quia facit agere contra conſcieotiam eum qui aliàs non peccaret mortaliter in tali facto non habita huioſmodi cõſcientia. Et quia difficile eſt cognoſcere, quando peccatum fit mortale, ideo doctores qui pro animarũ ſalute egerunt & ſcripſerunt, aliquas regulas poſuerunt, quas latè proſequitur frater Pelbartus lib. ij. Roſarij Theologię in dictione, *Peccatum*. ¢. xxvij. xxviij. xxjx. xxx. Prima eſt de animæ affectu & complacentia, quæ accipitur ab Auguſt. xxv. diſt. §. Crimiois. di. Quod nullum eſt adeo veniale quin fiat mortale, dum placet, ſcilicet nimis vſq; ad contemptũ, &c. Et nullũ eſt (inquit) adeo mortale, quin fiat veniale dum diſplicet, videlicet ita quod non conſentitur deliberatè. Secunda regula: Bonum quodcunque citra Deum diligere, ſupra Deum, vel æquè Deo, eſt peccatum mortale: quia Deus diligi debet ſuper omnia, & propter ſe, ſecundum ſcripturas, & omnes doctores ſuper iij. ſenten. Exemplũ de amore diuitiarum & bonorum mundi omnium, quæ ſi infra Deum diliguntur, veoiale eſt: aliàs mortale, quia facit contra præceptum Dei. Tertia regula de charitate. Omne quod directè contrariatur charitati Dei & proximi, eſt mortale. Hanc ponit Tho. ſecũda ſecundæ q. lix. ar. iiij. niſi quis faceret contra proximum modicum quid, vt ſi furetur acũ, vel huiuſmodi. Quarta regula de diuino decalogo. Quod quicunq; facit directè contra quodcunque præceptum decalogi, peccat mortaliter. Nam quicquid eſt contra ea, eſt mortale.

Quinta eſt de Eccleſiæ præcepto. Quod tranſgreſſio contra quodcunq; præceptum Eccleſiæ eſt mortale, ſi fiat ſcienter, vel ex contemptu. Matth.18. Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus. Exemplũ de his qui nolunt Miſſam audire in feſto, vel confiteri, & communicari ſemel in annq, vel vitare hæreticos, vel in feſto ſeruilia opera facere. Sexta de fine. Quod quãdocunq; quis cõſtituit finem vltimũ in creaturis, vel citra Deum, peccat mortaliter, quia hoc eſt frui vtendis, vt vult Auguſt. ergo maximum peccatum, ſicut vanè glorioſus conſtituit finem in laude hominum. Septima de grauitate iniuriæ, quam ponit Rich. de ſancto Victore, dicens quod peccatũ mortale non habet fieri, ſine graui iniuria Dei, vel grãdi cõtemptu, aut nocumẽto proximi in hominibus qui firmã habent voluntatem cauendi peccatum. Vnde tales nõ peccant mortaliter in quouis modico. Secùs de infirmis. hæc ille. Octaua de inhęſione firma conſcientiæ dictantis aliquid faciendum vel nõ faciendum, quã ponit Augu. xxviij. qu. j. Omne inquit quod fit contra conſcientiam, ædificat ad gehennam. Et hoc verum eſt, etiam de conſcientia erronea firmiter credente. Sed quando titubans hæſitat, nec firmiter credit; non eſſet mortale contra faciendo: vt dicit Aureolus in compendio: niſi quando dubitaret, & in dubio exponeret ſe periculo. Nona regula de ignorantia. Quod ignorantia affectata nõ excuſat à peccato mortali, ſed bene alia. Pręterea ignorantia aliquando excuſat à toto, aut à tãto, vt aliàs & ſupra dictũ eſt. Decima de Chriſmate ſacramentali. Quod indignè ſuſcipiens ſacramentum quodcunque, eſt peccatum mortale. Patet de ſacramento Euchariſtiæ. 1. Cor. 11. Qui manducat & bibit indignè: iudicium ſibi manducat. Nam malitia (vt ait Auguſt.) polluit ſacramentum vt ſibi iudicium fiat, quamuis ſacramenta in ſe impolluta permaneant, & indignè ſuſcipiens ſacramentum, facit iniuriam Sacramento ſecundum eundem Auguſtinum de vnico baptiſmo. Patet etiam de aliis ſacramentis.

Item eadem regula extenditur ſecundum Richardum de media Villa. in quarto, & ſan. Tho. eodem lib. diſt. xxiiij. etiam quo ad miniſtrationem ſacramentorum, vt qui adminiſtrant ſacramenta in peccatis, nec pęnitens vel confitens, peccat mortaliter. Denique aliqui ſancti hanc regulã extendunt etiam ad actus ſolennes in Eccleſia, quod, ſcilicet, tenetur quis pœnitere ſi eſt in conſcientia peccati mortalis antequam tales actus exerceat: puta, lecturus diaconus Euangelium vel ſubdiaconus Epiſtolam ſolẽniter in Eccleſia, aut leuaturus aliquem de baptiſmo, vel cõfirmatione ſolenni actu in Eccleſia, aliàs in cõſcientia peccati talia faciens mortaliter peccat. Nam Deut. 16. dicitur. Iuſtè quod iuſtũ eſt exequaris. Accipitur tamen ſi quis in neceſſitate: puta, articulo mortis baptizaret, aut talia prædicta ſacramẽtalia faceret. Vndecima regula de lege poſitiua quòd lex canonicá vel cõſtitutio legis alicuius cuiuſcunque non ſemper obligat ex eius tranſgreſſione ad peccatum mortale, etiam ſi ſit lata per verba præceptiua vel inhibitoria aut ęquipollentia. Hanc regulam dictant canonum doctores, præſertim Panormi. extra de vita & honeſtate clericorum. ca. Clerici officia, & quando obligat ad mortale, vide aliàs

P E

in dictione *Obligatio* & Angelum in ſumma, vel etiam Pelbartum lib. ij. Roſa. Theologiæ & alios. Vnde ſi lex vtitur verbis præceptiuis: puta, præcipimus, iubemus, mandamus, &c. Vel inhibitoriis, vt inhibemus, prohibemus, interdicimus, &c. & huiuſmodi, & tunc obligant ad mortale, aliàs raró. Etiam vbi eſt conſuetudo, quod verba obligant ad mortale. Vide latiùs doctores iuris, & Angelum in ſumma. Hæc enim non ſunt noſtri fori. Duodecima regula de malo alieno quòd vnius mali allj ſimul compeccant mortaliter, & hoc fit nouem modis communicando in peccatis alienis. Vnde prælati non corrigentes, inferiores peccant. Decima tertia de non neceſſariis vt ſunt ſacramenta non neceſſitatis & conſilia Euangelica ſecundum Scotum. in iiij. diſtin. xv. eſt quod omnia conſilia Euangelica, ſimiliter & non neceſſitatis ſacramenta obligant omnes homines ad non cõtemnendum. Vnde contẽptus inducit mortale. Decimaquarta regula eſt de obedientia. Quicunq; cõtra obedientiam debitam ſuperioribus ſiue Eccleſiaſticis ſiue tẽporalibus in licitis mandatis ex contemptu tranſgreditur, mortaliter peccat. Patet Rom. 13. Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit, & damnationem acquirit. Secùs ſi non ex contemptu, eodem modo ſicut de lege dicitur. Decimaquinta regula de pœnitentia.

Quod omne peccatum graue mortale per pœnitentiam & confeſſionem ſequentem fit veniale. Hanc ponit Ambro. de qua Tho. in ij. di. xxiiij. dicit intelligendum nõ ſic quod culpa mortalis in culpam venialem mutetur, ſed ſecundum ſimilitudinem quandam ad veniale, quia ſicut veniale peccatũ dignum eſt venia, & temporalem pœnã promeretur, ſic ab euentu per pęnitentiam mortale fit veniale. Sedecima regula de quãtitate intentionis vel qualitate, quòd quamuis quis intendat modicum vel venialiter peccare, tamen mortaliter peccat, non obſtante tali intentione in his, quæ ſunt contra præcepta. Tum quia talis erronea conſcientia peccat, tum quia opus malum non recipit quantitatem ab intentione. Decimaſeptima regula de rationis cõſenſu deliberatiuo. Hanc ponit Cancellarius Pariſienſis, & communiter tenent omnes doctores, videlicet quod nullum peccatum actuale ſit mortale abſque conſenſu rationis vero vel interpretatiuo, id eſt dum quis ſufficienter potuit deliberare & reſiſtere: & non fecit vt debuit. Sicut enim qui tacet, conſentire videtur interpretatiuè ex regula iuris.

Sic in præpoſito. Vnde conſentiens in ſolam delectationem moroſam ſine opere peccat. Decimaoctaua de ſenſuũ actibus. Quod quandocunq; in actibus ſenſuum quis intendit ad mortale principaliter peccat mortaliter Mat. 5. Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt in corde ſuo. Similiter de auditu loquendum & de tactu & aliis. Decima nona de titubatione dubietatis ex Bonauen. in iiij. di. xvij. Eſt quod quicunque facit aliquid de quo titubat dubitando pro vtraque parte, vtrũ illud facere ſit mortale an veniale, mortaliter peccat, & tenetur confiteri: quia diſcrimini mortalis peccati ſe exponit. Secùs ſi non dubitaret pro vtraque parte, ſed crederet potius eſſe veniale, nec aliunde ſcire poſſet. In dubiis autem tutiorem viam amplecti debemus. Verum ſi nõ maiorẽ certitudinem

titudinem de vna partium habet quàm de altera, ſiſtere debet quouſque ad earũ aliquam magis aſſentiatur: vt ſcribit Gerſon part. iij. tracta. de diuerſis tẽtationibus diaboli: & hoc vel aliorum vel ſuę rationis conſultatione vel inſpiratione diuina obtẽta per orationem, &c. Vigeſima regula de voluntariis: Quod in peccatis mortalibus ſola voluntas deliberata pro facto capitur, quantum ad hoc quod mortale ſit peccatum in voluntate: quod ſi opere exequatur, erit grauius. Vigeſimaprima regula: Ad idẽ eſt Auguſt. libr. j. retractationum, cap. xij. & lib. de vera religione, quod peccatum eſt adeo voluntarium, vt ſi nõ ſit voluntarium, nullo modo ſit peccatũ. Ex quo patet quod omne peccatũ eſt in voluntate formaliter, ſicut in ea ſtat iuſtitia & iniuſtitia: vt dicit etiam Anſel. lib. de originali peccato. Vnde amentibus & vſu rationis carẽtibus furioſis nõ imputatur quod faciunt, quia nõ vtuntur ratione, nec per conſequens voluntate. Vigeſimaſecunda regula, quod quicunque volũtariè vel ex propria culpa exponit ſe periculo mortalis peccati ſeipſum vel proximũ, peccat mortaliter. Vnde Eccle. 3. dicitur. Qui amat periculum, peribit in illo. Lyra. Periculum, id eſt occaſiones peccatorum mortalium, peribit in illo, ſicut auis volitans circa laqueum. Exempla ad id plurima ſunt, ſcilicet, dũ quis aduertẽter ſe inebriat, vel etiam proximum. Item dum quis prouocat ad peierandum eum, quem ſcit peieraturum ſecundum Auguſt. xxij. qu. v. Ille qui. Item de Prælatis ſcandalizantibus alios ſua mala vita. Item de mulieribus ſe ornantibus, vt concupiſcantur ad luxuriam: & ſic de aliis, quę multa breuitatis gratia omitto. Legito de hoc Pelba. & alios. Hęc, quia nõ inutilia cenſui, ſcribere volui de cognitione peccati mortalis, quod quidem multa nocumenta facienti infert. Nam reddit perpetrantem odioſum Deo. Sapien. 14. Odio eſt Deo impius & impietas eius. Item flagella meretur, quæ Deus infligit propter peccata. Item animam maculat & perimit, & diabolo aſſimilatur. Multa de hoc Pelbartus, qui & ſcripturas & auctores allegat. Ad hoc vide & Gerſonem tract. de vitiis naturæ & voluntatis & parte ij. de cognitione peccatorum venialium & mortalium. Plura ſcribit & de vita ſpirituali animæ. Et in peccato mortali duo ſunt, vt ſcribit S. Bonauen. di. xx. li. iiij. circa textum, ſcilicet, macula & reatus, ſiue obligatio ad pœnam. Vide latius ibi, &c.

Peccatum veniale (vt diffinit Gerſon, parte ij. de peccato veniali) eſt complacentia ſeu voluptas in creatura infra vel citra Deum, id eſt quod non plus quã Deo nec æquè ſicut Deo, quia, ſcilicet, non vellet quis illi finaliter adhærere, vel propter illud Deo diſplicere, aut ſciẽter cõtra eius præcepta, & mãdata quicquã facere. Peccatum verò mortale, eſt libido, ſeu voluptas in creatura ſupra Deum, id eſt, plus quàm Deo vel æquè vt Deo, & dicitur veniale à venia. Vide latius Gerſonem.

Peccatum veniale eſt triplex ſecundum ſan. Bona. & Gab. di. xvj. q. v. dub. vj. lib. iiij. & di. xxij. qu. j. in fine, li. ij. Et Gerſ. lect. v. de vita ſpirituali animæ & alios. Quoddã eſt veniale ex ſola ſurreptione, id eſt ſine aduertẽtia, quod præuenit deliberationem: & illud ſicut vitari non poteſt, ita etiã nunquã fit mortale quãdiu manet in illo genere ex ſurreptione. Secus ſi maneret ſeu continuaretur actus ex ſurreptione inceptus, quouſq; accederet perfecta deliberatio, quia tunc non manet ſurreptitius. Et dicitur veniale ab adueniendo, quia venit ex ſurreptione & promitate naturæ corruptę, & hoc prouenit niſi ſubſequitur iudicium rationis, vt ſunt motus carnales & ſenſuales. Quoddã eſt veniale, quod fit cum cogitatione ſine aduertentia, ſed ſine pleno conſenſu, vt in cogitatione de muliere & in delectatione citra conſenſum in delectationẽ. Tertium eſt veniale cum ratione & conſenſu: ſed ideo eſt veniale, quia non eſt cõtra præceptum, vt verbũ ocioſum, & mendacium iocoſum, riſus ſuperfluus, & huiuſmodi. Et dicitur peccatum veniale, non ideo (vt quidam dicũt) quia meretur veniam, hoc enim falſum eſt (vt ſcribit Brulef. diſt. v. qu. j. lib. ij.) quia nullum peccatum poteſt habere rationem ad merendam veraciter veniam, imo demeretur, &c. Peccatum autem primo & ſecundo modo ſi accedat cõſenſus perfectus, erit mortale (vt ſcribit Gab. vbi ſupra lib. iiij.) Nam propter defectum conſenſus & imperfectionem eius, fuit veniale, ideo accedente conſenſu, ceſſat ratio venialis peccati, & nihil deficit de ratione mortalis. Et dicitur notanter cõſenſus perfectus, quoniã (vt dicit Scot. di. xxxix. tertij.) ſicut actus meritorius requirit quod ſit plene humanus, hoc eſt quod ſit ex plena deliberatione & conſenſu, ita non minus actus demeritorius idem requirit; quia non eſt Deus pronior ad condemnandum, quàm ad parcẽdum. Et cùm actus de genere mortalis fit, non cum plena deliberatione propter defectum perfecti cõſenſus, qui pręſupponit deliberationẽ perfectam, non cenſetur mortale. Habituatus verò, quandoque habet breuem deliberationem, quæ non videtur deliberatio, verũ quia habet magnam prudentiam qua promptus eſt ad deliberãdum quaſi in tempore imperceptibili, talis deliberatio, eſt ſufficiens ad rationem meriti & peccati. De veniali tertij ordinis dicitur quod illud nõ fit mortale, niſi per conſenſum quieſcentem in eo, tanquam in fine, vt ſi quis tanta libidine afficeretur ad mendacium iocoſum, quod etiam ipſum continuare vellet contra præceptum, ſi à Domino prohiberetur, ibi poneretur quies in mendacio iocoſo plus quàm in Deo, & tunc ſemper cõcurreret contemptus Dei, cum in caſu præponeretur mẽdacium iocoſum. Et ibi habet locum verbum Auguſtini. Nullum peccatum eſt ita veniale, quin poſſit fieri mortale dum placet, non qualibet placentia, ſed ea qua voluntas in ea quieſcit tanquam in fine, quod tunc fit quando plus placet quã Deus: puta, quãdo magis vult actum huiuſmodi quàm amicitiã Dei, qui eſt verè & ſimpliciter vltimus finis. Vel intelligitur hæc auctoritas de venialibus tantum primi & ſecundi generis aut tertij, vt exponit Gerſ. de vita ſpirituali animæ, lectione prima. Dũ placet inquantum eſt peccatũ & Dei offenſiuum abſq; alio quocunque motiuo vel allectiuo ad peccandum. Iſtud enim videtur diabolicæ obſtinationis proprium, quod impugnatur Deus, & odio habeatur gratis. Vnde breuiter conſenſus in veniale, vt veniale eſt, etiam deliberatus, nõ eſt niſi venialis. Et quamuis peccans venialiter ex deliberatione abutatur Dei

miſericor-

miſericordia, quæ conceſſit illud peccatum eſſe veniale non mortale, tamen nõ peccat mortaliter. Et in hoc plurimũ relucet miſericordia Dei, quod abuſus ille etiam deliberatus non eſt niſi venialis. Hæc Gab.di.xvj.q.v.ar.iij.dub.vj.li.iiij. Vide & Rich. di.xvj.ar.ij.q.ij.li.iiij. quando veniale fit mortale, & ſanctus Bonauentura eadem diſt.parte ſecunda art.iij.quæſtion.j.& quæſtion.ij.& dicit quod ratione peccati venialis in ſe nõ neceſſe eſt confiteri illud, ſed ratione periculi ad quod dicit, tenetur homo de aliquibus pęnitere, quantũ aduertat periculum. Vide latiùs ibi Bonauenturam, vide ad hoc Richardum art.v.vbi ſupra.quæſt.j.

Peccatum veniale & mortale differunt multipliciter vt ſcribit Gabri. diſt.xvj.quæſt.v.art.j.libr.iiij. & diſtinction.xxij.quæſtion.ij. Et Gerſon parte ij. tractatu de cognitione peccatorum mortalium & venialium. Primò, quia mortale eſt deordinatio quædam ac deuiatio ab ordine neceſſario ad ſalutis conſecutionem. veniale eſt deuiatio ab ordine non neceſſario, ſed vtili. Cùm enim omne peccatum eſt quædam deuiatio & declinatio ab ordine dirigente hominem ad ſalutem. Eſt autem huiuſmodi ordo inſtitutus à Deo duplex. Primus eſt neceſſarius, & hic eſt obſeruantia præceptorum, ſecũdum illud Mat.19. Si vis ingredi ad vitam, ſerua mandata. Alius eſt ordo conſequendi ſalutem compendioſus & vtilis, non tamen neceſſarius, ſicut obſeruatio conſiliorum Euangelicorum. Receſſus à primo ordine qui eſt per tranſgreſſionem præceptorum, dicitur & eſt peccatum mortale, quia inducit mortem perpetuam, & priuat animã vita gratiæ in pręſenti, & vita gloriæ in futuro. Receſſus autem à ſecundo ordine, ſcilicet, ab obſeruantia conſiliorum per conuerſionem inordinatam ad creaturam, citra tamen tranſgreſſionem præceptorum, eſt peccatum veniale. Dicitur autem peccatũ, quia eſt quædam deordinatio in adhęſione creaturæ minus vtili, dimiſſa vtiliore, cùm tamen ratio deprecatur ad optima 1.Ethicorum. Dicitur, veniale, quia non inducit mortem, neque tollit gratiam, neque eam minuit, alioquin cùm gratia ſit finita, poſſet per multiplicationem venialium tota auferri, & ſic venialia non eſſent venialia. Minuit tamẽ feruorem gratiæ, hoc eſt impedit gratiam à ſuo operatione. Feruor verò charitatis conſumit veniale peccatum: ſicut ignis magnus guttam aquæ iniectam. Secundò differunt: quia mortale priuat gloriam, obligat ad gehennam, & auertit à fine. Veniale autem non auertit à fine, ſed obliquat & impedit aliquantulum progreſſum ad finem. Item mortale ſemper habet annexum Dei contemptum verum, vel interpretatiuum, veniale non habet Dei contemptum (nemo enim contemnit quod amat) ſed habet quandam deſidiam vel teporem, pro quanto plus adhæret creaturæ quàm proficit adhærendum Deo. Item mortale ſi non deletur in via præſentis vitæ, manet ſimpliciter inexpiabile. Sed in futuro non deletur, vbi non eſt locus pœnitentiæ, ſed veniale etiam remittitur poſt hanc vitam. Verum de quolibet actu inordinato diſcernere in particulari quando ſit peccatum mortale, vel quando ſit veniale, difficillimum eſt propter infinitas circunſtantias actus variantes. Vnde circa hoc venerabilis & doctiſſimus

Ioannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis in libro de vita animæ plurimum laborauit, & multas regulas ad diſcretionem hanc conſequendam vtiliſſimas tradidit, nec tamen (ipſo teſte) ad ſufficientem diſcernendi certitudinem peruenit. Et de hoc regulæ aliquę ſupra patent. Item vnum veniale poteſt remitti ſine alio, ſed non ſic eſt de mortali. Item quodlibet opus meritorium habet vim remittendi peccatum veniale. De quo plura Gabri.diſt. xvj.quarti.quæſt.v.artic.iij.dub.iij. Et Paludenſis diſt.eadem quæſt.ij.artic.ij. Et de valore aquæ benedictæ, quæ remittit veniale pulchrè loquitur. Ad idem Hugo de ſacramentis libr.ij.parte ix.ſanctus Tho.di.xvj.qu.ij.ar.iiij.libr.iiij. Alexan.parte iiij. qu.viij.memb.j.ar.ij.§.j. Item Rich.di.xxj.ar.iij. qu.j. Item di.j.ar.j.qu.iij. Item Augu.in Enchi.ca. lxx. Item de conſecratione.di.iij. Aquam ſale, &c.

Peccans dicitur ille qui peccat vel cõmittit aliquod mali. Peccans autem mortaliter incurrit quatuor damna, vt ſcribit Brulef.di.xx.q.iiij.li.iij. Primum eſt amiſſio vitæ æternæ, & amicitiæ Dei. Secundum, perditio gratię Dei. Tertium, amiſſio actuum meritorum. Quartum, acquiſitio tormentorum inferni. Omnis autem peccans in eo quod re aliqua peruerſe vtitur, iniuriatur cuilibet iuſto tanquã fur & raptor rei ſuæ. Eſt enim furtum contrectatio rei alienæ inuito Domino. Tractat autem iniuſtus (abutendo re aliqua) rem illam quæ iuſti eſt, ipſo non conſentiente, nam conſentiendo peccaret. Hęc eſt radicalis ratio (vt inquit Gerſ.par.ij.ſer.de Dominio Euãgelico facto in cęna Domini) cur fraternalis correctio cuilibet iuſto competit, quoniam de re ſua agitur dum peccatur. In hoc verò comperi propriiſſimum & philoſophicum eſſe intellectum Iacobi dicentis, quod qui in vno offendit, factus eſt omnium reus, Iaco.2. Nam peccans in vno, peccat in omnes, tremenda nimis, ſed vera ſententia, peccans in vno, peccat in omnes, imo in ipſum cęlum & omnia quæ cœli ambitu cõtinentur. Hæc Gerſ.

Peccator propriè eſt qui ex habitu peccat, vel ex propoſito ſecundum beatum Tho.ſup.Pſal.xxvij. Vel peccator (vt ſcribit Gabr. di.xiiij.qu.j.lib.iiij.) eſt homo ordinatus à Deo ad pœnã æternam propter actum peccati, quẽ actu cõmittit, vel cõmiſit. Et dicitur peccator ab ordinatione diuina, quapropter peccatum præteritum quod tranſiit, & non eſt quantum ad actũ ordinatus, eſt ad pęnã ęternã. hoc enim ſignificat peccator. Et hoc nomen peccator nihil ſignificat inexiſtens in peccatore tranſeunte actu peccati: ſed ſignificat actum peccati, qui tranſiit, & pœnam quæ correſpondebit, & Deum qui peccatorem ad huiuſmodi pœnam ſuſtinendam ordinauit. Et in hoc multi decipiuntur imaginantes, quod quandocunque nomen poſitiuum de aliquo prædicatur, quòd neceſſe eſt aliquid ineſſe illi, de quo pręadicatur, quod formaliter per pręadicatũ illud importatur, ſicut eſt de illis prædicatis, albũ, nigrũ, ſciẽs, virtuoſus, iuſtus, quod falſum eſt in terminis connotatiuis, qui nõ connotant aliquid vnum, vel ſi aliquod vnum cõnotant, tamen nõ id quod ineſt ſuo ſubſtrato, ſed quod infuit vel alteri ineſt. Vnde generaliter ad hoc quod terminus cõnotatiuus cõueniat alicui, ſufficit quod connotatum ſuum ſic ſe

habeat

habeat, ſiue in re illa ſiue in alia, ſicut per ipſum cõnotatur. Sicut ebrioſus dicitur formaliter ebrioſus, nõ ab aliquo ſibi inexiſtẽte, ſed ab actibus qui tranſierunt, etiam ſi nullum in eo habitum genuiſſent. Sic ad mortem iudicatus dicitur damnatus non ab aliquo ſibi inexiſtente, ſed à ſentẽtia qua ad mortẽ eſt ordinatus, quæ ſententia nihil in damnato produxit, quia potuit iudicari eo abſente & ignorante. Et peccator deſinit tunc quando qui prius propter peccatum commiſſum ordinatus fuit à Deo ad pœnam, nunc propter pœnitentiam ab eodem ordinatus eſt ad vitam, quæ tamen mutatio non dicit mutationem in Deo, ſed vel in pœnitente, vel in tempore vel in alia creatura. Nam de potentia abſoluta ſine mutatione peccatoris per ſolum lapſum temporis poſſet primò ordinari ad pœnam, deinde ad vitam, ſed ſecundũ potentiam ordinatam non fit peccati remiſſio niſi per infuſionem nouæ gratiæ, per quam realiter mutatur qui fuit peccator. Remanere autem peccatorem poſt actum tranſeuntem, nihil aliud eſt niſi ipſum à Deo volũtate ordinari ad pœnam condignam illi peccato. Et remitti ſeu deleri peccatum nihil aliud eſt, quàm ordinatum ad pœnam, iam non ordinari ad pœnam. Gab. vbi ſupra. Et ad deletionem peccati (vt dicit, & probat Scot. di. xiiij. q. j. ar. iij. lib. iiij.) regulariter requiritur pœna vel punitio voluntaria. Et peccator, vt ſcribit idẽ Gabriël di. xiiij. qu. ij. dub. j. poſt Alexandrũ parte iiij. qu. lxviij. membro. ij. ar. ij. Et Rich. diſt. eadem ar. ix. q. j. lib. iiij. Concordat beatus Thom. di. xvij. qu. ix. ar. iiij. lib. iiij. volunt illi quòd peccator ſemper tenetur ad peccati mortalis deteſtationem, non tamen pro ſemper, ſed pro aliquando etiam poſt peccati remiſſionem, tunc autem tenetur ſecũdum Alexan. & poſt eum Rich. quando pœnitens recordatur peccatorum ſuorum, quibus Deum offendit, de quo Gab. vbi ſupra. Cõſonat Iacobus de Valen. Pſalm. 6. qui dicit quod licet peccator egerit pœnitentiam perfectam de peccatis ſuis per contritionem & confeſſionem & ſatisfactionem, tamen tenetur ſemper dolere, flere & pœnitere quotieſcunque recordatus fuerit illius peccati. Nam ſi poſt actum pœnitentiam quis complaceret ſibi feciſſe illud peccatum, tunc rediret ſibi culpa, ideo ſemper tenetur dolere & pœnitere quandocunque recordatur. Vnde dicit Clemens in Itinerario ſuo quod B. Petrus ſemper flebat peccatum negationis Chriſti, quotieſcunq; recordabatur, intantum quod lachrymæ decurrentes ſulcauerant genas ipſius Petri. Hæc Epiſcopus vbi ſupra. Et vt dicit Scot. di. xiiij. qu. j. lib. iiij. Magni peccatores non ſtatim quando ſunt iuſtificati, habent illam pacem quam habent perfecti & exercitati in virtutibus, ſed pugnando contra inclinationem & habitus vitioſos, merẽtur & acquirunt ſibi habitum in contrarium. Et peccator quotieſcũque peccat, adulterium committit, furtum & homicidium, quia anima quæ in baptiſmo fuit Chriſto deſponſata, non ſeruat quod promiſit, & à Deo auertitur ad creaturam. Rapitque quod prohibitum eſt, facit enim contra legem & præcepta Dei. Committit & homicidium, quia occidit & odit animam ſuam in mortẽ æternam, qui diligit iniquitatẽ. De quo plura legere potes apud Chriſtopolitanum Epiſcopum Pſal. 50. expoſitione iij. ferè in principio. Et licèt peccator lędat proximum, tamen in primis offendit Deum, quia eius legem tranſgreditur & præuaricatur & violat & eius pręcepta contemnit, ex conſequenti lędit proximum inferendo, ſibi damnum in fama vel in bonis vel in perſona. De quo latiùs videre potes Iacobum de Valen. vbi ſupra. Et peccator ingens monſtrum eſt & horrendum, vt ſcribit Gerſo. tract. xj. ſuper cantico glorioſę virginis, qui ſecum diſſidet, qui conuenit nulli, qui diſſipatur & ſoluitur curis, & ſceleribus, facinoribus & flagitiis inceſſanter, ſine modo, ſine ordine, ſine pondere, mẽſura, vt ſubſiſtens, ſe odit in ſe, in ſe ſęuit, malus omnibus, peſſimus ſibi, & eò infœlicius quò deterioribus peccatis fuerit obnoxius à primo peccatore vſque ad vltimum, &c.

Peculium à pecore. Vnde apud maiores omne patrimoniũ dicebatur peculiũ, quia pecoribus vniuerſa eorum ſubſtantia conſtabat. Vnde ſecundum Seruiũ pecunia dicta eſt à peculio. Propriè autem ſignificat quicquid alicuius eſt labore & induſtria paratum & lucrifactum eſt, ſecundum Gab. di. xvj. q. iij. ar. iij. dub. ij. propoſitione v. lib. iiij. Peculium dicitur quaſi puſilla pecunia, ſiue patrimonium puſillum. Dicitur etiam aliquid quod filiusfami. acquirit viuente patre, ſub eius poteſtate exiſtẽs, ſiue illud acquirat à patre aliunde, & illud eſt quadruplex, ſcilicet, profectitium, aduentitium, caſtrenſe & quaſi caſtrenſe.

Peculium profectitium eſt quod ex rebus patris vel earum occaſione proficiſcitur, id eſt prouenit, vbi ex capitur largè, vt extendit ſe ad omne quod occaſione patris aut cauſæ proximę vel immediatè prouenit, vt eſt pecunia vel res aliqua patris filiofamiliàs à patre cõceſſa, & fructus vel lucrũ inde prouenien ſiue acquiſitum, & hoc ſine labore vel induſtria filij: puta, ſibi poſſeſſionem à patre datam alij locat colono pro certa parte crementi, aut pecunia mercatori, de qua habet lucrũ, quæ ſicut proueniũt; erunt profectitia. Sed pro parte quæ debetur operationi & induſtriæ lucrantis, erit aduentitium. Vnde omne lucrum quod prouenit ex perſona filij, in caſu eſt aduentitium. In peculio profectitio ad patrem pertinet & proprietas, & vſusfructus & nil iuris habet in eo filiusfamiliàs. Et ad nihil valet filio, niſi vt non publicetur in caſu, quo alia bona patris publicantur.

Peculium aduentitium dicitur quod à linea materna aduenit, dicit Palud. vel vt dicit Gab. vbi ſupra. eſt quod aliũde prouenit, vel ex donatione matris, amicorum, aut aliorum quorumcũque, nõ intuitu patris, aut acquiritur ex induſtria, aut prouenit ex euentu vel fortuna, non tamen occaſione militiæ, vel officij publici. latiùs Gabriël.

Peculium caſtrenſe eſt quod filiofamiliàs à parentibus vel aliis occaſione militiæ & non aliàs donatur, aut ipſe in militia acquirit, quod niſi militaret acquiſiturus nõ fuiſſet, quia quod in militia degẽti datum eſſet, vel acquiſiuiſſet; etiam in militia non degenti non pertinet ad peculium caſtrenſe. Gabr. Vide & de hoc Rich. diſt. xlv. art. iij. qu. iij. lib. iiij.

Peculium quaſi caſtrenſe dicitur quod filiusfamiliàs ex officio publico recepit, vt ſi fuerit aduocatus, medicus,

medicus, magiſter ſtudiorum liberalium artium, notarius, aut officialis, vel rector, qui ſalaria vel ſtipendia recipiunt publica, quod additur: quia quòd notarij communes acquirunt, non pertinet ad peculium quaſi caſtrenſe. Sed notarij dominorum & officialum deberent habere ſalarium de publico, & in hoc peculio filiusfamiliàs haber plenum dominium & proprietatem, ac etiam vſufructum, & cenſetur vt paterfamiliàs, & teſtari poteſt, & dare eleēmoſynam & ad vota diſponere. Pater quoque nihil iuris habet in eis. Hæc Gabri. Et copioſius illa in ſummis, ſeu apud legiſperitos inueniuntur. Et Richar. vbi ſup. Vide & Gerſonem parte j. tractu contra proprietarios regulæ. Augu. parte ij. vt dicit ſecundum Gerardum, Habere peculium non eſt habere principale dominium in re ipſa: ſed vt ſeruus ſub domino, ſub patre filius, ſub abbate monachus ex licentia ipſorum ſub quibus ſunt, & hoc nonnunquam conceditur, vt ſi habuerit officium aliquod, ſcilicet, vel eſt veſtiarius, vel eleēmoſynarius, vel theſaurarius, vel huiuſmodi, deſeruiens vtilitati communi Eccleſiæ, vt fidelis ſit & prudens diſpenſator, non quærens quæ ſua ſunt, ſed quæ omnium, &c.

Pecunia ſecundum Augu. lib. de doctrina Chriſtiana, & poſt eum ſcribit Gabr. diſt. xv. qu. xij. art. ij. lib. iiij. Omnia nomine pecunię intelliguntur quicquid homines habent in terra, omnia quorum Domini ſunt, pecunia vocatur, ſeruus, vas, ager, arbor, pecus, quicquid horum eſt, pecunia dicitur. Et ideo, quia antiqui quod habebãt, in pecoribus habebãt & habetur prima q. iij. totum. Omnia enim hæc in pecuniam reſoluuntur, & pecunia comparantur. Obediunt autem pecunię omnia, vt dicit Salomon, & alius dicit: Audito nummo quaſi quodam principe ſummo. Reſiliunt valuę, nihil auditur niſi ſalue. Pauci reperiũtur hodie à populo aurum ſpernẽtes, vt inquit Gerſon parte ij. in dialogo duorum militum Franci & Angli, &c.

Pes, pedis. Et pedes, vt ſcribit ſanctus Bonauen. in fine quarti lib. ſententiarum, ſuper Magiſtrum, qui in fine dicit. Hæc de pedibus ſedentis ſuper ſolium excelſum. Pedes poſſunt dici via vel opera finalia, quæ ſunt velata, ſicut illa quæ pertinent ad finem mundi, &c.

Penetratiuum dicitur quod penetrat. de quo vide in dictione *ſubtile*.

Per quandoque dicit circunſtantiam illius, cui primo competit habere eſſe vel nõ eſſe, & tale eſt eſſentia. Eſſentiæ enim primò competit eſſe, vel poteſt dicere circũſtantiam productionis, qua aliquid producitur ab aliquo, & qua accipit eſſe ab alio, ſicut in creaturis. Per, aliquando dicit circũſtantiam cauſę formalis. Aliquando circunſtantiam cauſę efficientis. Et iſto ſecundo modo ſupra poſito, vt dicit circunſtantiam productionis accipit Augu. cùm ait. Quod filius, quicquid habet naſcendo, habet à patre, & ita filius eſſe quod habet, accipit per generationem. Et vt ſcribit S. Bona. di. xxxij. q. ij. ar. ij. li. j. quando illa prępoſitio, per, iungitur verbo abſoluto, importat auctoritatem, vt cùm dicitur. Ille eſt bonus per illum, vel ſapiens vel potens. Cum verbo vero tranſitiuo importat ſubauctoritatem, vt rex poteſt per baliuum. Hæc autem (vt ipſe inquit eſt falſa, pater eſt potẽs per filiũ, hęc eſt vera, pater operatur per filiũ. Et per, ſecundũ Gab. di. xxxv. q. v. lib. j. poteſt dicere circunſtantiá cauſæ motiuæ, ſicut dicimus quod anima intellectiua intelligit per habitum tanquam per cauſam motiuam ſeu effectiuam. Vel ſecundò poteſt dicere circunſtantiam potẽtię cognitiuę, vel modum, vel rationem cognoſcendi, ſicut dicimus quod homo intelligit per intellectum. Sic capitur cùm quæritur, an angelus intelligit ſe & alia per eſſentiam ſuam, vel per ſpecies à rebus acceptas, vel à Deo infuſas, de quo Gabr. di. iij. qu. ij. lib. ij. Vel tertiò poteſt dicere circunſtantiam obiecti medij. Sicut dicimus quod intelligimus Deum in via per quendam conceptum ſibi proprium. Vel quartò impropriè poteſt dicere circunſtantiá obiecti, terminantis immediatè, ſicut dicimus quod videbimus Deum per ſuá eſſentiam, quia ipſa erit viſa in ſe & immediatè. Hoc modo capiendo, per, Deus intelligit omnia alia à ſe per ideas eorum, quia ideę ſunt obiecta cognita terminantia cognitionẽ diuinam alia à Deo. Aliis autem modis non cognoſcit per ideas, quia illę nec mouẽt intellectum, nec ſunt intellectus diuinus, nec obiectum medium inter Deum & alia à ſe cognita. Dominus præpoſitus Gabriel vbi ſupra.

Peregrinus dicitur aduena & aliena loca peragrans, à peragro. Et differt ab hoſpite, quòd peregrinus ſimpliciter ſignificat, qui in ſua ciuitate non eſt, hoſpes qui in aliena ciuitate eſt. Antiqui tamen peregrinos dicebant hoſtes. Ambro. Aduerſarios molli veteres appellatione nominabant: Hoſtes enim antiquo ritu peregrini dicebantur. Sumus & nos chriſtiani peregrini & aduenę, nec ciuitatem manentem habemus, ſed futuram vtinam inquiramus. vt hortatur magiſter Ioannes Gerſon part. ij. in dialogo duorum militum Franci & Angli. Et peregrina ſacra dicũtur, quę ex aliis vrbibus religionis gratia ſunt aduecta. Et peregrinor verbum deponens, ſignificat per aliena loca peragrãs proficiſcor, & nõ eſſe in patria. Vnde 2. Cor. 5. dicitur. Peregrinamur à Domino, &c.

Perfectio ſeu perfectum ſecundum Magiſtrum lib. ij. ſen. di. iiij. eſt triplex, ſcilicet, ſecundum tempus, ſecundum naturam, ſecundum perfectionis vniuerſalitatem. Secundum tempus, cui nihil deficit, quod ſecundum tempus illius ſtatim ſibi conuenit, ſic puer dicitur perfectus, licèt non habeat viri perfectionem. Secundum naturam, quod habet quicquid naturæ conuenit, ſecundum ſui capacitatem, ſic ſoli beati ſunt perfecti. Secundum vniuerſalitatem, quod eſt ſummè & ſimpliciter perfectũ. Prima eſt naturæ conditæ. Secunda eſt naturæ glorificatę. Tertia naturæ increatę. Et perfectio ſi ſimpliciter & abſolutè conſideretur, ſolus Deus perfectus & totus eſt, quia ſolus eſt cui ſimpliciter nihil deeſt, in quo, ſcilicet, omne illud eſt quod melius eſt eſſe, quàm non eſſe, vt dicit Magiſt. Ioan. Gerſ. tract. de perfectione cordis. Accipitur autem perfectio ſimpliciter capiendo, dupliciter, vt notat Gab. di. ix. qu. iij. lib. j. dub. ij. & di. vij. qu. iij. eodem lib. & di. j. q. j. ar. iij. lib. iij. Concordat Aliacenſis qu. vij. ar. ij. lib. j. Vno modo accipitur pro perfectione

quæ

quę eſt ſimpliciter ſumma & infinita, incōpoſsibilis omni imperfectione. Iſto modo relationes, & quicquid eſt in Deo, eſt ſimpliciter perfectū ſeu perfectio ſimpliciter. Nihil enim realiter exiſtēs in diuinis eſt imperfectū. Alio modo perfectio ſimpliciter dicitur, quod cōpetit cuilibet ſimpliciter perfecto, hoc eſt omni ſuppoſito ſimpliciter perfecto: & ſic nulla relatio in diuinis eſt perfecta ſimpliciter, nec tamē eſt imperfecta: quia nulla relatio cōpetit omnibus perſonis, nec filius eſt imperfectus cū nō ſit in eo perfectio, ſcilicet paternitas, quę eſt in patre, & tamen deficit ſibi aliqua perfectio ſimpliciter. Nā imperfectū illo modo nō eſt id quod caret aliqua perfectione ſimpliciter, ſed nō eſt ſummū & infinitū. Nūc autē filius eſt ſummus & infinit⁹, & ita nō eſt imperfect⁹. Vide latiùs Gab. d. vij. vbi ſup. Et vt idē dicit li. iij. vbi ſup. Licèt omnium perſonarū ſit vna perfectio eſſentialis, ſunt tamē etiā diſtinctæ perfectiones notionales, ſicut diſtinctæ relationes.

Perfectio attributalis dupliciter accipitur. Vno modo pro ipſa re quæ eſt perfecta ſimpliciter, ſicut eſt eſſentia, quę eſt ſimpliciter perfectio, vt dictum eſt, quoniā nullā includit imperfectionē eſſentialiter, nec neceſſariò aliquā imperfectionē annexā habet. Sic eſſe perfectū omni creaturę repugnat: nā omnis creatura neceſſariò depēdet à creatore. Depēdere autem ab alio, imperfectionis eſt. Accipitur impropriè pro cōceptu vel ſigno rem ſimpliciter perfectā ſignificāte, videlicet ad quē nō ſequitur de quo prædicatur eſſe imperfectū, vt hæc dictio ſapiēs, bonum, viuēs, &c. & huiuſmodi, quę cōueniunt tā Deo quā creaturę. Et horū terminorū quidā ſunt abſoluti & affirmatiui, qui videlicet nō importāt reſpectū ad creaturā. Sic enim frequēter accipit Occā abſolutū, pro nō relatiuo, & connotatū pro relatiuo, vt intellectus, volūtas. Aliqui ſunt cōnotatiui & affirmatiui, id eſt importāt diuinā eſſentiā reſpectiuè ad creaturā, vt creatiuus, creās, prędeſtinās. Quidā ſunt negatiui, vt incorruptibilis, immortalis, immutabilis. Hæc Dominus Præpoſ. Gab. d. ij. q. ij. lib. j.

Perfectio ſimpliciter variè à diuerſis deſcribitur vel ſumitur. Vnde ſecūdum Anſelm. Perfectio ſimpliciter eſt illud, quod in vnoquoq; melius eſt ipſum, quàm nō ipſum. Aliter deſcribitur à Domino Cardinali Cameraceñ. quæſt. xiij. artic. iij. libr. j. Perfectio ſimpliciter, eſt perfectio vel res ſignificata per aliquem terminum, quem nō ſtat ab aliquo remoueri, & illud eſt ſummum bonum: talem enim terminum voco (inquit) denominationem perfectionis ſimpliciter.

Perfectio ſecundum quid, ſtrictè ſumēdo poteſt deſcribi (vt idem Aliaceñ. ait) quod eſt perfectio vel res creata, ſignificata per aliquē terminū, quem non ſtat ab aliquo remoueri, & illud eſſe & nō eſſe minus perfectum, quàm illud per illum ſignificatum. Talem autem terminū ſic ſignificantē voco denominationē perfectionis ſecundū quid. Verbi gratia: de primo: vita in Deo eſt perfectio ſimpliciter: & iſte terminus vita, eſt denominatio perfectionis ſimpliciter. De ſecūda verò: vita creata eſt perfectio ſecundū quid: & iſte terminus vita creata, eſt denominatio perfectionis ſecundū quid. Et ſecundū iſtū modū ſola diuina perfectio eſt perfectio ſimpliciter: perfectio autē creata cōſimilis denominationis perfectionis diuinę, eſt perfectio ſecundum quid.

Perfectio creaturæ ſaltem eſſentialis, & non partialis, non diſtinguitur à creatura. Poſſet hoc probari, quia quęlibet creatura eſt perfecta ſaltem in ſuo genere: ſecundū illud Geñ. i. Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona. Et dicitur notanter, eſſentialis & non partialis, quia virtus eſt perfectio hominis accidentalis: & perfectio ſubſtantialis eſt perfectio hominis eſſentialis, & tamē diſtinguitur ab homine. Ex illo ſequitur, quod idem eſt dicere, perfectionem creaturarū contineri in Deo, & creaturam contineri in Deo. Creaturę autem & earum perfectiones cōtinentur in Deo obiectiuè virtualiter & eminenter, quia cognoſcūtur à Deo & producuntur: & Deus eſt illis perfectior. De quo conſulas latiùs Gab. d. xxxvj. q. vnica, lib. j.

Perfectio Chriſtiana (vt ſcribit Gerſon parte ij. ſer. ad Eccleſiaſticos facto in cœna Domini, qui incipit: Tradidit itaq; Ieſum Iudas, &c. conſiderat. iij.) eſt Dei dilectio, in qua qui feruentior eſt hæc, & perfectior iudicatur. Et vt ait Guido Carthuſieñ. vt eū refert Gerſ. par. ij. in procœmio de cōtractibus. Rationalis creaturæ vera perfectio. eſt vnamquamq; rem tanti habere quanti habenda eſt: ſicut pluris eſt anima quàm eſca, fides & æquitas quàm pecunia, &c. Quinq; autem perfectionis genera conſueuerunt diſtingui, vt ſcribit S. Bona. d. xxx. q. iij. lib. iij. Primum eſt perfectio ſufficientiæ, quæ conſiſtit in adimpletione mandatorum. Et de hoc Matth. 5. Eſtote perfecti ſicut pater veſter cœleſtis perfectus eſt. Secundū, eſt perfectio religionis, quæ conſiſtit in obſeruātia cōſiliorum. Et de hoc dicitur Mat. 19. Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, &c. Tertiū, eſt perfectio prælationis, quæ conſiſtit in regimine ſubditorum. Et de hoc dicitur Lucæ 6. Perfectus omnis erit ſi ſit ſicut magiſter eius. Quartum, eſt perfectio operationis, quæ cōſiſtit in oſtenſione exemplorum. Et de hoc dicitur Geñ. 6. Noë vir iuſtus atq; perfectus in generationib⁹ ſuis. Quintū, eſt perfectio tranquillitatis, quę cōſiſtit in cōſummatione difficillimorū & optimorū. 1. Ioā. 4. Perfecta charitas foras mittit timorem. Et Philoſophus dicit, quod perfecta virtus optimorū eſt operatiua. Ad primā perfectionem, ſcilicet ſufficientiæ obligatur omnes tam perfecti q̄ imperfecti. Vide latiùs Bona. Et ſumma perfectionis (vt inquit Gerſ. par. ij. In ſer. de verbis Do. Venite ad me omnes qui laboratis) conſiſtit in māſuetudine & humilitate. De ſtatu perfectionis vide infra in dictione *Status*.

Perfectio rei eſt duplex, vt ſcribit Rich. d. xxx. art. ij. q. ij. li. iiij. Quædā in eſſe primo, quædā in eſſe ſecūdo. Prima in hoc conſiſtit, q̄ res habet omnia quæ pertinēt ad eius eſſentiā. Secūda cōſiſtit in quibuſdā perfectionibus nō pertinētibus ad eſſentiā. Primo modo fuit perfectū matrimoniū inter Mariā & Ioſeph, nō ſecūdo, quia nō ita perfectè ſignificauit indiuiſibilē vnionē Chriſti & Eccleſię, & humanę naturę cū diuina perſona, ſicut matrimoniū cōſummatum, &c. Et perfectū ſecundū Guil. Scoti. d. xxxvj. li. j. eſt cui nihil deeſt: ſic etiā totū quādoq; accipitur ſecundū Gab. d. xxvij. q. vnica, lib. j. h. iij. Et dicitur tripliciter perfectū, ſecundū Ariſtot. 5. Meta. Vno modo dicitur perfectum ſecundū eſſe, ſcilicet cuius nihil eſt extra accipere: ſic homo dicitur perfectus,

cui nõ deeſt aliqua pars hominũ debita. Et poſſumus loqui vel de perfecto ſimpliciter, vel ſecundũ quid, ſcilicet in genere. Si ſimpliciter, ſic ſolus Deus dicitur perfectus hoc primo modo: quia ſolus eſt cui nihil deeſt, ſed habet omnia bona aut formaliter, aut eminẽter, aut exẽplariter, aut virtualiter. Si autẽ ſecundũ quid, ſic homo dicitur perfectus, quãdo ea habet quæ requirũtur ad eſſe perfectũ hominis, & nil de his ſibi deeſt. Secundo modo perfectũ dicitur ſecundũ virtutẽ, ſcilicet q̃ habet virtutẽ in eſſe cõpletam, & nõ deficit, ſed habet intantũ quod non exceditur ab aliquo in tali virtute. Et ſic etiã ſi loquimur ſimpliciter: Solus Deus dicitur perfectus, ſi ſecundũ quid, dicitur iſte Medicus perfectus vel Grãmaticus: & qui habet talẽ artẽ ſine defectu illius artis, intantũ quod à nullo in tali arte exceditur. Et iſte modus quãdoq; ſolet ad mala transferri, vt cũ dicimus: Iſte eſt perfectus latro, iſte eſt perfectus deceptor: ſicut bonus latro, &c. Vel propriè ſecundũ ſpeciẽ propriæ virtutis dicitur perfectum quod in nullo deficit: hoc eſt cùm nihil eorũ deficit quę ſibi cõpetere debẽt. Sic perfecta obſeruatio charitatis (vt inquit Gab. vbi ſupr.) eſt Dominũ Deũ ex toto corde diligere: quæ quidẽ perfecta obſeruatio præcepti charitatis, dupliciter poteſt intelligi. Vno modo dicitur illa perfecta, quę ſufficit ad ſalutem. Alio modo dicitur perfecta, quę excludit omnem imperfectionẽ, nedum oppoſitũ ſaluti, ſed etiã aliquo modo retardantẽ vel impedientẽ: vt peccata venialia. Sic Deũ diligere ex toto corde, ex tota anima: eſt Deũ diligere perfecto corde, perfecta anima. Et quicunq; habet gratiã gratũ facientem, diligit Deũ ex toto corde, & tota anima, &c. actu vel habitu, etiã ſi fuerit infans nouiter baptizatus. Nullus autẽ peccato mortali obnoxius Deum ex toto corde diligit, quia nõ habet gratiam, quæ neceſſaria eſt ad ſalutẽ: & ibi totũ valet, id eſt perfectũ. Nam & ſecundũ Philoſ. 5. Meta. idẽ eſt totũ & perfectũ. Vide plura Gab. di. xxvij. lib. iij. Tertio modo dicitur perfectum ſecundum finem, ſcilicet quod eſt aſſecutum ſuum finem, ad quem ordinatur: ſicut homo bonus dicitur perfectus, quando adeptus eſt ſalutẽ. Et ſic etiam perfectum ſolet quãdoq; transferri ad mala, dicendo: hoc eſt perfectè perditũ vel corruptũ. Dominus Præpoſ. Gabr. Guil. Scotiſ. & frater Pelbar. Et per oppoſitũ dicitur imperfectũ.

Perficere capitur dupliciter, vt ſcribit Bruleſ. d. xvij. q. j. li. j. Vno modo effectiuè, & ſic Deus perficit me, dãdo mihi vitã, vel effectiuè vita mea. Alio modo formaliter, & ſic anima mea corpori meo dat vitã, vel eſt vita corporis formaliter. Illo modo charitas perficit creaturã rationalẽ, & diſtinguẽs, & diſponẽs ad vitã æternã. Vnde Aug. Sola charitas eſt quę diſtinguit inter filios regni & perditionis. Eſtque perficere, abſoluere. A quo perfectè aduerbium, hoc eſt abſoluiè, integrè.

Perfidia, eſt fidei violatio. Et perfidus pen. cor. eſt fi-(dei violator.

Periculũ interdũ ſignificat ſalutis diſcrimẽ. Vnde eſt illud Eccleſ. 3. Qui amat periculũ, peribit in illo. Et deuitare pericula ſemper tutiſsimũ eſt, vt vult Gerſ. par. iij. trac. de diuerſis tẽtationib. diaboli. Sic periculũ venit à pereo, is. Vnde periculor, à quo periclitor, q̃ eſt periculũ ſubeo. A quo periculoſus, a, um, quod eſt cũ periculo, id eſt pernicioſum. Et aliquid

P E

dicitur periculoſum dupliciter, vt ſcribit S. Bona. d. xxxix. q. j. li. iij. Aut quia periculi cauſa, aut quia periculi occaſio. Vnde iurare per Deũ dicitur periculoſum eſſe, non quia cauſa periculi: poteſt enim eſſe meritoriũ & bonũ, ſed quia occaſio periculi in eo qui nõ diligẽter obſeruat qualiter iurat. Quandoq; periculũ idẽ eſt quod experimentũ. Teren. *Fac periculũ in literis*. Et dicitur experimentũ, quia rarò tentamentũ eſt ſine periculo. Sic venit ſecundũ Seruiũ ab antiquo verbo perior, iris, cuius cõpoſitũ eſt experior, quod magis in vſu eſt. A quo peritia & peritus. Dicũtur aũt periti, docti & experti. Sicut ecõtra imperiti, indocti, inexperti. Cuilibet aũt experto in ſua arte vel ſciẽtia (vt dicitur) magis credendũ eſt q̃ idiotis & inſciis, ſicut medicis, phyſicis naturalibus, phyſicis moralibus & theologis expertis magis credendũ eſt q̃ imperitis, vt & vult Gerſ. par. j. trac. cõtra ſuperſtitioſam dierũ obſeruationẽ. Nec (vt ibid. dicit) oportet ſatagere ad reparationẽ ſubtilem per principia p̃dictatũ ſcientiarũ cõtra tales inexpertos, quia nec intelligerent nec aſſentirẽt. Si aũt credere nolũt edoctis gratis, errãt, & vltrò ſeſe ſeducũt, inquit Gerſ. Plura ibi agit contra ſuperſtitioſos, &c.

Periuriũ tripliciter accipitur, vt ſcribit Gab. d. xxxix. q. ij. ar. j. li. iij. ſcilicet ſtrictiſsimè, propriè, & cõmuniter ſiue largè. Strictiſsimè accipitur pro iuramẽto quo ſciẽter falſum iuratur. Strictè ſeu propriè accipitur pro iuramẽto quo ſciẽter vel ignorãter iuratur falſum, aut doloſe verũ, vel quod vergit in deteriorẽ exitũ. Cõmuniter vel largè accipitur pro quolibet iuramẽto in quo deficit aliquis trium comitũ, veritas, iuſtitia, vel iudicium. Primo modo accepit Magiſt. d. xxxix. li. iij. cũ diffinit ſic: Periurium eſt mendaciũ iuramẽto firmatũ. Mendaciũ aũt, vt aliàs dicitur, dicit falſitatẽ ſermonis & intẽtionis. Tertio modo accipit S. Hiero. ſuper Iere. vbi enumeratis tribus comitibus, ſubdit: Si iſta defuerint, id eſt veritas, iuſtitia vel iudiciũ, nõ erit iuramentũ, ſed periuriũ. Secũdo modo accipit Aug. in de verbis Apoſt. ſer. xxviij. vt recitat Magiſ. dũ ait: Meli⁹ creditur & ille peierare qui falſum volũtate fallẽdi iurat, & qui falſum putãs, quod verũ eſt iurat, & qui verũ putãs, q̃d falſum eſt iurat. Et ſecundũ Brule. d. xxxix. q. j. li. iij. periuriũ eſt temerariũ & inordinatũ iuramentũ: & venit à peiero, quod eſt iuramentũ infringo. Vnde peierator & peieratrix, peieratio deducũtur.

Periuriũ cõmittitur ſextupliciter. Primo, dũ ſciẽter iuratur falſum. Secũdo modo, dũ doloſe iuratur verũ quod putatur eſſe falſum. Tertio, dũ ignorãter iuratur falſum quod creditur eſſe verũ. Quarto, dũ nõ ſeruatur promiſſum iuramẽto firmatũ. Quinto, dũ iuratur illicitũ, vel quod vergit in deteriorẽ exitũ. Sexto, dũ iuratur indiſcretè. In primis quatuor modis deficit veritas, in quinto iuſtitia, in ſexto iudiciũ. Et verũ periuriũ nõ ſemper accipitur vt includit omnes illos 6. modos. Vnde & tripliciter ſumitur periuriũ, ſcilicet ſtrictiſsimè, p̃priè & largè, vt dictũ eſt. Strictiſsimè accipiẽdo cõprehendit tantũ primũ modũ. Strictè ſeu propriè extẽdit ſe ad. 5. modos, hoc eſt ad omnes pręter vltimũ. Largè accipiẽdo cõplectitur oẽs modos. Gabr. d. xxxix. q. ij. li. iij. Et ad hoc genus periurij (vt ſcribit Gerſ. par. ij. in Tripart. de pręceptis decalog. ca. vj.) reducitur votorũ fractio, fœderis, & ſolutio fidei matrimonialis, & generali-

ter infi-

ter infidelitas, qua in alteri' prẹiudiciū ſecretū illius
reuelatur, ſiue per cōfeſsionē ipſius, ſiue alio modo
ſecreto cognitū. Lege nanq; diuina & naturali ſe-
cretū teneri debet quod in ſecreto acceptū eſt, niſi
alia via fuerit ſibi detectū. Nullū autē periuriū ſex
ſpecierū (vt ſcribit Gab. art. ij. vbi ſup.) eſt crimen
mortale dū fit indeliberatè & ex ſurreptione. Nul-
lus enim actus indeliberatus eſt culpabilis aut me-
ritori': ergo nec periuriū. Propter hāc cauſam ſi fa-
tuus vel furioſus peierat, non peccat. Vnde ſicut ad
actū meritoriū requiritur deliberatio, alioquin nō
eſſet virtuoſus nec humanus, ita & ad actus deme-
ritorios requirit deliberationē. Non enim pronior
eſt Deus ad puniendū q̄ ad prẹmiandū. Sic actus iu-
rādi poteſt fieri deliberatè vel indeliberatè. De quo
lati' vide apud Gab. Sed hīc diligēter cōſiderandū,
q̄ ly indelibaratus, priuat tam deliberationē forma-
lem q̄ interpretatiuā, vt idē dicit Gab. Vnde qui ex
peſsima cōſuetudine ferè ad ſingula verba iurāt per
Chriſti mēbra, nullā faciētes diligētiā ad remouen-
dū hāc malā conſuetudinē, nō puto (inquit Gab.)
excuſari. Similiter in iuramētis cū ſolēnitate factis
indeliberatio & ſurreptio locū habere nō poteſt, vbi
ꝓpter deliberationē tot adhibētur ſolēnitates. Sed
omne periuriū altero primorū duorū modorū cum
deliberatione factū, eſt peccatum mortale: quia in
vtroq; modo inducitur ſumma veritas in teſtimo-
nio creditæ falſitatis, quo grauis irreuerētia Dei ir-
rogatur: ergo peccatū mortale. Omnis enim talis ir
reuerētia eſt cōtra præceptū. Et dicitur, cū delibera-
tiōe: quia ſi quis (vt dictū eſt) dictis modis iuraret,
nō aduertēs ſe iurare, nec intēdens Deū in teſtē ſuę
falſitatis inducere, nō eſſet peccatū criminale. Periu-
riū autē tertij modi quo iuratur falſum creditū eſſe
verū, à mortali excuſatur: ſi nō fuerit de certitudine,
& magis id quod iuratur q̄ eius oppoſitū verū eſſe
credatur. Vnde Aug. ſer. xxviij. in de verbis Apoſt.
Putās hoc verū eſſe quod falſum eſt, & temerè iu-
rat, & ſequitur: reā linguā nō facit niſi rea mēs, quia
ergo mēs huius nō fuit recta, neſciebat enim falſum
eſſe quod iurat eſſe verū: nec temerè, nec negligēter,
ſed cū magna diligētia videbatur ſibi deprehendiſſe
verū quod iurauit falſum: periurij reus nequaq̄ eſt
iudicādus. Et dicitur, de certitudine: quia ſi certior
fact' eſſet, nō excuſatur à mortali: vel ſi iurat cōtra
conſcientiā, tūc peccat. Vide latiùs ibi Gab. & Sco.
Periuriū verò quarti modi nō excuſatur à crimine
mortali, dū nō adſunt cōditiones in quolibet iura-
mētō ꝓmiſſorio intellectæ: nō enim perficiēs q̄ iu-
rauit, ad quod ſe facturū Deū teſtē exhibuit, quãtū
in eo eſt, facit Deū mendacē, & ita irreuerentiā Deo
facit: & per cōſequēs mortaliter peccat, & immedia-
tè ſe auertit à fine vltimo, & ita nihil deficit ibi de
ratione mortalis ſi deliberatè fiat. Sed qui quinto
modo peierat, mortali crimine peccat. Omnis enim
talis eò q̄ iurat ſe peccaturum aut acturum id quod
vergit in deteriorē exitū, Deū vult eſſe teſtē & vin
culū iniquitatis ac iniuſtitiæ, aut impeditorē perfe-
ctionis & maioris boni: hoc autem eſt irreuerentiā
Deo irrogare: & per cōſequens mortaliter peccare.
Periuriū verò ſexti modi q̄ fit per indiſcretionem,
quādoq; habet, quādoq; excludit mortale crimen,
quia tale iuramentū fit omiſsis quibuſdā circūſtan-
tiis requiſitis ad licitū iuramentū. Harū aūt omiſsio
quādoq; eſt cōtra præceptū nō abrogatū, & tūc eſt

mortale: quādoq; cōtra conſiliū, & tūc eſt veniale.
Nec ꝓpterea ioc' nec coactio poterit à mortali iuran-
tē excuſare in periurio, q̄ his excluſis eſſet mortale:
quia coactio nō poteſt fieri niſi per metū, ſed nul-
lus metus excuſat peierantē à mortali peccato. Nec
ioc' excuſat à periurio: quia qui ioco ſe iurat, delibe
ratè tamen, nō vitat irreuerentiā Dei, ſed quantū ad
aliqd magis auget, vt vult S. Tho. ij. ij. q. xcviij. ar. iij.
Magis enim irreuerētur perſonā grauē qui eā in cau
ſa vili inducit in teſtē, q̄ ſi hoc faceret in cauſa mag-
na: puta, magnā vtilitatē cōferentē, vel damnū mag
nū cauentē. Peierare aūt in ioco, eſt Deū adducere in
falſum teſtē in cauſa leui & vili, ſcilicet ioco: ergo.
Hinc dicit Mag. Ioā. Gerſ. in ſuo Tripar. c. iij. Nō pa
titur ludū fama, fides, ocul': alij addūt, & mulier, &c.

De grauitate periurij. Tho. j. quodli. art. xviij. tenet
periuriū eſſe grauius peccatū q̄ homicidiū: & alludit
Mag. Ioā. Gerſ. par. j. de error. circa prẹcep. Nō occi
dēs: quia eſt immediatè cōtra Deū & prẹceptū pri-
mę tabulę: ſed homicidiū immediatè eſt cōtra pro-
ximū. Cędit inſuper in ſubuerſionē grauiorē totius
reipub. dū vinculū eius quod eſt iuramentū, rumpi
tur & diſſoluitur. Vnde iuramentū eſt omnis cōtro-
uerſię finis, ſecundū Apoſt. Porrò ſi perdet Deus om
nes qui loquūtur mendaciū, ita q̄ nulla adiectione
poteſt licitū fieri: quid de periurio cenſebimus iudi-
candū? vt ſcribit Gerſ. vbi ſup. Itē periurare nomē
Dei videtur quędam diuini nominis denegatio, vt
vult Tho. vbi ſup. & eū refert Domin' Prẹp. Gab.
d. xxxix. q. ij. li. iij. Vnde ſecundū locum poſt ido-
latriā, peccatū periurij tenet: nec obſtat vt peccatū
homicidij grauius punitur, quia in iudicio humano
quātitas pœnæ nō ſemper reſpōdet quātitati culpę.
Interdū enim infligitur maior pœna pro minori cul
pa, quādo grauius nocumentū imminet hominibus
aut reipub. ex minori culpa: Hæc Tho. Aliter ſentit
Rich. de Media Villa in iij. d. xxxix ar. iiij. q. j. q̄ ho
micidiū eſt grauius peccatū q̄ periuriū, quia tantò
grauius eſt peccatū, quātò cōtrariatur directè maio
ri virtuti & actui digniori, ſed periuriū eſt directè
& immediatè cōtra actū virtutis latriæ: quia iurare
eſt actus latriæ, homicidiū eſt directè & immediatè
cōtra charitatē, ratione actus ſecundarij charitatis,
qui eſt diligere proximū. Tertiū eſt autē q̄ nobilior
actus eſt proximū ex charitate diligere, q̄ verū ex
legitima cauſa iurare. Sicut charitas eſt virtus nobi-
lior quā latria. Eſt tamē adulteriū maius periurio,
quū corrūpit ordinē digniorē. Dignior eſt enim or-
do hominis immediatè & directè ad Deū, q̄ ille qui
eſſe debet ad proximū & ad Deū proximo media-
tè. Vide de hoc latiùs Dominum Præpoſ. Gab. poſt
Richar. Eſt & periuriū maius peccatū q̄ furtū: quia
maius eſt adulterio, quod grauius eſt furtò. Vide &
Gab. qui & ſoluit rationes Tho. De grauitate per-
iurij ſic ſcribit Magiſ. Ioā. Gerſ. in Tripart. de præ-
ceptis decalo. ca. vj. Valde, inquit, graue peccatū eſt
periuriū cū Deus aſſumatur tanq̄ teſtis falſitatis: &
qui artificioſe iurat, falſum artificioſe deierat, quan-
quā enim pro loco & tēpore conuenienter veritas
poſsit ſubticeri, nō tamē dici falſum ſciēter, & per-
iurium cōmitti. Peccant etiam grauiter cōtra præ-
ceptum: Non iurabis per nomen Dei tui in vanum
& ſine cauſa, qui turpia faciunt iuramenta Deum
blaſphemantes, & animas ſuas iurando dæmoni-
bus deuouentes, quique de humanitate Chriſti,

& ſanctis inhoneſtè loquũtur. Contra quos omnes ſic periuros & blaſphemos ſtatutę ſunt leges puoitiuæ, tam à terrenis Principib⁹, quàm à Prȩlatis Eccleſiaſticis. Vnde dolendũ eſt (inquit Magiſt. Ioan. Gerſon) quod propter negligentiã ipſorũ ad quas pœnas exequi pertinet, non ſortiuntur effectum. Multum verò diligẽter (vt idẽ dicit) præmiſſa deberẽt attẽdere hi qui cauſa lucri de facili iurãt, quemadmodũ mercatores & mercatrices. Illi etiam qui abſorpti ſunt paſsione aut ebrietate in ludis frequenter inhoneſtis ſiue prohibitis, vt eſt taxillorũ ludus, enormiter iurãt. Et generaliter quicũq; perverſa cõſuetudine aut inclinatione præuenti, iuramentũ emittũt: in talibus quippe perſæpè periuriũ cõmittitur, propter quod etiã tales aliqui peiores ſunt in hoc Saracenis aut Iudæis, & minus Deũ honorãtes. Magiſt. Ioan. Gerſ. Quo fit vt perrarò iurandũ eſt, & nõ, niſi quando neceſsitas occurrit, & quãdo cæterę circunſtãtię aſſunt, iurandũ eſt, & iurari poteſt cũ merito. Sed quia rarò cõcurrunt omnes circunſtãtiæ requiſitæ ad licitũ iuramentũ, ideo nõ eſt frequentandũ. De quo videas Dominũ Prępoſitum Gabr. dub. vlt. di. xxxix. quæſt. ij. lib. iij.

Permiſsio multis modis dicitur in ſcriptura, vt ſcribit S. Bona. d. xlvij. q. ij. lib. j. & d. xxxiij. art. iij. q. ij. lib. iiij. & Gerſ. de vita ſpirituali animæ, lect. v. in principio. Primò permiſsio dicitur nõ cohibere & nõ impedire cùm poſſet. Et hoc modo eſt ſignũ voluntatis diuinę diſtinctũ cõtra præceptũ: ſic Dominus permittit mala, quia non cohibet: & ſic dicitur Dominus permittere, quia nec præcipit, nec prohibet, nec cõſulit fieri, ſed indulget, & eſt ſignũ voluntalis Dei, quia aliquẽ actũ ſignificat in ſic permittẽte, vt dicit Dominus Cardinal. Camerac. q. xiiij. ar. j. lib. j. Sed ſic nõ vult mala culpæ. Deus autẽ ſecundũ Aug. & ſcribit poſt eum Stephanus Bruleſ. d. xlv. q. vlt. lib. j. nihil mali permittit, quin aliquid boni ex hoc eliciat: ſicut permiſit Petrũ cadere vt eſſet humilis, nec de ſuis cõfideret viribus. Itẽ aliquos qui in iuuentute fuerunt caſti, propter ſuperbiã in ſenectute permittit cadere vt humiliẽtur, & cognoſcãt ſe Dei gratia eſſe quod ſunt. Bruleſ. Alio modo permiſsio vel permittere, eſt nõ punire temporaliter: & ſic dicitur libellus repudij permitti. Math. 21. Moyſes ad duritiã veſtrã permiſit. Sic & Deus mala permittit, quia nõ punit in iniuſtis. Itẽ permittere eſt nõ prohibere. Pſal. Iraſcimini & nolite peccare. Gloſſ. permittit quod neceſsitatis eſt, nõ prohibet. Non eſt autẽ idem, prohibere, & non poſſe prohibere, vt dicit Bruleſ. di. xlvij. q. ij. libr. j. Poſsibile enim eſt Deo peccatores cohibere ne peccent, & tamẽ nõ facit. Itẽ permittere, eſt minus bonum indulgere. Sic Apoſtolus permittit minus bonum, quia nõ pręcipit maius bonũ: ſicut virginibus nubere permittit. Et ſuper illud 1. Corinth. 7. Hoc autẽ dico ſecundũ indulgentiã. Gloſſ. permittit. Dicitur etiã permitti aliquid, nõ quia iudicetur faciendum, aut quod nõ denuntietur per leges & ſtatuta puniendũ, ſed quia de facto non exequuntur leges punitiuæ cõtra delinquẽtes tales, ne deteriorẽ exitum res habeat, vt inquit Magiſter Ioan. Gerſon de vita animę vbi ſupra. Hoc modo tolerantur quandoq; hæretici & ſchiſmatici, & alij inter Chriſtianos, dum ſciſſura deterior ex eorundẽ determinatione veriſimiliter timeretur. Itẽ aliquis dicitur aliquid permittere fieri, vt ſcribit Dominus Cardinal. Camerac. vbi ſupra. quia nec habet velle, nec habet nolle vt fiat, ſed ſolũmodo velle: & talis permiſsio (vt idẽ ait) non eſt ſignũ diuinæ voluntatis, quia nullũ actum volendi ſignificat in ſic permittẽte, vt patet. Et iſto modo ſecundũ Magiſt. Deus permittit mala culpæ, quia nec vult ea fieri, nec vult ea nõ fieri: quia ſi nollet, nõ fierent: ſed ſolũ non vult: & per cõſequens nõ habet actũ volũtatis reſpectu huius quod eſt malũ culpæ fieri. Et permittere malũ (vt ſcribit S. Bonauen. di. xlvij. q. iij. lib. j.) eſt dupliciter. Aut nõ cohibendo manũ vel animũ, nec in facto, nec in retributione, & ſic conſentire eſt. Vel non cohibendo manũ, ſed tamen puniendo tranſgreſſorẽ, & arguẽdo cõtinuè, & ſic nõ cõſentit: & hoc modo Deus permittit, & nõ cõſentit. Permiſit inſuper ſecundũ Aug. de lapſu mundi, Deus plures eſſe malos, quia ſi pauci eſſent, nõ auderẽt exercere bonos. Permittit etiã nõ quia non puniat, ſed quia non impedit ea fieri, cùm id vtrunq; poſſet, inquit Gerſ. vbi ſup. quanq̃ hoc iuſtiſsimè faciat eliciendo ex his malis bona, ſecundũ potentiſsimã ſapiẽtiam attingentẽ à fine vſq; ad finẽ fortiter, & per inſcrutabilem abyſſum iudiciorum ſuorum, &c.

Perplexus dicitur titubans vel hæſitans, vel dubius, quaſi ſcrupuloſus, quæ via ſit rectior, vel melior, vel timẽs quãcunq; viam amplectetur, ipſe peccare ſe arbitratur. Et licèt (vt ſcribit Sco. li. iiij. d. xxj. q. ij. in fine li. iiij. & d. v. q. iij. li. iiij. & d. xxxix. li. iij. & Gerſ. optimus ſcrupuloſæ cõſcientię conſolator par. ij. in cõpen. Theol. de natura & qualitate conſciẽtię) nullus perplexus eſt ex lege diuina & eccleſiaſtica ſiue Chriſtiana, vt ſcilicet faciẽdo aliquid vel nõ faciendo, peccet mortaliter, quod videtur dicere perplexũ: poteſt tamẽ aliquis eſſe perplexus ex cõſciẽtia erronea ad tẽpus in actu aliquo vel caſu quãdiu cõſcientia talis manet: quã ſi depoſuerit, poteſt liberari, inquit Gerſ. Quare neceſſe eſt (vt vult Gabriel d. iiij. q. ij. ar. iij. dub. iiij. li. iiij.) erroneã conſcientiã deponere. Nã qui agit cõtra cõſcientiã etiã erroneã, peccat. Amoueat ergo conſcientiã erroneã qua putauit ſe irregularẽ vel homicidã cũ nõ fuit: quãuis ſtãte erronea cõſcientia tenetur ſe tenere talem, ſed amota nõ oportet diſpenſationẽ quærere, quia nunq̃ fuit irregularis vel homicida: & loquitur de baptizatore in caſu, qui firmã haberet conſciẽntiã de acceleratione mortis pueri infirmi per baptizationẽ eius, quare dimittat cõſcientiã erroneã, quomodo nõ multũ nocet infirmo parũ aſpergi in capite. Vide caſum latiùs apud Gab. poſt Scotum.

Per ſe notũ nõ primo modo conuenit rei, ſed propoſitioni, vt habet Occã, & poſt eũ Petrus Aliaceñ. q. iij. cõtra Greg. d. ij. q. j. ar. j. Vide & ad hoc Gabr. d. iij. q. iiij. li. j. Vnde propoſitio per ſe nota, breuiter ſic deſcribitur: Eſt ꝓpoſitio neceſſaria nota ex terminis ſuis propriis ex quib⁹ cõponitur, intelligẽdo per terminũ cognitionẽ mẽtis, vel ſibi ſubordinatũ: per terminum neceſſarium excluditur propoſitio cõtingens, per illud quod ſequitur propoſitio dubitabilis: & illa propoſitio quã nos formamus: Deus eſt, pro ſtatu illo non eſt per ſe nota, quia eſt dubitabilis: dixit enim inſipiẽs, nõ eſt Deus: ſed quã format beatus cognoſcẽs diuinã eſſentiã in ſe: propoſitio eſt per ſe nota, quia beatus eã formans, neceſſario ei

rio ei aſſentit. Gab. poſt Petrū Aliac. & Oytā. ar. ij. vbi ſup. Vide & ſupra litera N. quid ſit per ſe notū.

Perſeuerantia dicitur tripliciter, vt ſcribit S. Bona. d. xxxvj. q. j. lib. iij. & d. xxix. art. iij. q. j. lib. ij. Vno modo dicitur perſeuerantia voluntas perferēdi paſſiones ſine defectione: & ſic eſt ſpecies fortitudinis. Alio modo dicitur perſeuerātia propoſitū perſeuerandi in bono vſq; in finē, & ſic eſt cōditio annexa cuilibet virtuti. Tertio modo dicitur perſeuerātia, cōtinuatio boni vſq; in finem: & hoc modo nō eſt nomē virtutis, ſed potius ſtatus cōſequentis ad omnes virtutes. Et primis duobus modis habet cōuenti aliis virtutibus, & reperitur in iuſtis præſcitis, hoc autem tertio modo in præſcitis nō reperitur: & ſic nō dicit habitū, ſed potius dicit ſtatū: & hūc primus homo nō habuit, ex hoc tamē non ſequitur quod aliqua virtute caruerit pro eo tēpore quo in gratia permanſit. Bonauen. vbi ſupra. Et ſecundū Cic. in Rhero. & S. Thom. ij. ij. quæſt. cxxviij. Perſeuerantia eſt in ratione bene inſtituta, ſtabilis & perpetua permanſio: vel eſt virtus ſpecialis, habens ſpeciale obiectū, ſcilicet opus laborioſum, vt triſtabile diuturnitatis, ſecundū eundē ij. ij. q. cxxij. at. j. Perſeuerātia, vt ſcribit Corteſius li. iij. d. viij. ſuarū ſen. à Græcis διατέλεια dicitur: differt à cōſtantia, quę quanquā in limitis genere cōgruant, hac tamē inter ſe ſpecie differūt, vt diatelia ſit cōtra eam difficultatem ſtabilitas, quę operæ diuturnitate oriatur: conſtantia verò cōtra eam difficultatē firmitas puteтur, quæ ex externa interpellatione naſcatur. Itaq; maximè à diatelia mollitudo abhorret, quæ ob ea cauſam à bonorū genere recedit, propterea quod languidius in perferēdo liqueſcit, facileq; (vt ait Ariſt.) ab imbecillo flectente torquetur. Et perſeuerantiæ extrema ſunt pertinacia, & leuitas. Et dicitur perſeuerantia à perſeuero verbo. Eſt autem perſeuerare cum quadā cōſtantia, & quaſi pertinacia perdurare. Vnde Matth. 10. dicitur: Qui perſeuerauerit vſq; in finē, hic ſaluus erit. Et dicuntur à ſeuerus, quod aliquando ſignificat graue & cenſoriū: quaſi ſemper verus, vel ſequēs verū: & nulla gratia, nullis illecebris mutabilis. Aliquādo aſperū, interdū ſeuū & vitabilē, nonnunquā triſtē & anxiū. Vnde ſeueritas, hoc eſt grauitas, conſtantia, aſperitas, triſticia. Hinc Aſſeuero verbū, quod eſt cum quadam vi & animi motu, quaſi cum ſeueritate aliquid affirmo. Hinc aſſeuerātio, idem quod affirmatio. Deus autē præſtat perſeuerantiā in bonis operibus. Vnde Gerſon parte iij. de mendicitate ſpirituali, parte ij. dicit de anima, Facilius longè eſt tibi à Deo conferri fortitudinem & perſeuerantiam in bonis operibus, quàm cœlis firmitatem præſtari, &c.

Perſolutio quæ ab aliis Doctoribus Theolog. dicitur ſatisfactio (de quo ſuo loco dicitur) eſt quę ſtirpitus ſcelerū cauſas euellit, aditu ادeūtes atcens: vt ſcribit Corteſ. lib. iiij. ſen. ſuarū, d. iij. Perſolutio autem ex mulctarū operibus conficitur, ea ſunt donatio, ieiuniū, oratio, quorū vnū ex externis, alterum ex corporis, tertium ex animi commodis elicitur. Donatio enim quę à Græcis eleēmoſyna dicitur, eſt benignitas ope egentiſsimum quemq; fouēs. Ieiunium anniuerſaria eſt eſurialis feria & voluntaria cōtinentia. Oratio eſt vocis, mentiſq; intima pre-catio: de quibus ſuis locis plus dicitur. Et iniungitur perſolutio vel ſatisfactio propter duo, ſcilicet propter debitum ſoluendum, & propter remedium contra reciduuum præſtandū. De quo legito Gabr. diſt. xx. q. vnica, artic. iij. dub. j. lib. iiij. Et de pœnitentia infra dicetur.

Perſona, vt ſcribit Bruleſ. d. xxiij. q. j. li. j. poteſt capi quatuor modis. Primo modo dicitur perſona hiſtrio, repræſentator Comœdiarū & Tragœdiarū. Vel ſecundū S. Tho. propriè dicitur facies cōficta, à perſonādo in theatris dicta. Vnde idem eſt perſona Latinè, & Græcè proſopō: ſic dicitur homo laruatus, id eſt habēs laruā ſeu obtectā faciē. Dicitur perſona vel perſonatus, vt magis fingeret perſonā quā repręſentare voluit. Alio modo capitur pro accidēte Grāmatico: ſic dicitur ego primæ perſonæ, tu ſecundæ, ille tertię, &c. Tertio modo pro homine aliquo habēte gradū eminētiæ in Eccleſia Dei: vt Epiſcopus & Curatus. Capitur & metaphoricè perſona pro qualitate qua alius ab alio differimus, tū in animo, tum in corpore, tū in extra poſitis, quæ à Rhetoribus numerātur in attributis perſonis. Animi, vt quo ſtudio ſe exerceat literarū, ne an militaris diſciplinę: & iracūdus, ne ſit an mitis, luxurioſus an tempetās. Corporis, vt adoleſcens ne ſit an ætate adultus, pulcher an deformis, robuſtus an debilis. Extra poſitorū, vt opulētus an pauper, clarus an obſcurus, prolē habēs an orbus. Hinc perſona paraſiti, militis, patris, ſerui, domini, præceptoris, iudicis, rei. Vnde Cicer. 3. offi. Exuit homo perſonā amici, quādo induit iudicis. Quarto modo accipitur perſona pro ſuppoſito naturæ intellectualis. Vnde S. Bona. diſt. xxiij. q. j. lib. j. ait: Perſona de ſui ratione dicit ſuppoſitū in proprietate diſtinctū, ad dignitatē pertinēs. Et hoc patet in ſua etymologia & in æquipollēti ſuo. In etymologia, quia perſona dicitur quaſi per ſe vna. Per ſe vnū autē propriè dicitur vnū, quod eſt omnino diſtinctū ab aliis & in ſe indiſtinctū. Rurſum perſona dicitur à perſonādo, quaſi per ſe reſonādo. Reſonare aūt dicitur, quod in ſono pręeminet aliis: & ideo perſona dicitur ſuppoſitū diſtinctū habēs dignitatē. Et ratione huius dignitatis, cū deberet per naturā vocabuli dici perſona pen. cor. dicitur perſona pen. pro. Similiter ratio huius acceptionis accipitur ab æquipollēti in lingua Græca, quod eſt proſopon apud Grecos. Proſopon dicebatur ſicut narrat Boēt. homo laruatus, qui quidē ſolebat fieri in Tragœdiis; & hoc fiebat propter duo. Vna ratio erat ad diſtinctè repræſentandū eū de quo fiebat ſermo. Alia ratio erat ad melius perſonandū vel reſonandū: & iſta duo cōueniūt prędictis proprietatibus duab⁹, & ideo ab hoc nomine proſopō, apud Grecos tractū eſt hoc nomē perſona apud Latinos. Et quia in Eccleſiis maximè attēditur diſtinctio dignitatis, tractū eſt primò ad ſignificandū honorē in Eccleſiis. Deinde quia indiuiduū rationalis naturæ diſtinctum eſt ab aliis, & hoc proprietate dignitatis inter creaturas. Hinc eſt quod extenſum eſt nomen ad ſignificandum ſuppoſitum rationalis naturæ. Deinde quia in Deo eſt reperire ſuppoſitum diſtinctum proprietate nobiliſsima, ſpiritu ſancto dictante, tranſlatum eſt ad diuina, quia ibi res nominis propriiſsimè inuenitur: quamuis ipſum nomen prius aliis ſit impoſitum. In diuiduis itaque pro-

priè & conuenienter nomen perſonæ accipitur. Hæc Bonauent. vbi ſupra. Et ſicut homines diſtincti ſunt ſuis proprietatibus: ita pater & filius & ſpiritusſanctus ſuis notionibus, & ſic ſunt perſonæ. Sed dicitur perſona, quaſi per ſe ſonans, quia quandam dicit dignitatem. Inde eſt quod viri excellentes in Eccleſia ſicut curati, dicuntur perſonæ, quaſi per ſe ſonantes, eò quòd habēt in Eccleſia gradum honoris: ſicut Præpoſituræ, Epiſcopatus, & Canonicatus, &c. Vt etiam ponit Thom. diſt. xxiij. lib. j. & communiter Doctores. Græci verò loco perſonæ vtuntur hypoſtaſis, vt vbi nos dicimus, tres perſonas: ipſi dicunt tres hypoſtaſes: vt communiter dicūt Doctores. Et quot ſunt perſonæ, tot ſunt ſubſtantiæ, id eſt hypoſtaſes: non tres eſſentiæ, ſed tres hypoſtaſes. Subſtantia autem quandoque accipitur pro eſſentia diuina communi: & aliquando pro hypoſtaſi, id eſt ſuppoſito: & ita tres perſonæ poſſunt dici tres ſubſtantiæ, non tres eſſentiæ, ſed tres hypoſtaſes.

Perſona diffinitur ſic: Perſona eſt ſuppoſitum intellectuale: quæ diffinitio declaratur in nomine ſuppoſiti: & concordat cum diffinitione Boëtij, dicentis: Perſona eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtātia. Nam per rationalis, intelligit intellectuales: per indiuidua intelligit ſuppoſitum, ſcilicet ens cōpletum, &c. Similiter concordat cum quid nominis. Richard. dicens: Perſona eſt intellectualis naturæ, incommunicabilis exiſtentia. Per incommunicabilis, intelligit quod non poteſt communicari alteri, vt pars toti, conſtituens cōſtituto, vel accidens ſubiecto, vel ſuſteorarum ſuſtentanti. Per hoc impugnantur diffinitiones Scō. tanquam inſufficientes: vt ſcribit Gabriel diſt. xxiij. quæſt. j. libr. j. Vide & eundem fuſius diſt. j. q. j. art. j. libr. iiij. ſanctus Bonauen. diſt. xxv. q. ij. libr. j. ita diffinit: Perſona eſt exiſtens per ſe iuxta ſingularem quendam rationalis exiſtentiæ modum. A Magiſtro diffinitur ſic: Perſona eſt hypoſtaſis diſtincta proprietate ad nobilitatem pertinente. Dicitur, hypoſtaſis, id eſt ſuppoſitū: dicitur, diſtincta proprietate, & per conſequens incommunicabile. Dicitur, ad nobilitatem pertinente, in quo datur intelligi rationalis natura. Concordat Magiſter cum Richard. de ſancto Vict. De iſtis diffinitionibus quomodo differāt inter ſe, vide Bonauen. vbi ſupra. Omnis autem perſona eſt ſuppoſitum, ſed non econuerſo: quia lapis eſt ſuppoſitū, & non perſona. De quo videatur Cardinal. Camer. quæſt. vnica, art. j. lib. iij. Eſt enim perſona (vt dicit) ſuppoſitum intellectuale.

Perſona eſt cōmune ad perſonas creatas & increatas. Perſona increata ſolùm dicitur de tribus ſuppoſitis in diuinis, & ſola illa (vt vult Gabriel di. xxv. q. j. quæſt. j. lib. j.) conſtituitur relatione. Sed perſona creata dicitur de omnibus Angelis, & etiam hominibus, excepto Chriſto. Et ratio perſonalitatis (vt ſcribit ſanctus Bonauen. di. v. qu. viij. lib. iij.) non eſt plenè circa animam ſeparatam. Vnde communiter non tenēt Magiſtrum, qui dixit, quod anima ſeparata ſit perſona. Et ratio eſt, quoniam ad completam rationem perſonæ requiritur diſtinctio ſingularitatis, & incōmunicabilitatis, & ſupereminentis dignitatis, ſed quamuis duo prima reperiri poſſint, non tamen incōmunicabilitatis. De quo latiùs legito Bonauen. Et quia (vt ait Gab. di. xxv. q. j. li. j.) in diuinis, nec eſſentia, nec relatio eſt formaliter ſuppoſitum, ſed cōſtitutum ex his: ideo perſona nō plus ſignificat eſſentiam, vel relationem, quàm paternitas ſignificat eſſentiā: ideo perſona in diuinis primò ſignificat conſtitutū ex eſſentia & relatione, ſcilicet patrē & filiū, & ſpiritumſanctū: & quicquid eſt formaliter ſuppoſitū intellectuale, ſignificatur per ly perſona. Perſona itaque in diuinis primò & formaliter, nec relationē, nec eſſentiā ſignificat, ſed ſuppoſitū diuinum conſtitutū, ſcilicet ex relatione & eſſentia repræſentat. Nam ſicut in creaturis, ita in diuinis ſignificat primò ſuppoſitō intellectuale: tale autē nec eſt eſſentia formaliter, nec relatio. Gabriel vbi ſupra. Manifeſtū quoq; eſt apud Theologos, perſonā non aſſumpſiſſe perſonā. Nam in hoc omnes Catholici cōcordant, verbū aſſumpſiſſe naturā humanā, non perſonā. Et quod dicit S. Bonauent. art. ij. q. ij. d. v. li. iij. & poſt eum ſcribit Gab. eadem di. q. vnica, art. iij. dub. ij. hoc quod perſona aſſumpſit perſonam, tripliciter poſſet intelligi. Aut quod ipſum aſſumptū ante aſſumptionē fuerit perſona, aut in aſſumptione, aut poſt. Primū repugnat veritati conceptionis: ſecundū, veritati aſſumptionis: tertiū, veritati vnionis. Si enim natura humana ante aſſumptionē fuit perſona, virgo Maria cōcepit hominem purū, quod eſt cōtra Euangeliū. Si in aſſumptione fuit perſona, & poſt aſſumptionē deſinit eſſe perſona, tunc illa aſſumptio nō eſt vera aſſumptio, ſed conſumptio. Si poſt aſſumptionē fuit perſona: ergo in Chriſto fuerunt duæ perſonæ & duæ naturæ: & per hoc ibi nulla eſſet vnio, & per hoc nulla eſt incarnatio, nulla redemptio: quod eſt contra fidem. In hunc errorē incidit Eurices, eò quòd neſciuit diſtinguere inter perſonā & naturā, pro eo quod vidit in Chriſto duplicē eſſe naturam, intellexit duplicem eſſe perſonā. Ex eadē cauſa errauit Neſtorius, Arrius, & Sabellius. Vide de hoc latiùs Gab. vbi ſupra. Catholica verò Eccleſia dicit: in diuinitate plures eſſe perſonas, & naturam vnam: in Chriſto econuerſo, duas eſſe naturas, & perſonam vnā: & ideo ſimpliciter cōcedit perſonā aſſumpſiſſe naturā, & negat perſonā aſſumpſiſſe perſonā: ſicut dicit Magiſt. in litera, & Bonauen. vbi ſupra. Hinc notādæ ſunt quatuor veritates de Chriſto, quas recitat S. Tho. in iij. ſcript. d. vj. lib. iij. & poſt eū ſcribit Dominus Præpoſitus Gab. eadē di. q. j. art. j. Prima, in Chriſto eſt tantū vna perſona, ſcilicet diuina verbi, & hoc eſt cōtra hæreſim Euticis, vt S. Bona. recitat di. v. q. vij. lib. iij. Secūda veritas, in Chriſto ſunt duæ naturæ, diuina & humana: & tres ſubſtātiæ, deitas, anima, & corpus. Hæc veritas reprobat errorē Neſtorij, dicētis in Chriſto eſſe tantū vnā naturā, ſicut vnā perſonā. Tertia veritas, duę ſubſtātię in quibus humana natura cōſiſtit, corpus & anima aſſumptæ ſunt à verbo. Hæc veritas cōtrariatur fictioni & ſtultitiæ Manichęi, qui negat Chriſtū habuiſſe verum corpus. Quarta veritas, quod illud quod aſſumptū eſt, caro, ſcilicet & anima, nō præextitit vnioni tempore, ſed natura: quo euacuatur error Origenis, dicentis, animas ſimul ante corpora creatas fuiſſe. Has quatuor veritates Catholica fides amplectitur, & eas approbat.

De plu-

De pluralitate perſonarum in diuinis. Vnde ſecundum S. Bonauent. d. iij. q. iiij. lib. j. pluralitas perſonarum cum vnitate eſſentiæ, eſt propriũ diuinæ naturæ ſolius, cuius ſimile nec reperitur in creatura, nec poteſt reperiri, nec rationabiliter cogitari. Ideo trinitas perſonarum nullo modo eſt cognoſcibilis per creaturã, rationabiliter aſcẽdendo à creatura in Deũ. Sed licèt non habeat omnino ſimile, habet tamen aliquo modo quod creditur ſimile in creatura. Vnde Philoſophi (vt ibidẽ dicit) nunq̃ cognouerunt per rationẽ perſonarũ trinitatẽ, nec pluralitatem, niſi haberent aliquẽ habitũ fidei, ſicut habẽt aliqui hæretici. Vnde qui dixerunt, locuti ſunt non intelligentes, aut fidei radio illuſtrati. Eſt alia trinitas appropriatorum: ſcilicet, veritas, vnitas, & bonitas: & hanc cognouerunt, quia habẽt ſimile. Hęc ſanctus Bonauent. Et pluralitas perſonarũ in diuinis, octo modis nobis innuitur in ſcriptura, vt idẽ ſcribit Bonauentura di. ij. lib. j. in dub. literali. Primo modo ſignificatione. Matth. vlt. In nomine patris, & filij, & ſpiritusſancti. Secundo conſignificatione. Geñ. 1. In principio creauit. vbi habemus nos Deus, Hebræi Heloim, quod eſt nominatiuus pluralis huius nominatiui ſingularis Hel. Tertio modo ſuppoſitione, vt cùm dicitur: Deus genuit Deũ. Prouerb. 8. Ante omnes colles ego parturiebar, id eſt generauit me Dominus. Quarto modo appropriatione. Geñ. 1. ibi. In principio creauit Deus. Deus enim ibi patri appropriatur, & principium filio. Quinto modo iteratione. vt Iſa. 6. Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus Deus noſter, & benedicat, &c. Septimo connotatione in actu miſsionis: vt cùm dicitur Galath. 4. Miſit Deus, &c. Octauo modo apparitione, ſicut apparuerunt Abrahæ tres viri. Geñ. 18. Hæc ſanctus Bonauen. Et perſonæ in diuinis neceſſariò communicant ſeſe ad intra. vt vult Gerſon parte iij. de conſolatione Theologiæ lib. ij. quem videre potes.

Perſona Eccleſiaſtica (vt ſcribit Antonius part. iij. tit. xxiiij. & poſt eum ſcribit Gabriel diſt. xv. q. v. art. j. libr. iiij.) ſunt omnes aliquem ex maioribus ordinibus habentes. Similiter omnes Canonici regulares, Monachi, fratres mendicantes, cæterique aliquam ex religionibus approbatis profitentes. Similiter & omnes conuerſi tria ſubſtantialia vouentes. Sanctimoniales quoque fœminæ Eccleſiaſticæ perſonæ ſunt indubitanter: vt habetur xxvij. q. j. vt lex continentiæ. Item omnes nouitij talium religionum, clerici vel conuerſi, quamuis non ſint propriè religioſi & completè: quia liberi ad egreſſum nedum rebus propriis expoliati: vt in cap. religioſi. de ſent. excõ. §. quamuis. lib. vj. Item nomine clericorũ etiam intelliguntur in minoribus ordinibus cõſtituti. Similiter & tonſurati coronã, & habitum clericalem gerentes, nec ſtatum clericalem dimittentes, matrimoniũ contrahendo, & ad actus contrarios & exercitiis omnino laicalibus inſiſtendo. xj. q. j. De perſona. §. ne vero. Omnes prædicti gaudent priuilegio clericali, tam perſonali quàm reali. Hi pedagia dare non tenentur. De quo vide latiùs Gabrielem vbi ſupra. Nec quiſquam ab eis exigere debet.

Perſonare vel perſonari ſiue vniri aliquid perſonaliter, dupliciter intelligi poteſt: vt ſcribit Gabr. d. j. q. j. lib. iij. Vno modo vt tantũ valet, id eſt fieri perſonam. Et perſonare, eſt dare alicui eſſe perſonale, id eſt dare vt ſit perſona. Et hoc poteſt intelligi cauſaliter vel formaliter, ſicut calefieri & calefacere. Similiter perſonaliter alicui perſonæ vniri, eſt ipſum fieri vnum ſiue idem cum perſona: hoc eſt ipſum fieri perſonam illam cui dicitur vniri. Et ſic accipiendo nihil perſonatur formaliter per aliquod extrinſecum: ſed quicquid perſonaliter, vel ſeipſo perſonatur vt perſona creata, vel per aliquod poſitiuum, cui identificatur. Sicut perſona diuina quæ perſonatur formaliter per proprietatẽ relatiuã, quę eſt eadem perſonæ diuinæ realiter, non formaliter. Nec eſt inſtantia de natura humana aſſumpta, quia illa non perſonatur. Hoc modo accipiendo perſonari à verbo, quia non fit perſona verbi, non enim fit perſona Chriſti. Siquidem plus repugnat naturæ humanæ, quod fiat perſona verbi, quàm quod fiat aſinus. Alio modo & magis vſitatè & cõmuniter accipitur à Doctoribus, vt perſonari eſt dependentiam ſuppoſitalem ab aliqua perſonarum terminari. Et perſonare eſt perſonam aliquam huiuſmodi dependentiam alicuius naturæ terminare. Vnde imaginandum quod omnis natura ſiue entitas creata aut in ſeipſa ſubſiſtit: ita quod ad nullã aliam ſuppoſitaliter dependet, hoc eſt nulli alij cõmunicatur. Aut dependet ad aliquod ſuppoſitum per ſe ſubſiſtens, mediatè vel immediatè. Exemplum primi, vt ſubſtantię completæ quæ ſunt ſuppoſita. Exemplum ſecundi, vt ſubſtantiæ partiales, integrales, vel eſſentiales, vt materia & forma. Exemplum tertij, vt accidentia alteri partium inhærentia. Vnde patet quod nulla res poteſt naturaliter eſſe, niſi ſit in ſe ſubſiſtens: aut niſi dependeat ad per ſe ſubſiſtens. Vide latiùs apud Gabrielem vbi ſupra. & vocatur à Doctoribus dependentia ſuppoſitalis ſiue ſuſtentificati, aut ſuſtentati ad ſuſtentificans. Et hoc idem eſt vnire ſiue aſſumi ad vnitatem ſuppoſiti, vel perſonæ non fieri perſonam, ſed ſuſtentari vel ſuſtentificari (vt quidam dicunt) à perſona: vel eius dependentiam ſuppoſitalem terminari à perſona, quod idem valet. Vide latius Gabrielẽ ibidem. Et perſonare ſiue hypoſtatare, vnire plus dicit quàm aſſumere: cõnotat enim vltra aſſumere perſonam, ſiue hypoſtaſim in aſſumente, & perſonalitatem in aſſumpto: ita quod aſſumptum poſsit eſſe in ſe ſuppoſitum, vel perſona. Si tamen perſonari ſeu perſonaliter aſſumi, nihil aliud dicit quàm ſuſtentari vel ſuſtentificare à perſona, tunc quicquid aſſumitur à perſona, perſonatur & ſuppoſitaliter vnitur: ſic dicit Occam quæſt. j. tertij. Vide Gabrielem diſtinct. j. quæſt. j. libr. iij. Et perſonari à perſona diuina nihil aliud eſt quàm ſuſtentificari à perſona diuina, quod poteſt indifferenter competere naturæ rationali & irrationali: Et ſic ſecundum Occam q. j. libr. iij. lapis eſt perſonabilis à perſona diuina, ſicut homo, &c. Et ſi (vt ſcribit Gabri. d. vij. q. vnica, art. iij. dub. ij. libr. iij.) nomen perſonæ, vniuocè conueniat perſonis diuinis & creatis: tamen perſonæ diuinæ perſonantur per aliquod poſitiuũ, ſcilicet per proprietatem relatiuã à perſona diſtinctam formaliter, nõ realiter. Perſonæ autem creatæ non perſonantur

per aliquod poſitiuum quomodocunque à natura diſtinctũ: ſicut ſapiẽs vniuocè cõuenit Deo & Angelo: & tamen Deus eſt ſapiẽs, nõ per aliquod ſuperadditum, ſed per ſuam eſſentiã. Angelus autẽ eſt ſapiẽs per cognitiones ſuperadditas, à ſua eſſentia realiter diſtinctas, ſiue per habitũ infuſum vel acquiſitum diſtinctũ. Dominus Præpoſitus Gabr.

Peſtis, peſtilens, peſtilẽtia, & peſtilitas, in vna ſignificatione accipiuntur: & dicitur morbus venenoſus & cõtagioſus, vel lues aut mors hominũ. Capitur & pro pernicie, damno, &c. Peccata autẽ pro quibus Deus flagellat homines peſte, ex ſcriptura traduntur plura, vt ea refert frater Pelbartus lib. ij. Roſa. Theol. in dictione *Elementum*. c. xiiij. Primò, præceptorum diuinorum inobedientia vel tranſgreſſio. Deuteron. 28. Si non audieris vocem Domini: adiunget tibi peſtilentiam, &c. Secundò, ſanguinis innocẽtis effuſio. Vnde in Ægypto percuſſit Dominus omne primogenitũ, eò quòd occiderant infantes Iudæorũ. Tertiò, in ſuperbia: patet in Dauid faciẽte numerare populũ ex ſuperbia 2. Regũ. 24. Quartò, auaritia, fraudis, vſuræ, & ſimoniæ: patet Ezech. 7. Ira mea ſuper omnem populũ, gladius foris, fames & peſtis intrinſecus. Et cap. 38. ad idem. Quintò, luxuria: patet de Zodomiticis fœtido mari peſtilẽtico ſummerſis. Sextò, gula & ebrietas. Patet Numer. 11. Adhuc eſcæ eorum erãt in ore ipſorum, & percuſſit Dominus populum plaga, id eſt peſte, ſecundum Gloſſ. ibidem. Septimò, rebellio ſciẽter cõtra Deũ, & obduratio ac murmuratio. Numer. 14. In ſolitudine iacebunt cadauera veſtra, ſcilicet, quia populus Iſraël rebellauit Deo in ſolitudine: & illa peſtis durauit in eis quadraginta annis, & abſorbuit ex eis quolibet anno 15088. & plura in ſcripturis continentur, quæ ad hæc reducuntur, vt vult Pelbartus.

Pertinax Ille eſt cenſendus (vt ſcribit Gerſon par. j. de erroribus. circa præceptum: Non occides) qui non dimittit errorem ſuum, nec quærit cauta ſolicitudine veritatem vel quæſitę & doctę non obedit: cuius pertinaciæ multa ſunt ſigna, ſicut enumerat Occam j. part. dialogorum lib. iiij. ponit decem & nouem ſigna. Gerſon ad xij. reducit, inter quæ illud eſt pręcipuum & peſſimum, dum error defenditur verbis & factis, minis & terroribus, cautelis & ambagibus. Aliud ſignum eſt in eis, qui conſentiunt errantibus: ſicut dicitur ad Rom. 1. Quantò ampliùs qui errores vel errantes defendere ſatagũt malis modis. Vide ſigna alia & xij. apud Gerſonẽ de pertinacia. Et pertinacia ſecũdum Paulum Corteſiũ lib. iij. ſent. di. viij. maximè exploditur, quod ex rationis præſcripto egrediatur, & velut callum obduxerit, nunquam ex inſita ſentẽtia deducatur. Et pertinax, qui tenet imprudẽter propoſitũ ſuum, quaſi omnino tenax, ſecundum Iſidorum li. etym. & B. Thom. ij. ij. quęſt. cxxxviij. ar. ij. Et peruicax, eſt idem quod pertinax, qui in ſuo propoſito ad victoriam perſeuerat. Thom. vbi ſupra.

Perturbatio eſt aduerſa ratione cõtra naturam animi commotio, ſecundum Cicer. lib. Tuſcul. quæſt. Vel eſt mutatio ordinis, & æqualitatis in ratione, & immoderata paſſione inferiorum potentiarum, quæ non fuit in Chriſto, nec in aliquo ſapiente, ſecundum beatum Thom. iij. ſenten. d. xv. q. ij. ar. ij.

Petulantia eſt voluptas mentem à ratione ad Venerem reuocans & cæteros illicitos trahens motus laſciua ſubſultatio, & ſine modeſtia proterua ac procax loquendi, vel potius blatterandi conſuetudo, vel eſt nimia quædam audacia, & procacitas à petendo dicta, quaſi ea petantur, quæ abſurda ſunt, quemadmodũ procacitas à procando dicitur. Procari enim veteres petere dicebant: vnde proci petitores vxorum, vt ſcribit Dominus Nsuus Mirabellius in ſua Polianthea.

Peruietas duplex eſt, vt ſcribit Brulef. d. xlix. li. iiij. Quædam eſt qualitatiua diſponens ad videndum ea, quæ ſunt in eo: vt per criſtallum videmus quæ cõtinentur in eo. Alia eſt peruietas poroſiua, & ſunt ipſa foramina, vel pori, per quæ videbimus in gloria interiora noſtri corporis. Et per iſtos poros nunc exeunt ſudores, & pili. Vnde corpora glorioſa beatorũ erunt colorata luminoſa, & erũt peruia peruietate poroſa ad modũ criſtalli pulchriora, non autem peruietate qualificatiua: quia ſequeretur, quod eſſent corpora organica, quod nõ poteſt eſſe, quia ſi ſic ſequeretur quod quælibet pars corporis eſſet ipſum corpus. Nã omnia corpora peruia ſunt organica, vt quælibet pars aëris eſt aër, quælibet pars criſtalli eſt criſtallus. Item ita ſunt ſynonyma peruietas, dyaphoneitas, perſpicuitas, & tranſparentia.

Philaterium. Vt ſcribit Guil. Epiſcopus Minateñ. in ſuo rationali, eſt chartula in qua decẽ præcepta legis ſcribũtur: huiuſmodi chartulã ſolebãt Phariſęi ante ſe in ſignũ religionis portare. Vnde in Euãgelio: Dilatant philateria ſua. Et dicitur philateriũ (vt idẽ dicit) à philare, quod eſt cuſtodire: & terit, quod eſt lex. Philateria verò eſt vaſculũ de argẽto vel auro, vel criſtallo, vel ebore, & huiuſmodi, in quo ſanctorũ cineres vel reliquię recõduntur: quod nomẽ (vt idẽ ait) cõprehenſum eſt à philare, quod eſt ſeruare: & teron, quod eſt extremitas: quia ibi aliquid de extremitate corporis ſanctorũ: puta, dẽs vel digitus, vel aliquid tale ſeruatur, &c.

Philoſophia eſt amor ſciẽtiæ, ſecundũ Auguſt. lib. de Ciuit. Dei, iiij. & ſecundũ eum cõtra Academicos, & ſecũdum Philoſophos. Philoſophia eſt ars vitæ, & perturbationũ medicina. Philoſophia ſecũdum aliquos eſt humanarũ, diuinarumq; rerũ cognitio. Et diuiditur in naturalẽ, rationalẽ, moralẽ. Quarũ ſunt multæ ſpecies à Philoſophis ordine miro traditę, vt ſub naturali Metaphyſica de eſſentiis rerum. Mathematica de numeris & figuris. Phyſica de motibus, ſub rationali ſeu ſermocinali Grãmatica, Logica, Rhetorica. Sub morali Ethica, Iconomica, Politica, &c. Gerſon tract. ix. ſuper Magnific. Philoſophia & Theologia, ſunt vtiles, ſi quis bene, & ad laudem Dei vtitur. Sed malè vtenti non eſt vtilis, imò vana & inutilis, & noxia haberi (vt vult Gerſon tract. vij. ſuper Cant. glorioſæ Virginis) ſi non comes affuerit deuotio, quæ pius eſt & humilis affectus, qua comitẽ poterit ad intelligẽtias plurimas euehi, quas non habebit de lege cõmuni ſimplex Chriſtianus. Poterit inſuper talis eſſe vtilis in doctrina, qua fides ſaluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur, vtilis pręterea (ſicut dicit Apo-

ſtolus)

ſtolos)ad arguendũ. Philoſophi quoq; Theologi deuotione carẽtes,ſiniſtras de deuotionis myſterio deriſiones intulerũt. Rurſus ita ſe habent affectus, pietas, & humilitas in Deũ,vt nequeant vna veraciter ſine altera inueniri. Vide latiùs Gerſonem, & aliàs de Philoſophia,&c.multa perutilia. Et quamquã vera Philiſophia noſtræ theologiæ nequaquã ſit aduerſa: ſed nõ aſcẽdit ad eius altiſsima,vt idem dicit Gerſon tract.ix. ſuper Magnificat.

Piaculare ad ſatisfactionem peccati pertinet. Vnde crimen piaculare vt refert Magiſter: quia verò piaculare,inquit flagitium commiſit,qui duabus commatribus vel ſororibus nupſit,magna pęnitentia debet ei iniungi,di.xlij.quarti. Piaculare,id eſt dignum expiare,vt exponit Rich. Hoc vocabulo vſus eſt Liuius libr.j.Et piacularia triſtia, per quæ malum fieri opinabantur.Et piacularia auſpicia dicebantur,quæ ſacrificantibus triſtia portendebant, cùm aut hoſtia ab ara profugiſſet, aut percuſſa mugirum dediſſet,aut in aliam partem corporis quàm oporteret, cecidiſſet, &c.

Piaculum ſacrificium cultus & quicquid agitur ſeu præbetur pro ſacrificatione peccati.Virgi. *Ea prima piacula ſunto.* Horat.libr.carmi. *Teq; piacula nulla reſoluent*, hoc eſt, nullis hoſtiis te expiabis. Aliquando dicitur crimen flagitium. Hiero,in lib.Iudicum. Nunquam tantum nephas & tam grande piaculum factum eſt in Iſraël.Virgi.lib.vj.

Diſtulit in ſeram commiſſa piacula mortem.

Piare ſignificat colere,quandoq; contaminare,quandoque piè amare: aliquando purgare ſignificat. A quo expiare,quod eſt purgare.Et impiare contaminare.Hiero.in prolo.Aggęi. Sed cùm memoratus populus multis temporibus idolis ſeruiendo etiam effuſionem ſanguinis innocentum ſe grauiter impiaſſet lxx.annorum captiuitatem eundẽ populum ſtatuit ſuſtinere. Et piabile quod purgari poteſt, cuius contrarium eſt inexpiabile. Aug.ſuper Ioan. Viderunt ſe ingenti crimine impietatis adſtrictos quando illum occiderũt,quem venerari & adorare debuerunt.Et hoc putabant eſſe inexpiabile, &c.

Pietas. Vocabulum pietatis multipliciter accipitur ſecundum ſanctum Bonauen.di.xxxv.q.vj.lib.iij. & diſt.ix.art.ij.qu.j.lib.iij.ſecundum quod innuit Auguſt.x.de ciuitat.Dei. Aut enim ſic pietas propriè Dei cultus intelligi ſolet,quam Gręci Theoſebiam vocant. Hæc tamen erga parentes officioſe haberi dicitur.More autẽ vulgi hoc nomen in operibus miſericordiæ nũc frequẽtatur. Cũ igitur pietas ſic dicatur, multipliciter valet erga Deũ,erga parentes,& erga hominẽ quẽcunq;,ſecundũ quod ordinat erga Deũ nõ eſt nomẽ doni,ſed potius eſt idẽ quod latria & theoſebia ſiue euſebia. De qua dicit Aug. quod eſt ſapiẽtia verè,ſecundũ autẽ quod ordinat ad parentes, adhuc etiam nõ tenet rationem doni,ſed potius eſt ſpecies iuſtitiæ virtutis, pro eo quod ad hoc ordinatur ſecundum regulam naturalis iuris, & ſecundũ obligationẽ neceſsitatis: ſecundum autem quod attenditur reſpectu cuiuſcunque proximi,ſic pietas eſt non doni.Aliter tamen attenditur erga proximum pietas,donum & miſericordia,virtus. Miſericordia enim reſpicit conformitatẽ in natura,& neceſsitatem in indigentia ſiue in miſeria. Pietas verò attendit in proximo Imaginem diuinam.Vnde dono pietatis eſt homo beneuolus, cuicunque homini qui habet in ſe imaginẽ Dei, ità quod beneuolentia illa pro loco & tẽpore aliquando progreditur in compaſsionis affectum,aliquando in operis beneficium,&c.Et principaliter pietas dicitur de cultu diuino, & de illa virtute qua colitur Deus,ſanctus Bonauen. Vnde pietas idem eſt quod religio, quod Græcè latria ſeu theoſebia. Vnde propriè pietas eſt theoſebia,id eſt cultus Dei interior, qui propriè pertinet ad virtutes Theologicas.Religio verò eſt latria,quæ pertinet ad ſeruitutem diuinam exteriorem, hæc ex Auguſt.libr.x. de ciui.Dei cap.iiij. Et pietas à vulgo ſumitur prò actibus miſericordiæ,quia Deus teſtatur hos actus ſibi fieri. Et ex hoc Deus dicitur pius,ex beatò Tho.ſecunda ſecundę,q.cj.ar.j,Et ſecundum eundem ſecunda ſecundę.q.lxxx.ar.j.pietas eſt ſpecialis virtus & principaliter eſt ad parẽtes ad patriam, in quibus includuntur omnes conſanguinei,ciues, amici,patriæ.Vnde pietas ſecundum quoſdã eſt per quam ſanguine coniunctis,patrięq; beneuolis officium & diligens tribuitur cultus.Et ſecundum Ciceronem lib.j.de natura Deorum,pietas eſt iuſtitia aduerſus Deos. Gerſ.tract.v. ſuper cantico Mariæ ait: Pietas ex affinitate, & affinitas ex generatione conſurgit.Eſt enim pietas in genere quidam amor proueniens inter aliquos ex radice vel cauſa cuiuſdam affinitatis mutuæ, qualis inter ciues & ciuitatem ſuam vel patriam, qualẽ prætereà nos dicimus habere ad Deum patrem noſtrum & Dominũ,qui viciſsim pius erga nos eſſe laudatur, quia poſſedit, fecit,& creauit nos. Et pietas quæ concernit mutuam Dei ad nos habitudinem deſcribi poteſt.Pietas eſt amor proueniens, eò quòd Dei genus ſimus capaces,atque participes eius,&c.Pietas ſecundum Grego.ſuper Iob,eſt quæ docet opus miſericordię. Magiſtralis diffinitio hæc eſt (vt ſcribit Gerſon; parte ij.in compendio theologiæ de ſeptem donis ſpiritusſancti.)Pietas eſt ex benignę mentis dulcedine omnibus auxiliatrix affectio.& multis modis dicitur(vt ibidem habet Gerſon. & ſupra patet ex Bona.)Eſt & pietas fidei,ad quam requiruntur tres cõditiones in ſpeciali,quas ponit Gerſ.parte ij.in fine de mirabili victoria cuiuſdã puellæ. Prima quod illa quę fiunt in fide vel de fide,faciant ad excitationem deuotionis & pię affectionis circa Deũ & diuina:quia,ſcilicet,reſonant in laudem diuinæ potentiæ vel clementiæ in miraculis & venerationẽ ſanctorum.Altera conditio eſt quod habeatur circa talia probabilis aliqua coniectura,vel communi relatione,vel ex fidelium atteſtatione,qui dicunt ſe vidiſſe & audiſſe.Superadditur tertia conditio cũ diſcretione penſanda per viros in Theologia & bonis moribus eruditos,quod in huiuſmodi relationibus eorum quę dicũtur de pietate fidei, non includatur vel immiſceatur aliquod falſum vel erroneũ,quod manifeſtè ſit in detrimentum fidei vel bonorũ morũ directè vel indirectè,palã vel occultè. Super qua re cognoſcenda vel determinãda nõ eſt fas cuilibet palàm,& paſsim ferre ſententias & reprobationes, imo nec approbationes cõtentioſas, maximè quando tolerãtur ab Eccleſia vel Pręlatis Eccleſię in vna prouincia vel in multis,ſed iudiciũ & determinatio

debent deferri ad eandem Eccleſiam ſeu Prælatos eius & doctores. Gerſon.

Pirata nomen latronis, qui primus mare infeſtauit, à quo omnes ſpoliatores & prædones piratæ dicti ſunt. Vnde pirata dicitur, qui in mari prædatur (vt habet frater Oſualdus libr. iiij. Roſarij Theologiæ, in dictione *excommunicatio.*) Vel pirata dicitur, qui maria latrociniis infeſtat, à quo piratorium, quod dicitur habitaculum piratarum, vt ſcribit Ambro. de hoſtibus carnalibus non metuendis, qui etiam ſubdit. Tamdiu in piratorio ſumus, quamdiu in hac carne poſiti prædonum ſpiritualium tentationibus ſubiacemus.

Plantare ſeminare eſt, quod ſibi Apoſtolus attribuit quia per prædicationem quod opus eſt libe. arbit. (opus dico imperatum ſemen fidei fecit) ſecundum illud Luc. 8. Semen eſt verbũ Dei. Sed gratia viuificat & ſemen creſcere facit, quod ſolus Dominus tribuit. Hinc dicitur 1. Cor. 3. Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit. Plantare ſeminare eſt (vt dicit Gabr. diſtinction. iiij. quæſt. vnica, lib. ij.)

Plenitudo multiplex eſt (vt ſcribit ſanct. Bonauen. di. j. lib. iij. circa textum.) Nam eſt quædam plenitudo naturæ, quædam gratiæ, quædam gloriæ. Plenitudo naturæ eſt in duplici differentia. Prima inquantum ad rem in conditione, de qua Gene. 2. Compleuit Deus die ſexto opus ſuum. Secunda quantum ad rerum multiplicationem, de qua Pſal. Domini eſt terra & plenitudo eius. Similiter & plenitudo gratiæ duplex eſt. Quædam in capite, & de hac Ioan. 1. Plenum gratia & veritatis. Quædam in mẽbris, & de hac Actu. 1. Repleti ſunt omnes ſpiritu ſancto. Et Ephe. 1. propoſuit, &c. Similiter plenitudo gloriæ duplex eſt, vel quantum ad numerum electorum, de hac Apoc. 6. Suſtinete modicum tempus donec imple. &c. Aut quantum ad perceptionem æternorum bonorum. Eccleſia. 24. In plenitudinem ſanctorum detentio mea, &c.

Plenus gratia hoc nomen æquiuocum eſt, vt habet Alexan. parte. iij. qu. xij. memb. iij. quem & cæteri imitantur, & poſt eum ſcribit Gab. di. xiij. q. vnica, ar. iij. lib. iij. vide eundem de plenitudine gratiæ ſer. iiij. de feſto annũciationis Dominicæ, qui incipit: Illuxit nobis dies celeberrima. Et Brulefer qu. j. di. xiij. lib. iij. Nam quandoq; importat plenitudinem ſufficientiæ, quandoque plenitudinem excellentis prærogatiuæ, quandoq; plenitudinem copiæ, quandoque plenitudinem effluentis ſuperabundantiæ. Plenitudo ſufficientiæ eſt, vel quæ ſufficit ad finem, id eſt, vitam æternam habendam, & hæc excludit omne mortale. Siue ſecundò, quæ ſufficit ad ſtatum illum, vel ad opus ad quod quis eſt ordinatus. Siue etiam tertiò ad gratiam, ad quam eſt diuinitus præordinatus. Vel quartò, quæ ſufficit non tantum ad habendam auream, ſed etiam aureolam. Hæc plenitudo tribus modis primis eſt omnium ſanctorum, de qua illud accipi poteſt ad Epheſ. 4. Vt impleamini in omnem plenitudinem Dei. Sed quartò accipitur Actu. 6. Stephanus autem plenus gratia & fortitudine, &c. quia ſua gratia non ſolum condigna fuit aurea, id eſt præmio eſſentiali, ſed etiã aureola. Meruit enim aureã & aureolam, quia fuit prædicator & martyr. Plenitudo excellentis prærogatiuæ eſt, qua, ſcilicet, habens excellit cæteras creaturas puras, verbo non vnitas, & hæc excludit omne peccatum mortale, veniale & originale, & hæc eſt plenitudo virginis glorioſæ, de qua Luc. 1. Aue gratia plena. Plenitudo generalis copiæ eſt plenitudo numeroſa, includens omne genus gratiæ. Et hoc modo Eccleſia dicitur plena gratiæ, quia non eſt aliquod genus gratiæ quod non ſit in Eccleſia, quantum ad aliquod membrum eius. Hinc dicit Apoſtolus. Diuiſiones gratiarum ſunt, vnus autẽ ſpiritus, alij datur ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ, &c. 1. Corinthiorum 13. Plenitudo effluentis ſuperabundantiæ, eſt gratia ſumma de facto communicata creaturæ redundans, & ſuperfluens in cæteros. Et hæc eſt gratia animæ Chriſti, quæ nedum abundat in Chriſto, quantum ad omnes virtutes & effectus eius imperfectionem non includentes, quod additur propter fidem, ſpem, pœnitentiam, & ſimilia, quibus annexæ ſunt aliquæ imperfectiones, & ideo in Chriſto non fuerunt, ſed etiam effluit tanquam capitis in omnia membra Eccleſiæ, non quod eadem gratia numero ſit in Chriſto & in membris Eccleſiæ, aut aliqua pars gratiæ Chriſti, quæ in Chriſto fuit realiter, transferatur in membra, ſed effluit cauſaliter meritoriè, quia Chriſtus per gratiam ſuam meruit omnibus gratiam & præſeruationem vel remiſſionem peccatorum. Et hæc plenitudo eſt ſolius Chriſti quæ excedit gratiam virginis intemeratæ & omniũ electorum. Et de hac dicitur quantum ad ſuperabuntiam omnium virtutum, donorum & effectuũ in Chriſto. Vidimus gloriã eius glo. q. v. à pa. ple. gratia & ve. Ioan. 1. Gloria autem & gratia vnigeniti propria eſt Chriſto. Et quo ad effluentiam dicitur ibidem. De plenitudine eius accepimus omnes gratiam pro gratia. Hæc Gab. Et in ſermon. iiij. de annunciatione beati Mariæ virginis plura.

Plenitudo poteſtatis Eccleſiaſticæ eſt (vt ſcribit Gerſon, part. j. de poteſtate Eccleſiaſtica, a conſideratione x. eſt poteſtas ordinis, & iuriſdictionis quæ à Chriſto collata eſt ſupernaturaliter. Petro ſicut vicario ſuo & monarchæ primo pro ſe & ſuis ſucceſſoribus legitimis vſque in finem ſeculi ad ædificationem Eccleſiæ militantis pro conſecutione fœlicitatis æternæ. Dicitur in hac deſcriptione ſupernaturaliter, ad differentiam poteſtatũ, vel iuriſdictionum, quæ ſucceſſoribus Petri potuerunt cõuenire, ſecundũ leges humanas, ciuiles, & politicas, vel dictamẽ iuris naturalis, quod vult vt ſupremus in aliqua politia gaudeat multis honoribus & priuilegiis ſuper alios, vel ex ſpeciali dotatione ſeu donatione principum & aliorum ſecularium, vel tandem ex ipſius Eccleſiæ ſeu conciliorum generalium fauorabili conceſſione, ſicut communitas perfecta ſuo capite naturaliter dari poteſt. Hæc Gerſon. Et ibidem dicit quod poteſtas Eccleſiaſtica in ſua plenitudine eſt formaliter & ſubiectiuè in ſolo Romana pontifice. Et plura de poteſtatis Eccleſiaſticæ plenitudine Gerſon.

Pœna Græcũ vocabulũ videtur eſſe. Illi enim ποινὴ dicunt, licèt Varro à pendendo dictã velit. Eſt autẽ pœna ſuppliciũ quo quis ob delictũ afficitur. Et ſecundum

eundē Vlpianū, pœna, eſt noxię vindicta, quæ ſuos tenet actores. Annumerat autē Cicer. octo pœnarū genera ſcilicet, damnū, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exilium, ſeruitutem, mortem. Pœna ſecundum Bruleferum di.iiij.qu.ij.lib.iiij. diffinitur ſic. Pœna, eſt aliquod damnum vel malum priuans, bonum conueniens, propter meritum præcedens. Et pœna, propriè eſt punitio delicti. Hæc pœna non præcedit culpam: vt ſcribit Gab. di.xix.q. vnic. li. ij. du. ij. vbi & dicit, quòd mors non fuiſſet pœna in ſtatu innocentiæ, ſed quædam naturalis tranſmutatio, conſequēs mixtionem ex contrariis: ſicut & mors brutorum non eſt pœna, ſed paſſio conſequens naturā corruptibilem. nec tamen ſemper infligit Deus pœnam, propter peccatum commiſſum: vt ſcribit Gabriël di.iij.quæ.j.art.ij.lib.iij. ſed etiam quandoque propter Dei gloriam, aut hominis meritum cumulandum: quandoque etiā propter eius, qui punitur, aut aliorum inſtructionem: quamuis fortè tunc impropriè dicitur pœna, cùm non pręceſsit culpa. Sicut (vt idem vult di.xxxvj. qu. vnica, dub. v. lib. ij.) patet de pœna brutorum. Item de afflictione iuſtorum & martyrum, ac glorioſæ virginis: quæ ordinatur ad coronam. Si verò accipitur pœna propriè pro quadam vindicta: ſic dicit ordinem ad culpam in ſe: vel alio modo pręcedentem aut actu præſentem. Sic omnis pœna aliquo modo reſpicit culpam, vel in ſe præſentem: vt pœna inferni: vel vt peccatum in ſe, præſentem autem in reatu: vt pœna purgatorij. Quædam reſpicit culpam non in ſe, ſed in alio: vt mors Chriſti illata: imò voluntariè à Chriſto paſſa propter peccatum hominis redimendi. Et ſecundum hæc intelligendæ ſunt auctoritates ſanctorum, ſcilicet, illa: Quicquid patimur, peccata noſtra meruerunt: meruerunt tanquam cauſa ſine qua non: quia niſi fuiſſet in nobis peccatum originale, non eſſet aliqua afflictio hominis. Et noſtra non demonſtrat perſonam aliquam particularem, ſed quaſi cōfuſam cuiuſcunq; hominis ſub diſtinctione ad alia. Et illa Greg. in collect. Nulla nocebit aduerſitas, ſi nulla dominetur iniquitas. Quæ ſimpliciter vera eſt: quia ſi nō fuerit iniquitas in afflicto, nō nocebit aduerſitas pœnalis: quia erit ei non ad nocumentū, ſed magis ad profectum & gloriæ augmentum, ſecundum illud ad Rom. 8. Diligentibus Deum omnia cooperātur in bonum, &c. Gabriël. Et vt idem dicit di. vij. q. vnica, in fine libri ſecundi. De potentia ordinata Deus nō infligit pęnam, niſi præceſſerit culpa. De potentia quoque ordinata culpa non remittitur niſi gratia gratum faciens infundatur: quia ordinauit Deus nullum velle liberare à debito mortis æternæ, niſi quem acceptat ad gloriam beatitudinis perpetuę. Quemcunq; autem ordinat ſiue acceptat ad gloriā, huic infundit gratiā qua redditur dignus tātæ gloriæ, ſecundū illud Apoſt. Gratia Dei vita æterna, ad Rom. 6. Et hinc eſt quod inter peccatorē pęnæ debitorem & iuſtū gloriam expectantem, non eſt medium, ſicut nec inter gratum & ingratum. Hæc Gab. di. xiiij. q. j. ar. j. lib. iiij. Aſtipulatur prædictis Iacob. de Valen. ſuper illud Pſalm. 30. Saluaſti me de neceſſitatibus, animam meam à neceſſitatibus, ſcilicet ad pęnam quę neceſſariò ſequitur culpam, & à culpa quæ neceſſariò ſequitur ex fomite & concupiſcentia, quæ dicitur lex membrorum, quæ quaſi neceſsitat & cogit alliciēdo hominem ad peccandum. Iſta enim dicuntur neceſſaria, quia ſunt connexa & alligata: nam ex peccato primorum parentum ineſt nobis fomes & corruptio naturæ in carne, ex cuius cōtactu anima maculatur peccato originali, & ex eius conſenſu cauſatur peccatū actuale, & mortale in volūtate, ex quo ſequitur reatus & pęna ſenſus. Et ideo iſta dicūtur neceſſitates quædam in nobis, à quibus nos Chriſtus liberauit per ſuam paſsionē & ſacramenta Eccleſiæ. Nam liberat nos à peccato, vt non ſit nec imputetur, & liberat nos à fomite, nō vt nō ſit, ſed vt non imputetur (vt inquit Auguſtin.) Hæc Chriſtopolitanus epiſcopus. Et vt ex prædictis haberi poteſt: Pœna dupliciter accipitur. Vno modo vt dicit damnum alicuius ſimpliciter, ſine reſpectu ad aliud. Secundo dicit ordinem ad præcedens demeritum, & illo modo afflictio brutorum & mors eorundem licèt ſit damnum & diſcōueniens brutis, nō tamen eſt pœna; quia non præceſsit culpa. Primò non pœna formaliter eſt carentia boni cōuenientis voluntati vel volenti. Eſt autem duplex pœna (vt notat Gab. di. xxxvj. qu. vnica. ar. j. lib. ij.) quædam nuda (boni conuenientis naturæ intellectuali) carentia, vt priuatio viſionis & fruitionis diuinæ, quæ dici ſolet pęna damni. Alia eſt quid poſitiuum, & tamen diſconueniens tali naturæ, ſicut calor excellens eſt aliquod poſitiuum diſconueniens corpori. Sic & pęna ignis infernalis & vermis carceris & fœtoris, quæ dicitur pœna ſenſus. De quibus infra plus dicetur. Et omnis pœna quæ eſt afflictio quædam, quæ alicui infligitur, eſt à Deo, à quo eſt omnis entitas poſitiua, vt vult Gabriël & Scotus & ſanctus Bonauen. di. xxxvj. qu. vlt. libr. ij. Illa autem pœna quę eſt formaliter peccatum, non eſt à Deo, niſi vt à deſerente, quod eſt dictu, quod voluntas deficiens à rectitudine iuſtitiæ in actu deſeritur à Deo, ita quod Deus non coagit ſibi ad rectitudinem à qua voluntas ſua ſponte defecit, &c. Et poſitiua pœna quæ eſt effectiuè à Deo, eſt bona, imo quandoq; eſt meditinalis, ſi non eſt exterminatiua, vt videre potes apud Gerſ. de vita ſpirituali animæ lect. iiij. Pœna autem quæ eſt formaliter peccatum, non eſt à Deo efficiente. Poſsit tamen dici à Deo deſerēte, vel permittente. Et pœna quædam eſt afflicta à iudice, quædam acta ab ipſo peccante, quia homo peccando ſibimet infert pœnam, vt inquit Richar. di. xlix. ar. v. qu. vij. lib. iiij.

Pœna dicitur ordinatiua culpæ ſecundum Gabr. di. xxxvj. q. vnica. lib. ij. pro quanto per pęnam reducitur volūtas peccatrix ad diuinę iuſtitię ordinem. Plura ibi Gabriël. Et ſecundum eundem artic. ij. Omne inquit peccatum eſt pœna. Vnde Augu. lib. primo cōfeſsionum. Iuſsiſti enim & ita eſt, vt pęna ſibi ſit omnis inordinatus animus, neque enim ad momentum eſt dedecus culpę ſine decore iuſtitiæ. Et probatur ratione. Nam volūtas priuās ſeipſam iuſtitia priuat ſe maximo bono ſibi conuenienti, cuius carentia maior eſt ſiue peior eſt cuiuſcunque cōmodi illati propter talē culpam: ergo infert ſibi pœnam. Longior eſt Gabr. vbi ſupr. Et infra dicit. Ad culpā inſeparabiliter ſequitur pœna, ſiue dicatur pœna quædam afflictio, ſiue inuolūtaria paſsio.

Sed

Sed pęna quę eſt dãnificatio, ſemper ſequitur: quia nunquã eſt homo in culpa, quin ſemper ſit in dãno. Afflictio verò, ſiue remorſus ſequitur in habitu, quãuis propter delectationẽ intenſam, vel incõſiderationem, vel diſtractionem animi non ſentiatur. Gabriël poſt Bonauent. Non autem omnis culpa peccati alterius eſt pœna. & probat idem Gabriël de primo peccato. Nam non eſt pœna peccati præcedentis, cùm ipſum ſit primum nec ſequentis: quia pœna non præcedit culpam. Non enim prius eſt vltor quàm aliquis ſit peccator, vt vult beatus Augu. ergo nec alterius peccati. Omne peccatũ poſterius, eſt pœna prioris & cauſa poſterioris: vt ſentit Magiſter di.xxxvj. lib.ij. niſi vltimum fuerit. Vnde Augu. quem refert Magiſter inter primũ peccatum apoſtaſiæ & vltimam pœnam, ignis ęterni media, quæ ſunt & peccata, ſunt & pœnæ peccati. Probatur ratione, quia peccans peccando demeretur deſeri à Deo, deſertus autem à Deo nõ poteſt non cadere in aliud peccatum, ſecundum illud Gregor. in mota. Peccatũ quod nõ per pœnitentiam deletur, ſuo pondere trahit ad aliud, ergo peccati ſequentis demeritum eſt peccatum præcedens, ſicut eſt demeritum deſertionis à Deo. Gabr. vbi ſupra.

Pœna quando comparatur ad punitum non placet Deo, vt ſcribit ſanctus Bonauen. di.j. libr.iiij. Non enim creauit nos ad puniendum, ſed quando comparatur ad meritum, ſcilicet, ad exiſtentem culpã, & ſic eſt in ea manifeſtatio iuſtitiæ, & ordinis: ſic placet Deo inquantum iuſtus. Et ſimiliter quando comparatur ad finem vel effectum, vtputa ad iuſtificationem rei. Et ſic placet ei inquantũ miſericors. Vnde in punitione quæ eſt via ad iuſtificationẽ rei, relucet miſericordia & iuſtitia, & ita eſt Deo placẽs, & talis fuit pœna circunciſionis. Et (vt idem ait) Deus nõ delectatur in pęna ſecundum quod pęna, ſed ſecundum quod iuſta vel iuſtificatoria, tamen hæc delectatio ſemper eſt cũ aliquo rigore. Et quia lex vetus fuit lex rigoris, ideo debuit in ea eſſe pęnalis curatio, ſicut eſt circunciſio. Hæc Bona. q.j.

Pœna ſecundum Rich. di.xx. ar.ij. q.j. lib.iiij. cauſatur dupliciter, ſcilicet, ex abſentia boni amati & pręſentia mali oditi, & vtroque modo pœna purgatorij maior eſt qualibet pœna temporali. Animæ enim in purgatorio, quia motus earum non retardatur mole corporis, vehementiſſimè deſiderãt cum Deo perfecta fruitione coniungi, & ideo ex huius fruitionis & coniunctionis abſentia vehementiſſimè affliguntur, maximè cùm tempus videant aduenisse quo cùm Deo perfectè eſſent coniunctæ, ſi dum erant in corporibus, pœnam ſuis peccatis debitam perſoluiſſent, quia etiam pęnam non tantum eſt læſio, ſed læſionis apprehenſio, vel ex tali apprehenſione cauſatã: ideo tantò cæteris paribus pœna eſt maior, quantò apprehenſio læſionis eſt fortior. Animæ autem in purgatorio fortioris ſunt apprehenſionis quàm dum erant in corporibus. Rich.

Pœnæ ſunt multiplices. Quædam ſunt æternæ, quędam temporalas. Pœnæ temporales quædam contrahuntur, quędam aſſumuntur, de quo S. Bonauẽ. di.iiij. ar.j. q.ij. lib.iiij. Et di.xl. ar.ij. qu.ij. lib.j. ait: Pœna quædam eſt inflicta, quædam cõtracta, quædam acta. Pœna inflicta ſimpliciter eſt paſſio & nõ repugnans gratiæ, vt fames, ſitis, & ęgritudo, & cæteræ pœnalitates & miſeriæ huius vitæ. De quo videatur Alexander parte iiij. q.ij. §. vltimo. & Gab. di.iiij. q.j. ar.j. lib.iiij. Pœna contracta eſt fomes & concupiſcentia, & hæc quidem paſſio eſt, & ideo pęna, ſed tamen inclinat ad actionem malã, & ideo gratiæ repugnat, non quantum ad ſubſtantiam, ſed quantum ad inclinationem. Pœna acta eſt ſicut obduratio & gratię expulſio, & hæc quidem pęna eſt, quia paſſio eſt, ſed quia ex mala actione ſiue ex peccato eſt, & illud cõcomitatur inſeparabiliter, ideo opponuntur gratię. Et ita patet quod nihilominus eſt pęna & paſſio. Quãuis enim contingat per propriam actionem, nihilominus pœna eſt, ſicut patet in ſcabioſo, qui in ſcalpendo ſe delectat, ſed poſtea ſentit in carne ardorem. Quędam pœnæ aſſumuntur & imponuntur in ſatisfactionem actualis peccati, vt ieiunia, vigiliæ, & corporalia & ſpiritualia exercitia & laborioſa opera, & varię corporis caſtigationes. Et pœnę temporales (vt ſcribit S. Bona. di.xxxiij. ar.iij. q.j. lib.ij.) non tantum ſunt punitiuæ, ſed etiam promotiuæ. Vnde Deus nõ tantum affligit inimicos ſuos, verũetiam amicos, ſicut patet in Tobia, Iob: & ideo in afflictione temporali ſeueritati iuſtitię cõiuncta eſt benignitas miſericordię, quę duo elegãter reperiri debẽt in omni punitione Dei & remuneratione. promouẽt quoq; pęnę tẽporales (vt idem ſanctus Bonauen. dicit di. iiij. ar.j. q.ij. lib.iiij.) multipliciter ad bonum. Dantur enim propter humilitatem. Iob 3. Sagittæ Domini militant in me, quarum indignatio, &c. Propter timoris incuſſionem. Iob 6. Terrores Domini militant contra me. Propter ſuiipſius cognitionem. Eſa. 28. Tantummodo ſola vexatio dabit intellectum, &c. Propter ſimulationem ad bonum. Mat. 2. Surgite & ite, quia nõ habetis hîc requiem. Propter exemplum nõ peccandi. Zach. 13. Adam exemplũ meum ab adoleſcentia mea. In exercitium virtutum, & maximè in virtute patientiæ. Rom. 5. Et gloriamur in ſpe glorię filiorum Dei. Non ſolum autem, ſed & gloriamur in tribulationibus, ſcientes quia tribulatio patientiam operatur. Et Iudi. 3. Hę ſunt gentes quas reliquit Dominus vt erudiret Iſraël. Bonau.

Pœna ſecundum Augu. lib. xiiij. de ciui. Dei cap. xv. eſt diſſenſio animę ab his rebus, quę nobis nolentibus accidunt. Poteſt autem pęna eſſe voluntaria (vt ſcribit S. Bonauen. di. xx. parte j. q. iij. lib. iiij.) tripliciter. Vno modo, quia aſſumitur à voluntate imperante, ſicut eſt pœna pœnitentialis. Alio modo quia ſuſtinetur à voluntate acceptante, ſicut eſt pœna martyrij, quia adeo eis placet quod ab ea liberari non vellent. Tertio modo eſt quędam pęna, quę ſuſtinetur à voluntate tolerante, vt pęna eſt in patientia, ita quod eius oppoſitũ eſt in deſiderio, ſicut cùm amans & deſiderans ſanitatem, infirmatur ſuſtinet quidem infirmitatem tanquam pœnã diuinitus inflictam, attamen ab ea liberari procurat, & illud miſericordię habet rationem voluntarij. Hoc modo voluntaria eſt pœna purgatoria in viris iuſtis, qui voluntariè eam ſuſtinent & deſiderant vehementer ad patriam venire, & alios ſibi auxilium præbere. Hæc Bonau. Vel pœna dicitur voluntaria. Vno modo ſecũdum Gabr. di. xiiij. q.j. ar.iij. dub.j. lib.iiij. quia patienter paſſa: puta, quia patienter tolleratur

leratur ſine remutmuratione. Vel ſecundo modo, quia accepta vt medicina acris & afflictiua. Tertiò, vt cauſata à voluntate tanquam à cauſa propinqua partiali, non tamen intendente effectum. Quartò vt cauſata à voluntate tanquã à cauſa remota principali effectum intendente. Sic pęna corporalis exterior, aut ſenſitiua interior omnibus his modis poteſt eſſe volũtaria, quia poteſt patienter tolerari ab alio inflicta, poteſt etiam volũtate acceptari, poteſt & à voluntate vt motrice membrorum corporis, cauſari, poteſt etiam imperari, vt legitur 3. Reg. 20. de Prophetia dicente: Percute me. plura vide apud Gabr. vbi ſupra.

Pœna quædam eſt materialis, quędam perſonalis, vt ſcribit Bruleſ. di. iiij. q. ij. lib. iiij. & eſt quę omnibus cõuenit, ſiue quæ omnibus infligitur, ſicut ſunt pœnæ cõſequentes peccatum primorum parentum, de quibus dictum eſt. Pœna verò perſonalis eſt illa, quę conuenit alicui & non conuenit alteri, vt ſunt pœnæ infernales.

Pœnales miſeriæ ſunt multæ, quas primorum parentum culpa traduxit in poſteros. Has annumerat Gab. lect. lxxix. canon. Vide & eundẽ ſer. j. dominicæ Septuageſimæ. Et aliquæ ſunt ſpirituales, alię corporales. Spirituales, quæ ſe tenent ex parte potentiatũ animæ, quæ ſunt memoria, intellectus, voluntas. Quarum quælibet grauatur ſuis meſeriis. Memoria quidem ineptitudine & labilitate. Intellectus, hebetudine & cęcitate. Voluntas pronitate ad vitia ad ſeipſam recuruatione. Ex quibus oriuntur in anima multa mala: quæ videre potes apud Gab. vbi ſupra. ſcilicet, ignorantia, errores, timores, triſtitiæ, & ſollicitudines, &c. Corporales miſeriæ multiplicantur: vt diſcraſiæ, peruerſiones, & defectus ſenſitiuarum virium interiorum & exteriorum. Interiorum, vt ſpecies maniæ, melancholię, furię, phreneſis. Exteriorũ, vt organorum indiſpoſitio, quales ſunt oculorum lippitudo, luſcedo, cęcitas, aurium ſurditas, odoratus & guſtus, tactus, groſſa terreſtreitas. Naturales, vt innumerę ęgritudines, malæ complexiones, naturalium virium deordinationes, monſtroſitates, & inexplicabiles cęterę calamitates, inquietudines & labores, quę non niſi quadam viciſsitudine releuari poſſunt. Quid enim hic (ait Bernar. ſermone xij. de diuerſis) niſi labor, & dolor, & afflictio ſpiritus. Hinc Apoſtolus 2. Corinth. 7. Nullam requiem habuit caro noſtra, ſed omnem tribulationẽ paſſi ſumus, foris pugnę, intus timores. Et ad Rom. 7. Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, &c. Vide latiùs apud Gabriëlem vbi ſupra.

Pœnæ damnatorum eſt multiplex (vt ſcribit Scotus diſt. l. & vltima qu. iij. libr. iiij.) Quædam eſt pœna damni, carentia, ſcilicet, viſionis diuinę. Alia eſt triſtitia de ipſa pœna. Tertia triſtitia de culpa, non vt eſt offenſiua Dei, ſed vt cauſa pœnę. Quarta eſt triſtitia de igne continente perpetuo. Quinta de igne immutãte & retinente intellectũ damnatorum in perpetua conſideratione ſua. Tertia triſtitia, ſcilicet de culpa, inquantum eſt peccatum, eſt vermis conſcientiæ. Pœnam infernalem eſſe magnam & multiplicem quo ad omnem ſenſum oſtendit Gabriël lectione xxxiij. canonis. Et hæ pœnæ damnatis (vt inquit ipſe) perpetuò infliguntur ſecundum corpus & animam. Corpus quidem pœnis variis, quo ad omnes ſenſus afficitur, anima ſecundũ omnes ſuas potentias cruciatur. Nam quo ad viſum, eſt ibi luminis priuatio, quod delectabile eſt oculis videre, ſecundum illud Eccle. 11. Dulce lumen & delectabile eſt oculis videre Solem. Vnde Mat. 22. Ligatis manibus & pedibus, proiicite eum in tenebras exteriores. Eſt & ibi fumus execrabilis. Apocal. 14. Fumus tormentorum eorum in ſecula ſeculorum aſcendet. Quo ad auditum eſt ibi ſonus horribilis. Sap. 17. Sonitus deſcendens, perturbat illos. Item gemitus miſerabilis & blaſphemia execrabilis. Apocal. 16. Quo ad olfactum eſt ibi ſulphur fętens. Apoc. 14. Cruciabuntur igne & ſulphure in conſpectu angelorum. Et in Pſal. Ignis ſulphur pars calicis eorum. Quo ad guſtum abſinthium amarum, cibus. Ierem. 9. Ecce cibabo populum abſinthio, & potum dabo eis aquam fellis. Item. Fel draconum, potus. Deut. 32. Vua eorũ vua fellis & potus amariſsimus, fel draconum vinum eorum, & venenum aſpidũ inſanabile. Quo ad tactũ eſt ibi ignis vrens. Mat. 25. Ite maledicti in ignem æternum, &c. Item vermis corrodens, de quo Eſa. 14. Item beſtia mordens. Deut. 32. Dentes beſtiarum immittam in eos. Item ęſtus inſuperabilis, & frigiditas intolerabilis. Iob 24. Tranſibũt ab aquis niuium ad calorem nimium. Affligitur & anima in ſuis potentiis ſenſitiuis & intellectiuis. vnde ſecundum Diony. eſt ibi proterua phantaſia, demens concupiſcentia, & furens triſtitia. Torſiones & dolores tenebunt eos, ſcribitur Eſai. 13. Plura Gabriël refert de illis in canone vbi ſupra. Has pœnas in quadam ſumma numerat Inno. in de vili. condi. huma. in fine, dicens: Ibi erit fletus & ſtridor dentium, gemitus, eiulatus & vlulatus, luctus, & cruciatus, ſtridor & clamor, timor & tremor, dolor & labor, ardor & fętor, obſcuritas & anxietas, acerbitas & aſperitas, calamitas & egeſtas, anguſtia, & triſtitia, obliuio, & cõfuſio, torſiones, & punitiones, amaritudines, & terrores, fames, & ſitis, frigus, & cauma, ſulphur, & ignis ardebũt in ſecula ſeculorum. Qui hæc fideliter corde pertractat, dicere poteſt cum Propheta: Circundederunt me gemitus mortis, dolores inferni circunde. me. Quis enim hæc meditans, non anxiè terretur? Sed fœlix terror inquit Gab. tranſitorius, qui timorem æternum excludit. lect. xxxiij. cano. &c.

Pœna vermis dupliciter poteſt accipi, vt ſcribit Rich. di. vlti. ar. v. q. ij. lib. iiij.) Aut propriè, ſcilicet, pro verme corporali, aut metaphoricè, ſcilicet, pro remorſu conſcientiæ, qui vermis dicitur inquantum oritur ex putretudine peccati, ſicut vermis ex putredine corporali, & animã ſpiritualiter pũgendo affligit, ſicut vermis carnem ipſam pũgendo vel mordendo. Vtroque modo dicunt aliqui in inferno pœnam vermis: propter hoc quod dicit ſcriptura Iudith vlt. Dabit ignem & vermes in carnes eorũ. Et Eccleſiaſtici 7. Vindicta carnis impij, ignis & vermis. Vermis autem puniens carnem, eſt vermis corporalis, vt eis videtur: quamuis Aug. xij. de ciuitate Dei. cap. ix. dimittit ſub dubio. Vtrum in inferno erunt vermes materiales vel non, tamen communiter tenetur quod non. Per pœnam enim vermis intelligit ſcriptura remorſum conſcientiæ, quo &

ſi prin-

ſi principaliter & immediatè affligitur anima, eo tamen & ex conſequenti & per quandam redundantiam affligetur caro. Vnde caro damnatorum affligetur & ab exteriori & ab interiori. Aſtipulatur Scotus in fine quarti libri diſtinctione vltim, quæſtione vltima, qui inquit. Pœna vermis erit quædam triſtitia & continuus remorſus conſcientiæ, & iſta pœna erit inæqualis, ſicut triſtitia, qua nollent iſti mala pati, eſt eis inæqualis. De pœna vermis dicit Petrus de Palude diſtinictione vltima, libro quarto. Vermis conſcientiæ, qui non moritur, dicitur pœna ſpiritualis damnatorum, & remorſus cõſcientiæ & ſynderiſis. Omnis quoque deſperatio & obſtinatio & omnia alia ſpiritualia ſecundum eundem vermis nomine cõtinentur, quæ immediatè de putredine peccati generantur. Et cõcluſ. iij. idem ait. Pœna ſpiritualis in gehenna maior eſt omni corporali, ſcilicet dolot de priuatione maximi boni. Et maior eſt pœna vermis, vt vult Rich. vbi ſupra, quàm illa quę cauſatur ex igne, vt ibi probat: principalius tamẽ anima apprehendit ignẽ per ſenſum, & vermem per intellectum. Fortiot autem eſt apprehenſio per intellectum, quàm pet ſenſum. Et vermis eſt quid magis intelligibile cùm ſit quid ſpirituale, quã ignis, cùm ſit quid ſenſibile. Vermis etiam præſentior eſt animæ quàm ignis, quia corporalia nõ poſſunt eſſe intra animam ſicut ſpiritualia. Malum autem quod eſt animæ realiter præſentius, & ab ea cognitum perfectius, ſibi fortius eſt coniunctum. Plura Rich. ibi. Vide & Gregorinm xv. moral. & ſanctum Bonauen. diſtinct. vlti. lib. iiij. artic. ij. quęſt. ij. Et pulcra de verme rodente & pungente. Et qu. iij. in fine dicit, qnod iuſto Dei iudicio fiet, vt mali ſimul omnia peccata memorentur, vt de omnibus continuè torqueantur, & ideo vermis eſt pro omnibus, & non intenſior nunc quàm antè. De hac pœna dicic Gabriël lectione xxxiij. canonis. Eſt inquit in voluntate remorſus continuus & obſtinatio in malo. De quo Auguſt. in de fide ad Petrum. In inferno & ſi ſpiritus erit pœnitudinis, non tamen erit correctio voluntatis. Sapient. 5. Pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes, &c.

Pœna damnatorum generaliter eſt duplex, ſcilicet, damni & ſenſus. Pœna damni eſt carentia beatitudinis. Pœna ſenſus eſt quæ infert dolorem. Vel pœna damni (vt dicit Petrus de Aliaco, eſt priuatio præmij beatifici. Pœna ſenſus eſt afflictio infernalis tormenti. Iſtas pœnas innuit Dominus cùm dixit, & habetur Matth. 25. Diſcedite à me maledicti in ignem æternum. Videatur latiùs Cardinalis Cameracen̄. in principio in primum ſentent. Et vt ſcribit Richar. diſtinction. vltim. articul. v. quęſtion. vltim. lib. iiij. in damnatis eſt pœna damni & pœna ſenſus. Pœna damni eſt perfectionis, ad quam erant apti nati carentia ex peccato cauſata. Pœna ſenſus eſt quælibet pœna ex lęſionis apprehenſione ſenſibili ſeu intellectuali cauſata.

Prima pœna eſſentialiter non eſt dolor neque triſtitia, ſed ipſa apprehenſa, vt ex commiſſione vel omiſſione propriæ voluntatis cauſata eſt triſtitiæ cauſa. Pœna autẽ ſenſus eſt eſſentialiter triſtitia vel dolor, & inter pœnas damni carentia viſionis Dei maxima eſt. Et triſtitia cauſata ex illa carentia apprehenſa, vt proueniens ex actuali malitia proprię voluntatis, eſt maxima inter pœnas ſenſus, quia quamuis damnati non appetant videre Deum propter amorem ſuæ bonitatis, tamen vehementiſſimè illud appetunt propter deſiderium proprię delectationis, vide latiùs Richardum ibi. Et intelligendum hoc videtur de pœna damni, quæ conſequitur peccatum actuale, quia illam concomitatur triſtitia & pœna vermis pro quanto ſic damnati odiunt carentiam diuinæ viſionis; inquantum in eis eſt propter demerita propria (vt ſcribit Gabr. lectione xxxiij. canonis.) pœna autem damni (vt idem dicit) quæ ſequitur originale in pueris ſine baptiſmi ſuſceptione decedentibus, eſt in ipſis pœna mitiſſima ſecundum beatum Augu. in bap. paruulorum, & hoc fortè, quia eam triſtitia non concomitatur. Et de pœna damni intelligitur illud Iacob. Qui peccat in vno, factus eſt omnium reus, ſcilicet, quantum ad pœnam damni, quia æquè bene priuatur aliquis viſione Dei pro vno peccato mortali, ac ſi commiſiſſet multa peccata mortalia, &cæt.

Pœna virorum crudelium & malorum quam habebunt in extremo iudicio, erit quadruplex (vt ſcribit Iacobus de Valentia ſuper illud Pſalm. 111.) Peccator videbit & iraſcetur, dentibus ſuis fremet & tabeſcet. Primò quia cùm peccator ſuperbus videbit ibi in iudicio miſericordes & pauperes ad gloriam deſtinari, quos ipſe perſecutus eſt in hac vita, & contempſit, tunc iraſcetur præ inuidia, & vretur in corde. Secundò quia fremet ex pœna ſenſus ad quam deſtinabitur ex ſententia Chriſti. Tertiò tabeſcet & putrefiet in anima ex pœna vermis, cùm cognoſcet ſe fælicitatem perdidiſſe ex ſua culpa.

Quartò quia votum & deſiderium ſuum erit fruſtratum, quia tunc perdet gloriam mundi in qua confidebat & illecebras & delectationes illius, & ſic torquebitur in animo. Hæc & plura Valentia.

Pœna canonica ſecundum Scotum diſtinction. xiij. quæſt. ij. lib. iiij. & diſtinct. xxv. quæſt. j. lib. iiij. & imitatur eum Gabriël lect. ix. canonis, eſt pœna inflicta per canones prohibens, vel arcens punitum ab aliqno gradu Eccleſiaſtico qui aliàs ſibi liceret. Dicitur per canones, quia aliquando huiuſmodi pœna incurritur ipſo facto. Dum canon fuerit latæ ſententiæ, vt eſt canon. ſi quis ſuadente xvij. q. iiij. per quem excommunicatus eſt quiſquis manus violentas iniicit in clericum, etiam ſine iudicis declaratione. Dicitur vel ſecundum canones, quia aliquando pœna ipſa non ſtatim ipſo facto incurritur, ſed per iudices ſecundum canonum diſpoſitiones infligitur. Vnde quando Canon hæc vel illa facientem mandat excommunicari. Dicitur, qui aliàs ſibi liceret, quia non eſt pœna laico quod non conficiat, quia hoc aliàs ſibi non conuenit, ſed ſacerdoti pœna eſt. Neque homini pœna eſt ſi volare prohibetur. Huiuſmodi autem pœnæ multæ ſunt non fundatæ ſuper aliquam pœnam vel defectum naturalem, vt degradatio, irregularitas, excommunicatio maior, diſpoſitio, ſuſpenſio ab executione eorum quæ ſunt ordinis, ſimonia, infamia, & quædam alia huiuſmodi ad iſta reducibilia, vt ſub infamia poteſt contineri, eſſe pu-

blicum

blicum peccatorem, quod continet multa, ſcilicet, publicũ fornicarium, publicũ vſurarium & huiuſmodi. Aliquæ autẽ pœnę canonicæ fundãtur ſuper defectus naturales. Non enim voluit Eccleſia quaſcunque perſonas defectuoſas miniſtrare in altari. & meritò, quia in veteri lege ponitur, Leuit. 21. Lex homini, qui habuerit maculam quòd non offerret Deo ſuo panem, nec accedat ad miniſteriũ eius. Iſti autem defectus ſunt in quibus eſſet ſcandalum puſillorum: ſi taliter defectuoſus in naturalibus miniſtraret, & rationabiliter: quia quicquid ſine peccato mortali poteſt dimitti, vitandum eſt, ſi exercitio eius oriatur ſcandalum puſillorum. Tale ſcandalum oriretur ſi notabiliter defectuoſi in naturalibus, vt mutilati vel horribili, infirmitate infirmi, vt lepra, & huiuſmodi miniſtrent in altari. ideo Eccleſia rationabiliter talibus defectibus naturalibus adiunxit pœnas canonicas ſcilicet, prohibitiones miniſtrandi, propter reuerentiam ſacramenti, & ad vitandum ſcandalum puſillorum. Et iſtæ prohibitiones patent in canone di. xxv. & cx. de corpore vitiatis. Requiritur ergo in ordinate cõficiente ablatio omnium horum impedimentorum: quia habens quodcunque iſtorum, ſi conficit, facit contra prohibitionem Eccleſiæ, & ita mortaliter peccat, ſi non ignorat ſe ligatum huiuſmodi pœna: vt vult Scotus di. xiij. qu. ij. lib. iiij. & Gabriël in canone vbi ſupra. Qualiter autem incurrantur huiuſmodi pœnæ. & quali remedio remittuntur legito Scot. diſtinct. xxv. quæſt. j. libr. iiij. & de pœnis ſingulis ſuis locis patet.

Pœna Chriſti. Vide in dictione *Paſſio Chriſti* & ſupra tactum eſt.

Pœnoſum à pęna venit, & dicitur plenum pęna, vnde ſeptimana pœnoſa dicitur ſecundum Petrũ Palud. di. xvij. q. v. ar. ij. in fine lib. iiij. quam vltimam eſſe puto quadrageſimæ. A pœna quoque venit pœnitentia, de qua paulò pòſt dicetur.

Pœnitere dicimus quum quæ ipſi fecimus, aut quæ de noſtra voluntate, noſtroque conſilio facta ſunt, ea nobis pòſt incipiunt diſplicere, ſententiamque in his noſtram demutamus. Et quoniam quæ nobis tędio & pudori ſunt, pœna quædam eſſe videntur, vt pœnitet, aliquando pro tędet accipiatur. Sanè vt dicamus, me pœnitet id eſt, pœna tenet. Et pœnitere ſecundum Scotum di. xiiij. qu. j. lib. iiij. eſt deteſtari, vel odire peccatum à ſe commiſſum vel diſplicentiam habere, de hoc peccato à ſe commiſſo, vel pœnitere eſt vindicare peccatum à ſe commiſſum, & hæc eſt prima deſcriptio, & ſuperior eſt ſecũda. Tertia deſcriptio pœnitere eſt pœnam inflictã pro peccato ſuo commiſſo gratanter acceptare. Quarta deſcriptio eſt pœnitere, eſt pœnam ſibi pro peccato ſuo inflictam patienter ſufferre, latiùs declarat has diffinitiones Scotus. Omnis autem punitio voluntaria continetur ſub aliquo quatuor modorum pęnitẽtiæ, ſed ad deletionem cuiuſlibet peccati mortalis, actualis, poſt baptiſmum commiſſi requiritur aliqua punitio voluntaria, ergo ad eius deletionem requiritur pœnitentia, dicta aliquo illorum quatuor modorum. Hæc Scotus.

Pœnitentia capitur multipliciter (vt & colligit frater Oſualdus de Lasko lib. iiij. Roſa. Theo.) Primo modo dicitur deſperatiuus dolor, ſicut de Iuda proditore, dicitur pęnitentia ductus, retulit triginta argenteos, & de damnatis. Sap. 5. Pęnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes. Damnati autem pœnitebunt non propter amorem iuſtitiæ, ſed propter odium pęnę (vt inquit S. Bonauen. di. xiiij. parte ij. ar. j. q. iij. in fine lib. iiij. & concordat Rich. eadem di. ar. iij. q. ij. non enim pœnitent in ſpe veniæ, ſed propter pœnam horribilem, &c. Secundo modo pœnitentia dicitur dolor interior, & ſecundum Richar. capitur tripliciter, ſcilicet, pro habitu pœnitentiæ. Secundò pro actu pœnitendi. Tertiò pro dolore conſequente.

Pœnitentia ſecundum Gab. di. xiiij. q. j. ar. j. lib. iiij. accipitur dupliciter. Vno modo pro aliquo actu, vel habitu pœnitentis. Secundo modo pro actu ſacerdotis pęnitentem à culpa abſoluentis. Primo modò dicitur virtus, quia eſt habitus virtuoſus, aut actus exterior, vel interior, à virtute procedens, vel virtutem generans. Secũdo modo dicitur ſacramentum, quia ſic eſt abſolutio ſacerdotalis efficaciter ſignificans gratiam animam pœnitentis à peccatis mundantem. Et pœnitentia primo modo ſecundum Aug. dicitur quaſi pœnę tenentia, & pœnitere quaſi pœnam tenere, & poteſt infligi actiuè vel paſſiuè, Vnde pęnitẽtia quandoq; ſimpliciter accipitur pro pęna peccati purgatiua, & nec actiuè nec paſſiuè, & hoc modo eſt triſtitia cõſequens diſplicentiã de peccato, ſiue interior à volũtate, ſiue dolor in potentia ſenſitiua, ſiue etiam aliqua exterior pœna corporis afflictiua, vt ieiuniũ & cætera opera ſatisfactionis. Secundo modo accipitur pœnitentia actiuè, & ſic eſt actus huius pœnæ cauſatiuus, qui duplex eſt, interior & exterior. Interior eſt voluntatis, & hic eſt duplex. Vnus imperatiuus, qui eſt velle peccatũ punire. Alius conſequẽs imperiũ, & eſt actus elicitus à voluntate, quę eſt deteſtatio peccati vel diſplicentia peccati cõmiſſi, quod nihil aliud eſt quàm velle nõ peccaſſe. Hoc enim velle ſequitur triſtitia in voluntate, & quandoq; dolor in ſenſu. Et quãtò iſtud velle eſt intenſius, tãtò ſequitur maior triſtitia. Tertius eſt actus imperatus, & eſt caſtigatio aliqua ſibi ipſi inflicta pro peccatis, & illo modo eſt ipſa cõfeſſio, quę eſt cauſa verecũdię, & opera ſatisfactionis, quę cauſæ ſunt corporalis pęnæ, dicũtur pœnitẽtia. Tertio modo accipitur pœnitentia paſſiuè, & eſt voluntaria ſufferentia pœnę ſiue à ſe, ſiue ab alio afflictę pro peccato. tam interioris quã exterioris, & nihil aliud eſt quàm velle patienter pati pœnam pro peccato. Et poſſunt illi actus reduci ad quinq;, quorum quilibet dicitur pœnitentia, qui ſe ſequuntur quodam ordine. Primus eſt velle vindicare ſeu punire peccatum, quem ſequitur contritio, quæ eſt deteſtatio, vel odium peccati, id eſt nolle peccaſſe. Hunc ſequitur triſtitia in voluntate, & quandoque dolor in ſenſu, vſque ad effuſionem lachrimarum, quæ non eſt propriè actus voluntatis, ſed paſſio conſequens deteſtationem peccati. Quartò ſequitur acceptatio huius triſtitiæ & doloris: quæ eſt quædam complacentia, qua vult ſequi triſtitiam & dolorem, & complacet ſibi in illis. Vnde dicit Aug. Peccator, de peccato doleat, & de dolore gaudeat. Deinde ſequitur exterior pœnalis ſatisfactio. & acceptio eius. Et accipitur pœnitentia, non ſolùm pro

actibus

actibus dictis, ſed etiam pro habitibus ex eis genitis. Illi autem actus poſſunt multipliciter variari quantum ad circunſtantiam finis. Poteſt enim quis velle vindicari peccatum, aut ipſum deteſtari vel pœnam acceptare; vel quia peccatum eſt æternæ pœnæ inflictiuum, vel quia eſt præmij impeditiuum, aut quia eſt inhoneſtum & bonę famæ corruptiuum, vel quia Dei offenſiuum. Et ſecundum has circunſtantias alias & alias diuerſificantur illi actus. Omnes autem illi actus habentes alium finem, quàm Deum, informes ſunt, pro eo quòd nõ procedũt ex charitate. Sola enim charitas eſt forma cæterarum virtutum. Vide latiùs Gabriëlem nota. iij. vbi ſupra. Et ſecundum diuerſas pœnitentiæ acceptiones, variè diffinitur pœnitentia à patribus. Quarum ſeptẽ recitat Alex. par. iiij. q. liiij. memb. ij. Magiſt. d. xiiij. lib. iiij. recitat aliquas earum. Prima eſt Ambroſij.

Pœnitentia variè diffinitur. Vnde ſecundum Ambroſium, pœnitentia eſt dolor cordis, & amaritudo animæ pro malis, quæ quiſque commiſit. Pœnitentia ſecũdum Auguſtinum de Eccleſiaſticis dogmatibus; eſt pœnitenda non admittere & admiſſa deflere. Et huic concordat Ambro. dicens: Pœnitentia eſt mala præterita plangere & plangenda iterum non committere. Cui etiã concordat Greg. dicens: Pœnitentia eſt ante acta mala deflere, & flenda non committere, & hæ tres pro vna reputantur. Tertiò pœnitentia eſt correctio malæ mentis, & eſt glo. Matth. 3. Magiſter ſic diffinit. Pœnitentia eſt virtus vel gratia qua commiſſa mala cum emendationis propoſito plangimus & odimus, & plangenda vlterius committere nolumus. Alias diffinitiones aliorum recitat Gabriël di. xiiij. qu. j. artic. j. ſecundum actus ſupradictos, in quibus plangere & deflere capitur pro fletu interiori, qui eſt nolle peccaſſe. Pœnitẽtia inſuper vna diffinitione cõuenienti cuilibet dictorum actuum & habituum deſcribi poteſt ſic: Pęnitentia eſt actus, paſſio, vel habitus hominis ad punitionem peccati à ſe commiſſi voluntariè ordinatus. Dicitur primò actus, qui generaliter accipitur pro actu imperatiuo; ſcilicet velle vindicare, aut elicito, qui eſt deteſtari peccatum, vel imperato, qui eſt exterior ſatisfactiua punitio. Vnde pęnitẽtia eſt quędã vindicta dolentis: vt vult Aug. & refert eum Paludanus. Dicitur, vel paſſio propter triſtitiam & dolorem, imò & gaudium quod conſequitur cõplacentiam in triſtitia interiori, aut pœna exteriore. Nam & ipſa paſſio eſt ordinata ad punitionem peccati, quia intendit actũ acceptatione pœnę pro peccatis. Dicitur vel habitus propter pœnitentiam habitualem, & ita quilibet habitus alicuius quatuor actuum ſupra poſitorũ dicitur pœnitentia. Dicitur, ordinata ad punitionẽ peccati, ad excludendũ alios actus circa peccatũ, vt cõplacentiam peccati vel induratiõnem in peccato aut delectationẽ in peccatò cõmiſſo. Ordinatur autem ad punitionẽ, vel vt cauſa pœnæ, vel vt pœna ipſa, vel vt effectus cõſequens pœnam. Dicitur voluntariè propter pęnam illatam & à voluntate nõ acceptatam, vt cùm quis inuitè & nolenter ſuſtinet pœnam, talis ſuſtinentia nõn dicitur pęnitentia, vt hic accipitur. Accipitur enim hîc pro eo quę valet ad peccati deletionem. Dicitur, à ſe cõmiſſi, quia punitio aſſumpta pro peccato alterius, non eſt opus pęnitentiæ, ſed miſericordiæ. Et pœnitentiã principalius pręlicatur de actu ſecũdo, ſcilicet, de peccati deteſtatione, hoc eſt, nolle peccaſſe, ille enim ſine aliis ſufficienter diſponit ad peccati remiſſionẽ, alij non ſine eo, vt dicitur de cõtritione. Origo autem pęnitentię virtutis effectiua Deus eſt (vt ſcribit S. Bonau. di. xiiij. ar. ij. qu. ij. lib. iiij.) ſed diſpoſitiua à nobis, quia qui creauit nos ſine nobis, non iuſtificat nos ſine nobis. Diſpoſitio autem hoc ordine procedit. Primò neceſſe eſt Dei bonitatem & iuſtitiã cognoſcere, cui diſplicet omne malum & inordinatio, & in illa offenditur, & nullo modo relinquit impunitum, & ſe aliquid feciſſe quod ſua diſplicere debeat bonitati, & hæc eſt cognitio culpę, & ex hoc cognoſcat ſe homo ex diuina ſententia obligatum ad pœnam. Neceſſe eſt ſecũdò cognoſcere Dei miſericordiam, qua paratus eſt omni reuertenti & dolenti de culpa commiſſa ſibi remittere & indulgere. Ex prima cognitione generatur timor ex ſecunda generatur ſpes remisſionis, & ex his voluntas reuertendi, confœderandi Deo & ſatiſfaciendi, & per gemitum & alias pœnas, & ſi incipiat facere quod in ſe eſt, diſpoſitus eſt ad iuſtificationem. Hæc S. Bonau. Vide Gabr. qu. j. dub. vij. lib. iiij. Et ſecundum eundem ar. ij. concluſione iij. exiſtente in peccato mortali poſt baptiſmum commiſſo, ac de eodem conſcientiam habenti vel habere debenti de potentia ordinata, peccatum non dimittitur ſine actu pœnitentiæ formali vel virtuali. Vnde Luc. 13. de peccatoribus v. Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis. Item Mar. 1. Pęnitemini & credite Euangelio. Et Act. 3. Pęnitemini & cõuertimini, vt deleãtur peccata veſtra. Et Apoc. 2. Memento vnde excideris, & age pęnitentiam, &c. A pœnitentia etiam (vt ait Magiſter) incepit prædicatio Chriſti, Ioannis, & Apoſtolorum. Item Aug. ſuper illud Pſalm. 58. Non miſerearis omnium qui operantur iniquitatem, dicit. Omnino nulla peccata impunita Deus relinquit. Et dicitur ſecundum potentiam ordinatam, ſecùs enim eſſe poſſet de potentia abſoluta. Dicitur, peccato mortali, de venialibus fortè non oportet. Dicitur, poſt baptiſmum commiſſo propter peccatum originale quod infantibus remittitur in baptiſmo. Dicitur, de eodem conſcientiam habenti, id eſt notitiam vel memoriam, quia de eo quod omnino non cogitatur, pœnitentia haberi nõ poteſt. Dicitur, vel habere debenti, propter peccata, quorum ignorantia imputatur ad culpam, puta, quę eſt vincibilis, quia illa ſine pęnitentia non remittuntur. Dicitur, vel virtuali, quia per actum vehementem diuinæ charitatis quandoque poteſt dimitti peccatum ſine pœnitentia formali. In illo tamen actu charitatis eſt pęnitentia virtualis, inquantum in diuina acceptatione æquiualet actuali pœnitentiæ, & eam virtualiter includit, Gabriël vbi ſupra. Et pęnitentia quæ eſt virtus, nõ eſt ſine contritione, imo eſt ipſa contritio, vt ſcribit Gab. diſt. xvj. q. j. dub. ij. lib. iiij. Et ſine propoſito ad nõ peccandum in poſterum, non eſt digna pœnitentia, vt idem vult Gabr. di. xxij. qu. vnica. ar. ij. concluſ. iij. li. iiij. Et pœnitentia virtutis timore concipitur, vt ait Palud. di. xiiij. qu. iij. libr. iiij. & cæteri. Vnde eſt illud. *Oderunt peccare boni, virtutis amore.*
Oderunt peccare mali formidine pœnæ. licèt in aliquibus bonis concipiatur virtutis amore. Et pœnitentia vt

tia vt eſt ſpecialis, virtus eſt in iraſcibili, ſecundum S.Bona.di.xiiij.ar.ij.q.j.lib.iiij.quamuis alij aliter ſentiant, vt ibidem refert Bonauen. Richat.d.xiiij. ar.iij.q.j. dicit pœnitentiam eſſe in voluntate, ſicut in ſubiecto: quia actus eius qui eſt punire proprió peccatum, inquantum eſt contra iuſtitiam legis diuinæ, eſt in voluntate: vide latiùs eum ibi. Aſſentit Petrus de Palude, qui ideo ponit pœnitentiam in voluntate di.xiiij.q.iiij.libr.iiij.quia eſt pars iuſtitiæ, quæ eſt in voluntate: quia eligere eſt actus voluntatis, & pati ratione reſpuere, fugere, & deteſtari, quod eſt pœnitentię proprius actus. Vnde pœnitentia (vt ſcribit Bruleſer diſt.xiiij.lib.iiij.q.iij.) non eſt niſi quædam iuſtitia, qua peccator vult vindicare peccatum contra legem à ſe cōmiſſum, &c.

Pœnitentia ordinata habitualis eſt virtus, & ſicut pœnitentia actualis eſt actus virtuoſus, quia deteſtatio peccati, & nolle, eſt actus virtuoſus. Nam ſicut recta ratio dictat bonum honeſtum eſſe volendum: ita dictat bonum inhoneſtum, quale eſt omne peccatum eſſe nolendum: de quo videto plura. Gabr.di.xiiij.q.j.dub.iij.lib.iiij. Item actus vindicandi peccatum reducitur ad virtutem iuſtitiæ diſtributiuæ, cuius eſt virtutibus præmia, & pœnas vitiis diſpenſare, &c. Item nolle luxuriam, reducitur ad virtutem caſtitatis: deteſtari ſuperbiam ad virtutem humilitatis, reſpuere gaſtrimargiam ad virtutem temperantiæ, & ſic de aliis. Item tollerare pœnam pro peccatis inflictā reducitur ad virtutem patientiæ. Et quod dictum eſt de actibus, intelligendum eſt de eorum habitibus. Poteſt & pœnitentia eſſe virtus moralis, & theologica acquiſita. Et eſt theologica ſi habet pro obiecto Deum. Et peccatum vel pœnam ideo moralis. Latiùs de hoc videre potes Gabriëlem vbi ſupra. Sunt autem omnes actus pœnitentiæ, actus potentiæ appetitiuæ: quia nolle peccaſſe, velle vindicare peccatum, aut complacere in illis: ideo pœnitentia quantum ad omnes actus ſuos pariter, & habitus eſt in voluntate, tanquam in ſubiecto, vt dictum eſt; & quantum ad eam, quæ inclinat ad vindicandum, eſt in iraſcibili, & quantum ad eam, quæ inclinat ad deteſtandum, eſt in concupiſcibili. Gabriël dub. v. vbi ſupra. Videatur & Scotus diſt.xiiij. quæſt. ij.libr.iiij. qui ait: Pœnitere eſt actus ſpecialis virtutis, quia habet ſpeciale obiectum, & ſpeciales circunſtātias ordinatas. Obiectum eſt peccatum vindicabile. Circunſtantias quæ conueniunt actui: vt rectæ tendenti in tale obiectum, ſcilicet finem, modum, & huiuſmodi. Et (vt idem ait) pœnitentia quæ virtus dicitur, & pœnitere actus virtutis, non quidem actus virtutis intellectualis, ſed virtutis appetitiuæ. Hæc Scotus. Magnam quoque virtutem eſſe pœnitentiam, oſtendit Gerſon parte iiij. in expoſitione ſuper Pſalm.7.pœnitentiales. & Iacobus de Valentia multa de hac ſcriptis reliquit in expoſitione Pſalterij, in multis locis, quæ ſingula ſtudioſis relinquo. Legantur & plura apud Theologos in iiij.ſenten. ſcribentes copioſiſſimè. Pœnitentia præterea non eſt innocentum: nam qui non habuerunt peccatum, non poſſunt habere actum reſpectu ſui peccati, vbi enim non eſt actus, ibi nec habitus ex actibus acquiſitus. Ex hoc ſequitur, quod neque Angeli, nec Chriſtus, nec Virgo beata, habuerunt pœnitentiam. Item pœnitentia in incipientibus nondum perfectis (nam & perfecti quandoque labuntur, iuxta illud: Septies in die cadit iuſtus) frequenter oritur ex timore pœnæ, quæ oritur ex amore ſui. Sed in perfectis oritur ex amore Dei & iuſtitiæ, quibus magis diſplicet peccatum: quia contra Deum & iuſtitiam, quia pœnæ inductiuum. Gabriël d.xiiij.quæſt.j.dub.vj.& vij. lib.iiij.& ex prædictis liqueſcit, &c.

De pœnitentia Sacramento.

Pœnitentia Sacramentum ſic deſcribitur à Scot. q. iiij.diſt.xiiij.& Occam q.ij.diſt.eadem, libr.iiij. & poſt hos ſcribit Gabriël diſt.eadem, q.ij. ar.j. Pœnitentiæ Sacramentum, eſt abſolutio hominis pœnitentis, facta à Sacerdote iuriſdictionem habente ſub certa verborum forma, cum debita intentione prolata ex inſtitutione diuina, efficaciter ſignificatiuum abſolutionis animæ à peccatis. Explanatio huius diffinitionis: Dicitur primò, eſt abſolutio, id eſt quædam ſententia diffinitiua abſoluēs reum, non tamen ſententia Iudicis principalis, ſed Iudicis ſecundarij vel commiſſarij. Poteſt enim quis ex commiſſione aliquando iudicare pro condemnatione rei, ſi indignus eſt: vel pro eius abſolutione, ſi dignus eſt. Quod autem dicitur abſoluens, non intelligitur verè & realiter, aliàs in fictè accedente non eſſet Sacramentum, ſed abſoluens, id eſt abſolutionē ſignificans. Vnde abſolutio in diffinitione tantum valet, id eſt abſolutionis prolatio: hoc eſt prolatio verborum quorundam abſolutionem ſignificantium. Vnde illud Sacramentum eſt iudiciale Sacramentum: quia confeſſor ligare & ſoluere poteſt, ſecundum quod videbitur ſibi (vt ait Bruleſer diſtinct.xiiij. quæſt.j. libr.iiij.) Dicitur, facta à Sacerdote: vbi tangitur miniſter, qui ſolus eſt Sacerdos, nec ab alio quàm à Sacerdote hoc Sacramentum miniſtrari poteſt. Dicitur, iuriſdictionem habente. Nam ſententia à non ſuo Iudice lata, eſt nulla. Oportet ergo Sacerdotem abſoluentem eſſe Iudicem confitentis: & ita in eum habere iuriſdictionem: eſt enim Sacramentum iudiciale. Et hæc iuriſdictio eſt de neceſſitate Sacramenti, ita quod ſi ab aliquo iuriſdictionem non habente miniſtretur: non ſolùm peccat miniſtrans, ſed irritum eſt Sacramentum. Vnde congruum eſt, vt idem habeat poteſtatem in corpus Chriſti verum & myſticum. Et ideo confeſſio, quæ eſt præuia ad Sacramentum pœnitentiæ facta laico, nihil valet virtute operis operati. Dicitur, hominis pœnitentis, id eſt confitentis: quia ad veritatem Sacramenti non requiritur, quod abſoluendus ſit pœnitens per actum pœnitentiæ interiorem. Nam fictè accedens, non eſt pœnitens: & tamen verum eſt Sacramentum cæteris paribus: licèt infructuoſum, quia & ſi ibi ſit Sacramentum ſignificans: non tamen abſoluitur à peccatis, nec gratiam conſequitur, quæ eſt res Sacramenti: ſed neceſſariò requiritur confeſſio peccatorum, ſine qua non eſt Sacramentum. Et in hoc tangitur materia huius Sacramenti eo modo, quo hic inuenitur materia. Vnde triplex poteſt poni materia Sacramenti pœnitentię. Remotiſſima, & ſunt

peccata. Remota, & eſt peccator pœnitens: & propinqua, & eſt ipſa confeſsio. Dicitur, ſub certa verborum forma, vbi tangitur forma huius ſacramẽti, quæ eſt abſolutio Sacerdotalis. Non autem neceſſe eſt hanc formã abſolutionis ita præciſam eſſe, ſicut in Baptiſmo & Euchariſtia: quia ſufficit quod exprimatur actus ſententiæ abſoluẽtis, ſicut eſt in iudice publico. Non oportet eſſe verba limitata, communiter tamẽ iſta verba ſunt apta: Ego abſoluo te. Quæcunq; alia præmittantur vel conſequantur ſecundum diuerſam cõſuetudinem in diuerſis Eccleſiis. Vide latius Scotum & Gabriëlem. De qua re dictum eſt in dictione *Abſolutio*. Abſolutiones autẽ in publico factæ, ſcilicet: Miſereatur tui, &c. vel: Indulgentiã & remiſsionẽ, &c. nõ ſunt ſacramẽtales, ſed ordinationes ordinatæ ad remiſsionẽ peccatorum venialium. Et ergo in ſacramentali abſolutione non ſufficeret eas dicere, quia Presbyter non per eas ſignificat fieri abſolutionẽ, ſed petit vt fiat. Præmittitur tamen deprecatio in ſacramentali abſolutione, vt effectus abſolutionis nõ impediatur: non tamen eſt de eſſentia Sacramẽti. Et quia Deus principaliter abſoluit per miniſterium Sacerdotis conuenienter apponitur aliquid quod pertinet ad auctoritatem principaliter abſoluentis, vt ſic: Abſoluo te à peccatis tuis in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti. Vnde videntur illa verba omnino ſufficere & eſſe congrua. Hæc enim exprimũt miniſtrũ & eius actum, & perſonam ſuſcipientem, & peccata à quibus abſoluetur: & auctoritatem principalem: licèt ſecundum Scotum illa ſolum ſint neceſſaria: Abſoluo te: cætera quæ in forma illa à quibuſdã addũtur, ſuperflua ſunt & periculoſa: vt ſunt cõfeſſis, cõtritis, & oblitis: quia ſecundũ multos nõ prærequiritur cõtritio, ſed ſufficit attritio: & ſic quantum ad attrita, non contrita fruſtraretur effectus abſolutionis, &c. Item cùm dicitur: Abſoluo te à peccatis: omnia peccata includuntur, & ab omnibus abſoluitur, ſi non ponit obicem. Vnum enim peccatum ſaltem mortale, ſine alio non remittitur. Si verò ponit obicem, ſcilicet non omnia, quorum habet memoriam confitendo, aut propoſitum habens peccata continuandi, aut cõplacentiam in commiſsis, iam non abſoluitur quæcunque verba proferantur: & ideo ſuperfluè adduntur, confeſsis, &c. Dicitur conſequenter in diffinitione: cum debita intentione prolata, quia intentio miniſtri requiritur in omnibus Sacramẽtis, faciendi illud quod Eccleſia intendit. Dicitur, ex inſtitutione diuina efficaciter, &c. Vbi duo tanguntur, ſcilicet inſtitutio eius quæ ſicut aliorum Sacramẽtorum fieri non potuit; niſi per Chriſtum: vt aliàs dicitur. Secundum, efficacia ſignificationis eius, quia eſt ſignũ certum demonſtratiuum ſemper habens effectum, niſi ponatur obex. Et de inſtitutione huius Sacramenti videre potes ſanctum Bonauen. diſt. xxij. part. ij. q. ſ. lib. iiij. Sed clarius hoc habetur apud Richard. diſt. xxij. art. ij. quæſt. v. & vltima, lib. iiij. Ex his omnibus colligi poſſet quid nominis Sacramenti pœnitentiæ clarius, ſic: Sacramentũ pœnitentiæ eſt prolatio certorum verborũ ſuper homine peccata ſua confitente à Sacerdote idoneo, debita intentione, ex inſtitutione diuina efficaciter ſignificãtium abſolutionem confitentis à peccatis. Et patent clauſulæ. Nam quod dicitur idoneo, excludit Sacerdotem auctoritatem abſoluendi confitentem, non habentem, vel vti non potentem. Et pœnitẽtia Sacramentum in re nihil aliud eſt quàm verba formalia dicto modo prolata. Et partes pœnitẽtiæ ſunt tres, ſecundum omnes, ſcilicet Contritio, Confeſsio, & Satisfactio. De quibus ſuis locis dicitur. Et ſecundũ Magiſtrũ eſt pœnitentia interior, ſcilicet contritio: & exterior, ſcilicet confeſsio & ſatisfactio. Interior verò pœnitentia quodãmodo radicaliter omnis pœnitentia eſt. Ipſe enim dolor exerit ſe in ore per cõfeſsionẽ, exerit etiã ſe in opere per ſatisfactionem.

Pœnitentiæ ſacramentum accipitur dupliciter (vt ſcribit Gabriël di. xiiij. ar. j. lib. iiij.) Vno modo ſolum pro exteriori ſenſibili ſigno includente confeſsionem peccatorum & abſolutionem Sacerdotis cum debita intentione vtriuſque, vt dictum eſt. Et nihil aliud eſt de eſſentia Sacramenti quàm materia forma debitę, & intẽtio cõferendi in miniſtro, & ſuſcipiẽdi in eo cui miniſtratur id, quod Eccleſia intendit cõferre. Illis enim exiſtẽtibus & omnibus aliis circumſcriptis, verè eſt Sacramentum: etiam ſi propter fictionem ſuſcipientis non habeat ſuum effectum. Alio modo accipitur, vt præter iam dicta etiã includat contritionem & confeſsionem in actu, & propoſitum ſatisfaciendi in voto, vt, ſcilicet includat ſuas tres partes, ſicut accipit Alexand. Et quamuis regulariter per contritionem præuiã peccatum remittitur, & gratia prima iuſtificans cõfertur ante ſuſceptionem Sacramenti pœnitẽtiæ: ipſum tamen Sacramentum ſemper eſt efficax ſignum gratiæ per Sacramentum confitenti non ficto collatæ. Regulariter quoque per Sacramentũ pœnitentiæ aliquid temporalis pœnæ remittitur peccato iam debitæ. Vide de hoc plura apud Gabr. artic. ij. vbi ſupra. Et acceptum Sacramentum pœnitentiæ propriè, nunquam confert primam gratiã inſtrumentaliter, ſine contritione: quia ſine contritione peccatũ non dimittitur: & hoc eſt contra Scotũ. Vide Gabriëlem concluſ. iij. vbi ſupra. Hinc Gerſon par. ij. de Sacramento pœnitentiæ, ait: Virtute cõtritionis efficiũt, ſcilicet cõfeſsio & ſatisfactio (quæ ſunt Sacramentum cõtritionis & remiſsionis peccati) quod figurant, ſcilicet remiſsionem peccati: ſic diuerſis reſpectibus contritio eſt res & Sacramentum. Res, ſcilicet confeſsionis & ſatisfactionis, quę ſunt eius Sacramentum. Et Sacramentum remiſsionis peccati, quæ eſt eius res. Ex quo patet quis ſit effectus pœnitentiæ, ſcilicet remiſsio peccatorum & cõmutatio pœnæ æternæ in temporalem: & ex conſequẽti collatio vitæ æternæ. Hæc Gerſon. De partibus pœnitentiæ, quæ ſunt contritio cordis, confeſsio oris, & operis ſatisfactio: copioſe ſcribit Gabriël d. xvj. lib. iiij. Sed hæc ſuis locis pateſcunt. Paulus Corteſ. lib. iiij. di. iij: ita oſtendit pœnitentiam iure ſacrum nominari, tum propter principẽ finem, quo ſumptibus mulcta irrogatur, compelluntur q; ad faciendum Deo ſatis: tum etiã propter quod ad quæcunque ad eiuſmodi ſacrũ accedũt pœnæ rationẽ nanciſcũtur, quemadmodũ eſt cõtuſi hominis inexhauſtus dolor, hæſitans cõfeſsionis pudor, flaminiſque nexus ad mulctam, quæ ſunt generis eiuſdẽ. Et tres ſunt ſecundũ eundẽ partes pœnitẽtiæ. Vna, ſcilicet cõtuſio, id eſt cõtritio: altera confeſsio, tertia perſolutio,

lutio, id eſt ſatisfactio. Et pœnitētia, id eſt ſatisfactio iniungitur propter duo, ſcilicet propter debitū ſoluendū, & propter remediū cōtra recidiuū preſtandū. De quo legito lati⁹ Gab. d. xx. q. viij. ar. iij. dub. j. qui & de iniungēda pœnitētia multa ſcribit ibidē.

Pœnitētia ſacramentū eſt vnū eo modo, quo oratio, quæ eſt abſolutio, dicitur vna. Si verò Sacramentū pœnitētię acciperetur pro omnibus ad eſſe huius Sacramēti requiſitis, tunc eſt vnū Sacramentū vnitate ordinis: quia omnia illa ordinātur ad vnū effectū, ſcilicet remiſsionē culpę actualis, & vnitate ſignificationis: quia ſignificāt eundē effectū, ſcilicet gratiā peccata delentē. Plura Gab. d. xiiij. q. ij. ar. j. lib. iiij. Pœnitētia autē delet, lauat, & mūdat, vt vult Iacob. de Valen. Pſal. 50. Delet enim ſuperbiā, lauat luxuriā, mundat ab auaritia. Vel pœnitētia delet iniquitatē à Dei memoria, lauat ſenſualitatē à turpitudine cōcupiſcentię & materiali habitus, & mūdat cor & conſcientiā à macula. Item delet à propoſito, lauat à locutione, & mundat ab opere, &c.

Pœnitētia ſiue virtus ſiue Sacramentū, qua homini reſtituitur gratia, per quā attingit ad portū ſalutis, dicitur tabula poſt naufragiū metaphoricè. Cuius metaphoræ ratio variè aſsignatur à Doctorib. ſed ſufficit vna quam apponit Gabr. di. xiiij. q. ij. ar. iij. dub. ij. li. iiij. Mundus in quo creatus eſt homo, mare magnū intelligitur, ſecundū illud Pſal. Hoc mare magnū, &c. Nauis eſt ſtatus innocentiæ, in quo per gratiā facilè & ſatis ſecurè homo creatus poterat peruenire ad portū ſalutis: quianqādū erat illa ſcopuloſa rebellio & periculoſiſsima pugna ſenſualitatis & rationis. Naufragiū perditio eſt ſtatus innocentiæ in Adā, quo integritas nauis fracta eſt, & perditus innocētiæ ſtatus. Tabulæ ſunt remedia, id eſt Sacramēta, quib⁹ gratia perdita reſtituitur, ſicut in baptiſmo, & perfecta pœnitētia, qua omnis culpa & pœna remittitur: nō tamē ſtatus innocētiæ reſtituitur: quia manet peccati fomes, manet bellū inteſtinū, manēt ſcopuli & arenæ multiplicium impedimentorū, quæ in ſtatu innocētiæ non fuiſſent. Ideo ſicut per tabulā cū magno labore & periculis enatare oportet naue fracta ad littus: ita ſub gratia reſtituta in ſtatu huius miſeriæ cū magno periculo & labore, pugnaq; cōtra tentationē ad mortē peccati inducere, laborantes enatare oportet. Et quia duo ſunt Sacramēta ordinata cōtra duplex peccatū, quo naufragus periclitatur, ſcilicet contra originale, Baptiſmus: cōtra actuale, pœnitētia. Et ſicut originale dimiſſum nō redit, ita Baptiſmus nō eſt iterabilis. Homo verò frequēter iterat peccata actualia, ideo neceſſaria fuit nō ſolū baptiſmi tabula, ſed pœnitentia, quæ iterari poteſt quoties peccatū iteratur. Et Baptiſmus dicitur prima tabula, pœnitētia ſecunda tabula poſt naufragiū: nec opus eſt tertia, quia pœnitētia ſufficit cōtra omnia actualia. His tabulis reſtituitur gratia, ſed nō nauis: quibus tamē quiſquis hæſerit (licèt cum labore & periculo) tamē ad ſalutis ſtadiū vel portum enatabit. Hæc Gab. vbi ſupr. dub. ij. Alias rationes alij aſsignant. Concordat ſanctus Bonauen. Vidē & ad hoc Richard. di. xiiij. circa litterā. Dicitur & pœnitentia fundamentum: vt in dictione *Fundamentum* videre potēs.

Pœnitentia dicitur vera, tam pœnitētia virtus quàm Sacramentū dupliciter. Primo modo pœnitētia virtus eſt vera, dū habitus ex actibus deteſtādi peccatū ſecundū rectā rationē & debitū finē elicitis eſt genitus ad huiuſmodi actus natus inclinare. Similiter actus eius dicitur pœnitentia vera. Et in hoc quod dicitur ſecundū rectā rationē, includūtur omnes circunſtantiæ debitæ in eſſe, ſcilicet quod ſit omnium peccatorū propter debitū finē, & cū propoſito cōfitendi & ſatisfaciendi. Sic pœnitētia Sacramēti vera eſt, ſi fuerit vera confeſsio, & abſolutio Sacerdotis abſoluere potētis, & intēdentis etiā alijs circūſcriptis. Illa enim ſunt de eſſentia Sacramenti materia, ſcilicet & forma, & miniſter idoneus, in quo includitur intētio debita. Secūdo modo adhuc dupliciter poteſt pœnitētia intelligi vera, quantū ad efficientiā; quia duplex eſt eius effectus, propinquus, & remotus. Propinquus eſt gratię infuſio, & peccati remiſsio. Remotus eſt æterna beatitudo. Primo modo pœnitētia dicitur vera, per quā peccatū remittitur, & gratia infunditur, ſiue gratia perſeueret, ſiue nō. Et illo modo etiā preſcitus poteſt verè pœnitere, nō autē eſt verū Sacramentū, ſi fictè acceditur: puta, cū propoſito cōtinuandi peccatū; licèt primo modo verū eſt Sacramentū, ſicut verus eſt Baptiſmus, qui ab accedēte fictè ſuſciperetur cæteris paribus. Secūdo modo pœnitētia non eſt vera, per quā pœnitēs non conſequitur æternā beatitudinē. Hæc Gab. d. xiiij. q. iij. ar. j. li. iiij. Ad verā autē pœnitentiā (vt dicit Dominus Cardiā. Camer. in principio iiij. ſent.) ſufficit dolere de peccato commiſſo: & ad hoc nō requiritur velle ipſum nō fuiſſe, ſed nō velle ipſum fuiſſe: & ipſum deteſtari. Et (vt inquit Scot. d. xiiij. q. ij. lib. iiij.) pœnitētia ſiue actus, ſiue virtus, non eſt vera, quantū ad finē attingendū ſine charitate. Vnde Aug. de pœnitentia: Sine charitate in nobis eſſe non poteſt vera pœnitentia. Idem de vera & falſa pœnitentia. Cùm ſit opus Dei fructifera pœnitentia, inſpirare eam poteſt, quandocunque vult ſua miſericordia. Et ibidem de vera & falſa pœnitētia, quod ſine amore Dei cōſequitur quis veniā, habet hoc pro incōuenienti. Et vt idē dicit: Pœnitentia abſolutè poteſt innaſci ex naturalibus hominis, ſed nō fructifera, hoc eſt ferēs fructū: imò vt fructuoſa eſt in vltimo inſtāti, & per pœnitentiā acquiritur venia: & illa venia eſt, quando quis per gratiā acceptatur ad amicitiā diuinā. Poſt pœnitentiam autē verā veritate exiſtētię, & efficiētię primo modo acceptā, poteſt pœnitēs in peccatū, & culpā mortalē cadere, vt ſcribit Gab. ar. ij. vbi ſup. & probat hoc auctoritatē Magiſtri ad hoc plura allegantis in textu. Probat & ratione, vide ibidem. Probat & exemplo Dauid, qui verè pœnituit de peccato adulterij & homicidij Vriæ: quia pœnitentiam eius Dominus acceptauit: vt habetur 2. Regum. 12. Dixit enim Nathan Propheta ad Dauid: Tranſtulit Dominus peccatum tuum, nō morieris: & tamen poſtea peccauit in numeratione populi. 2. Reg. vlt. Et ſimiliter de Saule, & Apoſtolis, qui poſt remiſsionē peccatorū, & Apoſtolatū peccauerunt. Petrus negando Dominū, cæteri fugiendo, & fidem perdendo. Probatur & ex eo, quia voluntas poſt verā pœnitentiam manet vincibilis, nec confirmatur in via, ſicut ante pœnitentiam: ergo poteſt peccare & non peccare poſt, ſicut antè, &c.

Sed poſt veritatem pœnitentiæ efficientię reſpectu effectus remoti, qui eſt beatitudo, non contingit pœnitētem finaliter in peccatum labi: quia vera pœnitentia ſic accipienda eſt, quæ pœnitentem perducit ad beatitudinem, ſed qui finaliter labitur in peccatum, non conſequitur beatitudinem: ergo pœnitentia præcedens non fuit vera. Et dicitur finaliter, qoia peccator pœnitēs prædeſtinatus poteſt in peccatum labi poſt pœnitentiam veram, & iterum reſurgere, ſed non finaliter: alioquin præcedens pœnitentia non eſſet vera veritate effectus remoti, ſi finaliter laberetur in peccatum mortale. Secùs eſt reſpectu effectus propinqui, qoi eſt gratia: quia ille nunquam ſeparatur à pœnitētia vera primo modo: quia pœnitētia vera eſt ſufficiens diſpoſitio ad gratiam, qua exiſtente gratia non ſubtrahitur. Hæc Gabr. cōcluſ. ij. vbi ſupra. Pœnitens verò quotienſcunque ceciderit poſt actam pœnitentiam, totiens reſurgere potuit per Dei gratiam. Hoc probatur auctoritate Chriſti Matth. 18. loquentis ad Petrum quærentē: quotiens fratri in ſe peccanti peccata dimitteret, reſpondit: Non dico tibi vſque ſepties, ſed vſq; ſeptuagies ſepties: vbi numerus finitus ponitur pro nnmero infinito, quotiens peccauerit & pœnituerit. Longior eſt ibi Gabr. Probatur & ratione poſt Alexan. part. iiij. quęſt. lxiij. membro iij. ex infinitate diuinæ miſericordiæ, & ex poſsibilitate ad cōuerſionem, & ex parte animę. Ex primo ſic: Miſericordia Dei eſt infinita: ergo nunquam ceſſat remittere peccata, ſubiecto non repugnāte. Vnde ex infinitate ſua decreuit altitudo diuinæ pietatis homini viatori, nunquā retrahere manum miſericordiæ ſuę, ipſo non per obicis poſitionem repugnante. Dicitur enim Eccleſ. 2. in fine: Secundum magnitudinem illius, ſic & miſericordia illius cum ipſo eſt. Sed magnitudo ipſius eſt infinita, ſecundum illud Pſalm. Magnitudinis eius non eſt finis: ergo & miſericordia. imò eadē eſt magnitudo Dei & miſericordia: quia realiter vna ſimplex eſſentia. Ex parte quoq; animæ poteſt argui, quę quamdiu manet viatrix, manet in ea liberi arbitrij vertibilitas, per quam potens eſt ſe diſponere ad cōuerſionem & gratiæ ſuſceptionem (vt latiùs ſcribit Gabr. concluſ. iij. q. iij. diſtin. xiiij. libr. iiij.) Ex quo ſequitur falſitas opinionis, imò erroris: quem recitat Magiſter di. xiiij. lib. iiij. dicentium verè pœnitentem vltra non poſſe peccare damnabiliter. Et ſi grauiter peccauerit, veram pœnitentiam non præceſsiſſe. Probant ipſi errorem ſuum multis auctoritatibus, quas ſoluit, & refellit Gabriël vbi ſupra. Illum errorem reprobat Auguſtin. in de vera & falſa pœnitentia, cap. iij. iiij. & v. vbi dicit: quod ſint perfidi plus quàm oportet ſapientes, non ſobrij, ſed menſuram excedentes.

Pœnitentia eſt triplex (vt notat Gabr. di. xiiij. q. iij. artic. iij. dubio vj. lib. iiij.) ſcilicet ſecreta, publica, & ſolemnis: & omnis ſolemnis eſt publica, & non econuerſo. In hac diuiſione pœnitentia non accipitur pro virtute, quia iſta eſt in ſola voluntate: nec pro pœnitentia, vt eſt ſacramentum: quia & huius forus eſt ſecretiſsimus: nec licet vnquam peccatum ibi confeſſum & remiſſum publicare. Sed accipitur pro ſatisfactione quę ſequitur ſacramentum pœnitentiæ impoſita confitenti à confeſſore.

Pœnitentia ſecreta eſt ſatisfactio pro peccatis à Sacerdote iniuncta ſecretè agenda, id eſt non publicè. Pœnitentia publica eſt quę pro manifeſtis peccatis iniungitur manifeſtè in facie Eccleſiæ agenda, non tamē cum ſolemnitate aſtantium clericorum: ſicut eſt publica correctio virgarum vel flagellorum, aut circumitio nudis pedibus, capite diſcooperto, ante crucem proceſsionis Dominicę diei, aut peregrinatio per mūdum cum baculo cubitali. Et hæc poteſt iterari, & à ſimplici Sacerdote iniungi, &c.

Pœnitentia ſolemnis eſt, quæ à ſolo Epiſcopo pro grauiſsimis criminibus publicis totam communitatem conturbātibus laicis fidelibus ſemel tantum cum debitis ſolemnitatibus imponitur. Hæc non iteratur ne vilis habeatur, etiam ſi peccatū pro quo iniungenda eſt iteretur: quo caſu pœnitentia publica aut ſecreta non negatur, diſt. l. quamuis. Hæc à ſuſceptione ordinis impedit, & ideo nunquam clericis eſt iniungenda, vt eadem diſtin. in capite. ꝑ. hanc autem. & duobus ſequentibus capitulis. Et ſecundum ſanctum Bonauent. Sacerdotibus non eſt imponenda propter reuerentiam ordinis. Nec ſecundum Richardum, laicis perſonis inſignibus, nec religioſis propter ſtatus dignitatem iniungi debet, nec etiam iuuenibus propter ætatis fragilitatem: eadem diſtinct. pœnitens. Aliis perſonis vtriuſque ſexus à prædictis iniungi poteſt. Ritus autem huius qui hodie in nonnullis vel paucíſsimis Eccleſiis obſeruatur, deſcribitur eadem diſtinct. in capite: ex Agatenſi concilio. & hunc modum refert Gabriël, quem legere potes. Et Richardus diſtin. xiiij. artic. xj. quæſt. ij. libr. iiij. & quæ perſonæ adeſſe debeant, ibi narrantur. & Gabriël quæſt. iij. dubio vltimo in fine quarti. & Richard. Et quoniam hæc rariſsimè iniungitur pœnitentia, obmittuntur quæ alij de hac ſcripſerunt. Nec (vt ait Durandus, & poſt eum Paludenſis quæſt. vj. diſtinct. xiiij. lib. iiij.) per talem pœnitentiam publicatur peccatum pœnitentis: quia quod eſt publicum per ſe, amplius publicari non poteſt, ſaltem quo ad illos, quibus iam innotuit tale peccatum. Pœnitentia autem neque ſolemnis, nec publica imponi debet, niſi pro peccato publico. Vel vt ſanctus Bonauentura vult, pro enormi & graui culpa imponitur ſolemnis pœnitentia. Sed correctio eius publicatur per pœnitentiam, quod non eſt malum, ſed bonum: vt publicum peccatum habeat publicam medicinam. Et quia maxima cōfuſione dignus eſt, qui maximum peccatum publicè commiſit: & vt ſit aliis in terrorem in exemplum pœnitendi ne deſperent, qui in grauibus peccatis detinentur, vt ſcribit Gabriël di. xiiij. q. iij. dubio vj. lib. iiij.

Pœnitentiam agere (vt ſcribit ſanctus Bonauentura diſtinct. xiiij. parte ij. articul. j. quæſt. iij. libr. iiij.) ſiue dolere de culpa commiſſa, eſt dupliciter: aut propter læſionem naturæ, aut propter offenſionem maieſtatis diuinæ & ipſius iuſtitiæ. Primam pœnitentiam ſuper culpa commiſſa habere poteſt quis ex ſola natura ſine gratia aliqua. Sicut enim homo naturaliter ſe diligit, ita etiam odit omne propter quod malum incurrit: & hæc pœnitētia eſt in malis & damnatis, & erit aliquando in Angelis malis, cùm abſorpti erunt à pœnis.

Sed in

Sed in hac viuit & regnat mala voluntas, cùm ſit proprij boni inimica: ideo Deus eam non acceptat, nec quis ſic pœnitens inuenit gratiam vel veniam. Alia eſt pœnitentia qua quis pœnitet propter Dei offenſam, paratus ei facere emendam, & hæc non eſt ſine diuina gratia gratum faciente vel gratis data. Et hæc adeo diſponit ad gratiam quod nullus eſt ſic peccator, quin inueniat gratiam & veniam: & ideo nulli eam dat, niſi cum quo proponit facere miſericordiam. Et quoniam diabolus hanc habere non poteſt: ideo nō poteſt habere veniam: ſed ſi per impoſsibile poneretur, quod diabolus hanc haberet, vtique Dominus daret ei gratiam. Hæc igitur eſt potiſsima cauſa irremediabilitatis peccati diaboli: quia non poteſt pœnitere, nec liberum arbitrium eius verti ad veniam petendam. Concedendum autem eſt, quod omnis agens pœnitentiam ſuper culpam, ſecundùm aſsignationem prædictam quantumcunq; peccauerit, inuenit veniam. Hæc ſanctus Bonauentura.

Pœnitentiæ tempus intelligitur (vt ſcribit Gabriël diſt.xx.quæſt.vnica, artic.j.libr.iiij.) illud tempus in quo pœnitentia (ſi haberetur) ſufficeret ad ſalutem: quoniam dubium non eſt, quin poſt præſentem vitam haberi poſsit pœnitētia, licèt infructuoſa. Nam de damnatis dicitur Sapien.5. Pœnitētiam agētes, & præ anguſtia ſpiritus gemētes. Et quamuis pœnitentia vera quandocunque habetur vſque ad inſtans mortis, ad ſalutē ſufficit, tamē non ſemper in mortis articulo haberi poterit. Nam pœnitentia haberi non poteſt tempore impeditæ rationis: quia arbitrij libertatem quærit Deus in pœnitente, quæ haberi non poteſt impedita ratione, ſed frequenter rationis vſus ceſſat ante inſtans mortis: ergo tunc cùm ratio deficit, pœnitentia haberi non poteſt: quamobrem periculoſū eſt & interitui vicinum (vt ait beatus Auguſtinus, & recitat Magiſter in textu d.xx.lib.iiij.) ad mortem protrahere pœnitentię remedium. Hoc & probat Scotus quatuor rationibus, quibus oſtendit pœnitentiam vſque ad extrema dilatam, vix fore poſſe veram & ſufficientem: tunc enim libertas arbitrij impeditur (quę requiritur ad veram pœnitentiam) per doloris vehementiam & mortis timorem: vt vix aliud poſsit infirmus cogitare: & per conſequens vix poſsit ſe conuertere ad perfectè deteſtandum peccatum. Talis quoq; pœnitentia vix poteſt eſſe debitè circunſtantionata, vt fiat ex amore Dei potius quàm ex timore pœnæ. Hinc dicit Auguſtinus: Charitatem quærit Deus, non neceſsitatem. Temporalia quoq; & vxor, & filij, & diuitiæ, quas relinquere cogitur, inclinant eum ad inordinatè concupiſcenda, cùm imminet ſeparatio ab eis: & ideo magnam faciunt difficultatem ad eliciendum diſplicentiam de eis. Conſtitutus denique in extremis eſt minus dominus ſuorum actuum quàm ſanus. Difficile quoque eſt ſe tunc poſſe conuerti ad deteſtandum peccata propter Deum. Et ideo dicit beatus Auguſtinus: Magnū eſt cui Deus tunc inſpirat (ſi quis eſt) veram pœnitentiam. Has rationes latiùs deducit Scotus, & poſt eum Gabriël vbi ſupra. Ex quo ſequitur, ſecundum Scotum, quod ſano perſuadendum eſt, vt ſanus pœniteat; oſtendendo ſibi periculum ſerotinæ pœnitētiæ. Secundò infirmo iam ad iſtum articulum deducto ſuadendum eſt, vt ſecundū poſſibilitatem laboret ad pœnitentiam ordinatam eliciendam voluntariè & propter debitum finem, ſcilicet propter Deum, licèt breuem. Extollenda quoque eſt ſibi diuina miſericordia, & latronis pœnitentia: ſera quidem, ſed non ſera indulgentia. Addit Gabriël tertium, ſcilicet cùm quis infirmari cœperit, præueniendus eſt articulus mortis extremus. Et diligenter infirmus eſt inſtruendus & monendus, dum viget adhuc ratio, & non eſt obrutus timore mortis: vt quæ ſalutis ſuę ſint, prouideat, pœnitentiam agat, Sacramentis ſe muniat, priuſquam ingraueſcente infirmitate hora mortis præoccupet. Nec magis attendatur periculum corporis & vitæ labentis, quàm animæ & vitæ perpetuò manentis. Ad hoc habetur argumentum in cap. cùm infirmitas. de pœn. & remiſ. vbi præcipitur Medicis, quod non priùs corporalem medicinam impēdant ægrotis, quàm eis fuerit de ſpirituali remedio prouiſum, &cæ. Peccat inſuper mortaliter, qui actu elicito differre per pœnitentiam in fine vitæ proponit firmiter. Nam quicunque ſcienter exponit ſe periculo ſalutis ſuæ, peccat mortaliter, ſecundum illud Eccleſ.3. Qui amat periculum, peribit in illo. Veruntamen de illo mortali poteſt pœnitere in extremis, ſicut de cæteris: ita ſcribit Gabriël diſtinct. xx.quæſt.vnica, artic.ij.lib.iiij. Vnde hortatur ad pœnitentiam beatus Auguſtinus, dicens: Age pœnitentiam dum ſanus es. Vide Scotum, notanda ſcribentem de pœnitentia. Multa alij de pœnitentia ſcripſerunt: ſed hæc pauca ſufficiant Theologiæ neophitis.

Policia eſt ordo quidam inhabitantium ciuitatem in principando & in ſubiiciendo, ſecundum Ariſtotelem libro 3. Politicorum: vel ſecundum Gerſonem parte j. de origine iuris & legum. Policia eſt congregatio communitatis perfectæ ſub pluribus vtilitatem reipublicæ per leges ſuas principaliter intendentibus. Dicitur perfecta communitas, ad differentiam iconomicę conuerſationis, quę ſibi perfectè non ſufficit. Dicitur ſecundum leges ſuas, quoniam in hoc attenditur principatus dominantis, ſi ſecundum leges ſuas inueniatur vltro regere policiam, aliena lege non arctatus. Et ſecundum eundem policiarum quædam eſt cœleſtis, alia eſt humana. Et eſt duplex. Quædam dicitur Eccleſiaſtica, altera ſecularis. Et ſecularis diuiditur ab Ariſtotele in tres, quarum primam vocat regnum. Secundam dicit ariſtocratiam. Tertiam nominat policiam. Regnum deſcribitur quod eſt policia ſub vno bono. Vel expreſsius eſt cōgregatio cōmunitatis perfectæ ſub vno, ſecundū leges ſuas bonas pro repub. Dicitur autē vnus ille bonus, vel Rex vel Imperator, ſeu Monarcha, qui nō propriū principaliter, ſed cōmune bonū intēdit in ſuo principatu. Deſcribitur ariſtocratia, quod eſt policia ſub paucis bonis: vel expreſsius, quod eſt congregatio cōmunitatis perfectæ ſub paucis bonum reipublicæ per leges ſuas principaliter intendentibus: vt Senatus. Policia verò appropriato nomine ſeu tymocratia, quod eſt policia ſub plurimis bonis: vel vt ſupra dictum eſt in principio. Hæc Gerſon. Vide eundem in ſermone pro Viagio Regis Romanorum, parte prima, & lectione iij. de vita ſpirituali animę.

vbi dicit, quod policiarum quædam diuina, quædam naturalis, quædam humana. Policia diuina, vel (vſitatius loquendo) Eccleſiaſtica propriè dicta, eſt communitas viuens ſub iure purè diuino, vel ſecundum id regulata ſub hac deſcriptionis generalitate cõprehenderetur policia beatorum. Ipſa enim iure diuino cuius ſuprema lex eſt charitas regulantur. Sic appellatur noua Hieruſalẽ ciuitas ſancta, regnũ æternũ: imò ſic fortè diceretur beatiſsima Trinitas eſſe policia. De illa policia plura Gerſon. Policia naturalis eſt cõmunitas ſecundũ leges purè naturales principaliter regulata. Policia humana eſt cõmunitas ſecundũ leges purè ciuiles vel humanas principaliter regulata. Gerſon. Vide eundem tract. xj. ſuper Can. beatiſsimæ Virginis. Et ſecundũ beatum Tho. ij. ij. q. l. art. iiij. Policia prudentia eſt per quam conuenienter diſponuntur pertinẽtia ad bonum commune ciuitatis. Et eſt principalior quàm Iconomica: & hæc quàm monaſtica. Iconomica eſt prudẽtia rectiua multitudinis vnius familiæ ſecundum eundẽ B. Tho. ij. ij. q. xlviij. cuius finis eſt vltimus totũ bene viuere ſecundũ domeſticã cõuerſationẽ. Monaſtica verò eſt prudẽtia qua quis ſeipſum prudenter regit, ſecundũ B. Tho. ij. ij. q. liiij. ar. ij.

Pollutio, vt Theologi capiunt, eſt genitura ſomnó ſparſa, & à polluo, quod eſt inquino deducitur. Vel pollutio ſecundũ B. Thom. iiij. ſen. d. ix. q. j. ar. iiij. eſt immunditia ſeu corruptio corporalis in viro vel muliere ex deciſione & motu ſeminis proueniens. Vel eſt reſolutio ſeminis quæ fit in ſomno, quæ nõ eſt peccatũ, ſed ſimilitudo peccati. De iſta immunditia & pollutione variè ſenſerunt Doctores. Nam Alexan. de Ales, quem ſequitur Albertus, S. Bona. Petrus de Palude, tenet, quod qui habuit pollutionem nocturnam, etiamſi cauſam culpabilem nõ habeat, nihilominus abſtinere debet à celebratione, niſi in caſu neceſsitatis aut vitationis ſcandali. Debet, inquam, de conſilio nõ de præcepto: ita quod mortaliter peccat, ſi celebrat. Cauſam aſsignat Alexan. de Ales, quia in hoc actu quaſi omnino ordo virium peruertitur. Vnde ſecundum Auguſt. in hoc opere anima fit tota caro. Et ſicut guſtato ſpiritu deſipit omnis caro: ſic econtra & amplius guſtata carne deſipit ſpiritus, & fit carnalis. Generat etiam frequẽter in anima hebetudinem quandam, diſcraſiam & deordinationem. Ideo abſtinendum eſt donec fuerit reordinata natura, quod fit regulariter ſpacio 24. horarũ. Vnde ad tantũ tempus abſtinere debet poſt pollutionem. Hæc Alexan. Vide & plura apud Paludenſem di. ix. q. iij. libr. iiij. Richar. de Media Villa, li. iiij. di. ix. art. ij. q. iij. Finaliter ad hoc hãc materiã reſoluit: Si pollutio in ſomno proueniat ex cauſa, quæ eſt peccatum mortale, impedit de neceſsitate. Si ex veniali præcedente infirmitate vel ſuperfluitate, tunc non impedit. Addit etiã quod periculũ vomitus impedit. Beatus Thomas d. ix. li. iiij. q. iij. vult ad dignam cõmunionem tria requiri, ſcilicet munditiam cõſcientiæ, erectionem mentis ad Deum, munditiam corporalem. Et multa de pollutione ibidem Brulefer d. xxv. q. xij. libr. ij. dicit, quod nulla pollutio inchoata & perfecta in ſomnis eſt peccatum mortale: quia nullũ peccatum mortale eſt actuale, niſi ſit volũtarium: cum etiam nullus poteſt peccare mortaliter, niſi habeat

vſum liberi arbitrij: ſed in ſomno quamdiu eſt in ſomno, nõ habet vſum liberi arbitrij. Et dicitur inchoata, quia aliquis poſſet habere cogitationem immundam, qua vigente poſſet labi in ſomno, & tunc illa radix eſt mala. Poteſt & pollutio corporalis in ſomnis contingere, nedum abſq; peccato, ſed etiam cum magno merito, quia aliquãdo prouenit ex arcta abſtinentia: licèt illa pollutio non ſit meritum, prouenit tamen ex merito, vt etiam in confeſſoribus, abſque tamen conſenſu. Item nulla immunditia corporalis quæcunque ſit illa, eſt impeditiua per ſe à celebratione Miſſę, licèt aliquando per accidens impeditiua, propter aliquã ſequelã in anima: vtputa, hebetudo mentis, & depreſsio ad carnalia vel indeuotio. Item poſsibile eſt abſque reprehenſione, imò cum magno merito pollutum tractare ſacroſancta myſteria precioſi corporis & ſanguinis Chriſti: quia ad debitè celebrandum eo modo quo poſſumus, ſufficit quod non habeat conſcientiã de peccato mortali, & quod nõ habeat legitimum impedimentum: vt ſi quis haberet ſtomachũ oneratum, vel alio modo: & quod talis præparatio non excludat totaliter deuotionẽ, ſed poſsibile eſt quod pollutus iſta tria habeat. Hæc Brulefer. Multa vide apud beatum Thomam. Videatur & copioſe Gabriël lectione x. canon. qui poſt multa quæ de pollutione ibidem ſcribit, ponit hanc doctrinam. Pollutus in ſomno abſque conſenſu in vigiliis ſequẽte vel præuio, dum ſe non ſentit magis hebetem, & per cogitationes ad carnalia reflexum aliis impedimentis, non obſtante etiam extra caſum neceſsitatis aut remouendi ſcandali, poteſt ſine peccato & meritoriè celebrare, dum deuotio trahit, pietas ſuadet, aut ſuſceptum officium exigit vel requirit. Vide latiùs Gabriëlem vbi ſupra. & Gerſonem parte ij. tract. de pollutione nocturna. qui & permulta de ea ſcribit: & de pollutione diurna. Et inter cætera dicit, quod nulla pollutio diurna vel nocturna plus habet de peccato quàm fuerit de conſenſu circa illam in libero arbitrio. Vnde ſi nullus fuerit conſenſus verus vel interpretatiuus, directus vel indirectus, perfectus vel imperfectus, nullum prorſus erit pollutio illa peccatum. Vide latiùs eum.

Difficile autẽ eſt (vt idem ait) vel impoſsibile abſque diuina reuelatione cognoſcere generaliter & certitudinaliter radicẽ & cauſam pollutionis diurnæ: ſi videlicet proueniat ex conſenſu vero vel interpretatiuo, aut cõſenſu directo vel indirecto, aut cõſenſu pleno vel imperfecto, aut ſi abſq; vllo conſenſu ſuperioris rationis vel inferioris prouenerit. Ad obuiandũ autem periculis & ſcrupulis (vt idem dicit propoſitione x.) quæ conſurgunt ex fluxu fœdo diurno, conſiderandæ ſunt diligenter cauſæ & radices; vt eis cognitis fiat diligens & diſcreta prouiſio, &c. Vide latiùs qui valde plura de pollutione tam nocturna quàm diurna ſcribit. Sed quia hunc librum non magnum eſſe decreui, plura curioſis legenda relinquo.

Pollutio quædam eſt locorum ſacrorum. De qua videre potes Guilhelmum Epiſcopum in Rationali ſuo libr. j. vbi agit de Eccleſiæ dedicatione & conſecratione: & quando Eccleſia ſit reconcilianda. De qua ita ſcribit Petrus de Palude diſtinct. xviij. quæſt. viij. artic. iiij. libr. iiij. dicens, quod Eccleſia

& cœmi-

& cœmiterium reputátur polluta per ſanguinis effuſionem ibi factam violenter, & iniurioſe: ſicut per homicidium & mutilationem, vel aliam vulnerationem. de conſecrat.diſtin. j.cap. Si motum: nec debet celebrari, neque ibidem ſepeliri quouſque reconcilietur. Si autem homo ſine alterius violentia,& per ſe ibidem emittat ſanguinem per nares, non propter hoc polluitur. Econuerſo ſi quis intra eam ſuſpenditur aut ſine ſanguinis effuſione ſuffocatur: nihilominus reconciliatione indiget. Si verò alibi vulneratus illuc fugiens adhuc ſanguinaret vel moreretur, non propter hoc pollueretur. Econuerſò ſi ibi vulneratus antequam ad terram ſanguis decurreret, exiret: nihilominus quia intra eam ſanguinis effuſionis cauſa facta, reconciliatione indiget. Et ſi martyr in ea occiſus eſt, reconciliatione indiget: quia per mortem eius plus fit iniuria Eccleſiæ ex parte ſæuientium: licèt per paſsionem Eccleſia honoretur, vt eſt illud: Actio diſplicuit, paſsio grata fuit. Hoc eſt intelligendum de enormi, & non modica, & leui percuſſione: puta, cum vnguibus, vel de naribus, aut dentibus, aut huiuſmodi. Si autem lapis de ſuperioribus cadens, ibi hominem vulnerauerit vel occiderit: vel furioſus non habens vſum rationis, hæc ibi fecerit in ſe vel in alio, non eſt homicidium: vbi deeſt mala voluntas hominis: ideò non indiget reconciliatione. Si verò aliquis ſuæ mentis compos ſeipſum occideret, verum homicidium eſſet: vnde reconciliatione indigeret. Item emiſsio ſeminis ſiue per adulterium, ſiue per ſimplicem fornicationem, polluit Eccleſiam & cœmiterium. de conſec. diſtinct. j. Eccleſ. Non autem ſi cuſtos Eccleſiæ ibidem nocturno ſomno polluatur: vt ibidem Paludenſis ſentit. Per debitum coniugale locus ſacer polluitur & violatur, ſiue ſint ibi incluſi tempore guerræ, non audentes exire, ſiue aliàs. Item polluitur Eccleſia per Sodomiticum, quod grauius eſt peccatum quàm adulterium, cùm etiam ſit cum ſeminis effuſione, reconciliatione indiget. Propter occultam autem ſeminis effuſionem, quantumcunque illicitam & innominabilem, quamdiu occulta eſt, concilianda non eſt: ſed illé occultè puniendus eſt. Vnde ſicut ſolennis pœnitentia nunquàm pro occulto crimine imponenda eſt: ita cùm reconciliatio Eccleſiæ ſemper fiat cum ſolemnitate, nunquam facienda eſt, niſi pro pollutione ſolemniter diuulgata, de adulte. cap. Significaſti. Si autem Sacerdos ſcit tantum per confeſsionem Eccleſiam pollutam, nec etiam in occulto tenetur abſtinere à celebrando ibidem, nec Epiſcopo dicere: vt dicunt quidam, quod reconcilier Eccleſiam cauſa non expreſſa: quia ex his quæ ſcit tanquam Deus, nõ prohibetur ipſe vt homo: nec arctatur ad aliquid faciendum vel omittendũ. Et quãdo Eccleſia polluitur quoquo modo, eo ipſo intelligũtur polluta cœmiteriũ & capella cõtigua: ſicut dicitur de interdicto, nõ autem ecõuerſo: quia magis dignũ trahit ad ſe minus dignũ. Item ſi conſecrans Eccleſiã vel benedicẽs cœmiteriũ ſit publicè excõmunicatus, indiget recõciliatione. Si autem excõmunicatus publicè ibi celebret vel ſepeliat, non propter hoc neceſſaria eſt reconciliatio, nec puer parentum fideliũ non baptizatus ſepeliatur in cœmiterio benedicto, non tamen indiget reconciliatione ex quo eſt filius fidelium. Puer autem filius infidelium tumulatus, bene pollueret ſicut ſi eſſet magnus. Item Eccleſia vel cœmiterium vbi excommunicatus publicè ſepelitur, eo ipſo polluuntur. Hæc Paludenſis vbi ſupra. qui & plura ibi ſcribit. Reconciliatio autem fiat per Epiſcopum: quo autem modo, videatur Guilhelmus in ſuo rationali.

Pompa Græca dictio eſt πομπή. Eſt autem pompa omnis ſpectaculum, non ecõntra. Pompa enim in proſperis & in aduerſis, qualis eſt in triumpho & in funere: quaſi quidam ſolemnis apparatus & oſtentatio. Spectaculum nunc illud quod ſpectatur, nunc locus ipſe vnde ſpectatur. Et pompa dicitur à pompen Græcè, quod eſt publicè Latinè oſtentari, vt dicit Rich. di. vj. lib. iiij. circa literam.

Pontifex eſt ſacer Magiſtratus: dictus à poſſe & facio. Nam inſtaurandorum Pontium curam habebat. Ideo dicitur ſecundum Varronem, à ponte & facio: pons quoq; ſublicius à Pontificibus primum eſt factus, & poſtea ſæpè reſtitutus. Et Pontifex maximus dicitur Papa. Hinc Pontificatus deducitur, & à quo ius Pontificium, quod modò Ius canonicũ appellãt. Et Pontificalis: vnde Pontificales libri dicũtur, in quibus ſacræ ceremoniæ cõtinentur.

Pondus ſignificat onus, moles, de quo aliàs. Pondus legitimum, eſt pondus conſequens quantitatem ſubſtãtiæ pro tali numiſmate iuſtè determinatum. Determinatio ponderis iuſta, quando determinatur pondus tanti valoris pro moneta, quanti eſt pondus materiæ eius non monetatæ. Ita quod tantum debet valere moneta ex pondere, quantum valeret ſua materia non monetata & non plus, ſaltem deductis expenſis monetandi. de quo videatur Gabr. di. xv. q. ix. art. j. lib. iiij.

Porta à portando, dicitur omnis exitus, & quo poteſt importari vel exportari aliquid, vel ab aratri portatione. Dicitur & aditus, & illud per quod ingreditur. Vnde duplex eſt porta ingrediendi in cœlum, vt ſcribit ſanctus Bonauentura diſt. xxxiij. libr. iij. circa textum: videlicet per obſeruantiam mandatorum, ſecundum illud Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Et per tollerantiam tribulationum, ſecundum illud Actuũ 14. per multas tribulationes oportet nos, &c. & aliàs multis oſtenditur.

Portio dicitur quaſi partio, & ſignificat partem: huius diminutiuum eſt portiuncula: à quo proportio, quæ eſt duarum rerum inuicem facta comparatio: de qua ſuo loco dicetur. Eſt & portio animæ, & hæc eſt duplex, inferior & ſuperior, quæ ponuntur tantum in parte animæ rationali, & non in parte ſenſitiua, vt probat Gabriël diſtin. xxiiij. quæſt. vnica, libr. ij. Portio namque ſuperior eſt duntaxat reſpectu æternorum, quæ ſenſu non ſunt comprehenſibilia. Portionis verò inferioris ſecundum beatum Auguſtinum xij. de Trinit. cap. ij. & iij. eſt circa exteriora ſiue temporalia ex his quæ in memoria ſunt veriſimilia à veris diſcernere, ac de illis diſponere & indicare, quod ad rationem pertinet. Vnde non id quod commune habemus cum pecoribus, ſed rationale noſtrum in ſui operis diſpartitur officium.

Portio animæ ſuperior accipitur dupliciter: largè & ſtrictè. Largè accipitur, vt non tantum extendit ſe ad obiecta æterna, ſed etiam ad temporalia in ordine ad æterna, ſiue ſecundum regulam legis æternæ: ſic portionis ſuperioris eſt actiones circa creaturas per regulas æternæ legis moderari, & in Deū ordinare, dum in agendis temporalibus cōſulit diuinam voluntatem: ſecundū hoc poteſt intelligi illud Aug. Rationis pars ſuperior æternis rationibus conſpiciendis vel conſulendis adhæreſcit. Conſpiciendis tanquam obiectis, vel cōſulendis tanquam regulis ad obiecta temporalia regēda. Strictè portio ſuperior eſt ea vis rationis, quę circa æterna verſatur tanquam circa obiecta, & non circa temporalia. Vnde anima intellectiua habēs actū aliquem intellectiuum vel appetitiuū, hoc eſt cognitionem vel volitionem circa Deum, aut diuinam voluntatem, qui ſolus eſt æternus tanq̃ obiectū, eſt portio ſuperior. Et tunc deſcriptio Aug. ſic eſt intelligenda: Portio ſuperior eſt portio quæ æternis rationibus conſpiciendis & conſulendis adhęreſcit, id eſt, eſt ratio quæ circa æterna verſatur tanq̃ circa obiecta. Hæc Gab. d. xxiiij. q. vnica, ar. j. lib. ij. Et rationem imaginis proprię Augu. ponit in ſuperiori rationis portione. Et charitas qua diligitur Deus, eſt in voluntate portionis ſuperioris, & eadem eſt ſimiliter in voluntate portionis inferioris, qua diligimus proximum: quia proximus eſt obiectum. Vide ad hoc Scotum de portione. Thom. part. j. q. xix. & ſanctum Bonauen. d. xxiiij. libr. ij. & plura Gab. vbi ſupra. Vnde portio ſiue ratio ſuperior (vt talis eſt) intendere poteſt aliis ſub Deo, quæ ſunt ſpiritualia & intellectualia: vt ſunt Angeli & Sancti, vt ſcribit Gerſ. tract. vij. ſuper Cant. Mariæ.

Portio animæ inferior eſt quæ ad temporalia gubernanda deflectitur, id eſt, eſt ratio verſata circa tēporalia tanquā circa obiecta. Vnde cognitio qua cognoſco Deum trinum & vnum, & cætera ad Deum pertinētia, pertinet ad portionē ſuperiorem. Cognitio verò qua cognoſco creaturā, pertinet ad portionē inferiorem. Vnde portio inferior eſt quæ obiectis creatis adhæret ſecundum regulas morales, & naturalis honeſtatis tantum ſine relatione ad diuinas. Vnde ratio intendens regulis æternis contemplandis, pertinet ad portionem ſuperiorem. Ratio quę intēdit temporalibus ſecundū regulas æternas, pertinet ad portionem inferiorem. Vide latiùs Gab. vbi ſupra. Et (vt inquit S. Bonauen. d. xxiiij. lib. ij.) inter ſuperiorem portionem & inferiorem eſt lex coniugij: & ideo vna tenetur alteram regere & reprimere, & (vt dicit Gab. d. xxiiij. q. vnica, ar. iij. dub. ij. lib. ij.) accipiēdo portionem ſuperiorem largè, nullum peccatum mortale committitur, quin portio ſuperior ſit in culpa. Cùm enim non cōmittitur ſine auerſione à Deo, & ſolius ſuperioris portionis eſt auerti à Deo, ſicut conuerti ad Deum, ſecundum regulas æternæ legis. Sic accipiendo portionem ſuperiorem in omni mortali peccato, portio ſuperior auertitur à Deo verè vel interpretatiuè. Verè dum legem æternam attendens cōtra eam conſentit portioni inferiori in actum contrarium legi. Interpretatiuè, dum non cohibet inferiorem, dum tenetur ſecundum legem, & ita negligendo auertitur, dum ſe non conuertit & conuertere ſe tenetur, &c. Et illo modo verum eſt illud Auguſt. Quod ſi peccatum non diu tenetur in delectatione cogitationis, ſed ſtatim, vt mulierem, id eſt inferiorem portionē tetigit: viri, id eſt ſuperioris portionis auctoritate repellatur, veniale eſt. Si verò diu in delectatione cogitationis tenetur, & ſi voluntas perficiendi deſit, mortale eſt, & pro eo damnabitur ſimul vir & mulier, id eſt totus homo, quia & tunc vir non ſicut debuit mulierem cohibuit: vnde poteſt dici conſenſiſſe. Hæc Magiſter. Ex quibus patet quod B. Auguſt. & Magiſter accipiunt portionem ſuperiorē largè, vt eius eſt regere portionem ſuperiorem ſecundum leges æternas. In portione verò ſuperiori poteſt eſſe peccatum mortale, abſq; hoc quod ſit in portione inferiori, vt patet de peccato infidelitatis circa articulum trinitatis: quia circa tale obiectum non eſt portio inferior. Hæc Gabriel. Videatur & diuus Bonauen. eadem diſt. Accipiendo autem portionem ſuperiorē ſtrictè, nullum eſt peccatum in portione ſuperiori, niſi quod immediatè committitur in Deum. Hæc enim portio ſic accepta, non verſatur circa aliud obiectum quàm circa Deum. Sic peccatum quo quis peccat in proximum, vel in ſeipſum, cuius Deus non eſt, obiectum eſt in portione inferiori ſtrictè accepta. Latius conſulas Gabr. vbi ſupra. Vide & eundem diſt. xv. q. vnica, art. j. lib. iij. de portione tam inferiori, quàm ſuperiori. Et accipiendo largè portionem ſuperiorem, ipſa poteſt (vt ibidem oſtendit) de tribus triſtari, ſcilicet de carentia fruitionis reſpectu obiecti æterni. Secundò, de peccato ſuo vel alterius voluntatis. Tertiò, de aliis malis ſuo ſuppoſito vel aliis perſonis ſibi dilectis conuenientibus: vide latiùs, qui & ibidem ſcribit permulta de triſtitia & paſſione Chriſti, & ſecundū quam portionem eam habuit, quæ ſtudioſis & deuotis, & amatorib⁹, & meditatoribus paſſionis Chriſti, relinquo legenda.

Portentum à portendo, id eſt præoſtendendo quod portendat aliquid futurum: quamuis aliquando dicantur portenta inania quædam & irridenda. Portentum quoq; ex auguriis & auſpiciis antiqui ſignificationem accipiebāt. Vnde apes illę ex ore Ambroſij prodeuntes, quaſi portentum fuerunt, quod de longè viri ſapientiam portenderunt, id eſt ſignificauerunt. Et dicta Prophetarum quaſi portenta, quia porro, hoc eſt de longe tendebant, id eſt futura diuinabant: portenta quoq; fieri dicuntur, cùm ſolida corpora rarò ſe oſtenduut: vt cometæ, turbines, barathra, & ſereno cœlo facta tonitrua. Et portentum, id eſt mirum, quod ſua magnitudine portendit, ſecundum beatum Thomam ſuper Eſa. 8. lectione iij.

Poſſe aliquid facere vel vitare, dupliciter poteſt alicui attribui, vt ſcribit ſanctus Bonauent. di. xxviij. libr. ij. circa textum. Vno modo dicitur aliquis aliquid poſſe, quia per ſeipſum ſine aliquo alieno ſuffragio poteſt illud: ſicut aliquis poteſt comedere quando eſt ſanus & habet cibum. Alio modo dicitur aliquis aliquid poſſe, non ſolùm quia poteſt illud per ſe & in ſe, ſed quia poteſt cum alio quod ſibi preſtò eſt: & hoc modo accipiēdo poſſe omne quod Deus præcipit, in noſtra poteſtate eſt, quia ipſe qui

præcipit

præcipit præſtò eſt præbere gratiam adiuuantem per quam poſſumus perficere. Alio modo accipiendo nō omne quod præcipit, eſt in noſtra poteſtate, non tamen ex hoc excuſatur aliquis, ſicut ſi præciperet Dominus ſeruo quod daret ſibi ad bibēdum, & ipſe non haberet aquam, ſi poſſet eam acquirere, non excuſaretur. Vide ad hoc Magiſtrum diſtinct. xxviij. ſecundi.

Poſſe aliquid aliquando accipitur ſecundum leges ordinatas & inſtitutas à Deo. Et illa Deus dicitur poſſe facere de potentia ordinata. Aliter accipitur poſſe pro poſſe facere omne illud quod non includit cōtradictionem fieri ſiue Deus ordinauit ſe hoc futurum ſiue nō, quia Deus multa facere poteſt quę non vult facere ſecundum Magiſtrum lib. j. ſenten. di. xliij. Et illa dicitur poſſe de potentia abſoluta, de qua paulò pòſt videbitur. Hęc Gab. di. xvij. q. j. art. iij. dub. ij. libr. j. Poteſt & Deus quicquid poſſe potentia eſt. Nunc autē peccare, infirmari, deficere, non eſt poſſe, ſed eſt non poſſe, quia eſt deficere. Verūtamen quicquid poſitiuū eſt in peccato, Deus poteſt producere. Et ſic omne poſitiuum quod poteſt producere creatura, poteſt producere Deus. Nec tamē ideo ſequitur quod poſſit peccare, mori, mentiri. De quo videas Magiſtrum & Gab. di. xlij. qu. vnica, ar. iij. lib. j. Et dominus Bonauen. di. xlij. qu. ij. lib. j. Potentiæ quoque Dei infinitę repugnat quicquid eſt indecens, incōgruum, ſecundum illud Anſel. Cur Deus homo. Minimum inconueniens eſt Deo impoſſibile. Nam poſſe inconueniens admittere, poſſe peccare, poſſe deficere, poſſe mori, nō eſt poſſe, ſed fragilitatis & impotentiæ. Omnis autem fragilitas & impotentia repugnat diuinæ potentiæ infinitæ. Gab. di. j. q. ij. lib. iij. Item poſſe inordinatè facere, non eſt poſſe ſicut poſſe peccare, poſſe mentiri. Sic nihil poteſt Deus quod nō poteſt ordinatè, vt dicit S. Bonau. di. xliij. circa text. lib. j. Quid autem ſit Deum facere ſecundum potentiam abſolutam vel ordinatam. vide in dictione, *Facere*. & infra de hoc pauca notantur.

Poſſe deficere aliquid capitur purè, priuatiuè, vt nihil poſitiuum importat, verius negatiuè, & ſic attribuitur rei non exiſtenti, & tunc non eſt poſſe, quia nihil poſitiuum importat. Alio modo capitur vt dicit priuationē in ſubiecto apto nato, ſicut cæcus dicit priuationē viſus in ſubiecto apto nato. Et poſſe eſſe cæcū, eſt poſſe eſſe animal carens viſu, & ita eſt aliquid poſſe, quia eſt poſſe eſſe animal. Sic poſſe peccare dicit priuationem in ſubiecto ſecundū ſic loquentes, quia dicit voluntatem liberam potētem deficere à rectitudine, & iſta eſt aliquid, & eſt poſſe, quia eſt poſſe eſſe talem voluntatem. Sic de poſſe mori. Dominus præpoſitus Gab. di. xliiij. qu. vnica. dub. j. lib. ij. Vide & eundem di. xxv. libr. ij.

Poſſibile dicitur quod fieri poteſt. Vel poſſibile dicitur quod non includit contradictionem. Vnde non includit contradictionem ſecundum Scotum, q. iiij. di. ij. lib. j. quod ſit vna eſſentia in tribus perſonis, quia cōtradictio eſt ſecundum idem, hoc autem non eſt contradictio ſecundum idem, quia hic eſt vnitas eſſentię, & trinitas perſonarum relatiuarum, quare poſſibile eſt quod cum vnitate eſſentiæ diuinæ ſtet pluralitas perſonarum.

Poſſibile eſt duplex, vt ſcribit Aliacen. in principio in primum ſent. Quoddam eſt quod non exiſtit in creaturæ rationalis poteſtate libera, ſicut cœlū moueri, vel ſolem oriri. Aliud eſt poſſibile quod exiſtit in creatura rationalis libera poteſtate: ſicut diligere Deum, vel odire proximum, & ſic de multis. Dupliciter autem (vt idem ſcribit) poteſt aliquid intelligi poſſibile exiſtere in creaturæ rationalis libera poteſtate. Vno modo ſtrictè, quia tale poteſt fieri ab ea ſicut velle vel nolle diligere, vel odire. Alio modo largè: quia aliquid poteſt fieri, vel ab ea, vel in ea: ſicut habere gratiā, vel fidem infuſam, hoc enim non exiſtit in rationalis creaturæ libera poteſtate primo modo, quia gratia, vel fides infuſa non poteſt fieri ab ea primo modo, ſed ſecundo modo. Vide eum ibi latius. Et vt idem ſcribit qu. xiij. art. j. lib. j. ſent. Poſſibilium quædam ſunt incomplexè ſignificabilia, quædam verò complexè. Primo modo adhuc poſſibile ſumitur dupliciter: vno modo vt diſtinguitur contra actu ens; & ſic omne quod nō eſt & poteſt eſſe, ſicut antechriſtus, dicitur quoddam poſſibile. Alio modo vt diſtinguitur contra neceſſarium, & ſic omnis entitas etiam actu exiſtens, quæ poteſt eſſe & poteſt non eſſe: dicitur quoddam poſſibile. Et proportionabiliter poſſibile ſecundo modo dictum, poteſt dupliciter accipi. Vno modo vt diſtinguitur contra verum, & ſic ſolum enuntiabile, non verum, non impoſſibile, eſt poſſibile. Alio modo vt diſtinguitur contra verum neceſſarium, & ſic omne enunciabile etiam verum, potens tamen eſſe falſum, dicitur poſſibile. Et quantum ad primum modū aliquid dicitur poſſibile fieri: quia poteſt fieri aliqua entitas. Sed quantum ad ſecundum aliquid dicitur poſſibibile fieri, non quia talis propoſitio, vel enuntiabile poſſit fieri, ſed quia poteſt fieri quod ita ſit, ſicut per eam ſignatur. Hæc dominus Cardinalis Came. vbi ſupra.

Poſſibile ſecundum Scotū di. ij. qu. vij. lib. j. eſt duplex ſcilicet, logicum & reale. Poſſibile logicū eſt modus compoſitionis formatæ ab intellectu illius quidem, cuius termini nō includunt contradictionem, & ita hoc modo poſſibilis eſt hæc propoſitio, Deū poſſe produci, & Deū eſſe Deum. Sed poſſibile reale eſt quod accipitur ab aliqua potentia in re, ſicut à potentia inhærente alicui vel terminata ad illud, ſicut ad terminū. Vnde filius nō eſt poſſibilis poſſibilitate reali, nec poſſibilitate inhærēte, nec terminata ad ipſum, quia poſſibilitas ſiuē actiua ſiue paſſiua, eſt ad aliud in natura. Hæc Scotus.

Poſſibile ſecundum Guil. Scotiſ. in primo di. xlij. dicitur tripliciter. Vno modo aliquid dicitur poſſibile ſecundum cauſas inferiores, vt generatio aëris ex aqua, & ignis ex aëre vel radiis, &c. Secundo ſecundum cauſas ſuperiores, vt miraculorū operatio. Tertio ſecundum vtraſque cauſas ſuperiores & inferiores, vt ſunt curſus cœli naturales per angelos, & contingentia. Denique omne poſſibile ſecundū cauſas inferiores, eſt poſſibile ſecundum cauſas ſuperiores, ſed non econuerſo. Et per oppoſitum de impoſſibili dicendum eſt, & conſimiliter ad prædictos modos. Et primò quod eſt contra communē curſum naturę, vt cæcos illuminare, vel ad quod natura non poteſt ſe extendere, ſicut ſol non poteſt

hominem generare ſine viro & muliere. Secundò impoſsibile dicitur ſecundum cauſas ſuperiores, ſic eſt impoſsibile quod Deus decreuit nunquam fieri, ſicut cœlum annihilari. Tertiò quod eſt indifferens ad vtraſque cauſas, vel quod eſt impoſsibile ſimpliciter, vt Deum non eſſe. Sunt autem inter impoſsibilia quidam gradus, ſicut inter falſa, ſecundũ Aug. Nam impoſsibilius eſt lignũ eſſe Deũ, quã angelũ. & de impoſsibili vide latiùs ſuo loco.

Potentia dicitur à poſſe. Eſt autem triplex poſſe, ſcilicet poſſe eſſe, poſſe agere, dare, vel perficere, poſſe pati, recipere, vel perfici. Et ſic triplex diſtinguitur potentia. Potentia primo modo quod non eſt, natum tamen eſt eſſe. Secundo quod non agit, natum tamen eſt agere. Tertio quod non patitur, natum tamen pati. Primo modo apud aliquos dicitur potentia obiectiua, & dicitur quod non habet eſſe reale, ſed tantum eſſe obiectioum. Poteſt enim eſſe obiectum cognitionis. Secundo modo poteſt dici potentia actiua. Tertio modo potentia ſubiectiua. Primo modo antichriſtus eſt in potentia. Secundo modo anima in principio creationis, de qua Philoſophus. Vitam habens in potentia. Tertio modo aqua eſt in potentia calida, quæ eſt actu frigida. Et quia actus opponitur potentiæ. 7. Metaphyſ. Tot modis dicitur actus quot modis dicitur potentia, de qua io dictlone *actus* ſupra videri poteſt Gabr. di. xij. qu. j. libr. ij. Et hæc diſtinctio valet ad multas aoctoritates & ſanctorum & Philoſophorum intelligendas. Accipitur etiam potentia pro ſubiecto alicuius formæ. Et dicitur potentia ſubiectiua & forma inhærens, dicitur actus illius potentiæ, & bæc acceptio eſt ſatis communis apud Philoſophos, ſed comprehenditur in prioribus. Et materia eſt ens in potentia tertio modo, hoc eſt potentia paſsiua reſpectu formæ nõ habitę quam nata eſt habere, non autem primo modo nec ſecundo probat Gab. vbi ſupra. Et reſpecto formæ ſe actu informantis habitæ eſt in actu, & reſpectu habendæ in potentia, de quo conſulas Philoſophos.

Potentiæ dicuntur ſecũdum Philoſophũ ſecundum quas paſsibiles harum dicimur: pota, potentes iraſci, triſtari, miſereri. Et potentia in genere poteſt ſic deſcribi, vt notat Gabr. di. xxiij. q. j. at. j. lib. iij. Potentia eſt principium principale agendi, vel patiendi. Et dicitur principium principale propter principium, minus principale determinatiuum vel inſtrumentale, per quod excluditur habitus, qui non principaliter producit, ſed determinat potentiã ad certum modum agendi, bene vel malè. Excluduntur etiam diſpoſitiones qualitatiuę in materia, quæ determinant materiã ad huius, vel illius formę ſuſceptionem. Vocatur autem principium principale (vt ibidẽ vult Gabr.) cui primo, ſiue ex ſe non per aliud cõuenit poſſe agere, vel pati, ſicut intellectus cui primò cõuenit iotelligere & huiuſmodi per intellectum, & ideo homo non eſt in potentia intelligendi aut volẽdi, quia ſibi nõ cõuenit intelligere, & velle primò immediatè per ſe, ſed mediatè mediãte alio, ſcilicet, iotellectu & voluntate. Et ſecũdum quod eſt duplex poſſe, ſcilicet, poſſe agere & poſſe pati (vt dictum eſt) ita duplex eſt potentia, ſcilicet, actiua & paſsiua. Et per potentiam animæ (vt vult Gab. d. xvj. q. vnica, li. ij.) poteſt intelligi illud quo anima poteſt in operationis vitales. Et capitur vno modo pro omni neceſſario requiſito, ad quemcunque actũ vitalem, tanquã cauſa partialis. Alio modo accipitur potentia pro illo præciſe quod ſe tenet ex parte animæ elicientis tanquã principium partiale. Primo modo diſpoſitiones qualitatiuę requiſitę ad videndõ, audiendũ, &c. dici poſſunt potẽtiæ. Et eſt duplex potentia, ſcilicet, actiua & paſsiua. Potentia paſsiua quandoq; accipitur pro qoolibet illo, quod neceſſariò requiritur ad recipiendũ actũ vitalẽ, quo modo diſpoſitiones ſubiecti; quibus diſponitur ad recipiẽdum actũ, dicũtur potẽtię. Et illo modo quãdoq; idẽ eſt potentia actiua & paſsiua, quia quandoque eędẽ qualitatiuę diſpoſitiones, quibus ſubiectũ diſponitur ad recipiendum actũ vitalem, etiam concurrunt actiuę ad huiuſmodi actus productionem. Alio modo accipitur potentia paſsiua pro illo quod præciſe teoet ſe ex parte ſubiecti recipientis. Potentiæ autem animæ non diſtinguuntur ab anima, vt rotũdè & diffuſe probat Gab. auctoritate & ratione vbi ſupra. Vnde cum anima ſit potentia & principium multarum operationum vel actuũ in homine, diuerſa ſortitur vocabula, quarũ aliquod ſignificat ipſam animæ eſſentiã ſimpliciter & abſolutè non cõnotando aliquod diſtinctum ab anima, vt eſſeotia, vel ſubſtãtia animæ, vel anima ſi capitur abſolutè aliquod ſignificat eandẽ animæ eſſentiam, & cõnotat certã eius operationẽ, vt intellectus ſignificat eſſentiã animæ cõnotando ootitiã ſiue actũ intelligendi. Ita quod intellectus tantũ ſignificat ſicut hæc oratio, anima potens intelligere ſiue producere actũ intelligendi quod idẽ eſt. Voluntas ſignificat illã eandẽ eſſentiam cõnotando aliã operationẽ quæ eſt velle, vt ſignificat tantũ quantũ hæc oratio anima potens velle. Memoria ſignificat animã potentẽ memorari, & ſic de aliis. Potentiæ igitur animæ nõ diſtinguũtur ab anima. Aſſentit Gerſ. tract. iij. ſuper Magnificat. Diſcrepat B. Tho. parte j. qu. lxxvij. & q. liiij. ar. iij. qui vult quod potẽtia diſtinguitur ab anima & ſit accidens. Sed in hoc nõ aſſentitur Gab. qui rẽ diffuſe pertractat, & de potentiis animę di. xvj. li. ij. de quo vide & in dictione *Anima* ſupra. Potẽtiæ autẽ perfectiſsimè oaturæ rationalis ſunt intellectus & voluntas, vt dicit Scot. di. xvij. li. iij. Potentiæ verò animæ dupliciter impediuotur, ne debitè exeant in actus ſuos, vt ſcribit S. Bona. di. iiij. q. penul. lib. iiij. Vno modo à corporis imperfectione & corruptione, & ſic impediuntur in paruulis & ſtultis & dormientibus, & contra hoc impeditiuõ eſt corporis perfectio & bona diſpoſitio. Alio modo impediuntur ab habitu malo & concupiſcentia ſiue à culpa, & cõtra hoc impedimentum eſt gratia ſiue virtutes. Virtutes ergo reddunt potentias faciles ipſas perficiendo, & ſic remouendo culpam. vide latiùs ibi Bonauen.

Potentia libera (vt diſtinguitur contra naturalem) eſt potentia indifferens ad oppoſita, quæ, ſcilicet, in ſua poteſtate habet vtrumque appoſitorum, ſcilicet, facere & non facere. Et talis potentia dicitur contingenter prodoctiua. Non aotẽ intelligendum eſt quod habeat in poteſtatẽ ſua illa oppoſita, ſcilicet, producere & noo producere pro eodẽ inſtanti, hoc enim implicat contradictionẽ, ſed pro diuerſis

inſtantibus

inſtantibus ſucceſsiuè. Vide de hoc Gabr.di.xxv. qu.vnica. libr.ij. & di.xxxviij.j.ſent.

Potentia naturalis oppoſito modo deſcribitur, eſt potentia ad vnum oppoſitorū determinata, quæ nō habet in ſua poteſtate vtrumque oppoſitum, & talis potentia agit neceſſariò, id eſt, poſitis omnibus ad productionē effectus requiſitis, non poteſt non agere, & nulla cauſa reſpectu eiuſdem effectus poteſt eſſe cauſa libera & naturalis, quia hoc implicat. Sola autem voluntas eſt potentia libera: quia omnis alia potentia ad ſuum effectum determinatur; ita quod poſitis omnibus ad agendū requiſitis non poteſt non agere. Nec voluntas reſpectu cuiuſlibet velle eſt cauſa libera, patet de obſtinatis & damnatis. Similiter de voluntate confirmatorum in beatis, quia reſpectu actus quem non habent in ſua poteſtate, non eſt libera. Poteſt tamen cauſa reſpectu vnius effectus eſſe libera, & reſpectu alterius naturalis: patet de potentia naturali, quę reſpectu intellectionis eſt cauſa naturalis, reſpectu volitionis eſt cauſa libera. Et omnem actionem liberam ſequitur laus vel vituperium. Et hæc nō ſequuntur niſi operationem contingentem non neceſſariam. Sic & omnis actio libera eſt cōtingens, de quo latiùs perquirito apud Gab.di.xxv.lib.ij.

Potentia neutra poteſt quandoque dici potentia indifferens, vel quæ non determinatur ad hoc vel ad illud. Vnde eſſe in potentia neutra (vt dicitur poſt Occā. iiij. quotli.q.xj.) dupliciter intelligitur. Vno modo, quando non plus inclinatur ex natura ſua actiuè ad vnum quàm ad aliud. Et ſic natura aſſumpta, & quæcunq; alia eſt in potentia neutra ad dependendum ad ſuppoſitum extrinſecum, vel ad nō dependēdum, quia neutrum ſibi cōuenit ex natura ſua actiuè. Alio modo dicitur eſſe in potentia neutra, quia ſi derelinqueretur potentiæ ſuæ, non plus prædicaretur de eo vnum quàm aliud. Et ſic natura aſſumpta non eſt in potentia neutra, quia ſi derelinqueretur ſuæ naturæ, tunc non dependeret ad ſuppoſitum extrinſecum. Ad hoc videatur Gabr. di.j.qu.ij.lib.iij.dub.iij.

Potentia organica, vt ſcribit Dominus Cardinalis Cameraceñ.q.v.ar.iij.lib.iiij. eſt illa quæ vtitur organo corporali in ſua actione, quales ſunt omnes potentiæ extenſę in materia, ſicut potentiæ ſenſitiuæ. Potentia verò non organica, eſt illa quæ non indiget organo corporali in ſua actione, quales ſunt omnes potentiæ non extenſę in materia, ſicut Intellectus & volūtas. Scotus autem ponit quod anima intellectiua habet potentiā organicā & non organicā: & hoc ſequitur ſi ponatquod anima intellectiua & ſenſitiua in homine ſunt eadē forma, ſed hoc nō eſt verū ſecūdum Occam, qui ponit quod diſtinctæ ſint, in quo diſſentit à ſuis ſequacibus, de quo aliàs. Et mouere organicè (vt Aliacenſis dicit) eſt mouere primò vnam partem, & poſt mediante illa, aliam, ſicut eſt in motu animalis quod primò fortè mouetur cor, & poſt mediante motu cordis, alia pars magis propinqua & poſt tertiam, &c. Sed mouere non organice eſt mouere totum & partem æquè primo, &c. Primo modo anima Chriſti poteſt mouere corpus ſuum in cœlo, quia licèt ſit tota in toto, & tota in qualibet parte, non tamen æquè primò mouet totum & quamlibet partem, quia eſt ibi diſtantia partium, nec totū corpus coēxiſtit cuilibet parti. Sed illo modo ipſa nō poteſt mouere corpus ſuū in ſacramento, quia nō poteſt ibi primò mouere vnam partem, & pòſt aliam mediante prima. Nam inter alias partes non eſt ibi diſtantia localis. Secundo autem modo, id eſt non organicè poteſt mouere volendo illud corpus moueri ad motum hoſtiæ. Vnde ſic volendo ſi hoſtia mouetur, mouet tunc corpus ſuum non organicè, quia æquè primò totum & quamlibet eius partem, eò quod non eſt ibi diſtantia inter perſonas quæ neceſſariò requiritur ad hoc quod aliquod moueatur organicè. Hæc Dominus Cardinalis vbi ſupra, qui latiùs rem declarat. Anima itaque Chriſti ſecundum eum ad motum hoſtiæ mouet corpus ſuum non organicè.

Potentia fertur in aliquod dupliciter. Vel tanquam in obiectum, vel tanquam in terminum ſiue finem. Primo modo eſt cuiuſlibet potentiæ. Secundo poteſt diſtingui, aut potentia fertur in finem ducta ab alio, ſicut fertur potentia non cognoſcens, quomodo dicit Commentator, quod natura non cognoſcens dirigitur ab agere infallibili. Et ſic omne agens agit propter finem ſiue per intentionē finis. Vel potentia fertur in finem non ducta ab alio, ſed ducens ſe in illud. Et ſic non poteſt eſſe alicuius potentiæ naturalis, ſed tantum liberæ, quia ſecundum Damaſ. Appetitus non liber ducitur, & non ducit. Sic accipitur pro actu potētię rationalis liberę; quo fertur in aliquod tanquam in finem, non tanquam in obiectum. Gab.di.xxxviij. q.vnica.lib.ij.

Potentia peccandi eſt potentia qua voluntas poteſt aliquid velle vel nolle, aut etiam non velle contra legem cui tenetur obedire. Hæc autem potentia nihil aliud eſt ſecundum rem quàm liberū arbitrium, ſeu libertas volūtatis, qua poteſt in vtrumque contradictoriorū. Et illa libertas nō diſtinguitur à voluntate, ſed eſt ipſamet voluntas. Nihil enim dicit voluntas libertatis quàm voluntatem in ſubſtrato, & connotat eam circa obiectum ſibi ab intellectu oſtenſum poſſe elicere & nō elicere, velle aut nolle, nulla mutatione facta circa obiectum aut voluntatem. Hoc ergo poſſe nihil addit voluntati neque abſolutum, nec reſpectiuum, ſed dicit voluntatis naturam ſic à Deo conditam. Peccandi verò potentia à Deo rationali creaturæ eſt collata, vt oſtendit Magiſter di.xliiij.libr.ij. Et ratione confirmatur, quia omnis libertas eſt creaturæ à Deo collata, & omnis potentia peccandi eſt libertas, ergo &c. Et quamuis peccandi voluntas culpabilis ſit & mala, potentia tamen peccandi commendabilis eſt atque bona. Nam omne peccatum culpabile eſt & malum, voluntas peccandi eſt peccatum, ergo. Verum eſt & ſecundum, quia laudabile eſt poſſe tranſgredi & facere mala, non faciens. De quo latiùs conſulas Dominū Præpoſitum Gabr. di. xliiij. qu. vnica, lib.ij. Et Bona. eadem di. & lib.iij.di.xij. Et idem Gabr. lib.ij.di. vltima in fine, dicit quod homo per potentiam peccandi aſſimilatur Deo, quoniam potentia peccandi eſt voluntatis libertas, ſecundum quam libertatē aſſimilatur Deo qui liberrimus eſt, cuius voluntati quantò homo per voluntatem ſuam magis ſe conformat ac ſubijcitur, tantò liberior eſt & perfectior.

perfectior. Eius enim agi frœnis, & obtemperare iuſtitiæ, ſumma libertas eſt: ſecundum Boëtium.

Potentia peccandi dicitur dupliciter: vt ſcriptis reliquit ſanctus Bonauentura di. xij. lib. iij. quem eadem di. qu. iij. imitatur Bruleſer. Vno modo dicitur potentia peccandi, ipſa potentia, qua peccatur, & ſic nominat ipſum liberum arbitrium creatũ, quod quidem poteſt in bonum adiutum gratia: & quia per ſuam naturam eſt defectiuũ benefaciendi, hinc eſt quod illa potentia, vel facultas dici poteſt, potentia benefaciendi, & potentia peccandi. nullus enim peccat niſi per illam. Illo modo ratio peccandi fuit in Chriſto: quia habuit liberum arbitrium. Vnde Damaſce. Omnia quæ in natura noſtra plantauit Deus, aſſumpſit verbum Dei &c. Alio modo dicitur potentia peccandi, potentia ordinata ad peccandum: vt potentia nominet aliquod medium inter ſubſtantiã, & peccandi actum: per quod ſubſtantia illa potuit exire in peccati perpetrationẽ. Hoc modo non eſt concedendum, quòd Chriſtus habuit potentiam peccandi, pro eo quod peccare non potuit, & talis ordinatio, imo deordinatis diminuit de plenitudine libertatis. Idẽ dicit Scotus, ſub aliis tamen verbis, dicit enim, duplex eſt potentia, ſcilicet, remota & propinqua. Chriſtus ergo potuit peccare potentia remota, ſed non potuit peccare potentia propinqua. Sic etiam dicendum eſt de beatis & damnatis reſpectu eius quod eſt mereri: poſſunt enim mereri potentia remota quæ eſt voluntas: non potentia propinqua, eò quod ſunt perpetuò impediti per obſtinationem, ſicut beati per gratiam confirmati.

Potentia Theologica: & iſta dicitur ſimpliciter potentia productiua, quæ eſt reſpectu producibilis in eadem ſubſtantia ſiue eſſentia, ſic in diuinis pater habet potentiam productiuam filij, & filius habet potentiam quod poſſit produci, ita ſcribit Pelbartus poſt ſuum Guil. Scotiſ. Dicitur & potentia generandi quo generans generat, ſicut generaliter potentia agendi eſt id quo agens agit, & ita idem intelligitur per potẽtiam generandi, & principium elicitiuum generandi quod per rationem producendi ſeu generandi ſolet intelligi, vt ſcribit Gabr. di. vij, q. j. l. j. de quo vide & in dictione *principium* infra, & potentia generandi non poteſt communicari filio, ita vt filius generet, de quo videatur Gabr. qu. iij. vbi ſupra.

Potentia & omnipotentia capiuntur ſecundũ quod ſancti & doctores acceperunt. In vſu enim vocabulorum imitandi ſunt ſancti & auctores (vt vult Gabr. di. xx. qo. vnica, lib. j.) Acceperunt autem ſancti potentiam & omnipotentiam pro ea quæ neceſſariò conuenit omni perfectiſsimo, & quę opponitur impotentiæ, quæ dicit imperfectionem. & quia potentia ſpirandi & generandi non conuenit omni perfectiſsimo, neque in potentia generandi, vel ſpirandi, dicit imperfectionem. Ideo ſub potentia & omnipotentia, non comprehenderunt potentiam generandi aut ſpirandi, ſed ſolum potentiam reſpectu obiectorum factibilium. Potentia itaque capitur & omnipotentia, vt extendit ſe ad factibilia extra, vt potens dicitur, qui poteſt producere aliquid factibile facere. Et omnipotens, qui omnia factibilia poteſt efficere, id eſt omnia factibilia, quę fieri non includit cõtradictionem. Et cùm dicitur: omnipotentia, vel omnipotens, includitur ſignũ diſtributiuum cum diſtribuibili. & valet potens efficere omne factibile ad extra, ſiue potens cauſare omne cauſabile ad extra. ſic ſancti accipiunt potẽs & omnipotens. de quo videatur latiùs in dictione *Omnipotens*. Omnes autem perſonæ ſunt ęqualis potentiæ, tam extenſiuè quàm intenſiuè: quia quemcunque effectum & quantumcunq; perfectum poteſt producere vna perſona eundem, & alia cum opera Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa. Et ſicut pater ita filius & Spirituſſanctus omnipotẽs eſt dicendus, de quo aliàs, quia ſicut pater omnia poſſibilia ſiue factibilia extra producit, & poteſt efficere, ita filius & Spirituſſanctus, vt & probat Gabr. art. ij, vbi ſupra. Et quamuis (vt ait Bruleſer di. xxxij. qu. vlt. in finè lib. j.) filius & Spirituſſanctus ſint æquè potentes, tamen brachium & dextra & manus appropriantur filio.

Potentia Dei eſt duplex, ſcilicet, abſoluta & ordinata. Potẽtia ordinata eſt, quæ leges ſequitur à diuina voluntate poſitas. Abſoluta eſt quæ abſtrahit ab illis legibus. Et Deus dicitur illud poſſe de potentia abſoluta, quod ſimpliciter & abſolutè poteſt, vt ſcribit Dominus Cardinalis Cameraceñ. qu. xiij. lib. j. videatur latiùs Scotus d. xliij. li. j. Ideo dicunt Iuriſtæ, vt ait Scotus, quod quis poteſt hoc facere de facto, hoc eſt de potẽtia ſua abſoluta. Vel de iure, hoc eſt de potentia ordinata ſecundũ iura, & ſubiungit paulò pòſt. Omnes qui ſubſunt legi diuinæ, ſi non agunt ſecundum illam, inordinatè agunt. De quo vide in dictione *ordinatum* vel ordinatè fieri. Multa autem Deus poteſt de potentia abſoluta, quæ non facit de potentia ordinata. Sicut de potentia ordinata non infligit Deus pœnam niſi præceſſerit culpa, nec culpa remittitur niſi gratia gratũfaciens infundatur: quia ordinauit Deus nullum velle liberare à debito æternæ mortis, niſi quem acceptat ad gloriam beatitudinis perpetuæ, vt ſcribit Gab. di. xiiij. q. j. ar. j. li. iiij. de quo & ſupra in dictione *peccatum* dictum eſt. Ita accipiendum eſt illud quod idem Gab. ſcribit ſerm. j. de circunciſione Domini. Miſericors Dominus, qui in ſuis operationibus ad extra neceſſitari nequit, ſed merè contingenter libera, & dignantiſſima ſua voluntate agit quæcunque agit. Et licèt humanum genus aliter quàm per filij ſui incarnationem, paſſionem, mortem, redimere potuiſſet (vt ait Augu. xiij. de trinit.) & ſimiliter mortis ſuæ meritum, id eſt gratiam poſſet participare ſine ſacramentis, quibus vtiq; ſuam potentiam non obligauit, vt dicit Magiſ. d. j. quarti. Quia tamẽ diuina ſapientia quę à fine ad finem attingit fortiter, & diſponit omnia ſuauiter. Sap. 8. hoc eſt ſecundum quod magis congruit rebus diſponendis, & modi iſti noſtræ miſeriæ ſanandæ plus congruunt, ideo propter nos & pati elegit & inſtituere ſacramenta. Non enim decet aliquem beatificari niſi & ipſe ſuę ſaluti per gratitudinem & Dei amorẽ pro ſuo modulo ſe diſponendo cooperetur, vbi ſaltem in potentia non excuſat. Hæc Gabr. Quamuis abſoluta potentia ſine illis beatificare poſſet. Multa quoque poteſt Deus quam nos cogitare poſſumus. Quare temerarium eſt (vt ſcribit S. Bonauen. di. xx. q. vj.

& vltima

& vltima in fine lib.iij.) terminum præfigere eſt. Amplius enim poteſt quã nos poſſumus cogitare. Et Deum aliquid poſſe de potentia ordinata, dupliciter poteſt intelligi (vt ſcribit Dominus Cardinal. Cameraceñ.qu.xiij.lib.j.) Vno modo ſtrictè, quod poteſt ſtante ſua ordinatione, quia æternaliter voluit ſe ſic vel ſic eſſe facturum: & ſic ſolũ poteſt illa quæ ipſe ordinauit ſe facturum. Alio modo poteſt intelligi magis largè, quod poteſt ſtante veritate legis ſeu ſcripturæ diuiniæ. Et ſic poſsibile ordinatè poteſt dici illud, quod eſt poſsibile abſolutè, & nõ obuiat alicui veritati legis ordinatæ, vel ſcripturę ſacræ. Et vtroque modorum iſtorum dicitur, quod eſt poſsibile, eſt de potentia ordinata vltimum iudicium non fore: quia licèt ſit ſimpliciter & abſolutè poſsibile, tamen non ſtat cum æterna Dei ordinatione, & obuiat ſacræ ſcripturæ. vide latiùs ibi Aliacenſ. Prædictæ diſtinctioni concordat illa diſtinctio Magiſtri, & quorundam antiquorũ, quod Deus quædam poteſt de potentia, quæ non poteſt de iuſtitia. Illud enim dicitur non poſſe de iuſtitia, quod obuiat ordinationi ſuæ volũtatis vel veritati ſuę legis, quarum vtiq; eſt regula iuſtitiæ. Sed illud dicitur poſſe de potentia abſoluta, quod abſolutè & ſimpliciter poteſt, quamuis oppoſitum ordinauerit & reuelauerit.

Poteſtas ſecundum beatum Tho.iiij.ſent.di.xxiiij.q.j.ar.j. propriè nominat potentiam actiuam cum aliqua præeminentia. Vel poteſtas ſecundum Gerſonem part.j.de poteſtate Eccleſiaſtica, eſt facultas propinqua ad exeundum in actum. propinqua inquam, quia ſecundũ facultatem remotã & obedientialẽ, non eſt impoſsibile apud Deũ omne verbum.

Poteſtas ſacramenti (vt vult B.Thom. poſt Alexan. q.xv.parte.iiij. & Petrus de Palud.q.j.ar.j.& poſt hos ſcribit Gab.di.v.ar.iij.dub.iij.q.vnica, li.iiij.) eſt triplex, ſcilicet, auctoritatis, excellentię & miniſterij. Et hanc vltimã Durandus & Richardus partiuntur in duas, ſcilicet miniſterium reſpectu inſtitutionis ſacramenti, & miniſterium reſpectu diſpenſationis. Poteſtas auctoritatis, eſt qua quis ex ſe principaliter non ab alio ſuperiore poteſt remittere peccatum. Et hæc eſt ſolius Dei communis tam patri & filio & Spirituiſancto, & licèt filius & Spirituſſanctus hanc poteſtatem habeant à patre, à quo habent & eſſentiam, & ita ab alio, non tamen habẽt à ſuperiore, eo quòd pater nõ eſt ſuperior neq; maior filio & Spirituſancto (vt aliàs dicitur, &c.) Poteſtas excellentię, eſt poteſtas quodammodo inferiori delegata cum prærogatiua. Et hæc conſiſtit in quatuor prærogatiuis: quę ſunt mereri, efficaciam ſacramentis conferre, effectum ſacramenti, ſine ſacramentis inſtituere ſacramenta, & in eius nomine conferre ſacramenta.

Poteſtas miniſterialis, eſt poteſtas diſpenſandi vel etiam miniſterialiter inſtituendi ſacramenta. Poteſtas baptiſmi, eſt poteſtas conferendi effectum baptiſmatis. Hic autem eſt remiſsio peccatorum, quæ ſit per gratiam, licèt hæc comitetur illuminatio, incorporatio. Vnde poteſtas baptiſmi, eſt poteſtas conferendi gratiam & remittendi peccata. Hęc duo ſe inſeparabiliter concomitantur, & neutra eſt ſine alia in iuſtificatione impij. Hanc triplicem habuit poteſtatem ſacramẽti Chriſtus (vt ſcribit Gab. vbi ſupra, & Paludenſis di.v.qu.j.lib.iiij.) auctoritatis quidem habuit poteſtatem ſecundũ naturam diuinam tantum, ſiue vt Deus. Illa enim eſt ſolius Dei. Excellentiæ, ſecundum humanitatem coniunctam diuinitati, & ita ſecundum quod homo, qui tamen eſt & Deus. Nam ſecundum ſuam humanitatem meruit ſua paſsione efficaciam ſacramentis, etiam ſecundum humanitatem, vt inſtrumentum cõiunctum diuinitati, conferre effectum ſacramenti ſine ſacramentis: ſic remiſit peccata Mariæ Magdalenę & quibuſdam aliis. Sic per humanitatem conceditur quod operatus eſt miracula principaliter quidẽ per diuinitatem, tum per humanitatẽ verbo vocali præcipiendo vel tangendo vel aliquid operando, vt lutum faciendo ex ſputo & liniendo, ad quod diuina virtute ſequebatur ſanitas animæ & corporis. Ipſe enim inſtituit ſacramenta principaliter virtute diuina. Miniſterialiter, ſcilicet, promulgandò virtute humana. Collata etiam fuerunt ſacramenta in primitiua Eccleſia in nomine Chriſti, quod eſt nomen Dei, & hominis importantis hypoſtaſim in vtraque natura ſubſiſtẽtem. Habuit & poteſtatem miniſterialem diſpenſandi ſacramenta ſecundũ humanitatem, vt non coniunctam, cùm illam etiam habuerunt Apoſtoli, quibus præcepit: Ite &c. baptizantes eos. Ipſe creditur baptizaſſe Apoſtolos, cõfeciſſe Euchariſtiam, & certa ſacramenta perſonaliter exhibuiſſe. Item poteſtatem miniſterialẽ, ſcilicet diſpenſandi ſacramẽta fidelibus, communicauit miniſtris, ſacerdotibus tantum, nõ excellentię, neque auctoritatis. Et ſi excellentiæ poteſtatem communicari potuit (vt communiter dicitur) non autem auctoritatis. Non autem congruebat, vt poteſtas excellẽtiæ communicaretur miniſtris Eccleſiæ. Rationes plures aſsignantur, ne, ſcilicet, baptiſmus qui vnus eſt, diuideretur & diceretur baptiſmus Petri, baptiſmus Pauli, ſed baptiſmus Chriſti. Ne etiã ſpes ſalutis in miniſterio cõſtitueretur, ne putaretur quod in virtute puri hominis inuocati ſuſcipiens ſacramentum mundaretur, & ne auctoritas miniſtri minueretur. Ex quo habetur quod verũ eſt, quod dicitur quod filius hominis habet poteſtatem peccata dimittendi, non tamen inquantum filius hominis, ſed filius Dei; quia illud conuenit ei ſecundum naturam diuinã principaliter, vt ſcribit Gabr. dub.iiij.di.v.q.vnica, lib.iiij.

Poteſtas eſt duplex, ſcilicet, Eccleſiaſtica & ſecularis. Poteſtas Eccleſiaſtica (vt diffinit Ioannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis in tractatu de Eccleſiaſtica poteſtate) eſt poteſtas quæ à Chriſto ſupernaturaliter & ſpecialiter collata eſt ſuis Apoſtolis & diſcipulis, ac eorum ſucceſſoribus legitimis vſque in finem ſeculi, ad ædificationem Eccleſię militantis, ſecundum leges Euangelicas, pro conſecutione fœlicitatis ęternę. Hęc deſcriptio datur per cauſam quadruplicem, ſecũdum quam poteſtas eccleſiaſtica diſtinguitur ab alia qualibet poteſtate, & ponitur poteſtas pro genere. Et notatur cauſa efficiens principalis, cũ dicitur à Chriſto ſupernaturaliter collata. Cauſa verò naturalis vel ſubiectiua, cũ dicitur ſuis Apoſtolis. Cauſa formalis, cùm dicitur ſecundum leges Euãgelicas, dant enim formam vtendi. Cauſa finalis oſtenditur, cùm dicitur, ad ędificationem Eccleſiæ,

cleſiæ, &c. Et additur ſpecialiter ad excluſionẽ donorum ſupernaturaliter, quæ omni viatori poſſuot eſſe cõmunia, ſicut ſunt Fides, Spes, Charitas, Prophetia, Timor, Pietas, & ſimilia. Et hæc deſcriptio conuenit ſolùm poteſtati Eccleſiaſticæ: vt ibidem oſtendit Gerſon, & fundatur hæc poteſtas Eccleſiaſtica, de neceſsitate in dono ſupernaturali: ſicut eſt Character Baptiſmalis de communi lege, qui Character in viatoribus eos de Eccleſia militante reddit. Facit inſuper idoneos & capaces Eccleſię poteſtatis. Charitas itaque ſeu gratia gratumfaciens (vt idem dicit) valdè decens eſt in ſuſcepturis, vel iam habentibus Eccleſiaſticam poteſtatem, non tamen exigitur pro dando titulum, quaſi ſine ea nequeat in aliquo fundari, vel ſubſiſtere poteſtas huiuſmodi. Et poteſtas Eccleſiaſtica ſecernitur prima ſui diuiſiooe in poteſtatem ordiois, & poteſtatem iuriſdictionis: & ruſus vtraque diuiditur. de qua videatur Gerſon latiùs vbi ſupra. Legitur autem ſextuplex poteſtas, à Chriſto data Apoſtolis, Diſcipulis pro ſe, & eorum ſucceſſoribus, miniſtris, ſcilicet Eccleſiæ: quales ſunt epiſcopi, & presbyteri. De quibus legere potes Gabr. lect. j. canonis. Has colligit dominus Cardinalis Camera. & ſunt hæ, poteſtas cooſecrationis ſacramentorum, admioiſtrationis, prædicationis, iudiciarię correctionis, diſpoſitionis miniſtrorum Eccleſiæ accipiendi vitæ neceſſaria ab his, quibus ſpiritualia adminiſtrant. De his poteſtatibus plura & Gab. & Gerſon vbi ſupra.

Poteſtas ordinis eſt duplex. Quædam eſt reſpectu corporis Chriſti veri, & quædam reſpectu corporis myſtici. Prima eſt poteſtas conficiendi verum corpus Chriſti & ſanguinem eius. Secunda, eſt poteſtas ligandi & ſoluendi, & vtraque poteſtas confertur in collatione ordinis ſacerdotalis. Et fuodantur illæ duæ poteſtates in charactere ſacerdotali, ſiue vno, ſiue duobus, & ideo ſunt inauferibiles. Gabr. di. xiij. qu. j. ar. j. libr. iiij. Poteſtatem autem euchariſtiam conficiendi omnibus ſacerdotibus & ſolis inamiſſibiliter traditur in traditione ſacerdotij, quia omnibus Apoſtolis & diſcipulis in cœna vltima cum Domino recumbentibus indiffereoter dixit: Hoc facite in meam commemorationem. Horum autem ſucceſſores ſunt indifferẽter omnes ſacerdotes. Item omnibus ſacerdotibus ęquè dicitur in eorũ ordinatione. Accipe poteſtatẽ ſanctificandi vel ſacrificandi pro viuis & mortuis, & traditur calix cũ pane & vino aqua mixto, quo verbo ordinatur in ſacerdotem. Et licèt mortale peccatũ, hęreſis, degradatio, ac cæteræ pœnæ canonicæ poteſtatem conficiendi ſuſpendant, ita vt his ſtantibus oon ordinatè exerceatur, oõ tameo per hæc aut quæcunq; alia ſimpliciter aufertur, aut tollitur. Ná his ſtantibus nullus poteſt ordinatè celebrare, quia indignè celebrat, nec tollitur ſacerdotium per quædã crimina vel pœnas. Nam poteſtas conficiendi fundatur in charactere ordinis ſacerdotalis, qui eſt indelebilis. Vnde per nullam poteſtatem poteſt auferri ſacerdotium, niſi per eam quę poteſt auferre characterem, & hoc ſolùm poteſt poteſtas diuina. Vide Gab. latiùs ar. ij. conclu. iij. vbi ſupra, & lect. ij. canonis. Sic hæretici, quia habent auctoritatem conficiendi, quia characterem verè conſecrant. Et hoc probat Durandus. Omnis enim ſacerdos ſiue ſit hæreticus ſiue præciſus, &c. habens materiã debitam cum intentione, in forma Eccleſię, poteſt cõſecrare. Et oo1oia iura quę ad oppoſiium ſonare videntur: debet intelligi de veritate fructus, oõ de veritate ſacrameoti. Vel loquuntur de hæreticis qui debitã formam non ſeruant, vel quod noo poſſiot conſecrare de iure, licèt cõſecrent de facto. Hoc enim dicimur poſſe, quod de iure poſſumus, vt vult S. Tho. Item degradatus poteſt conficere, quia manet ſacerdos. Nam degradans nõ poteſt characterem delere. De quo Paludeoſis qu. j. artic. ij. di. xiij. quarti. Nec (vt Stotus ait hac di.) Deus inſtituit Epiſcopum miniſtrum in amotione, ſicut in collatione, dedit enim poteſtatem mioiſterialem imprimendi, ſed nõ tollendi. Vnde fallit illa regula. Facilius eſt deſtruere quàm ædificare in miniſterialiter agente in ſacramentis. Et poteſt ad hoc adduci illud 2. Corinth. vltima. Non dedit nobis Deus poteſtatem in deſtructionem, ſed in ædificationem, licèt hunc intellectum non puto innuiſſe Apoſtolum. Et quamuis degradato ſeu depoſito auferatur priuilegium clericale, & relioquitur curiæ ſeculari, non tamen ideo aufertur ordo, quia priuilegium non eſt eſſentiale ordini. Nam ante hoc priuilegium datum à Conſtantino Imperatore fueruot veri & ſancti ſacerdotes Petrus & Paulus. Sed de præciſo dicit Scotus, quod oblatio non pertinet ad rationem conſecrationis, quia poteſt Euchariſtia conſecrari, & nõ offerri, ſicut poteſt conſecrata conſeruari, & nõ offerri niſi aptitudinaliter. Et ideo licèt offerens offerat in perſona Eccleſiæ, non tamen conſecrat niſi in perſona Chriſti cuius vicem gerit, etiam præciſus per ordinẽ, & characteris poteſtatem, quæ per præciſionẽ non aufertur ab eo. Vide de hoc Paluden. di. xiij. qu. j. Quomodo autem orationes eius quas offert in perſona Eccleſię, ſint efficaces. Vide Gabr. lect. xxvij. canon. per totum. Deus enim Eccleſiam reſpicit, & nõ ſacerdotem celebrantẽ. De quo plura Gab. Omnes autem miſſę ſiue boni ſiue mali ſacerdotis, quantum ad opus operatũ, ſunt æqualis valoris, quia nõ in merito (vt inquit Aug.) cõſecrantis, ſed in verbo perficitur creatoris. Sed quantum ad opus operans, melior eſt Miſſa boni ſacerdotis, & ideo cęteris paribus, melius eſt audire Miſſam boni ſacerdotis, quàm mali. De quo latiùs legito Gabr. lect. xxvj. canonis. Vide & eundem latiùs de poteſtate ordinis, in dubiis di. xiij. vbi ſupra.

Poteſtas ligandi & ſoluendi (ſecundum Occam in quodam tracta. & poſt eum ſcribit Gabr. di. xvij. qu. ij. art. j. libr. iiij.) in foro pœniteotiæ eſt duplex. Quædam confertur ex vi ordinationis in ſacerdotem, cùm Epiſcopus imponẽs manum ſuper capita ordinandorum, dicit: Accipite Spiritum ſanctũ, quorum remiſeritis, &c. Hæc poteſtas in omnibus ſacerdotibus eſt ęqualis: & vocatur illa poteſtas, poteſtas officij vel ordinis ſacerdotalis, quę eſt inamiſſibilis, ſicut & character ſacerdotalis ordinis, in quo hæc poteſtas fundatur. Adſtipulatur Aliacenſis qu. veſperiarum.

Poteſtas executionis & eſt duplex. Quędam eſt executionis ſimpliciter, ſine qua habens poteſtatem primã neminẽ ſoluit & ligat, & hęc aliquando cum ordine non accipitur, ſicut quando quis ordinatur

ab Epiſcopo

ab epiſcopo non ſuo, ſine licentia ſui epiſcopi, aut quando ordinatur ab excommunicato, degradato, vel ſuſpenſo, quorũ omniũ vna eſt ratio: quia epiſcopi ordinantes in his caſibus non habent executionis huiuſmodi poteſtatem: & ideo ad alios illam non trãſmittunt: quia quod non habet quis, alijs dare non poteſt. Et idem contingeret, ſi forent eadem impedimenta ex parte ordinati. Poteſtas igitur prædicta, accipitur cum ordine quando non occurrunt prædicta impedimenta. Et hæ duæ poteſtates, dicũtur poteſtates ſoluendi & ligandi remotę, quia poſſunt impediri. Dominus Præpoſitus Gabriel diſtinctione xvij. quarti.

Poteſtas iuriſdictionis eſt quæ requirit prælationem ſuper aliquam plebem vel perſonam, tãquam materiam, ſuper quam exerceri debet, tam prima poteſtas quàm ſecunda, vt faber vel artifex non poteſt operari niſi detur materia in quam operetur. Materia verò eſt peccatum per ſe, & per accidens peccator, eo modo quo pœnitentię ſacramentum conceditur habere materiam. Vnde in hoc dicitur ſacerdos habere poteſtatẽ iuriſdictionis, quia ſubiicitur ei materia in quam exercet poteſtatem ordinis. Eſt ergo poteſtas ordinis, poteſtas ad vtramque, executionem & iuriſdictionem, ſed remota, fit autem propinqua remotis impedimentis, & ſubiecta materia. Dominus Præpoſitus Gabr.

Poteſtas iuriſdictionis eſt duplex: vt idem ſcribit Gabr. di. xvij. qu. ij. art. j. lib. iiij. Quædam ordinaria, quæ ſcilicet alicui cõuenit ratione beneficij, aut dignitatis, in quo, vel qua conſtitutus eſt ipſo iure, & talis eſt poteſtas prælationis, & curatorum: & hi poſſunt vices ſuas aliis committere. Alia eſt poteſtas iuriſdictionis delegata, vel commiſſa ſiue extraordinaria. Et hæc eſt duplex. Quædam eſt limitata ſolum ad arbitrium cõmittentis, & per ſe nullo iure ſuffulta, vt eſt poteſtas adiutorum, quos curati aſſumunt in ſubleuamẽ laboris audiendi cõfeſſiones, ſiue commiſsio eis fiat generaliter, ad omnes parochianos, ſiue ad aliquos ſpecialiter, ſiue ad vnum ſingulariter. Alia poteſtas eſt, quaſi media inter ordinariam & cõmiſſam, quæ ſeruata forma in iure ſtatuta, ampliari poteſt committẽtis arbitrio, & non reſtringi. Hæc eſt poteſtas fratrum mendicantium, ſeruata forma expreſſa in c. dudum. de ſepulturis. in clem. Et quicunq; habet iuriſdictionẽ in aliũ ligandi vel ſoluendi, habet illam à papa, qui eſt ſummus hierarcha & princeps Eccleſiæ, & hoc mediatè vel immediatè. Immediatè vt archiepiſcopi, mediatè vt inferiores prælati, qui ſuã inſtitutionem recipiunt ab Archiepiſcopis, Epiſcopis, Archidiaconis, aut aliis inferioribus ordinariis. Dominus Prępoſitus Gab. vbi ſupra. Et eſt quædam poteſtas regiminis, quæ (vt dicit D. Cardinal. Cameraceñ. in qu. veſperiarum) in Petro & cęteris Apoſtolis non fuit ęqualis. Nam in hoc Petrus fuit maior, qui & præfuit aliis. Vide latiùs Cardinalem, &c. Et de poteſtate ordinis & iuriſdictionis legito plura apud Magiſtrum Ioannem Gerſonem dialogo de poteſtate ligandi & ſoluendi.

Poteſtas ſecularis eſt contra quam diſtinguitur poteſtas eccleſiaſtica, quæ conuenit & aliis quàm chriſtianis. Memoratur quoque quadruplex poteſtas in ſcriptura, ſcilicet, regia, & ſacerdotalis, & doctrinalis, & virtutis, ſcilicet miracula faciendi, & vnaquæque deſignatur per virgam. De poteſtate regia dicitur Gen. 44. Non auferetur ſceptrũ, ſiue virga de Iuda. De virga ſacerdotali habetur Numeri 17. quando data eſt virga ipſi Aarõ. & ideo Epiſcopus portat virgam paſtoralem in manu, in ſignum regiminis ſpiritualis. Tertiò, Magiſter ſcholarium, qui docet, tenet virgam ſeu ferulã in manu, in ſignum doctrinæ. De quarta autem virga habetur Exod. 3. quam Deus dedit Moyſi, cum qua fecit omnia miracula. Hanc quadruplicem virgam (vt ſcribit Iacob. de Valentia Pſal. 109. & ſuper illud: Virgam virtutis tuæ) tradidit Deus Pater ipſi Chriſto Filio ſuo inquãtum homo, & ipſe Chriſtus tradidit eam diſcipulis ſuis in die Pentecoſtes: & ſic etiã in die Aſcenſionis, quando miſit eos per totum orbẽ. cum qua virga Apoſtoli ſubiecerũt Chriſto omnes inimicos ſuos. Dedit & in cœna poteſtatem conficiendi ſacramenta. Dedit & poſtea poteſtatẽ remittendi peccata, vt dicitur Ioan. xx. quãdo inſufflauit in diſcipulos ſuos, dicens: Accipite Spiritũ ſanctum, & quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Plura Epiſcopus.

Poteſtas præſidendi (vt ſcribit S. Bonau. di. xliiij. q. iij. lib. ij.) dicitur eſſe illud per quod aliquis præſidet & dominatur alteri. Illud autem per quod præſidet, dupliciter poteſt dici. Vno modo dicitur ipſa virtus, per quam quis præualet alteri, & hæc virtus abſque dubio à Deo eſt. Alio modo, id per quod præſidet, dicitur modus perueniendi vel promouendi ad has virtutes, excellentiam, & hoc eſt diſtinguendum. Nam quidam præſunt aliis ex iuſtitia, quidam ex aſtutia, & quidam ex violentia. Prima præſidentia eſt à Deo, ſimiliter ſecunda eſt à Deo, & tertia ſi comparetur ad meritum ſubiacentis, talis præſidentia iuſta eſt, quia aut eſt ad bonorum probationem, aut malorum punitionem. Si autem comparetur ad voluntatem præſidentis, ſic iniuſta eſt. Et primo quidem modo dicitur eſſe à Deo faciente & ordinante, ſecundũ quod dicitur Iob. 24. Facit regnare hypocritam propter peccata populi. Et Ozee 13. Dabo eius regem in furore meo. Secundo autem modo, ſcilicet in cõparatione ad voluntatem præſidentis, ſic dicitur eſſe à Deo permiſſiuè, non autem approbatiuè. Propter quod dicitur Ozee. 8. Ipſi regnauerunt, & non ex me: & principes extiterunt, & non cognoui. Omnis itaque poteſtas præſidendi ſecũdum illud quod eſt, & etiam reſpectu eius ſuper quem, iuſta eſt, & à Deo eſt. Bonauen. Hinc Apoſtolus ad Romanos 13. Omnis poteſtas dominandi à Deo eſt, non enim inquit eſt poteſtas niſi à Deo. De quo videatur Gabr. di. xv. q. v. at. j. l. iiij. Modus autem (vt inquit Bona.) deueniendi ad hanc præſidentiam in cõparatione ad voluntatẽ pręſidentis, poteſt eſſe iuſtus, & iniuſtus: & ſecũdum quod iuſtus eſt, à Deo eſt: ſecundũ quod iniuſtus, à Deo non eſt. Quia verò nunquam eſt ita iniuſtus ex vna parte, quin ſit iuſtus ex altera: ideò de nulla potentia præſidendi dici poteſt quod non procedit à Deo. Vnde Gregor. in moralibus dicit, quod tumoris elatio, non poteſtatis ordo in crimine eſt: potentiam Deus dedit, elationem potentiæ malitia noſtræ mentis inuenit, &c. Et quanquam

ambitio

ambitio dominandi Deo ſit odioſa(vt ſcribit Aluarus in de planctu Eccleſiæ,parte j.ar.j.) tamen ambientium reginien ad refrenandum inordinatorum hominum malitiam , & ad conſeruandum vnumquodque in ſua iuſtitia, ac ad diſponēdum ciues in concordia,permiſſum eſt à Deo dominium & prouiſum:permiſſum ad punitionem malorum,prouiſum ad concordiam & pacem bonorum. Hinc ait Apoſtolus ad Romanos 13. Principes non ſunt timori boni operis,ſed mali . Vis autem non timere poteſtatem, fac bonum,& habebis laudem ex illa, Dei enim miniſter eſt,tibi in bonum.Si autem malum feceris,time:non enim ſine cauſa gladium portat.Dei enim miniſter eſt,vindex in irā ei qui malè egit.Et quomodo poteſtas dominādi variis modis & titulis acquiratur, videto apud Gabr.di.xv.q.v. ar.j.lib.iiij . Et poteſtas prælationis poteſt manere ſine gratia . De quo videre potes Gerſ.parte.ij.ſer. ad Eccleſiaſticos,in cœna Domini.

Poteſtas dominandi ſiue præſidendi dicitur tripliciter:vt ſcribit S.Bonauen. di.xliiij.q.iiij.lib.ij.ſcilicet,largisſimè,communiter, & propriè.Largisſimè dominandi poteſtas dicitur reſpectu omnis rei,qua homo poteſt ad libitum & votum ſuum vti.Et hoc modo dicitur homo eſſe Dominus poſſeſſionū ſuarum,ſiue mobilium ſiue immobilium. Alio modo poteſtas præſidendi dicit excellentiam poteſtatis in imperando ei qui eſt capax rationis & præcepti. Tertio modo poteſtas dominandi,dicitur poteſtas coërcendi ſubditos,& hæc poteſtas dicit quandā arctationē libertatis, & talis poteſtas dominādi propriè dicitur dominiū,cui reſpondet ſeruitus.Primo modo poteſtas dominandi cōmunis eſt omni ſtatui,ſcilicet,naturę inſtitutæ,naturę lapſæ,& naturę glorificatæ.Secūdo modo competit ſtatui viæ,ſiue pro ſtatu inſtitutæ naturæ,ſiue pro ſtatu naturę lapſæ. Et hoc reperitur in angelis etiā quamdiu ſunt adminiſtratorij ſpiritus, quia ex illa parte ſunt aliquo modo in ſtatu viæ, hæc tamen præſidentia nō manebit in gloria.Tertio modo poteſtas dominandi in homine eſt ſolū ſecundū naturæ ſtatum, ineſt enim ei ſecundū culpæ punitionem,nō ſecundū naturæ inſtitutionem, & hoc quia ſeruitus ſibi correſpondens (ſecundum quod dicunt ſancti) eſt pœna peccati. Hæc Bonauen.

Poteſtas diaboli eſt duplex,vt ſcribit Brulef.di.xix. q.iij.li.iij.Vna detinens vel attrahens.Alia pugnās. Poteſtas diaboli detinens, eſt illa qua attrahebat & detinebat quoſcunque in limbo, & nullus poterat euadere hanc poteſtatē.Alia eſt pugnans,& eſt poteſtas præcipitandi in malum , id eſt peccatum, vel per fallaciam,vel per potentiam.Per pasſionem autem Chriſti ſumus liberati à poteſtate diaboli quātum ad ſufficientiā, ſed illi ſoli qui ſunt de eius corpore,id eſt Eccleſiæ,quantum ad efficaciam. Non enim omnes ſe diſponunt ad recipiendum gratiam Chriſti, vt ſunt Iudęi, infideles, & mali chriſtiani &c. Aduerſarius autem ſuper omnia abhorret memoriam paſsionis, & figuram crucis,per quam ſumus à poteſtate eius liberati . Et quamuis ipſe nos oppugnat, nobisque aduerſus eum incūbat pugna, nō tamen elōgamur à victoria,niſi interueniat noſtra negligentia.Ipſe autem exercere nō deſiſtit,& hoc ex Dei permisſione,nec poteſt in vexationem corporum,& executionem mentiū,niſi quis ex ſua culpa vires tribuat,vel niſi ſit ex ſpeciali cauſa:vtputa,ad humiliationem alicuius, ſicut ſunt illi qui ſacramenta Chriſti contemnunt : vt puta,confirmationem,Euchariſtiam,aquam benedictam,&c.qui verò humiliter & deuotè ſacramentis & ſacramentalibus ſe ſubiiciunt, qui à paſsione Chriſti habent virtutem,non formidant diabolicam poteſtatem. Tanta enim eſt virtus ſacramentorum Eccleſiæ, vt etiam extendat ſe vſque ad infideles . Vnde non tot hodie diabolus obſidet , quot conſueuerat obſidere.Scribit enim Greg.in dialogo de quodam Iudæo, cū vellet dormire in loco deſerto, muniuit ſe ſigno crucis,& dæmones ſuperuenientes,cū vellent ipſum offendere, à ſigno crucis repulſi ſunt,& dixerunt ipſum eſſe vas vacuum,ſed ſignatum. Poteſtas itaque diaboli per pasſionem eſt debilitata, de quo latiùs ſcribit Brulefer.

Praxis vel practicum eſt nomen Græcum & Latinè dicitur terminatio vel operatio vel actio.Et praxis ſecundum Scot.q.iiij. prologi,ad quā cognitio practica extēditur, eſt actus alterius potētiæ quam intellectus naturaliter poſterior intellectione , natus elici conformiter rationi rectæ ad hoc vt ſit actus rectus. Stando itaque præciſe in actibus intellectus,nulla eſt praxis, nec actus vegetatiui, aut actus naturaliter præcedētēs intellectionē,vt actus ſenſitiui dicuntur praxes,nec dicitur ad eos extendi notitia practica,vt ſunt priores intellectione.Similiter actus appetitus potentiæ ſenſitiuę,quamuis præcedūt actus intellectus,nō ſunt praxes,hi enim non communes nobis ſunt & brutis , nec iſtorum actuum eſt cognitio practica, niſi vt aliquo modo eſt moderatiua iſtorum actuū. Et iſti actus ſequuntur intellectionem moderatiuam,vt ſunt per ipſam moderati. Ex quo ſequitur quod praxis ad quā extenditur habitus practicus,non eſt niſi actus volūtatis elicitus vel imperatus,vt vult Scot. Et omnis praxis (vt idem ait) eſt in poteſtate cognoſcentis, & nihil eſt in poteſtate eius,niſi actus voluntatis elicitus vel imperatus,ergo . Et licèt ſpeculatio ſit quædam operatio,& ita praxis ſic extendendo nomen,tamen vt praxis dicitur ſola operatio ad quam intellectus poteſt extendi, nulla intellectio eſt praxis. Et hoc modo accipitur quando ad praxim cognitio practica dicitur extendi . Et (vt infra dicit Scotus)cùm inſtatur de illis veritatibus quæ videntur maximè Theologicæ, & non metaphyſicæ, vt Deus eſt trinus,& pater generat filium . Dico (inquit Scotus) quod iſtæ ſunt practicæ, prima enim includit virtualiter notitiam rectitudinis dilectionis tendentis in tres perſonas,ita quod actus eliceretur circa vnam ſolam, excludendo alias,ſicut infidelis eliceret,eſſet actus non rectus. Secunda includit notitiā rectitudinis ſecundū quod actus eſt circa duas perſonas,quarum vna eſt ſic ab alia, &c. Vide latiùs Scotum vbi ſupra. Et praxis (vt ſcribit Gerſon tract.xj.ſuper cantico virginis)non intenditur in intellectu ſpeculatiuo, ſi confeſſe ſe habeat ad appetitum,niſi procedat ad operationis rationē. Sicut alibi de Theologia,quod ſit ſpeculatiua,dicitur , quamuis eius finis præcipuus ſit amor Dei & laus eius magnificans Dominum. Tunc diuinum

verbum

verbum non irrationabiliter appellatur practicum, dùm diuina voluntas accipit ipſum ad productionem ſeu productibilitatem eorum omniũ, quæ facta ſunt ſecundum triplex fieri. Vnum eſt in mente Angelica vel humana, ſecundum inexiſtentia propria ſeu genere proprio & in eſſe formali ſuo. hæc Gerſon. Et practicus in arte præfertur ſolum ſpeculatiuo, vt idem vult Gerſon de myſtica Theologia ſpeculatiua, parte vj. conſideratione xxxiij. vt ſi quis peritiſsimus in arte Muſicæ, non autem exercuerit ſe in vocali cantu, neque in chordis aut organis: imò vocem habeat raucam, & inſtrumenta muſicalia diſcordia: ſatagit tamen iſte vel cantare, vel inſtrumentum pulſare, nulli dubium quin oberrabit, & neque dulcem, neque ſuauem ſimphoniam valebit afferre. Hæc ſimilitudo reſpicit eum qui de diuinis ſcit artificioſe diſſerere, qui de moribus ſimiliter & virtutibus regulas habet, & ſpeculatiuum plerunq; ſermonem, ſed nondum vult ad ea, quæ cognoſcit, conformiter operari: cogitur languens illam Apoſtoli vocem plangere: velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio. Caret quippè virtutum habitibus tanquam inſtrumentis, habens carnem rebellem & diſſonam ſpiritui, quæ dum tangitur, nihil ſuaue, nihil diuinum, ſed raucum, ſordidum, ac ſtrepidulum reſonat, &c. Hæc Magiſter Ioannes Gerſon Cancellarius, &c.

Practica, ſcientia, & ſpeculatiua, differũt (vt & ſcribit Franciſcus Maro. in primo, diſt. xlviij. quia finis practicæ eſt actus: ſed ſpeculatiuæ finis eſt ſcire. Vnde Metaphyſica, Phyſica, & Mathematica, ſunt partes ſpeculatiuæ, non practicæ.

Præceptum eſt iuſsio vel imperium faciendi aliquid vel non faciendi. Et præceptum importat applicationem legis ad ea quæ ex lege regulantur, ſecundum ſanctum Thom. prima ſecundæ, q. xc. artic. ij. Diffinitur & ab aliquibus ſic: Præceptum eſt imperium obligans ad obſeruationẽ rei vel actus imperati. Extrahitur radicaliter hæc diffinitio à diffinitione præcepti, quã dat Aug. lib. de virgi. di. præceptum eſt cui non obedire peccatũ. Dicitur in dicta diffinitione, obligans ad obſeruationẽ, ad differentiam conſilij, quod per ſe nunquam obligat, vt dicit Auguſtinus. quamuis per accidens id quod conſulitur videatur obligare: vtputa, ſi in caſu præceptum non poſſet impleri, niſi fiat conſilium: vt ſi non poſſum ſuſtentare parentes, niſi vendam omnia: tunc tenerer vendere omnia: quod quidem de ſe conſilium, nec obligat, niſi in caſu per accidens (vt ſcribit Gerſon in compendio Theolog. de decem præceptis) tenentur & conſilia non contemnere. De quo legere potes alia. & Gabr. ſerm. de ſancto Bartholomæo. Et præceptũ ſiue lex imperatiua (ſecundum eundem Gab. di. xxxv. q. vnica, lib. ij.) dicitur illa qua imperatur alicui agere vel non agere: & hæc exprimitur per verbum imperatiui modi, vel aliquod eius vice ad ſimiliter ſignificandum ſumptum: vt eſt illud Pſalm. Nolite loqui aduerſus Deum iniquitatem. Et illud: Non mœchaberis: Non furtum facies. Et ſi ſtrictè & propriè ſumuntur ea, tantum imperatiuè dicitur, qua inferiora à ſuperiore aliquid imperatiuè iubetur vel prohibetur. Lex ergo & præceptiua in diffinitione peccati debet accipi largè, vt legem indicatiuam, quam imperatiuam contineat. Et illo modo omnia peccata ſunt prohibita, quia contra dictamen rectæ rationis, quod indicatiuè prohibet quicquid noxium eſt.

Præcepta ſunt duplicia, ſcilicet affirmatiua, & negatiua. Præcepta affirmatiua ſunt quæ exprimuntur per propoſitiones affirmatiuas, & hæc obligant ad ſemper, ſed non pro ſemper, quia eorum obligatio eſt ſub diſiunctione ad hoc tempus vel ad illud, & ad hanc ſpeciem operationis, vel ad illam, vt ſcribit Magiſter Ioannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis in regulis moralibus: Sicut colere Deum latria exteriori, non plus de ſe obligat ad hanc ſpeciem cultus exterioris, & ad hanc diem quàm ad illam, &c. Negatiua verò præcepta ſunt quæ exprimuntur per propoſitiones negatiuas, & iſta obligant ad ſemper, & pro ſemper. Ad ſemper, id eſt pro loco & tempore, id eſt aliquando: pro ſemper, id eſt pro omni tempore & loco: vt, Non mœchaberis: & dicuntur prohibitiua, &cæ. Neceſsitas autem eſt ſcire mandata obligantia, & quæ non, vt ſcribit Magiſter Ioannes Gerſon in de cognitione peccatorum venalium & mortalium. Aliàs enim vel tranſgredimur ea per ignorantiam: vel in cuſtodiendo ea habebimus magnam nimis de tranſgrediendo dubitationẽ, & dubitabimus vbi dubitandum non erat, per quod perderemus totam conſcientiæ tranquillitatem: putando non peccatum eſſe peccatum: & econtrà, de peccato quod non eſſet peccatum. Et (vt idem ſcribit Magiſter Ioannes Gerſon in Tripartito de præceptis decalogi.) Deus pater piiſsimus cognoſcens noſtram fragilitatem & exiguam potentiam, dedit nobis numerum præceptorum, quoniam obſeruatio ſibi ſufficiens eſſet, quæ etiam legis decalogo continetur. Quapropter ad hæc pręcepta ſcienda & intelligenda, tenetur quilibet per ſe, vel alium diligentiam apponere pro conſeruatione vitæ ſpiritualis quantum pro vitæ corporalis ſuſtentatione poneret, & eo maiorem quo immortalis anima eſt corpore præſtantior, ſine quorum notitia nullus poteſt cõuenienter vitare peccata, aut ab eis reſurgere, & quorum ignorantia ex deſidia prouenieus, non excuſat, ſed accuſat & condemnat. Supr autem hæc decem præcepta his metris comprehenſa:

Vnum crede Deum, nec iures vana per ipſum.
Sabbata ſanctifices: & venerare patres.
Non ſis occiſor, fur, mœchus, teſtis iniquus:
Viciniq; thorum, resq; caueto ſuas.

De his præceptis permulta ſcribit Magiſter Ioannes Gerſon, quem legere potes. De ſingulis quoq; præceptis videre potes S. Bonauen. d. xxxvij. li. iij. circa tex. Et aliàs multi multa literis de his mãdarunt, vt Nicolaus de Lyra in ſuo Præceptorio, & Ioannes Nider, & cæteri quàm plurimi, &c.

Præceptum, mandatum, & lex, pro eodem ſumi ſolent. Quis autem ſit ordo decem præceptorum, varij variè aſsignant numerum & ordinem præceptorum. De quo videto S. Tho. ſecunda ſecundæ, q. c. art. v. & ſanctum Bonauen. di. xxxvij. q. ij. & iij. libr. iij. & Gerſonem in compendio Theolog.

de decem præceptis, quę aliis legẽda relinquo. Horum preceptorũ decem, tria explicant pręceptũ de dilectione Dei, reliqua ſeptem dilectioné proximi. Propter quod ſecundũ Aug. Iſidor. & Magiſt. prima tria ſcripta fuère in prima tabula, reliqua ſeptem in ſecunda. Primũ, de non habendo deos alienos. Secundum, de non ſumendo nomen Dei in vanum. Tertiũ, eſt de Sabbati ſanctificatione. Alia ſeptem ſequentia ſunt ſecundę tabulę, quę ordinant hominem ad proximũ. Vide ſatis clarè de hoc Dominum Præpoſitum Gab. d. xxxvij. q. vnica, ar. j. lib. iij, & aliàs latiùs. Hęc ſolet declarari à Theologis & Sanctis. Et prima ordinant ad Deũ, poſteriora ordinãt ad proximũ. Omnia autem cætera præcepta tam diuina quàm humana, quantũcunq; multiplicia ſunt (quia tamen rationalia, alioquin non merentur dici præcepta) ad præcepta decalogi reducuntur, quæ illis ſunt conſona, & ex eiſdem principiis dilectionis deriuata, ſecundũ illud Apoſt. Qui proximum diligit, legem impleuit: ad Rom. 13. Et illud Saluatoris Matth. 22. In his duobus præceptis pendet tota lex, & Prophetæ. Præcepta autem decalogi non obligant hominé ad obſeruantiã eius in charitate ſimpliciter, ſed bene ad obſeruantiã formatam aſtringit cõditionaliter decalogus: quia ſi obligarent quicũnque faceret aliquem actum moralem, vel benefaciendo patri, vel paſcendo pauperem, non habens charitatem, peccaret. In quolibet etiam momento non habens charitatem, eſſet tranſgreſſor præcepti, vt ſcribit Dominus Præpoſitus Gabr. artic. iij. vbi ſupra. dub. j. Sed ſunt ſeruanda ſub illa conditione, quam Saluator Matth. 19. exprimit, dicens: Si quis voluerit ingredi ad vitã, neceſſe eſt vt ſeruet mandata ex charitate. Poſita ergo illa conditione, ſi vult ingredi vitam, neceſſe eſt vt mandata ſeruet ex charitate: ita quod ſi ſeruat & non ex charitate, non quidem peccat, tamen per iſtam obſeruantiam non meretur ingreſſum regni. Conſonat Magiſter Ioannes Gerſ. lect. v. de vita ſpirituali animæ, & tract. ix. ſuper Cantico Mariæ. Hinc Dominus Cardinalis Cameracenſ. q. ij. ar. ij. li. j. ſcribit: Nullus, inquit, homo poteſt ſtante lege per purè naturalia implere præceptum de dilectione Dei ſuper omnia. Patet, quia lex quæ eſt, iubet quod actus cadens ſub præcepto fiat in gratia, quæ eſt habitus ſupernaturalis: ergo licet exiſtens extra gratiam per ſola naturalia poſsit Deum diligere ſuper omnia, non tamen implet præceptum ad intentionem præcipientis, niſi ſit in gratia. Et hoc eſt quod multi Doctores dicũt, quod homo poteſt implere præceptum quãtum ad ſubſtantiam præcepti, vel facti cadentis ſub præcepto: non tamen quantum ad circumſtãtiam facti & intentionem præcipiẽtis. Et ad hoc eſt determinatio Eccleſiæ de conſecratione, di. iiij. cap. vlti. Qui dixerit quod ſine gratia poſſumus mandata Dei implere per liberum arbitrium, anathema ſit. Vnde contrarium fuit hereſis pleuè ipſorum Pelagianorum. Nec (vt idem dicit Petrus de Aliaco) homo ſtante lege poteſt meritoriè agere per pura naturalia, loquendo de merito vitæ æternæ. Aſtipulatur Iacobus de Valentia Pſalm. 118. qui dicit, quod licet abſque gratia Chriſti nemo poſsit implere diuina præcepta, nec vitare peccatum: tamen omnes obligamur ad ſeruandum diuina præcepta, & vitare peccatum, & agere opera miſericordię. Vide latiùs eum ibi, &c. Nullus tamen (vt ſcribit Gabriël di. j. q. iiij. artic. iij. lib. iiij.) tenetur ad aliquod pręceptum diuinum vel humanum, quod non eſt naturę inſertum, niſi per aliquem idoneũ & authenticum promulgetur: vel ſaltem ex fama veridica, & teſtimonio bonorum, quibus debet quilibet rationabiliter credere, innoteſcat. Hinc Ioannis 15. dicitur: Si non veniſſem & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent, &c. Vnde poteſt quiſquam ſe ad pręcepta habere tripliciter, vt ſcribit idem Gabriël di. xxxvij. q. vnica, artic. iij. dub. j. libr. iij. Aut non ſeruando ſimpliciter, ſed negligendo actum pręceptum, quo tempore pręceptus eſt quo ad affirmatiua: aut oppoſitum faciendo quo ad negatiua. Secundo modo obſeruando quidem ad literam, hoc eſt actum pręceptum exercendo, & prohibitum omittendo: non tamen ex charitate. Tertio modo vtrunque implendo propter Deum finaliter ex charitate. Primus tranſgreſſor eſt, & peccat mortaliter. Tertius meretur vitam æternam. Secundus neque meretur neque peccat, niſi fortè in eo tempore quo tenetur mereri, vt in die Dominico, quo tenetur actualiter eligere dilectionem Dei ſuper omnia: aut dum tenetur ſe pręparare ad Sacramenti ſuſceptionem. Hęc eſt ſententia ſancti Bonauent. di. xxxvij. q. ij. & aliorum plurimorum Doctorum. De quo vide ſupra in dictione *intentio præcipientis*.

Præcepta & conſilia differunt, vt ſcribit Gerſon tract. contra proprietarios regulę Auguſtini. Nam pręcepta remouent quę charitati ſunt contraria: Conſilia autem impedimenta actus eius. Dicit Auguſtinus in Enchirid. Quæcunque mandat Deus, quorum vnum eſt: Non mœchaberis. & quęcunque non iubet, ſed amouet potius conſilio: quorum vnum eſt: Bonum homini mulierem non tangere: tunc rectè fiunt cùm ad charitatem ordinantur, quia mox vnitur quis Deo. 1. ad Timoth. 7. Finis præcepti charitas. Præcepta (vt ait Hieronym. ad Demetriadem virginem) & prohibitiones de neceſsitate ſunt ſalutis: vt colere Deum & Sabbatum, non occidere, non mœchari, &c. quia multa prohibentur & præcipiuntur bona per illa. Sed conſilia de conceſsis ſunt & licitis: vt eſt libertas voluntatis, vſus carnis in coniugio, poſſeſsiones & diuitiæ. 1. Corinth. 7. De virginibus Domini præceptum non habeo, conſilium autem do. Præcepta quoque obligant ad ſeruandum, vt dictum eſt: conſilia autem non niſi in caſu: obligant enim ad non contemnendum: obligant etiam ſecundum animi præparationem, & etiam ad exequendum in caſu. De quo legito Dominum Præpoſitum Gab. ſerm. de ſancto Bartholomæo.

Præceptum dilectionis eſt quo præcipitur nobis vt diligamus Deum & proximũ, ſicut nos ipſos. Et de illo præcepto dupliciter poſſumus loqui, vt ſcribit Gabriël di. xxx. q. vnica, artic. j. libr. iij. ſcilicet poſitiuè, & per modum actus eliciendi, vel quaſi prohibitiuè per modum actus contrarij arcendi. Præcepta autem affirmatiua magis obligant, ne contraria eis inſiant, quàm quod actus poſitiui circa præcepti materiam eliciantur. gratia exempli: Præceptum

ptum de parentum honore magis obligat, ne parentes inhonorentur ſeu blaſphementur; quàm quod actus honorationis eis impendatur: quia ad primum obligant ſemper, & pro ſemper: non ſic ad ſecundum, ſed tantum pro aliquando. Loquẽdo igitur de primo intellectu, vt diligere accipitur pro non odire, duplex bonum eſt. Quod poſſum non odire inimicũ, ſcilicet bonum ſpirituale, quo natus eſt attingere Deum vel bonum. Aliud eſt indifferens, quod poteſt ad illud ordinari. De primo genere ſunt actus amoris Dei amicitiæ, vt eſt in ſe bonum commodum ſibi. Item viuere vita ſpirituali, ſcilicet vita gratię. Item audire prædicationes, correptiones, inſtructiones, per quas conuertatur ad Deum diligendum, & ſimilia. De ſecundo genere ſunt viuere vita corporali, ſanum eſſe, diuitem eſſe, fortem eſſe, potentem, &c.

Præceptum Eccleſiæ eſt quo Eccleſia nobis aliquid pręcipit vel iubet. Præcepta autem Eccleſiæ poſitiuę non eodem modo obligant, ſicut præcepta naturæ vel diuina: vt ſcribit Dominus Præpoſitus Gab. di.xvj.q.iij.artic.j. libr.iiij. Nam pręcepta naturæ & diuina ſunt de his, quæ ſecundum ſe ſunt de neceſsitate ſalutis. Vnde his præcipiuntur actus virtutum fidei, charitatis, ſpei, &c. Aut prohibentur ea quæ ſunt ſecundum ſe mala: vt ſunt actus vitiorum: & ad illa omnes (vt dictum eſt) tenentur in quolibet caſu: quoniam quilibet tenetur pro tempore & loco ad actus virtutum, & pro ſemper, ad cauenda vitia. Præcepta verò Eccleſiæ ſiue iuris poſitiui, ſunt de his quæ ordinant ad virtutes, & eis pręcipiuntur, quæ non per ſe & in quolibet caſu ſunt bona. Sed quandoquè poſſunt eſſe mala, & prohibentur, quę non ſemper & in omni caſu ſunt mala: ſed in caſu poſſunt eſſe bona vel indifferentia. Et ideo non eſt, nec debet eſſe intentiò Legiſlatoris iuris poſitiui: vt ſemper obſeruetur pręceptum ſuum: poſſunt enim occurrere impedimenta in quibus non proficeret: imò noceret pręcepti obſeruatio: in quo caſu ſi præſens eſſet Legiſlator, velle deberet, quod præceptum ſuum non ſeruaretur, quia intentio cuiuſlibet iuſti Legiſlatoris eſt inducere homines ad virtutes. 2. Ethicorum. Et ideo in omni præcepto legis poſitiuæ admittitur exceptio cauſæ rationabilis. Et per hoc dicit ſanctus Thom. in iiij.di.xv.q.iij.artic.iij. præcepta iuris poſitiui magis obligant ex intentione Legiſlatoris, quàm ex ipſis verbis: & ideo magis reputandus eſt tranſgreſſor præcepti, qui obuiat intentioni Legiſlatoris, quàm qui deuiat ab ordinatione legis, ſecundum textum verborum. Ille autem obuiat intentioni Legiſlatoris, qui ex contemptu aut ſine rationabili cauſa, ordinationẽ non ſeruat. Vide latiùs Gabriëlem diſt.xvj.quęſt.iij.artic.j.libr.iiij.&c. Præcepta autem legis humanæ ſiue poſitiuę iuſtę, obligant omnes legi ſubiectos, ſecundum mentem præcipientis, etiam in foro conſcientiæ. Vnde ſequitur quod eorum tranſgreſsio ſine cauſa rationabili, eſt culpa mortalis, etiá ſi non ſit ex contemptu, ſed ex negligentia, paſsione, aut conſequenda voluptate, niſi fieret ex ſurreptione, inaduertentia, aut ignorantia excuſante. De quo videatur latiùs Dominus Præpoſitus Gabr. notab. vj. vbi ſupra. Potes de hoc videre Magiſtrũ Ioannem Gerſonem de vita ſpirituali animæ lect.iiij. qui de præceptis Eccleſiæ & humanæ legis tranſgreſsione notanda literis prodidit.

Præcipere eſt actus rationis, quia importat motionem cum quadam ordinatione, ſecũdum ſanctum Tho. ſecunda ſecũdæ, q.xlvij.art.viij. Præcipere ſecundũ Guil. Scotiſt. d.xlvij.lib.j. dicitur. Vno modo quicquid ſub mádato cadit: & iſto modo in veteri lege, & lege decalogi, tá ad ceremonialia quàm iudicialia præcepta erant. Secundo, præceptum capitur vt diſtinguitur contra ceremonialia & iudicialia, & ſic propriè decem præcepta dicebantur in prima & ſecunda tabula ſcripta. De quibus Matth. 19. Si vis ingredi ad vitam, ſerua mandata, ſcilicet decalogi. Tertio modo præceptum accipitur vt opponitur prohibitioni: & ſic præceptio eſt de affirmatiuis: ſicut illud: Sabbata ſanctifices, & Honora parentes. Sed prohibitiones de negatiuis: ſicut eſt illud: Non adorabis deos alienos, Non occides, &c.

Præcipere malum, & Deum præcipere malum poteſt dupliciter intelligi, vt ſcribit ſanctus Bonauentũra diſtinct.xlvij.quæſt.iiij.lib.j. Aut malum manens malum. Aut ita quod præcipiendo faciat bonum. Primum ſimpliciter eſt impoſsibile, ſecundum verò aliquo modo impoſsibile, licèt non omninò. Eſt enim aliquod malum in ſe, aliquod malum ſecundum ſe. Malum in ſe poteſt fieri bene: malum ſecundum ſe nullo modo poteſt fieri bene, imò hoc intelligere quod fiat bene, eſt intelligere, quod idem ſit malum & bonum. Poteſt ergo dici, quod Deus poteſt præcipere malum in ſe, & nõ malum ſecundum ſe: quia nihil poteſt præcipere quin bonum ſit poſtquam præceptum eſt: & illud eſt malum in ſe, non autem ſecundum ſe. Et ideò poteſt illud præcipere, & non aliud. Hinc ſecundum ſanctum Bernardum: Deus poteſt diſpenſare in præceptis ſecundæ tabulæ, & non primę. Nec ex hoc ſequitur, quod præcipiat cõtraria, quia mandatum ſpeciale abſoluit à communi: ſicut priuilegium ſpeciale. In præceptis autem primę tabulæ Deus non poteſt diſpenſare, quia eorum oppoſita ſunt mala ſecundum ſe. Vide latiùs Bonauenturam. Et quando dicitur quod Deus pręcepit Ozee vt duceret vxorem fornicariam. Dicendum quod illud fuit malum in ſe, ſcilicet, cognoſcere nõ ſuam: & diuino præcepto factum eſt ei bonum: ſed ſecundum quod fornicatiò dicit actum libidinoſum, & cognoſcere aliquam ex libidine, hoc Dominus nunquam præcepit. Item quod præcepit filiis Iſraël facere furtum, Exodi 12. Dicendum ſimiliter: illud præcepit inquantum in ſe malum fuit, ſcilicet accipere rem alienam: ſed hoc potuit facere, quia cùm ſit Dominus omnium, dominium potuit transferre: ſed nunquam præcepit, quod ex libidine hoc facerent, illud enim eſt malum ſecundum ſe. Hæc ex officina ſancti Bonauen. d.xlvij.q. iiij. libr.j. qui & de præcepto Abrahæ de immolatione Iſaac, & aliis, quæ Dominus præcepit, ſcribit. De quo aliàs dicitur, & videre potes Dominum Præpoſitum Gabriëlem lectione lxix. canonis. Præceptum enim illud ſecundum mentem præcipientis prætendebat obedientiá Abrahæ fieri notá cæteris in exemplũ, & non immolationem

filij quam præcepti verba ſignificabant, &c.

Preces in ſingulari capite caret, hoc eſt nominatiuo & vocatiuo, à verbo precor venit, quod accuſatiuo iunctum, ſignificat oro, datiuo ſignificat opto: de quo Grámaticos cóſulas. Et preces, idem eſt quod orationes. Sancti autem cognoſcunt preces noſtras quas ad ipſos dirigimus. De quo legere potes Thom. Argeñ. & Richar. artic. vij. q. j. & ſequentes di. xlv. lib. iiij. & alios. Et quamuis ſancti in patria clarè videant tribulationes hominum, & audiant preces eorum: quia tamen clarius vident voluntatem Dei nunc in patria quàm tunc, quando erát in via: ideo nõ obſtante quod feruentiorem pro nunc habeant charitatem, tamen aliquos iuuiſſent quando fuerunt in via, quos modò non adiuuant, quia noſcunt hęc placere Deo, vt in tribulatione permaneát. Poſſunt & cognoſcere cognitione ſupernaturali, prout huiuſmodi oratio relucet in diuina eſſentia, in qua quilibet beatus clarè videt omnia ad ſuã beatitudinem ſpectantia, & quæ ad ipſum diriguntur cognoſcẽda. De quo copioſius legere potes ſanctum Bonauen. d. xlv. ar. iij. q. j. & ij. lib. iiij. Voluit & Deus vt ſanctos rogaremus triplici ex cauſa, ſcilicet propter noſtram inopiam, ſanctorũ gloriam, & Dei reuerentiam. Quæ ſingula declarat abundè ſanctus Bona. q. iij. vbi ſupra. Et non ſolum maiores ſancti à nobis orandi ſunt (vt vult Paludenſis q. ij. art. iij. di. xlv. libr. iiij.) ſed etiam mediocres & minores, propter quinq; rationes. Primò, quia aliquis quádoq; habet deuotionem maiorem ad minorem ſanctum quàm ad maiorem. Ex deuotione autem maximè dependet orationis effectus. Secundò, ad tollẽdum faſtidium, quia aſsiduitas eiuſdem rei faſtidium parit. Per hoc autem quod alternatim diuerſos ſanctos oramus, quaſi in ſingulis nouus feruor deuotionis concitatur. Tertio, quia quibuſdam ſanctis datũ eſt in quibuſdã ſpecialibus caſibus patrocinari: vt S. Antonio ad extinguendũ ignem, qui dicitur infernalis: & quibuſdam aliis ſanctis in quibuſdam aliis infirmitatibus. Quartò, vt omnibus exhibeatur à nobis debitus honor. De quo affatim ſcribit Gabriël lect. xxxij. canon. Quinto, quia orationibus plurium quandoque impetratur, quod nõ impetraretur oratione vnius, vt Paludeñ. vbi ſupra ſcribit, &c.

Prædeſtinatio quam Corteſius libr. j. di. vj. præſignationem vocat, eſt diuinũ propoſitum dandi vitam æternam. Et materia prędeſtinationis (vt ſcribit Brulefer di. xl. lib. j.) ſimilis eſt ſerpenti, qui dicitur hydra, cui ſi vnum caput abſcinditur, naſcitur ſibi aliud: & ſi duo, naſcuntur alia duo capita: ſic eſt de iſta materia. Nam cùm vna difficultas in iſta materia ſoluitur, ſurgunt alię duę difficultates maiores. Stephanus Brulefer: Quare Doctores & Sancti ſcribentes de diuina prędeſtinatione, cum magna humilitate & timore quodam, & trepidatione loquuntur, propter abyſſum diuinorũ iudiciorum. Nam iudicia Dei quare quoſdam prędeſtinauit, & alios non: & quare elegit hos & non illos, & ſimilia iudicia ſunt profundiſsima & incomprehenſibilia, ſicut abyſſus Oceani, vt ſcribit Iacobus de Valentia Pſalm. 35. & ſuper illud: Iudicia tua abyſſus multa. Quamobrem Doctor Ioannes Eggius fautor & amicus noſter ſingularis, Germanię decus & Theologię peritiſsimus in ſuo Chryſopaſſo, diuinę prędeſtinationis tractare volens, profundam prædeſtinationis materiam non ignorate, ſcribit ſe in periculo fluctuare, cùm illam profundam diuinę prænotionis rationem ſub nebula & vmbra inueſtigare cupiat. Cui alludit Poëta Henricus Bebelius familiaris quondam iucundiſsimus noſter & Latiniſsimus, laudans ea quæ ille Theologus Eggius ſcripſit in Chryſopaſſo, cùm ait: Attamen hunc librum nunquam librare valebo (materia vires exuperante meas.) Ego autem qui minimus ſum vel nullus in Theologia nec Theologi nomine, ſed potius Theologaſtri fortaſſe dignus, pauca quædam & modica, vt ex Theologis accepi, in medium afferam, &c.

Prædeſtinatio. Vno modo dicit præparationem boni (vt habet ſanctus Bonauen. di. xl. circa textum, libr. j.) & ſic conuenit hominibus, & Angelis, & etiam Chriſto. Alio modo dicit præparationem boni, & liberationem à malo: & ſic dicitur prædeſtinatio propoſitum miſerendi, & ſic eſt propriè hominum. Ita accipit Magiſter, cùm dicit di. xl. libr. j. Prædeſtinatio eſt de bonis ſalutaribus, & de hominibus ſaluandis. Vnde Aug. in lib. de prædeſtinatione ſanctorũ: Prędeſtinatio eſt gratiæ pręparatio, quæ ſine præſcientia eſſe nõ poteſt, &c. Et prædeſtinatio dicitur actiuè & paſsiuè à verbo prædeſtino, quod deriuatur à deſtino. Eſt autem deſtinare, deliberare, aſsignare, deputare, adiicere, quaſi ſtare facio. Prædeſtinatio actiuè eſt Deus: paſsiuè eſt homo qui prædeſtinatur ad ſalutem. Et in Deo (vt ait S. Bona. di. xl. ar. ij. q. ij. lib. j.) idẽ ſunt propoſitum, prædeſtinatio, & electio, ſecundum rem, tamen differunt ſecundum rationem intelligendi, vt ibi oſtendit Bonauen. & infra oſtendetur.

Prædeſtinatio variè deſcribitur. Auguſtinus de libero arbitrio ait: Prædeſtinatio eſt diuinæ voluntatis per gratiam electio. Vel ſecundum eundem: Prædeſtinatio eſt quædam præordinatio Dei ab æterno de his, quæ per gratiam Dei fienda ſunt in tempore. Prædeſtinatio ſecundum ſanctum Thomam prima parte qu. xxiij. artic. j. eſt ratio tranſmiſsionis creaturæ rationalis ad vitam æternam in mente Dei. Vel prædeſtinatio eſt cognitio futuræ beatitudinis hominum. Præſcientia verò econtrario, eſt cognitio futurę damnationis. Vel ſecundum Auguſtinum in libro de fide ad Petrum: Prædeſtinatio eſt gratuitæ donationis præparatio, id eſt præordinatio alicuius creaturæ intellectualis ad gloriam facta à voluntate diuina. Idem Auguſtinus in libro de bono perſeuerantiæ, ait: Prædeſtinatio eſt præſciẽtia beneficiorum Dei, & hoc concomitanter & præpoſitiuè. Et in libro de prædeſtinatione ſanctorum, & magis propriè. Prædeſtinatio (inquit) eſt propoſitum miſerendi: quod debet ſic intelligi: prædeſtinatio eſt propoſitum dádi vitam æternam. Vnde miſericordia vno modo capitur largè, pro liberalitate: hoc modo accipitur in illa auctoritate Pauli, vbi dicit Gloſſ. Cui vult miſeretur, id eſt, miſericorditer vitam æternam largitur. Et ſic capitur in iſta deſcriptione: Prædeſtinatio enim nõ habet pro obiecto malũ, ſed ſolum gloriam.

gloriam. Alio modo accipitur ſtrictè: de quo aliàs. Et licèt propoſitum, electio, & prædeſtinatio ſint idem realiter, & ſecundũ rem, diſtinguuntur tamen ratione. Propoſitum enim nihil eſt niſi velle aliquid facere. Vnde ille proponit qui firmiter vult aliquid facere. Electio autem aliquid addit inquantum, ſcilicet vult illud, diſtinguendo contra oppoſitum: & ſic addit ſegregationem. Si enim omnes vellet beatificare, diceretur propoſitum, non autem electio. Prædeſtinatio dicit aliquem firmiter aliquid velle facere: & cum hoc connotat ſegregationem, & tertio connotat gloriam æternam. Et propter identitatem realem illorum trium, ſacra ſcriptura quandoque & Doctores ſancti vtuntur vno nomine pro alio. Bonauentura & Brulefer.

Prædeſtinatio, vt dicit Magiſter diſtinct. xxxv. & etiam xl. libr. j. Eſt præcognitio Dei de ſaluandis & bonis gratiæ, quibus hic liberantur, & in futuro coronabuntur: & eſt quaſi quædam ſpecies prouidentiæ: vt inquit Gabriel diſtinct. xl. quæſt. vnica, libr. j. Nam prouidentia eſt omnium gubernandorum prædeſtinatio ſolùm reſpectu beatificabilium. Et ſolet ſic deſcribi, vt ibidem dicit Gabriel & diſtinct. x. quęſt. vnica, artic. iij. dubio ij. libr. iij. Prędeſtinatio eſt preordinatio alicuius creaturę rationalis vel intellectualis ad gratiam in pręſenti, & gloriam in futuro: & non eſt quid diſtinctum à Deo: ſed prędeſtinatio importat Deum, qui eſt daturus alicui vitam æternam: & connotat vitam æternam, quę dabitur alicui: & quia vita æterna non datur alicui in patria, niſi ei conferatur gratia in via. Ideo communiter dicitur, quod etiam connotat gratię collationem in pręſenti. Vnde prędeſtinatio non eſt aliud quàm Deus volens alicui dare gloriam, & alia ipſum ad gloriam aliquo modo ordinantia vel promouentia: vt ſunt gratia & merita. Gabriel libr. iij. diſtinct. xx. artic. iij. dub. ij. Et prędeſtinatio ex parte Dei eſt æterna, quia quicquid eſt Deus vel in Deo, eſt æternum: ſed quantum ad id quod importat, ſcilicet vitam æternam vel collationem gratię, poſſet dici temporalis: non tamen ſimpliciter, quia non ſupponit pro creatura, ſed pro Deo, & connotat creaturam. Simpliciter ergo prædeſtinatio debet dici æterna; effectus verò eius temporalis. Effectus autem eius eſt vita æterna, & hic eſt principalis: & omnis diſpoſitio qua aliquis redditur vita æterna dignus. Ex quo habetur quod nihil potens ſtare cum peccato mortali, includitur ſub effectu prædeſtinationis: alioquin damnatus conſequi poſſet aliquem prædeſtinationis effectum, manens in ſtatu damnationis. Et licèt (vt Brulefer ſcribit di. xl. libr. j.) multi & varij ſunt effectus prædeſtinationis principaliores, tamẽ ad quos alij reducuntur, ſunt quatuor, ſcilicet vocatio, iuſtificatio, magnificatio, & Chriſti paſsio. Prima pars patet, quia omnia bona temporalia, & omnia quæ ſunt in vniuerſo: vt terra, cœlum, Sol, Luna, Stellæ, Paradiſus, & cœlum empyreum, ſunt effectus prædeſtinationis: non enim Deus indiguit vt faceret Solem, aues, aquam, &c. niſi propter electos. Vnde Philoſophus 2. Phyſicorum. Sumus nos quodammodo finis omnium. Et Geñ. 1. Dominamini piſcibus maris. Sed pro ſecunda parte loquitur Apoſtolus: Quos præſciuit, hos & iuſtificauit, &c. & ibi præſciuit, capitur largè reſpectu omnium futurorum bonorum & malorum. Præſcientia igitur eſt quædam notitia præcedens prædeſtinationem: non enim ignoranter prædeſtinauit. Sed ſtrictè præſcientia dicitur notitia ſolùm reſpectu malorum: vel capitur pro reprobatione. De quo aliàs & ſuo loco dicetur. Quod autem prædeſtinatio ſiue electio ſit æterna, hoc probatur teſtimonio Apoſt. ad Epheſ. 1. Elegit nos ante mundi conſtitutionem: & ideo non mutatur propter mutationem ſtatus: vt ſcribit Gabriel di. xx. q. vnica, libr. ij. Et omnes electi ab æterno ſunt prædeſtinati: & prædeſtinatio Dei infallibilis eſt & immutabilis: ergo omnis prædeſtinatus conſequitur beatitudinem. Et ſi ſtatus innocentiæ permanſiſſet, multi electorum ex aliis parentibus editi fuiſſent: vt patet de ſancto Martino, Barbara, Chriſtina, &c. & in ſtatu innocentiæ tantum electi geniti fuiſſent. Vide latiùs Gabrielem di. xx. lib. ij.

Prædeſtinatio diffinitur ſic à Domino Cardinali Camerac. q. xij. arti. j. lib. j. Prædeſtinatio eſt diuinum propoſitum dandi vitam æternam. Reprobatio verò per oppoſitum, eſt diuinum propoſitum non dandi vitam æternam. Concordat Gregorius Ari. q. j. artic. j. di. xl. lib. j. Vnde ille dicitur prædeſtinatus (vt ſcribit Aliacenſis) cui Deus propoſuit dare vitam æternam: & ille dicitur reprobatus, cui Deus propoſuit nõ dare vitam æternam. Et hoc ſatis docet Apoſtolus Rom. 9. Iacob dilexi, Eſau autẽ odio habui. Vbi concludit: cuius vult miſeretur, quem vult indurat, id eſt non miſeretur.

Prædeſtinatio ſecundum Sco. di. xl. libr. j. eſt ordinatio electionis à diuina voluntate alicuius creaturæ rationalis vel intellectualis ad gratiam & gloriam. Hanc diffinitionem per longum declarat Doctor eximius Ioannes Eckius in ſuo Chryſopaſſo, qui & alias affert diffinitiones. Vnde Alexander de Ales q. xxviij. primæ partis, ſic diffinit: Prædeſtinatio eſt præcognitio Dei de ſaluandis & bonis gratiæ, quibus hic liberantur, & in futuro coronabuntur. Marſilius: Prædeſtinatio eſt præparatio gratiæ in præſenti, & gloriæ in futuro. Vide alias deſcriptiones apud Eckium. Et hæc de diffinitione prædeſtinationis. Et de prædeſtinatione addantur quædam notanda. Et primò (vt ſcribit Gabriel di. xl. qu. vnica, artic. ij. libr. j.) Quælibet rationalis creatura à Deo fuit æternaliter prædeſtinata vel reprobata. Nam Deus ab æterno diſpoſuit dare cuilibet creaturæ rationali, vel gloriam æternam, vel non dare. Aſſentit Auguſtinus libro de prædeſtinatione contra Pelagianos: Et quicunque prædeſtinatus eſt, contingenter prædeſtinatus eſt: & ita potuit non prædeſtinari, & per conſequens poteſt damnari, & poteſt non ſaluari: quia ſaluatio dependet à voluntate diuina contingenter cauſante. Nulli quoque adulto confertur vita æterna, niſi propter aliquod meritum. Omne autem meritum eſt in poteſtate merentis. Hinc ſanctus Bonauentura diſtinct. xl. quæſt. vltima, artic. j. libr. j. dicit: Pendet euentus noſtræ ſalutis & damnationis ex noſtri arbitrij libertate, & certus eſt euentus ſalutis noſtræ certitudine

infallibilitatis ex parte Dei præcognoſcentis, quia diuina præſcientia non fallitur: & ideo euenit, vt præſciuit. Vnde Deus iuſtus Iudex iuſtè remunerat: nullum ergo bonum irremuneratum, nullum malum impunitum: ergo nullus laborat ſine fructu, nullus torpet ſine damno. Et (vt idem ait) Deus non prędeſtinat hominem ad ſalutem, niſi per merita: nec reprobat, vt perueniat in damnationem ſine meritis. Et ideo non ſolùm eſt noſtra ſalus ex parte Dei, ſed ex parte noſtra: & cùm ipſe velit omnes ſaluos fieri, & omnibus gratiam impartiri, ſolum ex noſtra malitia vel negligentia venit defectus noſtræ ſalutis: nec (vt idem vult) prædeſtinatio infert neceſsitatem ſaluti, nec infert neceſsitatē liberi arbit. quoniá prædeſtinatio non eſt cauſa ſalutis, niſi includendo merita: & ita ſaluádo liber. arbit. in poteſtate itaq; hominis eſt ſaluari vel dánari. Et ſi habes melancholiá quod Deus præſciuerit te ad pœná, dico tibi (inquit Brule.) fac quod conſulo tibi, & tibi aſſero & promitto, & pro te in die iudicij reſpondebo: Conuertaris à via tua mala, & à ſtudiis tuis inutilibus, à tali occupatione tui intellectus vaniſsima, & exerce te in amore & delectatione diuinæ benignitatis infinitæ, & ſaluaberis perſeuerando. Chriſtus enim venit in hunc mundum propter ſalutē peccatorū. Videtur mihi idem ſentire Gerſon tract. viij. ſuper Cant. Mariæ, cū ait: Certus eſto, ſi bene vixeris ſub lege magni Angeli, & cuſtodia Angelorum ſuorum, quorū domina eſt Maria, ſaluus eris ſocius eorū factus in æuum. Studeamus igitur plus bene viuere quàm diſputare. Ad hoc videatur Dominus Præpoſ. Gabr. d. xlj. q. vnica, art. iij. dub. iij. libr. j. qui ita ſcribit: Deus tanquá vniuerſitatis Creator & Dominus, de creatura poteſt facere quicquid vult ſine iniuria creaturæ: hinc poteſt ſaluare quē vult, & damnare: ſicut habens plenū dominiū in re ſua. Et ideo non iniuſtè vult, & operatur: & quicquid vult, operatur: cui nemo dicere poteſt: cur ita facis? Iob 11. & ad Rom. 9. O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo? nunquid dicit figmentū ei qui ſe finxit: quid me finxiſti ſic? Nullius igitur eſt debitor, propter quod nulli facit iniuriá, nec accipit perſoná. Item Deus cōtingenter operatur ad extra. Item Deus creauit hominē arbitrio liberum: ideo cōtingenter vult homo quæcunq; vult, nec deeſt ei Dominus cōcurrendo ſecū ad actū elicitū, licèt non quantū ad actū imperatū. In poteſtate hominis eſt bene vel malè vti ſuo arbitrio, & ſic ponere obicē gratiæ Dei, vel oppoſitū remouere: poteſt enim ceſſare à voluntate peccádi, & poteſt velle nō peccaſſe. Statuit Deus nullū damnare pœna ſenſus, niſi pro culpa perſonali, nec adultū ſaluare regulariter ſine merito perſonali. Hinc ait ſcriptura: Anima quæ peccauerit, ipſa morietur: qui iuſtus eſt, vita viuet. Ezech. 18. Quæ ſeminauerit, hæc & metet. Galat. 6. Deus adeſt omnibus, obicem non ponētibus, offerens gratiá, nec alicui adulto (rationis vſum habēti, & quod in ſe eſt facienti) ſubtrahit neceſſaria ad ſalutē. Vult enim omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionē veritatis peruenire. 1. ad Tim 2. Stat ad oſtiū & pulſat. Apoc. 3. Nonnullos ex ſua liberalitate Deus gratia præuenit, nō expectás bonum liberi arbit. vſum: vt patet de ſanctificatis in vtero, & Paulo miraculoſe conuerſo. Seruit huic parabola vineæ. Matth. 20. Amice, nō facio tibi iniuriá, tolle quod tuū eſt, & vade: volo autem huic dare ſicut tibi. An non licet mihi quod volo facere? De quo vide Gabr. ſer. j. Dominicæ ſeptuageſimæ: Cùm ergo manet libertas arbitrij in homine, quæ ſe ad Deū cōuertere poterit, & donec in via cōſtitutus fuerit gratia cooperáte ſaluari: patet quod non inanes ſunt preces & merita, nec fruſtrà fiunt virtutū opera in quibus quiſq; in finem perſeuerauerit (quod in homine eſt cui ſine ſui culpa gratia nō ſubtrahitur) indubitanter ſaluabitur, vt ſcribit Gabr. d. xlj. ar. iij. dub. iij. lib. j. Cùm autē dicitur prędeſtinatus ſaluabitur, agat quicquid velit: illa de rigore verborū (vt idē ait Gab. vbi ſupra.) poteſt cōcedi, quia prædeſtinatus nō niſi bene vult finaliter. Sed ſi intelligitur ſic: prædeſtinatus ſaluabitur etiá finaliter malè volens, ſic eſt falſa: quia nullus eſt prędeſtinatus finaliter malè volens. Hęc enim repugnát quod ſit prędeſtinatus, & quod finaliter malè velit: licèt prædeſtinatus poſsit finaliter malè velle. Vnde ſequitur, quod nullus eſt neceſſariò prædeſtinatus, vnde quidá Doctor dicit: Si non es prædeſtinatus, fac vt prædeſtineris. Vnde in poteſtate tua eſt dánari vel ſaluari. Nam Chriſtus dixit: Si vis ad vitá ingredi, ſerua mandata. Nouit Deus mutare ſententiá, ſi tu noueris mutare vitá. Et illa propoſitio: prædeſtinatus poteſt dánari, ſecundū Doctorē ſubtilē debet diſtingui, in ſenſu cōpoſito valet illam. Hæc propoſitio: prædeſtinatus damnatur, eſt poſsibilis. In ſenſu autem diuiſo valet illam, qui eſt: vel poteſt eſſe prædeſtinatus, poteſt damnari: & in ſenſu cōpoſito eſt falſa, in ſenſu diuiſo eſt vera: vt facilè patet Logicá callenti. De quo conſulas Gab. di. xl. q. vnica, ar. ij. lib. j. Non parum multa de prędeſtinatione ſcriptis reliquerunt nobis Doctores, Occam, Scotus, Gabr. Cardin. Camerac. Gerſon, quæ prætereo, relinquens ſtudioſis hæc perſcrutanda. Eckius ille doctiſsimus in ſuo diuinæ prædeſtinationis Chryſopaſſo plura ſcripſit. Liber tamen prædeſtinationis ſigna referre & breuiter.

Prædeſtinationis ſigna. quæ refert Pelbart. part. iij. roſarij Theol. & cæteri ſparſim in ſuis ſer. & abundè de his ſcribit & Doctor Ioan. Eckius. Centuriæ iiij. artic. iij. dub. ij. in ſuo prædeſtinationis diuinæ Chryſopaſſo. Et ſi homo non poſſet euidenter ſcire ſuam prædeſtinationem, ideo ponuntur ſigna vel coniecturæ, quibus poſsit ſperare ſe eſſe prædeſtinatum, vel veriſimiliter ſcire ſe eſſe de numero prędeſtinatorum. Primum ſignum eſt fidei veritatem tenere. Vnde Mar. vlt. dicitur: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Ex quo habetur, quod fides eſt neceſſaria ad vitam æterná. Secundum ſignum eſt ſeruare præcepta Dei. Vnde Matth. 19. Si vis ingredi ad vitam, ſerua mandata. Tertium ſignum eſt prohiberi à peccatis multis, quę homo incideret, ſi non prohiberetur à Deo. Nam nihil inquinatum intrabit in cœleſtem Hieruſalem. Apocaly. 21. Quartum ſignum prędeſtinationis, eſt libēter audire verbum Dei, & loqui de Deo, de ſalute propria, de vita futura, de cœleſtibus gaudiis, &c. Illud ſignum ponitur Ioan. 8. Qui ex Deo eſt (ait Ieſus) verbum Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo nō eſtis. Vnde ſanctus Bonauen. in ſer. de paſsione

Domini

ne Domini, allegans Chryſo. Nullũ maius ſignum prędeſtinationis eſt quàm libenter audire verbum Dei, & ex aduerſo concluditur euidẽtiſsimum eſſe ſignum æternę damnationis, cõtemnere audire verbum Dei. Quintum ſignum eſt opera miſericordię libenter exercere. Vnde Matth. 5. dicitur: Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Et 1. Timoth. 4. Pietas ad omnia valet, promiſsionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ. Sextum ſignum eſt pœnitentiam facere ſuper delictis pręteritis ex amore. Hoc patet Mat. 3. Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnũ cęlorũ. Septimũ ſignũ eſt patiẽter aduerſitates ferre: ita loquitur Apoſt. ad Heb. Flagellat Deus omnẽ filiũ quem recipit. Vnde Greg. Continuus ſucceſſus proſperitatum temporaliũ æternæ reprobationis eſt indicium. Et Auguſtinus ſuper Pſal. 55. Si putas te non habere tribulationes, nõdum cœpiſti eſſe Chriſtianus. Et Apoſtolus dicit: Omnes qui piè volunt viuere in Christo, perſecutionem patientur. Gaudeat ergo Chriſtianus in aduerſis (inquit Ioannes Eckius) quoniam ſi iuſtus eſt, probatur: ſi peccator eſt, emendatur. Gaudeat peccator cùm in hoc ſeculo contriſtatur, vt poſt hoc ſeculum cum Chriſto remuneretur. Et B. Gregor. & habetur vij. q. j. aduerſitas iuſtorum non eſt ſignum reprobationis, ſed exercitium virtutis. Et in Apocalypſi legitur: Ego, quos amo, arguo & caſtigo. Octauum ſignum eſt humilitas. Vnde Saluator: Qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur. Vnde beatus Gregorius: Euidentiſsimum ſignum reproborum eſt ſuperbia, electorum humilitas. Nonum ſignum eſt faciliter condonare iniurias ſibi irrogatas propter Chriſtum. Vnde Dominus apud Lucam: Dimittite, & dimittemini. Et apud Matth. Si dimiſeritis proximis ex cordibus veſtris, & pater veſter dimittet vobis peccata veſtra. Vnde Auguſtinus ad Bonifacium, dicens: Memento citò ignoſcere, ſi quis in te peccauerit, vt valeas peccatis veniam impetrare. Et Gregorius: Quiſquis malos non tolerat, ipſe ſibi teſtis eſt per intolerantiam, quia bonus non eſt. Abel enim eſſe renuit, quem Cain malitia non exercet. Rancoroſi ergo (inquit Eckius) niſi deciderint à rãcore, vitam æternam non poſsidebunt. Decimum ſignum prædeſtinationis eſt timentes Deum, & iuſtos in reuerentia habere. Nam odire bonos, quia boni ſunt, eſt magnum peccatũ, & inexpiabile. Vndecimum ſignum eſt, cùm quis amaram mortem & paſsionem Domini frequenter recolit, & pro tam eximia charitate ei gratias agit: ob cuius memoriam magnum illud Sacramentum Euchariſtiæ, & diuinum officium Miſſæ (quo nihil deuotiùs habet tota Eccleſia, inquit Scotus) inſtitutum eſt, Chriſto dicente: Hoc facite in meam commemorationem. De quo plura Gabriël in canone Miſſæ. Hæc ſigna prædeſtinationis liquidius narrantur à Doctore Eckio, vbi ſupra. per quæ homo coniectura poteſt cognoſcere (vt inquit ipſe) ſe eſſe prædeſtinatum & electum, non tamen poteſt de hoc habere euidentem notitiam, niſi deſuper ſibi reueletur: licèt quilibet homo fortiter debeat ſperare ſe eſſe prædeſtinatum. Vide latiùs Ioãnem maiorem Eckium in ſuo Chriſopaſſo.

Prædeſtinare non eſt niſi velle dare gloriam alicui creaturæ rationali, vt ſcribit Bruleſ. Ropertus Holkot ait: Prædeſtinare eſt velle alicui dare vitam æternam, quam non habet, ſed habebit. Ex quo ſequitur ſolùm viatorem eſſe prædeſtinatũ, quod à quibuſdam argui poteſt. Vide Eckium deſuper.

Prædicatio eſt prædicati de ſubiecto enunciatio. Et prædicatio in diuinis eſt duplex: formalis & identifica. Formalis eſt, quando prædicatum dicitur de ſubiecto, ſecundum propriam rationẽ immediatè, id eſt non ratione alicuius additi: vel incluſi, ſine quo non conueniret ſubiecto: vt pater eſt generans, filius eſt genitus: eſſentia eſt communicabilis vel communicatur. Et accipitur hîc prędicatum pro prædicato totali, vel parte eiùs principali. Gabriel di. iiij. q. prima, libr. primo.

Prædicatio identifica (vt idẽ Gabriël ſcribit vbi ſupr.) eſt, quando prædicatum dicitur de ſubiecto, mediante aliquo addito vel incluſo, quod identificatur ſubiecto, ſine quo non conueniret ſubiecto: vt eſſentia eſt pater generãs, filius eſt eſſentia communicabilis. Eſſentia eſt res genita. In his omnibus prædicatũ (ſi caperetur ſine addito) negaretur de ſubiecto, quia ei additur illud cui formaliter conuenit, quod additum identificatur ſubiecto: hoc eſt ſupponit pro eodem, pro quo ſubiectum: ideò mediante illo prædicato de ſubiecto identifica prędicatione: vide latiùs Gabriëlem, qui & ponit regulas de prædicatione terminorum in diuinis, quas videto apud eundem. Exempla ſolùm pono. Vnde ſecundùm eum non verè dicitur, pater eſt trinitas, ſed bene, pater & filius & ſpiritusſanctus ſunt trinitas. Nec verè dicitur: perſona eſt communicabilis. Illa autẽ cõceditur: Cõmunicabile eſt pater, vt valet illa: res cõmunicabilis ſiue eſſentia cõmunicabilis eſt pater: licèt bene cõcedatur, trinitas eſt pater & filius & ſpiritus ſanctus cõiunctim. Itẽ illæ: eſſentia eſt pater, eſſentia eſt filius, cõceduntur ſecundũ prædicationẽ identificã non formalẽ, quia ſecundũ formalẽ valet tantũ: eſſentia eſt pater, id eſt eſſentia habet filium quem genuit, quæ nõ conceditur. Conceditur & illa: eſſentia eſt res generans, nõ autẽ eſſentia eſt generãs. Dicimus quoq;: eſſentia cõmunicatur nõ perſona, & perſona generat nõ eſſentia. Dicimus etiã eſſentia eſt aliquid, perſona eſt aliquid. Item eſſentia eſt creãs, perſona creat, & ſic de aliis: de quo videto regulas apud Gab. vbi ſupra. & Dominum Cardinalem Camer. lib. j.

Prædicatio ſecundum ſanctum Bonauen. d. xxxiij. q. iij. lib. j. eſt duplex, quædã eſt per identitatẽ, quædam per inhærentiã. Prædicatio per inhærentiã eſt in concretione: & hæc eſt ratione ſuppoſiti, vt albũ eſt muſicum. Prædicatio verò per identitatẽ eſt in abſtractione & ratione formæ nõ ſuppoſiti, vt iuſtitia eſt bonitas. Eſt ſecundũ eundẽ notio ad notionẽ, dupliciter poteſt cõparari, vel in cõcretione vel in abſtractione. Si in cõcretione, ſic vna prædicatur de alia: vt generãs eſt ſpirãs, & pater eſt innaſcibilis: & hoc quia cõueniunt in ſuppoſito. Si autẽ in abſtractione, quia tũc notio purè importat ipſum reſpectũ, & in vna eademq; perſona ſunt diuerſi reſpect⁹ ſine ſui cõpoſitione: & hoc ſecundũ diuerſas cõparationes, ſic vna de alia nõ prędicatur. Bonauẽ.

Prædicatum ſimpliciter perfectionale eſt, quod nullam perfectionẽ ſiue diminutionẽ importat, nec ad ipſum ſequitur imperfectio aliqua ſimpliciter ſine reſpectu alterius. Sic aſinus non eſt prædicatũ ſimpliciter perfectionale, quia requiritur perfectius aſino. Sic ſcire & intelligere, vel ſciens, intelligens, ſunt prædicata perfectionalia. Sciẽtia enim eſt perfectio intellectus, ideo omnes homines ſcire deſiderant: & intelligere diuiniſſimum eſt ſecundum Philoſophum 12. Metaphy. & refert Gabriel diſtin. xxxv. q. j. art. ij. lib. j.

Prædicare ſecundum Grammaticos ſignificat apertè ſeu publicè dicere, celebrare, diuulgare, laudare. Iode prædicatio, dictio, celebritas. Et prędicatio eſt Euangelij in Eccleſia recitatio, quod fit linguis loquendo, pertinetq; ad Diaconum. Ad Sacerdotes autẽ pertinet exponere & exhortari, quod eſt prophetare. ex B. Tho. iij. part. q. lxvij. ar. j. & iiij. ſen. di. v. q. ij. ar. j. Vnde Petrus de Palud. di. xxvij. q. j. lib. iiij. ait: Tenetur prædicator impio indicare impietatem ſuam: licèt ille nõ ſemper acquieſcat, aliàs ſanguinem eius Dominus requiret de manu ſua. Et prędicare actus eſt principaliſſimus & proprius Epiſcopi, & dignior quàm baptizare ſecundũ beatum Thom. part. iij. q. lxvij. ar. j. Et prædicare non licet niſi Prælato vel ex eius auctoritate, ſecundum eundem. iiij. ſent. d. xix. q. ij. ar. ij. Prædicare enim pertinet principaliter ad Curatos & Prælatos (vt ſcribit Gerſon par. iiij. ſer. cõtra bullam mendicantium. & part. ij. ſer. in concilio Remenſi, Dominica ſecunda poſt Paſcha, ait: Prędicationis officium de neceſſitate annexum eſt paſtorali dignitati. Dura (inquit ipſe) pro quibuſdam, ſed veriſſima ſententia. Hic permulta de prædicatione & prædicatoribus ſcribit in ſuis operibus. Debet autem prædicatio fieri (vt vult beatus Thom. ſuper epiſtolam ad Rom. 10. lectione ij.) propter gloriam Dei & ſalutem hominum; non autem propter lucrum vel laudem propriam, &c.

Prædicator dicitur concionator, præco verbi diuini & cuiuſcunq; rei diuulgator, dicitur & laudator. Et habet octo nomina prædicator. Vocatur enim miles, vinitor, paſtor, bos, arator, triturator, ſeminator & architectus templi, vt dicit B. Thom. 1. Cor. 9. Quomodo autẽ in omnibus ſe habere debeat prædicator, & quis prædicator eſſe debeat, conſulito Ioannem Gerſonem in ſuis operibus in multis locis, quæ aliis relinquo legenda & inueſtigãda. Non enim omnia quæ inuenio, ſcribere volo, ne liber ſerpat in immenſum & maius quàm volui reddatur volumen, &c.

Præſum, ſuperior ſum: præeſſe, ſuperiorem eſſe, & præfectum, vel Prælatum eſſe. Et vt ſcribit ſanctus Bonauen. di. xxxix. q. iij. in fine lib. iij. quamuis bonum ſit & licitum alus præeſſe, non tamen eſt appetendum, ſed potius fugiendum: & ad illud debet homo trahi quaſi inuitus, quia cum amatur Prælatio, frequenter adeſt ratio ſuperbiendi, & quodammodo apoſtatandi & recedendi à Deo.

Præfero, antepono, præloco, præferri, anteponi. Aliqui dant tripliciter, præferri alteri dicitur (vt ſcribit Gab. di. ix. q. j. art. iij. dub. v. libr. ij.) aut ſolum per modum excedentis & influẽtis: vt natura cœleſtis elemẽto: aut per modũ imperãtis, vt Dominus miniſtro. Ad rationẽ autem perfectæ Prælationis hęc tria concurrunt. Et hoc modo nunc in Prælatione ordinis ordini, ordo ſuperior excellit in naturalibus & gratuitis. Influit etiã aliquo modo purgando, illuminando, perficiendo, etiam agẽda circa nos iniungit: in iudicio autem euacuabitur prælatio ordinis ad ordinẽ, quo ad duos modos vltimos, non quo ad primum. Probat hoc Gabr. vbi ſupra.

Prælatus largè ſumendo, eſt omnis habens curam animarum, ſecundum Innocentium in cap. Firmiter. de ſumma Trinitate. & in cap. decernimus. de iudi. Prælatorum autem maximum eſt periculum triplici ratione, quia Prælatis incumbit Sacramenta diſpenſare, quæ non niſi mundi tractare debent. Et quia debent reddere rationem de propriis, & de alienis inquantum pertinent ad eos, ex beato Tho. iiij. ſenten. di. xvij. q. iij. art. iij. Et vt idem vult ſecunda ſecundæ, q. xxxiij. ar. v. & iiij. ſenten. d. xix. q. ij. ar. ij. Prælatus exiſtẽs in peccato mortali etiam occulto, corripiendo, vel quicquid aliud officij ſui faciendo, peccat mortaliter: non autem hoc agens vt frater. De officiis Prælatorum vide copioſe Gerſonem par. iiij. ſer. de reddendo debito per multas conſiderationes. De temperantia in cibis, potu, & veſtitu, vide eundẽ par. ij. &c. & multa alias ſcribit Gerſon de Prælatis.

Præmium accipitur pro quolibet, quod retribuitur alicui, ſiue bono ſiue malo: & ita extẽdit ſe ad meritum & demeritum, vt dicit Gab. di. xxvij. q. vnica, lib. ij. Pręmium ſecundum beatum Tho. iij. ſen. di. xxix. q. iiij. eſt id quod redditur alicui in bonum eius. Et differunt præmium & precium, quia præmium duntaxat pro rectè factis datur: precium verò non modo pro rectè factis, ſed etiam pro malè geſtis. Propriè tamen precium eſt, quod pro re empta datur. Et pręmium (vt quidam volunt) dicitur quaſi præuium, quia primo præponitur quod dandum eſt victori, deinde certatur. Aliquando præmium pro pecunia accipitur: inde præmioſus, id eſt pecunioſus, &c. Et præmium eſt quod datur pro labore. Ad magnitudinẽ autem præmij non requiritur multitudo meritorũ, ſed multo magis intenſio actus merendi. Vnde dicit Scotus d. v. q. ij. li. ij. quod ad magnitudinem præmij multo magis confert vnum meritum intenſum quàm 100000. remiſſa. Hinc frequẽter ſcriptura nos à tepore & remiſsis operibus reuocat, & ad feruorem hortatur: ſicut eſt illud: Remiſſas manus, & ſoluta genua erigite. Heb. 12. Et illud Apoc. 3. Vtinam calidus eſſes aut frigidus: ſed quia tepidus es, incipiam te euomere. Et illud: Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi vt ardeat? Vbi nõ tam charitas quàm feruor, & eius intenſio commendatur: ideo per ignem, qui calidiſſimus eſt, deſignatur: vt ſcribit Gabriel di. v. q. vnic. li. ij. Ex quo ſequitur, quod magnitudo meriti nõ requirit longitudinem temporis in merendo, ſed feruorem intenſionis in operãdo. Et vt dici ſolet, meritum præcedit præmium, præcedit & pręmium meritum: ſed nõ pręmium finale, quod eſt beatitudo ipſa. Nam & ſi paſsio Chriſti, vt præuiſa cauſa fuit collationis gratię patrib. prius quàm exhiberetur, non tamen fuit cauſa meritoria gloriæ

glorię non exhibita. Gabriël di.xix.q.vnica,lib.iij. ar. iij.dub.j. & ſerm.j.de Circunciſione Domini.

Præmium eſt triplex (vt habet S. Bonau.di.xxxiij. ar.ij.q.iij.li.iiij.) ſcilicet præmium aureæ, præmium quod eſt fructus, & præmium aureolæ. Plura ibi S. Bonauē. Et di.xlix.ar.j.q.vj.lib.iiij. idem ait: quod diuerſitas eſt & diſtinctio in pręmiis ſecūdum maius & minus, ſicut fuit in meritis. Præmium beatorum eſt duplex (vt ſcribit Rich.di.xlix.art.v.qu.j. li.iiij.) Nam in beatis eſt præmium eſſentiale, quod & præmium ſubſtantiale dicitur (vt inquit ſanctus Bonauen.di.xl.q.vj.lib.ij.) quia fundamentum & ſubſtantia totius noſtræ beatitudinis eſt Deus, & illo perfectè habito, perfecta eſt in nobis beatitudo. Et illud præmiū eſſentiale (vt dicit Rich.) in beatis eſt animæ beatitudo, conſiſtens in clara viſione & perfecta fruitione: & perfecta ſecuritate de prædictæ viſionis & fruitionis perpetuatione: & gaudio quod habet de Deo. Et præmiū accidētale, quod habet bonum creatū pro obiecto, vel quod cōſiſtit in gaudio, ſecundum ſanctum Bonauē. quod habetur de bono creato, vel de liberatione ab aliquo malo. Et dicitur accidentale ſecundum Richar. nō quod ſit accidens animæ: quia tunc beatitudo etiam diceretur præmium accidentale, ſed quia tale præmium non eſt de ratione beatitudinis animæ: eò quòd anima ſine illo eſſet verè beata: quia ſicut dicit Aug. v. libr. confeſſio. ad Deum loquens de bonis creatis, Beatus qui te ſcit, etiamſi illa neſciat. Qui verò & te, & illa nouit, nō propter illa beatior, ſed propter te ſolum beatus eſt. Et (vt idem ſcribit Rich. q.iij. vbi ſupra.) Pręmium quoddā eſt, quod aurea dicitur: quoddam aureola, quoddam quod non eſt, nec aurea, nec aureola. Aurea eſt pręmiū ſubſtātiale bonorum: quòd per ſimilitudinē aurea dicitur. Tum quia datur victoribus: & victori debetur corona. tum quia ad ſimilitudinem coronæ, quæ contingitur linea circulari, quæ ita perfecta eſt, vt ei nō poſſit fieri additio, niſi accidentalis. Illud pręmium eſt ita perfectum, quòd quicquid ſuperadditur, accidentale eſt: tum quia ſicut corona quæ eſt circularis ad eundem punctū, à quo incipit, terminatur: ita per ipſum pręmiū eſſentiale creatura rationalis primo principio coniungitur, à quo in eſſe per creationem exiuit. Aureola verò eſt gaudium de operibus à ſe factis rationem habentibus victoriæ excellētis, per quod apparebit exterius in corpore quidam decor, qui prædictum interius gaudium exterius declarabit, ſed opera quæ facit homo bona creata ſunt, & quę habent rationem victoriæ excellentis, priuilegiata ſunt, ergo aureola eſt gaudium de bonis creatis, non quibuſcunque, ſed priuilegiatis priuilegio victoriæ excellentis. Et quia omne gaudium de bono creato pertinet ad accidentale præmium, dicitur quod aureola eſt accidentale præmium. Et dicitur reſpectu aureæ vocabulo ſignificante diminutionē ad ſignificandum quod eſt multo minus præmium quàm aurea. Et illud gaudium quod eſt aureola, eſt in anima, decor autē in corpore, illud declarans gaudium effectus, eſt vel aliquid aliquo modo ornatū tanquam in ſignum ad ipſum principaliter. Vide latiùs Richardum vbi ſupra, & in dictione *Aureola*.

Præpoſitio eſt, quæ præponitur aliis orationis partibus vel per cōpoſitionem vel per appoſitionē. Per compoſitionem tunc aut complet, aut mutat, aut minuit. De quo videto apud Grammaticos, & aliàs ſcripſimus. Et vt ſcribit Brulefer di.xix.q.iiij.in fine libri primi, præpoſitiones ſunt in quadruplici differentia. Quædam importāt habitudinem repugnantię, vt aduerſus, contra. Nullæ præpoſitiones tales dicuntur de perſonis diuinis. Secundò ſunt quædam quæ importāt habitudinem diſtātię, vt ad, propter: nullæ tales præpoſitiones recipiuntur in diuinis, quia vna perſona non diſtat ab alia. Tertiò ſunt quædam quæ important habitudinem cauſę vel principij, largè tamen capiendo cauſam, vt de, ex, &c. Vnde prępoſitiones importantes habitudinem productionis, recipiuntur in diuinis, ſed non conuerſim. Quartò ſunt quædam quæ important conuenientiam, vt in, cum, huiuſmodi præpoſitiones recipiuntur à doctoribus in diuinis etiam conuerſi. Accedit S. Bonauen.di.xix.qu.iiij.lib. j. Præpoſitio miſticè (vt ſcribit Gerſon parte iij. in moralizatione donati) eſt cōſideratio lęturiæ electorum, quia illi præponuntur damnandis. De accidentibus eiuſdem vide ibidem.

Præpoſteratio dicitur peruerſi ordinis poſtpoſitio. Et præpoſteratio ordinis quæ eſt ex debita cauſa, quædam præter cauſam, quædā contra debitam cauſam (vt ſcribit S. Bonauen. di. xxix. lib. iij. circa textum.) Tūc eſt præpoſterario ex debita cauſa, quando quis bonum commune præponit bono proprio in temporalibus, & hęc quidem præpoſteratio facit ad meriti cumulum. Et licèt videatur præpoſteratio, tamen multo maior eſt perfectior ordinatio. Alia eſt præpoſteratio præter cauſam debitam, vt ſi ex ſola liberalitate voluntatis meæ magis me exhibeam alicui extraneo, quàm domeſtico, & conſanguineo conſiderando in ipſo aliquam ſtrenuitatem magis quàm Dei voluntatem, aut meriti dignitatē, & hæc præpoſteratio aufert meritū, quia in hoc non mereor. Tertiò eſt præpoſteratio contra debitam cauſam: vtpote ſi pater meus magis indigeat, & ego poſſum ei magis ſubuenire, & ipſo neglecto ſubueniam extraneo, & illa inducit peccatum. Hęc Magiſter di. xxix. lib. iij. ait: Peccat, qui prępoſterè agit, nā ſcire quid faciat, & neſcire ordinem faciēdi, non eſt perfectę cognitionis ordinis, nàmque ignorantia cōturbat meritorū formā. Et præpoſterus dicitur quaſi peruerſus & inuerſus. Cice. Caſſio, prępoſteros habes tabellarios, & ſi me quidem nō offendunt, ſed tamen cùm à me diſcedunt, flagitant literas, hoc eſt, qui poſt alios venire debēt, priores aliis qui præmiſſi fuerant, veniunt. Et præpoſtera libido, dicitur vitium Sodomiticū. Et præpoſteros homines libidinoſa cupiditate vocat Iul. formicus, qui & pedicatores vocantur.

Presbyter Latinè dicitur ſenior, & capitur pro ſacerdote.

Presbyteriſſa dici poteſt vxor presbyteri in Græcia, vbi ſacerdotes vtūtur licitè matrimonio prius contracto (vt ſcribit Scot.di.xxv.q.ij.li.iiij.) ſed apud nos Latinos vbi caſtitas non coniugalis, ſed ſimpliciter eſt ordini annexa. Vel presbyteriſſa poteſt dici aliqua bona matrona, vidua, vel perfecta inter alias mulieres, vel fortè in collegio, illa quæ pręeſt aliis,

eſt aliis, vt abbatiſſa inter moniales. Sed iſta non habet per hoc gradum altiorem ordinis, imo nec præeminentiẽ reſpectu alicuius viri. Hæc Scot. Et canon vocat presbyteriſſam (vt ſcribit Petrus de Palude in iiij.diſt.xxv.qu.iij.) viduam quæ habet cuſtodire res Eccleſiæ, ſeu presbytera vel preſbyteriſſa, vxor ſacerdotis Græci: vel hebdomadaria quæ dicit orationes, &c.

Præſcire, ante ſcire, à quo præſcientia, ſcientia de futuris. Deum præſcire aliquid, eſt Deum euidenter cognoſcere rem futuram (vt ſcribit D. Præpoſitus Gabr. Biel, plantator fœlicis ſtudij Tubingenſis di. xxxviij.qũ.vnica, dub.iij. poſt D. Cardi. Camera. q.xj.ar.ij.li.j.) Et Deus eſt præſcientia omnium rerũ, quia Deus diſtinctè & intuitiuè cognoſcit omnia, igitur præſcit omnes res futuras. Patet ex quid nominis præſcire. Item Deus eſt præſcientia omniũ futurorum enũtiabilium: quia Deus præſcit multa enuntiabilia futura: quia nõ eſt repugnantia de aliquibus. Nam multas veritates futuras reuelauit, & reuelat vt quod fiet reſurrectio mortuorum, iudicium extremum. Gabr. Hinc Ioan.6. Sciebat, quis traditurus eſſet eum. Et ca.18. Ipſe erat ſciens omnia quæ ventura erãt ſuper eum. Ratione euidenti probari non poteſt (inquit Gabriël) Blaſphemia eſt autẽ dicere, quod aliqua reuelauit, & quæ ſint illa, neſciuit (vt inquit Camera.) Et Aug.v.de ciui. Dei cap.ix. determinat quod nefas eſt Deum eſſe præſcium futurorũ negare, & lib.j.cõtra Maximũ dicit quod eſt inſania. Deus quoq; eſt infallibilis ſcientia immutabiliter cognoſcẽs omnia entia futura, eſtq; infallibilis ſciẽtia certitudinaliter, cognoſcẽs omnia enuntibilia futura. Vnde Augu.xv.de tri.ca.xiij. allegans verbum Chriſti Mat.6. dicit. Nouit (ait verbum Dei) pater veſter, quid vobis neceſſarium ſit, priuſquam petatis ab eo. Nec iſta ex aliquo tempore cognouit. Vide plura de hoc Camerac. qui & arguit Aureolũ, qui dixit quod hęc eſt falſa quod Deus ſcit, quod aliquid eſt futurũ. Et iſta, Deus ſcit quod antichriſtus erit, & ſimiles. Hæc opinio periculoſa eſt & fidei contraria (inquit Aliacenſis.) Præſciẽtia quoque non imponit rebus neceſſitatem, vt ſcribit S. Bona. di.xxxviij.ar.ij.q.j.lib.j. Omnia enim ſic præcognoſcit eſſe ventura ſicut euentura ſunt, & ideo cũ multa ſint euentura cõtingenter, vt illa quę ſunt à libero arbit. & à caſu & fortuna: ſic præſcit hęc eſſe futura ab iſtis, ſic præſcit modũ cõtingentiæ ſecundũ quẽ ſunt ab iſtis. Hæc doctor Seraphicus.

Præſcientia Dei accipitur dupliciter (vt notat Gab. di.xl.qu.vnica, lib.j.) Vno modo communiter pro præcognitione diuina, reſpectu cuiuſlibet futuri, ſiue boni ſiue mali, vt dicit Magiſter d.xxxv. & illo modo electi etiam ſunt præſciti, ſic eſt genus ad prædeſtinationẽ. Vnde Apoſt. Quos præſciuit, hos & prædeſtinauit. Et 1.Pet.1. dicitur: Petrus Apoſt. Ieſu Chriſti, electis aduenis diſperſionis Ponti, Galatiæ, Cappadocię, Aſię, & Bithynię, ſecundum præſcientiam Dei patris, in ſanctificationem ſpiritus, in obedientiam & aſperſionem ſanguinis Ieſu Chriſti: gratia vobis & pax multiplicetur. Alio modo capitur magis ſtrictè pro præcognitione ſola, quã habet Deus de damnatione reproborũ. Et hoc modo reſpectu eiuſdẽ eſt præſciẽtia & reprobatio, licèt reprobatio aliquid addit, ſcilicet præparationẽ pęnę æternę. Eſt enim reprobatio præſcientia culpæ & præparatio pœnæ, vt dicit Magiſter, de qua infra in litera R. Et præſciẽtia diuina eſt notitia certa infallibilis futurorum, vt ſcribit Bruleſ. di.xxxviij.li.j.q.ij. Et vt ſcribit Gab. di.xxxix.q.vnica, li.j. propter diuerſa nomina multiplicata nõ eſt imaginãda multiplicitas in diuina eſſentia, ſed vna & eadẽ ſimplex diuina notitia: tamen diuerſa ſortitur nomina propter alia & alia ſcita, vt præcognitio dicit cognitionem rei indicatiuã futuri, &c. Sic de multis aliis nominibus. Præſcientia, quæ eſt futurorũ ſimplicis notitiæ, quæ eſt in genere, reſpectu omniũ cognoſcibiliũ. Et prædeſtinatio dicit cognitionẽ veri indicatiuam, qua Deus vult alicui dare gratiam in præſenti, & gloriam in futuro. Reprobatio dicit notitiam euidentem indicatiuã, qua vult aliquẽ nõ ſaluare, ſed dãnare perpetuò, & ſic de aliis nominibus ſignificantibus ſcientiam Dei. De quibus latiùs videatur ibi Gabriël, &c.

Præſcitum nihil aliud eſt quàm aliquod futurũ præcognitum à Deo, vt ſcribit Bruleſ. di.xxxviij.lib.j.

Præſcitus, qui æternæ damnationi deputatur. Aliquis autem poteſt eſſe pręſcitus dupliciter, vt ſcriptis reliquit Gab. lect.lxxix.canon. Similiter & prædeſtinatus, ſcilicet, vel ſecundũ præſentẽ iuſtitiã, vel ſecundum æternã Dei præuidẽtiam ſeu prænotionem, præſcitus ſecundũ præſentẽ iuſtitiã dicitur ille, qui eſt in tali ſtatu, in quo ſi decederet, æternę pęnę deputaretur, talis eſt quilibet viator exiſtens in peccato mortali. Nã quilibet talis ſi in peccato mortali decederet, æternæ dãnationis ſentẽtia plecteretur. Qualis enim quiſq; in termino vitæ inuenitur, taliter iudicatur ad regnũ, ſi fuerit amic⁹ per gratiã, vel ad inferni carcerẽ, ſi inimicus extiterit per mortalẽ culpã. Hoc modo multi ad æternã beatitudinẽ prædeſtinati ſecundũ præſentẽ iuſtitiã ſunt præſciti. Cadũt enim nõnunquã electi à gratia habituali per mortale peccatũ, de quib⁹ dicit Saluator Ioã.10. Alias oues habeo, quę nõ ſunt de hoc ouili, & illas oportet me adducere. Longior eſt Gab. de hoc. Præſcitus ſecundũ æternã Dei ſcientiã eſt ille, qui ſecundũ præordinationem & determinationẽ diuinę volũtatis propter peccata ſua finaliter præuiſa, æternæ ſubiacebit dãnationi: talis eſt quilibet & ſolus ille, qui in peccato finaliter moritur. Quilibet enim talis & ſolùm talis ęternaliter cõdemnatur, iſto modo multi præſciti pro certo tẽpore ſunt pręd eſtinati ſecundũ pręſentẽ iuſtitiã. De talibus poteſt intelligi illud, nunc antichriſti multi facti ſunt. Ex nobis prodierũt, ſed nõ erãt ex nobis: Nã ſi fuiſſent ex nobis, permãſiſſent vtiq; nobiſcũ. Glo. ex nobis prodierunt, id eſt ex noſtra ſocietate receſſerũt, noſtra ſocietate vtiq; fideli & gratioſa, ſed nõ erãt ex nobis ſecundũ pręd eſtinationis gratiã. Talis fuit Iudas Schariot, qui fortè electionis tẽpore in Apoſtolũ fuit in gratia, & ita pręd eſtinatus ſecundũ pręſentẽ iuſtitiã, finaliter tamẽ cõdemnandus ſecundũ æternã Dei præſcientiã. Hæc Gab. vbi ſupra, & prolixior eſt ibi. Et vt ſcribit Gerſ. de cõſolatione Theologię l.j.proſ.iiij. propter electorũ ſalutẽ præſcitos eſſe formatos ſiue nocere ſiuè obſequi conentur, vt non glorietur omnis vel obſequens electis vel aduerſans eis, &c.

Præſcriptio

Præſcriptio (vt notat Gabr.di.xv.q.xiiij.ar.j.li.iiij. capitur. Vno modo large, vt extendit ſe ad vſucapionem. Alio modo vt diſtinguitur cõtrà vſucapionẽ. Et illo modo præſcriptio nõ habet locum in rebus immobilibus vt domo, agris, terris, &c. etiam in rebus incorporalibus, vt in ſeruitutibus, actionibus, & huiuſmodi. Vſucapio verò eſt in rebus mobilibus, ita etiã habet Thom. de Argenti. di.xv.ar.vlti. Primo modo præſcriptio ſic diffinitur. Præſcriptio eſt ius quoddam, ſiue dominium per continuationẽ poſſeſsionis, tẽporis à lege diffiniti auctoritate legum, vim capiens, pœnã negligentibus inferens, & finem litibus imponens. Si verò accipitur ſecundo modo ſtrictè, addatur rei immobilis, vel incorporalis, ad genus diffiniti. Tho. Argenti. vbi ſupra. diffinit ſic. Præſcriptio eſt ius ex tempore capiens firmitatem. Similiter vſucapio deſcribitur, eſt ius ſiue dominium rei mobilis. Declarationẽ latiorem vide apud Gabr. vbi ſupra. Et qui rem aliquam legitimè præſcribit, plenum eiuſdem rei dominium acquirit. Videatur ad hoc Scotus in quarto di.xv. qu.ij. & Gabr. Hic autem legitimè præſcribit cui adſunt omnes conditiones ad pręſcriptionem requiſitę. ſcilicet bona fides pręſcribentis; vt nõ ſit res furtiua, vel vitioſa. De quo conſulas iuriſconſultos & plura etiam ſcribit Gabriël vbi ſupra.

Præſens propriè eſt illud, cuius eſſentia pręſentatur ſenſui, vel intellectui, ſecundũ B. Tho. j. par. q. viij. art. iij. Et nonnunquã ſignificat fauentẽ: vt præſens Deus, id eſt propitius, & pręſentaneũ venenum, & pręſentiſsimũ, id eſt efficaciſsimũ, quod ſtatim interficit. A pręſens, veniũt duo aduerbia impręſentia & impręſentiarum, quæ ſignificant pręſenti tempore. Et vt ſcribit Gerſon tracta. v. ſuper cantico Mariæ. Nulla res amari poteſt (vniuerſaliter loquẽdo) niſi præſens ſit amanti, referendo ad modum præſentiæ eſſentialis in proprio genere, vel ad modũ præſentiæ intentionalis ſeu formalis in ſua cognitione. Vnde Deus ſi per impoſsibile non cognoſceret creaturam, ipſe nõ diligeret eas, quia in principio quod eſt verbũ creauit omnia, portans omnia verbo virtutis ſuę. Similiter in angelis amor nõ eſſet ad alia à ſe, imo nec ad ſe, niſi tale quod amatur pręſens, eſſet eſſentialiter, vel intẽtionaliter diligenti vel cognoſcenti. Gerſon. Præſentia tamen corporalis non ſemper prodeſt vel vtilis eſt (vt idem vult Gerſon parte. j. ſcribens ad Oſualdũ Carthuſieñ. Spiritus enim eſt qui viuificat, & caro non prodeſt quicquam. Vnde & Epiſtolę Pauli fortes dicebantur, quia ſolum ſpiritum ſapiebãt. Pręſentia verò quæ carnem oſtẽdebat, reputabatur infirma. Hinc habuit ortũ illud Chriſti, quod nemo Propheta acceptus eſt in patria. Et illud Poëtę. *Minuit pænitentia famã.* Et latiùs oſtendit Gerſon non ſemper pœnitentiam corporalem prodeſſe, &c.

Præſtigium vel præſtrigium eſt diuinatio per dęmones ingerẽtes ſe viſui vel auditiui hominum, à pręſtringẽdis oculis dictũ, ex B. Tho. ij. ij. q. xcv. ar. iij. De quo vide in dictione *illuſio*, &c. Et præſtrigię vel pręſtigiæ incantationes, deluſiones, quę quoniã dexteritate alię appareãt quã re vera ſint, illi qui eas faciũt, dicũtur pręſtrigiatores. Hiero. Nolite potentiam Domini magnorum præſtigiis adęquari, &c.

Præſto ſignificat excellere, ſuperare. Aliquãdo ſatiſfacere, quandoque concedere, & beneficium dare, quandoque cauere, fugere, timere, quandoque re ipſa perficere ſiue perſoluere, quandoque tribuere, quandoque exhibere & repræſentare, & in tertia perſona ſignificat melius eſt. De quo in Grammatico vocabulario fuſius ſcripſimus. A quo præſtantia, idem quod excellentia, & præſtabilis, excellens, & pręſtabilis qui facile præſtat, hoc eſt donat & remittit, vt eſt illud Ioël. 2. Quia benignus & miſericors eſt, & pręſtabilis ſuper malitia. Item præſtabile dicitur quod præſtari poteſt.

Præſtatio à pręſto. Dicũtur autem pręſtationes quę populis à Dominis imponuntur, & variis modis appellantur (vt ſcribit Gab. di. xv. q. v. ar. j. lib. iiij.) Dicuntur enim tributum, cenſus, ſtipendium, gabellum, pedagium, ſindagium, aſſiſium, teloneum, tallia, collecta, exactio. Horum tamẽ ſæpius vnum accipitur pro alio. Tributum dicitur à tribu vel tribuo, ſumptus eſt qui à tribubus vel populis dabatur pro imminentibus reipublicæ. Vel eſt cẽſus qui pręſtatur ratione proprij ſoli à poſſidentibus. Accipitur communiter pro ſtabili ſeu annua penſione, quæ datur rectoribus quæ imponuntur poſſeſſionibus ſubditorũ. Cẽſus, pẽſio vel pręſtatio eſt, quæ ſoluitur de prouẽtibus aut poſſeſsionibus, vel quicquid annuatim ſoluitur in quantitate, vel ſumma. Stipẽdiũ dicitur, quod datur militibus ſoldariis pro precio. De quo Ioan. baptiſta ait militibus: Eſtote contenti ſtipẽdiis veſtris. Gabella præſtatio dicitur quę rebus imponitur vſui hominũ ſubiectis, emẽdis aut vendẽdis, aut de loco ad locũ trãsferendis, vt vino, carnibus, & cęteris ad victũ & vſum pertinẽtibus. Pedagium dicitur quod datur à tranſeuntibus in locis conſtitutis à principe. Sindagium eſt, quod datur pro ſaluo cõductu per terrã alicuius, vt ſecurius vadat. Aſſiſium eſt, quod imponitur rebus vendẽdis: vt quod vendẽs ſextariũ vini dat ciuitati vnũ denariũ, & eſt ſpecies gabellę. Teloneũ dicitur, præſtatio de mercibus marinis circa littus acceptis, cuius exactioni beatus Matthęus pręfectus fuit. Vectigal eſt præſtatio de rebus vectis per mare ſiue per terram. Tallia eſt exactio vel collecta quæ imponitur ſubditis. Collecta & exactio ſicut & præſtatio generalia ſunt ad omnia prædicta. Et poteſt accipi pro eo quod imponitur in caſu nõ pro ſemper. Et patet quod multa horũ vocabulorum coincidunt in ſuis ſignificatis. Sunt etiam aliquę harum præſtationum ordinarię, vt tributa, & ea quæ temporibus determinatis & ſub certa quantitate præſtantur ex certa conſtitutione aut longa conſuetudine. Aliæ ſunt ordinariis præſtationibus additæ, de nouo pro caſuum occurentium neceſsitate, vel regentium voluntate. Hæc Gab. vbi ſuper.

Præſumptio aliquando capitur in bono, quaſi præ aliis ſumptio, & nonnunquam in malo, ſecundum beatum Thom. ij. ij. qu. xxix. art. ij. Præſumptio in malo dicitur immoderatio ſpei dupliciter ſupra vires proprias vel contra iuſtitiam Dei. Prima opponitur magnanimitati. Secũda verò eſt ſpecies blaſphemiæ in Spiritumſanctũ. Prima oritur ex inani gloria, ſecunda ex ſuperbia. Cõſonat Gab. di. xliij. q. vnica, li. ij. ar. iij. dub. ij. vbi ſic dicit quod eſt pręſumptio

ſumptio de meritis, & illa eſt ſpecies aut filia ſuperbiæ. Et eſt præſumptio de impunitate, auferens omnino rigorem Iuſtitiæ, & per hoc claudit viam ad gratiam, & ampliat viam ad peccatum, & hoc eſt peccatũ in ſpiritumſanctum. Et vt idem dicit di. vj. qu. vnica, lib. ij. præſumptio eſt in voluntate, cùm quis vult bonum magnum eſſe ſecundum ſe & nõ per aliud, ſeu aduentu alterius. De peccato præſumptionis ita ſcribit doctiſſimus Gerſ. in regulis moralibus. Præſumptio, arrogãtia, iactantia, & hypocriſis generaliter & propriè ſunt de illis quæ nõ conueniunt homini taliter ſe habenti, ſi illa habere vel credit vel inordinatè appetit, propterea ſemper habent errorem vel malitiam inuolutã, quandoque venialem, & ſępè mortalem, ſecundum genus obiecti; & iuxta circũſtantiã intẽtionis & finis atque cæterorũ. Et præſumens de Dei miſericordia quod ſaluabitur, qualitercunque peccauerit, & in peccato perſeuerauerit, errat in fide, ſi hoc iudicet per intellectum, & in moribus mortaliter, ſi taliter afficitur per voluntatem abſolutam, quia de conditionata non oportet. Et (vt idem ait) præſumptio de multis meritis & gratiis falſa eſt, & temeraria, ſi nõ infinit. Si autem credatur & ſentiatur quod ex ſe ſunt principaliter, impia eſt, quãtumcunque prius haberentur. Quod ſi ſingulariter eas habere quis glorietur, peſtifera eſt atque phariſaica præſumptio. Credere autem & ſentire quod ex meritis præcedentibus aliquod bonum aut præmium conſequatur, nõ eſt præſumptio vel error, ſi ad Deum tanquam ad originale principiũ actu vel habitu ſolum referatur. Deus enim miſeretur cuius miſeretur, hoc eſt, gratiam dat, vt ex illa aliam gratiam largiatur. *Hæc* Gerſon vbi ſupra.

Præſumptio eſt duplex ſecundum ſanct. Bonauen. di. j. lib. j. in dub. literalibus. Eſt præſumptio confidentiæ de diuino adiutorio. Et præſumptio ſuperbiæ, quæ eſt de proprio ingenio. Prima non eſt peccatum, ſed eſt virtutis indicium. Secunda verò eſt peccatum. De prima loquitur Magiſter cùm dicit: Opus vltra vires noſtras agere præſumpſimus, vel aliter eſt præſumptio ſecundũ veritaté, & præſumptio ſecundũ propriã æſtimationem. Prima eſt reprehenſibilis, quia ſuperbiæ, ſecunda laudabilis, quia humilitatis, nec eſt culpabilis, qui in omnibus operibus ſuis ſe reputat indignũ & quaſi præſumptuoſum. & hæc ſecundum Gerſonem vt ſupra patet, impropriè dicitur præſumptio, &c.

Præuaricari penul. cor. ex præ & varicor, quamuis & diuarico dicatur, varicor autem à varicibus, quæ dicũtur venę in ſuris inflexæ & obtortæ, præuaricari verò dicitur à recto diſcedere. Hinc præuaricator à varicãdo, hoc eſt tranſgrediẽdo, dictus eſt, qui ab officij ſui præſcripto deflectit atque aberrat. Vnde omnes peccatores præuaricatores dicuntur, vt ſcribit Gerſ. Cancel. Pariſieñ. ſuper Cantica canticorum, partitione prima, conſid. iiij. dũ ab amore Dei deflectũtur, arbitrio malo ad amoré proprium vel alienũ, aduerſus Deum habentes cor diſtortum & iniuſtum, nec conueniens & coniuctum cum prima & rectiſſima regula & amoris ſui liberaliter & naturaliter impreſſi. Gerſon.

Primitia eſt pars prima frugum Domino offerenda ſecundum Alexand, in iij. parte ſummę. Eſt & primitium quod primũ in aliqua re & principale eſt. Ouidius: *Ecce rapit mediis flagrantem Rhetus ab aris Primitium torrem*. In plurali magis in vſu eſt primitiæ. Et dicuntur primi fructus ex agro ſuſcepti, qui Deo offeruntur. Modò ſumitur pro feſto, quo nouus ſacerdos Miſſam primam celebrat, vel primos Deo fructus ſacrificij offert.

Primus quandoq; ad numerum ſeu ordiné refertur, vt primus, ſecũdus, &c. Quãdoq; dicitur princeps, ſicut princeps ponitur pro primo. Quandoque ponitur pro optimo, ſicut prior pro meliore, quandoque pro præcipuo, quandoque pro eo ante quem nullus eſt. De quo videto apud Grammaticos, Poëtas & Oratores.

Primi motus quid ſint, vide ſupra in dictione *Motus*.

Prima gratia, vide in dictione *Gratia*.

Primo diuerſa dicuntur, quæ primò diuidunt genus generaliſſimum tanquam ſpecies immediatè, vel per primo diuerſa intelliguntur, quæ in nullo conueniunt, &c. Gab. q. viij. di. ſij. dub. iij. lib. j. Et ſubſtantia & accidens ſecundũ Dialecticos ſunt primo diuerſa. Nam ſubſtantia exiſtit in eo quod eſt per ſe: Accidens in eo quod nõ eſt per ſe, ſed ineſt &c.

Primitiuum (vt ſcribit S. Bonau. di. iij. lib. iij. circa textum.) dicitur ab eo quod eſt primum. Primum autem dicitur aliquid ſecundum ordinem dignitatis, & ſic non eſt dubium, quin Chriſtus aſſumpſit noſtræ carnis primitiua, pro eo quod eius caro excedit omnem dignitatem carnis humanæ. Secundum autem quod primitiuum dicitur à prioritate ſecundũ tempus, dicitur Chriſtus aſſumpſiſſe primitiuum noſtræ maſſę, non per prioritatem, ſed per conformitatem & ſimilitudinem, vt latiùs ibidem declarat Bona. Vnde Magiſter di. iij. li. iij. Quo circa primitiua noſtræ maſſæ rectè aſſumpſiſſe dicitur Chriſtus, quia non carnem peccati, ſed ſimilitudiné carnis peccati accepit, &c.

Prior eſt nomen comparatiuum, quod non ſolùm ad duos, ſed etiã ad plures referri poteſt, vt aliàs dicitur, à quo prioritas. Sunt autem ſepté modi prioritatis, & tot poſteritatis. Eſt enim aliquid prius duratione, natura, cauſalitate, cõmunitate, dignitate, locabilitate, attributione, quos notant Occam & Grego. Ariſ. di. ix. li. j. & eos recitat Petrus de Aliaco. q. vij. ar. iij. qui & apud dialecticos & Ariſtotelem in poſtprędicamentis recitantur, vide & Gab. di. ix. qu. iij. dub. ij. li. ij. Et ſerm. j. de beatę virginis conceptione, & aliàs primus & ſecundus modus prioritatis & poſteritatis nullo modo reperiri poſſunt in Deo per reſpectum ad intra. Patet: quia omnia in diuinis ſunt ſimul duratione & natura, nec quintus & ſextus poſſunt reperiri in Deo, quia ibi nihil eſt perfectius aut dignius alio, ſed quicquid eſt in diuinis, eſt infinitè perfectũ. Vnde dicitur in ſymbolo Athana. nihil prius aut poſterius intelligit nõ prioritate originis, ſed durationis, quod in Deo non eſt ponendum: quia quicquid eſt in Deo, ad intra eſt æternum. Vnde tertius modus prioritatis, vt extenditur ad productiuitaté, & vt dici poteſt prioritas originis, reperitur in diuinis, quia ſic pater eſt prior filio quem producit. Secùs propriè loquendo de cauſa-

de cauſalitate. Et prius origine, vt ſcribit S. Bona. di.xij.q.j.lib.xj.eſt,quo alter ex altero, & prius au ctoritate, quo alter accipit ab altero, & hoc cadit in Deo. Sed prios origine cadit reſpectu producentis & producti, cùm alter oritur ex altero. Cũ verò vnũ oritur à duob⁹, nõ cadit ibi prius origine, quia tunc ſunt ambo vnum originale, principiũ tamen cadit ibi prius auctoritate, quia quamuis pater & filius ſint vnum in producendo, tamen hoc accipit filius à patre. Quartus modus prioritatis, ſcilicet cõmunitaris, hoc eſt conſequentiæ nõ conuertibilis, reperitur in diuinis. Sic eſſentia eſt prior perſonis & relationibus, quia bene ſequitur. Eſſentia eſt, ergo pater eſt: vel à eſt, pater ergo à eſt eſſenria, ſed non econtra. Sic eſſentia poreſt dici communior quàm ſit perſona vel relatio. Septimus modus prioritaris reperitur in diuinis. Poreſt enim dici ſecundũ Occam quod paternitas eſt prior filiatione attributione, eo enim quod paternitas eſt perſonalis proprietas patris, qui eſt prior filio, ergo paternitas eſt prior filiatione, vide Gabr.di.ix.q.iij.art.ij.dub.ij.lib.j. Et cũ dicitur, pater intelligit prius quàm filius, pater prius creat quàm filius, dicit Occã eas eſſe abuſiuas aut ſimpliciter falſas, niſi ad hunc ſenſum, pater intelligit à ſe, ſicut eſſe habet à ſe. Item filius intelligit à patre, quia eſſe habet à patre. Vel quod filius intelligit, habet à patre, ſicut & eſſe habet à patre. Item creare primò dicitur de patre quàm de filio prioritate communitatis. Item ſpiratio actiua eſt prior generatione actiua, & etiá generatione paſſiua, quia ſequitur: generat, ergo ſpirat, & non econuerſo. Item geoeratio tam actiua quàm paſſiua eſt prior ſpiratione paſſiua. Septimo modo prioritatis, quia generatio actiua & paſſiua ſunt proprietates patris & filij, quorum vterque eſt prior Spiritu ſancto. Cætera videantur apud Occam & Gabr.

Princeps aliquando primum ſignificat, & eſt adiectiuũ, Macrobius. Qui grad⁹ inter eos Princeps habebatur. Aliquando optimaté ſignificat. Vnde ciuitates principes dicimus, qui rempublicam adminiſtrant. Interdum Dominũ, vt Auguſtinus princeps: Nero princeps. A quo principatus, hoc eſt imperiũ: Et princeps dicitur quaſi primũ caput, à quo principium principale & principiatum. De principibus permolta ſcribit Gerſon.

Principium eſt id à quo aliquid procedit quocunq; modo. & econuerſo ſecundũ beatum Tho. prima parte q.xxxiij.ar.j. Et ſumitur principium à prioritate, ſed oon ſignificat eam, vt ibidem dicit. Et principium eſt conſtitutum in eſſe per principium, ideo non conuenit lioeę reſpectu puncti, nec motui reſpectu termini, à quo ex beato Tho.iij. ſent. di.xij.q.j.at.j. capitur & pro initio. Vnde eſt illud Ouidij j. de remedio amoris: *Principiis obſta, ſerò medicina paratur.* Vnde & illud principiũ in omni re graue proceſſu fit leue. De quo videatur Gerſ. parte iiij. ſermone dominicæ ſeptuageſimæ de acedia.

Principium capitur multipliciter, vt notat Bruleſer di.xix. parte ij.q.iij.lib.iij. & vndecim modis, qui ponũtur à Philoſopho 5. Meta. ſed ad tres reducũtur modos, ſcilicet, ad principium, eſſendi, fiendi, & cognoſcẽdi. Principium eſſendi dicitur illud, quod eſt principiũ alicuius ineſſe eius. Et eſt duplex, vel capitur dupliciter. Vno modo capitur pro prima parte alicuius rei à qua incipit eſſe, vt motus augmentationis incipit à longitudiue, poſtea progreditur in latum, demum in profundũ. Et dicitur principium à quo iſto modo quæcunque pars à qua incipitur motus, vocatur principium. Alio modo capitur pro prima parte generata reſpectu alicuius totius compoſiti, ex qoa cum aliis conſtituitur totũ. Exemplum de fundamẽto reſpectu totius domus. Et illo modo lignum curuum eſt principiũ nauis. Similiter principium in animali perfecto (vt homine) eſt cor. Aliud eſt principium fiendi, & dicitur illud quod eſt principiũ in fieri ſeu cauſari alicuius rei. Et de tot dicitur principium fiendi de quot cauſa. Et ſic erit principium effectiuum formale, materiale & finale. Et ſicut duplex eſt cauſa, ſcilicet primaria & ſecundaria. Sic etiam principium fiẽdi eſt duplex, ſcilicet, primarium & ſecundarium & principium fiendi materiale, & cauſa materialis, & materia, ex qua idem ſunt, principium quoque potentia poſſunt dupliciter ſumi (vt ſcribit Petrus dè Aliaco q.vij.ar.ij.lib.j.) Nam eſt quoddam principium quod agit, & eſt quoddam principium quo agens agit. Exemplum primi, in naturalibus ignis generans eſt principium quod agit ignem, & forma eſt principium, quo agit ignem. Exemplũ etiam in artificialibus. Artifex eſt principium quod agit, ſed ars eſt principium quo agit. Vide lariùs Aliacẽſem, & de principio diuino, quod eſt pater, qui eſt principium quod generat, de quo infra. Aliud eſt principium cognoſcendo, & capitur dupliciter, ſcilicet demõſtratiuè. Et ſic eſt vnum primum principium, id eſt per ſe euidens. Ex quo cum alio priocipio poteſt inferri concluſio per demõſtrationem, vt omne totum eſt maius ſua parte. Alio modo capitur diffinitiuè, ſic omnis diffinitio ſiue largè ſiue ſtrictè capta, dicitur principiũ diffinitiuum. Et differunt, quia primum eſt vna propoſitio. Secundum verò eſt vna oratio. Vltra illa octo ponuntur alij modi ab Ariſtotele. Nono ergo modo capitur pro aliquo inductiuo vel prouocatiuo, propter quod fit aliquid. Et dat exemplom Ariſtot. vt bellum fit ex conuicio. Et ſic diuerſitas oppoſitionum eſt principium litis, & præcipuè propter res temporales. Nã ille dicit: Hæc villa mea eſt, ſeu ciuitas eſt mea. Alter dicit non, ſed mea eſt. Decimo capitur principium pro aliquo verè productiuo alicuius, quod nullo modo eſt cauſa ipſius. Et eſt duplex, ſcilicet, generatiuum & ſpiratiuum. Generatiuum hoc modo pater in diuinis eſt principium generatiuũ filij. In creaturis non reperitur illo modo principium. Spiratiuum, vt pater & filius ſunt vnicum principium reſpectu Spiritusſancti. Et vt dicit S. Bonau. In Deo nullo modo nec propriè nec tranſſumptiuè recipitur materiale principium, quia materia dicit principium paſſioom, & ita incompletum, & quia à diuino eſſe omnis incompletio & omnis paſſio remouenda eſt: ideo nullo modo genus materialis principij in Deo ponitur.

Principium & caoſa differunt. Nam cauſa ſemper diſtinguitur à cauſato eſſentialiter, non ſic principiatũ à principio, ſed ſufficit realis diſtinctio, cuiuſmodi eſt inter perſooas diuinas, & ſic in diuinis nõ ponitur cauſa quo ad intra, ſed bene qoo ad extra, quamuis

quamuis Græci pro eodem ſumunt cauſam & principium, quare æquè concedunt iſtam: Pater eſt cauſa filij, ſicut iſtam, pater eſt principiũ filij. Sed nos aliter (dicit Pelbartus) vtimur nomine cauſæ & principij differenter. Et ideo licèt nos concedamus iſtam: Pater eſt principium filij, non tamen iſtam, pater eſt cauſa filij. Pelbart.

Principium Theologicæ capitur tripliciter. Vno modo eſſentialiter, ſicut dum dicimus, quod tres perſonæ ſunt principiũ creaturarum. Sic cũ dicitur Pater & Filius & Spiritusſanctus ſunt vnũ principiũ creaturæ: ſenſus eſt, id eſt ſunt vna eſſentia quæ eſt principium creaturæ. Et ita principium eſt terminus eſſentialis ſupponens immediatè pro eſſentia. Secundo modo capitur perſonaliter. Et ſic dicit Augu. quod pater eſt principiũ totius Deitatis iiij. de trinit. quia ipſe à nullo eſt, ſed ab eo filius & Spiritusſanctus ſunt: in quibus ſingulis tota deitas eſt. Pater eſt principium Filij & Spiritusſancti: Filius, ad Spiritumſanctum dicitur principiũ: Spiritusſan. verò, nõ dicitur principiũ, niſi ad creaturas, ad quas etiam Pater & Filius dicitur principiũ, & Trinitas ipſa. Et quãdo dicitur: Pater eſt principiũ totius trinitatis: intelligitur, vt notat S. Bon. d. xxix. in dub. lirer. lib. j. id eſt, omniũ perſonarũ in deitate, & eſt diſtributio accõmoda, ſicut dicitur: cœlum cõtinet omnia, ſe, ſcilicet, excepto. Et principiũ ſtat pro paternitate ſimul & ſpiratione, quia per paternitatem eſt principiũ filij, per ſpiratione principiũ Spiritusſancti, per vtrũq; principiũ vtriuſq;. Et quia perſona à nullo eſt, ideo eſt principiũ totius deitatis. Vide latiùs S. Bona. Pater ergo eſt principiũ ſine principio, filius eſt principiũ de principio, Spiritusſan. eſt principiatũ ab vtroq;. Hæc Magiſ. di. xxix. li. j. Et licèt Spiritusſanctus nõ ſit principiũ ad intra, eſt tamẽ principiũ ad extra, hoc eſt, ad creaturas, nulla enim perſona eſt ab eo, ſed bene eſt à patre & filio, ſed bene quo ad creaturas eſt principium. Et hi tres, ſcilicet, pater & filius & Spiritusſanctus dicũtur (vt dicit Magiſ.) vnum principiũ omniũ creaturarũ, & non tria, quia vno eodemq; modo principium rerum ſunt, nõ enim aliter res ſunt à patre, aliter à filio, ſed penitus eodem modo (vt dicit Magiſter.) Capitur & principium notionaliter, & ſic dicimus quod ſpiratio actiua eſt principium Spiritusſancti. Vnde Guilhel. Scotiſta dicit quod in diuinis, tam quo ad intra, quàm quo ad extra principiũ dicitur. Et patet Ioan. 1. In principio erat verbum, id eſt in patre filius, ſecundũ Gloſ. Et infra. Omnia per ipſum facta ſunt. Vnde Baſilius in hexameron dicit. Accipere eſſe ab alio, eſt commune tam verbo Dei, quàm creaturis. Eſt itaque in diuinis primo principium non de principio, & hoc eſt pater. Secundò eſt principium de principio, & hoc eſt filius. Tertiò & principiatum de principio, ſed non principium, ſcilicet ad intra, & hoc eſt Spiritusſanctus. Et poſtea ſimul tres perſonę vnicum ſunt creaturę principium. Hæc Pelbartus. Et principium notionale ſecundum aliquos eſt principium commune pluribus & nõ omnibus perſonis, vt ſpiratio actiua. Vide latiùs ad hoc Gabr. di. xij. q. j. lib. j.

Principium elicitiuum vide in dictione *Elicitiuum* ſupra.

Principium dicitur duplex, ſecundum S. Bonauen. diſtinct. ix. qu. iij. lib. j. ſcilicet, originale & initiale: ſecundum quod principium dicitur originaliter, ſic Filius tam quantum ad eſſe, quàm quantũ ad durationẽ, habet principiũ: quia vtrumq; habet ab alio. Si autẽ principiũ dicatur initium, ſic dico quod nec habet principium eſſendi nec durandi: primũ principium non aufert rationem æterni, ſecundum verò ſic. Et quia temporale & æternum differunt de neceſſitate per eſſentiam, principium & principiatum non ſic: & quod habet initium, eſt temporale, & quod caret, eſt æternum. Et cum habere principium & non habere, dicant differentiam perſonæ, & hæc eſt inter patrem & filium. Ideo ſic pater qui eſt vnius eſſentiæ cum filio, non communicat filio perſonam, ſed tantũ naturam ſiue eſſentiam, ſic communicauit ei non habere initium, ſed non cõmunicauit non habere principium. Hæc S. Bona.

Principium vel principia dicuntur communes animi conceptiones, per quæ principia probantur, & ad quæ reducuntur omnia probata in aliqua ſcientia, & in quorum virtute eliciũtur omnes cõcluſiones illius ſcientiæ, vt patet j. Poſteriorum: quęlibet autẽ ſcientia habet ſua propria principia. Et ideo in tota Theologia viatoris quę eſt tota ſacra ſcriptura, ſunt aſſignata aliqua formalia principia, ex quibus dependet tota notitia & ſcientia huius libri & totius ſcripturę, quibus principiis ignoratis, impoſſibile eſt intelligere ea quæ cõtinentur in hoc libro, & quibus notis noſcuntur omnia in hoc libro contenta, & ideo dicuntur principia intelligendi ſacram ſcripturam. Hæc Iacobus de Valentia tractatu iij. prologi ſuper Pſal. Et ſecundum Dominum Cardinal. Cameraceñ. q. j. ar. ij. li. j. principia Theologica ſunt ipſæ ſacri canonis veritates, quoniam ad ipſos fit vltimata reſolutio Theologici diſcurſus, & ex eis primo ſingulæ concluſiones Theologicæ deducuntur.

Principium primum dicitur quod eſt communiſſimum. Et prima principia quãdoque nominãtur dignitates (vt ſcribit Gerſ. de Theologia myſtica ſpeculatiua part. ij. cõſid. x.) Aliquãdo cõmunes animi cõceptiones, aliquãdo regulę primæ incõmutabiles eſt impoſſibiles aliter ſe habere, vt quod de quolibet affirmatio vel negatio, quod totũ eſt maius ſua parte, quod intellectiuum perfectius eſt non intellectiuo, quod ſpirituale corporali cæteris paribus dignius eſt, quod ſi homo intelligit, homo viuit, & ſimiles. Et vt idẽ dicit in cẽtilog. de cõcep. partit. v. de cõceptibus cõplexis. Cõceptus complexi inquit quos dicimus rationis, dicuntur per ſe noti, dũ cõceptus ſimplices, ex quibus cõponuntur apprehẽſi, reddũt protinus cõplexionem euidẽtem in lumine rationis intellectiuę, vt de quolibet eſſe vel nõ eſſe, cui nõ cõtingit intellectis terminis diſſentire. Tales vtiq; ſunt cõmunes animi cõceptiões & hebdomades, & primę impreſſiones, & prima principia, &c. Sunt autẽ quatuor cõditiones primi principij omniũ verorũ, vt notat Dominus Cardi. Camera. qu. iij. ar. ij. libr. j. Prima eſt quod tale primum principium debet eſſe complexum, patet: quia loquimur de primo principio in cognitione, & non in cauſalitate. Secunda eſt quod debet eſſe omniũ cõplexorum no-

rum notiſſimũ, patet: qoia debet eſſe primũ in euidẽtia. Tertia eſt quod debet eſſe ex terminis cõmuniſſimis, & cõmuniſſimũ, patet: quia debet ad omnia alia vera ſe extẽdere. Quarta eſt quod debet eſſe propoſitio affirmatiua, vel ſaltẽ nõ purè negatiuà, & propoſitio hypothetica, vel ſaltẽ nõ purè cathegorica, patet: quia affirmatio eſt prior pura negatione, & per conſequens propoſitio purè negatiua non poteſt eſſe primum principiom cõplexũ, ſed propoſitio purè affirmatiua & cathegorica non poteſt eſſe primum principium, quia nulla talis eſt euidentiſſima, vt patet inductiuè, igitur ſequitur quod primum principium complexum eſt propoſitio hypothetica affirmatiua, ſicut iſta. Aliquid eſt vel nihil eſt, vel eſt propoſitio non purè cathegorica, ſed de hypothetico extremo, nec purè affirmatiua nec purè negatiua, qualis eſt iſta. Quodlibet eſt vel nõ eſt. Et ſic ex his patet, quod primum principium complexum non eſt illud, Deus eſt &c. Aliacenſis. Et ſicut in Metaphyſica eſt vnum principium communiſſimum omnibus ſcientiis, & vna maxima propoſitio: quam neceſſe eſt, quemlibet docendum habere, ſcilicet, de quolibet eſſe, vel nõ eſſe: vt patet. j. poſteriorũ: & iiij. Meta. Ita in tota Theologia viatoris (vt ſcribit Iaco. de Valen. tract. iij. prologi ſuper Pſalm.) eſt vnum communiſſimũ principium, quod præſupponitur in tota Sacra ſcriptura vtriuſque teſtam. & in qualibet eius parte, ſcilicet, qoòd tota Sacra ſcriptura vtriuſque teſtamenti, eſt ab ipſo Deo tradita, & reuelata, & per Spiritũ ſanctum inſpirata, & ideo nullo modo poteſt mentiri. Hoc primum principium proponit B. Petrus in ſua canone. 2. cap. 1. dicens: hoc primũ intelligentes: quod omnis Prophetia ſcripturæ propria interpretatione nõ fit, nõ enim volũtate humana allatã eſt aliquãdo Prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei & homines. Hoc idem cõmuniſſimum principiũ magis declarat Apoſtolus Paulus Hebr. in principio, præſupponens ipſum tanquã primum dĩ. Multipharìè multiſq; modis olim loquens Deus patribus in Prophetis, nouiſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in filio, quem conſtituit hæredem vniuerſorum, per quem fecit & ſecula. Hoc idem principium præſupponit Augu. & docet preſupponendum in primo de doctrin. Chriſtia. enumerans omnes libros ſacri canonis, de quibus nullum eſt dubium eſſe nobis à Deo traditos, quibus omnimodam fidem dicit eſſe adhibendam in primis. Et in quibus quęritur veritas intemerata & incõcuſſa, & charitas Dei & proximi, & tota ſalus noſtra, & redemptio. Secundum principium eſt quod in diuinis eſt vna ſubſtantia & vnum eſſe, & vna eſſentia tribus perſonis diuinis relatiuis cõmunicata. Et ſic eſt vnus ſolus Deus trinus in perſonis, & vnus in ſubſtãtia, ſcilicet, pater & filius & ſpiritus ſanctus. Hoc principiũ latiùs declarat Valen. vbi ſupra. Tertiũ principium eſt quod verbũ diuinũ, qui eſt filius patris ſecũda perſona in trinitate, aſſumpſit verã carnẽ humanã ex virgine Maria, ſimul cũ anima rationali ibidem creatam, & per conſequens aſſumpſit veram humanitatẽ in vnitate ſuppoſiti, in qua pro nobis poſſet pati, ita Chriſtus eſt verus Deus & homõ, cõſtans ex duabus integris naturis in vna perſona. Quartum principium, quod ſicut verbũ diuinum aſſumpſit illam carnem, & humanã naturam in vnitate perſonę, vt in illa pateretur, quę quidem perſona dicitur vnus Chriſtus, Deus & homo. Ita pariter ille Chriſtus aſſumpſit & vniuit & deſponſauit ſibi totam Eccleſiam, & vnitatem fidelium in vnitatem corporis myſtici, vt pro illa pateretur, ita quod Chriſtus & Eccleſia dicitur vnus homo myſticus, & vnus Chriſtus myſticus, cuius caput eſt Chriſtus verus, & corpus ſiue membra dicitur tota Eccleſia fidelium, quæ per fidem & baptiſmũ eſt iſti capiti vnita, & deſpõſata, & ſic Chriſtus dicitur ſponſus, & caput Eccleſiæ. Quintum principium eſt quod Chriſtus eſt finis, & veritas legis ad iuſtitiam omni credenti Rom. 10. & per cõſequens lex nihil aliud eſt, niſi via ad Chriſtum. Sextum principium eſt, quod Chriſtus Deus & homo, non ſolum eſt caput & ſponſus Eccleſiæ, & finis vtriuſque legis, ſed etiã mediator Dei & hominum. 1. Tim. 2. Septimum principium eſt, qood ſicut Chriſtus eſt caput Eccleſię, & omniũ fidelium, à quo deriuatur omnis virtus, & gratia in omnia membra ſua, ita diabolus eſt caput & principium omniũ malorum, & omnium infidelium & obſtinatorum, & perfidorum hominum, & omnes infideles & obſtinati ſunt mẽbra diaboli, à quo prouenit eis perſuaſiuè omnis iniquitas & malitia. Hæc & plura Iacob. de Valent. Chriſtopo. Epiſcopus tract. iij. c. j. prologi ſuper Pſalm. Et vt idem refert Pſalm. 13. ſecundum Aug. Sicut in ſcientiis ſpeculatiuis eſt dare vnum principium, à quo generaliter habent virtutem omnia probata in illa ſcientia, vt patet j. poſteriorum, quo ignorato deſtruitur & ignoratur tota illa ſcientia. Ita pariter in actibus humanis, eſt dare vnum principium primum, à quo ſumunt virtutem, & diriguntur omnes actus humani, quod quidem principium eſt Deum eſſe iuſtũ iudicem omniũ actuũ, & operationum humanarum & præmiatorem bonorum, & punitorem omnium malorum. Ex quo ſequitur illud generale, nullum bonum irremuneratum, & nullum malum impunitum, quo principio negato deſtruuntur, & corrũpuntur omnes mores & omnes actus humani, quia qui non credit tali principio, illico contemnit Deum, nõ timens eius iudicium, & ſic cadit & prorumpit in omnia ſcelera deteſtabilia. Hoc principium negauerunt gentiles quidã. De quo latiùs videto Valent. Pſal. 13. Sunt præterea duo principia quæ maximi facit & pendit Scotus & dicit ſibi eſſe certiſſima. Primum eſt Theologorum, & habetur di. x. qu. ij. lib. iiij. Deo eſt poſſibile quicquid non includit euidentem contradictionem, & ad quod non ſequitur contradictio. Secundum commune eſt Theologis & Philoſophis, non eſt ponenda pluralitas ſine neceſſitate, aut auctoritate, cui non licet contradicere hoc apertè aſſerente. Vnde ſemper paucitas quãdo ſufficit ad ſaluandum ea quę ponuntur amplectenda eſt. Hæc videantur apud Gabriëlem di. x. q. vnica, art. j. lib. iiij.

Principium regulatiuum hominis eſt quadruplex (vt notat idem Iacobus de Valentia in expoſitione Pſal. 14.) Primum principium regulatiuũ actuum humanorũ eſt lex naturalis, quæ cõſiſtit in dictamine rationis naturalis, ſcilicet, omne malũ vitãdum, & omne bonum agendum. Et quod tibi non vis alteri

alteri ne facias, & quod tibi vis, alteri fac, &c. Et quicunque operatur iuxta illa principia, dicitur iuſtus naturaliter, & tales operationes naturaliter ſunt iuſtæ. Secundo, quis poteſt operari moraliter iuxta aliquod principium moraliter regulatiuum. Et ſic prudentia poteſt dici quoddam principium iuſtitiæ moralis, eo quòd regulat omnes alias virtutes. Ex quo patet quod omnis qui operatur ſecundum virtutes morales, poteſt dici moraliter iuſtus, eo quòd operatur iuxta prudentiam, quæ eſt recta ratio & principium regulatiuum omnium agibilium. Tertium principium regulatiuũ actuum humanorum dicitur lex ciuilis, quæ humanã coërcens audaciam, & nocendi refrenans facultatem, regulat hominem ad viuendum cum cæteris ſocialiter & ciuiliter: nulli nocendo: Et ſic operans ſecundum leges ciuiles, dicitur iuſtus ciuiliter. Quartum principium regulatiuum actuum humanorum, dicitur lex diuina, eò quòd regulat hominem in Deum, & ſic operãs ſecundum legem diuinã, dicitur iuſtus, diuinus. Ex quibus patet, quòd quadruplex eſt iuſtitia, ſcilicet naturalis, moralis, ciuilis, & diuina: iuxta quatuor principia & leges, quibus omnes actus regulantur humani: prout dictum eſt. De quo latiùs legito apud Valentiam Pſal. 14.

Principium principale (vt ſcribit Gabriël di. xxiij. q. j. lib. j.) dicitur cui primo, ſiue ex ſe non per aliud conuenit poſſe agere vel pati, ſicut intellectus cui primo conuenit intelligere, & homini per intellectum: potentia autem eſt principiũ principale agendi vel patiendi. Eſt & principium minus principale determinatiuum, vel inſtrumentale, &c. Principale dicitur, quod primum & præcipuum eſt. Vnde principalia vitia octo ſancti diffinierunt, ſcilicet gulam, luxuriam, vanam gloriam, ſuperbiam, auaritiam, inuidiam, acediam, iram. Hæc vitia deſignantur per ſeptẽ gẽtes, quorũ olim populus Dei terras poſſedit. Scriptũ nãque eſt. Exo. 23. Et introducam vos ad loca Cananęi & Hethęi, Amorrhęi & Pherezæi, Heuęi & Iebuſęi, & Gergeſęi, quibus additur gens Ægyptiorũ, per quas gẽtes octo vitia capitalia intelliguntur. De quo latiùs legito apud Gerſonem parte ij. ſermone de verbis domini. Venite ad me omnes qui laboratis. Horũ autem vitiorum duo ſunt carnalia, reliqua ſex ſpiritualia. Illa carnalia, quia in corporis membris eorum operatio cõſiſtit. Iſta vocantur ſpiritualia, ſiue corporalia, quia in corde actitantur. De quibus aliàs latiùs.

Principalius venit à principale. Principalius aliquid dicitur eſſe alio. Vno modo, vel quia naturaliter prius eo, & quod ab alio præſupponitur, & ſine quo aliud non eſſet tale, vel ſine quo habitus non eſſet virtus. Alio modo illud dicitur eſſe principalius quod eſt ſimpliciter perfectius, tunc dicitur quod prudentia eſt principalior aliis virtutibus, & eſt prior eis generatione, & eſt regula aliarum virtutum, ſine qua nullus alius actus eſt virtuoſus, vt latiùs ſcribit de hoc Gabriël di. xxxiij. q. vnica, art. iij. du. j. li. iij. Sed loquendo de principalitate ſecundo modo, ſic virtutes electiuæ ad voluntatem pertinentes ſunt principaliores virtute dictatiua ad intellectum pertinente, quoniam voluntas eſt perfectibile nobilius intellectu. Plus Gabriël vbi ſupra.

Sic poſſunt concordari S. Thom. & Scotus. Nam Thomas dicit prudentiam eſſe principaliorẽ, & cęteræ ad eam reducuntur. Scotus verò dicit quod virtus eliciens ſecundum dictamen prudentiæ principalior eſt ipſa prudentia.

Priuatio poteſt capi tribus modis (vt ſcribit Bruleſer di. xxviij. qu. j. lib. j. ſcilicet, propriè, communiter & communius. Priuatio propriè capta eſt quãdo aliquid caret aliqua forma quam nata eſt habere ſecundum ſe, & quãdo oportet & quomodo oportet ſecundum debitas circũſtantias. Vnde ſi aliquis homo poſt annum vel duos non habeat dentes, eſt edentulus. Et ſi catulus poſt nouem dies non videat, dicitur cæcus. Priuatio communiter capta eſt quando aliquid caret aliqua forma, quam natum eſt habere ſecundum ſe, ſed non ſecundum debitas circunſtantias, hoc modo catulus eſt cæcus ante nouem dies. Priuatio autem communius capta, eſt quando aliquid caret aliqua forma quam nõ eſt natum habere ſecundum ſe, ſed ſecundum ſuum genus, hoc modo talpa dicitur cæca. Vnde licèt talpa non ſit nata videre ſecundum ſe, eſt tamen nata videre ſecundum ſuũ ſuperius. Vnde Philoſophus 5. meta. c. de priuatione, dicit, quod talpa non ſit cæca inquantum animal. Regula. Nulla priuatio propriiſſimè loquendo poteſt eſſe in diuinis. Omnis enim priuatio propriiſſimè loquendo dicit imperfectionem, ſed nihil imperfectum eſt in Deo, &c. Vnde priuatio ſicut docet Philoſophus 5. li. meta. eſt carentia alicuius formæ in ſubiecto apto nato. Vnde ad rationem priuationis duo concurrunt ſecundum Franſc. Mat o. in conflat. primi. di. xxviij. Vnum eſt aptitudo ad formam aliquam: puta hominis aptitudo ad videndum, aliud eſt carentia. Vnde lapis licèt careat viſu, non tamen dicitur cæcus, eo quòd non habet aptitudinem videndi. Et catulus ante nouem dies non dicitur cæcus, quamuis careat viſu, aptus natus eſt tamen habere vt dictum eſt. Et priuationes ſecundũ eundem Franciſ. dicuntur à priuando aliquid poſitiuum, ergo ſecundum oppoſita poſitiua diſtinguuntur. Primo namque ſunt quædam priuationes quę priuãt perfectionem ſimpliciter, & talia nullo modo poſſunt poni in Deo, quia dicũt imperfectionem ſimpliciter, vt eſt ignorantia, impotentia. Secundò quędã priuant perfectionem ſecundum quid & non ſimpliciter, ſicut eſt inanimatum. Nam ſicut animatum dicit perfectionem ſecundum quid ſolum, ſcilicet in genere corporalium, ſic eius priuatio videlicet inanimatum dicit imperfectionẽ ſecundũ quid: & huiuſmodi etiam nõ cõueniunt Deo inquantum imperfectiones ſunt. Tertio quædã priuant imperfectionem & per conſequens dicunt perfectionem, ſicut incorruptibilitas & immortalitas, ideo huiuſmodi ſunt in Deo, vt ingenitum, innaſcibile, hæc ſunt in Deo, vt patet. In Deo itaque ſunt priuationes multæ, largè capiendo ſecundum Franſ. ſicut accipitur priuatio, quæ dicit aptitudinem tranſcendentis, ſcilicet, entis & boni. Tertio modo, quia Deus eſt incorruptibilis priuatione. Et ſecundum eundem in diuinis nil dicitur imperfectum ratione Deitatis, quæ omnia continet ſupereminenter, & perſonæ habẽt proprias priuationes. Nã prima perſona patris habet proprias priuationes, ſcilicet, ingenitum, innaſcibile.

immaſcibile. Tertia etiam perſona, videlicet ſpiritus ſanctus habet non productiuitatem: eſt enim non producens. Sed perſona media, ſcilicet filij, nullam propriam negationem habet, quia omnis negatio vel priuatio quæ competit filio, competit etiam patri vel ſpiritui ſancto. Et patet de infinitate, immenſitate, immutabilitate, & huiuſmodi, quæ ſunt communia tribus. Item patet de iſta notione in ſpirabilitas, quæ competit non tantum filio, ſed etiam patri, vt & refert frater Pelbartus, &c.

Priuilegium eſt priuatum ius indultum contra ius commune. Nam niſi aliquid indulgeret, non eſſet priuilegium. de ver. ſig. Et priuilegium eſt priuata lex, quia reſpicit ſingulares perſonas, ſed commune eſt ad multa negotia. ex beato Thom. j. ij. quæſt. xcvj. art. ij. Et dicitur priuilegium, quaſi priuata lex, hoc eſt ad ſingulos ſpectans.

Priuilegium clericorum eſt duplex, ſcilicet perſonale & reale. Perſonale eſt quod, ſcilicet iniiciens in eos manus violentas eſt excommunicatus. j. q. iiij. Si quis ſuadente. Reale, ſcilicet quod in cauſa ciuili vel criminali nō poteſt cōueniri corā iudice ſeculari, ſed corā Eccleſiaſtico: nec priuilegia illa produ̅t religioſi, ſicut apoſtatę, ſi tamē fuerint profeſſi tacitè vel expreſſe. Nec clerici ſeculares in maioribus ordinibus cōſtituti, habitū & tonſurā nō habentes, dū ſciuntur eſſe tales: etiā ſi fuerint excōmunicati, irregulares, ſuſpēſi, depoſiti: niſi eſſent ſolēniter degradati, & traditi curiæ ſeculari: nec poſſunt priuilegio clericali renūciare. Sed tales reducendi ſunt, & ſuis ſuperioribus præſentandi & compellendi ad obſeruantiam clericalem. in gloſſ. xxj. diſt. cleros. Secùs de exiſtentibus in minoribus ordinibus, qui per actus contrarios amittunt priuilegium clericale. lxxxiiij. diſtinct. Quiſquis. Latiùs Gabriël diſt. xv. quæſt. v. artic. ij. libr. iiij. qui & apud Canoniſtas ſcribit diffuſiùs reperiri.

Priuilegiatum dicitur quod habet priuilegiū. vnde opus priuilegiatum. Sunt autem multa opera priuilegiata, vt ſcribit Gerſon parte iij. de oratione & eius valore, quæ ſortiūtur efficaciā, nedum ex opere operante, ſed ex quadam vi operis operati, prout in Euchariſtiæ cōſecratione & ſumptione, & aliorum ſacramentorū miniſtratione quandā vim ſuſcipiunt ex parte diuini, & Eccleſiaſtici mādati. Sicut & oratio Dominica, quam Deus per ſe fecit. Sicut horæ canonicæ, vel cæterę orationes, quas Eccleſia dicendas inſtituit. Idem vult Gerſ. par. ij. in ſer. facto in concilio Remenſi, Dominica ij. poſt Paſcha, dum ait: Et quidem non inuenio pabulum charitatis & gratiæ melius, efficaciùsve tradi poſſe gregi Chriſti, quàm per debitam collationem ſacramentorum. Illic quippè gratia confertur in ſuſcipiente virtute operis operati, hoc eſt vltra vel ſupra meritum ſuſcipiētis, in virtute meriti Chriſti inſtituentis ſacramentum, & illud ſpirituali priuilegio ditantis: vt inde opus priuilegiatum nominetur.

Probare aliquando eſt demōſtrare, & argumētando planū facere. Hinc probatio, demonſtratio. Et probabile, quod licèt verū nō ſit, rationibus tamē quibuſdā videtur perſuaderi. Probare aliquādo laudare eſt. Vnde probi, boni, dicuntur dicti, quaſi prohibi, quod ſe à delinquēdo prohibeāt. A quo improbus, id eſt malignus: & improbitas, malignitas, &c.

Probatio quærit rationem facti, & tangit cor. Examinatio quærit factum & tangit corpus, ſecundum beatum Thom. ſuper Pſal. 16. Et ſecundum Rhetores octo ſunt probationum ſpecies, quas & refert Petrus de Aliaco quæſt. j. artic. ij. lib. j. per quæ probat ſacram ſcripturam eſſe veram. Prima per teſtes ſeu fide dignū hominum teſtimonium. Vnde dicebat Chriſtus Act. 1. eritis mihi teſtes in Hieruſalem & in omni Iudæa & Samaria, & vſq; ad vltimum terræ. Secunda per legem ſeu authenticum legis ſcriptū. Vnde dicebat Chriſtus Iudæis, Ioā. 5. Scrutamini ſcripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternā habere: & illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me. Ex ſcripturis enim legis Moyſi oſtenditur quod Chriſtus fuit verus Propheta, & verus Meſſias in lege promiſſus: & per conſequēs, quod eius doctrina eſt vera & credenda. Tertia per pactum. Vnde ait Apoſtolus Tarſenſis Rom. 1. quod Euangelium Chriſti antè promiſerat Deus per Prophetas ſuos. Ex ſcripturis enim ſanctis oſtēditur, quod doctrina Chriſti eſt illa, quā Deus promiſerat in Prophetis: & per conſequens, quod ipſa eſt vera, & nullo modo erronea. Quarta per iuramētum. Vnde ait Apoſtolus Heb. 6. Quoniam neminem habuit per quem iuraret maiorem, iurauit per ſemetipſum, &c. in quo abundantius volens oſtendere Deus immobilitatem conſilij ſui, interpoſuit iuſiurandum, &c. Deus enim ſanctis patribus ea quæ de Chriſto futura erant, non ſolum ſimplici verbo promiſit, ſed etiam iuramento firmauit, quæ omnia oſtenduntur ex ſcripturis iam eſſe impleta. Quinta per miraculum, vnde dicebat Chriſtus, Ioannis 5. Ipſa opera, quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me: quod non ſolùm verū eſt de operibus virtutum, ſed etiam de operibus miraculorum, &c. Sexta per tormentum, imò diuerſa genera tormētorum, vnde dicebat Apoſtolus Hebr. 11. Sancti per fidem vicerunt regna, &c. lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt, & hi omnes teſtimonio fidei probati, &cæ. Septima probatio per eum in cuius ore non eſt inuentum mendacium: vnde Apoſtolus ad Hebr. 6. Impoſſibile eſt mentiri Deum. Sed doctrina Chriſti eſt reuelata à Deo, vt apparet ex miraculis & ſcripturis ſanctis. Octaua per conformitatē geſtuum & verborum. Vnde Act. 4. Loquebatur verbum Dei cum fiducia, &cæ. Ex geſtibus enim Chriſti & diſcipulorū ſuorum patebat, quod verba eorum non erant falſa, quia non loquebantur fictitiè, ſed ex corde ſine curioſitate, oſtentatione, vel apparatu, ſed cum charitate pro affectione, & toto affectu: igitur probabile eſt dicta eorum eſſe vera, &c. Per hæc itaque veritates Theologicæ probari poterunt: & per conſequens ſcriptura ſacra. Et ad hoc poſſunt adduci octo media, quæ ponit Scotus quæſt. ij. prologi, quæ ſunt: Primò, auctoritas ſcribentium. Secundò, concordia ſcripturarum. Tertiò, rationabilitas contentorum. Quartò, irrationabilitas ſingulorum errorum. Quintò, prænuntiatio futurorum. Sextò, viuacitas miraculorum. Septimò, ipſius legis duratio. Octauò, & diligentia in recipiendo, ſed de iſtis remitto ad eum, & aliàs ſcripſimus.

Poſſent ad hoc adduci multæ concordantiæ per hęc ſcriptura ſacra probari poterit, & doctrinam Chriſti eſſe veram & infallibilem, vel probabilem, &c.

Probabile quod probatur, vel quod probari poteſt. Aliquid autē eſſe probabile, poteſt intelligi dupliciter, vt ſcriptis reliquit Do. Cardin. Camer. q. j. ar. ij. lib. j. Vno modo ſimpliciter. Alio modo ſecundum quid. Vnde ſecundū Philoſ. illud dicitur probabile ſimpliciter, quod videtur omnib' vel pluribus, vel maximè ſapiētibus, quod ſic intelligitur: Probabile eſt q, cū verū & neceſſariū nō eſt, tamē euidēs, ſed apparēs omnib' vel pluribus, vel maximè ſapiētib'. Per primā clauſulā excluduntur falſa, & vera cōtingentia, quæ ſtrictè loquēdo, nō dicūtur pbabilia, licet aliquando impropriè, ſicut dicit Philoſ. q. nihil prohibet falſa eſſe probabiliora quibuſdā veris, capit enim probabile impropriè. Per ſecundā excluduntur etiā principia, & cōcluſiones demonſtrationum. Per tertiā excludūtur neceſſaria, quæ apparēt falſa omnibus vel pluribus. Alio modo & magis largè aliquid dicitur probabile ſecundū quid, quod cū ſit verū ſiue neceſſariū, ſiue cōtingens, nō eſt tamē euidēs, ſed apparēs alicui, vel aliquibus. Et proportionabiliter poſſet diſtingui de ratione probabili, quia vel eſt ex probabilibus primo modo, vel ſecūdo, vel ſimpliciter, vel ſecundū quid. Hæc Aliacen. Et ſicut dicit Ariſt. nihil refert quædā falſa eſſe probabiliora quibuſdā veris: ita nihil refert quædā falſa piè credi, nō quod ea ratione qua falſa ſunt, vel ſi ſciuntur eſſe falſa, credi poſſunt. Procul hoc à pietate fideliū, vt ſcribit Gerſ. part. j. declaratione veritatum, quæ credendæ ſunt de neceſsitate ſalutis. Sed cadit exiſtimatio, vel pia credulitas non ſuper veritate vel falſitate, ſed tantummodo ſuper apparentia, vel probabilitate, & hoc (inquit Gerſon) non eſt periculoſum vel falſum: quia cōſtat de apparentia: & probabilitate dum falſitas & veritas ignota eſt. Propterea ſapientiſsimè dixit Hieron. quod de talibus eligibilius eſt piè dubitare, quàm temerè diffinire. Sicut ſtat quodlibet contradictoriorum eſſe probale: & vnum ſtat cum altero non in veritate, ſed in probabilitate: ſic diuerſis reſpectibus (inquit Gerſon) vtrunque contradictoriorum credi poteſt cum fidei pietate, dum tamen ſit animus ab aſſertione pertinaci alienus, &c.

Procedere ſignificat vltrà cedere, progredi. Aliquando proſperè cedere. A quo proceſsio quæ duplex eſt, largè capta, videlicet localis, ſicut aliquis progreditur de vno loco ad alium. Alia cauſalis vel productiua, ſicut aliqua intellectio producitur ab intellectu & obiecto, tunc non oportet proceſsionem eſſe ab vno ſolo: conſimiliter de amore. Bruleſer diſt. xj. q. j. lib. j. Et proceſsio quandoque accipitur pro productione paſsiua vnius perſonæ ab altera. Et hæc proceſsio dicitur æterna: & hæc proceſsio æterna & productio paſsiua idem ſunt. Aliquādo accipitur vt importat talem productionem, & connotat perſonam procedentem, vt de nouo exiſtentem in creatura aliqua rationali, ſecundum modum aliquem determinatum, vt infra dicetur. Et hæc proceſsio dicitur temporalis. Et ſi eſſet modus loquēdi ſanctorum, quod procedere importaret productionem perſonæ ab alia, & nouā exiſtentiam in creatura: non propter nouitatem Dei, ſed creaturæ: concedendum eſſet, quod ſpiritusſanctus procederet tēporaliter, quādocunq; creatura crearetur. Sic nō dicitur procedere tēporaliter, quia datur creaturę rationali ad ipſam ſanctificandā. Et ſecundū intentionē ſanctorū, duplex eſt proceſsio, id eſt ſpiritusſanctus dupliciter procedit, æternaliter & tēporaliter. Proceſsio ſecundū Guilh. Scotiſt. d. xj. lib. j. dicitur, quaſi procul ceſsio. Procul verò ceſsio dicitur tribus modis. Primò quantū ad eſſentiā. & iſto modo procedunt creaturæ à Deo in eſſe reali, quoniā differūt à Deo differentia eſſentiali realiter. Secūdo modo quantū ad tēpus & locū: & iſto modo de proceſsione loquūtur Philoſophi. Tertio modo dicitur proceſsio, quantū ad eſſe perſonale: & ſic dicimus filium & ſpiritumſanctū in diuinis à patre procedere. Ita ſcribit Pelbart. poſt ſuū Guilhelmū.

Proceſsio in diuinis capitur dupliciter. Vno modo pro productione paſsiua vnius perſonę ab alia: iſto modo dicitur de filio & ſpirituſancto. Hoc modo ſunt duę proceſsiones in diuinis, ſicut ſunt duę perſonę procedētes. Et de illa ait Chriſtus Ioā. 16. Ego exiui à patre, ſcilicet per æternā generationē, & veni in mundū, ſcilicet tēporali natiuitate. Alio modo prout importat principaliter huiuſmodi pductionē paſsiuā, cōnotando tamē ipſam perſonā productā eſſe in aliqua creatura rationali de nouo, ſecūdum ſpecialē modū: puta, per gratiā, per quā ipſam ſanctificat & ad vitā æternā acceptat: & hęc eſt proceſſio temporalis: proceſsio actiua idem quod ſpiratio actiua, & eſt productio actiua, qua pater & filius ſpirāt ſpiritumſanctum, & eſt vnica in duabus perſonis. Bruleſ. d. x. & xiiij. lib. j. &c.

Proceſsio eſt duplex (vt ex prædictis patet) ſcilicet æterna & tēporalis. Proceſsio æterna eſt productio ad intra. Vel eſt ſpiritusſanctus à patrę & filio, tanq̃ ab vno ſpirādi principio æterna ſpiratio. Proceſsio verò tēporalis eſt productio perſonę ad intra & noua exiſtētia eius in creatura rationali, ſecundū modū determinatū. Vel pceſsio tēporalis eſt pductio perſonę ad intra & gratuita eius exiſtētia in creatura rationali. Gab. d. xiiij. q. j. & d. xvj. q. vni. li. j. Ex quo patet, q. licet pater eſt de nouo in creatura rationali quā ſanctificat, quia nō venit ſpiritusſan. aut fili' ad ſanctificandū creaturā ſine patre, tamē pater nō procedit tēporaliter, quia nō pducitur ad intra.

Proceſsio tēporalis ſecundū quoſdā eſt illapſus quidā quo perſona ęternaliter procedēs vel pducta illabitur mēti creatę per ſua dona, aut ſubſtantiā ſuę perſonę aſsiſtēdo ſibi ſpecialiſsimè ad actū bonū meritoriū exequendū. Eſt autē illapſus intima præſentialitas cū præſidētia eius qd illabitur: & perfectione omniū, quæ ſunt in illapſo: vt in ij. li. ſen. dicitur: d. viij. q. ij. & ſupradictū eſt in dictione *illapſus*. Et quāuis omni creaturę maximè intimi' ſit Deus, dicitur tamen ſpecialiter tunc illabi menti humanæ, cùm ei præſidet ipſam ſpecialiter regendo ac ei influendo: vnde meritoriè poſsit agere ac digna fieri vita æterna, quomodo non aſsiſtit menti creaturæ rationalis ſe à Deo auertenti, ac obicem (ne illabatur Deus) per mortale peccatum ponenti. Et proceſsio tēporalis pręſupponit æternā, ita qd duo includit, ſcilicet proceſsionē æternā ad intra, &

nouum

nouum modum exiſtendi in aliqua rationali creatura ad extra. Et proceſsio tẽporalis (vt ſcribit Brulef. di. xiiij. q. j. lib. j.) potiſsimè & præcipuè attenditur penes gratiã ſeu charitatẽ à ſpirituſancto ipſi creaturæ rationali liberè & gratuitè collatam, per quam ipſa ſanctificatur, & ad vitã æternã acceptatur. Nunquam enim ſpirituſſanctus de lege ordinata procedit ad inhabitandũ aliquem, niſi per gratiam gratum facientem. Et quod dicit Magiſter di. xiiij. lib. j. gemina eſt proceſsio ſpirituſſancti magis propriè loqueretur (vt dicit S. Bonauen. q. ij. diſt. xiiij. li. j.) ſi diceretur proceſsio ſpirituſſancti dicitur dupliciter, quã cùm dicit, quod eſt gemina, quia nõ cadit ibi propriè geminatio. Et proceſsio, vt ſcribit Gabr. xliij. q. j. lib. j. dicit aliquid notionale & aliquid eſſentiale. Notionale quantum ad conditionem perſonæ procedentis. Eſſentiale quantum ad illabi menti rationali: ideo nec eſt purum eſſentiale, nec purũ notionale, ſed eſſentiale cõnotans notionale. Dicitur autẽ in deſcriptione proceſsionis temporalis per ſua dona, vbi innuit perſonã procedẽtis dupliciter aſsiſtere menti rationali, ſcilicet in dono formaliter. Donũ enim datũ creaturæ, charitas, ſcilicet & ſapiẽtia, formaliter inhæret ei; quibus mens ipſa formaliter Deũ cognoſcit & amat. In ſe verò effectiuè, cùm noſtrum diligere & cognoſcere ipſe efficit. Reducitur autẽ rationalis creatura ad Deum per actiones intellectus & voluntatis. Ideo duplicia ſunt dona, in quibus procedere dicitur perſona diuina temporaliter, ſcilicet dona intellectus & affectus. Et quãuis nõ illabitur vna perſona ſine alia, ſed ſimul omnes tres mentẽ rationalẽ ſanctificãdo inhabitant, ſecundum illud Ioan. 14. Si quis diligit me, &c. quia tamẽ dona, quæ pertinẽt ad illuminationem intellectus, appropriantur filio, qui ad intra procedit per modũ intellectus. Vnde & verbũ eſt patris: ideo in eis ſpecialiter dicitur procedere filius. Ideo orauit Sapiens, Sapien. 9. Emitte Domine ſapientiam, &c. Et dona voluntatis, quibus rectificatur affectus, appropriantur ſpirituiſancto procedẽti per modũ amoris: ideo in eis dicitur procedere ſpirituſſanctus, iuxta illud ad Rõ. 5. Charitas Dei diffuſa eſt, &c. Mittitur enim tunc vnicuiq; perſona, cùm à quocunq; cognoſcitur atq; percipitur, quantũ cognoſci & percipi poteſt, ait Aug. iiij. de Trin. Et quia in dono appropriato magis cognoſcitur perſona quàm nõ appropriato: ideo in illo magis dicitur mitti illa perſona cui donũ ipſum appropriatur. Vnde Rich. Miſsio eſt perſonę emanãtis per effectũ ſibi appropriatũ manifeſtatio. Dicitur vltimò in diffinitione: ſpecialiſsimè aſsiſtẽdo, &c. innuitur quod nõ in quibuſlibet donis procedit filius aut ſpirituſſanctus. Nõ enim in donis naturalibus tantũ, nec gratis datis tantũ, ſed in dono gratum faciẽte, quod eſt charitas. Quo dono (vt ait Aug. v. de Trinit.) nihil eſt excellentius. Et quia charitas appropriatur ſpirituiſancto (vt dictũ eſt) ſine qua nulla perſona procedit tẽporaliter: ideoq; proceſsio ſpirituiſancto appropriatur. Et etiã quia proceſsio temporalis videtur eſſe quædã liberalis donatio per modum muneris liberi & glorioſi, ideo ſpirituiſancto appropriatur, qui procedit per modũ doni. Ex quo ſequitur, quod nõ in quolibet dono intellectus dicitur procedere filius & ſpirituſſanctus: patet, quia nõ proceſsit in dono prophetię collato Caiphæ, de quo Ioã. 11. quia tali dono nõ fuit ſanctificatus, neq; Deo charus. Mittitur in dono veræ ſapientiæ, quæ includit charitatẽ, quæ ſapientia eſt cum amore notitia. De qua Sapien. 1. Sapientia nõ habitat in corpore ſubdito peccatis. Secundò ſequitur quod ad eas creaturas neq; procedit nec mittitur filius aut ſpirituſſanctus, quas nõ ſanctificãt neq; ſanctificatas inhabitant, vt fuère nubes, columba, linguæ igneæ. Gabriẽl diſt. xiiij. quæſt. j. lib. j. de proceſsione temporali ſcribit.

Proceſsio, miſsio, datiò, quamuis ſupponant pro eodem, differunt tamen ratione. Nam proceſsio eſt in plus quàm miſsio: & miſsio nec in plus nec minus quàm datio, id eſt proceſsio eſt ſuperius ad ly miſsio: & miſsio nec eſt ſuperius nec inferius ad ly datio. Patet primum, quia omnis perſona quæ mittitur, procedit, ſed non ecõuerſo. Aliqua enim perſona procedit, ſcilicet proceſsione æterna, & tamẽ nõ mittitur, licèt miſsibilis ſit, id eſt mitti poſſet: vndè perſona miſſa ab æterno procedit, & tamen nõ ab æterno mittitur. Secundum patet, quia non omne quod procedit, datur. Filius enim ab æterno procedit, & tamẽ nõ ab æternò datus eſt. Et aliquid datur qđ nõ pcedit, ſcilicet dona ſpirituſſan. Gab. d. xiiij. q. ij. lib. j. Vide & Petrũ de Aliac. latiꝰ q. ix. ar. j. li. j.

Proceſsio temporalis ſumendo pro eodẽ, miſsionem & proceſsionẽ temporalẽ eſt duplex, ſcilicet viſibilis & inuiſibilis. Viſibilis eſt apparitio aliquarũ rerũ corporalium circa creaturam rationalem humanam miſsionem inuiſibilem diuinæ perſonæ eidẽ creaturæ factam repræſentans, Gabr. di. xvj. quæſt. vnica, ar. j. lib. j. Et Dominus Cardinal. Cameracen. q. ix. art. j. lib. j. Vel viſibilis immiſsio (ſecundũ ſanctũ Bonauen. di. xvj. q. j. li. j.) eſt apparitio in quã manifeſtatur diuina perſona, non tantùm vt operans, ſed etiam vt inhabitans: nec tantùm vt inhabitans, ſed etiam vt emanãs, quaſi ab alio veniens. Et dicitur apparitio rerum corporaliũ, vbi ſupra, id eſt ſenſibilium: aliter enim non poſſet eſſe viſibilis diuina perſona. Dicitur, circa creaturã rationalem, quia non fit miſsio, niſi ad ſanctificationẽ creaturæ: hæc autẽ ſolius creaturæ rationalis eſt. Dicitur, repræſentãs, &c. vbi tangitur cauſa finalis miſsionis viſibilis. Nam diuina perſona nõ mittitur (inquit Cardinal.) niſi ad repræſentandũ aliquẽ effectũ ſpiritualem, ſcilicet gratiã gratũ facientẽ: quãuis aliter poſſet fieri, ſi Deo placeret. Proceſsio verò ſeu miſſio inuiſibilis ſpirituſſancti, eſt hominis per gratiã gratum facientẽ adoptatio ſine ſigni alicuius ſenſibilis oſtenſione, quando, ſcilicet ſpirituſſanctus per gratiam quam inuiſibiliter animæ infundit, etiam illapſu ſanctificatiuo acceptat ad vitã, & in filium regni ac hæredem Dei adoptat: taliſmodi inuiſibilis gratiæ collatio, & hominis per gratiam adoptio dicitur miſsio inuiſibilis. Gabriẽl diſt. xvj. lib. j. De quo vide in dictione *Miſsio*. Et proceſsio ſpiritus ſancti ſecũdum Petrum de Aliaco, quæſt. viij. ar. iij. lib. j. eſt à nobis pro ſtatu viæ ineffabilis: eſt tamen aliquo modo intelligibilis. Vnde ſecundum Magiſtrum, ſicut de generatione filij ſcriptum eſt: Generationẽ eius quis enarrabit? ita de ſpirituſancto dici poteſt: Proceſsionem eius quis enarrabit, &c.

Procurator (vt ſcribit Richardus di.xlv. artic.v.q. prima lib.iiij.) eſt qui negotia aliena mandato ſibi à domino facto gerenda gratuito ſuſcipit, & in iudicio adminiſtrata negotia plura vel vnum. Vnde procuratores ſunt, qui res dominorum viuorum adminiſtrant ad temporalem eius vtilitatem. Executores autem mortuorum diſtribuunt ad animarum vtilitatem. Et (vt idem dicit in fine huius art. q.iiij.) quàm grauiſsimè peccant, & magnam proditionem, & illegalitatem faciunt executores, qui executiones teſtamentorũ ſibi cõmiſſas non complent quàm citius poſſunt, opportunitate habita competenti.

Prodigalitas eſt cõtinentia: & ob intemperantiam pecuniarum profligatio, ſecundum Ariſtot.libr.4. Ethi. Et prodigalitas eſt circa poſſeſsiones pecunię, ſicut deficiẽs: non autem ſicut ſuperabundás in eis: ſecundum beatum Thom. ſecunda ſecundæ, quæſt. cxix. artic. primo. Et prodigalitas ſemper eſt peccatum, non principaliter propter quantitatẽ, ſed propter inordinationem dandi, quibus non debet dari, & propter quæ, & ſicut debet, ſecundũ eundem vbi ſupra. Et prodigalitas ex gula & luxuria frequenter procedit propter voluptates cõſequendas, vt ſcribit Antoninus parte ſecunda, tit.vj. cap.viij. ſummæ ſuæ. Vnde & Lucæ 15. dicitur de filio prodigo, quod diſsipauit ſubſtantiam ſuam, viuendo luxurioſe. Frequenter enim ſecundũ beatum Thomam, ad intemperantias declinant prodigi: quamuis ex aliis vitiis, ſcilicet iactantia oriri poſsit. Et conſiſtit hoc vitium in expendendo ſuperfluè diuitias, vbi & quando non oportet, & minus debito eas amando. Et qui ſuperabundat in dando, dicitur prodigus: qui autem deficit, auarus & illiberalis. Vide latiùs Antoninum vbi ſupra. Et de prodigalitate in dictione *Liberalitas*.

Prodere, manifeſtare: vnde & proditores à prodendis conſiliis hoſtibus, dici poſſunt. Et proditio ponitur à Gregorio in li.xxxj. moral. inter filias auaritiæ: quia communiter procedit ab ea. Et poteſt deſcribi ſic: vt habet Antoñ. parte ij. ſummæ, tit.j. cap.xxij. Et proditio eſt quædam deceptio facta contra dominũ vel familiares ſuos, in damnum rerum vel perſonæ: aut manifeſtationẽ ſecretorum eorum. De hac proditione plura Antoñ. vbi ſupra. Proditio (ſecundum Gerſonem ſermone facto in Cœna Domini, qui incipit: Tradidit Ieſum Iudas pat.ij.) eſt fraudulenta læſio alicuius ſub amicitiæ vel officij ſimulatione: & ita proditio eſt duplex iniquitas, quia & odium eſt, & ſimulatio. Proditor eſt, qui ſimulat officium, & affert detrimentum. Vel proditor eſt familiaris inimicus, eò pernicioſior quò efficacior eſt, & ineuitabilior ad nocendum. De tali in Prouerbiis: Simulator ore decipit amicum ſuum. Hæc Gerſon.

Producere, eſt in longum ducere, quod & de tempore & de corporeis rebus dicitur. Et quandoque eſt antè ſeu vltrà, foráſve ducere. Interdum gignere, interdum interponere, interdum proſequi, interdum conſummare. De quo aliàs. A quo venit productio. Et producere quandoque accipitur vt non includit negationem, ſcilicet pro dare eſſe alicui, hoc eſt quod ad eius eſſentiam aliqua res eſt, ſiue poſt non eſſe, ſiue poſt eſſe. Et produci eſt dependere quantum ad eſſe ſuum ab alio, id eſt eſſe ad præſentiam alterius, ſiue poſt non eſſe, ſiue poſt eſſe. Suo modo dicitur de creari: & illo modo non diſtinguitur à conſeruare & conſeruari. Alio modo accipitur, vt includit negationem: vt producere eſt dare eſſe, poſt nõ eſſe immediatè pręcedens: ſuo modo de produci, creare, & creari. Gabriël diſtin. j. qu.ij. artic.iij. dubio vj. libr.ij. Et hoc modo diſtinguitur producere & conſeruare. Nam conſeruare, eſt dare eſſe poſt eſſe continuatum, id eſt non interruptum, &c. Et de producere vide in dictione *Facere*.

Productio dicitur tripliciter ſecundum Guilhelm. Scotiſtam diſtinct.xiij.lib.j. Vno modo quaſi procul ductio. Et ſic dicitur quod Sol producit radios, ſcilicet procul vſque ad terram. Secundo dicitur productio quaſi propter ductio: & ſic producuntur creaturæ à Deo. Sapien.7. Omnia propter ſeipſum operatus eſt Dominus. Tertio modo dicitur quaſi propè idem ductio. Iſto modo eſt propriè in diuinis, vbi producens & productum ſunt eiuſdem eſſentiæ, licèt differant realiter. Et iſta tria productio, creatio, operatio, in Deo habent ſe per ordinem. Omne enim quod creatur, producitur (vt patet) ſed non econuerſo: quia ſpiritusſanctus producitur, ſed non creatur. Item omne quod producitur, operatur, ſed non econuerſo: quia volitio & intellectio Dei, ſunt operationes, non tamen producuntur: quia propriè magis dicuntur productionis principia (id eſt vires productiuæ) quæ principiant duas productiones, ſcilicet intellectus generationem, & voluntas ſpirationem: vnde non dicuntur producta. Et habere aliquid per productionem alterius, dupliciter intelligi poteſt. Primo modo propriè quod per talem productionem recipiat aliquod nomen eſſe reale in ſe vel in aliquo alio ipſum de nouo informante. Alio modo impropriè, quia tali productione aliqua denominatio ſibi de nouo aduenit. Sicut productione creaturæ Deus dicitur creator & Dominus. Primo modo pater nullum eſſe capit à ſuo principiato, ſed ſecundo modo: nec hoc eſt inconueniens, cùm etiam ſic aliqua denominatio de nouo ſibi competit ex tempore ex productione creaturæ. Gabriël diſtinct.xix. quæſt.ij. artic.iij. libr.j. ſententiarum.

Producere liberè ſecundum Oytam q.vij. artic.ij. eſt producere voluntariè, complacenter, & non coactè, & ferè redit in idem cum dicto Occam. Vnde Oyta ait: Licèt Spiritusſanctus non producitur à voluntate, neque contingenter, producitur tamen per modum voluntatis, & liberè, cõplacenter: quia Spiritusſanctus procedit à Patre & Filio, tanquam amor: quia ipſe eſt dilectio, qua pater diligit filium, & filius patrem: ſed Spiritusſanctus non habet eſſe niſi quia procedit: vt patet per Auguſt.v. de Trin. Producere autem amorem nemo poteſt, niſi complacẽter, liberè & incoactè. Ex quo ſequitur quod non eſt inconueniens idem ab eodem produci neceſſariò & naturaliter, & etiam liberè: patet, quia Spiritusſanctus producitur liberè (vt dictum eſt) etiam neceſſariò, cùm non poſsit non produci: vt

patet

patet ex fide: & etiam naturaliter: vt patet per Hilarium v. de Trinit. Vide ad hoc Gabr. d. x. q. ij. artic. ij. lib. j. ſententiarum.

Productum dupliciter accipitur. Vno modo pro illo quod eſt terminus productionis: & denominatur formaliter à productione. Sic generatio paſsiua nō eſt producta, licèt per productionē ſiue generationem actiuā recipiat eſſe in filio: nō ſic eſſentia, nec ſpiratio, actio in filio recipit eſſe. Alio modo accipitur productū pro illo quod eſt idē realiter cum termino productionis. Et diſtinguitur realiter à producente: & ſic generatio paſsiua poteſt dici producta, ſed non eſſentia, nec ſpiratiu actiua. Gabriël di. vij. q. j. art. iij. libri primi.

Produci de nihilo, eſt produci non de potentia ſubiecti, & quod nihil ipſius ſit quod non accipiat eſſe ſimpliciter illa productione: quo ſequitur: Forma naturaliter genita, non eſt de nihilo, quia licèt ſecundum ſe, & quodliber ſui capit eſſe illa generatione, tamē producitur de potentia ſubiecti. Secùs de anima intellectiua, quæ quia creatur de nihilo, producitur, licèt in materia, non tamen de potētia materię. Item homo non producitur de nihilo, licèt eius forma creetur. Item compoſitum cuius altera pars, ſiue materia ſiue forma pręſupponitur, non eſt de nihilo. Item ſi Angelus ab æterno produceretur, verè eſſet de nihilo, & verè crearetur. Cū ergo filius in diuinis ſic generatur ex patre, quod non quodliber ſui capit eſſe illa generatione, quia eſſentia quę eſt aliquid filij verius, eſt ipſe filius: licèt nō formaliter, non capit eſſe illa generatione, quia eſt in patre circumſcripta generatione: & ideo non eſt de nihilo, quia ſubſtantia, quam naſcendo accipit, eadem eſt in generante, & non capit eſſe ſimpliciter per generationem filij. Eſt ergo de ſubſtantia patris, id eſt de patre ſuam ſubſtantiam generando filio cōmunicante. Gabriël di. v. q. ij. lib. j. Non diſſentit à prædictis Greg. eadem di. q. ij. art. j.

Probibitio à prohibeo, quod eſt veto. Et poteſt prohibitio accipi ſimpliciter & præceptum atque lex. Vno modo largè, vt dicitur tam de lege indicatiua, quàm imperatiua. Indicatiua eſt illa qua tantummodo ſignificatur aliquid non eſſe agendum, ſeu aliquid ex quo ſequitur ipſum non eſſe agendum: ſicut cùm ſignificatur aliquid eſſe iniuſtū, prauum, aut vituperatione vel pœna dignum: qualia ſunt illa Apoſtoli verba Rom. 1. Qui talia agunt, digni ſunt morte. Epheſ. 5. Omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, &c. non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei. Ex quibus & ſimilibus multis colligitur aliqua illicita eſſe, & non debitè fieri: & ſic dupliciter aliquo modo prohiberi. Et ſimiliter cùm enunciatur aliqua eſſe agēda: vt quia dicūtur iuſta vel Deo accepta, aut retributione digna: talia dicuntur præcipi præceptione indicatiua, quia exprimuntur vocaliter per verba indicatiui modi. Et ſic loquitur Hugo libr. primo de Sacramentis, parte vj. cap. vij. Duo iſta præcepta data ſunt homini, præceptum naturæ & præceptum diſciplinæ. Præceptum naturæ fuit, quod intus aſpiratum eſt per naturam. Præceptum verò diſciplinę eſt, quod foris appoſitum eſt ad diſciplinam, intus per ſenſum, foris per verbum. In præcepto etiam naturæ tria ſunt, ſcilicet præceptio, prohibitio, conceſsio. In his duobus mandatis totum continetur, quicquid bonum vel faciendum vel cauendum præcipitur: de quo latiùs legito Gab. d. xxxv. q. vnica, artic. j. libr. ij.

Promiſsio à promitto, quod eſt idē quod polliceor. Et promiſsio eſt actus rationis, qui eſt enunciatio & ordinatio alicuius, ſecundum B. Thom. ij. ij. q. lxxxviij. ar. ij. Differūt aūt promittere & polliceri, quia pollicemur ſponte, promittimus rogari. Promiſsiones factæ antiquis patribus de Chriſto, videto, apud Iacob. de Valen. ſuper illud Pſal. 138. Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui Deus, &c.

Promiſsio ſimulata dupliciter poteſt eſſe (vt ſcribit S. Bonauent. di. xxxviij. circa text. lib. iiij. Aut quia nō habet ſtabilitatē, aut quia nō habet interiorem aſſenſum correſpondentem. Et hoc dupliciter eſt, quia quædā ſit timore vel metu, qui poteſt cadere in conſtantē virū: ſicut Dauid ſimulauit ſe ſtultum corā Achis. 1. Reg. 21. Quædā intentione decipiendi alios. Prima ſimulatio ſimpliciter obligat, quia neceſſe eſt ex quo ſemel obligauit voluntariè, & ore ſpopondit, quod permaneat in ſua pollicitatione. Si verò ſpopondit ſigno non corde, tenetur apud forum iudiciale & coram Eccleſia, ſi non affuit timor. Apud Deū verò tenetur facere pœnitentiā de duplicitate & mendacio. Si verò tertio modo fuit ſimulatio, tunc nec apud Deū, nec apud Eccleſiam obligatur. Eſt & promiſsio ſtulta & infidelis, quæ & Deo diſplicet (vt ſcribit Gerſon parte j. de vera religione) quę, ſcilicet vel indiſcretè ſumitur vel nō obſeruatur. Infidelis promiſsio ſi nō impletur ſtulta, ſi diſcretione non fallitur: vt idem Gerſon dicit de vita ſpirituali animæ, lect. vj. Et eſt promiſsio mala & praua. Vnde dicitur: In malis promiſsis reſcinde fidem. de qua aliàs dicitur.

Promouere eſt vehementer vltrà mouere, vel longè vltrà ire & prolongare, &c. A quo promotiuum. Vnde aliquid eſſe promotiuū ad bonum eſt dupliciter, ſcilicet ſecundum omnem ſtatum naturæ (vt ſcribit S. Bonauent. di. iij. li. iij. circa text.) Aliquid verò ſecundum ſtatum naturæ lapſæ & ægræ, ſicut aliquid eſt promotiuū ad ſanitatem dupliciter, videlicet communiter, ſicut cibus bonæ compoſitionis. Aliud verò ſecundum ſtatum ægritudinis, ſicut medicinalia. Fomes autem (vt idem ait) eſt ad promotionem non ſimpliciter, ſed ſecundum ſtatū naturæ lapſæ, in quo homo facilis eſt ad deſidiā & ſuperbiam: ideo eſt ei vtilis talis ſtimulus propter exercitationē, ad expellendam pigritiam, & propter humiliationem, ad expellendā ſuperbiam. Sed quia beata Virgo erat repleta charitate & humilitate. & confirmata in vtraq;: ideo fomitis ſtimulo nō egebat, ideo non eſt ſimile de aliis & de ipſa. Vnde ſtimulus carnis datus fuit Apoſtolo ad gratiæ diuinæ conſeruationem. Et in nobis relinquitur fomes ad exercitium & meritum, &c.

Promulgare idem eſt quod publicare, palàm pronunciare, quaſi promulgare, manifeſtare: à quo promulgatio. Et vt ſcribit Dominus Cardinalis Cameracenſis quæſt. ij. artic. iij. libr. iiij. Promulgatio cuiuſcunq; per modum conſilij diuini obligat omnes ad quos legitimè venit ad non cōtemnendum.

Promulgatio autem per modũ præcepti obligat ad obſeruandum, ſecundum notum eſt, ſed primum patet, quia qui contemnit conſiliũ, contemnit conſulentem, inquantum cõſulentem. Ideo vt bene dicit Scotus, caueát ſibi mordentes paupertatẽ Euangelicam mendicantium fratrum, &c. Sic promulgatio baptiſmi per modum præcepti obligat ad ſeruandum, ſicut ſecundum Scotũ incœpit in die Pentecoſtes in Hieruſalem, quando lex Euangelica eſt prædicata publicè & ſolemniter.

Propaſſio, vide in dictione *Paſsio*.

Propheta ſecundum nominis interpretationem (vt ſcribit Lyra in prologo ſuper Pſal.) dicitur quaſi procul fans, quia fatur, id eſt loquitur, denuntiando ea, quę procul ſunt ſeu remota à naturali cognitione humana, ideo de talibus eſt ſic prophetia. Et tribus modis reuelabat Deus Prophetis diuina & futura myſteria, vt ſcribit Iacobus de Valentia tract. ij. prologi ſuper Pſal. ſcilicet per ſomnia. Sic Angelus apparuit Ioſeph, dicens: Accipe puerum & matrem eius, & fuge in Ægyptum. Matth. 2. Secundo per viſionem, in vigilia Iſaias vidit Dominum ſedentẽ, Iſa. 6. Tertio modo per locutiones Angelorum & familiarem doctrinã Moyſes accepit legem in monte Sinai, Exod. 20. Et Angelus Gabriël reuelauit Daniëli totum myſteriũ incarnationis, Daniëlis 9. &c. Conſtat quoq; vt ſcribit Gerſon part. j. lect. j. ſuper Marcũ, Prophetas omnes vno & eodem ſpiritu ſuas contexuiſſe prophetias, ac perinde quod vnus poſuit (quia non tam ipſe quàm ſpiritusſanctus loquebatur) poteſt ab altero (qui ſimiliter eſt ſpiritusſancti inſtrumentum) intelligi quodammodo dictum ſeu poſitum, & ſi non explicitè tamen implicitè. & lect. ij. idem ait: Magna eſt prophetiarum inter ſe concordia, & concors in diuerſis etiam Prophetis ſententia, eodem quippe ſpiritu docente locuti ſunt, & ad vnũ finem, qui Chriſtus eſt, reſpexerunt. Finis enim legis, ſecundũ Apoſtolũ, eſt Chriſtus. Quamobrem Act. 3. dicebat Petrus de Chriſti tempore, quòd omnes Prophetæ à Samuële, & deinceps qui locuti ſunt, annunciauerunt dies illos, &c. Sunt & Prophetæ boni & mali. Non autem facilè diſcernitur verus à falſo Propheta per exteriores apparẽtias & ſigna: quia non oportet Prophetam fore vitæ virtuoſæ, aut habere gratiam (vt ſcribit Gerſon part. ij. de mirabili victoria cuiuſdam puellæ: Poſſunt & dæmonũ Prophetæ occulta nobis & futura prænoſticare, & pluribus aliis, cum quibus conueniunt cum veris Prophetis. Quod ſi interdum prænuncient falſa, ſciunt palliare, dando alium intellectum, aut allegare veros Prophetas, interdum prophetantes aliqua, quæ non euenerunt. Sicut de Iſaia & Iona Prophetis legitur: propter quod etiam Apoſtolus dicit, quod non omni ſpiritui credendum eſt, ſed tentandi ſunt ſi à Deo ſunt, inſinuans difficilem diſcretionem inter bonos & malos Prophetas. De pſeudoprophetis ibidem ſcribit Gerſon. De his Saluator noſter dicit: Et multi pſeudoprophetæ ſunt venturi, aſſerentes ſe diuinitus à Deo mitti, &c. Ad verum autem Prophetam & prophetiam requiruntur ſex, vt ſcribit Iacob. de Valen. tract. ij. prologi ſuper Pſal. Primò quod prænunciet futura, quia de præteritis non eſt prophetia. Secundò, quod ſit de futuris myſteriis Chriſti & Eccleſiæ, quia de rebus mundanis & prophanis non eſt prophetia, ſed quædam prænoſticatio & coniectura. Tertiò requiritur, quod talia myſteria repræſententur ipſi Prophetæ in aliquo obiecto ænigmatico. Nam talia futura myſteria nullum eſſe reale habẽt in ſe, nec in aliquo coniuncto. Quartò requiritur, quod talia futura myſteria ſint præmonſtrata per diuinam reuelationem: & ideo locutio Caiphæ non fuit prophetia, nec ſomnium Pharaonis. Quintò requiritur, quod Propheta intelligat & interpretetur viſionem ſiue reuelationem, quia aliter non diceretur Propheta, ſed videns tantùm: & ideo antiquitus omnes quos nunc appellamus Prophetas, & omnes qui videbant viſiones, ſiue intelligerent ſiue non, appellabãtur videntes: vt patet 1. Reg. 9. Sextò requiritur lumẽ ſupernaturale & phetícũ ad interpretãdas & intelligẽdas obſcuras & ænigmaticas viſiones. Latiùs declarat Valen. Poteſt autẽ vnus Propheta altero eſſe maior & præſtantior. Hinc S. Bonauen. di. ij. li. j. in dubiis literal. Spiritus prophetiæ in maiori abundantia datus, Prophetam Domini facit excellentiorem. Poteſt ergo dupliciter dari in maiori abundantia, aut quia ad plura, aut quia ad altiora. Eliæ datus eſt ad plura, quia ad futurorum pręuiſionem & miraculorum operationem. Sed Dauid ad altiora, quia ex eis prophetia plura vidit clariùs, quia prophetia intellectuali. Et ſic intelligitur illud Magiſtri diſt. ij. lib. j. Ille etiam maximus Prophetarum & Regum Dauid. Et illud Matth. 17. Apparuerunt illi Moyſes & Elias. dicit Gloſſ. Elias fuit maximus Prophetarum. Et vt idem ait ſanctus Bonauen. di. xv. part. ij. q. j. lib. j. Spiritusſanctus vno modo datur in prophetia ſimpliciter, prout ipſa dicit cognitionem ſecundũ idoneitatẽ ſuſcipientis, & ſecundũ pietatem exequentis. Alio modo prout eſt reuelatio: & ſic non datur in ea ſpiritus ſimpliciter, ſiue mittitur, niſi ad hoc. Vnde non dicitur in lib. Reg. quod ſpiritusſanctus ſit miſſus ad Saul, vel factus in Saul, ſed ſuper Saul. 1. Reg. 11.

Prophetia ſecundũ Caſsiod. & B. Tho. ij. ij. q. clxxj. ar. iij. diffinitur ſic: Eſt diuina inſpiratio rerũ euentus immobili veritate denuncians. Concordat Dominus Cardin. q. xij. ar. iij. in fine lib. j. qui ait: Prophetia eſt diuina inſpiratio euentum rei immobili veritate demonſtrans. Non quidem intelligendo quod ſit immobilis, id eſt neceſſaria veritas ſimpliciter abſolutè, ſed cõditionaliter, ſic quod neceſſe eſt q. ſi aliquod eſt prophetatũ illud euenire. Et ideo ſicut poſsibile eſt quod illud nõ ſit verũ quod Iob prædixit de reſurrectione: ita poſsibile eſt q. nunq̃ prophetauerit de reſurrectione. Prophetia diffinitur ab Aug. ſic, eſt diuina reuelatio eorũ, quę procul ſunt ab humano intuitu, & ſic prophetia largo modo ſumitur, eò quod ambit tam præterita q̃ futura: & omnia quę ſunt ſupra humanã intelligentiã. Origenes diffinit ſuper Pſalt. ſic: Prophetia eſt de prophetiis futuris Chriſti & Eccleſię in vet. teſtamẽto diuinitus reuelatio facta. Vide de diffinitione prophetiæ latiùs Iacob. de Valen. tract. ij. prolog. ſuper Pſalt. Et aliquãdo prophetia dicitur ſermo propheticus. Aliquãdo prophetãdi actus. Aliquãdo ipſum prophetatũ. Aliquando ipſum prophetiæ donũ. Et dicitur

dicitur donũ à Deo, quia ſi eſſet à diabolo, nõ eſſet propheria: de quo latiùs legere potes Pelbar. lib. iiij. Roſarij Theol. in dictione *Gratia*. §. xlij. Ad prophetiã autẽ, ſecundũ Lyrã & Doctores, requiritur cognitio intellectiua. Vnde Dañ. 10. dicitur: Intelligentia opus eſt in viſione: ideo ſi alicui ſancto cõmunicetur aliquid ad prophetiã pertinẽs abſq; tali intelligentia, non dicitur Propheta, niſi largè vel impropriè: nec Pharao quando vidit ſpicas, Geñ. 41. Nec Balthaſar, qui vidit manũ ſcribentẽ in pariete, fuit Propheta, quia non intellexerunt viſionẽ. Sed Ioſeph & Daniel: nec Caiphas (qui dixit: Expedit vobis vt vnus homo moriatur pro populo: hoc autẽ à ſpiritusancto factum eſt) fuit Propheta propriè ſicut nec aſina Balaam, quæ Angelus formauit per linguam eius: nec homo eſt Propheta, quando ſpiritusſanctus, ſcilicet inſtinctu ſuo mouet & impellit ad aliquid agendum, ex quo euenit proſperum aliquid, quãuis homo ſic motus hoc ignoret: ſicut Iudicũ 11. dicitur de Iephte: Intrauit in eum ſpiritus Domini ad pugnandum cõtra filios Amon, tamen nõ fuit victoria futura reuelata, propter quod nõ dicitur Propheta. Vnde patet quod ad propheciã requiritur intelligẽtia. Nullus autẽ Angelorum vel Prophetarũ quicq; eſſe futurũ prænunciat, quin veraciter futurũ ſit in ſenſu, quẽ ipſe vel ſpiritusſanctus intendebãt. Sed ſi idipſum quod Angelus aut Propheta prędixit, nõ ex modo quo vocaliter prętendebatur eueniat, plus ſuper hoc à ſpiritusancto reuelationẽ accipiet de prophetia, aut reuelatione ſic vel ſic intelligẽda cõditionaliter, aut myſticè vel literaliter. Sic factũ eſt in Iona & Iſaia, aliàs debuiſſent lapidari ſecundũ legem, Deut. 18. ſcriptam. Nihil quoq; bonis moribus aut ſincerę fidei contrariũ Angeli ſancti & Prophetæ veri prædicũt aut præcipiunt. Non ſic dæmones vel Antichriſtus, quorum ſigna dicuntur ſigna mendacij, quia ad mendacium credendũ inducunt. Hæc Gerſ. part. j. de diſtinctione verarũ viſionum à falſis ſigno quarto. Hic & de Prophetis & prophetia, aliàs amplius loquitur & Valentia. & cæteri. Sed quia laconiſmo gaudeo, omitto, quæ alij diffuſe ſcribunt.

Proportio dupliciter accipitur. Strictè & largè, vt ſcribit ſanctus Bonauen. d. xxix. q. j. lib. iij. Strictè ſic dicit quandã commenſurationẽ, & eſt rerũ eiuſdem generis. Hoc modo nõ habet veritatẽ illa propoſitio, quod vbicunq; eſt ordo, ibi ſit proportio. Largè proportio dicitur quædã habitudo, quæ attenditur ſecundũ conuenientiã analogicè. Hoc modo proportio eſt boni creati ad increatũ, & etiã ordo ſecundũ rationẽ cauſalitatis & primitatis. Finis enim dignior eſt & excellentior, & pręponitur his quæ ſunt ad finem: & quantum ad hoc intenditur ordo in charitate. Et habitudo vt nouem, habet ſe in proportione tripla reſpectu trium: ſic verũ eſt quod creati ad increatũ nulla eſt proportio, nec finiti ad infinitum. Et proportio ſecundum primam nominis impoſitionẽ, ſignificat habitudinẽ quantitatis ad quantitatẽ, ſecundum determinatum exceſſum vel adæquationem: ſed transfertur ad ſignificandum habitudinẽ quotumcunq;, ſicut materiæ ad formam, potentiæ ad actum, obiecti ad potentiam, finiti ad infinitum, creaturæ ad creatorem: ex ſancto Tho. prima parte, q. xij. art. j.

Proportio eſt duplex, vt ſcribit Brulef. diſt. iij. q. j. lib. j. ſcilicet, Aſsimilationis, & eſt illa, quando extrema proportionabilia habent quandam aſsimilationem. Alia eſt æqualitatis, quando extrema proportionabilia habent quandam æqualitatem. Anima noſtra habet proportionem aſsimilationis ad quodlibet obiectum intelligibile, & per conſequẽs ipſum Deum: ſed inter animam noſtram & Deum nulla eſt proportio æqualitatis.

Proportio & ſimilitudo differunt, vt notat Brulefer q. v. d. j. lib. j. Similitudo enim ponit conuenientiã in aliqua qualitate. Vnde ſequitur: hęc ſunt ſimilia, ergo ſunt idẽ ſecundũ qualitatẽ. Proportio autem requirit diſsimilitudinẽ & diſtinctionẽ magnã inter extrema: vt inter corpus & animã eſt proportio, & tamen nõ eſt ſimilitudo, quia anima eſt par Angelis, ſpiritualis & nobiliſsima: corpus verò eſt fœtidũ & miſerũ: nõ ergo ſequitur, inter illa eſt proportio: ergo ſunt ſimilia, ſed potius: ergo ſunt diſsimilia. Proportio autem animæ noſtræ ad Deũ, ponit in anima inclinationem & indigentiã, quia ipſa inclinatur ad intelligendum & amandum Deum, & anima indiget Deo. In Deo autẽ ponit delectationem & quietationẽ: quia Deus cauſat ſummam delectationem in anima, & quietat eam.

Propoſitio eſt enũciationis altera pars, in qua prędicatur vnũ de vno. Sed Ariſtot. li. 1. Poſteriorũ: Vel propoſitio eſt oratio vera vel falſa ſignificãs, indicãdo. Et propoſitio eſt triplex, vt notat Brule. d. xj. q. iij. li. iij. Quædã eſt ſimpliciter vera. Alia eſt ſimpliciter falſa. Tertia eſt multiplex, quæ, ſcilicet in vno ſenſu eſt vera, & in alio eſt falſa. Prima eſt quę nullũ ſenſum habet falſum, vt Deus, qui eſt pater, generat. Secunda eſt, quę nullũ ſenſum habet verũ: vt homo eſt lapis, Deus nõ eſt. Tertia, quæ non eſt ſimpliciter vera, nec ſimpliciter falſa, ſed habet plures ſenſus, quorũ vnus eſt verus, & alter eſt falſus: vt canis currit: & hęc eſt multiplex, cauſa eſt huius termini canis. Omnis autem propoſitio ſimpliciter falſa, ſimpliciter eſt neganda: & omnis propoſitio ſimpliciter vera, eſt ſimpliciter concedenda, nec eſt opus talẽ diſtinguere. Illa autẽ propoſitio quæ eſt multiplex, eſt diſtinguẽda, nec eſt ſimpliciter negãda, nec ſimpliciter cõcedenda. Et ſecundũ eundem, nulla propoſitio hæretica debet dici, quæ habet aliquẽ ſenſum verũ: ſed illa propoſitio: Chriſtus incœpit eſſe (& ſecundũ Magiſt. & ſecundũ Ægidiũ de Roma, & ſecundũ Duran. qui eã diſtinguũt) habet aliquem ſenſum verum: & ſecundũ talem ſenſum eſt concedenda: ergo non eſt hæretica. Et Chriſtus tantum valet ſicut verbum homo. Vnde illa propoſitio eſt hæretica & falſa: verbum incœpit eſſe. Iſta tamen: verbum homo incœpit eſſe: vera, &c. Et generaliter quatuor ſunt proprietates & conditiones propoſitionis: vt poſt Ariſtotel. ſcribit Iacobus de Valentia tractatu j. cap. ij. prologi ſuper Pſalt. Prima eſt, quod propoſitio non ponitur gratia ſui, ſed gratia concluſionis inferendæ. Vnde propoſitio diffinitur, quod eſt oratio propoſita ad aliquod inferẽdum, ſiue ex qua cõcluſio infertur, & ſic dicitur propoſitio quaſi pro alio poſitio. Secunda cõditio eſt, quod propoſitio cõtinet virtualiter, & in confuſo notitiã cõcluſionis. Tertia q, notitia

concluſionis nō poteſt haberi nec fieri,niſi ex præexiſtente notitia præmiſſarū propoſitionū. Quarta conditio eſt maiori & minori propoſitis,ilicò concluſio cognoſcitur ſimul cum minore in virtute luminis intellectus agentis: quia ilicò intellectus aſſentit in virtute luminis naturalis ſine aliquo interuallo. Hæc apud Ariſto.clariùs habentur,& Valentia. vbi ſupr. Sed de propoſitionibus remitto ad Dialecticorum ſorum. Et propoſitiones cōtrariantes expoſitionibus Doctorum, & vſu Eccleſiæ damnantur. de quo videto Gerſonem.

Propoſitio per ſe nota, vide in dictione *Notum*.

Propoſitum eſt actus voluntatis deliberatę ſecūdum beatum Thom. ſecunda ij.q.lxxxviij.artic.j.& ſecundum Gerſonem de myſtica Theologia ſpeculatiua part.ij.conſide.xv.ait: Propoſitum dicitur voluntas exequendi ea, quæ iam electa ſunt, &c.

Proprium accipitur dupliciter (vt ſcribit ſanctus Bonauen.di.xij.in dubiis literalibus lib.j.) Vno modo dicitur contra communitatem. Alio modò contra improprietatem. Tertio modo accipitur per appropriationem, ita accipitur à Magiſtro di.xij.li.j. cùm ait: Ex eodē ſenſu dicitur ſpiritusſanctus procedere propriè à patre. Vnde Hieron. in expoſitione catholicę fidei, Nicæniq; ſymboli ait: Credimus in ſpiritumſanctum, qui de patre procedit propriè. Item ſpiritumſanctū verum Deum inuenimus in ſcriptura, & de patre eſſe propriè: & ita de patre filius & ſpiritusſanctus propriè & verè de patre procedit. Ecce Magiſter apertè dicit ſpiritumſanctum propriè eſſe de patre, quod nō eſt ita intelligendum tanquam prius vel plenius à patre procedat, quàm à filio, ſed quia hoc habet pater à ſe non ab alio, vt de ipſo ſit & procedat ſpiritusſanctus. Filius autem non à ſe, ſed à patre hoc habet, vt de ipſo ſit & procedat ſpiritusſanctus. Vnde dicit ſanctus Bonauen. di.xvj.q.iij.lib.ij. Eſt enim propriū ſimpliciter, & proprium alicui. Proprium ſimpliciter, quod conuenit omni & ſoli. Proprium alicui eſt, quod conuenit omni cōtento ſub ſpecie illa: ita quod quibuſdam aliis conuenit, quibuſdam verò minimè: ſicut eſſe bipedem propriè conuenit homini reſpectu quadrupedis, non reſpectu volatilium: de quo conſulas Dialecticos.

Proprium & appropriatum differunt in diuinis, vt ſcribit Brulef.di.ij.q.j.lib.j. Propriū eſt quod conuenit vni ſoli perſonæ, vt paternitas patri, vel ad maius duobus: vt ſpiratio actiua. Appropriatū verò dicitur, quod propter errorem aliquorū vitandum, vel extirpandum alicui perſonę attribuitur, licèt ſit commune tribus: vt potentia attribuitur patri, ne impotens credatur: ſapientia filio, ne minus ſapiēs: bonitas ſpirituiſancto, ne crudelis æſtimetur. Vnde errant hi, qui depingunt trinitatē, quod tamē viget multum in Alemania: ante incarnationē enim verbi diuini nō decebat depingere Deū. Interim tamē bene depingitur Chriſtus, ſed malè trinitas: depingi enim non debet. Stephanus Bruleſer.

Proprium quærere (vt ſcribit ſanctus Bonauentura di.xxix.q.iij.lib.iij.) eſt dupliciter. Vno modo vt propriū dicitur cum præciſione, & ſic excludit bonum commune: & illo modo ſonat in vitium, & ſecundū iſtam acceptionem conſueuit dici, quod libido eſt amor boni proprij, & inquantū ad hunc modum dicit Apoſtolus 1.Corinth.13. Charitas nō quærit quæ ſua ſunt, id eſt propria. Alio modo dicitur bonum propriū, bonum quod pertinet ad ſe: ita quod in appetitu illius boni volūtas, nec repugnat diuinę volūtati, nec præiudicat cōmuni vtilitati: ſicut eſt appetitus ſalutis propriæ, & iſto modo diligit quis ſe ex charitate: & ſic accipiendo, Apoſtolus nō negat quin homo per charitatem debeat, quod ſuum eſt, quærere, cùm ipſemet cuperet diſſolui & eſſe cum Chriſto: ſicut dicitur Philip.1.

Proprius ſacerdos dicitur, qui ſolus & nullus alius: vel quia iſtius & non alterius, vt dicit Scotus, & poſt eum Gabriēl di.xvij.q.ij.art.j.lib.iiij. neutro modo poteſt accipi in ſtatuto. Omnis vtriuſque ſexus, &c. quia plures ex æquo poſſunt pręfici vni Parochiæ, & vnus ex æquo abſoluit omnes ſuos, & ſic multi non haberent proprios ſacerdotes: & ideo ſanctus Bonauen.art.v.q.ij.lib.iiij. ponit tres acceptiones proprij ſacerdotis. Cui ſatis concordat Scotus & Richard. accipitur enim communiſsimè communiter & propriè. Communiſsimè proprius ſacerdos eſt, quicunque poteſt confitentem abſoluere, ſiue propria ſiue ordinaria poteſtate, ſiue commiſſa: & hoc ſiue ab ordinariis ſiue à iure, vt ſunt habentes poteſtatem mediam, & hoc modo eiuſdem confitentis ſunt multi proprij ſacerdotes, tam ordinarij quàm commiſſarij vices eorum habētes, ſcilicet Papa, Epiſcopus, Sacerdos Parochianus, & eorum commiſſarij. Communiter dicitur proprius ſacerdos, ordinarius, id eſt qui propria auctoritate vel officio, tanquam Prælatus ordinarius poteſt abſoluere, vt Papa omnium fidelium, Epiſcopus omnium Diœceſanorum, Sacerdos Parochianus omnium ſuorum Parochianorum. Propriè dicitur ſacerdos, cui commiſſa eſt ſpecialis cura in certa Parochia, qui & adminiſtrat Sacramēta ex titulo ſuo quem habet in Eccleſia. Sunt & proprij ſacerdotes (vt ſcribit Bruleſer di.xvij.q.xvj.lib.iiij.) mendicantes, & maximè fratres Minores & Prædicatores, quia habēt iuriſdictionē delegatam à ſummo Pontifice. Item ex permiſsione & ex communi condeſcenſione iuris, quādoq; dicitur proprius ſacerdos, ſicut qui habent licentiam à iure eligendi ſibi proprios ſacerdotes, ſicut ſunt Epiſcopi, Abbates. Dicitur & proprius ſacerdos propter neceſsitatem, vt eſt in articulo mortis: quia tunc ſimplex ſacerdos nō priuilegiatus poteſt in neceſsitate quēlibet abſoluere, & quilibet tenetur proprio ſacerdoti confiteri, accipiendo illis modis dictis proprium ſacerdotem: quare fratri Minori confeſſus, non tenetur quis Curato confiteri, habet enim poteſtatem ſiue iuriſdictionem delegatam: ſicut Curatus habet iuriſdictionem ordinariam. Quomodo autem accipiatur proprius ſacerdos in cap. Omnis. non æqualiter ſentiunt. Nam ſanctus Bonauent. tenet quod accipiatur cōmuniter pro ordinario ſacerdote aut eius vicario generali: & hoc in prima parte decretalis. Aliter in ſecunda: quam decretalem: Omnis vtriuſque, &c. Occam declarat, id quod copioſe videto apud Gabr.di.xvij.q.ij.artic.j.libr.iiij. Petrus de Palu. tenet, quod in iſta decretali ſacerdos æquiuocetur, & quod in prima parte accipiatur cōmuniſsimè, in ſecunda ſtrictius. Sed melius dicitur, vt

vult

vult Gabr. vbi ſupra, quod proprius ſacerdos accipiatur vniuocè in qualibet parte decretalis iſtius, ſcilicet ſecundo modo pro habente ordinariam poteſtatem abſoluendi, qui & habet delegare & committere poteſtaté ſuá alteri, & per hoc dare licẽtiam confitendi alteri. Sic accipiendo vtrobique habetur verus & ſufficiens intellectus & intẽtio decretalis. Nam intentio huius ſtatuti eſt, obligare omnes fideles, annos diſcretiunis habentes ad confitendum ſemel in anno ad minus omnia peccata ſua ei, qui habet poteſtatem abſoluendi. Quicunque auté habet poteſtatem abſoluendi, aut habet hác ordinariè ex officio vel dignitate, aut delegatam ab ordinario mediatè vel immediatè. Et ordinarij ſunt proprij ſacerdotes. Delegati ſunt alieni licentiati, id eſt conſtituti à propriis ſacerdotibus. Nam dans licẽtiam confitendi alieno, dat alieno licentiam abſoluendi. Et hi duo ſufficienter includuntur in ſtatuto, quod eſt alternatiuum ſiue diſiunctiuum. Hæc Gabr.

Licentia verò proprij ſacerdotis neceſſaria eſt volenti confiteri alieno, non ſolùm ſemel in anno, ſed totiens quotiens voluerit confiteri: quia alienus ſine licentia non poteſt ſoluere, nec ligare. Cõcordat Panor. in ca, Omnis. Et data licentia ſeu poteſtate ſacerdoti alieno ſacramentaliter abſoluendi ſibi cõfeſſus non requiritur alia licentia confitentibus adeũdi tales alienos, ita habet Gabr. ar. ij. vbi ſupra, qui latiùs rem probat. Vide & eundem de propriis ſacerdotibus ſingulorum art. iij. dub. ij. quæ breuitatis gratia omitto. Nec prætereundum eſſe cenſeo quod ſcribit Petrus de Palud. qu. iij. di. xvij. ar. iij. lib. iiij. poſt Hoſtieñ. Si proprius ſacerdos immediatus ſiue curatus Parochianus fuerit indiſcretus, neſciens ſoluere & ligare, tunc eo ipſo ſubditus habet licentiam à iure, aliũ adeundi. de pœnitentia di. vj. Placuit. Et dicit ibi Gloſ. ꝙ alium diſcretũ adire poteſt ſine licẽtia. Sic ſi curatus ex culpa ſua eſt minus idoneus, vt ſi fuerit reuelator confeſsionis, aut ſolicitator ad malũ, vel probabiliter putatur ſacerdoti ex cõfeſsione periculũ imminere. Vel eſt excõmunicatus, aut ſuſpenſus, & in ſimilibus. Sed vt dicit Angelus in ſum. tunc licentia petenda eſt ab eo, vel ſuperiore. Veruntamen licèt cęteris paribus conſultius ſit confiteri proprio ſacerdoti, vt volunt doctores communiter: pręſertim ſanct. Bonauen. & Ang. in ſum. confeſsio. iij. §. xxxiiij. propter varias cauſas, & pericula vitanda. Poteſt tamen nulla exiſtente rationabili cauſa, quilibet confiteri alteri, habita ad hoc ſufficienti licentia. Hæc refert & Gabr. di. xvij. q. ij. ar. iij. dub. iiij. lib. iiij.

Proprieras capitur tripliciter. Vno modo accipitur pro aliquo alieul intrinſeco & proprio, ſic partes eſſentiales poſſunt dici proprietas totius. Secundo modo pro aliquo adueniente vel conſequente naturam rei proprium ei. Tertio modo non eſt in re cuius eſt proprium, ſed cõceptus mentis vel aliquid ſubordinatum. Gab. di. xviij. qu. j. lib. j. Proprieras ſecũdum Guil. Scoriſtam, à qua proprium dicitur, non eſt niſi quædam rei conditio, rem cuius eſt ſequens, vt ſæpius & eiuſdem manifeſtatiua, &c.

Accipitur quandoque proprietas pro aliquo quod eſt realiter in Deo conſtitutiuum, & diſtinctiuum perſonæ, hoc eſt pro ipſa relatione reali in Deo: puta, paternitate, filiatione, aut ſpiratione, vt ſcribit Gab. di. xxxiij. qu. vnica, li. j. Vnde relatio ſeu proprietas non eſt idem omnibus modis cum eſſentia vel perſona, quia diſtinguitur ab vtroq; formaliter. Sed proprietas vel relatio, quæ eſt in Deo realiter, non diſtinguitur realiter ab eſſentia, nec à perſona, probat Gabr.

Proprietas perſonalis quandoque accipitur pro aliquo realiter exiſtente in perſona, quod ſibi ſoli realiter cõpetit: quomodo paternitas dicitur eſſe proprietas perſonalis patris & filiatio filij. Alio modo capitur pro prędicabili, de aliquo verè & conuertibiliter. ſecundo modo per ſe, ſicut riſibile eſt proprietas hominis, eo quòd de ſolo homine prædicatur conuertibiliter & ſecundo modo per ſe, & ſic dicitur proprietas logica (vt ſcribit Gab. diſt. xviij. qu. j. ar. iij. lib. j.) Sic donum accipiendo primo modo & perſonaliter non eſt proprietas Spirituſſancti, ſed donari, ſed eſt omnibus modis Spirituſſanctus, ſicut verbũ filius. Sed accipiẽdo materialiter, & proprietas ſecundo modo, donũ eſt proprietas Spirituſſan. quia prędicatur de ſolo ſpiritu: quia ſolus ſpiritus ſic eſt donũ. Verũ ſic capiendo, donũ nõ eſt proprietas realis intrinſeca, & nec conſtitutiua Spirituſſancti. Sic accipiendo donum ſtrictè (vt ſignificat perſonam procedentem per modum doni donabilem creaturæ, ſic eſt proprietas ſecundo modo, id eſt terminus prædicabilis de Spiritusſancto perſonaliter acceptus conuertibiliter, quia ſic ſolus Spirituſſanctus eſt donum, quia ſolus Spirituſſan. procedit per modum doni. Sed capiendo largè donum, vt non importat modum procedendi, ſed tantum donabilitatem creaturæ, ſic donũ non eſt proprietas, quia conuenit etiam filio, qui datus eſt nobis. Eſaiæ 9. &c. Et proprietas perſonalis ſecundũ Bruleferum di. xxvj. qu. j. lib. j. eſt quędam entitas, diſtinguens vnam perſonam ab alia, & conſtituẽs ipſam in eſſe perſonali. Proprietates quoq; perſonales neceſſe eſt eſſe relationes, & hoc duplici ratione (vt ſcribit ſanctus Bonauen. di. xxvj. qu. ij. lib. j.) Tum quia ſunt incommunicabiles, & ſoli conueniunt, tũ etiam quia realiter differunt. Sola autem relatio, manet in diuinis. Omnes etiá Catholici tractatores poſuerunt proprietates perſonarum in diuinis (vt & dicit ſanctus Bona. di. xxvj. q. j. li. j.) & proprietates diuinarum: Accipitur quandoque pro ipſiſmet perſonis adæquatè, hoc modo proprietas patris eſt ipſe pater. Sic accipit Hieronymus, dicẽs: Impietatem Sabelli declinantes, tres perſonas expreſſas nominamus, non tantũ nomina, ſed etiam nominum proprietates confitemur. Et vt idem ait S. Bonauen. diſt. xxxiij. qu. j. libr. j. communis eſt poſitio, quam modò tenent Magiſtri communiter, quod proprietates ſunt perſonæ & in perſonis, tamen aliquo modo differũt. Vide latiùs S. Bona. ibi.

Proprietas, relatio, notio, aliquo modo differunt ſecundum ſanctum Bonauen. di. xxvj. qu. iiij. lib. j. Nam proprietas dicitur inquantum conuenit ſoli: Relatio inquantum habitudinem dicit ad alterum. Notio inquantum principium cognoſcẽdi. Et quia omnis proprietas eſt ratio cognoſcendi, ſimiliter omnis relatio, ideo nomen notionis eſt in plus quá iſta duo, quia quędá eſt proprietas relatio, vt paternitas, quædam non, vt innaſcibilitas, quæ non dicit

reſpectum, ſed priuat. Similiter quædam relatio eſt proprietas, vt filiatio: quędã non, vt actiua ſpiratio, ideo quia pro pluribus nõ vni ſoli cõuenit. Et hinc eſt quod nomen proprietatis ſiue relationis habẽt ſe vt excedentia & exceſſa. Nomen verò notionis in plus. Vnde plures ſunt notiones quàm proprietates, plures etiam quã relationes. Sed proprietates & relationes mutuò ſe excedũt & ęqualiter, ideo ſunt numero æquales, nõ tamen oportet facere vim. Nã omnis relatio diſtinguit aliquo modo ab alio, & ita eſt aliquo modo proprietas. Similiter omne quod diſtinguit aliquo modo, importat relationẽ, igitur omnis relatio eſt proprietas, & omnis proprietas, relatio. Sed omnis notio eſt proprietas, vel relatio: igitur omnis notio eſt proprietas, & ſimiliter relatio: & ita extẽſo nomine, ſunt æqualia, ideo idẽ eſt numerus, & eadẽ ratio, aſsignãdi numerũ in omnibus iſtis nominib⁹. Cõmunis autẽ opinio magiſtrorum tenet quinq; eſſe notiones, & illã amplectitur S.Bon. proprietates verò & relatioẽs nõ ſunt notiones, niſi quę importãt reſpectũ diſtinguentẽ perſonã à perſona, & hoc eſt reſpectus originis qui tantũ quinq; modis ſpectãtibus ad dignitatẽ poteſt cõparati. Nihil prętereà poteſt eſſe notio in diuinis (vt idẽ ait S.Bona.d.xxviij.q.iiij.li.j.) niſi dicat reſpectum poſitiuũ vel ex primo intellectu vel ex cõſequenti. Probat multis ibi S. Bona. Et (vt idẽ ſcribit di.xxxiij.q.ij.li.j.) quãuis proprietas ſit eſſentia, tamẽ eſſentia nõ ſupponit proprietatẽ, nec ecõuerſo. Vnde nõ ſequitur quod illud quod cõuenit eſsẽtię, cõuenit perſonę, vel ecõuerſo. Aliqua tamẽ conueniũt eſſentiæ & proprietati, aliqua nõ. Vnde ſecundũ eundẽ quædã dicũtur de diuina eſſentia in ſe: vt puta illa quæ dicũtur in oppoſitione ad creaturã, vt immẽſa, increata, & huiuſmodi, & hæc dicũtur de proprietatibus. Aliqua dicũtur de diuina eſſentia, vt in perſonis, vt eſſe cõmunicabile, & eſſe in tribus vnã, tália cõueniũnt eſſentiæ, vt habẽt rationẽ formæ. Et in hoc differt ratio eſſentiæ & proprietatis, & talia nõ dicũtur de proprietatibus. Rurſus aliqua dicũtur de eſsẽtia, vt eſſe principiũ operationũ, eſſe potentẽ, ſapientẽ, volentẽ & creare. Et talia nõ dicũtur de proprietatibus. Vnde adiectiua eſſentialia quæ eſſentiã in ſe reſpiciunt, vt eſſe diuerſum à creatura, dicuntur de proprietatibus, quę autem de ipſa formaliter, ſiue vt eſt forma, vel vt eſt principium, non dicuntur. Hæc S.Bonauen. vbi ſupra.

Propter, id eſt alicuius cauſa. Et nõ ſemper dicit cauſalitatẽ actus, ſed quãdoq; dicit, & ſufficit dicere cauſalitatẽ habitus, vt cũ dicitur aliquid diligi propter aliud ſeu vti, ſatis eſt ſi acceptatur propter aliud acceptatũ actu vel habitu. Non enim ad vſum in genere requiritur actualis relatio in aliud magis dilectum, ſed ſufficit habitualis. Sic aliquis ſumit medicinam propter ſanitatem, de qua tamen actu non cogitat, ſed habitu, & tamen dicitur velle ſumere medicinam propter conſequi ſanitatem prius intentam, ita oportet ſæpè dicta ſanctorum intelligi, de quo videatur Gabr.di.j.q.j.lib.j. Et quandoque propter capitur cõſecutiuè, vt notat D. Card. Cam. qu.ij.art.iij.lib.j. & tunc denotat ordinem conſecutionis vnius rei ad aliam, vt cùm dicitur: præmium datur propter meritũ, nihil enim ſignificatur aliud niſi quod poſt meritũ datur præmiũ, & non niſi poſt meritũ. Quãdoq; capitur cauſaliter, vt ibidẽ notat, & hoc dupliciter, quia quandoq; denotat cauſalitatẽ motiuã ſiue efficiẽtẽ, vt cũ dicitur, intellect⁹ aſſentit cõcluſioni propter euidẽtiã præmiſſarũ. Quãdoq; verò denotat cauſalitatẽ finalẽ, vt cũ dicitur, creatura diligẽda eſt propter Deũ, &c. Camera.

Prototypum, id eſt exemplar primũ. Vnde ſic honor, qui exhibetur imagini, refertur ad prototypũ, id eſt ad exemplar primum Brule. di.xxxix.q.vj.li.iij.

Prouidentia eſt, per quam futurum aliquid videtur, antequam factũ ſit, ſecundum Ciceronẽ in Rhetoricis. Prouidentia, eſt notio futurũ pertractãs euentum, cuius officium eſt, ex præſentibus futura perpendere: aduerſus aduenientem calamitatẽ ſe cõſilio pręmunire, ſecundũ Aug. li. de Spiritu & anima. Quidã prouidentiã à prudentia diſtinguunt, vt prudentiã dicãt in rebus humanis, prouidentiã in diuinis. Alij prudentiã diffiniũt rerũ bonarũ & malarũ & vtrarũq; ſcientiã. Prouidentiã verò per quã futurũ aliquid videtur antequã factũ ſit. Vnde prouidẽtia aliquãdo pro Deo capitur. Quintilianus. Nullã ego res humanas deſpicere prouidentiã reor. Idẽ de Cicero. Dono quodã prouidẽtię genitus, in quo oẽs vires, quas eloquẽtia experiretur, à quo prouidus, vidẽs ante, diligẽs, ſolers. Et prouide diligẽter. Prouidentiã dicit Paulus Cort. li.iij.ſen.d.viij. cõſtitutricem tẽpeſtiuarũ idonearũq; rerũ ad vltimũ.

Prouidentia diuina ſecundũ Rich. ſuper.j.d.xxxix. Concordat Tho. ibidem, & Boëtius v. de conſola. & Iſidor.x.etym.ca.xv. dicitur quaſi porro, id eſt à longè videre, quia Deus ab æterno videt. Vnde prouidentia diuina (ait Boëtius) eſt in ſummo omniũ Principe cõſtituta, qua cuncta diſponit. Itẽ Damaſ.li.j.ca:xxviij. dicit: Prouidentia diuina eſt voluntas Dei, ſecundum quam omnia in finem conuenientẽ deducũtur. Hæc ille, Paulus Cort. li.j.ſent. di.v. ait: Propterea prouidentia in Deo eſſe volumus, quandoquidem neceſſe ſit vt ratio ordinis in vltimũ mẽti diuinæ inſit. Ratio quoq; ſtatuendarũ rerum in vltimũ prouidẽtia dicitur. Arguit & iſte multorũ Philoſophorũ inſaniã, ſcilicet Democriti & Epicuri, qui prouidentiã rerũ excluſerũt, multiq; fuerũt (vt idẽ dicit) qui cũcta nulla mẽte diuina, nulla ratione gubernari opinati ſunt, ſed omnia caſu fieri volebãt. Retudit & hos Lactãtius l.j. diuinarũ inſtitutionũ c.ij. cũ ait: Nemo eſt tam rudis, tam feris moribus, qui non oculos ſuos in cœlum tollẽs, tametſi neſciat cuius Dei prouidentia regatur, hoc omne quod cernitur, aliquã tamẽ eſſe intelligat ex ipſa rerũ magnitudine, motu, diſpoſitione, cõſtantia, vtilitate, pulchritudine, cõparatione, nec poſſe fieri, quin id quod mirabili ratione cõſtat, niſi cõſilio maiore aliquo ſit inſtructũ. Hęc Lactant. Hinc concludit Corteſ. vbi ſupra. Nos autẽ cuncta volumus prouidẽtia ſiue miniſtris gubernari, ſed tamen quædam intermedia eſſe dicimus, quibus non carentia virtutis, ſed affluentia probitatis inferiore regat. Quare ſi quicquam cuiquam bene fortunateq; euenturum ſit, ei Deum cęlites & cęlum ſuffragari oportere, dicimus. Nã ſępè alicui præter propoſitũ bene euenire ſcimus, vt ſi quis arando auri vrnam excutiat, quam nullo prorſus modo erat illi in animo perquirere. Etenim ſæpè accidere ſolet

quempiam

quempiam molientem præter propoſitum moliri, nõ tamẽ præter heri propoſitũ moliri cui ſit ſubiectus. Eodemq; modo quanquã homini quippiã fortuitu & caſu accidat, id tamẽ quippiã ſtatutũ dicitur. Nã cũ homines corporis natura cœlo intelligentia cœlitibus volũtate pareti reiũ Deo ſubiecti ſint, aliquid prętet propoſitũ homini accidere poſſe dicimus, quod tamẽ verò cęli ordine vel cęlitũ, vel Dei cõſtitutione cadat. Eodẽq; modo de electione & fato diſputatur. Hæc Corteſius eloquentisſimus Theologus. Et Scot. q. xxj. quotli. ait: ſecundũ fidẽ & veritatem, dicendũ eſt quod Deus habens prouidentiam generalem de omnibus, regat res ſecundũ quod natæ ſunt regi, ſecundum quod dicitur vij. de ciui. cap. xxx. Sic Deus res quas condidit, &c. tum præter iſtam generalem prouidentiam, habet prouidentiam ſpecialem ex quadã electione, ſecundum quam prouidet vnicuique homini ſecundum merita præſentia vel futura & occulta nobis, tũ ſibi pręſentia, quia eius iudicia iuſta ſunt ſemper, licèt occulta, ita quod aliquando aduerſitas plus proficit quàm proſperitas. Hæc Scotus.

Prouidentia & fatum differunt ſecundum Boëtium lib. iiij. de conſolatione proſa vj. quod prouidentia pariter cuncta, quamuis diuerſa, quamuis infinita cõplectitur. Fatum verò ſingula digerit in motum locis, formis, ac temporibus diſtributa, vt hęc temporalis ordinis explicatio in diuinæ mẽtis adunata proſpectu prouidentia ſit. Eadem verò adunatio digeſta atque explicata temporibus fatum vocetur. Et Deus prouidentia quidem ſingulariter ſtabiliterque facienda diſponit. Fato verò hæc ipſa quæ diſponit multipliciter, ac temporaliter adminiſtrat ex Boëtio vbi ſupra.

Prouidentia, ſcientia, & diſpoſitio differunt. Vnde Tho. di. xxxix. q. ij. ar. j. notat. Et dicit quod ſicut videmus quod artifex præcõcipiendo artificiatum ſuum, primò cõſiderat finem: puta, vt faciat domum ad habitandum. Secũdò conſiderat ordinem rei, & ordinem partium ad inuicem, ſcilicet quod fundamentum quale ponat ſub pariete, & parietem ſub tecto, & domus diuiſionem. Tertiò conſiderat ea quibus promoueatur ad conſequutionem finis debito modo & conuenienti. Vnde excogitat tollere impedimenta apta inhabitationis: puta, ne fiat domus tenebroſa, feneſtras excogitat, & ianuas &c. Similiter ne domus corruat, cogitat fundamenta per appendicias, & huiuſmodi: talis excogitatio, de domo ratione cognitionis, nominatur ſcientia. Ratione verò ordinis excogitati, vocatur diſpoſitio: ſed ratione eorum, quæ promouent in finem, dicitur prouidentia. Prouidus enim dicitur, qui bene coniectat de conferentibus in finem, & de remouendis, his quæ impedire poſſunt finem &c. Suo modo in Deo ſcientia dicitur ſecundũ quod Deus habet cognitionem omnium, quæcunque facit, & vult. Sed diſpoſitio dicitur ratione ordinis, quem ponit in rebus, ſecũdum quod vniuerſum ordinatur in Deum. Prouidentia verò dicitur, ſecundum quòd rebus ita ordinatis tribuit ea, quæ ordinem conſeruant in Deum dirigendo &c. Et ſecundum Catholicam veritatem dicendum eſt, quòd omnia ſubiacent diuinæ prouidentiæ. Vnde Sapient. 12. dicitur: Non eſt alius Deus quã tu, cui cura eſt de omnibus. Et Matth. 10. Chriſtus dicit, quod nec paſſer cadit ſine patre cœleſti ſuper terram: & capilli capitis hominis numerati ſunt, ergo omnia & minima ſubſunt diuinæ prouidentiæ. Hinc Aug. iij. de trin. dicit quod nil ſit nec viſibile nec intelligibile in mũdo, quod non de aula ſummi Imperatoris, ſcilicet, Dei, aut iubeatur aut permittatur ſecundũ ineffabilẽ iuſtitiam pœnarum & præmiorũ, gratiarum & meritorum. Idem ix. de ciuitate Dei cap. xiij. dicit: Prouidentia Dei ſummi & non fortuita temeritate regitur mundus. Et x. de ciuitate refert Platonem dixiſſe quod omnia etiã terrena pertingit Dei prouidentia. Idem in Pſalm. 9. dicit: Omnia ad diuinæ prouidentiæ regimen referantur, quæ ſtultè quaſi caſu & temerè, & nulla diuina adminiſtratione fieri putant. Hinc eſt quod dicit Pſal. Narrabo omnia mirabilia tua. Hoc idem probatur & ratione à doctoribus, Richardo, Thoma, & Bonauentura, & ab aliis. Certum enim eſt quod Deus rex eſt, omnipotens, omniſciẽs & optimus, ideo ſequitur quod in regno talis regis nil geritur ſine eius prouidẽtia. Deus quoque ſecundum Lyram prouidet vnicuiq; ſecundum conuenientiam ſuę naturæ, licèt ſecundũ diuerſos effectus, & inſuper hominibus puſillis, id eſt pauperibus, & magnis, id eſt diuitibus & ſine acceptatione perſonarum æqualiter cura eſt, vt ſaluet pauperem, ſicut diuitẽ, vel peccãtes puniat ſecundum exigentiam operũ. Et vt ſcribit Pelbartus. Omnia tam bona quàm mala quo ad ordinẽ ſubſunt diuinæ prouidentiæ, ſed circa mala per accidẽs permisſiuè, ex quibus & bonum elicit ſicut mala culpæ permittit, licèt non ſit eorum auctor. Permittit tamen ordinando ad iuſtam pœnam, vt manifeſtetur iuſtitia Dei, & ad commendandum eminentius oppoſitum bonum & aduerſa ordinando, dat ad præmia iuſtorũ, &c. Et quamuis multa fiunt à caſu, tamen reſpectu Dei qui prouidet omne bonum & omne quod in mũdo euenit, præcognouit, nihil fit à fortuna, vel caſu ſine prouidentia Dei vel cauſante principaliter vel permittente. Vnde omnia proſpera & omnia aduerſa principaliter fiunt à Dei prouidentia, etiam quantum ad minima, vt ſupra tactum eſt. Ideo Prouer. 17. ſcribitur. Sortes mittuntur in ſinu. Lyra, id eſt in occulto, vt recipiãtur fortuitu, ſed à Domino Deo temperatur, quia ex Dei prouidentia prouenit, quod talis ſors cadit ſuper talem, &c.

Prouidentia Dei capitur dupliciter ſecũdum Rich. di. xxxix. q. vlti. lib. j. Vno modo pro ratione ordinis rerum in finem ſuum, quæ ratio eſt in ſummo omnium Principe conſtituta, & ſic planũ eſt quod Deus omnibus immediatè prouidet, quia in ſuo intellectu immediatè habet omnium rationẽ etiam minimorum. Iſto modo intelligendo Greg. mora. lib. xxiiij. dicit. Quod Deus modicum per ſeipſum regit & condidit. Secundo prouidentia diuina accipitur pro directione & adminiſtratione huius ordinis, quæ gubernatio dicitur. Hæc prouidentia dependet ex prouidentia, primo modo dicta, & ſic Deus quibuſdam prouidet mediantibus aliis, quia inferiora gubernat per ſuperiora, & hoc nõ propter defectum diuinæ virtutis, ſed propter abundãtiam bonitatis, qua vult Deus vt dignitas ſuæ cauſalitatis ali-

tis aliquo modo communicetur creaturis. Vnde Augu. vij. de ciuit. Dei dicit. Cura de nobis ad nos miniſtrata eſt per angelos. Idem iij. de trinit. ca. iiij. docet quod Deus tanquam ſummus rex in cœleſti ſede voluit in domo ſua præſidens de quibuſdã ordinatiſſimis motibus creaturę, primo ſpiritualibus, deinde corporalibus per cauſata diffondit, quemadmodum corpora inferiora & groſſiora per ſuperiora & ſubtiliora regantur, & omnia corpora per ſpiritum vitæ, & ſpiritus vitæ irrationalis per rationalem, & ſpiritus rationalis deſertor, id eſt peccator per ſpiritũ rationalem iuſtũ: Illeque ipſum Deum, & ſic vniuerſa creatura per ſuum creatorem. Hæc ibi. Ad idem eſt Philoſophus j. metheororũ, dicẽs: Totus iſte mundus inferior contiguus eſt lationibus ſuperioribus, vt inde tota eius virtus gubernetur. Et tenendum eſt generaliter (vt vult Richar.) quod omnis effectus, qui eſt à Deo mediante cauſa, creata eſt à Deo mediatè & immediatè.

Proximus, nomine proximi intelligitur omnis homo, cuiuſcũque ſexus, cuiuſcunq; dignitatis, cuiuſcunque virtutis, vt ſcribit S. Bonauen. diſt. xxviij. lib. iij. circa textum. Vnde & dilectio glorioſæ virginis includitur ſub dilectione proximi. Itẽ angeli & Chriſtus ratione naturæ aſſumptæ, poſſunt dici proximi. Aug. 14. Pſal. & 25. dicit. Omnes proximi ſumus terrenæ natiuitatis conditione. Proximus ſic deſcribitur à Scoto in tertio, in materia de charitate. Proximus eſt omnis ille, cuius amicitia eſt grata Deo. Sic quilibet beatus in patria eſt proximus noſter, ſiue Angelus ſiue homo. Subſcribit Gab. di. xxviij. q. vnica, art. j. lib. iij. qui ait: Nomine proximus intelligitur quilibet, cuius dilectio & amicitia eſt grata Deo, ita vt placeat Deo vt ab ipſo diligatur: id eſt omnis ille, à quo Deus vult diligi, non enim debeo rationabiliter (vt ait Scotus) velle ſummè dilectum ab illo condiligi, à quo non vult diligi: cuius ſcilicet, dilectio non eſt ſibi grata. Nã diligere proximũ charitatiuè, eſt velle proximo ineſſe dilectionẽ Dei: ſiquidẽ nihil melius poſſum velle proximo ineſſe, cùm dilectio Dei ſit ſummũ bonũ, proximo cõmunicabile. Quia ergo certũ eſt bonorũ dilectionẽ eſſe Deo gratã, abſolutè volendum eſt dilectionem Dei ineſſe eis. & quoniã hoc de quocunque viatore ſignato, eſt dubium, debeo hoc ſibi velle ſub conditione, ſcilicet ſi placet ei ab eo diligi. Circa viatores autem in communi, quia ſemper ſupponendum eſt, aliquos eſſe bonos: quorum dilectio eſt ſibi grata, vel non diſplicens, poteſt haberi actus abſolutè volendi Deũ ab eis condiligi. Circa damnatos autem, dęmones vel homines, qui ſunt ei actualiter diſplicentes, non debeo eos velle Deum diligere. Hæc Scotus. Et ſecundum Dominum Præpoſitũ Gabr. vbi ſupra art. iij. tam Angeli Sancti, quàm Beati, quàm animę in purgatorio exiſtentes, ſunt noſtri proximi. Nam ſunt nobiſcum capaces beatitudinis, ergo noſtri proximi. Item omnis creatura rationalis viatrix proximus dicitur, ſecundum Petrum Cameraceñ. Idem vult Auguſt. ſerm. ij. dominicæ xx. qui eſt in numero ccxxxix. & in ſerm. ccxxj. Et dico creatura, & hoc propter Deũ qui propter infinitã excellentiã ſuę naturę diuinę proximus noſter dici nõ poteſt, ſed Dominus noſter eſt, quẽ etiã non ſicut noſipſos (quod de proximo præcipitur) ſed ſuper nos toto corde & anima diligere debemus, & hoc ſecundum naturam diuinam. Chriſtus tantum ſecundum naturam humanã proximus noſter dici voluit, qui per illum Samaritanum Luc. 10. intelligi voluit, qui curam ſauciato impendit & miſericordiam, ideo proximus eius. Ipſe & nos fratres appellare dignatus eſt Mat. vltimo. Ite nunciate fratribus meis, vt eãt in Galilçã. Nec corpus noſtrũ proximus noſter dici poteſt, quia infra nos eſt, nec capax diuinæ fruitionis & viſionis, quæ ſunt beatitudo formalis. Eſt tamen capax gloriæ per redundantiã, vt aſiàs dicitur. Bruleſer di. j. li. j. q. j. dicit quod de quolibet viatore exiſtente in vita ſignata, & in particulari, dubiũ eſt an ſit proximus noſter. Neſcit enim homo an amore vel odio dignus ſit. Nullus autem viator (vt idem ait) exiſtens in peccato mortali, eſt proximus meus: quia amor iſtius, cùm nõ habeat charitatem, non eſt gratus Deo. Quilibet verò viator exiſtens in gratia, eſt proximus meus, ſi ego ſum in gratia. Oportet itaq; ſi vnus debeat eſſe proximus alteri, quod ambo ſint grati Deo. Vnde nullus damnatus, ſiue diabolus, ſiue homo eſt proximus. Hęc Brule. Tenetur autem quilibet diligere proximum, ſicut ſeipſum, ſcilicet ad æternam fœlicitatem. Diligere enim proximum ex charitate, eſt velle quod proximus diligat Deum. Et ſicut (vt vult ſan. Bonauen. di. xxix. q. iij. lib. iij.) non eſt nota perfectæ æqualitatis ſiue commenſurationis, ſed expreſſæ ſimilitudinis, quæ in hoc attenditur, quod homo debet diligere proximum ad illud bonũ, ad quod diligit ſeipſum, & poſt ſalutem propriam. nihil enim debet deſiderare, ſicut ſalutem alienam. Proximum, ſicut ſeipſum diligere (vt ſcribit Magiſt. Ioan. Gerſ. Cancellarius Pariſien. par. iij. de diuerſis tentationibus diaboli) eſt ei finaliter quidem vitam optare æternam, gratiam verò in præſenti ſeculo. Inſuper illud ei facere velle, quod rationabiliter & iuſtè in ſimili caſu ſibi quiſquis fieri vellet. Sed Deum amare ſuper omnia (vt ibidem dicit) eſt ſic eum diligere, vt nullo pacto quodlibet aliud quis amare velit, per quod perderet amorem Dei. Et diligere proximum ſicut ſeipſum, eſt velle proximũ condiligere, Deũ ſuper omnia. De quo fuſius ſcribit Gabr. lect. xxvij. canonis, & vide ſupra in dictione, *Diligere*.

Prudentia (vt notat Dominus Præpoſitus Gabr. di. xxxvj. q. vnica, art. j. libr. iij. poſt Occam) accipitur quatuor modis. Vno modo pro ſimplici habitu. Alio modo pro aggregato ex pluribus notitiis ſimplicibus. Accipiendo pro ſimplici notitia, accipitur tripliciter, largè, ſtrictè, ſtrictiſſimè. Largè eſt notitia directiua reſpectu cuiuſcunque agibilis mediatè vel immediatè. Sic accepit Aug. j. lib. de libe. arbit. hoc eſt, eſt notitia adhæſiua propoſitionis dictantis aliquid agendum, aut oſtendentis agendi modum, ſiue ſit vniuerſalis ſiue particularis, id eſt ſingularis, ſiue nota per ſe, ſiue per experientiã, ſiue ex his doctrinaliter deducta. Vnde propoſitiones practicę, quarum notitia aſſenſiua eſt prudentia largè, ſunt in quadruplici differentia. Quædam vniuerſales, & illæ quædam per ſe notæ, vt illæ. Omni benefactori eſt benefaciendum, omne bonum honeſtum eſt diligẽdum, omni rationi rectæ eſt obediendum, omne malum culpæ eſt fugiendum, & ſic de aliis. Quædam

dam ſunt vniuerſales notæ per experientiam, vt omnis iracundus per dulcia verba eſt leniendus, omnis timidus per exercitia bellica eſt animandus. Quædam particulares, id eſt ſingulares, vt illæ. Iracundus eſt per dulcia verba leniendus, quæ ducitur ex illa vniuerſali: Omnis iracundus, &c. Strictè accipitur prudentia pro notitia immediatè directiua circa aliquid agibile propoſitionis particularis notę per doctrinam, non experientiam, vt eius quæ euidenter ſequitur ex propoſitione vniuerſali per ſe nota, vel nota per experientiã. Exemplũ vt notitia huius, huic benefactori eſt benefaciendum, hic iracundus eſt dulcibus verbis leniendus, ſi vtriuſque notitia eſt acquiſita per doctrinam modis prędictis. Strictiſſimè accipitur pro notitia practica alicuius partis directiua immediatè circa aliquod agibile, accepta per ſolam experientiam, nõ per deductionem ex vniuerſalibus, vt notitia illius, ille iracũdus eſt per dulcia verba leniẽdus, ſcilicet, ſi eſt genita per experientiã. Et quod dicitur notitia, accipitur pro notitia actuali vel habituali, quia etiã eſt prudentia habitualis, & prudentia actualis. Et accipiendo prudentiam ſtrictè & ſtrictiſſimè, diſtinguitur à Philoſophia morali, quæ eſt ſcientia. Nam Philoſophia moralis, quæ eſt ſcientia, eſt vniuerſalium, non particularium. Et primo accipiendo prudentiam, eſt ſuperius ad Philoſophiam moralem. Philoſophia nanque moralis eſt notitia ſcientifica acquiſita ex principiis notis per ſe, vel per experiẽtiam. Alio modo accipitur largius, & tamẽ propriè, vt ſupra diffinita eſt. Sed quocunque modo accipitur prudentia, ſecundo aut tertio modo diſtinguitur à Piloſophia morali. Quarto accipitur prudentia pro aggregato ex notitiis quibuſcunque immediatè directiuis, ſiue habeantur per doctrinam, ſiue per experientiam, circa omnia opera humana requiſita ad bene viuere moraliter. Illo modo prudẽtia non eſt vna notitia tantùm, ſed includit tot notitias quot ſunt virtutes morales requiſitæ ad ſimpliciter bene viuere: quia quælibet virtus moralis habet propriam prudentiam & notitiã directiuam. Vide latiùs Dominum Præpoſitum Gabriëlem de prudentia vbi ſupra, & ar.iij.dub.iij.ibidem.

Prudentia ſic deſcribitur à Magiſtro Ioanne Gerſ. parte iiij. Virtus ait prudentię moraliter in genere, eſt habitus intellectualis acquiſitus, laudabilis, eleuans & dirigens libe.arbi. in agendis vel vitandis. Et eſt multiplex. Prudentia monaſtica, eſt prudentia regulans perſonam propriam. Prudentia œconomica, eſt prudentia regulãs multitudinem illius domus ſiue domeſticam. Prudentia legalis vel regalis, eſt prudentia regulans ordinatiuè aut præceptiuè multitudinem politicam. Prudentia militaris, eſt prudentia regulans executiuè policiam propter victoriã. Prudentia politica, vel ciuilis, eſt prudentia regulans policiam ciuililem per ſe ſufficientem in vita ſociali. Et ſecundum eundem, ſolicitudo vel diligentia, dicitur prudentia, prout adiuuat hominem vniuerſaliter ad omnes actus principales prudentiæ. Multa ibidem de prudentia & eius partibus & de oppoſitis eius. Prudentiam Paulus Corteſius lib.iij.ſent.di.viij. ducem eſſe dicit cæterarum virtutum, quæ praxis ſit, & in rationis gyro verſetur. Ea enim non modò ad ſui, ſed etiam ad vniuerſi generis humani curam ſtatuitur. Itaque ei ſubiectæ ſunt memoria, ratio, intelligentia, docilitas, ſolertia, prouidentia, cautio, & quæ à Gręcis περιβλεψία nominatur. Eſt enim memoria præteritorum, intelligentia verò incidentium neceſſariarumque rerum fons. Docilitas ſic diffinitur, vt ſit velox ad omnia ſcientiarum genera aptitudo. At ſolertia eſt inuentrix mediocritatumque decempeda. Prouidentia verò, de qua ſupra dictum eſt, conſtitutrix eſt tempeſtiuarum, idonearumque rerum ad vltimum. Sed periblepſia eſt excubatrix, ſpectatrixq; negotiorum: quæ circunſtant. Cautio verò rerum obſtantium depulſio. Prudentiæ autem contraria eſt imprudentia, quam Græci [illegible] vocant, ex qua tum præceps feſtinatio, tum inconſultè leuitas oritur, quarum altera conſilio, altera iudicio repugnat, eique etiam inconſtantia tanquam nequam mancipium ſubiicitur, quæ ab integra inſtitutione recedit, nec tabificis perturbationibus vllo modo obſiſtit, quæ quidem vitia maximè ex flagranti ſalacique Venere naſcuntur. Nã cùm ſit cupiditatum lena, animam ſenſilium flagitiorum voluptate rapit. Sed multa vitiorum genera à prudẽtia diſſident, quæ eam tamen vt homines ſimię imitari videntur, ex quo genere calliditas, dolus & fraus numerantur. Calliditas enim eſt duplex. Vna quæ ad eum limitem ſtatuitur, in quo nullo modo aliquid boni genus ineſt, ſed ſpectatu bonum, vt nummus adulterinus apparet. Altera, quæ in bonorum aut malorum generibus adipiſcendis non recta ingreditur, ſed flexu vt vulpecula, declinat. At verò dolus tanquã in comedia ſeruus calliditatis eſt miniſter. Sed inter dolum & fraudem hoc intereſt, quod dolus re, verboque: fraus autem maximè re calliditatem exſequitur. Hæc Paulus Corteſius.

Prudentia vera & perfecta, eſt qua conſiliamur, iudicamus & præcipimus, quæ ad bonum finem totius vitæ humanæ pertinent, & ſolis bonis cõuenit ex S.Tho. ſecunda ſecundæ, q.xlvij.ar.xiij. Et ſumit nomen à prouidentia ſicut à principaliori eius parte: quia omnia requiſita ad prudentiam neceſſaria ſunt, vt aliquid ordinetur in finem. Vt idẽ dicit qu.xlix.ar.vj.vbi ſupra. Prouidẽtia autem eſt ratio ordinis in finem, ſecundum eundẽ part.j.qu.xxij. art.j.de qua ſupra dictum eſt.

Prudentia carnis, eſt qua quis inordinatè afficitur, vel ſtudium adhibet ad carnis delectationem cõſequendam. Et eſt peccatũ mortale, ſi in delectationibus carnis finis totius vitę cõſtituatur. Secùs, eſt veniale: ſi autem propter honeſtã cauſam fiat: puta, quando ſtudet comeſtioni propter corporis ſuſtentationem, nullum erit peccatum, nec congruenter dicitur prudentia carnis. Vnde ſecũdum Apoſtolũ: Prudentia carnis mors eſt. Rom.8. Et ſecundum Magiſ. Ioannem Gerſ.parte iiij.in deſcriptionibus terminorum ad Theologiam vtilium, ait: Prudẽtia animalis ſeu carnalis, eſt vitium intellectuale, retorquens actus prudentiæ, qui ſunt, conſiliari, iudicare, imperare, &c. ad proſecutionem voluptatum, ſiue ad agendum curam carnis.

Prudentia terrena ſeu mundi, eſt vitium intellectuale ſecundum eundem Gerſonem vbi ſupra, retorquens actus ſeu officia prudentiæ ad curam rerum tem-

rerum temporalium modis & ſine indebitis.

Prudentia præceptiua quæ antonomaſicè propter ſui principalitatem dicitur prudentia, eſt prudentia præcipiēs iudicata, & eadē ad opus applicans. Gerſ.

Prudentia diabolica, eſt vitium intellectuale, retorquens officia prudentiæ ad vitia ſpiritualia, vt ſunt inuidia, ſuperbia, &c. Gerſon vbi ſupra. Prudens & ſciens ita differunt, quod prudens eſt, qui intelligentia ſua aliquid cognoſcit. Sciens, qui alterius iudicio rem percipit, hoc eſt, prudens per ſe, ſciens per alios. Terentius in Enu. Et prudens & ſciens, viuus, vidensque pereo. Et prudens quaſi prouidens, vel porro videns, id eſt procul videns. Vide ſupra.

Pſalterium Græca dictio ψαλτήριον, eſt inſtrumentum decem chordarū, ſignificat autem decalogum, tangitur manu à ſuperiori, ſed cithara ab inferiori. Et dicitur à ψάλλω, quod eſt cāto, pulſo. Vnde etiam Pſalmus ψαλμὸς, quod eſt canticum quod cantabāt vel cantari faciebat Dauid ad pſalterium. Et pſallere ſpiritualiter, eſt gaudendo gratias agere Deo corde, ore & operibus, ex ſan. Thom. ſuper Pſal. 2. & Pſal. p. Et differūt Pſal. & hymnus, quoniā propriè hymnus dicitur qui voce naturali fit, Pſalmus qui aliquo muſico inſtrumento. Vnde pſalmodia deducitur cāticum mixtum, vt cùm aliquis ad citharam ſiue aliud muſicum inſtrumentum canit. Gerſon hanc diſtantiam ponit pſalterij cum cithara, vt ipſe ſcribit par. iij. tract. j. de canticorū originali ratione, quia pſalteriū ſonat à ſuperiori procedēs à grauioribus ſonis ad acutiores deſcendendo. Habet inſuper chordulas vel argēteas, vel ex electro quaſi tinnientes leuiuſque tangendas. Citharę verò formam ad pſalteriū videbis euerſam, cuius ſonitus à grauioribus deorſum, ad acutiores ſurſum ſonos tendit, cuius fides & chordæ de morticinis fiunt inteſtinis animalium deſiccatis, ſubtiliatis & tortis. Quæ omnia nónne ſignificant cōgruè ſtatum vel affectum pœnitentis deſcendentis à conualle plorationis? Corpus quoq; proprium torquētis & extenuantis ad obediendū citharizāri ſpiritui. Talē habere ſuadet Dominus per Eſaiā animæ peccatrici ſub typo Tyri. Sume citharā, circūi ciuitatē, meretrix obliuioni tradita, benè cane, frequenta canticū vt memoria tui ſit. Conueniunt pſalterium & cithara, quia peccatori iunguntur, & formam chordis habent inſtar ſcuti. habent & hanc figuram ſingula inſtrumenta muſicalia. Et lex Euangelica dicitur pſalterium decem chordarum multoriens in Pſalmis memoratum, vt ſcribit Iacobus de Valentia tractat. j. cap. iij. prologi. ſuper Pſalterium. Quod quidem pſalterium ſpirituale Euangelicum figurabatur per illud inſtrumentum muſicum & Pſalterium materiale, cum quo Pſalmi cantabantur in templo. Vnde ideo Dauid ordinauit vt Pſalmi cum illo inſtrumento decem chordarum cantarentur, eò quod ſignificabat & figurabat noſtrum Pſalterium Euāgelicum. Et ſecundum eundem triplex eſt Pſalterium. Pſal. 143. ſcilicet, Pſalterium decem chordarum, & canticum nouum, ſcilicet Pſalterium præceptorum moralium, & Pſalterium decem myſteriorum noui teſtamenti, & pſalterium Mariæ virginis, hoc triplex Pſalterium promittit cantare

Dauid in perſona totius Eccleſiæ per gratiarū actionibus, dicens: Deus canticum nouum cantabo tibi, id eſt totam legem euangelicam, &c. Vide latiùs aliàs eundem de Pſalterio. Pſal. 150.

Pubes propriè dicitur lanugo, quę maribus xiiij. annorū, fœminis xij. circa pudenda oriri incipit, quod quia maturitatis eſt ſignum, factū eſt vt mas pubes ſiue puber vocetur, quā primū ad generandū aptus eſt, & fœmina ſimiliter ad cōcipiendum. A quo impubes vel impuber, qui nōdum lanuginem emiſit, qui nōdum ad pubertatis annos peruenit. Capitur & pubes pro iuuenū multitudine, quandoq; pro populo, de qua aliàs. Et à pubes venit pubertas, & dicitur ætas in maribus, quia in pudendis incipiūt primam barbā habere, & tunc poſſunt coire, vt ſcribit Brulef. di. xxxvj. qu. iiij. lib. iiij. Et quoniam (vt idē ait) ante tempus pubertatis non poſſunt maſculi & fœminæ generare, nec feruore libidinis incitantur tanquā impotentes ad eius actum, & etiā, quia ante illud tēpus ſunt variabiles, & matrimoniū eſt immutabile, ideo decreuerunt iura tales perſonas non eſſe legitimas antequam ad tempus pubertatis veniant, quod in maſculis eſt xiiij. annorum, in fœmina xij. tamen ſi non diſtent plus quā per ſex mēſes, vel malitia ſuppleat ætatem, & poſſunt carnaliter cōmiſceri, tenet matrimoniū cōtractum. Sed quare plus requiritur de tempore maſculino quàm in fœmina: eſt, quia mulier eſt citius viri potens, quàm vir mulieris, & plura requiruntur ad agendū quàm ad patiēdum. Hæc Petrus de Palude di. xxxvij. q. j. ar. iij. lib. iiij. & infra concluſione ij. dicit: Impuberes nullam firmam obligationem, & irreuocabilem facere poſſunt. Vnde nec eorum iuramenta ſunt firma ſecundum leges, ſed ſolùm ſacramēta puberum. Vnde puberes poſſunt profiteri, & matrimonium contrahere. Petrus de Palude.

Pudicitia eſt animi virtus, qua quis verecundatur de actibus, de quibus homines magis verecundantur, vt ſunt actus Venerei ſecundū Aug. l. xiiij. de ciui. Dei. Nec inuitè auferri poteſt, ſecundum eundem lib. j. de ciuitate Dei. Et dicitur pudicitia à pudore, & eſt præcipuè circa ſigna Venereorum: vt ſunt tactus, oſcula & huiuſmodi. Caſtitas verò circa Veneream commixtionem ex S. Tho. ij. ij. q. cxliij. Capitur & quandoq; pudicitia pro caſtitate, aliàs pro religioſa munditia ac puritate.

Pudor ab Ariſtotile ſic diffinitur, eſt timor iuſtæ vituperationis, qui affectus eſt honeſtiſſimus. Differt autem à verecundia, vt quibuſdam placet, quod pudor eſt rei turpiter actę, verecundia verò etiā rectæ facti atque honeſti. Hinc pudibundus, qui pudore ducitur, & pudenda virilia, quæ & verenda dicuntur. Et depudicare antiquum verbum, quod eſt violare, ſtuprare & quaſi pudicitiam auferre. Pudorem Philoſophi diffiniunt eſſe modeſtiam quæ animum reprimit, ne procaciter aut inordinatè aut turpiter peragat. Cur autem pudeſcit, quos puduit, dicitur à Philoſophis, quoniam pudefactus ſanguis de corde in omnes corporis partes diffunditur, ita vt ſuperficiem occupet. Et pudor ſecundum Theologos, & habet Magiſter Ioannes Gerſon in regulis moralibus de pœnitentia in confeſſione, non totus abijci poteſt, nec vtile eſt. Nullus tamen pudore

pudore preſſus celat peccatum, nec verecũdia motus mentiatur &c.

Puer quandoque ſignificat ſeruum, quandoque dicit puerilem ætatem, interdum pro filio, aliàs pro cinedo ſumitur. Et eſt puer motibus, ſenſibus, & puer malitia, vt oſtendit Magiſter Ioan. Gerſ. tract. x. ſuper Cantico Mariæ. Et puer malitia centum annorum maledictus eſt. Sed puer moribus, in quo eſt innocentia, humilitas, obedientia, qualis appellatus eſt Dauid annoſus, & Abraham centenarius. Et vt ibidem dicit Gerſon. Collegit vnus ſeptem puerorum cõditiones aduerſarias ſeptenario vitiorum: ſunt pueri parui, vnde frangitur ſuperbia: puri, vnde luxuria deturbatur, modico ſatiati: quos gula non ſuperat. Ludunt, ne ſint inertes & languidi, concordant contra malignitatem inuidiæ, citò dant vt liberales: citò pacificantur, rancoris expertes. Sunt iſta ſępius (inquit magiſter Ioannes Gerſon) ex ętatis beneficio. Comitantur alia multa ex ętatis vitio &c. Aliàs multa ſcribit de pueris Magiſter Ioannes Gerſ. Et à puer venit pueritia, quod modò ętatem puerilem ſignificat, modò pro puritate accipitur. Et puraſco, id eſt, puer fio, & repueraſco quaſi in puerilem ætatem reuertor &c.

Pulchrum ſecundum Gerſonem parte ij. tract. de nobilitate, eſt quod cuſtodit ordinem, ſeruatque naturam. Sic econtra: turpis eſt pars quæ ſuo non congruit vniuerſo. A quo pulchritudo.

Pulchritudo, eſt corporis quædam apta figura membrorum cum coloris quadam ſuauitate, ſecundum Ciceronẽ in Tuſcul. q. Vel pulchritudo corporalis dicitur ſpecioſitas, formoſitas, ſed pulchritudo vltra formoſitatẽ dicere videtur quãdam coloris ſuauitatem, cuius defectus non tollit formam, inquit Magiſt. Ioan. Gerſ. Vnde: Nigra ſum (inquit ſpõſa) ſed formoſa. Decor autẽ refertur ad modũ, decẽtiã, geſtus & ornatus, cũ quadã iocũditate & lętitia vel alacritate vultus totiusq; corporis geſtus. Specioſitas omnia ſimul dicit, vt ibi: Specioſus forma. Et ſecundũ Aug. Pulchritudo eſt æqualitas numeroſa. Accipitur hæc æqualitas ſecundũ Gerſ. tract. iij. ſuper Cant. Mariæ, nedum ex rationẽ molis corporalis, ſed perfectionis ſpiritualis. Similiter numerus non pro quantitate diſcreta realiter, ſed formaliter, ſecundum aliquos, ſed vel probabilius ſecundum alios ſolius rationis, qualis in Deo perſonisq; diuinis inuenitur, quia alia ratione conditus eſt homo, alia equus, ſecundum Auguſt. Et tractat. xij. ſuper Magnificat Gerſon dicit: Pulchritudo eſt proportio numeroſa, quę ſuum perfectè repręſentat exemplatum. Et pulchritudo quędam eſt artificialis, quędam naturalis. Et naturalis eſt multiplex, de qua legito Gerſonem tract. iij. ſuper Magnificat. Et eſt pulchritudo corporalis vt dictum eſt, quę quandoque eſt nociua, ſecundum Gerſonem: & pulchritudo animæ rationalis ſpiritualis, quæ imago eſt benedictiſſimæ trinitatis, in qua potenciæ tres principales animæ, ſcilicet memoria, intelligẽtia & volũtas, ſunt tanquam lineamenta, qualia ſunt indelebiliter impreſſa, nec tolluntur etiam à damnatis. Cæterũ dona gratiarũ variarũ, virtutũ, donorũ beatitudinum, ſunt ſicut colores ſuperinducti. Ruſus operationes inde prouenientes decorem ſuperaddunt tandem in omni pulchritudinę ſpirituali, tãto beatæ trinitatis imago formoſior eſt & pulchrior & habens plus decoris, quantò reperitur ſuo exemplari, ſcilicet eidem beatæ trinitati conformior. Ex aduerſo autem de turpitudine, deformitate, deſpectu, dedecore conſtat ſentiendum. Gerſ. vbi ſupra.

Punire eſt pœna afficere, pęnam infligere, caſtigare, affligere. A quo punitio. Rich. di. xlvj. art. j. qu. iiij. lib. iiij. dicit: Quamuis Deus nullum puniat, nec punire poſſit niſi propter peccatum, propriè accipiendo verbum punitionis, quia ſignificat afflictionem non abſolutè, ſed vt punitiua eſt peccati. Tamen accipiendo punitionẽ pro afflictione, Deus non ſolùm poteſt affligere, ſed etiam affligit temporaliter aliquos homines non propter eorum peccatum, quoſdam vt in eorum liberatione ab afflictione glorificetur. Vnde Ioan. 9. dicit Saluator de cæco nato, quod nec hic peccauit, nec parẽtes eius, vt cæcus naſceretur, ſed vt manifeſtẽtur opera Dei in illo. Quoſdam propter exemplum patientiæ. Tob. 2. Hanc tentationem ideo Deus permiſit euenire illi vt poſteris daretur exemplũ patiẽtiæ eius. Quoſdam vt per afflictionem temporalẽ præſeruet eos à peccato. Quoſdam, vt per eorum patientiam in tribulatione præmium eorum augeatur in cœlo, & quamuis ſic in flagellando non ſit iuſtitia quę reſpicit exigentiam meritorum abſolutè, tamen eſt ibi iuſtitia, quæ reſpicit exigentiam meritorum in comparatione ad concedentiam bonitatis diuinæ, hæc Rich. Deum autem punire citra condignum, poteſt intelligi dupliciter, vt ſcribit D. Cardi. Cam. q. ix. art. iij. libr. 1. Vno modo comparando quantitatẽ culpæ ad quantitatẽ pœnæ ſecundum ſtatum diuinæ miſericordiæ, & ſic quilibet punitur vel præmiatur ſecundum condignum, id eſt ſecundũ quod ex ſtatuto Dei dignus eſt. Alio modo comparando illa præciſe ſecundum ſe, & ſic dicitur communiter quod quilibet peccator vel damnatus punitur citra condignum, quia vltra pœnam quam habet, meretur maiorem, vt dicit Magiſt. lib. iiij. di. xlvj. Et addit Magiſ. Gregor. quod omnis culpa mortalis nõ ſolum meretur abſolutè conſiderata eius malitia priuationem gloriæ & pœnam æternæ miſeriæ, ſed etiam priuationẽ totius cauſæ & annihilationem, & quod Deus nõ annihilat peccatorem, eſt ex eius miſericordia. Iuxta illud Threñ. 3. Miſericordię Domini, quia non ſumus cõſumpti. Et probat ratione, quia per huiuſmodi culpam meremur priuari omni beneficio Dei; cõſiderata magnitudine offenſæ, quę æſtimanda eſt ſecundũ magnitudinem offenſi, vt dicit Chryſoſtomus ſuper illo Mat. 10. Non eſt Diſcipulus ſuper Magiſtrum. Imo nec ſic annihilando, dignè & plenè puniretur, quamuis amplius puniri non poſſit. Gregor. Sed dictum iſtud Greg. non videtur verum Cardinali, quia nõ putat quod aliquis mereatur ex culpa ſua repugnantia incompoſſibilia, ſcilicet puniri æternaliter, & annihilari ſimpliciter, de quo aliàs, &c.

Punitio inquantum pertinet ad iuſtitiam publicam, eſt actus iuſtitię cõmutatiuę, vindicatiuę verò inquantum pertinet ad immunitatem perſonę ſingularis, ex S. Tho. ſecunda ſecundæ q. lxxx. ar. j. Sane prò punio pœnio, quaſi pœna afficio, dicebant veteres.

veteres. Hinc impunè, ſine pœna, & impunitas, hęc pœna, & pœnitentia, de quibus ſupra dictum eſt. Et puniri plus tranſgreſſores legis humanæ quàm diuinæ, peruerſum videtur. Vnde fit plerumque irritum mādatum Dei (vt ſcribit magiſt. Ioan. Gerſ. parte j. de nuptiis Chriſti & Eccleſiæ) prout ſe conformās Chriſtus Eſaiæ verbis, Phariſęos arguebat: inuenies apud eos, qui nomen ſibi religionis appropriarunt, plus puniri tranſgreſſiones humanæ conſtitutionis ſatis friuolæ ſuper delatione veſtis huius vel illius, ſuper vſu cibi talis aut talis, quàm ſi blaſphemādo quis Deum negauerit, deierauerit, violauerit ſabbtha eius & vniuerſa decalogi præcepta. Punitio ſecundum Scotum di. xlvj. q. iiij. li. iiij. eſt perceptibilis carentia boni conuenientis in natura intellectuali, vel perceptibilis præſentia mali diſconuenientis in eadem. Eſt autem bonum commodum, honeſtum & vtile, de quo aliàs. Et in natura intellectuali eſt duplex punitio, per priuationē duplicis boni. Prima vocatur malū iniuſtitię ſiue culpę, & poteſt dici obſtinatio in peccato. Secunda vocatur pœna damni, vel damnū, vel damnatio. Vide latiùs ibi Scotum. Punitiones quas hic à Deo ſuſtinemus, vtiles nobis eſſe oſtendit Magiſter Ioan. Gerſon de cōſolatione Theologiæ li. iij. proſa iiij. Erudit enim Deus per flagella, purgat, medetur, &c. Punit quoque Deus (vt idem ait lib. iiij. de cōſola. Theo. proſa. v. & vltima.) occultiora ſæpè delicta per flagella patentia. Illa etiam quæ per contritum cor & humiliatum deleta pridem fuerunt quo ad culpam, repetit in pœnam. Hinc fit vt aliquos præſentialiter bene viuentes, aliquando comprehendat afflictio, aut pro paruo (ſicut putatur) delicto nouo grandior punitio ſubſequatur, quemadmodum cernere eſt in corporis ægritudinibus, quæ ad occaſionem ſacilem oriri videntur, aut recidiuum pati. Hæc Magiſter Ioannes Gerſon.

Purgare ſignificat mundare, & per tranſlationem ſignificat excuſare. A quo purgatio. Et eſt duplex vt ſcribit S. Bonauen. di. xlvij. parte ij. q. iij. lib. iiij. Vna quæ fit à fœditate peccati. Alia verò à vetuſtate corruptionis. Quo ad primā purgationem ignis conflagrationis, qui aſcendet tantum quantū aqua diluuij, purgabit aërem infectū per peccatum. Alia purgatio eſt vetuſtate corruptionis ſiue naturæ corruptæ, & hæc eſt in cæteris elementis.

Purgatorium. Purgatorius locus (vt Thom. de Argent. ſcribit circa di. xlv. lib. iiij.) eſt, in quo ſimul eſt pœna ſenſus & damni, vtraque tamen temporalis. Et ad hunc locum deſcendunt animæ illorum qui in peccato veniali ab hac vita decedūt, vel quæ de ſuis peccatis etiam mortalibus verè contriti, nō tamen ſatisfecerunt. Et de purgatorio latiùs videre potes Richard. diſt. xxj. ar. j. q. j. ij. & iij. lib. iiij. vbi in fine concludit animas ex aliquibus ſpecialibus cauſis in locis purgari, in quibus deliquerunt. Vide & de purgatorio Paludenſem diſtinct. xxj. q. j. ar. j. lib. iiij. & de loco ibidem. Capitur & purgatorium non ſolùm pro loco, ſed etiam pro omni pœna purgatoria, ſiue ſit in terra, ſiue in aqua, ſiue in aliqua parte inferni, quæ dicitur purgatorium, vt ſcribit Brulefer di. xx. q. j. lib. iiij. & illa pœna eſt grauior & maior quàm homo poteſt pati in hoc mundo. Pœna itaque purgatorij eſt maxima. Nam ſicut delectationes ſpirituales ſunt intēſæ multum, & præcellunt corporales, vt ſcribit ſecundum aliquos ſanct. Bona. di. xx. art. j. q. ij. lib. iiij. ira & triſtitia de abſentia ſuperexcellit omnē dolorem corporeum. Hinc Augu. ait: Ille ignis durior eſt quàm quicquid in hoc ſeculo pœnarum aut ſentire, aut videre, aut cogitare quis poteſt. Oportet ergo nos concedere (vt dicit Magiſter, & ſancti, & ſan. Bonauen.) etiam multi, etiam ſi non appareat ratio quod pœna purgatoria grauior eſt omni temporali pœna quàm modò ſuſtinet anima carni cōiuncta, in huiuſmodi autem magis adhærendum eſt auctoritati quàm rationi, pro eo quòd illud eſt magis ſupra naturam & rationem, quàm ſecundum naturam & rationem, &c. Eſt tamen in purgatorio cum afflictione ſolatium, ex certa ſpe beatitudinis ex Eccleſiæ ſpiritualibus ſubſidiis, & piis amicorum ſuffragiis: & quia charitas in eis cōgaudet veritati correctionis, vt ſcribit Magiſter Ioan. Gerſon Cancel. Pariſienſis, parte iij. tract. iij. de canticis & ſolatio.

Puſillanimitas eſt contraria magnanimitati per defectum, quia deficit puſillanimis à proportione ſuæ potentię dum recuſat in illud tendere, quod eſt cōmenſuratum ſuæ potentiæ, & ſicut puſillanimitas opponitur magnanimitati ſecundum defectum, ita præſumptio ſecundum exceſſum, ideo vtraque eſt peccatum, ex S. Thom. ſecunda ſecundæ qu. cxxxi. Puſillanimitas ſecundum Ariſtotelem, eſt vitium quo impotētes videntur animi, ad fœlicitatemque honorem & dedecus ſuſtinendum. Et puſillanimis dicitur qui eſt puſilli animi, quem Græci Micropſychon dicunt. Et qui puſillanimis eſt & pauidus, cauere debet ſibi (inquit Magiſter Ioannes Gerſon parte iij. tract. de remediis contra pulſillanimitatē) à nimio timore. Si enim cor ſuum & naturalia ſequitur, ad deſperationem vel nimiam mentis deiectionem perueniet, timor eſt vtilis duris & diſſolutis ac remiſſis, quia timor terret & cuſtodit. Timoratus verò atque pauidus ſi accedat, timor ad peccatum eos adducet, vnde conuertere ſe debet magis ad cōſolatoria & dulcia, quàm ad contraria. Contrariis enim contraria curantur, frigidis calida temperantur, & calida frigidis. Multa ſcribit de puſillanimitate ibidem Magiſt. Ioannes Gerſon.

Putrefactio vt notat Brulefer di. xij. qu. vj. libr. iiij. eſt corruptio proportionis elementorum, in mixto facta à calido corpore circunſtantis, ideo ſi aliquis ſepeliretur in niuibus perpetuis, nunquam corrumpitur, ſecūdum Ariſtotelem, quia humiditas habet continuare partes, ſicut ſiccitas diſſoluere, &c.

De litera Q.

Q*Vadrageſima* dicitur Ieiunium ante Paſca, quod quadrageſima dicitur, quia fit quadraginta diebus, ſicut à Chriſto, Moyſe, & Helia quadruplici ratione. Vel quia ſecundum Gregor. per hos quadraginta dies virtus decalogi per libros quatuor ſancti Euangelij impletur. Vel quia dignum eſt vt carnem noſtram quaterdecies affligamus. Vel quia in his offerre cōtendimus decimas dierū. Vel quia ſecūdum Aug. creaturæ inuiſibili debetur

ternarius

ternarius numerus : ſed creaturæ viſibili debetur quaternarius, propter calidum, frigidũ, humidum, & ſiccum. Vnde ſi denarius numerus ducatur per quaternarium, qui competit corpori per quod adminiſtratio geritur, quadrageſimũ numerum conficit; ex ſancto Tho. ſecunda ſecundæ, q. cxlvij. art. iv. Et iiij. ſent. di. xv. q. ij. art. iij. Hinc rationabiliter videri poteſt (ſecundum Magiſtrum Ioãnem Gerſonem part. iiij. ſermone Dominicę quadrageſimæ, contra ſuperbiam) ſanctam Eccleſiam hoc ordinaſſe ieiunium, quod non debet frangi per ſuperbam inobedientiam, &c.

Qualitas eſt ſecundum quam quales eſſe dicimur, ſecundum Ariſtot. li. prædicamentorũ. Poteſt qualitas tripliciter ſumi, vt ſcribit Dominus Cardinal. Camerac. q. ix. art. iij. li. j. Vno modo pro omni ſignificato termino ſũ de prædicamento qualitatis, & ſic aliqua ſubſtantia eſt qualitas: vt ſatis patet. Secundo modo pro quolibet apto aliquid denominare eſſe quale: & ſic forma ſubſtantialis eſt qualitas. Alio modo ſumitur pro aliquo accidente denominãte aliquid eſſe quale, vel apto denominare: & ſic nulla ſubſtantia eſt qualitas: quia licèt forma ſubſtãtialis denominat aliquid eſſe quale, propter quod differẽtia eſſentialis prædicatur in quale: tamẽ non eſt qualitas, quia non eſt accidens; ideo non prædicatur in quale accidentale. De quo conſulas Dialecticos. Qualitas ſecundum ſanctũ Tho. j. ij. q. xlix. art. ij. propriè importat modũ, id eſt determinationem ſubſtantię, vel ſecundũ quod potentia materię determinatur ad eſſe ſubſtantiale, & ſic eſt differentia ſubſtantiæ: vel ad eſſe accidentale, & ſic eſt differentia accidentis & prædicamentorum qualitatis. De quo videatur Logica.

Qualitas morbida quam cauſauit Adã (ſecundũ Magiſtrũ) in carne ſua, quæ cõſequebatur eutuitatem voluntatis, variis nominibus nominatur. Dicitur enim fomes peccati, cõcupiſcentia, vel cõcupiſcibilitas, lex membrorum, languor naturę, tyrannus in memoris, lex carnis : & eſt ſicut pondus quoddam in carne excitans motus ſenſuales, & inclinans animam ad condelectandum carni : & ita retardãs & reprimens à delectationibus ſpiritualibus, ſecundum illud Sapien. 9. Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam: propter iſtam qualitatẽ morbidam in carne. Vide de hoc Dominũ Præpoſitũ Gab. recitantẽ opinionẽ Magiſtri di. xxx. q. ij. libr. ij. Duæ ſunt ſecundum Magiſtrũ qualitates morbidæ. Vna eſt in carne prolis libidinoſæ ſeminata, ex infectã carne parentum cauſata: quia infectum producit infectum: & illa non eſt peccatum aut culpa, quia non eſt in anima, ſed in ſemine, priuſquam infundatur anima, quę manet in carne prolis: nec tollitur per quãcunq; mutationẽ ſeminis, cuius multę præcedunt tranſmutationes etiã ſubſtantiales infuſionem animæ: non igitur eſt peccatũ, quia in ſola anima eſt peccatum. Ab illa autem morbida qualitate carnis in infuſione animæ, cauſatur alia qualitas morbida in anima, quę eſt vitium inclinãs animam ad effrænatè concupiſcendum. De quo dicit Auguſtinus, quod facit paruulũ habilem ad cõcupiſcendum, adultum verò actu concupiſcentem: & vtraque qualitas vocatur concupiſcentia ſeu concupiſcibilitas, fomes, &c. & illa concupiſcibilitas in anima eſt peccatum originale: nõ illa qualitas morbida in carne, quæ eſt effectus peccati, id eſt pœna, & peccati originalis cauſa. Hæc dicta ſunt ſecundum Magiſtrum di. xxx. libr. ij. Et cùm anima infunditur, nihil de nouo à parentibus contrahitur. Item planè dicit Magiſter, quod ex carne infecta animã dũ infunditur, inficitur & maculatur: ponẽs exemplum de panno mundo, vel pomo ex macula manus recipiẽtis maculato: vide Magiſtrum in textu. Sed ſecundum Anſel. vna qualitas morbida videtur ſufficere qua ſubiectatur in ipſa carne, quia illa qualitas ponitur propter inclinationem voluntatis effrænatam ad concupiſcendum, quam experimur: ſed ad hoc ſaluandum ſufficit qualitas carnis. Vide ad hoc Dominum Præpoſitum Gabr. di. xxx. q. ij. lib. ij. Scotum & Occam, & Greg. & vide ſupra in dictione *Peccatum originale*.

Quantitas, ſiue quantum, eſt quadruplex, vt notat Dominus Cardinal. Camer. q. ix. art. iij. lib. j. Quædam eſt quãtitas ſolùm diſcreta, ſicut numerus Angelorum. Alia eſt quantitas ſimul diſcreta & continua, ſicut numerus partium vnius corporis, vt lapidis. Alia eſt quantitas ſimul diſcreta, cõtinua ſiuè extenſiua, & etiam intenſa, ſicut numerus partium vnius qualitatis corporalis, ſicut caliditas. Alia eſt quãtitas ſimul diſcreta & intenſa, ſed non cõtinua vel extenſa: ſicut numerus partium vnius qualitatis ſpiritualis, vt charitatis : & ſic qualitas iſto modo quanta poteſt eſſe in ſubiecto indiuiſibili, ſicut in Angelo vel anima. Quantitas continua ſecundum eundẽ Cardinal. q. v. art. ij. lib. iiij. eſt extenſio ſiue extrapoſitio, vel diſtãtia partiũ facientiũ vnũ totũ. An autẽ quantitas continua diſtinguatur à re quanta, magna eſt inter Philoſophos controuerſia. De quo videto in Logica quã edidimus, & Dominum Cardinal. Camerac. q. v. ar. ij. li. iiij. quæ tenet quod omnis quantitas cõtinua eſt ſubſtãtia vel qualitas. Quam opinionẽ magis cõſonare dicit poſitioni fidei, quàm eius oppoſitã : quem latiùs ſcribentẽ vide. Quod autem dicitur, quod ſubſtãtia & quãtitas ſunt diuerſa prędicamenta: ergo diſtinguuntur. Dicendum eſt ſecundũ eundem, quod ad diſtinctionẽ prędicamentorũ ſufficit diſtinctio conceptuum vel intentionũ. Vnde dicit Ioan. Damaſ. quod poſſibile eſt eandẽ rẽ ſecundũ aliã & aliã intentionẽ ad aliud, & ad aliud prædicamentũ reduci. Vide plura apud Cardinal. vbi ſup. & aliàs. Et ſecundũ Gab. d. ij. q. j. ar. j. li. ij. quadruplex eſt quãtitas, ſcilicet multitudinis, extẽſionis, durationis, & perfectionis, &c.

Quantitas intẽtionis (vt notat Gab. d. xl. ar. iij. dub. j. lib. ij. poſt S. Bona.) poteſt dupliciter attẽdi. Aut ratione actus intendẽdi. Aut ratione obiecti intẽti, quod eſt finis tantũ, & cõformiter tantũ quantum poſſunt accipi nominaliter, & ſic reſpiciũt intentũ. Vel aduerbialiter, tunc reſpiciũt actũ intendẽdi. Primo modo quãtitas operis cõmenſuratur quantitati intẽtionis, quantũ ad bonitatẽ & malitiã: quia opus exterius factũ non ſemper cõmenſuratur ei quod interiꝰ intẽdit, id eſt fini: frequẽter enim homo intendit facere magnũ bonũ, & facit paruũ: quia modicam habet charitatẽ. Sic etiã in malis nõ ſemper qui intendit parũ peccare, parũ peccat: licèt qui in-

Q V

tendat multũ peccare,multum peccet,& ſi actus ſit modicus.Secũdo modo accipiẽdo,ſic quãtitas operis attẽditur ex quãtitate intẽtionis,quantũ ad bonitatẽ & malitiã: quia quãtus eſt actus intendendi in bonitate & malitia intenſus ex omnibus circunſtantiis, tantus eſt actus exterior bonus & malus. Omne enim meritũ & demeritũ actus exterioris reducitur ad actũ voluntatis inreriorẽ : & ideo ſecundũ intentionẽ bonitatis actus interiotis,menſuratur bonitas actus exterioris.Sic de malitia.

Quantiras dupliciter accipitur,ſecundũ S.Bonauen. d.xvij.q.j.li.j.ſcilicet propriè & metaphoricè.Propriè dicitur quãritas molis,& hæc eſt in corporalibus.Metaphoricè quãtitas virtutis,& hęc eſt in ſpiritualibus.Et cùm (vt idẽ ait) in charitate ſit quantitas virtutis,& nõ in ſummo:cõſtans eſt charitatẽ augeri poſſe,&c.Vel ſecundũ ſubſtantiã,vt ibidem ſentit.Et quãuis (vt idẽ ait q.ij.vbi ſupra.) charitas ſit ſimplex,quia nõ habet partes quãtitatiuas quantitate molis:habet tamẽ quãtitate virtutis,& quãtum ad illam poreſt augeri.Et vtramq; quantitatẽ, ſcilicet molis & tranſlatiuę cõſequitur æqualitas,vt idẽ notat d.xix.q.j.li.j. ergo vbi eſt ponere quantitatẽ virtutis,ibi eſt ponere æqualitatẽ vel inæqualitatẽ . Hæc autẽ quãtitas virttitis ponitur in ſpiritualibus, & ſummè reperitur in diuinis : quia hæc quãtitas non repugnat ſimplicitati,ſed cõſonat. Similiter nec æqualitas cõſequens iſtã quantitatẽ. Et quia altera pars cõditionis cõpletior attribuẽda eſt Deo,& æqualitas præit inęqualitatẽ:ideo ponenda eſt æqualitas in diuinis : vnde dicitur in Symbolo: Totæ tres perſonę coæternę ſibi ſunt & coæquales. Item omne quod eſt perfectionis eſt transferendũ ad diuina,ſed æqualitas eſt perfectionis in creatura. ergo. Latiùs probat S.Bonauent. perſonas in diuinis eſſe æquales.De quo vide ſupra.

Quantulus, a, um, eſt diminutiuum huius nominis quantus,a,um.A quo quantulũcunq;,quod eſt ſignum diſtributiuũ paruæ quãtitatis, vt ſcribit Bruleſ.d.xxx.q.j.lib.iij. Vnde quantulacunq; charitas poteſt reſiſtere quantæcunq; tentationi, loquendo quo ad exordiũ tentationis:quia Deus hominẽ habentẽ charitatem,nunquã deſerit,niſi ille ab eo voluntatiè recedat , quin potius ſecundũ quod augetur tentationis bellũ,operatur Deus charitatis augmentũ. Vnde quantumcunq; ſit modica charitas in homine,nunquã poteſt inuitus ab aduerſario deiici:quia ſecundũ quod creſcit bellũ,creſcit adiutoriũ ſi homo faciat quod in ſe eſt. Si autẽ loquamur de tentatione quantũ ad conſummationem victoriæ, nõ ſic poteſt eſſe quod homo ex modica charitate reſiſtat tẽtationi,maximè quia nõ patitur ordo diuinæ iuſtitiæ,quin ex victoria magni belli fiat amplificatio meriti.Sed quantũ ad liberũ arbitriũ ſi cõparatur ad dominiũ libertatis, tunc quantulacunq; charitas poteſt quantæcunque tentationi reſiſtere: non autem poteſt,ſi cõparetur ad pronitatis & difficultatis vitium. Hæc Bruleſer.

Qui eſt, boc nomen principalius appropriatur Deo. Pro boc Doctores varias & plures aſsignãt rationes. Nã Diony.dicit,quod eſſe eſt prima perfectio, cui & viuere,& intelligere annectuntur,vt fundamento.Ex hoc ergo ratio ſecundũ Rayner.in ſum, & Thõ.quia hoc nomen,qui eſt,dicitur ab eſſe: & eſſe eſt primũ & principali' inter omnes participationes alias diuinæ bonitatis,quaſi principiũ illarũ, quæ ſunt viuere,intelligere,velle:ergo appropriatur Deo,qui eſt principiũ omniũ.Et etiã quia diuinum eſſe eſt perfectiſsimũ,cuius nihil eſt extra ipſum,& eſt æternũ cui nihil deeſt,& eſt immutabile ſemper. In creaturis autẽ eſt eſſe imperfectũ,defectuoſum,& mutabile.Nam deeſt eis aliquid,quod, ſcilicet iam de ipſis præterijt, & quod adhuc de ipſis futurum eſt:ideo ſoli Deo propriè conuenit hoc nomẽ,qui eſt,quod præſens tẽpus dicit: quia Deus ab æterno ſemper eſt ex ſe immutabilis,& in æternitate Dei nõ eſt niſi pręſens tempus:ergo.Alias rationes ponunt huius nominis appropriati Deo & Tho.& Richar.Et in Gręco poteſt vocari hyperuſios,ab hyper,quod eſt ſuper,& vſios,quod eſt ſubſtantia,quaſi ſuper ſubſtantiã:& qui pronomen, dicit infinitum,cùm ſit pronomẽ infinitũ,& verbum eſt,vltra dicit ſubſtantiã.Hæc Guil.Scotiſ.& refert frater Pelbar.& in Hebręo videtur hoc nomen dici ſecundũ eundem Guil.Tetragrammaton, quod in lege erat nomen principalius.Hinc Rabbi Moyſes dicit hoc nomen Dei eſſe ineffabile. De hoc nomine,qui eſt,vel qui es,non parũ multa ſcribit Dominus Præpoſ.Gabr.lect.lv.canon. & propriè acceptũ, ſoli Deo propriũ eſt (vt ipſe ait) ſignificans immutabilem ſubſiſtentiã, quæ tempore nõ mẽſuratur,ſed omne tempus tranſgreditur.Non enim in Deo prætetitio aut fututitio eſt,ſed nunc æternitatis,ſemper ſtãs ſine fluxu in præteritũ,& ſine tranſitu in futurũ. Hanc immutabilitatẽ ſubſiſtentię volens de ſe tanquã de Deo oſtẽdere Chriſtus Iudæis dicẽtibus: Quinquaginta annos nondũ habes,Abraham vidiſti? Dixit:Amẽ dico vobis,antequã Abraham fieret,ego ſum : ſcilicet ſecundũ diuinitatem, quæ tempori nõ ſubiacet, nec tempore mẽſuratur. Plura ibi Dominus Præpoſ.Gab. Vnde Auguſtin. ſuper Ioan.tractãs illud:Niſi credideritis,quia ego ſum,moriemini in peccatis veſtris.Ioan.8.Res,inquit,quælibet qualicunq; excellentia fulgens:ſi mutabilis eſt,verè non eſt. Non eſt enim verũ eſſe vbi eſt,& non eſſe,ſcilicet poſsibiliter. Quicquid enim mutari poteſt,mutatũ non eſt quod erat. Si nõ eſt quod erat,mors quædam ibi facta eſt:quia peremptum eſt ibi aliquid quod erat & non eſt. Vnde de mortuo,cùm dicitur:vbi eſt ille homo? Reſpondetur: fuit, &c. Ex quibus verbis patet creaturas quaſlibet eſſe mutabiles : & per conſequens non verè eſſe: & ſolam veritatem,quæ Deus eſt,immutabiliter eſſe:& ex hoc eſt eſſe ſibi proprium.Vnde dicit Dominus: Ego ſum,qui ſum. Et aliàs : Dices filiis Iſraël: Qui eſt, miſit me. Vnde Damaſcenus: Primum eſt principalius eorum , quæ de Deo dicuntur hominibus, eſt, qui eſt : ſicut ipſe loquens in oraculo Moyſi ait : Totum in ſeipſo comprehendens voluit quoddam pelagus ſubſtantiæ infinitum & indeterminatum.Nam ratione qui,quod eſt nomen infinitum,ſignificat ſubſtantiæ infinitatem.Ratione eſt,quod ſignificat vt actu præſens in nunc immutabilitatis,ſignificat eſſentiam vt actualitatem ſemper præſentem : & ita vt æternam & immutabilem. Sic ergo, qui eſt, propriiſsimè acceptum,ſignificat ſubſtantiam infinitam,æternam,

& immu-

& immutabilem: talis autem eſt ſolus Deus. Potes latiùs de nomine hoc videre apud Dominum Præpoſitum Gabrielem, Vbi ſupra.

Quo eſt. Iſta quatuor (ſecundum ſanctum Bonauent. diſtinct. xxiij. quæſt. iij. libr. j.) quo eſt, quod eſt, qui eſt, & quis eſt, in Deo idem ſunt re, ſed differunt ſecundum modum intelligendi. Ibi quoque eſt vnum tantū quo eſt, vt diuinitas, & vnum quod eſt, vt Deus: quia fides dicit vnum Deum, vnam eſſentiā, & vnam ſubſtantiam. Deniquè quo eſt, eſt idem in Deo cum hoc quod eſt, & econuerſo. In creatura autem qualibet (vt dicit Boëtius de hebdomadibus libr.) diuerſum eſt eſſe, & id quod eſt ſiue quo eſt, & quod eſt, ſcilicet modaliter & formaliter. Denique quis eſt in diuinis: puta, pater vel filius vel ſpiritusſanctus diſtinguuntur: & quo diſtinguuntur, eſt proprietas vel notio: puta, pater diſtinguitur paternitate ab aliis: ſed hoc nomen diuinum qui eſt, ſecundum Guilhelmum Scotiſt. diſtinct. xxij. primi. concor. Thom. diſtin. viij. dicit ſubſtantiam infinitam: quia ly eſt, dicit ſubſtantiam: & ly qui, dicit infinitatem, cùm ſit pronomen infinitum: & ſic ſignificat eſſe Dei ſecundum rationem indeterminatam, vt dictum eſt.

Qui quandoque cauſaliter accipitur. Vnde eſt illud Saluatoris: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, &cæ. vbi qui (vt vult Gerſon ſermone illo de verbis Domini: Venite ad me, &c.) non eſt diſcretiuum, vt videlicet referri debeat ad eos tantum, qui laborauerint & onerati fuerint: quaſi innuens aliquos fuiſſe laboris & oneris expertes, & ipſos non eguiſſe miſericordia Domini vocantis. Eſt autem accipiendum cauſaliter: vt ſit ſenſus: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, id eſt quia vos omnes laboratis & onerati eſtis. Concluſit enim ſcriptura omnia ſub peccato: vt promiſsio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus. Omnes quippe peccauerunt & eguerunt gratia Dei. Hæc Gerſon.

Quia vel propter, vel alia æquiualẽs, faciẽs propoſitionem cauſalem, quandoque ſignificat cauſam eſſendi (vt ſcribit Dominus Cardinalis quæſt. xij. artic. ij. libr. j.) & denotat cauſalitatem vnius realitatis reſpectu alterius in aliquo quatuor generū cauſarum, & ſic facit propoſitionem propriè cauſalem: vt cùm dicitur: quia Sol lucet, dies eſt: & ſic de ſimilibus, quæ denotant antecedentis ad conſequens cauſalitatem propriam: & de tali cauſali propriè dicto, poteſt dari iſta regula: Nulla propoſitio cauſalis propriè dicta, cuius conſequens ſignat tanquam ſignum totale Deum aliquid velle vel intelligere eſt vera: quia ſicut nihil eſt vel eſſe poteſt ipſi Deo cauſa propriè dicta vt ſit: ſic nec vt intelligat vel velit. Quandoque verò talis dictio non ſignat cauſam eſſendi, nec antecedentis ad conſequens cauſalitatem propriam: & ſic non facit cauſalem propriè dictam: vt cùm dicitur, quia creaturæ ſunt à Deo, Deus eſt Dominus creaturarum, quia aliqua res in diuinis generas filium, aliqua res in diuinis eſt pater; quia homo eſt rationalis, homo eſt riſibilis: quia Iſocheles habet tres angulos æquales, duobus rectis, ideo eſt triangulus: & ſic de ſimilibus. Tales enim propoſitiones ſolent concedi, tam in Theologia quàm in Philoſophia, & Metaphyſica: & tamen non denotant cauſam eſſendi, nec antecedentis ad conſequens cauſalitatem propriam, quia ſic eſſent falſæ: vt patet intuenti, ſed ſignant cauſam cognoſcendi, vel antecedentis ad conſequens conuertibilitatem per conſequentiam mutuam, cum connotatione cuiuſdam proprietatis inferentis reſpectu illati, ſecundum noſtrum modum concipiendi & ad aliquem talem vel conſimilem intellectum. Hæc Aliacenſis vbi ſupra.

Quidditas poteſt capi vel pro prædicato quidditatiuo, id eſt quidditatiuè ſuperiori, vel pro eſſentia rei, vt ſcribit Gabriël diſtinct. xxvj. quæſt. j. artic. j. dubio iiij. quæſt. j. libr. j. ſecundum Franciſcum Maro. in confla. diſtin. xlij. quæſt. j. libr. j. per quidditates non intelliguntur niſi rationes formales quidditatiuæ rerum in ſe. Scotorellus ſuper ij. libr. ſentent. diſtinct. iij. quæſt. j. dicit: Quidditas eſt ipſa eſſentia rei nudè accepta ſine omni reſpectu: proinde quidditas dicitur quaſi rei entitas.

Quies capitur duobus modis, vt ſcribit Bruleſer diſtinct. xv. quæſt. vj. libr. ij. Vno modo, vt dicit, ceſſationem ab omni opere laborioſo: iſto modo Deus non quieuit poſtquam animalia produxerit, & omnia. Alio modo capitur quies, vt dicit, ceſſationem ab opere facto ſine labore & fatigatione: & iſto modo Deus quieuit. Dicitur & rurſus, Deus continuè operari quantum ad indiuiduorum productionem: ideo Deus dicitur operari vſque nunc, & operatur vſque in finem. Vndè Ioannis quinto: Pater meus operatur vſque nunc, & ego operor. Et quies eſt id quod eſt in re: de cuius aptitudine eſt vt moueatur, non tamen eſt mota, ſecundum Albertum Magnum in Philoſophia ſua. Et quies eſt priuatio motus in illo, de cuius aptitudine eſt vt moueatur: non tamen eſt motum, ſecundum Auicennam. Quies quod propriè ſomnum ſignificat, dicta quaſi qui tibi es & nullo alio negotio detineris. Tunc enim cęteris negotiis non vacamus cùm dormimus, propter quod etiam pro tranquillitate accipitur quies. A quo fit requies eiuſdem ſignificationis, & quietus, tranquillus: & quietudo, quieſco, & requieſco. Et quies ſecundum Gerſonem parte iij. ſuper Cantica canticorum, ſinpſalmate ij. nō eſt in homine quantum ad omnes vires, pręter ſolam voluntatem quo ad amorem, quem videre potes. Et vt idem dicit de diuerſis tentationibus diaboli: Non eſt poſsibile in occupatione laboris, vel temporalis adminiſtrationis tantum ineſſe homini mentis ſerenitatem, ſicut in ſua quiete poſt diuturnam moram: & aliter illam quærere eſt ſæpe irritus labor & ſola tentatio. Frequenter autem hæ cogitationes melius vincuntur, ſi eas nihilipendimus aut curamus, ſed aliis in rebus occupamus animum, quàm ſi eas vi nitamur propellere. Capitur & quies pro ocio contemplatiuo. Vnde dicit Ariſtoteles: Anima ſedendo & quieſcendo fit prudens. De quo legito Gerſonem ſuper Cantica canticorum, ſinpſalmate iiij. vbi colligit quædam ſigna, quibus oſtendit ſponſa quietem ſuam placere ſponſo potius quàm turbari eam circa plurima, &c.

Quieſcere. Vno modo accipitur vt priuat ſimpliciter omnem motum, ita quod illud dicitur quieſcere quod nullibi mouetur. Sic anima nō ſimul quieſcit & mouetur, in caſu autem poteſt nō quieſcere: nec ſequitur, quieſcit in pede, ergo quieſcit: quia arguitur virtualiter ab inferiori negato ad ſuperius, quia à parte in modo ad totum negatiuè. Secundo modo capitur quieſcere, vt priuat motū reſpectu certi vbi: vt valet tantum: quieſcit, id eſt, in certo loco non mouetur: tunc in caſu anima ſimul quieſcit & mouetur: nec ſic opponuntur niſi reſpectu eiuſdem vbi. Hæc Dominus Præpoſitus Gabriel di.xvj.q. vnica, libr.ij.dub.iiij.

Quietare eſt quietem reddere. Vnde vltimate voluntatem quietare intelligitur dupliciter. Vel quia eſt vltimū eligibile propter ſe, & nō propter aliud. vel quia eſt aliquid poſt quod non eſt aliud quietans. Primo modo fruitio quietat & non delectatio: & quod ſic quietat eſt nobilius, quia non eſt propter aliud. Si ſecundo modo, ſic delectatio vltimatè quietat, ſed tale nō eſt nobilius cū ſit propter aliud: nam & delectatio eſt propter operationem. 10. Ethic. Delectatio denique cōſeruat operantem in opere. Gabriel di.j.q.iij.artic.iiij.lib.j. Et voluntas quieta idē eſt quod volitio, qua mens ſeu appetitus quieſcit: quieſcit, inquā, amore & dilectione.

De litera R.

RAdius, ſplendor à Sole micans, transfertur & ad fulgorem oculorū: dicitur & radius virga, qua Geometræ lineas iudicant, eſt & textoris inſtrumentum, quo telæ annectuntur. Radij quoq; rotarum dicuntur. Dicitur & inſtrumentum quo raduntur menſuræ, quod alio nomine dicitur hoſtorium: & de radio vide & in dictione *Lux*. Eſt & radius diuinitatis, quem nominat Alexander de Ales part.iij.q.vij.memb.iij.art.j. gratiam vnionis quæ eſt in Chriſto: dicit enim, in Chriſto eſt gratia vnionis: quia non eſt poſsibile creaturæ humanæ, quod per donum conditionis naturæ eleuetur ad diuinam vnionem. Et ideo neceſſaria eſt ei gratia, quæ eleuet & diſponat ipſam, quam nos dicimus gratiam vnionis. Hæc refert Gabriel diſtinct.xxx. quæſt.iiij.artic.ij.libr.j.

Radix (vt ſcribit ſanctus Bona.d.xxij.in dub.literalibus libr.ij.) accipitur aliquando generaliſsimè. Aliquādo generaliter, aliquādo minus generaliter. Generaliſsimè, vt cùm dicitur libido ſiue cupiditas eſſe radix omnium malorum. Generaliter verò, vt cùm dicitur, quod duplex eſt radix, amor malè accendens, & timor malè humiliās. Amor enim accipitur reſpectu boni, & timor reſpectu mali. Minus verò generaliter, vt cùm dicitur, triplex eſt radix, ſcilicet cōcupiſcentia carnis, cōcupiſcentia oculorū, & ſuperbia vitæ: per cōparationem ad triplex bonum, ſcilicet ad bonū inferius, exterius, & interius, &c. Hinc eſt quod dicitur: Superbia initiū peccati, propriè loquēdo: & cupiditas dicitur eſſe radix omnium malorū, &c. Differt autem (vt idem ſcribit) dicere initium & radicem. Nam initium propriè dicit illud à quo inchoat motus. Radix verò dicit illud vnde trahitur fomentum & nutrimentum: & ideo cùm peccatum trahat fomentum ex parte appetibilis, & dicat receſſum à Deo. Hinc eſt quod initium attenditur ex parte auerſionis, & radix ex parte conuerſionis, propriè loqoendo. Et quoniam auerſio eſt ex ratione contemptus, & conuerſio eſt ex ratione cupiditatis ſiue libidinis. Hinc eſt quod ſuperbia propriè loquēdo dicitur initium omnium peccatorum: & cupiditas dicitur eſſe radix. Et quoniam in omni peccato eſt auerſio & cōuerſio. Hinc eſt quod ſuperbia dicitur initium omnium peccatorum: & cupiditas radix omnium malorum. Accipitur tamen nomen radicis aliquando pro nomine initij, & econuerſo. Capitale autē vitiū differt à radice in hoc, quod ſicut caput dicit principale membrū, & membrū cōpletum, & quod eſt principiorū aliorum quantū ad motum & ſenſum. Sic capitale vitium nominat peccatum completum, à quo omnia alia vitia oriuntur. Radix verò dicit aliquid ſub maiori incōpletione: & ideo propriè loquēdo. Radix non nominat genus peccati determinatum, ſed pronitatem libidinis, quæ concurrit ad omne peccatum. Hæc ſanctus Bonauen. vbi ſupra. Et ſecundum Antoni. quinque ſunt radices peccatorū. Prima eſt inordinatus amor ſui. Secunda eſt timor indiſcretus. Tertia cupiditas. Quarta concupiſcentia. Quinta ſuperbia, de quibus videto latius Antoñ. part.j.tit.vij.cap.ij.§.iiij.

Rancor eſt diſplicentia contra aliquē propter quam deſiderat, vel quærit quis malū fieri, & eſt filia acediæ, aliquando eſt filia iræ. Et ſecundū B.Thom.ij. ij.q.xxxv.ar.iiij. Rancor eſt indignatio contra inducētes ad diuina. Et vt ſcribit S.Bonauen.di.xxx. lib.iij.in dub.literalibus. Aliud eſt dimittere rancorem, & aliud ſigna rancoris. Rancorem dimittere omnes tenentur, ſiue inimicus maneat inimicus ſiue non. Signa verò rancoris dimittere, vt nolle loqui, & ſimilia facere cum inimico: hæc quidem deponere perfectionis eſt, nec ad hoc tenetur, niſi quando inimicus humiliter & deuotè poſtulauerit facto vel ſigno: tunc tenetur ei loqui & reſpondere, & ſimilia. De hoc vide latiùs Gabrielem lect. canon.lxxvj. vide & de ſignis rancoris Antoñ.parte ij.ſummæ tit.ij. cap.ij.§.iij.&c. qui non diſcrepat à prædictis, &c.

Rapina eſt rei alienę iniuſta ablatio, ſecundū S.Tho. ij.ij.q.lxvj.ar.viij. Vnde rapere eſt cū impetu quodam & violentiā auferre. Ponitur etiam pro vitiare, & propriè eſt de virginibus. De quo infra. Et differunt rapina, raptio, & raptus. Quod raptio ad perſonam refertur, rapina ad rem, raptus ad ſtuprū. Et rapina (vt ſcribit Gabriel diſtinct.xv.quæſt.iij. art.j.libr.iiij.) accipitur multipliciter. Vno modo largiſsimè & impropriè pro omni indebita vſurpatione rei, ſiue temporalis ſiue ſpiritualis. Sic accipitur ad Philip.2. vbi de Chriſto dicit Apoſtolus: Non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo: quia nō attribuit ſibi æqualitatem Dei indebitam. Fuit & æqualis patri ſecundū diuinitatem: & Deus verus de Deo vero. Hanc autem rapere voluit primus parens, vt dicit Auguſtin. Voluerūt rapere diuinitatē, & perdiderūt felicitatem. Et huius rapinæ pœnam ſoluit Chriſtus, vt ait in Pſalm. Quæ non rapui,

rapui,exoluebam. Secúdò accipitur cõmuniter, minus tamẽ largè pro vſurpatione vel retentione iniuſta rei alienę temporalis quacunq;,ſiue manifeſta ſiue occulra: & ſic comprehendit ſub ſe furtũ,rapinam propriè acceptã,vſuram. Hinc Ambroſ. Si quis vſuram accipit,rapinam facit: vita nõ viuit. in li. de bono moris. Et Aug. xiiij. q. v. Si quid. ait: Si quid inueniſti & non reddidiſti,rapuiſti. Er B. Hieron. & habetur di. xlij. §. ordinãdus. Aliena rapere conuincitur, qui vltra neceſſaria ſibi retinere conatur: quod intelligendũ eſt de ſuperfluo naturæ & perſonæ. Er illo modo tapina non diſtinguitur à furto etiã largè accepto. Tertio modo accipitur propriè & ſtrictè: vt diſtinguitur cõtra furtũ propriè. Et ſic rapina deſcribitur: Rapina eſt rei alienæ per violentiã ad lucrũ facta illicita vſurpatio. Dicitur rei alienæ: quia ſi quis per violentiã rem propriam ab eo, qui eam abſtulit dum aſportat, aut dum poſtquam ad locũ fur vel raptor ſe cõtulit & portauit, nõ diceretur rapina. Et dicitur per violentiã, ad differentiam furti,quo recipitur res aliena per fraudulentiã. Dicitur, ad lucrũ: quia ſi quis violenter eriperet gladium de manu furioſi ad prohibendũ homicidium, non eſſet rapina. Similiter ſi quis auferat ancillã alicuius vt fornicetur cum ea,nõ eſt rapina, licèt poſſet dici raptus: vt eſt ſpecies luxuriæ. Dicitur, illicita: quia propter ablata violenter in bello iuſto ab hoſtibus: ſimiliter cũ aliàs debitũ ab aliquo inuito publica auctoritate aufertur,nõ cõmittitur rapina. Et differt à furto,quia furtũ fit occultè,rapina manifeſtè. Item furtũ fit doloſe, ſed rapina violenter. Accipitur & rapina ſtrictiſſimè,vt diſtinguitur cõtra prædationem: & tunc rapina reſpicit res immobiles,deprædatio verò mobiles: cõmuniter tamen accipiũtur pro eodẽ indiſtinctè. Hęc Gabr. vbi ſup. qui & ponit ibidem ſpecies rapinæ & furti. Omnis autẽ rapina ſimiliter & furtũ peccatũ eſt,quia includũt in ſuis rationibus iniuſtitiã: & eſt mortale, quia eſt cõtra expreſſum præceptũ negatiuum decalogi: Non furtũ facies. Si tamẽ aliquod minimè cõtrectaretur ex ſurreptione,non ex malitia, excuſaretur à mortali, vt dicit S. Tho. Et idẽ ij. ij. q. lxvj. ar. viij. ait: Rapina dicit quandã violentiam & coactionẽ,per quam cõtra iuſtitiã aufertur alicui quod ſuum eſt. Coactionẽ autem iuſtam in humana ſocietate nemo habet niſi publica poteſtas. Idcirco priuata perſona nõ vtens publica poteſtate,ſi quid per coactionẽ aut violentiã aufert, iniuſtè agit, & rapinam cõmittit. Principibus verò & Rectoribus cõmunitatum publica poteſtas ad hoc cõmittitur, vt ſint iuſtitiæ cuſtodes: & ideo nõ licet eis violentia & coactione vti,niſi ſecundũ iuſtitiæ tenorem: & hoc vel contra hoſtes pugnando, vel cõtra ciues malefactores puniendo, & cæteris paribus, rapina eſt grauius peccatũ quàm furtũ. Vnde Aug. in libr. q. Exodi: Pœnale eſt occultè auferre, ſed multò maioris eſt pœnæ viſibiliter eripere. xiiij. q. v. Pœnale. vbi gloſſ. Pœnale, id eſt dignũ pœna. De hoc latiùs Gab. qui ſecundũ B. Tho. ponit duas rationes, quod magis delinquit raptor q̃ fur: & addit alias duas, & vterq; tenetur reſtituere domino rei, ſi earũ reſtitutio fuerit in ſua poteſtate. Sic etiã participes eadem lege ligantur: de quo latiùs ſcribit Gabr. ar. ij. q. iij. concluſione j. & ij. vbi ſupra.

Raptor dicitur propriè, qui rapit res immobiles. Prędo verò res mobiles: vnde rapina dicitur de rebus immobilibus. Deprædatio autẽ de mobilibus & ſe mouentibus: vt animalibus & huiuſmodi, ſecundum Ioanem And. Largè verò raptores dicuntur omnes publicè & violenter res alienas deprædantes, tam mobiles quàm immobiles.

Rapacitas cõtinetur ſub violẽtia, quũ ſit ſpecies eius. Quæ violentia eſt filia auaritiæ ex beato Thom. ſecunda ſecundæ, q. cxviij. art. viij.

Raptus quandoq; eſt cũ ſtupro, & quãdoq; ſine eo: vt in raptu viduę vel nuptę, vel corruptę. Et quandoq; ſtuprũ eſt ſine raptu, ſi defloretur virgo ſine vi, ex B. Tho. ij. ij. q. xv. ar. iiij. Et ſecundũ eundẽ q. cliiij. ar. viij. vbi ſupr. Raptus eſt illicitus cõcubitus cũ violẽtia. Et raptus (vt ſcribit Magiſ. d. xlj. li. iiij.) admittitur, cũ puella violẽter à domo patris educitur: vt corrupta in vxorẽ habeatur, ſiue puellæ ſiue parẽtibus vis illata cõſtiterit. Hic (vt idẽ ait) morte mulctatur: ſed ſi ad Eccleſiã cum rapta confugerit, priuilegio Eccleſiæ mortis impunitatẽ meretur. Et (vt inquit Gerſ. par. iiij. ſer. Dominicæ. 2. Aduẽtus) Raptus eſt maximũ peccatũ mortale, & eſt caſus referuatus, ſi eſt cognitus, eſt caſus criminalis: & tenentur tales ad reſtitutionẽ & ſatisfactionẽ, ſecundum quod fieri poteſt. Eſt inſuper raptus ſecundũ Tho. & Doctores ab eo, quod eſt ſecundũ naturã in id quod eſt ſupra naturam, vi naturæ ſuperioris eleuatio. Vel raptus ſecundũ Gerſ. part. ij. ſer. facto de S. Bernar. eſt vehemẽs occupatio virtutis ſuperioris cum totali ceſſatione virtutum inferiorum, aut ſaltem cum debilitatione notabili. Vel vocatur raptus (vt idem ſcribit de myſtica Theolo. par. vij. conſider. xxxvj.) eleuatio potentiæ alicuius ſupra inferiores potentias, & ex actuatione eius in ſua operatione ceſſantibus, vel debilitatis actibus inferiorum potentiarum. Vel raptus eſt fortis actuatio & vehemẽs in ſuperiori potentia. Vnde ceſſant operationes inferioris potentiæ: vel ita debilitantur & ligãtur, vt ſuperiorem in ſua operatione nequaquam impediant, & extaſim dicit idem quandam ſpeciem raptus: de qua ſupra ſuo loco vide eundem tract. iij. & j. ſuper Magnificat.

Raptus, extaſis, & mentis exceſſus, differunt ſecundum Doct. ex dictis Aug. ſuper Gen. Quod raptus quem habuit Paulus, & exceſſus mentis quẽ habuit Adã in ſopore, & etiã Petrus in vigilia, nec nõ extaſis quam habuit Ioannes in Apocalypſi, dicit ſe in ſpiritu fuiſſe. Iſta quamuis in ſcriptura pro eodem accipiantur. Aliquando, ſcilicet pro eleuatione mentis ab exterioribus ſenſibus, tamen vario modo, quia huiuſmodi eleuatio fit dupliciter. Vno modo per abſtractionem à ſenſibus quantum ad intentionem tantum, cùm tota mens intẽdit & vacat diuinis: ita quod etiã vtitur ſenſibus, & ſic largè dicitur omnis contemplator bene eſſe in extaſi, vel in exceſſu mentis, aut raptu: iuxta quod Dionyſius de diuin. nominib. dicit: Eſt extaſim faciens diuinus amor. Alio modo vſitatius, & propriè dicitur extaſis vel exceſſus, aut raptus, cùm quis abſtrahitur ab actu ſenſuum ad aliqua ſupernaturaliter videnda: ſiue imaginaria viſione, & ſic accidit Petro & Ioanni Euangeliſtæ: ſiue intellectuali

viſione ad videndū Deum per eſſentiam, & ſic fuit raptus Paulus, &c. Siue ad videndum Deum, non quidem per eſſentiam, ſed ſic quod intellectus intelligit Deum per aliquas intelligibiles immiſſiones, & ſic fuit extaſis Adæ ſecundum Auguſtinum ſuper Geñ. ita refert frater Pelbartus libro ſecundo Roſarij Theologiæ in dictione *Gratia*. §.l. Item extaſis ſine exceſſus mentis (vt dicit Gloſſ. ſuper illud Pſalm. Ego dixi in exceſſu meo.) aliàs in extaſim fit, inquit, quandoque ex pauore mentis in ſtuporem reuelationis: quandoque ſine pauore ex aliqua reuelatione: de extaſi vide ſupra ſuo loco.

Ratio ſecundum Guil. Scotiſtam in primo diſtin. j. dicitur tripliciter. Vno modo dicitur vis intellectiua. Secundo dicitur ratio forma conſtituens hominem ſeu modus cognoſcendi, inquantum diſtinguitur ab Angelicis ſpiritibus, quia homo cum diſcurſu intelligit. Angelus autem non cum tali diſcurſu: & ſic ratio diſtinguitur ab intellectu. Tertio modo ratio accipitur pro diffinitione alicuius entis, vel quidditate ſeu ratione formali: ſic dicitur quod entitas eſt ratio ſubiectiua entis, & hoc modo dicimus, quod attributa diuina diſtinguuntur formali ratione inter ſe & eſſentia, vt inquit Pelbartus, Ratio ſecundum ſanctum Bonauen. diſtin. xiiij. in ſolutione argumen. artic. ij. quæſt. j. lib. iiij. accipitur communiter & propriè: cōmuniter comprehendit totam portionem animæ diuiſam contra ſenſualitatem, in qua ponuntur tres potentiæ. Propriè accipitur pro potentia diuiſa contra concupiſcibilem & iraſcibilem: alias vide acceptiones rationis apud Bruleferum diſt. vj. quæſt. vltim. lib. j.

Ratio eſt aſpectus mentis, quæ bonum, malumque diſcernit, virtutes eligit, Deum diligit, ſecundum Auguſtinum libro de ſpiritu & anima. Et ſecūdum beatum Thom. j. ſenten. di. iij. quæſt. iiij. Ratio eſt natura intellectualis obumbrata. Et ſecūdum eundem, ratio & intellectus non ſunt idem. Quia ratio quandoq; eſt recta, & quandoq; non recta, tam in ſpeculatiuis quàm in practicis. Sed intellectus ſemper eſt rectus, & ratio & intellectus non diſtinguuntur ſicut duæ potentiæ, ſed ſicut diuerſi actus eiuſdem potentiæ. Quia intelligere eſt intelligibilem veritatem ſimpliciter apprehendere. Ratiocinari autem eſt procedere de vno intellecto ad aliud intellectum ad veritatem intelligibilem cognoſcendam, ſecundum eundem parte j. quæſt. lxxix. artic. viij. Hinc ratiocinatio, quę eſt diſcurſus intellectus ab vno in aliud, à principio ad concluſiones: vt in ſyllogiſmis & conſequentiis. Et ratio, vt eſt pars prudentiæ, eſt diſcurſus intellectus. Et ratio diſtinguitur in ſuperiorē & inferiorē ſecundū diuerſa officia. Nam ratio ſuperior eſt quę intendit æternis conſpiciendis aut conſulendis. Ratio inferior eſt, quæ intendit temporalibus rebus: ex Auguſtino libro xij. de Trinitat. de qua vide ſupra in dictione *Portio*. Eſt & ratio motus animi vera à falſis diſtinguens, à qua fit ratiocinatio, quæ à Græcis ſyllogiſmus dicitur. Et ſecundum quod diuiditur in portionem ſuperiorem & inferiorem: ſic ſunt eius dictamina multiplicia (vt ſcribit Gerſon de vita ſpirituali animæ, lect. iij.) quę ſunt circa vltima principia, quæ apprehenſis, cognitiſque terminis mox nō cognoſci nō poſſunt: nec poteſt eis ratio diſſentire. Alia ſunt dictamina circa concluſiones ex eiſdem principiis deducibiles. Ex primo officio nominatur ipſa ratio ſynderesis, quæ ſemper virgo, hoc eſt inuiolata perſeuerat. Rurſus ipſa ratio poteſt iuuari lumine ſuperiori & ſupernaturali irradiatione ad aliqua practicè cognoſcenda ſupra communem curſum creaturis rationabilibus: vtputa, hominibus conſtitutum, vel modo non vſitato naturaliter: hoc modo nominari poteſt ipſa ratio diuina, dum diuinæ reuelationi principaliter innixa cognoſcit. Hæc Gerſon. Et vt idem dicit part. ij. de myſtica Theologia ſpeculatiua, conſideratione xj. Ratio eſt vis animæ cognoſcitiua, deductiua cōcluſionum, ex præmiſſis elicitiua quoque inſenſatorum ex ſenſatis, & abſtractiua quidditatum, nullo organo in operatione ſua egens, per vltimā particulam diſtinguitur à ſenſualitate, quę organo vtitur, per alias ab intelligentia ſimplici ſecernitur, cuius operatio magis attenditur in receptione cognitionis ſimplicis à ſuperiori luce Deo quàm attenditur in deductione concluſionū, quod eſt proprium rationis. Et ſuperiorem rationis portionem nomine viri & inferiorem nomine mulieris appellamus. Tantum enim viuacitatis & virtutis habet ratio dum ſuperioribus intendit reſpectu illius quā contrahit ex inferioribus, quantum vir à muliere differt in virtute. Rationi quandoq; alia nomina tribuimus, vt quod eſt cœlum, mediū in anima, quod eſt vmbra, intelligentiæ ſimplicis ſicut intelligentia ſimplex in vmbra Angeli, & Angeli in vmbra Dei. Hęc Gerſ. Et in compen. Theol. vis motiua animę rationalis diuiditur per imperatiuam in conſiliatricem in affectiuam: & in conſiliatricē & affectiuam ſimul. Prima eſt liberum arbitrium, & ſynderesis. Secunda eſt ratio. Tertia eſt voluntas. Quarta dicitur ipſe intellectus practicus. Multa aliàs de ratione ſcribit Gerſon, &c.

Ratio quædam eſt recta, quædam non recta, & culpabilis. Eſt autem ratio recta (vt ſcribit Gabriel d. xij. q. vnica. art. j. li. iij.) quæ eſt conformis diuinæ voluntati: rectitudinis enim omnium contingentium prima regula eſt voluntas diuina. Vnde impoſsibile eſt rationem rectam diſcordare à diuina voluntate, iudicando aliquid eſſe non rectum, quod eſt à Deo volitū, eò enim ipſo quod aliquid eſt volitum, ipſum eſt rectum. Et ratio recta deprecatur ad optima: vt dicit Philoſ. 1. Ethic. ideo maior eſt inclinatio ad bonū quàm ad malū in ſtatu innocentiæ: propter quod in illo ſtatu peior eſt abuſus liberi arbitrij. Ex quo ſumitur doctrina moralis notabilis, quam ponit Gab. d. iiij. q. vnica lib. ij. Quāta cautela, quantusq; rigor regēdi liberum arbitrium neceſſarius eſt homini in ſtatu naturę lapſæ, ſi nulla exiſtēte intrinſeca rebellionē ceciderūt primus homo & Angelus in ſtatu naturæ integræ.

Ratio nō recta quæ & vocatur culpabilis, dicitur dupliciter. Aut quia dictat falſum decepta errore vincibili: vtputa, quia dictat faciendū eſſe quod faciendū nō eſt: vel econuerſo, propter aliquē errorē vincibilem. Secūdò, quia omnino nō dictat de agēdo vel nō agēdo, ſed dormit, nō inquirit inquirēda, ſed ſimpliciter obiectū oſtēdit ſpeculatiuè, & nō practicè. Gabr.

Gabr.d.xxij.q.ij.li.ij. Ad hoc aũt quod act⁹ volũtatis ſit rectus, requiritur q̃ fiat cõformiter ſuę regulę. Regula volũtatis eſt ratio, id eſt dictamẽ rationis nõ culpabilis. Actus aũt volũtatis eſt vitioſus, quãdo fit cõtra regulã rationis nõ culpabilis inexiſtẽtis ineſſe debẽtis. De quo in dictione *Regula* videatur.

Ratio humana inducta ad ea quę ſunt fidei, dupliciter poteſt ſe habere (vt ſcribit B. Tho.ij.ij.q.ij.ar.x. Et poſt eũ Gab.d.xxv.q.vnic.ar.iij.dub.iiij.li.iij.) Vno modo vt præcedẽs: puta, cũ aliquis aſſentit veritati fidei propter rationẽ conuincentẽ, aliàs nõ crediturus. Et ſic ratio inducta diminuit meritũ fidei: imò totũ tollit, ita quod ſic aſſentiẽdo nõ meretur. Alio modo ratio humana habet ſe vt cõſequens, cũ, ſcilicet homo habet promptã voluntatẽ credẽdi diuinæ auctoritati, & diligit veritatẽ creatã, & ſuper ea cogitat ſi quis rationes ad hoc inuenire poſſet; nõ quidẽ vt firmius credat (ſic enim humanã rationẽ diuinę auctoritati pręponeret) ſed vt credita magis intelligat, defendat, ac piis (docẽdo) opituletur. Sic ratio humana nõ tollit meritũ, ſed eſt ſignũ maioris meriti. Tollit quidẽ fidẽ acquiſitã, & actũ fidei, quia non ſtant ſimul ſcientia quam ratio humana gignit, & fides adquiſita in eodẽ & reſpectu eiuſdẽ, licèt ſtent ſimul ſcientia & fides infuſa (vt aliàs dicitur) nõ tamẽ tollit meritũ voluntatis, quo vult credere, etiam ſi ratio non adduceretur, & auget meritum, cùm ex charitate imperat intellectui inquirere rationem ad fidem prædictam, & ad Dei honorem ac lucrum animarum. Gabriel.

Ratio naturalis (vt ſcribit Petrus de Aliac.d.ij.q.iij. ar.iij.li.j.) dicitur ratio ſumpta ex his, quę nobis apparent de cõmuni curſu naturæ. Sic ſumendo patet quod multæ rationes naturales poſſunt fieri & factæ ſunt à Philoſophis, cõcludentes tantũ vnũ eſſe Deũ, licèt nõ euidẽter, tamen probabiliter & probabilius quàm poſſet concludi oppoſitum.

Ratio formalis obiecti. Et dũ loquimur de ratione formali obiecti, vt ſcribit Gab.d.xxvij.q.vnic.art. iij.dub.iij.li.iij. aut intelligitur aliquid reale exiſtẽs formaliter in obiecto, aut intelligitur aliquid in intellectu obiectũ apprehendente: puta, cõceptus ſeu cognitio mentis obiectũ repręſentãs, & quo ab intellectu voluntati præſentatur. Si primo modo, ſic non eſt niſi vna ratio eſſentialis in Deo: plures verò relatiuè, quia in Deo nõ eſt niſi vna eſſentia, & plures relationes, nõ eſſentialiter, ſed realiter diſtinctæ. Vnde omnia attributa quæ de Deo eſſentialiter, ac per hoc de tribus perſonis prædicantur, cõmuniter nihil diſtinctũ importãt in Deo. Exempli gratia: Sapientia nihil importat aliud in Deo, quàm potẽtia, quàm bonitas, iuſtitia, miſericordia. Nam idem omnibus modis eſt in Deo ſapiẽtia, potẽtia, bonitas, iuſtitia, miſericordia. Et ſi illi termini acciperẽtur præciſe pro ſapientia diuina, potẽtia diuina, &c. nõ importando aliquã creaturã, eſſent ſynonyma. Si verò per rationẽ formalẽ obiecti, intelligitur actus cognoſcendi, qui cõceptus rei dicitur, quo cognoſcitur obiectũ ab intellectu, & ab eodẽ voluntati præſentatur. Sic de Deo poſſunt haberi diuerſæ rationes formales tanquã de obiecto volibili: imò tot quot de eo poſſunt haberi conceptus nõ ſynonymi. Et in genere poſſent eſſe duæ rationes formales Dei vt obiecti. Aut fortè triplex, vt ponit Scotus d.xxvij.li.iij. Vna quę repręſentat Deũ in ſe, nõ per reſpectum ad aliquod extra ſe, id eſt ad creaturã, ſiue ſit ratio abſoluta ſiue relatiua. Altera ratio obiectiua eſt cõceptus repręſentãs Deũ in ordine ad creaturã: vt bonũ, ſeu cõueniens creaturæ: vt ſunt rationes creatoris, redemptoris, beatificatoris, conſeruatoris, & ſimiles. Tertia poſſet eſſe ratio cõplexa vel incõplexa, non curo, includẽs vtrunq; id eſt repræſentãs Deũ vt bonũ, infinitum in ſe, & participabile creaturæ. Vide latiùs Gab. vbi ſup. Et ratio formalis intellectus eſt poſſe tendere in obiectum cognitiuè: nõ curãdo an intellectus ſic intendat per ſuam eſſentiã ſeipſo, ſiue per aliquod ſibi ſuperadditum. Vide Gabrielem d.ix.q.j.lib.j.

Rationis aliqua eſſe eiuſdẽ (vt ſcribit Gab.d.ix.q.ij. li.j.) dicuntur quæ ſunt ſimillima eodẽ modo quo duæ albedines, & quęlibet res eiuſdẽ ſpeciei ſpecialiſſimæ ſunt ſimillimæ. Ex quo habetur quod paternitas & filiatio nõ ſunt eiuſdẽ rationis, quia nõ ſunt ſimillimæ, cũ duæ paternitates ſimiliores ſunt paternitate & filiatione. Similiter ſpiratio & generatio non ſunt ſimillimæ. Et impoſſibile eſt ſecundum eundem in creaturis aliqua eſſe alterius rationis, & non diſtingui eſſentialiter: ideo ſemper hanc diſtinctionem eſſentialem præſupponit ſicut ſpecifica differentia præſupponit naturalem. Vide latiùs Gabrielem.

Ratio bonitatis in genere (vt ſcribit Gerſon par.iiij. in deſcriptionibus terminorũ ad Theolog. vtiliũ) eſt ratio perfecti ſecundũ aliquos; vel eſt ratio appetibilis. Ratio bonitatis moralis de genere eſt bonitas obiecti, ſeu materiæ circa quam eſt habitus vel actus moralis verè vel participatiuè liber. Ratio bonitatis moralis ſimpliciter eſt bonitas contracta ex fine & obiecto, & cæteris circunſtantiis ſecundum dictamen rectæ rationis inditæ naturaliter vel humanitus adquiſitæ. Ratio bonitatis gratuitæ eſt bonitas cõtracta ex gratia gratum faciente & infuſa. Ratio imputabilitatis in actu eſt emanatio eius libera verè vel participatiuè à rationali creatura. Ratio laudabilitatis eſt imputatio ad laudem. Ratio vituperabilitatis eſt imputabilitas ad vituperiũ. Hæc Gerſon.

Ratio ſeminalis ſecundũ Scotũ eſt forma ſubſtãtialis ipſius ſeminis, vel quædã qualitas neceſſariò ſequens formã ſubſtantialem ſeminis, quæ eſt quodammodo alteratiua ſiue diſpoſitiua ad corruptionem ſeminis: vt ex ipſo generetur aliquod ſimile perfectius. Corollariũ. Corpus Chriſti nõ fuit formatum ex ſemine, quia fuit de puriſſimis ſanguinibus Virginis. Bruleſ.d.xviij.q.ij.li.ij. & q.iij. qui & fuſiùs de hoc ſcribit. Vide de ratione ſeminali in dictione *Semen*, infra.

Rationale eſt duplex ſecundũ Philoſ. Quoddã rationale principaliter, & in ſeipſo, ſiue (vt alij dicunt) per eſſentiã, ſicut intellectus. Quædam ſunt rationalia: quia obediũt rationi ſicut filius patri, quę ſunt rationalia per participationem. Et ita in homine eſt aliqua vis irrationalis tantùm: ſicut potentia nutritiua: quædam verò rationalis tantùm, ſicut intellectus & ratio: quædam verò ſecundũ ſe irrationalis. Rationalis autẽ participatiuè, ſicut omnis vis appe-

tiriua caoſa cõcupiſcibilis quàm iraſcibilis & voluntas. Hæc Thomas in commento. Et ſecundum hoc diuidit Philoſophus virtutẽ intellectualem & moralem, ponens intellectualem in rationali per eſſentiam, ſcilicet in ratiooe ſiue in iotellectu. Moralem in rationali per participationem, ſcilicet in appetitiua parte, quæ includit vtrunqoe appetitum ſenſitiuum & voluntatem. Eſt ergo voluntas irrationalis per eſſentiã. Rationalis autem per participationem. Non ergo Philoſophus per partem irrationalem intelligit tantum appetitũ ſenſitiuum, ſed omnem appetitum & ita voluntatem. Huic cõcordat ſanctus Tho.j.ſecundæ, q.lvj.art.vj. Rationale per participationem non ſolùm eſt iraſcibilis & concupiſcibilis, ſed omnino, id eſt vniuerſaliter appetitiuũ. Sub appetitiuo autem cõprehenditur voluntas. Hæc ille. Sic duplex eſt irrationale. Nam quoddam eſt irrationale, quod noo participar ratione: ſicut plantatiuum & potẽtia nutritiua io homine. Vide ad hoc Gabriël di.xxiij.q.j.art.iij.dub.j.li.iij. Quædam aliqualiter participãt ratione, ſecundum quod nata ſunt obedire ratiooi: ſicut appetitus ſenſitiuus, qui concupiſcit, &c. Et appetitus tam ſenſitiuus quàm voluotas perſuaderi poteſt, increpari & admoneri, vt procedat vel nõ procedat ad actuũ ſuorum executiooem.

Rationale dicitur vno modo (ſecundum ſanctum Bonaueo.di.xxv.q.ij.lib.j.) quod haber potentiã diſcernendi bonum à malo, verũ à falſo: & ſic Deo & creaturæ conuenit. Alio modo quod habet potentiã diſcernẽdi per inquiſitiooẽ & collationem, & diſcorſum, & hoc eſt proprium animæ coniunctę carni. Vel aliquid dicitor rationale (vt idem ſcribit di.xxiij.q.j.lib.iij.) Aut quia conſonum eſt rationi eleuatæ & illuſtratæ à lumine veritatis ſupernæ. Aut quia conſonum eſt rationi cõuerſæ ad cognitionẽ ſenſibilem: ſic hoc ſecundo modo frequenter ratio ad ſenſibilia coouerſa iudicat eſſe vera quę ſunr falſa, & eſſe bona quæ ſunr mala, & ecõuerſo. Vnde nonnulla videntur ſibi irrationabilia, qoæ ſunt valde rationabilia: ſicur patet, quia nonnulla videntur irrationabilia Philoſophis, quę tamen videntur valde rationabilia Chriſtianis: vt omnino cõtinere & omnino mendicare, & ſimilia: & quantum pręcellir iudicium viri, iudicium pueri: tantum præcellir iudicium viri Chriſtiani, iudicium vnius Philoſophi, & iudicium rationis ſurſum conuerſæ ad iudicium rationis ad inferiora depreſſæ, & hoc noo impedit fidem eſſe virtutem: quia credit aliqua quæ videntur eſſe irrationabilia homini. Aliquando enim ſunt rationabilia homini ſpirituali, & hoc facit ad rationem virtutis, vt credat ſine ratione. Si enim crederet per rationem cogentem, illa credulitas non eſſet voluntaria, ſed neceſſaria: & ſic non eſſer virtuoſa, oec meritoria. Hæc S.Bonauen.

Rationabile ſecundum Richard. di.j.art.iij.q.ij. & poſt eum ſcribit Gabr. eadem di.q.iij. art.iij.dub.iiij.lib.iiij. poteſt dici dupliciter. Vno modo, quia eſt de naturali dictamine rationis, ſicut principia legis naturæ: & concloſiones ex eis euidenter dedoctæ. Alio modo, quia nihil conriner rationi contrarium, & ex rationabili cauſa, & modo debito eſt inſtitutum pro tempore & loco. Primo modo nõ omnia ſacramẽta legalia ſunt rationabilia, quia nõ de lege naturæ, ſed ſecundo modo fuerunt valde rationabilia, quia ſumma ſapientia à qua quæcunque procedunr, ordinata ſunt. ad Rom.13. Er certi myſterij gratia futurę ſaluris ſignificantia, & ita ex rationabili cauſa inſtituta.

Reatus eſt obligatio ad pœnam propter peccatum, ſecundum B.Thom.ij.ſeoten.di.xxx.q.j.art.ij. vel eſt ordinatio peccatoris ad pœnam. Et aliquando ſumitur pro culpa: aliquando pro pœna, qoia eſt medium quodammodo inter vtrunque, ſecundum eundem ij.ſenten.d.xlij.q.j.art.ij. Vnde Scotus q. j.d.xiiij.lib.iiij. Et Gabr. eadem diſt.q.j.art.j.libri iiij. Reatus, macula, & offenſa, nihil aliud ſunt vel dicũr, niſi ordinarionem peccatoris ad pœnam ſuo peccato, quod tranſiit condignam: & inquantũ, diſconueniens eſt animæ, dicitur macula eius. Sicut per oppoſitum cõueniens dicitur eius pulchritudo. Inquantum autem eſt obligatio ad pœnam, dicitur reatus, & vt eſt actus voluntatis diuinæ, per quem ordinatur ad talem pœnã, dicitur Dei offenſa. Nihil enim eſt aliud offendi vel iraſci in Deo quàm velle vindicare peccata. Eſt itaque reatus ordinatio ad pœnam. Illa autem ordinatio vel accipitur paſsiuè pro ordinato connotando cætera, ſcilicet Deum pœnam peccata. Actiuè verò eſt Deus ordinans. Reatus & macula dicunt ordinationem paſsiuè: ideo ſunr realiter peccator ordinatus. Offenſa accipitur tantum actiuè, & ſic ſopponit pro Deo vindicare volente: eſt enim offenſa actus diuinæ voluntatis, quo vulr vindicare. Gabriël.

Rebellare, ex re & bello, & propriè ſignificat repugnare. Vnde rebelles dicuntur, qui in fide non permanent, & iuſsis poteſtatum repugnant. Et rebellio repugnantia. Rebellio autem ſeu pugna ſenſualitatis ad rationem io nobis ex tribus cauſatur ſecundum beatum Thom.di.xvij.q.ij.art.ij.lib.iij. Primo ex diuerſitate volitorum, quia ſenſus naturaliter inclinatur, & appetit carni conuenientia, quæ nonnunquam volontas rationis liberæ reſpuit: vt patet de continente. Secundò patet, quia ſenſualitas in ſuum volitum effrænatè & ſine regimine rationis fertur. Tertiò, quia ſenſualitas effrænatè tendens in ſuum volitum motũ rationis, retrahit, vel impedit in toto, vel in parte. Hæc duo vltima in Chriſto non fuerũt. Non enim fuir in appetitu ſenſitiuo aliqua inclinatio actus vel delectatio contra volitionem rectam. Cuius duas cauſas adducit Occam in ſuo tertio, q.xij. Vide poſt eum Gab.d.xvij. q.vnica, lib.iij. Fuit autem in Chriſto intenſiſsima contemplatio diuinorum: ideo non poterat ſurgere in eius ſenſu aliqua viriorum rebellio impeditiua qoomodolibet rationis in actibus ſuis, &c. Fuit & in Chriſto aliqua rebellio, quia in eo non fuit perfecta quietatio ſenſuum inferiorum, neque inferioris portionis rationis, ſicut in cæteris beatis. Et licèt fuir beatior cæteris, tamen eius beatitudo non redundabat in vires inferiores. Et rebellionis carnis contra ſpiritum cauſam Philoſophi neſciuerunt, vt oſtẽdit Gerſon parte tertia de paſsionibus animæ conſideratione viij. & tract.ij. de canticordo ait: Nullus vnquam philoſophantiũ, & perſcrutatorũ ſeculi, potuit attingere vnde eſſet diſſonãtia

talis,

talis, vel rebellio in homine carnis & ſpiritus, quam heu, cogimur ſentiendo fateri, ſola fides hâc ex peccato primorum parentum veniſſe reuelat. Quamuis cognouerunt rectitudinem vel virtutem humano cordi ineſſe debere, ſicut Ariſtot. tradit quod in virtuoſo omnia conſonant rationi. Quid autem magis homini proprium eſſe debet quã ratio, quàm viuere conſequenter ſecundum eam, & eidem conſonare, &c.

Receptaculum locus in quem ſe toto recipiũr. Cice. omnium bonarum artium receptaculum dicitur, & de animis ſiue animabus. Vnde negare non poſſumus (vt inquit Thomas Argentinen. di. xlv. lib. iiij. ſententiarum) animas defunctorum ad aliqua loca corporalia deſtinari. Nam Luc. 16. dicitur quod mortuus ductus eſt ab angelis in ſinum Abrahę. Et illa receptacula (vt ſcribit S. Bonauen. di. xlv. circa literam lib. iiij.) dicuntur abdita, non quod ſint alia receptacula animarum modò, & poſt iudicium. Sed quia eadem nunc ſunt nobis incognita, ſed poſt iudicium & reſurrectionem erũt nobis nota. Animæ quoque poſt mortem ſunt in corporalibus receptaculis non circunſcriptiuè, ſed diffinitiuè (vt inquit Rich. di. xlv. ar. j. q. j. lib. iiij.) Animæ autem hominum poſt mortem immediatè deſtinantur vel ad locum gloriæ vel ad locum pœnæ (vt ſcribit Tho. Argentinenſis, vbi ſupra.) Si ad locum gloriæ, ſic locus animarum dicitur cœlum empyreum. Et iſte locus diuiditur in nouẽ portiones, ſecundum nouẽ angelorum ordines, in quibus collocantur animæ beatorum, iuxta varietatem graduum ſuorum meritorum. Si autem ad locum pœnæ: & hoc dupliciter contingit. Vel quia in huiuſmodi locis eſt pœna ſenſus, & pœna damni ſimul, vel pœna damni tãtum. Et quælibet iſtarum partium adhuc ſubdiuiditur per temporale & æternum. Et ſecundum hoc quatuor poſſunt diſtingui loca pœnarum ipſarum animarum, quorum primos eſt infernus, locus perpetuæ damnationis. Alius eſt purgatorius: in quo eſt pœna ſenſus ad tempus & damni. Tertius locus eſt limbus puerorum in originali tantum decedentium. Quartus locus dicitur limbus patrum, ad quem locum Sancti Patres deſcenderunt, antequam Chriſtus paſſus eſt. Iſtum locum Chriſtus deſtruxit, quando ad inferna deſcendit. Quidam à Deo condemnantur ad tempus, vtpote quouſque ad preces Sanctorum liberantur: vt patet de Traiano, qui ad preces Gregorij fuit liberatus à pęnis infernalibus. Poſt extremum iudicium non erit vlterius locus purgatorius: & tunc ceſſabit omnis pœna temporalis, & ſolum manebit infernus damnatorum & limbus paruulorum. Vide latiùs Thom. Argentinen. Prędictis concordat Paulus Corteſius lib. iiij. ſent. di. vij. cùm ait: Itaque quemadmodum in corporibus quædam deorſum ſuopte pondere feruntur, quædam ſuperiora capeſſunt, qui locus vtrorumque agitationis finis dicitur, ſic his loci genus premij aut mulctę cõgruentia decernitur, quod earum actionis finis dicatur. Itaque non ſine cauſa volumus animam tartarum, aut cœlum quaſi domicilium capeſſere. Corteſius. Animæ autem perſæpè exeunt receptacula, ſicut de beatis legimus. Poſſunt enim nos iuuare, reuocando à malo, docendo bonum, confortando & liberando, ſicut patet de infinitis miraculis beatæ Mariæ, Franciſci & Nicolai, &c. Et (vt ſcribit Rich. di. xlv. art. j. qu. iij. lib. iiij.) Animæ exeunt aliquando de receptaculis ſuis, vel per diuinam potentiam, vel per naturam propriam, primo modo de inferno. De cœlo exeunt aliquæ animæ, non in perpetuum, ſed ad tempus, nec de lege communi, ſed ex aliqua ſpeciali cauſa. Sic etiam de purgatorio aliquæ exeunt ad modicũ tempus ante completionem pœnæ ſuæ, poſt cuius completionem inde exeunt, illuc amplius nõ reuerſurę. Vide latiùs Rich. Damnati etiam apparẽt frequenter, vt de Benedicto papa refert Greg. Et vmbra ſordida in vita beati Martini, vt ſcribit Petrus de Palude di. xlv. q. iij. in fine. Etſi (vt inquit ſanct. Bonauen. di. xlv. ar. primo, qu. iij. lib. iiij.) ad perficiendam aliquam operationem exeunt beati, nunquam tamen damnati, ſunt enim ligati ad omne opus. Vide latiùs Bonauen. & alios qui de receptaculis & exitu eorundem plura ſcribunt, modicis contenti ſimus.

Recidiuare eſt iterum cadere. A quo recidiuatio, quæ eſt (vt dicit frater Oſualdus) iteratio priorum peccatorum remiſſorum per pœnitentiam. Vnde & recidiuans qui (vt ſcribit Gabr. di. xxij. q. vnica, ar. j. lib. iiij.) dicitur peccator, qui poſt peccata priùs commiſſa per gratiam infuſam à domino remiſſa nouo peccandi actu Deum offendit, ſiue per peccata ſimilia prioribus dimiſſis, ſiue per diſſimilia numero, genere, aut ſpecie differentia, vt ſi fornicator poſt pœnitentiam iteret peccatum fornicationis, aut incidat in homicidium, aut furtum, vel Dei blãſphemiam. Et in recidiuante in priorem vel aliam culpam, non redeunt peccata remiſſa quantum ad pœnam æternam, nec redeunt in tali peccato quantum ad temporalem pęnam remiſſam, licèt maneat obligatio ad pœnam non ſolutam. Non enim conſurget duplex tribulatio. Naũ. 1. nec iudicat Dominus bis in idipſum, &c. Quamuis peccata per pœnitentiam remiſſa redeunt, quantum ad pęnam, per modum circunſtantię aggrauantis peccata de nouo cõmiſſa ex perſona recidiuantis. Ingratitudo enim eſt circunſtantia aggrauans peccatum. Eſt enim ingratitudo per ſe vitium, quantò autem plura vitiá concurrunt ad actum peccati, tantò peccata ſunt grauiora & acrius punienda. Peccans autem poſt remiſſionis gratiam peccatorum receptam, ingratus eſt gratiæ remiſſionis. Nam vt Seneca ait li. iij. de beneficiis. Ingratus eſt, qui beneficium ſe recepiſſe negat: ingratus, qui diſſimulat: ingratus, qui non reddit: ingratiſſimus omnium, qui oblitus eſt. Recidiuans autem non ſolùm non reddit bonũ pro beneficio remiſſionis, ſed etiã malò iterũ offendendo, & per conſequens, peccãs per recidiuã grauius peccat propter magnitudinem remiſſionis acceptę, quàm ſi hoc beneficium non accepiſſet, & per hoc maiori pœna redditur dignus. Et ſic redeunt priora peccata remiſſa, non quod propter illa ſi fuerint plenè remiſſa de nouo puniatur, ſed quia propter beneficium remiſſionis cui ingratus eſt recidiuãs peccatum recidiuæ grauatur, & per hoc pœna eius creſcit. Hęc & ſuperiora latiùs declarat Gab. vbi ſuprà concluſione prima & ſecunda & tertia. Conſonat prædictis Bruleſ. di. xxij. q. j. lib. iiij. dicens: Peccata nullo modo redeũt quo ad culpam, quia poſtquam

Deus per gratiam deleuit & dimiſit peccatũ, nunquam illud redit in animam. Occurrendum autem recidiuo ſummum remedium eſt reſiſtendum eſſe principio tentationis ſecundum omniũ ſanctorum doctrinam quotidie expertam. De quo videto pulchrè apud Gerſ. parte ſecunda de remediis cõtra recidiuum ſecundũ quendã Magiſt. Pariſien. editis.

Reconciliatio eſt amicitiæ reparatio, ſecundum B. Tho. iiij. ſen. di. xv. q. j. ar. v. Et venit à reconciliare, quod eſt in gratiam reſtituere. Quotiens, ſcilicet amici, qui interpoſita aliqua offenſa aliquãdiu fuerint inimici, in priſtinam redeunt beneuolentiam ac familiaritatem.

Rectitudo & rectum dicitur iuſtum, vnde recti homines vocantur iuſti. Et dicitur rectũ perfectũ officium, & rectè, bene, iuſtè, &c. Et rectitudo naturalis volũtatis eſt libertas volũtatis, quã ſecundũ propriã naturã à Deo acceptã poteſt ſe cõformare rectę rationi. Hæc autẽ rectitudo ſecũ cõpatitur rebellionẽ inferiorũ potentiarũ, ſed rectitudo naturalis volũtatis eius, ſcilicet libertas non corrũpitur per peccatũ. Illa enim realiter eſt ipſa volũtas, nec ab ea ſeparabilis. Et in illa rectitudine creata eſt à Deo ſine curuitate, ſed nõ ſine potẽtia ſe incuruãdi ſeu peccãdi, quæ potẽtia bona eſt & nõ mala: nec data eſt libertas volũtati ad peccandũ, ſed ad liberè ſe, & laudabiliter ad bonũ conuertendũ, & à malo ſe auertendum, poteſt tamen ſua libertate abuti non vitio creatoris, ſed culpa ſuæ abuſionis. Gab. di. xxx. q. j. ar. iij. dubio iiij. lib. ij. Summa rectitudo ſecundum eundem di. xxij. q. j. ar. iij. dub. j. lib. ij. aut eſt habitus gratiæ vel iuſtitiæ originalis intenſior poſſibilis viatori de communi lege, aut eſt rectitudo excludens omnem curuitatem & obliquitatem quantũcunque modicam. Primo modo accipiendo veniale, ſtat cum ſumma rectitudine, ſicut & nunc de viris perfectis dicit Ioannes. Si dixerimus, quia peccatum nõ habemus, noſipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Si autem accipitur rectitudo ſumma pro ea quæ excludit omne peccatũ, ſic negat quod veniale non corrumpat rectitudinem. Sic enim omne peccatũ & mortale & veniale cõtrariatur ſummæ rectitudini. Rectitudo voluntatis creatæ (ſecũdũ Cardi. Camer. q. xiiij. ar. ij. li. j.) eſt ſtatus voluntatis creatæ cõformis obligationi volũtatis diuinæ: & iſte ſtatus poteſt eſſe vel poſitiuus vel priuatiuus ſecundũ quod voluntas creata poteſt ſe conformare voluntati diuinæ vel poſitiuę, ſcilicet, habendo aliquid quod tenetur habere, vel priuatiuè, ſcilicet, carendo illo quo tenetur carere, & obliquitas voluntatis creatæ deſcribitur per oppoſitum, vt ibidem patet & ſuo loco dictum eſt litera O. Vide & de rectitudine Scotiſt. libr. iiij. diſt. xxij. vide & in dictione *Regula*.

Rectitudo actus non eſt aliud quàm ipſe actus qui debitè elicitur ſecũdum rectam rationem, vt habet Occã q. x. li. ij. ſen. & q. xiiij. tertij quodli. & poſt eum ſcribit Gab. di. xxiij. q. j. ar. iij. dub. viij. lib. iij.

Redemptio idem eſt quod liberatio. Et eſt duplex (vt notat Bruleſ. di. xl. q. j. lib. j. ſcilicet ſubleuatiua. Et eſt illa qua aliquis poſt lapſum liberatur & redimitur à peccato quod infuit, hoc modo omnes homines excepto Chriſto & beata Maria virgine glorioſiſſima fuerunt redempti ſubleuatiuè. Alia eſt redemptio ſubleuatiua qua aliquis redimitur à peccato, nõ quod aliquãdo infuit, ſed quod infuiſſet, niſi redemptus fuiſſet. Hæc redemptio multò melior eſt, &c. Patet in exemplo familiari. Tres vadant in campis, quorum vnus ſcit latentem foueam & viam, &c.

Redemptor aliquis dicitur tripliciter. Vno modo principaliter, quia reſtituit captiuũ libertati precio accepto. Alio modo diſpoſitiuè & quaſi inſtrumentaliter, quia liberationis precium tribuit. Primo modo tota trinitas hominem redemit, quia tota trinitas precium datum, ſcilicet ſatisfactoriam paſſionem acceptauit, propter quam peccatum remiſit non imputando ad pœnam, & gratiam contulit ordinando ad gloriam. & per hoc libertati reſtituit. Secundo modo ſolus Chriſtus ſecundum humanam naturam, ſecundum quam paſſus eſt, precium ſoluit: quia patiendo ſatisfecit. Gabri. di. xix. queſt. vnica, artic. iij. dubio iij. libr. iij. Non diſcrepat à prædictis S. Bona. di. xix. ar. ij. q. j. li. iij. qui vult totã trinitatem eſſe redemptorẽ auctoritatiuè, pro eo quod indiuiſa ſunt opera trinitatis. Si autem redemptor dicitur ab executione: ſic reſpicit humanitatẽ, quæ aſſumpta eſt à ſolo verbo: & hoc modo cõpetit ſoli filio, ad hoc videre potes Magiſt. d. xix. lib. iij. Et Deus, non inquantũ potens, vel inquantum ſapiens, ſed inquantũ bonus & benignus noſtram redemptionẽ operatus eſt per incarnationem filij Dei (vt ſcribit Gerſ. par. ij. in cõpendio theologiæ, expoſitione tertij ar. fidei.) Et redẽptio noſtra non potuit fieri, niſi per hominẽ iuſtũ & innocentem: vt vult Iaco. de Valen. ſuper illud Pſal. Fallax equus ad ſalutem, &c. & Gabr. ſerm. j. de circumciſione Domini: & talis homo fuit Chriſtus.

Redditus, vide in dictione *Cenſus*. Et redditus cenſuales de ſe & de ſuo genere non ſunt illiciti. Patet in fundationibus Eccleſiarum, & in conceſſione quam quis facit de re ſua. Et ſenſualis contractus, ſi fiat ad vitam, non ex ea redditur de ſe, & ex ſuo genere vitioſus, ſi intentio eſt recta, ſicut eſſe poteſt conformiter ad legem diuinam: & precium conueniens iuxta patriæ mores & leges attento, quòd ibi eſt probabilis incertitudo lucri vel dãni, quam Iuriſtæ multũ notant. De quo legito Gerſonem de contractibus parte ſecunda, propoſitione nona & decima & vndecima & duodecima.

Referre, capitur dupliciter (vt ſcribit Bruleſer di. j. qu. j. lib. j.) ſcilicet poſitiuè, & eſt aliquid quod ex natura ſua eſt referibile in Deum, vt amare propter Deum. Alio modo negatiuè, & eſt aliquid quod ex ordinatione ipſius voluntatis propter Deum oditur vel reſpuitur. Nam peccatum poteſt referri in Deum & in eum ordinari nolendo illud, & fugiendo, ſeu pœnitentiam agendo.

Referri in finem debitum ſecundũ Scot. di. xlj. ſecundi, & S. Bonauen. contingit tripliciter, & totupliciter contingit actum non referri. Primò actualiter, dum quis actu cogitans de fine, vult actum propter finem. Secundo virtualiter, quando ex cognitione & dilectione finis deuentum eſt ad volendum aliquid, quod conducit ad finem, licèt tunc non cogitet actu de fine. Habitualiter

quando

quando aptus natus eſt referri in finem, vel ſic. Quando manens cum charitare, eſt referibilis in finem. Et tunc actus dicitur referri vel eſſe referens habitualiter, quando eſt rectè circunſtantionatus de genere, bonus rationi rectæ cooſeotaneus, ita quod poſſet per voluotatem in finem debitum referri, ſi haberetur de eo actualis cogitatio. Sic dicitur non referri negatiuè, quia nec actualiter oec virtualiter referiur. Secundò priuatiua, quia non eſt natus referri, vt actus peccati. Tertiò cõtrariè, quia corrumpit ptincipium referendi: puta, gratiam vt peccatum mortale. Gab. in primo d.j.q.j. Sic ſecundum Greg. (vt ibidem refert) nullus actus eſt moraliter bonus ſine relatione actuali vel habituali in finem vltimum. Siquidem referre habitualiter, eſt actum eſſe aptum natum teferri actualiter, dato etiã quod ipſe agens non ſit in gratia, ſicut aliquis infidelis Deum ignorans, & tamen eliciens actum aliquem ſecundum dictamen rationis rectæ lumine naturali illoſtratæ. Is dicitur habitualiter referre, eò quod producit actum non malum natum referri actualiter in finem vltimum. Sed de hoc aliàs, vide & de hac triplici relatione Gabr. di. xlj. q. vnica, ar. iij. dub. ij. lib. ij.

Referri aliquid dicitur adhuc dupliciter, formaliter & denominatiuè, vt ſcriptis reliquit Gab. di. xxvj. q.j. li.j. Formaliter illud dicitur teferri de cuius intellectu eſt ipſa relatio, vt ſimile refertur ad ſibi ſimile. Denominatiuè refertur quod refertur relatione, quæ eſt extra intellectum eius, vt album dicitur denominatiuè ſimile alteri albo. In diuinis autem nihil refertur denominatiuè, quia cũ perſonæ relationibus conſtituuntur, relatio eſt de per ſe intellectu perſonæ, neq; ibi aliquid refertut niſi perſona.

Regeneratio Spiritualis, eſt generatio quæ ſit per Sacramentum, ſicut Baptiſmus. Vode & ab Apoſtolo Tarſen. ad Tim. 3. Baptiſmus vocatur lauacrum regenerationis. Vnde vt ſcribit Richardus di. xlij. art.j. qu. ij. li. iiij. quod ſicut in carnali generatione, per quam contrahitur carnalis cognatio, tria ſunt ad illam generationem. diſpoſitio quæ eſt in ſeminum commixtione, & ipſa generatio quæ eſt in fœtus animatione, & huius generationis manifeſtatio: quæ eſt per natiuitatem ex vtero. Sic in generatione Spirituali tria conſideranda ſuot, ſcilicet diſpoſitio ad regenerationem, quę eſt per Catechiſmom: & ipſa Spiritualis regeoeratio, quæ eſt per Baptiſmum: & ipſius manifeſtatio, quæ eſt per confirmationis ſacramẽtum, per quod homo fidelis ad publicam fidei cõfeſſiooem exponitur in baptiſmo & confirmatione, ita forte vioculum cognationis ſpiritualis contrahitur, quod impedit matrimonium contrahendum, & ſi poſtea de facto cõtrahatur, dirimit contractum, vt latiùs videre potes in dictione *Cognatio*. Vide latiùs Richar. Nos itaque Chriſtiani per fidem & baptiſmum genetati, portamus imaginem & veſtigium paſſionis Chriſti in fronte, & totius trinitatis (vt vult Iacobus de Valent. ſuper Pſal. 32.) cõgregans ſicut in vtere aquas maris. Nam licèt Deus luceat in omnibus hominibus per gratiam, tamẽ in ſolis fidelibus lucet per recreationem & gratiam, quem characterem accepimus in Baptiſmo, & etiam in Confirmatione.

Regnum à regendo dicitur, ideo qui alios ſub ſua prouidentia habet, regnum habere dicitur, ex beato Tho. iiij. ſenteotiarum di. xlix. q.j. at. ij. Vnde regnatiua prudentia, quæ diligit principem in ordine ad regnum, ſecundum eundem ij. ij. q. l. ar. j. Regnũ ſecundum Gerſonem parte ij. de origine iuris & legum, deſcribitur. Quod eſt policia ſub vno bono, vel expreſſius, quod eſt congregatio cõmunitatis perfectæ ſub vno ſecundũ leges ſuas bonas pro republica. Dicitur autem vnus ille bonus, vel rex vel imperator, ſeu monarcha, qui non proptium principaliter, ſed commune bonum intendit in ſuo principatu.

Regnum Dei eſt multiplex (vt literis mandauit doctiſſimus Dominus Prępoſitus Gabriël. lect. lxvij. canonis, & in ſermone eiuſdem. Quærite regnum Dei, dominica xv. Nemo poteſt duobus dominis ſeruire. Primum eſt regnum Dei vniuerſale, de quo in Pſal. 102. Regnũ ipſius omnibus dominabitur. Et 1. Timot. 6. Solus potens Rex regum & Dominus dominantium. Secundum eſt regnum ſcripturæ, de quo dicitur Mat. 21. Auferetur à vobis regnũ Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Auferetur à vobis carnalibus & induratis Iudæis regnum Dei, id eſt intelligentia ſpiritualis ſcripturæ ſacræ, pro eo quòd Chriſtum reprobaſtis, qui verum ſcripturæ intellectum reſerauit, vnde excęcati ſunt in diem hunc. Tertium eſt regnum Eccleſiæ militãtis, de quo plurimæ habentur parabolæ Euangelicę, ſicut eſt iſta. Simile eſt regnum cęlorum ſagenę miſſæ in mari. Itẽ, Colligent de regno ſuo omnia ſcandala, id eſt de Eccleſia, ſecundum expoſitionem Gregorij. Quartum regnum eſt regnum gratię. De quo Luc. 17. Regnum Dei intra vos eſt, id eſt gratia, quæ veri regni origo eſt & principium. Quintum eſt regnom gloriæ, de quo Luc. 14. Beatus qui manducabit panem in regno tuo. vbi glo. id eſt in beatitudine. Sextum regnũ eſt locus beatitudinis, de quo Mat. 13. Fulgebunt iuſti in regno patris eorum, id eſt in cęlo. Septimũ regnum Chriſti perſona eſt, de quo Luc. 11. Si in digito Dei eiicio dęmonia, profectò venit in vos regnum Dei, id eſt Chriſtus. Gloſa. Vide & de hoc latiùs vbi ſupra. Vide & Gerſonem part. ij. in cõpendio theologiæ. tractatu de ſeptem petitionibus contentis in Oratione Domioica, effectu ſecuodo ſecũdę petitionis, & tractatu de cõſiderationibus, quas debet habere princeps, particula ſecunda. Et parte iiij. ſermone de ſancto Ludouico dicit: Supremus rex vniuerſorum Deus vltra communem & publicam in rebus omnibus creatis ſuæ bonitatis diffuſionem dat ex ſpecialibus quibuſdam titulis creaturæ rationali humanæ triplex regnum. Dat regnum naturale & intrinſecum ſeu monaſticum & perſonale: & illud fundatur in ſubiectione ad rectam rationem. De quo permulta ibi ſcribit, de quo dictum eſt ab vno ſapientum: Si vis tibi omnia ſubiicere, ſubiice te rationi, tanquam regi. Ratio enim libera eſt, rex in hoc regno. Militantes & cõſiliarij in hoc regno (vt idem Gerſ. dicit, parte ij. tractat. de conſiderationibus, quas debet habere princeps particula iij.) ſunt virtutes ipſę interiores, tam inſitæ quàm acquiſitæ. Serui ſunt ſenſus corporales, viſus, auditus, guſtus, olfactus, ta

ctus, &

ctus, & ipſum cor. Peruertitur iſtud regnum, ſi dominantibus tyrannicè membris corporeis ratio maledicta ſubſeruit. Si præterea pro virtutibus vitia ſeditioſa ſuccedunt, vt ſi prudentia conſiliatricem optimam vincit malitia, ſi cōtinentiam luxuria iugulat, ſi fortitudinem ignauia, vel temeritas enecat, ſi iuſtitiam demum iniquitas de iudicij throno deturbat. Hæc Gerſon. Et de mendicitate ſpirituali ait. Hoc regnum inceſſanter perſecutionem & impugnationem patitur, non eſt vitium aut peccatum quod nō ipſum hoſtiliter inuadat, vimque omnem faciat ad ingreſſum per ſenſuum quinque aditus, vt illic dominetur & imperet, probat per ſingula vitia. Vide eum ibi &c. Et hoc dicitur regnum animæ, quod ſeptem vitia capitalia inuadunt.

Regula, norma, qua lineæ diriguntur, quaſi menſuram regens. Per tranſlationē dicitur breuis rerum præceptio. Brulefer di. xvij. art. ij. qu. iij. lib. j. ponit tres regulas communes omnibus Theologis. Prima. Deus eſt pronior ad miſerandum quàm ad puniendum: quia miſericordia ſuperexaltat iudicium. Secunda regula, Deus eſt pronior ad dandū, quàm ad auferendum. patet eadem ratione. Tertia regula: Quicunque eſt ſufficienter diſpoſitus ad recipiendum gratiam de congruo, in vltimo inſtanti illius diſpoſitionis (videlicet cū ſufficiens eſt) Deus immediatè eam tribuit, quo ſequitur quando aliquis præparat ſe, vel diſponit, vt auferatur ab eo gratia de congruo, Deus tamen non aufert ab eo. Secundò ſequitur, quanquā aliquis ſe indignum reddat, ſeu de congruo demereatur ſibi auferri gratiam multiplicando venialia: tamen Deus ex abundanti miſericordia nunquam aufert, niſi addat mortale, licèt quoque peccata venialia non diminuant charitatem, quo ad ſubſtantiam: tamen quo ad feruorem diminuunt, &c.

Regula humanæ voluntatis eſt duplex (vt ſcriptis reliquit Gerſ. parte ij. in compendio theologiæ de peccato veniali.) Vna propinqua, quæ eſt ipſa humana ratio. Alia eſt prima regula, ſcilicet lex æterna, quæ eſt quaſi ratio Dei: Et per comparationem ad iſtas regulas ſumitur & attenditur rectitudo voluntatis, & omnis cōmenſuratio cuiuſcunq; actus, quæ talis debet eſſe, vt voluntas non declinet à ſuis extremis, ſcilicet à Deo principio, & à Deo fine: vt videlicet omnia à Deo ſe habere cognoſcat, & in Deum omnia referat: A qua rectitudine & cōmenſuratione, ſi diuertat, incōmenſurata & deordinata erat: & ex hoc habet actus humanus, quod ſit bonus vel malus, ex eo, ſcilicet quod debitam habet cōmenſurationem, vel ea caret: & quantò plus recedit ille actus à debita cōmenſuratione, tantò efficitur peior & deterior. Et hinc ſumitur ratio peccati mortalis, & peccati venialis, ſecundum ſcilicet diuerſitatem inordinationis, quæ cōplet rationem peccati. Duplex enim eſt inordinatio. Vna per ſubtractionē principij & finis ordinis ſcilicet Dei. & hæc inordinatio facit peccatum mortale: quando ſcilicet anima per peccatum deordinatur vſque ad auerſionem, ab vltimo fine, qui etiam principium ordinis eſt, & cui per charitatem vniri debemus. Alia inordinatio eſt, qua ſaluato ipſo principio & fine ordinis fit inordinatio ſolum circa ea quæ ſunt circa principium & finem: & hæc inordinatio facit ſolum peccatum veniale, quia tunc anima non deordinatur per peccatum, vſque ad auerſionem ab vltimo fine, quę eſt etiam ipſum principium ipſius ordinis. Hæc Gerſon &c. De regulis verò viuendi omnium fidelium &c. ponit idem quindecim regulas (parte iiij. in fine in admonitione morali pro ſanctimonialibus) pro volēti Deo ſeruire, quę quidem Chriſtiano homini multum ſunt vtiles & bene notandę. Videto eas apud eundem. Non omnia ſcribere opus eſt in hoc opere. Et de regulis viuendi ſingulorum hominum in quocunque ſtatu exiſtentium, vide eundem Gerſonē parte prima tractatu de modo viuendi omnium fidelium.

Relatio eſt ordo vnius rei ad aliam, ſecundum Beatum Thomam, in quæſtionibus de potentia Dei, qu. vij. ar. ix. & deſcendit à refero, quod aliquid referat, ſine quo nec ipſum quidem poſſit conſiſtere: vt pater & filius: Dominus & ſeruus: hæc quidem relatiua ſunt, quia nec pater eſſe poteſt, niſi filium habeat, nec Dominus niſi ſeruū: & talis reſpectus (vt ita dicam) relatio vocatur.

Relatio & abſtracta relatiua, ſecundum Occam di. xxx. libr. j. ſenten. important intentionem, ſiue conceptum mentis, quo intellectus formaliter refert rem vnam ad aliam, id eſt cognoſcit res ad ſe aliquo modo habentes: & licèt res realiter ſint tales. Exempli gratia: Similes in qualitatibus ſe realiter informantibus, aut diſtinctè ſeipſis circunſcripto, quocunq; intellectus actu: tamen nō poſſunt cognoſci, vel exprimi tales, niſi mediante conceptu. Et ille conceptus, quo res cognoſcuntur ab intellectu tales, dicitur relatio. Sicut licèt omnis homo realiter currat (vt pono) ſine quocunque ſincathegoremate intellectus: nō tamen poteſt intelligi omnis realiter currere ſine ſincathegoremate omnis: vel dicitur quod relatio eſt extrema relationis (id eſt res adinuicem relatæ & fundamentum) ſi diſtinguitur à termino à quo: vt ſimilitudo, qua ſortes ſimilis eſt Platoni in albedine, nihil aliud eſt quàm ſortes & Plato: quia illis exiſtentibus, ſortes eſt ſimilis Platoni omnibus aliis circunſcriptis, & ille modus ſecundus videtur probabilior Gabr. diſt. j. qu. j. libr. ij. Nam cùm abſtractum ſignificat illud, quo aliquid formaliter denominatur denominatione ſua concretiua: patet quòd abſtracta relatiuorum res extra ſignificantium non important conceptum mentis. Nam per conceptum mentis non conuenit denominatio relatiuis rebus extra: non enim dicitur ſortes ſimilis Platoni, propter conceptum mentis, ſed propter qualitates eiuſdem ſpeciei eis inhærentes: licèt ſortes referatur ad Platonem per actū intellectus. Sic enim ſaluatur, quòd relatio & ad aliquid ſunt termini primæ intentionis: & genus generaliſſimum terminorum primæ intentionis: poſſunt tamen ly ad aliquid & relatio accipi pro terminis ſecundæ intentionis, ſicut & ſubſtantia, qualitas, &c. pro terminis prædicamenti ad aliquid, de quo conſulito dialecticos. ſic non ſunt genus generaliſſimum. Poteſt & tertiò dici quod abſtracta relatiua ſupponunt pro vno extremo: puta, termino à quo: & connotant reliquum cum fundamento: ſi diſtinguitur

à termino

à termino à quo, vt paternitas ſupponit pro patre, connotando filium à ſe genitum. Similitudo ſortis ad Platoné ſupponit pro ſorte, & connotat Platonem, & duas qualitates in ſorte, & Platone eiuſdé ſpeciei, vide latiùs Occam & Gab. & in logica, &c.

Relatiuum dicitur quod refertur ad aliud. Et termini relatiui ſunt, qui ex ſua inſtitutione ſignificant aliquid, & cum hoc connotant aliud, ita quod non poſſunt cognoſci verificari de ſuo ſignificato, niſi intelligatur aliud quod connotant, vt pater ſignificat patré, & cum hoc connotat filium. Et nunquam poteſt ſciri quod pater verificetur de aliquo, niſi intelligatur filius, qui eſt alius à patre, hoc modo ſunt termini relatiui, creans, gubernans, conſeruans, iuſtificans, beatificãs, puniẽs & ſimiles. Caput verò & manus licèt ſignificent partes totius, quia tamen poteſt cognoſci aliquid eſſe caput, non cognito toto, &c. non ſunt relatiua.

Relatio eſt duplex, ſcilicet, realis & rationis. Relatio realis eſt, quãdo res ſignificata per relationẽ ſiue cõcretũ relationis, eſt talis qualis importatur eſſe per tale concretum ſine operatione intellectus, vt relatio ſimilitudinis eſt realis, non quòd ſimilitudo ſit reſpectus ab omnibus abſolutis diſtinctus, ſed quia ſortes poteſt eſſe ſimilis Platoni circunſcripta quacunque operatione intellectus. Sed relatio rationis eſt, quando res non eſt talis qualis ſignificatur per relationem ſine operatione intellectus, ſicut relatio prædicati ad ſubiectum, ſigni inſtituti ad ſignatum, precij ad appreciatum: quia nihil dici poſſet prædicatum ſignum precium ſine operatione intellectus. Intellectus enim eſt qui prędicat vnum de altero, qui ſigna inſtituit, qui precium rei conſtituit, & intelligitur etiam ſub intellectu voluntas. ita ſcribit Gabriël di. xxx. qu. v. art. j. li. j. & di. j. qu. j. li. ij.

Relatio realis (vt notat Gabr. vbi ſupra.) accipitur tripliciter. Primo modo per relationem realem intelligitur reſpectus, qui eſt res vna diſtincta ab abſolutis. Alio modo accipitur relatio realis pro multis rebus abſolutis relatiuè ſignificatis, vt numerus qui eſt multæ vnitates. Et ſignificatur per illa relatiua duplum, triplum, &c. Tertio modo accipitur pro termino relatiuo, qui ſecundum ſe vel ſuũ concretum prædicatur de rebus veris taliter, quod res ipſæ tales ſunt quales ſignificant circũſcripto quocunque opere intellectus, illo modo ſimilitudo ſimilis, illi termini ſunt relationes reales, ſimiliter paternitas, diſtinctio, identitas, &c. Per oppoſitum de relatione rationis, vt ſubiectum, prædicatum, precium, nihil enim prædicatum ſubiectum ſine opere intellectus (vt dictum eſt.) Et vt notat Gabriël in ſecundo vbi ſupra. Creatio, actio, qua Deus denominatur formaliter creans, non eſt reſpectus realis in Deo creatore, accipiendo reſpectum realem primo modo. Patet, quia in diuinis non eſt aliqua realis relatio præter relationem originis. Sed nullã harum dicit creatio, quia nec paternitatem, nec filiationem nec ſpirationem. Item creatio de nouo & ex tempore dicitur de Deo, ergo non importat aliquid reale in Deo, conſequentia probatur, quia quicquid eſt reale in Deo, cõuenit Deo ab æterno. Nam ſi aliquod reale de nouo adueniret Deo, Deus eſſet mutabilis. Antecedens patet per Magiſtrum

di. xxx. primi. Et poſt. Appellatio, qua creator relatiuè dicitur ad creaturam, relatiua quidem eſt, ſed nullam notat relationem quæ ſit in creatore. Nec creatio actio dicit reſpectum rationis, ſed dicit diuinam eſſentiam, & creaturam non potentem exiſtere niſi poſita diuina eſſentia, & nihil aliud, id quod multis probat Gabriël diſt. prima, qu. prima, lib. ij. ar. ij. Et creatio actiua non diſtinguitur à Deo, ſed eſt realiter Deus, quia ſupponit pro creante, & connotat creaturam nõ potentem eſſe ſine Deo, & ita eſt realiter Deus. Et relationes communes in Deo (vt idem Gabriël ſcribit di. xxxj. q. vnica, ar. j. li. j.) dicuntur idẽtitas, æqualitas & ſimilitudo, quæ ſunt perſonarum ad ſe, non ad creaturam, & ideo communes appellãtur, quæ ſunt omnium perſonarum, & cuiuſlibet reſpectu ſingularium. quælibet enim eſt idem eſſentialiter ſimilis & ęqualis omnibus ſimul, & cuilibet ſingillatim. Et identitas & ſimilitudo & æqualitas in Deo non diſtinguuntur, maximè accipiendo eſſentialiter, ſed non ſunt termini ſynonymi, quia ſunt communes Deo & creaturæ. In creaturis verò non ſupponunt pro eodem, quia nihil eſt ſibi æquale vel ſimile ſibi in creaturis, &c. Identitas verò ſimilitudo, &c. eſt realiter ipſa eſſentia, propter cuius identitatem in tribus perſonis ipſę dicuntur æquales. De quo aliàs, & latiùs Gabriël vbi ſupra ſcribit.

Relatio & ad aliquid differunt ſecundum Gabr. di. xxxj. q. vnica, ar. iij. du. iiij. li. j. quia ad aliquid ſignificat cõcreta relatiua, ſed relatio ſignificat abſtracta relatiua, ex quo ſequitur quod ad aliquid & relatiuũ ſunt ſynonyma. Et relatiuũ ſupponit pro terminis, ſed pater pro rebus, quare non ſequitur, homo eſt pater, ergo eſt relatiuum. Vide latiùs Gabr. &c.

Relatio eſt duplex, ſcilicet, intrinſeca & extrinſeca (vt notat Gabriël di. j. qu. j. ar. j. lib. ij.) Relatio intrinſeca eſt quæ ſemel poſita ſemper manet manentibus extremis & fundamento, vt diuerſitas, ſimilitudo. Dicitur notanter ſemel poſita propter paternitatem, quæ eſt relatio intrinſeca, quia licèt Sortes genuit Platonem, tamen poſſet Deus Platonem creare, & tunc eſſent extrema, ſcilicet, Sortes & Plato & non paternitas, tamen poſita ſemel paternitate per actum generationis filij manentibus genito & genitore, manet paternitas. Quod ſic eſt intelligendum ſecundum Occam. Relatio intrinſeca eſt relatiua, quæ poſtquam ſemel ſuppoſuerunt pro certis abſolutis illis manentibus ſimul & re abſoluta, ſi quam, id eſt fundamento connotant, ſemper ſupponunt pro eis. Per oppoſitum de relatione extrinſeca, vt vnio, inhæſio, & relationes ſex prædicamentorum Gabriël.

Relatio virtualis (vt literis mãdauit Gabriël di. xlj. li. ij. q. vnica, ar. iij. dubio ij. poſt ſanctũ Bonauen.) non eſt qua quis refert in generali ad Deum omnia opera Dei vel anni, ſed qua quis refert aliquod opus certum ad Deum, ita vt opus ſequens directam habeat ad opus primum ordinationem & conſequentiam. Sicut eſt in illo qui dat cẽtum marcas, vel qui intẽdit ire ad ſanctum Iacobum. In aliis non habet locum. Quod ſic intelligo (inquit Gabriël) quod opus illud virtualiter refertur in Deum, cuius præcedens opus actualiter in Deum relatum eſt aliquo

modo

modo cauſa, ita illud opus non fieret niſi aliud præceſſiſſet. Et facilè ſciri poteſt de opere an virtualiter referatur in Deũ, & an cõſequatur ad opus actualiter relatũ. Si quæro, cur das tertiam vel ſecundã marcam, aut cur paras peram & calceos? Si verè reſpõderi poteſt per actũ actualiter relatũ. Vel quia volo dare cẽtum marcas, aut quia volo ire ad S. Iacobũ, ſignũ eſt quod virtualiter refertur in Deum, & per conſequens eſt opus meritorium. Ex quo infert S. Bona. valde conſolatoriũ viſis religioſis, ſcilicet, quod qui in principio ex charitate Deo vouerunt portare religionis pondus, quicquid faciunt quod ad ſuæ religionis obſeruantiã ſpectat ex prima intentione, eſt eis meritorium ad ſalutem, niſi fortè (quod abſit) contraria intentio ſuperuenerit. In aliis autem quæ ad religionem non ſpectant, ſecus eſt: quia illa intentio ſe non extendit ad alia virtualiter. Ex quo infert Gabriël vbi ſupra quod quicquid facit religioſus ex obedientia ſui prælati, etiamſi fuerit labor corporalis, pertinens ad vitæ ſuſtentationem ſi fuerit in gratia, eſt ſibi meritorium, licèt tunc non ordinet in Deum ex prima intentione, qua ſe propter Deum ſubdidit obedientiæ, propter quod non eſt paruæ ſecuritatis religionem introire. Gabriël.

Religio eſt quæ ſuperioris cuiuſdam naturæ quam diuinam vocant, curam cerimoniamque affert ſecundum Ciceronem lib. ij. Rhetor. Religio ſecundum Aug. li. x. de ciuitat. Dei, nihil aliud eſt quàm cultus diuinus. Vel ſecundum eundem lib. de quantitate animæ. Religio eſt qua ſe anima vni Deo vnde ſeſe peccato ſubreperat reconciliatione ligat. Vel eſt ſtudium ſapientiæ (vt idem ſcribit lib. de vera religione.) Et religio dicta eſt ſecundum Iſidorum lib. xviij. Etymol. eò quod per eam vni ſoli Deo religamus animas noſtras ad cultũ diuinum, animo ſeruiendi. Vel dicitur à relegendo (vt vult Augu. lib. ij. de ciuitat. Dei) Deum quem amiſeramus negligentes. Et religio cultus Dei quatuor nominibus nuncupatur, duobus apud Græcos, quæ ſunt latria & theoſebia, id eſt cultus diuinus vel bonus, & duobus Latinis. Sed differunt, quia theoſebia reſpicit cultum Dei interiorem, qui propriè pertinet ad virtutes Theologicas. Latria verò reſpicit exteriorem ſeruitutem, quæ pertinet ad iuſtitiam. Ex Bonauentura iij. ſenten. diſtinct. ix. quæſt. ij. artic. iij.

Religiones factitiæ dicuntur, quæ factæ videntur poſt inſtitutionem legis Euãgelicæ, quas Anſelmus factitias nominat. Gerſon de perfectione cordis. Sed nunquid perfectius eſt iſta tria habere, obedientiam, caſtitatem, paupertatem ſub voto, ſicut habens religiones; quas Anſelmus factitias nominat, vt ea quæ conſiliorum erant, fierent ſub præcepto, homo quoque ſubderet ſe perpetuæ ſeruituti, propter illum cui ſeruire regnare eſt, & cuius regi frenis ſumma libertas eſt, & cuius vincula ſunt alligatura ſalutaris. Ac perinde mutet ſtatum de quadam libertate ſeculi in perpetuo ſub voto iugum. Sola autem Religio Chriſtiana (vt idem ait Gerſon parte prima de vera religione) propriè, verè & antonomaſicè dicenda religio, quam Chriſtus obſeruauit perfectiſsimo & ſummo modo. patet; quia extra Chriſtianam Religionem non eſt ſalus. Secundam partem nullus poteſt negare Chriſtianus, quia ſicut eam Chriſtus docuit in Euangelio, ſic & fecit: quia cœpit facere, & docere. Multa de chriſtiana religione ibi Gerſon. Eſt & religio chriſtiana munditiſsima. Nam vbi inueniemus nos alibi inter homines bonam religionem & verã Deo placentem, præter chriſtianam religionem, vt ſcribit Gerſon parte quarta, ſermone primo, de ſancto Antonio. Quæ eſt alia religio, taliter bonos docens mores, & quæ adeo contrarietur vitiis, ſicut religio chriſtiana? Quæ eſt deniq; religio, quæ tantum ad Dei ſimilitudinem creaturam eleuet humanam, & ad res ſpirituales vltra bruta animalia, quantum religio Chriſtiana? quam teſtes innumeri eam ad mortem vſque duriſsimam ſuſtinendam, & grauiſsima tormenta confirmarunt. Vide plura ibi de religione humana & aliàs. Et idem parte iij. de religionis perfectione & moderamine ait. Religio Chriſtiaoa ſub vno ſupremo abbate Chriſto ſola eſt ſalutaris & perfecta. Multa ibi de perfecta religione & aliàs. Et vt ſcribit Iacobus de Valentia Pſalm. 11. Tota Religio Chriſtiana dicitur congregatio iuſtorum, inquantum eſt adunatio omnium fidelium. Sed dicitur concilium iuſtorum, inquantum omnes in ea cõgregati cõueniunt, & conſentiunt vnam fidem, & vnum Baptiſma, & omnes venerantur hoc Sacramentum, & cætera Sacramenta Eccleſiaſtica, & credunt omnibus. 12. articulis fidei. Epiſcopus hæc Chriſtopolitanus.

Religioſus non ſolum (vt ſcribit Gab. di. xlj. art. iij. qu. vnica, dubio ij. lib. ij.) dicitur is, qui profitetur regulam factitiam, ſed omnis qui alicui prælato ſecundum Eccleſiæ ordinationẽ ſe ſubdiderunt: imo eadem ratione, quicunque ſtatum aliquem à Chriſto aut Eccleſia approbatum propter Deum ſuſcipiunt. Quod extendi poteſt vſque ad ſtatum naturæ matrimoniale. Et æſtimo (inquit Gabriël) illud potiſsimum fore intelligẽdum ſuo modo de Religione Chriſtiana, quæ vtique eſt maior factitia, quia ſine ea factitia non ſufficeret ad ſalutem. Regula religioſorum eſt (vt ſcribit Gerſon tractatu de modo viuendi omnium fidelium) viuere in obedientia, caſtitate & paupertate. Et debent deuotè orare, & cõtemplari, & carnem mortificare contra vitia, & cocupiſcentias. Vnde Auguſtinus in regula monachorum. In omnibus & ſuper omnia ametur, & honorificetur Deus. Et Hugo de ſancto Victore de clauſtro animæ. Summa religionis regula in hoc dependet, vt Prælati cuſtodiant ſuos ſubditos, ſubditi Prælatis benignè obediãt, deuoti ſint ſenes, iuuenes verò laborioſi. Sit honeſtas in habitu, mediocritas in victu. Sint in clauſtro aſsidui, & ad iniuriam rari: non ſint ciuiles, ſed clauſtrales. Sint intenti Pſalmis, non cauſis. Non ſit rumor in clauſtro, ſed dilectio. In capitulo non lites, ſed confeſsio. In choro ſit ſacra ſimplicitas, & circa altare reuerentiæ honeſtas. De religioſis perplura aliàs. & in multis locis ſcribit Gerſon.

Remedium, Græcè φάρμακον dicitur. Remedium autem eſt duplex contra malum, ſcilicet impediens futurum, & remouens malum præſens. ex beato Thom.

Tho. ptima ſecundæ q.xlij.ar.vj. Et remedium aliquod contra peccatum eſt dupliciter (vt ſcribit ſan. Bonauen.di.xxvj.ar.ij.q.iij.lib.iiij. Aut quia liberat à peccato commiſſo, & hoc eſt per gratiā quæ in eo confertur. Quoddam quod liberat à peccato, quod cōmitteretur aliàs, & tale eſt matrimonium: quia multi infirmi vrerētur concupiſcentia, niſi haberent vxorem, quam cognoſcendo carnis aduſtionem euaderent: & in tali quantum ad vſum non eſt neceſſe gratiā dari, quamuis in actu ſuo poſſet hoc mereri. Remedium contra luxutiā eſt præcipuum fuga inertis ocij. Quod vidit, qui ait. *Ocia ſi tollas, periere cupidinis arcus.* Aſsit ſobrietas, familiaritas abſit. Cui ſententiæ ſubſcribit Sophia apud Gerſonem de cælibatu, & caſtitate Eccleſiaſticorum &c. Eſt pręterea remedium neceſſarium ad ſalutem, de quo ſcribit Scotus di.j. qu.vij.lib.iiij. quod nullo tempore dimiſit Deus ſuos cultores ſine remedio neceſſario ad ſalutem, ſed omni tempore poſt lapſum fuit neceſſaria ad ſalutem deletio originalis, ergo quocunque tempore aliquod remedium efficax erat, vt latiùs probat Scotus, vel ſacrificium, vel oblationes ſicut fecerunt Abel, Noë, Melchiſedech, Abraham, de quo videatur & Dominus Prępoſitus Gabr. ſerm.j.de circuncíſione Domini. Fuit ergo congruum remedium, ne ad idolatriam defluerent, ad quam proni illius temporis homines erant, quod Deus ſuis cultoribus inſtitueret ſacrificia ſibi offerenda, poſsibile autem eſt quod aliquod determinatum ſacrificium foret ſacramentum, non enim eſt contra rationem ſacrificij, quod ipſum vel oblatio eius ſit ſacramentum, & tunc licèt indiſtinctè habetur de tali ſacramento in diuerſis locis ſcripturæ, quod ſit inſtitutum à Deo in lege naturæ. Scotus. Sunt præterea remedia contra veneficia & maleficia, de quibus legito doctorem Martinum Planſch in opuſculo ſuo de ſagis doctiſsimè diſſerentem.

Remiſsio, accipiendo nomen remiſsionis largiſsimè. Remiſsio peccati in baptiſmo quadrupliciter poteſt intelligi eſſe ab aliquo (vt ſcribit Rich.diſt.v.art.j. q.j.lib iiij.ſcilicet,) effectiuè, meritoriè, miniſterialiter, & hoc vel ſacramentum inſtituendo, vel inſtitutum adminiſtrando. Primo modo à Chriſto inquantum eſt homo, non poteſt eſſe remiſsio peccatorum, ſed ſic eſt ab ipſo inquantū Deus. Secūdo modo eſt ab eo inquantū eſt homo: quia inquantū eſt homo per ſuā paſsionem meruit, vt in baptiſmo remittātur peccata. Tertio modo eſt etiā ab eo inquantū eſt homo, quia inquantū eſt homo, miniſterialiter ſacramentū inſtituit in quo remittuntur peccata. Ipſe enim inquantū Deus, fuit inſtitutionis principalis cauſa. Quarto modo eſt remiſsio peccatorū à miniſtris Eccleſię, & de tali remiſsione dixit Chriſtus diſcipulis. Quorū remiſeritis peccata, remittuntur eis, Ioan.20. Sed ſic impropriè aliquis dicitur remittere peccatum. Rich.

Remiſsio peccatorum perfecta eſt remiſsio peccati quantum ad culpam & pœnam, talis, ſcilicet remiſsio quæ tollit omnem reatum, & obligationem tā culpæ quā pœnæ, veruntamen ſatisfactio non propriè tollit culpam, ſed remiſsionem eius pręſupponit, ad ſolam enim contritionem aut ſacramentalem abſolutionem reatus culpæ, & offenſa Dei remittitur, & opera ſatisfactionis quæ ſequuntur ad remiſsionē ordinatur. Gab.di.xvj.q.ij.ar.j.lib.iiij. Poteſt autem de potentia Dei abſoluta peccatum perfectè remitti, ſine ſatisfactione operis afflictiui, hoc enim non includit contradictionem, ergo. Non autem de potentia Dei ordinata fit perfecta remiſsio peccatorum ſine pœnalium ſatisfactione operum, vt probat Gabr. vbi ſupra, concluſione j. & ij. poſt Scotum diſtin.xv. Item ſi quis in peccato mortali exiſtens conuerteretur ad Deum eliciendo actum intenſum dilectionis Dei ſuper omnia: nihil tunc cogitans de peccatis ſuis, tunc peccatum id poteſt perfectè remitti: abſque ſatisfactione peccatoris formaliter pœnali, vt ſi quis ſubitò raperetur ad martyrium niſi ſacrificaret, ſeu adoraret idolum, & ille propter Deum magis eligeret mori quā idolatrare, nec eſſet ſibi tempus nec mora eliciendi contritionem peccatorum, nec cogitare poſſet de peccatis, ille ſic ſe offerens martyrio propter Deū tanquam vltimum finem perfectū dilectionis actum, & eſt verè martyr, & per conſequens euolat. Gab. cōcluſione iij. vbi ſupra. Sed ſine ſatisfactione pœnali in habentibus vſum rationis formaliter, nō fit perfecta remiſsio peccati, regulariter accipiendo ſatisfactionem pœnalem generaliter pro omni actu habente pœnam annexam, ſiue ad quem ſequitur pœna, quo modo etiam ipſa contritio eſt actus pęnalis, quia ad eam ſequitur triſtitia. Sine contritione autem in habentibus vſum rationis regulariter non fit remiſsio peccati. Ex quo ſequitur quod nō fit remiſsio peccati actualis regulariter ſine peccatorum ſatisfactione pœnali formaliter vel virtualiter, quia ad remiſsionem peccati neceſſe eſt concurrere actum voluntatis peccatoris, vel reſpectu peccati, qui eſt contritio aut reſpectu Dei, qui eſt dilectio eius ſuper omnia, & vterque illorum includit pœnam formaliter vel virtualiter. Hæc ſingula prædicta latiùs deducit Gabr. vbi ſupra.

Remitti peccatum mortale ſecundum B. Auguſt. ſuper Pſal. 31. nihil aliud eſt quàm ipſum non imputari ad pœnæ æternæ vindictam.

Remiſsio venialis peccati (vt idem ſcribit Gabriël diſt.xvj.qu.v.ar.iij.dubio ij.lib.iiij. poſt Scotum) nihil aliud eſt niſi remiſsio reatus ad pœnam. Et ſecundum Scotū poteſt veniale remitti manēte mortali, quia poteſt ſolui pœna debita veniali ab exiſtente in mortali hic in via, & in inferno, qua ſoluta, ſolutum eſt veniale ac dimiſſum. Repugnat huic beatus Thomas, quoniam ſecundum eum inimico quādiu eſt inimicus nō remittitur offenſa, nec parua nec magna, ſed habens mortale, eſt inimicus. Ad motiua Gabriël reſpondet vbi ſupra, qui vult quod licèt nullus actus ſit acceptus Deo, niſi is qui agit ſit acceptus, quantum ad meritum vitę æternę, quia nullus actus ſine charitate eſt meritorius vitę æternæ. Eſt tamē aliquis actus vel paſsio accepta ad remiſsionem pœnæ temporalis peccato veniali debitæ eius qui non eſt acceptus ad vitam, alioquin bona opera moraliter in mortali facta ad nihil acceptarentur, quod eſt contra omnes. Vide latiùs Gabriëlem vbi ſupra.

Remunerare, retribuere, & remuneratio & retributio, & remunerabile. Et illud dicitur tripliciter ſe-

cundum

cundum ſanctum Bonauenturam diſtinct. xlviij. articulo ij. qu. prima libr. iij. Primo modo quod aptum natum eſt mereri; & hoc eſt liberum arbitrium. Alio modo quod eſt ipſi merenti coniunctum, vt corpus humanum. Tertio modo quod eſt ad ipſum ordinatum, ſicut ad obſequium. ſecundum hoc præmiatur homo aliquando in ſeipſo, aliquando in corpore, aliquando ex eis quæ ſunt ſibi vtilia. ſic etiam præmiatur in ſeipſo in corpore ſuo, & etiam in ipſo mundo, qui eius eſt habitaculum. Vnde corpora cœleſtia præmiari, non eſt aliud, quã hominem præmiari in illis, quia Dominus totum mundum hominis amore faciet pulchriorem. Et ideo quia propter hominem præmiantur corpora ſupercœleſtia, ſecundũ eam proprietatem præmiantur, ſecundũ quam ſunt cõſona corporibus glorioſis. Hæc autem eſt lux, & ideo in luce & ſplendore augebũtur, & creſcẽt. Hæc ſanct. Bonauentura. Vnde I ſaiç. 30. Erit lux Lunæ ſicut lux Solis, & lux Solis ſicut ſeptem dierum. Gloſſa, id eſt Sol & Luna præmium ſui laboris percipient.

Remurmurare nihil aliud eſt, niſi certè & euidenter cognoſcere contrariũ principij practici fieri nõ debere, vt dicit Gabriel di. xxxix. qu. vnica art. iij. dub. j. lib. ij. Sic dæmones & damnati apprehenſis principiis aſſentiunt. Potentia enim intellectiua quæ eſt ipſa natura rationalis, manet in dæmonibus & damnatis: alioquin non remurmurarent. ſicut inſtigare ad bonum, nihil aliud eſt quam aſſentire, & cognoſcere principium, oſtendens aliquam operationem eſſe bonam & iuſtam, eamque fieri debere. Hoc autẽ nouerunt & damnati nouerunt enim ſe prauè velle, agere, & peccare. Poteſt autem ratio ita turbari pœnis & delectationibus, aut alia diſpoſitione neceſſaria quod terminos principij clarè apprehendere non poteſt: aut ſe ad ipſum principium conuertere ipſum aduertẽdo. & ſic impeditur quantum ad aſſenſum ſynderiſis. De quo latiùs infra dicetur litera S.

Renouari, eſt nouum fieri, nouum autem facere, eſt lauacri. Et Baptiſmus renouat: quia omnem vetuſtatem peccati actualis tollit, culpam ſcilicet, & pœnam. Pœnitentia autem non renouat: quia licèt culpam tollat, non tamen omnem pœnam: & ideo aliquid vetuſtatis relinquit, quod ſubſequens ſatisfactio remouet. Gabriel di. xiiij. qu. iij. art. ij. lib. iiij. concluſione iij. Vnde ſecundũ Apoſtolum, Baptiſmus eſt Sacramentum regenerationis & renouationis. ad Titom 3.

Renunciare, aliquando pro nuncio accipitur. à quo renunciatio: & eſt rei vel iuris proprij, facta ſcienter legitima refutatio. vt habetur. vij. quæſt. prima. ca. quam periculoſum.

Repræſalia dicuntur generalis retentio bonorũ aliquorum auctoritate principis, vel ciuitatis pro recõpenſatione damni dati indulta: vt quando vnus de vno dominio non valens cõſequi ius contra aliquẽ, de alio dominio retinet res omnium, quæ ſunt de tali dominio pro ſatisfactione, vt Angelus in ſumma. ca. repreſalia. Et quãdoq; ſunt licitæ, quandoque nõ (vt ſcribit Gabriel di. xv. qu. iiij. li. iiij. Quod ſint licitæ requiruntur ſex ſcilicet quod Dominus, vel ciuitas requiratur pro iuſtitia miniſtranda. Secundo quod conſtet de negligentia iuſtitiæ adminiſtrandæ. Tertia quod adeatur ſuperior, ſi habet ſuperiorem de iure & de facto, ſi adiri poteſt, & expediret. Quarto quod cõcedatur à iudice proprio iniuriati. Quinta quod ſit cauſa iuſta & ſufficiens, ſcilicet notabilis iniuria, aut læſio iuſtitiæ. Sexto quod non extendatur vltra terminum, quo ad damnũ paſſum & quo ad perſonas contra quas conceditur. Quicquid enim detinetur excedens paſſum damnum, iniuſtum eſt. Similiter extendi non debet ad clericos & eccleſiaſticas perſonas: neque ad bona eorum. Plura apud Leguleos legere potes. Adquirens autem aliqua per repræſalias ſtantibus prædictis ſex conditionibus, non tenetur ad reſtitutionem. Si vero aliqua harum deficit, ad reſtitutionem quadruplici cogitur. In conſcientia verò tenetur ad omniũ ſic adquiſitorũ plenã reſtitutionem damnorum & expẽſarum, ſed hæc ad iuriſperitos.

Repræſentare, id eſt iterum præſentare, ſicut ſtatua Herculis nõ repræſentat Herculem niſi ei qui prius vidit Herculem, nec poſſum ſcire an ſtatua ſit ſimilis Herculi, niſi prius viderim Herculem. Gabr. di. iij. q. ij. lib. ij. Et repræſentans propriè accipiendo præſupponit notitiam repræſentanti, nec ducit niſi in notitiam rememoratiuam repræſentati.

Reprobare, eſt aliquem iudicare indignum vita æterna, vt eſt omnis indignus carẽs gratia, per oppoſitũ approbate, & propter finale peccatum præuiſum reprobatur, quicunque reprobatur. Nicolaus de Orbellis dicit. Reprobare eſt velle damnare. Et reprobatio tria importat. Primò odium Dei æternum, propter maliciam alicuius præuiſam ab æterno. Secundò obdurationem reprobati, quæ ſecundum Auguſtinũ nil aliud eſt, quàm Dei mandatis obuiare. Tertiò damnationẽ æternã ſeu punitionem. Primum eſt ex parte Dei, aliud ex parte ipſius hominis reprobati, ſed ſecundum, ſcilicet, obduratio hominis eſt ex ſua voluntaria malitia. Tertium verò, ſcilicet, pœna æterna eſt ex Dei iuſtitia, qua reddet vnicuique ſecundum opera ſua. Frater Pelbartus poſt ſuum Guilhelmum Scotiſtam.

Reprobatio variè deſcribitur. Vnde Dominus Præpoſitus Gabriel di. xl. qu. vnica, ar. j. lib. j. dicit. Reprobatio eſt præſcientia culpæ, & præparatio pœnæ, vt inquit Magiſ. Vel eſt ordinatio alicuius creaturæ ad pœnam æternam. Et hæc pœna eſt effectus reprobationis, nõ autem culpa per quam reprobatus meretur æternaliter puniri, eo quòd culpæ (Deus reprobans) non eſt actor, ſed ſolum præcognitor (vt clarè oſtendit Magiſter in textu di. xl.) beat. Tho. prima parte qu. xxiij. ar. iij. ait: Reprobatio Dei eſt pars prouidentiæ reſpectu eorum, qui exciderunt à beatitudine, ſicut prædeſtinatio reſpectu eorũ qui diuinitus ordinantur ad eam. Eckius doctor Theologiæ noſtra tempeſtate doctiſſimus, in ſuo Chriſopaſſo, colligit aliquas doctorum deſcriptiones reprobationis. Vnde ſecũdum Guilelmum Vorrilõg. Reprobatio eſt præſciẽtia iniquitatis & præparatio earundem ad damnationem. Thomas Argentinus: Reprobatio eſt æterna præcognitio mali vſus liberi arbitrij, ratione cuius Deus decreuit hominem aliquem priuare gratia in præſenti, & in futuro punire pœna æterna. Et ſecundum eum dicit tria, ſcilicet

ſcilicet præcognitionem culpæ, ſubtractionem gratiæ, & præparationé pœnæ. Capreolus ad mentem diui Thomę ait: Reprobatio eſt pręſcientia iniquitatis cum voluntate permittendi caſum in culpam, & inferendi damnationem pro culpa. Accedit Henricus Borcheim, quod reprobatio includit voluntatem permittẽdi culpam, & inferendi pœná damnationis pro culpa. Herueus Britto: Reprobatio eſt præuiſio malitiæ alicuius & propoſitum permittendi eum cadere, & non eleuandi eum à caſu. Gregorius Ariminenſis: Reprobatio eſt propoſitũ non dandi vitam æternam, vel non propoſitum dandi vitam æternam. Subſcribit Petrus de Aliaco Gabriëlem. Reprobatio eſt præſcientia culpæ, & præparatio æternæ pœnæ. Vel reprobatio (vt ait Gab. di.xlj.q.vnica, artic.j.lib.j.) importat Deum & pœnam æternam alicui infligendam: ſicut prædeſtinatio importat Deum, qui daturus eſt alicui vitá æternam. Videatur Eckius Doctor Germanus non incelebris, mihi notiſsimus & intimus, qui præter cæterorum Theologorum morem eloquentiam cum Theologica ſapientia coniunxit.

Reprobatio eſt duplex (vt ſcribit Brulefer diſtin. xl. artic.ij. quæſt. prima lib.j.) ſcilicet affirmatiua & negatiua. Vnde reprobatio negatiua eſt alicui non velle dare gloriam æternam. Affirmatiua verò eſt velle damnare vel punire aliquem pro peccatis. Reprobationis negatiuæ nulla eſt cauſa vel ratio ex parte obiecti: ſicut nec prædeſtinationis eſt cauſa obiectiualis. Et per hoc concordantur moderni Doctores, vt Occam, Gregorius Ariminenſis, qui videntur contradicere Scoto. Et ſecundum Eckium addendum eſt ad reprobationem affirmatiuam, æternaliter, quod Brulefer omiſit, propter exiſtentes in Purgatorio, quos Deus vtique vult punire: ſed non æternaliter. Et ſecundum eundem Doctorem, qui pro meritis non poteſt ſatis laudari: vera & propria ratio reprobationis videtur verius conſiſtere in negatione quàm affirmatione. Ita enim videtur intellexiſſe Apoſtolus & Propheta, cùm dixerunt: Iacob dilexi, Eſau autem odio habui. Per odium Dei intelligitur reprobatio. Sed quid aliud eſt odire Dei quàm nolle miſereri, vel non dare gloriam. Reprobare enim eſt nolle miſereri, ſecundum Magiſtrum. Melius ergo fecerunt deſinentes per negationem quàm deſinentes per affirmationé, vt dicit Eckius noſter in ſuo Chriſopaſſo, qui & de reprobatione & eius deſcriptione permulta notanda ſcriptis reliquit. Et veteres vt in plurimum loquuntur de reprobatione affirmatiua: recentiores contra de negatiua. Et ſecundum Richardum (vt eum refert Eckius) hominis demerita ſunt ratio reprobationis, quantũ ad connotatum, quod eſt temporalis obduratio & futura damnatio: non autem ipſius pręordinationis ad futuram damnationem eſt aliqua ratio.

Reptile quicquid repit. Et dicitur quadrupliciter (vt ſcribit ſanctus Bonauentura diſt.xv. lib.ij. in dub. literalibus.) Vno modo quod ſe trahit vi oris, ſicut vermes. Alio modo quod ſe trahit vi coſtarum, ſicut ſerpentes. ¶Tertio modo quod ſe trahit vi penularum, vt piſces. Quarto modo dicitur reptile largè, quod in mouendo ſe magnam partem corporis applicat terræ, quamuis habeat pedes, ſicut lacertæ & ſtelliones. Et ſic ſecundum diuerſas acceptiones reptile poteſt pertinere ad ornandum diuerſa eleméta. Beatus Tho. part.j.q.lxxij.art.ij. dicit: Reptile eſt animal cuius corpus non multũ eleuatur à terra per inſtrumẽta motus, ſed repit vi coſtarum: vt ſerpens. vel vi annulorum: vt annuloſa. vel vi oris: vt quidam vermis. vel vi penularum: vt piſces. Amb. lib. hexam. Scimus reptilia dici genera ſerpentũ, eò quòd ſuper terram repant: ſed multò magis omne quod natat, reptandi habet vel ſpeciem vel naturam. Hieronym. in Gen. Producant aquæ reptile animæ viuentis.

Repudium dicitur recuſatio, quod fiat ob rem pudendam. Et differt repudiũ & diuortium, quia repudium fiebat ex indebita cauſa, ſed diuortium ex debita. Et illud eſt permiſſum, hoc conceſſum. Differunt etiam, quia poſt repudium non prohibebantur nubere: poſt diuortiũ autem prohibentur. Differunt etiam, quia vir repudiabat vxorem, nõ ecõuerſo. Vnde nõ iudicabantur ad paria, in diuortio iudicantur ad paria. Et huius ratio eſt: quia mulier merito primi peccati eſt ſubiecta viro, ſed poſt reconciliationem Chriſti in quo non eſt ſeruus & liber, maſculus & fœmina omnino quantũ ad legem thori ad paria iudicátur. Hæc S. Bonauen. d.xxxv. lib.iiij.q.j. in fine. Et (vt idem ait q.iiij. vbi ſupra.) diuortium non eſt ſeparatio quantũ ad vinculum ſacramentale, ſed quantum ad debitum & cohabitationé. Vide eundem q.v. & de diuortio. Potes & videre de repudio Paulum Corteſium lib.iiij.d.vj. in fine ſuarum ſententiarum.

Requies. Gemina eſt animarũ requies: vna in præſenti, alia in futuro. Iſta habet meritũ, illa præmiũ: per primá habetur ſecũda, id eſt per meritũ pręmiũ: ſicut ſcriptũ eſt: Erit ſabbatum ex ſabbato, hoc eſt, pro requie pectoris dabitur requies æternitatis. De illa duplici requie permulta & perpulchra ſcripſit Gerſon part.ij. ſermone de verbis Domini: Venite ad me omnes qui laboratis, &c. Prima requies multis in ſacra pagina nominibus appellatur. Dicitur enim bona cõſcientia, bona voluntas, pax pectoris, tranquillitas cordis, puritas mentis, refrigeriũ animæ, cõſolatio ſpiritus. Secunda requies eſt de qua dicitur: Oculus nõ vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe. Requies illa eſt decor & immortalitas corporum, honor & impaſſibilitas animarũ. Requies illa eſt laboris & doloris omnis abſentia, curæ & anxietatis nulla incidentia, nulla moleſtia, nulla anguſtia, nulla cõfuſio, nulla formido. Requies illa eſt perpetua in ſanitate, firmitas inconcuſſa in animi libertate, ſuauitas ſuauiſsima & ſuperdulciſsima in viſione creatoris, delectatio ſancta & ſincera, in ſanctorum ſocietate dulcedo. Vide latiùs Gerſonem vbi ſupra.

Res, vt ſcribit ſanctus Bonauen. di.xxxvij. in dub. literal. li.ij. accipitur propriè & magis propriè. Res ſecundũ quod cõmuniter dicitur à reor, reris: & ſic cõprehendit omne illud, quod cadit in cognitione, ſiue ſit res exterius, ſiue in ſola opinione. Propriè verò dicitur res à ratus, a, um, ſecundũ q. ratũ dicitur eſſe illud, quod nõ tantũ nõ eſt in cognitione, imò

eſt in rerum natura,ſiue ſit ens in ſe ſiue in alio: & hoc modo res conuertitur cum ente. Tertio modo dicitur magis propriè, ſecundum quod dicitur à ratus,a,um. ptout ratum dicitur illud, quod eſt ens per ſe & fixum: & ſic res dicitur ſolùm de creaturis & ſubſtantiis per ſe entibus. Si res accipitur primo modo, peccatum eſt res, & quantum ad actionem ſubſtratam, & quantum ad deformitatem: ſicut accipit Fulgentius, & habetur in gloſſa ſuper Rom.1. Deus illius rei eſt vltor cuius non eſt actor. Si res dicitur ſecũdo modo, ſic peccatum dicitur res, non ratione deformitatis, ſed ratione actus ſubſtrati. Et ſic accipit Auguſtinus in Enchirid. cùm dicit, quod aliquæ ſunt res quibus homines mali ſunt, & tales non ſunt niſi vitia & peccata. Sed capiendo tertio modo res, peccatum non eſt res ratione deformitatis, nec ratione actus ſubſtrati. Sic accipit Auguſt. cùm dicit, quod opera diaboli vitia ſunt non res.

Res poteſt conſiderari tripliciter (vt ſcribit ſanctus Bonauentura diſt. xxv. in dubiis literalibus lib. j.) aut ſecundum proprietates quas habet in propria natura, aut ſecundum modum per quem ſit apud animam: aut ſecundũ proprietatem cõmunem, quæ ineſt ei ab actibus animę, qui ſunt ſubiicere & prędicare, cõponere & diuidere: ſecundũ hanc ergo triplicem acceptionẽ contingit rem tripliciter nominari. Vno modo per nomẽ quod indicat exiſtentiã à parte ſuæ naturæ: ſicut dicitur albũ & nigrum, & huiuſmodi. Alio modo ſecundum quod anima accipit per modũ entis, hoc modo nominat res: vnde omne illud res dicitur, quod anima cogitat: vt exiſtens in natura. Alio modo cõtingit nominare per intentiones ſecundas, ſicut dicitur genus, ſpecies, ſubiectum, prædicatum. Quoniam ergo hoc nomẽ res dicit mediũ inter nomẽ, quod dicit purè formã naturæ, & nomẽ quod dicit formã intẽtionis: ideo non tantũ eſſentiæ conuenit, ſed etiam perſonis. Et ideo tres res dicimus tres perſonas, non ſic tres eſſentias: & huic ſignificationi alludit ipſum nomen. Res enim dicitur à reor (vt dictũ eſt) quod dicit actum à parte animæ. Et alio modo venit ab hoc quod eſt ratus, quod dicit ſtabilitatẽ à parte naturę: & ſic res dicit ſtabilitatẽ ſiue rationẽ ex parte entitatis. Hæc Bonauen. Et ſecundũ Aliacẽſem tres res poſſunt dici vna res, &c. Vnde Magiſt. di. xxv. li. j. Ita tres res dicimus, vt eaſdem eſſe vnã quandam ſummã rem confiteamur. De quo & Auguſt. lib. j. de doctrina Chriſtiana: quem & allegat Magiſter ibi, vide eum & Scotum quæſt. iij. quodlib. de acceptione vocabuli res.

Res eſt triplex (vt ſcribit Brulefer in prologo libri primi ſententiarum.) Increata. & de hac ſpecialiter tractatur in j. lib. ſenten. Creata: & de hac ſpecialiter eſt ſecũdus ſenten. Tertia eſt res includens rem creatam & increatam: & de hac ſpecialiter eſt tertius ſententiarum, qui eſt de Chriſto. Quartus verò liber eſt de ſignis: & omnes libri à primo quicquid tractant: hoc ſit inquantum talia ſunt à Deo vel creata vel inſtituta.

Res aliqua poteſt dupliciter cognoſci, ſcilicet in ſe vel non in ſe: ſed in conceptu, vt poſt Occam ſcribit Dominus Præpoſitus Gabriël di. iij. q. ij. art. j. lib. j. In ſe cognoſcitur res quando ipſamet res & nihil ab ea re vel ratione terminat actũ cognoſcendi, ſiue cognitio ipſa ſit intuitiua vel abſtractiua præſupponẽs intuitiuã eiuſdem rei. Res autem cognoſcitur non in ſe, quando cognoſcitur in aliquo cõceptu ſibi proprio: & hoc maximè dum cognoſcitur cõceptus ille de aliquo ente verificari: vel res cognoſcitur vno modo in ſe, id eſt cognitione diſtincta: alio modo in ſe, id eſt cognitione indiſtincta. Cognitio diſtincta vocatur, quando nihil quomodocunq; diſtinctum à re cuius eſt cognitio terminat huiuſmodi cognitionem, id eſt, eſt cognitio, ſignificans rem aliquã præciſe, & nihil quomodocunq; à re illa diſtinctum. Sed nec Deus ſiue eſſentia ſiue quodcunq; intrinſecum Deo poteſt cognoſci naturaliter hic pro ſtatu viæ in ſe à nobis. Poteſt tamẽ eſſentia vel quidditas diuina à nobis cognoſci in aliquo conceptu non ſolũ ſimplici cõmuni Deo & creaturis, ſed etiam cõpoſito proprio Deo, cuius partes ſunt naturaliter abſtrahibiles à rebus, &c. Et conceptu ſimplici vel cõnotatiuo vel negatiuo cognoſcitur Deus, vt cõceptu huius ſigni prima cauſa. Creatiuum immortalis, immutabilis, incauſabilis, æternus. Plura alia vide apud Gabr. vbi ſupra. Res quoq; cognoſci poteſt tripliciter, ſecundum quod aliquid dicitur tripliciter menſura: de quo vide in dictione *Menſura*. Res autẽ vniuerſæ ab æterno fuerunt Deo cognitæ: & ſic cognoſcit ea antequã fiãt: de quo aliàs dicitur: & videre potes de hoc Dominum Iacobum de Valentia ſuper illud Pſalm. 138. Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes ſcribentur, &c.

Res permanens quandoq; accipitur pro re, quę ſemper manet & nunquã eſſe deſinit, licèt eſſe incepit. Et per oppoſitum ſucceſſiuum pro eo in quo non eſſe ſuccedit eſſe: & huiuſmodi menſuram dicunt tempus. Gabr. di. ij. q. j. art. j. lib. ij.

Reſpublica, ciuitas libera, quę iure regitur, vel reſpublica eſt paucorũ poteſtas, in qua centũ Magiſtratus declarãtur, ſecundũ Ariſtot. li. 1. Rhetor. Vel reſpublica eſt inſtitutio ciuitatis circa Magiſtratus, honoreſq; publicos, quemadmodũ debeant impartiri & in quo poteſtas, auctoritaſq; ſumma debeat cõſiſtere, & qui ſit finis cuiuſq; ſocietatis, ſecundũ Ariſtot. 4. Polit. Vel reſpublica eſt res populi, ſecundũ Aug. li. j. de Ciuit. Dei. Vel ſecundũ Plutarch. Reſpublica eſt quoddã corpus cõpaginatum ex membris quod diuini muneris beneficio animatur, & ſummæ æquitatis agitur nutu, & regitur quodam lumine rationis.

Reſtitutio vt ſcribit frater Oſwaldus lib. iiij. Roſarij Theol. Eſt rẽ ſtatuere in priſtinũ ſtatũ, & eſt nõ ſolum præſentiã rei prębere, ſed etiã poſſeſſorẽ facere, fructuſq; reddere: & accipitur tripliciter. Primò, vt eſt idẽ quod ſatisfactio. Secũdò, vt genus ad ambas ſpecies. Tertiò, vt cõdiuiſa contra ſatisfactionem. Nam ſecundũ S. Tho. & Bonauen. in iiij. di. xv. q. vlt. Reſtitutio & ſatisfactio differunt: quẽ vide. Poteſt enim eſſe ſatisfactio ſine reſtitutione: & viceuerſa. Et reſtitutio ſecundum B. Tho. ij. ij. q. lxj. eſt actus iuſtitiæ cõmutatiuæ: quia nihil aliud videtur eſſe quàm aliquẽ ſtatuere in poſſeſſionẽ rei ſuæ. Et reſtituere eſt aliquãdo reddere: & plus eſt reſtituere quã exhibere, ſecundũ Caium Iuriſconſul. Nam

exhibere

exhibere eſt corporis præſentiam poſſeſſorem prębere. Reſtituere verò eſt etiam poſſeſſorem facere, fructusque reddere.

Reſtitutio (vt ſcribit Stephanus Brulefer diſtinct. xv. quæſt. xiij. lib. iiij.) eſt redditio alicuius rei bonæ, & rei quæ fuit iniuſtè ablata, vel iniuſtè detenta. Secundum Aſteñ. lib. v. tit. xxix. cap. j. vt recitat Gabriel diſtinct. xv. quæſt. ij. lib. iiij. eſt iterata immiſsio alicuius in poſſeſsionem vel dominium rei ſuæ. Ait enim: Reſtituere eſt aliquid iterato ſtatuere in poſſeſsionem vel rei ſuæ. Poſſet tamen generalios deſcribi (vt ait Gabriel) ſic: Reſtitutio eſt iuſta recompenſatio damni iniuſtè illati ei cui illatum eſt. Vel adhuc largius accipiendo reſtitutionem eſt recompenſatio facta alicui pro illato damno, vel pro re ablata ipſo conſentiente, vel inuito. Dicitur pro damno, quia quandoque damnum infertur, vbi nulla res aufertur: vt dum impeditur aliquod ne acquirat aliquid ſibi debitum. Dicitur conſentiente, vt in mutuo, & depoſito, venditione & vſura. Dicitur vel inuito: vt in rapina & furto. Ex quo ſequitur, quod reſtitutio eſt actus iuſtitiæ commutatiuæ, qua fit recompenſatio rei ad rem ſecundum æqualitatem valoris earundem. Et quoniam multipliciter poteſt quis damnificari ſecundum quod multiplicia bona iniuſtè ei poſſunt auferri, multiplex eſt reſtitutio. Sunt enim bona animæ tam gratuita quàm naturalia: ſunt & bona corporis: vt corporis robur, ſanitas, membrorum integritas, pulchritudo, &cæ. Sunt tertiò bona famæ, ſecundum illud: Melius eſt nomen bonum quàm vnguenta precioſa. Sunt quartò bona exteriora, quæ dicuntur bona fortunæ: vt diuitiæ rerum mobilium & immobilium. Et in omnibus his poteſt quis damnificari iniuſtè, & ſimiliter reſtitutio fieri ſimpliciter vel in æquiualenti. Reſtitutio autem damni illati iniuſtè eſt de ſalutis neceſsitate, quia reſtitutio damni illati eſt præcepta per illud: Non facias furtum: quo prohibetur omnis vſurpatio rei alienæ, qua damnificatur proximus: ergo prohibetur omne damnum proximo iniuſtè illatum: & per conſequens mandatur ceſſatio à damno illato: ſed reſtitutio eſt ceſſatio à damno illato: ergo. Nam damnum illatum tamdiu manet donec recompenſetur. Cùm verò damnum recompenſatur, ceſſat & extinguitur. Hinc Auguſtinus epiſtola ſecunda ad Maced. Non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum: & habetur xiiij. q. vj. cap. j. quæ verba tractans & explanãs Gerſon parte ij. in regulis moralibus, inquit: Non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum: hoc eſt niſi voluntas efficax reſtituendi eſſet, dum poſſibilitas & oportunitas acceſſerit: & prout ſapiens præſertim cõfeſſor prælatus determinabit: vt quod veris dominis, ſi ſuperſunt, aut hæredibus ſuis, aut ſi fieri nequeat: quia non ſunt aut ignorantur, in pios vſus referantur ablata. Hæc Gerſon. Reſtitutionem quoque rei iniuſtè ablatæ, ſtatim eſſe faciendam & regulariter nulla mora protelandã vult Gabriel artic. ij. vbi ſupra, concluſione ij. Et dicitur regulariter, quia quandoque in caſibus licet differre reſtitutionem exteriorem, poſita tamen interiore voluntate reſtituendi cùm occurrunt circunſtantiæ oportunæ: vtpote quando aliquod in commodum quiſquam per hoc pateretur. Id quod latiùs declarat Gabriel art. ij. vbi ſupra. Nec reſtitutio eſt pars ſacramenti pœnitẽtiæ, nec pars ſatisfactionis propriè accipiẽdo ſatisfactionẽ, vt habet Alexãder part. iiij. q. lxxxvj. & cæteri, S. Thomas, Bonauent. & Scotus: ſed impropriè, vt ſcilicet eſt opus volũtariè aſſumptũ ad quod quis tenetur, eò quòd talis ſatisfacit præcepto. Propriè verò nõ eſt ſatisfactio, vt videre potes apud Gabr. vbi ſupra, conclu. iij. Reſtituendum eſt autem omne occupatum vel detẽtum iniuſtè, id eſt domino rei inuito, vt exponit Scotus, ſi reſtitui poteſt in ſe vel æquiualenti. Et dicitur omne occupatum: qualia ſunt rapta, furto ablata, aut alio modo vſurpata, in quibus non trãsfertur dominiũ: vt in mutuo & iniuſtè exactis. Dicitur iniuſtè, id eſt inuito domino: quia accedente voluntate domini, detinẽs non tenetur ad reſtitutionem, volenti enim non fit iniuria: & intelligendũ eſt de inuito actu non illicito, ſed actu debito. Omnes quoq; iniuſtę exactiones & oppreſsiones pauperũ violẽtia metus, omnia ſic exacta reſtitui debẽt. Dicitur, ſi reſtitui poteſt. Nam nemo obligatur ad impoſsibile. Dicitur, in ſe: quia res vſurpata reſtitui debet eadẽ in ſpecie & indiuiduo ſi habetur: nec poteſt dari alia res eiuſdem bonitatis pro ea contra voluntatẽ domini ipſius rei. Vnde iij. q. j. reintegranda, vbi dicitur, quod reintegranda ſunt omnia ſpoliatis. Secùs ſi res eſſet cõſumpta vel periiſſet, ſufficit quod reſtituatur in æquiualenti. Detinens prætetea iniuſtè rem fructiferã, omnẽ fructũ quem cõſequitur ex re ipſa vel cõſequi potuiſſet, ſi diligẽter coluiſſet eo modo quo dominus rei ſolebat colere, tenetur reſtituere: deductis tamẽ expenſis in rei cõſeruatione, cultura & fructus collectione. Damna etiã quæ paſſus eſt dominus ex carentia ſuæ rei, tenetur detentor iniuſtus cõpẽſare. Nemo enim debet à proximo iniuſtè damnificari. Plura videto apud Gab. di. xv. q. ij. artic. iij. dub. j. lib. iiij. qui rem diffuſe probat; & vbertimè & copioſiſsimè de reſtitutione ſcribit. Facienda autem eſt reſtitutio regulariter damnificato (vt idem vult dubio iij. vbi ſupra.) ſi iuſto titulo poſſedit, ſi noſcitur, ſi eius præſentia haberi poteſt, aut res ablata poteſt ei mitti ſine maioribus expenſis quàm res valet, ſi rerum ſuarum adminiſtrationem habet, ſi reſtitutio ei facienda non eſt interdicta Eccleſiaſtico vel Imperiali edicto. Patet iij. q. j. Reintegranda. & de re. ſpo. quaſi per totum. Et Paludenſis q. ij. artic. iiij. diſtinct. xv. per totum. copioſe Gabriel ſingula declarat. Poteſt autem quis reſtituere per ſeipſum vel per alium. Nam qui per alium facit, perinde eſt ac ſi per ſe facere videatur. Sed curandum ne publicetur actor, & vt is recipiat reſtituenda cui debetur: alioquin non eſſet liberatus, vt dicit Antoninus. Et ſubdit: Nec confidat de prædicatoribus & confeſſoribus, ac quęſtoribus, qui quęrunt pecuniam, non animarum ſalutem. Videatur amplius Gabriel dubio iiij. vbi ſupra: qui de reſtitutione valde multa ſcripſit, & eius ſpeciebus in pluribus quæſtionibus diſtinctionis xv. lib. iiij. legat curioſus & diligens. Gabriel plura de reſtitutione, qui cæteris (vt credo) melius, prolixius & vtilius, ſcripſit, nihil omittens, quæ ad reſtitutionem pertinere videantur.

Reſurrectio, & ſi plura de reſurrectione ſcripſerunt Doctores, tamen quædam & modica de ea ſcribam ex Doctoribus. Reſurrectio capitur tripliciter (vt ſcribit frater Oſwaldus lib.iiij. Roſarij Theolog.) ſcilicet actiuè: & ſic aliquando appropriatur patri, ſicut dicitur Actuum 2. Quem ſuſcitauit à mortuis. Aliquando filio, ſicut Ioan.11. Ego ſum reſurrectio & vita. Aliquando ſpirituiſancto. Patris autem & filij & ſpiritusſancti vna eſt potentia, qua fiet reſurrectio. Secundo reſurrectio capitur pro ſuſcitatione animæ à peccato mortali ad ſtatum gratiæ, Apocalyp.20. Hæc eſt reſurrectio prima: beatus & ſanctus qui habet partem in reſurrectione prima. De iſta dicit Apoſtolus ad Epheſios 5. Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus. Tertio capitur pro reünione animarum rationabilium in ſua corpora. De qua Matth.27. Multa corpora ſanctorum ſurrexerunt, & introierunt in ſanctam ciuitatẽ: & ſic reſurrectio eſt corporis facti incorruptibilis ad animam iterata vnio: & ſic reſurrectio eſt duplex.

Reſurrectio eſt duplex (vt notat Brulefer diſt.xliij. quæſt.j.libr.iiij.) Quædam eſt increata, & eſt ipſemet Deus efficiens & cauſans reſurrectionem creatam, tam corporalem quàm ſpiritualẽ. Vnde eſt illud: Ego ſum reſurrectio & vita (vt dictum eſt) & iſta reſurrectio non eſt futura, ſed fuit ab æterno. Alia eſt reſurrectio creata, & iſta eſt triplex, ſcilicet ſpiritualis, temporalis, & corporalis. Reſurrectio ſpiritualis eſt illa, qua quis reſurget de peccato ad gratiam: & iſta ſolũ fit à Deo: de qua & ſupra, & infra latiùs dicetur in dictione *Reſurgere*. Reſurrectio temporalis eſt illa, qua quis quandoque cadit de proſperitate huius ſeculi, & tandem reſurgit ad talem proſperitatem, ſicut patet de Iob. Reſurrectio verò corporalis eſt reünio animarum intellectiuarũ ad corpora ſua (quam Corteſius extimam ſuſcitationem corporum vocat libr.ij. diſtinct.v.) & hæc non ſolùm eſt poſsibilis, ſed verè futura, vt fide credimus: de qua videatur Thomas Argentiñ. diſt. xliij. qui & refellit errores negantium reſurrectionem hominis poſt mortem: vide & Scotum quæſt.j. eadem diſt. Paludenſem & Paulum Corteſium di.viij.libr.iiij. & alios, qui multa de reſurrectione literis mandarunt. Eſt præterea reſurrectio ad iudicium: & iſto modo reſurgunt omnes. Alia eſt reſurrectio ad vitam æternam: & de iſta reſurrectione dicitur Ioannis 6. Nemo venit ad me, niſi pater, qui miſit me, traxerit eum: & ego reſuſcitabo eum in nouiſsimo die: & iſta reſurrectione non omnes reſurgent, ſed ſolùm beati: vt & ſcribit Brulefer di.xliij.q.ij.lib.iiij.

Reſurrectio ſic deſcribitur: Eſt copulatio rurſus animæ & corporis, & ſecunda eius quod diſſolutum eſt, & cecidit animalis reſurrectio. Vel reſurrectio eſt iterata ſurrectio quod cecidit. In qua reſurrectione credendum eſt idem corpus quod per mortem cecidit, ad eundem ſpiritum, id eſt ad eandem animam rediturũ, vt ſcribit Magiſter Ioannes Gerſon in expoſitione vndecimi articuli fidei. Reũnitio enim animæ & corporis reſurrectio dici poteſt. Vnde reſurgere nihil aliud eſt quàm quod mortuũ fuerat, iterum viuificari: vel animam viuificantem iterum corpori quod deſeruit vniri. vt ſcribit Dominus Præpoſitus Gabriël ſerm.ij. in feſto Paſchæ. Illa autem reſurrectio erit ſupernaturalis (vt ſcribit Richard.di.xliij.libr.iiij. Et aſſentiunt Scotus, Brulefer) & ideo erit miraculoſa, & non naturalis. Et in hac reſurrectione omnes reſurgent electi, vt dicit Richardus artic.ij.quæſt.j.libr.iiij. vbi ſupra. quia ad hoc ordinatur principaliter reſurrectio, vt homines conſequantur vltimum finem ſuum. Vltimus autem finis electorum, eſt perfectè eorum coniunctio cum ſummo bono, quo fine completur omnis appetitus eorum. Hunc autem finem completius cõſequentur electi per reſurrectionem eorum. Reſurgent & damnati, vt eorum damnatio compleatur: vt ſicut in anima ſimul & in corpore demeruerunt, ita ſimul in vtroque puniantur, hoc diuina iuſtitia exigente. Richardus q.ij. vbi ſupra. Et animę reproborum ſuis corporibus reünientur, non propter eorum conſolationem, ſed ad ſuę damnationis cumulum. Reſurgent & paruuli, qui cum ſolo originali peccato deceſſerunt: propter cauſam reſurrectionis omnibus hominibus communem. Richardus q.iij. vbi ſupra, quem latiùs perquirito. Et in corporibus electorum nulla erit deformitas, vt ſcribit Brulefer di.xliij.q.v.lib.iiij. De quo vide & Richardum di. xliiij.artic.j.q.vj.lib.iiij. In damnatis verò nulla erit pulchritudo: ita quod ſi habuerunt turpitudinem in hoc mundo, in eis remanebit: & ſi habuerunt pulchritudinem in hoc mundo, auferetur ab eis, & erunt turpiſsimi & viliſsimi, & pleni omni fœditate & infectione: non tamen erit deformitas per diminutionem. Nam ſi in hoc mundo nõ habuerit quis brachia vel tibias, tunc illa deformitas reparabitur ad augmentum pœnæ, vt puniatur in omnibus membris: quia in hoc mundo bene valuiſſent brachia ad faciendum mala. Beati verò erunt pulcherrimi & decori: vt de eorum dotibus dicitur. Vnde reſurgent in corpore (vt inquit ſanctus Bonauẽtura) non tantum quod eſt de eius neceſsitate, ſed etiam quod eſt de integritate, & decentia, & pulchritudine. Vnde Thomas Argentinenſis dicit, quod totum reſurget in homine: quod eſt de veritate ſuę ſpiritualis naturę, & hoc rationabiliter: quia ipſe reſurget cum tota anima intellectiua quantum ad eſſentiam ſuam, & quantum ad omnes potentias ſpirituales, ex quibus componitur homo inquantum dicitur eſſe naturæ ſpiritualis, &c. Et (vt idem ait) homo qui nunc viuit, idem numero reſurget in extremo iudicio, in quo vniuerſalis fiet hominum reſurrectio, & hoc exigente diuina iuſtitia: vt homo qui meruit in via, prę mietur in æterna vita, & qui demeruit, puniatur in æterna damnatione. Vide latiùs eum.

De reſurgendi modo. Vnde in reſurrectione conſideranda ſunt tria, vt ſcribit Richardus diſt.xliij.artic.v.quæſt.ij.lib.iiij. ſcilicet, Præparatio ad corporum reformationem, & corporum reformatio, & corporum reformatorum cum ſuis animabus propriis iterata vnio. Primum fiet creata virtute, quia puluerum collectio fiet miniſterio Angelico. Vox tubæ procedat à Chriſto, inquantum eſt homo, quamuis ab ipſo, inquantum eſt Deus, ſit ſpiritualem virtutem ſupernaturalem habitura: & iſta fient in tempore. Alia duo erunt per virtutem diuinam,

& fient

& ſient in eodem inſtanti ordine tamen naturæ. Vnio animarum ad opera ſequitur ipſorum reformationem, quæ eſt diſpoſitio ad animarum ſuſceptionem. Hæc Richardus. Conſonat Argentinus cùm vult di.xliij.lib.iiij. quod & ſi corporalis collectio non fiet ſubitò vel in inſtanti, cùm nulla virtus creata poteſt aliquod corpus de loco ad locum transferre in inſtanti. Fit enim miniſterio Angelorum (vt dictum eſt) tamen corporum ex iam dicto puluere formatio & diſpoſitio, ac eorunde corporum animatio fiet in inſtanti. Sed ſola virtus diuina de prædicto puluere poteſt humanum corpus formare, & formatum animare, quæ quidem virtus eſt ſimpliciter infinita, vt patet lib.j.d.xliij. Igitur propter diuinæ virtutis perfectionē huiuſmodi corpora formabūtur & animabūtur in inſtanti. Nō diſcrepat Scotus diſtinct.xliij.quæſt.v.lib.iiij. Vocat autē pulueres Scotus, corpora in quibus eſt vltimate facta reſolutio. Vnde Matth.24. dicit Saluator: Mittet filius hominis Angelos ſuos cum tuba & voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à ſummis cœlorum vſque ad terminos eorum, quod eſt dictum (vt inquit Scotus) quocunque diſperſæ fuerunt partes materiæ corporis, & in elementa ſiue in ignem ſiue in terram à ſummis cœlorum vſq; ad terminos eorum, ſiue in quodcunq; corpus mediū, aqueū, aëreū, vel imperfectè mixtū: à quatuor ventis omnes materiæ partes recolligētur & reūniētur. Et nō intellexit Chriſtus pulueres, quos vſitatè accipimus in ſepulchris, vſq; ad tantā diſtantiā eſſe diſperſos, ſed intellexit generaliter in quācunq; tota vel parte facta ſit reſolutio illa colligentur, & ex illis collectis, id eſt ex materia in eis, quę fuit priùs materia corporis corrupti reparabitur iterū idē corpus. Hæc Scotus. Aſtipulatur & Brulefer, qui ait: Pulueres ibi accipiuntur pro illa materia, de qua formata erant corpora, ſiue illa ſic ſub forma vermium ſeu herbarum, ſiue aquę ſiue terrę: & breuiter ſub quacunq; forma ſit: & iſta collectio fiet miniſterio Angelorū, & ita in tempore. Reformatio verò corporū fiet à Deo, & ſupra natura (vt dictum eſt.) Et ipſi corpori reformatio eſt animæ vnio. Reſurgent autem mortui in illis locis in quibus tempore reſurrectionis erit pars principalior corporis, ſiue ibi à principio fuerunt ſepulta eorum corpora ſiue non. Vel reſurgent in illo loco, in quo Deus eum reſurgere voluerit, & hoc vltimum dicitur propter hoc ſi æquè plures partes principaliores corporis reperiuntur in vno loco ſicut in alio: de quo videatur Richardus diſtinct.xliij.artic v. quæſt.iij.libr.iiij. Et reſurrectio omnium illorum, qui in aduentu Chriſti inuenientur mortui, erit in vltimo inſtanti temporis propriè dicti, quod ceſſabit ceſſante motu cœli. Et illi qui reperiuntur viui in aduentu Chriſti, quaſi ſtatim poſt ceſſationem motus cœli morientur, & parum poſt reſurgent: vt in mora inter media purgentur electi, qui aliquid purgabile habebunt. Richardus latiùs artic.vj.quæſt.j.vbi ſupra. Nec tempus reſurrectionis notum eſt ſub certitudine, nec Angelis nec hominibus virtute naturali, vt latiùs ſcribit Richardus quęſt.iij.vbi ſupra. Multa alia de reſurrectione ſcribunt Doctores, ſed relinquo legenda doctioribus. De cognitione verò quam habebunt tam boni quàm mali diuina virtute; vide Richardum artic.vij. quæſt.j.ij. & iij. diſtinct.xliij.libr.iiij. Et ſanctus Bonauentura artic. ij.quæſt.j.ij.& iij.eadem diſtinct. & alios. Omnia autem nota erunt omnibus, tam bona quàm mala, in ipſo iudicio: vt vult Anſelmus & Bernardus, & alij, &c. Richardus vbi ſupra ait: In iudicio quilibet per diuinam virtutem poterit legere in cuiuſlibet conſcientia omnia bona & mala, vt omnes videant quod in cuiuſlibet damnatione & præmiatione Deus iuſtè ponderabit bona & mala eorū: & ſic omnibus appareat diuinę iuſtitiæ rectitudo, &c. Et bonis memoria malorum non erit in verecundiam, ſed in gaudium & gloriam, quod pœnituerint, & quod ſatisfecerint. Malis verò in confuſionem. Et vt ait ſanctus Bonauentura: Rationabilior eſt quod omnium electorum peccata omnibus iuſtis tunc patebunt: & hoc propterea, quià magna erit Dei gloria, dum manifeſtatur eius ad filios miſericordia, & dum oſtendetur eius miſericordia, nulla erit erubeſcentia. Hæc pauca de reſurrectione ſufficiant, plura apud Doctores legantur.

Reſurrectio Chriſti, quæ facta eſt noſtræ reſurrectionis exemplar. Hinc Apoſtolus Coloſſen.3. Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt, quærite. Et Gregorius: Redemptor noſter ſuſcepit mortem, ne mori timeremus: oſtendit reſurrectionem, vt nos poſſe reſurgere confidamus. Vnde Leo Papa: Dubitandum non eſt de conſortio gloriæ, ſicut dubitandum non eſt de cognitione naturæ. Et ſequitur: Nos in Chriſto crucifixi, nos in Chriſto ſumus mortui, nos in Chriſto die tertia ſuſcitati. De hac ita ſcribit Gabriël ſerm.ij. facto in die Paſchæ. Euacuato limbo ac forti alligato, victrix anima Chriſti cum ſpoliis ſuis ad tumulum rediit die Paſchæ. Atque reſumpto pridem effuſo ſanguine in toto vel in parte, ſicut placuit exanime corpus alienum, tamē à corruptione protec vnitam ſibi deitatem, ob quam indecens erat ſanctum, id eſt corpus ſanctificatum, videre corruptionem, (ſecundum Dauid vaticinium) virtute verbi animæ reūniuit. Ipſum quoque corpus ſic informando viuificauit, & viuificando glorificauit. Sicque ſecundum carnem immortalis reſurrexit: ſecundum hanc enim cecidit, dum anima à carne per mortem ſeparata fuit. Animæ itaque & corporis reūnitio, reſurrectio dici poteſt. Et hoc eſt quod dicitur extra de ſumma Trinitate & fide catholica: firmiter. Deſcendit in anima, reſurrexit in carne, aſcendit pariter in vtroque. Hæc reſurrectio teſtificata eſt teſtimonio Angelorum, hominum, ſcripturæ & Dei, quæ abundè & diffuſè adducit Gabriël vbi ſupra. Videatur & Gerſon de Chriſti reſurrectione parte ij. ſermone facto in die Paſchæ, qui incipit: Si conſurrexiſtis cum Chriſto, & parte iiij. ſermone de reſurrectione, facto in die Paſchæ, qui incipit: Pax vobis, &c. Et apud alios videto concionatores.

Reſurgere eſt iterū ſurgere. Reſurgere ad æqualē ſtatum, maiorē vel minorē, poteſt tripliciter intelligi: Vel de ſtatu dignitatis, vel de ſtatu gratię, vel de ſtatu glorię. Status dignitatis attēditur ex variis prærogatiuis.

R E

rogatiuis. Vnde ſic ſtatus virginitatis eſt dignior ſtatu cõiugij. Sic ſtatus iuſtorũ, id eſt ſemper permanentiũ in innocẽtia baptiſmali, nobilior eſt ſtatu iuſtificatorum, id eſt reſurgentium à culpa mortali per pœnitentiam. Et hoc modò reſurgens per pœnitentiam non reſurgit ad eundem vel æqualẽ ſta-ſtatũ dignitatis, in quo fuit ante lapſum. Vnde Hugo lib. ij. de ſacramẽtis part. xiiij. cap. iiij. Nemo in ſpe correctionis peccare debet: quia quicquid ſemel amittitur, ampliuſ ipſum non recuperatur. Si virgo es, cuſtodi diligenter quod habes. Noli in ſpe peccare, noli cadere quaſi melior ſurrecturus ſis. Quicquid poſtea feceris, facere tamẽ non potes quin melior eſſes, ſi hoc faceres vt virgo eſſes. Sequitur. Si magnũ eſt aliquando ſurgere, magis eſt vtiq; nunq̃ cecidiſſe. Si bonum eſt ſanatũ eſſe, melius eſt nunquam corruptum eſſe. Hæc Hugo, quem latiùs refert Gabr. di. xiiij. q. iij. art. iij. dubio iij. lib. iiij. Ex quo ſequitur, quod reſurgens poſt lapſum, nunquã cõmodum reportat ex lapſu etiam ſi reſurgat melior quàm fuerat ante lapſum: quia ſemper perdit tempus illud quo fuerat in peccato, in quo multa merita cõparare potuiſſet ſi non cecidiſſet, & cum hoc omne meritum, quod reſurgens ſibi acquiſiuit. Et per hoc patet quod lapſus in peccatũ nunquam reſurgit ad ſtatum eiuſdem dignitatis in quo fuit ante lapſum. Licèt etiam melior reſurgat: ſicut ſtat virginem lapſam per pœnitentiæ feruorem ad maiorem gratiã reſurgere quàm habuit ante lapſum, & ſic meliorem poſt lapſum & pœnitẽtiam quam ante: tamen ad ſtatum virginitatis non poteſt reſurgere. Sic quicunque lapſus ad ſtatum nõ ſic lapſi, non poteſt reſurgere. Plura vide de hoc Gabr. opiniones recitantem. Et poſt alia in fine infert. Sicut omnis verè pœnitens ad maiorem gratiam quam perdiderat, reſurgit: ita reſurgens plura merita & maiorem gloriam acquirit: quia reſurgenti omnis gratia perdita reſtituitur, & omnia merita mortificata viuificantur, & vltra acquirit nouũ gradum gratiæ, correſpondentem actui pœnitentię, & nouum meritũ per nouam gratiam, per quam perficitur & continuatur actus pœnitentiæ, per quem ordinatur ad vlteriorem gradum gloriæ. Et ſubdit: Quamuis omnis verè pœnitens reſurgat melior quam fuerat dum cecidit in culpa, non tamẽ melior quàm futurus erat ſi ſtetiſſet in gratia. Patet primũ, quia habens maiorem gratiam melior eſt, ſed reſurgens habet maiorem gratiã & plura merita: ergo. Probatur ſecundum: ſi enim ſtetiſſet in gratia tempore quo in peccatis dormierat, multa merita conquiſiuiſſet: quia non eſt ocioſa charitas ſecundum Gregor. Magna enim operatur ſi eſt, & per illa merita aucta fuiſſet charitas & gratia: & per conſequẽs correſpõdens gloria. Ad hoc autẽ quod liberũ arbitrium reſurgat à culpa, neceſſaria eſt gratia, nõ ſolũ ſecundũ quod gratia dicitur gratuita volũtas Dei: nec etiã ſecundũ quod dicitur liberalis paſſio Chriſti, ſed etiam ſecũdum quod dicitur habitus animi, vt vult S. Bonauen. diſt. xxviij. lib. ij. q. j. & cæteri Catholici tractatores à fide illuſtrati. Vide latiùs Bonauen. Homo itaque abſque gratia gratũ faciente nõ poteſt à culpa reſurgere. Et hoc vult Gerſon part. iij. de exercitiis deuotorum ſimplicium, & remedio contra ſpiritum blaſphemiæ, cùm ait: Nullus autẽ præſumat quod velit aut poſſit per ſe ſurgere à peccatis, aut peccata cauere: hoc enim ſolius diuinæ eſt gratiæ. Caueat ergo quiſq; à ſigno tantę ſuperbię. Nam propter ipſam ſuperbiã permittit Deus quandoque cadere hominem in peccata, in quæ nõ cecidiſſet ſi humiliter & timoratè ſe ad Dominum Deum ſuum, & compaſſiuè ad proximum ſuũ, qui priùs in ſimilia peccata cecidit, habuiſſet.

Reuelatio dicitur quaſi remotio velaminis (vt ſcribit Guilelmus Scotiſta) dum aliquid ignotũ aperitur alicui. Præſertim autẽ dicitur reuelatio, quando huiuſmodi manifeſtatio fit modo naturali: ſicut patet ex dictis Apoſtoli 2. ad Corinth. 12. Veniam autem ad viſiones & reuelationes Domini, & reuelatio addit ſupra viſionem intelligentiam viſorum, ſecundum beatum Thomam ſuper epiſtolam ſecundam ad Corinthios cap. 12. Poteſt autem reuelatio capi multipliciter (vt ſcribit Dominus Cardinalis Cametacenſis quæſt. xij. artic. iij. libr. j.) Vno modo, vt reuelare idem importat quod cauſare aliquod ſignum extrinſecum cauſatiuum aſſenſus in intellectu creato. Et ſic Deus dicitur reuelaſſe legem Chriſti omnibus, tam fidelibus quàm infidelibus, quamuis non omnes aſſentiant: & hæc poteſt vocari reuelatio exterior. Alio modo poteſt capi, vt reuelare importat idem quod cauſare aſſenſum in intellectu creato de aliquo complexo. Et hoc poteſt eſſe de complexo vero vel de complexo falſo: vel aſſenſu ſine formidine vel aſſenſu cum formidine. Et ſecundum hunc modum concedunt aliqui, quod hæc eſt neceſſaria, Deus reuelauit ſorti, quod dies iudicij erit, & non dependet aliquo modo ex contingenti futuro. Et quod Deus poteſt reuelare falſum, & poteſt decipere & fallere creaturam. Et quod non eſt inconueniens, quod ille, qui eſt veritas, cauſat in aliquo falſitatem. Alio modo poteſt capi reuelatio ſpecialius, vt reuelare importat idem quod cauſare aſſenſum firmum in intellectu creato de aliquo complexo vero, & poteſt vocari reuelatio interior. Et ſecundum hunc modum hæc eſt contingens: Deus reuelauit ſorti, quod dies iudicij erit, etiam poſtquam reuelauit: quia illa debet exponi, quod Deus cauſauit in ſorte aſſenſum firmũ quod ſic erit: & verum eſt quod ſic erit. Modò ſecunda pars eſt contingens: quare. Et verorum contingentium de futuro eſt poſſibilis intellectui creato vera reuelatio: ſicut Deus reuelauit & multa talia de facto: vt patet Daniëlis 2. Reuelatum eſt myſterium Daniëli. Item de Paulo 2. Corinth. 12. Scio hominem, &c. ſequitur: Et audiuit verba arcana, &c. Item de anima Chriſti: item aliter nulla eſſet prophetia. Fide quoque credendum eſt Deum hoc poſſe reuelare, quia omnipotens, qui & præſcit & præuidet futura vera & contingentia: quare per ſigna extrinſeca, vel per ſeipſum ſine talibus ſignis intellectui creato poteſt talia reuelare. Hæc Aliacenſis. Et de reuelatione eſt vt ſit certa, ſicut ſcribit Magiſter Ioannes Gerſon parte j. in declaratione veritatum, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis. Et ſecundum eundem: Veritates quibuſdam ſpecialiter factæ, ſine dubitatione ſunt credendæ: alioquin non eſſet reuelatio. Vide de hoc Magiſtrum Ioannem Gerſonem. Et reuelatio Angelica ſiue prophetica ſuper aliquo quod bonis

bonis moribus obuiaret, niſi diuina interueniret iuſsio ſiue diſpenſatio: taliter circumſtantionata eſt aut eſſe debet, quod de ea reuelationem accipienti, vel eis pro quibus fit reuelatio, dubitare non liceat. Oportet enim vt tam clarè cognoſcatur reuelatio eſſe à Deo, quàm clarè ſcitur aliquid eſſe ſcripturæ ſacræ, vel rationi conforme. Et in hoc caſu maximè neceſſarium eſt donum, quod Apoſtolus vocat donum ſpirituum. Hæc Magiſter Ioannes Gerſon parte j. tracta. de diſtinctione verarum viſionum à falſis. De probatione autem ſpirituum quod ad hoc valet, legito eundem Gerſonem tractatu de probatione ſpirituum. Probandi enim ſunt ſpiritus an ex Deo ſint, &c. Probanda quoque eſt reuelatio diuina ſicut moneta. De quo vide eundem parte prima, de diſtinctione verarum viſionum à falſis.

Reuerentia eſt honor exhibitus in teſtimonium virtutis. Vel eſt timor initialis & caſtus. Et poteſt capi in bono & in malo, ſicut etiam confuſio, id eſt erubeſcentia, ſecundum ſanctum Thomam ſuper Pſalm. 34. Et reuereri eſt actus timoris, & vt debetur Deo eſt actus latriæ, ſecũdum ſanctum Thomam ſecunda ſecundæ quæſt. lxxxj. articul. ij. Et reuereri eſt honorare. A quo reuerentia, honor quem tam in verbis quàm in factis alicui exhibemus: quare rem aliquam turpem nominaturi, ſolemus dicere: Salua reuerentia, ſaluo honore. A quo reuerendus, dignus reuerentia: & reuerenter, cum reuerentia. Et componitur reuereri ex re & vereor. Eſt autem vereri timere cũm pudore quodam erga eum quem metuimus. Quidam tamen hæc ſeparant, ſic quod vereri ſit hominis liberi, timere ſerui: quod ille pudoris, hic pœnæ metu teneatur. Et ſecundum Iacobum de Valentia ſuper illud Pſalm. 28. Afferte Domino gloriam & honorem. Iſta quinque ſe habent per ordinem, ſcilicet reuereri, honorare, laudare, glorificare, & adorare. Reuereri eſt reputare aliquod bonum maius in altero quàm in ſeipſo. Honorare eſt exhibere reuerentiam in teſtimonium virtutis, quàm in altero reputamus. Laudare eſt honoratum aliis commendare. Glorificare autem eſt laudes honorati largè, lateque præconizare. Adorare verò eſt reuerendum, honorandum, laudandum, glorificandum colere, propter eminentiam omnipotentiæ & ſanctitatis, & omni ſpe & fiducia poſtpoſita, ſe totum illi ſubiicere. Ideo adoratio dicitur diuinus cultus, omnia quatuor ſupradicta comprehendens: & ſic tale obſequium exhibetur cum oblatione & confeſsione laudis, & proteſtatione. Hæc Epiſcopus Chriſtopo. vbi ſupra.

Reus eſt qui accuſatur ſeu impetitur ſuper aliqua re, ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè. Gabriël diſtin. xv. quæſt. vj. libr. iiij. Vel eſt ille, qui in rem, hoc eſt cauſam ac iudicium vocatus eſt. Vel reus dicitur quicunque in litem adducitur, etiam ſi nihil admiſerit, id eſt contra quem quiſpiam agit. Cicero libro ſecundo de Oratore: Reos appellat non modò eos qui arguuntur, ſed omnes de quorum re diſceptatur. Vnde à re dicitur reus, quod rei alicui obnoxius ſit: vel à re quam promiſit reum fieri, vt Aſconius inquit, nihil aliud eſt niſi apud Prætorem legibus interrogari. A quo reus ſtipulando, eſt qui ſtipulatur. Reus promittendo, qui ſuo nomine pro altero promittit. Item Reus voti, qui ſuſcepto voto ſe numini obligat. Damnatus voti, qui promiſſa vota iam ſoluit, & ſunt propria ſacrorum verba. Reum agere, eſt accuſare. Reum peragere, eſt condemnare.

Rex qui regnum poſsidet. Regnum verò dicitur integra regio, quæ ab vno Rege poſsidetur. Vt Gallia regnum eſt, & qui Galliam poſsidet Rex Galliæ dicitur. Sic enim diſtinctus olim erat orbis terrarum, vt ſingulæ ferè regiones regna dicerentur, & Reges proprios haberent, à quibus ipſæ regiones appellatæ, quos ad faſtigium maieſtatis non ambitio popularis, ſed virtus & ſpectata inter bonos moderatio prouehebat. Dici tamen Reges poſſunt etiam ſi vnius tantum vrbis imperium habeant. Sic in principio Reges Romanorum dicti ſunt, quibus imperium vrbis permittebatur. Hinc regnum tam regio ipſa ſubiecta quàm ipſe dominatus dicitur. A quo interregnum, & dicitur tempus quo regnum vacat Rege. Interrex qui interea Regis locum tenet, &c. Et differunt Rex & Tyrannus, vt & notat Gerſon parte iiij. ſerm. de Angelis. Quod Tyrannus commodum proprium tantummodo quærit, Rex alienum. Et vt oſtendit Ariſtoteles 5. Politic. Rex eſt pro bono publico. Tyrannus autem omnia non niſi ad propriam ſuam vertit vtilitatem & voluntatem. Quæ res (vt inquit Gerſon parte iiij. de remediis cõtra adulatores) de iure naturali eſt contra Principem, & contra Chriſtianam charitatem, quod, ſcilicet paſtor aut gubernator ſit diſsipator, & ſuos grauet ſubditos, velut ſi eſſent beſtiæ non homines, & aliter quàm vellet ſuperiorem ſuum in ſimili ſibi facere caſu, &c.

Rixa eſt audax voluntas vindicandi iniuriam factam, ſecundum Albertum Magnum libr. iij. compendij: & videtur eſſe rixa quoddam priuatum bellum, quod geritur inter perſonas priuatas, non ex aliqua publica auctoritate, ſed magis ex inordinata voluntate. Et ſecundum beatum Thomam, ſecunda ſecundæ quæſt. xlj. artic. j. Rixa eſt contradictio in factis, ſcilicet mutua percuſsio & particulare bellum ſine auctoritate publica. Sed contentio eſt in verbis. Et dicitur rixa à ringo, quod eſt roſtrum torquere, quod canes faciunt latraturi. Hinc ringi pro iraſci capitur & tacitum ſtomachari.

Ros & pruina differunt ſola quantitate, ſecundum beatum Thomam ſuper Ioan. cap. xxxviij. de quo videatur Ariſtoteles & cæteri Philoſophi in libro Metheororum.

Rugitus, vox leonis & vrſi. Et propter vehementiam doloris vel famis, ſignificat vehementiam triſtitiæ & fletus, ex beato Tho. ſuper Pſal. 37.

Rumor dicitur nouitas ſine certo auctore, & differt à fama, quod Rumor ſemper de re recenti dicitur. Fama verò dicitur etiam de re inueterata, firmataq; hominum opinione quamuis incerta: de quo aliàs. Rumores ſuſpicioſos vir magnus non curat: de quo vide Gerſonem parte j. in trilogo in materia ſchiſmatis.

De litera S.

SAcerdos capitur tripliciter, vt notat Brulefer diſt.v.q.j.lib.iiij. Vno modo idem eſt quod ſacris datus: iſto modo homines laici & etiã mulieres poſſunt vocari ſacerdotes. Et breuiter qui iuſtè viuunt. Secundo modo dicitur ſacerdos, quaſi ſacra dans: hoc modo in antiqua lege primogeniti erant ſacerdotes & non alij, & iſti primogeniti habebãt tria priuilegia. Primum, quia recipiebant benedictionem patris. Secundum priuilegium, quia conſtituebantur domini fratrũ ſuorum. Tertium, quia recipiebant primogenita omnium bonorum. Tertio modo ſacerdos capitur quaſi ſacra docens: vt maximè ſunt ſacerdotes nouę legis, qui debent eſſe ſacris dati: ſacra dantes & ſacra docẽtes. Eſt autem ſacerdos is, qui Deo eſt dicatus ad ſacrificia facienda: & dicitur quaſi ſacra dans. Sicut enim Rex à regendo, ita ſacerdos à ſacrificando vocatus eſt: conſecrat enim & ſacrificat (vt ſcribit Gabriël di.xiij. q.j.dub.v.lib.iiij.poſt Iſidorum.)

Sacerdos eſt duplex, ſcilicet Legalis & Euangelicus (vt notat Gabriël di.xix.q.vnica, art.j.lib.iiij.) Sacerdos legalis ſiue figuralis, eſt ſacerdos veteris teſtamẽti, qui licèt ipſe mediator fuit inter Deum & populũ orationibus ſuis & ſacrificiis, quæ ipſi Deo obtulerunt ex donariis populi (quorũ ritus & officium deſcribitur Leuit. per totum.) principale tamen eorum officium (vt Richar. ait) fuit præcipuè reſpectu clauſionis & apertionis legalis templi, & oblationis ſacrificiorũ, & ſacramẽtorum legalium, iudicando homines eſſe mundos vel immundos in mundiciis legalibus, & reſpectu mundationis irregularitatum legalium. His non fuerunt datæ claues ordinis & cœleſtis regni (vt habet Gabriël vbi ſupra. & probat concluſione j.poſt Petrum Palud.) Verum fuit quorundam opinio, vt recitat ſanctus Thom. & ſanctus Bonauent. quod claues fuerunt apud ſacerdotes veteris teſtamenti, ſed imperfectæ & ſemiplenæ, & inchoatiuæ: quia & ipſi poterant imponere pœnam pro peccatis ignorãtiæ legis veteris, ſed non aperire regnum: quia clauſum fuit & nemo aperire potuit, &c. Sacerdos Euangelicus eſt, qui ex traditione Epiſcopi accepit in ſua ordinatione poteſtatem ſuper corpus Chriſti verum in altaris ſacrificio conficiendum, offerendum, & populo diſpenſandum. Et ſuper corpus Chriſti myſticũ ad membra huius corporis incorporandum, purgandum, à peccatis abſoluẽdum, & ad ſatisfactionẽ ligandum: ac per hoc regnum cœlorum dignis aperiendũ, & indignis claudendũ, & ad ſacramẽta ſpiritualia diſpenſandum. His enim & cuilibet ſacerdoti tam bono quàm malo in ſuſceptione ordinis ſacerdotij conferuntur inſeparabiliter claues regni cœleſtis, nec ſacerdotis iniquitas impedit collationem clauium. Eſt enim gratia gratis data, quæ tam bonis quàm malis confertur. Claues quoque dantur ad vtilitatem Eccleſiæ ſacerdoti, poteſtasq; clauium fundatur in charactere ſacerdotali, quę eſt indelebilis. Quare poteſtas clauium indelebiliter & inſeparabiliter adhæret ordini. De his plura legito apud Gabriëlem vbi ſupra. Et ſacerdoti Euangelico non licet ignorare ſuum officiũ, vt vult Richar. di.xviij.art.ij.q.v.libr.iiij. Ad ipſum enim pertinet ſubditos ſuos in lege inſtruere: iuxta illud Aggęi 2. Interroga ſacerdotes legem, &c. Nec ille per ignorantiam excuſatur, qui magis ſollicitus eſt quærere conſilium pro emptione vnius equi quàm pro animæ ſuæ ſalute. Videatur & Palud.d.xxxij.q.j.libr. iiij. & propter ſacerdotij dignitatem, quam ſcriptura non valens vnius nominis ſignificatione exprimere. Hos nunc Reges, nunc Angelos, nunc Deos crebrius appellat: de quo legito Gabr. lect.iiij.canonis. Dicuntur & ſacerdotes conductirij, qui aliàs mercenarij dicuntur. Et ſacerdotes ordinauit Chriſtus in vltima cœna, vt ſcribit Gerſon part.j.de poteſtate Eccleſiaſt.conſid.ij. qui & aliàs multa de ſacerdotibus ſcripſit.

Saccus quandoque accipitur pro quacunque humiliatione, eo tropo quo ſpecies accipitur pro genere. Vnde Hierony. & habet Magiſt. d.xvij.li.iiij. Qui peccator eſt, plangat delicta propria, vel populi, & ingrediatur Eccleſiam: de qua propter peccata fuerat egreſſus, & dormiat in ſacco: & præteritas delicias per quas Deum offenderat, vitæ auſteritate cõpenſet. Nec intelligitur ibi de ſacco exteriori, ſed quòd interius feratur veſtimentum aſperum, vt ſcribit ſanctus Bonauen.di.xvij.lib.iiij. ita quod interius debet eſſe amictus ſacco, quia vera pœnitentia debet eſſe humilis & auſtera, quorum vtrunq; notatur in ſacco, vt fuit in Niniuitis.

De Sacramento & eius acceptione, diuiſione, & diffinitione.

Sacramentum ſecundum Thomã & Durãdum q.j. quarti; dicitur à ſacrando actiuè, ſicut medicamentũ à medicãdo, & ornamentũ ab ornãdo: & ſic medicamentum eſt illud quo aliquis medicatur, & ornamentum eſt quo quiſquã ornatur: ſic Sacramẽtum eſt aliquid quo aliquis ſacratur. Verum vt ſcribit Gabriël poſt alios di.j.art.j.libr.iiij. ſicut virtus interior ſanans non dicitur medicamentum, ſed aliquid de foris adhibitum, vel intus ſuſceptum naturalis virtutis confortatiuũ, aut morbi expulſiuum: ita etiam interior contritio præparans à gratia formaliter ſanãs, non eſt Sacramentũ, ſed aliquid corporale ſiue ſenſibile extrinſecus ad ſacrificandũ hominẽ appoſitũ. Sunt autẽ Sacramẽta medicamenta perfecta, & pigmẽta odorifera, & vnguẽta ſalutifera, vt ſcribit ſanctus Bonauent. in prologo quarti ſenten. & ſalutifera reſpectu ægroti curandi, odorifera reſpectu Dei placandi: de quo ibi Bonauen. & infra videbis quomodo ſint medicinæ.

Sacramentum ſecundum Magiſtrum accipitur tripliciter. Vno modo pro ſacro ſecreto myſterio ſignato, quomodo dicimus Sacramẽtum diuinitatis, incarnationis, paſſionis. Secũdo accipitur Sacramentum pro ſacro ſigno. Et ſic dupliciter. Vno modo generaliter pro quolibet ſigno ſacræ rei: ſic ſumitur à Magiſtro cum ait: Sacramentum eſt ſacræ rei ſignum, id quod elicitur ex verbis beati Auguſt.x.de Ciuit.Dei, cap.v. ſic dicentis: Sacrificium eſt viſibile inuiſibilis ſacrificij Sacramentũ, id eſt Sacramẽti ſignũ: & hoc modo extendit ſe ad ſacrificia & ceremonias veteris teſtamẽti. Petrus Palud.d.j.q.ij.

lib.iiij. tractans illa verba Magiſtri, Sacramentum eſt ſacræ rei ſignum, dicit: Sacræ, id eſt vt ſacrans actu, id eſt adhibita ad ſacrandum ſpiritualiter, propter quod nec ſerpens ęneus dici poteſt Sacramentum, quia adhibebatur ſolum ad curã corporalem, nec crux Chriſti quæ ad repręſentandum tantum, nec creaturæ, quæ ſunt veſtigium Dei, in ſe poſſunt dici ſacramentum. Alio modo ſtrictius accipitur ſacramentum pro ſigno gratiæ efficaci & certo quomodo ſacramenta noui teſta. dicuntur ſacramenta, & hoc modo ponũtur tres diffinitiones ſacramẽti, vt recitat Alexan. part. iiij. q. viij. & poſt eum Gab. di. j. q. j. lib. iiij. Et S. Bo. di. j. li. iiij. circa text. Et ſecundũ Scot. & ſecundũ Petrũ Aliacẽſem q. j. ar. iij. lib. iiij. ſacramentum poteſt capi propriè & impropriè, modò in lege Moyſi fuerunt multa ſacramenta impropriè dicta ſicut purgationes ab immunditiis contractis, vt à tactu mortui & à lepra, & ſic de aliis. Erãt etiam ibi quædam ſacramenta impropriè dicta alia à prædictis, tamẽ plus accedentia ad perfectionem, ſicut erant oblationes hoſtiarum. Hæc enim pertinebãt ad cultum latriæ pro tempore illo quo Deus ſic voluit coli. Et iſtæ, ſcilicet, purgationes & oblationes dicebantur ceremoniæ vel ceremonialia ſacramenta. Et de iſtis poteſt concedi, quod non dabant gratiam tanquam ſigna efficacia reſpectu gratiæ vel ex opere operato. Vide multa de hoc apud Dominum Cardinalem Cameraceñ. vbi ſupra.

Sacramentum diffinitur ſic ab Aug. in lib. de corpore Chriſti. Sacramentum eſt per quod ſub tegumento rerum viſibilium diuina virtus ſecretius ſalutem operatur. Et quod ibi ſalutem ſecretius operatur, verum eſt per ſe, vt dicit Petrus de Palud. q. ij. lib. iiij. licèt per accidens imponente obicem impediatur. Hanc diffinitionem ſic ponit Corteſ. di. j. lib. iiij. ſent. Sacramentum eſt in quo ſub operculo rerũ ſpectabilium à diuinitate incolumitas noſtra iuuetur. Sacramentum ſecundum Magiſtrum eſt inuiſibilis gratiæ viſibilis forma, vt ipſius imaginẽ gerat & cauſa exiſtat. Eam diffinitionem ſic explicat Paulus Corteſius vbi ſupra, vbi dicit: At ſententiarum Magiſter, Sacramentũ inaſpectibilis gratiæ aſpectibilem formam eſſe voluit, ita vt cum ſui ſimulachrum ferat, cauſa dicatur. Quæ quidem diffinitio quaſi cumulatè ſacramenti aceruum expleat, maximè à diuo Thom. probatur. Sacramentum ſecundum Hugo. de ſancto Victo. lib. de ſacramẽtis, parte j. ca. j. eſt corporale vel materiale elementum foris ſenſibiliter propoſitum, ex ſimilitudine repręſentans, ex inſtitutione ſignificãs, ex ſanctificatione cõtinens aliquam inuiſibilem & ſpiritualem gratiam materiale elementum, id eſt elementatum, ponitur pars pro toto, vt dicit Petrus de Palude. Hæ diffinitiones ſi rectè intelliguntur variatis verbis eandem præ ſe feruntur ſententiã, & quod vna obſcurius innuit, alia clarius exprimit. Explanationẽ diffinitionis Magiſtri quo dicit. Sacramentũ eſt Inuiſibilis gratiæ, &c. potes videre apud Magiſ. Ioan. Gerſ. parte ij. in cõpendio Theologiæ tract. iij. de ſeptem ſacramentis Eccleſiæ, & eius declaratione, quæ tamen in ſequentibus videbitur.

Ad Sacramentum v. ſit tale, tria requiruntur, vt notat Dominus Præpoſitus Gab. di. j. q. j. ar. j. lib. iiij. Primum, quod ſit res ſenſibilis, habens naturalẽ ſimilitudinem ad gratiam ſiue effectũ Dei gratuitũ: quam vel quem repræſentat. Naturalem inquam ſimilitudinẽ non per participationẽ eiuſdem qualitatis, ſic enim ſenſibilia non ſunt ſimilia ſpiritualibus. Sed ſimilitudinem illam quæ eſt proportionatorum, vt ſicut ſe habet hoc ad illud, ita hoc ad iſtud. Exempli cauſa, ſicut ſe habet aqua ad diluendas maculas corporales, ita ſe habet gratia ad abluẽdas maculas ſpirituales, & hæc ſimilitudo eſt bene corporalium ad res ſpirituales. Hæc Tho. q. j. ar. ij. diſt. j. lib. iiij. Et ſicut proprietas quædam naturalis connexa eſt aquę quę in ſacramento baptiſmi gratiam repræſentat inuiſibilem, vtputa refrigerium quod eſt aqua, ita repræſentat refrigeriũ gratiæ ab incendio fomitis, vt inquit Magiſter Ioan. Gerſon vbi ſupra. Et vis ablutiua quę eſt in aqua, repręſentat ablutionem ab originali. Secundum quod requiritur quod ſit actualiter à Deo inſtitutum. Nam ſolus ille potuit inſtituere ſacramenta, qui potuit ſuo ſigno dare ſanctificationis certitudinem & efficaciam, hanc autem ſolus Deus poteſt dare, qui ſolus poteſt gratiam infundere & gratuitũ effectum cauſare. Tertium quod requiritur, quod ſit ſignum efficax & certum, quod ſemper habeat effectum ſuum quem ſignat infallibiliter, niſi ſit impedimentum in ſuſcipiente per poſitionem obicis gratię repugnãtis. Et hæc tria oportet intelligere in ſingulis trium diffinitionũ. Primũ innuitur in diffinitione Augu. in hoc quod dicitur, rerum viſibilium, & in diffinitione Magiſtri, viſibilis forma, id eſt ſimilitudo, ideo additur, vt imaginem gerat. Imago ponitur pro ſimilitudine, vt ſicut corpus exterius lauatur, ita interiora mundãtur in ſacramento baptiſmi vt cauſa exiſtat, ibi tangitur efficacia ſacramenti. Et accipitur viſibile ibi generaliter pro ſenſibili, vt & vult Richardus di. j. ar. j. q. iij. & hoc propter dignitatem. Nam ſecundum Auguſtinum ad Voluſianum. Inter quinque ſenſus viſus eſt excellẽtior, quia dicit Philoſophus 1. Metaphy. Maximè cognoſcere facit & multas differentias demonſtrat, quod eſt intelligendum per ſe. Auditus enim plus confert ad ſcientiam per accidens. In diffinitione Hugonis clarius exprimitur per corporale vel naturale elementum, per quod intelligitur quęlibet res ſenſibilis, ſiue ſubſtantia, ſiue accidens, vt elementum non diſtinguitur contra elementatum, ſicut in euchariſtia ſacramentum eſt ſpecies panis & vini, quę ſunt accidentia, & in matrimonio ſacramentum eſt verbum conſenſum contrahentium exprimentia. Et ſi obiicitur de corpore Chriſti vero, quod eſt ſacramentum corporis myſtici, quod tamen non eſt ſignum ſenſibile, nec forma viſibilis. Dicit Magiſter Ioannes Gerſon Cancellarius Pariſieñ. vbi ſupra, quod corpus illud eſt ſenſibile, & forma viſibilis in annexo, licèt in ſe non ſit, licèt enim in ſua vera & propria natura non ſit viſibile aut ſenſibile, eſt tamen viſibile & ſenſibile in forma vel ſpecie panis annexi. Vnde cũm dicitur: Sacramentum eſt inuiſibilis gratiæ viſibilis forma, intellige, ſcilicet in ſe, vel habẽs annexum viſibile vel ſenſibile. Magiſter Ioannes Gerſon. Tertia cõditio innuitur per illud quod dicitur, per quod virtus diuina ſecretius operatur,

ratur, vbi innuitur quod illa tegumẽta viſibilia per quæ ſalus acquiritur à virtute diuina, aſſumuntur in cooperationem, & ita à Deo inſtituta, & certa ſunt ſigna, eſt enim ſacramẽtum ſignum efficax & certum, cõtinens aliquam inuiſibilem & ſpecialem gratiam non formaliter, ſed cauſaliter. Vide latiùs Dominum Præpoſ. Gabr. di. j. q. j. lib. iiij.

Sacramenta ſignificant & repræſentant. Non autem idem eſt ſignificare & repręſentare. Nã ſigna æquiuoca, id eſt dubia & incerta, repræſentant, & nõ ſignificãt. Item ſacramenta ex ſimilitudine naturali non præciſe repræſentant effectũ ſacramentalẽ, ſed omne in quo ſaluatur ſimilitudo. Sed ex inſtitutione pręciſe determinatur ad ſignificandũ certè ſacramentalem effectum. Exempli gratia. Baptiſmus, quia eſt quędã lotio exterior in aqua, poteſt ſignificare omnem lotionem in quacũque materia, ſiue corporalem ſiue ſpiritualem cuiuſcunque creaturę. Poteſt enim mouere intellectum ad cogitandum quãlibet lotionẽ propter naturalem ſimilitudinem mundationis, verũ ſic nõ ſignificat certè & efficaciter, quia non ponet in eſſe mundationem quam ſignificat. Mundationẽ verò animæ à peccato quam certè ſignificat, repræſentat ex inſtitutione diuina, ex quo Deus qui baptiſmũ inſtituit, ſuo ſigno aſſiſtit ad producendũ effectum repræſentatũ. Significant autem ſacramẽta principaliter gratiam ſeu effectum gratuitum, reſpectu cuius habent aliquam cauſalitatem, ſignificant etiam cauſam meritoriam gratiæ principalem Chriſti paſſionem, ſignificãt & tertio finem effectus ſacramẽtalis, qui eſt vitã æterna, ad quã omnia ſacramenta ordinatur. Exẽplum. Baptiſmus primo principaliter ſignificat gratiam baptizato collatã qua mundatur à peccato. Ad hoc enim ſignificandum & cauſandum eſt inſtitutus, ſignificat etiã Chriſti paſſionẽm & mortem, ſignificat etiã futurã gloriã, ad quã peruenie mus per finalem reſurrectionem. Vnde Apoſt. ad Rom. 6. Quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus, cõſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmũ in mortem, &c. Eſt ergo baptiſmus non ſolũ ſimilitudo mortis Chriſti, ſed etiam reſurrectionis Chriſti, & etiam noſtræ futuræ ad gloriam. Quo ad primum ſunt ſigna demonſtratiua habentia effectum ſemper concomitantem, ſublato impedimento. Efficacia enim ſacramenti (vt ait ſan. Bonauen. diſt. xviij. libr. iiij.) pendet ex idoneitate ſuſcipientis. Actus enim actiuorum ſunt in patiente prædiſpoſito. Quantum ad ſecundum ſunt ſigna rememoratiua, & quantum ad tertium ſunt ſigna prænoſtica. Nam ſignum demonſtratiuum eſt ſignum præſentium. Rememoratiuum, eſt ſignum præteritorum: & ſignum prænoſticum, eſt ſignum futurorum. Hæc Thom. Et concordat Petrus de Palude in quæſtion. ij. Sed quia ſacramentum ordine naturæ præcedit effectum materialem reſpectu illius (vt vult Scotus) poſſent dici prænoſtica.

Sacramentum ſecundum Scotum, qui dictas diffinitiones reducit ad vnam, quę eſt talis. Sacramentum propriiſſimè acceptum, eſt ſignũ ſenſibile gratiam Dei vel effectum gratuitum ex inſtitutione diuina efficaciter ſignificans, ordinatum ad ſalutem hominis viatoris. Hæc diffinitio Scot. eſt completior & magis circunſtantionata, ad differentiam ſignorum quæ non ſunt ſacramenta. Et ſenſibile accipitur pro viſibile aut audibile, vt dictum eſt. Dicitur, gratiæ inuiſibilis, vbi gratia dicit gratiam gratũfacientem, & hoc in anima ſuſcipientis ſacramentum. Dicitur, vel effectum Dei gratuitum, propter ſacramentum euchariſtiæ, quod non ſignificat gratiã gratũfacientem, quę eſt quędã forma accidentalis, ſed ſignificat corpus Chriſti verũ ſub ſpeciebus contentũ, quod eſt effectus gratuitus, quia ex gratuita voluntate procedẽs. Et dicitur, effectus, nõ quod de nouo fiat ſiue eſſe accipiat, ſed quia fit de nouo præſens illis ſpeciebus per tranſſubſtantiationẽ panis in ipſum. Dicitur, ex inſtitutione diuina, per quod excluduntur ſigna purè naturalia, vt lotio balnei, & aqua benedicta, quę nõ eſt ſacramentũ: quia non à Deo, ſed ab Eccleſia inſtituta. Dicitur, efficaciter ſignificans, quod includit certitudinaliter, propter ſigna æquiuoca ſiue dubia, vt ſacramenta veteris legis, quæ quia gratiam non contulerunt quam ſignificabant (ſaltem ex opere operato) non fuerunt ſacramenta. Per idem excluduntur imago crucifixi, petra deſerti, agnus paſchalis, virga Aaron, ſerpens æneus, quia ex quo non contulerunt gratiam vel effectum gratuitum, non ſunt ſacramenta, licèt ſacrarum rerum repræſentatiua. Quod additur ordinatum ad ſalutem hominis viatoris, nihil excludit vel includit, ſed finem inſtitutionis ſacramentorum oſtendit.

Sacramentum ſecundum Occam lib. iiij. qu. j. eſt ſignum ſignificans efficaciter effectũ Dei gratuitum. Hanc diffinitionẽ cõmendat Petrus de Aliaco q. j. quarti. ar. iij. Et per effectũ Dei gratuitũ intelligitur gratia gratũfaciens accidẽtalis, vel gratia ſubſtatialis, quę eſt corpus Chriſti. Iſta diffinitio omni ſacramẽto cõuenit propriè dicto, & ſolũ tali. Et licèt de facto ſolũ prædicetur de ſigno ſenſibili, poteſt tamẽ prædicari de ſigno ſpirituali, & ita eſt cõmunis ſignis ſenſibilibus, & non ſenſibilibus. Vide latiùs Gab. d. j. q. j. li. iiij. ſaluantẽ diffinitionẽ Scoti, & dicta cõmunia ſanctorũ. Et quod corpus Chriſti nec charãcter eſt ſacramentũ, quia nõ eſt ſignũ efficax ſui ſignati, nec ſignũ ſenſibile. Sed cũ Magiſt. dicit, quod corpus Chriſti ſit ſacramentũ & res, ſacramentum capitur largè pro ſigno ſacrę rei, & nõ propriè. Nec columba viſa ſuper Chriſtum & linguæ igneę ſunt ſacramẽta, quia nõ fuerũt ſigna efficacia gratię, nõ enim habebãt aliquã cauſalitatẽ reſpectu gratię, præceſſit enim plenitudo gratiæ ſigna. De Chriſto manifeſtũ eſt. De Apoſtolis patet, quia non propter ſigna fuit eis infuſa gratia, ſed quia fuerũt pleni gratia, apparuerunt ſigna. Fuerunt enim illa ſigna à Deo exhibita ſolum ad ſignificandum plenitudinem gratiæ non ad cauſandũ. Hęc D. Præpoſ. Gab. Sunt autẽ tres conditiones ſigni efficacis ſecundum Scot. q. iij. d. j. li. iiij. videlicet, quod ſit ſignũ practicum, id eſt habens aliquã cauſalitatẽ reſpectu ſigni. Secunda quod ſit ſignum certum certitudine, vt in pluribus, id eſt ſemper, dum non ponitur impedimentũ ex parte ſuſcipiẽtis. Tertia quod ſit naturaliter prius effectu ſignato, ſicut colũba, &c. non fuerũt ſigna efficacia, &c. Sacramenta verò no. le. ſunt ſigna efficacia. Deus namq; (vt ſentit S. Bon. Rich.

Scotus, Occam, Tho. Argen. &c.) conſtituit ſacramenta ſenſibilia tanquã ſigna certa gratiæ, quę ipſe creãdo producit in anima ſuſcipiẽtis ſacramẽtum, aut in ipſo ſacramento effectũ gratuitũ ad hominũ ſalutẽ ordinatũ, quod additur propter ſacramentũ Euchariſtiæ. Statuit enim quod tali ſigno adhibito ſecundum modũ & formam ſuæ inſtitutionis infallibiliter vult aſſiſtere ſub ſigno producendo gratiam, ſi non ponatur obex in ſuſcipiente ſacramentum, quam gratiã aliàs non produceret ſi ſacramentũ illud nõ exhiberetur. Et de hoc facit Eccleſiam ſuam certam. Et iſta ordinatio ſiue inſtitutio vocatur pactum Dei initum cum Eccleſia. Et non eſt ponenda aliqua diſpoſitio media inter ſacramẽtum & gratiam in anima, ad hoc vt gràtia infundatur, neque aliqua virtus ſupernaturalis in ſacramentis aut in vſu eorum quæ inſtrumentaliter agerent ad effectum gratuitum, vel ad diſpoſitionem præuiam (vt aliqui volunt) de quo videatur Tho. q. iiij. di. j. lib. iiij. & ſanct. Bonauen. Alexan. de Ales part. iiij. qu. viij. Durandus. Gabr. recitat ambas opiniones lib. iiij. di. j. q. j. & concludit art. ij. & vult quod ſacramenta nouæ legis effectum ſacramentalem cauſant quem ex inſtitutione diuina certitudinaliter ſignificãt. Vnde Aug. in de bapti. In ſolis elemẽtis ſacramẽtã efficiũt quod figurãt. Idẽ ſuper Ioan. Quæ eſt virtus iſta aquæ vt corpus tangat, cor abluat, loquitur de aqua baptiſmi. Sed abluit cor, id eſt animam, ergo ablutionem cauſat. Item Beda ſuper Lucam. Chriſtus tactũ mundiſſimæ carnis ſuę vim regeneratiuam contulit aquis. Vis regeneratiua, eſt vis cauſatiua gratiæ, quia per ſolam gratiæ infuſionẽ fit regeneratio. Probat latiùs Gab. Per effectum autem ſacramentalem intelligit gratiam gratumfacientẽ, quam conſequitur ſuſcipiens ſacramẽtũ nõ indignè, & hoc quantũ ad omnia ſacramẽta præter ſacramentum Euchariſtiæ. Et quo ad illud præſentia corporis ſub ſacramẽtalibus ſignis ſpeciebus ſcilicet, panis & vini. Et effectus ſacramentalis eſt effectus ſupernaturalis excedens facultatem creaturæ, & per conſequens ſoli Deo poſſibilis, vt idem Gab. ſcribit q. ij. di. j. lib. iiij. art. iij. dub. ij. Item ſacramenta no. le. continent gratiam non formaliter, ſed virtualiter, & non niſi cauſa ſuum effectum. Vel (ait Bonauen.) ſacramenta dicuntur continere gratiam, quia ſignificant gratiam di. j. q. iij. lib. iiij. Vnde Tho. Argent. di. ij. q. j. ar. j. lib. iiij. Nec ſacramẽta no. le. ſunt cauſæ gratiæ ex natura propria eis in prima rerum conditione tradita. Nam ante inſtitutionem nullam habebant efficaciam. Nec ſacramenta no. le. cauſant effectiuè diſpoſitionem præuiam ad ſacramentalem effectum. Et hoc eſt contra ſanct. Thom. Paludenſem. Nec eſt ponenda virtus ſupernaturalis in ſacramentis no. le. per quam reſpectu ſacramentalis effectus eius conueniat ratio cauſalis. Hoc eſt contra S. Tho. qui omnia & ſingula diffuſe probat Gab. vbi ſupra. Sacramẽta inſuper no. le. ſunt cauſæ, ſine qua nõ, quia ſunt cauſæ effectus ſacramẽtalis, & nõ cauſę naturales, ſiue ex natura propria, vt probatur Gabr. ergo ſunt cauſæ ſine qua non. Item ex voluntaria inſtitutione diuina ſine eis non cauſatur effectus ſacramentalis, cauſatur autẽ eis poſitis, ergo ſunt cauſæ ſine qua nõ: ex deſcriptione cauſæ ſine qua non, ſupra in dictione, *cauſa*. Quamuis Deus nõ alligauit ſuam potentiam ſacramẽtis, poteſt enim hominẽ ſaluare abſq; ſacramentis. Sed ſicut nunc ordinauit hominem, ſaluare vult per ſacramenta, potuit tamen & poteſt alium ordinem ſaluandi inſtituere. Omnia enim ad extra, id eſt ſumma & omnipotenti ac libera voluntate ſiunt contingenter. vt vult S. Augu. iij. de trini. ca. iiij. De potentia itaque abſoluta poteſt ſaluare abſque ſacramentis, licèt de potentia ordinata non, de quo aliàs.

Sacramentum autem dicitur no. le. dupliciter, vt ſcribit Rich. di. xxvj. art. iiij. qu. ij. lib. iiij. Vno modo, quia primo in no. le. inſtitutũ fuit, ſicut baptiſmus & confirmatio, & ſic de aliis. Sic matrimonium nõ eſt ſacramentum no. le. fuit enim inſtitutum antè no. le. Alio modo quia quamuis fuerit inſtitutum ante no. le. tunc non habens vim conferendi gratiam in noua lege non eſt euacuatum, ſed confirmatum & factum gratiæ cauſatiuum. Et ſic matrimonium eſt ſacramentum no. le. in quo ſacramento eſt ſacramentũ tantum expreſſio cõſenſuum per verba de præſenti. Res & ſacramentum vnio conſenſuum & obligatio mutua, vt aliàs dicitur. Rich. &c.

Sacramenta dicuntur medicinæ & remedia contra morbos (vt ſcribit Gab. di. ij. q. j. lib. iiij.) ſpirituales animæ dicuntur etiam adiutoria animæ ipſam perficientia in vita ſpirituali, tam prima quàm ſecũda. cõferũt enim gratiã quę eſt verè vita prima animę, per quam anima ſpiritualiter viuit, Deo grata & Deo accepta ad vitam æternam. Sunt etiam remedia contra ſeptem vitia capitalia, baptiſmus contra ſuperbiam, euchariſtia contra inuidiam, cõfirmatio contra acediam, extrema vnctio contra iram, ordo contra auaritiam, pœnitentia contra gulam, matrimonium contra luxuriam. De quo latiùs perquirito apud Gerſonem tracta. de ſeptem Sacramentis. Vide & latiùs Gabr. vbi ſupra. Et vt idem dicit di. j. qu. ij. libr. iiij. Sacramenta quędam ſunt medicinæ homini lapſo traditæ, aut curatiuæ: vt Baptiſmus, pœnitentia, & extrema vnctio. Aut præſeruatiuæ: vt Confirmatio, Euchariſtia, Matrimonium, & Ordo. Vnde & Hugo ait cap. iiij. part. ix. lib. j. de Sacramentis. Ipſa medicina, ipſa ſunt Sacramenta. Et cap. iij. dicit ea vaſa medicinalia. Vnde ait: Deus medicus, homo ęgrotus, ſacerdos miniſter vel nuntius, gratia antidotũ, vas Sacramenta, medicus donat, miniſter diſpenſat, vas ſeruat quæ ſanat percipientem ęgrotum gràtiam Spiritualem: vaſa quoque eſſe gratiæ ipſa Sacramenta oſtendit Gerſon part. j. tract. contra ſectam flagellantium ſic ait. Lex Chriſti maximam ſortitur virtutem ex miſericordia & gratia ſua: cuius gratiæ vaſa ſunt Sacramẽta nouæ legis, ex virtute operis operati, & ideo quicquid auertit à Sacramentis ſuſcipiendis, præſertim à Sacramento cõfeſſionis, debet reiici fideliter. Hęc Gerſon. Et Magiſter contra peccati originalis & actualis vulnera, Sacramentorum remedia Deus inſtituit. Sacramentorum autem ante lapſum hominis natura, adhuc integra inſtitutio non fuit congrua: quia tunc nõ fuit morbus: ergo nõ erat opus medicina: ergo nec opus Sacramentis. Vnde Saluator Matth. 9. Non eſt opus valentibus medico, ſed malè habentibus. Nec in ſtatu innocentiæ (vt Gab.

ſcribit

ſcribit vbi ſupra,ar.ij.)inſtitutum fuit ſacramẽtum matrimonij,ſed bene matrimoniũ fuit inſtitutũ,& hoc in officium & non in remedium, nec fuit efficax gratiæ ſignum. In qualibet verò lege lapſi hominis cõgruum fuit ſacramenta inſtituere, propter humiliationem, erudirionem, & exetcitationem hominis,& propter ſapientię medici manifeſtationem,& hominis curationem,ſecũdum Magiſtrum & Rich,diſt.j.ar.ij.qu.j.lib.iiij. Et Hugo lib.j.de ſacramentis cap.iij. & iiij. Vide ad hoc Scotum,& poſt eos Dominum Præpoſitum Gab. di.j.q.ij.ar.ij.li.iiij. qui dicit quod ad conſecutionem beatitudinis gratia eſt homini neceſſaria,quare congruum erat inſtituere ſigna ſenſibilia,certa& efficacia quibus viator quaſi familiari ſimilitudine gratiã agnoſceret ineſſe, & per huiuſmodi ſigna tanquam certa & efficacia eam ardentius quæreret. Vide Petrum Paludenſem & Thom. Argent.qui rationem congruitatis diffuſe ponunt. Sanctus Bonauen.reddit rationem inſtitutionis ſacramẽtorum ex parte Dei & ex parte noſtri,ex miſericordia,iuſtitia,& ſapiẽtia Dei. Vide latiùs S.Bonauen.declarantem hoc, ex parte noſtri, nam homo lapſus fuit cæcatus in rationali, ideo data ſunt ei ſacramenta ſenſibilia ad eruditionem.Elatus fuit in iraſcibili, ideo data ſunt ad humiliationem. Faſtiditus eſt in concupiſcibili, ideo dari debuerunt ad exercitationem. Congruebat quoque diuerſa ſacramenta inſtitui, pro ſtatu diuerſarum legum hominis vulnerati. Nam ſecundũ Scotũ in proceſſu generationis humanæ ſemper creuit notitia veritatis. Lex autẽ perfectior perfectioribus indiget adiutoriis ad ſui obſeruationẽ. Et notitia veritatis clarior exigit ſigna manifeſtiora. Debuit ergo lex perfectior habere ſacramẽta perfectiorem gratiam perfectius ſignificantia, vt eſſet congrua correſpondentia ſigni ad ſignatum. Vide latiùs Dominum Præpoſitũ Gabrielem vbi ſupra. Sacramenta autem alio modo ſanant quàm gratia, vt vult Rich.ar.ij. diſt.j.lib.iiij.qu.iiij.in fine,quia gratia formaliter,ſacramẽta aliquo modo effectiuè, non ſicut efficiens principale,ſed inſtrumentale. Et cum dicitur, & explicat Petrus de Palud.di.ij. q.j.ar.iij.lib.iiij.ſacramenta fuiſſe inſtituta tempore legis naturæ,quia erant ſigna rei ſacræ,nõ tamen cauſatiua gratiæ,& ita impropriè dicta ſacramenta, vt & dictum eſt. Vel poteſt dici quod expreſſe habetur ex ſcriptura quod pro tẽpore illo placuerunt Deo ſacrificia, vt patet de oblatione Abel Geñ.4. Noë. Gene.8.Melchiſedech.Geñ.14.Abrahæ diuidentis vaccas.Geñ.15.

Sacramenta ſunt ſigna gratiæ ex inſtitutione diuina. Signum autem inſtituere ſecundum Scotum, ſimpliciter ad ſignificandum poteſt quilibet qui poteſt vti ſigno pro ſe & aliis, ſiue practicè, ſiue ſpeculatiuè. Sed ad ſignificandũ practicè, certè & efficaciter(ita infallibiliter quod ceſſante impedimento ad exhibitionem ſigni, producitur effectus ſignatus) non poteſt niſi ille qui in ſua poteſtate habet producere huiuſmodi effectum, quando & vbi vult in ſubiecto apto nato. Sola autem inſtitutio ſacramentorum ad Deũ ſpectat, alius tamen à Deo poteſt huiuſmodi inſtitutionem promulgare, quia ſolus Deus poteſt cauſare effectum ſacramẽtalem, quia eſt effectus ſupernaturalis excedẽs facultatem creaturæ. Fuit & Iacobus promulgator tanquam præco diuinus ſacramenti pęnitentiæ,& vnctionis extremę,vt patet Iacob.5.Suo modo dicitur,quod nullus alius præter Deum fuit legiſlator legis, ſuos tranſgreſſores ad damnationem æternam obligantis,niſi ſicut præco promulgans legẽ.Et ita Moyſes non fuit legiſlator propriè, ſed præco, nuntius, & promulgator legis diuinæ,neq; in perſona ſua, ſed Dei legẽ propoſuit. Et quod dicitur, ligiſlator, extenditur nomen ad promulgatorem.Et ſacramenta non habent efficaciam ex ſignificatione,ſed ex inſtitutione. Habent & efficaciam ex Deo tanquam à cauſa principali inſtituente à paſſione Chriſti,tanquam ex cauſa prima efficaciam merente.Ex latere enim Chriſti fluxerunt ſacramenta, aqua, ſcilicet, ablutionis,& ſanguis redemptionis,per quæ ſaluatur Eccleſia. Fluxerunt inquam tanquam à cauſa meritoria.Vide Scotum di.ij.qu.j.lib.iiij.& Gabr. diſt.ij.qu.j.art. iij.libr.iiij.poſt Scotum,Thom.& Rich.Eſſentia autem ſacramentorum ſunt materia, verba,intentio.

Sacramenta conſiſtunt duobus, ſcilicet, verbis, & rebus, quas ſanct. Augu. nominat elementum & verbum. Accedit inquit verbum ad elementum,& fit ſacramentũ.Per rẽ ſiue elementũ intelligitur res ſiue actus aliquis ſenſibilis, vt confirmatio,vnctio calicis traditio,&c.quę cum verbis dant effectũ ſacramentalem. Per verbũ autem oratio prolata ore miniſtrantis ſacramentum.Elementum ſiue res dicitur materia, verba dicuntur forma non propriè, ſed metaphoricè.Et præter iſta duo verbum & elementum, requiritur etiam intentio in conferente ſacramentum, qua intendit miniſtrare ſacramentum, id eſt rem & verba exhibere tanquam ea quæ ad certum effectum inſtituta ſunt à Chriſto,& hoc eſt exhibere in fide Eccleſiæ, etiam ſi non crederet ſequi effectum. Et hæc intentio comprehenditur ſub verbis proferentis, vt dicit Rich. Et hæc de ſacramentis no.le.intelligenda ſunt.Sacramẽta enim ve.le.conſiſtunt in rebus, & non coexigunt aliqua verba, vt patet de circuncisione, cui non præſcribitur aliqua forma,ſed nec eſui agni paſchalis,aut ſacrificiis,quæ dici poſſunt ſacramenta largo nomine ſacramẽti,vt dictũ eſt. Quod verò verba requiruntur in ſacramentis nouæ legis, ratio principalis eſt inſtitutio Chriſti,cui placuit ſic inſtituere,& quod verba diſtinctius & expreſſius ſignificant omnem mentis conceptum ex impoſitione, quam ſignificant ex naturali ſimilitudine. Gab.di.j.q.ij.ar.iij. dub.iiij.libr.iiij.Vide ad hoc Gerſonem parte ij.de ſeptem ſacramentis.

Sacramenta ſunt ſigna quæ conferunt gratiam. Signum autem aliquod conferre gratiam(vt tangit ſan.Tho.di.j.q.j.ar.j.lib.iiij.poſt Alexan.licèt ſatis obſcure.Et poſt hos ſcribit Gab.eadem di.q.iij.ar. j.lib.iiij.)dupliciter poteſt intelligi. Vno modo ex ipſo ſigno ſeu ſacramento. Vel (vt alij dicunt) ex opere operato, ita quòd eo ipſo quod opus illud, puta ſignum aut ſacramentum exhibetur, niſi impediat obex peccati mortalis,gratia confertur, ſic quod præter exhibitionem ſigni foris exhibiti non requiritur bonus motus interior in ſuſcipiẽte quo de condigno vel de congruo gratiam mereatur, ſed ſuffi-

ſed ſufficit quod ſuſcipiens non ponat obicem. Concotdat Scotus di.eadem qu.v.iuxta finem. Sic Baptiſmus, Cōfirmatio, Extrema vnctio, cōferunt gratiam ei qui nō habet vſum perfectum rationis. Alio modo intelliguntur ſigna vel ſacramenta conferre gratiam ex opere operáte & per modum meriti, quando, ſcilicet ſacramentū foris exhibitū non ſufficit ad gratię collationē, ſed vltra hoc requiritur bonus motus ſeu deuotio interior ſuſcipientis ſacramentum, ſecūdum cuius intentionem cōfertur gratia tanquam meriti condigni vel congrui præciſe, & nō maior propter exhibitionem ſacramenti. Per bonum autem motum animi nihil aliud intelligitur quàm actus voluntatis terminatus in Deum obiectiuè tanquam in finem. Sacramenta veteris legis quæ dicuntur ceremoniæ, & ſi non contulerunt gratiam ex opere operato, contulerunt tamen ex opere operante, ſiue per modum meriti ex ſuſcipientis deuotione, dum proceſſerūt ex fide & charitate. Ita ſenſerunt & tenuerunt Alexan. parte iiij. q.vj. memb.iiij.ar.j.S.Tho. & communis ſchola, & poſt eos rotūdè & multis probat Gab. vbi ſupra.

De Sacramentorum numero. Et ſi ſimpliciter loquendo & in veritate plura ſunt ſacramenta quàm ſeptē, vt & notat Gab.d.viij.q.j.ar.iij.du.ij.li.iiij. vt patet de ſacramento Ordinis, quod ſub ſe continet ſeptem vel octo ſacramenta à ſe ipſis diſtincta, ſic & ſpecies panis & vini. Sed illa ſacramenta quę ad idem ordinātur, licèt in ſe ſunt plura, dicuntur tamen aggregatione & ordine ad eundem finem proximum vnum ſacramentum, ſic quia conſecratio Euchariſtię, Euchariſtia & ſumptio eius ordinatur ad ſpiritualem hominis nutritionem, habentur ſeu numerantur pro vno Sacramento. Sunt itaque ſeptem Sacramenta nouæ legis, ſcilicet Baptiſmus, Pęnitētia, Extrema vnctio, Ordo, Euchariſtia, Cōfirmatio, Matrimonium. & ſumitur iſte numerus ſeptenarius, vel quia ſunt medicinæ Dei ſpirituales: quæ foris corporibus adhibentur per ſenſibilē ſpeciem, ſed intus animam ſanant per inuiſibilem gratiam, & ideo ſecundum numerum morborum ſpiritualium ſumi debet numerus ſacramentorum.

Morbi ſunt culpa originalis, quę tollitur per Baptiſmum, actualis culpa mortalis per Pœnitentiam, venialis verò per Extremam Vnctionem, ignorātia & difficultas diſcernēdi inter bonum & malum remouetur per Ordinem, quo datur clauis ſcientię ad diſcernendum. Malitia ſiue inclinatio ad malum in voluntate, contra hoc datur Euchariſtia, quę mutat ſuſcipientem in ſuſceptum, incorporat & vnit, & per hoc voluntatis inclinationem malam in bonam transformat. Contra morbum, qui eſt infirmitas reſiſtendi & proficiendi in iraſcibili, datur Cōformatio, quę roborat ad confitendū nomen Chriſti in perſecutione. Contra concupiſcentiam illicitorum in concupiſcibili datur Matrimonium, quo excuſatur carnalis concupiſcentiæ actus à crimine. Sumitur aliter numerus ſacramētorum, vt ſunt adiutoria animæ perficiētia ipſam in ordine ad vitam ſecundam, actus, ſcilicet, virtutum. Et ſic accipitur numerus ſacramentorum ſecūdum numerum virtutum: trium theologicaliū, & quatuor cardinaliū. Sic Baptiſmus reſpicit fidem, quare dicitur ſacramentum fidei, quod eſt ianua ſacramentorum. Extrema vnctio reſpicit ſpem, quà præparatur ad gloriam. Ad actum charitatis adiuuat Euchariſtia, ad actum prudentię Ordo, ad actum fortitudinis Cōformatio, ad actum iuſtitiæ Pœnitentia, ad actum temperantiæ Matrimonium, vidę latiùs Gab.di.ij. q.j.ar.j.lib.iiij. Conſiderando verò ſacramenta (vt idem ait) vt ſunt adiutoria animæ perficientia eam quo ad vitam ſpiritualem primam, quæ eſt gratiæ, tunc ſumitur numerus ſacramentorum ſic. Nam baptiſmo regeneratur homo, & accipit eſſe ſpirituale per Cōfirmationem corroborationem, per Euchariſtiam nutritionem gratiæ & conſeruationem, per Pœnitentiam lapſi reparationem, per Vnctionem extremam ad finalem exitum præparationem, per Matrimonium communitas accipit multiplicationem in eſſe naturæ vel carnali per ordinem multiplicationem miniſtrorum Eccleſiæ ad totius corporis regimen. Vide Scotum & Durandum de aſſignatione ſacramentorum, & Magiſtrum Ioannem Gerſonem. De quo ſupra tactum eſt.

Sacramenta. Quædam ſunt puræ fidei, vt vult ſan. Bonauen.di.xxvj.qu.ij.lib.iiij. ſicut Baptiſmus, & Cōfirmatio, & conſimilia. Quędam autē non tantum ſunt fidei, ſed etiā naturalis dictaminis, & talia ſunt Pœnitentia & Matrimonium: ſed tamen non omnino ſunt de dictamine iuris naturalis. quæ primo modo ſunt, Deus inſtituit mandando, quæ ſecundo modo, inſtituit interius illuſtrando: & ſic inſtituit Matrimoniū. Vnde ipſe non pręcepit Adam quòd Euā duceret in vxorem, ſed illuſtrauit eum interius, vt intelligeret eam ſibi dandā in vxorem, & omnibus poſteris per liberum conſenſum vxores illo modo coniungi. Vnde Adam ſic illuſtratus, dixit: Hoc nunc os ex oſſibus, & caro de carne. Et ſicut dicit Magiſter in litera, propheticè eſt locutus, & ideo illud verbū nō fuit à ſeipſo, ſed à Deo: & ideo inſtitutio ſacramēti matrimonij fuit à Deo. Et vt idem dicit d.xlv. circa literam. Sacramentum altaris aliter prodeſt viuis, aliter mortuis: viuis enim prodeſt ſub ratione ſacramenti & cibi, mortuis ſub ſub ratione ſacrificij. Inquantum enim ſacramentum eſt, cibat & dat gratiam & perfectionem manducanti: inquantum autem ſacrificiū, Deum placat, hoſtiæ enim placant. Et quoniam Deus iratus eſt, non affectione inflictionis, ideo Deū placando non ſedat ipſius affectionem, ſed remitti facit pœnæ acerbitatem. Principaliter quoque ſacramentum Euchariſtiæ inſtitutum eſt in ſacrificium & ſacramentum, & in ſacramentum ſeu cibum. De quo legito latiùs Gabr. ſerm. iij. facto in feſto Corporis Chriſti, qui incipit: Eſurientes impleuit bonis.

De Sacramentorū inſtitutione. Sacramenta omnia immediatè Chriſtus inſtituit & etiā promulgauit, vt verior tenet opinio & probabilior iudicatur à Thoma, Scot. Durand. Rich. quanquam promulgationem ipſi nominēt inſtitutionem. Paluden. tamē videtur declinare di.ij.q.j.ar.ij. qui vult quod omnia ſacramenta ſunt inſtituta immediatè à Chriſto, licèt nō promulgata, niſi quæ erant neceſſitatis, vt ſacramentum intrantium, ſcilicet Baptiſmus, quādo dixit. Niſi quis renatus fuerit. Et ſacramentum redeuntium, ſcilicet, Pęnitentia, quando dixit. Niſi pœnitentiam egeritis: & ſacramentum dignitatis

vt Eucha-

vt Euchariſtia, quando dixit: Niſi manducaueritis. Nec quiſquam præter Deum poteſt inſtituere ſacramenta, vt ſint gratuiti effectus certa ſigna. Et de Baptiſmo patet Mat. vltimo. Euntes docete omnes gentes. De Cõfirmatione cũ impoſuit manus paruulis. Mat. 19. & Ioan. 20. Accipite Spiritũſanctum. Vel Actu. 2. Euchariſtia prædicata eſt diffuſe. Ioã. 6. & inſtituta eſt in cœna. Mat. 26. Pœnitẽtia promiſſa eſt. Mat. 16. Tibi dabo claues regni cœlorũ, &c. Inſtituta: accipite Spiritumſanct. Vnctio extrema. Mat. 6, cùm Apoſtoli vnxerunt infirmos & ſanabantur, conſtat hoc feciſſe ex inſtitutione Chriſti, & eius informatione: in cuius virtute ſanabant. Matrimoniũ. Mat. 19. & Mar. 10. vbi Chriſtus approbat & ratificat Matrimoniũ, quod Deus in ſtatu innocentiæ inſtituit, & per os Adæ publicauit. Relinquet homo patrẽ & matrẽ, & adhærebit vxori ſuæ. Ordo. Mat. 26. Hæc quotieſcunq; feceritis, in mei memoriã facietis. Et Ioan. 20. Quorũ remiſeritis peccata, remittũtur. Hæc eſt ſententia Scoti, Tho. & Petri Camera. q. j. quarti. in fine. Cõſonat his Gab. d. ij. q. j. conclu. ij. dũ ait. Omnia Sacramẽta nouę legis à Chriſto ſunt inſtituta, & ab eodẽ in aſſumpta natura verbo, vel opere promulgata. quẽ latius ibi videto. Et vt idem dicit di. xxix. qu. vnic. art. ij. lib. iiij. concluſione v. poſt Scotum. Cùm Chriſtus inſtituit Sacramẽta ad ſalutẽ & ad vtilitatẽ Eccleſię: eo modo inſtituit quo magis profuerũt Eccleſiæ. Et ſecundũ Cor. li. iiij. di. j. Sacramẽta ſunt inſtituta ad criminum eluendam labem, in hiſque fidentium hominum animas excoluntur: quibus caſtiſſimè colitur Deus.

Sacramenta legis naturæ tria fuerũt, ſcilicet decimę, ſacrificia & oblationes, vt reſtatur Rich. ar. v. q. iiij. lib. iiij. di. j. Alexan. parte iiij. q. ij. ar. j. Hugo li. j. de ſacramentis par. xij. cap. iiij. Poſt quos videre potes Gab. di. j. qu. iij. ar. iij. lib. iiij. Et decimatio (vt ipſe dicit) ſignificabat remiſſionẽ propter numerũ, quia dragma decima perdita fuerat, & inuenta. Luc. 15. Sacrificia carnis macerationem, etiam per ſacrificia quæ conſiſtebãt in immolatione animaliũ occiſorũ, ſignificabatur futura paſſio Chriſti. Quod Chriſtus qui paſſurus erat, Dominus eſt mortis & vitæ. Oblatio ſignificabat boni operis exhibitionẽ. Hæc tria vt vult Hugo, ſunt à Deo inſtituta, non autem præcepta. Addit tamen Richar. poſt Hugon. quòd loco & tempore erat eis neceſſariũ ad ſalutẽ ſuam, in aliquibus ſignis ſenſibilibus fidem exterius profiteri. Item per oblationes ſignificabatur Deus omnium creator, per ſacraficium redemptor, per decimationes remunerator. In hoc enim quod homo retinebat ſibi nouem partes, quæ imperfectionem ſignificant, & decimã quæ ſignificat perfectionem, offerebat Deo, ſignificabat in ſe imperfectionẽ, in Deo perfectionem eſſe, & perfectionem à Deo expectari debere. hæc Rich. ar. v. q. iiij. lib. iiij. di. j.

Sacramenta legis ſcriptæ ſecundum Hugo. par. xij. c. iiij. lib. j. multa ſunt, tamen ad tria reduci poſſunt omnia illa. Quædã ſpecialiter ad remediũ, quædam ad obſequium, quędã ad cultũ diuinũ. Prima pertinent ad peccatorũ remiſſionẽ, & illa inſtituta fuerunt quaſi ad neceſſitatem, vt in eis homo ſanctificaretur, qualis fuit circunciſio & hoſtia pro peccato, & pro delicto. Quædã quæ ſpecialiter ad emundationem & remiſſionem inſtituta fuerũt. Secunda, ad exercendã deuotionem & vt meritum augeretur: quales fuerunt hoſtię pacificorum, quæ offerebantur à fidelibus ad reconciliandum ſibi gratiam diuinam. Tertia, ad colẽdum pietatem inſtituta, & quandã præparationem, vt quaſi quędã inſtrumenta ad cętera ſacramẽta tractãda & ſanctificãda, quale fuit tabernaculũ & atrium, & omnia vtenſilia quæ continebantur in eis, nec nõ & ſacra indumenta miniſtrantium, & cætera omnia quæ ad ornandum cultum diuinum fuerunt inſtituta. Subdit ibidem Hugo, quod ſacrificiorũ tria ſunt genera. Alia ſunt holocauſta, alia ſimplicia ſacrificia, alia pacifica, de quibus paulò pòſt. Nec contulerunt gratiam ſacramenta veteris legis ex opere operato, vt ſupra dictum eſt, vel non tantam, nec ita generalem ſicut ſacramenta nouæ legis. De quo videatur Dominus Cardinalis Camera. q. j. ar. iij. lib. iiij.

Sacramenta nouæ legis eſſe perfectiora cæteris, poteſt tripliciter intelligi. Primò quo ad intenſionem gratiæ, quam conferunt. Secundò quantum ad extenſionem. Et hoc tripliciter, ſcilicet. Vel quantum ad ſuſcipientes ſacramenta, quia à pluribus participantur. Vel quantum ad numerum ſacramẽtorum, vel quantum ad pluralitatem morborũ quibus medentur, ſiue remediorum quæ conferunt. Vel tertiò quantum ad cauſam extrinſecam inſtituentem, vel promulgantẽ. His modis omnibus ſacramẽta nouæ legis ſunt perfectiora cæteris omnibus, quia legi perfectiſſimæ debentur perfectiſſima ſacramenta, cuiuſmodi eſt lex noua. Nam ex perfectione ſacramentorum arguitur perfectio legis. Lex verò perfectiſſima quam trinitas diſpoſuit dare homini pro ſtatu vitæ, eſt noua lex, quæ dicitur lex gratiæ ſiue lex Euangelica. Secundum illud Mar. 26. Noui & æterni teſtamenti. Æterni, id eſt poſt quod nullum aliud eſt futurum. Et Ioan. 1. Lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. De hoc diffuſe ſcribit Dominus Præpoſ. Gabr. di. ij. q. j. ar. ij. lib. iiij.

Sacramenta nouæ legis à ſacramentis veteris teſtamenti differunt, vt habet Gerſon parte ij. de ſeptem ſacramentis, & ſecundũ Aug. tota differentia eſt timor, & amor, quia veteres ſua ſacramenta adimplebant timore, nos verò ſacramenta Euangelica ex amore. Et ad literã datio veteris legis tota fuit in timore, & igne, & fumo & aliis terribilitatibus, ſed noua lex tota in benignitate, & gratia. Hugo victorius inter ſacramenta no. le. & ſacramenta ve. le. ponit triplicẽ differentiã. Prima eſt, quod noſtra ſacramẽta ſunt ſigna gratiæ, ſed illa nõ ſic immediatè ſunt ſigna gratię, ſicut noſtra. Secunda differẽtia eſt quod noſtra ſacramẽta ſunt ſigna & cauſę, illa verò ſunt ſigna tantũ. Tertia differẽtia eſt, quod illa ſacramẽta ve. le. tantũ promittũt gratiã quã nõ cõtinent, noſtra autem dant gratiam quam continent. Potes ad hoc videre Iacob. de Valen. ſuper illud Pſal. 50. Auerte faciem tuam à peccatis meis, vbi quadruplicem ponit differentiam ſacramẽtorum ve. le. & no. le. Et ſecundum Alexan. q. viij. par. iiij. memb. ij. quem ſequitur Richar. qu. iiij. di. j. lib. iiij. ar. iiij. Gratiæ ſacramentorũ, virtutum & donorũ diſtin-

guũtur tantũ ratione,& nõ re,nec eſſentia,propter comparationẽ diuerſam ad diuerſos effectus: quia gratia ſacramentalis dicitur inquantum ordinatur ad ſanãdum animam à morbo peccati, vel ad ſanitatem conſeruandam,vel augendam.Gratia virtutum dicitur,inquantum ordinatur ad bene operandum,eſt tamen in re idem habitus quo anima ſanatur per ſui iuſtificationem, & dirigitur ad meritoriam operationem.Per gratiam ſacramentorum intelligitur gratia gratumfaciens,quam conferunt ſacramenta, & quæ eſt res ſacramẽti.Sed per gratiam virtutum intelligitur gratia quæ eſt virtus vel cauſa virtutis,aut forma virtutis.Diſcrepat à prædictis Tho.Vide fuſius hanc rem apud Gab. di.ij.q.j.ar. iij.dub.ij.libr.iiij. qui vult quod gratia realiter diſtinguitur à cæteris virtutibus & donis,ſicut charitas realiter diſtinguitur à cæteris donis & virtutibus,fide,ſcilicet,& ſpe,ac aliis virtutibus cardinalibus,quia omnes cæteræ virtutes poſſunt eſſe informes, & eſſe ſine charitate, licèt non econuerſo. Vnde dicitur gratia virtutum, quia eſt forma vel cauſa earum . Vide latiùs Dominum Præpoſitum Gabr.vbi ſupra.

Sacramenta no.le. in via ſunt perpetua, quia lex noua eſt vltima quam non ſequitur alia, vt tangit Philoſophus.2.Cor.3. dicens:legem veterem euacuari,nouam verò manere:ergo & eius ſacramenta manent. Item ſacramenta ſunt medicina contra morbos vel vulnera,ergo manentibus morbis,debet manere medela, manent autem morbi donec ſumus in via. Non tamen manent ſacramenta no. le.in beatitudine,quia ceſſantibus vulneribus,non erunt neceſſaria ſacramenta medicinæ vulnerum, ſed in reſurrectione liberabuntur homines à ſeruitute corruptionis. Et licèt ſacramenta non ſemper maneant in gloria,permanebit tamen ſacramentorum gratia:quia ſacramentorum gratia eſt charitas, quæ ſecundum Apoſtolum non excidit, ſed in patria perficitur,ideo dicitur gratia conſummata. De quo latiùs legito apud Gabr.di.ij.q.j.ar.iij.dub.iij. lib.iiij.Habent & ſacramenta imperfectionem annexam,ideo in patria non manent, inſtituta enim ſunt ad humiliationem ſuperborum,ad eruditionẽ ignorantium, ad exercitationem à bonis vacantiũ. In beatitudine autem nullum vitium, ignorantia nulla, nulla deſidia, aut ocium iners locum habet, ſed omne bonum ibi eſt. Vide latiùs Gab.

Sacramenta no.le.ſunt de neceſsitate ſalutis.Et hoc contingit dupliciter, vt notat Gab.di.ix.qu.j.ar.j. lib.iiij.poſt Durandum. Vno modo ratione ſui. Alio modo ratione præcepti . Ratione ſui,quando effectus eius eſt neceſſarius ad ſalutem, ſiue communitatis,ſiue perſonæ ſingularis.Communitatis, vt ab aliquo vel aliquibus de communitate ſuſcipiatur,non autem à qualibet eius perſona, talia ſunt Ordo & Matrimonium:nã effectus cuiuſlibet iſtorum eſt neceſſarius communitati:quia ſine ordine, non eſſet qui miniſtraret communitati ſacramenta ad ſalutem neceſſaria, præſertim Pœnitentiæ : ſine Matrimonio non maneret cultus diuinus deficientibus fidelibus,niſi per Matrimonium aliqui generarentur educandi ad cultum diuinum.Quia tamen cõmunitati ad hos actus aliqui ſufficiunt,ideo non quælibet perſona ad hæc obligatur ſacramenta,niſi in caſu vbi tota communitas deficeret,niſi hęc perſona ſuppleret.Quandoque effectus ſacramenti eſt neceſſarius cuilibet perſonę ſingulari de neceſsitate, vt eorum qui ordinantur ad tollendum defectum ſaluti incompoſsibilem,aut conferunt effectum ſaluti neceſſarium. Defectus incompoſsibilis eſt peccatum originale vel mortale . Effectus neceſſarius eſt gratia iuſtificans,id eſt gratia per quam iniuſtus fit iuſtus,quę etiam dicitur prima gratia,quia aliam non præſupponit,quoniã ipſa peccator iuſtificatur. Et ſic ſacramenta per quæ confertur prima gratia, ſunt neceſſaria ad ſalutem, vt Baptiſmus & Pœnitentia . Baptiſmus quo ad omnes, quia eo tollitur peccatum originale, quia omnes naſcimur filij iræ, ad Ephe. 2. Pœnitentia verò his qui lapſi poſt Baptiſmum in peccatum mortale,quod eſt incõpoſsibile ſaluti,ſicut & originale.Sic ergo baptiſmus & pœnitentia ſunt de neceſsitate ſalutis , ita vt actu ſuſcipiantur,vel ſaltem voto, cũ ſuſceptionem eorundem excludit articulus neceſsitatis. Sed ratione præcepti ſunt neceſſaria ad ſalutem, quę non conferunt primam gratiam, ſed gratiam præſupponunt, vt Euchariſtia,& Cõfirmatio, & extrema Vnctio. Et cum omnia ſacramenta ſunt inſtituta propter ſalutem viatorum,non videtur quod abſque cõtemptu homo viator poſsit talia totaliter omittere,habita copia miniſtri ea cõferre valentis & volentis. Vnde qui talia non recipit, puta Euchariſtiam & extremam Vnctionem, quãdo probabiliter ei imminet exitus de ſtatu viatorum , videtur contemnere præceptum diuinum. Vide latiùs Dominum Præpoſitum Gabrielem vbi ſupra,poſt Durandum & Petrum de Palude.q.j.eadem di. Et ideo ſacramenta dicuntur portæ iuſtitiæ , vt vult Iacobus de Valentia ſuper illud Pſal.117. Aperite mihi portas iuſtitiæ,quia per ipſas intramus Eccleſiam,& iuſtificamur à peccato,& gratificamur ad gloriam,&c. Et(vt ait Petrus Paludenſis di.ij.qu.j.art.ij.in fine li.iiij.) nec Papa nec tota Eccleſia poteſt ſacramẽta mutare,nec in eis diſpenſare,quia ſeruus nõ poteſt tollere legem Domini ſui,niſi quantum Deus reuelat vel diſpenſat, ſicut in primitiua Eccleſia quod daretur Baptiſmus in nomine Domini Ieſu. Vnde Papa nõ poteſt diſpenſare quod puer ſaluatur ſine Baptiſmo,nec pari ratione,quod à peccato mortali poſt Baptiſmũ curetur ſine confeſsione, aut quod cõficiat ſine Ordine, vel in Matrimonio per verba de præſenti,etiam ante conſummationem,quia eſt verum ſacramentum. Hæc Petrus de Palude concluſione ij.vbi ſupra.

Sacramentum & res ſacramenti differunt ſecundum Magiſt.lib.iiij.di.iiij.De quo videatur Dominus Præpoſitus Gab.di.iiij.q.ij.ar.j.lib.iiij.Per ſacramentum intelligitur operatio exterior exhibita corpori humano ſub debita verborum forma , vel ſignum ſenſibile ex inſtitutione diuina, ſignificans operationem interiorem quam Deus operatur intus in anima, vel effectum gratuitum . Illud verò quod ſignificatur,id eſt effectus ille quem Deus inuiſibiliter operatur,ſcilicet,gratia, vel gratuitus effectus,dicitur res ſacramẽti,ſiue effectus ſacramentalis. Et eſt duplex. Quidam præciſe ſequitur opus operatum, id eſt ſacramentum foris adhibitum,ſemoto im-

moto impedimento circumſcripto deuotionis merito ſuſcipientis, vel conferentis. Quidam verò ſequitur nō tantum opus operatum, ſed etiam opus operans, id eſt diſpoſitionem ſeu meritum conferentis ſacramentum, vel ſuſcipientis. Et primus effectus ſequēs opus operatum, propriè dicitur effectus ſacramentalis. Et talis eſt duplex. Quidam eſt res & ſacramentum, vt eſt Character Baptiſmalis. Alius eſt res tantum: & eſt gratia animæ ſuſcipientis infuſa, & cæteri effectus gratiam conſequentes. Et illi effectus gratiam conſequentes virtutes, ſcilicet, & fomitis remisſio, habent ſe proportionabiliter ad gratiam quārum ad intenſionem & remiſſionem, ita quod ſi gratia fuerit intenſa, & ipſę ſunt intenſæ, ſi remiſſa, remiſſæ. Gabr. Quidam autem ſuſcipiunt ſacramentum, & non rem ſacramenti. De quo vide in dictione, *Manducatio*.

Sacramentum ſecundum S. Thom. di. xiiij. q. j. ar. j. li. iiij. & recitat Gab. eadem di. q. ij. Quædam ſunt quæ non requirunt aliquem actum in ſuſcipiente, quārum ad veritatem ſacramenti, niſi per accidens, ſicut remouens, prohibens, vt in Baptiſmo, Cōfirmatione, Euchariſtia, Ordine, extrema Vnctione. Et in illis quia ſine ſuſcipientis actu complentur, eſt aliqua materia, id eſt aliquid materiale, præter verba formalia requiſitum ad veritatem ſacramenti, vt in Baptiſmo aqua, in Confirmatione chriſma conſecratum, in Vnctione oleum infirmorum benedictum, in Ordine calix cum pane & vino ordinando porrectus, vel aliud tale ſignum ſecūdum exigentiam Ordinis. Et in illis verum eſt verbum Augu. Accedat verbum ad elementum, & fit ſacramentum. Nam & ipſa verba hæc proferēs loquitur de ſacramento Baptiſmatis. Alia ſunt ſacramenta quę requirunt per ſe & eſſentialiter, hoc eſt neceſſaria, vt ſit verum ſacramentum, attamen eius qui ſacramentum recipit, vt in Pœnitentia & Matrimonio. In Pœnitentia requiritur confesſio peccatoris, in Matrimonio expresſio conſenſus contrahētium. Et in illis nō eſt talis materia, ſed ipſi actus ſuſcipientium exteriores ſunt pro materia, ſicut actus ſacerdotis pro forma, vt vult Alex. parte iiij. q. lx. memb. xx. Hoc etiam vult Rich. quod in ſacramentis pro materia eſt illud quod ex parte ſuſcipientis ſacramentum concurrit. Vide latiùs Gabr. vbi ſupra. De materia autem ſingulorum ſacramentorum vide ſuo loco, vbi de eis tractatur.

Sacramentum dicitur irreiterabile, quod idē ſecundū ſpeciem & nomen nō iteratur circa eandē perſonam, ita quod vna eademque perſona non poteſt tale ſacramentum pluries vel ſæpius ſuſcipere, puta eadem perſona non poteſt bis baptizari, bis confirmari, bis eundem Ordinem ſuſcipere. Et tantum tria ſunt ſacramenta circa eandem perſonā irreiterabilia, quæ ſunt Confirmatio, Ordo, & Baptiſma, quia nullum horū poteſt licitè eidem perſonæ pluries exhiberi. Poteſt (dico) licitè & ſine peccato mortali. Probat id diffuſe Gab. di. vj. q. ij. ar. ij. lib. iiij. Et inirerabilitatis ſacramētorum principalis ratio non eſt characteris impresſio, ſed ſola diuina inſtitutio, vt probat Gabr. conclu. ij. Videatur ad hoc Scotus. Secundū Gerſonem de ſacramentis, par. ij. tribus modis ſacramentum dicitur iterari ex parte efficientis, ſic omne initerabile, quia frequenter baptizatur, confirmatur, &c. Alio modo reſpectu ſuſcipientis, cum ab eodem idem ſacramentum non numero, ſed ſpecie ſuſcipitur, & hæc iteratio eſt in quibuſdam ſacramentis, in quibuſdam non. Tertio modo iterari dicitur ſacramentū, ſic, ſcilicet, quod eadem forma verborum numerō ſuper eandē materiam numero ad eandem ſanctificandum proferatur. Et iſto modo nullum ſacramentum iteratur, quia ſic verba ſanctifica ſeu ſanctificātia viderētur inſufficiētis efficaciæ reſpectu ſanctificationis illius materiæ. Latiùs Magiſter Ioannes Gerſon, &c.

Sacramentorum comparationem adinuicem quo ad exceſſum, videatur Alexan. & poſt eum Gab. quæ breuitatis gratia omitto. Et quamuis omnia ſacramenta (vt idē ait q. ij. ar. j. di. viij. li. iiij. poſt Bona.) aliquo modo in lege fuerūt præfigurata, iſta tamen duo, Baptiſmus & Euchariſtia præcipuè figurari debuerunt. Tum propter difficultatē in credendo quę eſt in Baptiſmo, quæ eſt primum ſacramentum, & fidei ianua. In Euchariſtia propter plura miracula. Tum propter dignitatem quę eſt in Baptiſmo propter efficaciam, in Euchariſtia propter continentiam. Tum propter Eccleſię vnitatem in Baptiſmo, quantum ad inchoationem, in Euchariſtia quātum ad conſummationem, vel in Baptiſmo quantū ad ſignaculum chriſtianitatis: in Euchariſtia quantum ad diuinum cultum, &c. De ſacramentis plura aliàs legas, & de ſingulis ſuo loco aliqua dicuntur.

Sacrum ſacramentum, & ſacramentale, differunt, vt notat Brulef. di. vj. q. xj. lib. iiij. Sacrum enim dicitur quodlibet pertinens ad ſanctitatem, ſiue ſit in ſigno vt Eccleſia, cœmiterium & ſacra vaſa, ſiue tanquam in effectu, vt mens humana dicitur ſacra per gratiam, ſiue per eſſentiā, vt Deus eſt ſacer per eſſentiam, ſacramentum patet ſupra. Sacramentale verò dicitur eſſe illud quod eſt ordinatum ad ſacramentum tāquam præmium, & diſponens ad ſacramentum, vt catechiſmus & exorciſmus dicuntur ſacramentalia baptiſmi. Aliquando tamē ſacramentale capitur pro eo quod eſt de eſſentia ſacramenti.

Sacrificium capitur cōmuniter, & propriè, vt ſcribit Brulef. di. j. parte ij. qu. ij. li. iiij. Cōmuniter eſt oblatio facta Deo in recognitionem ſupremi dominij ſui, ſiue fiat actu interiori in ſpiritu, ſiue fiat actu exteriori, affectu, ſcilicet, & effectu. Alio modo propriè capitur, & eſt oblatio qua offerebatur aliqua hoſtia ſeu victima Deo, cuius aliqua pars cremabatur in altari, & altera cedebat ad vſum offerentis. Capitur & tertio ſacrificium propriisſimè, & dicitur quaſi ſacrum factum, quia prece myſtica conſecratur pro nobis in memoriā Dominicæ pasſionis, & hoc ſolùm conuenit ſacramento altaris & nouę legis, ſecundum Alexan. Et ſacrificium dicitur tripliciter ſecundum Gab. lect. xvij. canonis. Vno modo dicitur actus conſecrantis, ſiue ipſa conſecratio actionis, & ſic ſumitur in illa oratione. In ſpiritu humilitatis, &c. Alio modo dicitur ipſa hoſtia conſecranda, ſic accipitur in ſecūda oratione. Veni ſanctificator omnipotēs æterne Deus, benedic & ſanctifica hoc ſacrificium tuo ſancto nomini præparatum. Tertio modo dicitur ipſa hoſtia conſecrata. Vnde ſecundū Rabanum: Sacrificium dicitur quaſi

factum

ſacrum factũ, quod prece myſticaliter cõſecratur in memoriã Dominicæ paſſionis, &c. Et ſacrificiũ dicitur ſecundũ D. Albert. ab effectu, quia ſacros nos efficit. Et hoc dicitur ſacrificiũ laudis, quia nihil in eo eſt niſi quod eſt laudis, pulchritudinis & honoris. Hinc Pſal. Sacrificiũ laudis honorificauit me, & illic iter quo oſtendã illi ſalutare Dei. Vel ſecũdum Innocen. & Alexan. Sacrificium laudis dicitur, quia propter hoc maximè Deũ laudare debemus, quod non ſolũ ſe pro nobis dederit in precium, ſed etiam ſe dederit nobis in cibũ, vt per preciũ redimeret nos à morte. De hoc ſacrificio vide Gerſ. tract. ix. ſuper Cant. Mariæ. Vel dicitur ſacrificiũ laudis, quia Chriſtus ipſum cum laude & gratiarũ actione inſtituit. Sic enim legitur: Gratias agens, benedixit & fregit, &c. Sic & Sacerdos cum laudibus ſacrificium offert. Ita ſcribit Gabr. lect. xxix. canonis.

Sacrificium, holocauſtum, pacifica, differunt, vt nótat Gab. d. j. q. iij. art. iij. lib. iiij. & lect. lv. canonis. Sacrificium vocabatur quod pro debito inſtitutionis oblatum partim cremabatur, partim obſeruabatur. Holocauſtũ vocabatur quod vel ex debito, vel ſpontè oblatũ totum incendebatur. Pacifica vocabãtur quæ ſpontè offerebãtur pro gratiarũ actione, ſiue pro pręcedentis voti adimpletione, ſiue pro ſpontanea & voluntaria deuotione. Holocauſtum autem fiebat de armentis, aliquãdo de pecoribus, aliquãdo de volatilibus: oblatio aliquãdo de ſimila fiebat, quæ dicebatur ſacrificiũ crudum: aliquando de clibano, aliquãdo de ſartagine, quãdoq; de craticula, quod ſacrificiũ coctũ dicebatur. Hæc omnia Hugo, & poſt eũ Gab. vbi ſupra. Et quomodo legalia emundabãt ab inmunditiis carnis, quæ irregularitates dicebãtur. Vide Alexã. part. iiij. q. vj. mẽb. iiij. ar. ij. Item Tho. & Rich. & poſt hos Gab. ar. iij. vbi ſupra. De hoſtia & victima ſuó loco dicitur. de quo Gab. lect. lv. canon. videatur. Sacrificiũ ſecundum S. Thom. ij. ij. q. lxxxj. art. iiij. Propriè eſt aliquid factũ in honorem debitũ ſoli Deo ad eum placendũ. Et ſecundum eundem q. lxxxv. vbi ſupra. ſacrificiũ & oblatio differunt: quia oblatio eſt omne quod exhibetur in cultu Dei: ſacrificium ſi inde fiet aliquod ſacrum conſumendũ. Et venit ſacrificiũ à ſacrifico: quod differt à lito: vt ſacrificare, ſit veniã petere: litare verò propitiare & votum impetrare. ſæpè tamen vnum pro reliquo ponitur, & vtrunque ſumitur pro ſacrum facere. Et à ſacrifico venit ſacrificus & ſacrificulus, Rex ſacrorum.

Sacrilegium dicitur quaſi ſacri lædiũ, vel quaſi ſacræ legis læſio. Cõmittitur ſacrilegiũ vel in perſonam, vt cùm læditur perſona eccleſiaſtica: vel in locum, vt cùm immunitas Eccleſiæ, vel cœmiterij læditur: vel in re, vt cùm res ſacra de loco non ſacro, aut res nõ ſacra de loco ſacro aufertur: vt habetur in Gloſ. Sacrilegium. xiiij. q. iiij. & in ca. Si quis contumax. in textu eadem q. & refert Gabr. diſt. xv. q. iij. ar. j. libr. iiij. Conſonat Richar. di. xviij. art. xij. q. j. libr. iiij. Et ſacrilegium eſt ſacræ rei violatio vel vſurpatio: & accipitur ibi violatio pro quacunq; irreuerentia, aut dehonoratione. Vnde ſecundũ B. Thó. ij. ij. q. xcix. Sacrilegium eſt omne quod fit ad irreuerentiam rei ſacræ: à quo ſacrilegus eſt qui rem ſacram in ſacro loco furatur: à quo tale furtum ſacrilegiũ dicitur. Ponitur aliquando ſacrilegiũ pro ſpecie luxuriæ: vt ſi quis abutatur Deo ſacrata, tunc eò reſpectu, quod eſt ſponſa Chriſti, committit ſacrilegium per modum ſtupri, ſeu quoddam ſpirituale adulteriũ: de quo conſulas latiùs Gerſon. compen. Theolog. de ſeptem vitiis capitalibus, &c. Et de vitio ſeu peccató luxuriæ.

Salus eſt triplex (vt ſcribit Bruleſ. di. iiij. q. viij. lib. iiij.) ſcilicet, naturæ, gloriæ, & gratiæ. Salus naturæ eſt integra, & tuta incolumitas, & ſanitas corporis cum temperantia naturæ, cum calido & humido, quod eſt ſanguis. Salus gratiæ nihil aliud eſt, quàm gratia gratũ faciens, quę reddit nos gratos Deo. Salus autẽ gloriæ eſt duplex quæ eſt obiectiua, & eſt ipſe Deus. Vnde Pſal. Dominus illuminatio mea, & ſalus mea. Et illud: Domini eſt ſalus. Alia eſt formalis & ſubiectiua, & eſt clara Dei viſio, & fruitio eſſentiæ diuinæ. Corollarium. Beatitudo formalis, ſalus formalis, finis ſupernaturalis, fruitio cum viſione ſunt idem, vt ſcribit Bruleſ. di. iiij. art. ij. lib. j. ſecundum quem duplex eſt ſalus creaturæ rationalis, ſcilicet efficiens, ſiue effectiua minus principalis & meritoria: & eſt Chriſtus ſecundum humanam naturam. Vnde: Nos autem gloriari oportet in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, in quo eſt ſalus noſtra, &c. Alia eſt efficiens principalis, & eſt tota Trinitas. Licèt ergo Chriſtus ſecundũ humanã naturã ſit redẽptor noſter effectiuè, meritoriè, ſcilicet hoc tamen eſt minus principaliter. Trinitas autem tota eſt principalis redemptrix noſtra. Et ſalus noſtra non ſolũ eſt ex parte Dei, ſed etiam ex parte noſtra (non enim vult inuitos ſaluare.) Et cùm ipſe velit omnes homines ſaluos fieri, & omnibus gratiã impartiri: ſolũ ex noſtra malitia vel negligentia venit defectus noſtræ ſalutis: de multiplici ſalute videre potes Gerſonem tract. xij. ſuper Cantico Mariæ. Eſt & ſalus naturalis, ſalus tẽporalis, & ſalus æterna ſiue ſpiritualis. Salus ſpiritualis principaliter ad animam pertinet, licèt per animã in corpus redundet. Salus temporalis ad corpus. Salus naturalis ad vtrumque. De hac triplici ſalute, vide Gabr. ſer. vj. de dedicatione templi, qui incipit: Hodie ſalus domui huic facta eſt. Signa ſalutis ſunt deuotè audire verbum Dei: ſecundum illud: Qui ex Deo eſt, verbum Dei audit. A peccatis continere, commiſſa deflere. De quo Gabriël lect. viij. canon. poſt Alexan.

Sanctus à ſanctio, is, it. quod dicitur à ſanguis; & eſt firmare, decernere, ſtatuere, & ſanctum, firmum; & ſanctificare, confirmare, vt dicit Gerſon parte ij. de ſeptem petitionibus orationis Dominicæ. Dicuntur etiã ſancti à ſanguine hoſtiæ, & hoc de veteri conſuetudine. Nihil enim ſanctum apud veteres dicebatur, niſi quod ſanguine hoſtiæ eſſet conſecratum vel reſperſum. Nam & qui purificari volebant, ſanguine hoſtiæ vngebantur. Vnde poſtea ſancti dicebantur, quaſi ſanguine vncti. Dicitur etiam ſanctus, id eſt ſeparatus à negotiis, ſcilicet ſeculi, & ab his qui carnaliter viuunt. Dicitur & ſanctus, quaſi ſine terra. Nam Gręcus ſermo ἅγιος extra terrã ſonat. Eſt ergo ſanctus firmus ab omni imperfectione ſeparatus, à terra & omni creatura ſublimiter eleuatus, quę veriſſimè diuinę eſſentię cõueniunt: de quo latiùs vide Gabr. lect. xix. canon. &

lxvj.cano. Et multa Gerſon de ſanctis in ſuis operibus. Et vt ſcribit Steph. Brulefer di.xxj.q.vj.lib. iiij. Sanctus vno modo accipitur largè pro quolibet exiſtēti in gratia: ſic aliqui in hac vita ſancti eſſe poſſunt: vnde, Sancti eſtote, quia ego ſum ſanctus. Secūdo modo ſanctus capitur propriiſsimè pro illo qui eſt in gratia Dei, qui non habet aliquid purgabile & videt eſſentiā diuinā: vt ſunt beati in gloria. Tertio modo capitur ſanctus propriè pro eo qui eſt in gratia, & nihil habet purgabile, tamē nō videt eſſentiā diuinā: ſicut ſunt animę quę in Purgatorio fecerūt pœnitentiā ſuā. Vel ſancti qui decedētes de hoc ſeculo nihil habent purgabile, ſicut fuit B. Franciſcus, &c. Et vt idem Brulef. notat q.iiij.diſt.xiiij. lib.j. aliquis dicitur ſanctus dupliciter: videlicet, per eſſentiā & participationē. Sanctus per eſſentiā dicitur ille qui neceſſariò & independenter habet ſanctitatem, ſcilicet à ſeipſo. Ab iſto ſancto omnes ſancti per participationē efficiuntur ſancti. Nam ſicut nemo bonus niſi ſolus Deus, ſic illo modo nemo ſanctus niſi ſolus Deus. Sanctus per participationē dicitur ille, qui cōtingenter eſt ſanctus: hoc modo omnis alius ſanctus à Deo eſt ſanctus. Et dicitur dupliciter per participationē ſanctus. Vno modo, quia eſt cōprehenſor & beatus: & ſic quilibet vidēs Deū in patria eſt ſanctus. Alio modo, quia eſt viator viuens vita mortali: & ſic quilibet exiſtens in gratia eſt ſanctus. Et viator poteſt dici ſanctus dupliciter ratione officij vel officialiter, quādo, ſcilicet, ſacra miniſteria habet miniſtrare ratione officij, & pręcipuè ſi habet cōficere miniſterialiter Sacramentum corporis & ſanguinis Dominici, quod nec beatiſsima Virgo habet, nec habuit. Secundò ratione gratię gratū facientis: ſic omnis habens gratiā gratū facientem eſt ſanctus illo modo. Et quantūcunq; viator polleat ſcientia, ſapientia, cōſilio, fide & ſpe, ſi non habeat charitatem, nō eſt ſanctus: quare nullus peccator eſt ſanctus. Et poſſet ſtare, quod homo faceret multa miracula, & tamē non eſſet ſanctus: patet ex Euangelio. Hęc Brulef. Quomodo autē ſanctos orare debeamus videre potes apud Gerſo. & Gab. & cæteros in ſuis ſermo. vocabula potiſsimū declarare & explanare intendimus, nō ſingula ſcribere.

Sanctitas (vt notat Gabr. di.iij.art.j.q.j.lib.iij. poſt Alex. de Ales part.iij.q.ix.memb.j.artic.j.) dicitur quatuor modis. Eſt enim ſanctitas per dedicationē ad cultū Dei, quo modo ſanctū dicitur quicquid à prophanis ſeparatur, & cultui Dei dedicatur: & hęc conuenit creaturę rationali & nō rationali, animatis & non animatis. Sic Nazaræi ſancti dicuntur, quorum cōſecrationis ritus deſcribitur Leuit. 8. & pleriſq; aliis ſcripturæ locis. Hoc modo etiā Chriſtiani ſancti dicūtur, quia Deo dedicati ſunt in baptiſmate. Sic res inanimatæ ſanctæ appellantur: vt tabernaculū, vaſa, veſtes, Eccleſia, altaria, quæ olim & nunc dedicantur Domino, & ad ſuum cultū ſanctificātur. De quo etiā Exod. 40. Aſſumpto vnctionis oleo vngues tabernaculū cum vaſis ſuis, vt ſanctificetur altare holocauſti, & omnia vaſa eius, labrum cum baſe ſua omnia vnctionis oleo cōſecrabis, vt ſint ſancta ſanctorū. De hac ſanctitate videtur idē Gabr. ſerm. vij. de dedicatione, qui incipit: Domum tuā decet ſanctitudo. Secundo modo ſanctitas accipitur pro emūdatione à peccatis, Rom. 6. Nunc autem liberati à peccatis, ſerui facti Deo, habentes fructū in ſanctificatione. Et 1. Theſ. 4. Non vocauit nos Deus in immunditiam, ſed in ſanctificationem. Et præmiſit: Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra. Hæc ſanctitas fit per gratiam infuſam & charitatem, per quam mentem inhabitat ſanctificator ſpiritus. Et hæc ſanctitas eſt immunitas à peccatis, quæ nō eſt niſi per gratiā. Vnde ſolus ille & omnis iſte ſanctus eſt, qui gratiā habet: dico gratiam gratū facientem. Tertio ſanctitas dicitur abſtinētia ab actu carnalis cōmixtionis, ſcilicet caſtitas. De quo Exod. 19. præcipitur Moyſi vt ſanctificet populum: Vade, inquit, ſanctifica populū hodie & cras, & lauent veſtimēta. Vbi Gloſſ. dicit, quod ſanctificatio illa erit abſtinentia à mulieribus. Et 1. Regum 21. vbi quęritur: Si mundi ſunt pueri, maximè à mulieribus: reſpondet Dauid: Equidem ſi de mulieribus agitur, continuimus ab heri & nudiuſtertius, & ſunt vaſa puerorum ſancta. Quarto modo accipitur ſanctitas pro cōfirmatione in bono. Et ſic dicitur ſanctum quaſi firmum: ſic accipitur in Pſal. Quis requieſcet in mōte ſancto tuo? Innocens manibus, &c. Vbi per montē ſanctū intelligitur cōfirmatio in bono. Nā ſanctū idem eſt quod firmū. Vel dicitur quod idem eſt Græcè ἅγιοι, ab α quod eſt ſine: & gyos, id eſt terra. Vnde dicitur ſanctū quaſi ſine terra, id eſt terrena cōtagione, vt dictū eſt ſup. Prima etymologia correſpōdet quartæ acceptioni. Secūda primis tribus. Hęc Gab. vbi ſupr. Sanctitas ſecundum Gerſ. tract. xij. ſuper Cant. Mariæ, eſt libera ab omni cōtagione puritas ſpōte ſeruata, &c. Vbi de ſanctitate nominis Dei plura ſcribit. Cognoſcitur duobus ſignis ſanctitas: vt idem Gerſon ſcribit de diſtinctione verarū viſionū à falſis. Vnde pro regula tenendū eſt, vt vult Greg. quod miraculū & humilitas duo ſunt ſigna, quæ ad manifeſtandum alicuius ſanctitatem ſufficiūt. Neq; enim miracula per ſe valent cùm à malis iuſto Dei iudicio permittuntur fieri in ædificationem Eccleſiæ, &c.

Sanctificare tripliciter accipitur, vt notat ſanctus Bonauen. d.xiiij. lib.j. in dubiis literal. Vno modo ſecundum quod eſt de ſancto ſanctum facere. Secundo iam ſanctum in ſanctitate confirmare. Tertio modo iam ſanctum & confirmatum manifeſtare, & ſecūdum aliquem iſtorum trium modorum reperitur ſanctificatio in omni ſpirituſſancti miſsione ratione termini ad quem: ita accipit Magiſter diſtin. xiiij. in principio cùm ait libr. j. Præterea diligenter notandum eſt, quod gemina eſt proceſsio ſpirituſſancti: æterna, videlicet, quæ ineffabilis eſt, qua à patre & filio æternaliter & ſine tempore proceſsit: & temporalis, qua à patre & filio ad ſanctificandum creaturam procedit. Vnde Auguſtin. xv. de Trinit. ait: Spirituſſanctus non de patre procedit in filium, & de filio procedit ad ſanctificandam creaturā, ſed ſimul de vtroq; procedit: quamuis hoc filio pater dederit, vt ſicut de ſe, ita etiam de illo procedat.

Sanctificari contingit dupliciter. Vno modo contingit aliquid ſanctificari per ſanctitatis adeptionem, quia, ſcilicet ipſam ſanctitatem recipit. Alio modo per ſanctitatis oſtenſionem ſiue declarationē, quia, ſcilicet, ipſum ſanctum eſſe prædicatur ſiue declaratur,

ratur,

ratur, ſiue quia ſanctitas eius creditur, laudatur, & amatur. Primò ſanctificantur creaturæ rationales in via & in patria. In via per ſuſceptionem gratiæ, ſiue in ſacramentorum ſuſceptione baptiſmi, aut pœnitentiæ: quia peccatum originale vel actuale dimittitur, vel etiam ſine ſacramento per contritionem aut ex ſpeciali priuilegio: ſicut quidam in vtero legontur ſanctificati: vt Ieremias, Ioannes Baptiſta, Virgó glorioſa. Vnde ſanctificari in via, nihil aliud eſt quàm gratificari per gratiæ ſuſceptionem vel eius augmentationem: iuxta illud: Sanctus ſanctificetur adhuc, Apocalyp. vltim. Eſt enim gratia ſanctitas viæ. In patria verò ſanctificatur rationalis creatura per ſuſceptionem gloriæ in clara Dei viſione, fruitione, firma tentione, quæ eſt ſecuritas de gloria non perdenda: hoc modo Deus non poteſt ſanctificari: quia nec gratiam nec gloriam recipere poteſt, nec quodcunque accidens.
Alio modo contingit aliquid ſanctificari per ſanctitatis oſtenſionem ſeu declarationem: quia ipſum ſanctum eſſe prædicatur & declaratur, ſiue quia ſanctitas eius creditur, laudatur, diligitur, reueretur, honoratur. Illo modo Deus ſanctificari poteſt à creatura: quia eius ſanctitas credi poteſt, laudari, extolli, prædicari. Sic petimus & dicimus in oratione Dominica: Sanctificetur nomen tuum, id eſt nota ſit tua ſanctitas toti mundo, vt totus mundus noſcat te ſolum verum Deum. Te totius laudet, vt tuam deceat ſanctitatem. Hæc Gabriël lect. lxvj. canonis, &c.

Sanctificatio eſt duplex, vt notat Brulefer diſt. iiij. qu. viij. libr. iiij. & ex dictis haberi poteſt, ſcilicet viæ & patriæ. Sanctificatio viæ eſt infuſio gratiæ gratum facientis alicui naturæ intellectuali. Iſto modo tam adulti quàm paruuli ſanctificantur per gratiã: & iſto modo primo, vt idem vult diſtin. vj. quæſt. vij. lib. iiij. ſacramentum Pœnitentiæ poteſt dici ſanctificatio, quia ibi infunditur gratia. Eſt & ſanctificatio viæ excellens culmen virtutum vel alicuius virtutis. Et iſto modo viri perfecti dicuntur ſecundum Theologos ſancti, ſecundum verò Philoſophos vocantur viri heroici. Solus autem Deus poteſt ſanctificare: nec eſt officium beatæ Virginis nec Angelorum, nec ſanctorum, ſanctificare. Sanctificatio patriæ eſt, quæ habetur in patria: & nihil aliud eſt quàm glorificatio, & ſolus Deus ſanctificat etiam hoc modo. Pſalm. Exultabunt ſancti in gloria. Hæc Brulefer vbi ſupra. & ſecundum eundem diſt. vj. q. vij. libr. iiij. loquendó de rigore ſermonis: iſta differunt gratiæ infuſio, ſanctificatio, & glorificatio. Nam omnis glorioſus eſt ſanctus, ſed non omnis ſanctus eſt glorioſus: vt patet de ſancto viatore: etiam omnis exiſtens in gratia, eſt ſanctus propriè loquẽdo, vt patet in paruis pueris.

Sanctificatio Virginis glorioſæ duplex ponitur, vt ſcribit Gabriël diſtin. iij. quæſt. ij. lib. iij. Prima in conceptione paſſiua, dum anima per gratiam ſibi concreatam infuſa eſt in corpus in vtero ſuæ matris, qua gratia præſeruata eſt ab originali peccato, vt ita ſanctificata à peccato, non quod infuit, ſed infuiſſet niſi per gratiam præſeruata fuiſſet. Alia eſt eius ſanctificatio in conceptione actiua qua de ſpiritu ſancto concepit Saluatorem. De quo ait Gabriël Angelus: Spiritusſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Tunc enim ſanctificata eſt à ſpiritu ſancto, hoc ſecundo modo: ſed tamen non à peccato originali aut actuali, quorum nullum infuit, ſed ſanctificata per gratiæ inexiſtentis augmentationem, ac plenitudinis perfectionem qua diſponebatur, vt eſſet idonea mater tanti filij. Hæc Gabriël.

Sanguis capitur quadrupliciter, vt ſcribit Brulefer diſt. iiij. qu. ix. libr. iiij. Primo modo pro progenie, vt quando dicitur: Ille eſt de ſanguine meo, id eſt parens meus vel filius. Secũdo accipitur pro humore quodã calido & humido, vt eſt ſanguis humanus, quo fouetur corpus humanũ. Tertio modo pro peccato. Vnde Pſal. 50. Libera me de ſanguinibus. & aliàs: Viri ſanguinum declinate à me. Quarto modo pro vita: vt in Hymnó: Pro te effundens ſanguinem, id eſt vitam.

Sapientia à ſapio dicitur, quod eſt rectè ſentio. Et qui omnia profitentur σοφοί, ſophi, hoc eſt ſapientes appellantur, quo nomine ſeptem viri ſapientes Græciæ vocati ſunt, Tales Mileſius, Solon Salaminus, Chilon Lacedemonius, Pittacus Mitileneus, Bias Prieneus, Cleobolus Lyndius, Periander Corinthius. De quibus Beroaldus, & eorum ſententiis libellum pulchrum conſcripſit. Pythagoras verò nõ ſe ſophum, ſed Philoſophum appellauit, hoc eſt non ſapientem, ſed ſapientiæ amatorem. Et ſapientia ſecundum Guil. Scotiſ. in primo di. xxxiiij. & q. prologi, dicitur à triplici vocabulo. Vno modo à ſapere, inquantum illuminat intellectum. Vnde ſic ſolum actum intellectus importat. Secundo modo dicitur à ſapore, inquantum inflammat affectum, & ſic propriè dicit actum voluntatis. Tertio modo dicitur quaſi ſapida ſcientia, & hoc modo dicit tam actum intellectus quaſi præcedentis, quàm actum voluntatis quaſi ſequentis.

Sapientia capitur quinq; modis (vt notat Brulefer quæſt. iij. prolog. j. ſenten.) Vno modo pro Theologia, quam acquirimus per ſtudium ſacræ ſcripturæ, qui habitus quo ad explanationem fidei eſt perfectior quàm fides infuſa. Et iſto modo ſapiẽtia includit ſcientiam & amorem. Cognitio enim illius articuli, Chriſtus eſt mortuus pro nobis redimẽdis, promouẽs me in amorem Dei, eſt cognitio Theologica. Secũdo modo accipitur pro charitate. Vnde ſecũdum Docto. ſubtilem in iij. quãdo dicitur, Beatus vir qui in ſa. mora. intelligitur de charitate. Tertio modo capitur pro quadã virtute intellectuali & ſpeculatiua inter omnes habitus intellectuales nobiliſſima: & ſic capitur 6. Ethic. Quarto ſecundum Holkot pro aliqua notitia ſupernaturali ſiue infuſa immediatè à Deo ex inſpiratione diuina vel ex aliqua in trinitate gratioſa Dei, ſicut loquitur Diony. in de diui. no. dicẽs q̃ hieratheus paſſus eſt à Deo, & patiendo didicit. Quinto capitur apud morales Philoſo. pro collectione omniũ virtutũ, tã intellectualiũ q̃ moraliũ. Sapiẽs ergo illo modo nihil aliud eſt q̃ perfectè virtuoſus: & ſic loquitur Seneca: In ſapientẽ, inquit, nõ cadit triſtitia. Acceptiones vocabuli ſapiens vide apud Brulef. di. xxxv. q. j. li. iij. & apud Bonauen. vbi ſupra in litera N.

Sapientia ſecundum ſanctum Bona. d. xlvj. lib. j. in dub. lite-

dub.literal. Vno modo dicit cognitionem veram. Alio modo cognitionem veram & nobiliſsimam, quia per cauſas altiſsimas. Tertio modo dicit cognitioné veram nobilem & ſapidam. Quarto modo ſapiẽtia nõ dicit aliá cognitioné quàm religioné diuiná ſiue cultũ, ſecundũ quod dicitur: pietas ipſa eſt ſapiẽtia, ſiue theoſebia. Et hæc cõſiſtit, vt dicit Aug. in fide, ſpe, & charitate: & hoc modo clandit in ſe virtuté: & ita opponitur culpæ. Vnde Augu. in lib. lxxxiij. quomodo. & habet Magiſt. d. xlvj. lt. j. Nullo ſapiẽte homine auctore homo fit deterior: tanta enim eſt iſta culpa quæ in ſapienté hominé cadere nequit. Eſt auté Deus omni homine ſapiẽte prǽſtantior, multò minus ergo Deo auctore fit homo deterior: multò enim prǽſtátior eſt Dei voluntas quàm hominis ſapiẽtis: illo auté auctore cũ dicitur: illo volente dicitur. Eſt ergo vicium voluntatis humanæ, quo eſt homo deterior. Hæc Aug. Vide Magiſt. latiùs ibi: qui vult quod Deo auctore nemo fit deterior. Omnis auté ſapiẽtia (vt vult S. Bona. d. xxiiij. lib. iij.) de Deo in via abſq; fide magis eſt ſtultitia quàm vera ſcientia. Deprimit etiam perſcrutantem in errore niſi dirigatur & iuuetur per fidei illuminationem: vnde per ipſam non expellitur, ſed magis perficitur.

Sapientia vt notat S. Bona. di. xxxv. q. j. lib. iij. quadrupliciter cõſueuit accipi tam à Philoſophis quá à Sanctis, videlicet, cõmuniter & minus cõmuniter, & propriè & magis propriè. Cõmuniter accipiẽdo ſic ſapiẽtia dicit cgnitioné rerũ generalé, ſecundũ q. diffinit eá Aug. & Philoſ. quod ſapiẽtia eſt cognitio rerum diuinarũ & humanarũ. Et Philoſ. in prima Philoſophia dicit, quod ſapiés eſt qui omnia nouit, ſecundũ quod conuenit. Alio modo ſapiẽtia minus cõmuniter dicitur: & ſic dicit cognitioné, nõ quácunq;, ſed cognitioné ſublimé, videlicet cognitioné rerum æternarũ. Et ſic accipit Apoſt. 1. Cor. 12. Alij datur per ſpiritũ ſermo ſapientiæ: alij ſermo ſciẽtię: ſecundũ quod exponit Aug. dicés, quod ſapiẽtia eſt cognitio cauſarũ altiſsimarũ. Tertio modo accipitur ſapientia propriè, & ſic nominat cognitionem Dei ſecundũ pietaté: & hæc quidé cognitio eſt quę attẽditur in cultu latriæ, quem exhibemus Deo per fidé, ſpem & charitaté: ſecundũ quem modũ accipit Aug. xiiij. de ciuit. Dei, exponés illud Iob: Ecce pietas ipſa eſt ſapiẽtia: dicens ibidé quod pietas & ſapientia idé eſt quod theoſebia, & theoſebiá idé eſt quod cultus diuinus. Quarto modo dicitur ſapiẽtia magis propriè: & ſic nominat cognitioné Dei & experimentalé: & hoc modo eſt vnũ de ſepté donis ſpirituſſancti, cuius actus conſiſtit in degnſtádo diuiná ſuauitaté: & actus pręcipuus doni ſapiẽtię propriiſsime dictę, eſt ex parte affectionis. Et iſtius ſapiẽtię ſecundũ Dionyſ. eſt amenté eſſe: propter hoc quod melius afficiuntur circa Deũ præuia cognitione, quę eſt per ablationé & negationé quá per affirmationé, vt docet in lib. de myſtica Theol. De illá ſapiẽtia latius ſcribit S. Bona. vbi ſupra. Et ſecundũ eundé differunt ſapiẽtia, intellectus, ſciẽtia & conſiliũ, de quibus & ſuis locis dicitur, prout inter doná cõnumerantur. Ná ſapientia in cognitione & affectione æternorũ cõſiſtit. Intellectus verò eſt cognitio veri æterni, ſecundũ cõditiones creaturarũ, id eſt ſecundũ quod ex cõditionibus creaturarũ noſci poteſt. Differt itaq; à ſapiẽtia, quia intellectus ad ſolũ intellectũ pertinet: ſapientia auté ad intellectũ & affectũ. Secundò quia ſapiẽtia eſt cognitio & amor Dei ſecundũ proprias cõditiones cõmunes Deo: intellectus verò ſecundũ conditiones Deo & creaturæ cõmunes, &c. Vide latiùs Bona. di. xxxv. lib. iij.

Sapientia ſecundũ Magiſt. eſt æternorũ cõtemplatio cũ delectatione per æterna intelligés ipſam beatitudiné obiectiuá. Sapiẽtia ſecundũ Diony. eſt diuiniſsima Dei cognitio quę eſt per ignorantiá cognita ſecundũ vnitioné ſupereminenté, quádo més ab aliis recedés poſtea etiá ſeipſam dimittés, vnita eſt ſuper ſplendẽtibus radiis inſcrutabili & profundo ſapiẽtiæ lumine illuminato. Hác diffinitioné refert Gerſon tract. v. & vij. ſuper cant. Mariæ. & dicitur quaſi ſapida ſcientia: vt idé vult de myſtica Theol. ſpeculatiua, part. viij. conſid. xliij. Et vocatur à diuino Dionyſ. irrationalis & amés ſapiẽtia: eò quòd ſuperat rationem ac menté tráſiliens in affectũ nõ qualemcunq;, ſed purũ ipſiq; mentali intelligentiæ correſpondentem: quo affectu videtur Deus à mundis corde. Videtur, inquá, quia ſentitur & guſtatur, iuxta promiſsionem Chriſti. Beati mundo corde, quoniá ipſi Deum videbũt. Et ſecundũ illud Greg. in homil. Amor ipſe notitia eſt. Vide Gerſ. de hoc ſerm. de S. Ludouico Rege Francorum part. ij.

Sapientia Chriſtianorum de qua tractauit diuinus Diony. eſt vnio mentis ſeu collectio tanquá pro genere (vt inquit Gerſ. tract. vij. ſuper Magnif.) iungitur experimentalis cognitio & gratuita cũ patre luminũ Deo tanquá pro formali differentia, & pro fine vel obiecto. Experimentalis verò vnio mentis cũ Deo eſt ſimplex, & actualis perceptio Dei gratię ſuę gratũ faciẽtis dono, qualis hic incipit, & perficitur in gloria per gratiá conſummatá. Eſt igitur (vt idé ait Gerſ.) hæc vnio experimentalis pręguſtatio quædá gloriæ, pignus & arra felicitatis æternæ: cui cõtraria eſt diſperſio & auerſio ſuperborum mente cordis ſui. Signa illius Chriſtianæ ſapientiæ (vt refert frater Pelbart. & ſcribit Franc. Maro. in quodá ſerm. de Doctoribus) plura colliguntur ex ſcripturis. Primũ eſt peccatorũ deteſtatio & pœnitentia. Sapien. 1. In maleuolá animá non introibit ſpiritus ſapientiæ. Secundũ eſt firmũ propoſitũ in bono & cõſtantia. Eccle. 27. Homo ſenſatus in ſapiẽtia manet ſicut Sol: ſtultus auté vt Luna mutatur. Vnde homines qui ſunt vagabundi & frequenter mutár opinioné ſuá, nõ dicũtur ſapiẽtes. Tertiũ humilitatis in proprio ſenſu ſine arrogátia. Vnde Pithagoras interrogatus de cõditione ſua, ſe humiliando prius nominauit Philoſophũ, id eſt ſapientię amatoré, nõ ſapienté. Ideo Prouer. 26. Stultus ſapiens ſibi videtur. Vnde Prouer. 11. Vbi humilitas, ibi ſapiẽtia. Anima quippe rationalis (vt ait Gerſ. par. ij. ſerm. de humilitate, facto in Cœna Dom.) exiens à diuina ſapientia, in ſuam inſipientiá ſapidè cognoſcendá ſibi vtiq; ſtulta redditur, ac perinde diuiná illam ſapientiam adipiſcitur, quam iubet Apoſt. 1. Corinth. 3. Si quis inter vos videtur ſapiens eſſe, ſtultus fiat vt ſit ſapiens. Et ſecundum Gerſonem ſermone de humilitate in cœna Domini. Et apud Doctores pręſertim in ſacris literis ille ſapientior eſt, qui plurĩ humilitatis ſale; id eſt ſapore ſapientiam ſuam condiuerit:

condiuerit: non dico pluri cognitione, ſed ſapore, quanquam ſapor ſit quædam cognitio. Hoc dixiſſe fertur Prolemeus, quod ſapientior eſt qui humilior eſt. Haoc veram ſapientiam dicit Lactantius non alibi quærendam eſſe quàm in ſchola, cui titulus eſt ſtultitia: quam Gerſon dicit ſtultam ſapientiam. Quartum ſignum eſt taciturnitas & moderatio in loquela. Prouerb. 18. Qui priùs reſpondet quàm audiat, ſtultum ſe demonſtrat. Et Eccleſ. 27. Stultus ſi tacuerit, ſapiens reputabitur. Vnde Solon Philoſophus, cùm taceret, interrogatus an ſtultus eſſet, quia ſic taceret, reſpondit: Nullus ſtultus tacere poteſt. Quintum eſt futurorum præcogitatio & prouidentia. Vnde Philoſophus 1. Metaphyſ. Sapientis eſt præuidere futura. Item Deuteron. 32. Gens abſque conſilio & prudentia. Vtinam ſaperent & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent, ſcilicet iudicium & mortem. Sextum aduerſorũ tolleratio & patientia. Prouerb. 14. Impatiens operatur ſtultitiam. Caſſiodor. ſuper Pſalm. 6. Sapientia non inuenitur niſi apud quietos animo. Septimum ſignum eſt maturitas & grauitas in riſu, & lætitia vel triſtitia. Eccle. 7. Cor ſtultorum vbi lætitia. Cor autem ſapientum vbi triſtitia. Sed quare homines magis rident de his quæ pertinent ad ſtultitiam, quàm de ſapientia, de qua magis lætandum eſſet? Reſpondet Franciſcus Mato. quia hoc eſt communiter naturale, vt quis lætatur de irriſione & contumelia ſui inimici, ſed quia caro eſt inimica animæ, vt dicit Apoſtolus Rom. 5. ideo carnales ridẽt de ſtultitia, quæ eſt contumelia rationis. Hæc Franciſcus, quem refert Pelbartus, &c.

Sapientia Euangelica, eſt ſapientia Euangelicæ doctrinæ, quæ miſcetur aliquando terrena & diabolica ſapientia. de qua plura vide Gerſonem parte j. de nuptiis Chriſti & Eccleſiæ.

Sapientia quædam eſt diabolica carnalis, de qua ſcribit Gerſon parte ij. ſerm. de omnibus ſanctis, qui incipit: Beati qui lugent: cùm ait: Sapientia diabolica eſt ſuperbia indignans & auſtera. Sapientia animalis tota illecebris vacat, ducit in bonis dies ſuos: cuius vox eſt, Sapien. 2. Exiguum & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ. alios (vt idem ait paulò ſuprà.) conſidero ex Chriſtianis inflatos ſapientia, non quæ deſurſum eſt ſobria & pudica, ſed terrena animali, & diabolica & carnali, & vitam pecudum eligentes, qui ferè nihil de homine præter figuram retinent, intus ferrea ſunt omnia. Sapientia terrena diuitiis inhiat, propterea non beatos, ſed infeliciſsimos planè pauperes prædicat, &c.

Sapientia Philoſophi ſicut diffinierunt, vt & habet Auguſtinus xiiij. de Trinit. Sapientia eſt diuinarum, humanarumque rerum cognitio ſtudio bene viuendi coniuncta vel ordinata: ex quibus verbis diffinitionis patet quæ requiruntur ad veram ſapientiam, in qua eſt ſalus vera, ſcilicet: Primò diuinarum cognitio per veram fidem. Secundò eorum quæ ad hominis ſalutem ſunt neceſſaria cognitio. Tertiò bona vita. Sapientia ſecundum Ariſtotel. libr. 1. Rhetor. eſt multarum & mirabilium rerum ſcientia, & libr. 1. Metha. Sapientia eſt cognitio primarum & altiſsimarum cauſarum. Secundũ Alpharabium: Sapientia eſt ſcientia ſempiternorum. Cicero in lib. Tuſcul. quæſt. ita ſapiẽtiam diffinit: Sapientia eſt rerum diuinarum & humanarum ſcientia, cognitioque, quæ cauſa cuiuſque rei ſit ex quo efficitur, vt diuina imitetur, humana omnia virtute inferiora ducit, ſecundum Thom. ſecunda ſecundæ quæſt. xxiij. Sapientia qua formaliter ſapientes ſumus, eſt quędam participatio diuinę ſapientiæ, quę Deus eſt. Et omnis ſapientia eſt ſcientia inquantum eſt de concluſionibus. Sed differt à cæteris ſcientiis inquantum eſt de principiis, ſecundũ beatum Thom. prima ij. q. lvij. art. ij.

Sapientia differt à ſcientia. Quia ſapientia eſt rerum diuinarum cognitio. Scientia verò humanarum. Quare Aug. ſuper 1. Cor. 12. ait: Sapientia eſt in contemplatione æternorũ. Scientia verò in occupatione temporalium. Item Auguſtinus libr. de Trinit. Hæc eſt ſapientiæ & ſcientiæ recta diſtinctio, vt ad ſapientiam pertineat, æternarum rerum cognitio intellectualis. Ad ſcientiã verò temporaliũ rerũ cognitio rationalis. Itẽ ſecundũ Bernar. ſcientia pertinet ad intellectũ, & conuenit iſti ſoli, ſed ſapientia ad affectum: & ideo ſecundũ nomen ſuũ, vt inquit Gerſon part. iij. de monte contemplationis cap. v. Sapiẽtia valet tantũ ſicut ſaporoſa ſciẽtia, qui ſapor reſpicit affectũ, deſideriũ, appetitũ, & voluntatem perſonæ iſtius cui ineſt. Et ideo poteſt in aliquo magna ſciẽtia vel cognitio eſſe in quo erit modica vel nulla ſapientia. Ratio, quia nõ habet ſaporem vel affectionẽ ad illud, quod ipſe ſcit, &c. Hinc dicit idẽ Gerſon de monte contemplationis ca. vij. quod Chriſtiani ſimplices habentes firmã fidem de Dei bonitate, & ſecundò hoc ardenter amãt, verius habẽt ſapientiã, & potius debẽt dici ſapiẽtes quàm quicunq; alij literati exiſtentes ſine amore & ſine affectione ad Deũ & ſanctos eius, & etiã plus placent Deo tales magis ꝙ alij. Et quod plus eſt, tales literati ſiue affectione Deo diſplicibiles ſunt exiſtentes ſal corruptum & ſapientes infatuati. Gerſon.

Sapientia vera ſecundũ Lyram ſuper primo cap. Eccleſ. & Doct. eſt duplex. Prima diuina ſiue increata. Secunda creata, vt eſt humana & Angelica. Sapientia diuina accipitur dupliciter. Vno modo eſſentialiter, & ſic ſapiẽtia in Deo idem eſt quod eſſentia. Perſonaliter & propriè dicitur ſapientia genita: & eſt idẽ quod verbũ diuinũ: & per cõſequens eſt filij Dei propriũ ſeu attributũ vel appropriatũ; ſicut attributũ patris eſt potentia. Vnde ſecundum Dominũ Card. Camer. q. viij. li. j. art. iij. ille terminus ſapiẽtia per ſe ſumptus, eſt terminus eſſentialis, ſed quãdoq; ſumptus cũ addito eſt perſonalis, vt ſapientia genita. Et quando ponitur in ablatiuo caſu poteſt exponi dupliciter per à vel per iſtam præpoſitionẽ per. Vnde cũ dicitur: Pater eſt ſapiẽs ſapiẽtia genita ſiue per à reſoluatur ſiue per, falſa eſt: quia ſicut pater nõ eſt à filio, nec per filiũ, qui eſt ſapiẽtia genita: ſic nõ eſt ſapiẽs ab ipſo vel per ipſum, ſecundum B. Aug. Itẽ iſta propoſitio: Pater eſt ſapiẽs ſapientia ingenita ſi per à reſoluatur, eſt falſa: per per eſt vera, quia ſicut pater nõ eſt à ſeipſo, nec ab eſſentia diuina propriè loquẽdo: ſic nõ eſt ſapiẽs ſapientia ingenita, quæ eſt ipſe vel eſſentia diuina, ſed tamen eſt ſapiens per ſeipſum & per eſſentiam diuinam. Alia propoſitio: Filius eſt ſapiens ſapientia

genita,ſi per *à* reſoluatur,falſa eſt,ſi per *per*,vera eſt. Pater, quia filius non eſt à ſeipſo:ſic nō eſt ſapiens à ſeipſo, ſed à patre à quo eſt. Sed tamen eſt ſapiens per ſeipſum,ſicut filius agit per ſeipſum, licèt non à ſe ſecūdum Hilar. Quarta propoſitio:Filius eſt ſapiens ſapiētia ingenita,ſiue per *à* ſoluatur,ſiue per *per*, vera eſt. Pater,quia ſicut filius eſt à patre, & per patrem, ſic eſt ſapiens ab ipſo, & per ipſum, quæ eſt ſapientia Ingenita: & ſicut dictum eſt de filio: ita pariformiter quo ad iſtam propoſitionem poteſt dici de ſpirituſancto. Hæc Aliaceñ. Vide ad hoc Gabr.di.xxxij.q.j.lib.j.

Sapere ſecundum cōmunem vſum ſanctorum ſemper capitur purè aſſentialiter. Hoc eſt non ſignificat nec ſupponit niſi pro aliquo communi tribus. Gabr.di.xxxij.q.ij.lib.j.poſt Cardinalem.

Satisfactio (vt ſcribit Gabr,di.xvj.q.ij.art.j.& q.j.art.iij.dub.iiij. lib.iiij.) accipitur vno modo generaliter,& ſic deſcribitur à Scoto di.xv.q.j.libr.iiij. Satisfactio eſt redditio voluntaria æquiualentis, aliàs indebiti:& dicitur redditio,quia nō eſt abſoluta datio. Dicit enim ſatisfactio commenſurationem ad aliquod præcedens correſpondentem. Dicitur voluntaria,quia ſi eſſet exacta violenter,non eſſet ſatisfactio,ſed ſatiſpasſio:& ideo ille à quo in inferno pœna culpæ commiſſæ debita inuito exigitur,non ſatisfacit, ſed ſatis patitur pro ſuo peccato: & ideo pœna infernalis licèt ſit maxima,peccatum non tollit, quamuis ipſum manentem ordinet ſub iuſtitia diuina. Dicitur æquiualētis,quia ſatisfactio ad iuſtitiā commutatiuā pertinet,quę exigit æqualitatem rei ad rem, tamen prout vtriq; ſapiēs determinabit: ſapiens,ſcilicet per eſſentiā,qui eſt Deus peccato offenſus,& hoc importat nomē ſatisfactio. Aduerbiū enim ſatis importat æquā correſpondentiam eius quod redditur ad illud pro quo redditur, ſiue in beneficiis ſiue in pœnis. Ex quo ſequitur quod minus reddens pro peccato quàm iuſtitia diuina exigit, licèt iniunctum à confeſſore impleat, non ſatisfacit quamuis aliquā pœnam peccato ſuo debitā ſoluit, ſoluturus in futuro, quod minus iniunctū eſt & ſolutū in pręſenti.Dicitur etiā aliàs indebiti, quoniā ſi id quod redditur,eſſet aliàs,id eſt pro alio debitum,non correſpondet illi,ſed alteri. Etiā ſi illud cōmiſſum vel receptū non fuiſſet:& ſic non eſſet ſatisfactio pro illo ſecundum iuſtitiā,ſed pro alio:& iſto modo ſatisfactio extendit ad cōtractus & obligationes quaſcunq;, vt multis declarat Gabr. Aliàs indebiti,&c. Licèt ſecundum ſtrictam iuſtitiam Deus inſtè exigere poſſet omne quod ſumus & poſſumus tanquā debitum neceſſitatis: tamen (vt dicit Richard.di.xv.quartī artic.j. q.ij. & Scotus q.ij.) ex liberalitate ſua noſtræ infirmitati condeſcendens homini, conſtituit menſuram eorum ad quæ de neceſſitate tenetur, quæ eſt obſeruantia præceptorum: vt de reliquo, id eſt de operibus ſupererogationis poſſit ſatisfacere de cōmiſſo: quæ opera & ſi debeamus debito congruitatis, non vult tamen (tanquā nobis parcēs) vt ſibi debeantur debito neceſſitatis, niſi ratione voti vel ſatisfactionis iniunctæ pro peccatis. Cōſiſtit autem talis ſatisfactio (vt ſcribit Gabriël di.xvj. q.ij.art.j.lib.iiij.) pro peccato regulariter magis in actibus pœ-

S A

nalibus vel paſſionibus voluntariis quàm in aliis actibus bonis non pœnalibus: quoniā culpa ordinatur per pœnā debitam:& ideo ſecundū diuinam iuſtitiam culpæ debetur pœna,& ita reddenda pœnam debitam ſatisfacit pro peccato. Et dicitur regulariter,quia poteſt quis quandoq; per actū bonum non pœnalem ſatisfacere pro peccato. Poteſt enim Deus actum intenſum charitatis acceptare pro punitione debita vni culpæ,iuxta illud 1.Pet.4. Charitas operit multitudinem peccatorum. Verùm licèt actus ille charitatis nō ſit propriè punitio: eſt tamē maius bonum, & magis reddens Deo honorem quàm propria illius punitio. Vnde Auguſtin.in de vera & falſa pœnitentia: Sunt digni fructus virtutum,qui non ſufficiunt pœnitentibus: pœnitentia enim grauiores fructus poſtulat, vt cum dolore & gemitibus mortuus impetret vitam: hoc modo ſatisfactio non diſtinguitur contra alias partes pœnitentiæ, contritionem,ſcilicet & confeſſionem: imò eas includit tanquam partes ſuas, vt latiùs declarat Gabriël vbi ſupra.

Satisfactio ſecundo modo accipitur ſtrictè,vt diſtinguitur contra alias partes pœnitentiæ, quàm Corteſius perſolutionem vocat,vt ſupra dictum eſt. Et ſic eam deſcribit Sco. Satisfactio eſt operatio exterior laborioſa ſeu pœnalis voluntariè aſſumpta ad puniendum peccatum commiſſum à ſe, & ad placandum Diuinam offenſam. Vel eſt pasſio aut pœna voluntariè tollerata in ordine ad peccatum, vel peccati remiſsionem. Dicitur operatio exterior,per quod excluditur actio laborioſa interior, & paſſio eam comitans,vt eſt contritio, & triſtitia eam conſequens. Et intelligo per actum exteriorem (inquit Gabriël) actum qui fit corporalibus membris (poſitiuè vel priuatiuè) inferētibus pœnā corpori & fatigationem. Et dicitur poſitiuè,vt peregrinatio, corporis diſciplinatio, eleēmoſynarum diſtributio. Dicitur priuatiuè propter ieiunium & abſtinentiam: vbi nihil agitur,ſed ab actione ceſſatur: & per hoc etiam excluditur confeſsio,quia licèt fiat organo corporali, tamen breuis eſt & non fatigat. Oratio verò quia perſeuerantem oportet eſſe, laborioſa eſt,& attenuat vires corporales,& ideo includitur in ſatisfactione ſtrictè accepta. Et ſatisfactio principaliter fit Deo, quia Deus iniuriatur per culpam. Et conſiſtit ſatisfactio hoc modo capiendo in his tribus: ieiunio,& oratione, & eleēmoſyna, & in paſſionibus voluntariis concomitantibus iſta tria opera difficilia. Et ad ieiuniū reducūtur omnia corporis maceratiua,ordinata ad reprimēdum carnis rebellionem: vt ſunt vigiliæ, peregrinationes, veſtium aſperitates,& nuditates,corporis flagellationes: & generaliter quæcunq; corporis afflictiones. Ad orationem reducitur quicquid pertinet ad partem contemplatiuam: vt meditationes,ſcripturarum lectiones,prædicationes, ac verbi Dei auditiones, ſtudium Theologicum, diſputationes, errantium impugnationes in moribus & fide, & cætera quæ immediatè verſantur circa Deū tanquam obiectum. Ad eleēmoſynam reducuntur opera miſericordiæ corporalia pro Chriſto propter Deum impenſa,& quæcunq; erogationes bonorum temporalium in pias cauſas, ac ſubleuationes miſeriæ corporalis fratrum. Et quodlibet horum ſecundum

ſanctum

ſanctum Bonauenturam diſtin.xv. parte ij.artic.j. quæſt.iiij. libr.iiij. accipitur tripliciter, communiſſimè, communiter & propriè : quæ diffuſe declarat Gabriël diſtinct.xvj.quæſt.ij.artic.j.libr.iiij. Nam ieiunium propriè dicitur afflictio carnis ſecundum guſtum, communiter omnis carnis afflictio, in vigiliis, flagellis, aſperitatibus : communiſſimè dicitur abſtinentia ab omni mortali. Eleēmoſyna dicitur propriè opus pietatis proximo impenſum ad releuandum indigentiam corporalem. Communiter dicitur opus ad releuandum indigentiam vel corporalem, vel ſpiritualem. Communiſſimè dicitur omne opus miſericordiæ, ſiue corporale, ſiue ſpirituale, proximo impenſum vel ſibiipſi. Eleēmoſyna enim debet incipere, ſecundum Auguſtinum, à ſeipſo. Vnde Eccleſiaſt.30. Miſerere animæ tuæ placēs Deo. Sic & oratio dicitur propriè aſcenſus mentis ad aliquid deguſtandum, impetrandum, vel exoluendum. Communiter, ſecundum quod comprehendit omnem actum contemplatiuè ad Deum relatum. Communiſſimè, ſecundum quod comprehendit omnem actum bonum : quomodo dicitur, quod non ceſſat orare, qui non ceſſat benè facere: in gloſſa 1.Timoth.5. Et hæc tria (inquit Gabriël) vt ſunt partes ſatisfactionis, non accipiuntur communiſſimè, quia coinciderēt: nec propriè, quia non ſufficienter diuiderent, ſed communiter. Vide latiùs Gabriëlem vbi ſupra. Et congruenter per quæ quis peccauerit, per hæc & torqueatur. Congruum enim eſt, qui in carne peccauerit, etiam in carne puniatur. Etiam ea ſatisfactio eſt congruentior, per quam non tantùm abolentur præterita peccata, ſed etiam adhibetur remedium à futuris cauendis, & reprimendis, vt latiùs videre potes dubio primo apud Gabriëlem vbi ſupra. Et hæc attendant confeſſores, vt ſecundum hoc congruas ſatisfactiones iniungant pœnitentibus attentis, & aliis circunſtantiis confitentium. Plura Gabriël. Vnde (vt ſcribit Scotus) requiritur diſcretio Sacerdotis, vt non imponat alicui ſatisfactionem ſibi nimis diſconuenientem, ſed eam quæ ſibi magis congruit, & quam fortè melius adimplebit : vtpote, pauper nec eleēmoſynas poteſt dare, nec orare, quem oportet continuò laborare pro victu ſuo neceſſario : nec ieiunare, quia tunc non ſufficeret ad laborem neceſſarium pro victu continuo ſibi neceſſario : labor enim continuus eſt ſibi ieiunium: quia continua maceratio carnis, tantummodo inducendus eſt, vt illum laborem ſubeat in remiſsionem peccatorum, ſaltem quouſque occurrat ſibi opportunitas ſoluendi aliquam aliam ſatisfactionem. Similiter de diuite, ſi ieiunare non vellet, inducendus eſt ad orationem & eleēmoſynas, & imponendum illud quod libentius recipit, & quod creditur perſeuerantius adimplere. Vel ſi omnino nullam ſatisfactionem velit recipere à Sacerdote ſibi impoſitam : dicit tamen ſe habere diſplicentiam de peccato commiſſo, & firmū propoſitum non recidiuandi, abſoluendus eſt, & non remittendus, ne cadat in deſperationem. Et denuncianda eſt ſibi pœna, quæ eſſet pro peccatis ſuis facienda : & quod eam in ſe vel æquiualenti abſque impoſitione ſtudeat adimplere, alioquin ſoluet ad plenum in Purgatorio. Videatur latiùs Scotus, & poſt eum Gabriël diſtinct.xvj.quæſt.ij. artic.iij. dubio j. libr.iiij. Et ſecundum Scotum diſtinct.xv.quæſt.j.lib.iiij. vbi ſupra, qui verè pœnitet & recipit ſatisfactionem ſeu pœnitentiam ſibi iniunctam ab Eccleſia (claue non errante) quantumcunque poſtea recidiuet, nunquam tenebitur niſi ad illam vnicam implendam ſatisfactionem: & ſi eam impleat in charitate, melius eſt: quia non tantum ſoluit pœnam, ſed meretur. Sed ſi adimpleat eam voluntariè extra charitatem, ſoluit quidem pœnam, ſed non meretur gratiam. Scotus vbi ſupra. Aliter ſentit Alexander quem imitatur ſanctus Thomas, ſanctus Bonauentura, Richardus, & plures alij, qui tenent, quod ſatisfactio facta extra charitatem ſcienter, repetenda eſt quaſi non facta, quia per eam nihil pœnæ debitæ abluitur : & ita ſine charitate & gratia nemo poteſt ſatisfacere. Et hæc opinio dura videtur & plena ſcrupulis, quia vix homo poſſet ſcire probabiliter an ſatisfecerit vel non, licèt omnia ſibi (claue non errante) iniuncta expleuerit. Durandus recitat ambas opiniones, reputans ambas probabiles. Primam verò dicit duram. Secundam verò minus ſecuram. Gabriël ſimiliter ambas recitat & dicit in fine dub.ij. quæſt. ij. diſtinct.xvj. libr.iiij. quod ſi manifeſtum eſſet ex ſcriptura, opinio Scoti reproba eſſet: quia verò id ex ſcriptura deduci non poteſt, videtur opinio Scoti magis concordare miſericordiæ diuinæ, quæ ſecundum ſcripturam ſuperexaltet iudicium, Iacob.2. & eſt ſuper omnia opera magnificanda vſque ad cœlos, Pſalm.56. Determinauit autem duos modos ſatisfaciendi Dominus, vt ſcribit Gabriël dub.v. vbi ſupra. ſub diſiunctione, hoc eſt alterū duorū vel in Purgatorio vel in præſenti vita. Sufficit ergo propoſitū ſatisfacere altero modorū. Satisfactio etiam in præſenti conceditur in fauorem pœnitentis, ſed cuilibet licet cedere iuri ſuo; ideo qui negligit leuem ſatisfactionem, expectans ſeueriorem quamuis ſtultè agat : ſit etiam hoc ſignum remiſſæ conuerſionis & contritionis, ſi tamen cætera quæ ſufficiunt ſunt ibi, non videtur excludendus à regno Dei. Et ſatisfactio vel habet fieri proximo : & ſic non remittitur peccatum niſi reſtituatur ablatum. Sed licèt ſit reſtitutum ablatum, tamen adhuc manet ſatisfactio Deo facienda, quæ dicitur pœna, eò quòd peccauimus contra Deum per ſuperbiam & rebellionem, tranſgrediendo eius præcepta. Et ſicut peccauimus corde, ore, & opere, ita oportet quod tribus modis ſatisfaciamus, ſcilicet contritione, cōfeſſione, & reſtitutione. De quo vide latiùs Iacobum de Valentia ſuper illud Pſal.6. Laboraui in gemitu meo: & ideò oportet quod talis ſatisfactio fiat. Primò per fletum & gemitum cordis, vt inde veniat pietas & humilitas, vnde proceſſit iniquitas. Secundò per ieiunium ad puniendum carnem & animam. Tertiò per orationem, vt inde egrediatur laus & benedictio, vnde egreſſa fuit blaſphemia, aut ſtultiloquium, & vaniloquium. Quartò per eleēmoſynam, vt mitigemus Deum aliquo munere, & vt pauperes deprecentur Deum, vt dimittat nobis debitum peccati. Et ſic dolore, & fletu, & oratione, & munere, reddimus & ſoluimus debitum peccatorum, & tunc pœnitentia dicitur completa. Valentia.

Satisfactio à quibuſdam ſic deſcribitur: Satisfactiō eſt Deo debitum honorem pro cōmiſſa culpa impendere, ſecundum Auguſtinum, ex B. Thom. iiij. ſenten. di. xv. q. j. artic. j. Satisfactio ſecundū S. Gregorium, eſt cauſas peccatorum excidere, & eorum ſuggeſtionibus aditum non indulgere. Et vocat cauſas peccati occaſiones allicientes ad peccandum. Quarum quædam propinquæ ſunt peccato: & hæ ſunt in noſtra poteſtate, vt eas poſſumus amouere vel excidere: vt cœna ſplendida cauſa propinqua eſt luxuriæ. Sunt aliæ remotiores, quæ in noſtra poteſtate non ſunt: vt oblatio talis cœnæ, vel alicuius rei delectabilis oculis cordis noſtri, vel ſuggeſtio diabolica de tali ſplendida cœna propinquas debemus excudere, quia in noſtra ſunt poteſtate. Remotiores occaſiones ſi veniant à parte diaboli, vel carnis, vel mundi, debeamus amouere, vel non debeāmus cōſentiendo aditum indulgere, eò quòd in noſtra poteſtate ſit eas non recipere. Hæc Gerſon in compendio Theolog. de ſatisfactione. Vide eundem Gerſonem part. iiij. lect. j. quæ incipit: Pœnitemini, & credite Euangelio. Vel ſatisfactio diffinitur ſic ſecundum eundem: eſt damni vel iniuriæ illatæ recompenſatio, ſecundum iudiciū & ordinem iuris, vel eſt iniuriæ illatæ recompenſatio ſecundum æqualitatem iuſtitiæ, ſecundum Theologos. Et ſatisfactio ſecundum B. Thom. iiij. ſenten. di. xv. q. j. artic. j. eſt actus virtutis materialiter & formaliter electiuè quidem iuſtitiæ vindicatiuæ. Imperatiuè verò eſt actus charitatis.

Satisfactio ad plura ordinatur (vt literis mandauit Gabriel di. xvj. q. iiij. art. iij. dub. iij. lib. iiij.) Ad placationem diuinæ offenſæ, ad remiſsionem pœnæ, ad excitionem radicum peccatorum, ad reſtitutionem minus iuſtè poſſeſſorum, & ad quædam alia. Principaliter tamen ordinatur ſatisfactio ad diuinā placandum offenſam, ne vleiſcatur peccatum: vt patet ex diffinitione ſatisfactionis ſtrictè acceptæ. Et per hoc illa operatio vel paſsio voluntaria eſt perfectior, & magis ſatisfactiua, per quam magis placatur offenſa diuina. Et quoniam per nihil magis placatur Deus, quàm per actū à charitate elicitum, ille actus eſt ſimpliciter magis ſatisfactiuus, qui à maiore elicitur charitate, &c.

Satisfactio eſt duplex, reconcilians & placans Deū. Et de illa dicitur, quod non poteſt fieri de vno peccato & non de alio. Vnde Auguſtin. Impium eſt à Deo dimidiam ſperare veniam: & hæc ſatisfactio eſt (vt inquit Brulefer) qua quis ſatisfacit Deo ex deuotione & in gratia, & vocatur ab aliquibus ſatisfactio meritoria. Alia eſt ſatisfactio, & dicitur ſolutiua pœnæ, quæ pœnam temporalem ſoluit: & nec eſt placans, nec reconcilians. De illa dicitur ſecundum opinionē Scoti, quod poteſt fieri de vno peccato & non de alio: vt patet in recidiuante, qui implendo iniunctam pœnitentiam poſt recidiuam, ſatisfacit pro peccato prius dimiſſo abſque ſatisfactione pro peccato recidiuè. Sed latiùs de his videre potes Gab. di. xvj. q. ij. dubio iij. lib. iiij. &c.

Satisfactio quædam eſt plena, quædam ſemiplena, vt ſcribit S. Bonauent. di. xx. q. iiij. lib. iij. Satisfactio plena eſt, quando ſimul fit ſatisfactio de iniuria & damno. Vnde (vt ibidē dicit) pro nullo peccato, in quo fit auerſio à Deo, poteſt ſatisfacere aliquis purus homo ſatisfactione plenaria: nec pro ſeipſo nec pro aliis: propter hoc quod offenſa & iniuria illa excedit puram creaturā. Sed ſatisfactione ſemiplena homo poteſt ſatisfacere pro ſuo actuali peccato, ſed nō pro originali. Nā nullus potuit ſatisfacere pro originali peccato, niſi Chriſtus Deus & homo: de actuali poteſt quidē homo purus adiutus gratia ſatisfacere, ſed ſatisfactione ſemiplena, quæ ſuppletionem & complemētum recipit à paſſione Chriſti. Chriſtus enim ſatisfaciens pro omni offenſa, omnibus impetrauit gratiam, quantum ad ſufficientiam: & merito illius ſatisfactionis homo concipiens gratiam, ſatisfacit poſteà Deo pro læſione quam intulit ſibi actualis culpa. Vide latiùs ſanctum Bonauent. vbi ſupra.

Satisfacere ſecundum Auguſtinū, & habetur de pœnitentia di. iij. cap. Satisfactio eſt peccatorum cauſas excidere, & earum ſuggeſtionibus aditum non indulgere. Excidere, id eſt remouere (vt inquit Brulefer) per dolorem, & ſuggeſtionibus, &c. per hoc innuitur firmum propoſitum de futuro. Satisfacere ſecundum Anſelm. eſt honorē debitum Deo impendere, ſupple pro peccato. Diffinitio Auguſtini reſpicit receſſum à malo. Iſta verò Anſelm. reſpicit acceſſum ad bonum.

Scandalum Græca dictio eſt σκάνδαλον, & eſt dictū aut factum minus rectum, præbēs alteri ruinæ occaſionem, ſecundum beatum Thom. ij. ij. qu. xliij. Scandalū largè ſumitur pro quolibet impedimento alicui præſtito in via aliqua qua proſequi intendit, ſecundū eundē vbi ſupra. Hierony. ſuper Mat. Scandalum Græcè nos ruinā, vel offenſionem, vel impactionem pedis poſſumus dicere. Obex enim quod alicui ponitur in via corporali, cui impingēs diſponitur ad ruinā ſpiritualem, dicitur ſcandalum: tale autem verbum eſt vel factum minus rectum, præbens alteri occaſionem ruinæ: & quia actus ſumit rationē ex obiecto, ideo ruina vel diſpoſitio ad ruinam ſequens ex alterius dicto vel facto, dicitur ſcandalum, ſed paſsiuum: primum verò actiuum. Hæc Paludenſis d. xxxviij. q. vj. lib. iiij. Et vt idem dicit: Cùm aliquis publicè facit peccatum, vel aliquid quod habet ſimilitudinem peccati, & tunc ille, qui hoc facit, dat alteri occaſionem ruinæ: potiſſimè quādo hoc intendit: vnde vocatur ſcandalum actiuum. Si autem aliquis ſumit ſcandalū ab actu alicuius, qui non ſemper ſe præbet cauſam peccandi, dicitur ſcandalum paſsiuum ſine actiuo: quia ille qui ratione agit, non dat occaſionem ruinæ quam alter patitur. De quo latiùs legito Paludenſem. Et quandoq; eſt actiuum ſine paſsiuo: puta, cùm quis inducit alium verbo vel facto ad peccandum, & ille non conſentit. Scandalum ſecundum Richard. d. xxxviij. ar. x. q. j. li. iiij. dicitur à ſcandalon Græcè, quod eſt offendiculū, vel offenſio, vel ruina, vel impactio pedum. Tranſlatum eſt autem à corporalibus ad ſpiritualia. Et ſicut in corporalibus accipitur actiuè, ſcilicet pro appoſitione offendiculi in via ad hoc vt ambulans impingat vel ruat. Et paſsiuè, ſcilicet pro impactione vel ruina impingentis vel ruentis: ſic in via morū accipitur ſcandalum actiuè & paſsiuè. Primo modo eſt ſcandalizātis actio,

ſcilicet

ſcilicet dictum vel factum minus rectũ, alteri præbens occaſionem ruinæ. Secundo modo eſt ſcandalizati paſsio, ipſa ſcilicet ruina occaſionata ex dicto, vel facto minus recto. Et ſcandalum quod ex propria malitia acceptũ eſt, eſt ſcandalũ Phariſæorum: quod ſecundum doctrinam Chriſti cõtemnendum eſt, dicente Domino. Sinite eos (haud dubiũ quin Phariſæos) cæci ſunt (ex ſua malitia) & duces cæcorum. Mat. 5. Ipſi autem ex malitia ſcãdalizati ſunt, non ex infirmitate, quos Chriſtus nunquam ſcandalizauit actiuè: ſicut & dicit Petrus de Palude di. xxxviij. in fine lib. iiij. qui plura ſcribit de ſcandalo. Volunt Richar. di. xxxviij. art. vlt. q. ij. li. iiij. & beatus Tho. ij. ij. q. xliij. ar. vij. quod etiam bona ſpiritualia quæ non ſunt de neceſsitate ſalutis, ſunt occultanda aut differẽda propter cauere ſcãdalum, donec ſcandalum ceſſet reddita ratione. Hinc eſt quod dicit Gerſon in regulis moralibus, Quilibet ab omni actu cui non eſt aſtrictus aliunde tenetur deſiſtere quando timet, aut timere debet ſecundum vehementem coniecturam ſcandalum puſillorum quouſque de illo cõpeſcendo diligentiam compleuerit, niſi fortè pro communi vtilitate vnctio Spiritusſancti doceat illud tũc agendũ, vt Chriſtus fecit in publicatione veritatis ſacramenti Ioan. 6. Vnde Innocen. 51. di. Aliquantos, innuit quod propter ſcandalum aliquod omittendum eſt quod iure eſſet faciendum. Item ſcandalizans puſillos dando occaſionẽ mortalis peccati, peccat mortaliter. Vnde Mat. 18. dicitur: Væ homini per quẽ ſcandalum venit, ſed væ non imprecatur à Domino niſi peccantibus mortaliter. Et Rich. lib. iiij. di. xxxviij. art. vlti. q. ij. Si probabile eſt quod ex opere ſupererogationis ſcandalizetur quis mortaliter, tũc omiſsio illius operis eſt in præcepto. Si autẽ probabile eſt quod nõ ſcãdalizatur, niſi venialiter, omiſsio illius operis eſt in cõcilio, poſtquã autem oſtẽſum eſt proximo quod ex tali opere ſcandalizari non debet, & debito modo ſuaſum vt non ſcandalizetur, non tenetur homo opus illud omittere propter proximi ſcandalum vitandum: quia ſi poſt talem inſtructionem & ſuaſionem ſcandalizatur, tunc illud ſcandalũ nõ proueniret tam ex infirmitate vel ignorãtia, quàm ex malitia, quod eſt ſcandalum Phariſæorum, propter quod bona opera non ſunt omittenda, vt ſcribit Gab. di. xvj. q. iij. dub. vj. lib. iiij. Et paulò pòſt. Si opera bona ſupererogationis & meritoria omittenda ſunt, vt caueatur ſcandalũ puſillorum, quãtò magis opus indifferens aut ſpeciẽ mali habens, quale eſt bina comeſtio in die ieiunij, quæ vtique habet ſpeciem mali, cùm ſit contra verba præcepti. Quoniam ſecundum Apoſtolum 1. ad Theſſal. 5. non tantum à malo, ſed etiam ab omni ſpecie mali abſtinere præcipimur. Cui conſonat illud 2. Cor. 6. Nulli dãtes offenſionẽ. Hæc ſatis clarè docet Apoſtolus 1. Cor. 8. & 10. vbi de idolatris loquitur. Vide & latiùs Gabrielem vbi ſupra. Hinc Hiero. ſuper Mat. Dantes occaſionem ſcandalo, rei ſunt eorũ qui pereunt ſcandalo. Et beatus Ambroſius ſuper illud Apoſtoli. In tua ſcientia, id eſt in tua peritia illum occidis, quãdo in te fieri videt, quod ille aliter intelligit. Et tu eris occaſio mortis fratris, quem Chriſtus vt redimeret crucifigi ſe permiſit. Et ſequitur. Quãtum enim malũ eſt per illicita delinquere, tantum malum eſt per ea quæ conceſſa ſunt offendere. Sic enim lex permiſit quæ conceſsit, vt modus tamen ſit quẽ cuſtodiant: puta, vt fiat ſine offenſione & ſcandalo proximi. Quare qui comedit præbens alteri occaſionem ruinæ, etiamſi habet cauſam legitimam occultam, peccat mortaliter, quia cũ ſcandalo proximi. Et ideo ſimiliter (vt ait Gabriel) miniſtrantes cibum per cuius ſumptionem ſcandalizant, mortaliter peccant. Secùs ſi remoueatur ſcandalum per manifeſtam cauſam excuſantem, aut expoſitionem cauſę latentis. Et ſecundum Scotum d. iij. q. iiij. l. iiij. nullũ illicitũ eſt committendũ propter ſcandalum quodcunque vitandum. Vnde extra de regu. iuris, qui ſcandalizauerit. Vtilius ſcandalum naſci permittitur, quàm veritas relinquatur, ad minus hoc verum eſt pro veritate vitæ in præceptis negatiuis ſemper, & pro ſemper, & in affirmatiuis pro tempore pro quo ſunt adimplenda. Scotus. Vnde error cui non reſiſtitur, approbatur, vt inquit Gerſ. de conſolatione Theologiæ. li. iiij. proſa. ij. Nõ enim deſerenda eſt veritas aut vitæ aut doctrinę, vel iuſtitię dũ certũ habemus quod periclitaretur noſtro ſilentio, & oppoſita falſitas firmaretur. Vnde pręceptum non eſt omittendum propter ſcandalum. Opera quoq; (vt vult Rich. di. xxxviij. artic. qu. ij. lib. iiij.) quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem, non ſunt omittenda ad vitandum proximi ſcandalum, ex quacunq; radice proueniat: quia nullus debet omittere ſalutem propriã, ad vitãdum proximi damnationẽ, quia magis tenetur quilibet ſeipſum diligere, quàm alterum ſecundũ ordinem charitatis. Secùs de operibus ſupererogationis & indifferentibus. De quibus latiùs Rich. vbi ſupra, & ſupra tactum eſt. Nec poſſumus imo nec debemus (vt dicit Gerſon parte ij. in quæſtionibus quibuſdam q. iij.) omnibus ſcandalis vitãdis occurrere ſemper ſaltem actiuis, prout exempla ſufficientia habemus in ſaluatore noſtro, cuius quãuis perfecta ſint opera, nihilominus tamẽ Pariſęi nõnunquã in eis ſcãdalizati ſunt. Multa de ſcãdalis aliàs ſcribit Gerſ. & alij, &c.

Scandalizare tripliciter contingit. Vel vnus poteſt alterum ſcãdalizare, vt ſcribit Iacobus de Valentia ſuper illud Pſal. 49. Ponebas ſcandalum. Primò decipiendo eum vt incidat in aliquod damnum, vel errorem. Secundò affligendo ipſum vt faciat blaſphemare contra Deum. Tertiò quando quilibet malè viuendo præbet alteri exemplum malæ vitæ, aut facit perdere bonam opinionem de ipſo quam prius habebat, & ſic quilibet talis ponit ſcandalum aduerſus fratrem ſuum & proximum. Et omnis (vt ſcribit Gerſon parte ij. tractatu de paruulis ad Chriſtum trahendis) idcirco peccare vel cadere faciens paruulos in via morum gradientes ad Chriſtum, ſcandalizat eos. Hoc autem dupliciter fit, nunc opere, nunc ſermone, & vtrobique dupliciter, directè vel indirectè. Indirectè quidem ſcandalizat aliquis dum non prohibet ſcandalum quando ſua auctoritate, vel officio poſſet & deberet, quemadmodum negligentia nautæ ſubuertit nauem. Aut certè volens quiſpiam prohibere ſcandala, impeditur, ſeu contumeliis apertis, ſeu detractionibus occultis, ſeu dãnis & aliis diaboli mille machinamẽtis. Vtrũque iſtud ſcandalum præbuiſſe, viſi ſunt Diſcipuli Domini, & prohibebãt paruulos venire ad Chriſtum,

& comminabantur offerentibus. At verò quàm irrationabiliter hoc egerunt, & non ſecundum ſcientiá, indignatio Chriſti ſubſecuta apertũ dat iudiciũ. Quod vidẽs Ieſus (inquit Euágeliſta) indignè tulit, qui & ipſa Publicanorũ & peccatorũ facinora manſuetè ferebat dũ indignabatur falſa Phariſæorũ iuſtitia, acclamans cur cũ peccatoribus & Publicanis manducaret. Vide latiùs de hoc Gerſ. vbi ſupra.

Schenophagia dictum à σχηνόω quod eſt macero. Et erat feſtũ tabernaculorum per dies ſeptem, propter beneficium deductionis & protectionis in deſerto, & ſignificat peregrinationem ſanctorũ in hoc mundo. Cui nunc ſuccedit feſtum conſecrationis Eccleſiæ, ſecundum B. Tho. j. ij. q. cij. ar. iiij. de quo videri poteſt Gab. ſer. j. de dedicationis feſto.

Schiſma Latinè ſciſſura ab σχίζω quod eſt ſcindo. Hinc diuiſioné Eccleſię ſchiſma dicimus non ſchiſma, vt multi malè proferunt. Et ſchiſma eſt ſeparatio propria ſponte & intentione ab vnitate Eccleſię renuens ſubeſſe Papę, & cõmunicare mẽbris Eccleſiæ, ſecundum B. Tho. ij. ij. q. xxxix. Et ſchiſma (vt notat Gab. d. xiij. q. ij. ar. iij. du. iij. l. iiij.) propriè acceptũ eſt illicita diuiſio per inobedientiá ab vnitate Eccleſiæ facta, & hoc eſt aliquando cũ hæreſi, vt in Græcis ſe ab Eccleſia ſeparantibus cũ cæteris erroribus de proceſſione ſpiritusſancti & aliis. Aliquádo eſt ſine hęreſi: ſicut ſunt qui credũt Romaná Eccleſiá, nec aliá volũt cõſtituere ſed eã credũt eſſe apud ſe, vt cõtingit quando plures cõtendunt de papatu. Secũdo modo accipitur largius, ſcilicet pro his, qui ſe diuidũt à proprio epiſcopo eũ eiiciẽtes, & ſedem Epiſcopalem ſibi vſurpãtes, & presbyteros ſibi ordinantes. Tertio modo largiſſimè accipitur pro omni exiſtẽte in peccato mortali, quia diuidit ſe à charitate Dei, & ſecundũ hoc patet differẽtia eius ab hęretico, & per cõſequẽs ſchiſmatis quæ eſt inobedientia qua quis diuiditur à ſuo ſuperiori, vel ab Eccleſia & hæreſi, quæ eſt error pertinax cõtra catholicá veritaté, quá veritaté in omnibus & maximè in diuiniſſimo Euchariſtię ſacramẽto, vbi plurima ſunt mirabilia intellectu viatoris incõprehenſibilia, incõcuſſe nos ſeruare debemus. Differentiá inter hęreſim & ſchiſma explicat Hierony. ſuper Epiſtolá ad Gal. vbi dicit. Inter hæreſim & ſchiſma hoc eſſe arbitror, quod hęreſis peruerſum dogma habet. Schiſma poſt Epiſcopalẽ deceſſioné ab Eccleſia pariter ſeparat, &c. Et ſecundũ Gerſ. par. j. de modo habendi ſe tẽpore ſchiſmatis. Schiſma nõ ſolũ eſt in ſeparatione membrorũ à capite, ſed etiá membrorũ ab inuicẽ, vt quádo propter quęſtũ, vel propter vanam gloriá, vel aliá cauſam nõ habet animum paratũ ad obediendũ veritati cognitę, vel etiá dũ in dubio inuoluto pro ſua aſſertione ſuſtinẽda ſeparat ſe à mẽbris veris, & viuis ipſius Eccleſię, & ſchiſmata propter peccata vẽniũt (vt idẽ dicit Gerſ. par. j. tract. de vnitate Eccle. cũ ait cõſidera. j.) Vnitas Eccleſiæ generalis ſicut impedita eſt per diuiſiones filiorũ ſuorum tanquam membrorum putreſcentium, & cõtra Deum peccantium. Nam peccata noſtra (iuxta verbũ propheticũ) diuiſerũt inter nos & Deũ. Sic per vnioné oppoſitá, ſcilicet, per reconciliationé cuiuſlibet ad Deũ corrigẽdo prauos mores, humiliando ſe, & orádo, rurſus debet hęc vnitas impetrari, vide latiùs Gerſ. qui & part. iiij. ſer. facto in die Epiphaniæ ponit Schiſmatis multa damna & pericula, & tanta ex eo eueniunt mala inquit ipſe, & veriſimiliter euenient in corpore & anima niſi apponatur remedium, propter Eccleſiam perditam, fidem collapſam, & chriſtianitatem labefactatam, &c. Aliàs multa de ſchiſmate ſcribit Gerſon.

Schiſmaticus (vt ſcribit Petrus Paluden. di. xiij. qu. iij. lib. iiij.) propriè eſt qui ab vnitate totius Eccleſiæ ſe diuidit, vel qui ab obedientia Romanæ Eccleſiæ ſe ſubtrahit totaliter, & vt idem ait. Pœna ſchiſmatici eſt excommunicatio & ſuſpenſio ordinatorum ab eis, & annullatio alienationũ factarum ab eis & huiuſmodi. Qui verò in vno (vt inquit idẽ Paluden.) articulo, non obedit, non propter hoc ſtatim ſchiſmaticus reputatur: puta, ſi non ſtatim dimittit adulteram vel huiuſmodi. Qui verò dicit Papæ non eſſe obediendum, & ita ſentit, non tam ſchiſmaticus quàm hæreticus reputatur.

Scientia accipitur multipliciter, vt notat Gerſon de erroribus circa fidem, & circa præceptũ nõ occides: Quádoque enim accipitur ſciẽtia pro habitu, quandoq; pro animi ſenſu & ex tali habitu procedente, quádoq; pro obiecto illius habitus vel actus, & hoc dupliciter, ſicut eſt duplex obiectum quod ſcimus: Vnum eſt cõcluſio demõſtrata mẽtalis, vocalis vel ſcripta. Aliud eſt res ſignificata per concluſioné: vnũ vocatur obiectum materiale, aliud formale, ſecundum Tho. Scientia quoque prædictorũ modorum ſolet ſumi dupliciter. Vno modo pro vnico vel ſimplici tali habitu vel actu vel obiecto. Alio modo pro collectione multorũ huiuſmodi habituum vel actuum vel obiectorum, quemadmodum dicimus Phyſicam eſſe vnam ſcientiam, ſic Metaphyſicam, ſic Medicinam, & ſic de aliis, &c.

Scientia ſecundum Gabriëlem quandoque accipitur generaliter pro qualibet notitia ſiue ſimplici ſiue cõplexa ſiue actuali ſiue habituali Gab. d. xiiij. q. vnic. lib. iij. Et ſecundum eundem diſt. xxxv. qu. j. lib. j. ſcientia accipitur dupliciter. Vno modo pro notitia adhęſiua veri cõplexi nata cauſari ex aliquibus pręmiſſis per demonſtrationé. Alio modo generaliter pro omni notitia, accipiẽdo ſcientiá primo modo, ſcientia nõ eſt in Deo, quia nihil in Deo eſt adquiſibile per demõſtrationem. Sed accipiendo ſecundo modo, ſciẽtia eſt in Deo intráſitiuè: quia ſecundũ ſcripturá, ſanctos & Philoſophos Deus eſt verè intelligẽs & cognoſcẽs. Itẽ Deus eſt ſummũ ens, ergo intelligens, ſciẽs, & cognoſcens. Ita ſentiũt & Theologi & Philoſ. Vnde Mat. 11. Nemo nouit filium niſi pater, neq; patrem, niſi filius: & ita Deus nouit ſe, & in aliis innumerabilibus locis. Item j. de anima dicit Philoſophus cõtra Empedoclẽ, Deũ inſipientiſſimũ eſſe ſi non cognoſceret diſcordiam. Copioſiꝰ ibi ſcribit Gab. qui & probat rationé. Ná quicquid dicit perfectioné ſimpliciter, hoc eſt Deo attribuẽdum, ſcire ſiue intelligere ſunt huiuſmodi, ergo. Et ſcientia quę Deus eſt, realiter eſt ex natura rei diuina eſſentia ab ea penitus indiſtincta, nec realiter nec formaliter, ſed omnibus modis eadẽ eſſentię, quibus eſſentia eſt eadem ſibipſi. Quicquid autem eſt realiter in Deo, eſt diuina eſſentia. De quo latiùs vide Gabriëlem.

Scientia ſecundum Ariſtot. eſt habitus demonſtratiuus lib.6.Ethic. Vel ſcientia eſt determinatio intellectus ad alteram partem cum certitudine. Et eſt de genere bonorũ, id eſt de anima nõ ſolùm ſcientia bonorum ſed etiam ſcientia mali: ſcire enim malum bonum eſt (vt dicit Gabriël di.xxxiiij.q.vnica lib.ij.) Et ſcientia vt idem notat di.xxiiij.q.vnica, art.j. lib.iij. propriè accipitur pro notitia adhæſiua cõcluſionis neceſſariæ adquiſitæ per demonſtrationẽ. Ex quo tres cõditiones ſciẽtiæ innuũtur. Prima quod ſit notitia adhæſiua habitualis vel actualis, per quod excluditur notitia apprehenſiua ipſa, ſcilicet, veritas ſcita, quæ nõ eſt ſcientia, ſed obiectum ſcientiæ. Secũda quod ſit propoſitionis neceſſariæ. Vnde ſi propoſitionis contingentis veritas poteſt euidens eſſe per notitiam intuitiuam extremorum, non tamen eius notitia eſt ſcientia. Tertia quod ſit adquiſita per demonſtrationem, hoc eſt per diſcurſum ſyllogiſticum procedentem ex neceſſariis euidentibus mediatè vel immediatè. Vnde nunquam aliqua veritas ſcitur donec reſoluatur ad principia euidentia, hoc eſt, donec in probatione eius veniatur ad principia euidentia ex terminis, vel per experientiam. De quo latiùs legito Gabriëlem vbi ſupra, & Scotum di.xxiiij.lib.iij. & Dominũ Cardinalem q.j.lib.j.ſententiarum, & in logica ſcripſimus. Et ſcientia ſecundum Scotum quatuor includit ſtrictè ſumpta, ſcilicet, quod ſit cognitio certa: hoc eſt, abſque deceptione & dubitatione, de cognito neceſſario cauſata à cauſa euidenti intellectuali applicata ad cognitum per diſcurſum ſyllogiſticũ. Vnde ſecundũ eundem theologia in ſe nõ eſt ſcientia quantum ad vltimam conditionem ſcientiæ, ſed quantum ad alias tres conditiones eſt ſcientia in ſe & in intellectu diuino. Scotus q.iii.prologi.

Scientia eſt duplex, ſcilicet, ſpeculatiua & practica. Speculatiua, quæ eſt de ſpeculabilibus: practica quæ eſt de operibus. Et hæc dicitur duobus modis, vt ſcribit S.Bonauen.di.xiiij.qu.vltim. in fine lib.iij. Vno modo dicitur ſcientia practica, quæ eſt de operibus, ſicut Philoſophia moralis dicitur de opere quæ eſt de operibus procedẽtibus à libera volũtate. Alio modo dicitur ſcientia practica quę eſt de operie & in opere: ſicut faber quando fabricat, dicitur habere cognitionem practicam fabricandi. Primo modo communicauit Deus ſcientiam practicã animæ Chriſti, quia Chriſtus cognitionem habuit omnium operum diuinorum. Secundo modo nõ communicauit ei pro eo quod anima Chriſti in cunctis ſuis operibus nõ potuit cooperari. Sed ſi loquamur de Chriſto ſecundum diuinam naturam, ſimile erit ſicut de filio artificis. Pater enim omnia demõſtrat filio, & quæcunque pater facit, hæc omnia & filius facit, ſicut dicitur Ioan.5. Virtus quoque operatiua in Chriſto nõ eſt facta omnipotẽs, ſicut intellectus eius factus eſt omniſciens. Bonauen.

Scientia profectus poteſt conſiderari quo ad ſcibilia, vel quo ad modum cognoſcendi, vel quo ad habilitatem maiorẽ in cognoſcẽdo, omnibus his modis homo ſi ſtetiſſet in rerũ cognitione, profeciſſet quamuis ad ſcibilia non profeciſſet quantũ ad noui habitus adquiſitionẽ. Accepit enim (vt dicit Hugo & Magiſter diſt.xxiij.lib.ij.) ab exordio omnium

rerum plenam notitiam, ſcilicet, habitualem, quam Deus ei in principio ſuæ creationis infudit. Omnibus enim rebus nomina impoſuit naturaliũ rerum expreſſiua, tamen in earũ rerũ cognitione quę fiunt curſu mirabili aut curſu voluntario proficere potuiſſet adquirendo nouas cognitiones rerum prius non cognitarum, profeciſſet etiam quo ad modum cognoſcendi: quia quod cognouit in habitu, cognoſcere poterat in actu: & quod cognouerat notitia abſtractiua, poterat cognoſcere notitia intuitiua: & quod intellectu cognouerat, poterat de nouo cognoſcere ſenſu. Item profeciſſet etiam quantum ad habilitatem cognoſcendi, quæ ex frequenti conſideratione eorum, quæ cognouerat, pronior fuiſſet & paratior ad iudicandum de his, quorum habebat cognitionem per habitum innatum, id eſt in exordio ſuæ productionis infuſum. Nam & ſi homo in ſtatu innocentiæ nõ habuiſſet tarditatem hebetudinis per aggrauationem corporis mortalis, habebat tamen quandam minorem velocitatem propter corpus animale, quia indiguit refectione. Secùs in beatitudine, vbi erit corpus ſpirituale nulla refectione, nulla cura indigens. De dãnatis verò dicit Rich. di.l.ar.iij.q.j.lib.iiij. quod ibi vtuntur ſcientia adquiſita in hoc mundo, maximè quantum ad aliqua. Cõſiderant enim mala quę fecerunt & pœnas quas incurrunt, & bona quæ amiſerunt, & bona quæ perdiderunt, vt hic vſus ſcientiæ ſit ad maiorem afflictionem eorum. Nec habent delectationem quæ ex ſcientia prouenire ſolet, ſunt enim indiſpoſiti ad aliquam delectationem, ſed pleni ſunt triſtitia, &c. De quo àliàs latiùs dicitur.

Scientiam habere neceſſariam de futuris contingentibus dupliciter intelligitur, vel quod ſcientia illa, qua ſciuntur, ſit neceſſaria: & ſic Deus habet ſcientiam neceſſariam reſpectu futurorum contingentium, quia ſciẽtia, qua ſcit futura contingentia, eſt ſua eſſentia, quæ eſt vnica cognitio omnium complexorum & incomplexorum, neceſſariorũ, & contingentium, præſentium & futurorum, ac generaliter omnium intelligibilium, & hæc eſt neceſſaria. Secundo modo intelligitur habere ſcientiã neceſſariam reſpectu futurorum contingentiũ, id eſt habere ſcientiam, qua neceſſariò ſciat hoc futurũ contingens. Et ſic non eſt verum quod Deus, &c. quia ſicut ipſum futurum contingens contingenter erit, ita Deus ipſum cõtingenter ſcit, quia poteſt ipſum nunquam ſciuiſſe, ita ſcribit Gabriël di.xxxviij.q. vnic.li.j. Etſi vt idem ſcribit ar.iij.du.v. vbi ſupra, ſcientia Dei in ſe ſit vna ſimpliciſſima eſſentia omnium cognoſcibilium, tamen in ordine ad cognita à quibuſdam diſtinguitur in ſcientiam ſimplicis notitiæ & ſcientiam iudicatiuam enunciabilium, quæ eſt veritatis cõplexæ vel proportionabiliter ſignificatæ, vt qua ſcit me legere, mereri vel peccare.

Scientia ſimplicis notitiæ eſt ſcientia Dei ſecũdum quod eſt ſimplex apprehenſio rerum. Scientia autem enunciabilium eſt eadem ſcientia, ſecundum quod eſt euidens iudicium eorum. Scientia ſimplicis notitiæ adhuc tripartitur, quia vel eſt omniũ præſentium, præteritorum, futurorum & poſſibilium, & ſic obtinet nomen generale, ſcilicet ſcientia ſimplicis notitiæ. Secũdò ſpecialius, quia eſt eorum quæ ſunt, fuerunt vel erunt tantummodo, &

ab aliqui-

ab aliquibus dicitur ſcientia viſionis, qua cognoſcit ea quæ coëxiſtunt alicui tempori præterito, præſenti vel futuro, ſecundum Tho. Et habet Gabriël di.xiiij.q.vnica,ar.j.lib.iij. Tertio modo adhuc ſpecialius tantummodo reſpectu futurorum, & hæc dicitur præſcientia. Scientia enunciabilium ſeu iudicatiua etiam poteſt diſtingui ſecundum diſtinctionem propoſitionum affirmatiuè, negatiuè de ineſſe, mobilis, de præſenti, præterito & futuro, & hæc eſt diſtinctio non rerum, ſed nominum. Et omnis noritia ſeu ſcientia Dei (vt habet Oyta.qu.viij. ar.ij.) aut eſt ſimpliciter apprehẽſiua aut complexa ſiue proportionaliter iudicatiua. Et hoc idē ſecundū Brinckel Antiſiodorenſis, li.j.ca.xlviij. Et refert Gabriël di.xxxix.q.vnic.ar.j.li.j. Vnde ſecundum eas ſcientia Dei vno modo ſumitur pro notitia rerum, alio modo pro notitia enunciabilium. Et hoc idem ponit Adam q.ij.tertij. Scientia apprehenſiua (quæ & dicitur rerum) ex diuerſitate & generalitate ſcitorum, reſpectu quotum ſcientia Dei dicitur multiplex, tria ſortitur nomina. Dicitur enim quãdoque ſimplicis intelligentiæ, quæ etiam ſolet dici ſcientia Dei intuitiua, eſt in plus ſiue reſpectu plurium, quàm ſcientia viſionis, quia eſt reſpectu omnium poſſibiliū, non autem ſcientia viſionis. Item præſcientia ſiue præuiſio eſt in minus quàm ſcientia viſionis, quia eſt ſolū reſpectu futuri. Item ſcientia Dei ſiue cognitio Dei reſpectu plurium eſt apprehenſio quàm iudicium, quia tam reſpectu complexorum quàm incōplexorum, tam falſorū quàm verorum eſt apprehenſio. Iudicium verò reſpectu verorum, & ſecundum beatum Thom. in ſcripto primi di.xxxv.qu.j.& ſequen. in Deo eſt verè & propriè ſcientia. Et probatur ex ſcriptura Coloſ.1. In ipſo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei, & in multis aliis locis. Et commen.xj.Meta. dicit quod vita & ſcientia propriè eſſe in Deo dicuntur. Probatur & ratione, quia Deo nulla perfectio deeſſe poteſt, ſed ſcientia eſt perfectio nobiliſſima, vt & dicit Pelbart. & in Deo eſt ſcientia eminentiſſimè, non ſecundum eundem modum quo eſt in creatura, ſed perfectiſſimo modo. Et de ſcientia Dei videatur & Came. q.xj.li.j. qui non parum multa de hoc ſcribit, quæ cōcordant cum prædictis.

Scientia Dei. Terminorum ſignificantiū Dei ſcientiam quædam ſignificant ſimpliciter & præciſe apprehenſionem Dei, vt cognoſcere, apprehendere, ſcire, ſaltem (vt in plurimum) quidam non ſolùm ſignificant diuinam eſſentiā aut Deum cognoſcentem, ſed cōnotant effectus varios in creaturis propter cuius connotati alietatem de ſe inuicem ſæpè negantur, licèt dicant vnam & eandem eſſentiam cognoſcentem ſeu cognitionem veri iudicatiuam, differenter tamen ſecundum diuerſos effectus quos connotant, vt prædeſtinare ſiue prædeſtinatio, præſcientia, præcognitio, prouidentia, approbatio, reprobatio. Hinc prædeſtinatio dicit cognitionem veri iudicatiuam, qua Deus vult alicui dare gratiam in præſenti & gloriam in futuro. Reprobatio dicit notitiam euidentem iudicatiuam, qua vult aliquem non ſaluare, ſed dānare perpetuò. Item notitia cum voluntate bene placiti reſpectu ſic cogniti, poteſt dici ſcientia approbationis, præcognitio dicit cognitionem veri iudicatiuam futuri, &c. Sic de multis aliis nominibus, vt ſcientia viſionis, quæ eſt facti, præſcientia, quæ eſt futurum, ſimplicis notitiæ, quæ eſt in genere reſpectu omnium cognoſcibilium, non tamen propter illa nomina multiplicata imaginanda eſt multiplicitas in diuina eſſencia, ſed vna eadem ſimplex diuina notitia tam diuerſa ſortitur nomina propter alia & alia ſcita. Gabriël.di.xxxix.qu.vnica, lib.j. Videatur ad hoc Cardinalis q.xj.lib.j. Et Deus reſpectu eorum quæ bene fiunt, eſt ſcientia approbationis reſpectu eorum quæ malè fiunt ſcientia reprobationis.

Scientia triplex reperitur ſecundum Gerſ. parte ij. de natura, & qualitate conſcientiæ. Vna eſt impertinentium ad ſalutē, vt ſcire Geometriā, vel Arithmeticam, vel huiuſmodi. Alia eſt vtilium ad ſalutē, vt ſcire Epiſtolas Pauli, actus Apoſtolorum, & huiuſmodi. Alia neceſſariorum ad ſalutem, vt ſcire xij. articulos fidei, x. præcepta legis, ſeptem peccata mortalia, & huiuſmodi. Et intelligantur hæc ſecundum ſtatus, & gradus perſonarum, quia aliquid eſt neceſſarium ad ſalutem ſcire reſpectu vnius quod ſolum eſſet vtile reſpectu alterius. Aliquid etiam eſt neceſſariū vni ad ſalutem ſcire explicitè, quod ſufficeret alteri ſcire implicitè, & ſimiliter de pluribus tenetur & vnus plus ſcire quā alter vt aliàs dicitur, & reſpectu horū per oppoſitū triplex dicitur ignorantia, de quo videatur ibi Gerſon & aliàs. Et quælibet ſcientia (vt idem Gerſon ſcribit parte ij. dialogo de poteſtate ligandi & ſoluendi) habet ſuos terminos, ſed inferior ſcientiā debet reſoluere ſuos terminos, quando ſurgit ambiguitas ad terminos ſcientiæ ſuperioris, qui ſunt ſimpliciores. Sic enim Metaphyſica reſoluit terminos omnium ſciētiarum iunctis Logica, Grammatica, & Rhetorica. Cùm igitur Theologia ſit ſuperior ad omnes ſcientias etiam ad Metaphyſicam naturalem, & ad ius omne canonicum, & ciuile, debet reſolutio vel interpretatio ſumi per Theologiam, præſertim in his quæ ſalutem reſpiciunt. Hæc Gerſon. Habet & quælibet ſcientia ſua propria principia (vt patet j.poſter. & ſcribit Iaco, de Valen. Pſal.13. & Pſal.52.) in quibus continetur virtualiter tota ſcientia, quibus principiis ignoratis, aut negatis negatur & corrumpitur tota illa ſcientia in illo negante, & quibus notis & conceſsis de facili acquiritur & formatur ſcientia in illo. Vnde & principiū totius ſacræ ſcripturæ eſt (vt ibidem ſcribit Valentia) non ſolū no. ſed etiam ve.teſta. quod Chriſtus in lege promiſſus erat futurus Deus & homo, & finis totius legis, in cuius lumine euangelico omnes debebamus videre lumen le.vet. in cuius lumine omnes reges, & gentes debebant ambulare, in quo omnes erant ſaluandi. Quādo ergo Iudæi negauerunt Chriſtum eſſe Deum in aduentu ſuo, & negarunt ipſum eſſe Meſſiam in lege promiſſum, tūc negarunt primum principium totius ſacræ ſcripturæ, & ſic fuerunt corrupti in anima & corpore, & ita cæci, & ſic tota ſcientia veritatis Theologicæ fuit in eis corrupta, &c.

Scientia vt eſt donum Spiritusſancti ſic diffinitur (vt habet Gerſon par.ij. de vij. donis Spiritusſanct. Scientia eſt lumen ſpirituale acceptū à Deo, in quo videntur rationes operabilium pertinentium ad vitam, per quas ſanctè & meritoriè viuamus, ſic dicit

Apoſtolus ad Titũ 2. abnegantes omnem impietatem & ſecularia deſideria, ſobriè, & iuſtè viuamus in hoc ſeculo. Vnde ſicut fides eſt illuminatio quædam ad credibilia, ita donum ſcientiæ eſt illuminatio quædam ad operabilia, & differt à dono ſapientię: quoniam ſapientia eſt cognitio quædam diuina per guſtũ, ſciẽtia autẽ eſt lumen quoddã diuinũ ad operabilia pertinẽtia ad hanc vitã. Vnde ſic dicit Magiſt. in li. ſen. Sciẽtia docet bene cõuerſari in medio huius prauę & peruerſæ nationis. Aug. cõſonat, qui dicit: ſapiẽtia eſt de æternis, ſcientia de tẽporalibus.

Scientia quædam eſt literalis, quædam ſpiritualis. Scientia literalis eſt illa, quæ eſt ſolùm gratia ſui, id eſt ad ſolum ſenſum literalem, & prout per terminos importatur eſt intelligenda. Scientia verò ſpiritualis eſt iſta, quæ non eſt principaliter gratia ſui, id eſt ſecundum ſenſum literalem ſolum intelligenda, ſed in qua vltra ſenſum literalẽ alius ſenſus ſpiritualis ibi clauſus eſt quærendus & intelligendus. Primò ſunt omnes ſcientiæ ſeculares, & humanæ, ſcilicet humanitus adinuentæ, quæ ſunt in triplici genere. Nam quædam ſunt rationales, ſicut Grammarica, Logica, Rhetorica, Poëtica, Oratoria: & quędam ſunt reales & ſpeculatiuę, ſicut Mathematicè, & Phyſicè, & Metaphyſicè: & quædam ſunt practicæ, ſicut ſunt morales & factiuæ artes, omnes prædictæ ſcientiæ dicũtur literales, eò quòd cõſiderant ſolã literaturã, id eſt ſenſum literalẽ, & nil aliud vltra cõſiderant. Sed ſola ſciẽtia ſiue lex diuina vet. teſt. dicitur ſciẽtia ſpiritualis, eò q̃ nõ eſt gratia ſui, ſed alterius, ideo ad alterũ ſenſum intelligẽda, ſcilicet ad ſpiritualẽ. Qui quidẽ ſenſus eſt triplex, ſcilicet allegoricus, moralis & anagogicus. De quo ſcribit Valen. in prolo. ſuper Pſal. & prædicta Pſal. 70.

Scientia purè ſpeculatiua & ſcientia moralis differũt. Nam finis ſciẽtiæ ſpeculatiuę eſt tantũ ſcire, ſed finis practicè & moralis eſt operatio. Ideo ſcientia moralis eſt vtilis nõ operãtibus ſecundũ virtutem, quia nõ addiſcimus ſcientiã moralẽ vt ſciamus tantũ, ſed vt boni efficiamur, ideo ſciẽtia moralis inutilis eſt pueris incõtinentibus. j. Etic. ita pariter (vt ſcribit Iacob. de Valen. Pſal. 110.) ſciẽtia & notitia ſacræ ſcripturæ eſt nõ ſolũ inutilis, imò nociua malis, & nõ obſeruãtibus diuina mandata, quia nõ damus ſtudium & operam ſacræ ſcripturæ vt ſciamus tantum, ſed vt ſecundum diuina mandata & præcepta bene operemur & ſic iuſti efficiamur: quia nõ ſolùm iuſtificamur in ſciendo, ſed in operando ſecundum legem diuinam, &c.

Scientia & ſapientia legis differunt, vt ſcribit idem Iacobus de Valentia. Pſal. 110. Nam ſcientia legis dicit ſolam cognitionem & intelligẽtiam, ſed ſapientia dicit intellectũ cum operatione, & ideo cognitio & intellectus legis ſine operatione nec prodeſt nec vtilis eſt ſcientibus. Sed intellectus legis cum operatione eſt bonus & vtilis facientibus & operantibus eum, id eſt operantibus ſecundum intellectum legis. Vnde ſcientes legem & faciẽtes, ſemper laudabuntur à Deo & hominibus, per oppoſitum autem ſcientes ſiue intelligentes legem & non facientes nec operantes, ſemper vituperabuntur, & patientur & accuſabuntur. Nam ſeruus ſciens voluntatem Domini ſui & non faciens, plagis vapulabit multis. Luc. 12. Vide & in dictione *Sapientia* quomodo ſcientia ab ea differat.

Scire propriè eſt rem ratione & per cauſam cognoſcere. Vel ſecundum Philoſophũ 1. Poſter. & Scot. qu. ij. prologi. Scire eſt cauſam rei cognoſcere. Et ſcire aliquid cõtingit dupliciter, videlicet per inuentionẽ & per doctrinã, vt ſcribit S. Bona. d. xxiiij. li. iij. circa tex. & ſenſus viſus maximè deſeruit illi modo ſciendi, qui eſt per inuentionẽ, ſenſus verò auditus illi modo, qui eſt per doctrinã. Quoniã ergo ea quę fide nouimus, nõ cognoſcimus per inuentionẽ, ſed magis per doctrinã. Per doctrinã, inquã, nõ ſolũ prædicatoris, ſed etiã Spiritusſancti loquẽtis per aurẽ cordis. Hinc eſt quod dicit Magiſt. d. xxiiij. li. iij. quia cũ fides ſit ex auditu non modò exteriori, ſed interiori. Et quãuis Apoſtoli multa didicerunt vidẽdo Chriſtũ, multò tamẽ plura didicerũt audiendo ipſum, quę loqueretur eis interius per Spiritum ſanctũ. Et ideo Apoſt. generaliter dicit fidẽ ex auditu magis eſſe principaliter ratione auditus interioris, q̃ exterioris. Et ſic dicit Greg. quod in vanũ laborat ſermo prędicatoris, niſi aſſit illuſtratio doctoris interioris. Et Deũ ſcire ſecundũ Aug. non eſt aliud q̃ mente cõſpicere, firmiterq́; percipere. Vnde dicit xij. de ciuit. Dei, quod quicquid ſcitur ſcientis cõprehenſione, finitur, loquitur hic de cognitione experimẽtali (vt notat S. Bona.) quam quis habet de Deo ſiue in patria, ſiue in via. In patria quidem perfectè, ſed in via imperfectè, neutra tamẽ habetur niſi à mũdis corde. Vnde hæc ſciẽtia ſapientia eſt, quia ſecũ habet iunctũ ſaporẽ, & per hãc illuminatur intellectus & ſtabilitur affectus. Bona. Contingit adhuc dupliciter aliquid ſcire, vt ſcribit Petrus de Palu. d. xxj. q. iij. li. iiij. Vnó modo per cõfeſſionẽ & vt Deus, alio modo vulgari, vt homo, xxxij. q. j. Hoc certè dicitur quis verè ſcire quod audiuit, vel vidit, vel aliàs conſcius fuit. Et dicere ſcio vt homo & neſcio vt homo cõtradicũt, & altera exiſtẽte falſa, altera eſt vera. Et vera eſt iſta qua dicit, neſcio vt homo, & iſta falſa, ſcio vt homo, ſi ſic loqui intendat. Similiter ſcio vt Deus eſt vera: neſcio vt Deus eſt falſa. Vnde ſi diceret quiſquã: non audiui hoc in confeſſione, cùm audiuiſſet: apertè mentiretur. Sed ſi dicit neſcio vt homo, vera eſt: ſcio vt Deus, verà eſt, nec contradicit. Latiùs Paludenſis.

Scire dicitur dupliciter, ſecundum ſanctũ Bonauen. d. xxxix. in dub. litera. li. j. Vno modo ſcire hoc eſt, cognitionẽ de aliquo habere: & ſic connotat actualem exiſtentiam cogniti. Et ſic nõ poteſt Deus aliquid incipere ſcire, id eſt alicuius cognitionem incipere habere. Alio modo ſcire, hoc eſt quod non noſſe aliquid eſſe verum: & hoc tunc primò ſcitur eſſe verum, quando incipit eſſe: & ſic incipit Deus ſcire, ſic & deſinit præſcire: non ratione principalis ſignificati, quod eſt ſcientia, ſed ratione connotati, quod quidem eſt veritas rei ſcitæ: & ſecũdum eundem melius eſt vel modicũ de Deo ſcire, quàm cœleſtium vel terreſtrium notitiam habere. Et q. ij. diſtin. xxxix. lib. j. Omnia ſcire ſimpliciter melius & nobilius eſt, ſed homini corrupto, qui accipit occaſionem ex cognitione, melius eſt quędã neſcire, &c.

Scire ſecundum Occam, aliquando capitur latè pro cognoſcere: hoc modo dicimus: Deus ſcit omnia

cõplexa & incomplexa neceſſaria, & contingentia vera & falſa, poſsibilia & impoſsibilia, id eſt cognoſcit omnia. Secundo modo ſtrictius capitur pro cognoſcere: verum illo modo non ſcit falſum, &c. Accipiendo ſcire largè Deus non poteſt ſcire plura quàm ſcit, vt ſcribit Gab. d. xxxix. q. vnic. lib. j. nec ſcire aliquid quod nũc nõ ſcit: quia nullius notitiam poteſt de nouo adquirere. Accipiendo ſcire ſecundo modo, Deus non poteſt ſcire plura quàm ſcit: quia omni tempore æqualia ſunt vera, & non plura vno tempore quàm alio: quia ſemper altera pars contradictionis eſt vera, licèt non ſemper eadem ſit vera: & omne verum Deus ſcit. Item Deus poteſt ſcire aliquid quod non ſcit, capiendo ſecundo modo ſcire, quia aliquod falſum poteſt fieri verum, & illud falſum Deus neceſſariò non ſcit: quia modo nõ eſt verum, & ſolum verum illo modo ſcit Deus, poteſt tamen eſſe verum, & ita poteſt ſcire à Deo: hoc tamen non contingit propter mutationem alicuius in Deo, ſed propter mutationẽ in creatura. Et ideo ſcientia Dei nec poteſt augeri, nec minui. Gabriël vbi ſupra, poſt Occam, qui rem clariùs oſtendit & pluribus, &c. Et ſcire etiam eſt comprehendere, vt etiam diffinit Auguſtin. & ſecundum hoc competit Deo: & Deus quicquid ſcit, ſcit ſcientia comprehenſionis: quia totam rem plenè cognoſcit: hoc autem modo non noſcitur Deus à nobis.

Scriptura ſacra dicitur ſancta tripliciter, ſcilicet à ſpirituſancto, à materia, & ab effectu, ſecundũ beatum Thom. ſuper Epiſtolam ad Rom. lect. ij. Et ſecundum eundem ſuper 2. Timoth. 3. ſcripturæ ſacræ effectus eſt quintuplex, ſcilicet docere veritatem, arguere falſitatem, eripere à malo, inducere ad bonum, & perducere ad perfectum. Hinc Apoſtolus ad Timoth. 3. Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad docendum, vel arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia: vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus. Et ad Rom. 15. Quęcunq; ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus. De laude huius ſcripturæ ſacræ multi multa ſcripſerunt.

Scripturæ ſacræ quadruplex eſt ſenſus, ſcilicet, literalis, allegoricus, moralis ſiue tropologicus, & anagogicus. De quo videre potes Iacobum de Valentia tract. j. cap. ij. prologi ſuper Pſalm. Gerſonem part. j. ſermone facto Conſtantiæ in die S. Antonij. & de ſenſu literali ſacræ ſcripturæ idem multa ſcribit, quem ſemper vult eſſe verum. Et ſenſus literalis (vt idem dicit) ſacræ ſcripturæ accipiendus eſt, non ſecundum vim Logicæ ſiue Dialecticæ, ſed potius iuxta locutiones in Rhetoricis ſermonib' vſitatas, & iuxta tropos & figuratas locutiones, quas communis vſus committit cum conſideratione circumſtantiarũ literæ ex præcedentibus & poſterius appoſitis. Habet enim ſcriptura ſacra ſicut & moralis & hiſtorialis ſcientia ſuam logicam propriam, quam rhetoricam appellamus. Vnde Auguſtinus ſuper hac re librum perutilem & elegantem cõpoſuit, quem intitulauit de doctrina Chriſtiana. Et ſenſus ſcripturæ literalis iudicãdus eſt prout Eccleſia ſpirituſancto inſpirata & gubernata determinauit, & non ad cuiuſlibet arbitrium vel interpretationem. Vide latiùs vbi ſupra Gerſonem de ſenſu literali ſacræ ſcripturæ. Et paulò pòſt de examinatione doctrinarum, ait: Senſus literalis eſt nõ ſolum Grãmaticalis, ſed nec ſtrictè Logicalis: verum ille quem ſpirituſſanctus principaliter intendebat: qui ex circumſtantia literæ & cauſis dicendi, & modis exponendi magis patet. Vnde generaliter in parabolicis locutionibus ſenſus literalis eſt, non qui per verba, ſed per res & facta deſignatur: vt de lignis conſtituentibus ſibi Regem. Vide latiùs Gerſonem ibidem: hic multa de ſacra ſcriptura & laude ſcribit, quæ apud eundem legere potes. Et hæc (vt idem ſcribit de communione laicorum ſub vtraq; ſpecie) in expoſitione partium ſuarum requiſiuit & requirit homines. Primò præditos ingenio. Secundò exercitatos ſtudio. Tertiò humiles in iudicio. Quartò immunes ab effectato vitio: quoniam ex oppoſito alterius iſtorum quatuor ſolet facillimè falſus intellectus ſcripturę ſuboriri, id quod diffuſè declarat Gerſon vbi ſupra. Guilhelmus Epiſc. in Rationali ſuo diuinorum, ponit ſenſus ſacræ ſcripturæ, ſcilicet hiſtoricum, allegoricum, tropologicum & anagogicũ. Hiſtoria eſt ſignificatio vocum ad res: videlicet, quando res quælibet quomodo ſecundũ literam geſta ſit, plano ſermone refertur: vt quomodo populus Iſraëliticus ex Ægypto ſaluatus, tabernaculum Domino feciſſe narratur. Allegoria eſt, quando aliud ſonat in litera, & aliud intelligitur: quod ſi illud ſit viſibile, eſt ſimpliciter allegoria: ſi inuiſibile & cœleſte, dicitur anagoge. Eſt etiam allegoria quando per alienũ ſermonem alienus ſtatus deſignatur: vt cùm Chriſti præſentia vel Eccleſiæ ſacramenta verbis vel myſticis rebus deſignantur. Verbi gratia: vt ibi: Egredietur virga de radice Ieſſe: quod apertè ſonat: Naſcetur virgo Maria de ſtirpe Dauid, qui fuit filius Ieſſe. Myſticis verò rebus, vt populus ab Ægyptiaca ſeruitute per agni ſanguinem liberatus, ſignificat Eccleſiam paſſione Chriſti à dæmoniaca ſeruitute ereptam. Tropologia eſt conuerſio ad mores, ſeu moralis locutio ad correctionem & morum inſtitutionem myſticè vel apertè reſpiciens. Myſticè, vt ibi: Omni tempore veſtimenta tua ſint cãdida, & oleum de capite tuo nõ deficiat, id eſt opera tua ſint munda, & charitas de mente tua nunquã decidat. Et ibi: Oportet vt Dauid interficiat in nobis Goliam, id eſt humilitas ſuperbiam. Apertè vt ibi: Frange eſurienti panem tuum. Et ibi: Non diligamus lingua neq; verbo, ſed opere & veritate. Anagogè dicitur ab ana, quod eſt ſurſum: & goge quod eſt ductio: quaſi ſurſum ductio. Vnde ſenſus anagogicus dicitur, qui à viſibilibus ad inuiſibilia ducit: vt lux prima die facta, ſignificat rem inuiſibilem, id eſt angelicam naturam à principio factam. Anagoge ergo eſt ſenſus locutionem ad ſuperiora ſiue cœleſtia ducens, ſcilicet ad Trinitatẽ & ad ordines Angelorũ & de præmio futuro, & de futura vita, quæ in cœlis eſt apertis vel myſticis ſermonibus diſputans. Apertis, vt ibi: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt: myſticis, vt ibi: Beati qui lauant ſtolas ſuas, &c. vt illis ſit poteſtas in ligno vitæ, & per portas intrent in ciuitatem: quod patenter ſonat: Beati qui mundant cogitationes, vt illis ſit poteſtas videndi Deũ, qui eſt via, veritas & vita. Et per doctrinam,

id eſt

id eſt exemplo pattum intrent in regnũ cœlorum. Similiter Hieruſalem intelligitur hiſtoricè ciuitas illa terreſtris, quam peregrini petunt: allegoricè Eccleſia militans: tropologicè quælibet anima fidelis: anagogicè cœleſtis Hieruſalem ſiue Patria. Hæc Miniatenſis Epiſcopus in Rationali diuinorum & in prologo. De hoc multiplici ſacræ ſcripturæ ſenſu ita ſcribit Baptiſta Mantuanus Carmelita de Patientia libro iij. cap. xxxiiij. Scriptura ſacra nullum putamen habet, nihil diminutum, nihil otioſum. Nam non verba ſolum, verum & res, & facta ſignificant. Si ſenſum verborũ attendis, hiſtoriam habes. Si ſignificantiam rerum aſpicis, quod agnus typicus Chriſtum ſignificet, allegoriam vides. Si ad mores referas, vt quod Chriſtus à nobis cum virtutum odoribus eſt quærendus: quia ſanctæ mulieres cum aromatibus ad monumentum venerunt, tropologia eſt. Si ad cœlum rem transferas, vt cùm per Hieruſalem cœleſtis patria deſignatur, anagogiá facis, &c. Vnde Gerſon part. ij. ſermone de S. Ludouico Rege Francorum, ait: Hoc propriũ eſt ſcripturæ diuinæ in ſignis vbertas, vt verba eius ſingula myſteria ſint quantumcunque videantur humilia. Res inſuper loquuntur in ea, & docent mores & virtutes: docent charitatem tropologicè ſeu moraliter, docent fidẽ allegoricè, docent ſpem anagogicè. Ita eſt ſcriptura ſacra lingua vna, & multiplex breuis & latiſsima, quemadmodum & à diuino Bartholomæo allegat Hierarcha Dionyſius, & velut ſpeculum concauum, in quo variæ relucent facies. Et rurſus manna in quo ſapor omnis recõditus inuenitur. Et ſecũdum eundem ſermone facto de ſancto Bernardo: nullus vnquam plenè ſcripturas ſacras intelliget, qui non affectus ſcribentium induerit: & quales affectus? virtutum, quarũ Regina & mater eſt ipſe. Denique ſecundum menſuram dilectionis conſequitur magnitudo reuelationis diuinorũ præceptorũ. Hæc Gerſ. qui & multa alia de ſacra ſcriptura notanda ſcriptis reliquit.

Scriptura veteris teſtamenti, de qua ita ſcribit Iacobus de Valentia tract. iij. cap. ij. regula v. prologi ſuper Pſalm. poſt Origenem ſuper Matth. Sicut homo componitur ex corpore & anima, ita ſcriptura veteris teſtamenti componitur ex ſpiritu & litera: quia litera eſt corpus, ſenſus autem ſpiritualis eſt anima ipſius literæ. Et ſic ſenſus ſpiritualis eſt principaliter inquirendus in geſtis Patriarcharum, & in lege & Prophetis. Et ideo dixit Chriſtus Iudæis, Ioan. 5. Scrutamini ſcripturas, quia illæ teſtimoniũ perhibent de me: & ſi Moyſi crederetis, forſitan & mihi crederetis: quia ille de me ſcripſit: quaſi dicat, quod non ſolùm geſta Patriarcharũ, ſed etiam omnia ceremonialia præter ſenſum literalẽ ſunt ſpiritualiter de me intelligenda. Item Lucæ 24. Chriſtus incipiens à Moyſe & Prophetis, interpretabatur illis duobus diſcipulis omnia quæ de ipſo ſcripta erant, quia oportebat impleri omnia quæ erant ſcripta in lege & Prophetis & Pſalmis de ipſo, vt Saluator inquit in eodem cap. Item Matth. 5. ait Saluator: Non veni ſoluere legem aut Prophetas, ſed adimplere. Super quod ait Hieronymus, quod quæ minima putantur in lege, ſacramentis plena ſunt: & omnia recapitulantur in Euangelio. Cùm autem (vt idem ait Valent. paulò pòſt) iſta myſteria quæ latent in litera, tam Euangelica quàm legalia, ſunt inuiſibilia: oportet vt illuſtrentur per lumen ſpirituale. quod dicit Origenes, quod ſicut anima dat vitam corpori, & corpus eſt mortuũ niſi viuificetur per animam: ita litera ſcripturę maximè veteris teſtamenti, de ſe eſt mortua niſi viuificetur per lumen ſpirituale, quod eſt eius anima, & dat ſibi vitam ſpiritualem. Vnde dicitur 2. Corinth. 3. Litera occidit, ſpiritus viuificat: quare Iudæi legentes totum vetus teſtamentum ſine illo ſpiritu & lumine, eos litera occidit & cæci ſunt. Et non ſolùm litera veteris teſtamẽti occidit ſine ſpiritu, ſed etiam litera Euãgelica in quibuſdam partibus occidit niſi legatur cum ſpiritu. Vnde Arrius legendo ſine ſpiritu illud Ioan. 14. Pater maior me eſt, &c. incidit in hæreſim & mortem æternam, dicens filium non eſſe Deum, nec conſubſtantialem patri. Item Manichæus legens ſine ſpirituali lumine dictum Saluatoris, Ioan. 14. Princeps mundi huius eiicietur foras, & in me non habet quicquam: dixit diabolum eſſe Creatorem & Deum mũdi ſenſibilis: & quod ſolus Deus vetus creauit ſolas naturas inuiſibiles. Et ſic poſuit duas animas in homine. Vnã immortalem, creatam à bono Deo: & alteram corporalem creatam à Principe tenebrarum & à malo Deo, qui eſt diabolus. Et ſic dicit quod Chriſtus non erat homo in re, ſed in ſola apparentia, ne cogeretur dicere corpus Chriſti eſſe creatum à diabolo. Et ſic dicit multa alia deteſtabilia, præſumens de ſuo ſenſu: volens legere ſine ſpiritu. Sic dicendum eſt de aliis hæreticis, quos occidit litera, eò quòd non legebãt eam cum ſpiritu & lumine ſpirituali. Legentes itaque ſcripturam cum ſpiritu, vt boni Chriſtiani viuunt: legentes ſine ſpiritu, moriuntur, vt Iudæi. Vnde aduertendum ſecũdum Auguſtinum in principio ſuper Gen. quod ſicut anima dat corpori triplicem vitam, ſcilicet vegetatiuam, ſenſitiuam, & intellectiuam: ita ſpiritus dat literæ triplicem ſenſum, ſcilicet allegoricum, quo ad fidem ad credendum, & moralem, ad diligendum Deum & proximum, & bene operandum: & anagogicum, ad ſperandum cœleſtia & æterna, & contemnendum humana. Et ſic ſacra ſcriptura vtriuſq; teſtamenti poteſt legi ad iſtum triplicem ſenſum pręter literalem. Valentia. Vtitur & ſacra ſcriptura (vt idem Valentia ſcribit regula x. vbi ſupra) diuerſis tropis & figuris Grammaticalibus: vt ὕστερον πρότερον, quæ cauſatur in ordine narrationis. Nam ſæpè in ſacra ſcriptura quædã narrantur non eodem ordine quo geſta ſunt, ſed quandoque per anticipationem aut poſtpoſitionem, aut per interpoſitionẽ, quę dicitur paréteſis, aut per recapitulationẽ, aut per ſuppletionem. Vnde totum cap. 2. Geneſis ponitur per recapitulationem & ſuppletionem eorum quæ præuaricata ſunt in primo cap. de ipſo Adam. Item omnia quæ ſcribuntur in libro Deuteronom. ponuntur per recapitulationem: & quæ ſcribuntur in 2. libro Paral. ponuntur partim per ſuppletionem eorum quæ omiſſa ſunt in libris Regum: partim per recapitulationem. Et ita dicendum de 2. libro Machab. quæ ſunt quædam ſuppletiones eorum quæ omiſſa ſunt in primo. Item Pſalm. 77. per anticipationem prius narrantur quæ geſta ſunt in deſerto, quàm ſigna quæ facta ſunt in Ægypto, vt ibidem patet.

patet. Et ſic in ſcriptura valdè attendendum eſt in ordine narrationis, ſi dicantur res anticipando, aut recapitulando, aut interponendo. Vtitur & figura ſacra metonymia: quia frequenter ponitur contentum pro continente, & econuerſo. & abſtractum pro concreto, & econtrà. Item in ſcriptura multum frequentatur metaphora, quia fit nominis tranſlatio ratione proprietatis, vt: Non arabis cum boue & aſino. Et ſic ſimplex homo dicitur agnus. Item frequenter ſineptesis in Pſal. quando mutatur perſona: vt in Pſalm. 4. Cùm inuocarem. Sed inter cæteras figuras frequentatur allegoria, quando vnum ad literam dicitur, & aliud intelligitur. Et ſic tota ſcriptura veteris teſtamenti eſt allegorica, quia non ponitur gratia ſui, ſed gratia no. te. &c. Hæc quia non inutilia eſſe ad intelligendum ſacram ſcripturam cenſui: ideo addidi ex Valentia.

Scrupulus diminutiuum à ſcrupus, propriè eſt lapillus breuis & aſper, qui in calceo latens plerunque nos lædit: nam preſſus pede ſollicitudinem creat. Vnde & pro ſollicitudine & difficultate ponitur. Auguſtin. lib. ix. de ciuit. Dei: Non multum de nomine diſputandum eſt, cùm res ipſa ita clara ſit vt à ſcrupulo dubitationis aliena ſit. Et ſcrupuloſum ſollicitum & anxium dicimus. Et eſt ſcrupulus nomen ponderis, de quo aliàs. Et ſcrupulus ſecũdum Gerſonem part. ij. de natura & qualitate conſcientiæ, dicitur timor conſcientiæ, hoc eſt quando non ſic finaliter, id eſt poſt diſcuſsionem & deliberationem ex diffinitiua ſententia iudicatur & firmatur aliquid eſſe faciendum aut proſequendum, vel non faciendum aut vitandum, ſed mens inter dubia vacillat, neſciens quid ſit melius, nec ad quid potius teneatur: non tamen quoquo modo vellet omittere quicquid ſciret eſſe placitum diuinæ voluntati. Et contra iſtum timorem ſeu ſcrupulum conſcientiæ facere non ſemper eſt peccatum: licèt pernitioſus valdè ſit, & quantum fieri poteſt abiiciendus & extinguendus. Et ſcrupulus ſeu hęſitatio (vt ſcribit Gabriel lect. viij. cano.) eſt dubitatio quædam ſeu formido conſurgens ex aliquibus coniecturis debilibus & incertis. & hic ſtat cum morali certitudine, &c. à quo ſcrupuloſitas. Vnde Gerſon parte. iij. de remediis contra puſillanimitatem. Solet, inquit, etiam puſillanimes reddere nonnunquam deuotioni intendentes nimia ſcrupuloſitas conſcientiæ, quæ vtique non eſt bona: vtpote cùm quis de venialibus & leuibus peccatis ſine quibus iſta vita vix aut nullatenus tranſigi poteſt, & penè de omni actione ſua continuam quaſi ſibi format conſcientiam, plus huiuſmodi ponderans lance iuſtitiæ, quàm diuinæ miſericordiæ: & hoc prǽſertim vltra debitum, ac ſi ſua iuſtitia tantum, & non Dei miſericordia potius ſaluandus ſit. Vnde contingere poteſt niſi huiuſmodi ſcrupulos inordinatos deponat: vt id quod prius non erat peccatum ex ſe, fiat peccatum ex ſcrupulo conſcientiæ: quicquid enim contra conſcientiam eſt, peccatum eſt. Nec poteſt hic talis gratiam percipere, qui de mortali vbi mortale non eſt, format ſibi ſcrupulũ conſcientiæ. Non enim auctor gratiæ Deus habitare vult in tali conſcientia inquieta & turbida, quippe cùm de eo ſcriptum ſit: In pace factus eſt locus eius. Gerſon magnus ſcrupuloſæ conſcientię conſolator tract. de ſol. ec. particu. xliij. & repetit Gabr. lect. xxvj. canonis. Noli eſſe nimium ſcrupuloſus circa tuæ orationis numerum, pondus & menſuram, committe totum illud Deo, qui tribus digitis potentiæ, ſapientiæ & clementiæ, appendit molem terræ. Qui numerat multitudinem ſtellarum, qui numerum nouit arenæ maris, &c. Diabolus quoq; nõnunquam homini ſcrupulos immittit (vt ſcribit Gerſon part. iij. de diuerſis tentationibus diaboli) innumeros: reddens illius conſcientiam miro modo dubiã atq; arctam ne quid boni audeat efficere vt etiã crebrius delinquat. Scit enim eum peccare qui id agit, quod pro certo conſcientia malũ eſſe iudicat: quanquam res in ſe mali haberet nihil. Facit etiam iſtud hoſtis ob alium deteriorem finem: vt, ſcilicet talis qui delinquit in deſperationem delabatur iudicans ſe reprobum, à Deoque damnatum, quando tanta facilitate peccat, nec vllo pacto adimplere valet mandata illius, &c. Aliàs multa de ſcrupulis ſcribit Gerſon.

Scurrilitas eſt iocularitas ex defecto rationis nõ valentis cohibere geſtus exteriores, ſecundũ beatum Thom. ſecunda ſecundæ q. cxlviij. art. vj. Et ponitur ſcurrilitas à Gerſone in compendio Theologię de ſeptẽ vitiis capitalibus, de peccato gulæ pro filia gulæ, quæ eſt quædam vana iocularitas quęrens homines ad riſum & complacentiam, commouere ex defectu diſcretionis ſeu debitæ prouiſionis proueniens. Et differt ſcurrilitas à ſtultiloquio: quia ſcurrilitas refertur ad laſciuiã affectionis. Stultiloquiũ verò ad indiſcretionem rationis: & propriè accepta eſt filia luxuriæ. De hac Paulus ad Epheſ. 5. Non nominetur in vobis turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet, id eſt, nullius eſt vtilitatis ex Alexan. ſecunda ſecundæ. Et ſecundum beatum Thom. ij. ij. q. iiij. art. v. ſcurrilitas pertinet ad verba ratione inhoneſtatis. Multiloquium verò ſuperfluitatis.

Scurra is dicitur, qui magis quàm oportet riſum mouet, & oneroſus eſt. Nam riſum ſecutus magis cogitat quemadmodum mouere illum queat, quàm quemadmodum honeſtè loquatur: nec quemquam offendat ſecundum Ariſtot. 4. Ethic. & videtur dici ſcurra à ſequendo, quod domos diuitum ſequatur: & eſt qui riſum ab audientibus captat non ſalua dignitate perſonæ. Et à ſcurra dicitur ſcurrile, quod eſt ridiculum cum turpitudine, &c. Et ſcurrilitas turpis & procax dicacitas: & ſcurriliter, procaciter.

Secretum, occultum, ſeparatum, vel quod paucis cõmunicatur. Vnde locus ſecretus ab aliis ſeparatus. Et ſecreta mandata & ſecretas literas, quæ vel nulli vel paucis communicãtur. Et à ſecretis, cui ſecreta committuntur. Et ſecreta cordium, hoc eſt occulta & abſcondita, quæ cognoſcere ſcriptura tanquam proprium Deo attribuit. Sicut eſt illud Parali. 6. Tu ſolus noſti corda filiorum hominum: nec concurrit coagendo cum diabolo, & forſè cum Angelis bonis & beatis (vt ſcribit Gab. diſt. ix. q. ij. lib. ij.) ad ſcrutandum corda hominum: ne totius ſalutis inimicus doloſis artibus, ſeueta tentatione animum humanum inuaderet, & à ſalutis conſecutione impediret. Vide latiùs Gabr. vbi ſupra. & lectione xxxj. canonis. & paulò pòſt latiùs.

Secretum eſt duplex, ſcilicet ſpeculatiuũ: & illud eſt com-

complexum. Aliud eſt incõplexum. Secretum ſpeculatiuum eſt quęlibet veritas profundiſſima & altiſſima, quæ non poteſt cognoſci naturaliter ab intellectu viatoris, ſed ſolùm per reuelationem, ſicut Theologica veritas eſt ſecretum, vel propoſitiones Theologicales non cognoſcibiles lumine naturali intellectus, ſed ſolùm cognoſcibiles per reuelationem, vt ſunt, Deus eſt trinus & vnus, Filius in diuinis generatur à Patre. De iſtis dicitur beatus Paulus cui reuelata ſunt ſecreta cœleſtia, ſunt etiam arcana verba, quæ audiuit Paulus in tertio cœlo. Aliud eſt ſecretum incõplexum agibile & practicum: & nihil aliud eſt quàm quodlibet occultum, quod non poteſt probari in iudicio ſiue in foro publico per teſtimonium duorum vel trium. Et illud eſt duplex: quoddã eſt opus exterius, quod eſt tantum priuatum vel occultum. Aliud eſt opus interius, quales ſunt cogitationes & voluntates conſcientiæ noſtræ. Brulefer queſt. ij. prologi, & d. viij. q. xij. lib. ij. poſt ſanctum Bonauent.

Secreta ſunt duplicia, quædam nõ poſſunt celari ſine peccato, vt ſi mihi diceretur ſub ſecreto, quod aliquis vellet interficere ſocium ſuum, vel comburere domum. Alia poſſunt celari ſine peccato, vt omnia ſecreta, quæ non vergunt in detrimentum alicuius. Et vt dicit Robertus Holkot. Secreta quę non poſſunt celari ſine peccato commiſſa fidei alicuius, non debent reuelari, etiam ad præceptum alicuius Prælati: ſed celare ſecretum & vitare fraudem eſt de lege naturæ. Nullus quoque Prælatus quantumcunque magnus, etiam ſummus Pontifex poteſt aliquid præcipere contra ius naturæ. Nam minor lex non poteſt in maiorem: ſed lex naturæ maior eſt lege cuiuſcunque perſonæ. Hinc Scotus di. xxj. quæſt. ij. libr. iiij. ait: Ad omne ſecretum ſeruãdum tenetur quis de lege naturæ. Probat ibi latiùs. Aſſentit Gerſon in regulis moral. qui dicit: Secretum commiſſum fidei alterius celare, eſt de iure naturali: hoc enim rationabiliter quilibet ſibi vellet fieri, & aliter ſocialis conuictus deperiret. Multò amplius ſigillum confeſsionis ſecretum eſſe debet, & nullo caſu ſigno aut verbo reſerandum: & in tripartito de præceptis decalogi idem vult. Lege, inquit, diuina & naturali ſecretũ teneri debet, quod in ſecreto acceptum eſt, niſi alia via fuerit ſibi detectum. Item ſecreta, vt dicit Brulefer, quæ non poſſunt celari ſine peccato, debẽt reuelari Prælato præcipienti. Sed ſi habuero quid ſub ſigillo confeſsionis, nullo modo debet dici etiam pro morte perferenda. Quæ itaq; habentur ſub ſigillo confeſsionis nullo modo debent reuelari, nec verbo, nec iure, nec ſigno, nec aliquo alio modo. Reuelans prætetea ſecreta ſuæ fidei commiſſa, peccat mortaliter: & incurrit crimen proditionis, loquendo de ſecreto, quod poteſt celari licitè. Item nullus Prælatus poteſt habere præceptũ ſuper ſecreta conſcientiæ, vel ſuper actibus noſtris ſecretis exterioribus omnino occultis, quæ non poſſunt probari per teſtimonium: ideo non debent Prælati indignari ſi ipſis in his non obeditur. Et ſicut Deus dedit voluntati creaturæ rationali dominium ſiue arbitrium, cui nulla potentia præſidet niſi diuina: ſic eius cognitione dedit conſcientiæ ſecretum, cuius ſecreta & profunda non penetrat niſi diuina ſapiẽtia. Et ideo nulla creatura, nec Angelica, nec humana poteſt cõſcientiæ humanæ noſcere ſecreta; niſi per ſigna & coniecturas, vel niſi nouerit de reuelatione aut hominis denuntiatione ſiue detectione: hoc intelligitur de ſecretis conſcientiæ alterius à ſua, quia bene poſſum cognoſcere cogitationes meas euidenter. Hoc patet per illud 3. Regum 8. Tu noſti corda filiorum hominum. Et Ierem. 17. Ego Dominus ſcrutans corda & renes, id eſt affectiones. Et 1. Corinth. 2. Nemo ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis qui eſt in illo. Sed quoniam pauca ſunt ita ſecreta, quin prodeant in opera exteriora vel appareant in exteriori apparentia faciei vel per ſigna cordis, quod diuerſis modis mouetur ſecundum diuerſitatẽ affectionum. Hinc eſt quòd multæ cogitationes & affectiones noſtræ deprehendi poſſunt à malignis ſpiritibus, niſi arceantur virtute Dei. Iſta autem cognitio qua dæmones cognoſcunt ſecreta conſcientiæ noſtræ, eſt cognitio coniecturæ præciſæ & non rectæ ſcientiæ. Et ſi de exterioribus & viſibilibus accuſari poſſumus à diabolo de ſecretis, & occultis non, neutra tamen impunita relinquentur: quia non deerit accuſator. Et diabolus in die iudicij non erit teſtis, ſed ſola conſcientia: tamen accuſabit nos de exterioribus. Brulefer. Et ſecundum eundem Bruleferum differunt ſigillum confeſsionis & ſigillum ſecreti diſtinct. xxj. quæſt. iiij. libr. iiij. & concordat cum aliis. Aliquid enim datur ſub ſigillo confeſsionis, quando, ſcilicet peccata confitentur in confeſsione ſacramentali: & hoc non debet reuelari, vt dictum eſt. Aliquid autem datur ſub ſigillo ſecreti, quando, ſcilicet aliquis dicit alteri ſub fide quod non reuelabit illud, tunc aliqua data ſub iſto ſigillo præiudicabilia non debent recipi, & poſſunt reuelari abſque peccato: vt ſi aliquis diceret altari. Ego occidam fratrem meum, vel ego comburam talem ciuitatem, tunc in tali caſu poſsit illud reuelare: & ſic futura quæ ſunt præiudicabilia data ſub ſigillo ſecreti, poſſunt reuelari. Præterita verò nullo modo debent reuelari. Brulefer. Vnde regula eſt: Ad omne ſecretum celandum tenetur quilibet homo de iure, vt ſupra dictum eſt. Et Gerſon parte ij. ſerm. facto in cœna Domini, ait: De ſecreto confeſsionis hoc tenendum eſt. Primò quod in nullo caſu reuelanda eſt etiam in hæreſi, nec Papa poteſt diſpenſare, nec de conſenſu confeſsi niſi dicat extra confeſsionem. Item nec ad interrogationem cuiuſcunque iudicis per quodcunque iuramentum, niſi homo ſciuerit: aut per teſtimonia, quia dicere tunc poteſt, & ideo debet. Et ſi ſola peccata ſint propriè de ſigillo confeſsionis tamen pœnitentiæ datæ, & interrogationes rationabiles hinc inde & perſonæ nominatæ ſunt celandæ. Inquirentes autem & reuelantes grauiter peccant, & eſſent puniendi, præſertim vbi ex curioſitate non ex charitate diſcreta procedit inquiſitio. Item de perſonis confeſsis expedit magis tacere quàm aliquid dicere, vel laudando vel vituperando in generali vel ſpeciali. Gerſon.

Speculum nihil aliud eſt quàm periodus cuiuſlibet rei: pro quo aliquando ponitur æuum vel æuiternum, ſecũdum B. Tho. prima part. q. x. ar. ij. Seculum propriè tempus & ætatem ſignificat longam,

quam æuum dicimus: per ſincopen ſeclum dicimus quandoque pro hominibus in ſeculo exiſtentibus. Vnde Gerſon parte iij. in epiſtola quadam de conuerſione & perſeuerantia in bono propoſito ait: Qui cum ſeculo conuerſamur, ſecularia negocia quomodo cauebimus? Et poſt alia: Ecce tempus breue, mors incerta, omnia caduca in mundo & vana. Multi iam in ſepulchris fœtent, qui diu ſe viuere exiſtimabant. Receſſerunt à memoria hominum, qui in ore verſabantur omnium. Colit mundus præſentes, abſentes neſcit, deſerit morientes. Beatius ergo contemnere, inquit Gerſon, fallacem, & ſequi veritatem, quæ nobis pariter concedat vitam æternam.

Secundum. Hæc dictio ſecundum, vt vult Magiſter diſtinct.x. libr.iij. & poſt eum ſanctus Bonauentura quæſt.j. eadem diſtinct. lib.iij. multiplicem facit intelligentiam. Poteſt enim importare habitudinem cauſæ, ſiue in diuiſionem vel vnitatem concomitantiæ. Si dicit habitudinem cauſæ: ſic abſque dubio falſa eſt illa locutio, Chriſtus ſecundum quod homo eſt Deus, pro eo quod conditio appoſita nullo modo eſt cauſa prædicati: nec ratio ſecundum quam, nec per quam tale prædicatum inſit illi ſubiecto. Si autem dicat indiuiſionem concomitantiæ, ſicut poteſt habere veritatem, tunc enim dicere quod Chriſtus ſit Deus ſecundum quod homo, non eſt aliud quàm dicere quod eſſe Deum competit perſonæ Chriſti exiſtenti in humana natura: ita quod diuinitas & humanitas concomitantur ſe inſeparabiliter circa eandem perſonam. Iſte autem modus accipiendi hanc dictionem ſecundum, non eſt ita communis & proprius ſicut præcedens, licèt inueniatur quandoque. Et eſto quod illa ſit concedenda: Iſte homo eſt Deus ſecundum gratiam vnionis: ex hoc tamen non habetur quod ſit Deus ſecundum quod homo, quia gratia vnionis non conuenit illi homini ſecundum quod homo ſimpliciter, ſed ſecundum quod homo vnitus, ſiue ſecundum aſſumptionem ipſius à verbo. Si verò obiiciebatur: Dimittebat peccata ſecundum quod homo, vt dicitur Matth.9. Vt autem ſciatis quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata. Si propriè loquimur de dimiſsione peccati, falſum eſt, niſi accipitur hæc dictio ſecundum, prout importat cōcomitantiam: nec tamen poteſt ex illa auctoritate inferri: Filius hominis habet poteſtatem dimittendi peccata. Hanc enim poteſtatem & ſi in ſe haberet in forma hominis, non tamen habebat ſecundum hominis formam, & inquantum homo, ſed inquantum habebat formam Dei. Si verò dimiſsio peccatorum attribueretur alicui quantum ad meritum, tunc poſſet concedi quod conueniret Chriſto ſecundum quod homo: ſed ex hoc nō ſequitur quod ſit Deus inquantum homo, quia hoc non eſt Dei proprium. Hæc Bonauentura vbi ſupra. Et quæſt. ij. quod hæc admittitur: Chriſtus ſecundum quod Deus eſt perſona: hæc reſpuitur, Chriſtus ſecundum quod homo eſt perſona. Vide latiùs. Secundum igitur habet multiplicem rationem. Aliquando enim exprimit (vt dicit Magiſter diſt.x.lib.iij.) conditionem vel proprietatem diuinæ naturæ vel humanę. Aliquando vnitatem perſonæ, aliquando notat habitum, aliquando cauſam. Cuius diſtinctionis rationem diligenter lector animaduertat, atque in ſinu memoriæ recondat, ne eius confundantur ſenſus cùm de Chriſto ſermo occurrerit. Hæc Magiſter. Vnde & Dominus Cardinalis Cameraceñ. quæſt. vnica, libr.iij. magis propriè dicitur de Chriſto: Iſte homo eſt immortalis, abſque hoc quod addatur, ſecundum diuinitatem, quoniam iſte homo eſt propriè perſona diuina, quàm dicatur, Deus eſt mortalis. imò oportet in iſta addere vel ſubintelligere, ſecundum humanitatem, quia perſona diuina eſt aſſumēs: ideo iſte homo eſt perſona diuina immortalis, ſed ipſe non eſt natura humana, nec natura mortalis. Iſta verò, Deus fuit paſſus, etiam ſine addito: licèt ſemper ſit intelligendum ſecundum humanitatem, non eſt falſa ſimpliciter ratione communicationis idiomatum. Sic etiam homo Chriſtus fuit paſſus: etiam non neceſſariè ſit addere ſecundum humanitatem: tamen talis additio eſt in aliquibus exprimenda non ad neceſsitatem veritatis, ſed ad excluſionem cauſæ errorum. vt hic: Filius Dei eſt creatura: debet addi, ſecundum humanitatem, ne videatur concordare hæreſi Arrianæ: & ita in aliis prædicatis, quæ ſi ſine addito dicerentur de Chriſto, poſſet ſuſpicari ne ab eo excluderetur diuinitas. Similiter de aliis, de quibus poſſet ſuſpicari ne attribuerentur diuinæ perſonæ ſecundum ſe, debet addi, ſecundum humanitatem. vt hic, Filius Dei eſt compoſitus: nam neque perſona, neque natura diuina eſt compoſita: nec Chriſtus eſt compoſitus ex duabus naturis, ſcilicet diuina & humana, ſiue ex tribus rebus, corpore, ſcilicet & anima, & diuinitate: ſed tamē ex duabus ſecundū humanitatem, ſcilicet corpore & anima eſſentialiter: & ex infinitis partibus quantitatiuis integraliter: & ſic non conceditur quod humanitas ſit pars Chriſti. Nam ſicut homo non eſt compoſitus ex albedine & ſubſtantia: ſic nec Chriſtus eſt compoſitus ex humanitatę & perſona diuina. Hæc Aliacenſis.

Securitas eſt perfecta quies animi à timore, ſecundum Thom. ſecunda ſecundę, quæſt.cxxix. art.vij. Et ſecuritas opponitur timori priuatiuè tantùm: audacia verò contrariè, ſecundum eundem prima ſecundæ, quæſt.xlv. art.j. Et ſecuritas non eſt idem quod fortitudo, ſed eſt conditio eius & magnanimitatis: ſi ſit quando & in quibus debet ſecundum eundem ſecunda ſecundæ, quæſt.cxxix. artic.vij. Et ſecurus dicitur quaſi ſine cura, quaſi ſeorſum à cura. Hinc aliquādo pro cōtemptore accipitur. Virgil. *Securus amorum.* & ſecurè aduerbium: & ſecuritas, tranquillitas & quies, &c. Et ſecuritas, vt ſcribit Dominus Cardinalis Cameraceñ. quæſt.xij. art.iij. lib.j. eſt iudicium firmum ſine formidine de aliqua veritate. Et omnis beatus eſt ſecurus de facto, & iſtud eſt fide tenendum. Et ſecuritas quam habent ſancti, ponitur in voluntate, ſecundum Scotum diſt.xlix. quæſt.vj. lib.iiij. ſicut aliquod oppoſitum timoris, & ea præcedit certitudo in intellectu bono conferendo, vel bono collato continuato. Talem certitudinem habent beati, non quia vident beatitudinem ex ſe eſſe perpetuam, nec tantū etiam per rationem naturalem, quia nulli creaturæ poteſt eſſe notum per rationē naturalem illud, quod contingenter

tingenter dependet à voluntate diuina: huiuſmodi eſt cõtinuatio beatitudinis iam collatæ. Ex quo patet, quod tantùmodo eſt illa certitudo in intellectu beati ex reuelatione ſibi facta à Deo. An autem ſic fiat certitudo de dánatis de ſua damnatione continuanda, non eſt æquè certum. Non autẽ ſecuritas de eſſentia beatitudinis, quia ſecuritas præſupponit certitudinem de continuatione beatitudinis. Vide latiùs Scotum vbi ſupra.

Sedes quãdoque accipitur pro Deo ſiue Chriſto, qui requieſcit in ſumma pace, quæ exuperat omnem ſenſum. Vnde Magiſter in fine quarti dicit. Hæc de pedibus ſedentis ſuper ſolium excelſum. Et ſedes Eccleſiæ hic per gratiam, & in futuro per gloriam, dicitur ſedes Dauid (vt ſcribit Iacobus de Valent. ſuper illud Pſalm. 131. Et filij eorum vſque in ſeculum ſedebunt ſuper ſedem tuã) eò quòd fuit promiſſa ipſi Dauid in filio eius Meſsia. Et ideo dicitur Luc. 1. Dabit illi Dominus ſedẽ Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternũ. Et ſic etiam tota Eccleſia militans & triumphans, dicitur domus & regnum Iacob, eò quòd de iſta Eccleſia ipſi eſt facta promiſsio in filiis ſecundum promiſsionem. Vide latiùs Valentia. vbi ſupra.

Sedere tripliciter ſumitur in ſacra ſcriptura. Vno modo dicit poſitionem ſiue ſitum in loco: & ſic conuenit ſoli animali, vt ſcribit Iacob. de Valen. Pſal. 109. Secundo modo idem eſt quod à labore quieſcere. Tertio idem eſt quod reſidere ſiue poſsidere, vt cùm dicimus, quod Rex reſidet ſiue ſedet in regno, id eſt quod poſsidet ipſum, & potitur & dominatur. Secundo & tertio modo Chriſtus ſedet à dextris patris in die aſcẽſionis ſiue reſurrectionis, ſcilicet quod quieuit ab omni labore paſsionis, & amplius non paſſus eſt, nec mortuus, nec mors illi vltra dominabitur. Secũdo, quia reſidet & potitur porioribus bonis patris, & poſsidet illa potiora bona. De quo vide latiùs in dictione *Dextra*. & Iaco. de Valentia ſuper illud Pſal. vbi ſupr. Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis, &c.

Seditio eſt ſpeciale peccatũ, ſcilicet mutua impugnatio inter partes multitudinis, vel præparatio ad pugnã. Rixa verò eſt vnius ad vnũ, vel paucorum ad paucos. Sed bellum eſt inter diuerſas multitudines. Et vtrunq; eſt pugna in actu, non præparatio ex beato Thom. ij. ij. quæſt. cxlij. artic. j. Et ſeditio eſt ſemper de ſe peccatum mortale: vt idẽ dicit artic. ij. vbi ſupra. Et eſt grauius rixa, & principaliter eſt in procurantibus: ſecundò in ſequentibus, non autẽ in defendentibus bonum cõmune. Et dicitur ſeditio à ſeorſum ſedendo: vel vt Ciceroni placet, à ſeorſum eundo. Eſt & ſeditio quum populo ſecũ diſcordante res ad manum vocatur, qualis ciuitatis ſtatum Virgilius lib. 1. Aeneid. deſcribit, cùm dicit:

Ac veluti magno in populo cùm ſæpè coorta eſt
Seditio, ſæuitq; animis ignobile uulgus,
Iamq; faces & ſaxa uolant, FVROR *arma miniſtrat,*

Factio verò eſt diuiſio ciuium in diuerſa ſtudia. Vnde factuoſi qui primates ciuitates diſcordantes ſectantur. Cicero: Inter bonos amicitia, inter malos factio eſt, & ſeditio in exercitu, etiam dicitur in claſſe, in campo, & vbicunque eſt multitudo hominum. Hinc ſeditioſus qui ſeditionem amat. Seditionarius qui ſeditionem facit. Vnde ſcribitur diſtinct. xlvij. Seditionarios ſtatuimus nunquam ordinandos clericos.

Segnities eſt timor futuræ operationis ſecundum Ioannem Damaſcenum. Vel ſecundum beatũ Thomam prima ſecundæ, qu. xlj. artic. iiij. Segnities eſt fuga operationis ex timore. Vnde ſegnis dicitur, quaſi ſine igne: & differt à ſecordia, vt vult Donatus Teren. Nam ſegnities dicitur ad agendũ, ſecordia autem ad conſiderandum. Et dicitur quaſi ſine corde. Terent. Enimuero Daue, nihil loci ſegnitiei atque ſecordiæ, &c.

Semel (vt ſcribit ſanctus Bonauentura diſtinct. v. in dubiis literalibus lib. j.) poteſt dicere vel nunc temporis vel nunc æternitatis. Et ſi dicat nunc temporis cùm habeat diuerſa, nunc denotat interciſionem. Si autẽ nunc æternitatis, & illud nunc ſemper eſt, & eſt inuariabile, & vnum ſemel dicit omnimodam inuarietatem perfectionem & vnitatem. Vnde Auguſtin. in de fide ad Petrum, & refert Magiſter diſtinct. v. libr. j. Pater Deus de nullo genitus eſt Deo. Semel de ſua natura ſine initio genuit filium Deum ſibi æqualem, & eadem qua ſe naturaliter æternus eſt diuinitate coæternum. Porrò ſemel locutus eſt Deus per ſcripturam ſacram (vt ſcribit Gerſon parte iij. de paſsionibus animæ conſiderat. xiiij.) qui quamuis & idipſum non repetat ſemper per ſingulos, vt dicit Iob. Repetit tamen aperiendo ſenſum vt intelligantur huiuſmodi ſcripturæ. Repetit quoq; induẽdo mentẽ virtute ex alto. Repetit inclinando, inſpirando, alliciendo, illuminando, ſtabiliendo, vt non ſolùm intelligatur, ſed impleatur, & ametur.

Semen ſecundum Guil. Scot. d. xviij. li. ij. cum Doctore ſubtili eadem di. & repetit Pelbart. lib. ij. Roſarij Theol. in dictione *Semen*, eſt corpus quoddam cuius forma intenditur à natura propter alterum vt ex illo generetur aliquid ſimile agenti. Vel ſemen (vt ſcribit Gabr. d. xviij. q. vnica, lib. ij. concordans cum Scoto eadẽ di.) eſt corpus imperfectum productum à generante: non propter ſe, ſed tanquam via aſcẽdendi ad vlteriores formas perfectas. Vbi aduertẽdum, quod agẽtium quædam producũt effectum immediatè ſiue ſibi ſimilẽ ſiue alterius rationis, vt in producẽte æquiuoco, vt ignis ignem, Sol ranam. Alia producunt effectum mediãte propagatione: vt aſinus generãs aſinum, nõ immediatè producit formã aſini, ſed de ſe producit effectum mediũ, ſcilicet ſemen: mediãte quo producitur forma aſini. Eſt ergo ſemẽ non intẽtum à natura propter ſe, ſed propter aliud perfectius. Hinc Aug. iij. de Trinit. cap. viij. Omniũ quippe rerũ quę corporaliter, viſibiliterq; naſcũtur occulta quædã ſemina in iſtis corporeis mundi huius elementis latent. Et ſemẽ eſt ſuperfluum nutrimẽti tertiæ digeſtionis. Aliter etiã ex nutrimẽto parẽtis cõuerſo in ſanguinẽ menſtruũ, vt vult Philoſo. 2. de Anima. de quo Gabr. di. xx. q. vnica, lib. ij. & corpus prolis materialiter producitur à ſemine. De modo autẽ producendi in natura in his quæ producunt ſibi ſimile mediatè, vel corrumpunt, vide Gabriẽlẽ vbi ſupra diſtinct. xviij. Sed ratio ſeminalis, vt dicit ſanctus Bonauentura, eſt potentia actiua indita materiæ,

quæ eſt eſſentia formæ cùm ex ea fiat forma mediante operatione naturæ, quę nō producit aliquid ex nihilo diſt.xviij.q.ij.lib.ij.quem latiùs ibi vide. Scotus dicit eadem diſt. Ratio ſeminalis eſt aliqua forma ſeminis inquantum ſemen eſt ; & illud vel eſt forma ſubſtantialis ſeminis, vel qualitas neceſſario conſequens formam ſubſtantialem ſeminis, ſicut forma tritici in tritico, vel qualitas conſequens formam ſubſtantialem eius, & nec ſemen (vt idem ait) nec ratio ſeminis ſunt coëua naturæ, quia ſemen fit ex nutrimento in quo ſemine eſt ratio ſeminalis ſicut in ſubiecto: nec ſemper eſt ſemen in ſeminãte cùm fiat de ſuperfluo alimenti. Hæc Scotus. Ratio ſeminalis ſecundū Gab.d.xviij. vbi ſupra eſt qualitas aliqua in ſemine diſponens pro introductione formæ perfectioris. Et infra ait, quod nec ſemen, nec ratio ſeminalis fuit in coſta Adæ reſpectu formandi corporis Euæ. Et hoc patet per Auguſtin. & Magiſtrum diſt.xviij.lib.ij. & poſt eos probat Gabr. ratione, quia coſta Adæ immediatè conuerſa eſt à Deo in corpus mulieris miraculoſe ſine acquiſitione formarum mediarum: ergo non fuit ibi ſemen, nec fuit aliqua qualitas in coſta cōcurrens actiuè ad corruptionem coſtæ, & formationem corporis mulieris: ergo nec ratio ſeminalis: quia nihil tale medium interueniſſe commemorat ſcriptura, nec ratio aut experientia probat: ergo non eſt ponendum: nihil enim eſt ponendum ſine ratione & auctoritate. Vide latiùs Gab. conſonat Scotus vbi ſupra. Et ſemen quandoque accipitur pro verbo Dei, quod gratia viuificat & ſemen creſcere facit, quod ſolus Dominus tribuit. Ita 2.Corinth.9. Qui parcè ſeminat, parcè & metet.

Vbique ſemen capitur pro actu libri arbitrij, vt ſcribit Gabriël diſt.iiij.q.vnica, libr.ij. Hoc autem ſemen (vt ibidē dicit) potentialiter concreauit Angelis: quia dedit liberum arbitrium, per quod poterarit ſe conuertere ad Deum, & ſic recipere gratiam Dei: ſecundū illud Heb.15. Si conuerteris, conuertam te. Et illud Iaco.4. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. Habet & Eccleſia ſemper viuificum ſemen in ſe. Vnde Gerſon part.j. de auferibilitate Papę ab Eccleſia ait: Auferibilis non eſt ſponſus Eccleſiæ Chriſtus ab Eccleſia taliter quin ſemper habeat in ſe viuificū ſemen, quo poteſt per ſucceſſiones generationis, & generationis ſeſe continuare in corpore toto & in mēbris pręſertim officialibus, ſimiliter & in filiis: traducitur ad hoc illud Chriſti Mat.24. Amen dico vobis, quia nō pręteribit generatio hęc, donec omnia fiant: loquēs de generatione iuſtorum, quę contrariatur illi de qua dictum eſt: Amen, amē dico vobis, quod requiritur à generatione hac omnis ſanguis ab Abel iuſto, &c. Et niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen (vt inquit Eſa.1. & repetit Apoſtolus ad Romanos 9.) quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorra ſimiles eſſemus. Hoc autem quid aliud debet intelligi, vt dicit Gerſon vbi ſupra, quàm vis inſita ſpiritualis, & ars quædā viuifica in vniuerſum corpus Eccleſiæ, per quam hierarchicus ordo ſuus poteſt vſque in finem ſubſiſtere.

Semen Abrahæ de quo ita ſcribit Iacobus de Valentia ſuper illud Pſalm.88. Et ponam in ſeculum ſeculi ſemē eius. Semen Abrahę & Iſraël, & Dauid,

S E

habet duplicem reſpectum. Vno modo ad generationem & ſucceſſionem carnalem. Alio modo ad Chriſtum promiſſum in illa generatione carnali. Et ideo fuit continuata generatio carnalis ab iſtia vſque ad Chriſtum. Et ſic Chriſtus in lege promiſſus natus eſt ex iſtis ſecundum carnem & promiſsionem. Sed quia non natus eſt per generationem carnalem, ideo in Chriſto finiuit & terminata eſt generatio carnalis, & manſit ſola generatio ſecundū promiſsionē. Et quia Chriſtus nō amplius genuit filios carnales, ſed regenerauit filios ſpirituales: ideo totus populus Chriſtianus per Chriſtum regeneratus, dicitur ſemen Abrahę, & Iſraël, & Dauid, & ſecundū promiſsionē & non ſecundū carnē: quia deſcendunt à Chriſto, qui deſcēdit ab illis ſecundum carnem, & ſecundū promiſsionē. Vnde ſicut Iacob genuit carnaliter duodecim filios & Patriarchas, à quib⁹ multiplicatus eſt totus ille populus Iſraël ſecundū carnē, ita Chriſtus primò ſpiritualiter regenerauit per aquā baptiſmalē duodecim Apoſtolos, à quib⁹ regeneratus eſt & multiplicatus totus populus Chriſtianus. Et ideo dicūtur duodecim Patriarchę, & duodecim Principes Eccleſię, quos Chriſtus regenerauit loco duodecim Patriarcharū filiorum Iacob. Ex quibus patet, quod populus Chriſtianus cōtinuatur cum ſemine ipſius Abrahæ & Iacob. Et ſic tota Eccleſia dicitur ſemē illorū ſecundū promiſſionē & ſpiritū. Et hoc eſt illud ſemē de quo dictū eſt ipſi Abrahæ, Geñ.15. Suſpice cœlum, & numera ſtellas ſi potes, ſic erit ſemen tuū: & in ſemine tuo benedicentur omnes Gentes : & huic ſemini promiſit Deus hæreditatem in cœlis. De quo latiùs vide Valentiam vbi ſupra.

Senex dicitur quaſi ſeminex, quod acta maiore ſuæ ætatis parte iam morti propinquior ſit. Regula ad ſenes (vt ſcribit Gerſon tract. de modo viuēdi omnium) eſt: In Eccleſia libenter iaceant, iuuenibus bonum exemplum præbeant, de maledicendo ſiue malefaciendo ipſos reprehendãt. Turpia verba nō habeãt, nec laudent malicias coram iuuenibus, mulierculas à bono non retrahãt, nec iuuenes laudent in ſuperbiis ſuis. Et (vt idem dicit de ſenibus, de paruulia ad Chriſtum trahendis) ſenes plenos dierum malorum citius frangas quàm flectas. Si poteſt (inquit Ieremias) mutare Æthiops pellem ſuã, & Pardus varietates ſuas, & vos poteritis benefacere cùm didiceritis malum. Secùs eſt in paruulis quippe, qui apti ſunt ad accipienda bonorum ſtudiorum exordia, quando nondum falſas opiniones altius imbiberunt, quando nondum radicitus hærent pernicioſæ adinuentiones in eis. Et ſecundum Philoſophos, Poëtas, & Theologos. Non parum refert iuuenes ſic vel ſic aſſuefieri, *Adeò teneris aſſueſcere annis multum eſt*, ait Virgilius. De quo latiùs aliàs.

Senectus, ſenecta, ſenium, ſenitudo, & ſenitas, in eodem ſenſu accipiuntur pro ſenū ætate. Et eſt ſenectus, ſexta hominū ætas, dicta à ſenario numero, vel à ſentiendo, quod in ea ſenſus deficiat: ſiue à ſeneſco, &c. Senectus eſt occaſus vitæ, ſecundum Ciceronem in Topicis. & ſecundum ſanctum Tho. iiij. ſenten. di. xliij. art. iij. Senectus eſt vltima ætas, durans aliquando tantū quantū omnes aliæ ætates.

Senſus

Senſus eſt potentia paſſiua ſecundũ S. Thom. j. part. q. lxxix. art. iij. Et ſenſus exteriores ſunt quinq; ſecundũ quinq; modos immutandi ab obiectis: ſcilicet, viſus, auditus, olfactus, guſtus, & tactus. Et ideo dicti ſunt, quia per eos anima ſubtiliſſimè totũ corpus agitat vigore ſentiendi. Frater Pelbart. libr. ij. Roſar. Theol. Et Iſidor. lib. Etymol. xj. Et ſicut dicit Innocentius de Sacramentis. Sicut quinq; ſunt ſenſus corporales, ſic quinque ſunt ſenſus ſpirituales, quib⁹ cœleſtia debemus & dinina ſentire: quoniã ad illa facti ſumus. Primus eſt viſus intelligentiæ, ſcilicet per fidem verã. Secundus, auditus obedientię, ſcilicet pręceptorũ. Tertius, odoratus diſcretionis, ſcilicet inter bona & mala, vel vitia. Quartus, guſtus delectationis, ſcilicet in Deo per amorẽ. Quintus, tactus operationis. De iſtis dicitur Matth. 25. Domine, quinque talenta tradidiſti mihi. Hæc Innocentius. Et vt ſcribit Dominus Cardinal. Cameraceñ. q. j. art. ij. lib. iiij. In fide Chriſti nunquam neganda eſt apparentia ſenſus naturaliter bene diſpoſiti, niſi vbi expreſſa auctoritas fidei vel efficax ratio aſſumpta ex his quæ ſunt fidei, ad hoc cogit. Sicut negamus quod in Euchariſtia ſit panis, quãuis hoc æquè appareat poſt prolationẽ verborũ ſacramentaliũ ſicut antè: quia ad hoc negandũ cogit expreſſa auctoritas vel ratio. Quinq; ſenſus rationi attribuit Gerſ. part. ij. ſerm. facto in ſolennitate omniũ ſanctorũ. Nónne, inquit, in ea eſt viſus ſpiritualis, quo cernitur pulchritudo, decor, & candor lucis illius æternę, cuius lumẽ ſignatũ eſt ſuper nos. Quo viſu videre nónne ſe dicit Apoſtolus: Nunc per ſpeculũ & in ænigmate, tunc autẽ facie ad faciẽ. Eſt auditus ſpiritualis, quo percipitur ſumma armonia veritatis. De quo Propheta ait: Audiã quid loquatur in me Dominus. Eſt præterea guſtus ad quẽ inuitabat idẽ Propheta: Guſtate & videte, &c. Eſt inſuper tactus ſpiritualis, alioquin non dixiſſet ſponſa ſponſo in Cant. Læua eius ſub capite meo, & dextra illius amplexabitur me: & oſculetur me oſculo oris ſui. Denique olfactum eſſe in ratione probat vox eiuſdem ſponſæ ad ſponſum: Trahe me poſt te, curremus in odorem vnguẽtorum tuorum. Vide latiùs ibi.

Senſus interiores ſecundum Ariſto. ſunt tantũ quatuor ſecundũ quatuor modos operationũ, ſcilicet ſenſus cõmunis Imaginatiua. Æſtimatiua in aliis animalibus ſiue cogitatiua in homine: & memoratiua, ſenſitiua, licèt ſint quinq; ſecundũ Auicen. ſcilicet ſenſus cõmunis, imaginatiua, phantaſia. Æſtimatiua & memoratiua, ſenſitiua. Et dicuntur vires animæ apprehenſiuæ ab intus vel potẽtiæ interiores animæ ſenſibilis: & ſunt etiam omnes iſtæ potentiæ paſſiuæ, vt ſcribit Gerſ. in Compen. Theol. de natura primorũ motuũ, quia ab intus ſuſcipiendo apprehendunt, & patiuntur à formis rerum ſingulariũ. Et ſunt etiã circa particularia tantũ. Et eſt ſenſus cõmunis potentia, quę omniũ ſenſuum particularium obiecta apprehendit. Nam alij ſenſus ſimilitudines ſuorũ ſenſatorũ ad ſenſum cõmunem reducunt, quo mediante de ſingulorũ proprietatibus iudicant & diſcernunt, quia ſecundũ iudicium ſenſus cõmunis apprehendimus nos videre quãdo videmus, & audire quando audimus, & ſic de aliis.

Virtus imaginatiua eſt potentia apprehẽſiua, in qua imaginationes rerũ ſenſibilium reſeruãtur. Imaginatio verò formã rei reſeruat, re etiam ipſa abſente. In quo differt à ſenſu cõmuni, qui indiget præſentia rei exterioris ſicut ſenſus particularis, imaginatio verò non. Iſta virtus vocatur theſaurus formarum, quoniam formæ rerum à particularibus ſenſibus receptæ in ea retinentur & ſeruãtur. Hæc Gerſon: qui ampliora & plura de his habere voluerit, ad Philoſophum recurrat. Et ſenſus non facit peccatum, ſed conſenſus (vt idem vult Gerſon parte iij. tract. de remediis contra puſillanimitatem & ſcrupuloſitatem.) Nam (vt ipſe dicit) aliqui per cordis puſillanimitatem putant ſe deſperare, cùm non deſperant: ſentiunt enim motus deſperationis per puſillanimitatem cordis: & hunc ſenſum putant conſenſum. Sed quantumcunque ſentiant, etiam ſi quaſi operiantur hac tentatione quamdiu ratio contradicit nec conſentit: hi tales charitatem non amittunt. Vnde ſpiritus hominis non vincitur à diabolo niſi conſenſus voluntatis adueniat: latiùs ſcribit Gerſon. Dare autem aliquem in reprobum ſenſum (vt habet Brulefer diſt. vij. quæſt. vij. libr. ij.) nihil aliud eſt quàm ipſum puniri pœna excæcationis in intellectu ſuo quantum ad agibilia, ſic quod non videt quæ ſunt agenda. Vndè Apoſtolus dicit (tradidit eos Deus in reprobum ſenſum.) Sic & Aſtrologi, qui de futuris contingentibus iudicare voluerunt, quum dæmones qui clariorem & ſubtiliorem ſenſum habent quàm viatores, non poſſunt: ideò traditi ſunt in reprobum à Deo ſenſum.

Senſus ſcripturæ eſt quadruplex, de quo ſupra in dictione *Scriptura ſacra*.

Senſibile proprium eſt quod non contingit altero ſenſu ſentiri, & circa quod non contingit errare ſecundum Ariſtotelem libr. 2. de Anima. Et ſenſibile dicitur tripliciter: vt ſcribit Brulefer diſtin. xv. quæſt. iiij. li. ij. Eliciriuè, & dicitur quod eſt aptum natum elicere ſenſationem: hoc modo tãtum animal eſt ſenſibile. Secundo repræſentatiuè, quod eſt aptum natum repræſentare aliquod obiectum ſenſibile: hoc modo ſpecies obiecti dicitur ſenſibile. Tertio obiectiuè, quod poteſt eſſe obiectum ſenſus: licèt quod poſſet extendi ad ſenſibilia.

Senſualitas dicitur à ſenſu, Latinius forſan diceretur fomes ſenſificus: & eſt vis appetitiua ſenſitiuæ partis, ſecundum beatum Thomam j. parte, quæſt. lxxxj. artic. j. & propriè nominat potentiam appetitiuam tantùm. Senſibilitas verò comprehendit omnes vires ſenſitiuas, ſcilicet apprehenſiuas & appetitiuas ſecundum eundem libr. ij. ſent. diſt. xxiiij. quæſt. ij. arti. j. Et ſenſualitas ſecundum Magiſtrum diſtinct. xxiiij. libr. ij. Eſt quædam vis animæ inferior ex qua eſt motus, qui intenditur in corporis ſenſus atque appetitus rerum ad corpus pertinentium: & ideo dicit ſanctus Bonauentura diſtinct. xxiiij. parte ij. circa textum libr. ij. comprehendit ex ſua propria acceptione ſenſitiuam & motiuam & brutalem. Et ſecundum Guil. Scotiſtam & Pelbartum libr. ij. Roſarij Theol. debet intelligi propriè eſſe appetitus apprehenſiue ſenſitiuæ; ex quo appetitu ſequitur appetitus, id eſt

motus ad res corpori pertinentes vt ſic ordo iſte in homine. Primò ſenſualitas, & iſta includit tam apprehenſiuam ſenſus quàm appetitiuam.. Secundò ſenſualitas, quæ nominat ſolū appetitiuã, & differt à portione inferiori rationis: quia licèt ambæ terrenis inhient, tamē hoc facit portio inferior mediante ratione, hęc autem ſolo inſtinctu. Tertio ordine eſt liberū arbitrium ſupra omnem ſenſualitatem. & ſic patet ordo. Et quoniã inferior portio rationis, vt ſcribit ſanctus Bonauentura vbi ſupra. per peccatum multum trahitur à ſenſualitate, & homo cōparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis: idèo inferior portio rationis aliquãdo in ſcriptura nomine ſenſualitatis cenſetur propter nimiã conuerſionē ſui ad ſenſualia. Sed quare Philoſophi non vtuntur hoc nomine: dicit ibidē quod ſenſualitas non tantū nominat ipſam potentiã ſenſualem quantū ad propriã naturã, ſed etiã inquantum reſpectu rationalis habet quandam rebellionem, quæ ex peccato originali in homine traducitur. Et quoniã non peruenerunt ad cognitionem originalis peccati, nec lapſus hominis: ideo nō vtuntur hoc nomine ſicut ſacrę ſcripturæ. Eſt autem ſenſualitas improba & cœca, vt dicit Gerſon part.iij. in epiſtola quãdam tantūmodo pœnitētia vix aſpiciens, & de ſola corporis voluptate curã habēs. Sed in Chriſto (vt idē dicit part.iij. de paſſionibus animæ) ſemper obediebat ſenſualitas rationi.

Senſualitas dupliciter conſiderari poteſt. Vno modo in ſe & ſimpliciter, vt ſcribit Gerſon part.ij. in compendio Theol. an primi motus ſint peccata. Et iſto modo ſenſualitas in furioſis & infantibus ſicut & in aliis hominibus eſſe dicitur. imò iſto modo conſiderando in ea (vt dicit Auguſtin.) cum brutis communicamus, ſic accipiendo in ſenſualitate nullo modo poteſt eſſe peccatum. Alio modo poteſt ſenſualitas conſiderari non ita ſimpliciter, ſed quodammodo reſpectiuè, prout, ſcilicet eſt quodãmodo ad rationē ordinabilis, & ab ea perſuaſibilis: & iſto modo conſiderando, quando cōtingit ſenſualitatem ad illicitum moueri: & ſic quodammodo à regula iuſtitiæ deordinari: talis eius deordinatio habet rationem peccati, inquantum tamen peccatum dicit, & importat quandam rationem vitij, quandamque deordinationem, quæ poteſt eſſe via ad opus prohibitum & vituperio dignū, non tamen inquantum peccatum dicit culpam, quia actus vitioſus ea ſola ratione dicitur culpa, qua eſt à voluntate. Et iuxta hunc duplicem modum conſiderandi verificatur illud quod à nonnullis dicitúr, quod eſt aliquis actus proprius ſenſualitatis ſimpliciter conſideratè, qui non eſt proprius actus ſenſualitatis in quantum humana. Hæc Gerſon, &c.

Senſualitas ſecundum S. Bonauen. part.ij. ar.ij. q.j. di.xxiiij. lib.ij. aliquãdo accipitur pro vi quæ appetit bonū vt nunc. Et hęc nō ſolū eſt in parte ſenſuali, imò etiã rationali. Et ſine motu ſenſualitatis hoc modo dictæ nunquã contingit peccatū eſſe in inferiori parte rationis: ſemper enim cùm peccat bonū vt nunc exoptat. Quandoq; dicitur ſenſualitas vis animæ ſenſualis, qua intenditur in corporis ſenſus (vt dictū eſt) & ſine hac cōtingit eſſe peccatū in inferiori parte, quantū ad peccata ſpiritualia: quãtum autē ad carnalia, vix aut nunquã. In carnalibus autem corruptio venit ex fœditate carnis, & cōcupiſcentia partis ſenſualis: & ita in eis peccatū incipit à ſerpente ſiue à ſenſualitate, & peruenit ad mulierem. Tunc autē dicitur eſſe in ſenſualitate, quando quis ex apprehenſione delectabilis oblectatur & inclinatur ante aduerſionem, & perceptionem ſuæ delectationis: hoc enim ex ſurreptione eſt. Vide latiùs vbi ſupra. & di.xxxj. q.j. lib.ij.

Senſualitas & ſenſibilitas differūt ſecundū S. Tho. d.xxiiij. li.ij. q.ij. ar.j. vt & ſupra tactū eſt. Nã ſenſualitas omnes vires ſenſitiuæ animæ cōprehendit tam apprehenſiuas de foris quàm apprehēſiuas de intus: hoc eſt tã ſenſus exteriores, quàm interiores, quàm etiã appetitiuas. Senſualitas autē magis propriè nominat illã tantū partē per quã animal, & pręcipuè homo mouetur in aliquod appetendū vel fugiendū ſub ratione cōuenientis, vel diſcōuenientis. Vis autē apprehēdens huiuſmodi rationes conuenientis vel diſcōuenientis videtur eſſe extimatiua vis per quã agnus fugit lupū, & ſequitur matrē. Vnde propriè loquēdo (vt refert frater Pelbar. li.ij. Roſa. Theol. in dictione *Senſualitas*. §.iij. ſenſualitas) incipit ex cōfinio extimatiuæ & appetitiuę ſequētis. Motus autē ſenſualitatis in duo tendit, videlicet in ea, quæ ſecundū exteriores ſenſus delectabilia ſunt, & in ea quę nociua vel cōuenientia corpori ſecundū ſolã extimationē cognoſcūtur. Et ſic ex ſenſualitate dicitur eſſe appetitus rerū corporaliū. Et caro, id eſt ſenſualitas in homine cōcupiſcit aduerſus ſpiritū. Et loquendo de ſenſibus interioribus ſenſualitas principalius eſt appetitus extimatiuæ potentiæ, quia illa mouet ad intentiones boni & mali, quæ ſunt in imaginatiua & ſenſu cōmuni. Sed loquēdo de exterioribus ſenſibus principalior & melior, eſt appetitus viſus: licèt ardētior ſit tactus, quia magis mouet & accendit appetitum ſenſualitatis propter naturam corruptã. Frater Pelbart. cum ſuo Guilelmo. Inordinatio autē ſenſualitatis (vt ſcribit Rich. lib.ij. d.xxiiij. ar.iiij. q.j. Concordat S. Bonauen.) aliquãdo eſt ſine omni culpa, eò quòd vitari nō poteſt, videlicet quãdo volūtas nō eſt cauſa illius deordinationis, nec cōmittendo, nec omittēdo, nec antecedēter, nec cōcomitãter: vt cū caro caleſcit ex aliqua indeliberata apprehenſione ſurreptitia, vel ſine apprehēſione, &c. Secundò aliquãdo eſt cū peccato veniali: & hoc tunc cū talis inordinatio inſurgit in ſenſualitate per negligentiã. Tertiò aliquãdo eſt cū peccato mortali, quãdo, ſcilicet eſt cōtra actū prohibitū, & inſurgēs ex voluntariè cōſenſu deliberato: vel quando acceptatur & retinetur, ſicut in cogitatione moroſa. Et in moroſa delectatione, nō tã conſideratur mora tēporis, ſed potius mora cōſenſus, quia mora tēporis quantū eſt de ſe nō facit, vt quod prius erat veniale, fiat mortale, quia circunſtãtia nō mutat genus peccati vel ſpeciē, ſed mora temporis eſt quædam circunſtantia: ergo non grauat veniale, ſed mora temporis occaſionaliter ſolum facit, vt veniale fiat mortale, videlicet inquantum inducit conſenſum verum vel interpretatiuum. Tunc autem inducit conſenſum verum, quando ex huiuſmodi mora diutinæ delectationis creſcit libido, adeò, vt homo velit omninò in vitiorum delectatione perſiſtere: licèt non intendat opere perficere.

Tunc

Tunc verò inducit cõſenſum interpretatiuũ, quando homo aduertens periculum delectationis retentè negligit eam compeſcere per rationem vel voluntatem: hoc enim non eſt abſque contemptu ſalutis propriæ, eò quòd ſeipſum diſcrimini peccati mortalis exponit: ſicut ſi homo percipiat ſerpentem venenoſo morſu lædentem in ſinum ſuũ ſubintrare, & ſi nollet lædi illius morſu ſimpliciter tamen periculo ſe exponit non repellendo. ergo talis in moroſa delectatione retenta ſola mortaliter peccat, periculo ſe exponendo. Qui autem amat periculum, peribit in illo. Eccleſ.3. Sicut auis volitans circa laqueum. Item quia nullus poteſt delectari deliberata in eo quod Deus abominatur. Sed vt ſcribitur Prouerbiorum 15. Abominatio Domini cogitationes malæ. ergo. Et hanc moram potius determinat conſcientia recta & compunctio, quàm lectio vel ſcientia. Sed quando quis dubitat an venialiter vel mortaliter in talibus peccauerit, tunc ſecundum Bonauenturam conſulendum eſt, eligere partem ſecuriorem, ita quod pœniteat & confiteatur, quaſi de mortali, aliàs periculo ſe exponit in dubio, &c. Vigilanter itaque cauenda eſt ſecundum eundem moroſa delectatio. De quo videatur latiùs Pelbart. in dictione *Senſualitas*. §. xij.

Sententia in genere ſecũdum Philoſophos, Grammaticos (vt ſcribit Gerſon parte ij. dialogo de poteſtate ligandi & ſoluendi) dicitur eſſe determinata acceptio alterius partis contradictionis. Ita habet ſanctus Thomas iij. ſenten. diſtinct. xxiij. q. iij. art. ij. & deriuatur à ſentio, quia ſententias ita ſentit, nec pertinet niſi ad vtentes ratione. Differt autem à cõſilio, vt idem refert Gerſon vbi ſupra. ſicut concluſio ab inquiſitione 3. Ethic. ſecundum Philoſophum. Vnde conſilium eſt quæſtio vel inquiſitio reſolutoria ſuper mediis aptis ad conſecutionem finis intenti. Sententia verò determinata acceptatio alterius partis, quæ in diſceptatione vel conſilio verſabatur. Et hoc aliquando facit homo ſolus ſecum ſuper propriis agibilibus. Inde eſt illud apud Iob: Sentẽtiam labia mea puram loquentur. Et apud Comicum ſtat ſententia. Vnde nominatur liber ſententiarum. Attamen & ſæpius & rei noſtræ vicinius, ſententia dicitur concluſio præconſiliata per plures in iudicando: & conuenit ſynonymæ cum iudicio quod fertur poſt conſilium: iuxta verbum Chriſti ponentis gradus inter pœnas iræ debitas. Qui iraſcitur fratri ſuo (inquit) reus erit cõſilio: qui autem dixerit fratri ſuo, racha, reus erit iudicio: qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis. Eſt itaque ſecundum gloſſas minus graue, quod pœna vertatur adhuc in cõſilio, quàm dum determinatio ſubiacet iudicio. Deinde omnium grauiſsimum, quod iudicij fiat executio. Et eſt ſententia ſic accepta, decretum vel dictamen, vel iudicium ſuperioris, per quod vult legitimè ſubditum ſuum per pœnam ligari, vel à pœna liberari propter Deum. De tali ſententia & iudicio iubet Dominus in Exodo. Nec in iudicio plurimorum acquieſces ſententiæ, vt à vero deuies. Et in Eccleſ. Quia non profertur citò contra malos ſententia: filij hominum abſque vllo timore perpetrant mala. Et in Euãgelio Ioan. Nolite iudicare ſecundum faciem, ſed iuſtũ iudiciũ iudicate. Sentẽtia ſecundũ Goffredũ eſt iudicialis diffinitio, quæ controuerſiis finẽ imponit pronuntiatione cõpetentis iudicis, cõdemnationem vel abſolutionẽ continens. Secundũ S. Tho. Sententia eſt applicatio iuris ad particulare factũ ſecundũ S. Tho. j. ij. q. xcvj. art. j. Et ſententia eſt non de ſingularibus, ſed de vniuerſalibus enunciatio: nec de omnibus vniuerſalibus, ſed de quibuſcunque operationes ſunt quę ad agendũ eligenda vel fugienda ſunt, ſecundũ Ariſt. li. 2. Rhetor. Et ſententia eſt duplex, vt habet Magiſter Ioan. Gerſ. vbi ſupra. Quædam ligans vel obligans. Alia ſoluẽs vel abſoluens. Debet autem ferri ſententia legittimè, id eſt cõformiter ad legem præſertim diuinam: & quod in obſcuris aut dubiis præmiũ ſit cõſilium. Et vt præ oculis Deus ſemper habeatur tanquam finis omnis finis, &c. Gerſon. Et ſententia hominis non tollit ius diuinum, vt dicit Petrus de Palude in iiij. diſt. xxxv. q. ij.

Sententia dicitur iniuſta vel ex animo, vel ex cauſa, vel ex ordine (vt ſcribit ſanctus Bonauen. di. xviij. lib. iiij. circa literam.) Ex animo, vt cùm fertur non zelo iuſtitiæ, ſed vindictæ: vel ex liuore odij vel precio: aut fauore aduerſariorum, vt dicit Richar. eadem diſt. art. iij. quęſt. v. Ex cauſa, vt cùm non eſt meritum ſufficiẽs vel certum propter quod debeat excommunicari iſte cui infligitur. Ex ordine, vt cùm prętermittitur ordo iuris, ſed nõ ſeruatur. Vide & in dictione *Excommunicatio*, quid ſit ſententia iuſta, & quid ſit ſententia nulla.

Sentire dicitur propriè ſenſu percipere, quod ad corpus duntaxat pertinet: vnde quinque ſenſus corporis ſunt appellati: de quibus ſupra. interdum ſentire ponitur pro intelligere, nonnunquam iudicare. Hinc ſententia deriuatur. Et ſentire ſecundum ſanctum Bonauen. diſt. viij. art. iij. quæſt. ij. libr. ij. poteſt accipi cõmuniter, propriè, & magis propriè. Communiter ſentire idẽ eſt quod rem vt præſentem cognoſcere, ſecundũ quem modũ accipit Aug. ad Paulinã in li. de vidẽdo Deo. Secũdo modo ſentire idẽ eſt quod rẽ vt hic & nũc cognoſcere: & ſic accipit Boët. cùm dicit, quod ſenſus eſt particulariũ & intellectus vniuerſaliũ. Tertio modo ſentire idẽ eſt quod ſpeciẽ exiſtentẽ in materia pręter materiã mediante organo corporeo ſuſcipere. Et ſic accepit Philoſ. 2. de Anima, cũ dicit: Senſus eſt ſuſceptiuus ſpecierũ in materia præter materiam. Primis duobus modis non differt ſenſus ab intellectu re, ſed ratione tantum: & hoc modo bene ponitur in Angelo. Angelus enim per ſuam potentiam intellectiuam cognoſcit rem vt præſentem, & vt hic & nũc dirigendo aſpectum ſuper ipſam. Tertio verò modo differt potentia ſenſitiua ab intellectiua re & ratione: & illo tertio modo ſenſus eſt potentia alligata corpori: & hoc modo ſpiritui Angelico non conuenit. Hæc ſanctus Bonauentura.

Sepultura eſt locus concauus in loco Eccleſiaſtico vel cœmiterio factus, in quo corpus catholici conquieſcit. Vel ſepulchrum eſt locus concauus in quo oſſa defunctorum conduntur. Et locus ſepulturæ debet fieri apud Eccleſiam conſecratam. Et ſepultura inuenta eſt, ne horror & fœtor ſit viuis, & ad fidem reſurrectionis futuræ, & vt oretur pro defunctis: ex ſancto Thom. iiij. ſentent. diſt. xv. quæſt. ij.

art. iij.

art.iij. Et ſepultus non dicitur quaſi ſine pulſu vt quidam volunt, ſed à ſepeliendo. Sepelio verò à ſepiendo: quia cadauer terra vel lapide, vel alio genere materiæ circũſepitur. Et ſepultura modò ipſum ſepulchrum ſignificat, modò actũ ſepeliẽdi. Quandoque accipitur pro officio quod impẽditur ſepeliendis. Et talis non poteſt vendi à clericis. Vel dicitur terra deputata ſepulturæ. Dicitur & ius ſepulturæ quod competit Eccleſiæ ad ſepeliendum aliquos in cœmiterio ſuo: & prouenit ex Pontificis auctoritate & aſsignatione: & competit generaliter Eccleſiis Parochialibus. Videri de hoc poteſt Michaël Lochmair, in ſuo Parochiali curatorũ. tit. vij. de ſepulturis & remediis. Prodeſt autem ſepultura mortuis (vt ſcribit Richard. diſtin. xlv. art. vj. quæſt. j. lib. iiij.) in charitate decedentibus, aliquid purgabile ſecum deferentibus: non per ſe, ſed per accidens, inquantum, ſcilicet inſpicientes ſepulturam, memoriam retinent defunctorum, vt pro eis orent. Sed vltra hoc prodeſt ſepultura in loco ſacro: inquantum ſepeliens mortuum alicuius ſancti patrocinio committit: cuius precibus credendum eſt adiuuari. Et quia cæteris paribus ex diuina ordinatione triumphans Eccleſia ſpecialiter orat pro illis qui in loco ſacro ſunt ſepulti. Et quia illi qui loco illi deſeruiunt, tenentur cæteris paribus pro illis frequentius & ſpecialius orare. Et (vt idem refert) luminaria etiam, panni, & alij ſumptus qui fiunt in ſepulturis, mortuis prodeſſe poſſunt per accidens, inquantum per talia homines excitantur ad compatiendum: & per conſequens ad orandum pro eis, & inquantum pauperes fructum capiunt, & Eccleſia propter Deum honoratur. Et ſic Tob. 12. Sepultura inter cæteras eleẽmoſynas computatur. Sepultura quoque corporis prodeſt viuis ſepeliẽtibus, & aliis. quia tale opus fidem reſurrectionis aſtruit. Vide latiùs Richardum q. ij. vbi ſupra. Et vt ſcribit frater Oſualdus lib. iiij. Roſar. Theolog. Sepultura eſt poſſeſsio ſiue terra vbi aliquis ſepeliendus eſt. Vnde ſi talis poſſeſsio ſeu terra, ſeu quodlibet aliud vas pro ſepeliendo ſit per Epiſcopum, vel eius auctoritate ad ſepulturam deputatum: ſic eſt locus religioſus, ſiue aliquis ſit ſepultus ſiue non: quia vendi non poteſt. vt habetur xiij. q. ij. queſta eſt. Quilibet quoque adulter (vt idem ait qu. iij. vbi ſupra.) compos ſuæ mentis liberè poteſt vbicunque voluerit in loco magis religioſo eligere ſepulturã. Et locum magis religioſum voco illum in quo frequentius & honeſtius, & deuotius pro viuis & mortuis celebratur: & talia ſunt loca in quibus ſunt cõuentus religioſorũ fratrũ. extra de ſepult. Cui ſubſcribit Gerſon par. ij. de ſolicitudine Eccleſiaſtic. particula xxiij. cùm dicit: Solicitudo pia conferẽtis temporalia, poteſt cum bono corde nedũ in ſuffragiis conditiones apponere: ſed cum hoc loco certa & honorabilia ſuæ ſepelitionis eligere, cum appenſione inſigniorũ ſeu titulorũ conſcriptione iuxta ſui ſtatus qualitatem. Sic de pompa funeralium diceretur, hoc & ſanctiſsimi patres curauiſſe inueniũtur. Nam piè recogitata, cedũt omnia ad honoré magnificũ Dei & Eccleſiæ, tam militantis quàm triumphantis: & ad fidem, ſpem quoque reſurrectionis aſtruendã, & incredulorum confutationem proficiunt. Hæc Gerſon. Eccleſia autem prohibet ſepulturam quibuſdam. Primò, excommunicatis. Secundò, manifeſtis vſurariis. Tertiò, qui in torneamẽto moriuntur. Quartò, raptoribus, qui pertinaciter cùm poſsint in vita nõ ſatisfaciũt, & in morte non poſſunt. extra de raptorib. cap. ij. Quintò, blaſphematorib' Dei & ſanctorũ, extra de maledicis, cap. ij. Sextò, qui nõ cõmunicant ſemel in anno, nec cõfitentur. extra de pœni. & re. cap. Omnis. niſi ſigna cõtritionis oſtẽdant. Septimò, qui moritur in peccato mortali notoriè. xiij. q. ij. cum grauia. Octauò nominatim interdicti, & hoc ſub excõmunicationis pœna. Nonò, illi cui eſt interdictus ingreſſus eccleſiæ. extra de ſen. excõ. Is qui. lib. vj. Decimò, illi qui Sacerdotẽ tutorem filiis ſuis inſtituit. lxxxviij. di. Neque. Vndecimò, Iudęis vel Paganis. de conſecratione. diſt. j. cap. Eccleſiam. Duodecimò, corporibus exenteratis vel diuiſis: qui ſi de facto ſepeliuntur, debent exhumari ſi diſcerni poſſunt, aliàs non. Similiter Paganus vel puer qui extrahitur de ventre matris mortuus, nõ ſunt in ſacro loco ſepeliendi. Si verò mortua matre puer viueret, deberet ſcindi mater & puer baptizari: & ſic in ſacro loco ſepeliri. Hęc frater Oſual. colligit li. iiij. roſa. Theo. In cœmiterio itaq; Chriſtianorũ nõ niſi Chriſtianus baptizatus ſepeliri debet: non tamen omnis, vt dictũ eſt. De quo legere potes latiùs Guil. Epiſcop. in rationali diuin. lib. j. de cœmiterio, in fine.

Seraphin interpretatur incendiũ: & hoc eſt per charitatem, vt ſcribit ſanctus Bonauen. diſtin. vj. q. j. lib. ij. Et nomen Seraphin (vt idem dicit diſt. ix. circa textum.) quandoque legitur in ſcriptura per n, & tunc eſt pluralis numeri, & neutri generis, & ſignificat cetum Angelorum illius ordinis. Quandoque ſcribitur per m, & tũc eſt pluralis numeri maſc. generis: & ſignat Angelum iſtius ordinis. Et Seraphin (vt habet Magiſter di. ix. ij. ſenten.) non ſolùm in charitate, ſed etiam in ſcientia præeminent. Et eſt ſupremus Angelorum ordo ſeu chorus Seraphin, qui totus ardens ſiue incendens, ſecundum Dionyſium interpretatur, cap. vij. Eccleſiaſticæ hierarchiæ. De quo videatur Dominus Præpoſitus Gabriël lect. xviij. canonis. Eſt quidem in Angelis ardor iſte, amor, ſcilicet Seraphicus, quod eſt ſuperferuidus & holocauſtæ purgatiuus, vt ſcribit Magiſter Ioannes Gerſon part. iij. ſuper Cantico canticorum ſin pſalmate. j. proprietate. iiij. eſt in ſingulis etiam beatis, quibus eſt vna vox lætantiũ, & vnus ardor cordium: propterea dicuntur lapides igniti. Præcipuè tamen & in excellentia Seraphicus ordo poſsidet hunc ardorem: propterea nec ipſe à ſcientia ſicut Cherubin, nec Cherubin ab ardore nominatur: quamuis abſque vlla dubitatione & Seraphin cognoſcat, & Cherubin ardeat. ſic & voluntas cognoſcit per intellectum, & ardet per voluntatem intellectus. Hæc Magiſter Ioannes Gerſon Cancellarius Pariſien. &c.

Serenitas, quies aëris, ſecũdum ſanctum Thomam ſuper lib. Metheo. v. A quo ſereno, id eſt tranquillo. Transfertur & ad animum: vnde mentis ſerenitas, dicitur tranquillitas.

Sermo idem eſt quod loquela. Dicitur autem à conſerendis ſimul compoſitis & cõtextis verbis. Hinc ſermocinor, id eſt loquor: & ſermocinatio, collocutio.

cutio. Ad hoc autem nobis datus eſt ſermo, vt dicit Petrus de Palude diſt.j.quæſt.iiij.lib.iiij. vt præſto fiant mutuæ voluntatis iudicia. Et vt dicit Auguſtinus, Liberis verbis vtuntur Philoſophi, & in rebus ad intelligendum difficillimis offenſionem piarum autium non pertimeſcunt. Nobis autem Theologis, vt dicit Gerſon part.j.ſermo.pro viagio Regis Romanorum, ad certam regulam loqui fas eſt. Illud denique vulgatum fundamentum in Ariſtot. quòd ſermones accipiendi ſunt ſecũdum materiam ſubiectam, vnde moralis ſententia ſumitur. De quo latiùs legito Gerſonem. Et ibidem ſermones damnantur, qui non ſolùm textibus ſacris, ſed & gloſsis & vſui Eccleſiæ cõtrariantur. Idem de paſsionibus animæ ſermones paſsionales aſſumi poſſunt, vt inducantur homines ad virtutem, veritate tamen & diſcretione ſemper obſeruata. Laudat Ariſt.in Rheto. illa iudicia apud quæ prohibentur dici ſermones paſsionales, & vbi veritas nuda proponi iubetur. Rectè id quidem (ait Gerſon) ſi nulla ex parte iudex quæreretur aliundè diuerti à tramite recto iuſtitiæ: quemadmodum ſi nullos vnquam fieri contingeret paralogiſmos, ars de ſophiſticis & elencis fruſtrà eſſet. Sed cùm perſuaſiones paſsionales quotidie fieri cernimus, aduerſus veritatẽ tam per noſipſos in quibus habitant huiuſmodi paſsiones ex corruptela peccati, quàm per alios quis prohibuerit. Sicut arguit Auguſtinus iiij.de doctrina Chriſtiana. Quis, inquam, prohibuerit eloquentiam ſeu perſuaſionem rhetoricam induci licere pro defenſione veritatis, & pro ſua in cordibus humanis plantatione, vt libenter & obedienter audiatur veritas aduerſus palliatam & fucatam falſitatem. Hæc Magiſter Ioannes Gerſon, &c.

Sermo verus. Vide in dictione *Veritas*. & ibidem, quid ſermo falſus.

Sermo tropicus. Vide infra in dictione *Tropus*.

Sermo Theologicus (vt ſcribit ſanctus Bonauẽtura diſtin.xj.art.ij.q.j.lib.iij.) debet eſſe catholicus & vſitatus ab intellectu non diſſonus, & rei de qua loquimur conſonus: quare iſte ſermo non admittitur à doctoribus Theologiæ communiter. Chriſtus ſiue filius Dei, eſt creatura, niſi determinetur. Cùm ſancti dicunt Chriſtum eſſe creaturam, hoc dicunt ſecundum humanam naturam: & verè loquimur, non tamen oportet ſermonem illum trahi ad communem vſum, ne videatur conſentire errori Arrij, qui dixit filiũ Dei eſſe creaturam. Et ſermo Theologicus poteſt dici ſermo diuinus, vel de Deo, qui ſatis venuſtatis habet etiam vbi vilibus verborum panniculis operitur: quemadmodũ veritatem dum de terra orta eſt, non auro vel ſericis, ſed panniculis Virgo mater inuoluit, vt dicit Gerſon par.ij.ſerm. de oratione facto in concilio Conſtantienſi, &c. Sit ſermo (ſecundũ eundem) agilis, expeditus, bonis aſſociatus, patiens, benignus, liber & non ſeruiliter alligatus: amicabilis, modeſtus, humilis, ſubditus. hæc enim eſt gratia in Chriſto Ieſu, &c.

Seruus dicitur quod in bello ſerui non necabantur, ſed viui ſeruabantur: & capitur modò pro famulo. Seruorum regulam ponit Gerſon tract. de modo viuendi omnium. Serui (inquit poſt Paulum Apoſtolum) obedite dominis carnalibus nõ ad oculum

ſeruientes, quaſi hominibus placentes, ſed in ſimplicitate cordis timentes Deum, ſcientes quòd à Domino accipietis retributionem hæreditatis. 1. Pet. 2. Seruj ſubditi eſtote in omni timore dominis veſtris, non tantùm bonis. Item ſecundum eundem dicuntur ſerui qui carent clara propagatione, vel deficiunt in induſtria: nec habent amicorũ promotiones, aut quos Domini & Principes nolunt honorare vel ditare, vel nobilitare: tales dicuntur (inquit Gerſon tracta. de nobilitate) ſerui naturales, agreſtes vel obſcuri vel ruſtici. Determinat Philoſophus 1. Polit. illos homines naturaliter eſſe ſeruos & ignobiles, qui deficiunt in ratione & corpore robur habent: quemadmodum nobilitas cõſiſtit in clara & illuminata ratione, licèt corpus ſit debile: de quo dicitur *Conſilio pollet, cui vim natura negauit*. Dicuntur & ſerui, qui vitiis auaritiæ, luxuriæ, ſuperbię, nummis, &c. ſeruiunt. Hinc Cicero in Paradoxis dicit: Omnes leues, omnes perfidos, omnes denique improbos, licèt ſint Reges, ſeruos, &c. Vnde Ambroſius lib. de vita beata: Seruit quicunque vel nutu frangitur, vel delectatione irretitur, vel cupiditatibus ducitur, vel indignatione exaſperatur, vel mœrore deiicitur: ſeruilis enim eſt omnis paſſio. & Ioan. 8. Qui enim facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Et Auguſtin. lib. iiij. de Ciuit. Bonus etiam ſi ſeruiat, liber eſt: malus autem & ſi regnat ſeruus eſt: nec eſt vnius hominis, ſed quod grauius eſt tot dominorum, quot vitiorum. Et Hieronymus in epiſtola ad Simplicianũ: Eſt ſapienti ſeruire libertas: qui autem ſeruit cupiditatibus, ſeruus eſt. Et ſecundum Ariſtot. 1. Polit. Dupliciter dicitur ſeruus: Vno modo ſecundum naturam. Alio modo ſecundum legem poſitam, &c.

Seruitus eſt multiplex (vt ſcribit Gabriël diſtin. xv. q. v. art. j. lib. iiij.) Eſt enim ſeruitus Dei, de qua dicitur 1. Corinth. 7. Qui liber vocatus eſt, ſeruus eſt Chriſti. Precio enim empti eſtis (quo precio Petrus oſtendit) precioſo ſanguine immaculati. 1. Petri 1. Hæc ſeruitus ſumma ingenuitas eſt, vt ait Agates Quintiano. Huic ſeruitio diuino non repugnat obſequium hominis, ſiue ſeruitus corporalis, ſed ſeruitus ſpiritualis, quæ eſt ſeruitus peccati, vt ſcribit ſanctus Bonauentura diſt. xxxvj. lib. iiij. circa text. Hæc ſeruitus ſumma eſt libertas cùm ſit Deo, cui ſeruire, regnare eſt. Gloſſ. Rom. 1. Cuius agi frænis ſumma libertas eſt. Boëtius de conſol. Cuius ſeruitute gloriabatur theologizãs Agathes. Summa, inquiens, ingenuitas iſta eſt in qua Chriſti ſeruitus comprobatur. De qua videatur & Magiſter Ioannes Gerſon part. ij. in recommendatione licentiandorum, in Decretis facta Pariſiis. Alia eſt ſeruitus peccati. De qua Ioan. 8. Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Et Rom. 6. Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore. & de vtraque dicitur ibidem: Serui eſtis ei cui obediſtis ſiue peccati in mortem, ſiue obeditionis ad iuſtitiam. Et ſeruitus peccati eſt peſsima. Tertia eſt ſeruitus qua homo ſeruit homini. De qua Apoſtolus ad Epheſ. 6. Serui obedite dominis veſtris carnalibus cum tremore & timore in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſtus: non ad oculum ſeruientes. Et deſcribitur ſic: Seruitus eſt inſtitutio iuris Gentium, qua quis domino alieno contra naturam ſubiicitur. Et dicitur: Inſtituta iure

Gentium: non quod ius Gentium eam inuenit, ſed quia eam approbauit. Et hæc ſeruitus mors ciuilis eſſe dicitur, vt loquit Petrus de Palude in iiij.diſt. xxix. Et de ſeruitute videre potes & fratrem Pelbartum li.ij.Roſa.Theol. & Guil.Scotiſ.d.xxxvj. libr.iiij. Et S.Bonauen. di.xliiij.q.penult.libr.iiij. Et contrahitur hæc vltima ſeruitus quadrupliciter. Primò ex neceſsitate: vt cùm quis naſcitur de ſerua niſi conſuetudo vel ſtatutum habeat aliud, ſicut eſt hodie quod natus ex ancilla non eſt ſeruus, ſi pater eſt liber. Secundò fit ſeruus aliquis iure Gentium, dum capitur in bello iuſto auctoritate Principis indicto. Tertiò ex delicto, vt cùm libertus eſt manumiſſus propter ingratitudinem, reducitur ad ſeruitutem. Vel cum alio modo à lege pro peccato imponitur: vt raptor puellæ fit ſeruus eius. Sic deferens prohibita Saracenis, fit ſeruus capientium eum. Quartò ex propria voluntate: vt cùm maior viginti annis ſciens ſe liberum, conſentit venditori vt ſe vendat, & participat de precio. Quinta eſt ſeruitus, quæ ſequitur culturam terræ, quæ largo vocabulo & impropriè dicitur ſeruitus. Et huic ſeruituti ſubiecti dicuntur aſcriptitij vel originarij, vt ſunt homines ita aſcripti terris colendis, quod non poſſunt à cultura recedere ſine dominorum voluntate: nec poſſunt vendi ſine gleba, nec gleba ſine illis. Et dicuntur aſcripticij, quia aſcripti ſunt ſiue deputati ad culturam. Et dicuntur originarij, quia à ſua origine tales ſunt. Hi quandoque coloni dicuntur, hi à legitimis actibus non repelluntur, niſi quod ad ordines non admittontur. hæc Gabr.diſt. xv.art.j.lib.iiij. De ſeruis & ſeruitute plura habentur in ſummis, quæ hic pertranſeuntur: & quomodo differunt famulus vel ſeruus, & vernaculus. Vide in dictione *Famulus*.

Seuitia quod & cum diphthongo ſcribitur, idem eſt quod crudelitas. De qua in dictione *Crudelitas* dicitur. Hæc & ſæuitudo dicitur. Hinc & ſæue, crudeliter. Et ſæuus quandoque dicitur magnus, quandoque crudelis, nonnunquam iratus. Et ſæuio, iraſcor vel crudelitatem exerceo. De quo apud Grammaticos & Poëtas videatur. Seuum ſine diphthongo, pinguedo eſt cornigerorũ, duntaxat quæ in vna parte dentata ſunt, & quæ in pedibus talos habent. Biſulca verò quæque ſciſſos pedes in digitos habent, & carent cornibus, non ſeuum, ſed adipem habent, qui concretus eſt, & quum refrixit, facilè frangitur, &c.

Seueritas eſt virtus inflexibilis circa inflictionem pœnarum, quando recta ratio requirit, ſecundum ſanctum Tho.ij.ij. q.clvij.art.ij. Seuerus aliquando ſignificat grauem & cenſorium, & dicitur quaſi ſemperverus, nec vlla gratia aut illecebris mutabilis. Aliquando ſignificat aſperum, trucem: interdum ſæuum implacabilem, nonnunquam triſtem ſolicitum. A quo ſeueritas, grauitas, conſtantia, aſperitas, triſtitia. De quo apud Grammaticos videatur.

Sexus (vt ſcribit Brulefer di.xvj.q.v.lib.ij.) eſt differentia accidentalis, qua mas differt à fœmina, & econtrà.

Si coniunctio ſolet capi tripliciter, vt ſcribit Pelbartus & Guil.Scotiſ. Vno modo pro quia, ita accipit Cato: *Si Deus eſt animus nobis ut carmina dicunt.* Et 3.Reg.16. Si Deus eſt Deus, ſequimini eum: & ſi ſcriptura ſacra eſt vera, peribit omnis malus: ibi capitur ſi pro quia, id eſt quia ſic eſt, &c. Secũdò accipitur pro non. Pſalm. Ipſi verò non cognouerunt vias meas, quibus iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiem meam, id eſt non introibunt. Et illud: Si eſt malum in ciuitate quod Dominus non fecerit. Tertio modo accipitur vt notat conditionem: & hinc dicitur propoſitio hypothetica conditionalis. Sicut illud Ioan.14. Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, &c.

Sicut quandoque eſt nota ſimilitudinis, & nõ æqualitatis, vt eſt ibi: Fulgebunt iuſti ſicut Sol. quia (vt ſcribit Richar.d.xlix.art.iiij.q.vj.lib.iiij.) Lux corporum glorificatorum aliorum à corpore Chriſti, erit quædam ſimilitudo ſeu imitatio lucis Solaris, &c. Et vt ſcribit Occam xviij.concluſione ſui Centilogij. Et poſt eum Gab.in primo diſt.xxx.q.iiij. & q.vnica, d.vj.lib.iij. Sicut, non dicit ſemper omnimodam ſimilitudinem. vt eſt illud Athanaſij. Sicut anima rationalis, &c. Eſt autem in hoc ſimilitudo, quia ſicut anima & caro verè ſunt in homine & realiter, ita natura diuina & humana verè & realiter ſunt in Chriſto: & ſicut vnita ſunt inter ſe in homine. Anima quoq; tanquam actus & forma perficit materiam & conſtituunt humanã naturam: ita & in Chriſto. Item ſicut anima & caro in homine dãt toti denominationẽ hominis: ita anima & caro dant eandem denominationẽ verbo, ita quod verbum propter animam & carnem in quibus ſubſiſtit verus eſt homo. Poteſt etiam habere & hunc intellectum: ſicut anima rationalis & caro ſunt verè vnita in homine: ita Deus, id eſt ſuppoſitum diuinum habens in ſe verè & realiter humanam naturam, animam ſcilicet & carnem. Propter quod dicitur: homo vnus eſt Chriſtus. In hoc autẽ eſt diſſimilitudo, quia anima & caro coniuncta, & hoc in aliis à Chriſto ſunt perſona, hoc eſt cõpoſitum ex eis, humana, ſcilicet natura eſt perſona: non ſic in verbo. Item anima & caro ſunt partes hominis quem denominant: non ſic in verbo. Non enim ſunt partes verbi, quod ab eis denominatur homo. Occam & Gabr. vbi ſupra.

Signum quantum eſt in ſe, importat aliquid manefeſtum quo ad nos, quo manuducimur in cognitionem alicuius occulti, ſecundum ſanctum Tho. iiij.ſenten.diſt.j.q.j.art.j. Signum propriè eſt quædam parua ſignificatio indicans totius rei qualitatem: ſic dicimus pudoris ſignum. Eſt etiam ſignum opus ſculptile, & ad alicuius animalis effigiem formatum. Vnde & ſigna & tabulas pro celatis operibus atque depictis dicimus. Hinc duodecim ſigna cœleſtia, quæ in zodiaco ſunt, quia notæ quorundã animaliũ ſunt: vt aries, taurus, gemini, cancer, leo, virgo, libra, ſcorpio, piſcis, &c.

Signa bona & mala hominũ in ſtatu ſalutis & damnationis exiſtentium ponit Gerſon part.iiij.tract. de ſignis bonis & malis. Vnum ſignum malum, eſt velle per ſe ipſum ſemetipſum cognoſcere, ſpernendo aliorum cõſilium, quaſi melius cognoſcat ſe & ſua quàm alius quicunque. Alterum ſignum ſimile huic, eſt negligere regulas Euãgelicæ legis, aut etiã rectæ rationis. Alterum, eſt multiplicare nimis conſilia,

ſilia, dum non quieſcit homo in hoc, vel in illo conſilio. Alterum, dum homo diligit laudãtes ſe, & fingit inculpantes ſe, ſeu redarguentes. Alterum ſimile ſignum, eſt quærere ſe ſuper omnibus rumoribus dictis de eo autem pręſumptis, excuſare laudes ſuas pręferendo, & alios deiiciendo, quaſi ſit hoc in vtilitatem Reipublicæ non in ſuá ſuperbiam. Alterum eſt velut oppoſitum priori, negligere penitus famam ſuam, ſic viuendo quaſi cunctorum verba vel iudicia deſpiciat, quod vtique procedit ex falſa libertate, vel inconſulta patientia, dum non facit homo quod in ſe eſt pro conſeruatione famæ ſuæ.

Alterum eſt præponere iudicium ſuum nouũ priſcis ſanctorum patrum inſtitutis, quaſi non habuerint notitiam vel experientiam talem qualem ipſe habet. Et hoc ſignum maximè fallit in moralibus ſeu agibilibus, in quibus ſancti patres diligẽtiſsimè laborarunt, quorum ſententiæ magis imitãdę ſunt, etiam vbi nõ apparet manifeſta ratio. Signum malum, feruor inquietus & qui malè cuncta miniſtrat impetus, & quia vitium præceps, virtus tarda & matura. Signum malum, ſcrupuloſitas nimia & cõturbata, hæc prouenit ex negligentia nolente quęrere, vel ex ſuperbia nolente accipere ſapientiorum conſilia, nec cõſcientiam ſuam captiuare vt eiſdem conformetur. Signum malum, vtrobique præſumptio, & deſperatio de diuino auxilio, præſumptio renuit cooperari Deo, deſperatio autem non expectat cooperationem Dei ſecum. Medium iter, eſt ſic operari vt totum gratiæ diuinæ tribuatur, & ſic de gratia confidere quod non deſeratur operatio faciendo quod in ſe eſt. Signum malum, gloriatio in infirmitatibus & defectibus, præſertim culpabilibus, quaſi Deus mittat eos ne magnitudo virtutum extollat mentem, & ob hoc velit ſuperbire vnde humiliari debuerat, ob hoc præterea negligenter agere ad tollendum defectus huiuſmodi, nec ſuper his debitè pœnitere. Signum malum, offerre Deo opera ſua vel gratias quaſi dignum aliquid habeant ex perſona operantis, & non potius ſint fœditates quaſi pannus menſtruatę, aut ſicut panniculi leproſorum, qui per continuam ſaniem defluentem ſordidantur. Signum malum, quærere nimis conſolationes ſpirituales, & de earum carentia murmurare vel impatientem eſſe, hoc eſt, de prouidentia diuina minus humiliter ſentire. Signum malum, poſt peccatum ſic iraſci ſibi, ſic indignari quaſi fuerit in poteſtate ſua ſtare, propterea non ſtatim reſurgere ad auxilium ex alto, ſed in ſe ipſo miſerè contabeſcere. Signum malum, deſidiæ poſt peccatũ ſic ſibi blandiri, ſic negligere, quaſi ſit humanum peccare, nec hoc magnipẽdere, præſertim quia patet ſtatim medicina per cõtritionem vel confeſsionem, hoc enim peccare in ſpe cum taliter abſtinere debeamus à peccato, quaſi nunquam pateret remiſsio, vt in morte. Signum malum, peccatum ideo fugere quia poſtea confitendum, & magis dolere ſuper hoc quàm ſuper offenſa Dei, præponitur itaque honor proprius honori diuino. Signum malum, deſperatio de aliorum ſaluatione, quaſi nihil vtiliter fiat eis, vel prædicando, vel monendo, hoc enim redundat in iniuriam medici omnipotentiſsimi, ſapientiſsimi & optimi. Signum malũ, collætari vel ridere ſuper aliorum defectibus. Non enim hoc fieret ſic ab eo, qui ſe iudicaret ſimiliter & magis deliquiſſe. Signum malum, indignatio ad peccatores, quibus debetur compaſsio. Oritur nimirum hæc indignatio à reputatione iuſtitiæ propriæ, quaſi nunquam eũ perpetrare ſimilia contingeret, ad idem ſpectat correctio cum exprobratione, vel execratione & contumelia. Signũ malum, velle carere tentationibus: vtporè, velle ſic in mente & corpore quietari, velut innocens Adã. Signũ malũ, iudicare ſe eſſe in gratia cũ certitudine, niſi per reuelationẽ clarã habeatur, cũ ſufficiat pro ſtatu pręſenti probabilis cõiectura. Neſcit quippe homo an amore vel odio dignus ſit. Neſcit enim homo an opera ſua acceptentur coram Deo. Signũ malũ, ſtudere contẽplationi vel ad curioſitatẽ ſciendi quid eſt, vel ad ſolã voluptatẽ, & nõ principaliter ad humilitatẽ, & ad Dei dilectionẽ ſincerius exercendã. Signũ malũ, iactantia de ſtabilitate in hoc vel in illo bono propoſito quę dicere facit: Mallem mori, mallem omnia mala pati, quã hoc malum facere, vel ab illo malo reſilire. Nollem habere totum mundum, & hoc bonum amittere. Signum malum, gloriatio de conſeruatione exterioris hominis ab occupationibus peccatorum carnalium, ſi derelinquitur interior homo in conculcationem vitiorum ſpiritualium. Signum malum, affectio carnalis ad aliquid, dum tractandum eſt ſincerum Dei negocium, quemadmodum ſcilicet in cõfeſsione habenda libentius auditur pulcher, quàm turpis, iuuenis quàm ſenex, mulier quàm homo, peccatum carnale quàm ſpirituale, &c. Signum malum, prædicare, vel quicquam aliud laudabiliter facere, dum arridet fauor & plauſus, & dũ cupiditas lucri mouet, non veritas. Signum malum, ſi quis mauult rem aliquam per ſe fieri minus bene, quàm melius per alterum, niſi ratio altera concurrat proprij meriti, vel exercitationis virtuoſæ. Signum vniuerſaliter malum, eſt quod contradicit ſigno Chriſti. Hęc ſigna latiùs declarat Magiſter Ioannes Gerſon vbi ſupra.

Signa prędeſtinationis. Vide in dictione, *prædeſtinatio*.

Signum ſignificare gratiam. Vide in dictione, *Sacramentum*: Similiter quid ſit ſignum efficax.

Signa inexiſtentis gratiæ. Vide in dictione, *cognitio*.

Significare eſt aliquid intellectu repręſentare, ſit hoc per voces, ſit per colores vel ſpecies colorum, ſit per obiecta quorumlibet ſenſuum: ſit per ęnigmata figurarum in ſcripturis ſanctis, ſit per reuelationes myſteriorum, vt ſcribit Gerſon tractat. ij. ſuper Magnificat.

Significatio eſt excogitationis formatæ per ſigna, per verba demonſtratio, & ſit potiſsimè per locutionem, quę eſt vocalis prolatio, cũ intentione ſignificandi vel proferendi, quare non eſt irrationalium.

Symbolum eſt omnium credendorum ad ſalutem ſpectãtium compendioſa collectio, vt ſcribit Gerſon in compendio Theologiæ tractat. j. de articulis fidei. Quoniam (vt ait Caſsianus libr. vj.) quicquid per vniuerſorum diuinorum voluminum corpus immenſa diffunditur copia, totum in ſymbolo colligitur breuitate perfecta. Dicitur autẽ ſymbolum à ſin quod eſt con, & bole quod eſt ſententia, quaſi collectio ſententiarum. Vnde ſymbolũ eſt plurium

ſententia

ſententia ſimul conſtituta, vt ait ſanctus Bonauen. Vel (vt alij volunt) dicitur à ſin quod eſt con, & bolum quod eſt fruſtum, quaſi fruſtrorum, id eſt, capitulorum, vel particularum fidei collectio: à ſyn quod eſt cō, & bolos particula vel morſellus, quaſi particularum collectio, vt dicit Gabr. diſt. xxv. qu. vnica, art. j. lib. iij. Hinc ſymbolum Apoſtolorum dicitur, quod quilibet eorum particulam aliquam quaſi bolum ſuum appoſuit. Et licèt omnia credenda in ſcriptura canonica continentur, tamen quia latiſſima eſt Apoſtoli, per quos fides modò annūciata eſt priuſquam in omnem terram diuiſi ſunt, quaſdam principales veritates à fidelibus credēdas, ad quas reliqua facilè reduci poſſunt ſimul coadunarunt, vt ſic à fidelibus facilius & caperentur, & memoriæ commendarentur. Hæc autem collectio ſymbolum Apoſtolorum nominatur. Cuius ſymboli partes ſiue articuli diſtinguūtur dupliciter, ſecūdum Doctor. communiter, ſcilicet. Vel ſecundum credita, vel ſecundum auctores ipſum coordinantes. De hoc diffusè poteris videre Gabr. vbi ſupra. Et ſanctum Bonauen. di. xxv. qu. j. lib. iij. & quid vnuſquiſque Apoſtolorum addiderit. Et ſymbolum Apoſtolorum dicitur maius (vt idem dicit ſan. Bonauen. non quantum ad continentiam verborum: ſed quantum ad cōtinentiam articulorum, & quantum ad auctoritatem componentium. Maioris enim auctoritatis eſt quā alia duo, ſcilicet: Nicæni, & Athanaſij, quæ addita ſunt ad maiorem fidei explanationem, & hæreſum confutationem, vt latiùs videre potes apud ſanct. Bonau. & Gabr. vbi ſupra.

Symbolum Athanaſij præcipui doctoris ordinatum eſt contra errorem Arrij, vnde maximè exprimit diuinæ eſſentiæ vnitatem & perſonarum diſtinctionem. Quodque Chriſtus eſt æqualis patri ſecūdum diuinitatem, & minor ſecundum humanitatem, in quo errauit Arrius.

Symbolum Nicænum ordinatum eſt ad confutandum multarum hereſum errores, ſcilicet Manichęi, qui poſuit duo principia. Vnum bonorum & ſpiritualium. Aliud malorum & corporalium. Vnde cōtra eum dicitur expreſſe. Credo in vnum Deum. ſequitur: factorem cœli & terræ viſi. om. & in, &c. Item contra errorem Arrij additur, & in vnum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filij Dei vnigen. vſque, per quem omnia facta ſunt. Item contra errorem Euticetis & Neſtorij, qui dixerūt Spiritumſanctum ſeruum Patris & Filij, additur, & in Spiritumſanctum Dominum & viuificantem, qui ex patre, filioque procedit, &c. Et propter errorē Gręcorum dicentium Spiritumſanctū à ſolo patre procedere, additur. Qui ex patre, filioque procedit. Item cōtra quorundam errorem qui dicebāt Prophetas ſicut fanaticos ſiue ſurrepricios locutos fuiſſe, additur. Qui locutus eſt per Prophetas. Nō tangit autem hic, hoc ſymbolū de deſcēſu ad inferos: quia nulli vel pauci circa hunc articulū errauerunt. Legitur autem quotidie ſymbolum Apoſtolorum in Primis, & completis ſecretè, quia conditum eſt fide nondum publicata, ſed publicāda. Sed alia duo apertè leguntur certis diebus: Nicænum in Miſſa, & Athanaſij in Primis, quia compoſita fuerūt fide iam publicata. Et hæc Bonauen. & poſt eum Dominus Præpoſitus Gabr. di. xxv. q. vnica, ar. j. li. iij.

Similitudo eſt relatio æquiparantiæ, nō tamen ſemper denominat vtrumque extremorum, ſed tātum quando forma eſt æqualiter, & eadem ratione in vtroque extremorum, ex S. Tho. prima part. q. iiij. ar. iij. Et quomodo differat ſimilitudo ab imagine, vide in dictione: *Imago*. Et aliquid poteſt eſſe ſimilitudo alterius duobus modis. Vno modo in eſſendo, & in perfectione quidditatiua. Alio modo in repræſentando, & in ratione repręſentatiua, vt ſcribit Petrus de Aliaco di. ij. q. iij. art. j. lib. j. Primo modo maior eſt ſimilitudo inter quamcunque creaturam & aliam quàm inter creaturam & Deum, immo ſecundum aliquos, inter Deum & creaturam eſt infinita diſſimilitudo, iſto modo eſt tamen ſimilitudo, & maior inter aliquam creaturam & Deum, quàm inter omnem creaturam & aliam, licèt non ſit ita de omnibus generaliter. Vnde eſt triplex ſimilitudo. Prima eſt maior colligantia creaturæ ad Deum, quia, ſcilicet creatura eſt effectus, & cauſa relucet alī quo modo in ſuo effectu, ratione cuius quis ex notītia creaturæ ducitur in cognitionem Dei magis quā ex notitia huius creaturæ in notitiam alterius cuius nō eſt effectus, nec habet talē colligantiā ad aliā. Alia ſimilitudo eſt ex hoc, quia omnis creatura ex quo omnē ſuā perfectionem recepit à Deo, eſt mediū cognoſcendi perfectionem Dei, & ſic perfectior creatura, perfectior Dei ſimilitudo exiſtit, ſicut de naturali perfectione patet in homine, qui dicitur imago Dei, & de morali perfectione, puta in homine iuſto, in quo plura relucent de Deo. Tertia ſimilitodo eſt per prædicationē, quia, ſcilicet multa prædicata perfectionalia prædicantur de Deo & creaturis, & plura de Deo & vna creatura quàm alia. Omnis autem ſimilitodo quam habemus de Deo in infinitum differt ab entitate & perfectione Dei, & ideo omnis cognitio quam habemus de Deo, in infinitum differt in ratione cognitionis ab entitate Dei, & in ratione cognoſcibilitatis: ita quod entitas diuina in infinitum magis eſt cognoſcibilis, quàm hæc cognitio ſit cognitio. Hæc Aliacenſis vbi ſupra.

Similitudo duobus modis attenditur, vt ſcribit ſān. Bonauen. lib. iiij. di. j. circa textum. Vno modo ſecundum vnius rationis proprietatem, ſiue naturæ participationem. Alio modo ſecundum vnius formæ comparationem. Prima dicitur ſimilitudo proportionis. Secunda dicitur ſimilitudo proportionalitatis, & ſacramentum gerit ſimilitudinem gratiæ ſecundo modo, non primo modo, pro eo quod ſicut aqua abluit carnem, ita gratia mūdat animam: & ſicut oleum lenit exterius, ita gratia interius.

Similitudo Dei eſt duplex (vt ſcribit S. Bona. di. v. q. ij. lib. ij.) ſcilicet. Æquiparātiæ ſiue æqualitatis, & imitationis. Similitudo imitationis poteſt appeti ordinatè, & inordinatè. Ordinatè, vt appetatur ſimilitudo in his quæ noſtræ ſunt aptitudinis, & diuinæ acceptionis: cuiuſmodi ſunt perfectiones & decores virtutum. Inordinatè verò, vt homo appetat id quod nō decet, vel quod Deo non placet, vt ſi appetat hominibus præeſſe, vel ſe de aduerſariis vindicare. Similitudo ęqualitatis nullo modo poteſt appeti ordinatè, ſed aliquo modo eſt appetibilis, aliquo modo

modo nõ. Nã omnimoda ſimilitudo nõ eſt appetibilis, quia non poteſt cadere in cognitionẽ ſiue intellectum, & ideo nec in appetitu, & ſi quis fingat non appetit æqualitatem, ſed ſuam fictionem. Alio modo eſt ſimilitudo æqualitatis in aliqua conditione, vt in Domino præſciẽtia, ſciẽtia, & ſic credo (inquit Bonauen.) quod poteſt appeti. Et vt idem ait: diabolus quodammodo petiit ſimilitudinem imitationis, quodammodo æqualitatis: Ipſe enim appetiit aliis præeſſe, ſua tamẽ auctoritate, & hoc fuit imitationis, & obtiouiſſet hoc aliquãdo ſi ſtetiſſet, quod aut propria auctoritate, ita quod ſine meritis & ſine datore, ita quod nulli ſubeſſet, hoc eſt ſolius Dei, & hoc eſt æquiparantiæ. Et ita patet quid appetiit, & patent multæ auctoritates ſanctorũ, quia Gregor. dicit quod appetiit eſſe ſui iuris, ita quod nulli ſubeſſet. Bernardus dicit quod appetiit æqualitatem potentiæ. Anſel. quod appetiit præeſſe ſine meritis, & omnes verum dicunt, & diuerſæ auctoritates circumloquuntur, hoc eſt, quod præeſſe omnibus propria auctoritate. Et quod dicitur quod Lucifer appetiit omnimodã æqualitatem Dei, hoc debet intelligi (vt vult Scotus) appetitu deſideratiuo, quod idem eſt cum appetitu ſimplicis complacentiæ. Non potuit autem appetere ipſam æqualitatem appetitu Dei electiuo, qui eſt (ſecundum Scotum) appetitus efficax. Ex quo patet quod doctores idem dicunt, tamẽ aliis verbis. Mens præterea comparata ad Deum ſicut ad donum ſanctificatiuum, ſortitur nomen ſimilitudinis Dei, quia (vt ſcribit Gerſ. tract. vij. ſuper Magnificat) per hunc modũ particeps eius eſſe poteſt, & hoc plus aut minus ſecundũ exuberantiam gratiæ gratumfacientis, cũ tribus Theologicis virtutibus in via: aut tribus dotibus, aut actibus in gloria.

Simonia quam muneralem ambitum vocat Paulus Corteſius lib. iiij. di. v. & vj. ſuarum ſententiarum, eſt ſtudioſa cupiditas vel voluntas vendendi vel emẽdi ſpiritualia, vel ſpiritualibus annexa, pro, vel per temporalia, vt dicit Gloſſ. ij. q. j. in principio. De ea videatur Dominus Præpoſitus Gab. di. xiij. q. ij. ar. iij. lib. iiij. & lect. xxviij. canonis. Diffinitur autem per actum interiorem, ſcilicet voluntatis, vt cũ dicitur, ſtudioſa volũtas. Secundò per actũ exteriorẽ, cũ additur, vendendi vel emẽdi. Tertiò per obiectũ, cũ adiũgitur, aliquid ſpirituale vel annexum ſpirituali. Et ſicut habitus virtutum & vitiorum cognoſcuntur per actus, ita diffiniuntur per ſuos actus. Eſt igitur (vt dicit Gabr. diſtinct. xiij. libr. iiij. vbi ſupra.) ſimonia vitium voluntatis, non intellectus & ſpecies auaritiæ, licet etiam poſſit concurrere vitium intellectus, ſicut frequẽter errorem in volũtate præcedit, comitatur vel ſequitur error in intellectu, nõ tamẽ ita ſemper fieri oportet. Poteſt enim volũtas per ſuã libertatẽ declinare à recto iudicio rationis. Et dicitur ſimonia à Simone, qui voluit ab Apoſtolis emere ſpiritualem poteſtatem, vt eam vlterius poſſet vendere, & gratiam emere Spiritusſancti, quẽ vidit viſibiliter dari in ſacramẽto confirmationis per manuum impoſitionẽ Apoſtolorum, vt habetur Actu. 8. Et recitat Paludenſis q. v. di. xxv. lib. iiij. Et ideo non ſolum habuit voluntatem emendi, ſed vendendi. Ad quem dixit Petrus. Pecunia tecum ſit in perditionem, quia exiſtimaſti donum Dei pecunia poſſideri. A quo dicũtur ſimoniaci, non ſolum qui ſpiritualia emunt, ſed etiam qui ea vendunt. Et ſecundũ hoc patet quod ſimonia quamuis dicatur à Simone, tamen bene diffinitur per voluntatem emendi vel vendendi ipſum ſpirituale. Si quis tamen vellet ſolos ementes ſpirituale ſimoniacos appellare, ille poſſet vendentes nominare giezitas, à Giezi famulo Heliſæi, qui pro ſanitate ad preces Helizei collata ipſi Naaman Syro, accepit munera, vt patet 4. Reg. 5. De quo videatur & ſanctus Thom. ſecunda ſecundæ, q. c. Et Richard. di. xxv. ar. ij. q. ij. lib. iiij. Et Tho. Argent. di. xxv. li. iiij. Voluntas autem emendi & vendendi poteſt dupliciter accipi. Vno modo præciſe ſine omni exteriori expreſſione. Alio modo prout eſt aliquo modo exterius expreſſa: puta, quia ita ſolicita eſt circa hoc ipſa voluntas, quod verbo, nutu, vel ſigno exterius inſinuatur. Primo modo nõ inducit ſimoniam in foro Eccleſię, quamuis habẽs talem volũtatem ſit verè ſimoniacus coram Deo, ſeu in foro Eccleſiæ. vt ſcribit Thomas Argen. di. xxv. lib. iiij. Secundo, voluntas facit hominem ſimoniacum non ſolum coram Deo, ſed etiam in foro Eccleſiæ. Et quia iſto ſecundo modo videtur poni voluntas in diffinitione ſimoniæ: quia voluntas & ſtudioſa dicitur, quando eius ſtudium vel ſolicitudo apparet exterius verbo vel ſigno. Et ſtudioſa voluntas (dicit Richardus) dicitur voluntas ad effectũ deducta: quia quamuis ſimonia mentalis ſit peccatum, tamen non obligat ad renunciationem vel reſtitutionem rei acquiſitę, extra de ſimonia. Mandato noſtro. Item ſi preces vel obſequium tale fuerit quod inducit ſimoniam, tunc huiuſmodi preces vel obſequium æquipollet precio, & ideo in talibus precibus & obſequiis quamuis nõ ſint emptio vel venditio formaliter, tamẽ ſunt ęquipollenter. Vide latiùs Argentinenſem. Sed de aliis dicitur, vt ſi vas conſecratum, vel iuſpatronatus venditur, tunc reſpectus (vt dicit Durand.) nõ debet haberi ad conſecrationem, ſic, ſcilicet quod vendens daret carius ratione conſecrationis, vel ratione connexionis ad ſpirituale quoddam: ſi enim fieret, ſimoniacũ eſſet. Et ſi venditur calix ad vſum conſecrationis, vtputa ad vſum alterius Eccleſiæ, non debet frangi. Sed ſi venditur, & nõ ad vſum cõſecrationis, debet frangi antequam vendatur, vt ſic conſecratio tollatur. Nõ enim licet calicem conſecratum tractari ab homine non conſecrato, & in venditione nullus reſpectus habeatur ad conſecrationem, ſed ſolum ad materiam, & ad opus artificis. Nam ſi propter conſecrationem carius vẽderetur, tunc committeretur ſimonia. Item ſi quis haberet villam vel pagum in quo eſſet ſacellum conſecratum, ad quod haberet iuſpatronatus, nõ debet iſto reſpectu villam carius vendere, ſi enim faceret, ſimoniam incurreret. De miſſa verò dicendum, quod ſi ille qui ſimpliciter & præciſe emeret vel venderet miſſam, peccaret, & ſimoniam committeret, nihilominus tamen dicenti miſſam, pro laboribus ſuis poteſt dari pecunia, vel alia res temporalis ſine peccato: quia nemo tenetur propriis ſtipendiis militare. Hinc dicit Apoſtolus 1. Cor. 9. Seminanti ſpiritualia debẽtur temporalia. Thom. Argent. Ridiculum tamen eſt dicere (vt inquit Paludenſis di. xxv. q. v. lib. iiij.) quod miniſtri

poſſint

poſsint laborem ſuum vendere, vbi opus ſuũ quiſquam licirè vendere non poteſt. Si quid ergo præcipit miniſter Eccleſiaſticus diſpenſans ſacramenta, non recipit id vt precium operis, vel laboris, ſed vt ſuſtentationem miniſtri. Er ita diceudum eſt de officiis conſequentibus ad ſacramenta ſuſcepta.

De hoc latiùs Paludenſis. Ita etiam de anniuerſario eſt diceñdum: ſicut de prębendis quod eſt in ſuſtentationem vitæ, & recipiendo ipſum obligantur ad faciendum, ſicut canonicus ad horas canonicas: beneficium enim datur propter officium. Et vt idem vult Paludenſis. Oratio non eſt facienda pro pecunia, ſed pro Deo, & propter bonum affectum.

Si verò ex pacto pro dicendo Pſalterio detur pecunia, eſt expreſſa ſimonia. Item pro prædicatione non licet pecuniam recipere, ſed licet prædicanti victum recipere. 1. Cor. 9. Non autem in pecuniæ collarionę finem prædicationis conſtituere. Sed quid de clauſtralibus, & maximè de monialibus Alemaniæ, quæ recipiũt res tẽporales ab his, quas recipiũt ad collegiũ earũ, cùm tamẽ ſtatus religionis ſit ſpiritualis. Dicit S. Tho. de Aquino li. iiij. ſen. di. xxv. quod quando poſſeſsiones alicuius loci religioſi nõ ſufficiunt ad ſuſtẽtandum plures perſonas quã eas, ſcilicet qnas actu habet, tũc poteſt exigi ab illa quæ in illo loco deſiderat ſeruire Deo, non quaſi preciũ religionis, ſed vt habeat monaſteriũ vnde ei poſsit prouideri, & ſic non committitur ſimonia. Si autem ſine grauamine Eccleſiæ poteſt recipi, tunc ſimoniacum eſt aliquid pro receptione exigere, &c. Item nec ſepultura debet vendi, vt Palud. ſcribit, & ſupra patet de ſepultura. Itẽ paruula munuſcula quę non corrupta intentione accipiuntur, ad ſimoniam non pertinent. Quod eſt cõtra illos qui dicũt quod viſitator nec ſtilũ recipere poteſt. Dicitur præterea in diffinitione ſimoniæ, ſpirituale. Vnde ſpiritualia dicuntur dupliciter. Vno modo quia ordinantur & referũtur ad ſpiritualẽ animã: puta, ad animã rationalẽ, ſicut ſunt ſciẽtia, conſiliũ, & ſimilia, & in venditione taliũ nõ cõmittitur ſimonia, quamuis aliàs quãdoq; in talibus vẽditionibus grauiter peccetur. Alio modo quia ordinãtur ad ſpiritualem gratiã. Et hoc dupliciter. Quia vel talia ſunt ſpiritualia per eſſentiã, ſicut ſunt dona gratię, & circa hoc nõ poteſt cõmitti ſimonia, quia nec de iure nec de facto vẽdi poſſunt. Vel ſunt ſpiritualia cauſaliter, ſicut ſunt ſacramẽta quę aliquo modo ſunt cauſa ſpiritualis gratiæ, quæ recipiẽti ſacramẽta cõfertur in eorũ collatione. Et circa hęc poteſt cõmitti ſimonia, quia licet nõ de iure, tamen de facto vendi poſſunt. In vẽditione taliũ ſacramentorũ cõmittitur ſimonia, cuius triplicẽ rationẽ ponit Rich. quia cõtra rationẽ gratiæ eſt ipſam vẽdi vel emi, vel quia ſacramenta quę ſunt cauſa diſpoſitiua effectus nõ poteſt appreciari, & quia homines nõ ſunt Domini ſacramentorum ſed miniſtri. De quo latiùs videto Rich. di. xxv. ar. iij. q. j. li. iiij. & q. ij. Et S. Bona. eadẽ di. q. iij. Palud. eadẽ di. & Gab. lect. xxviij. canõ. Vel ſpirituale dicitur tripliciter, ſcilicet. Eſſentialiter, vt gratia, virtutes. Cauſaliter, vt ſacramẽta quæ cauſant gratiã ſuo modo. Et effectiuè vel actualiter, vt prędicare, corrigere, viſitare, orare & huiuſmodi, qui ſunt actus ſpirituales. Rich. & Gab. Annexũ ſpirituali etiã dicitur dupliciter ſecũdum S. Tho. in iiij. Vno modo, quia depẽdens à ſpirituali, vt habere Eccleſiaſtica beneficia, quia nõ cõpetit niſi habẽti officiũ clericale. Alio modo, quia ordinatur ad ſpiritualia, vt iuſpatronatus, ius decimale, vaſa ſacra, & ſimilia. Sub precio autẽ cõprehenditur omne munus temporale quod pecunia ęſtimari poteſt. Et ponit S. Greg. triplex genus muneris quo ſimonia cõmittitur, ſcilicet munus à manu, à lingua, ab obſequio, quę ſunt pecunia, preces, famulatus. Dũ ergo pro illis ſpiritualia cõferuntur vt horũ intuitu ſimonia cõmittitur. Poteſt autẽ eſſe quadruplex intuitus ad cõmodum tẽporale in datione & adminiſtratione ſpiritualiũ, vt notat D. Cardinal. Camer. & Gerſon in fine tract. de ſimonia. & poſt hos Gab. lect. xxviij. canonis. Primus intuitus poteſt referri ad commodum temporale tanquã ad precium rei ſpiritualis, quaſi ſit adęquatio valoris vnius rei ad alteram, ſicut eſt in emptione & venditione in ciuilibus. Secundò poteſt fieri intuitus ad commodum temporale tanquã ad motiuũ principale dandi vel miniſtrãdi ſpiritualia, vel tanquã ad finem vltimũ, in quo cõſiſtit intuitus ſpiritualia conferentis vel recipientis. Tertiò poteſt fieri intuitus ad cõmodum tẽporale tanquã ad motiuũ minus principale, vel tãquam ad finem ſubordinatum ſub vltimo fine. Quarto modo poteſt fieri intuitus ad cõmodum temporale tanquã ad rem debitam iure diuino pro ſuſtentatione illius qui ſpiritualia ſubminiſtrat, iuxta doctrinã Chriſti & Apoſtoli. Dignus eſt operarius mercede ſua. 1. Tim. 5. & Luc. 10. Primus & ſecũdus intuitus ſunt verè ſimoniaci ac iure diuino & humano. Si autem feratur intuitus tertio & quarto modis, ſic poteſt eſſe licita, meritoria, & à ſimonia penitus aliena, hoc attento quod ſeruetur illud Apoſtoli. 1. Theſ. 5. Ab omni ſpecie mala abſtinete vos, vt non exerceãtur ſpiritualia, niſi prius dentur temporalia, aut ſi turpiter exigantur cum ſcandalo, & auaritiæ nota. In quibus vtique caſibus ſuſpecti poſſunt haberi de ſimoniaca prauitate. Ad hoc bene loquitur Proſper in de vita contemplatiua. Sacerdos cui diſpẽſationis cura commiſſa eſt, non ſolùm ſine cupiditate, ſed etiam cum laude pietatis accipit à populo diſpenſanda, & fideliter diſpenſat accepta, vt vnde pauperibus ſubminiſtrat, inde & ipſe tanquam pauper voluntarius viuat. Et ſequitur. Quid eſt aliud de Euangelio viuere, niſi laborantẽ inde vbi laborat neceſſaria vitæ recipere, &c. De ſimonia latiùs legere potes apud Gerſonem, Gabr. & alios ſupra allegatos. Sed ſi quis obiiceret de matrimonio, &c. Dicendũ quod pactio in contractu matrimonij non debet fieri pro ſacramento matrimonij, nec pro benedictione contrahentium: quia cum illa ſunt ſpiritualia ſi præciſe pro illis exigentur res temporales, tunc cõmitteretur ſimonia, ſed quia cõtrahentes indigẽt rebus temporalibus, ideo poteſt fieri talis pactio in matrimonio. Poſſumus inſuper de ſimonia loqui dupliciter. Vno modo ſecũdum ſe, vt nõ includit hæreſim propriè dictã, & tũc nõ eſt maximũ peccatorũ, ſic enim eſt ſpecies cupiditatis ſeu auaritiæ. Alio modo poteſt accipi ſimonia vt includit hæreſim propriè dictã, & tunc dicitur q̧ ratione ſuę radicis (ſecundũ Rich.) quę eſt in affectu eſt maximũ omniũ peccatorũ. Vide de hoc latiùs Gab. di. xiij. q. ij. ar. iij. du. ij. l. iiij. & lec. xxviij. can. Et ſimo

nia(vt

nia(vt ſcribit Petrus Palud. in iiij. di. xxv. qu. v.) eſt crimen Eccleſiaſticum: propter tria quibus diſtinguitur à ciuili vel ſeculari. Primò, penes materiam vel obiectum: quia in Deum commiſſum eſt Eccleſiaſticum, vt hæreſis. in proximum autem ciuile, vt homicidium. Secundò, penes cognitionem: quia eius cognitio ad iudicem Eccleſiaſticum pertinet. Tertiò, penes pœnam. C. de epiſ. & cleri. autem Cleri. in glo. vnde de omni debito perſonali pro quo poteſt agi ad pœnam Eccleſiaſticam, quia non ſoluens debitum, monitione præmiſſa poteſt excõmunicari, vel poſſe agi coram Iudice Eccleſiaſtico. Dicitur autem ſimonia hæreſis propter ſimilitudinem actus, vel quantum ad aliquos diſcipulos Simonis, qui vnà cum magiſtro credebant donum Dei pecunia poſſideri. Hæc Paludenſis.

Simoniacus à ſimonia dicitur, & eſt qui vitio ſimoniæ laborat, & talis de iure eſt excommunicatus, vt vult Gerſon tract. de ſimonia, ad ſeptimam rationem, conſideration. iiij. Is quoque ſiue ſit talis propter ordinis ſuſceptionem ſimoniacè ſuſcepti, ſiue propter beneficij Eccleſiaſtici conſecutionem, irregularis eſt, quia tales iura decernunt ſine diſpenſatione promoueri ad ordines non poſſe. Quod credo (inquit Rich. di. xxv. art. ij. qu. iij. quarti.) ſi talis ſimonia cõmiſſa fuit ipſo ſciente, quia ſi ipſo ignorante, ignorantia inuincibili fuit data pecunia, vel ordinaretur, vel beneficium Eccleſiaſticum conſequeretur, quamuis ſtatim poſtquam huius rei notitiam habuerit, teneatur renunciare beneficio ſic aſſecuto, & deſiſtere ab admiſtratione ordinis ſic ſuſcepti, quouſque cum eo fuerit diſpenſatum, irregularitatem non incurrit pro beneficij talis aſſecutione, quamuis ſecundum quod eam incurrerit pro tali ordinis ſuſcepsione, inquantum in illo non debet miniſtrare ſine diſpenſatione: non tamen eſt irregularis ſimpliciter, quia abſque omni diſpẽſatione in ordinibus antè legitimè ſuſceptis miniſtrare poteſt, eo ipſo quod diſpenſatum eſt cum eo ordine quem ſic ſuſcepit, poteſt abſque alia diſpenſatione ad vlteriores ordines promoueri. Et (vt idem ait) grauior eſt Simonia in ordine quàm in conſecutione beneficij Eccleſiaſtici. Vide latiùs Richar. Non autem omnis ſimonia irregularitatem generat, vt habet Paludeñ. Vt ſi quis vendat aquã benedictam vel panem benedictum, vide eum & de pœna ſimoniæ. qu. v. di. xxv. libr. iiij. & de diſpenſatione. Nec prætereundum eſt quod ſcribit Greg. quod Eccleſiaſticis deſeruientibus vtilitatibus Eccleſiaſtica dignum eſt remuneratione gaudere, & ergo ſi in talibus reſpectus ad munera ſiue à manu, ſiue à lingua, ſiue ab obſequio erit ſimonia. Corollarium, nullum obſequium qualecunquẽ honeſtum poteſt prætermitti per modum conditionis, vel pacti in ſpiritualium collatione. Item beneficiorum collatores, vel patroni in collatione, vel preſẽtatione obſequia perſonalia, vel officia ſecularia, vel preces & vniuerſaliter quæ non dignificant perſonam principalitatem attendentes, quæ ad perſonæ idoneitatem ſunt cum his qui ob talem reſpectum recipiſit certiſsimè ſimoniaci, & niſi pœnituerint finaliter cruciandi. Et presbyter (vt idem dicit & habetur. j. qu. j. c. presbyter) ſi per pecuniam Eccleſiam obtinuerit, nõ ſolum Eccleſia priuetur, ſed etiam ſacer-

dotij honore ſpolietur, vide aliàs. Item ſerui ſeruorum Dei gladio ſpirituali, puta excommunicationis vel alio Chriſti pauperes ferientes ob ſpem temporalis lucri, vel potentes ob timoris, vel cuiuſcunque huiuſmodi fauoris cauſam corrigere negligentes, vel iuſtè vel iniuſtè percuſſos abſoluere renuentes, niſi habita pecunia, ſunt indubiè in malitia ſimoniaca, &c. Item Rich. dicit, licet prælato dicere alicui, ego tibi prouidebo de beneficio competenti, ſi mala opera declinãdo & bona opera faciẽdo, te beneficio Eccleſiaſtico reddideris dignũ: talis enim cõditio eſt ad honorẽ, & reuerentiã Dei. Vnde per ſupradictam promiſsionẽ prælatus nõ tã obligat ſuſcepturũ beneficiũ quàm inducit ad faciẽdum illud, quod tenetur facere per legẽ diuinã, &c. Pauca de ſimonia ſufficiant, de ea nõ parum multa ſcribit Antoninus parte ij. tit. j. c. iiij. & v. Paludeñ. Richard. S. Bonauen. Gabr. & alij, & Gerſon. Et de pœnis ſimoniacorum vide Anton. vbi ſupra, §. xxv. ſummæ, & alios quæ ſingula & multa tractantur apud ſummiſtas.

Simplex vel ſimplicitas, vt notat Guil. Scot. di. viij. lib. j. ſentent. dicitur quaſi ſine plica, eò quòd caret partibus. Et differunt iſta tria vnitas, identitas, ſimplicitas. Nam vnitas opponitur diuiſioni. Identitas diſtinctioni. Sed ſimplicitas cõpoſitioni. Capitur & ſimplex aliquando pro vero & ſincero, ſicut ecõtra duplex pro fallaci. Pro illiteratis accepit Gerſon tract. de ſimplificatione cordis notula. xvj. cùm ait: Simplices ſine literis rapiunt cœlum, vbi literati & conquiſitores huius ſeculi, vbi perſcrutatores maieſtatis, aut inanes remanẽt, aut opprimũtur à gloria, qui quandoque minus errant quàm literati. Vnde idem dicit de directione cordis, prouenit inde fortaſsis quod multi rurales, & idiotæ ſæpè citius operantur ſuã ſalutem ſine offendiculis erroris, & abſque deuiatione præceptorum diuinorum & eccleſiaſticorum, propter firmam, deuotam, & humilem ſpẽ quam in diuino habẽt auxilio repoſitam, quàm clerici & literati, & alij quotidianis exercitati lectionibus & ſermonum auditionibus, qui plerunque facilius errore & deuio periclitantur. Gerſon.

Simpliciter ſimplex dicitur per carentiam cuiuſlibet compoſitionis intrinſecè, vt angelus. Gabr. di. viij. q. ij. li. j. Item anima intellectiua dicitur ſimplex, & accidentia dicuntur ſimplicia intenſiua & extenſiuè indiuiſibilia. Dicitur etiam ſimplex per carentiam omnis compoſitionis & componibilitatis intrinſecè & extrinſecè, &c. & ſic nulla creatura eſt ſimplex, ſed ſolus Deus. De quo multa vide Gabr. di. viij. q. vij. li. j. Et Dominũ Card. Camer. qu. v. li. j. ſententiarum, quomodo Deus ſit ſimplex, &c. Vel ſimpliciter ſimplex (vt notat Brulef. di. viij. part. ij. q. j. li. j.) eſt illud quod non eſt reſolubile in aliqua ipſius poſitiua ſeu cõſtitutiua, ſed vltima reſolutio ſtat ad ipſum vt eſt conceptus entis ſecundum doctorem ſubtilem. Et eſt duplex ſimplex ſimpliciter, ſcilicet, Phyſicum & Metaphyſicum. Ens ſimpliciter ſimplex Phyſicum eſt illud quod nõ eſt reſolubile in partes eſſentiales ipſius cõſtitutiuas, ſed vltima reſolutio ſtat ad ipſum vt materia prima ſecundum Philoſophum eſt ſimpliciter ſimplex, & vocatur Ile, id eſt nudata ab omni forma. Sic eodẽ

modo

S I

modo vltima forma adueniens alicui eſt ſimpliciter ſimplex, & ſic anima mea intellectiua eſt ſimpliciter ſimplex, non enim componitur ex re, & re, ſed ſic eſt forma quod nihil habet de materia, ſic etiam materia prima ſic eſt materia quod nihil habet de forma. Ens verò ſimpliciter ſimplex Metaphyſicum eſt illud, quod noo includit aliquos conceptus priores quidditatiuas ex quibus cõponitur, vel in quo reſoluitur vt eſt conceptus vltimæ differentiæ. Et eſt duplex. Quidam eoim eſt conceptus ſimpliciter ſimplex quidditatiuus, vt eſt conceptus entis. Alius eſt cõceptus ſimpliciter ſimplex qualitatiuus, vt eſt conceptus vltimæ differentiæ. Vltimæ enim diſeferentiæ ſic habent cõceptus qualitatiuos, vt ſit aliquid de quo dicantur in quid, nec quod de ipſis prædicetur niſi denominatiuè. Summè ſimplex eſt illud, quod nõ eſt compoſitũ, nec aliquid eſt componibile ſibi, nec ipſum eſt componibile alicui. Defectu primę particulę nulla ſubſtantia corporea eſt ſummè ſimplex. Defectu ſecundæ particulæ nullus angelus eſt ſummè ſimplex, quia aliquid eſt componibile ſecum cõpoſitione accidẽtis: vtpote, intellectio, volitio. Defectu tertiæ particulę vltimũ accidẽs nõ eſt ſummè ſimplex, quia vltimũ accidẽs nõ poteſt recipere aliud accidẽs, alioquin non eſſet vltimũ, & niſi ipſum eſſet cõponibile cũ altero nõ eſſet accidens. Et quãuis in creaturis inueniatur aliquid ſimpliciter ſimplex, nõ tamẽ inuenitur aliquid ſummè ſimplex. Omne enim creatũ, vel eſt cõpoſitum in ſe vel componibile cum altero, vel aliud cum ipſo, ſicut cum angelo componitur ſua intellectio & volitio. Solus autem Deus eſt ſummè ſimplex, quia ſimplicitas eſt quædam perfectio ſecundum Theologos. Omnis autem entitas importans perfectionem remouenda eſt à Deo, & quantò res eſt ſimplicior, tantò eſt nobilior, quamuis in rebus corruptibilibus hoc ſit falſum. Vnde totus homo melior eſt & nobilior quàm ſola anima, intelligitur in rebus incorruptibilibus, vt in Deo & in angelis. Item ſimplex dicitur omne incomplexum, quod poteſt intelligi terminans primã operationem intellectus qui eſt ſimplicium, vel incomplexorũ apprehenſio, ſiue componatur ex rebus vel conceptibus quidditatiuis ſiue non. Et illo modo homo eſt ſimplex. Item triplex eſt actus intellectus. Primus eſt ſimplicium apprehenſio. Secundus eſt compoſitio & diuiſio. Tertius eſt diſcurſio. Hæc Brulef. vbi ſupra.

Simplicitas à ſimplex. A quo ſumma ſimplicitas quę ſoli Deo eſt propria, vt dicunt S. Bona. di. viij. q. ij. lib. j. concordat Alex. de Alẽs j. parte. & Tho. & Rich. Nam ſumma ſimplicitas eſt, quod nullam compoſitionem habet partium, nec dependentiam, nec multiplicationem formarum ſiue actionũ, nec alteri eſt componibile, nec aliquid ſibi componi poteſt, & hæc eſſentialiter ſumma ſimplicitas ſoli Deo conuenit, & hoc ratione primitatis & ratione perfectiſsimæ bonitatis & ratione infinitatis, vt latiùs declarãt ipſi. Eſt & ſimplicitas virtus ad quam pertinet directè præſeruare ſe à deceptione ſecundum beatũ Tho. ij. ij. q. cxj. art. iij. Et ſimplicitas duplex eſt. Quædam enim eſt contraria diſcretioni, quæ reprobatur, quædam contraria doloſitati, quæ bona eſt, de qua in Euangelio. Eſtote ſimplices ſicut columbæ. vnde Greg. lib. j. mora. tractãs illud. Eſtote prudentes, vtraque bene in admonitione cõoertit, vt ſimplicitatem colũbæ aſtutia ſerpẽtis inſtrueret, & rurius ſerpentis aſtutiam columbæ ſimplicitas temperaret. Et Hieron. ſuper Oſee: Prudentia abſq; ſimplicitate malitia eſt, & ſimplicitas abſque ratione ſtultitia nominatur. Nec vlla virtus (inquit Bernard. in ſerm. xxv.) magis neceſſaria eſt omnibus nobis in cõuerſionis initio, quàm ſimplicitas humilis, & grauitas verecunda. Et Beda. Simplicitas ſine rectitudine diſſoluta eſt & ſtulta. Rectitudo autẽ ſine ſimplicitate auſtera nimiũ exiſtit & dura, verùm vtraque virtus coniũcta perfectũ reddit hominem.

Simphonia dicitur muſicum inſtrumentum, quale ſibi vendicauerunt ſpecialiter ipſi cæci (vt ſcribit Gerſon parte iij. tractat. j. de canticorum originali ratione:) Hæc ſonum reddit dum vna maou reſoluitur rota paruula thure linita, & per alteram applicatur ei cum certis claoibus chordula nenierorũ, prout io cithara vbi pro diuerſitate tractuum rotæ, varietas armoniæ dulcis amœnaq́ue reſultat. Hoic ſimphoniæ quid aptius comparãdum reputabimus quàm noſtrum cor aſsiduè ſe mouens, ac perinde fantaſias agitans, quæ ſi ceditur à motione, nuoquã quieſcit moto corde. Cor verò ſi ceſſat à motu, mori animal continuò neceſſe eſt. latiùs Gerſon. Dicitur & ſimphonia apud Latinos pe. cor. cooſonantia & muſicus concentus.

Simulare eſt oſtendere quod non eſt. Vnde quãdo quis (vt ait Scotus) ſimulat per aliqua facta ſibi ineſſe bona, quæ non inſunt, vt per genuflexiones aut orationes, vel ſuſpiria ſimulat ſibi ineſſe deuotionem quam non habet, & hoc pertinet ad hypocriſim. Vnde Auguſt. Simulata (ait) æquitas duplex eſt iniquitas. Sic ficta & vota paupertas nõ eſt paupertas ſpiritus, nõ paupertas virtus, nõ amica bonis moribus frugalitas ſed duplex iniquitas, vt inquit Gerſ. de ſollicitudine Eccleſiaſti. quia & verè cupiditas eſt & ſimulatio. Et eſt frequẽter mortale niſi ioco fieret. Aut poteſt ſimulare mala non ineſſe. Et hoc dupliciter, aut per ſigna oppoſita exhibita, vt ſi luxurioſus audiẽs verbũ aliquod carnale & laſciuũ expuat ſimulãdo ſe caſtũ, & ſimiliter hoc pertinet ad hypocriſim. Aut nõ oſtendẽdo ſed occultãdo ſigna, quæ communiter ſequi ſolent mala inexiſtentia, & hæc ſimulatio non eſt mala, imò eſt laudabilis eo modo, quo in malo aliquod poteſt dici laudabile. Nam vituperabile eſt malo intus latenti addere malum ſignum exterius. Eſt & vituperabile prædicare proprium peccatum. Sic enim de quibuſdam dicitur quod peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicauerunt. Vide de hoc latiùs Scotum & Gabrielem di. xxxviij. q. vnica, ar. iij. lib. iij. & differt ſimulo à diſsimulo. Simulamus enim ea eſſe quæ non ſunt. Diſsimulamus ea non eſſe quæ ſunt, &c.

Simulatio eſt propriè mẽdacium in ſignis factorum exteriorum, ideo ſemper eſt peccatum. Sed largè ſumitur pro fictione ſecundum beatum Tho. ſecunda ſecundæ qo. cxj. art. j. Contingit autem fieri ſimulationem amicitiæ vel obſequij tripliciter in ſtatu & profeſsione, in geſtu, & operatione, in affectu ſeu locutione. Hanc triplicem beoeuolentię ſimulationem ſi quærimus, in Iuda reperimus erga Ieſum (vt ſcribit Gerſ. parte ij. ſermo. in cœna Do-

mini ad Eccleſiaſticos,qui incipit: Tradidit Ieſum Iudas Simonis Iſcariotis) ſicut his tribus modis in genere finxit ſe Iudas ſibi beneuolum, ſcilicet in ſtatu, vt quia Apoſtolus eius fuit. in geſtu, vt quia oſculum ei dedit. in affectu, vt quia eum Rabbi nominauit, &c. Diſtinguit ſanctus Bonauen. Simulationem quandam cautelæ, quandam doctrinæ, quandam deceptionis. De quo vide in dictione *Mendacium*.

Sindagium, vide in dictione *Præſtatio*.

Synagoga, coaduuatio, congregatio, contractio, ex σὺν ſimul, ἀγωγὴ ductio, & pro re & loco capitur: & habet penultimam longam. Vnde ſynagoga Iudæorũ, quæ repudiata eſt & prius electa: demeruit ita priùs fieri, dicēte Propheta ad Deum: Quoniam qui elongant ſe à te peribunt, perdidiſti omnes qui fornicantur abs te. Elongata eſt, periit, fornicata eſt, diſperſa eſt, & repudiata: & Eccleſia Gentium gratis electa ſub typo Vaſthi ſuperbæ & Heſter gratioſæ, vt dicit Gerſon parte iij. ſuper Cantica canticorum, ſimpſalt. 9. Vnde Iacobus de Valentia Pſalm. 106. Synagoga quæ erat fructifera & irrigua, facta eſt ſterilis & arida: & populus Gentilis, qui erat ſterilis & aridus, ſine lege, factus eſt irriguus & fructifer: & fructus ſynagogæ tranſlatus eſt in populum Gentilem, &c. Ita nemo fidelis benedicit hodie ſynagogam, vt idem dicit Pſal. 128. nec fœno ſacramentorum eius cùm ſit arida & maledicta, quia in ea quæ naſcuntur in ea, non creſcunt in nomine Domini, ideo non creſcunt nec virent. Iſta ſententia & maledictio data ſynagogæ, datur omnibus Iudæis proteruis, & omnibus infidelibus perſequentibus Eccleſiam, & hæreticis, tam in corpore quàm in anima. Nam eorum ceruices & perfidia eſt conciſa, & proſtrata, & idolatria deleta, & omnes ad fidem ſunt conuerſi. Et ſynagoga Iudæorum multiplici pœna fuit plexa & punita poſt mortem Chriſti, quia diſperſi per mundum, & dediti ſeruituti, & cùm vidit Chriſtum reſurrexiſſe, & Eccleſiam proſperari, ideo confuſa manens in mendacio. Item ab omni honore deiecta cùm perdidit ſacerdotium, & hoſtiam, & ſacrificium. Et quod ceremonialia & legalia perdiderunt virtutem, factaq; eſt infructuoſa: quia cum Chriſto fuerunt mortua & ſepulta legalia. Fuit inſuper maledicta à Deo, quia poſt publicationem legalia fuerunt mortifera, etiam ab omnibus nationibus maledicta, & data in opprobrium propter mortem Chriſti, quia vt ſic reputati ſunt inimici Dei. Id quod latiùs deducit Valentia. vbi ſupra.

Syneſis, Græca dictio eſt σύνεσις. & eſt virtus bene iudicatiua de agibilibus ſecundum legem communem. Gnomi verò ſecundum altiora principia, ſcilicet iuris naturalis, ideo eſt altior ſecundum beatum Thomam ſecunda ſecundæ quæſt. xlviij. cap. finali.

Syntereſis Græca dictio eſt συντήρησις, attenſio, & conſeruatio, & pars animæ, quæ ſemper aduerſatur vitiis, & perpetrata mala continuò arguit, quam Latini Theologi corrupto vocabulo ſyndereſim vocant, cùm ſyntereſis penult. product. dicendum ſit. Huius autem erroris cauſa fuit quod Græci literam t ſi s præceſſerit in d, quantum ad pronunciationem pertinet, mutant, vt ſcribit Ioannes Craſtonus in vocabulario Græco, & Dominicus Nauus. Et dicitur ſyntereſis à συντηρέω, conſeruo, quod ſemper cupiat ſeſe à peccato ſeruare immaculata. Et ſyntereſis non nominat rationem ſuperiorem, nec inferiorem, ſed aliquid communiter ſe habens ad vtramque ſecundum beatum Thomam in quæſtione de veritate, quæſt. xvj. artic. j. & actus ſyntereſis eſt remurmurare malo, & inclinare ad bonum ſecundum eundem Thomam ibidem. Et ſyntereſis Græcè interpretatur ſecundum aliquos ſcintilla conſcientiæ. Vnde Gloſſa ſuper Ezech. vocat eam ſcintillam conſcientię, quæ nō extinguitur etiā in peccatore, vt patet in Cain: & vt dicit Thomas diſtinct. xxxix. lib. ij. quæſt. j. artic. iij. vocatur ſcintilla: quia ſicut in igne videmus, quod ſcintilla eſt pars ignis magis eleuata, ſic pars animę ſuprema dicitur ſcintilla, qua cū ſpiritibus Angelicis conuenimus. Syntereſis ergo intelligitur altior ſuprema portione rationis, vt ſcribit Pelbartus libro ij. Roſarij Theologiæ. Et ſyntereſis ſecundum Thomam parte j. quæſt. lxxix. eſt habitus primorum principiorum practicorum in nobis naturaliter inditus. Conſcientia verò eſt actus quo ſcientia applicatur ad agenda. Vide ſanctum Bonauen. diſt. xxxix. quæſt. iiij. lib. ij. & Gabriëlem eadem diſt. quæſt. vnica, lib. ij. & Scotum. Syntereſi quoque attribuitur inſtigare ad bonum, & remurmurare malo. De quo videatur Gabr. & Bonauen. di. vlt. art. ij. q. ij. li. iiij. & in ij. vbi ſupra. Et ſyntereſis eſt quoddā naturaliter inclinās ad bonum & remurmurās malo inextinguibili, & ſic nō poteſt eſſe actus rationis vel voluntatis, quia nullus talis ſemper eſt in homine, cùm in principio creationis anima ſit tanquam tabula raſa, &c. 3. de anima. Nec eſt habitus aliquis adquiſitus eadē ratione, ſed erit vel habitus innatus inſeparabilis ab anima ſi ponitur, vel ipſamet potentia ad bonum neceſſariò & naturaliter inclinata.

Syntereſis poteſt ſic deſcribi: Eſt potentia nata aſſentire naturaliter principio practico euidenti ex terminis dictanti, id eſt ſignificanti in vniuerſali aliquid operandum, appetendum vel fugiendum. Dicitur potentia, per hoc excluditur actus & habitus adquiſitus. Dicitur, nata aſſentire, quia non oportet quod actu aſſentiat: quia etiam potentia dicitur ſyntereſis dum actu nullum principium apprehendit. Dicitur naturaliter, id eſt ſtatim apprehēſis terminis, quia non requirit probationem vel diſcurſum ad hoc quod aſſentiat, ſed ex cōditione ſuæ naturæ ſtatim apprehēſis terminis, nō poteſt nō aſſentire de principio practico, quia nō dicitur ſyntereſis reſpectu principij ſpeculatiui, quod ſequitur dictanti, &c. Declarat hoc quod dicitur principiū practicū. Dicitur, euidēti ex terminis, quia reſpectu principij euidētis per experientiā nō dicitur ſyntereſis, eò q, tale principium apprehēſum poteſt ignorari. Additur in vniuerſali ad excludendū conſcientiā, quæ eſt cōcluſionis practicę in particulari dictātis. Gabriël di. xxxix. lib. ij. Et ſyntereſis quandoq; vocatur apex mentis, quādoq; ſcintilla rationis, quādoq; naturalis inſtinctus in bonū (vt dicit Gerſon part. iij. ſerm. de natiuitate virginis Mariæ). Hanc

ſynteriſim nec ipſi violatores & conſtupratores animarum dæmones corrumpere poſſunt, etiam in inferno, quum ad bonum ſtimulet, & ad malum remurmuret. Hinc naſcitur acerbiſsimus ille vermis, qui non morietur. Hinc rixa diſcerpens & diſsipans (ſupra quàm cogitari poteſt) animam felicem, dum ſynteréſis impellit ad dilectionem Dei; ſed reproba voluntas toto odiorum conatu reſilit in aduerſum. Hæc Gerſon. Et ſecundum eundem deſcribitur ſynteréſis parte ij. de myſtica Theologia ſpeculatiua, dicens: Synteréſis eſt vis animæ appetitiua ſuſcipiens immediatè à Deo naturalem quandam inclinationem ad bonum, per quam trahitur inſequi motionem boni ex apprehenſione ſimplicis intelligentiæ præſentati. Quemadmodum namque ſe habet intelligentia reſpectu veri primi & certi: ita ſynteréſis reſpectu boni finalis ſine mixtione malitiæ ſimpliciter præſentati. Vide latiùs eum ibi. Porrò ſynteréſis (vt idem ait tractatu vij. ſuper Cantico Mariæ) eſt naturale iudicatorium vel inclinatio, ſicut alij loquuntur. Sed hoc iudicatorium generaliter attenditur ad verum malum, & inclinatio ad bonum: ſimiliter in vniuerſali, &c. Synteréſis ſecundum eundem in compendio Theologiæ, eſt vis motiua ſeu potentia naturalis animæ rationalis, quæ ſemper nata eſt figi in ſuperioribus naturaliter mouens & ſtimulans ad bonum, & abhorrens malum: & in iſtis nunquam eſt errans, nec ſecundum ſynteréſim eſt peccare. Et dicunt aliqui ſynteréſim eſſe conſcientiam vel conſcientiæ iudicium. Et dicitur etiam vis imperatiua, quia ſemper de ſe imperat & inclinat ad bonum. Aliàs de ſynteréſi latiùs ſcribit Gerſon. Et ſynteriſis quę eſt ſcintilla conſcientię, non eſt actus vel habitus in voluntate. Item ſynteréſis, quæ eſt ſcintilla rationis, pertinet ad partem intellectiuam rationis. Et eſt ſynteréſis potentia intellectiua realiter principiis practicis ex terminis euidentibus nata aſſentire naturaliter. Hæc omnia copioſe tractantur & declarantur à Gabriële diſtinct. xxxix. quæſt. vnica, libr. ij. Et hæc potentia intellectiua eſt naturale lumen & naturalis ſcintilla, quæ extingui non poteſt, quia non poteſt non aſſentire principio ex terminis euidentibus. Ipſe quoque intellectus eſt in omni anima rationali verius eſt ipſa anima rationalis. Et vt ſanctus Bonauentura dicit quæſt. v. diſtinct. xxxix. libr. ij. quantum ad actum poteſt impediri, ſed extingui non poteſt: quia cùm dicit quid naturale, non poteſt omnino auferri. Poteſt autē (vt idem dicit) ad tēpus impediri, ſiue propter tenebrā obcæcationis, ſiue propter laſciuiā delectationis, ſiue propter duriciem obſtinationis. Propter tenebrā obcæcationis impeditur, ne malo remurmuret, pro eo quòd malū creditur eſſe bonū. Sicut in hæreticis, qui morientes pro impietate erroris, credūt ſe mori pro pietate fidei: & ideo remorſum non ſentiunt, ſed magis propter gaudium fictum & vanum, propter laſciuiam delectationis. Aliquando enim in peccatis carnalibus ita abſorbetur homo, vt remorſus non habeat locum: quia carnales homines tanto impetu delectationis feruntur, vt ratio non habeat locum propter duriciem obſtinationis. Etiam impeditur ſynteréſis ne ad bonum ſtimulet, ſicut in damnatis, quia adeo ſunt in malo obſtinati, vt nunquam poſſint ad bonum inclinari. Et ita ſynteréſis quantum ad inſtigationē ad bonum ſempiternū habet impedimentū: & propterea quantū ad illum actū poteſt dici extincta: nō tamē extincta ſimpliciter, quia habet alium vſum, ſcilicet remurmurationem. Nam ſecundum illum vſum, ſecundum quem ſynteréſis habet pungere, & remurmurare contra malum, maximè vigebit in damnatis, & hoc prout remurmuratio contra malum tenet rationem pœnæ, non prout tenet rationem iuſtitiæ, quia illa remurmuratio erit ad commendandum diuinam iuſtitiam, non ad eliciendum fructuoſam pœnitentiam. Hæc Bonauentura. Vnde ſynteréſis remurmurabit in damnatis contra culpam, in relatione tamen ad pœnam. Et ſic patet, quod ſynteréſis quantum ad actum impediri poteſt, nunquā tamē extingui poteſt vniuerſaliter quantū ad actū omnē, & quantum ad omne tempus. Vide & Gabriëlem clarius diſt. xxxix. quæſt. vnica, lib. ij. Et ſynteréſis & conſcientia pertinent ad rationem, ſicut contemnere & peccare ad voluntatem. Similiter & obſtinatio.

Synonyma nomina dicuntur, quæ ſub diuerſis vocibus idem ſignificant, vt enſis, mucro, gladius, eadem dicuntur polyonyma: Et ſecundum Logicos ſynonyma uno modo dicuntur, quia ſignificant idem cōuertibiliter & eodem modo, ita quod nihil ſignificatur vel connotatur per vnum, quin eodem modo ſignificetur vel connotetur per reliquum. Illo modo Deus, deitas ſunt ſynonyma, ſimiliter homo & humanitas, animal, animalitas. Alio modo dicūtur ſynonyma, quæ ſignificāt idem & eodem modo, vt ſupra: & præter hoc omnes tam imponentes quàm vtentes intelligunt, quod ſimpliciter idem & eodem modo ſignificant. Et hoc modo Deus & deitas, homo & humanitas nō ſunt ſynonyma. Nam impoſitores impoſuerunt Deus ad ſignificandum ſimpliciter idem quod eſt Deus, homo idem quod eſt homo, & deitas ad ſignificandum id quo Deus eſt formaliter Deus, humanitas id quo homo formaliter eſt homo, relinquentes in dubio an id quo Deus formaliter eſt Deus ſit Deus: & an id quo homo formaliter eſt homo, ſit ipſemet homo: & ita an illa ſit vera vel falſa: Deus eſt deitas, homo eſt humanitas. Gabriël diſtinct. ij. quæſt. iij. lib. j.

Siniſter contrarium eſt dexter. Aliquando ſignificat aduerſum, noxium. Virgilius lib. 1. Georgic.

Arboribusq; ſatisq; notus, pecorumq; ſiniſter.

Siniſtrum autem quātum ad Auguria pertinet, ſignificat proſperum, quod nos agere aliquid ſinat. Et ſiniſtra manus læua à ſino, is, quod gerere nos dextra manu, quæ aptior eſt ſinat. Et ſiniſtrorſum aduerbium, ſignificat verſus ſiniſtram partem, & ſiniſtre. Vnde ſiniſtre intrare dicitur, qui ſine iuſto titulo ſe intrudit ad beneficiū aliquod, capiendo beneficium largè, vt extendit ſe ad omnes prælaturas, dignitates, perſonatus, præbendas, officia, & beneficia, curata, & ſimplicia. Gabriël diſtin. xv. quæſt. viij. artic. ij. lib. iiij. vbi probat, quod omnes ad Eccleſiaſtica beneficia ſiniſtre intrantes tenentur de neceſsitate ſalutis beneficium reſignare ac fructus receptos Eccleſiæ reſtituere, niſi eis miſericorditer

ricordiret ſuccurratur legitima diſpēſatione. Nam quicunq; non intrat per oſtium, ſed aliunde, fur eſt & latro. Ioan. 10. Vide latiùs Gab. vbi ſupra.

Sinus dicitur illa pars quæ eſt intra pectora, brachiorumque complexum. Hioc ſinus veſtiū appellatur, quales erant tunicæ Romanorū: & laxitas illa ſuper cincturā. Et per tranſlationē ſinus vocātur littora curua ad ſimilitudinē ſinus, & quaſi brachiis mare amplectētia, à quo curuitas ipſa ſinuatio dicitur. Aliquādo ſinus dicitur cōcauitas oculorū, ſcilicet palpebræ, vbi lachrymarū cōceptacula ſunt propter quandā ſimilitudinem. Aliquando capitur pro quacūq; re fluēte ob laxitatē atq; capacitatē. Vnde & retia ſinus vocātur. Aliquādo ponitur pro velo, qood ventis flātibus curuatur & ſinū facit. Sed de hoc Grammatici. Sed ſinus in ſacra ſcriprura locus eſt, in quo Abrahā cū ſanctis patribus vſq; ad Chriſti aduentū perſtitit. Et dicitur ſinus Abrahę requies in qua Abraham fuit: & hoc attribuitur Abrahæ, vt ſcribit S. Bona. d. j. li. iiij. circa textū, propter perfectionis fidei exemplū, quaſi primarium. Vel ſinus Abrahę dicitur requies Dei Patris, qui dicitur Abrahā: quia ſummus pater eſt omniū maximè fideliū, vel ſinus Abrahæ eſt locus quietus Purgatoriū, vt ſcribit Richar. d. vlt. li. iiij. circa text. de quo vide in dictione *limbus Patrum* ſupra. Et Gloſ. Luc. 16. dicit: Sinus Abrahæ eſt requies beatorū pauperū, ſed illa eſt regnū cœlorū, & hæc eſt viſio Dei: & ſic eſt locus gloriæ & Paradiſus, ad quem locū nunc optamus, & oramus mortuorū animas peruenire, cùm canitur: Et perducat eas in ſinum Abrahæ, &c.

Synthoma poteſt accipi pro ſequela vel infirmitate. Vnde S. Bona. d. xxv. li. iij. aīt: Habitus donorū ordinātur ad ſanandū ſynthomata, ſed in patria nulla erit infirmitas: ergo nulla erit donorum neceſsitas nec vtilitas: & paulò ſup. Et cōtra hoc eſt numerus peccatorū capitaliū, & numerus ſeptē ſynthomatū, ſiue ſequelarum, quæ ponit Greg. in Moral.

Syon eſt mons terrę promiſsionis fructifer, & interpretatur ſpecula, ad denotandū quod in ea debebat Chriſtus apparere & videri in cruce, & in prædicatione ſuper quem debebat deſcendere ros, & gratia donorū ſpiritusſancti ſuper diſcipulos, & totā Eccleſiā in monte Syon in die Pentecoſtes congregatam: qui quidē ros facit Eccleſiā fructiferā fœcunditate ſacramentorū: ita ſcribit Iacob. de Valen. Pſal. 131. & ibidem de monte Hermon. Et Gerſ. par. iij. in expoſitione ſuper 5. Pſal. pœnitentiali. Syon, inquit, ſpeculatio interpretatur, per quam militans Eccleſia vel fidelis anima intelligitur, quæ nunc Deū per ſpeculū & ænigmate ſpeculari nititur, &c.

Sobrietas Græcè σωφροσύνη dicitur. Et ſobrietas propriè eſt circa potum inebriatiuū. Largè verò circa omnem materiā, ſecundū B. Thom. ij. ij. qu. cxliij. Et ſobrietatis nomine etiā temperātia ſignificatur. Et ſobrius eſt, qui in cibo & potu temperans eſt, quaſi ſine ebrietate. Et ſobrietas ſecundū Paulum Corteſ. lib. iij. ſent. ſuarū di. viij. potationū menſio nominatur, ne ratio lāguefacta elidatur. Vini enim copia cerebri naturam quatit, ideoque maximè mulierculas & pueros abſtemios eſſe debere dicimus, quorū aliæ propter rationis imbecillitatē: alij propter ætatis feruorē procliuius ad blādiſsima voluptatū genera labātur. Corteſius. Hanc laudat virtutem Gerſon parte iiij. in ſerm. Dominicæ Quadrageſimæ cōtra ſuperbiā. Sobrietas enim (inquit) vinorū & ciborū facit animā ſobriam & eleuari ad Deum, aufert vitia & plantat virtutes. Vis acquirere ſenſum & ſapientiam, ſobrietas neceſſaria eſt. Exemplo Salomonis & Daniëlis, ſociorumq; eius. Vis habere animę ſanitatē, imò & corporis, opus eſt tibi ſobrietate, ſecundō enim dictū Sapiētis: In multis eſcis erit infirmitas. Et plures gula quā gladius occidit. Vis pacare Deū, & de præteritis peccatis ſalutatē agere pœnitentiā, ſume ſobrietatē exemplo Niniuitarū & Dauid, ac generaliter omnium verè pœnitentium. Vis ſeruare iuſtā tuam hæreditatem in Paradiſo, ſobrietas tibi neceſſaria eſt. Alioquin ipſam perderes exēplo Eſau, Euę, & Adæ. Vis claudere portam omnibus vitiis, ſume ſobrietatē, alioquin anima tua omnibus exponetur peccatis. Hæc Gerſon. Et plura apud alios de ea ſcribuntur.

Socius propriè dicitur qui in re ſeria & laborioſa alicuius pars eſt. Vnde ſocij populi Romani dicebantur, ita cum his fœdere coniuncti, vt pacis & belli participes eſſent. Dicitur autem ſocius, vel quod ſecet & diuidat laborem alterius: vel quod eum in re laborioſa ſequatur. Et differunt ſocius, comes, & ſodalis, quod comes eſt qui cum alio ſimul it, & tanquam ducem ſequitur. Sodalis in rebus leuioribus, & ferè in conuiuiis. Dicunturque ſodales, quaſi ſimul edales, ſicut comites, quaſi ſimul euntes. Vel ſodales dicuntur, quaſi ſimul in menſa ſedeant, vel quod inter ſe ſuadeant quod cōmodum eſt. Apoſtolus 2. Corinth. 1. Sicut ſocij paſſionum eſtis, ſic eritis & conſolationis.

Societas (vt ſcribit Gabr. di. xv. q. xj. art. iij. dub. x. lib. iiij.) eſt fraternitas quædam & conuentio plurium contracta ob commodiorem vſum & vberiorem quæſtum, vt dum plures conueniunt ad ſimul mercandum, componentes ſimul pecuniam & labores, & induſtriam ad cōmune lucrum. Et quomodo illa ſocietas poteſt contrahi, & quādo ſit licita, vide ibidē. In re autē turpi & flagitioſa ſocietas contrahi nō poteſt: & ideo ad cōmittendum vſuram, ſocietas contrahi non poteſt, & ſimilibus. Seruanda quoq; eſt æquitas in omnibus, damno, ſcilicet & lucro: de quo latiùs Gabr. vbi ſupra.

Societas ſecundū B. Tho. eſt adunatio hominū ad aliquid perficiendū. Illud multiplicatur ſecundū illud ex B. Tho. opuſcul. cōtra religionis impugnatores. Philoſo. duas ponit primò ſocietates. Ponit iconomicā & politicā. Politica verò multiplex eſt. Vna ciuitatis perfectę. Altera patriæ magnæ ſeu prouinciæ. Deinde politias bonas diſtinguit in regnū Ariſtocraciā, & Timocraciā. Policiā verò ſacerdotū, quę dudū druydes in Gallia vocabatur: determinat partē eſſe policię cuiuſlibet perfectę, ſicut & milites & populi: de hoc meminit Gerſ. trac. xj. ſuper cā. Ma.

Sodomia eſt turpitudo in maſculū facta, vt habetur xxxij. q. ij. ca. Vſus. & ſecundū B. Tho. ij. ij. Sodomia, id eſt coitus maſculorū, eſt ſpecies luxuriæ cōtra naturā: & Zodoma muta interpretatur, & ideo quia mutos ſine confeſsione conſueuit pręcipitare in ſtagnum ſulphuris ardentis, cuius fumus tormentorum aſcendit in ſecula (inquit Gerſon parte j.

te j. ſermone facto Conſtantiæ in die ſancti Antonij.) Vitium hoc cæteris longè peius & flagitioſius. In Sodomitas inuehitur Lactantius Firmianus libro ſexto, cap. 23. diuin. inſtit. Non poteſt (inquit) hæc res pro magnitudine ſceleris enarrari. Nihil amplius iſtos appellare poſſum quàm impios & parricidas, quibus non ſufficit ſexus à Deo datus, niſi & ſuū ſexum prophanè ac petulāter illudant, &c. Aliàs multa de Sodomiæ vitio & vitioſis & peſſimis illis hominibus dicitur, & in triumpho Veneris pauca annotauimus lib. v.

Solatium (vt ſcribit Gerſon parte iij. tractatu iij. de canticis & ſolatio thomo iij. eſt mulcebris paſſio conſurgens ex perceptione coniunctionis obiecti conuenientis cum ſubiecto conuenienti. Vel ſic: Solatium eſt perceptio conuenientis coniuncti. Solatium ſumitur amplè, vt ſe extendit ad omnem potentiam cognitiuam ſenſualem, ſcilicet rationalem & intellectualem, vt dicimus Deum & Angelos, & animalia delectari vel ſolaciari. Solatium appropiatè ſumptum, eſt gaudium non qualecunque, ſed inter anxietates, moleſtias & dolores, proueniens apud hominem ſecum manentem: vt in fletu fit ſolatium. Vnde illud:

Solantur miſeri ſua fata fratis.

Hinc Spiritusſanctus dicitur conſolator, & virgo Maria conſolatrix miſerorum dante Deo, confert. Et ſolatium quodlibet oritur ex amore: ideo qualis eſt amoris, talis eſt ſolatij bonitas & finis. Vnde ſicut duas amicitias duo amores conſtituunt, ſic & duo ſolatia. Solatium terrenum, animale & diabolicum inſtar Epicureorum, operatur amor ſui vſque ad contemptum Dei. Solatium verò quale deſurſum, eſt pium, pudicum, pacificum, ſuaſibile & miſericordia plenum, cauſat amor Dei vſque ad contemptum ſui. Et ſolatium in homine multipliciter reperitur iuxta multiplicem in ipſo potentiam cognitiuam, atque ſubiectiuam, quemadmodum notauit Chriſtus, exprimens animam, ſpiritum, carnem, dum ait: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem: ſpiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma. Solatium infirmæ carnis eſt delectatio ſenſus exterioris, cuius ſubiectum eſt caro aut neruus ſenſibilis, mediante ſpiritu corporali & ſubtili, vnde conſurgit facilitas aut difficultas ſolatij, iuxta complexionis corporalis qualitatem accidentalem vel innatam. Solatium animæ triſtis, quandoque eſt gaudium imaginatiuæ vel cogitatiuæ virtutis organo corporeo intus vtentis. Solatium animæ triſtis, quandoque eſt gaudium rationis, organo corporeo non vtentis in actibus ſuis. Solatium prompti ſpiritus, eſt gaudium mentis, quæ ſuperior eſt portio rationis, ſic præcedens eſt inferior. Et ſolatium quodlibet in homine repertum dicitur aliquando ſolatium cordis, aliquando ſolatium animæ, aliquando ſolatium ſpiritus, aliquando ſolatium carnis, iuxta diuerſos à Doctoribus modos vtendi prædictis nominibus. Et ſolatium in quibuſdam rebus eſt quadrifariè, vt in homine. In quibuſdam bifariè, vt in brutis. In quibuſdam nullo modo, ſicut in rebus ſine anima. Solatium intrinſecè liberum vel laudabile, non inuenitur præter quàm in vtentibus iudicio rationis. Eſt & ſolatium deceptorium, quod tot modis oriri poteſt, quot modis potentiæ apprehenſiuæ poſſunt in apparentiis & iudiciis ſuis falli. Et ſolatium à deceptione multum auertitur per habitus virtuales, tā intellectuales quàm morales, quàm infuſos ſupernaturales: imò & per naturales: & frequenter ſolatium inficitur & deprauatur per affectum vitioſum qualemcunque. Hinc dictum eſt: Excæcauit eos malitia eorum: & omnis malus ignorans: & quot capita, id eſt affectiones, tot ſententiæ. Solatium autem quærendum eſt principaliter propter Deum: vt humilius timeatur, feruentius diligatur, & alacrius honoretur. Sic aiebat Propheta, loquens optabundus Deo: Lætetur cor meum vt timeat nomen tuum. Poteſt tamen homo ſolatium quærere propter ſe, non tamen principaliter, ſed ſub Deo: ſicut inclinauit Pſalmiſta cor ſuum ad faciendas Dei iuſtificationes in æternum propter retributionem. Hæc & multa alia ſcribit de ſolatio Chriſtianiſſimus Doctor & Cancellarius Pariſienſis Gerſon vbi ſupra. Pauca ſufficiant ex multis.

Solenne eſt quod omnibus annis præſtari debet, à ſolus & annus, hoc eſt anniuerſarium: quare ſolennes ceremonias dicimus, quæ ſunt anniuerſario ſacrificio religioſe. Item ſacra ſolennia, quæ certis & ſtatutis temporibus fiunt. Nec viris aptè iungitur dicentes: Solennis vir doctor, quod aliàs arguimus: à quo ſolennitas.

Solertia eſt ſubtilitas quædam in nō perſpecto tempore medij, ſecundum Ariſtotelem. Vel eſt habitus ex repentino inueniens, quod conuenit, ſecundum beatum Thomam iij. ſententiarum, diſt. xxxiij. quæſt. iij. artic. j. Et ſecundum eundem ſuper poſtilla lectione iiij. Solertia eſt quædam ſubtilis & facilis, & prompta coniecturatio medij propter quod aliquid euenit, & hoc quando non habet magnum tempus ad perſpiciendum & deliberandum. Solers eſt qui in omni tempore prudens, quaſi totus ex arte. Et dicitur ingenioſus & artificioſus, quique in omnibus rebus prudens eſt. Vnde ſolertia, quorum contraria ſunt iners, quaſi ſine arte, & inertia.

Solicitudo dicitur cura mentis, & inquietudo, quæ mentibus inhæret: & eſt ægritudo animi cum cogitatione, ſecundum Ciceronem libro Tuſcu. quæſtion. Vel ſolicitudo ſecundum beatum Thomam ſecunda ſecundæ, quæſt. lv. artic. vj. eſt rationabile ſtudium adhibitum ad aliquid conſequēdum quod maius eſt, vbi eſt timor: minus eſt vbi eſt ſecuritas. Et venit à ſolicito verbo, quod dicitur à ſolo & cito, quaſi ſolo cito, hoc eſt loco dimoueo.

Solicitudo temporalium futurorum eſt irrationabile ſtudium, quo quæruntur futura tanquam fines, & vltra neceſſitatem præſentis vitæ. De qua Chriſtus Math. 6. Nolite ſolliciti eſſe in craſtinum. Sollicitudo autem temporalium tripliciter dicitur illicita, vt ſcribit ſanctus Thomas ſecunda ſecundæ, quæſt. lv. artic. vj. Primò quum temporalia quærimus tanquam finem. Secundò, quum in eis procurandis adeo ſuperfluum adhibetur ſtudium, vt homo retrahatur à ſpiritualibus, quibus principaliter inſeruire debet. Tertiò, quum faciendo quis quod debet, timet ne ſibi neceſſaria deſint.

deſint. De quo Chriſtus Matth.6.& Lucæ 12. Nolite ſoliciti eſſe, dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus. Non autem omnis ſolicitudo prohibetur, ſed immoderata. Nam quod moderata ſolicitudo concedatur, innuit Dominus, cùm docuit nos orare, dicendo: Panem noſtrum quotidianum, &c. Non ergo prohibetur moderata & opportuna curatio, & cogitatio de craſtino: ſicut aliqui errantes docuerunt, ſed immoderata. Eſt autem ſolicitudo immoderata tripliciter (vt ſcribit Gabriël lectione lxx. canonis) quia vel eſt ſuperflua, anxia, finalis cauſa quærendi. Superflua eſt quæ animum impedit à ſpiritualibus quærendis, ſicut quæ eſt in multa futura tempora, quaſi ſemper victuri eſſemus, & locum manentem hic habeamus, & non magis futuram inquirere deberemus. Solicitudo anxia eſt, quæ diffidentiam habet de largitate diuinæ prouiſionis: hæc eſt in auaris diuitibus, qui ſemper timent deficere: ideo con cœſant cum cordis anxietate & parta tueri, & ſuperfluas prouiſiones facere, ac diuitias diuitiis cumulare in præiudicium pauperum, & crebrò in propriæ ſalutis detrimentum, quaſi Deo non eſſet cura de ſuis.

Solicitudo principalis quæ eſt rei alicuius, vt cauſæ finalis: hæc eſt quæ habetur de aliquo tanquã principaliter intento propter quod alia intenduntur, & ipſum tanquam finis intenditur. In quo adepto is qui intendit, quietatur: nec id in aliud magis concupiſcendum ordinatur, quàm habent de cibo & temporalibus homines voluptuoſi, & pecudum vitam eligentes, vt dicit Philoſophus 1. Ethic. cap.3. ſimiles Sardanapalo Aſſyriorum Regi, qui vitam egit in voluptatibus. De hac triplici ſolicitudine amouere & deterrere volens Dominus oratione, qua nos docuit petere panem quotidianum, ſolicitudinem, inquam, immoderatam increpans. De quo latiùs legito Gabriëlem vbi ſupra.

Solicitudo quædam eſt Dei, quædam mundi: vna ſpiritualis, altera temporalis, vtraque bona, alioquin culpata fuiſſet vxoratorũ cum ſua ſolicitudine conditio. Prima tamen melior atque diuinior, adeo vt vacatio dici poſſit, vt ſcribit Gerſon parte ij. de ſolicitudine Eccleſiaſticorum. De qua Apoſtolus 1. Corinth.7. Volo vos, inquit, ſine ſolicitudine eſſe. Etiam alibi ad Philippen.4. Nihil ſoliciti ſitis. Et per Pſalm. Dominus: Vacate, inquit, & videte quoniam ego ſum Deus, &c.

Solitudo ſecundum beatum Thom. ſecunda ſecundæ quæſt. clxxxviij. art. viij. non eſt de eſſentia perfectionis, ſed eſt inſtrumentum congruum contemplationi, non autem actioni. Triplex autem finis ſolitudinis eſſe debet (vt ſcribit Gerſon tractatu xj. ſuper Cantico glorioſæ Virginis.) Vnus peccandi vitatio. Alius peccatorum punitio. Tertius ad Deum approximatio. Et eſt triplex ſolitudo, ſcilicet deſerti, vt in eremicolis. Solitudo clauſtri vel cœnobiorum, quæ habetur per regulas ipſorum, quæ conueniunt omnes eſſentialiter in triplici voto obedientiæ, paupertatis continentiæ. Et ſolitudo deſerti in eremicolis, patet, iuxta narrationes & vitas Patrum, qui præterea ſunt, & qui nunc ad hanc ſolitudinem idonea tradiderũt. Tertia ſolitudo eſt tecti ſeu templi: in hac non ita cog-nitionem inuenimus traditam: participat autem cum vtraque priori ſolitudine, differens tamen ab vtraq; nulla lege viuendi ſub voto aſtringitur imitans in hoc voluntarios eremitas: nihilominus locum villarum vel ciuitatum non relinquunt diſpares in hoc eremitis. Vide de hoc latiùs Gerſonem vbi ſupra. Et quibuſdam (vt idem dicit de monte contemplationis cap. xviij.) ex gratia Dei ſpeciali collatum fuit, vt in iuuentute ſua ſolitudini & ſolitariæ habitationi ſeipſos traderent, quemadmodum ſanctus Benedictus legitur feciſſe. Ipſe tamen in regula ſua per ſe illud non conſulit, ſicut etiam alij eremitæ & doctores perſuadentes ne quis illud audeat attentare & aggredi, quia gratia vnà ſingularis alicui donata, non eſt omnino trahenda ad conſequentiam, ſeu non omnibus imitanda. Et qui quandoque oppoſitum auſi ſunt facere, ſcilicet quærere ſolitudinem & ocioſitatem ſine præcedente labore & prauia bona inſtructione ac conſuetudine cõuerſationis inter ſocietatem miſerabiliter ſunt defraudati. Ratio, volare enim niſi ſunt antequam eſſent alati: & congredi bellum cum inimico immaniſsimo priuſquam alios minores debellaſſent aduerſarios, ſcilicet mundum & carnem. Hæc Gerſon, & cap. xxiij. idem Gerſon de monte contemplationis duplicem ponit ſolitudinem, ſcilicet interiorem & exteriorem, cùm ait: Secundum ſtatuum diuerſitatem & conditionum, & varietatem hominum poteſt quilibet reperire locum ſibi ſecretum: vt inibi in pace quieſcat, & in ſilentio. Verum tamen eſt quod principale ſecretum & ſilentium haberi debet ad intra in anima magis quàm ad extra, hoc eſt quod anima excludat à ſe & habitatione ſua omnem curam humanam, mundanam, omnemque cogitationem vanam vel nociuam, & quæcunque eam impedire poſſunt ad illud perueniendum quo tendit. Accidit etiam quod aliquis ſæpe corpore ſolus ſit ab hominibus ſegregatus, nihilominus tamen per phantaſias cogitationes & melancholias patitur, & ſuffert grauiſsimam, oneroſamque ſocietatem in ſemetipſo, &c. Iſtarum ſolitudinum duarum abſentia inter ſe multum differt. Anima enim deuota contemplatiua, non eſt ſola, quia exiſtit in ſocietate optima, vtili & delectabili, ſcilicet cum Deo & ſanctis eius, per ſancta deſideria, deuotas, ſanctasque cogitationes. Alia autem vtitur ſocietate valde damnoſa, vel ſaltem ei nihil proficua, anima, ſcilicet ita inutiliter mente vagabunda. Hæc Gerſon vbi ſupra, qui & multa alia de ſolitudine & vita ſolitaria ſcribit: quæ bonis eſt vbique malis nuſquam. Vnde idem tractatu j. ſuper Magnificat. Ego verò neque ſolitariam vitam, neque ſocietatem appellabo, vtpote quæ vita non eſt, ſed mors horrida, monſtrum horrendum, peccator ingens eſt, qui ſecum diſsidet, qui conuenit nulli, qui diſſipatur & ſoluitur curis & ſceleribus, facinoribus, & flagitiis, inceſſanter, ſine modo, ſine ordine, ſine pondere & menſura: vt ſubſiſtens ſe odit in ſe, in ſe ſæuit, malus omnibus, peſsimus ſibi, & eò infelicius quò deterioribus peccatis fuerit obnoxius à primo peccatore vſque ad vltimum. Et vita ſolitaria ſic deſcribitur à Gerſone vbi ſupra. Vita ſolitaria eſt vita intellectualis naturæ ſeu rationalis;

quæ agitur ſegregatim à multis & propter Deum. De qua plura legito apud eundem, & qui ſint idonei huic vitæ. Et vita ſolitaria (vt inquit Fráciſcus Petrarcha) proculdubio non modò tráquillior, ſed altior eſt atque ſecurior. Et plura de vita ſolitaria idem ſcribit, & alij.

Solium, armarium ex vno ligno factum, in quo Reges ob corporis ſui tutelam ſedebát: dictum quaſi ſolidum, quoniam ex prædura materia roboris fiebat: vel dicitur quaſi ſolum, quod in his ſoli ſederent: vel quaſi ſedium à ſedendo, abuſiuè tamen quandoque ponitur pro ſella regali. Et ſolium pro ſacra ſcriptura ponitur, vt ſcribit ſanctus Bonauen. in fine quarti libri ſuper hæc verba Magiſtri. Hæc de pedibus ſedétis ſuper ſolium excelſum, propter ſui eminentiam. Vel etiã anima ſancta quæ dicitur ſedes ſapiétię. Aut certè virgo Maria, in quã deſcendit ad habitandũ Dominus. Vel etiã natura aſſumpta in qua poſuit tabernaculum ſuum. Bonauen.

Solus, vt notat ſanctus Bonauen. diſt. xxj. q. j. lib. j. Et Gabr. eadem diſt. q. j. libr. j. quandoque capitur cathegorematicè, prout valet tantũ ſicut ſolitarius, ſic ſolus Sortes currit, id eſt Sortes, qui eſt ſolitarius currit: & ſolitarius eſt cum quo in eodem loco non eſt alius eiuſdem ſpeciei. Et ſic conceditur ſortes ſolus comedit, ſi ſolitarius ſine conſortio, ſcilicet comedit: licèt etiam multi alij comedant. Alio modo capitur ſincathegorematicè, & dupliciter. Vno modo præciſiuè, vt denotat prædicatum conuenire ſubiecto, etiã remoto ab omni alio, quo modo conceditur illa: Solus ſortes poteſt currere. Et negatur ſolus ſortes poteſt trahere hanc nauem demonſtrãdo eam quam non poteſt ſine aliorum iuuamine trahere. Hoc modo conceditur; quod ſolus Deus poteſt producere ignem. Alio modo capitur excluſiuè. Et ſic vel determinat pręciſe alterum extremum propoſitionis, ſubiectũ, ſcilicet vel prædicatum. Et ſic facit propoſitioné de excluſo ſubiecto vel prædicato: iſto modo accipiédo illã, Solus ſortes currit, valet: aliquid quod eſt tantũ ſortes, hoc eſt quod eſt ſortes & nihil aliud ab homine: vel & nihil quod nõ eſt homo: de quo latiùs vide tales propoſitiones apud Logicos. Quandoq; ſolus poſitũ à parte prædicati ſecũdum vocem ex vſu loquentium, capitur ſecundũ intellectum ac ſi poneretur à parte ſubiecti, & determinaret totam propoſitioné, ſecundum quem modum Aug. vj. de Trinitate dicit: Nõ dicimus Patrem eſſe ſolum Deum, intelligés idẽ per iſtã, Pater eſt ſolus Deus, quod per illã, Solus Pater eſt Deus. Et ſequitur: Eſſe auté ſolum dicimus Patrem & Filium & Spiritũ ſanctũ. Et cùm dicitur: Tantum tres ſunt perſonę, exponitur ſic: Tres ſunt perſonæ & non plures, quàm tres ſunt perſonæ. Gabr. qui longior eſt ibi, ſed hæc ad Dialecticam rationem pertinent. Quando autem ſolus capitur cathegorematicè, vt dicit ſolitudinem nõ poteſt verè addi alicui termino in diuinis cõſtituendo affirmatiuã propoſitioné, quia ſic capiendo priuat ſiue excludit conſortiũ triũ perſonarum, quæ tamen à ſe ſunt impręciſibiles & inſeparabiles, cùm quęlibet ſit in ſingula per circumínceſſionem. Sic omnes illæ ſunt negãdæ, Solus Pater eſt Deus, ſolus Pater eſt Pater, ſolus Pater creat, valét enim. Pater qui eſt ſolitarius, eſt Pater, Deus creat, quæ omnes ſunt falſę. Cùm ſecundũ Hilariũ iij. de Trinit. In diuinis nec diuerſitas ſit nec ſolitudo. Sed capiendo ſolus, vt dicit pręciſionem non poteſt addi termino perſonali: licèt fortè termino eſſentiali, quia quantũ ad terminos perſonales importaret remotioné ſiue ſeparationé diuinarũ perſonarũ, quæ eſt impoſſibilis. Vnde ſecundũ hunc ſenſum illa, Solus pater creat, valeret. Pater ſeparatus ab omnibus aliis (filio, ſcilicet & ſpirituſancto) creat, ſed quo ad terminos eſſentiales ſignificaret ſeparationé Dei ab his quæ non ſunt Deus, quæ eſt poſſibilis. Vnde illa videtur concedenda, Solus Deus poteſt producere igné, quia tantũ valet Deus ſeparatus ab omnib⁹, quæ nõ ſunt Deus, poteſt producere igné. Sed capiédo ſol⁹ excluſiuè, vt determinat extremũ, vt videlicet reddit propoſitioné de excluſo extremo, poteſt indifferéter addi tã eſſentialibus, q̃ perſonalib⁹, & ſic nihil refert addere vel deponere, quia valet ſuę pręiacéti. Vnde ſic cõcedendę ſunt illę, Tantum Pater eſt Deus, tantũ Pater creat, Pater eſt ſolus Deus, ſolus Filius eſt perſona diuina, ſolus Deus eſt Spiritusſanctus, & ſic de aliis. Sic capit Aug. vj. de Trin. Solus Pater eſt tantus, quátus eſt Pater & Filius & Spiritusſanctus. Capiendo verò ſolus, vt facit propoſitioné excluſiuam, poteſt addi termino eſſentiali, ſed nõ notionali reſpectu eſſentialis prædicati: quia hæc eſt vera: Tantùm Deus eſt Pater, patet per exponentes. Secunda patet, quia ſic illa erit falſa: Tantùm Pater eſt Deus, quia ſecunda exponens eſt falſa, ſcilicet nulla res, quæ non eſt Pater, eſt Deus, quæ falſa eſt: tamen Filius ſit res quæ non eſt Pater, & tamen eſt Deus, ſimiliter Spiritus ſanctus. Illa tamen vera eſt, Tantùm pater generat, tantùm Filius gignitur. Capiendo itaque ſolus excluſiuè hæc propoſitio, Solus Pater eſt Deus, eſt falſa, & de virtute ſermonis neganda. Patet per exponentes, quia ſecunda eſt falſa, ſcilicet illa, Nulla res quæ non eſt Pater, eſt Deus, quia Filius eſt res quæ non eſt Pater, & tamen eſt Deus, & non debet exponi per aliud, ſi & nihil aliud à Patre eſt Deus: quia tunc illæ eſſent veræ, Solus Pater ſpirat, ſolus Pater creat, quę non cõceduntur. Ex his patet quomodo illa, Solus Pater eſt Deus, multipliciter poteſt diſtingui, & ſecundum hoc concedi vel negari. Gabriël vbi ſupra.

Somnus eſt ligamétum omniũ ſenſuum, ſecundum Ariſtot. lib. de ſomno & vigilia. Et eſt in potentia ſentiendi propter exceſſum vigilãdi. Et ſomnus eſt paſſio naturalis, & conuentus caloris intrinſecus: vel naturalis reciprocatio facta ex euaporatione vaporum à nutriméto ingroſſata à frigiditate cerebri propter ſalutem animalis tuendam. Et ſecundum Auicénam ſomnus eſt quies animalium virtutum cum intenſione naturalium. Vel eſt priuatio diſpoſitionis animæ imperantis ſenſibus & virtutibus exterioribus, in qua anima conuertitur ab exterioribus ad interiora. De quo latiùs videatur apud Philoſophos. Eſt & ſomnus ſpiritualis in peccatis, de quo Gerſon part. j. de diſtinctione verarum viſionum à falſis, cùm ait: O quotiens ſibi videtur homo ſapiens, ſibi iuſtus, ſibi humilis.. Et ſibi dicit, quia diues es in virtute, & neſcit quod miſer eſt & miſerabilis, & pauper, & cœcus, & nudus, pręualet

in va-

in vanitate ſua, & in multitudine ſpiritualium diuitiarum ſuarum gloriatur. Dicit in exceſſu ſuo: non mouebor in æternum. Sed pro certo alto ſomno preſſus fallitur, quia omnia hæc aſpicit non in luminoſæ veritatis vigilia, ſed ſub ſimulacro ſomniculoſæ vanitatis experitur hanc fraudem. Tunc primùm homo dum Deo propitio excitatur à ſomno peccati, & nihil inuenit diuitiarum ſomniatarum in manibus ſuis: fit hoc dum regreditur ad luminoſum & præfulgidum diem humilitatis, & ſibi vigilat, qui vanitati dormiebat. Videt tunc errorem ſuum, & illum ſecum diu[illegible] retractans, quod ipſe patiebatur, qui ne deſipiat obſtupeſcit. Nam & verè ſuperbum, & arrogantem, & timidum, aut aliter vitioſum ſe fuiſſe deprehẽdit, quanquam aliter priùs exiſtimabat, &cæ. Hæc Gerſon, qui rem latiùs proſequitur.

Somnium eſt phantaſma in ſomno factum, id eſt apparitio phantaſtica ſomno facta, ſecundum Ariſtotelem libro de ſomno & vigilia. Et diffinitur ſic à Chryſippo: Somnium eſt vis cernens, & explanans, quæ à Diis, hominibuſquè ſignificantur in ſomniis. De hoc videri poteſt Cicero libro ſecundo de diuinatione. Gregor. viij. Moral. ſuper illud Iob 7. Terrebis me per ſomnia, inquit: Quum ſomnia contingant aut ventris repletione, aut inanitione, aut illuſione, aut cogitatione, aut reuelatione, cogitationes ſanctiores, cœleſtiores, virtuoſiores, ſequuntur ſomnia blandiora & delectabiliora. Repræhendit autem ſcriptura eos, qui confidentiam habent in ſomniis, vt ſcribit ſanctus Bonauentura diſtinct. vij. parte ij. articul. j. quæſt. iij. libr. ij. Vnde Eccleſiaſt. 34. Sicut parturientis cor tuum phantaſias patitur, niſi ab altiſſimo fuerit miſſa viſitatio. Ideo intelligẽdum, quod quinq; de cauſis fiunt ſomnia (vt idem ſcribit Bonauen. vbi ſupra.) Quædã contingũt ex diſpoſitione corporis. Quędã ex ſolicitudine mentis. Quædã ex illuſione diabolica. Quædã ex reuelatione Angelica. Quędã ex viſitatione diuina. Prima duo ſomnia ſunt præſagia futurorum, quæ habent cauſam in nobis, vt ſomnia quæ contingunt ex cauſis corporis, ſunt ſigna infirmitatis. Somnia quæ contingunt ex ſolicitudine mentis, ſunt ſigna eorum ad quæ facienda vel deſideranda noſtra inclinatur affectio. Aliorum verò non ſunt ſigna de ſe, imò ſi ad alia applicentur, potius præbent occaſionem errandi quàm præſciendi. Somnia quæ ſunt diabolica illuſione, nullius ſunt roboris, ſicut nec diuinationes Aruſpicum. Somnia verò quæ ſunt ab Angelis bonis aut à Deo, ſunt in nobis ſigna, ſunt vera. Et ita ex hoc non habetur, quod præcognitio futurorum contingentium aliter habeatur, quàm à Deo, niſi per aliquam coniecturam. Hæc Bonauentura vbi ſupra. Quare (vt idem ait diſtinct. xxv. quæſt. vj. libr. ij.) in ſomniis non eſt præuiſio futurorum, niſi viſitatio emittatur ab altiſſimo: ſicut dicitur Eccleſiaſt. 14. Magis autem Dominus viſitat in ſomnis, quàm in vigilia, in reuelando futura, vt idem ait. Tum propter hoc, quod anima in vigilia eſt diſperſa ad exteriora ſenſibilia comprehendenda. Tum quia etiam Dominus, qui poſuit tenebras latibulum ſuum ad ſuiipſius occultationem, magis vult in ſomnis, quàm in vigilia reuelationes emittere. Tum quia etiam magis in ſomnis agitur homo, quàm agat & in reuelatione diuina plus ſe habet homo per modum ſuſcipientis quàm agentis. Tum quia etiam in ſomnis medium tenet homo inter mortuum & viuentem: & ita quodammodo à vita huiuſmodi recedit. De quà Dominus Exodi 23. dicit: Non videbit me homo, & viuet, &cæ. Et cautelam ponit ſecundum aliquem Ioannes Gerſon parte prima de probatione ſpirituum, ſicut & ponit cautelam de viſionibus, de quibus ſuſpenſum iudicium habendum eſſe vult. Vnde dicit: Si monitiones aliquę bonæ fieri videantur in ſomniis, vel ex perſona defunctorum, vel aliunde recipiantur, eis non quaſi ſomnia penitus abiiciendo, neque eis ex aduerſo velut authenticis vel diuinis adhærendo, recogitentur potius tanquam remunerationes aliquæ ad faciendum bona, vel mala declinandum, iuxta ſomniorum qualitatem, &c.

Sophiſta, (vt ſcribit Brulefer diſtinct. xxj. quæſt. j. libr. j.) Vno modo idem eſt quod ſapiens Logicus. σοφὸς enim Græcè ſapiens eſt Latinè. Alio modo capitur in malum pro aliquo quærente vanam gloriam per falſa argumenta, de quo aliàs dicitur. Et Satanam dicit Sophiſtam Gerſon tractatu viij. ſuper Cantico Virginis, cuius hoc totum ſtudium eſt fallere: non quærit ſapiens eſſe, ſed videri. Vnde vt decipiat garrulus eſt, multa perit. Celat propoſitum ſuum, & inueſtigat alienum, Sophiſticus per omnia, &c. Quid ſit Sophiſticus & ars ſophiſtica, videto apud Dialecticos ampliùs.

Sopor (vt ſcribit Brulefer diſtinct. xviij. quæſt. j. libr. ij. eſt quædam dulcedo immiſſa maximè à Deo ipſi animæ per quam totaliter abſtrahitur ab actibus exteriorum ſenſuum, hic erat in Adam, & non ſomnus: quandoque tamen ſumitur pro ſomno.

Sors capitur multis modis (vt notat Brulefer diſtinct. xv. quæſt. iiij. libr. iiij.) Primo modo pro euentu, vel pro aliqua fortuna. Pſalm. 21. Et ſuper veſtem meam miſerunt ſortem. Secundo modo capitur pro ſortilegio. Tertio modo pro diuinatione. Quarto modo capitur pro parte vel portione alicuius hæreditatis. Quinto modo capitur pro capitali. Poteſt etiam capitale capi pro tota ſumma pecuniæ, etiam pro capitali pœna, etiam pro capitali ſententia pœnæ. Vnde opera ſatiſfactoria facta extra charitatem, & in peccato mortali, adueniente gratia non reuiuiſcunt, quantum ad collationem gloriæ, ſcilicet ad vitam æternam, ſed reuiuiſcunt & viuificantur quantum ad remiſſionem pœnæ, & debent in ſortem computari: quia principalis effectus pœnitentiæ, eſt ſatisfacere pro peccato, & euitare pœnam inflictam pro peccato: & capitur ibi ſors metaphoricè pro capitali pœna, vt ſi detur in pœnitentiam alicui ieiunium quatuor dierum, totum illud ieiunium vocatur ſors, & quælibet dies vocatur pars ſortis, &c. Sors propriè dicitur ſecundum beatum Thomam ſecunda ſecundæ, q. xcv. art. viij.

quum aliquid fit, vt eius euẽtu conſiderato aliquid occultum innoteſcat. Capitur etiam ſors pro fatali neceſsitate. Vnde Auguſtin. in Pſal. quid ſit ſors his verbis oſtendit: Sors eſt res in dubitatione humana, diuinam indicans voluntatem. Nam & ſortes miſerũt Apoſtoli, electi ſunt duo iudicio humano, & electus de duobus iudicio diuino. Vnde ſcribitur: Cecidit ſors ſuper Matthiã. Ponitur ergo ſors pro gratia qua ſaluamur, quia in ſorte non eſt electio, ſed volũtas Dei. Nam ibi dicitur, iſte facit, iſte non facit, merita conſiderantur: & vbi merita cõſiderãtur, electio eſt, nõ ſors. Quoniã autẽ Deus nulla merita noſtra inuenit, ſorte voluntaris ſuæ nos ſaluos fecit, quia voluit, nõ quia digni fuimus: hæc eſt ſors. Vnde in Actib. Apoſt. Quia exiſtimaſti donum Dei pecunia cõparari, nõ eſt tibi pars neq; ſors in fide hac, id eſt gratia non pertinens ad iſtam gratiam, quam gratis omnes accepimus. Et ſortes ex permiſsione Dei partes hæreditaris vocantur, quæ populo ſunt diſtributæ. Vnde tribus Leui pręcepta eſt nõ habere ſortẽ inter fratres ſuos, quod ex eorum decimis ſuſtẽtaretur. Hinc ſors patrimonium dicitur. Vnde cõſortes & cõſortia, qui aliquod patrimoniũ ſimul habẽt. Dicitur & ſors ſumma ſeu caput, & prima pecunia quæ confertur in ſocietatem, vt inde lucrum fiat, vt dictum eſt. Dicitur & iudicium. Item ſucceſsio, ſicut in Hymno: Vt cùm dies abſceſſerit, noctemque ſors reduxe. mundi per abſtinen. ipſi canamus gloriam.

Sortilegus penult. correp. qui per ſortes futura prænunciat, & qui per ſortem aliquid eligit. Hinc ſortilegium. Et ſortior verbũ ſignificat ſortẽ facio, vel ſorte cõſequor vel recipio. Et ſecundũ Iſido. li. viij. Ety. & habetur. xxvj. q. j. Sortilegi. Sortilegi ſunt, qui ſub nomine fictę religionis per quaſdã quas ſanctorum ſeu Apoſtolorũ vocant ſortes diuinationis ſcientiã profitẽtur, aut quarumcunq; ſcripturarum inſpectione futura promittunt. Vnde ſortilegiũ eſt per ſortes diuinatio, &c. Et ſortilegia eo ſunt execrabiliora quo plures ſanctæ obſeruationes intromiſcentur, & plura bona miſcẽtur quæ ſunt ſancta & honeſta: vt ieiunare, caſtum eſſe, dicere Pater noſter, & Euãgelium; quoniã vnde deberet honorari Deus, honoratur diabolus, vt dicit Gerſon in Trigolo Aſtrologiæ theologizatæ. Et vt dicit Auguſt. huiuſmodi obſeruationes, vt ſunt curioſæ inſpectiones vel obſeruationes conſtellationũ, &c. tantò magis ſuſpectas & fugiẽdas eſſe, quantò ſæpius videntur ſuum ſortiri effectũ. Sortilegia reprehendit Gerſon part. iiij. ſerm. de natiuitate Domini. Similiter ſortilegos arguit parte iiij. ſermone ad Regem Franciæ nomine vniuerſitatis cõſideratione iij. qui inuocant auxilium inimici, quaſi Deus ſit minus potens, aut ſapiens, aut adiuuare valens quàm inimicus, &c.

Species capitur multis modis, vt notat Brulefer diſtinct. x. quæſt. iij. lib. iiij. Primo modo capitur pro exteriori cõpoſitione, ſecundum quam quis dicitur pulcher, & ornatus. Pſal. Specie tua & pulchritudine tua, &c. Secũdo modo pro forma dante eſſe ſpeciuocum formale: & iſto modo diſtinguitur cõtra materiã. Tertio modo pro quacunq; ſimilitudine repræſentatiua alicuius rei, quæ eſt ratio cognitiua illius rei: vel capitur pro cognitione vel notitia. Vnde Ariſtot. 3. de Anima. Lapis non eſt in anima, ſed ſpecies eius, id eſt cognitio eius. Non enim lapis eſt in anima intelligẽtis, ſed eius cognitio, qua exiſtente ſemper eſt intellectus in actu intelligẽdi lapidem: & harum cognitionũ locus eſt in anima. Quarto modo capitur pro materie rerum: ſic dicitur: In horto meo eſt ſpecies talis herbæ. Quinto pro æterna beatitudine, quæ eſt viſio Dei, vt dicitur in Collecta Epiphaniæ, vſque ad contemplandam ſpeciem tuæ celſitudinis perducamur. Sexto capitur ſpecies, vt eſt vnum de quinque vniuerſalibus. Septimo eſt accidens partium orationis, ita accipiunt Grammatici. Octauo accipitur pro imagine figurata, vel artificiali facta ad ſimilitudinem alterius. Nono capitur pro quocunque ſigno viſibili, & ſenſibili diſtinctè repræſentatiuo alicuius rei viſibilis, & hoc ex inſtitutione diuina: ſic accipitur cùm dicitur: Corpus Chriſti eſt ſub ſpeciebus, & in Sacramento altaris ſpecies ſunt albedo, rotunditas illa, impreſsio imaginis alicuius figuræ, & ſapor panis & vini. Brulefer. Accipitur & ſpecies pro eſſentia diuina, vt habet Magiſter diſtin. vlt. lib. iiij. cùm ait: An quia non Deum videbunt per ſpeciem: hic accipitur ſpecies pro eſſentia diuina, vt exponit Richardus.

Species ſecundum Dominum Petrum Aliaceñ. Cardin. Cametac. poſt Greg. de Arimi. diſt. vij. libr. ij. quadrupliciter accipitur. Primò cõmuniſsimè pro omni forma ad notitiam habendam concurrente, & ſic quandoq; ipſa forma obiecti, quod cognoſcitur, dicitur ſpecies. Secundo modo communius non cõmuniſsimè pro omni forma, quæ eſt aliquo modo ratio cognoſcendi aliam rem: ſic ars, & habitus cognitiui poſſunt dici ſpecies. Tertio modo communiter pro omni forma, quæ eſt ſimilitudo, & imago rei cognitæ, per quam res illa cognoſcitur: & hoc modo etiam actualis cognitio dicitur ſpecies. Quarto modo accipitur ſpecialiter, & propriè pro omni forma, quæ eſt ſimilitudo & imago rei cognitæ manẽs naturaliter in anima, etiã poſtquam anima deſinit actualiter cognoſcere, apta nata ducere animã in notitiã rei, cuius ipſa eſt imago vel ſimilitudo. Primo ac tertio & quarto modis accipit Auguſt. x. de Trinit. ca. x. vbi ait: Cùm incipimus à ſpecie corporis & peruenimus vſq; ad ſpeciẽ, quæ fit in contuitu cogitantis. iiij. ſpecies repetiuntur, quaſi gradatim natæ, quæ ſi altera ab altera à ſpecie quippe corporis quod cernitur exoritur ea quæ fit in ſenſu cernẽtis, & ab hac ea quę fit in memoria, & ab ea quę fit in acie cogitãtis. Secũdo modo accepit ſpeciẽ Philoſoph. 7. Meta. vbi ait: Medicinalis autẽ & ædificatoria eſt ſpecies ſanitatis & domus. Et ſecundum Occam ſpecies accipitur pro illo, quod eſt præuium actu intelligendi mouens ipſum ad actũ cognoſcẽdi, quod poteſt manere ante intellectionẽ, & poſt etiã re abſente, & per conſequẽs dicitur ab habitu, quia habitus intellectus ſequitur actũ intelligẽdi, ſed ſpecies præcedit tam actũ quàm habitũ, & ſicut dictũ eſt de ſpecie intelligibili, ita poteſt dici de ſpecie ſenſibili, quod accipitur pro aliquo præuio alicui ſentiendi mouẽs ad actum ſentiẽdi. Breuiter, vt dicit Gabriël diſt. iij. q. ij. libr. ij. per ſpeciẽ intelligitur aliquod præuium

cognitiui

cognitiui mouens potentiã ad cognoſcendũ, quod non eſt obiectum potentiæ, nec habitus à cognitione derelictus, ſiue ſit in medio, potentia vel organo. plura Gabr. ibi. qui & opiniones ponit de ſpeciebus. Vna quæ ponit eas, alia negat. Videatur & Scotus qu. vij. di. iij. lib. j. Vnde ſatis communis eſt opinio, quæ ponit ſpecies ſenſibiles, ſimiliter & intelligibiles, ſenſibiles in medio inter obiectũ, & organum ſenſus in ipſo ſenſu etiam in intellectu non quidem eiuſdem rationis, ſed diuerſæ rationis inter ſe, & ab obiecto. Primas duas vocant ſenſibiles. Tertias intelligibiles. Gab. qui & plura ibi dicit de ſpeciebus illis ſecundum vnam opinionem, & ſpecies intelligibiles ſecundum Rich. lib. iiij. art. j. q. ij. conſeruantur in intellectu, & per eas intelligit anima ſeparata, plura ibidem. Alia eſt opinio quæ negat tales ſpecies tã in medio quã in ſenſu, quàm in intellectu. Cuius opinionis eſt Occam, quoniam non apparet neceſsitas ponendi tales ſpecies quem imitatur Gabr. vbi ſupra. Et poſt alia dicit, Omnia quæ doctores ſancti nomine phantaſma, idolum, ſimulacrum tam quo ad ſenſum, quàm quo ad intellectum dicunt, ſunt res ſingulares cognitæ, & non aliqua ſpecies vel habitus in potentia vel organo, fruſtra igitur ponitur ſpecies diſtincta ab obiecto, & habitu tam in medio quàm in potentia ſiue organo. Vide Occam latiùs q. xvij. ſecũdi & q. xviij. Ad habendam quoque cognitionem intuitiuã, quæ eſt prima cognitio intellectus, non oportet ponere ſpeciem intelligibilẽ, aut aliquid præter intellectũ & rem cognitam ſtante ſemper communi influẽtia cauſarum ſuperiorũ, ſed per intellectũ & obiectũ in ſe præſens, hoc eſt ſufficiẽter approximatum poteſt fieri cognitio intuitiua aliis circunſcriptis. Fruſtra igitur ponuntur alia, quũ fruſtra fit per plura quod poteſt fieri per pauciora. Fuſius de hoc ſcribit Gab. Species autem ſeu forma rei ſecundum Philoſophum & Gerſonem parte iij. de paſsionibus animę conſidera. xx. Vel eius phantaſma ſeu imago habẽt vim alterandi proportionabiliter, vel agendi, ſicut habet res cuius imago, quemadmodum ſpecies ignis habet vim calefaciendi, ſpecies niuis infrigidandi, non tamen in æquali gradu ad rem ipſam. Et ſecũdum eundem ſpiritus animalis delatiuus eſt formarum ſeu ſpecierum, ſicut aër recipit ſpecies colorũ, vel aliorum ſenſibilium. Et hæ ſpecies coloris licèt non ſint ſenſibiles in aëre, faciunt tamen ſenſibiles impreſsiones in corporibus diſpoſitis, ſicut ſpecies coloris cauſant imaginem in ſpeculo. Sic imaginatio turpis figurę recipitur in ſpiritibus, & defertur & facit in ſemine deciſo tempore talis imaginationis notabilem effectũ turpitudinis: ſicut imaginatio Ethiopis aſsimilationem inducit ad Ethiopem, &c. Plura ibi Gerſon de imaginatione.

Speculum eſt in quod aſpicimus, ac ſpeciem hoc eſt effigiem noſtram contemplamur, quod datum nobis à natura fuit, non vt pilos è ſuperciliis aut barbam velleremus, non vt faciem coloribus inficeremus, ſed vt noſmetipſos noſſemus, & formoſi denitaremus infamiam, & deformes remediũ ſciremus eſſe virtutibus quicquid corpori deeſſet. Quapropter Socrates hortari adoleſcentes ſolebat, vt ſeſe frequenter in ſpeculo intuerentur. Nam ſi formoſi eſtis, elaborãdum eſt, vt digni ea ſpecie ſitis. Sin autem deformes, vt eam deformitatem virtute ac bonis artibus tegatis. Et à ſpeculũ dicitur ſpeculatio, nõ autem à ſpecula, & reducitur ad meditationem, quia eſt viſio cauſæ per effectum ſecũdum beatum Tho. ſecunda ſecundę q. clxxx. ar. iij. ponit Gerſon triplex ſpeculum tractat. x. ſuper cantico Marię. cui cõiungit triplicem claritatem. Vnum ſpeculum eſt cum claritate ſua quod indidit, natura & induſtria poliuit, quale fuit apud Philoſophos, quo ad intelligibilia per inueſtigationem naturalem, quamuis mixtę fuerint multæ nebulæ, imò tenebræ errorũ, non tamen oportet dicere cum aliquibus quod nihil ſpeculati fuerunt veritatis etiam de Deo & intelligentiis, ſciebant ſaltẽ quòd Deus non erat lapis aut brutũ. Ruſus alterũ ſpeculũ dicit ſupernaturalẽ irradiationem ſuper intellectũ humanũ cum lympidiore & ſinceriore claritate, quã poſsit natura ſola vel induſtria propinare. Denique tertium dicit ſpeculum cum ſua claritate quod intimè latet, quòd ab exterioribus nequit aſſumi totaliter, ſed omnis hęc claritas filiæ Regis abintus eſt introrſus valdè, ad quam non admittitur alienus. Bibe de aquis tuis prior iubet ſapiens, cor quod nouit amaritudinem animæ ſuæ, in gaudio eius non miſcebitur alienus. Non enim habet gaudiũ intrinſecus ortum ab amaritudine cordis in contritione quæ nõ ſimiliter afficitur in dolore quæ vertitur in gaudiũ. Hæc Gerſ. Cor quoque noſtrum (vt idem ait parte ij. in recommendatione licentiandorum, in decretis facta Pariſiis) ſpeculum eſt veritatis, & hoc per comparationem ad varios modos diuerſos, quibus ſpecula materialia diſtorquentur, ne reddant veras imagines. Refert autem dicere videre Deũ in ſpeculo, & videre Deum per ſpeculum, vt notat Brulef. di. xxxj. q. iiij. li. iij. Per ſpeculum enim dicitur videre Deum, qui aſcendit à cognitione creaturę, ad cognitionem creatoris. In ſpeculo autem videt qui Deũ in ipſa creatura clarè intuetur. Prima viſio non erit in gloria, quia nõ erit ibi neceſſaria ſcala. Secũda verò erit quia Deus videbitur apertè in omnibus creaturis (vt dicit Aug.) vlt. de ciuitate Dei. Et illa viſio quæ eſt per ſpeculum ſpectat ad ipſam fidem. Vndè Apoſtolus. Videmus per ſpeculũ in ænigmate, &c. Illa quæ eſt in in ſpeculo creaturæ, ſpectat ad cognitionem veſpertinam, quæ bene poterit ſaluari in prima.

Spera quamuis aliqui per aſpirationem ſcribant. Eſt autẽ Græca dictio, & eſt prima figura corporea, continens tantùm vnam ſuperficiem. Circulus verò eſt prima figura plana, habens tãtùm vnam lineam ſecũdum beatum Tho. ſuper ij. de cęlo. Vel ſphęra, Latinè globus, & eſt id quod ex omni exteriore parte rotundum apparet, vel Græcè σφαῖρα dicta, vt Euſebi. lib. præpar. quaſi ſphęra, hoc eſt corpus ęthereũ. Globus verò corpus ſolidum vndique rotundũ, quia à Græcis ſphęra dicitur. Eſt & ſphęra diuinæ actiuitatis, quæ eſt immenſitas & æternitas ſua, cuius circumferentia nullatenus extra ſe eſt, vt ſcribit Gerſ. tract. x. ſuper cantico Mariæ. Vnde æternitas quaſi extra terminos entitas vel vnitas. Poſſumus & ſphæram intellectualẽ imaginari in Deo & in creaturis. De quo legito eundem tractatu. ix. ſuper Magnificat.

Sperare eſt exiſtimare, credere & confidere. Et ſperare de aliquo eſt dupliciter (vt ſcribit S. Bona. di. j. in dubiis literalibus lib. j.) aut ſicut de adiutore, aut ſicut de ſaluatore. Prima ſpes poteſt eſſe in homine. Vnde de beata virgine canitur. Vita dulcedo & ſpes noſtra. Et Ionæ. j. Acceſſit ad eũ gubernator. Gloſſ. Naturale eſt homini magis de aliis, quàm de ſe in periculo confidere. Secunda ſpes non poteſt eſſe in homine. Vnde Magiſter diſtinct. j. libr. j. In homine ſpes ponenda non eſt, quia maledictus eſt qui hoc facit. Vel eſt ſperare finale præmiũ, & hoc debet eſſe in Deo, vel temporale beneficium, & hoc poteſt eſſe in homine. Primũ ſi ponitur in homine, meretur maledictionẽ, ſecũda verò nõ, (ita ſcribit Bonau.) Poteſt autẽ aliquis quadrupliciter exire in actum ſperandi (vt idem ſcribit S. Bonau. di. xxvj. q. iiij. li. iij.) Aut enim ſperat habẽdo merita in propoſito, & in radice, & in effectu, ſicut homo iuſtus qui Deo diu ſeruiuit, aut ſperat habendo merita in propoſito & in radice, ſed non in effectu, ſicut ille qui ante bonũ vſum virtutũ poſtquam ſuſcepit gratiam, expectat æternam beatitudinem. Aut ſperat habendo merita in propoſito, tamen non in radice nec in effectu, ſicut ille qui peccator eſt qui proponit multa bona facere & per illa ſaluari. Aut ſperat non habendo merita, nec in effectu, nec in radice, nec in propoſito, ſicut ille qui faciendo mala, & in mala proponens perſeuerare, per ſolã Dei miſericordiam credit ſe aſſecuturum gloriam, neglecta diuina iuſtitia. Primus eſt actus ſpei formatæ & iam exercitatæ. Secundus actus eſt ſpei formatæ & poſt infuſæ. Tertius actus eſt ſpei informis. Et quartus eſt Ipſius præſumptionis. Item ſperare quandoque largè eſt probabiliter credere (vt ſcribit idem ſanctus Bonauentura, diſtinction. xxvj. libr. iij.) ſic accipitur vt cum quis videt aliquem bonæ indolis, dicit quod ſperat ipſum eſſe futurum bonum hominem, & ſic accipitur largè & impropriè pro credere probabiliter, ſic pertinet ad virtutem cognitiuam. Alio modo ſperare idem eſt, quod confidere, & ex illa confidentia cum quadam ſecuritate tendere ad habendum illud quod ſperatur: ſic pertinet ad virtutem affectiuam. In domino autem ſperare debet anima à principio vitæ vſque ad mortem, vt ſcribit Gerſon parte iij. in expoſitione ſuper Pſalmum ſextum pœnitentialem, ſcilicet. De profundis. Nam qui vſque ad mortem perſeuerauerit, ſaluus erit, non ſolùm ſperet vnus ſolus, ſed totus fidelis populus, quoniam non vni ſoli, ſed multis dictum eſt. Sperate in Domino omnis congregatio populi, effundite coram illo corda veſtra, &c.

Spes multipliciter accipitur. Quãdoque ſumitur pro paſsione appetitus ſenſitiui, ſcilicet deſiderio ſenſibilis apprehenſi per phantaſiam, vt cõuenientis & abſentis. Quomodo numerat ſpẽ Philoſophus inter paſsiones ij. Eth. & Boëtius j. de conſolatione metro. vij. ponit quatuor animæ paſsiones gaudiũ, dolorem, ſpem & timorem, ſic nec eſt virtus moralis, nec Theologica. Secundo modo capitur vt pertinet ad appetitum intellectiuum, & ſic aliquãdo accipitur pro actu qui eſt ſperare bonum abſens, vt cùm dicimus: Habeo ſpem aſſequendi hoc vel illud bonum, id eſt ſpero aſſequi. Alio modo & magis propriè accipitur pro habitu infuſo, vel adquiſito ad actum ſperandi inclinantẽ. Et vtroq; modo accipitur dupliciter, Vno modo largè pro habitu, vel actu ſperandi bonum quodcũque apprehenſum, vt abſens, ſiue æternũ ſiue tẽporale, quomodo aliquis dicitur ſperare diuitias, corporis ſanitatem, aut aliud bonum, ſic dicit Apoſtolus. Debet in ſpe qui arat arare, & qui triturat in ſpe, fructus percipiẽdi. 1. Cor. 9. Et ſecundum Magiſtrũ beati dicuntur ſperare corporum reſurrectionem. Alio modo ſtrictè, vt ſolùm reſpicit bonum æternum apprehenſum, vt poſsibile & futurum. Et ita diffinit Magiſter, & eſt Haymonis, vt dicit ſanctus Bonauent. Spes eſt certa expectatio futuræ beatitudinis, veniens ex Dei gratia & præcedentibus meritis, ſic accipitur pro habitu. Accipitur quandoq; pro obiecto, id eſt re ſperata vel expectata. Sic accipit Apoſtolus ad Tit. 2. expectantes beatam ſpem, id eſt beatitudinẽ ſperatam. Hæc refert Gabriel diſtinct. xxvj. quæſt. vnica, art. j. lib. iij. Nullus autem rectè ſperat æternam beatitudinem (vt inquit Brulefer diſt. xxvj. q. ij. lib. iij.) niſi qui Deo ſeruiuit, vel proponit Deo ſeruire. Accipitur & ſpes impropriè pro expectatione dilationis iudicij. Vnde dicitur de Behemoth Iob 11. Ecce ſpes eius fruſtrabitur, id eſt expectatio dilationis iudicij, in quo acrius quàm modo puniẽdus eſt. Accipitur & pro expectatione dilationis iudicij diutius cõſtituendi ſuper peccatores, quorum vtroque fruſtrabitur diabolus in die iudicij, quàm vellet iudicabitur, ita dicit ſanctus Bonauen. in fine circa textum diſtinct. xxvj. lib. iij. Et vt idem dicit, Spes eſt nomen affectionis, & ideo virtutis. Et ſic diffinitur à Philoſ. Spes eſt ſuſpicio futuri boni, ſecundũ autẽ quòd eſt nomẽ virtutis & nominat habitũ diffinitur per ſuũ actũ. Et virtus ſpei (vt idem dicit qu. iiij. vbi ſupra) poteſt eſſe informis. Poteſt enim aliquis ſperare vitam æternam ſine gratia gratumfaciente, ſicut manifeſtè apparet. Et ſicut dicitur quòd fides poteſt eſſe informis, ſic etiã & ſpes. Eſt autã & ſpes virtus formata, & nõ tantũ eſt virtus gratuita (vt ait S. Bona. q. j. vbi ſupra) imò etiã virtutum gratuitarum ſuſtentamentum & anchora, virtus gratuita, quia facit animam expectare ea quæ ſunt ſuper omnem æſtimationem humanam, & ea quæ promiſit largitas diuina. Vide ibi eum latiùs. Facit omnino confidere & inniti ſummæ & immenſæ largitati, ſicut fides facit aſſentire primæ veritati, & charitas facit adhærere ſummæ bonitati, &c. Sunt autem duo actus ſpei principales. Primus eſt confidere in Domino. Alius eſt expectare, vt dicit Brulefer diſtinction. xxvj. quæſt. ij. libr. iij.

Spes diffinitur ſic ſecundum Auguſt. Spes eſt certa expectatio futuræ beatitudinis proueniens ex gratia & meritis præcedentibus. Quam ſic exponit Gerſon parte ij. de ſeptẽ virtutibus, & virtute ſpei. Spes eſt certa, quod dicit propter hæſitationẽ, nam ſpes vſquequaque abſque fluctuatione hęſitationis eſt. Expectatio, q. dicit ad differentiã cõprehẽſionis quæ erit in Patria vbi nihil expectabitur, ſed omnia pſentialiter habebũtur. Futuræ beatitudinis, q. dicit ad differẽtiã timoris ſeruilis qui eſt expectatio futuræ miſerię. Expectatio dico (inquit Gerſ. proueniẽs ex gra-

ex gratia, id eſt benignitate Dei conſiderata. Et hoc dicitur ad differentiam deſperationis, quæ ſeueritatem tantùm Dei cõſiderat. Dicitur ex meritis præcedentibus, & hoc dicitur ad differentiam prȩſumptionis, quæ ex Dei benignitate tantùm conſiderata, & non cũ hoc ex meritis beatitudinem adipiſci credit. Aliter communiter à magiſtris diffinitur.

Spes eſt audacia mentis de largitate Dei concepta, habendi vitam æternam per bona merita, ſecundũ Chriſoſt. libello de compũctione, & vt eum refert Gerſon parte iiij. ſerm. de ſancto Nico. Spes eſt ſalutis ancora, vitæ noſtræ fundamentum, dux itineris quo itur ad cœlum, in qua ſalus noſtra conſiſtit, & quæ de terris animas velut quibuſdam catenis cȩlitus à Deo depẽdentibus innexas euehit ad ſumma. Spes (ſecundum Iacob. de Valentia. ſuper illud Pſal. 118. In quo mihi ſpem dediſti) eſt habitus, quo animus ſiue voluntas ſubleuatur à terrenis, ad conſtituendum finem ſuum in ſummo bono amato, & ſic ſpes habet quatuor effectus. Nam primò ſubleuat voluntatem à terrenis mundana contemnendo. Secundò facit eam conſtituere finem ſuum, in ſummo bono amato. Tertiò facit ipſam operari propter illum finem, & nõ propter alium, nec propter aliud. Quartò exhibet ei patiẽtiam in mora & tarditate, ſi ilico & in hac vita differtur poſſeſsio & acquiſitio finis, qui eſt Deus & vera beatitudo. Ex quo ſequitur quod latior & maioris ambitus eſt fides quàm charitas, & charitas quàm ſpes: nam plura credimus quàm diligimus. Nam credimus bona & mala in lege memorata, ſcilicet Deum eſſe ſummum bonum omnipotẽtem, creatorem cæli & terræ, & diabolum cecidiſſe in æternũ puniendum, & infideles & legis tranſgreſſores impœnitentes in æternum cruciandos, tamen ex charitate non diligimus, niſi Deum & proximum, non tamen ponimus & ſpem finem noſtrum niſi in ſolo Deo, & vera beatitudine. hæc Chriſtop. Epiſcop. Et ſecũdum eundẽ actus ſpei nõ eſt propriè expectare, ſed ſperare quod idẽ eſt quòd vltimatũ finẽ in Deo cõſtituere. De quo latiùs videatur Valent. Spes ſic diffinitur à Gabriẽle diſt. xxvj. qu. vnica. art. j. lib. iij. Spes eſt habitus inclinans voluntatem ad deſiderandum efficaciter bonum infinitum, à ſe ipſo bono liberaliter ſibi conferendum propter merita ab ipſo bono infinito acceptata. Aut eſt deſiderium ad aliud bonum, ad hoc bonũ infinitũ conſequens vel ordinatũ. Habitus ponitur pro genere, & includit tã habitũ acquiſitũ quàm infuſum. Eſt enim duplex ſpes infuſa & acquiſita. Sola enim ſpes infuſa nõ ſufficit ſine acquiſita, aut eius actu ad inclinandũ ad actũ ſpei. Dicitur, inclinans voluntatẽ ad deſiderandũ: vbi tãgitur actus proprius ad quẽ ſpes inclinat, qui eſt deſideriũ alicuius boni ſibi cõmodi & futuri. Vnde patet quod actus ſpei eſt actus amoris amicitiæ ſecundum affectionem iuſtitiæ, & deſiderare eſt quoddam amare, quia eſt quoddam velle bonum, & omne tale velle eſt amare. Dicitur, bonũ infinitum, vbi tangitur obiectum primariũ & principale. Nam ſicut fides tendit in Deum credendo ei ſicut primȩ veritati, & charitas inhȩret Deo tanquã ſummæ bonitati, vt ſpes tendit in Deum deſiderio ei fiducialiter adhærẽdo, tanquam infinitȩ largitati. Siquidem infinita largitas eſt, quæ dat donum infinitum, principale ergo obiectũ ſpei eſt Deus à ſperante tanquam commodum ſuum ſummum poſsidendus. Dicitur efficaciter ad excludendum deſiderium deſperantium & præſumentium. Nam deſiderium efficax duo includit, ſcilicet apprehẽſionem obiecti, vt poſsibilis haberi & acceptationem mediorum ordinatorũ ipſa volendo & imperando, per quæ poteſt obiectũ acquiri, quod deficit deſperantibus qui non credunt Dei habitationem, vt obiectũ beatifici eis eſſe poſsibilẽ, & licèt vellent beatitudinẽ, nõ tamẽ efficaciter deſiderãt nec apprehendũt vt poſsibile ſibi. Quare deſperanti perſuadendum eſt, vt credat, non vt diligat. De quo latiùs videatur Scotus. Deficit ſecundum præſumẽntibus, licèt deſiderent ſummum bonum vt ſuum commodum, non tamen inquirunt nec volunt media opera, ſcilicet meritoria per quæ conſequuntur. Non ergo deſiderant adipiſci per merita, ſed ſine meritis, & ſic nõ efficaciter. De quo Magiſt. dicit. Sine gratia & meritis ſperare nõ eſt ſpes, ſed vana præſumptio eſt. Et hoc innuit Magiſter in ſua diffinitione. Spes eſt (inquit) certa expectatio, id eſt efficax deſideriũ. Efficax enim deſideriũ certa eſt expectatio, quia infallibiliter ſequitur beatitudo deſideriũ efficax, permanẽs in finẽ. Hæc eſt enim certitudo ſpei, quod merita in finẽ vitȩ cõtinuata infallibiliter cõſequitur beatitudo, per quã fruitiuè poſsidetur Deus. eſt autem efficax deſiderium (vt ſcribit Occam lib. iij. q. viij.) quo aliquis, ſtatim oſtenſo ſibi per fidem quod fruitio Dei per quam Deus habetur, eſt ſibi conferenda propter merita, ſtatim elicit actum meritorium ſi poteſt. Concordat Dominus Cardinal. q. vnic. iij. ſentiarum. Dicitur, ab ipſo bono liberaliter propter merita cõferendum, vbi innuitur modus habitionis ſimul & aſſecutionis boni infiniti. Non enim poteſt bonum infinitum haberi à creatura niſi per liberalem dationem, qua liberaliter bonum infinitum communicat ſe ſuæ creaturæ ſecundum modum ſuæ capacitatis. Non eſt autẽ creatura capax beatifici boni infiniti niſi per claram viſionem & perfectam fruitionẽ, has verò habere nõ poteſt creatura à ſe. Videtur enim Deus quando vult, & oſtẽdit ſe cui vult, nec poteſt frui Deo creatura perfectè niſi clarè viſo. Modus autẽ conſequẽdi bonum infinitum eſt per opera meritoria ab ipſo bono infinito ad hoc acceptata. Dicitur, aut ad aliud bonum ad hoc conſequens vel ordinatum, vbi tanguntur obiecta minus principalia & ſecũdaria ſpei. Spes enim non eſt tantum reſpectu Dei à nobis habendi, ſed etiam reſpectu omnium per quæ à nobis habetur ſcilicet reſpectu viſionis & fruitionis quæ ſunt beatitudo formalis: & reſpectu gaudij conſequentis. Similiter reſpectu omnium ad Deum beatificè poſsidendum ordinatorum: vt reſpectu gratiæ & meritorum, & cæterorum Dei donorum. Omnia enim hæc ſperamus à Domino, ſicut & peccatorum remiſsionem, carnis reſurrectionẽ, & vitȩ perennis æternitatem. Et ſic dicit Magiſter Spes eſt certa expectatio, &c. Latiùs vide de hoc Gabr. Obiectum autem ſpei adæquatum eſt bonum infinitum, liberaliter ſe cõmunicans creaturæ propter merita, & bonum finitum ad communicationem huiuſmodi ordinatum, vt cõcomitans, aut conſequens vel præcedens. Cõcomitans vt viſio & fruitio, per

tio, per quas formaliter habetur bonum infinitum. Conſequens, vt gaudium, perpetuitas, ſatietas, &c. ad beatitudinem formalem conſequentia. Præcedens, vt gratia, dona, & merita. Hæc Gabriël. Et vt idem dicit obiectum adæquatum ſpei eſt hoc cõplexum ſummum bonum rationalis creaturæ, aut virtus, meritũ, vel operatio ad hoc conſequendum ordinatum, quod quidem cõplexum comprehẽdit omnia ſperanda, ſcilicet beatitudinem formalẽ, ſcilicet viſionem & fruitionem eius, ſcilicet quæ ſunt operationes, gratiam quæ eſt virtus, ac virtutum actus, quæ ſunt merita. Et ſi qua ſunt alia ad beatitudinis conſecutionem neceſſaria. Hęc ille. Vna autem eſt ſpes omnium ſperandorum, vt idem vult di. xxvj. qu. vnica, art. iij. dubio iiij. Amans quoque Deum (vt idẽ dicit) vt bonum ſuum nõ debet in ſe quieſcere tãquam in fine, ſęd hoc vlterius per actũ charitatis referre in Deum tanquam in finem vltimum & ſummum. Non enim debet amare Deum ſperans finaliter, quia bonum ſuum, ſed ideo, vt bonum & beatitudo ſua, vt per hoc Deũ amplius glorificet & laudet, & Dei bonitas amplius in ſua beatificatione declaretur. Hæc Gabriël. Et ſpes (vt vult ſanctus Bona. q. vlti. di. xxvj. lib. iij.) eſt in potentia affectiua, eſt enim in potentia iraſcibili quæ eſt pars potẽtiæ affectiuæ. Potentię enim iraſcibilis nõ tantùm eſt deteſtari mala culpę & perpeti mala pęnæ, ſed etiam aggredi terribilia, & erigi ad magna & ardua, & præterea non tantùm ponimus in ipſa irã & patientiam, ſed etiam fortitudinem & ſpem. Fortitudinem inquam inquantum negociatur circa ea quę ſunt ad finem. ſpem autem ſecundũ quod ſe erigit ad excellentiam ipſius finis. Bonau. Spes ſecundum Augu. de ciuitate Dei, eſt qua quis ad id quod credit ſe peruenturum præſumit. Spes ſecundum beatum Tho. iij. ſententiarum di. xxvj. qu. j. art. j. eſt extenſio appetitus in appetibile. Vel ſpes eſt appetitus excellentis boni cum fiducia obtinendi, & ſecundum eundem ſpei ſubiectum eſt voluntas, obiectũ eſt bonũ arduũ futurum, & poſsibile, prima ſecundæ. q. xl. ar. j. Eſt autem (vt vult Magiſter li. iij. ſentent.) ſpes tantùm bonarum rerum, & earum quæ ad eum ſpectant, qui earum ſpem gerere videtur, quia propriè ſpem habemus de bonis noſtris, non de alienis. Vnde ad hoc quod ſit propriè ſpes tria concurrere debent, vt ſcribit Gerſ. parte ij. de ſeptem virtutibus, ſcilicet quod ſit reſpectu boni, & proprij, & futuri. Vnde ſi aliquando legatur ſpes dici malorum, ſicut apud Poëtam. *Hunc ego ſi potui tantum ſperare laborem.* Vel etiam bonorũ & communium, ſicut ſperamus ſalutem bonorum qui ſunt in via vel etiam boni præſentis, intelligo in talibus ſpem non propriè accipi, ſed largo modo. Ex quo habetur (vt dicit Magiſter) & habet S. Bonau. di. xxvj. libr. iij. circa textum, & concordat Gerſon vbi ſupra, quod nec Chriſtus nec animæ beatæ, nec angeli propriè loquendo habent ſpem, quia ſpes eſt expectatio præmij ſubſtantialis, omnes autem hi prædicti ſubſtantiale præmium habent, & ideo carent ſpe propriè dicta. Alia eſt ratio vt dicit ſanctus Bonau. quia ſpes habet annexam fidem, fides autem eſt cognitio ænigmatica. Poteſt tamẽ largè accipiendo ſpem pro quacunque expectatione videlicet ſtolæ ſecundæ & alicuius gaudij accidentalis poni in Chriſto & angelis & animabus beatis. De patribus verò in limbo & animabus in purgatorio dicitur quod ſpem habuerunt & habẽt aliquãtulum extenſo nomine, vt dicit Gerſon vbi ſupra &c. Aſtipulatur Paulus Corteſius li. iij. di. vij. cùm ait. Illud etiam intelligendum eſt, ſpem in primis felicitatem, quæ in Deo cernẽdo verſatur tanquam laternam intueri: cùm autem ſpei hypoteſis vt res quæ eſſe poſsit, obiicienda ſit quæ fide continetur, neceſſe eſt vt fides tanquam Dux & Anteſignana antegrediatur. Itaque negamus felices in aliquo ſpei genere verſari, quandoquidem felicitas ſit præſens, & ſpes futura complectatur. Sed his qui viuũt, & his qui in expiatore orco plectuntur, haud quidem ſpes felicitatis conſequendæ adimitur. At verò reorum damnatorũque genus cùm felicitatem vt res, quæ eſſe poſsit, nullo modo percipiat. haud ſanè in aliquo ſpei genere verſatur, propterea quod ęrumnarum eorum interſit ſcire ſpem nullam ex ærumnis exeundi reſidere.

Spes eſt duplex accipiendo ſpem generaliter reſpectu cuiuſlibet boni abſentis temporalis, vel ęterni, ſiue accipiatur pro paſsione quæ eſt actus ſperandi in appetitu ſenſitiuo vel intellectiuo, ſiue pro habitu ad illam inclinante. Quædã enim reſpectu boni abſentis ex ſe vel primariè appetitui conuenientis. Quædam reſpectu boni ſecundario conuenientis, ſcilicet vindicandi, vel repellendi offendens. Ita ſcribit Gabriël. diſt. xxvj. qu. vnica, ar. iij. dub. j. lib. iij. quo ſequitur quod aliqua eſt ſpes in concupiſcibili, & aliqua in iraſcibili, vt ibidem probat Gabr. Sed accipiendo propriiſsimè ſpem pro virtute Theologica, ſpes in concupiſcibili & non iraſcibili eſt ponenda, vt latiùs probat Gabriël vbi ſupra. Et tantũ de ſpe pauca dicta ſufficiant. Legant ſtudioſi plura & alia de ſpe quæ gratia breuitatis omitto. Vide & Gerſonem parte iij. de conſol. Theologiæ lib. ij. de multiplici falſa ſpe multorũ qui dicunt: Vtere mundo dum ætas florida eſt, cõuerti poteris cùm voles, tanquam videlicet ex propriis viribus non Dei dono fiat conuerſio, ſed ipſi ſe decipiunt & ſeducunt & fallũt. Multa ibi de his, & aliàs plura de ſpe, &c.

Spirare ſecundum ſanctum Bonauen. di. x. parte ij. q. iij. lib. j. quem imitatur Brulefer eadem di. q. vlt. dicitur dupliciter. Vno modo ſpirare idem eſt quod ſpiritum producere, ſic non conuenit toti trinitati. Alio modo ſpirare eſt idem quod inſpirare, & illa conuenit toti trinitati, quia inſpirare dicit effectum ſpiritus qui eſt à tota trinitate. Dicitur enim inſpirare quod in ſpiritu noſtro ſpiritualiter immittitur, ſiue affectio, ſiue cognitio. Et aliquid dicitur inſpirari tunc à tota trinitate (vt inquit Brulefer vbi ſupra), quando aliquid cauſatur in anima noſtra, vt intellectio vel amor.

Spirans neutri generis ex vſu loquentium vno modo accipitur vt non ſupponat niſi pro perſona, ſic non eſt concedenda illa, Pater & Filius ſunt vnus ſpirans: quia Pater & Filius non ſunt vna perſona ſpirans. Si verò de virtute ſermonis ſupponit pro omni illo quod ſpirat, ſiue ſit perſona formaliter, ſiue non ſit perſona formaliter, cuiuſmodi eſt hoc conſtitutum ex eſſentia & ſpiratione actiua, circumſcribẽdo tam paternitatem quàm filiationem,

ſic eſt

ſic eſt ſimpliciter cõcedenda illa Pater & Filius ſunt vnus ſpirans. Sed de negatiuis dicitur quod licèt de virtute ſermonis illę eſſent concedendę, Pater & filius ſunt duo ſpiratores, duo ſpirãtes, quia duę perſonæ quæ ſpirãt, & ita negatiuæ eſſent falſæ, tamen propter hęreticos & propter vitare occaſionem decipiendi ſimplices, quia conceditur quod pater & filius ſunt vnum principiũ: negantur illæ, ſunt duo principia ſpiritusſancti, neque duo ſpiratores: quia in aliis ita commune eſt quod vbi de aliquibus cõceditur vnitas, negatur pluralitas, & econuerſo. Et de hoc vide Gabr. diſt. xij. qu. j. lib. j. & Petrum de Aliaco q. viij. ar. ij. li. j. quamuis Thomas in ſcripto primo di. xj. dicit quod duo ſint ſpiratores, & non vnus ſpirator. Doctor tamen ſubtilis diſt. ij. & poſt eum Guil. imitator eius & cæteri dicunt, quod nullatenus dicuntur duo ſpiratores, licèt dicantur duo ſpirantes. Etſi aliquando ait Scotus inuenitur à doctoribus quod pater & filius ſunt duo ſpiratores, debẽt exponi eorum auctoritates & ſanè intelligi. Multę enim auctoritates ſanctorum, quæ non ſunt veræ de virtute ſermonis, exponendę ſunt ſecundũ Magiſtrum di. xij. Pelbartus aſſentit cùm ait. Illi qui dicunt eſſe concedendum quod Pater & Filius ſunt duo ſpiratores: vt Alexan. & Thomas, ſalua ſemper reuerentia talium & tantorum doctorum non ſatis inſpexerunt in vi terminorum. Nam Pater & Filius eadem ſpiratione ſpirant Spiritumſanctum tanquam vnum principium: ergo non ſunt duo ſpiratores. Ideo dicitur concluſiuè (vt inquit Gab. vbi ſup.) cum Eccleſiæ determinatione quod Pater & Filius ſunt vnum principium Spiritusſancti & non duo principia: & ſpirant vna ſpiratione, non duabus ſpirationibus. Et habẽt fides quicquid ſit de modo loquendi quod pater & filius verè ſpirant vnica ſpiratione, non duabus ſpirationibus: & tamen nõ ſunt vna perſona, ſed poſſunt dici notionaliter vnum principium ſpirandi &c.

Spiratio vt notat Guilhel. Scoti imitator in primo di. xij. prout reperitur in diuinis accipitur tripliciter. Vno modo actiuè, & dicitur vis ſpiratiua ſiue ſpiratio actiua: vel ſpirans aut ſpirator vel ſpirare, ſicut conuenit Patri & Filio. Et iſta ſpiratio actiua ſecundum Franc. Maro. dicitur nexus patris & filij, quia in ea pater & filius conueniunt, non autẽ ſpiritusſanctus. Vnde Augu. ſerm. de trinit. ca. 5. vocat eam communionem patris & filij, & nõ multiplicatur in eis, quia vnica ſpiratione ſpirat pater & filius. Secundo in diuinis intelligitur ſpiratio paſsiuè & eſt notio conſtitutiua ſpiritusſancti, qui cõſtituitur ex diuina eſſentia & iſta ſpiratione paſsiua, & eſt correlatiuum ſpirationis actiuæ. Denominatur & ſpiritusſanctus illa ſpiratio quæ eſt perſona conſtituta ex eſſentia diuina & ſpiratione paſsiua. Tertio in diuinis intelligitur ſpiratio vt eſt commune quoddam vniuocum ſpirationi actiuę & paſsiuę, vt cùm dicitur, Deus eſt ſpiritus, &c.

Spiritus dicitur ſextupliciter, ſcilicet aër, ventus, corpora beatorum, animæ beatorum, virtus imaginatiua, mens, & Deus ſecundum beatum Thomam part. j. qu. xlj. art. iij. & j. ſenten. di. x. qu. iiij. Et hoc nomen ſpiritus (vt ſcribit ſanctus Bonauen. di. x. part. ij. qu. iij. lib. j.) reperitur in corporibus, in ſubſtantiis rationalibus, & in Deo: licèt in Deo ſit propriiſsimè, quia propriiſsimè in eo eſt ſpiritualitas & ſpiratio: tamen ratio cognoſcendi & dicẽdi tanquam à poſteriori, incipit à ſubſtantia corporali. In ſubſtantia autem corporali, ſpiritus dicitur dupliciter, aut à ſpiritualitate contra corpulentiam: & ſic dicitur abſolutè. Et vocatur ſpiritus corpus ſubtile: ſicut accipitur in libro de differentia ſpiritus & animæ. Aut à ſpiratione, & ſic dicitur ſpiritus flatus: ſicut accipit Chryſoſt. Ioan. 3. Spiritus vbi vult ſpirat &c. Et in Pſalm, Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum quæ faciũt verbum eius. Secundum hunc modũ duplicem accipitur in ſubſtantia ſpirituali ſiue rationali, aut à ſpiritualitate contra corporeitatem. Et ſic ſubſtantia rationalis vel eius potentia interior dicitur ſpiritus. Eccl. 3. Quis nouit ſi ſpiritus filiorum, &c. Aut à ſpiratione & ſic affectus vel amor dicitur ſpiritus. Et ratio huius eſt, quia actus ſpirationis in corpore eſt actus internus, actus continuus, actus viuificus: & habet originẽ à calore, quia ergo egreſſus amoris vt amor venit ab intrinſeco, & amor eſt actus viuificus, quia amor eſt vita, & iterum amor eſt actus continuus, quia continuè debet reddi amor, & tunc eſt perfectus quando homo ſic amat. Ruſus eſt calor ſpiritualis, ideo ſolus amor dicitur ſpiritualiter ſpirari. Et ſic accipitur. 1. ad Theſſa. 5. Vt integer ſpiritus, &c. Secundũ hunc duplicem modum accipitur in diuinis. Nam ſecundum quod dicitur, à ſpiritualitate, ſic conuenit toti trinitati, nam tota trinitas caret corporeitate & materialitate, & ſic eſt nomen abſolutum. Ioan. 3. Spiritus eſt Deus, & ſic capitur eſſentialiter. Secundum autem quod dicitur, à ſpiratione, ſic cõuenit ſoli perſonę quę procedit vt amor ratione iam dicta. Spirare enim in ſpiritualibus ſolius eſt amoris, & quandoque amor poteſt ſpirare rectè & ordinatè, & ſic eſt purus, vel indirectè & immundè, & ſic eſt libidinoſus. Ideo perſona illa quæ eſt amor non tantùm dicitur ſpiritus, ſed ſpiritusſanctus, non ſic filius dicitur ſanctus, quia generatio eſt motus naturalis circa quem nõ attenditur ſanctitas vel puritas, ſicut attẽditur circa amorẽ voluntatis. Hæc Bonau. Et ſic ſecundum Bruleferum ſpiritus accipitur perſonaliter, & dicitur à ſpirari paſsiuè. Et hoc modo ſolùm dicitur de tertia perſona in diuinis, & vocatur rectè ſpiritus, quia ſpiratur vt amor. Capitur & ſpiritus notionaliter, vt idẽ dicit Brulef. di. x. primi. Hoc modo ſpiritusſanctus dicitur à ſpirando actiuè, hoc modo conuenit patri & filio, & neceſſariò illis duobus, & ideo non eſt perſonale propriè, licèt notionale ſit.

Spiritus eſt duplex (vt ex iam dictis haberi poteſt) ſcilicet, increatus & creatus. Increatus eſt ipſe Deus, & capitur eſſentialiter, & conuenit tribus perſonis notionaliter, patri & filio perſonaliter cõuenit tertiæ perſonæ, ſcilicet ſpirituiſancto. Spiritus creatus eſt creatura. & eſt duplex, ſcilicet corporeus & incorporeus, vt notat Brulefer di. x. lib. j. q. vlti. Corporeus eſt duplex. Nam ſpiritus quidam dicitur à ſpiritualitate, vt diſtinguitur contra corpulentiam. Alio modo ſpiritus corporeus dicitur à ſpirando, id eſt flando. Pſal. Ignis, grando, nix, ſpiritus procellarũ, id eſt ventus ſeu flatus. Vnde aër quem attraho & reſpiro, poteſt dici ſpiritus vel halitus meus.

Spiritus incorporeus vno modo dicitur à ſpiritualitate, & ſic capitur pro ſubſtantia ſpirituali. Et eſt duplex. Quidã, ſcilicet facit ſpeciẽ completã & dicitur cõpletus, vt ſpiritus angelicus. Quidã non facit ſpeciem cõpletam & dicitur incompletus, vt anima. Alio modo dicitur à ſpirando, hoc modo omnis amor productus à voluntate ſiue humana ſiue diuina vocatur ſpiritus per ſimilitudinẽ, vel ly ſpiritus à ſpirando vel à ſpiratione aëris. Brulef. vbi ſupra.

Spiritus & anima differunt, vt notat Brulefer diſt. j. q. viij. li. ij. Nam ſpiritus eſt aliquod corpus ſubtile non habens magnam corpulentiam. Hæc diffinitio eſt cõmunis ſpiritibus vitalibus, naturalibus & animalibus. Hoc modo nõ eſt anima ſed corpus. Spiritus vitalis habet principium in corde. Naturalis in epate. Animalis in cerebro. Spiritus vitalis eſt quoddam corpus ſubtile neceſſariò diſponens ad vitã. Vnde in corpore animato ſunt quędã corpora parua, & ſubtilia, ſine quibus anima nõ poteſt viuificare corpus. Et primo oriũtur in corde, & nõ ſunt contigui, licèt ſint contigui cordi, ſed mittuntur ad cerebrũ & per alia mẽbra & ſemper ſunt in motu. Spiritus naturales ſunt corpora ſubtilia diſponentia ad corporis cõplexiones æquales. Spiritus animales ſunt corporea ſubtilia diſponẽtia corpus, vt animetur à forma, id eſt anima rationali. Iſti ſpiritus dicũtur nexus & vincula, quia per ipſos anima innectitur, & vinculatur ad corpus. Hæc Brulefer. De quo videatur latiùs Gerſ. carmine ſuper Magnificat, vbi ponit differentiã inter mentem & ſpiritũ. Et tract. iij. ſuper Magnificat ait Gerſ. Spiritum accipi pro mente ſuperiori. Animã verò pro toto illo quod ei ſubditũ eſt. Et Paulus exprimẽdo tres animæ vires frequenter ſimul loquitur de ſpiritu & anima. de corpore non quidem mortuo: ſed animato quod eſt ſenſualitas. Sic Chriſtus inſinuauit. Triſtis eſt inquit anima mea vſque ad mortẽ. Et ſtatim poſt. Spiritus quidẽ promptus eſt. Nec mirum: quia beatus, caro autem infirma, quæ relicta paſsionibus rota erit. Hinc Apoſtolus loquẽs de diuiſione ſpiritus & animę addidit cõpages & medollas: & cor, fortè ſenſualitatẽ indicare volẽs. Et (vt idem dicit Gerſ.) caro aliquãdo ſumitur pro anima & corpore & ſpiritu: vt ibi, Verbum caro factũ eſt. Anima ſimiliter pro homine: vt ibi, omnes animæ deſcenderunt in Ægyptum. Spiritus verò pro tota anima rationali, vt de Chriſto, emiſit ſpiritum.

Spiritus eſt quidam ſpiritus Domini, ſpiritus carnis, ſpiritus dæmonis, & ſpiritus mundi. qui quidẽ vltimi ſunt tres immũdi ſpiritus: vt dicit Gerſ. par. ij. ſerm. de ſancto ſpiritu, quos Apoca. Ioannes vidit egredientes de ore beſtiæ in modum ranarum, quæ garrulæ, ſordidæ turgidæque ſunt, &c. Sunt autem ſpiritus boni & ſpiritus mali. Vnde dicit Ioann. Probate ſpiritus ſi ex Deo ſunt. 1. Ioan. 4. Angelus enim Sathanæ transfigurat ſe in angelum lucis, & nõ cuilibet datũ eſt probare an ſpiritus ex Deo ſint, ſed aliquibus per ſpiritumſanctũ, qui vnus exiſtens diuiſiones gratiarum diſtribuit ſingulis prout vult ad ædificationem corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia, cui nunquã defuit in neceſſariis. De probatione autem ſpirituum ſcribit permulta Gerſon parte j. tract. de probatione ſpirituum.

Spiritum aſſumere corpus, vt colligitur ex dictis doctorũ. Alex. Sco. Tho. & aliorũ eſt ſpiritũ coaſsiſtere corpori diffinitiuè, vt motorẽ intrinſecũ mobili tanquã inſtrumentũ ad ſui vel Dei repręſentationẽ. Et dicitur coaſsiſtere corpori. in hoc enim dicitur ſpiritus aſſumere, id eſt ad ſe aſſumere corpus, quia conlõgitur ei per indiſtantiã localẽ nõ ſolũ p operationẽ. Et additur, diffinitiuè ad excludendũ Deũ, qui licèt apparuerit patribus in figuris corporalib' Abrahę in tribus viris: Moyſi in igne, populo in nube, &c. Illa tamen corpora nõ aſſumpſit Deus. Alioquin cũ omnibus intuitiuè pſens, & omnia operetur in omnibus, omnia corpora aſſumeret & maximè in omnibus in quibus ſe manifeſtauit creaturæ rationali, & ita aſſumeret corpus prędicatoris verbũ Dei prędicãtis, nec dicitur aſſumpſiſſe columbæ ſpeciẽ in qua apparuit ſpiritusſanct. nec ſtellã Magis apparẽtem, nec igneas linguas, nec ignem in rubo aut in mõte Synai, ſed omnes illæ apparitiones factæ ſunt per angelos huiuſmodi corpora figuralia aſſumẽtes, & in perſona Dei loquẽtes. Vnde Aug. ij. & iij. de trinit. penè per totum materiã illã diſputans oſtendit ca. xj. tertij. Omnes illas apparitiones in quibus manifeſtè ſcriptura Deũ apparuiſſe, & locutũ fuiſſe patribus & populo dicit angelorũ (in perſona Dei loquentiũ) miniſterio factas. Vide de hoc latiùs, Gab. di. viij. q. j. lib. ij. & propter hoc additur diffinitiuè quod angeli huiuſmodi corporalibus figuris coexiſterũt diffinitiuè, nõ autẽ Deus, quã particulã Scot. addit. Et dicitur vlterius in deſcriptione, vt motorẽ intrinſecũ mobili ad deſignãdum quod aſſumptio illa nõ eſt per informationem ſicut anima aſſumit, nec per hypoſtaticã vnionem ſicut verbũ aſſumpſit humanam naturam, ſed dũtaxat per motionem & vſum corporis ad operationẽ, ſicut artifex vtitur inſtrumento. Additur ad ſui vel Dei repręſentationẽ, id eſt ſignificationem, hoc verũ eſt de angelis bonis tantum, quia mali ſæpè aſſumunt corpora nõ propter Dei repræſentationẽ, quia non propter ſolum motum ſpiritus dicitur aſſumere corpus, alioquin intelligentia motrix orbis aſſumeret orbẽ. Et ſicut Alex. dicit ſi moueret magnã turrim, illã aſſumeret, quod non conceditur, & in hoc etiam tangitur cauſa finalis. Nam ſecundum S. Bona. angeli nõ indigent ſolatio corporis propter ſe, ſed vt nobis congruentius cõdeſcendant indigent ſolatio, id eſt adiutorio. Indigent inquam ad aliquas operationes exercendas & ad ſeipſos manifeſtandos & ad noſmetipſos lætificandos ſiue confirmandos, loquitur de bonis angelis. Et ideo aſſumunt corpora ſicut inſtrumenta vel organa ad operandum ſicut ſigna ad manifeſtandum, ſicut cooperimenta vel habitacula ad conuerſandum. Vnde corpus aſſumptum iungitur illi ſicut inſtrumentum motori, ſicut ſignum ſignificatori, ſicut habitaculũ habitatori. Hęc S. Bona. Poſſunt autẽ tam boni quàm mali angeli aſſumere corpora in quibus apparent homini. Aſſumunt autẽ corpus prout congruit operationi & ſignificationi. De quo latiùs legito Gab. d. viij. q. j. l. ij. Poteſt autẽ apparitio boni angeli ab apparitione mali diſcerni ſic, vt ſcribit Brul. di. viij. q. ij. li. ij. Nã boni in principio terrẽt, ſed in fine conſolatũ relinquũt hominẽ. Mali autẽ demulcent in principio, in fine relinquunt ſummã triſtitiam & amaritudinem

vſque

vſque ad deſperationem. Et hoc faciunt boni angeli ad vtilitatem hominum. Mali autem nunquam apparent, niſi propter malũ hominis: vt dicit Bruleſer. de quo aliàs dicitur. Et quamuis ſpiritus creatus poteſt illabi corpori, non tamen alteri ſpiritui: quia (vt ſcribit Gerſon part. iij. de remediis contra puſillanimitatem) ſicut in corporalibus impoſsibile eſt fieri penetrationem dimenſionum iuxta Philoſophos, ſic & in ſpiritualibus impoſsibile eſt fieri illapſus ſpirituũ iuxta Theologos. Et hoc eſt quod dicit Augu. in de fide ad Petrum, vbi inquit. Singulis ſpiritibus ineſt terminus, quo à ſeinuicem diſtinguuntur, & vnus in alio non eſt. Ex quo ſequitur quod diabolus nõ poteſt intrare partem animæ ſuperiorem, ſiue ipſius animæ eſſentiam, quia anima eſt ſpiritus indiuiſibilis, & per cõſequens nõ poteſt immediatè in ipſam operari, cum omnis operatio fieri habeat per contactum, &c.

Spiritusſanctus vt eſt tertia perſona in diuinis à patre & filio procedens non magis eſt charitas, amor vel dilectio patris & filij quàm pater ſit charitas, amor vel dilectio filij & ſpiritusſancti. Et hoc loquendo de virtute ſermonis, & propriè patet, quia vnicus & penitus indiſtinctus eſt amor eſſentialis, mutuus, iocundus, & infinitus, quo mutuo ſe diligunt pater & filius & ſpiritusſanctus. Nec eſt poſſibile ponere aliquem amorem quo pater diligat filium aliquo modo diſtinctum ab amore communi trium perſonarum ſecundum Augu. vj. de trinitat. Gabr. lib. j. di. xxxij. q. ij. poſt Petrum de Aliaco q. viij. att. iij. lib. j. Vnde ſecundum eundem prædicti termini charitas, amor & dilectio propriè loquendo ſemper ſunt termini eſſentiales, etſi quandoque à ſanctis vel doctoribus capiantur perſonaliter, hoc nõ eſt ſecundum ſermonis proprietatem, ſed eſt ſecundum quandam appropriationem, ſicut appropriatur patri potentia: & filio ſapientia, tamen in diuinis nõ eſt aliqua potentia, vel ſapientia aliquo modo diſtincta à cõmuni potẽtia vel ſapientia triũ perſonarum. Hæc Aliacenſis. Spiritus quoque ſanctus poteſt dici nexus patris & filij ad iſtũ ſenſum quod pater & filius producũt ſpiritumſanctum & non aliter. vt Gab. & Aliaco vbi ſupra dicunt, & ſe mutuo diligendo producunt ſpiritumſanctum. Et ſpiritusſanctus datur dupliciter. Vno modo in dono tantùm. Alio modo in ſeipſo ſimul & in dono, non quin poſsit dari in ſeipſo ſine omni dono creato. Sed quia nunquam datur in ſeipſo, qui ſimul detur donum aliquod creatum. In dono tãtum dum gratiam gratiſdatam, ſiue gratiam gratumfaciẽtem largitur, puta donum fidei, ſcientiæ, prophetiæ, de quibus dicitur. 1. Cor. 12. Diuiſiones gratiarũ ſunt, quæ dona non dantur principaliter ad ſanctificandum perſonam, neque ad eius vtilitatem, ſed ad vtilitatem Eccleſiæ, ſic & malis datur. Secundo datur in ſeipſo & dono gratiæ gratumfacientis, quod eſt charitas ſecũdum illud Rom. 5. Charitas diffuſa eſt in cordibus veſtris per ſpiritumſanctum, qui datus eſt vobis. Sicut enim nunquam datur in ſeipſo ſine hoc dono, ſic hoc charitatis donum nunquam datur ſine ſpiritusſancto. Sic enim principaliter datur ad ſanctificandum perſonam recipientis. De quo vide apud Gabr. in primo, & lib. iiij. diſt. xix. ar. iij. dub. j. & ſupra in dictione Dari. & de ſpiritusſancto multa aliàs ſcribitur. Et ſecũdum Iacob. de Valent. tract. j. ca. j. prologi ſuper Pſalm. Spiritusſanctus eſt cauſa efficiens principalis cuiuſlibet partis ſacræ ſcripturæ, qui loquebatur per ora Prophetarum & Apoſtolorum. Quia non à caſu nec à voluntate humana allata eſt nobis ſacra ſcriptura (vt ait Petrus in ij. canonica ſua cap. j.) ſed ſpiritusſancto illuſtrati locuti ſunt ſancti homines. Vnde & Dauid oſtẽdit ſcientiam habere non à ſeipſo, ſed à ſpiritusſancto, quando dixit. Inclinabo in parabolam aurem meã, aperiam in Pſalterio propoſitionem meam.

Spirituale dicitur tripliciter ſecundum Rich. in iiij. di. xxiij. & poſt eum Gabr. lectio. xxviij. canonis, ſcilicet eſſentialiter, vt gratia & virtutes. Cauſaliter vt ſacramenta quæ cauſant gratiam ſuo modo. Et effectiuè vel actualiter, vt prædicare, corrigere, viſitare, orare, & huiuſmodi quæ ſunt actus ſpirituales. De quo videatur & in dictione *Simonia*. Et homo ſpiritualis qui opponitur carnali, & ſpiritualis homo omnia diiudicat, vt inquit Gerſon de vnitate Eccleſiaſtica. Et ſecundum eundẽ ſpirituales homines non innitentes ſoli literę aſcendentes de terrenis affectibus, & in liberum atque purum æther lucidiſsimę veritatis deſideriorumque ſplendidorũ ſeſe attollentes, &c. Idem recitans illud Apoſtoli. Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpiritales eſtis, huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis, conſiderans teipſum ne & tu tenteris, dicit. Spiritualis eſt, qui ſpiritualiter omnia diiudicat, qui didicerit ex eis, quę paſſus eſt compati, qui quęrat non quæ ſua ſunt, ſed quę Ieſu Chriſti, quem totum repleuit charitas, humilitas & pietas, vt nullũ in eo locum vanitas & cupiditas inueniat, cuius conuerſatio in cœlis ſit, qui tanquam vnus ex angelis Dei nec benedictione nec maledictione moueatur, exemplo eorum neque ex miniſterio occupationis ſui inferioris ſuperna deſerat, nec ſordes contrahat peſtiferas. Alioquin quid ſibi proderit ſi vniuerſum mundum lucretur, & animæ ſuæ detrimentum patiatur, non audiens iubentem miſerere animæ tuæ placens Deo. talis denique qui nullis ſtimuletur aut alliciatur formis corporum, ſed abſtractus in ſublimi arce rationis in ſola animarum perſpicaci qualitate verſetur. Quamdiu enim iſta tibi deerunt & repentè vel ſuſpitionibus inquietaberis vel nimis terreberis vel gloria turgeſces, aut cõtractus eris infamia, carnalis es nõ ſpiritualis, nec dum ſatis idoneus qui alios inſtruas in ſpiritu lenitatis. Hæc Gerſon. Pauci autem & ratò inueniũtur ſemper ſic ſpirituales (vt idem vult.) Et ſpirituale dicitur quod eſt ſubtile vel leue. Vnde res ſpiritualis eſt leuior elementis. Hinc. 1. Cor. 15. dicit Apoſtolus. Seminatur corpus animale, ſurget ſpirituale. Non eſt autem hoc intelligendũ (vt ſcribit Rich. di. xlix. ar. iiij. q. iiij. in fine.) quod cõuertatur in ſpiritum, ſed hoc dictum eſt ad notãdum ſubtilitatem. Nam in illa reſurrectionis gloria (vt inquit Gregor.) erit corpus noſtrum ſubtile per effectum ſpiritualis potentiæ, ſed palpabile per virtutem naturæ. Et bona ſpiritualia generaliter dicuntur bona quæ ſpectant ad partem clericorum, & ſacerdotum, & ſic prædia & poſſeſsiones Eccleſiæ & eius iuriſdictiones erũt quædã ſpiritualia. De quo legere potes latiùs Gerſ. parte j. lectione ſuper Marcum, & parte iij. de vita

ſpirituali

ſpirituali animę, lect. ij. corol. iij. Et vitia ſpiritualia dicuntur, quia in corde actitátur, ſicut carnalia, quę in corporis mẽbris eorum operatio conſiſtit. Sunt autem octo vitia principilia, ſcilicet gula, luxuria, vana gloria, ſuperbia, auaritia, inuidia, acedia, ira. Duo ex his carnalia, reliqua ſex ſpiritualia. De quibus latè ſcribit Gerſon part. ij. ſermo. de verbis Domini. Venite ad me omnes qui laboratis &c.

Sponſus quaſi promiſſus: ſponſa, quaſi promiſſa, ſed poſt contractum matrimonium per verba de præſenti, dicuntur vxor & maritus, non ſponſus, nec ſponſa. Vnde ſponſalia ſunt promiſsio futurarum nuptiarum. Et dicuntur ſponſalia (vt ſcribit Petrus de Palud. di. xxvij. q. j. lib. iiij.) à ſpõſando. Nã moris fuit veteribus ſtipulari, & ſpõdere ſibi vxorem. Inde ſponſi & ſponſæ appellatio nata eſt. Et differunt ſponſalia & matrimonium, quia matrimoniũ eſt de conſenſu præſenti, ſed ſponſalia de futuro: & ſic matrimonium eſt ſolutio ſpõſalium. Et perſonæ ſponſalia cõtrahentes debent eſſe ad minus ſeptem annorum. Et cõtrahuntur quatuor modis. Primo, promiſsione facta per verba de futuro, ſicut cùm maſculus dicit: Accipiam te in meam. & puella dicit: Accipiam te in meum. Secundo, quãdo pecuniæ vel aliæ res dantur pro arris ſponſalitiis. Eſt enim arra id quod in contractu cuiuſcunque rei datur, in ſignũ firmitatis eorum quę ibi promittũtur. Tertio modo, quando ſponſa ſubarratur annulo. Quarto, quando promiſsio de futuro matrimonio cõfirmatur iuramento, vel fidei interpoſitione. Et iſtis quatuor modis contractus ſponſaliũ dicitur abſolutus, quia perſonæ obligantur ad ſeruandum quod promiſerunt. Quãdoque eſt cõditionatus, vt ſi dixerit maſculus. Accipio te in meam ſi placuerit patri meo vel tuo: vel ſi habueris centum marcas, & tunc ſtãte promiſsione, & rata ſunt ſponſalia. Si autẽ eſt conditio inhoneſta, nõ tamẽ cõtra bona matrimonij, vt ſi dicat vir: Accipiam te in meam ſi factis meis conſentias, & hæc conditio habetur pro non appoſita, & tenẽt ſponſalia ac ſi facta eſſent abſolutè. Si autẽ eſt conditio cõtra bona matrimonij, vt ſi dicat vir: Accipio te in meam ſi venena ſterilitatis procuraueris, tunc ſponſalia non tenẽt. Conditio enim cõtractum corrumpit, quãdo eſt contra naturam ipſius. Rich. hęc di. xxvij. ar. iij. q. ij. li. iiij. Videatur ad hoc S. Tho. eadem di. qu. j. ar. ij. Et Palud. Adſtipulatur Paulus Corteſius li. iiij. di. vj. ſuarum ſent. Poſſunt autem diſſolui ſponſalia in decẽ caſibus quos Rich. annumerat q. iiij. vbi ſupra. Vnus, quando alter religionem ingreditur. Secundus, quando contrahit cũ alia per verba de præſenti, & in illis duobus caſibus ſoluũtur ſponſalia ipſo iure. Tertius eſt, quãdo transfert ſe ad regionem aliam, & conuenienti tẽpore expectatus, & debito modo requiſitus, non reuertitur. Quartus, quando alter incurrit lepram, vel paralyſim, vel aliã enormẽ læſionem. Quintus, quando alter eorum fornicatur. Sextus, ſi ſuperuenit affinitas, vel cognatio ſpiritualis. Septimus, quãdo alter alterũ abſoluit, ne fortè inde deterius contingat, ſi talem ducat quam odio habeat. Octauus, quando minor ad legitimã ætatem veniens diſſentit. Nonus, ſi probetur fama de impedimento inter eos, vel ſcãdalum de eorum cõiunctione. Decimus, (vt aliqui dicũt) ſi ſponſalibus ſuperueniat ſimplex continentię votum. Et in his octo caſibus non ſunt ſoluendi ſpõſalia niſi iudicio Eccleſiæ, quod verum eſt ſi ſunt publicè contracta, ſecus ſi ſecretò, vt opinatur Rich. cùm ſecreta non ſubſunt iudicio militantis Eccleſię, niſi quo ad forum pœnitentię. Allegat ad hos caſus iura Rich. quem vide, videatur & ad hoc S. Bonauen. di. xxxvj. ar. ij. qu. iij. lib. iiij. & aliàs apud iuriſconſultos.

Sponſalitia largitas dicitur donatio propter nuptias quę fit à viro mulieri cõſtante matrimonio, vel ante ſolum cõtemplatione nuptiarũ. Et dicitur ſponſalitia largitas, quæ niſi matrimoniũ ſequatur vel ſi ſeparetur, vt dos ab vxore, ſic illa à marito repetatur, & ſi pactum apponatur de dote lucranda à marito, ſi mulier præmoriatur, eo ipſo videtur appoſitum ex parte viri de donatione propter nuptias. Petrus Paludeñ. di. xlij. di. iij. lib. iiij.

Sportulæ (vt habet Gabr. di. xv. qu. vj. lib. iiij.) ſunt munera à lege non diffinita, & allegat Angelum in ſumma, hoc eſt. Sportulæ vaſa ſunt in quibus ſolẽt deferri munera iudicibus, & qualia quantaque debeant eſſe illa munera eſt lege diffinitum, &c. Dicunt tamen quidam (vt ait Gabr.) quod ordinarius ſecularis non poteſt recipere aliquid à partibus eadem ratione qua Eccleſiaſticus, quia & ipſe propter iuſtitiam tuendam & miniſtrandã habet ſuã prouiſionem. Poteſt tamen recipere eſculenta, &c.

Spurius dicitur, qui naſcitur ex adulterio vel inceſtu, vt dicit Petrus de Palud. di. xlj. q. iij. lib. iiij. Vel dicitur incerto patre natus, quem vulgo Modeſtinus conceptum appellari ſcribit, ſiue is qui eum patrem habet quem habere non licet, & non dicitur is qui Græco vocabulo dicitur nothus, hoc eſt adulterio natus, vt ſcribit Dominicus Nanus. Nã is Latinum vocabulum non habet, ideo vtimur peregrino.

Status propriè pertinet ad libertatẽ vel ſeruitutem in tẽporalibus vel ſpiritualibus, quia ſignificat immobilitatẽ & obligationẽ perſonę hominis ſecundum B. Tho. ij. ij. q. clxxxiij. ar. j. & dicitur ſtatus à ſto ſtas. Stare autẽ ſignificat poſitionẽ naturalẽ hominis cum immobilitate ſecundũ eundem ibidem. Et poteſt dici ſtatus conditio. Et vt ſcribit Scotus q. iij. di. iij. ar. ij. lib. j. Status nõ videtur eſſe niſi ſtabilis permanentia legibus diuinę ſapientię firmata, vt ſtabilitum eſt à Deo ſapiẽtiſsimo. Stabilitum eſt autem illis legibus ſapientiæ quod intellectus noſter nõ intelligat pro ſtatu iſto niſi illa quorum ſpecies relucent in phantaſmate, & hoc ſiue propter pœnam originalis peccati, ſiue propter naturalem cõcordiam potentiarum animę in operando ſecundum quod videmus, quod potentia ſuperior operatur circa idem, circa quod inferior ſi vtraque habeat operationẽ perfectã, & de facto eſt in nobis quod quodcunque vniuerſale eſt in nobis, eius ſingulare actu phantaſiamur.

Status eſt triplex hominis. Primus naturæ perfectiſsimę, qui eſt in beatitudine (vt ſcribit Gab. di. j. q. ij. lib. iiij.) de quo Boëtius iij. de conſol. quod eſt ſtatus omnium bonorum cõgregatione perfectus. Secundus eſt naturæ integræ nundum à perfectione ſuæ conditionis lapſæ, qui dicitur ſtatus innocentiæ. Hic fuit ſtatus hominis in paradiſo, in quo ſtatu ipſa anima ex toto & omnino ordinata fuerat

ad cogi-

ad cogitandú de Deo ſuo creatore, atque cõſiderare
ſpiritualia ſine aliquo impedimento & difficultate,
quod ipſo modo per tantá pęná, difficultatemq́; gra
uata onere ſuæ corruptionis poteſt operari, quod
eſt mirabile : quod noſcunt optimè qui ad hoc ni-
tuntur (vt ſcribit Gerſon parte iij. de monte con-
templationis cap.xxx.) Nobilis igitur anima per
peccatum redacta eſt in magnam miſeriam. Ter-
tius ſtatus eſt naturæ lapſæ ſiue corruptæ per pec-
catum primi hominis. Primus erit hominis ſtatus
in patria. Secundus fuit in Paradiſo, hoc eſt ſub
præcepti obedientia. Tertius eſt hominis de præ-
ſentis exilij miſeria. Et hic ſtatus lapſi hominis
diuiditur ſub lege naturæ, ſub lege ſcripta Moyſi,
& ſub lege veritatis & gratiæ, quæ eſt lex Chriſti,
ſecuodum illud Ioannis 1. Lex per Moyſen data
eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.
Et in ſtatu vitæ præſentis ſceptrum habet miſeri-
cordia. Sed in ſtatu vitæ futuræ locum habet iu-
ſtitia (vt dicit ſanctus Bonauentura diſtinct.xx.
lib.iiij. circa textum) propter hoc dicitur: Horren-
dum eſt incidere in manus Dei. Eſt & ſtatus ſalu-
tis in quo ſi peccator confitens ore & corde dice-
re poteſt veraciter tres veritates, credat ſe eſſe &
confidat in ſtatu ſalutis : quas ſcribit Gerſon parte
ij. in Tripartito de præceptis decalogi cap.x. Pri-
ma eſt : Domine ſic vel ſic contra veſtram bonita-
tem peccaui, quod mihi diſplicet : ratione & cuius
pœnitentiam ago, quia vos offendi, qui totus eſtis
venerandus & colendus, quodq́ue mandatum ve-
ſtrum tranſgreſſus ſum. Secunda veritas eſt: Do-
mine bonum habeo propoſitum, & deſiderium ve-
ſtro iuuamine mediante mihi in futurum præca-
uendi ne incidam in peccatum, & occaſiones pec-
catorú iuxta poſsibilitatem virium euitandi. Ter-
tia veritas eſt : Domine bonam habeo volunta-
tem peccatorum meorum confeſsionem integra-
liter faciendi pro loco & tempore ſecundum ve-
ſtrum & ſanctæ matris Eccleſię mandatum & præ-
ceptum. Has veritates (inquit Gerſon) quiſquis
qualicunque loco & tempore, ſinceriter, non fictè
aut mendaciter ex corde pronunciauerit, ſecurus
exiſtat ſe in ſalutis & gratiæ ſtatu conſiſtere, & vi-
tam æternam mereri, quamuis omnia crimina com
miſiſſet. Si etiam talis abſque alia confeſsione con-
tinuò decederet in abſentia Sacerdotis dormiendo
aut alio quouis modo morte ſubita pręuétus, idem
finaliter ſaluaretur acerbiſsima Purgatorij pœna
mediante. Quare Gerſon conſulit ſalubriter, vt
Chriſtianus quilibet ſingulis diebus bis aut ſemel
ſerò & in manè, aut ſaltem in feſtiuis diebus redeat
ad cor ſuum, cõſcientiam examinãs an tres præmiſ-
ſas veritates proferre valeat cum cordis ſincerita-
te, ſicq́ue intra ſtatum ſalutis ſe eſſe confidat. Hæc
Gerſon.

Status eſt adhuc triplex, ſcilicet incipientium, qui
animalis eſt : proficientium, qui rationalis : perfe-
fectorum, qui ſpiritualis iudicatur ſecundum Ber-
nardum, ad fratres de monte Dei: de quo plura ſcri
bit Gerſon parte ij. ſermone de omnibus ſanctis,
qui incipit: Exultate quoniã merces veſtra eſt, &c.
& de quo ſupra videatur in dictione *charitatis gra-
dus*. Et ſtatus Prælatorum eſt perfectior ſtatu alio-
rum: quia quilibet (vt dicit Gerſon parte iiij. ſerm.
de reddendo debito) talis eſt in ſtatu hierarchico,
ad quem ſecundum Dionyſium ſpectat illumina-
re, purgare, & perficere. Purgant exemplo bonæ
vitæ. Illuminant verbo doctrinæ. Perficiunt Sa-
cramentorum miniſtratione. Probat idem ſtatum
Prælationis eſſe perfectiorem, vt ſic ſtatu religio-
nis. De qoo latiùs videto ibi Gerſonem.

Stella dicitur à ſtando, quod ſtare ſtellæ videantur.
Sunt autem ſingulares ſtellæ non admixtæ aliis.
Sydera verò ſiue aſtra ſunt, quę ad aliquod ſignum
complurium ſtellarum compoſita ſunt, vt Aries,
Taurus. Capitur & ſtella pro Angelo. Vnde Apo-
calyp.12. dicitur, quod draco magnus, id eſt Luci-
fer traxit ſecum tertiam partem ſtellarum, id eſt
Angelorum. Nam ſtellæ cœli dicontur Apocal.1.
Et ſtellæ (vt ſcribit Scotus diſtinct.xiiij.lib.ij.) ha-
bent actionem in hæc inferiora, in elementa, in
mixta inanimata, & animata irrationabilia. In
elementa habent actionem dupliciter, & quo ad
alterationem, & quo ad generationem. Accedente
enim Sole & aliis ſtellis calidis ad zenith alicuius
regionis elementa ſuperiora ignis & aër augentur,
& inferiora, ſcilicet terra & aqua minuuntur &
conuertuntur in ſuperiora, & econuerſo recedente
Sole, & accedentibus ſtellis effectiuè frigidis, vt
Saturnus & Mercurius accidit generatio elemen-
torum aquæ & terræ : plura ibi Scotus. Habent
& ſecundò ſtellæ actionem ſuper mixta. Nam
mixta imperfecta, vt impreſsiones quædam gene-
rantur ab illis. Nam materia illarum impreſsio-
num, qui eſt vapor, non eleuatur ad locum gene-
rationis illarum niſi per calorem incorporatum,
vel virtute alicuius ſtellæ, &c. Tertiò habent actio-
nem in mixta, perfecta, inanimata, vt ſunt metalla,
quæ in quibuſdam regionibus generantur ex con-
ſtellatione habente reſpectum ad illam regionem
& non ad aliam. Nam terra non eſt actiua huius
diuerſitatis. Quartò habent actionem ſuper ani-
mata alterando, ſcilicet corpora mixta ad qualita-
tem conuenientem vel diſconuenienté animæ per-
ficienti tale corpus, & ita poſſunt agere ad gene-
rationem & corruptionem, & ita ſimiliter in ſen-
ſitiuis. Nam organa ſenſuom, quæ ſunt corpora
mixta poſſunt immutari & alterari ad aliquem gra
dum conuenientem illis : vt nata ſunt eſſe organa
ſenſuum, & etiam ad diſconuenientem ſenſui, &
ita poſſet organum corrumpi & lædi : & per con-
ſequens poſſunt habere aliquam actionem quo ad
intellectionem quodammodo: quia ſi deordinatur
ſenſus in actu ſuo, per conſequens deordinatur in-
tellectus: vtputa, in phreneticis & lunaticis, in qui-
bus eſt imaginatio confuſa, & etiam quo ad hoc
poteſt eſſe cauſa deordinationis in voluntate. Po-
teſt enim appetitum ſenſitiuum alterare vt magis
inclinetur ad hoc quàm ad illud : & quia in viato-
re voluntas rationalis inclinatur ad proſequen-
dum, quod efficaciter appetitur ab appetitu ſenſi-
tiuo: ideò hoc modo inclinant voluntatem Plane-
tæ, & alia corpora cœleſtia. In nullo tamen neceſsi-
tatur abſolutè voluntas propter hoc, ſed ex ſua li-
bertate poteſt contraire. Hinc dicit Ptolomeus:
Sapiens dominabitur aſtris. Et propter iſtã proni-
taté ad ſequendú appetitú ſenſitiuú cõtra dictamen
rationis, quam cauſant corpora cœleſtia : accidit

frequẽter Aſtrologos ferè pronoſticare de moribus hominũ: puta, quod erunt luxurioſi, vel huiuſmodi per cõſtellationes natiuitatis, non quod ita eueniat neceſſariò, quod nõ poſſet aliter eſſe de his quę dependent à voluntate rationali, ſi homo vellet magis ſequi per voluntatẽ legem rationis quàm ſenſus: ſed cogitationes hominũ pronæ ſunt ad malũ. Geñ.8. & Eccleſ.1. Peruerſi difficilè corriguntur, & ſtultorũ infinitus eſt numerus. Scotus hæc, quem & de ſuperiorib⁹. latiùs videre potes. Et paulò pòſt dicit ſtellas habere & actionẽ aliquam diſpoſitiuam quantũ ad infirmitates in remittendo qualitates & huiuſmodi. Et ſic (vt idem ait) eſt conueniens & neceſſariũ, quod bonus Medicus habeat ſcientiam Aſtronomiæ. Poſſunt enim porrigere aliquo tempore medicinã quæ interficit, & tamẽ alio tempore liberaret. Hinc Ouidius de Remedio amoris lib.1.

Temporibus medicina ualet: data tempore proſunt,
Et data non apto tempore uina nocent.

Et vt refert frater Pelbartus lib. Roſar. Theol. quũ ſtella vel Planeta dicitur frigidus vel ſiccus, & huiuſmodi, nõ eſt intelligendũ formaliter, ſed tantum virtualiter, vel effectualiter: quia efficit influendo talem qualitatem in inferioribus. Similiter cùm dicitur maleuolus vel beneuolus, & huiuſmodi, præſertim referendo ad homines, intelligenda ſunt tantummodo diſpoſitiuè vel inclinatiuè ſecundũ corpus humanũ, & non quo ad liberum arbitrium vel animã, quia aſtra cùm ſint propter hominẽ, & inferiora homine, nil habent in anima humana efficere, ſecundũ omnes Theologos, nec virtus Aſtrorum extẽdenda eſt ad fata hominũ, vel euentuum contingentiũ aut operũ hominum, vel morũ, quia talia ſunt erronea: vt aliàs dicitur. Videatur de hoc & ſupra in dictione *Aſtronomus*.

Stimulus propriè dicitur fuſtis acutę cuſpidis quo ruſtici boues ſuppungunt. Per tranſlationem dicitur omne illud à quo vexamur. Hinc ſtimulum carnis & vitiorum dicimus. Quomodo autẽ ſtimulos carnis vincere debeamus: conſulito Gerſonem par.ij. tract. de pollutione diurna. Eſt & ſtimulus amoris, de quo idem Gerſon part.iij. de monte contemplationis, cap.xxxviij. quo & flagrabat B. Cecilia, quę Euangelium Chriſti in pectore ſuo portabat. Paſſio quoque Domini noſtri Ieſu Chriſti dicitur ſtimulus amoris, quo mouemur ad eum amandum in qua omne bonum reperitur, &c.

Stipendium eſt æs militare dictum à ſtipe, hoc eſt nummo pendenda vel præmiũ, quod militibus datur. A quo ſtipendiarius miles dicitur: & ſtipendiũ quod quiſque tenetur ſoluere Principi aut reipub. De quo vide in dictione *Præſtatio*. Quandoq; accipitur pro pœna vel præmio. Vnde eſt illud Apoſtoli ad Rom.6. Stipendia peccati mors, gratia autem vita æterna.

Stultus, imprudens, improuidus. Vnde ſtulto ſemper contingit pręter id quod credit, vt vult Gerſon parte ij. de mendicitate ſpirituali, parte ij. Et ſtulti (vt dicitur Prouerb.1.) ſapientiam atq; doctrinam deſpiciunt. Et ſtultus præcipuè Princeps ſapientiſſimum ſe putat, vt oſtendit Gerſon par.iiij. ſermone de Angelis, qui incipit: Factum eſt pręlium, &c. Vnde ſtultitia quę eſt in factis, dictiſque per ignorantiam recti ac boni erratio, ſecundũ Lactantium lib.2. diui. inſti. Et ſtultitia importat hebetudinem ſenſus ſpiritualis: fatuitas autem totalem priuationem eius. Ideo prima opponitur contrariè ſapientiæ: ſecũda verò priuatiuè, vt vult S. Thom. ſecunda ſecundæ, qu.viij. art.vj. Et ſtultitia dicitur à ſtupore, quia ſtultus eſt, qui propter ſtuporem nõ mouetur, ſecundũ Ariſtot. lib.1. Ethic. & S. Thom. ij. ij. q.xlvj. art.j. De quo ſtultiloquium, & ſignificat peruerſam ſententiã verborum, per quæ quis præfert delectationes luxuriæ aliis bonis, ſecundũ ſanctum Tho. ij. ij. q.cliij. ar.v. Et eſt ſtultitia peccatorum, quæ eſt quadruplex ſecundũ Magiſt. Ioãnem Gerſonem par.iiij. ſerm. de Cœna Domini, qui incipit: Ad Deum vadit. Prima, quod faſciculos deprimentes, & colligationes iniquitatis ſedentis ſuper talẽtum plumbi graues: ſicut onus graue quotidie imponimus ceruicibus noſtris, circumligantes nos funibus peccatorum, nec ad pœnitentiam confugimus, quæ ab his tandem ſola nos liberat. Secunda ſtultitia, quod lumina diuinæ legis nequaquã quærimus, aut circumferimus nobiſcum, cogitando vbi & quorſum gradiamur. Sed ad obſcuras aut parum lucidas humanarum traditionum nebulas, nos pręſertim Eccleſiaſti oculos totos animi conuertimus, ſi non peius conuertimus. Tertia ſtultitia, quod litigamus in hac via noſtra, rixamur, belligeramus, vindictas expetimus, curſum noſtrum propterea deferentes. Hæc ſtultitia quo ad vim pertinet ad iraſcibilem, ſicut præcedens ad vim rationalem, & ſequens ad concupiſcibilem. Quarta ſtultitia, quod cum fœdis voluptatum volutabris nos plerunq; totos immergimus, nec emergimus per pœnitentiam procraſtinantes, & promittentes nobis celerẽ curſum à terra vſq; ad cœlũ, & in ipſo momento nocturni tẽporis in morte, ſed potius timere debuimus ne tenebræ nos comprehendant, ſi non operamur dum dies eſt. Hæc Gerſon. Eſt pręterea ſtultitia prędicationis, de qua Apoſtolus dicit, quod quia in Dei ſapientia mundus eum nõ cognouit, placuit Deo per ſtultitiã prędicationis ſaluos facere credentes. Eſt autẽ hæc ſtultitia prædicationis (vt ſcribit Gerſ. part.iij. tract.ix. ſuper Cantico Mariæ) quod Deus poteſt alia facere quàm fecerit, aut facit pro liberrimo ſuæ volũtatis arbitrio: hoc enim Chriſtianæ religionis fundamentale principiũ, quo cõceſſo ſubuertitur & corruit funditus omniũ Philoſophorum radicale principiũ. Omnia quæcunque voluit Dominus fecit, ait Chriſtianus. Omnia quæcunq; fecit Dominus (dicit Philoſo.) neceſſariò fecit, nec aliter aut aliàs facere potuit. Gerſon & paulò ſupr. ait: Nulla videtur apud ſapiẽtes huius ſeculi maior, nulla abſurdior ſtultitia, nullaq; magis infatuat ſenſus carnis exterius & interius, quàm hæc ſapientia Dei. Collige (inquit idẽ ad diſcipulũ) per interpretationẽ ſycomori, quę ficus fatua dicitur. Similiter & crede Dionyſio dicẽti, ſapientiã Dei diuiniſſimã ſtultã eſſe. Siquidẽ & Apoſtolũ audi. Quod ſtultũ eſt (inquit) Dei, ſapiẽtius eſt hominibus. Et iterũ: Qui vult ſapiẽs eſſe, ſtultus fiat. Hic titulus ſcholæ huius ſtultitia eſt, tradẽte Lactãtio. Audi Apoſtolũ: Prædicamus Ieſum Chriſtũ, Iudęis quidẽ ſcandalũ, Gręcis verò ſtultitiã: ſed quod ſtultũ eſt Dei, ſapientius eſt hominibus. Hæc Magiſter Ioan. Gerſon.

Vnde

Vnde Apoſtolus 1. Corinth. 3. Si quis inter vos videtur ſapiens, ſtultus fiat vt ſit ſapiens. Pro quo (inquit Gerſon part. ij. ſerm. in Cœna Domini, qui incipit: A Deo exiuit) dabit nobis hanc ſtultam ſapientiam? Væ filiis hominum, qui ſapientes ſunt in oculis ſuis, & coram ſemetipſis prudentes, quia quantò magis ſapientiam quæſierunt, tantò ipſa longius fiet ab eis. Et profectò niſi fiant paruuli, niſi crediderint captiuando omnem intellectum in obſequium fidei, ipſi non intelligent. Oſtium ad ſapientiam veram Chriſtus eſt. Hæc Gerſon vbi ſup.

Stuprum propriè virginum eſt illicita defloratio vel violatio, aut viciatio (vt ait Magiſter diſtinct. xlj. libr. iiij.) ſub parentum cura exiſtentiũ, vt (& vult beatus Thom. ij. ij. quæſt. cliiij. artic. j.) & habetur xxxvj. quæſt. j. Lex illa. Stuprum aliquando pro inceſtu ponitur. Propriè tamen ſtuprum eſt coitus lege vetitus, qui duplex eſt. Vnus cum nupta, quod & adulterium dicitur: aut cum puero, aut cum ſanguinè cõiunctis, ſiue ſacris virginibus. Alter quum vim afferimus cuilibet perſonæ, etiam ſi ancilla ſit. Vnde ſtuprare in vtrumque ſenſum accipitur. Et ſtuprum eſt propriè ſpecies luxuriæ, quæ conſiſtit in actu venereo extra matrimonium, quo defloratur virgo. Aliquando tamen ſumitur largè pro aliis ſpeciebus luxuriæ. Vnde Ambroſius dicit: Omne ſtuprũ adulterium eſt: accipit ibi ſtuprum pro concubitu viri vxorati cum alia quacunque quàm cum vxore ſua: de quo latiùs legere potes apud Antonium ij. parte ſummæ, tit. v. cap. vj. Simpliciter autem & omnibus penſatis grauius eſt adulterium quàm ſtuprum propriè accipiendo, vt ſcribit Richardus diſt. xlj. libr. iiij. circa textum, quia adulter peccat peccato luxuriæ & iniuſtitiæ: magis etiam lædit rempublicam adulterium quàm ſtuprum. Secundũ quid tamen eſt ecõuerſo, quia per ſtuprum aufert bonum aliquod irrecuparabile, ſcilicet virginitatis integritas. Hæc Richardus. Aſtipulatur ſanctus Bonauentura qui dicit: Deformius verò eſt virginem deflorare quàm defloratá cognoſcere. Attamen grauius peccat qui adulteratur, quia magis lædit rempublicam, & magis offendit virum, & magis generat infamiam, ſanctus Bonauen. di. xlj. lib. iiij. circa explanationem textus in fine.

Subſannatio & irriſio conueniunt in fine, ſed differunt in modo. Quia prima fit naſo rugato. Secunda verò fit ore, id eſt in verbo, & cachinnis, ſecundum beatum Thomã ij. ij. q. lxxv. art. j. Et ſubſannatio venit à ſubſanno, ſubſanno à ſanna. Sanna enim ſolutus deriſus dicitur à nariũ ſonitu. Perſius:

Poſticæ occurrite ſannæ.

Subiicere ſignificat ſupponere atque ſubiugare. Et aliquid ſubiici eſt dupliciter (vt ſcribit ſanctus Bonauentura diſtin. xxiiij. art. ij. quæſt. j. libr. iiij.) ſcilicet timore & amore. Qui ſubiicitur cum amore, ambulat in libertate ſpiritus, ſicut filius. Qui ex timore, iſte eſt quodammodo ſeruus, & in bonis & iuſtis non eſt ſubiectio per timorẽ, ſed per amorem: & talis ſubiectio & prælatio, & ordo, in nullo præiudicat libertati.

Subiectum eſt triplex, ſcilicet Logicum: & dicitur prædicationis, & eſt quod de alio prædicatur, vt dicendo: homo eſt animal, animal eſt prædicatũ; homo ſubiectum. Aliud eſt ſubiectum mutationis, & eſt ſubiectum Phyſicum, vt cùm dicitur: materia eſt ſubiectũ generationis & corruptionis, vel motus localis: vel cùm dicitur, ſubſtantia eſt ſubiectũ accidentis. Tertium eſt ſubiectum conſiderationis, ſicut ſubiectum ſcientiæ, circa quod verſatur ſcientiæ vel artis conſideratio. Subiectum autem in aliqua ſcientia vel doctrina, tripliciter poteſt accipi, vt ſcribit ſanctus Bonauentura q. j. prologi in libro ſenten. Vno modo dicitur ſubiectum in ſcientia, ad quod omnia reducuntur ſicut ad primum radicale. Secundo ad quod omnia reducuntur ſicut ad totũ integrale. Tertio ad quod omnia reducuntur ſicut ad totũ vniuerſale. Sic in Grãmatica litera eſt ſubiectum primo modo, & oratio congrua & perfecta ſecũdo modo, & vox literata, articulata, ordinabilis ad ſignificandũ aliquid in ſe vel in alio tertio modo eſt ſubiectũ. Sic in Geometria punctũ eſſe ſubiectũ primo modo, corpus ſecũdo modo, & quãtitas cõtinua immobilis tertio modo. Sic ſubiectũ in Theologia, & li. ſen. ad quod omnia reducũtur vt ad principiũ eſt ipſe Deus. Et in lib. ſent. ſubiectũ ad quod omnia reducũtur, quæ determinantur in lib. ſen. vt ad totũ integrũ eſt Chriſtus, prout cõprehendit diuinam naturã & humanã ſiue creatã & increatã: de quib' ſunt primi duo libri, & caput & membra, de quibus ſunt duo ſequentes. Et accipit hic S. Bonauen. totũ integrũ largè, quod multa cõplectitur nõ ſolum per cõpoſitionem, ſed etiã per vnionẽ & per ordinem. Subiectũ quoque ad quod omnia reducuntur ſicut ad totũ vniuerſale, poſſumus nominare duplicationẽ ſiue diſiunctionẽ. Et ſic eſt res vel ſignũ. Et vocatur hoc ſignũ Sacramentũ. Poſſumus & vnico vocabulo nominare. Et ſic eſt credibile, prout tamẽ credibile trãſit in rationẽ intelligibilis, & hoc per additionẽ rationis: & hoc modo propriè loquẽdo credibile eſt ſubiectũ in li. ſent. Cùm ergo dicitur: Deũ eſſe ſubiectũ, & res, & ſignum, & credibile, diuerſimodè hoc eſt intelligendũ, vt vult ſanctus Bona. vbi ſupra. Vnde vt refert Pelbart. variæ ſunt opiniones de ſubiecto Theologiæ. Albertus Magnus dicit reuelabile eſſe ſubiectum Theologiæ vel credibile. Ægidius li. j. dicit, quod Deus inquantum glorificator & ſaluator. Henricus dicit, quod Deus ſub ratione entis infiniti. Scotus dicit, Deus inquantũ Deus. Hugo dicit, quod Chriſtus inquantum Chriſtus eſt, eſt ſubiectũ Theologiæ, & ſic ſecundũ aliam & aliam rationẽ Deus eſt ſubiectum Theologiæ. Sententias varias Theologorũ doctiſſimorũ de ſubiecto Theologiæ refert Paulus Corteſius lib. j. ſenten. di. j. qui & ſubiectum materiam vocat, & cõſonat cum prædictis. Et ſecundũ Scotũ q. iij. prolo. totius Theologiæ ſubiectũ in ſe & Dei & beatorũ, primũ ſubiectum eſt eſſentia diuina, vt hęc cuius viſio à beatis eſt, ſicut in Metaphyſica cognitio entis: & ideo beata viſio non eſt Theologia, ſed eſt quaſi perfecta incomplexa apprehenſio ſubiecti præcedens naturaliter ſcientiam Theologiæ. Vide latiùs ibi Scotũ, & paulò pòſt ait: Erunt perſonæ quaſi partes ſubiecti.

Subiectum inſuper primũ, id eſt adæquatũ alicuius ſcientiæ eſt illud circa quod verſatur tota ſcientia vel conſideratio, & quod continet omnes veritates totius habitus, vt inquit Pelbartus, &c.

Subſtantia eſt res habeos quidditatem cui debetur eſſe per ſe, & noo in alio, ſcilicet ſub:acta, ſecundum beatum Thomam prima parte quæſt.iij. artic.v. Er ſubſtantia eſt quæ per ſe ſtat nullis adminiculis fulta, vel quæ accidenti ſeu qualitati ſubſtat atque ſubſiſtit, & quaſi illi ſubiaceat, ſiue quia illam contineat. Quandoque ſubſtantia pro facultatibus ponitur. Quintilianus: Vt plus ſubſtantiæ filio relinquerem. Et in Euangelio: Qui conſumpſit omnem ſubſtanriam, viuendo luxurioſe. Et vna eadem natura poteſt dici ſubſtantia, eſſentia, & ſubſiſtentia, vt natura ſortis inquantum dat ſorti quod ſit, dicitur eſſentia. Inquantum dat ei quod per ſe ſit, dicitur ſubſiſtētia: prout autem ſortes habet quod per illam naturam accidentibus ſubſit, dicitur ſubſtantia: quandoq; ſubſtantia ponitur pro materia, & quaſi eſſentia, & ſoliditate ac verius cuiuſcunq; prædicabilis ſubſtātia omnis rationis fuit cohortatio eius ad pacem. Et nomen ſubſtantiæ, vt ſcribit ſanctus Bonauen. di.xxiij.q.ij.lib.j. à duplici ptoprietate dici poteſt, videlicet à per ſe ſtando, vel à ſubſiſtendo non per aliud: ſi ſic propriè eſt in diuinis & magis propriè, quàm in creaturis: quia diuina natura maximè ſubſiſtit, quādo à ſe vel à ſubſtando alij vel aliis. Et hoc tripliciter. Val vt alij inhærenti, & ſic falſe & impropriè dicitur in diuinis, quia proprietates io diuinis non ſunt accidētes inhæreores, vel alij diſtinguenti: & ſic dicitur in diuinis non omnino impropriè, nec omnino propriè, quia proprietas illa non inhærer: & ideo non facit ſubſiſtere ſiue ſubſtare, quaſi ſub alio ſtare, ſed exiſtere, quia ab alio eſſe. Et hinc eſt quod Richar. dicir in lib. de Trinit. quod melius dicitur exiſtentia quàm ſubſtantia: vel quia ſubſtat vr perficiēte, & ſic dicitur res naturæ ſubſtare reſpectu eſſentiæ, & iſta modus magis eſt circa noſtrum inrelligere quàm circa diuinum eſſa. Et ſubſtantia vel ſubſiſtentia, quando accipitur pro eſſentia nō plurificatur, quādo verò pro hypoſtaſi vel perſona accipitur plurificatur. Hæc Bona. vbi ſupra: qui & latiùs de hoc ſcribit, & qu.ij. dicit, quod in omni ſubſtantia cuius eſt eſſe & operari neceſſariò intelligimus naturam, & habenrem naturam. Er naturam dicimus eſſentiam, vel ſubſtantiā habentem naturā, dicimus perſonā: quomodo ergo in creatura rationali contingit vnam perſonam habere plures naturas, ſcilicet corporalem & ſpirituale: ſic & à cōtrario ſenſu cōtingit in Deo ptopter ſummā ſimplicitatē vnam naturā haberi à pluribus: quia contingit eam haberi alio & alio modo, & hoc nō poteſt eſſe ab eodē: quia ergo eadem eſt natura tantū habita & non numera:a, ideo tantū dicitur vna ſubſtantia & eſſentia, quia verò plures habentes, ideo plures perſonæ nulla omnino repugnantia exiſtente, &c.

Subſtantia diuiditur à Philoſopho 2. de Anima, in materiā, formā & cōpoſitum ex his. Compoſitū dicit hoc aliquid. Materiā verò potentiā, formā, ſpeciem vel endelechiā, id eſt actū: & hoc aliquid ſecundū Philoſoph. dicitur cōpoſitum ſubſtātiale, de quo videatur Gabr. di.xij.q.j.lib.ij. ſenten. Dicitur & ſubſtātia eſſentia vniuſcuiuſq;. Præter illos autē modos poteſt aliter diſtingui ſubſtāria iuxta verba B. Aug. (vt refert S. Bona. d.xxxv. circa tex. lib. ij.) Vno modo vt dicatur res permanēs & per ſe ſtans. Alio modo vt dicatur res permanens, nō tamē per ſe ſtans, ſed alij inhærens. Tertio modo vt dicatur ſubſtātia quęlibet eſſeotia actu ens, ſiue per ſe ſtans ſiue nō: & hoc modo ſubſtātia ſe extēdit ad omne ens. Et ſic accipit Aug. cùm dicit quod nulla ſubſtantia eſt nihil omnino, cùm ergo dicitur, quod iniquitas ſubſtātia nō eſt. Dicendū quod iniquitas accipitur abſtractè pro ipſa deformitate non pro habitu circa quem deformitas conſiſtit.

Subſtantia dicitur dupliciter, ſcilicet propriè & trāſſumptiuè (vt ſcribit S. Bonauen. d.xxiij.q.v.li.iij.) Propriè dicitur quatuor modis, ſcilicet ſubſtantia materia, ſubſtātia forma, ſubſtātia cōpoſitum, ſubſtantia quæ eſt eſſentia vniuſcuiuſq;, vt & dictum eſt. Tranſſumptiuè dicitur ſubſtantia illud quod habet aliquando proprietatem ſubſtantiæ dictæ aliquo iſtorum modorū. Vnde dicitur: Fides eſt ſubſtantia, non accipitur in propria ſignificatione ſubſtantia, ſed traoſſumptiuè. Dicitur enim ſubſtantia fundamentum fabricæ ſpiritualis ad ſimilitudinem materiæ, quæ præbet fulcimentum formis & accidentibus, vt latiùs in *Fide* ſupra dictum eſt.

Subſtantia producens eſt triplex, vt notat Brulefer di.xx.q.ij. in fine lib.j. Quædam producit per tempus magnum, vt homo hominem: quædam producit per tempus imperceptibile, vt Sol ſplendorem: quædam producit in inſtanti, vt Deus.

Subſtantia. Aliquid dici ſecundum ſubſtantiam poteſt dupliciter intelligi ſecundū Rich. de ſancto Victore. Vno modo dicitur ſecundū ſubſtantiā in diuinis, quod indicat ſubſtantiā tanquā naturā communē tribus, quomodo dicuntur ſecundū ſubſtantiā, quæ in diuinis primò & præciſe ſignificāt ſubſtantiā non ſolū identicè, vt ſunt natura diuina, eſſentia diuina. Et de illis intelligēda eſt regula quam ponit Magiſ. d.xxij.li.j. videlicet quod ea quæ dicuntur ſecundū ſubſtanriā de omnib9 perſonis cōmuniter, & de ſingulis perſonis dicuntur ſingulariter. De his etiā intelligendū eſt illud cōmune dictū Boëtij: Subſtāria tenet vnitatē, relatio multiplicat trinitatē. Alio modo cōmuniter aliquid dicitur ſecundū ſubſtantiā, quod indicat ſubſtantiā, vt ſuppoſitū, nō tamen referibile ad aliud. Sic capitur, vt ſcribir di.xxv.q.j.lib.j. Magiſt. cùm omnia nomina de Deo prædicabilia ad bimembrē reducūtur diuiſionē, ita q; quodlibet dicitur: vel ſecundum ſubſtantiā vel relatiuè. De quo legatur Gab. di.xxv.q. vnic. ar.iij.lib.j. Et quāuis perſona dicitur ſecundū ſubſtantiā ſecundo modo accipiendo, dici ſecundū ſubſtantiā, nō tamē primo modo, quia indicat ſuppoſitū, & nō refertur ad aliud quo ad ſecundā partē, quia nō indicat primò & formaliter eſſentiā diuinā, ſed primo modo & formaliter hypoſtaſim, & de eſſentia prædicatur identicè. Et ſecūdum hoc intelligendū eſt quod Magiſ. dicit perſonā dici ſecundum ſubſtantiā, &c. Qoo corollariè ſequitur: nomē perſona diuina dicitur ſecundū ſubſtantiā, id eſt nō relatiuè, licèt nō formaliter ſignificet & primo ſubſtantiā ſiue eſſentiā, ſed ſuppoſitū relatiuum: non enim dicitur alterius perſona, ſicut pater filij pater. Hæc Gab. Et cùm dicitur: filius eſt ſubſtātia patris, intelligendū eſt (ſecundū Sco. Occā & Petrum de Aliaco q.vij. ar.j. li.j.) nō ſicut de materia vel quaſi

de mate-

de materia, ſicut de aliquo quod eſt ſibi ſubſtantiale, hoc eſt de patre qui eſt filio conſubſtantialis, & nō eſt filius de nihilo, nō quia fit de alia materia vel quaſi materia præſuppoſita, ſed quia eſt de patre in quo eſt ſubſtātia filij. Vide latius Camer. Sapientia quoque, lumen, notitia, & ſimilia (vt dicit Magiſter diſtinct. xxvij. li. j.) ſecundum ſubſtantiam dicuntur, & non reſpectiuè: ſunt quoq; nomina eſſentialia: ideoque ſicut eſt vna eſſentia trium, ita vna ſapientia. Trahitur tamen ſingulum horum quandoque ad ſuppoſitionem perſonalem, quando ponitur reſpectu prædicati perſonalis: vel quando ſibi additur aliqua determinatio notionalis, vt ſapientia de ſapientia, lumen de lumine: vbi ſapientia in ſubiecto accipitur pro filio, & in prædicato ponitur pro patre. Exemplum ſecundi, vt dicimus: Sapientia ingenita, ſapiētia genita: ſapiētia ingenita capitur pro patre: ſi ingenitū, capitur vt eſt proprium patri. Si autem caperetur negatiuè pro non genito, ſapientia ingenita ſupponit eſſentialiter pro ipſa natura diuina, quæ non eſt genita. Sapientia genita capitur pro filio. Dominus Præpoſitus Gabriēl diſtin. xxxij. q. j. lib. j.

Subſiſtere in natura humana ſibi communicata (ſecundum Scotum) eſt ſuſtentare eam, & terminare eius dependentiam ſuppoſitalem. Refert autem dicere: verbum ſubſiſtit ſimpliciter in natura humana, & verbum ſubſiſtit primò in natura humana. Patet, quia primum verum, ſecundum falſum: non enim ſubſiſtit verbum primò exiſtentia humana, ſed primò ſubſiſtentia diuina: nam iſta ſubſiſtit ab æterno, illa ex tempore. Nec eodem modo ſubſiſtit verbum in natura humana, quo homo in albedine, quia homo ſubſiſtit in albedine non ſimpliciter, ſed ſecundum quid, eò quòd albedo eſt ens ſecundum quid, id eſt accidens. Verbum verò ſubſiſtit in natura humana ſimpliciter, quia natura humana eſt ens ſimpliciter, id eſt ſubſtantia. Gabriēl diſtinct. vj. quæſt. ij. lib. iij. Et Chriſtus eſt nomen perſonæ in duabus naturis ſubſiſtens, ſcilicet diuina & humana. In diuina, In qua habet eſſe primum & æternum. In humana, in qua habet eſſe ſecundum temporale, & quaſi aduentitium, vt ibidem dicit Gabriēl, & aliàs dictum eſt.

Subtile dicitur à virtute penetrandi, ſecundum quod poteſt accipi ex verbis Philoſophi 2. de generatione. Res autem triplici de cauſa eſt penetratiua; ſcilicet, Aut propter quantitatis paruitatem, maximè ſecundum latū & profundum. Vel quia habet figuram acutam, aptam ad penetrandum. Vnde & acus quamuis longa, penetratiua eſt, quia faciliter penetrat pannum. Aut propter raritatem ſeu materiæ paucitatem, & ſic aër penetratiuus eſt. Aut propter actiuæ virtutis magnitudinem, & ſic vinum penetratiuum eſt multò magis quàm ſimplex aqua quantumcunque tenuis: quapropter aqua cum modico vino bibita, magis refrigerat ſanum quàm ſi per ſe bibatur, quia vinum facit eam ad loca corporis penetrare ad quæ per ſe penetrare non poſſet. Tertio modo conſiderando, ſubtilitas beatorum attenditur. Per virtutem enim beatitudinis animæ erit in beatis corporibus tanta magnitudo virtutis actiuæ, quod per eam multò efficacius poterūt penetrare quàm ignis vel aër, vel quā dimenſiones etiā ſi eſſent ſeparatæ, vt ſcribit Rich. d. xlix. art. iiij. q. iiij. lib. iiij. Vnde Anſel. magnitudinē ſuæ virtutis actiuę attendēs, dicit in lib. de ſimilitudinibus de quolibet beato, quod in tantū erit fortis, vt etiā ſi velit terrā cōmouere, poſſit. Vnde Grego. In illa reſurrectionis gloria erit etiā corpus noſtrum ſubtile per effectum ſpiritualis potentiæ, ſed palpabile per virtutē naturæ. Vide latiùs de hoc Richard. vbi ſupra. de quo vide in dictione *Subtilitatis*.

Subtiliatio, vt ſcribit S. Bonauen. diſt. xlvij. part. ij. q. ij. li. iiij. dicitur dupliciter. Aut per dilatationē & rarefactionē, & tunc corporis ſubtiliatio occupat lōcum maiorē. Aut depurationē aut ſeparationē facit puri ab impuro. Et hanc ſubtiliationem facit ignis, quādo res purganda includitur in vaſe forti, quemadmodū faciunt opifices Alchimiæ, qui dicūt quod totum poteſt ibi ſubtiliari & depurari, vt veniat ad naturam quinti corporis, & tunc fex tendit ad fundum, & ſubtile ſupernatat. Sic per hunc modū (vt idem ait) erit quod cœlū erit vas contentiuum elementorum: ideo purgabuntur, & fex elemētorum ibit in infernum. Bonauentura.

Subtilitas eſt duplex, vt ſcriptis reliquit Bruleſer diſtinct. xlix. lib. iiij. ſcilicet ſpiritualis & corporalis. Subtilitas ſpiritualis dicitur eſſe quædam ingenioſitas exiſtens in intellectu, diſponens ipſum ad acutè & perfectè aliquid cognoſcendum. Sic ſubtile dicitur acutum vel induſtrium. Subtilitas corporalis eſt duplex, ſcilicet raritatis, & virtutis. Subtilitas raritatis eſt quædam qualitas exiſtens ſubiectiuè in corpore raro, ipſum diſponens ad faciliter patiendum, vel ad hoc quod faciliter penetretur: vt aër, & cætera corpora mollia, quæ dicuntur rara: quia mollia & de facili ſunt penetrabilia. Subtilitas verò virtutis ſeu actiuitatis, eſt quædam qualitas exiſtens in corpore, diſponens ipſum ad faciliter agendum, ſeu faciliter penetrandum. Hoc modo corpora glorioſa habebunt dotem penetrabilitatis: & poſſunt penetrare omnē corpus non glorioſum. Stephanus Bruleſer.

Succedere ſignificat Ire, ingredi, & in alterius locum venire. Item propriè cedere, euenire. Et ſuccedere ſecundum Gabriēlem diſtinct. xj. quæſt. j. artic. j. libr. iiij. eſt ad deſitionem alicuius de nouo incipere eſſe, aut in eſſe ſuo conſeruari: quo modo non inciperet, vel in eſſe conſeruaretur, niſi aliud deſineret. Vnde ſecundum eundem, ſine deſitione vnius, & ſucceſſione alterius, non eſt conuerſio, &c. A ſuccedere venit ſucceſſio, & ſucceſſores. Et duplex poteſt notari ſucceſſio Sacerdotum, ſecundum eundem Gabriēlem diſtinct. xiij. artic. iij. dub. j. quæſt. j. libr. iiij. Vna quantum ad ordinem. Alia quantum ad miniſtrationem. Primo modo omnes Sacerdotes ſunt Apoſtolorum ſucceſſores: Secundo modo Epiſcopi, quibus conuenit adminiſtratio; quantum ad aſſumendum perſonas ad diuerſos ſtatus Eccleſiæ. Et hæc diſtinctio poteſt ſumi ex Gloſſ. xxj. diſtinct. in nouo, vbi dicitur, quod omnis Epiſcopus ſit par Apoſtolis; quantum ad ordinem & rationem conſecrationis, ſicut Apoſtoli in ordine pares fuerunt. Petrus tamen maior fuit aliis in adminiſtratione:

Vide latiùs Gab. vbi etiã dicit, quod Sacerdotes ſuccedũt Apoſtolis in ordine Sacerdotij, licèt nõ in ordine Epiſcopatus. Conficere autẽ Euchariſtiã reſpicit ordinẽ Sacerdotij, & remittere peccata pœnitentiũ. Epiſcopi verò habẽt ordinare & confirmare, in quibus nõ ſuccedũt Sacerdotes: de quo latiùs Gab.

Succeſſiuum dicitur, cuius pars ante partẽ ſit, vel alicui acquiritur, & nulla ſimul cum alia acquiritur: vt caliditas, cuius vna pars per aliam acquiritur. De quo videto apud Phyſicos, & Gab. di. ij. q. j. lib. ij.

Suffragium aliquando idem eſt quod auxiliũ: nonnunquã ſignificat illas voces, quæ in comitiis dicebantur, & in tabellis deſcribebantur, quibus vnuſquiſq; voluntatẽ ſuã de aliquo Magiſtratu eligendo declarabat. Theologi verò accipere ſolent ſuffragium, quo animabus in Purgatorio ſubuenitur: de quo & ſi valde multa ſcribunt Theologi, pauca tamen de ſuffragiis ſcribere ex aliis volo. De his copioſe legere potes Gab. lect. xxvj. & xxvij. canon. & lect. lvj. & lvij. & lviij. canonis. De his ita ſcribit Paulus Corteſ. lib. iiij. diſt. vij. ſentent. ſuarũ, cùm dicit: Atq; hoc loco eadem eſt inferiarũ habenda ratio, in quo quidẽ conſtituendũ eſt charitatis colligatione, quod ſit arctiſsimũ vinculum Senatus, nõ modò viuos, ſed etiã eos, qui è vita migrarint, deuinciri. In primiſq; intelligendũ maiorum etiã parentalia opitulari mortuis. Sed doctorũ hominum eſt adiecta cõtentio. Nam damnatis piacularia ſuffragia opitulẽtur. Refert ibi Corteſius aliorũ opiniones, quas & recitat Gabr. lect. lvj. canonis. Communis tamen eſt opinio Doctorũ, ſuffragia viuorũ non prodeſſe damnatis quantũ ad pœnas peccatorum pro quibus damnati ſunt, quouis modo releuandas, nec quo ad pœnã damni, neq; quo ad pœnam ſenſus. De quo latiùs legito Gabr. vbi ſupra. Aſtipulatur Corteſius vbi ſupra, cùm dicit: Nos autem munitiorem ad verũ ingrediamur viam, ſi negauerimus reis inditis antro funebria iuſta ſuffragari: quandoquidẽ ſatis perſpicuum ſit haud Senatum pro reis apud tartarũ parentare. Suffragia itaq; facta per vnum viuum, proſunt alteri viuo, propter charitatis vnionem, vt ſcribit Petrus de Paludedi. xlv. q. j. libr. iiij. ſed ſic prodeſt bonum factum alij bono, ſecundũ illud: Sanctorum cõmunionem & particeps ego ſum, quia vna eſt omnium fidelium vniuerſalis Eccleſia charitate coniuncta, quæ eſt ſocietas & amicitia ſpiritualis. Vnde ſicut quando eſt contracta ſocietas omnium bonorũ inter aliquos, quicquid vnus lucratur, omnibus eſt commune. Sic & ſpiritualiter, non autem peccatori, qui nõ eſt de corpore Chriſti, ſed membrũ diaboli: quia non eſt conuentio vel cõmunio Chriſti ad Belial. Vnde exiſtens in peccato mortali, etiam non excõmunicatus, nõ eſt particeps alicuius boni quod fit in Eccleſia per vnionẽ, cùm ſit membrũ præciſum à corpore, quod nõ recipit influentiã ab anima, proſunt & ſuffragia ex ſuffragãtis intentione. Vnde illi ſpecialiter prodeſt, cui intendit, etiã peccatori, quẽ ita poteſt intendere ſicut iuſtũ, ſed non per modũ meriti, ſecundũ illud: Ne fortè nõ ſufficiat nobis & vobis: quia nullus poteſt alteri mereri primã gratiã, niſi Chriſtus, vt patet in paruulis baptizatis. Sed malis ſicut extraneis, niſi merito cõgrui, vel (vt alij dicunt) merito digni fortè per modũ impetrationis. Sic quia niſi Stephanus oraſſet, Paulus ſaluatus non fuiſſet, vt dicit Auguſtinus. Et ſic prodeſt recipi ad beneficia in ſpeciali alicuius hominis vel multitudinis, ſiue ſic receptus ſit peccator: quia tunc fit particeps propter intentionem, quæ non erat propter vnionem: ſiue ſit iuſtus, quia plus fit quàm prius. Suffragium quoq; viui prodeſt mortuo propter charitatis vnionem: & ſic omnia bona bonorum proſunt mortuis, etiam ſi fiant pro viuis, ſicut Miſſa. de celebratione Miſſa. cap. ij. vbi dicitur: De eadem die Miſſam audiant pro ſalute viuorum & defunctorũ. Item propter intentionem, quia viuũt in memoriis viuorũ: & ſic omnes Miſſę eis proſunt in quibus eſt vnum Memẽto, pro mortuis. Non ſic autem alia bona, in quibus non fertur intẽtio ad defunctos. Proſunt & ſuffragia facta per malos ex opere operato, vt Miſſa mali tantum, quantũ boni: ſicut & Baptiſmus. Sed ſic nihil prodeſt niſi Sacramentum nouæ legis. Vel aliquid Sacramentale, vt aqua benedicta, & exorciſmus: non autem oratio, ieiunium, & eleẽmoſyna, proſunt & ex opere operante vniuerſalis Eccleſiæ, cuius miniſter eſt peccator, qui dicit Vigilias pro mortuis. Item ex opere operante eius, qui rogat vel mãdat pro ſe fieri, ſicut bonus dominus per malũ ſeruũ faciendo eleẽmoſynam, meretur & ſatisfacit: quia qui per alium facit, per ſeipſum facere videtur: ſicut Chriſtus per malos miniſtos benedicit & baptizat: & ſic ſuffragia à defunctis mandata vel petita, per malos exhibita, eis proſunt. Proſunt præterea ſuffragia facienti, & quidem ad merendum. ſi ſit in charitate non minus proſunt, quàm ſi pro ſe fierent, ſecundũ illud: Oratio mea in ſinu meo cõuertetur. Et quandoq; plus meretur homo celebrando pro alio, quàm pro ſe: quia maiori feruore charitatis accẽſus videtur, quæ ſcintillas emittit ad alios, & maximè ad inimicos. Nec proſunt illis qui fuerint in limbo puerorum, quia non ſunt in ſtatu ſaluris, ſicut nec damnatis. Vnde nec paſsio Chriſti illis profuit, nec in limbo Patrum proderant ante mortem Chriſti exiſtentibus. Nec proſunt qui ſunt in cœlo per modum indigentiæ, quo ad præmium eſſentiale: prodeſt tamen eis ad gaudium accidentale: quia gaudium eſt in cœlis ſuper vno peccatore, &c. Creſcit autem, quia de pluribus, ſed nõ maius. Vnde ſi certum eſt aliquẽ eſſe in cœlo, infidelitas eſt orare pro eo: ſicut & iniuriã facit martyri, qui pro ipſo orat. Damnatis non proſont ſuffragia, vt & dictum eſt: & ideo etiam quia in inferno nulla eſt redemptio. Vnde de quibus eſt certum, non eſt orandum, ſicut nec pro dæmonibus. Reputatur autem certum de hæreticis, paganis, & Iudæis, ſed de Chriſtianis nõ poteſt ita eſſe certũ. Vnde quãuis peccatũ ſit manifeſtum & nõ pœnitẽtia, poreſt orari pro eis in ſecreto: & debent reddi ſuffragia ſiue ſe occiderint, ſiue in bello iuſto, duello, vel torneamẽto, mortuus ſit, aut cum meretrice. Vnde Aug. Pro omnibus regeneratis debet fieri oratio, ſed non publicè propter ſcandalũ. Et ſimiliter pro ſuſpenſis & iuſtè damnatis, quia latro in morte pœnituit. Sed ſi inueniatur mortuus ſubitò, qui priùs fuit bonæ vitæ, in publico oratio pro eo fieri debet, quia iuſtus ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit, &c. Proſunt

inſuper

inſuper ſuffragia omnibus & ſolis qui ſunt in Purgatorio, qui poſſunt per alios ſatisfacere, qui non poſſunt per ſeipſos. Sicut patet per multa exempla, vt dicit Petrus de Palude diſtin.xlv. & latiùs hanc rem proſequitur. Suffragia autem quibus iuuamus defunctorũ animas, ſunt preces Sacerdotum, id eſt Miſſæ, quod inter cætera plus valet ad educendum de carcere. Item precibus ſanctorum animæ ſoluuntur non ſolùm in patria, qui orant pro ſociis ſuis, ſed etiam precibus iuſtorum viatorum, & præcipuè oratione Dominica, Pater noſter. Item Pſalterium, quod eſt oratio etiam Spiritus ſancti, qui poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Vnde nec orationes Anſelmi, nec quæcunque aliæ ſunt ita deuotæ. De hoc adiumento ſcribit Gregorius. & habetur xiij.quæſt.ij.cap.animæ. Animæ defunctorum quatuor modis ſoluuntur, aut oblationibus Sacerdotum, aut precibus ſanctorum, aut charorum eleēmoſynis, aut ieiunio cognatorum. Curatio verò funeris, cõditio ſepulturæ, pompa exequiarum, magis ſunt viuorum ſolatia, quàm ſubſidia mortuorũ, &c. Vigiliæ quoque proſunt mortuorum ab Eccleſia inſtitutę, ſicut plus valet aqua per eam benedicta quàm aliter. Soluuntur & eleēmoſynis charorum, quia eleēmoſyna à morte liberat, & facit inuenire vitam æternã: quia etiam includit orationem & ieiunium, ad quæ tenetur eleēmoſynam recipiens. Soluuntur inſuper animæ defunctorum ieiuniis, & quibuſcunque afflictionibus corporalibus: ſicut beatus Dominicus catena vnam diſciplinam accipiebat pro illis, qui ſunt in Purgatorio. Liberantur etiam animæ defunctorum indulgentiĩs Prælatorum: ſicut enim Prælatus poteſt diſpenſare theſaurum Eccleſiæ, ſic priuatus bona propria. Sepultura quoque prodeſt viuis & defunctis, ad aſtruendum fidem reſurrectionis, & etiam ad vitãdum fœtorem cadauerum, hoc autem eſt officiũ humanitatis & pietatis, quod omni homini eſt exhibendum. Prodeſt & ad ſolatium. Mortuo verò prodeſt inquantũ de cera, oleo, oblationibus & ſericis, cedit in honorẽ Dei & vtilitatem pauperum vel miniſtrorum, vt ſi de panno ſerico fiat altaris paramentũ, vel Eccleſię ornamentum, vel in pecunia redactum detur pauperibus. Quod autem equus phaleratus, homo ornatus ad oſtentationẽ & pompã ſolùm offeratur, nec redimatur, nec largiatur, mendaciũ eſt & non prodeſt. Locus quoque ſepulturæ prodeſt. Vide latiùs apud Petrum de Palude diſtinct.xlv.quæſt.j.libr.iiij. Et (vt idem ait) quæſt.ij. Suffragia non tantùm proſunt illi pro quo non fiunt, quantum illi pro quo ſpecialiter fiunt ex intentione: & magis prodeſt pro quo fit determinatè quàm aliis: ſic & viuis non obſtante exemplo poſito de luce & doctrina, quia talia non operantur ex intentione, ſed ex naturæ neceſſitate. Item ſuffragium factum pro multis tantum valet, quantum ad gaudiũ cuiuſlibet, quantum ſi pro quolibet fieret: quia charitas de qua ſcriptum eſt: Non quærit quæ ſua ſunt. cõmunia propriis, non propria communibus anteponit, ſed quo ad liberationem non per ſe, ſicut etiam debitum ſolutum pro multis omnium debitum attenuat: ſed nullum ex toto liberat, cùm tamen poſſet pro vno ſolutum ipſum ex toto liberare. Item habens ſpeciale ſuffragium & commune, citius liberatur quàm habens tantum commune, licèt gaudium ſit commune. Vnde ſuffragia ſicut & aliud opus bonum dicitur valere tripliciter: videlicet, ſpecialiſſimè, generaliſſimè, ſpecialiter vel medio modo. De quo legito Scotum in quotlib. & Dominum Præpoſitum Gabr. lectione xxvj. canonis. & aliàs ſcripſimus. Videatur ad hoc Magiſter Ioannes Gerſon parte ij. de ſolicitudine Eccleſiaſticorum, particula xx. & xxj. & xxij. Eſt præterea ſecundum Paludenſem ſuffragium bonum facilitatis inquãtum eſt eius actus bonus, reddens ipſum commendabilem & acceptum corã Deo, & eſt bonum eius pro quo fit inquantum pro eo ſatisfacit. Quantum ad primam bonitatẽ, plus gaudet de ſuffragio ille, qui eſt in maiore charitate, quàm ille pro quo fit: quia cum illo modo ſuffragium nõ ſit magis bonũ vnius defuncti quàm alterius: ſed ſit bonum ſolius facientis de eo tanquam de æquali bono plus gaudet ille qui plus habet de charitate. Sed quantum ad ſecundum valorem, cùm ille valor ſit bonum illius ſolius pro quo fit, & vnicuique magis eſt amabile proprium bonum quàm alienum. Ideo quantũ ad iſtã conſiderationẽ plus gaudet de ſuffragio ille pro quo fit exiſtens in minori charitate, quàm ille pro quo non fit, dato quod ille ſit in maiori charitate. Et vt idem ait: In die animarum non debet principaliter dici Miſſa nec pro patre, nec pro matre, ſed pro omnibus fidelibus defunctis: ſicut quod dandum eſt pauperibus, non eſt dandum amicis carnalibus magis quàm aliis: poteſt tamen quis ſecundariò ſpecialiter intendere ſuos charos, & pro eis ſpecialiter facere oblationem: ſed debent fieri Miſſæ & officium principaliter pro omnibus. Sed quia diuites plures eleēmoſynas faciunt, inde eſt quod eleēmoſyna quo ad ſuffragia plus prodeſt diuiti, quàm pauperi per accidens: quia plus tenentur orare beneficiari pro benefactoribus ſuis, quàm pro aliis: aliàs eſſent ingrati. Et (vt idem Petrus de Palude ait concluſione iiij.) quando fiunt ſpecialia & multa ſuffragia pro illo qui non indiget, vt quia iam eſt in gloria, vel qui minus indiget, quando ſupereſt diuidatur indigentibus, vt non petentium partes, petentibus accreſcant. Et concluſione v. idem Paludẽſis dicit, quod tantũ vel plus valent ad meritum inſtituentis, quia magis eſt ad honorem Dei continuatio talium anniuerſariorum: & hoc conſiderans Eccleſiã, ea ſic inſtituit. Sed ad celeriorem liberationem à Purgatorio, & citius videndum Deum, plus valet accelerata multiplicatio. Nam Miſſa nondum celebrata ex opere operato, non poteſt habere tantam efficaciam, quantam iam celebratã. Et fortè non tamdiu eſt manſurus in Purgatorio, quod vltima Miſſa anniuerſarij perpetui cantetur, & eum liberet. Neutrum ergo eſt condemnandum, quia vtrunque bona intentione fieri poteſt, & anniuerſarium, vt Deus clarius videatur per opus ſibi magis honorificum: & multitudo Miſſarum ſimul à diuerſis dicendarum, vt Deus citius videatur, & non ſolùm pro amore ſui, ne diutius teneatur vel torqueatur. Hæc Paludenſis. Si de ſuffragiis multa ſcire volueris, legas Dominum Præpoſitum Gabriẽlem in canone Miſſæ, vbi ſupra, & aliàs.

Suggeſtio à verbo ſuggero, quod ſignificat ſubminiſtrare, in cor ponere ſeu ſupporrigere. Aug. lib. j. ciuitatis Dei: Nam cùm ei ſcriba ſuggeſsiſſet, quid de ſignis Deorum, quę multa capta fuerant, fieri iuberet. Hieronymus ad Paulinum: Quicquid aliis exercitatio & quotidiana in lege meditatio tribuere ſolet, illis Spiritusſanctus hoc ſuggerebat. Vnde Suggeſtio, inſpiratio, ſuaſio, immiſsio, &c. Et ſuggeſtio diabolica, quæ nihil aliud eſt (vt ſcribit Stephanus Brulefer diſtin. viij. quæſt. x. lib. ij.) quàm prauæ cogitationis immiſsio: loquendo de immiſsione largè dicta ſupra in dictione *immittere*. Non tamen poſſunt compellere ſecundum ſanctum Bonauent. vt oblatum recipiamus: quo facto neceſſario cogitemus malum, niſi in caſu, videlicet cùm cogitatio animæ non eſt circa vtilia occupata, tunc enim euagatur & eſt ocioſa: poteſt ei diabolus offerre imaginationẽ turpem & vanam: & ideo volenti malas cogitationes effugere, ſollicitè & diligenter cauendum eſt ne contingat aliquando animum à bonis & ab vtilibus cogitationibus reuocari: hoc tamen facile eſt ei qui ſollicitus eſt in bonis animum exercere, cui multò facilius eſt & delectabilius in bonis cogitationibus verſari, quàm ſit in fœdis, & turpibus, & carnalibus, & ſic de aliis.

Summum. Summus, a, um, quod eſt omnium altiſſimum, vt hic ſummum locum in vrbe tenuit. Aliquando dicitur extremum. Cicero in Horten. Vixit ad ſummam ſenectutem valetudine optima. Aliquando maximum, quo nihil ſit maius: ſic Deus ſummus dicitur. Cicero lib. ſecundo Tuſcul. Summum quo nihil eſt ſuperius. Et à Virgilio dictum eſt: *Summe Deûm*: pro maximè Deorum. Aliquando laudabile, glorioſum. A quo ſummitas, altitudo, ex quo altior pars montis, ſummitas dicitur. Summum ſecundum Scotum diſtin. xiij. libr. iij. poteſt accipi, Vno modo poſitiuè per excedentia ad omnia alia. Alio modo negatiuè, pro non excedi ab aliquo alio. Secundo modo poſſunt eſſe multa talia, ſicut ſunt multa generaliſsima, quorum quodlibet non habet genus ſuperius. Primo modo loquendo, dico (inquit Scotus) quod Deus non potuit conferre animæ Chriſti ſummã gratiã poſsibilem, quia poteſt creare æqualẽ. Potuit enim & poteſt aliam naturã æqualem iſti aſſumere, & æqualem gratiã ſibi dare. Secũdo modo dico, quod ſummã gratiã creabilem potuit dare huic animæ: potuit enim ſumma gratia iſto modo creari ſimul vnica creatione, & potuit cõferri creaturę. Id quod latiùs probat Scotus. Et probabile eſt dicere ſecundũ Magiſt. quod Deus tantã gratiã ei cõtulerit, quantã potuit. Potuit autẽ cõferre ſummã gratiã creabilẽ. In cõmendando enim (vt dicit Scotus) Chriſtũ, malo excedere, quàm deficere à laude ſibi debita, ſi propter Ignorantiã oporteat in alterũ incidere. Vide latiùs Scotum ad modum deuotè ſcribentem.

Summum in aliquo genere poteſt dupliciter dici, vt literis mandauit S. Bonauen. diſtin. xxxiiij. artic. ij. quæſt. j. libr. ij. Vno modo dicitur ſummum, quo nihil poteſt eſſe maius: & hoc modo non contingit aliquid ſumme malum. Nihil eſt enim adeo malum, quin poſsit eſſe peius, pro eo quod habet aliquid de bonitate quo poſſet magis priuari, & ita adhuc peius eſſet. Et pro tanto dicit Dionyſ. quod malũ eſt infinitũ. Alio modo dicitur ſummum, quo nihil eſt maius ſecũdum actũ, ſed ipſum excedit inter omnia alia: & ſic cõtingit reperire ſummum in malis. Nam Lucifer qui eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ, peſsimus eſt ſuper omnes. Hæc Bona.

Superbia dupliciter accipitur. Vno modo generaliter, ſecundum quod inuenitur in omni peccato, & ſic eſt contemptus obedientiæ. Siquidẽ omnis peccans contemnit legiſlatorẽ, cuius legem tranſgreditur: ſic omne peccatũ eſt ſuperbia, imò eſt initium omnis peccati, vt dicit S. Bona. d. xlij. li. ij. Et ſecundum Gerſ. part. iiij. lect. j. ſerm. Pœnitemini, ſuperbia in omni vitio reperitur. Greg. dicit ſuperbiam Reginã eſſe & matrẽ omniũ vitiorum. Quod intelligendũ eſt (inquit Gerſon par. ij. in cõpen. Theo.) de ſeptẽ vitiis. Greg. accepiſſe prout cõſideratur ſecundũ quandã redundantiã & generalitatẽ quã habet in alia peccata, inquantũ, ſcilicet ex ipſa omnia peccata oriri poſſunt, inquantũ, ſcilicet alia peccata ordinãtur ad finẽ ſuperbiæ, quæ eſt propria excellentia ad quã poteſt ordinari quicquid homo indebitè & inordinatè appetit, vel indirectè & per accidẽs remouẽdo, prohibẽs inquantũ, ſcilicet per ſuperbiã homo legẽ diuinã cõtemnit, per quã prohibetur à peccãdo, & trãſgreditur mãdata. Intelligitur tamẽ hoc (inquit Gerſ.) quãdo illa trãſgreſsio mandatorũ fieret ex cõtemptu. Nã fieri poſsit ex ignorantia vel infirmitate, quod ibi non eſſet ſuperbia. Conſonat Iaco. de Valen. ſuper illud Pſal. 35. Non veniat mihi pes ſuperbiæ, qui dicit ſuperbiã eſſe pedẽ & fundamentũ omniũ peccatorũ & vitiorũ. Patet, nam peccator per ſuperbiã cõtemnit Deũ, & ſic incidit in omnia alia peccata, ſcilicet in auaritiã & rapinã, & vſurã, & ſimoniã, vt ſuſtineat ſuperbũ ſtatum, & exinde incidit in inuidiã & odiũ fraternũ, quia nõ ſuffert priorẽ nec parem. Et ſic venit vſque ad contemptũ Dei & obſtinationẽ, non timẽs eius iuſtũ iudiciũ: & ſic cõtemnit etiã legem, & negat diuinã prouidentiam. Sic patet quod ſuperbia eſt pes & initium peccatorũ: & cætera peccata ſunt minus eius, &c. Et (vt ait Gerſon par. iij. de myſtica Theologia) Superbia eſt radix cuiuſlibet improbæ affectionis, ſicut ex aduerſo parturit omnem affectionem piã humilitas. Alio modo accipitur ſuperbia, vt eſt ſpeciale vitium diſtinctum ab auaritia, inuidia, & ſic de aliis vitiis capitalibus, & à ſanctis cõmuniter deſcribitur. Superbia eſt amor vel appetitus inordinatus propriæ excellentiæ, id eſt propriæ magnitudinis habitæ vel habendæ, ſeu concupitæ. Alioquin ſpecies eius nõ bene aſsignarentur, inter quas ſola quarta dicit reſpectũ ad alios. Aliter deſcribitur à B. Aug. qui ait: Superbia eſt peruerſa celſitudinis appetitus, lib. xiiij. de Ciuit. Dei. Vel ſuperbia eſt amor propriæ excellentiæ ſecundum Hugo. lib. ij. de Sacramentis. Et Iſidor. libr. Etymol. Sanctus Tho. dicit: Superbia eſt inordinatus appetitus excellentiæ cui debetur honor & reuerentia: vel ſuperbia propriè reſpicit defectũ ſubiectionis hominis ad Deum, ſecundũ quod aliquis ſe extollit ſupra id quod eſt ſibi præfixũ ſecundũ diuinã regulã vel menſurã, ex S. Thom. j. ij. quæſt. lxxxiiij. art. ij. & ſecũda ſecũdæ, q. lxxvij. ar. v. Et appetitus excellentię rectus eſt magnanimitatis, excedẽs eſt ſuperbię,

deficiens

deficiens eſt puſillaoimitatis ſecũdum S. Tho.in q. de malo q. vuj.ar.ij. Et derioatur ſuperbia à ſuperbio, quod eſt efferor, extollor. Item ſupeibè aduerbium, hoc eſt elatè, arrogãter. Et ſuperbiloquens, quod eſt ſuperbè loquens. Et ſuperbiloquentia, id eſt elatus & ſuperbus ſermo. Et ſuperbi dicuntur ſecundum Aug.x.de ciuit.Dei, placentes ſibi. Vnde ex iſto amore fundata eſt ciuitas diaboli. Vnde idẽ ix.de ciuit. Dei ait: quod duo amores fecerunt ſibi duas ciuitates. Ille propriè eſt ſuperbus ſecundũ S. Bon. qui omnia vult facere, omnes alios ſpernit, & nihil bene facit. Et primũ peccatũ Luciferi ſecundũ eũdem, & omnes doctores, fuit ſuperbia. Sed Scotus dicit quod fuit peccatum luxuriæ, capiendo luxuriam largè pro inordinato amore ſuiipſius. Vel multis peccatis peccauit Lucifer: imò (vt ſcribit Brulefer di.v.qu.j. lib.ij.) non eſt aliqua ſpecies peccati imaginabilis qoin commiſerit Lucifer. Et ſi dicatur quod in vno ſolo motu peccauit: intelligẽdum eſt per motum primum peccatum. aliter doctores ſibi contradicerent ſæpe. Declarat autem Brulefer ſingula pèccata quæ cõmiſit. De quo videatur aliàs ip ſe Brulefer, & S. Bonauen. eadem di.ar.ij.q.j. qui & de ſuperbia dæmonum latiùs ibidem ſcribit, &c. Superbiam (dicit Magiſter Ioannes Gerſ.part.iiij. ſerm. de domino quærendo) nihil aliud eſſe quàm ſcindentẽ ventum & valde impetuoſum. Hiere.51. Eleuauerunt cor ſuum cõtra me quaſi ventum peſtilentem, vt cùm homo ſe laudat & glorificat de aliqua gratia quam Deus illi contulit, quod ſe more venti iactat. Per ſuperbiam Saul regno ſuo excluſus eſt: Roboam fuit fugitiuus, Seonacherib occiſus ſuorum puerorum manibus: Nabuchodonoſor depoſitus: Holofernes decollatus: Amon ſuſpenſus, ſimiliter & Abſalon, &c. Quádo autem ſuperbia ſit peccatum mortale aut veniale, videatur Gerſon parte ij. de cognitione peccatorum venialium & mortalium, conſid.iiij. cùm ait: Superbia erga Deum haberi poteſt per hoc quod putatur haberi gratia quam quis non habet, aut per hoc quod quis putat eã aut vult habere de ſe ipſo, ſcilicet per ſuam ſapientiam, aut fortitudinem, aut pulchritudinem, aut per hoc quod putat eam bene meruiſſe erga Deum, quaſi Deus teneatur facere, & quod aliter faciendo iniuſtè faceret. Aut per hoc quod quis putat & vult habere gratiá à Deo quaſi pro ſe ſolo, & de hoc ipſe ſuperbit, ſicut peccauit Phariſęus qui reddebat gratias Deo de bonis ſuis, quod benefactum eſt, ſed in hoc ipſe deficiebat, quod gaudebat quod alij non habebãt illa vt Publicanus. Et hoc ſignum erat quod potabat clarè quod bona ſua eſſent de ſe, non autem de Deo ſolúmodo, aliàs enim non ſe plus glorificaſſet quàm ſi bona illa fuiſſent in alio. In tribus vltimis caſibus ſuperbia ſemper eſt peccatum mortale ſi aſsit deliberatio & plenus cõſenſus. In primo caſu eſt præſumptio, quę poteſt eſſe peccatum veniale ſolum, quando ipſa contingit per ignorantiam, aut ipſum putare non eſt certum, neque affirmatum. Hæc Gerſ. Inuenimus aliquando à ſanctis nominatam ſuperbiam ſanctam, quæ, ſcilicet nobilitatis ſuæ conſcia neſcit proſtitui vel calcari, neſcit niſi ſummis iungi. De quo vide & Gerſonem tract.vij. ſuper Cantico virginis, notula prima, & parte ij. ſerm. de ſancto Bernardo. Idem dicit de anima, quæ omnem inquit cœpit amorem alterum à tuo dedignari, cœpit tædere quotidianarum harum formarum, hanc enim tantam de propria dignitate, decore & nobilitate præſumpſerat fiduciam. Tam ſuperba de amore facta erat ita (vt vulgo vox eſt) vt nullum niſi omnipotẽtiſsimum, ſapiẽtiſsimum & pulcherrimum ſuper omnia amare dignaretur, magna, ſed bona ſuperbia. Gerſon. Idem tract.ix. ſuper cantico eodem virginis, ſuperbiam ſanctam nominat. Et per multa aliàs ipſe de ſuperbia ſcribit.

Superbiæ ſpecies quas ponit Grego. xxiij. moral.§. vij. ſunt quatuor. Quatuor enim ſunt ſpecies quibus omnis arrogantiũ tumor demõſtratur. Prima, cũ bonũ aut à ſemetipſis habere æſtimant. Secũda, aut ſi ſibi datum deſuper pro ſuis ſe accepiſſe meritis potant. Aut cum iactant ſe habere quod non habent, aut deſpectis cęteris ſingulariter appetunt videri quod habent. Hæc Greg. Verum ſuperbia non eſt vitium intellectus, ſed voluntatis in ordine appetentis, ſecundum has quatuor ſpecies. Ex qoo ſequitur excæcatio intellectus. Poſſunt igitur verba Gregor. ita intelligi. Prima, appetitus inordinatus quo quis vult bonum ſuum eſſe à ſe, & nõ ab alio. Secunda, qua vult bonum ſuum eſſe ex meritis, & non ex gratia. Tertia, qua vult habere bonum ſibi indebitum. Quarta, qua vult bonum habere ſingulariter, quo, ſcilicet excellit alios, &c. De quo latiùs videri poteſt Gerſ. parte ij. in compendio Theologiæ, de ſeptem vitiis capitalibus.

Superbia differt ab inani gloria, quæ differentia cõmuniter aſsignatur, quia licèt in vtraque ſit inmoderatus & inordinatus propriæ excellentiæ appetitus, qui, ſcilicet non eſt ſecundum rectam & debitam rationem. In hoc tamen differunt, quia ſuperbia excellentiam propriam inordinatè appetit. Inanis verò gloria excellentiæ propriæ manifeſtationem, ita quod ſuperbia propriè conſideratur inquantum ille inordinatus propriæ excellentiæ appetitus habetur ad intra, etiam ſi non ab extra progrediatur. Inanis gloria tranſit ab extra, quia illam excellentiam appetit ab extra apparere, & in ore aliorum apparere & manifeſtari. Ponit & Gregor. aliam differentiam inter eas. De quo conſulito Magiſtrum Ioannem Gerſonem de ſeptem vitiis, vbi ſupra. Ponuntur & ab aliis doctoribus aliæ ſpecies ſuperbię. Hiero. aſsignat ingratitudinem ſpeciẽ ſuperbiæ. Aug. dicit quod ſe excuſare de peccato commiſſo ad ſuperbiam pertinet. Etiam præſumptio qua quis tendit ad aſſequendũ aliquid quod eſt ſupra ſe, ad ſuperbiam pertinere videtur. Bernard. etiã ponit xij. gradus ſuperbiæ, qui ſunt curioſitas, mentis leuitas, inepta lætitia, iactantia, ſingularitas, arrogantia, præſumptio, defenſio peccatorum, ſimulata confeſsio, rebellio, libertas, peccandi conſuetudo. Sed qui debitè conſiderat (inquit Gerſ. vbi ſupra.) omnes huiuſmodi ſpecies ſeu gradus ad quatuor ſpecies per Gregor. (vt tactum eſt) aſsignatas reduci poſſunt, & ſub eis comprehenduntur. De quo lege ipſo latiùs Gerſonem. Et de ſignis ſuperbiæ apud eundem parte j. ſerm. de circumciſione Domini, & de probatione ſpirituum, vbi & ponit duplicem ſuperbiam, quam nominat Bernardus ſubtile malum.

Nam eſt quædam ſuperbia in intellectu, dum non vult ſubiici alieno iudicio, ſed innititur proprio. Quædã in voluntate, dũ tenuit obedire, & hæc citius deprehenditur, ideoque facilius corrigitur quã prima. Videantur & alij de ſuperbia. Et Gerſon in ſuis operibus & tractatibus in multis locis de ea ſcribit, breuitatis gratia multa relinquo aliis.

Superiores ſunt præfecti vel prælati, qui alios moderantur & gubernãt; & cõteptus ſeu deſpectus ſuperiorũ: & per hoc nõ obedire eſt ſpeciale peccatũ ſuperbiæ. Et eſt ſemper mortale, vt ſcribit Gerſ. part. ij. de cognitione peccatorũ venialiũ & mortalium: quãdo ex certa ſciẽtia fit trãgreſsio mãdatorũ ſuorũ ſuperiorũ principaliter, & ſolũmodo pro eo quod ipſi hoc præceperũt: quia ibi propriè eſt contẽptus, aut quando nõ reputantur. Nec fit vis de præceptis eorum ac ſi ipſi hoc non præcepiſſent; & per hoc nõ obeditur, quãdo tamen tranſgreſsio fit mandatorũ à ſuperioribus datorũ pro aliqua fragilitate, aut pro alia cauſa, nõ eſt nominãdum peccatũ per contemptum. Et vt idem dicit Gerſ. non tenemur obedire ſuperioribus noſtris, niſi in caſibus in quibus ipſi ſunt nobis ſuperiores, & in quibus Dei ordinatione aut noſtra voluntate nos ei ſummiſimus, & hoc intelligitur de Epiſcopis, Abbatibus & Dominis temporalibus de Patre & Matre. Si autem contẽptus accedit (qualis dictus eſt) nõ erit excuſatio mortalis peccati, vt vult Magiſt. Ioan. Gerſ. &c.

Supererogatio. vide in dictione, *opus ſupererogationis*.

Superlatiuus capitur dupliciter, ſecũdum duplicem expoſitionem. Affirmatiuam, & negatiuã, vt ſummus affirmatiuè, id eſt omni alio maior. Vel negatiuè, id eſt quo nullus eſt maior. Primo modo non poteſt niſi vni conuenire. Secundo modo poſſunt eſſe plura ſumma. Gabr. di. xiij. q. vnica, ar. j. lib. iij. Et ſecundum eundem: gratia in anima Chriſti perducta non eſt affirmatiuè ſumma: quia non maior gratia in alia aſſumptibili anima creabili. De quo latiùs legito Gabrielem an creabilis ſit ſumma gratia negatiuè.

Supermundanus. vnde ſupermundana ratio vt exponit Hugo, id eſt ſpiritualis ratio.

Superſtitio eſt vitium religioni oppoſitũ, ſecundum exceſſum, vt ſcribit ſanct. Tho. ij. ij. qu. lxxxij. ar. j. Et eſt vitium contrarium religioni, non quia plus exhibeat in cultum diuinum quàm vera religio, ſed quia exhibet cultũ diuinũ, vel cui nõ debet, vel eo modo quo non debet. Superſtitio ſecundum Gerſ. parte iij. de directione cordis, conſiderat. xvj. nihil aliud eſt quã vana religio. Dicitur autem vana, quia caret ratione & effectu. Reprehenduntur autem à Gerſ. variæ hominũ ſuperſtitiones, vt quod gallus pro pu[illegible], gallina pro puellis ſanct. Chriſtophoro vel Ioanni Bapti. quod ad S. Hubertum pro morſu canis rabidi fiant. Inueniũtur particulares obſeruãtiæ quæ nullã videntur habere rationem inſtitutionis, & ita talis ritus trãſit in ſuperſtitutionem. Similiter eſt de hoc quod S. Antonius plus habeat virtutis in curando ſacrum (vt aiunt) ignem quàm alij ſancti. Rurſus idẽ eſt quod in hac Eccleſia dedicata beatiſſimæ virgini ipſius virtus ſit potẽtior quã in alia ad faciẽdum miracula, & ſuccurrendũ inuocãtibus ſe,

S V

& hoc præſertim ratione talis vel talis imaginationis ſuæ, vel ratione ſolitæ peregrinationis illic continuatæ, & ſic de ſimilibus abſque numero. Hæc Gerſ. qui & multa alia ſcribit contra ſuperſtitioſos. Superſtitio ſecundũ S. Bona. di. xiij. circa tex. li. iiij. eſt ſententia contra fidem ratione adinuẽtionis. Et dicitur ſuperſtitio, quaſi ſuperflua inſtitutio, & ratione adhæſionis hæreſis, & ratione defenſionis ſecta, loquẽdo per appropriata. Vel hæreſis, quia contra veritatẽ. Secta, quia cõtra cõmunitatem. Superſtitio, quia cõtra vtilitatem quaſi ſuperflua inſtitutio. Vel hæreſis ab eligendo, ſecta à perſequẽdo, ſuperſtitio à ſuperſtando. Vnde hęreſis dicit præſumptuoſam & deliberatã falſi adinuentionẽ, ſecta ſuperaddit imitationẽ, ſuperſtitio diuturnitatis inueterationẽ, ſicut ſenes ſuperſtites delirãt, ſic & hæretici. Ideo dicitur ſuperſtitio, quia vetuſtati & ſuperſtiti concordãt, prius autẽ ſuperſtia dicitur quaſi à ſuperſtãdo. Nã ſicut in fide intellectus captiuatur, ſic in ſuperſtitione errore inflatur & eleuatur, hæc ſanct. Bonauen.

Superſtitioſa autẽ phantaſiatio prouenit ex variis ſeductionibus ſeu corruptela multiplici virtutis phãtaſticæ in hominibus. Vnde Gerſon dicit quod talis obſeruatio cõfingitur, vel tenetur, vel exercetur ex ſola hominum phantaſiatione & melancholica imaginatione. Fit & per diabolicas illuſiones ad dãnationem animarũ, & fidei Chriſtianæ ſubuerſionis, & ſanctorũ infamationẽ, vel ex gentiliũ paganorũ & aliorũ infidelium derelicta in principio conuerſionis ad fidem Chriſti ſuperſtitione: vel ex Poëtarũ cõfictione, vel ex magicorũ maligna traditione. Vel ex fomitis originalis corruptione, ſicut in vi concupiſcibili, ita in rationali, vel ex phantaſiæ vel imaginatione virtutis debilitatione, vt ſcribit Gerſon parte j. contra ſuperſtitioſam dierũ obſeruationẽ, qui & reprehendit ſuperſtitionem, qui putãt quãdo in exitu domus obuiũ habuerat vnũ cattum vel leporem, vel quod in egreſſu hoſpitij offenderat pedẽ, vel quod mane camiſiam auerſam induerat. Item alius, ego ſic ſomniaueram, crocitabat coruus ſuper tectum, aut bubo cũ ſtridore ſuperuolauerat, vel gallus præter horam vocem dederat. Dicit alius. Ecce mala dies erat & infortuna vel ęgra. Longum eſſet proſequi ſingula vel omnia quibus falluntur, & fallunt homines inducẽtes pro ſe experientiam quaſi certam, & fundant cõfictiones inanes & falſas. Hęc Gerſon, & multa alia, &c.

Suppoſitum ſecundum ſan. Tho. iij. ſent. di. vj. qu. j. ar. j. eſt nomen ſecundæ intentionis ſignificans habitudinem particularis ad naturam communem inquãtum in ea ſubſiſtit. Suppoſitum (vt ſcribit Gab. di. xxiij. qu. j. lib. j. Et concordat Dominus Cardinalis Cameracenſis qu. vnica, lib. iij.) Eſt ens completum non conſtituens aliquod ens vnum, nec natum inhærere alteri, nec ab alio ſuſtentatum. Et ens completum dicitur ens quod non eſt natũ eſſe pars cõponens alterius. Vnde natura humana in Chriſto eſt ens completum, quia nõ eſt pars cõponens perſonam Chriſti. Nõ enim eſt perſona verbi compoſita ex natura aſſumpta, licèt eam ſuſtentet. Per primũ ſcilicet ens cõpletum, excluditur entitas partialis, ſiue actualiter cõponat ſiue nõ, quia nihil quod

poteſt

poteſt eſſe pars, eſt ens cõpletum, ſed tantũ ens partiale. Et ita includitur anima etiã ſeparata, & omnis forma ſubſtantialis, & materia per ſecundã particulam non conſtituens, &c. Excluditur diuina eſſentia, & quælibet relatio diuina, quia quamuis ſit ens completum, tamen conſtituit perſonam. Et non conſtituens dicit actum, id eſt actu non cõſtituens, quoniã ſi diceret aptitudinem, nulla natura aſſumptibilis eſſet ſuppoſitum: quia quælibet nata eſt conſtituere vnum ſuppoſitum cum aſſumente. & ita nullum ſuppoſitum creatum eſſet ſuppoſitum: quia quodlibet eſt aſſumptibile, vt nunc ſupponitur per tertiam particulam, excluditur quodlibet accidens, ſiue actu inhæreat, ſiue ſit ſeparatum à ſubiecto, vt accidens in ſacramento altaris, quia omne accidens natum eſt inhærere, per quartam particulam excluditur natura aſſumpta à verbo, non aſſumptibilis. De hoc in tertio lib. latiùs habetur. hæc Gab. Et (vt idem dicit di.j.q.j.lib.iij.) Id quod ſuppoſitum dicit generaliter in ſubſtantia, hoc perſona ſignificat ſpecialiter in intellectuali natura.

Suppoſitum, perſona, & indiuiduũ differunt, vt ſcribit Brulefer di.j.q.j.lib.iij. quia ſuppoſitum in plus ſe habet quàm perſona, quia omne indiuiduum de genere ſubſtantię eſt ſuppoſitum. Vnde perſona eſt ſuppoſitum, ſed non econtrà: & omne ſuppoſitum eſt indiuiduum, ſed non econtrà: quia indiuidua accidentium non ſunt ſuppoſita, tamen bene ſunt indiuidua. Suppoſitum itaque eſt ſuperius ad perſonam, vt & vult Dominus prępoſitus Gab. di. xxiij. qu. vnica, art.j.lib.j. Vnde quod eſt indiuiduum in omni natura, hoc eſt ſuppoſitũ in natura per ſe ſubſiſtẽte ſubſtãtiali, & perſona in natura intellectuali. Indiuiduum verò eſt res ſingularis, ſiue totalis, ſiue per ſe ſubſiſtens, ſiue alteri innitens. Hæc Gabr.

Suppoſitare totaliter ſecundum Occam iiij. quotlib. q.xij. dupliciter accipitur. Vno modo quia præciſe ſuppoſitat, ſic illud non ſuppoſitat præciſe, quo circunſcripto nihilominus natura ſuppoſitatur. Alio modo vt eſt idem ſuppoſitare totaliter & ſufficienter. Sic filius ſufficiẽter ſuppoſitat, & tamen circunſcripto filio, pater poteſt ſuppoſitare naturã. Gabr. d.j.q.j.ar.iij.li.iij.du.iij. vbi etiã dicit verũ, quod in caſu natura humana ſic à tribus aſſumpta nõ vniretur vna vnione tribus, ſed cuilibet perſonæ ſpeciali vnione, & ita eſſentialiter ibi tres incarnationes, licèt vna caro tantùm, id eſt vna humanitas tantùm aſſumpta, vt vult Pet. de Cãdia. Sufficit autẽ vna incarnatio pro omni hominum criminũ expiatione. Et quid ſit ſuppoſitari, vide in dictione, *uniri* infra.

Suppoſitio eſt acceptio termini in propoſitione pro ſuo ſignificato vltimato, de quo multa videto apud dialecticos. Et hanc deſcriptionem ponit & Gerſon tract. vij. ſuper Cantico Mariæ. Nunc verò de ſuppoſitione terminorum in diuinis nobis agendum eſt, ſecundum Cameracenſem qu.v. quem imitatur Gab. di.xij.q.j.ar.iij.du.iiij.li.j. de qua & in logica ſcripſimus. Vnde ſuppoſitio termini in diuinis eſt duplex. Quædam eſt ſuppoſitio mediata, alia immediata. Vnde ille terminus ſupponit mediatè pro patre in diuinis, qui ſupponit pro patre in diuinis, & tamen nõ conuertitur cum iſto termino pater cõuerſione regulata, per hoc ſignum, omnis res quæ eſt. Et ſic iſte terminus pater, ſupponit pro eſſentia non immediatè. Et ſimiliter iſte terminus eſſentia pro patre, quia licèt pater ſit eſſentia & econtrà, nõ tamen ſequitur, quęcunque res quę eſt pater eſt eſſentia, ergo quæcunque res quæ eſt eſſentia eſt pater, vt patet. Sed ille terminus ſupponit immediatè pro patre in diuinis, ſiue pro perſona quæ producit & non producitur, qui conuertitur cõuerſione regulata per hoc ſignum, omnis res quæ eſt. Nullus autem alius terminus ſupponit immediatè pro patre, & ſic de filio ſuo modo & ſpirituſancto, & de eſſentia dicendum eſt. Ex iſtis inferri poſſunt regulæ aliquę ſecundum eundem Camer. & ſequitur eũ Gab. vbi ſupra, bene notãdæ. Prima regula. Nullus terminus perſonalis ſupponit immediata pro eſſentia in diuinis, ſicut ſunt iſti termini, pater, filius, & ſpirituſſanctus, vt clarè patet. Secunda regula. Nullus terminus eſſentialis ſupponit immediatè prò perſona in diuinis, ſicut iſti, Deitas, eſſentia, &c.
Tertia. Omnis terminus eſſentialis ſupponit mediatè, vel immediatè pro qualibet re in diuinis. Pater, quia iſte terminus eſſentia, vel Deitas ſupponit pro eſſentia immediatè, & pro qualibet perſona mediatè. Quarta regula. Nullus terminus perſonalis ſupponit pro qualibet re in diuinis. Patet, quoniã iſte terminus pater nõ ſupponit pro filio, nec econtrà, nec ſpirituſſanctus pro patre, nec econtrà, & tamẽ iſte terminus pater, bene ſupponit mediatè pro re quæ eſt filius, ſcilicet pro eſſentia. Quinta. Licèt quilibet terminus perſonalis non collectiuus immediatè ſupponat pro perſona, & mediatè pro eſſentia, tamen nullus talis ſupponit pro pluribus rèbus in diuinis copulatiuè, nec etiam diſiunctiuè.
Patet, quoniã iſta copulatiua eſt falſa, pater eſt pater, & pater eſt filius. Similiter iſta de copulato extremo eſt falſa, pater eſt pater, & filius. Et ſic pater nõ ſupponit collectiuè pro pluribus rebus, nec cõiunctim nec diuiſim. Sexta regula. Quod licèt iſte terminus trinitas, ſupponat immediatè pro omnibus perſonis diuinis collectiuè, tamen pro nulla earum per ſe ſumpta ſupponit nec mediatè, nec immediatè. Prima pars patet, quoniam hæc eſt vera, quæcunque res quæ eſt trinitas, eſt pater & filius & ſpirituſſanctus. Et econtrà, quæcunque res quæ eſt pater & filius & ſpirituſſanctus eſt trinitas, igitur. Secunda patet: quoniam nec trinitas eſt pater, nec econtrà. Ex qua ſequitur ſeptima regula quod eſt aliquis terminus, ſcilicet trinitas, qui ſupponit pro aliqua re in diuinis, licèt mediatè, tamen pro nulla perſona ſupponit mediatè vel immediatè. Prima pars patet, quia hæc eſt vera, trinitas eſt eſſentia, ergo ſupponit pro eſſentia. Patet per diffinitionem ſuppoſitionis. Secunda pars patet, quoniã hæc non eſt vera. Trinitas eſt perſona, nec ecõtrà. Hæc Aliacenſis & Gabr. vbi ſupra. Octaua regula (vt dicit Camerac.) eſt quod nulla res in diuinis eſt duæ res, quin illa ſit tres res, &c. De ſuppoſitione verò abſtractorum vide Gabr. di. xiiij. qu.j. lib.j. & in prologo q. iij. Et ſecundum aliquos, abſtracta connotatiuorum non ſupponunt pro vna re, ſed pro omnibus ſimul quæ ſignificant. Sic creatio non ſupponit pro aliquo vno, ſed ſimul pro Deo & creaturã de nouo producta. Secundum alios ſupponunt pro eiſdem pro quibus concreta & cætera connotant,

& ſic

S V

& ſic creatio eſſet Deus creans, & actio actiuè agens, paſsio paſsiuè patiens. connoraret tamen creatio actiuè creaturam productam. Creatio verò paſsiuè ſupponit pro creatura connotando creatorem, Gabriel.

Suſpenſio vt eſt pœna canonica & ſexta (vt ſcribit Scotus di.xxv.q.j.li.iiij.) eſt prohibitio ab aliquo aliàs conueniente, & hoc ad tempus. In hoc diſtinguitur iſta pœna ſpecialiter contra alias. Hæc autem eſt multiplex. quia quædam eſt ſuſpenſio ab officio, quædam à beneficio, quædam ab ingreſſu Eccleſiæ. & quandoque incurritur ipſo iure, vt habetur extra de ſenten. & re iudi. cum æterni. & extra de ſenten. excom. cum medicinalis. Et etiam io ſuſcipiendo ordines ab epiſcopo qui renunciat loco & dignitati tali: quia qui executionem non habet, executionem non confert, & ita ſi ordinem cōfert ſuſcipiens, tamen executionem non habet, ideo eſt ſuſpenſus. Da hoc j.qu.vij. Daibertum. & extra de ordi. ab epiſcopo qui renun. c.j. in glo. Similiter de ordinato ſcientet ſimoniacè. Frequenter autem infligitur à iudice, nunc illa, nunc iſta. Tollitur autem per relaxationem talis ſuſpenſionis facta ab eo qui eā tulit, vel à ſuperiore eius, hæc Scotus. Suſpenſio (vt ſcribit Petrus de Palud. di.xviij.q.vij.ar.iij.lib.iiij.) eſt qua aliquis prohibetur vti iure ſuo, non autem qua prohibetur vti iure prohibentis, quia illud eſt magis inhibitio vel reuocatio. Vnde ſi officialis prohibeat celebrare vel confeſsiones audire quę ipſe facit iure ſuo, nō ex cōmiſsiona officialis, eſt ſuſpēſio propriè dicta: propter quod ſi hoc faciat officialis ſine ſcriptis, vel ſine monitione, ſuſpēſionem incurrit, de ſent. ex. ſacro. c.v. Cū medicinalis li.vj. Sed ſi Epiſcopus qui dedit ſuā poteſtatem fratribus vel ſecularibus ſuſpedit eos ab audiētia cōfeſsionū nomine ſuo, non eſt ſuſpenſio, ſed mandati reuocatio. Hæc & latiùs Paluden. Vel ſuſpenſio eſt quædā Eccleſiaſtica cēſura, qua interdicitur aliquod exercitiū, vel officiū cōpetens certæ perſonæ Eccleſiaſticę. Aliquando à iure, aliquando à iudice prolata.

Suſpenſus. Et ſunt ſuſpenſi (vt ſcribit Gabr. du.iiij. di.xiij.qu.j.lib.iiij.) quo ad ſe ex ſenteotia Dei, & quo ad alios ex ſentētia Eccleſiæ. Omnes hæretici interdicti, ſciſmatici, excommunicati, ab officiis ſuſpenſi, irregulares, depoſiti ſiue degradati, ſiue tales ſint manifeſti, ſiue occulti. Omnes enim tales ſunt per ſententiā Eccleſiæ executione ſui ordinis priuati, vt xxxij.di. præter hæc. §. verū, &c. §. porro. Similiter fornicatores notorij ſuſpenſi ſunt. Secùs ſi ſint occulti, vt xxxij.di. Nullus. Licèt enim fornicatio non ſit grauior cæteris criminibus, quia tamen ad eam homines ſunt proniores propter petulantiam carnis, ideo Eccleſia prohibuit ſpecialiter ne quis audiat miſſam notorij concubinarij. In omnibus aliis criminibus expectāda eſt ſententia Eccleſiæ, etiā ſi ſint notoria, quia ſententia ſuſpenſionis nondū eſt contra alia crimina lata, ideo quamdiu cæteri criminoſi ab Eccleſia rolerantur, eorum miſſæ non ſunt fugiendæ vſque ad Eccleſiæ ſententiam contra eos fulminatam, quia licet cæteri criminoſi quo ad ſe ſint ſuſpenſi ſicut quilibet in peccato mortali innodatus iudicio Dei, non tamen ſunt ſuſpenſi quo ad alios iudicio Eccleſiæ. Priores vero iudicio Eccleſię ſunt ſuſpenſi à quibus miſſæ audiendæ non ſunt, oec ſacramenta recipienda. Non quin ſacramenta eorum ſunt vera quātum ad eorum eſſentiam. Sed quia dum huiuſmodi ſacerdotes à populo ſe cōtemptos viderint, rubore verecundiæ facilius ad pœnitentiam prouocentur, vt xxxij.di. præter hoc, in fine. Et in dictis vitādis adduntur duo, ſcilicet extra caſum neceſsitatis, & quo ad fornicarios additur, notorij. Nam in neceſsitate baptiſmus ab omnibus prædictis dari & recipi poteſt, ſiue hæreticis, ſiue degradatis. Sed ſacramentum Euchariſtiæ in mortis articulo recipi poteſt à ſimoniaco & notorio fornicario. In quo caſu ſimoniacus poteſt tangere Euchariſtiam, porrigendo eam morituro, ſed non poteſt licitè celebrare, vt in allegato c. prętet hęc in textu & in glo. Et fornicatores ootorij, non autem manifeſti, nec publici nō notorij, multo minus occulti ſnot in ſuis officiis vitandi. Vnde in c. veſtra, dicit Papa. Sine dubitatione itaque teneatis quod à Clericis & Presbyteris quamquam fornicariis, quādiu tolerantur, nec habent operis euidenriam, licitè diuina myſteria audiantur & alia recipiantur Eccleſiaſtica Sacramēta, quia nō ſunt ſuſpenſi quo ad alios. Vide latiùs Gabr. vbi ſupra. Epiſcopus quoq; (vt ſcribit Petrus de Palud di. xviij.q.vij.lib.iiij.) ſi ſine licentia alrerius Epiſcopi vel ſuperioris clericum alterius diioceſis ſcienter, vel ignorantia affectata ordioat, per annum à collatione ordinum eſt ſuſpenſus. extra de tempo. ordi. c.ij. lib.vj. Itē Epiſcopus qui in terris ſuis alienigenas vſurarios publicos habitare permitit, nec infra tres mēſes expellit vel domum tradit eis ad fęnerandum, ſuſpenſus eſt ſimpliciter, de vſuris c.j. lib.vj. Item ſi ordinaret infantem vel illiteratum. Item canonici qui eligūt ad Epiſcopatū vel Archiēpiſcopatū ſcientet indignum vel arbiter ab eis electus: qui hoc faciūt per trienniū ſunt ſuſpenſi ab omnibus beneficiis quæ obtinent in illa Eccleſia, de elect. Cum in cunctis compromiſſatius. lib.vj. Dicitur autem, indignus, quia habet defectum ætatis vitæ & ſcientiæ, vel eſt illegitimus, vel aliàs irregularis. Et vt idem ait Paluden. vbi ſupra. Suſpenſus ab ingreſſu Eccleſiæ nō debet intrare Eccleſiam plus quàm excommunicatus, ſed beneficia poteſt percipere. Si autem eſſet ſuſpenſus ab officio, & per conſequens à beneficio quod eſt propter officium, & ſi ingerit ſe diuinis, eſt irregularis. Vide latiùs Paluden. de ſuſpenſis vbi ſupta.

Suſpenſus quandoque dicitur quo ad ſeipſum tantùm, vt notat Gloſſ. in c. veſtra. de coha. cleric. & muli. & nō quo ad alios, vt quilibet in mortali conſtitutus, quandoque quo ad ſe, & quo ad alios, vt qui pro mortali ſuſpenditur iudicio Eccleſiæ. Quādoque quo ad alios, & non quo ad ſe, vt cùm ciuitas eſt interdicta propter delictum ciuium, vel ſecularis poreſtatis, tunc clerici nō ſunt ſuſpenſi quo ad ſe, quia in alio loco poſſunt celebrare non interdicto. Plura apud Gabr. di. xiij.qu.j.ar.iij.dub.iiij. Et de fornicatore notorio (de quo paulò ante) vide opiniones adducentem an ſit vitandus, quæ breuitatis gratia omitto.

Suſpitio ſecundum Cicero. eſt acceprio vnius partis cum formidine alterius. Vel ſuſpitio eſt opinio mali ex leuibus ſignis, ſecundum ſanctum Thomam

ſecunda

ſecũda ſecũdæ q.xl. ar.iiij. Et ſuſpitio eſt triplex: vt habet Gloſſ. xxxij. q.j. dixit Dominus. Et Richar. qu.iij.art.iij. di.ix.libr.iiij. ſcilicet. Temeraria, probabilis, violenta. Suſpirio temeraria dicitur, quando ex irrationabili cauſa conſurgit. cuiuſmodi eſt illa quæ conficta eſt rumoribus maledicorum hominum & detractorum. Et hæc ſuſpirio deponenda eſt: nec propter eam Euchariſtia ſubtrahenda &c. Suſpirio probabilis eſt, quæ ex ſignis probabilibus, id eſt, veriſimilibus oritur. nec propter talem ſuſpitionem ſubtrahi deberet petenti Euchariſtia: nullum enim ante verã iuſtamque probationem iudicare, aut damnare debemus. Violenta ſuſpitio, eſt quæ ex ſignis proprè certis & infallibilibus oritur: vt ſi quis videt interfectum, & alium ſocium ſecum ſtantem & gladium cruentum de ſua vagina eductum, remittere in vaginam. Eſt & ſuſpitio violenta, vt ſi inueniatur ſuſpectus cum ſuſpecta, nudis cum nuda, ſolus cum ſola in eodem lecto, loco & tempore ſuſpectis. Et contra tales ſuſpectos iudicandum eſt ſicut iudicaretur de facto. Gabr. diſt. ix. quæſt. ij. dub. ij. lib. iiij. Et Richar. vbi ſupra, ſic publicè ſuſpecto de crimine non debet ſacerdos dare Euchariſtiam, ſicut de publicè criminoſo non deber, vt dicit Richardus.

Suſtentare naturam poteſt accipi effectiuè vel terminariuè ſiue formaliter ſecundum Scotum q.iiij. Et Occam q.j.lib.iij. Primo modo tota trinitas ſuſtentat naturam humanam in Chriſto, id eſt facit eam ſuſtentificatam. Secũdo modo ſolum verbum ſuſtentat vnionem naturæ creatæ ad ipſum. Vide lariùs de hoc Gabriëlem diſt.j.qu.ij.art. iij.dub.v. lib.iij.ſentent.

Suſurro. Suſurrones ſunt genus hominum maledicorum & linguacium, qui non apertè loquuntur, ſed voce demiſſa in aures hominum obſtrepũt potius quàm loquantur. Et ſuſurratio eſt oblocutio mala de proximo facta occultè ad diuidendam amicitiam aliquorum. Differunt autem ſuſurro, detractor, contumeliator, deriſor, & cõuitiator, quia ſuſurro intẽdit diſcordiam ſeminare. Detractor bona minuere vel negare. Contumeliator quod eſt cõtra honorem alicuius deducere in notitiã eius & aliorum per ſigna vel verba. Deriſor malum vel defectum alicuius perſonę vt erubeſcat in ludum vel riſum ponere. Conuiciator dicit importantia defectum culpæ & pœnæ, ſicuti contumeliator ſolum culpæ. Quare ſiquis dicat alicui iniurioſe eum eſſe cœcum aut claudum, quum ſit, conuicium dicit, ſed non contumeliam. Si autem iniurioſe dicat eum ſurem, non ſolum conuicium, ſed & cõtumeliam dicit, ſæpè tamen vnum pro alio ponitur, & ſuſurro & ſuſurrus & ſuſurrare verba ſunt fictitia.

Suum cuiuſcunque dicitur quod ei ſecundum proportionis æqualitatem debetur. ex beato Thom. ſecunda ſecundæ quęſt.lviij.art.xj. Et quandoque accipitur pro proprio. Vnde.1.Corinth.13. Charitas non quærit quæ ſua ſunt, id eſt propria. Proprium autem quærere vide in dictione Proprium &c.

De litera T.

TAbula quandoque ſignificat aſſerem vel partẽ nauis, vel integræ vel fractæ. Et prima tabula poſt naufragium peccatorum eſt baptiſmus, pęnitentia verò ſecunda, & verecundia ſecundum beatum Thomã part.iij.qu.lxxxiiij.art. vj. de quo ſuo loco dictum eſt. Et quid tabula aliàs ſignificet vide apud alios, Theologi potiſsimum ut hoc opuſculo eſſe volumus vel Theologiæ ſtudioſi vel imitatores.

Tabernaculum non eſt diminutiuum, ſicut nec cęnaculum. Eſt autem tabernaculum tectum caſtrenſe quod veluti taberna quædam ſit. Et (vt Hieron. inquit) ſemper mutatur tabernaculũ, & huc illucq; transfertur. Aug. Tabernaculum belli res eſt. Vnde & contubernales milites dicti ſunt tanquam ſimul habentes tabernas. Eſt enim propriè pugnantium & quodãmodo militantiũ & aduerſus hoſtem pugnantiũ. Domus eſt, vbi ſemper manemus. Eſt & tabernaculum templũ Domini, & hoc eſt duplex: Vnum materiale, templũ, ſcilicet lapidibus ligniſque extructũ ad cultũ Dei in orationibus & hymnis in Pſalm. & voce exultationis & ſalutis. De quo in Pſal. 17. Vox exultationis & ſalutis in tabernaculis iuſtorum. Et Numeri.9. Die qua erectum eſt tabernaculum operuit illud nubes: Aliud ſpirituale, quod eſt cor humanum, ad Dominũ factorẽ ſuum cõuerſum. De quo poteſt accipi illud Apoc.21. Ecce tabernaculũ Dei cum hominibus, & habitabit in illis. Et 2.Corinth.5. Qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus grauati, eo quòd nolumus expoliari: De hoc videatur Gabriël ſermon.j.de dedicatione. Dicitur & beatiſsima virgo Maria tabernaculũ Dei, eo quòd Chriſtus in eo corporaliter habitauit. De quo Gerſon tractatu viij. ſuper cantico eiuſdẽ virginis glorioſisſimæ, & aliàs ſæpe in ſacris literis.

Taberna accipitur pro omni ædificio, quod eſt vtile ad habitandum, ex eo quòd taberna tabulis claudebatur ſiue cooperiebatur. Et taberna dicitur vbi opera ipſa, cæteræque merces vendicantur. Officina vbi opera fiunt. Et tabernarum quædam lanaria, quædam vinaria, quædam olearia & huiuſmodi à quo tabernarius vel tabernator, quod Gerſ.part.j. tractat. de modo viuendi accipit pro hoſpite vel caupone, cum ponit regulam eorum di. Regula tabernatorum eſt ne permittant ludere ad taxillas in taberna ſua, neque in tabula ſua, Deum blaſphemare non permittant, nec meretrices recipiant de nocte. Plenam menſuram dent omnibus, vinum cum aqua ad vendendum non miſceant nec aliqua pocula, vel fercula aliquo modo ad vendendum defraudent. Regula verò ad hoſpites, vt idem dicit, eſt quod malos in hoſpitio ſuo non permittant, vel ſcienter recipiant, nec hoſpitibus ſuis ſurentur auenam, vel fœnum. Nec ſuſtineant quod hoſpites ſcienter fornicẽtur in hoſpitio ſuo: iuſtam, bonam, rationabilem computationem cum hoſpitibus ſuis faciant. Hæc Gerſon.

Taciturnitas eſt qua mentes circunſpicientes quid deceat, & quid non, ſilent cogitabundę, nec putant proferendum, antequam naturæ cũcta examuſsim diſputarint, ne ex ore magis quã ex pectore erumpat oratio

pat oratio. Huius oppoſitum eſt dicacitas. Vnde dicaces, locutulei, blaterones, linguaces, bambaliones, & futiles à veteribus ſunt nominati. Et vt dicit beatus Thomas ſecunda ſecundæ, qu.lxxiij. art.j. Taciturnitas in dicendis, & locutio in tacendis eſt peccatum. Et taciturnitas in cõſiliis neceſſaria eſt: vt oſtendit Gerſon part. iiij. ſer. ad Regem Franciæ nomine vniuerſitatis Pariſi. conſide. ij. quare & pueri conſilia intrare non debent &c. vt idem vult.

Tactus à tango venit. Eſt autem tactus ſenſus eorum ex quibus componitur animal, & per quæ corrumpitur: ſecundum beatum Thom. in qu. de veri. qu. xxvj. art. iij. Omnis autem tactus ſiue attactus, vel amplexus, oſcula, & conſimiles attactus principaliter ex luxurioſis cogitationibus (vbi eſt conſenſus plenarius & deliberatus) procedentes ſunt grauia delicta: tãtoque grauiora ſi perſonæ fuerint affines, aut religioſæ vel eiuſdẽ ſexus, & quod enormius eſt, ſi in talibus attactibus, vel oſculis talis non ſeruetur honeſtas, qualis in publico ſeruaretur. Hæc Gerſon part. ij. in tripartito de præceptis decalogi ca. x. de. ix. præcepto.

Tangibile à tango. & duo dicit: vt ſcribit beat. Bona. di. xlix. li. iiij. ſcilicet quod poteſt immutare ſenſum, & hoc eſt perfectionis, & quod nõ poteſt latere tactũ noſtrũ, & hoc eſt imperfectionis. Et quia remanebit quod eſt perfectionis, & tolletur quod eſt imperfectionis à ſanctis poſt iudiciũ, ideo dico inquit S. Bona. quod corpus glorioſum poteſt ſe præbere tãgibile, & põteſt ſe nõ præbere ſiue latere, & hoc habet ſecundũ diuerſas cõditiones. Nã tãgi poteſt, quia poteſt impellẽti reſiſtere cũ ſit corpus verũ nõ vanũ, ſeu phantaſticũ. Latere poteſt, quia poteſt penetrare organũ tactus. Primũ habet p virtutẽ naturæ. Secundũ per effectũ ſpiritualis potẽtię. Et hęc duo cõtraria ſunt in nobis, ſed nõ in illo corpore, vt dicit S. Bona. vbi ait de dote ſubtilitatis q. ij. vbi ſupra. Et palpabile quodlibet eſt tãgibile & nõ econtrario, vt vult S. Thom. iiij. ſent. di. xliij. q. ij. ar. ij. de quo dictum eſt ſupra in dictione *Palpare*.

Talentum apud priſcos diuerſi ponderis fuit, de quo aliàs. Eſt & talentum, de quo habetur in Euangelio, quod alicui traditur à Domino ad vſuram, vt eſt donũ vel gratiſdatũ, vel gratumfaciens, quo quidẽ vtatur quiſquã, qualiter, & quouſq; ſe lex & voluntas erogantis extendit. Illud talentũ non debet fodi in terram iuxta admonitionẽ Domini, ſed exponi & lucrari. Ille verò non retinet talentũ qui non abutitur donis ſibi traditis, quando & qualiter non oporter, non eſt contrarius Chriſto, de quo videatur Gerſon tract. xj. ſuper Magnif. Nõ eſt paruũ neq; negligendum, talentum nõ eſt infodiendũ terrę, quia non eſt terrenis occupationibus obruendũ. Habet homo pro quolibet ſenſuũ, quos accepit talenta totidẽ, ſingulis nõ pariter vtitur, de quo aliàs. Nemo autẽ poteſt dicere ſe nõ accepiſſe talentum, quilibet enim poteſt alteri benefacere vel amare. Mãdauit enim Deus cuilibet de proximo, denique eleẽmoſynã vel corporalẽ vel ſpiritualẽ largiri. Maledicitur verò qui frumentũ abſcõdit in populis. Et ſapiẽtia abſcõdita, & theſaurus inuiſus quæ vtilitas in vtriſque? Et ſeruus piger, nõ quia diſſipauit, ſed quia in ſudario (quod mundũ eſt) pecuniã ſeruauit Domini ſeueriſſimè dãnatus eſt. De quo videatur latiùs Gerſ. part. iij. de perfectione cordis in fine.

Temeritas ſecundum Cicer. lib. iiij. Rheto. eſt cum inconſiderata dolorum perpeſsione gladiatoria periculorum ſuſceptio. Vel ſecundum beatum Tho. ij. ij. q. xxxv. ar. xxv. Temeritas ſiue præcipitatio eſt defectus conſilij & ſpiritus imprudentiæ, & q. liij. ar. iij. vbi ſupra. Temeritas eſt per quã fieri dicũtur, quę ratione non gerũtur vel propter impetũ voluntatis vel paſsionis vel ex contẽptu quæ cauſa ſiue ex ſuperbia, ideo cõtinetur ſub præcipitatione quę reſpicit vtrũque ſed magis primũ. Et temerarius eſt ille qui nihil omnino formidat, ſed aduerſus omnia vadit ſecundũ Ariſt. li. ij. Ethi. Dicitur & temerarius nõ qui plus audet quã oporter, ſed q facilè nullo adhibito cõſilio credit. Dicitur & temerarius metuendus & audax, de quo aliàs. Et temerè aduerbium ſtultè, malè, inconſultè & ſine cauſa, de quo aliàs.

Temperantia eſt rationis in libidinem atque alios non rectos impetus animi ſumma & moderata dominatio, ſecundũ Cice. li. Rheto. Vel eſt moderatio cupiditatum rationi obediens ſecundũ eundẽ li. ij. de finibus bo. & malo. Vel tẽperantia eſt mediocritas circa voluptates corporis ſecundum Ariſt. li. iij. Ethi. Sed ſecundũ Aug. li. de li. ar. Tẽperantia eſt affectio coërcẽs & cohibẽs appetitũ ab his quæ turpiter appetũtur. Et ſecundũ Cice. partes temperantiæ ſunt, cõtinentia, clemẽtia & modeſtia. Et tẽperantia (vt inquit Cort. li. iij. ſen. di. viij. tanquã virtutũ laternaria laudatur. Ea enim eſt virtus hominẽ ex integra ratione ad bonorum genera impellens, turbidas ſaporũ, tactionũque affectiones ſanans, ægritudinemque ſedans, quæ ex voluptatum vanitate oriatur. Intemperantia verò auerſa eſt à ratione ad ſuperuacaneas cupiditates turbida cõmotio, quę eo longius ab hominũ præſtãtia diſtat quo minus abeſt à natura ferarũ. Sed ex tẽperantia tanquã ex matre liberi oriuntur, verecũdia, honeſtas, parſimonia, ieiunium, ſobrietas, caſtitas, virginitas, cõtinentia, clementia, manſuetudo, modeſtia, & quæ à Græcis σωφροσύνης dicitur, aut ſi quę eius generis ſunt, quę ſingula ſuis locis pateſcũt. Aduerſatur & huic corpor, vt idem oſtẽdit Corteſius vbi ſupra, & In temperantia. Temperantia vt dicit Augu. & habet Magiſter di. xxxiij. lib. iij. eſt in coërcendis prauis delectationibus, vel eſt dominium rationis in libidinẽ, & in alios animi motus, vel eſt virtus animi refrenandi motus in nos impetum facientes, vt ſic nihil cupiamus. Et vt ſcribit Gabr. diſt. xxxiiij. quæſt. vnic. ar. j. lib. iij. Tẽperantia quæ generaliter dirigit appetitum circa concupiſcibilia, duas habet ſpecies immediatas. Illa quę moderatur circa honores, vocatur humilitas. Quę verò circa voluptates, retinet nomen generale generis, ſcilicet tẽperantię, & quot poſſunt eſſe voluptates diſtinctæ ad quas voluntas inclinatur, & quas moderari poteſt tẽperantia tot ſunt ſpecies tẽperantiæ: puta altera circa guſtabilia, altera circa tangibilia, & nõ ſolũm circa voluptates ſenſuum, de quibus delectatur voluntas cõiuncta, ſed etiã voluptates propriæ volũtatis, vt voluntas eſt, quoniã & volũtas angeli apperere poteſt delectabile, licèt non habeat appetitum ſenſitiuum. Et quod illæ tẽperantiæ ſint ſpecies diſtinctę, patet per ſeparatio-

ſeparationem, quia poteſt aliquis temperatus eſſe circa venerea, nolens vti niſi ſua, aut volens ſimpliciter continere, & intemperatus eſſe circa guſtabilia, volens comedere non comedenda, vel nolens comedere comedenda. Poteſt etiã aliquis eſſe temperatus circa ſenſibilia & intemperatus circa ſpeculabilia, puta ſi voluntas ſua immoderata delectetur in hoc intelligibili ſpeculãdo quod ſecundum ſe non eſt ita vtile, nec honeſtum ſicut aliud. Hæc delectatio ſecundum ſe eſt immoderata, ſicut delectatio nimia circa notitiam curioſam aſtrorum cœli, & motiuum eius impediens ſtudium rerũ ſalutarium & neceſſariarũ. & ideo moderanda eſt cum ſecundum ſe ſit inordinata, & ſecundum multiplicitatem delectationum ſpiritualium moderamine indigentium, multiplicantur partes temperantiæ. Hæc Gabriël vbi ſupra. Vide de hoc Richar. in iij. di. xxxiij. art. v. qu. ij. Temperantia deſcribitur à Gerſone patr. iiij. in deſcript. ter. ad Theolo. vriliſic. Temperantia eſt habitus laudabilis inclinans animam, vt affectiones & operationes inde ſequentes moderatæ ſint, & ordinatæ ſecundum medium quo ad nos: prout recta ratio determinabit. Vel temperãria eſt virtus moralis ſedatiua paſsionum, hoc eſt affectionum nimis mouẽtium. Sedatio autẽ paſsionum eſt diuinatio, vel reſtrictio earum in ſenſualitate: & fortificatio inclinationum oppoſitarum in voluntate, & ita virtus eſt in vtroque. Augmentatio verò paſsionũ per oppoſitũ. Hæc Gerſ.

Templum propriè locus in cœlo notatus ab augere, vel interea à ruendo, id eſt cõſpiciendo dictũ qood ex omni parte, vel ex quo omnis pars aſpici poſſet. Primò autem cœlum ipſum dictum eſt templum, quia ipſum primò tuemur. Eſt & templum Dei, ſicut tabernaculum, ſcilicet materiale. Aliud ſpirituale de quo ſupra vide. Vnde 1. Cor. 3. dicitur. Templum Dei ſanctum eſt. Chriſtus quoque corpus ſuũ templum appellat. Ioann. 2. quando dixit. Soluite templum hoc, & in triduo reædificabo illud: & ita tẽplum in ſcriptura verificatur de humanitate Chriſti, de quo legito Iacob. de Valent. tract. iiij. ca. iij. prologi in Pſal.

Tempus eſt numerus motus ſecundum prius & poſterius iiij. phy. id eſt tẽpus eſt numerus, id eſt menſura diſcretiua. Motus ſecũdum prius & poſterius, id eſt ſecundum duratiõe cui correſpondet prius & poſterius. Et tempus eſt in primo motu cœli ſicut in ſubiecto, & primo menſurato ſecundum B. Thom. j. parte q. x. ar. vj. Et tempus accipitur propriè & impropriè. propriè tripliciter. Vno modo ſtrictiſsimè pro motu velociſsimo & maximè noto, ſiue ſit motus octauæ ſphæræ, ſiue nonæ, ſiue ſolis, ſiue lunæ, qui eſt nobis maximè notus, quo menſuramus motus inferiores, id eſt certiores reddimur de duratione motuum inferiorum. Sic per motum ſolis menſuramus operationes noſtras, & motus inferiores. Secundo modo accipitur largius pro quolibet motu, per cuius notitiam peruenire poſſumus, in notitiã durationis alterius rei vel motus. Sic quilibet motus poteſt eſſe tempus. Sic motus horologij arenoſi, vel per pondus eſt nobis tempus mẽſurans alios motus & operationes. Item ſcriptio vnius chartæ vel folij, ſi duratio eſt mihi nota, poteſt eſſe tempus alterius motus, cuius duratio eſt ignota. Tertio accipitur pro conceptu mentis quo imaginamur motum, & mẽſuramus motum extra vel rem aliquam quantum ad eius durationem, ſicut artifex expertus per quantitatem imaginatam, ſiue conceptus mentis noſcit ſtatim quãtitatem rei extra, ita per tempus imaginatum cognoſcimus lõgitudinem vel breuitatem motus vel operationis noſtræ & aliorum. Impropriè tempus eſt numerus nõ ſub ratione menſuræ, tam numerus numeratus, quàm numerus numerans. Sic partes motus prior & poſterior in ſe conſideratę, non vt menſura alterius poſſunt dici tempus impropriè. Similiter conceptus mentis quo apprehẽdimus partes priores & poſteriore, ſeaſq; numeramus in quantũ ſunt partes illius motus, nõ vt ſunt mẽſura, ſeu notitia alterius motus. Hic conceptus qui eſt numerus numerans, poteſt dici tẽpus durationis ſiue in anima ſiue extra. Nam extra eſt motus, intra eſt conceptus motus. Videlatiùs Gab. vbi ſupra, & S. Bonauen. di. j. in dub. lireral. lib. ij. & di. ij. ar. ij. q. j. lib. ij. & plurã apud Phyſicos. Et duplex eſt eſſe temporis ſecundum Commentatorem, ſcilicet formale & materiale. Formale eſt ratio diſcretiua animæ. Sed materiale eſt motus. Exempli gratia. Ex motu ſeu defluxu arenæ in horologio vitreo, menſurat & diſcernit anima horam. Vnde Rich. in ſecundo di. ij. q. j. diffinit tempus ſic. Tempus eſt duratio ſeu mora motus ab anima numerata, qua mediante motu cuius eſt paſsio menſurat anima cõtinuationes, vel durationes motus aliorum. Richard. hæc. Tempus prętereà (vt inquit Gabriël vbi ſupra.) eſt menſura durationis angelorum. Nam breue & longum ſecũdum durationem ſunt paſsiones temporis, ergo cuicunque conueniunt, menſuratur tempore, conueniunt autem durationi angelorum. Vide fuſius Gabriëlem. Item ſi quæritur quantum durabat angeli, non poteſt reſponderi niſi per nomen temporale: vtputa, tot annis, diebus vel horis, igitur dies, & horę, & anni ſunt menſura præteritæ durationis angelorum.

Tempus adhuc dupliciter poteſt diſtingui. Poteſt enim accipi vno modo generaliter pro menſura durationis creatæ ſeu finitę, & ita includit euiternitatem. Hoc modo dicit ſanctus Bonauen. q. iiij. di. ij. libr. ij. quod accipit Beda cùm dicit quod quatuor fuerunt, primò creata angelica natura, materia informis, cœlum empyreum, & tempus. Alio modo poteſt accipi ſtrictè pro mẽſura durationis motus, vel rei permanentis generabilis & corruptibilis, & ſic non eſſet menſura rerũ perpetuarum vt angelorum. Euiternum autem eſt menſura durationis rerum incorruptibilium, & ſecundum hanc diſtinctionem poſſent concordari opiniones & ſanctorũ auctoritates. Verũ hæc diſtinctio nõ ſumitur (vt inquit Gabriël in fine qu. j. di. ij. lib. ij.) ex diuerſa ratione menſuræ, ſed ex diuerſitate rei menſuratæ.

Tempus oportunũ eſt tempus congruum vel conueniens, &c. Et tẽpus oportunũ (dicit Gerſ. par. iij. in expoſitione Pſal. Beati quorũ remiſſę ſunt, &c.) eſſe tempus vitæ mortalis, in qua eſt oportunum tẽpus remiſsionis, quia poſt eam erit tẽpus retributionis. Vel tempus oportunũ dicitur, tẽpus gratiæ per

per Chriſtum reuelatæ. De quo ait Apoſtolus. Quando venit plenitudo temporis miſit Deus filium ſuum factū ſub lege, vt eos qui ſub lege erant, redimeret, &c.

Tempus. Differunt eſſe cum tempore, eſſe in tēpore, & eſſe ex tēpore, vt notat Brulef. di. viij. q. ij. li. j. Eſſe cū tēpore, eſt coëxiſtere tempori. Deus eſt cū tēpore, Deus enim eſt modò, & tempus eſt modò, ergo Deus eſt cū tempore. Itē angelus eſt cū tempore. Itē Deus ab æterno nō erat cū tempore. Itē neq; Deus neque aliqua res creata poſt iudiciū erit cum tēpore. Eſſe in tēpore, eſt mēſurari tēpore, ſicut generabilia & corruptibilia. Deus nō eſt in tēpore, quia mēſuratur æternitate. Nec dicitur Deus eſſe in tempore, ſicut dicitur eſſe in loco (vt vult Guil. imitat. Scot. di. xxxvij. li. j.) ideo, quia tēpus ſignificat per modū fluxus, ideo ſi Deus diceretur in tempore, ſignificaretur motus ineſſe ſibi, & per cōſequens mutabilis eſſet. Locus autē ſignat per modū quietis, & quies quā maximè Deo attribuitur, ideo verius dicitur in loco quā in tempore. Nec angeli (vt inquit Brulef. vbi ſupra.) ſunt in tēpore propriè. Sequitur autē bene. Ille eſt in tēpore, ergo eſt cum tēpore, ſed non econtrà. Eſſe ex tempore, eſt eſſe de nouo, vel ipſum incipere eſſe. Omne autē illud quod incipit eſſe, eſt ex tempore. Eſſe æternum, eſt nūquam incœpiſſe, nec incipere eſſe Brulefer, &c.

Temporale vt ſcribit Gabr. di. ij. q. j. lib. ij. eſt quod mutatur tam ſubſtantialiter quàm accidentaliter, id eſt quod aliquādo definet eſſe ſimpliciter & manēs adquirit quod nondū habet, vel perdit quod habet. Vel tēporale dicitur quod ad tēpus durat, & differt ab æterno & æuo. Nā æternum (vt ſuprà etiā patet) propriè dicitur quod eſt ſimpliciter immutabile tā ſubſtātialiter quā accidentaliter. Æuū quod eſſe nō definit ſiue ſemper fuerit, ſiue eſſe incœperit quātum ad eſſentialia, eſt tamen mutabile quantum ad accidentalia, quia poteſt adquirere perfectionem qua caret, & perdere quam habet, vt eſt angelus, cœlū, materia prima, &c. De quo ſuo loco dicitur.

Temporale dicitur dupliciter, vt ſcribit Gabriël di. xxx. quæſt. v. lib. j. Vel quia eſt res aliqua incipiens eſſe in tempore, vel quia eſt prædicabile de aliquo ex tempore. Et ſic relatio dicitur dupliciter æterna. Vel quia eſt aliqua res æterna, vel quia verum eſt dicere, ab æterno res fuit talis qualis ſignificatur per nomen relatiuum. Relatio verò Dei ad creaturam eſt temporalis accipiendo, ſecundo modo, quia creans prædicatur de Deo ex tempore. Et ad hoc quod Deus ſit creans, nihil facit noſter intellectus. Temporale ſecundum ſanctū Bona. diu. xiiij. q. j. lib. j. dicitur dupliciter. Vno modo dicitur tēporale quod habet initium & variationem & actō in tēpore. Et hoc modo dicitur tēporale quod ſubiacet tempori, & eſt corruptibile & variabile. Secūdo modo dicitur tēporale quod habet initiū in tēpore eſſendi, ſed nō variationē, vt anima. Tertio dicitur tēporale quod habet initiū in tēpore, ſed actū extra tēpus & ſupra tēpus eleuatū. Et hoc tertio modo dicitur tēporalis proceſſio & gratiæ donatio, & vt idē dicit quod gratia habet eſſe tēporale ratione eius in quo eſt, ſcilicet lib. arbi. quod mutatur & variatur. Et ſunt bona tēporalia, bona trāſitoria, vel bona fortunæ vel corporis. Et ſunt quædā merè tēporalia, quædā dedicata diuinis vſibus, quæ cultū Dei reſpiciunt in decimis & oblationibus, in beneficiis ac ſimilibus. De quibus Gerſ. par. ij. in recōmendatione licentiandorum in decretis facta Pariſiis, &c.

Tenebræ eſt priuatio lucis, quod teneant, id eſt impediāt oculos, & viſum prohibeāt. A quo tenebricoſus a, um, quod tenebras includit, vel tenebræ dicūtur lucis abſentia, vt habet Magiſt. di. xij. li. ij. Et ſecundū eum tenebrę nihil ſunt. De quo vide & S. Bona. circa textum Magiſtri ibidē. A quo tenebroſum, id eſt tenebris plenum. & tenebricor penult. correp. tenebras facio. Auguſtinus. Accedamus ad eum vt illuminemur, non quomodo ad eū acceſſerunt Iudęi vt tenebrarētur. A quo cōtenebro, obtenebro. Hiero. in li. Nume. At cōtenebrati aſcenderunt in verticem montis. Et tenebreſco, obſcurus fio. Eſt autem ſecundum Brulef. di. vlt. ar. ij. lib. iiij. duplex tenebra, ſcilicet corporalis & ſpiritualis. Tenebra corporalis eſt priuatio luminis tam primarij quàm ſecundarij. Vnde lumē primarium eſt ipſum lumen quod immediatè cauſatur à luce in corpore diaphono, vt lumen quod in aëre. Lumē ſecundariū eſt quod cauſatur à lumine, ſicut eſt vmbra. Sic patet quod differentia eſt inter vmbram, & tenebram, & lucē, & lumen, vt aliàs patet. Tenebra ſpiritualis eſt è memoria, & nihil aliud eſt quā obliuio & priuatio actus memorādi. Sunt & aliç tenebrę, ſicut peccatum dicitur tenebra, & ſic ſeptē ſunt tenebræ, ſicut ſeptem ſunt peccata mortalia. Sont autem triplices modi tenebrarum (vt ſcribit Gerſon parte iij. de verbo & hymno gloriæ.) Vnus culpæ, alius pœnæ, ſeu miſeriç. Tertius defectibilitatis naturæ. In peccatoribus primæ, in viatoribus ſecūdæ, in omnibus creaturis etiam beatis tertiæ. Sunt & tenebræ triſtitiæ, vt tenebræ exteriores, pœnæ, ſcilicet infernales. De quibus Rich. di. vlt. ar. v. q. j. lib. iiij. qui dicit, quamuis in inferno ſint tenebræ corporales, quia infernus eſt locus omnis triſtitię, ideo ſimpliciter locus tenebroſus eſt, tamen non erit ibi corporalis fletus, inquantum eſt reſolutio corporalium lachrymarum, quia talis reſolutio tunc non erit: talis enim reſolutio pertinet ad corruptibilem ſtatum, tamen erit ibi maximus dolor interior, & in facie & in oculis. Huius doloris ſignum, ſcilicet capitis turbatio & aliqua oculorum obumbratio, non vt non videant, ſed vt peius videant. Et hæc conturbatio & obnubilatio lachrymæ corporales ſecundum metaphoram dictę ſunt. Credo tamē (vt idem ait) quod poſt corporū reſumptionem ibi erit ſtridor dentium ex anguſtia magna proueniens. De illis tenebris dicitur Matth. 25. Et inutilem ſeruum proiicite in tenebras exteriores, &c.

Tenere eſt habere vel poſſidere. Vnde intellectus clarè videndo Deum, habet eum ſub ratione ſummi veri, voluntas perfectè fruendo eo, habet ipſum ſub ratione ſummi boni. Vnde tenere ſummum verum (vt ſcribit Richard. diſtinct. xlix. art. iij. qu. vij. li. iiij.) realiter, idem eſt cum clara viſione. Tenere ſummum bonum realiter, idem eſt cum perfecta ſommi boni fruitione. Tentio autē nō eſt dos ab aliis diſtincta. Nec hoc dicēs (inquit Rich.) volo dicere quod viſio & fruitio propriè loquendo ſint

ſint dotes, ſed actus dotium. Dotes enim qualitates ſunt. Vnde dos viſionis eſt quidam habitus luminoſus in intellectu, quo eleuatur ad clarè videndum Deum. Dos fruitionis eſt perfectus charitatis habitus, quo anima fruitur Deo. Vnde propriè loquendo in dotibus animæ non conſiſtit beatitudinis eſſentia, ſed in actibus eorum ad quos ordinantur, ſicut habitus ad actum. Dos autem tertia à duabus aliis diſtincta, eſt habitus perfectus, quo voluntas eſt perfectè ſecura detentionis prædictæ perpetuatione: ſine enim prædicta aſſecuratione non poteſt intelligi perfectè anima Deo coniuncta. Vnde non eſt dicendum illam aſſecuritatem eſſe excluſionem timoris tantùm: imò eſt quidam actus in voluntate reſpectu Dei ſub ratione, qua eſt ens ſummè arduum, quo excluditur omnis timor. Hæc Richardus. Sic patet ex prædictis, quod ſecundum rationem intelligendi. Primò eſt dos viſionis. Secundò eſt dos fruitionis. Tertiò eſt dos perfectæ ſecuritatis.

Teneri eſt haberi à ſuo ſuperiori prohibitionem, vel præceptum de aliquo exiſtente in inferioris libera poteſtate, vt ſcribit Petrus de Aliaco in principio in primum ſentent. Vnde vt infra idem dicit: Voluntas creata ſic tenetur ſe voluntati diuinæ conformare, vt velit quicquid Deus vult, ipſam teneri velle, & non velit quicquid Deus vult, ipſam teneri non velle: & omnis voluntas, quæ ſic ſe conformat voluntati diuinæ, eſt recta & iuſta, & nulla alia, &c.

Tendentia eſt duplex, vt ſcribit ſanctus Bonauentura diſtinct.xxvj.quæſt.iiij. in fine libr.iij. Quædam eſt tendentia plena, & iſta eſt à gratia operante vel cooperante, & hæc facit virtutem eſſe formatam. Quædam autem eſt tendentia exilis & ſemiplena: ſicut dicitur de pigro, qui vult & nō vult. Et iſta quidem tendentia poteſt dare aliquam rectitudinem & vigorem ipſi voluntati: & fortitur nomen virtutis generaliter acceptæ, non virtutis gratuitæ: & ideo tenet rationem virtutis informis, non rationem virtutis formatæ. Cùm autem dicitur, quod tendentia in Deum facit credulitatem eſſe formatam. hoc intelligitur de tendentia, quæ eſt à voluntate plenaria. Hæc autem non poteſt eſſe nec in ſpe, nec in fide, ſine gratia, &c.

Tentare. Vocabulū tentare (vt ſcribit ſanctus Bonauentura diſtinct.xxj.artic.ij.quæſt.j.lib.ij.) multas habet acceptiones: ſicut dicunt illi, qui ſignificationes vocabulorum ſtudioſi timati ſunt: ſi tamen velimus eius principalem & præcipuam ſignificationem accipere, tentare, probare eſt. Vnde dicunt Doctores: Tentare nihil aliud eſt quàm probare aliquid, vel experimentum ſumere de aliquo, vt aliquid ſciatur. Addunt aliqui priùs incognitum. Vnde ſecundum beatum Thomam parte j. quæſt.cxiiij. artic.ij. attribuitur Deo, homini, & diabolo propriè. Vnde Gloſſa Caſſio. ſuper illud Pſalm. Proba me Domine, & tenta me: dicit, Tentat Deus vt erudiat, homo vt ſciat, diabolus vt ſeducat. Attribuitur & mundo, & carni, ſed minus propriè. Vnde Iacob.1. Vnuſquiſque tentatur à ſua concupiſcentia abſtractus & illectus. Vnde ſic deſcribi poteſt generaliter: Tentare eſt experimentalem notitiā alicuius in ſe vel in alio cauſare principaliter vel occaſionaliter. Dicitur experimentalem notitiam, quia ſecundum Alexandrum parte ij. quæſt. cxvij. & ſanctum Thomam: Tentare eſt experiri. Vnde notitia, quæ per rationes acquiritur, non acquiritur tentatione. Dicitur, alicuius, ſcilicet taliter noti. Vnde ſciens aliquid per rationes, vel fidem, nihilominus tentando poteſt illud ſcire notitia cauſata per experientiam. Dicitur, in ſe propter hominem & dæmonem tentantem. Dicitur, vel in alio: quia Deus tentando non cauſat notitiam in ſe, quia notitia Dei non cauſatur cùm ſit æterna, cauſat autem in illo quem tentat vel in aliis, quos ſcire facit de tentato quod neſciebāt. Sic intelligitur omnis ſcriptura qua Deus dicitur tentare; vt aliquid ſciat, vel non quod de nouo aliquid ſciat, quod nō nouit: vel nūc aduertat quę prius nō aduertit, cū omnia immutabiliter, æternaliter ſciat antequam fiant, ſed quod aliquid tentatum, vel alios de tentato experimentaliter ſcire faciat, ſicut illud: Tentauit Dominus Abraham, Geneſ.22. Et ſequitur ibi: Nunc cognoui quod timeas Dominum, id eſt cognoſci te feci. Dicitur, principaliter propter Deum, hominem, vel diabolum, qui ex intentione cognoſcendi aliquid de aliquo tentat. Dicitur, vel occaſionaliter propter carnem, quæ tentare dicitur inquantū cognoſci poteſt per carnis concupiſcentiam pulſantem, vel mundum aduerſis repellentem, vel proſperis allicientem, qualis ſit homo an virtute conſtans an mobilis, & his diabolus frequenter vtitur ad tentandum. Hæc Gabriel di.xxj.q.vnica, lib.ij. & lectione lxxvij. canonis. quem & latiùs vide. Et tentare à teneo deducitur. Eſt enim tentare, experiri & exquirere, vel quaſi rem manu tenere, vel rem non intellectam atque incertam aggredi, hoc eſt experiri & diligenter inquirere. Vnde Ouidius in Metamorph.

Quid tentare nocebit?

Vel ſecundū aliquos dicitur à tendo. Nam qui tentant quaſi manum vel aliam corporis partem tendunt. A quo venit tentans, & tentator, & tentatio. Et tentans quandoque tentando (ſecundum S.Bonauen.) intendit probare vel approbare ſiue probatū oſtendere: hoc modo tentat Deus vt tentatū ſcire faciat & experimentaliter cognoſcere ſeipſum. Sicut dicitur: De vtroque tentat vos Dominus Deus veſter, vt palàm fiat vtrū diligatis eum an non in toto corde veſtro. Et Sapien. 3. Deus tentauit illos, & inuenit eos dignos ſe, tanquam aurum in fornace probauit eos. Et quandoque Deus tentat per flagella, per quæ probat illos quos acceptat & probatos oſtendit, vt dicit idem Bonauentura diſtinct. xxiij. libr. ij. quæſt.iij. Et ſic quandoque finis tentationis ordinatur in alium finem bonum vel malum. Item ſecundo tentans intendit reprobum facere: ſic tentat diabolus, vt peccatum inducat, ſecundum illud Actuum quinto: Cur tentauit cor tuum Satanas mentiri Spiritui ſancto, & fraudari de precio agri? Aut tertiò quia intendit tentans ſolùm experimentum ſumere eius quem tentat, vt ſciat quid ſit in eo: ſic homo tentat hominem ſe vel alium, ſicut habetur primo Regum decimoſeptimo, de Dauid dicitur: Cœpit tentare ſi armatus poſſet incedere. Et

3.Reg.10.Venit Regina Saba tentare Salomonem in ænigmatibus. Sic magiſter tentat diſcipulum: ſic nonnulli tentant Dominũ, qui quaſi incerti experiri volũt Dei virtutẽ. Contra quos dicitur: Non tentabis Dominũ Deum tuũ. Deute.6. Sic prorraſtinás pœnitentiá, tentat Deum, vt vult Gerſ.part. iiij.ſermone Dominicæ 1. Quadrageſ. Aut quarto ſi pulſans non intendat: tamen ad eius pulſationẽ ſequitur approbatio vel reprobatio hominis: ſic caro tentat, quia ad eius titillationem probatur homo ſi reſiſtit, vel reprobatur ſi conſentit. Sic Iacob.1. Vnuſquiſque tentatur à ſua concupiſcentia, &cæ. Sic de mundo dicitur Hebr.11. Lapidati ſunt, tentati ſunt, ſecti ſunt, &c. Hæc enim ſancti à tyrannis huius ſeculi paſsi ſunt. Et Sapient.14. Creaturæ Dei factæ ſunt in odium & in tentationem animæ hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium. Sic tentare capitur indifferenter in bono & in malo. Aliquando capitur tentare tantùm in malo. Sic dicitur Iacobi 1. Nemo cum tentatur dicat, quoniam à Deo tentatur: hoc de tentatione ad malum intelligitur. Vnde ſequitur: Deus eſt intentator malorum. Ipſe autem neminem tentat. Illo modo diffinit tentationem Caſsio. Tentatio eſt aſsimilatio boni ad fallendũ. Et Hugo: Tentare eſt callidè experiri: & quaſi quibuſdam blandis conatibus ante violẽtam pulſationem probare. Accipiendo autem ſic tentare in malo, eſt officium proprium diaboli, ſicut dicit Gloſſa interli.1.Theſſal.3.ſuper illud: Ne fortè tentet vos is, qui tentat. Gloſſ. id eſt ſolus diabolus, cuius officium eſt tentare. Nam ſi homo aliquando ſic tentat, hoc agit inquantum eſt miniſter diaboli, &c. Multa de tentatione ſcribit Alexander de Ales parte ij. q.cxvij. membro vj. quæ licèt in diuerſa genera cauſarum diuidi poſsit, tamen ſecundum Magiſtrum di.xxj. libr.ij. ponitur duplex tentatio, ſcilicet exterior & interior. De quo legatur Gabriẽl diſtinct.xxj.qu. vnica, libr.ij. & in canone ſuo, vbi ſupra. ſanctus Bonauentura di.xxj.lib.ij. circa textum, ponit plures tentationis diuiſiones. Sed videamus priùs quid ſit tentatio, & poſtea eius ſpecies.

Tentatio (vt ſcribit Brulefer di.xxj. q.j.libr.ij.) eſt quidam motus vel actus natus inclinare ad aliquod illicitum, procedens à tentatore, vt ſumat experimentum de bonitate vel malitia tentati. Et omnis tentatio eſt actus defectuoſus .propriè capiendo. Nam impropriè & Deus tentat (vt dictũ eſt) propriè verò non tentat: quia intentator eſt malorum. Iacob.1. Solus autem diabolus & homo ſolus poteſt tentare hominem: quia homo tentat hominem quando verbo vel facto oſtendit aliqua viſibiliter, ex quibus homo inclinatur ad malum. Diabolus tentat inuiſibiliter, quando proponit nobis phantaſmata inclinatiua ad malum. Sed quod Deus tentauit Abraham, ibi tentatio capitur largè & ſimilitudinariè. quia reddidit fidem Abrahæ indubiam. Brulefer. Tentatio ſecundum beatum Thom.ij.ij. q.xcvij. art.j. eſt experimenti ſumptio de eo quod tentatur an ſciat, vel poſsit, vel velit. Et ſecundum Hugonem de clauſtro animæ quatuor ſunt cauſæ tentationum. Prima eſt loci amœnitas, vt ciuitates & oppida, quæ nõ tantùm ex ſitu loci amœnitatem recipiunt, ſed ex inhabitantiũ gratia. Secunda cauſa eſt locus diuitiarum: vbi enim diuitiæ, ibi periculum. Tertia cauſa eſt precioſus ornatus, vt eſt equorum cura pinguium, & veſtimentorũ exquiſitæ varietates. Quarta cauſa mulierũ ſpecies, quarum vox blanditur auribus, & facies oculis.

Tentatio eſt triplex ſecundum ſanctum Bonauent. diſt.xxiij.q.iij.lib.ij.& ex præ dictis haberi poteſt. Vna eſt à Deo, alia à diabolo, alia à carne. Prima ſimpliciter eſt appetenda, quia Deus nõ tentat nos niſi ad bonũ. Alia quæ eſt à carne, quæ eſt impulſus ſenſualitatis, quem conſueuimus appellare primum motum. Hæc eſt (vt inquit Bona.) ſimpliciter fugienda, quia illa non poteſt eſſe abſque peccato. Tertia verò à diabolo, aliquibus fugienda eſt, aliquibus appetẽda. His enim qui virtute fortes ſunt, nec de facili in tentationẽ induci poſſunt: & ſi tentantur, appetibile eſt tentari, ad ſuæ virtutis exercitium, & cumulum meritorum: infirmis verò minimè eſt appetenda, quia timere poſſunt ne ex ipſo impulſu in tentationem inducantur, quod omnes debent refugere. Nam & ſi tentari malum nõ ſit, in tentationem tamen induci ſemper malum eſt, quia hoc eſt à tentatione ſuperari. Et hoc eſt quod dicit Auguſt.xiiij.de Ciuit.Dei: Sicut ſe habet firmitas & infirmitas electorum, ſic metuunt, cupiuntq́; tentari. Bonum autem eſt tentari ſi reſiſtitur, ſicut faciunt viri iuſti, fortes, & qui charitate feruẽt. Vnde Iacob.1. Omne gaudium exiſtimate fratres, cùm in varias tentationes incideritis. Et in Pſal. Proba me Domine, & tenta. Et 1.Corinth.10. Faciet cum tentatione prouentum. Sed infirmis non eſt petenda. Vnde dicitur Matth.26. Vigilate & orate ne intretis in tentationem. Diabolus quoque deſiderat nos tentare & vincere, qui noſtræ ſaluti eſt aduerſarius: quare minimè appetẽda eſt infirmis tentatio. Illud tamen genus tentationis (vt dicit ſanctus Bona.) potiſsimè appetunt viri iuſti, quod eſt in flagellorum perpeſsione: ſicut paſſus eſt Iob & Tobias: ſicut etiam paſsi ſunt Martyres ab impiis zelo diabolico excitati, &c.

Tentatio eſt duplex, exterior & interior, vt notat Gabriẽl d.xxj.q.vnica.lib.ij.& lectione lxxvij. canonis. ſanctus Bonauentura d.xxj.lib.ij.&c. Tentatio exterior eſt quando nobis extrinſecus malum viſibiliter ſuggeritur verbo vel ſigno aliquo, vt tentatus ad conſenſum peccati declinet. Tentatio interior eſt, quando inuiſibiliter nobis malum intrinſecus ſuggeritur. Et viſibiliter in prima tentatione capitur generaliter pro ſenſibiliter. Vnde per omnem ſenſum cõtingit eſſe exteriorem tentationem, maximè tamen per viſum mediante ſigno, & per auditum mediante verbo. Eſt ergo tentatio exterior oſtenſio alicuius obiecti ſenſibilis à virtute exteriori, vt apprehendens ad peccatum alliciatur: hanc dicunt ſemper eſſe à diabolo, quod verum eſt mediatè vel immediatè: frequenter enim tentat per malos homines & creaturas mundanas, quibus vtitur tanquam inſtrumentis. Tentatio interior eſt motio hominis ad peccati conſenſum, orta ab aliqua virtute interiori: ſiue ſenſibili obiecto exteriori, vt cùm oritur ex imaginatione, intellectu, aut motiua virtute. Illa (vt dicit Magiſter) quandoque ſit ab hoſte, aliquando

à carne

à carne ſpiritui rebellante. Hanc interiorem tentationem, quæ fit à carne, dicit Magiſter non eſſe ſine peccato: quia titillatio quam caro mouet, motus eſt beſtialis & illicitus: ideo non ſine peccato veniali. Si auertit ſe, eſt veniale: ſi autem non auertit ſe, & aduertit periculum quod eſt ibi, nec timet, ſed ſcienter & voluntariè manet in tali cogitatione, ſeu cogitationis delectatione, tempore peccat mortaliter, vt vult Gerſon parte ij. in quibuſdam quæſtionibus cum ſuis reſponſionibus.

Et quoniam tentatio à carne internus oppugnans de noſtro contra nos roboratur: ideo difficilius vincitur. Tentatio autem quæ fit ab hoſte, non habet peccatum neceſſariò annexum, niſi ei conſentiatur, ſed eſt materia exercendæ virtutis.

Et quantumcunque quis tentetur hac tentatione, quamdiu ratio contradicit, nec conſentit, charitatem non amittit, vt vult & Gerſon tract. de remediis contra puſillanimitatem. Imò vt idem vult, ſi tentatus acriter reſiſtit, multum meretur. Nam quicunque peccato tentaris præ aliis acrius, tantò ſi legitimè certaueris, coronaberis à Deo glorioſius. Et tentatus habebis præmium duplex, vbi non tentatus præmium es habiturus ſimplex.

Et quantò plus ſentis alicuius peccati fatigationem, tantò amplius ſi non conſentias, conſequeris inde peccatorum tuorum purgationem. Et quia in huiuſmodi conflictu cùm quis tentatur, contingit vt plura cõmittantur venialia: ita etiam econtrario cõtingit, ſecundum Doctores communiter, vt pœna illa quam ſuſtinet in reſiſtendo deleat pœnam venialibus debitam ex vna parte, & ex alia parte creſcat meritum, propter pugnam contra vitia, & laborem pro virtutibus. Hæc Gerſon. Vnde Iacobi primo dicitur: Beatus vir qui ſuffert tentationem, quia cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromittit Deus omnibus diligentibus ſe. Hinc Auguſtinus ſuper Pſalm. Vita noſtra in hac peregrinatione non poteſt eſſe ſine peccato, ſine tentatione: quia profectus noſter per tentationem noſtram fit: nec ſibi quiſquam innoteſcit niſi tentatus: nec poteſt coronari, niſi vicerit: nec poteſt vincere, niſi certauerit: nec poteſt certare, niſi inimicum & tentationes habuerit. Et Pſalm. 61. Tantum admittitur diabolus tentare quantum tibi prodeſt, vt exercearis, vt proberis, vt qui te neſciebas, à teipſo inueniaris. Hoſtis autem noſter (vt loquit Gregorius libro xxiiij. Moral.) quantò magis ſibi rebellare conſpicit, tantò amplius ex pugna contendit.

Eos enim pullare negligit, quos quietò iure ſe poſſidere ſentit. Sed vt ait Ioannes Chryſoſtomus ſuper illud Matth. 4. Mitte te deorſum: Diabolus ſuggerere poteſt, cogere non poteſt. Hinc Bernardus ſermone xxxix. Poteſt inimicus excitare tentationis motum, ſed in te eſt, ſi volueris dare ſeu negare conſilium vel conſenſum, &c. Nulla autem (vt ait Leo Papa in ſermone xxxv.) ſine tentationum experimento opera virtutis, nulla ſine perturbationibus fides, nullum ſine hoſte certamen, nulla ſine congreſſione victoria. Sed qui ad vitia aliqua inchoatus eſt, & pronior exiſtit, difficilius his reſiſtit, ſi huiuſcemodi tentatur: de quo Gabriël diſtinct. xxj. quæſt. vnica, libr. ij. & ſanctus Bonauentura. Et quamuis hoſtis ſit fortior & callidior, &cæ. tamen non permittitur tentare ſecundum totam ſuam potentiam & aſtutiam, ſed reprimitur poteſtate diuina & etiam Angelica: non autem quælibet hominis peccata ſunt à dæmone tanquam à cauſa directa & immediata, quia non omnia peccata committuntur diabolo immediatè inſtigante. Multa enim fiunt à libero arbitrio & carnis corruptione, vt licet videre latiùs apud Gabriëlem. Verum autem eſt (vt idem ait) quod omne peccatum hominis mediatè vel immediatè oritur ex tentatione dæmonis, quia dæmon eſt cauſa mediata omnis peccati: quia inſtigauit primum hominem ad peccandum, ex cuius peccato in toto genere humano conſecuta eſt quædam pronitas ad omnia peccata. Vnde Hieronymus ſuper illo Pſalm. Declina à malo, & fac bonum, ait: Mala omnia ab inſtinctu diaboli procedunt, ſicut bona ab inſtinctu Dei. Verum mala omnia ab inſtinctu diaboli mediatè vel immediatè. A Deo autem bona omnia immediatè procedunt. Eſt enim Deus cauſa immediata omnium effectuum poſitiuorũ, vt & ſupra dictum eſt in dictione *Cauſa*. Vide latiùs de hoc Gabriëlem vbi ſupra. Proceſſus autem tentationis & delectationis, vt ſcribit frater Pelbartus libr. ij. Roſarij Theologiæ in dictione *Senſualitas* .§. ix. eſt. Primò delectabile offertur ſeu percipitur: & ſic incipit tentatio à ſenſualitate, quæ ante perceptionem delectationis primò mouet. Secundò huiuſmodi delectatio, quæ eſt in ſenſualitate aduertitur per inferiorem partem rationis, quæ habet percipere & diiudicare, & interiores motus quod non eſt partis ſenſitiuæ. Tertiò in id ad quod delectatio allicit vel trahit, conſentitur per ſuperiorem partem rationis. In primò nullum eſt peccatum, quia naturale eſt ſenſualitati ipſi apprehendere delectabile, nec eius motus inordinatus eſt in poteſtate voluntatis. Auguſtinus: Non eſt noſtrûm (ait) poſſe quibus viſis tangamur. Vnde & 7. Ethicorum dicitur: Quod operationes beſtiæ prauæ ſunt ex ipſa natura. Sed ex tertio Ethicorum dicitur: Propter ea quæ inſunt nobis ex natura, nec laudamur nec vituperamur. In ſecundo poteſt eſſe peccatum veniale: & in tertio mortale. Hæc Pelbartus cum ſuo Guilelmo. Aſtipulatur Iacobus de Valentia ſuper illud Pſalm. 90. Non timebis à timore nocturno. Tentatio ſiue peccatum conſiſtit in quatuor gradibus. Nam primò præcedit cogitatio. Secundò ſequitur propoſitum. Tertiò actus peccandi. Quartò proſecutio. Quod autem multæ ſiot tentationes & etiam remedia contra eas, oſtendit tibi Gerſon, qui & multa de tentatione literis mandauit: ſed hæc pauca ſufficiant, & cætera. Vide & de remediis contra fraudes tentatoris apud Gabriëlem lectione lxxvij. canonis: qui plura adducit, quæ breuitatis gratia omitto. Legito ſi volueris apud eundem.

Tentari & in tentationẽ duci, differũt ſecũdũ Bernard. (vt refert Gabr. lect. lxxviij. cano.) Tentatur quilibet quãdo in anima aut corpore in delectatione alicuius vitij titillatur. Inducitur in tentationem ſi ſuæ cœperit delectationi conſentire. Et beatus

Cyprianus: Non petimus ne ducamur in tentationem, ſed ne inducamur. Aliud quidem eſt in tentationem duci, aliud induci. In tentationem ducitur, qui tentatione pulſatur. In tentationem inducitur, qui tentationi ſuccumbit, & ab ea ſuperatur. Induci etiam eſt intus duci & ſuccumbere, & tentationi præbere conſenſum.

Tentio (vt ſcribit Scotus di. xlix. qu. vj. in fine libri iiij.) quadrupliciter accipi poteſt. Vno modo propriè, vt memoria tenet obiectum: & hoc vel per formam impreſſam ſi eſt ibi obiectum in ſpecie, vel per habitum impreſſum, vel ſaltem per illapſum vel exiſtentiam ſaltem eodem modo tenet, quo obiectum concurrit ad rationem parentis. Alio modo poteſt intelligentia dici tenere obiectum in actuali conſideratione: & ad hoc poteſt pertinere, quod voluntas dicitur tenere aciem intelligentiæ conuerſam ad memoriam. Tertio modo tentio pertinet ad voluntatem, vt eſt concupiſcibilis, & dicitur ſuccedere ſpei, eo modo quo per ſpem voluntas deſiderat ſibi bonum habendum, & per tentionem amat illud bonum habitum, & illa tentio eſt amor concupiſcentiæ boni præſentis. Quarto modo tentio dicitur eſſe quidam actus aſſecutionis vel paſsio conſequens ſpem paſsionem, & illo modo non eſt in iraſcibili: nullo illorum modorum eſt tentio de eſſentia beatitudinis. Primo modo præcedit beatitudinem, imò omnem actum ſecundum. Secundo modo eſt actus pertinens ad intellectum, & præmium beatitudini, quæ eſt in voluntate vel actus volũtatis reſpectu actus præuij. Tertio modo eſt amor boni commodi præſentis: & ille amor non pertinet ad beatitudinem, ſed amor boni honeſti, vel boni in ſe. Quarto modo eſt in iraſcibili, & illo modo magis appropinquat ad ſecuritatem, quæ ſuccedit ſpei paſsioni, non ſpei virtuti. Hæc Scotus vbi ſupra.

Terminus propriè ſignum dicitur quo ager ab agro diuiditur, nonnunquam pro fine accipitur. Sic Cicero accipit, cùm dicit: Quum nullum tot calamitatibus atque ærumnis terminum inueniremus. Vocant & Dialectici terminos dictiones, ex quibus orationes cõſtituuntur. Dicunt quoque quod terminus eſt ſignũ orationis conſtitutiuũ, vt pars propinqua eiuſdẽ, & quælibet ars vel ſciẽtia habet ſuos terminos. Et terminis vſitatis in diuinis vel in ſacra ſcriptura vtendum eſſe, dicit Gerſon parte iiij. lectionis ij. quæ incipit: Pœnitemini. conſideratione vj. Quamobrem (vt ipſe inquit) dum terminos quoſdã apud aliquem ex Doctoribus approbatis inueniamus, non vſitatos in ſchola, illos introducere nõ debemus, niſi pia & reuerenti reſolutione præuia, vt dicẽdo: Terminus iſto à tali ſic accipiebatur, qui, ſcilicet vſus, vel quia vſus communis aliter accipit, cauenda eſt audientium offenſio in diuinis. Exempli gratia: Nihil prius aut poſterius, nihil maius aut minus: hæc eſt fides catholica. Si Doctores vſi ſunt terminis prioritatẽ aut maioritatẽ ſignantibus in diuinis, protinus eos reſoluere oportet. Ad hanc vnicam (vt idem ait) & ſtabilem fidei regulam, quod Filius eſt à Patre, & Spiritus ſanctus eſt à Patre & Filio, & Pater à nullo: & quod in diuinis omnia ſunt idem, vbi nõ obuiat relationis oppoſitio, ſi mille millia terminorum adduxeris ad explicandum hoc fidei ſecretum, nihil amplius (ſi non vis errare) cognoſces quàm iſtam vnicam, & pauciſsimis verbis explicatam veritatem. Auguſtinus, Damaſcenus, & venerabilis Richardus, nomen hoc cauſa in diuinis admiſerunt: Pater eſt cauſa Filij. Hilarius dicit, quod Pater maior eſt auctoritate. Auguſtinus in Confeſsionibus ponit in Deo gradus & ordinem, dicit Deum aſſumpſiſſe hominem: imò hoc Eccleſiæ canticum ſolenne habet: Tu ad liberandũ ſuſcepturus hominem, &c. Et hoc modo de multis aliis apud iſtos & alios exempla ſuppetunt. Attamen Scotus in inquiſitione veritatis, vbi præciſiſsima ſobrietate loqui conuenit: neque debet, nec fas habet tales afferre terminos prohibente hanc audaciam, ratione & ſuperioris auctoritate. Datur ergo regula à Gerſone generalis, quod nullus terminus admittendus eſt in diuinis, qui vel diſtinctionem importet vel primæuitatem, niſi ſolam diſtinctionem & prioritatem originis, & quod hanc dicat abſque importatione, vel connotatione imperfectionis cuiuſcunque, vel diſsimilitudinis, vel inæqualitatis in ſuo correlatiuo. Ex hac regula liquidum eſt, quod pauci termini ſignantes prioritatem quamcunque in humanis, trahendi ſunt ad diuina. Cuius ratio eſt, quia ferè ſemper in humanis conſignãt imperfectionem, vel inæqualitatem, vel diſsimilitudinem. Quod ſi quis dixerit quod ipſe dum terminos aliquos transfert ad diuina, illos denudat ab omni imperfectione connotata per eos. Reſpõdeo (inquit Gerſ.) quod ſic agendo non errat in ſciẽtia, ſed licentiã vſurpat quam nõ debet: alioquin nullus eſt terminus, qui nõ traduci poſsit ad diuina. Vnde quid minus dici poteſt, q̃ quod pater eſt Dominus filij, quod eſt caput eius, quod eſt rector eius: & tamen ſi terminos iſtos Dominus, caput, rector, magiſter, reſolueremus, quod ſignarent tantummodo primæuitatem originatiuã quam habet reſpectu filij, ſecluſa imperfectione per correlatiua iſtorum terminorum importata, nullus dubitaret de iſtius ſcientiæ veritate, quoniam in eandem cadit nobiſcum confeſsionem. Hæc Gerſon, quem & latius videre potes de hoc.

Terminus vt eſt primæ impoſitionis generaliter, dicitur illud, quod terminat ſiue quietat tendentiam, vel reſpectum alicuius in aliquod: & ideo ſecundum diuerſos modos tendendi aliud & aliud, eſt de ratione termini. Alia itaque eſt tendentia per productionem, per eam enim producens tendit ad eſſe rei ſimpliciter. Alia eſt per tranſmutationem: nam per eam tendit tranſmutans ad æquale eſſe. Alia eſt tendentia per relationem, per eam etenim relatiuum tendit, reſpicit vel refertur ad ſuum correlatiuum. Gabriel diſtinct. v. quæſt. iij. art. j. lib. j. Et ſecundum hoc (vt idem dicit) terminus productionis actiuæ eſt, quod capit eſſe ſimpliciter tali productione diſtinctũ aliquo modo à productione. Terminus tranſmutationis eſt quod capit aliquale eſſe, vt eſſe in alio vel eſſe quantum, vel eſſe quale, & cætera. Terminus relationis eſt correlatiuum. Terminus verò totalis productionis actiuæ eſt (vt idẽ dicit Gab.) quod recipit eſſe ſimpliciter tali productione diſtinctum ab ea, & non eſt pars

alterius

alterius illa productione producti, vt in generatione compoſiti ſubſtantialis, totum compoſitũ eſt terminus totalis, quia totum cõpoſitum per illam generationem recipit eſſe ſimpliciter, quia circunſcripta generatione ſimpliciter non eſſet: licèt non recipiat eſſe ſecũdum ſe, & quodlibet ſui, quia non ſecundum materiam. In tali generatione ſubſtantiali forma non eſt terminus totalis, ſed in mutatione aſini. Aſinus partialis præciſe per nutritionem genitus eſt terminus totalis, licèt ſit pars totius aſini, quia non eſt pars producti illa nutritione. Terminus autem formalis productionis eſt, quod ipſa productione recipit eſſe ſimpliciter ſecundum ſe & quodlibet ſui: ita quod nihil ipſius ſit, quod non recipit eſſe huiuſmodi productione. Et non dicitur terminus formalis, quia eſt forma. Nam in creatione materiæ, materia eſt terminus formalis. Item in productione rei ſimplicis idem eſt terminus totalis & formalis, vt in creatione Angeli. Sed ſi compoſitum ſubſtantiale crearetur ſecundum ſe, & quodlibet ſui, hoc eſt materia & forma, tam materia quàm forma, quàm totum compoſitum eſſet terminus formalis. Nec eſt conueniens alicuius productionis (qua plura producuntur) plures eſſe terminos formales: licèt ſit tantùm vnus terminus totalis, ratione cuius dicitur vna creatio totalis, licèt plures partiales. Rem latiùs declarat Gabriël vbi ſupra. De quo videatur & Dominus Cardinalis Cameracenſis quæſt. vij. libr. j. ſententiarum. De quo conſulas Phyſicos. Et terminus formalis eſt terminus ſuperior ad terminum totalem, quia omnis terminus totalis eſt formalis, eò quòd nihil ipſius eſt quod non recipiat eſſe illa productione: ſed non econuerſo, quia forma ſubſtantialis eſt terminus formalis generationis ſubſtantialis & non totalis. Et hoc verum eſt in productione, ſecùs in mutatione ſeu alteratione, vt calefactione, cuius terminus totalis eſt aggregatum ex ſubiecto & qualitate adquiſita, & hoc non eſt terminus formalis: quia non quicquid habet, recipit illa mutatione, quia non materiam, nec formam ſubſtantialem, &c. Sed quo ad Theologiam terminus formalis productionis filij non diſtinguitur à termino totali. Nam perſona filij eſt terminus totalis, quia producta, & nullius eſt pars. Et eſt terminus formalis, quia quicquid eſt & habet, recipit per generationem, ſecundũ B. Auguſtinum. Et licèt non quicquid eſt filij, recipit eſſe ſimpliciter per productionem, eò quòd eſſentiam, quæ eſt filij, ſeu filius non recipit eſſe per productionem filij, quia eſt in patre: tamen eam filius recipit per ſui productionem. Et ibidem Gabriël dicit: Filius eſt terminus generationis actiuæ relationis, pater verò eſt terminus generationis, vt relationis paſsiuę: quia correlatiuum filij. ſic eſſe terminum, non eſt accipere eſſe rei, ſed eſſe correlatiuum. In nutritione verò hominis (vt ibidem refert) homo partialis de nouo productus eſt terminus formalis & etiam totalis: & nec materia, nec forma, quia nec materia, nec forma capit eſſe ſimpliciter eſſe per mutationem, eò quòd vtraque pręfuerunt: tamen producitur ibi nouus homo partialis, ſcilicet illud præciſe conſtitutum ex materia nutrimenti continuata, materia hominis nutriti, & forma & anima, ſcilicet rationali ipſam de nouo informante. Et eſſentia non eſt terminus formalis generationis, quia eſſentia non habet eſſe ſimpliciter per generationem. Sed terminus formalis productionis in diuinis eſt perſona producta, non diſtinguendo terminum formalem à totali. Et generationis diuinæ idem eſt terminus formalis & totalis. Gabriël vbi ſupra. & Camerac. quæſt. vij. libr. j. Et vt idem dicit Gabriël, iſti termini principium, priùs origine producens, generans, ſpirans, idem important, & non differunt, niſi ſint ſuperius & inferius. Et ideo ſicut conceditur, quod pater verè & realiter eſt prior origine filio: nec quantum ad rem aliquid aliud importatur per vnam quod non importatur per aliam.

Terminus relationis propriè nihil aliud eſt quàm correlatiuum, hoc eſt concretum relatiuum, ad quod refertur relatiuum ſub habitudine obliqui caſus, vt terminus relationis paternitatis eſt ille terminus filius, quia pater eſt filij pater. Attamen ille terminus ſignificat rem abſolutam. Vnde terminus illius relationis creatura eſt ille terminus creans, Deus tamen qui ſignificatur per creans eſt abſolutum: & quandoque vocatur res abſoluta terminus, licèt impropriè. Gabriël di. xxx. q. v. lib. j.

Terminus quãdoq; (vt & dictum eſt) accipitur pro fine. Vnde terminus vitæ præſentis, dicitur inſtans ſeparationis animæ à corpore, quo deſinit moriens eſſe homo, quod eſt primum non eſſe hominis (vt ſcribit Gabriël diſtinct. xx. quæſt. vnica, artic. j. libr. iiij.) Cùm enim hæc ſeparatio fiat ſucceſsiuè, terminatur per primum non eſſe, vt declarari ſolet 6. Phyſicorum. Et quoniam vſus rationis ac liberi arbitrij rarò durat vſque ad hoc inſtans: patet, quod non eſt idem terminus vſus rationis & vitæ præſentis. Et tempus ſalutaris pœnitentiæ durat vſque ad terminum præſentis vitæ, vt habet Magiſter diſtinct. xx. libr. iiij. Nam impietas impij non nocebit ei in quacunque die conuerſus fuerit ab impietate ſua, dicit Ezech. 33. Per pœnitentiam quoque veram homo ſufficienter diſponitur ad gratiæ receptionem, & facit quod in ſe eſt. Ergo quandocunque homo habet veram pœnitentiam, conſequitur gratiam, ſiue in extremis, ſiue in alio tempore: nec eſt maior ratio de vno tempore quàm de alio. Quamuis autem vera pœnitentia quandocunque habetur vſque ad inſtans mortis ad ſalutem, ſufficit: tamen non ſemper in mortis articulo haberi poterit. Nam vera pœnitentia non poteſt haberi tempore impeditæ rationis, quia arbitrij libertatem quærit Deus in pœnitente, quæ haberi non poteſt impedita ratione, ſed frequenter rationis vſus ceſſat ante inſtans mortis: ergo tunc cùm ratio deficit, pœnitentia haberi non poteſt. Quare periculoſum eſt & interitui vicinum ad mortem protrahere pœnitentiæ remedium, vt oſtendit beatus Auguſtinus, & Scotus, & Gabriël poſt eos vbi ſupra. & dictum eſt etiam in dictione *Pœnitentia*. Et rationes ponit Scotus, quas & refert ibidem Gabriël, vide, &c.

Terminatum, Aliquid poteſt dici terminatũ dupliciter (vt ſcribit Bruleſ. d. ix. q. iiij. li. j.) Primò, quia eſt perfectum, ſic dicit perfectionem & excludit imperfe-

imperfectioné: & ſic domus quando ſit, dicitur terminata. Alio modo aliquid dicitur terminatú, quia eſt habens, vel quia habet finem durationis: & ſic dicit deſitionem excludens durationem. Et ſic dicitur vita hominis terminari in morte. Et primo modo generatio filij Dei eſt terminata, prout terminata excludit imperfectionem, quia eſt perfectiſsima, ſed prout terminata excludit durationé, generatio filij Dei nő eſt terminata, quia illud non eſt terminatú quod adhuc durat: ſed generatio filij Dei adhuc durat: ergo non eſt terminata ſecundo modo.

Terra. Nomine terræ in ſcriptura intelligitur materia corporalium. Intelligitur etiam elementū terræ, vt ſcribit S. Bonauen. d. ij. in dubiis literalibus li. ij. Si terra accipitur pro materia informi: ſic rectè dicitur: In principio Domine terrā fundaſti, id eſt in principio feciſti materiam informem quaſi fundamentū omnium formarú. Si auté nomine terræ intelligitur elementú terræ, tunc verú eſt quod terra fundata dicitur propter ſui ſtabilitatem, ſecundú illud Eccle. 1. Generatio præterit & generatio aduenit: terra auté in æternū ſtat. Hoc elementū, ſcilicet terræ. & dicitur fundatú, & dicitur appéſum fundatú ſuper ſtabilitaté ſuá, & fundatú etiā ſuper aquas. Fundamentum dicitur, quia ſicut fundamentū eſt infimú inter omnes partes domus, ſic terra eſt infimum inter omnia corpora mundi, & in centro exiſtens tenet locum fundamenti. Et cum virtute propria ſibi diuinitus data centrum appetat, vt in centro requieſcat, fundata dicitur ſuper ſtabilitatem ſuam, &c. Vide latiùs Bonauen. Et terra ſecundum Ioannem Damaſcenú eſt vnum quatuor elementorum ſiccum & frigidum, & graue, & immobile, à Deo ex non ente ad eſſe prima die deductú. Et terræmotus cauſatur principaliter à Deo, ſecundario autem à vento impellente alium ventum intra terram, ſecundum B. Thom. ſuper Pſalm. 12.

Terror eſt metus contingés, ex quo fit vt pudorem rubor, ſic ruborem pallor & tremor, & dentium crepitus conſequitur: & venit à terreo. A quo terrificus, terrorem faciens: & terribilis, id eſt formidabilis atque horrendus.

Teſtamentum propriè eſt percipiendæ hæreditatis inſtitutio, filiis à patre. Ideo primò pertinet ad promiſsiones: ſecundò ad mandata, quæ ſe habent ſicut via ad conſequendam hæreditatem promiſſam: ex B. Thom. par. iij. q. lxxviij. ar. iij. Et teſtamentū dicitur quod volútatis noſtræ veluti teſtimoniū ſit: vnde vltima voluntas & ſuprema voluntas appellatur. Quare Vlpianus ſic diffiuit, quod ſit voluntatis noſtræ iuſta ſententia de eo quod poſt mortem noſtram fieri voluerimus. Addit frater Oſualdus de Lasko libr. iiij. Roſarij Theologiæ, cum hæredis inſtitutione. Et teſtaturus ante omnia habeat gloriam Dei præ oculis ſuis, non vanitatem ſeculi, non memoriam nominis protinus morituri, meminerit ſemper Apoſtoli dicentis: Omnia in gloriam Dei facite. Et illud Pſalm. Non nobis Domine, non nobis: ſed nomini tuo da gloriam. Teſtaturus ex iſto principio conſideret non quod vtilius ſit reipublicæ ſeu bono communi, dum ordinat de rebus ſuis, ſed quod inſuper cedet amplius ad honoré Dei & cultus Chriſtiani, vt ſcribit Gerſon parte ij. de condendo teſtamento. Et ſi habeat aliquid teſtator diſtribuendum, ſicut libros, conſideret teſtator (vt idem ait) qualiter & quibus diſtribuet, iuxta qualitatem recipientium, aut committat diſtributionem ſeu venditionem ſi opus eſt illis, de quibus confidit, quatenus vno (ſicut dicitur) ictu ſe expediat. Conſideret & ad extremum teſtator, quoniam bonorum noſtrorum non indiget Dominus, faciet ipſe nutrire pauperes, faciet Eccleſias, faciet Collegia, faciet Monaſteria, faciet Conuentus & Hoſpitalia, quando, quomodo & vbi placuerat ei, & non glorietur ante ipſum ſtulta præſumptio omnis carnis: vult nihilominus & dignatur quod coadiutores eius ſimus ad vtilitatem non ſuam, ſed noſtram. Hæc Gerſon, qui & de condendo teſtamento eſt prolixior.

Teſtamentum quoddam eſt falſum, quoddam irritum. Teſtamentum falſum illud dicitur, quod non eſt ſecundum teſtatoris voluntatem ſcriptum, ſed habet aliquod additum, vel diminutum, vel mutatum, vel aliud pro alio ſuppoſitum. Irritum autem teſtamentum eſt, quod de iure inualidum eſt, vt ſi is qui teſtatur ſit capite diminutus, vel ſi alia requiſita defuerint. Sunt præterea duæ teſtamentorum ſpecies, vt ſcribit frater Oſualdus libr. iiij. Roſarij Theolog. Vna dicitur teſtamentum nuncupatiuum, & ſine ſcriptis, & eſt illud, in quo teſtatoris & hæredis, & legatariorum nomina, & omnia quæ in eis continentur coram teſtibus nuncupantur, id eſt manifeſtantur: & dicitur ſine ſcriptis, id eſt ſubſcriptione teſtiū, & aliis ſolemnitatibus, quæ requiruntur in teſtaméto in ſcriptis facti: & ſine omni ſcriptura poteſt quis teſtificare nuncupatiuè coram teſtibus. Secundum dicitur teſtamentum in ſcriptis, & iſtud poteſt facere quis quādo non vult, quod aliquis ſciat ſuam diſpoſitionem, ſic dicendo coram notario & teſtibus. Volo quod hæres meus faciet per omnia, vt cōtinetur in quadam mea ſchedula ſcripta manu mea, quæ eſt apud talem religioſum, & valebit. Sed tutius eſt coram notario, & teſtibus, ſaltem ſeptem, &c. Poteſt autem omnis facere teſtamentum qui non prohibetur. Prohibentur autem xviij. genera perſonarum. Primò furioſus, qui non habet lucida interualla: extra de teſta. cap. ſi. Secundò ſurdus & mutus à natiuitate, cœcus à caſu, & ſcit ſcribere. Tertiò non valens articulatè loqui, ita vt non poſsit exprimere nomen hæredis, nec ſcribere. l. iubemus. C. eodem tit. Quartò impubes, &c. Quintò filiusfamiliàs, niſi de caſtrenſi peculio. Sextò prodigus cui eſt interdicta à Iudice bonorum adminiſtratio. Septimò damnatus ad mortem naturalem vel ciuilem, vt ſunt deportati etiam ſi fugiunt manum Iudicis, & damnati ad perpetuos carceres. Secùs ſi eſſent damnati ad pœnas inferiores. Octauò manifeſtus vſurarius, niſi præſtet priùs cautionem, ſecundum formam cap. quanquam. extra de vſu libr. vj. Nonò excommunicati ſecundum quoſdam. extra de ſentent. excommuni. lib. vj. ſed contrarium tenetur communiter. Decimò ſeruus. xiij. quæſt. ij. illud. Vndecimò quilibet religioſus, qui profitetur tria vota eſſentialia, vt dicitur xij. quæſt. ij. non dicatis. Duodecimò hæreticus, quia omnia illius bona ſunt confiſcata ipſo iure: extra de hære. cap.

hære.cap.Cùm ſecundum leges.libr.vj. Decimotertiò dubius de ſuo ſtatu, ſcilicet an ſit in eo ſtatu in quo teſtari poteſt vel non. Exemplum captus à latronibus dubitat an ſit ſeruus vel liber. Decimoquartò obſides apud infideles dati. Decimoquintò damnatus ad libellum famoſum in iniuriam alterius, quia etiam infamis efficitur. Decimoſextò reus criminis læſæ Maieſtatis. Decimoſeptimò eſt apud hoſtes captiuus. Decimooctauò, vtroque carens lumine,hodie tamen teſtatur. Vltimò additur Epiſcopus, qui non habet bona ex hæreditate vel artificio,aut doctrina,antequam eſſet Epiſcopus: aut non habet reditus Eccleſiaſticos, & mobilia, quæ ſibi ex illis reditibus proueneunt. De primis poſſunt teſtari: extra de teſtam.quia nos. Sed non de ſecundis, niſi ex ſpeciali priuilegio Papæ habeant, quod de mobilibus poſſint teſtari, aliàs non: de quo videatur Richardus diſt.xlv.art.iij. & art.iiij.q.j. dicit, quod nullum teſtamentum ſi eſt rationabiliter factum, ita quod non eſt contra æquitatem naturalis iuris, nec diuini, nec poſitiui,eſt infringendum. Secùs ſi non eſt ita factum, hoc eſt, ſi eſt contra ius diuinum vel poſitiuum, tunc non eſt implendum, ſed quod eſt ibi ſuperfluum, eſt reſecandum. Et artic.v. dicit de executoribus teſtamenti. Executores autem ſi bona habeant liberè, quibus ſtatum poſſunt implere,tenentur quàm citius poſſunt: quia debitores ſunt illis, quibus legata facta ſunt. Et ſicut dicitur. ff. de re.iu. In omnibus obligationibus in quibus dies non ponitur, præſenti die debetur. Præterea quantotius teſtamentum impletur, tantò citius anima defuncti alleuiatur. Vnde illi executores, qui penes ſe habent in promptu, & per longum tempus tardant ſuam executionem implere, mercatoribus egentium cõparantur xiij.quæſt.ij. Qui oblationes defunctorum aut negant Eccleſiis, aut difficilè reddunt, tanquam egentium mercatores excommunicentur. Si autem executores non habent bona in promptu, de quibus infra annum poſſunt teſtamentum implere, non propter hoc poſt annum deuoluitur poteſtas eorum ad Epiſcopum: tenetur tamen facere quod in ſe eſt, vt bona habeant, & habita debent diſtribuere quàm citius poſſunt. Richardus quæſt.iij. vbi ſupra. Dilatio quoque executionis præiudicat animæ teſtatoris (vt idem dicit Richardus.) Cuius duplicem ponit rationem, quæſt.iiij. vbi ſupra. Quare grauiſsimè peccant & magnam perditionem & illegalitatem faciunt executores, qui executiones teſtamentorũ ſibi commiſſas non complent quàm citius poſſunt opportunitate habita competenti,inquit Richardus. Grauiter profectò hæredes & amici peccant,& infideliter agũt, qui ſine rationabili cauſa ſuffragiorum executionem differunt. Quia (vt inquit Gabriël lectione lviij. canonis) contra proximi charitatem agunt, nec defuncto fidem ſeruant, quem ſua negligenti dilatione miſerè cruciant pœnis acerbiſsimis, cùm ipſum (commiſſa exequenda) ab eiſdem liberari potuiſſent. Vnde beatus Hieronymus: Amico, inquit, rapere quippiam, furtum eſt. Eccleſiam fraudare, ſacrilegium eſt. Accepiſſe pauperibus erogandum, & exinde aliquid ſubtrahere, omnium prædonum crudelitatem ſuperat, &c.

Teſtamentum Dei dicitur ſacra ſcriptura veteris teſtamenti, inquantum Deus promiſit illi populo bona futura,& inquantum illa promiſsio erat confirmanda & complenda per mortem teſtatoris. Vnde teſtamentum dicitur de teſtor, aris. quod idem eſt quod confirmare & ratificare: & ſic inſtantum dicitur teſtamentum, inquantum eſt confirmatum per vltimam voluntatem teſtatoris. Scriptura autem veteris legis non fuit verè teſtamentum, ſed diſpoſitio teſtamenti. Nec dicitur teſtamentum niſi inquantum erat confirmandum per mortem teſtatoris Dei. Per mortem itaque & ſanguinem Chriſti fuit confirmatum totum vetus teſtamentum, vt ſcribit Iacobus de Valentia ſuper Cantica canticorum. Vnde Auguſtinus de catechizandis rudibus dicit, quod lex vetus fuit teſtamentum vetus,nihil aliud eſt niſi occultatio noui teſtamenti. Nouum teſtamentum nil eſt niſi manifeſtatio veteris. De quo legito & eundem Pſal. 83. Et cùm teſtamentum ſit vltima diſtributio bonorum, morte teſtatoris firmata, ſeu conſtitutio vel traditio de ordinandis bonis atteſtatione legitima firmata, rectè fides & lex Chriſti eſt teſtamentum nouum. In illa ſiquidem Chriſtus æternam hæreditatem fratribus ſuis & fidelibus ordinat & promittit, vt ſcribit Gabriël lectione liij. canonis. Hæc autem lex confirmata eſt per mortem & paſsionem Chriſti, in qua ſanguis eius effuſus eſt, quæ effuſio eſt ſui teſtamenti legitima atteſtatio & confirmatio. Et dicitur teſtamentum nouum reſpectu veteris, quod inſtitutione huius eſt terminatum & euacuatum. Et dicitur nouum & æternum, quia noua & æterna bona promittit. Vetus enim teſtamentum, quod per hircorum aut vitulorum ſanguinem confirmatum eſt, permittebat temporalia, quæ omnia, quia tranſitoria, veteraſcunt,& ad interitum tendunt. Non autem ſola ſcriptura diuina continens mandata, teſtamentum dicitur: ſed promiſsio teſtamentum dicitur, ſecundum illud ad Hebræos nono: Ideo noui teſtamenti mediator eſt, vt repromiſsiones accipiant, qui vocati ſunt hæreditatis æternæ. Vel dicitur nouum teſtamentum Chriſti, quia nouo modo dedicatum eſt. Vetus enim teſtamentum dedicatum eſt & conſecratum ſanguine irrationabilium pecudum. De quo latiùs Gabriël vbi ſupra.

Theologia eſt ſermo de Deo vel diuinis, & eſt dignior cæteris ſcientiis propter nobilitatem, materiæ certitudinem,& altiorem finem,ex beato Thoma j.part.q.j.art.v. Et Theologia eſt doctrina neceſſaria homini præter ſcientias naturaliter inuentas ab eo,ſecundũ eundem part.j.q.j.ar.j. Et Theologia à diuina locutione ſumpſit vocabulum,vt ſcribit Ioan. Reuchlin il'e doctiſsimus in ſua defenſione contra quoſdam Theologos, qui & ibidẽ ponit differentiã inter Theologũ & Theologiſtã. Et dicitur Theologia à θεός,quod eſt Deus,& λόγος,quod eſt ſermo vel ratio,quaſi ſermo de Deo vel ratio. Et ſecundũ Rich. in proœm. tota ſciẽtia theologica eſt de Deo & eius proprietatibus, ac operibus, vtpote creationis, gubernatiõis, redẽptionis, iuſtificationiſ

& gloſificationis. Et omnia alia quæ traduntur in Theologia, pertinent ad Deum, oſtendendo, quomodo ſapienter, iuſtè & potéter, ac benignè mundum diſpoſuit, & humanum genus gubernauit, ac multa pręfigurauit per Chriſtũ cõplenda, & cõſimilia. Pelbartus. Et vt ſcribit Iacob. de Valen. Theologia ſiue ſacra ſcriptura eſt ſignorũ & rerũ ſimul, cùm cæteræ ſciétiæ ſint vel rerũ tantùm, vel ſignorum tantũ, vt latiùs probat tract. iij. regula v. prologi in Pſal. Et Theologia ſiue ſacra ſcriptura ſufficienter continet doctrinã neceſſariam viatori, vt ait Scotus qu. ij. prologi. Et Theologia vno modo idem eſt quod fides infuſa: & ſic (vt ſcribit Gabr. q. viij. prologi in ſenten.) eſt vnus habitus numero in vno intellectu. Alio modo Theologia includit fidem adquiſitam & aliquos habitus adhæſiuos euidẽtes tam propoſitionũ quàm concluſionum, & cùm hoc habitus apprehẽſiuos omniũ, de quib' tractatur in Theologia adquiſita ſiue cõplexorum ſiue incõplexorum. Et tunc ſicut actus credẽdi & aſſentiẽdi diſtinguuntur ſpecie: ita & habitus ex eis geniti. Et Theologia habet tractare de quolibet ente in particulari, quia de Deo creatore omniũ, & cauſa cõmuniſsima. Item de creaturis & facturis Dei & effectibus illius cauſæ cõmunis. De quo plura Scotus quæſt. iij. prologi. Ponit & Dominus Cardin. Cameracenſis quæſt. j. prologi lib. j. ſententiarum, multiplicem acceptionẽ vocabuli Theologia. Vno modo, inquit, Theologia capitur pro ſcriptura ſacri canonis. Alio modo pro actu vel habitu mentis reſpectu illorum quæ in ſacra ſcriptura continentur. Et hoc modo iterum dupliciter poteſt ſumi. Vno modo pro aliquo vno actu vel reſpectu alicuius veritatis ſacræ ſcripturæ. Alio modo pro multis actibus vel habitibus reſpectu plurium talium veritatum. Et hoc modo dupliciter pro actibus vel habitibus, quibus quis notat ſenſum ſacræ ſcripturæ, & ſcit vnum dictum eius per aliud exponere & probare: & alia quæ non formaliter continentur in ipſa ex his quæ in ea continentur deducere & inferre. Alio modo pro actibus vel habitibus adhæſiuis in animo fidelis adquiſitis per diſcurſum vel diſcurſus Theologicos de concluſionibus Theologicis. Et licèt quodlibet iſtorum modorum quandoque ſumatur Theologia, tamen magis propriè ſumitur vltimo modo. Vide latiùs ibi Cameracenſem. Accipitur & Theologia ſecundum aliquos (vt ſcribit Pelbartus) quadrupliciter. Primo modo pro habitu quem habuerunt illi quibus reuelata eſt, vt Prophetæ & Sancti. De quib' Dionyſius dicit, quod ſancti docuerunt nos Deum laudare in omnibus creaturis. Et ſic xiiij. de Trinit. dicit, quod Theologia eſt ſcientia plus quàm cæteræ. Tum quia eſt de rebus quæ ad ſalutẽ hominis pertinẽt: tũ quia eſt ex inſpiratione diuina, in qua impoſsibilis eſt falſitas: ergo euidẽtior. In ratione autẽ humana plerunque cõtingit falſitas, de quo etiã dicit B. Thomas part. j. q. j. & ij. & alij Doctores cõmuniter. Secundo modo accipitur pro illo habitu, qui aggeneratur in nobis ex ſtudio ſacrę ſcripturę: & ſic nõ eſt ſcientia, ſed fides. Tertio modo accipitur pro illo habitu, qui deducitur ex veritatibus cõtentis in ſacra ſcriptura, & ſic nõ eſt ſciẽtia, ſed fides. Quarto modo accipitur Theologia pro habitu declaratiuo ſeu defenſiuo fidei: & ſic eſt ſcientia nobiliſsima & ſumma Metaphyſica: quia conſiderat de Deo, qui eſt entium nobiliſsimũ. Vnde Auguſt. Platonicos vocat Philoſophos & Theologos: & Ariſtot. 6. Meta. dicit, quod quędã pars philoſophię, ſcilicet Metaphyſica dicitur Theologia vel ſciẽtia diuina. Et ſecundũ Sco. & eius ſequaces, q. iiij. prolo. Theologia dicitur verius ſapientia quàm ſcientia. Vnde Aug. exponẽs illud 1. Cor. 12. Alij per ſpiritũ datur ſermo ſciẽtiæ, alij ſermo ſapientiæ. Dicit ipſe, Sciẽtia eſt in cognitione temporaliũ: ſapiẽtia in cõtemplatione æternorũ. Et ſecundũ Tho. ij. ij. q. ix. ar. ij. inter ſciẽtiam & ſapientiã eſt differẽtia, quod ſapiẽtia eſt cognitio rerũ diuinarũ: ſciẽtia verò eſt cognitio rerũ creatarũ. Cùm ergo de rebus creatis ſecundũ rationes diuinas iudicamus, hoc magis ſpectat ad ſapientiã: & econuerſo cùm per res creatas cognoſcimus Deũ, hoc magis pertinet ad ſciẽtiam quam ad ſapientiã. Et quia Theologia eſt de diuinis, ac iudicare habet ſecundũ rationes diuinas de rebus etiã creatis: ergo dicitur ſapientia vera, & per cõſequens dignior omni alia ſciẽtia. Et propriè loquẽdo ſecundũ Scot. & Guilh. Theologia non eſt ſciẽtia, cùm fidei innititur: & ita nõ habet euidentiã ex ratione obiecti, quæ tamẽ eſt cõditio ſciẽtiæ, habet tamẽ conditionẽ ſciẽtiæ, ſcilicet certitudinẽ habitus: & ſecundũ hoc quidã dicunt Theologiã eſſe ſcientiã pro habitu certitudinis. Vnde Apoſt. Scio cui credidi, & certus ſum: ſic Theologia eſt ſcientia ſecundũ aliquos & ſapiẽtia: quia certiſsimus eſt habitus, ſed propriè nõ: quia nõ tantũmodo eſt de neceſſariis, ſed de cõtingentib', vt de mũdi creatione, & de Chriſti incarnatione & paſsione, &c. Nec habet principia euidẽtia per diſcurſum: nec eſt cognitio Dei per cauſam, cùm Deus nõ habeat cauſam: quare nõ propriè Theologia dicitur ſciẽtia ſecundũ Sco. Communis autẽ omniũ Theologorũ ſentẽtia eſt, quod Theologia ſciẽtia eſt omniũ certiſsima, prout ſciẽtia capitur pro habitu certitudinis. Et hoc multis probatur rationibus ſecundũ Alexã. de Ales in prolo. q. v. Nã teſtimonio ſpiritusſancti eſt certificata. Quod autẽ ſcitur teſtimonio diuino ſpiritus ſancti miraculis cõfirmato, certius ſcitur q̃ quod ſcitur teſtimonio humanæ ratiocinationis vel creaturarũ. Secũdò, quia Theologia certitudine experiẽtię eſt cõprobata: certitudine, in quã, affectus, & guſtus, ac illuminationis, in ipſis ſanctis viris Prophetis, & Apoſtolis, aliisq́;, vſq; ad mortẽ pro ea ſe exponẽtibus certiſsimè eſt nota, ergo eſt certior aliis. Itẽ & tertiò, quia certitudo Theologiæ viris ſpiritualibus eſt ſummè perſpicua, & ſic certiſsima, quãuis homini animali videtur incertior aliis ſcientiis. Vnde 1. Cor. 1. Animalis homo nõ percipit quę ſunt ſpiritus Dei: ſpiritualis autẽ omnia diiudicat. Prædictis nõ diſcordat Paulus Corteſ. cùm ſcribit & probat d. j. li. j. ſent. Theologiã vnã ex omnibus in quodã certiſsimo genere verſari, eamq́; ex veriſsima quadam ſupragredientẽ naturã luce manare. Quandoquidẽ quo res puriores, ſubtilioresq́; ſuapte natura ſunt, eò certiores dicantur. Hanc ſupremam ſcientiarum aſſerit Gerſon tractatu iij. ſuper Cantico Mariæ, quoniam profundius ſcrutatur, & in Dei dilectione ſuper omnia finem ſuum ſtatuit. Nam finis legis eſt dilectio.

Theologia eſt duplex, ſcilicet viæ & patriæ, vt oſtendit Gerſon parte iiij. de concordia Metaphyſicæ cũ Logica in fine. Theologia viæ reſpicit ens primum vt creditum cum ſuis attributis, non excludendo intelligentiam de multis. Theologia autem patriæ reſpicit eus primũ vt facialiter viſum & obiectaliter in ſeipſo non in ſpeculo vel ænigmate. Idem vult adhuc duplicẽ eſſe Theologiam parte iij. tract. de illuminatione cordis ferè in principio, cùm dicit. Theologia duplex reſultat ex ente ſimpliciter quod eſt Deus. Vna naturalis de Deo, quæ ſubalternatur Metaphyſicè, ex qua ſupponitur demonſtratũ Deũ eſſe. Altera ſupernaturalis quæ poteſt aliquo modo dici ſubalternari Theologiæ beatorum, vel eſt ipſamet Theologia in beatis tãquam precioſa margarita, quæ venditis omnibus emi debet. Plura ibi de vtraque. Et de Theologia naturali ſcripſit non indoctè Raymũdus quidã de Sabũde, quoniã ex creaturis quæ propter hominẽ factę ſunt, & ex naturalibus rebus deuenimus in Dei cognitionem, & homo illuſtratur ad Deum cognoſcendum, & intelligendum & amandum. Id quod oſtendit ille perpulcrè in ſuo hoc opere quod & inſcripſit Theologiam naturalem.

Theologia eſt quadruplex ſecundum Dionyſ. c. iij. de myſtica Theologia, vt & refert Gerſon part. iij. de verbo & hymno glorię partitione. j. Vnam dicit propriam de diuinis characteribus, id eſt perſonis affirmatiuè vt de incarnatione verbi, & hanc nõ habemus. Alteram de diuinis ſcripſit nominibus ſecundum eſſentiam diuinitatis. Sub hac Theologia propria continetur tertia pars de ſubſtãtiis ſpiritualibus, ſicut de cœleſti hierarchia & Eccleſiaſtica. Tertiam Theologiam nominat ſymbolicã, qua caremus, niſi quia in locis plurimis tangit multa de ſymbolis hoc eſt ſimilitudinibus tranſlatis ad Deũ. Quartam nominat myſticam, & eſt modus inueniendi Deum per abnegationem, & per exceſſus mentales, tãquam in diuina caligine videatur Deus hoc eſt in occulto, & in abſcondito. Quod attendẽs vnus ex prophetis ſub aſſertione clamauit. Verè tu es Deus abſcõditus, & dicitur Myſtica Theologia, id eſt abſcondita. Myſticum enim interpretatur abſconditum. Et Theologia Myſtica ſecũdum Gerſ. de Myſtica Theologia ſpeculatiua, innititur ad ſui doctrinam experientiis habitis ad intra in cordibus animarum deuotarum. Et Concors eſt omnium doctorum ſententia quod Theologia myſtica procedit per abnegationes, vt quod Deus nõ eſt leo, bos, lapis, &c. Has autem cognitiones experimentales de Deo interius vocant ſancti variis nominibus, ſicut pro rei varietate multiplicatę ſunt ſuper numerum. Vocant autem contemplationem extaſim raptum, liquefactionem, transformationem, vnionẽ, exultationem, iubilum. Iubilum eſſe ſupra ſpiritũ rapi, ſcilicet, in diuinam caliginem, guſtare Deum, amplecti ſponſum, oſculari eum, gignere de Deo, & parere verbum. De hac myſtica Theologia ſpeculatiua per multa ſcribit Gerſon pluribus conſiderationibus. Et deſcribitur ſic ab eo. Theologia Myſtica eſt extenſio animi in Deum per amoris deſiderium. Aliter ſic, Theologia myſtica eſt motio anagogica, hoc eſt ſurſum ductiua in Deum, per amorẽ feruidum & purum. Aliter ſic, Theologia myſtica eſt experimẽtalis cognitio habita de Deo per amoris vnitiui complexum. Aliter ſic, Theologia myſtica eſt ſapiẽtia, id eſt ſapida notitia habita de Deo, dum ei ſupremus apex affectiuæ potentię rationalis per amorem coniungitur & vnitur. Vel ſic per Dionyſ. vij. de diui. no. Theologia myſtica eſt irrationalis & amens, & ſtulta ſapientia excedens laudantes.

Theologia Myſtica & ſpeculatiua differunt, quia ſpeculatiua Theologia eſt in potentia effectiua, cuius obiectum eſt verum. Myſtica verò reponitur in potentia affectiua, cui pro obiecto bonum aſſignamus (vt inquit Gerſon conſider. xxix. vbi ſupra.) Conueniunt tamen in hoc myſtica Theologia, & ſpeculatiua, quæ alio nomine contemplatio dicitur, quando vtraque eſt in ſuperiori portione animæ, & non in ſolo ſenſu, vel imaginatione, nec in ratione ſola, latiùs ibi videri potes Gerſonẽ, qui & alias ponit differentias. Et Theologia myſtica, & ſi ſit ſuprema atque perfectiſsima notitia, tamen poteſt haberi à quolibet fideli, etiam ſi ſit muliercula vel idiota. Theologia verò ſpeculatiua requirit ad cõſecutionem eius Grammaticam, Logicam & Philoſophicam diſciplinam cum forti exercitio, etiã ad eam clara ingenia requiruntur, ita tamen vt gratia deſuper cum his infundatur, ſicut Apoſtolis, & ſicut fit mundi cordibus, quibus promittitur viſio Dei, & humilibus amicis Dei, quibus Deus incerta & occulta ſapientiæ & omnia quæ audiuit à patre ſuo nota fecit. Ex quo cõcludit Gerſon. Quod Theologia ſpeculatiua, nunquam in aliquo perfecta eſt ſiue myſtica, ſed bene ecõtrà. Vnde ſumitur alia differentia. Quoniam nunquam aliquis intelliget verba Apoſtoli & Prophetarum quantũcunque illa reſonent exterius, ſi non imbiberit affectũ ſcribentium, neque enim aliter conceptus eorum verborum in animo generabit. Cæcus quippe crebrò de coloribus ſermonem audiens, de illis vtique diſputare poterit diſertè & acutè, quanquam nullos in illo cordis arcano proprios eorum quæ diſputat conceptus inſcripſerit. Item ſpeculatiua verſatur in Schola literatoria, quare & eam quidam Scholaſticam & literatoriam appellant, quæ & vtitur rationibus conformiter ad Phyſicas diſciplinas. Myſtica non ſic verſatur in tali cognitione literatoria, ſic nõ habet neceſſariam talem Scholam, quæ Schola intellectus dici poteſt. Sed adquiritur per Scholã affectus & per exercitium vehemens moralium virtutum, diſponentium animam ad purgationem, & in Theologicis illuminantibus eam, in beatificis virtutibus, eam perficientibus, proportionabiliter ad tres actus hierarchicos, quę ſunt purgare, illuminare, & perficere. Et hæc quidem Schola poteſt dici Schola religionis vel amoris, ſicut intellectus dicẽdus eſt Schola ſciẽtię & cognitionis. Ad hãc Theologiam non eſt opus magna ſcientia, pręſertim adquiſita. Vide latiùs Gerſ. vbi ſupra. Hæc myſtica Theologia eſt ſapiẽtia amẽs & irrationalis & ſtulta, & tamen eſt omnis rationis & mẽtis & ſcientiæ cauſa. Vocatur ſapientia ſtulta, quaſi ſcientiam nullam habẽs. De quo vide Gerſonem tract. vij. ſuper cantico Mariæ, & tract. iij.

Theologia myſtica practica eſt quæ conſiſtit in opere. Non enim ſatis eſt Chriſtiano (inquit Gerſ. de hac Theologia ſcribens) pręſertim Eccleſiaſtico niſi practicus præcellerit vſus, opus enim & exercitatio requiritur. Non enim (vt idem inquit Gerſon parte iiij. de concordia Metaphyſ.) in ſubtili inquiſitione veritatis, ſed in cultu charitatis conſiſtit regnum Dei, & impletio legis conſecutioque ſaluris. Et de myſtica Theologia tam ſpeculatiua quàm practica permulta ſcribit Gerſon & copioſiſſimè. Plura omiſi quæ apud eundem inuenies, ne opus in immenſum ſerpat, & longius quàm volui & prolixius efficiatur.

Theologia ſecundum Scotum eſt duplex, quædam eſt in ſe, quędam nobis ſeu Theologia noſtra, Theologia in ſe eſt talis cognitio qualem natum eſt facere obiectum Theologicum in intellectu ſibi proportionato, ſicut eſt intellectus diuinus. Vnde Theologia in ſe eſt de his quæ ſoli intellectui diuino ſunt naturaliter nota, hoc eſt de Deo, qui ſolus eſt ſibi naturaliter notus. Sed Theologia in nobis eſt talis cognitio qualem intellectus noſter natus eſt habere vel recipere de illo obiecto Theologico, id eſt de Deo. Vnde ſecundum mentem Alex. de Ales j. parte de doctrina Theolo. q. iij. Theologia in nobis eſt ſcientia de Deo & eius eſſentia per Chriſtum noſtræ menti tráſmiſſa, & in Deú terminata. Exépli gratia. Si quis nō poſſet intelligere motus aſtrorum, ſed crederet alicui Magiſtro aſtronomiæ de talibus, iſta notitia eſſet ſibi fides, non ſcientia: tamen aſtronomica notitia in ſe eſſet ſcientia in intellectu illius Magiſtri, ſic de Theologia in nobis eſt. Cùm enim per Chriſtum noſtrum Magiſtrum cui credimus habemus ſcientiá de diuinis, fides eſt, ſed in intellectu diuino in Chriſto ſcientia perfectiſſima habita de Deo & articulis fidei, eſt Theologia in ſe. Ité Theologia adhuc diſtinguitur in Theologiam neceſſariorú, ſicut ſunt veritates ad intra, ſcilicet quod Deus generat & ſpirat, & de proprietatibus diuinis intrinſecis & huiuſmodi, &c. Ac in Theologiam contingentium, ſicut ſunt veritates ad extra, ſcilicet quod Deus creat, ſaluat, incarnatur &c. Tertio ergo Theologia accipitur propriiſſimè, & ſic eſt illa notitia quæ eſt in mēte diuina, de deitate vt obiecto primo. Iſto modo ſolus Deus dicitur Theologus & nos dicimur tantum Theologiæ diſcipuli, vt loquitur Aug. de doct. chriſt. Et Theologia vt & dictū eſt ſupra, eſt ſciētia, quáuis quo ad aliquid ſit ſpeculatiua, & quo ad aliquid practica, tamē ſimpliciter magis eſt dicēda practica q̄ ſpeculatiua, vt refert Pelbartus, quia principalius tēdit ad practicum, extendendo praxim etiam ad operationem interiorē voluntatis, quę eſt dilectio. Et etiam quia ipſe Deus qui Theologiá inſpirauit, plus acceptat à nobis diligi quàm tantū cognoſci. Ité & tertiò, quia etiá fidei articulis qui ſunt principiá Theologiæ, non ideo credimus, vt in credendo ſiſtamus, ſed vt credita diligamus. Vnde omnibus computatis, Theologia magis eſt dicenda practica quàm ſpeculatiua, vt vult etiam Richardus. Præterea inſtū eſt omnia à fine denominari. Sed finis intētus in Theologia eſt dilectio, in qua pendet tota lex & Prophetę. Mat. 22. ergo. Sed quod Theologia à quibuſdam dicitur cōtemplatiua, verū eſt ex eo quod elicit actū contéplationis, nihilominus tamé dicitur practica ſciétia, quia regulat & dirigit praxim, ſcilicet dilectionis actū. Sciétia itaque quam habemus de Deo in via præſertim, eſt practica, ſcilicet regulatiua dilectionis. Thomas verò magis contemplationem quàm praxim nominandam cenſet. Ægidius magnus Theologus eam patheticam eſſe arbitratur, propterea quod charitas quæ ſit Theologiæ conſtitutus limes pathetica maximè exiſtat.

Paulus Corteſius qui & aliorum Theologorum refert opiniones diſtinct. prima libr. j. ſuarum ſententiarum dicit Theologiam vnum eſſe ſcientiæ, genus, id tamen expletum & abſolutum dicit vimque ad hominum abſolutionem ex diuinitatis luce nancíſci, hominemque maximè abſoluere, tum ad niuuia recta, tum ad facultatem contemplandi veri, ex quo eam partim praxim, partim contemplationem eſſe volumus inquit ipſe. At cùm omne ſcientiæ genus finis menſione expendamus, extremumque huius ſcientiæ finem in æthereis ſedibus principis veri cōtemplationem eſſe dicamus, conſtare debere inter ſanos volumus, eam in primis in contemplandi quodam genere verſari. Hæc Corteſius. De Theologia Auguſtinus ſic loquitur x. de trinitate cap. j. Non vtique quicquid ſciri ab homine poteſt in rebus humanis vbi plurimum ſuperuacuæ vanitatis & noxiæ curioſitatis eſt, huic ſcientiæ tribui, ſed illud tantummodo quo fideles ſaluberrima & ad vitam beatam ducit, gignitur, nutritur, defenditur & roboratur. Et loquitur de Theologia, de cuius laudibus multa aliàs dicuntur, &c. Sed de Theologia multa aliàs & de eius laude dicuntur, & apud Gerſonem parte iiij. ſermone primo, de angelis, & aliàs in multis ſuorum operum locis de ea permulta ſcriptis reliquit.

Theologia & canonica ſcientia differunt, vt notat Auguſt. de Ancona, & poſt eum Pelbartus, ſcilicet in modo conſiderandi. Primò quia Theologia tractat de ſacramentis & aliis, ac de moribus ſubtili modo, quaſi quid ſit. Sed ius canonicum tractat de illis modo groſſo & poſitiuo, & ſolùm quia eſt. Secundò quia illa determinantur à Theologo principaliter propter veritatis cōtemplationem, ſed à canoniſtis propter actioné principalé & quæſtionem occurrentium ſolutioné. Tertiò quia Theologi determinát principaliter de cultu Dei & fide, canoniſtæ auté magis de miniſtrorū ordine & Eccleſiaſticorū negotiorū ad cultū talem ſpectantiū. Ité vltimo, quia à Theologo determinátur magis vniuerſaliter & in foro cōſcientiæ, in quo agitur cauſa inter Deū & hominé. Sed à canoniſtis applicando ad particularia negocia in foro exterioris iudicij, in quo agitur cauſa inter hominé & hominē, &c. Et ſic patet quod illa eadem quę tractátur in Theologia, tractátur in iure canonico, & recipiūtur. Et quę ibi reſpuūtur, etiá hic reſpuūtur, alio tamé modo cōſiderandi, &c. Differūt & Theologia & theurgia, vt notat Guil. Scoti imitator, & refert Pelbartus, quod & notat Commentator ſuper Eccleſiaſtica hierarchia Dionyſij, quia Theologia artatur ad vetus teſtamentū, ſed theurgia ad nouū, ita quod Theologia dicitur notitia antiqui teſtamenti, ſed theurgia notitia

noritia noui, vbi Chriſtus perfectius docuit operari. Theurgia enim idem eſt quod ſcientia bene operãdi de Deo. Hæc Guil. vt refert Pelbartus.

Theologus eſt vir bonus in ſacris literis eruditus, vt ſcribit Gerſ. par. iij. de cõſolatione Theologię li. iiij. proſa iiij. nõ quidem eruditione ſolius intellectus, ſed multò magis affectus, vt ea quæ per Theologiã intelligit, traducat per iugem ruminationem in affectũ cordis & executione operis, quatenus ſapientia ſecundum nomen ſuũ ſapida ſit in bonis ſuauiter & iocunde, in malis triſtabiliter & acerbè, alioquin tales inſtar Vrias ferunt literas damnationis ſuæ: dant aduerſus ſemetipſos ex ore proprio iudicium, plus inficiunt exemplo vitæ quàm inſtruant verbo doctrinæ, ſacras denique literas impudenter ſuis inquinatis moribus & deſideriis ſubſeruire cõpellunt, ſenſum à ſanctis patribus traditum diſtorquentes, imo ſæpè neſcientes, ideo Theologiã neſciunt, quia ſe curis aliis quotidie tradunt. Hæc Gerſ. Quare Theologi corruptorum morum plus nocent quàm proficiunt, vt idem Gerſon oſtendit parte j. de nuptiis Eccleſiæ. Reprehendit & illos Theologos Gerſon tract. vij. ſuper cantico Mariæ, qui ſolo nomine & vanitate ſunt Theologi ſuperbi, qui ſtudent ſolùm vt ſciant vel ſciãtur, nihil verò traiiciũt ad affectum, nihil ad mores & virtutes, & cùm dixit etiam gentilis Philoſophus. Inquirimus quid ſit virtus, non vt ſciamus, ſed vt boni efficiamur. Vnde verum eſt quod dicitur: Scientia inflat, charitas ædificat, execrabiliſque eſt ſuperbo humilitas, &c. Hæc Gerſon. Quare ſalubre tradit (idẽ tractat. viij. ſuper cantico virginis glorioſæ) documentum omnibus Chriſtianis. Plus inquit inſiſtendum eſt dilectioni quàm ſpeculationi, plus inſuper vnioni affectus vacandum eſt quàm diſcretioni intellectus, carpit & garrulos Theologos, verboſos, proteruos, cõtentioſos, moribus denique peſsimis deditі. Idem Gerſon parte j. de diſtinctione verarũ viſionum à falſis, ferè in principio. Qui plus ad epulas vanaque guſtu diſcernendũ quàm ad actus ſuos diiudicandum induſtrij, & ſeduli, qui ſemper addiſcentes, nunquam ad ſcientiam veritatis perueniũt, quibus omnis ſermo de religione fabula eſt ſiue onus. Poſtremò quicquid lingua magniloqua oſtẽdit, vita quæ mentiri neſcit & blaſphemat: Hæc Gerſon. Idem in recõmendatione licentiandorum in decretis facta Pariſiis. Apoſtolus Diſcipulos & Euangeliſtas nouæ legis doctores vocat. Ad eſſe autem propriè Theologum (vt ait inclytus Gerſonis præceptor Dominus Cardinalis Cameracẽ. qu. j. prologi art. iij.) non requiritur ſcire omnem ſacræ ſcripturę ſenſum. Patet quia hoc nõ eſſet bene poſſibile, ſed ſufficit ſcire de principalioribus, & maximè literalem. Sed ad eſſe propriè Theologum, requiritur credere fideliter explicitè vel implicitè quicquid in ſacra ſcriptura continetur eſſe verũ, & ſcire aliqua exponere, defendere, & cum omni veritate concordare. Vnde eſſe Theologum ſuſcipit magis & minus, quia qui plura ſcit vel melius, dicitur magis Theologus, & qui omnia, eſſet perfectus Theologus, ſicut ſatis patet. Aliàs de Theologis legito plura apud Gerſ. in ſuis operibus.

Theologicus a, um, quod ad Theologiã ſpectat, vtide virtutes Theologicæ, de quibus ſuis locis dicitur ſcilicet, fides, ſpes, charitas, & diſcurſus Theologicus, & concluſiones Theologicæ. Vnde diſcurſus Theologicus vt ſcribit Camera. q. j. prologi, eſt qui cõſtat ex dictis ſeu propoſitionibus in ſacra ſcriptura contentis, vel ex bis quæ deducuntur ex his vel ex altera huiuſmodi. Patet, quia ſecundum beatum Dionyſ. in de diui. no. ca. ij. Non aſſẽtienti ſacræ ſcripturæ, non poteſt manuductio fieri ad Theologiam. Item tunc ſolum dicimus aliquid Theologicè probari, quando ex dictis ſacræ ſcripturæ concluditur, ſicut Augu. proceſsit in lib. de trinit. qui lib. j. ca. iiij. ita dicit: Omnes quos legere potui qui ante me ſcripſerunt de trinitate, quę Deus eſt, hoc intendunt ſecundum ſcripturas docere quod pater, & filius & ſpiritusſanctus vnius & eiuſdem ſubſtantiæ ſunt, &c. Non enim ait ſecundum aliquas ſcientias humanitus adinuentas, aut per probabiles propoſitiones, ſed ſecundũ ſcripturas. Et principia Theologica ſecundum eundem Aliacenſem ſunt ipſę ſacri canonis veritates, quoniam ad ipſas fit vltimata reſolutio theologici diſcurſus, & ex eis primò ſingulæ concluſiones Theologicæ deducuntur. Concluſiones verò Theologicæ propriè diſtinguendo concluſiones cõtra principia. Sunt enim illę veritates quę nõ formaliter in ſacra ſcriptura cõtinentur, ſed ex contentis in ipſa de neceſsitate ſequuntur, ſiue ſint articuli ſiue non, ſiue ſint determinatæ per Eccleſiam ſiue non, ſiue ſint ſcitæ ſiue non.

Veritas Theologica. Vide infra litera V.

Theophania Idem quod diuina apparitio. Et dicitur à θεὸς quod eſt Deus, & phanos apparitio (vt ſcribit frater Pelbartus lib. iij. Roſarij Theologiæ) quo vocabulo vtitur & beatus Diony. cùm deſcribit vitam, dicens. Vita eſt proceſsio theophaniarum ab ente quieto & ſempiterno theophaniarum, id eſt diuinarum apparitionum.

Theoſebia honor ſummus qui eſt cultus diuinus. Et Græcè theoſebia, Latinè dicitur latria, & dicitur à theos Deus, & ſebes pietas, quaſi Dei cultus ſiue pietas. De quo Gabriël lectione xviij. canon. & vide in dictione *Latria* ſiue adoratio, &c.

Theoria cum accentu in penultima, Latinè ſpeculatio & intellectus Dei. Hinc theoreticus, id eſt ſpeculatiuus. Græcè enim θεάομαι conſidero, contemplo, & theorema Latinè ſpeculatio. Theoreſis contemplatio. Theos Deus, à quo multa per cõpoſitionem fiunt, vt Theologia, ratio ſiue ſermo de diuinitate. Theoleptes numine afflatus. Theomachus Deo repugnans Latinè dicitur. Theomenia, ira diuina. Theogenius, id eſt genitus ex Deo, Theotocos, id eſt Deum pariens, genitrix Dei. Theoſebia pietas, cultus Dei. Theoſebes pius, religioſus.

Theſaurus & theſaurum dicitur. Et eſt, vt Paulus iuriſconſultus inquit vetus quædam depoſitio pecuniæ, cuius nõ extat memoria, vt iam Dominum nõ habeat. Aliquãdo tamen theſaurus dicitur cuius extat memoria & Dominum habet, vt in Euangelio Mat. 6. Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuũ. Ponitur interdum pro loco in quo aurum vel aliqua precioſa reconduntur, vt eſt illud Mat. 2. Apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, aurũ, thus & myrrham, id eſt capſis vel vaſis. Quandoque à

Poëtis

Poëtis pro auro & argento ſumitur. Transfertur & ad alia. Vnde theſaurus Eccleſiæ dicitur. Et ille non ſolum eſt aggregatus de meritis ſupererogationis, quia citò euacuaretur, ſed etiam aggregatus ex merito paſsionis Chriſti, beatæ virginis & omnium ſanctorum. Vnde inquit Scotus diſt. xvij. in fine lib. iiij. Credibile eſt multos eſſe in Eccleſia qui per annum viuunt ſine mortali, imò per Dei gratiam multi multo maiori tempore ſine peccato mortali ſe cuſtodiuit, & multa opera pro defunctis exercent, de quorũ meritis theſaurus Eccleſiæ congregatur, ait Scotus. Ex illo theſauro accipiuntur indulgentiæ & relaxationes (vt inquit Bruleſer di. xx. q. vj. li. iiij.) Ad ſolos autem Epiſcopos pertinet facere relaxationes & indulgentias, & ſummũ Põtificem. Nec Cardinales inquãtum Cardinales, nec abbates, nec cæteri ſacerdotes poſſunt indulgentias dare, ſed ſolus ſummus Pontifex & cæteri Epiſcopi, quia ſolus Epiſcopus eſt ſponſus Eccleſiæ, qui authoritatem habet ſuper Eccleſiam. Et ſicut videmus in politiis & communitatibus humanis quod theſaurus ibi publicè propter duo maximè conſueuit proferri & communicari exterius, ſcilicet ad gloriam principis & ad vtilitatem communitatis, ſic in ſpiritualibus communicatur theſaurus Eccleſiæ per indulgentias duplici de cauſa. *Primò* propter gloriam Dei. Et quoniã gloria & laus Dei eſt quando ſancti ſui honorãtur in cõſtructione baſilicarum ſuarum, in commemoratione virtutum ſuarum. Et hoc quidem fit in prædicationibus & ſermonibus, ideo pro his omnibus indulgentiæ rectæ fiunt.

Secundò propter cõmunem vtilitatem. Et quoniã communis vtilitas eſt defenſio terræ ſanctę: defenſio fidei, promotio ſtudij & cõſimilia, ideo pro talibus adhuc debent fieri. Et quoniam hæc conſiſtũt in actibus exterioribus, dicitur quod relaxatio fit, & datur pro actibus corporalibus, vt ſcribit Bruleſer q. vij. vbi ſupra. Et quia bona & theſaurus Eccleſiæ ſunt in ſummi pontificis poteſtate, & illi qui ſunt in purgatorio (ratione charitatis) ſunt idonei ſpiritualia bona recipere, quia Papa poteſt eis bona Eccleſiæ communicare, non tamen poteſt eis fieri abſolutio cum iudicium Eccleſiæ exierint niſi per modũ deprecationis & ſuffragij, & ſic propriè loquendo non fit eis relaxatio, quia relaxatio dicit iudiciariam abſolutionem, ſuper exiſtẽtes autem in purgatorio ſolum poteſt adiuuando; & etiã quilibet in ſuis orationibus & bonis operibus. Et dicit Bonauen. Diſpenſatio bonorum Eccleſiæ diſcretè & cum moderamine facienda eſt. Alioquin (niſi diſcretè fiat) Deus non acceptat & bona ſpiritualia non poſſunt diſsipari, nec contra diuinam acceptionem diſtribui, quamuis poſsint bona temporalia non ſolum diſpenſari, verùm etiam diſsipari de facto, quamuis aliter dictet ius diuinum eſſe faciendum.

Tetragrammaton eſt nomen ſecundæ impoſitionis, vt ſcribit Bruleſ. di. xxij. q. iiij. lib. j. quia eſt nomen ſignificans nomen quatuor literarum, quod vix vel omnino non erat proferibile, & componitur à tetra, quod eſt quatuor, & grammaton litera, quaſi nomen quatuor literarum. Et iſtud nomen apud Hebræos tantę ſanctitatis reputatur quod nõ debeat nominari niſi à ſummo ſacerdote & ſolum in benedictionibus fiendis in tẽplo, ideo loco illius nominis pronunciatur hoc nomen Adonai. Et vt dicit Scotus. Sicut datum fuit Iudæis aliquod nomen ſignificans eſſentiam diuinam ſub propria ratione, quod ipſi vocabant nomen Dei tetragrammaton, ita Chriſtus dedit Eccleſiæ nomina ſignificantia perſonas ſub propriis rationibus, quæ ſunt Pater & Filius & Spiritusſanctus Gabr. poſt Scot. di. iij. q. vnica, ar. ij. lib. iiij. concluſione iiij.

Timor ſecundum Augu. ſuper Ioan. eſt fuga animi ne perdat quod diligit. Idẽ li. de ciuit. Dei. Timor eſt affectio vel amor fugiens quod ei aduerſatur. ¶

Timor ſecundum Damaſcẽ. eſt expectatio futuri mali, & in hoc differt à triſtitia, quia hæc eſt de malo præſenti, timor verò de futuro. Vel timor eſt metus mali impendentis, ſecũdum Cice. li. Tuſcu. quæſt. Vel ſecundum Ariſt. lib. iij. Ethic. Timor eſt expectatio mali, vel (vt idem dicit lib. ij. Rhetor.) Timor eſt ex imaginatione futuri mali corruptiui, ac dolorem inferẽtis perturbatio quædam ac dolor. Et ſecundum beatum Thom. j. ij. qu. xlj. art. j. & ij. Timor inter cęteros animi motus poſt triſtitiã magis obtinet rationẽ paſsionis, & eſt ſpecialis paſsio, & diuiditur in ſex ſecundum Damaſ. lib. ij. ca. xv. In ſegnitiam, erubeſcentiam, verecundiam, admirationem, ſtuporem, & agoniam.

Timor (vt ſcribit Gab. di. xxxv. q. vnica, ar. j. li. iij.) Vno modo pro paſsione appetitus ſenſitiui vel intellectiui naturaliter ſequente apprehenſionem alicuius diſcõuenientis vt poſsibiliter futuri. Hoc modo numeratur in quatuor principales paſsiones.

Secundo modo accipitur pro actu elicito cõſequente huiuſmodi apprehenſionem & paſsionem, qui in voluntate eſt actus nolendi, fugiendi, aut repellendi, aut cauẽdi huiuſmodi incõueniens, & illo modo frequenter accipitur à Beda & Augu. vt allegat eos Magiſter di. xxxv. libr. iij. vbi per actus diffiniunt partes timoris. Dicit enim Augu. Timor ſeruilis eſt cum per timorem gehennę continet ſe homo à peccatis, & timore facit quicquid facit. Ecce cõtinere à peccatis, facere bonũ, actus ſunt à paſsione timoris procedentes. Tertio modo accipitur pro habitu ad huiuſmodi actus inclinãte acquiſito, aut à Deo immediatè infuſo, hanc acceptionem cùm ſecunda tangit S. Bonauen. qu. ij. di. xxxiiij. ar. ij. lib. iij. inquiens. Timorem ſeruilem dico habitum ipſum quo quis habilitatur ad timendum Deum, quia punit præuaricantes, &c.

Timor dicitur, quinque modis in ſacra ſcriptura, vt habet Iacob. de Valentia ſuper illud Pſal. 18. Timor Domini ſanctus permanet in ſeculũ ſeculi. Primus dicitur ſeruilis. Secũdus filialis. Tertius caſtus. Quartus gratus. Quintus dicitur timor ſanctus. Et timor gratus dicitur inquantum beneficiatus timet offendere beneficium, à quo recepit beneficium ne ſibi videatur ingratus. Timor ſanctus dicitur Inquantum eſt bene ordinatus reſpectũ obiecti, & talis timor ſolum eſt reſpectu Dei. Nam quia ſolus Deus eſt à ſe, per ſe, & propter ſe, & omnia alia ſunt à Deo creata, & per Deum conſeruantur in eſſe, & ſunt propter Deum, quia ad ipſum ordinantur, ergo ſolus Deus eſt de ſe, & per ſe, & propter ſe, diligendus & timendus ne offendatur, eò quod omnipo-

omnipotés, & bonus eſt per ſe iuſtus & miſericors & creator & conſeruator & glorificator. Et iſte timor ponit hominem in ſtatu perfectiſsimo, & ideo dicitur ſanctus, quia ſanctificat hominem, etiam ordinat ipſum in Deum, quia ſanctus dicitur bene ordinatus. Hæc Valentia vbi ſupra, & de aliis timoris ſpeciebus ibidem, ſed patebunt.

Timor ſecundum Magiſtrum di.xxxiiij. li.iij. diuiditur in timorem mundanum, ſeruilem, initialem, caſtum, vel filialem & timorem naturalem. Timor naturalis ſecundum Gerſonem in cõpendio Theologiæ, de ſeptem donis ſpirituſſancti eſt quo quis timet naturaliter mortem, ſiue horribile aliquid ante deliberationem rationis, qui timor vitioſus non eſt. Vel timor naturalis eſt quo naturaliter homo horret malum naturæ læſiuum apprehenſum vt tale, hic oritur ex naturali appetitu adeſſe. Et dicitur naturalis, quia per peccatum homo incidit neceſsitaté moriendi. acceſsit timor mortis ac læſionis quæ abſtulerũt eſſe rei. Hũc timoré aſſumpſit Chriſtus, ſicut & cæteros pœnales peccati effectus, quãuis auté ſecundũ S. Bon. in Chriſto eſſet defectus paſsibilitatis, nõ tamé fuit defectus inordinationis & vitioſitatis, nec in Deo fuit timor qui rationé eius præueniret, vel rationé eius perturbaret, ſecuriſsima enim fuit, & bene nouerat quod nihil poterat ſibi euenire, vel inferre quod ipſa prius nõ deſideraret & vellet (vt ait Bona.) Et dicitur timor naturalis (vt ſcribit Gab. di.xxxv. q. vnic. ar. j. lib. iij.) nõ per reſpectum ad Deum, ſed per reſpectum ad naturã, cuius eſſe ſeruatio naturaliter appetitur, & eius diſtrũctiuum timetur.

Timor mundanus (vt ſcribit Gabr. xxxv. qu. vnica, ar. j. lib. iij.) eſt timor alicuius diſconuenientis temporalis, propter cuius fugã deſeritur Deus, hoc eſt, eſt actus vel habitus, quo eligit appetitus deſerere Deum per tranſgreſsionem præcepti oe deſerat bonum temporale, ſeu ne incidat periculum amiſsionis vitæ aut delectationis corporalis aut rerũ mundanarum. Ex quo ſequitur quod deformitas eſt de ratione timoris mundani, quia voluntas deſerendo Deum & bonum æternum propter bonũ temporale habendum vel conſeruandum, ideo dicit Magiſter quod timor malus eſt, qui in primo gradu conuerſionis cum modo deſeritur, qué Dominus prohibet, dicens: Nolite timere eos qui occidũt corpus, animam auté occidere non poſſunt. Mat. 10. Vel timor mundanus (vt ſcribit Bruleſer di. xviij. lib. j.) eſt quando timemus ſic pericula carnis, vel perdere bona téporalia vt peccemus mortaliter, iſte timor inutilis eſt & malus, nec donũ ſpirituſſancti. Vel timor mundanus (vt ſcribit Gerſon in compendio Theologiæ de ſeptem donis ſpirituſſancti eſt quo quis timet amittere quæ mundi ſunt, & ideo non peccat ſi ea amittat. Sed timor humanus ſecundum eundem eſt quo quis ex deliberatione tantum timet pœnam ſui corporis.

Timor ſeruilis dupliciter accipitur. Vnó modo vt includit deformitatem ſeruilitatis peccati. Et ſic eſt habitus vel actus declinandi malum culpæ propter euaſionem pœnæ futuræ cum actuali prõptitudine non declinando malum ſi pœnæ non ſequerentur, vt cùm quis timet pœnas & timédó dolet, & quod

tales pœnæ infligũtur pro culpa, & actu vellet peccare ſi non eſſent illæ pœnæ, vt dicit ſanctus Bona. di. xxxiiij. q. ij. ar. ij. Et dicitur ſeruilis, quia ſicut ſeruus qui non amore operatur, non curat de hæreditate, nec ſic cõtriſtat Dominũ, quia nõ diligit eum, ſed amet offendere timore pœnæ, & ne feriatur aut mulctetur aliqua pœna, vt ſcribit Valentia. Epiſcopus Chriſtopolitanus Pſal. 2. Et dicitur idem timor ſeruilis adulter ſecundum eundem, quoniam ſicut mulier adultera timet offendere virum timore pœnæ, ſic aliquis timet formidine pœnæ. Vnde Hora.

Oderunt peccare mali, formidine pœnæ.
Oderunt peccare boni, uirtutis amore.

Alio modo accipitur timor ſeruilis, vt ſcribit Gabr. di. xxxv. libr. iij. vt non includit huiuſmodi deformitatem, ſcilicet voluntatem peccandi, ſi pœna non ſequeretur. Et ſic eſt habitus vel actus declinandi peccatum propter pœnam peccato debitam, ſi quis apprehendit per fidem pœnas æternas debitas mortali peccato, & ideo elicit propoſitum non peccandi, timens pœnas ibi ſiſtendo, non habendo propoſitum conditionale peccandi ſi nõ ſequerentur pœnæ. Iſte timor & ſi non ſit bonus meritoriè, quia nõ procedit ex amore boni æterni, ſed ex amore ſui, eſt tamen bonus & vtilis, per qué fit paulatim conſuetudo ad actus bonos de genere exercendos, & malos vitandos, quo præparatur locus charitati, vt dicit Aug. & Magiſter, & quem ſuccedit timor initialis. Hinc Bruleſer di. xviij. lib. j. q. j. dicit. Timor ſeruilis mouet & diſponit ad bonum, cum illo autem timore nunquam ſtat ſpirituſſanctus. Hunc enim timorem foràs mittit charitas. Et di. xv. q. vltima, libr. iij. idem ait. Multum reprehenſibiliter & vituperabiliter prędicatur in Eccleſia ſancta Dei timorem ſeruilem eſſe vanum & inutilem. Eſt enim præparatorius ad gratiam, nam facit ceſſare à peccatis. Vnde Pſal. Initium ſapientiæ timor Domini. Et timor ſeruilis ſecundum Gerſonem de ſeptem donis ſpirituſſancti eſt quo quis offendere timet tantum ne incurrat pœnam gehennæ. Iſte aliquantulam habet vtilitatem, quia frequentèr introducit charitatem, ſicut ſeta introducit filum ſutoris, vt perhibet Auguſtin. De quo & videre potes Gabr. diſtinct. xiiij. quæſt. ij. art. iij. dub. iij. libr. iiij. quod hic timor inducit charitatem & ſuccedentem timorem filialem, & eſt diſpoſitio, ſed remota ad gratiã, &c. Hic timor non diſtinguitur à timore naturali ſecundum beatum Thó. di. xxxiiij. q. viij. ar. ij. quo quis nociuum omne naturaliter refugit, quamuis timor ſeruilis illo modo ſpecialiter reſpicit pœnam futuram peccato debitam. Timor veró naturalis generaliter eſt reſpectu cuiuſlibet nociui apprehenſi, vt poſsibiliter futuri, ſiue ſit temporale ſiue perpetuum, ſiue ſpirituale ſiue corporale.

Timor initialis eſt quaſi medius inter ſeruilem & caſtum ſeu filialẽ (vt ſcribit Gabriël di xxxv. li. iij.) Medius per participationem extremorũ. Iſte enim timor (vt dicit Magiſter) nec ex toto eſt ſeruilis, nec ex totó caſtus, ſed eſt tanquam medius, aliquid de ſeruili & aliquid de caſto timore habet. Facit enim partim ſeruire timore pœnæ, partim amore iuſtitiæ, per quem timemus damnari, & timemus offendere. Vnde timor initialis ſic deſcribitur. Eſt actus vel habitus ſeruiendi Deo propter cauere Dei offenſam

offenſam, & ſimul pœnam diuinæ legis tranſgreſſoribus debitam, vt dum quis apprehendit indignitatem diuinæ offenſæ eiuſque malitiam, & horret eam, ſimiliter & pœnam offenſoribus præparatam, & elicit nolle offendere Deũ propter cauere vtrũque, ſcilicet Dei offenſam & pœnã. Actus ille ſimiliter & habitus ad ipſum inclinans, eſt timor initialis. Hic timor oritur ex amore Dei ſimul & ex amore ſui. Propter primum timet offendere dilectum. Propter ſecundum cauet pœnam & ſibi malum. Nonnunquã tamen, vt dicit Magiſter vterque timor dicitur quãdoq; in ſcripturis initialis & vterque ſeruilis, quia & initialis, qui eſt in charitate inchoata, aliquid habet de ſeruili, ſcilicet angorẽ pęnę, & aliquid de caſto, ſcilicet quod timet ſeparari ac offendere. Sic & ſeruilis communicat cum initiali, quia attendit pœnam quã etiã (licet nõ ſolũ) attendit initialis. Vnde vterque dicitur initiũ ſapientiæ. Alia tamẽ & alia ratione ſeruilis, quia præparat locum ſapientiæ, & ducit ad ſapientiã. Initialis, quia inchoata ſapientia, quem cum quis habere incipit, ſapientiam, & charitatem habere incipit. Timor initialis ſecundum Bruleferum di. xviij. qu. j. libr. j. eſt ille, quo incipit amare illud, quod ſibi videbatur durum, & hoc non ſolum propter timorem pœnę, ſed etiam propter amorẽ Dei. Et dicitur initiũ vel principium ſapientiæ, vt dicit S. Bonauen. diſt. xxxiiij. lib. iij. circa textum pro eo quòd diſponit ad ſuſcipiendam ſapientiam, & recedendum à culpa. Non diſcrepat à prædictis Gerſon parte ij. in compendio Theolo. de ſeptem donis ſpiritusſancti. Timor initialis eſt qui quaſi duplicem habet oculũ ſeu reſpectum. Vnum ad fugam pœnæ, aliũ ad amorem gloriæ, ſeruit enim Deo partim timore gehennæ, partim amore gloriæ vel iuſtitiæ.

Timor amicalis vel caſtus aut filialis (quod idem eſt) dicitur amicalis, quia cauſatur ex amore Dei, qui eſt amicitia. Filialis, quia eſt reſpectu offenſæ Dei, qui eſt pater noſter. Et dicitur caſtus, quia Deus Metaphoricè ſpõſus animarũ noſtrarũ dicitur. Hic timor eſt habitus vel actus cauẽdi Dei offenſam, & reuerẽdi Deũ propter offenſæ malitiã, & diuinę dignitatis amorem, vt cũ quis apprehẽdit ſummã Dei dignitatẽ quã diligit, & ſummã malitiam offenſæ huius dignitatis, quam horret vt contrarium dilecto. Hinc elicit actum reuerendi Deum, & cauendi offenſam. Hic actus & habitus ad ipſum inclinantes timor eſt caſtus, accipiendo timorẽ ſecundo & tertio modis. Iſte timor planè oritur ex charitatiuo amore Dei, qui horret offenſam Dei, & eius dignitatis reuerentiam ardenter deſiderat. Ex hoc patet quod initialis etiam communicat cum timore caſto, quia horret malitiam diuinę offenſę, quã principaliter cauet, nõ tamẽ ſic principaliter habẽs oculum ad diuinam reuerentiam ſicut timor caſtus. Et illorum timorum dictorũ eſt diuerſitas apud doctores. De quo videre potes Gabr. di. xxxv. q. vnicã, art. j. libr. iij. Timor caſtus (vt ſcribit Bruleſer diſt. xviij. qu. j. lib. j.) eſt ille quo homo timet offendere Chriſtũ ſuum ſpõſum ne derelinquat ipſum, & eſt amor filialis, & ſtat cum perfecta charitate. Gerſ. de ſeptẽ donis ſpiritusſancti ait. Timor filialis ſiue caſtus, eſt quo timemus ne Chriſtus animæ noſtræ ſpõſus aut tardet, aut diſcedat, aut aliquatenus offendatur. Hic eſt timor ſanctus de quo & ſuprà dictum eſt, qui permanet in ſeculũ ſeculi, qui alio nomine (vt inquit Cancel. Pariſ.) dicitur reuerẽtialis. Et ſecundũ eundẽ. Timor initialis & caſtus propriè dicũtur donũ ſpiritusſancti. De prædictis timoris ſpeciebus, ſcilicet de timore ſeruili, initiali, & filiali ſcribit S. Bona. d. xxxiiij. q. vlt. l. iij. vbi dicit. Timoris eſt intueri tria, videlicet, pęnã vt fugiat, offenſam vt illã caueat, maieſtatẽ ſuã vt illi ſubiaceat, exhibẽdo reuerentiã. Et ſecundũ hoc triplex eſt doni timoris differẽtia. Vnus qui principaliter aſpicit pœnã, & iſte eſt ſeruilis, alius verò qui vnũ oculũ habet ad pœnam, ſed tamen principaliter habet ad offenſam vitandam, & hic eſt initialis. Tertius autẽ qui vnũ oculum habet reſpectu offenſę vitandę, alium verò reſpectu reuerentiæ exhibendæ, & hic eſt filialis.

Timor mercenarius eſt, qui fit timore amiſsionis æternæ mercedis ſiue beatitudinis, pro quanto eſt maximum commodum, & eius amiſsio maxima pęnarũ. Amiſsio autẽ beatitudinis dupliciter timeri poteſt. Vno modo vt eſt ſeparatio animæ à Deo ſpõſo ſuper omnia dilecto, cui ex amore iugi deſiderat ad laudem & reuerentiã dilecto. Et hic timor pertinet ad timorem caſtum & filialem. Alio modo vt amiſsio beatitudinis eſt priuatio ſummi commodi, & maxima pœnarum, & ſic pertinet ad timorem mercenariũ, qui eſt ſpecies timoris ſeruilis. Et ſecundum hanc diſtinctionẽ oportet intelligere verba ſanct. Aug. per Magiſtrum allegata, vbi quod timoris ſeparationis à ſpõſo attribuit timori caſto & filiali. Patet ergo quod timor mercenarius eſt timor ſeruilis, quia eſt timor pœnæ, ſcilicet amiſsionis regni, & ſummi cõmodi, quæ eſt magna pœna. Gab. di. xxv. q. vnic. ar. j. li. iij. & ar. ij. dicit, quod timor naturalis neque repugnat charitati, neque coëxigit eam ſibi, timor enim ille oritur ex amore naturali ſuiipſius, ſed ille nec repugnat charitati, nec eam coëxigit, cum ille ſit in omnibus hominibus. Fuit & in Chriſto timẽte pęnas corporales & mortẽ, vt & prius tactũ eſt. Eſt & in fidelibus & in infidelibus, quia naturaliter omnis homo timet mortem, ſed non in omnibus eſt charitas. Timor verò mundanus charitati eſt contrarius, quia includit deſertionem Dei, qui repugnat charitati. Sed accipiendo timorem ſeruilem ſecundo modo, vt dictum eſt nõ primo, repugnat charitati quo ad actũ, & neutro modo quo ad habitum: ille enim timor includit deformitatem repugnantem charitati in actu ſuo, & timor naturalis poteſt ſtare cum charitate, & timor vtroque modo manet cum charitate ſecundum habitum. Nã quamuis charitas repugnet actui vitioſo, nõ tamen habitui vitioſo, vt alias dicitur. Item timor initialis quantum ad actũ, ſtat cũ charitate in via, non tamen manet cũ ea dum fuerit perfecta. Hoc probat Magiſt. di. xxxiiij. c. viij. li. iij. vide ad hoc Gabr. concluſ. iiij. vbi ſupra. Sed timor caſtus ſecundũ habitum & actũ nõ ſeparatur à charitate, neque in via, neq; in beatitudine, actus enim eius procedit ex charitate. Sunt autẽ duo actus timoris caſti. Vnus quo declinatur malũ timore offenſionis diuinę aut ſeparationis à Deo, qui nõ manet in patria vbi cõfirmati ſunt beati, vt peccare nõ poſsint & ꝑpetui ſpõſi ꝑſentia ſecuri. Alius eſt actꝰ quo reuerẽtur Deũ tanquã ſummum ac digniſsimũ & per-

& perfectiſsimum bonum, & ille manet in patria. Ibi enim ſumma laus, honor & reuerētia exhibetur Deo, ſecundum illud. Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſe. ſe. laudebunt te. Vide latiùs Gab. & Bon. Ex quo habetur quod nec timor naturalis, nec ſeruilis, nec initialis manet in patria. Illi enim ſunt reſpectu mali cauendi, nullum autem malum nec pœnæ nec culpæ eſt in patria, ergo reſpectu illius non erit aliquis actus. Hoc eſt de intentione ſancti Bonauen. di. xxxiiij. qu. ij. art. vj. Vide latiùs Gab. de timore ar. iij. vbi ſupra. Et dub. vltimo dicit. Quod timor eſt tam in concupiſcibili quàm in iraſcibili. Nam timor ſeparationis à beatitudine eſt in concupiſcibili ſicut deſiderium beatitudinis. Et timor offendentis eſt in iraſcibili in quo eſt deſiderium repellendi offendens & ſe vindicandi. Generaliter enim timor eſt in ea potentia, in qua eſt deſiderium oppoſiti eius quod timetur. Nec verum eſt quod leue ſeu modicū malum nō timetur, quia licèt non timetur intenſe, timetur tamen remiſſe, imo nonnunquā intenſe timetur & cauetur ne per leue malum via aperiatur ad maius malum, aut quia oppoſitum eius eſt multum deſideratum, & amatū ſicut quandoque pro leui malo magnus ardor itæ accéditur. Gabr. Et timori (vt ſcribit Gerſ. parte iij. de myſtica Theologia practica, qui & aliàs multa de timore ſcribit) ſocianda eſt ſpes ne in deſperationem ruat, timendum itaque ſemper & ſperandum eſt vt aliàs dicit, ſed ne quid nimis. Et qui Deum timet, nihil timebit aduerſi, vt vult idē part. j. in propoſitione in concilio Conſtantienſi ex parte regis Franciæ. Vnde & Aug. ſuadet. Homo time Deum, & minantem mundum ridebis.

Timpanum inſtrumentum muſicum, compoſitum ex pelle deraſa, tenſaque, cuiuſmodi nō eſt vna magnitudo vel forma vel vſus (vt ſcribit Gerſ. parte iij. tract. j. de canticorum originali ratione.) Et timpanum plus quādoque placet ruſticis quàm alia inſtrumenta muſica, vt idem ait tract. ij. de canticis & ſolatio, quoniam aures ad ſubtiles armonias non habent idoneas. Sunt autem duo timpanula, vt idem ſcribit de canticorum originali ratione. Vnum obtuſi ſupra modum ſoni. Alterum peracuti, vbi ſignificationē accipere poſſumus timoris humiliantis, & ſpei eleuantis, propriè miſericordiam & iudicium quæ Domino cantandæ ſunt. Spes in contēplatione diuinæ pietatis & gratuitę bonitatis. Timor in affectu ſeueritatis inſuſtētabilis aduerſus peccatores, quos obdurare dicitur ſicut aliorum miſereri. Sunt alia timpana vulgaribus magis aſſueta, quia ſonabiliora ad ſaltus inconditos, & alia tripudia quibus ſolent iungi fiſtula biforamina & triforamina, tripos inſuper nō grandis calibeus, hinc inde percuſſus. Cymbala quoque nonnunquam ex ære per mutuā colliſionē tinnitus acutos reddētia, quibus Iudæos veteres vſos fuiſſe Lyra non ſiluit. Tu fortè (inquit Gerſ.) rudis es, & ad Pſalterij, cytharæque ſubtilitatem ineptus, cantes in timpano mortificationis concupiſcentiæ carnalis per abſtinentiam & ieiunia. Concinas in choro fraternæ charitatis & conuictus honeſti ſine querela quæ diſſonantiam operetur: denique quomodolibet id egeris dum non ſileas à laudibus creatoris. Hæc Gerſon.

Tyrannus (vt ſcribit Gerſon parte j. de erroribus circa præceptum. Non occides, & de erroribus circa cōfeſsiones) eſt qui in repub. nō iure principatur aut principari conatur. Nam ſicut regnum rectus principatus dicitur, ſic & tyrannia dominium peruerſum nuncupatur. Et tyrannus ad proprium cōmodum reſpicit. Hinc Ariſt. viij. Ethic. ait, Tyrānus eſt, qui quod ſibi conferens eſt, intendit. Rex verò qui quod vtile eſt ſubditorū, & apud antiquos tyrannus pro bono principe accipiebatur. Virgilius:

Pars mihi pacis erit dextram tetigiſſe tyranni.

Vſus deinde obtinuit, vt pro eo demum poneretur qui dominatu crudeliter abuteretur. Vide & in dictione Rex. Et Greg. mora. xij. ſuper illud Iob 10. numerus annorum tyrannidis eius incertus eſt. Tyrannus ait qui in communi republica non verè principatur.

Tolerantia Idem eſt quod patientia, venitque à tolero, quod eſt patienter fero.

Tonſura propriè loquēdo, vt inquit Rich. di. xxiiij. ar. j. q. ij. li. iiij. nō eſt ordo, ſed diſpoſitio ad ordinis ſuſceptionē. Ordo enim ſacramentū eſt vt oſtenditur, & tōſura ſacramentū nō eſt, ſicut enim catechiſmus nō eſt cauſa rei ſacræ à ſacrādo dictæ niſi mediāte baptiſmo, ſic nec tōſura niſi mediāte ordine. Vnde & ſi ſit quid ſacramētale, nō tamē eſt ſacramentū. Et (vt idē dicit) & ſi tonſura ſit ſignū alicuius rei ſacræ, non tamen eſt ſignum rei ſacrantis quam efficiat. Non enim cùm aliquis tonſuratur ex vi tonſurationis, ſacer efficitur. Plura de tōſura apud eundē, quā Petrus Palu. vocat coronā di. xxiiij. q. iij. ar. j. li. iiij. Et vt ipſe dicit, quia per coronā ſolū deputatur homo ad chorū, vbi nō habet ſpeciale officium, ſed cōmune, ideo non eſt ordo: niſi ſicut dicitur ordo religionū, qui eſt deputatio ad collegiū in quibuſdam ceremoniis, & ſic dicitur de æta. & quali. ordi. cum contingat, quod per propriam tonſuram clericalis ordo confertur. Et (vt idem dicit.) Tonſura diſpoſitio eſt cōgruitatis nō neceſsitatis reſpectu ordinis: ſed reſpectu beneficij eſt neceſsitatis, & etiā reſpectu Eccleſiæ iuriſdictionis, quia ius ſpirituale nō cadit in laicū. Vnde nō tenet collatio beneficij vel cōmiſsio iuriſdictionis facto nō tōſurato. Nō clericus enim nō eſt capax. Et effectus tonſuræ (vt idē dicit. ar. iiij.) vbi ſupra eſt quod habens eam gaudet priuilegio fori, ſcilicet, vt non conueniatur, niſi coram iudice Eccleſiaſtico, gaudet & illo priuilegio. Si quis ſuadente diabolo, quia eſt excommunicatus qui in eum manus violentas mittit, & illud priuilegium dat etiam tonſura monachalis. Ponit & alios effectus tonſuræ Paluden. Et tonſuræ Eccleſiaſticæ (vt inquit Rabanus Maurus Epiſcopus Magunti. ab Apoſtolis eſt introductus) & hi qui in diuinis cultibus mancipati Domino conſecrantur quaſi nazarei, id eſt ſancti Dei crine præciſo innouentur. Eſt autem in clericis tonſura ſignum quod in corpore figuratur, ſed in animo agitur, ſcilicet, vt hoc ſigno in religione vitia reſecentur, & crinibus carnis noſtræ quaſi crinibus exuamur, atque inde innouatis ſenſibus vt comis rudibus eniteſcamus. Ferūt quidam doctorum hunc ritum patrum Apoſtolum primum ſumpſiſſe vt formam & ſimilitudinem Chriſti in capite teſtaretur, dum pro re-

demptione

demptione noſtra crucis patibulũ ſubiret, ac à nefanda Iudæorũ gente acutis ſpinarum aculeis crudeliter coronaretur. Deinde vt ſacerdotes veter. teſt. tonſura & habitu diſcernerentur. Hęc Rabanus. Perſonæ autem quædam prohibentur coronari, vt eſt mulier, bigamus, infantes, illiterati, coniugati, &c. De quibus videre potes Petrum de Palud. di. xxiiij. quæſt. iiij. art. ij. &c. Tonſura (vt ait Brulefer di. xxiiij. q. j. li. iiij.) eſt amotio capillorum à parte inferiori rotundæ facta, ita quod videantur aures. Et ſic cõuerſi ad religionem etiam laici debent iſto modo tonſurari, non tamen debent coronari. Vnde corona eſt amotio capillorũ orbicularis à parte ſuperiori capitis orbicularis, id eſt rotundæ.

Totum dupliciter accipitur (vt ſcribit Gabr. di. vj. q. ij. ar. iij. dub. j. li. iij.) Vno modo valet tantũ, id eſt perfectũ, cui, ſcilicet nihil deficit ad eius eſſe requiſitũ. Sic dixit Saul. 2. Reg. 1. Adhuc tota anima in me eſt. Si autem hæc perfectio ſimpliciter & abſolutè conſideretur, ſolus Deus perfectus & totus eſt, quia ſolus eſt cui ſimpliciter nihil deeſt, in quo, ſcilicet omne illud eſt quod melius eſt eſſe, quã nõ eſſe (vt ſcribit Gerſ. parte iij. de perfectione cordis in principio) Chriſtus quoque totus eodem tẽpore, ſcilicet in triduo erat in inferno, vt dicit Magiſter di. xxij. lib. iij. Totus in cęlo, totus vbique, ibi totus dicitur perfectus, vt inquit ſanctus Bonauen. ibidem quia perſona Chriſti perfectiſsima ſimul erat in cœlo, in terra, & inferno, & totus refertur ad perſonam, ſed totũ ad naturã, ideo concedit Magiſter quod totus erat vbique, ſed nõ totũ: quia totus refertur ad diuinitatem, totum autem ad diuinitatẽ & humanitatẽ. Humana autem natura non eſt vbique. Alio modo accipitur totum pro cõpoſito ex partibus, quod nõ eſt pars alterius cõpoſiti, vt ſcribit Gabr. vbi ſupra. Primo modo accepit Damaſcenus cùm dicit: quod Chriſtus totus fuit in inferno, non tamen totum, ſicut etiã accipit, cũ dicit: Totus Chriſtus eſt Deus, ſed nõ ſolùm Deus, vult enim quod de Chriſto nõ ſolùm prædicatur hoc prædicatum Deus, ſed etiam aliud quod non prædicatur conuertibiliter de Deo, puta homo, ſicut concedimus quod lac non ſolum eſt album, ſed etiã eſt dulce. Vel vult quod Chriſtus non ſolùm habet naturam diuinam, ſed etiam humanã, ita quod Excluſio illa intelligatur fieri circa abſtractũ incluſum in ſuo concreto. Quod etiam dicit non totum eſt Deus, totum capitur ſincathegorematicè, id eſt non ſolùm quælibet natura in Chriſto eſt Deus. Primo modo accipiendo totum bene eſt ponere totalitatem in Deo, vt ſcribit ſanctus Bonauent. di. xix. libr. j. parte ij. qu. j. ſecundo non, nec etiam partialitatem, non totalitatem, quia aufert ſimplicitatem non partialitatem, quia tollit perfectum, neutrum quia tollit æqualitatem ſummam.

Totum accipitur dupliciter ſecundum Dominum Cardinalem Cameracenſem q. xiij. ar. iij. lib. j. Vno modo dicitur totum, omne quod includit aliquid, quod eſt aliquid, & aliud pręter illud aliud & quodlibet illius, & ſic incluſum dicitur pars illius. Alio modo dicitur totũ, illud quod includit aliquid primo modo. Et cũ hoc includit tantũ, quantũ eſt aliquid certum datum finitum, quod tamen nõ ſic includit incluſum. Et ſic illud incluſum non includẽs tantum quantum includens dicitur pars illius. Et proportionabiliter poſſet dici de toto & parte in quantitatibus diſcretis. Vnde primo modo omnis multitudo eſt totum alterius multitudinis, quæ illam includit, id eſt quæ omnia illa quæ ipſa eſt, & aliud vel alia ab illis, & quolibet illorum. Et omnis multitudo ſic incluſa eſt pars, & hoc modo vna multitudo infinita poteſt eſſe pars alterius, ſicut multitudo partium proportionabilium vnius medietatis cõtinui, eſt pars multitudinis partium totius cõtinui. Secũdo modo nulla multitudo infinita eſt totum, vel pars reſpectu multitudinis infinitæ, & ſic multitudo partium totius continui nõ eſt totum ad multitudinem partium totius medietatis, quia quot binarios vel trinarios includit multitudo totius, tot includit multitudo partis, & non plures includit multitudo totius, quã partis. Et accipiẽdo totũ & pars primo modo (vt idẽ dicit) repetiuntur in infinitis, & nõ ſecũdo modo, & iſto modo cõceditur quod pars non eſt minor toto, primo modo capiendo totum & pars, &c.

Totus & omnis differunt, quod totus ad quantitatem refertur, vt tota domus, tota vrbs, totum corpus aliquod integrum. Omne de vniuerſis dicimus numero diſtinctis, vt omne pecus, omnis grex. Confunditur tamen nonnunquam hæc proprietas à Poëtis. Et totus à tot dicitur, ſicut quotus à quot.

Totum eſt triplex (vt ſcribit Gab. di. xxxiij. q. vnic. ar. ij. li. iij.) ſcilicet, integrale, vniuerſale, & potẽtiale. Integrale eſt cõpoſitum ex partibus ipſum cõſtituentibus, ſicut cõpoſitum ſubſtãtiale, quod cõponitur ex materia & forma. Totum vniuerſale eſt cõceptus cõmunis, vt cõceptus generis. Totũ potẽtiale eſt quod in ſe cõtinet perfectionẽ aliquorũ eminẽter. Sic ex oppoſito repetitur triplex pars, de qua ſuo loco dictum eſt ſupra in dictione, *Pars*.

Totum integrale capitur dupliciter (vt ſcribit Brulefer in prologo. j. ſent.) ſcilicet, propriè, & impropriè. Propriè eſt illud quod cõponitur ex partibus quantitatem habentibus. Illo modo Chriſtus non dicit totũ integrale, quia licèt Chriſtus habeat duas naturas, non tamen ſunt eius pars, eo quòd Deus nõ poteſt eſſe pars, cum hoc dicat imperfectionem, ergo Chriſtus non dicit compoſitum. Totum integrale impropriè captum, eſt id quod complectitur plura entia, non tamen per compoſitionem, ſed per ordinem vel vnionem. Illo modo Chriſtus dicit totum integrale. Et totum integrale eſt duplex, ſcilicet omogenium, & ætherogenium. Omogenium, & eſt illud quod eſt eiuſdẽ rationis in toto & partibus ſuis, cuius, ſcilicet quęlibet pars recipit prædicationem totius in recto, vt quælibet pars vini, eſt vinum. Dicitur ab omos, quod eſt vnum, & genos, quaſi vnius generis & naturę. Totum etherogeniũ eſt illud quod non eſt eiuſdem rationis in qualibet parte & toto, &c. Et dicitur ab etherõ, quod eſt varium, & genos, id eſt varij generis. Nam caput nõ eſt homo, ſimiliter & cor non eſt homo.

Traducere, ex trans & duco, ſignificat de loco ad locum ducere. Ambro. tranſduco vſus eſt. De profundo ad lumen extrahunt fluctuantes, de infimis ad ſuperna trãſducunt. Aliquando traducere eſt ad

vlteriora ducere: quandoq; transferre. Vnde & traducere librũ ex vna lingua in aliã quidã dicunt, hoc eſt interpretari. Aliqoãdo agere ſiue præterire. Cic. Ser. Sulp. Qua ratione nobis traducendum ſit hoc tempus. Aliquando deridere & infamia afficere, & velut in exemplũ proponere, vt eſt apud Euangeliũ: Ioſeph cùm eſſet vir bonus & nollet eam traducere. Matth. 1. Aliquando ſignificat nutrire, fouere, ſuſtinere. A quo venit traductio, quod accipit ſignificationem ex prædictis. Sed traductio, vt accipit ſanctus Tho. ſuper ij. di. xviij. q. ij. art. j. duo importat, ſcilicet, originem, & deciſiooem. Noo enim ignis generatus ab igneo generante dicitur propriè traduci: ſimiliter nec lignum diuiſum in partes, dicitur quod vna pars ab alia traducitur. Sed traductio propriè dicitur in generatione animatorũ, quæ eſt per deciſionem ſeminis. Vnde non poteſt dici quod traducitur ab aliquo illod, quod ab eo originem non habet, nec deciſionem recipit vel diuiſionem. Sicut patet de anima rationali, quæ nõ poteſt traduci ex aliquo cùm creatur ex nihilo. Et tradux vel traductio (vt ſcribit Brulefer di. xviij. q. vj. lib. ij.) eſt productio alicuius animati ab aliquo animato per deciſionem ſeu diuiſionem alicuios corporis vel partis corporis à producente. Vnde catholicè tenendum eſt, quod animę rationales non ſunt extraducæ, ſed immediatè creantur à Deo. Vnde Gabr. diſt. xvij. q. j. art. ij. concluſione v. libr. ij. ait: Anima intellectiua à ſolo Deo creatur, ac creando materiæ præparatæ infunditur. Id quod copioſe ibi probat, quodq; ſit animam eſſe extraduce, ibidem patet: de quo & ſupra in dictiooe *Anima* dictũ eſt.

Trahere ſignificat per vim ducere. Trahimur enim inuiti, ducimur voleotes. Aliquando ſimpliciter ducere, aliquando leuare, item protrahere & remouere, de quo aliàs. Dupliciter autem aliqui trahuntur ad Deum, vt ſcribit Brulefer di. xv. quæſt. j. libr. j. Vno modo ſuauiter per bonas inſpiratiooes. Alio modo violenter per tribulationes & vexationes. Et anima deuota ſic petit vt Deus eam dignetur trahere, apud Gerſonem parte iij. de mendicitate ſpirituali, parte ij. cùm inquit: Quæſo pater me trahere digneris ad te, non me derelinquas in manu mei cõſilij, nec meæ tradas voluntati in modum oberrare à tramite virtutis me videbis. Retrahe me Domine Deus velut pauperem, ſtolidam, cœcam, atque impotentem, & hoc ſiue per tuas virgas aduerſitatis, ſiue per ductorem proſperitatis, ſiue per occultæ inſpirationis inſtinctum à tua bonitate, ſiue per altam manum tuæ poteſtatis, ſiue per bonorum tuorum Angelorum, vel etiam hominum miniſterium, ſiue per quemcunque alium modum tibi placitum: hoc tantum fac ne peream, quodque tua de me & in me non mea voluntas fiat & impleatur. Hæc & apud Gerſonem. Et nemo (dicit Chriſtus Ioannis 6.) venit ad me, niſi pater meus, qui miſit me, traxerit eum. Mira (inquit Gerſon tract. ix. ſuper Canti. Mariæ) ſententia tua Chriſte, ſi iungatur cum altera ſimiliter tua. Nemo venit ad patrẽ niſi per me quod ſic eſt intelligendũ: Nemo venit ad filiũ niſi repletus bonis ſpiritusſancti, nullus dat ſpiritumſanctũ filio in diuinis niſi pater. Nemo poteſt igitur venire ad filiũ niſi cũ ſpiritusſancto quẽ dat ei pater, &c. Hæc Gerſon, &c.

Transferre eſt tranſſumere, & omnes transferentes ſecuodum aliquam ſimilitudinem transferunt. A quo tranſlatio, quę eſt (vt ſcribit Brulefer diſtin. xxxiiij. qu. iiij. libr. j.) voios dictioois vnum propriè ſignificantis tranſſumptio ad ſignificandum aliud ſimilitudinariè propter aliquam ſimilitudinem repertam in ipſis, vt ridere transfertur ad ſignificandum virorem prati. Et ratio vel finis tranſlationis oominum creaturarum ad Deum eſt duplex (vt ſcribit idem Brulefer & S. Bonauen. di. xxxiiij. q. iiij. lib. j.) Concordat ſanctus Thom. & Richar. Vna eſt laus & gloria Dei. Alia eſt manuductio noſtri intellectus, ad intelligendum Deum. Et propter laudem & gloriam Dei neceſſaria eſt tranſlatio nominum ipſarum creaturarum ad Deum, quia Deus laudabilis nimis: ideo ne propter inopiam vocabulorum contingeret ceſſare à laude Dei, ſacra ſcriptura docuit nomina creaturarum ad Deum transferri. In omni enim creatura eſt reperire aliquam perfectionem: & perfectiooes diſperſæ in creaturis eminenter vnitæ ſuot in Deo: ideo Deus vocatur à Theologis omninominabilis, & hoc eſt ſecundum mentem ſancti Diooyſ. de dioiois nominibus. Ipſa enim met veritas nomioat ſe vitem, granum frumenti, &c. Alia ratio eſt manuductio iotellectus noſtri, ad cognoſcendum Deum neceſſaria eſt tranſlatio nominum creaturarũ ad Deum. Quia enim per creaturas ad cogooſcendum creatorem, qui excedit capacitatem intellectus noſtri, venimus vt plurimum, & verè omnes creaturæ habeot proprietates nobiles, quæ ſunt ratio intelligeodi Deum, vt leo fortitudinem, agnus manſuetudinem, petra ſoliditatem, ſerpeos prudentiam, tameo ſerpens propter deceptiooem primorum parentũ dicitur diabolus ſerpens antiquus. Item charitas & ſpiritusſanctus dicitor ignis propter illuminationem & inflammationẽ quam, ſcilicet efficit in anima. Et tamẽ etiã quãdoq; cõcupiſcentia dicitur ignis, eò qoia exurit virtutũ bona: de primo canitur: Qui paracletus diceris, &c. ignis charitas, &c. De ſecũdo Ioëlis 2. Ignis comedit ſpecioſa deſerti, & cõſimilia, & ideo oportuit plura nomina trãsferri ad Deum. Quoniam ergo finis imponit neceſſitatem his quę ſunt ad finẽ cùm trãſlatio ſit ad laudẽ Dei; ideo nomina importãtia deformitatẽ, nõ debẽt trãsferri, vt diabolus, bufo, vulpes, quia magis trãſferuntur ad vituperiũ quàm ad laudẽ, nec nomina importantia imperfectionem debent transferri ad diuina. Vnde barba griſea non debet transferri ad Deum. Inſuper quia tranſlatio fit propter noſtram inſtructionem, & ſimilitodo incipiens à notiori eſt via cognoſcendi; ideo eſt tranſlatio à creaturis tanqoam à notioribus ad creatorem, ſed oon conuertitur. Et quia magna ſimilitudo mater eſt falſitatis; ideo non transferuntur nomina multũ ſimilia, ſicut ſunt nomina Angelorum, ne forte Angelus credatur eſſe Deus. Brulefer & Bonauent. Concordat Thom. & Richard. Vel ideo nomina Angelorum nõ transferuntur, quia non poſſunt propriè dici de Deo, nec metaphoricè, quia metaphora ſumẽda eſt ex his, quę ſunt manifeſta ſecundũ ſenſum: ideo angelica nomina non dicuntur tranſlatiuè de Deo. Ex prædictis patet qood trãſlatio eſt io diuinis quantũ ad nominũ multiformitatem, ratione cuius dicitur

Deus omninominabilis:nec eſt incōueniens (vt inquit Bruleſ. idē nomē ſecundū diuerſas vel propter diuerſas cōditiones transferri ad diuerſa. Leo enim propter crudelitatē ſignificat diabolū,propter fortitudinē verò Chriſtū. Fit præterea trāſlatio (vt vult Tho. & Richar. vt refert Pelbart.) propter occultandū myſteriū diuinū , ideo Dionyſ.ij.cap.cœleſt. Hierarch.dicit,quod conuenientius ſæpè ſignantur nobis diuina per creaturas viliores quā nobiliores, quia his magis occultātur diuina ab infidelibus ne irrideātur,quia ex vtilitate noſtra minus datur ſimplicibus occaſio errandi in figuris rerū viliū quàm nobiliū. Nullus enim dubitat,quod Deus ſecūdum proprietatem poteſt dici aliquod vile animal: ideo conſtat quod ſcriptura huiuſmodi Deo non attribuit ſecundum proprietatem, ſed ſecundum tranſlationem. Thom. & Richard. & Pelbartus.

Translatio rerū poteſt eſſe vel quantū ad dominiū, vel quantū ad vſum ſine ius vtendi. Retēto tamen dominio apud eundē. Tunc enim trāſfertur dominium rei in aliū, quādo alter eandē poteſtatē habet in re ipſa, cuius dominiū trāſfertur quā habuit dominus rei, à quo tranſlatū eſt vtendi, donandi, alienandi. Ex quo patet, quod in mutuo trāſfertur dominiū. Nam mutuatā pecuniā diſtrahere poteſt mutuum accipiēs, & alienare, ſicut is qui mutuo dedit. Sed vſus tantū trāſfertur dū cōceditur alicui, quod re aliqua vti poſſit, nō tamē poſſit rē alienare, corrūpere, ſeu quo ad ſubſtantiā mutare, vt in locatione domus vel accōmodatione equi, aut inſtrumēti artis, ita ſcribit Gab. d. xv. q. ij. li. iiij. Et trāſlatio dominij iuſta poteſt fieri dupliciter (vt idē ſcribit) vel auctoritate publica legis vel Principis: vel ſecūdò auctoritate priuata ipſius domini immediatè poſſidentis. Omnis enim tranſlatio dominij quæ fit auctoritate legis iuſtæ, iuſta eſt. Secūdò poteſt fieri tranſlatio dominij per actū perſonæ priuatæ immediatè habentis dominiū rei. Et hoc dupliciter, vel per actū merè liberalē, quādo, ſcilicet trāſferens nō expectat aliquā redditionē vel actū ſecūdum quid liberalē, dum, videlicet pro eo quod transfert, expectat aliquid reddi. Exemplum primi in donatione. Exemplum ſecundi in venditione. Latiùs ibi legatur Gab. qui & ibidē tractat, quid ad iuſtam donationē liberalē ſpectat, ſcilicet voluntaria donatio ex parte dantis. Secundò voluntas recipiendi ex parte illius cui fit donatio. Tertiò, quod nulla lege prohibeatur ille dare, ille accipere. Sic Monachus ſine licentia Abbatis, nec filiusfamiliàs ſine parentis voluntate poteſt donare: nec viſitatus viſitatori. Prohibitum enim eſt, quod viſitātes à viſitatis vlla recipiant munuſcula (vt & dictū eſt aliàs) & ſi receperint, teneātur duplū reſtituere, vel nō abſoluantur à maledictione, quā ipſo facto incurrunt in ca. exigit. de cenſibus li. vj. Itē deceptus nō merè liberaliter donat, vel quaſi neceſſitate coactus donat, quia ignorātia & coactio excludūt voluntatē, 3. Ethic. Et iuſtitia deficit in hac ſpecie donationis. Vide latiùs Gab. vbi ſupr. Trāſlatio ſecūdo modo nō merè liberalis vbi transferēs expectat aliquid æqualualēs ei, quod transfert, dicitur propriè cōtractus, quia ibi ſimul trahuntur volūtates partiū: trahitur enim ille ad transferendū in illum à cōmodo, quod expectat ab illo, & quod recipit ille. Et horū contractuū quidam eſt rei vtilis pro re vtili immediatè, ſicut vini pro blado, & huiuſmodi: & hic dicitur permutatio. Secundus rei vtilis pro numiſmate vel econuerſo, & dicitur emptio vel venditio. Tertius eſt cōmutatio numiſmatis pro numiſmate, & dicitur mutui datio, & mutui acceptio. In his contractibus præter cōditiones ſupra dictas, ad omnē trāſlationem dominij requiſitas generaliter iuſtitia in hoc conſiſtit, quod fiāt ſine fraude, & ſeruetur æqualitas ſubſtātiæ qualitatis, quātitatis in cōmutatis. Requiritur tamē in qualibet ſpecie cōtractus aliquod ſpeciale, vt ſit iuſtus, &c. In trāſlatione autē vſus tantū abſque dominio iuſtitia proportionabiliter attēditur, ſicut in quibus damnum transfertur. Gabr.

Transformare & trāſmutari eſt in aliud verti, mutari. Vnde in Euchariſtiæ ſacramēto fit trāſformatio panis in eſſentia ſua remanētibus accidentibus. Et mens in Deū trāſformatur dū remanet quidē eſſentia mentis, ſed accidētia noua ſuccedūt: nō phātaſtica, nō materialia, ſed Deiformia diuina charitate radiāte (vt ſcribit Gerſ. trac. ix. ſuper Magn.) Transformatur (inquit Apoſt.) de claritate in claritatē: de claritate cōmunis notitiæ rationalis acquiſitæ in claritatē fidei Deiformis infuſę: de claritate hac fidei in claritatē intelligētiæ, & de hoc demū in claritatē ſaporoſæ & ſapientialis experiētiæ. Sacramentū autē Euchariſtiæ dignè ſumptū, transformat. Nullus inuenitur illapſus intimior in corporalibus quàm vt cibus cōuertatur & trāſformetur in cibatū. Mouet iam nō in ſe, ſed in comedente, viuit eius vita non ſua. Scimus (inquit Gerſ. vbi ſupra.) quod ex voce Domini dixerit Aug. Cibus ſum grandiū, creſce & manducabis me: nec tu me mutabis in te, ſicut cibū carnis tuę, ſed tu mutaberis in me, &c. Et Chriſtus ait: Qui manducat meā carnem, & bibit meū ſanguinē, in me manet, & ego in eo. Eſt igitur hunc cibū māducare, in eo manere, &c. Et ſicut de voluptuoſis brutalibus cōcludit philoſophia apud Boētiū, de quo apud Ouid. in Metamorph. quod deformantur in beluas: ita de ſapientibus elicit, quod in Deū transformantur. Et ſicut primi (inquit Gerſ.) ſunt beluæ vel pecora in effigie corporis humani, ita de ſecundis rectè dicimus, quod ſunt Dij ſub humana ſpecie transformati. Felix huius transformationis cognitio, ſed experimentum & ſentimentum longè beatius, ait Gerſon, &cæ. Fit quoque transformatio quædam per ſpiritumſanctum, ſicut notat Apoſtolus, de qua videatur Gerſon parte ij. ſerm. de ſpirituſancto, qui incipit: Spiritus Domini repleuit. conſiderat. ij.

Transfundere dicitur de vaſe in vas fundere. Quandoque dicitur per tranſlationem, Cicero Dolobellæ: Libentiùs, inquit, omnes meas laudes, ſi modò ſint aliquæ meæ laudes, ad te trāſfuderim. Capitur & aliquando transfundere vno modo (vt ſcribit Gabriel di. xxxij. quæſt. vnica, in fine lib. ij.) quando pater generando prolem producit filium Adæ, & per cōſequens debitorem originalis iuſtitiæ, qua quia caret, peccator eſt peccato originali, non autem eſſet debitor originalis iuſtitiæ, ſi non eſſet filius Adæ. Dicitur peccatum originale contrahere à parente, & illa transfuſio non intelligitur ſicut transfuſio liquoris de vaſe vno in aliud vas, quaſi

aliquod

aliquod pertinens ad rationem peccati originalis formalem exiſtens in parente transferatur in prolem: ſed vt dictum eſt, &c. Et quia hoc habet à parente, quod eſt filius Adæ, dicitur peccatum originale contrahere à parente.

Tranſgredior, tranſeo, non ſeruare aliquod præceptum vel prohibitum omittere. A quo tranſgreſsio. Eſt autem proprie tranſgreſsio agere contra præceptum negatiuum, & eſt communis omni peccato materialiter. Sed formaliter eſt ſpeciale peccatum dupliciter, ſcilicet vt dicit contemptum præcepti, & vt differt ab omiſsione ex beato Thoma.ij.ij.qu.lxxix.artic.ij.

Tranſſubſtantiatio poteſt ſic deſcribi (ſecundū Occam) & Dominum Petrum de Aliaco. quæſt.vj. libr.iiij. ſupplentem deſcriptionem Occam. Tranſſubſtantiatio eſt immediata ſucceſsio ſubſtantiæ ad aliquod poſitiuum deſinens eſſe ſecundum ſe & quodlibet ſui ſub eiſdem accidentibus, vel loco eius quod deſinit eſſe. Dicitur primò immediata ſucceſsiu, quia inter deſitionem eius quod tranſſubſtantiatur, & ſucceſsionem eius in quod tranſſubſtantiatur, non debet cadere tempus medium. Alioquin ſi aliquid ante centum annos deſiiſſet, & in locum eius nunc ſuccederet aliqua ſubſtantia, eſſet tranſſubſtantiatio, quod non cōceditur. Dicitur ſucceſsio, quia ſi ſubſtātia aliqua annihilata alia crearetur non in ordine ad iſtam annihilatam, non eſſet ibi tranſſubſtantiatio, quia nulla ſucceſsio. Dicitur ſubſtantiæ, ad excludendum tranſaccidentationem, ſcilicet dum aliquid conuertitur in accidens. Dicitur aliquid poſitiuum, quia ſiue id quod deſinit ſit ſubſtantia ſiue accidens, dum tamen ſuccedit, ſubſtantia dicitur tranſſubſtantiatio. Sed Occam ſtrictius accipit tranſſubſtantiationem quàm hic diffinitur, qui loco ad aliquid poſitiuum ponit ad ſubſtantiam. Dicitur deſinens ſecundum ſe, & quodlibet ſui propter generationem, in qua genitum non ſecundum quodlibet ſui incipit eſſe: manet enim materia communis vtriuſque. Dicitur ſub eiſdem accidentibus, quia ſi aliqua ſubſtantia in cœlo produceretur ad deſitionem alicuius in terra, non eſſet tranſſubſtantiatio, licèt huius oppoſitum tenet Scotus. Additur vel loco, quia ſi Deus terminum à quo tranſſubſtantiationis deſtrueret quantum ad ſe, & omnia accidentia ſibi inhærentia, ſufficit quod terminus ad quem ſuccedat in eodem loco. Gabr. poſt Occam & Aliacenſem di.xj.q.j.art.j.libr.iiij.

Tranſſubſtantiatio accipitur dupliciter, vt notat Gabriēl vbi ſupra. Vno modo communiter, & ſic diffinita eſt. Alio modo ſtrictiùs, & tunc prædictæ diffinitioni additur, primò & principaliter intentæ à conuertente, vt ſic dicatur: Tranſſubſtantiatio eſt immediata ſucceſsio ſubſtantiæ primò & principaliter intentæ à conuertente ad aliquod poſitiuum, &cæ. vt priùs. Dicitur autem principaliter intendi à conuertente, quod non intendit, quia coniunctum alteri intento, ſed intenderetur tanquàm terminus conuerſionis, ſi eſſet per ſe ab aliis ſeparatum. Et (vt idem dicit) facta conſecratione panis, ſub ſpeciebus panis eſt verum corpus Chriſti, tale, quale eſt in ſua naturali conſiſtentia pro tempore, hoc eſt modò tali, quale eſt ad dextram patris, viuum, immortale, glorioſum, cōiunctum Deitati, cum omnibus qualitatibus & accidentibus ſibi inhærentibus. Si autē fuiſſet facta conſecratio in triduo mortis, fuiſſet tale corpus, quale iacuit in ſepulchro, ſcilicet exangue & exanime, ſed coniunctum Deitate, ſuo modo de ſanguine ſub ſpeciebus vini. De quo videatur idem lect.xxxvij.canon.miſ. Et dicò notanter, corpus tale, non tantum, quia non eſt in ſacramento quantum, cum ibi non ſit extenſum nec circunſcriptiuè, &c. Et in conſecratione ſacramenti eucharistiæ, ſubſtantia panis tranſſubſtantiatur in corpus Chriſti & partes eius, accipiēdo trāſſubſtantionem largè, & incipit ibi eſſe totus homo Chriſtus ſub ſpeciebus panis, qui eſt corpus, vt eſt ſpecies ſubſtantię. Incipit & ibi eſſe humanitas Chriſti & anima, quæ eſt pars corporis. Incipitq; eſſe præſens ibi ſanguis, & cæteri humores ſubſtantiales, ergo in omnia illa conuertitur, non autem ſit conuerſio in Deitatem, licèt veriſsimè ſit ibi, cùm ipſa nullibi incipit, ſed ſemper eſt vbiq;. In Deitatē enim nihil poteſt tranſſubſtantiari vel conuerti. Nec in Deitatem poteſt cadere aliqua mutatio, vt ait Gab.dub.iij.di.xj.lib.iiij. Sed accipiendo tranſſubſtantiationē propriè ſiue ſtrictè, ſubſtantia panis dū ritè conſecratur tranſſubſtantiatur tantū in corpus Chriſti, hoc eſt, in ſolā carnē Chriſti, vt eſt proximū perfectibile ab anima intellectiua, vt ait Gabr.ar.ij.vbi ſupra concluſ.iij. Itē ſubſtantia panis & vini conuerſa in corpus & ſanguinem Chriſti nō manet cū eiſdem ſub forma ſacramenti. Probatur auctoritate Eccleſiæ de ſum.tri.& fi.ca.Firmiter, vbi dicitur. Trāſſubſtantiatis pane in corpus, & vino in ſanguinē poteſtatē diuina. De quo legito latiùs Gab.vbi ſupra. Ex quo habetur quod panis cōuertitur, trāſſubſtantiatur & cōmutatur in corpus Chriſti. Et quod ſubſtātia panis nō manet, ad hoc legatur plenius Gabr.lect.xl. & liij.& xlij.cano. Vnde breuiter dicitur quod panis ſecundū ſe totū deſinit, & nihil panis manet, nec materia, nec forma, ſed tantū accidētia. An autē hæc deſitio debeat dici annihilatio, an nō ſtatin quid nominis termini. Nā ſi annihilatio dicitur deſitio rei ſecundū ſe totā, ita quod nihil q̄ fuit de eius eſſentia maneat, ſic panis in hac cōuerſione annihilatur. Sic etiā forma ſubſtātialis corrupta annihilaretur, licèt non compoſitum, quia in corruptione compoſiti manet aliquid, ſcilicet materia communis corrupto & genito. Si verò accipitur pro deſitione rei ſecundum ſe totam, cui nihil poſitiuum ſuccedit, ſic panis non annihilatur, quia ſuccedit corpus Chriſti, & ita communiter accipitur annihilatio à doctoribus, & panis deſinit eſſe, & non per corruptionem. Et quia hæc deſitio eſt ſupernaturalis & miraculoſa, nō habet nomen impoſitum à Philoſophis; ſed poteſt dici deſitio rei ſecundum ſe totam. De quo latiùs videto Gabriēl.lect.xlj.canonis miſſæ & ſuprà in dictione, *Annihilatio*.

Tremor eſt effectus timoris propter debilitatem virtutis ex defectu caloris, ex ſanct. Thom. prima ſecundæ qu.xliiij.art.j. Tremit cor maximè timentibus, & quę connectuntur pectori, vt vox, labium inferius, mādibula inferior, brachia, manus, quia calor deſerit cor, & deſcēdit ad inferiora: Vel quia hęc

membra ſunt nobiliora, ſicut & genua, ex S. Tho. ibidem art. iij. Et non ſolùm ipſam commotionem ſeu agitationem ſignificat, ſed & timorem. A quo tremebundus, id eſt abundè tremens.

Trepidus, pauidus. Quandoq; pro feſtino ponitur, vt eſt apud Virgilium. A quo trepido pen. cor. idem quod timeo. Ambroſius; Trepidare, virginũ eſt ad omnes ingreſſus viri pauere, omnesque viri affatus vereri. Apud Virgilium pro feſtinare reperitur. A quo trepidatio, quæ eſt animo effuſus horror, geſtu, motuque corporis feſtinando, vltro, citroque curſando demonſtratus.

Tribus idem eſt quod progenies. Tribus Domini (vt ſcribit Valentia. ſuper illud Pſal. 121. Illuc enim aſcenderũt tribus tribus Domini) teſtimoniũ Iſraël dicuntur veri filij Iſraël, qui receperunt Meſsiam; quia ſoli illi vident Deum, & confitentur nomini eius, in teſtimoniũ quod ſunt veri filij Iſraël cui facta eſt promiſsio. Qui ergo nõ receperũt Chriſtũ, nõ ſunt veri filij Iſraël, quia nõ receperunt teſtimoniũ eius, nec prophetiã verificant, nec affirmãt, imò præuaricantur & peruertunt ad terrena, &c.

Tribulatio à tribulo venit. Eſt enim tribulus herba pungitiua, ſecundũ ſanctũ Thom. ſuper Pſal. 3. Et tribulor verbum factum ab anguſtia & dolore illorum qui tribulũ ferri, vel tribulum herbam calcauerint. Homini Chriſtiano patienti bona eſt tribulatio, quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnũ Dei, vt dicitur Act. 14. Vnde Auguſtinus in ſerm. ad Lippiũ: Noli admirari frater, ſi poſtquã Chriſtianus effectus es, mille te vndique tribulationes vexant: Hinc Hieron. in Epiſtola ad Heliodorum: Quis non tribulari velit, quis ſe non maledici deſideret, vt mereatur Chriſti voce laudari, & cœleſti, copioſaque mercede munerari? vtinã contra Domini mei nomen atq; iuſtitiã cuncta infideliũ turba me perſequatur & tribulet, vtinam in opprobriũ meũ ſolidius hic mundus exurgat, tantùm vt merear à Chriſto laudari, & ad ſuæ pollicitationis properare mercedẽ, &c. Vnde Ambr. Quid in hac vita non experimur aduerſi, quas non procellas, tempeſtateſq; perpetimur? Quibus non exagitamur incommodis, cuius meritis parcitur. Idem: Multi in ocio quærunt Chriſtũ, & non inueniunt: & ſunt qui quærunt in perſecutionibus, & citò inueniunt, in periculis fideliũ ſuorũ adeſt. Donis ſuis Deus flagella permiſcet (inquit Grego.) vt nobis omne quod nos in ſeculo delectabat, amareſcat: & illud incendium ſurgat in animo, quod nos ſemper ad cœleſte deſiderium inquietat & excitet. Idem xxvj. Moral. Aurem cordis tribulatio aperit, quam ſæpè proſperitas huius mũdi claudit. Et multa aliàs de tribulatione à ſanctis Doctoribus ſcribitur. Et licèt aliquis optet tribulationem tranſire & ceſſare ab eo propter dolorem quem ſentit ad præſens, ſicut dicit Apoſtol. ipſa tamen generat & apportat fructum valde placabi'em, vt ſcribit Gerſon de monte contemplationis, cap. xv. Et non eſt aliquid vt idem dicit, quod ſic viuaciter eradicat amorem iſtum mundanum à terra animæ, quemadmodum tribulatio bene & patiẽter recepta & temperata exiſtẽs. Et quod plus eſt, ab iſto amore perfectè nõ poteſt quis ſequeſtrari ſine tribulatione ab extra adueniente, vel accepta per voluntariã pœnitentiã, & carnalitatis mortificationẽ, niſi miraculoſe aliter factũ fuerit, & per Dei donũ ſpeciale. Et vt idem ait tract. ix. ſuper Magnif. Tribulatio exercẽs probat ad virtutẽ, vel purgat vel liberat à reatu, vel erudit ad ſapientiam. De vtilitate & effectu tribulationum, vide plura & pulchra apud Gerſ. par. iiij. ferè in fine. & aliàs multa de ea.

Tributum quod Principi tribuitur pro generali regimine. Vectigal verò quod tribuitur pro reparatione & cuſtodia de mercimoniis, ex ſancto Tho. ſuper Epiſtolam ad Rom. 13. De quo vide & in dictione *Præſtatio*.

Triclinium, Latinè diſcubitorium dici poteſt. Eſt enim locus in quo diſcumbebãt & cœnabant, præcipuè in conuiuium accepti à tribus lectis quos iter nebant contiguis. Nam tres menſas in conuiuio apponere veteres ſolebant, & iacendo cœnare, ſicut faciunt Turci. Significat & triclinium lectos diſcubitorios, & ipſam cœnationem, id eſt locum vbi ſuper lectis cœnaturi diſcumbebant. Transfertur & ad alia pro mãſione. Vnde tricliniũ cordis, in quo habitant animus & anima, vir & vxor ſua, vigor perceptiuus, vigor cognitiuus, & vis actiua. De quo vide Gerſo. trac. xij. ſuper Cantico Mariæ. Et in hoc triclinio cordis præſidet tanquã architriclinus ſpiritus rationalis, ſecundũ tres mãſiones ſeu cœnacula vel tabernacula cordis ſui. De quo legito Gerſ. trac. vij. ſuper Magnif. Primũ eſt cœnaculum mentis. Medium, cœnaculum rationis. Tertiũ erit infimum animæ cœnaculo deputatum. Vide latiùs Gerſonem vbi ſupra.

Triduum dicitur tripliciter, vt ſcribit Bruleſer diſt. xxij. q. j. li. j. Primò dicitur triduũ, id eſt tempus in quo in matutinali officio Threni cantantur Ieremiæ. Hoc modo dies Iouis, Veneris, & Sabbati ante diem reſurrectionis dicuntur triduum. Et hoc modo capiẽdo Chriſtus bene fuit homo in triduo, quia die Iouis & Veneris vſque ad horam nonam. Secundò dicitur triduũ illi dies artificiales, in quibus anima Chriſti à corpore ſeiũcta eſt: & hoc modo totus dies Veneris, Sabbati, & dies Dominica dicuntur triduum. Hoc etiã modo in triduo Chriſtus fuit homo, quia die Veneris vſque in horã nonam, & die Dominico ab hora reſurrectionis & deinceps. Tertiò dicitur triduũ per ſynechdochen, id eſt ſolum, ſcilicet tempus in quo à corpore Chriſti anima ſeiuncta eſt. Hoc modo triduum dicitur dies Veneris, ratione vltimæ ſuę partis: dies Sabbati integer, & dies Dominica ratione ſui initij. Et hoc modo Chriſtus non fuit homo in triduo: de quo latiùs ſupra videre potes in dictione *Homo*. Aliàs triduum dicitur ſpatiũ trium dierum. A quo triduanus, a, um. Vnde triduanas inducias legimus.

Trinitas, nomẽ Trinitatis, vt ſcribit Dominus Cardinal. eſt nomen collectiuum ſupponẽs immediatè pro tribus perſonis ſimul, & pro nulla earum ſeorſum: & ſic S. Bona. vult eſſe nomen non collectiuũ di. xxiiij. ar. iij. q. j. li. j. Nam (vt ipſe ait) vnitas collectiuorum, eſt vnitas aggregationis, quæ cõſequitur pluralitatem: hic autem eſt vnitas formæ, quæ non eſt pluralitatẽ conſequens: ideo nõ eſt nomen collectiuum, ſed quaſi collectiuum, vt dicit Magiſt.

Trinita-

Trinitatis nomẽ ſignificat vnitatem eſſentiæ in recto, & numerũ perſonarũ in obliquo, quo ad etymologiam: ſed quo ad ſignificationem, eſt ecõuerſo, vt inquit S. Tho. j. part. q. xxxj. art. j. Et trinitatem in diuinis eſſe, non eſt impoſsibile, vt ibidẽ dicit. Vnde 1. Ioã. 5. dicitur: Tres ſunt qui teſtimoniũ dant in cœlo, pater, verbũ, & ſpirituſſanctus, & hi tres vnũ ſunt. Et tres ſunt, qui teſtimoniũ dant in terra, ſpiritus, aqua, & ſanguis, & hi tres vnũ ſunt, &c. Et trinitatem in diuinis dupliciter concipimus. Quandoq; multum imperfectè per conceptus communes omnibus perſonis, qui tamen appropriãtur plus vni perſonę quàm alteri, vt conceptus, potentiæ patri, ſapiẽtię filio, bonitatis ſpirituiſancto: quilibet tamen ſupponit pro qualibet perſona. Intelligimus ergo per hos Trinitatem, ſed multum confuſe, pro quanto appropriatur diſtinctis perſonis. Alio modo magis perfectè intelligimus Trinitatẽ per conceptus proprios & relationes, quorũ vnus eſt proprius vni perſonæ, & non ſupponit pro alia, vt conceptus patris, filij, & ſpirituſſancti. Item generantis geniti procedentis. Item producentis non producti, producti ab vno tantùm, producti à duobus. His tribus intelligimus tres perſonas realiter diſtinctas. Hæc Gabriẽl di. iij. q. ix. lib. j. Et hoc nomen trinitas (vt ſcribit ſanctus Bonauen. di. xxiiij. art. iij. qu. ij. lib. j.) habet duplicem etymologiam. Vno modo trinitas dicitur vnitas ter, & ſic nomen numerale cadit in Deo, vt complementum. Alia etymologia eſt, trinitas eſt vnitas trium, & tunc vnitas non numeratur, ſed ſignificatur vt communicabilis à tribus. Et quoniam hæc vnitas eſt eſſentialis, ideo importat vnitatem eſſentialem. Et hæc etymologia abſque dubio habet veritatem. Sed prima non videtur habere veritatem. Nam cùm eandem ſignificationem habeat trinus & trinitas: ſi illa eſt etymologia trinitas ter, tunc trinus diceretur vnus ter. Hoc autem non poteſt dici de Deo: videlicet, ter vnus, cùm tamen dicatur trinus. Propter quod dicendũ, quod huiuſmodi nomina importanr vnitatem formalem ſiue eſſentiæ cum pluralitate ſuppoſitorum: & ideo habẽt quodammodo naturam termini ſubſtantialis in hoc quod dicuntur de tribus ſingulariter, & termini numeralis in hoc, quod dicuntur de nullo per ſe. Iſido. lib. Etymol. ait: Trinitas dicitur quaſi trium vnitas, quia pater, filius, & ſpirituſſanctus, ſunt trinitas & vnitas. Idem enim & vnum ſunt propter maieſtatis communionem, & tres per proprietates perſonarum. Et pater in trinitate vt nobis fides tradit, eſt mens ſiue memoria fœcunda omnium intelligibilium, ad quam paternus intellectus conuertens aciem, gignit ex ſe verbum expreſsiuum omnium intelligibiliũ, ad quam paternus intellectus conuertens aciem, gignit ex ſe verbũ, quod erat in principio apud Deũ, per quod omnia facta ſunt: & ex mutua dilectione patris ad filiũ, & filij ad patrẽ proceſsit amor perſonalis, quẽ dicimus ſpiritumſanctũ. Hæc & latiùs ſcribit Gerſ. trac. iij. ſuper Magn. Et (vt ait Gab. d. x. q. j. li. j.) ſola fide tenetur q, ſunt tantũ duę perſonę productæ, & vna eſt producta: & ſic perſonarũ trinitas nõ eſt demonſtrata: ſed fide nõ euidẽter, ſed certiſsimè credita. Periculoſum autẽ eſt valde (vt ſcribit Petrus Aliacẽ. q. v. ar. ij. li. j.) imperitos aliquid diffinire in materiã de trinitate, aut in eadem ex proprio capite reſpondere, vt ibi declarat latiùs. Sed peritis (vt idẽ vult) valde vtile eſt ſtudere in materia trinitatis; quia valet vt ſciamus eã ſuſtinere ſine cõtradictione. Ideo apparet blaſphemia quorundã imperitorũ catholicorum, maximè Iuriſtarũ Prælatorum, qui dicunt inutile eſſe de hac materia diſputare, ſed ſufficit ſimpliciter credere: ſed anathema ſit qui hoc dixerit. Arbitror enim (inquit ipſe) vtilius Epiſcopũ de hac re magna quàm de ſecularibus vetularũ negociis, & vilibus litigiis diſceptare. Hæc Cardinalis vbi ſupra. Huius autem diuiniſsimæ Trinitatis opera ſunt indiuiſa, non ad intra, ſed ad extrà, vt & tangit Gerſon parte ij. in compendio Theologiæ, in expoſitione tertij articulij fidei, & ſerm. de Spiritusanct. qui incipit: Spiritus Domini repleuit, &c. Et (vt ſcribit Iacobus de Valen. Pſalm. 103.) Sicut vna perſona emanat ab altera in diuinis, & tertia ab vtraq;, ita totus iſte mundus emanat à tota Trinitate perſonarum, ſed magna differentia. Nam pater producendo filium cõmunicat ſibi eandem ſubſtantiam & eſſentiam: & ita ambo producẽdo ſpiritumſanctũ, & ſic manat vnus ſolus Deus in ſubſtantia & eſſentia cum Trinitate perſonarũ. Secùs autẽ eſt in productione creaturarũ. Nam Trinitas ita cõmunicat rebus ſimilitudinẽ ſuarũ perfectionũ, quod non cõmunicat ſubſtantiã. De quo latiùs ibi Valent. Et ſicut tota Trinitas indiuiſe operata eſt, & cõcurrit ad creationẽ vniuerſi: ita etiã tota Trinitas operata eſt noſtrã redemptionẽ indiuiſe. De quo latiùs idem Epiſcopus Valent. Pſalm. 142.

Trinus (vt notat S. Bonauen. di. xix. in dub. literal. li. j.) ſpecialiter ad hoc inuentũ eſt, vt ſignificet pluralitatẽ in ſuppoſitis cum vnitate formæ. Sed quia hoc nomen triplex dicit diſtinctionẽ ſimpliciter in termino cui additur, vel quantum ad formam, vel quãtum ad partiũ multiplicationẽ. Et quia in Deo non cadit multiplicatio, nec quãtum ad formã, nec quantũ ad partes: ideo nullo modo poteſt dici triplex. Sed quod dicitur ſpiritus ſapientiæ, eſt multiplex. Sapien. 7. Dicendum quod illud eſt dictũ cauſaliter, quia multorum, & quia variorum datorum vel dictorum effectiuũ eſt principiũ, in quibus eſt vera diuerſitas, non ſic in perſonis. Et cùm Deus dicitur trinus, ſenſus eſt, quod tres perſonæ ſunt vnus Deus, quia Trinitas ſonat quaſi trium vnitas, ſcilicet in Deitate. Pater autem ſecundum Richar. non dicitur trinus, in primo di. xxviij. q. ij. quia licèt in patre ſunt tres notiones, tamen vna ſola earũ eſt proprietas perſonalis, id eſt perſonæ cõſtitutiua: & hæc eſt paternitas. Aliæ verò duæ nõ ſunt perſonales proprietates, ſcilicet innaſcibilitas, & ſpiratio actiua: ſed Deus bene dicitur trinus, quia ſupponit tria ſuppoſita diuinæ naturæ, ſcilicet tres perſonas: Pater autẽ nõ ſupponit illas tres notiones quę ſunt in eo. Et hoc nomẽ trinus (vt dicit S. Bonauen. di. xxiiij. art. ij. q. ij. lib. j. in fine ſolutionis vlt. argu.) importat vnitatem, vt in concretione, & ita inhærentẽ pluribus: & ideo de eo ſolo dicitur, quod importat vnitatẽ in concretione, vt hoc nomẽ Deus: quod quidẽ ſupponit perſonãs: & quia tale eſt hoc nomen Deus, ideo conceditur: Deus eſt trinus, nec deitas eſt trina, quia deitas nõ ſupponit perſonam. Similiter hoc nomen trinitas, non enim eſt vera

trinitas eſt trina. Sed cõtrarius eſt textus Bonauen. illi verſui in Hymno: Te Trina Deitas, vnaq́; poſcimus: quem dicitur feciſſe Tho. Bene auté poſitũ eſt in alio Hymno: Te ſumma Deitas vnaq́;, &c.

Tria ſecundum Docto. Bonauen. Rich. & Thom. non poteſt dici de tribus perſonis ſimpliciter, eò quòd tria eſt generis neut. neutrũ auté genus ſignificat eſſentiã propriè, & ſic ſignificaretur quod eſſent tres eſſentię, quod eſt falſum. Vnde nõ poſſunt dici ſimpliciter tria, ſed bene tria quædã, id eſt tria ſuppoſita, eò quòd ſunt tres hypoſtaſes. Vnde Hilarius dicit, quod ſunt per ſubſiſtentiam tria, id eſt per hypoſtaſim. Pelbartus.

Triſtitia eſt apprehenſio diſcõuenientis in appetitu intellectiuo vel volitiuo nobis nolẽtib' euenientis, & eſt paſsio animalis media inter duas paſsiones iraſcibilis, quia ſequitur timoré, & prior eſt ira quã etiã cauſat, ſecundũ S. Tho. j. ij. q. xx. art. j. Et triſtitia inter omnes animæ paſsiones maximè corpori nocet, ſecundũ eundé prima ſecũdæ, q. xxvij. ar. iiij. Vnde Prouer. 15. In mœrore animi deiicitur ſpiritus. Et rurſus: Spiritus triſtis exiccat oſſa. Et Eccle. 7. Triſtitia nocet cordi. Et multos occidit triſtitia. Eccleſ. 28. Triſtitia (vt ſcribit Gerſon par. iiij. lec. ij. quæ incipit: Pœnitemini) eſt motus ſequens ad apprehenſioné obiecti per modũ diſconuenientis. Sicut econuerſo: Delectatio eſt motus animæ cõſurgens ex apprehẽſione obiecti per modũ cõuenientis. Cauſatur triſtitia (vt ait Gab. d. xiiij. q. j. ar. iij. dub. j. li. iiij.) à duabus cauſis partialibus ſimul currentibus, ſcilicet ex actuali apprehenſione alicuius exiſtẽtis, & actuali nolitione eiuſdẽ. His enim cõcurrentibus, ſequitur naturaliter triſtitia in volũtate, niſi aliũde ſit impedimentũ. Quod ergo eſt cauſa nolitionis, eſt cauſa partialis triſtitiæ. Similiter quod eſt cauſa apprehenſionis noliti. Voluntas ergo cũ ſit cauſa ſuæ nolitionis, eſt cauſa triſtitiæ partialis, licèt eam nõ intendat. Vide latiùs Gabr. vbi ſupra. Vide & de triſtitia ſupra in dictione *Dolor*. Triſtitiæ ſpecies ſecundũ Gerſ. part. iiij. de paſsionibus animæ, ſunt Achos, ex apprehẽſione proprij infortunij, ab a quod eſt ſine, & chos quod eſt vox. Acedia ex apprehenſione proprij laboris, & eſt aggrauatio per angariam. Nemeſis ex apprehenſione alieni boni quo indignus eſt poſsidens. Inuidia ex apprehenſione boni dignè habiti. Zelus triſtitia, de malo culpę alterius, tam illius quem amat, & quem odit. Miſericordia de malo pœnæ alterius.

Triſtitia eſt duplex, ſecundũ Deum, & ſecundũ ſeculũ. De quo Apoſt. 2. Cor. 7. ait: Gaudeo, nõ quia contriſtaui vos, ſed quia contriſtaui ad pœnitentiã: cõtriſtati enim eſtis ſecundũ Deũ, vt in nullo detrimentũ patiamini ex nobis. Quę enim ſecundũ Deũ triſtitia eſt, pœnitentiã in ſaluté ſtabilem operatur: ſeculi autem triſtitia morté operatur. Huius meminit Gerſon trac. vj. ſuper Magnif. Teneatur autem Pauli determinatio cum Sapiente, omné triſtitiam ſeculi à corde pellendam. Quod ſalubriter poteſt ad omnem paſsioné, ſit gaudiũ, ſit ira, ſit deſiderium, ſit timor, quando non eſt ſecundũ Deum aptè trahi. Non eſt autem ſecũdum Deum, ſi tollat aut non ædificet debitũ religioſæ deuotionis affectũ, vel effectũ, vel intellectũ cum affectu, Gerſ. vbi ſupra.

Triſtitia de alienis bonis poteſt quatuor modis ſeu cauſis contingere. Vno modo, quando aliquis dolet de bono alicuius inquantum ex eo timet ſibiipſi vel aliis bonis viris nocumentum prouenire, & talis triſtitia non eſt inuidia, & poteſt eſſe ſine peccato, vt ſcribit Gerſon in compendio Theolog. de ſeptem vitiis capitalibus. Secundo modo quando aliquis dolet de bono alterius, non inquantum ille alter illud bonum habet, ſed ex eo inquantum ipſe qui inuidet ſimile bonum in ſe non habet, imò ſibi deeſt pro vtendo tamen ad bonum finem: & iſta triſtitia non eſt inuidia, ſed eſt propriè zelus. Et ſi iſte zelus ſit circa bona virtuoſa ſeu honeſta, laudabilis eſt, iuxta illud 1. Corinth. 14. Æmulamini ſpiritualia: ſi autem ſit de bonis temporalibus, poteſt eſſe & cum peccato & ſine peccato, iuxta hominis ſic zelantis intentionem. Tertio modo, quando aliquis de bonis alterius dolet ſeu triſtatur, inquantum ille cui illud bonum accidit, eſt ipſo bono indignus. Et iſta triſtitia non poteſt propriè oriri ex bonis virtuoſis ſeu honeſtis, ex quibus aliquis iuſtus & virtuoſus effici poteſt, quia iam quodammodo ſibiipſi repugnaretur. Si verò oriatur & veniat ex bonis temporalibus, cùm ſecundum doctrinam fidei temporalia bona, quæ indignis proueniunt ex iuſta Dei ordinatione diſponantur. Vel ad eorum damnationem, & huiuſmodi bona temporalia, quaſi nihil ſint in comparatione ad bona futura, quæ ſeruantur bonis: ideo huiuſmodi triſtitia prohibetur. Iuxta illud Pſalm. Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem. Et alibi: Penè effuſi ſunt greſſus mei, quia zelaui ſuper iniquos, pacem peccatorum videns. Quarto modo, quando aliquis dolet ſeu triſtatur de bonis alterius, inquantum, ſcilicet ille alter ipſum in dictis bonis excellit ſeu excedit. Et hæc triſtitia eſt propriè inuidia, & eſt ſemper praua & peccatum, quia dolet de eo, de quo gaudendum eſt, ſcilicet de bono proximi. Hæc Gerſon vbi ſupra.

Triſtitia quædam eſt (vt ſcribit ſanctus Bonauent. di. xv. q. penul. li. iij.) quę eſt præter rationis imperium. Et eſt triſtitia, quę eſt cõtra rationis iudicium rectũ: & eſt triſtitia quæ eſt ſubiecta rationis imperio & iudicio. Et triſtitia præter rationis imperiũ, eſt quæ cõſurgit ex quadã neceſsitate & ſurreptione, ſicut motus primi: & hæc quidé cõmunis eſt ſapientibus & inſipiẽtibus, bonis & malis. Illa verò triſtitia eſt cõtra rationis iudiciũ rectũ, in qua ratio ſubiicitur ſenſualitati: nec tamé turbatur, ſed etiam perturbatur. Illa autem eſt ſecundum rationis imperium & iudicium, quando quis triſtatur ratione dictante & ſuadente ipſum tantũ, & taliter ſuper aliquo debere triſtari. Et iſto tertio modo in Chriſto fuit triſtitia, quia de nullo triſtatus fuit, niſi quod dictabat ei ratio. Et idem innuitur Ioan. 11. vbi dicitur: Ieſus autem infremuit ſpiritu, & turbauit ſemetipſum. In quo oſtenditur quod turbatio & triſtitia rationi non præſidebat, ſed ſubiacebat. Primis autem duobus modis triſtitia non fuit in Chriſto, &c. Seneca probat multiplici ratione, quod triſtitia non cadit in ſapientem, quia virtutem ſecundum eum nihil lædere poteſt, ſicut nihil poteſt eam auferre. Hoc ſic eſt intelligendum, vt

notat ſanctus Bonauentura vbi ſupra. Seneca enim non vult probare, quod triſtitia turbans non ſit in ſapiente, ſed quod non eſt in ſapiente triſtitia perturbans. Perturbatio autem dicit deflectionē rationis ab æquitate: & hoc modo ſapiens, nec triſtatur, nec perturbatur. Non vult autem oſtendere Seneca, quod ſapiens nullo modo turbetur: hoc enim eſt quaſi impoſsibile in aliquo reperiri, & præterea nec turbari, vel non triſtari de quibus homo debet, id non eſt ſapientiæ; ſed potius ſtoliditatis: cùm dicit Apoſtolus ad Rom. 12. Gaudere cum gaudentibus, flete cum flentibus. Bonauentura.

Triſtis propriè mœſtus dicitur. Vis autē nunquam eſſe triſtis (loquitur Hugo lib. iij. de anima) bene viue: bona vita ſemper gaudium habet. Quandoque triſtis accipitur pro graui, aliquādo pro irato, quandoque pro minaci, aliquādo pro amaro, quandoq; pro difficili, aliquādo pro horrido. De quo aliàs.

Tropus. A quo tropicus. Vnde ſermo tropicus, qui dupliciter dici poteſt, vt ſcribit S. Bonauent. di. xj. circa tex. lib. iij. Vno modo dicitur tropicus ſermo in quo eſt aliquod vitium aliquo tropo excuſatum. Eſt enim tropus figura, & figura eſt vitium ratione excuſatum. Alio modo dicitur ſermo tropicus quilibet ſermo qui habet aliquā proprietatem, ſed tamē excuſatur per aliquā determinationē. Et cùm Magiſt. dicit di. xj. lib. iij. quod iſte ſermo: Chriſtus eſt creatura ſecundū hominem, eſt tropicus: hoc dicit, quia habet aliquā improprietatē conſurgentem ex repugnantia intellectuū, quę remouetur per determinationem adiunctā. Locutiones autē impropriæ non ſunt cōcedendæ, nec ad cōſequentiam trahendæ, ſed magis ſunt ſuſtinendæ & exponēdæ, & arctandæ, ne de maiori improprietate veniatur ad maiorē. Bonauen. Et tropus poteſt dici modus, figura, conuerſio. Et diffinitur à Quintil. quod ſit verbi vel ſermonis à propria ſignificatione ad aliā cū virtute mutatio. Inde fit tropicus, a, um. pro figuratiuo. Et tropologia, figurata locutio Latinè dicitur.

Tuba inſtrumentum muſicum, à tubo canali ſic dicta. Nam ex lignis tubæ fiunt & ex cornibus. Et quæ ex ære ſunt, tubæ ductiles appellantur: quæ ex ligno, vel cornu ligneæ, vel corneæ. Tuba vtuntur milites exercitandos animos in prælū. Tuba cornea, vt eſt illiet: In voce tubæ corneæ in recordationem arietis immolati per Abraham. Eſt tuba ductilis, vel argentea, vel ærea, quę metalla fuſibilia, malleabiliaq; ſunt. Dicituręque prædicatori & ſpeculatori: Quaſi tuba, exalta vocem tuam. Quemadmodum de ſancto Bartholomęo dicitur, quod vox eius quaſi tuba vehemens. Denique magnum nimis tremendum ſimul & iocundum habet myſterium tuba nouiſsima vocis Archangeli, & vocis Chriſti in clangore mirifico, qualiſcunque fuerit concipiendus magis intellectualiter, quàm ſenſualiter reſurgent mortui. Sanè tam efficax erit, tam latè patens, tam omnia penè tranſiens vox illa tubalis, quæ ſaluandis gratiſsima, damnandis (vltra quàm dici phas eſt) horrendiſsima, perſtrepet & tonabit. Talem ſe fatebatur aſsiduè Hieronymus audire ad terrorem ſimul & ſpem, terrorē cruciantis inferni, ſpem glorificantis Paradiſi. Hæc Gerſon part. iij. tract. j. de Canticorū originali ratione, &c.

Tumor mentis eſt filia iræ, & eſt quidā conatus ſeu audacia hominis intentantis vindictam, & eſt quando quis implicat mentem deliberatè in variis modis & viis, quibus poſsit proximum offendere. Tumor mentis obſtaculum eſt veritatis, ſecundum ſanctum Thomam ſuper Iſa. 9. lect. ij. Et tumor dicitur inflatio, & per tranſlationem ponitur pro ſuperbia.

Tumultus locutio cōfuſa, & præcipuè locutio multorum ſimul, ſecundum ſanctum Tho. ſuper Iſa. 17. lect. ij. Et dicitur quaſi timor multus ſecundum Ciceronem & Quintilianum, & ſecundum Hieronymum. Tumultus eſt vox plurimorū, & nimiæ multitudinis clamor pariter emiſſus. A quo tumultuoſus dicitur, qui turbas excitare ſolitus eſt.

Turpe, id eſt abſurdum vel abſonum, inconueniēs vel incongruum. Vnde (vt Gab. ſcribit d. xvij. q. j. art. j.) Turpe eſt dicere aliquid eſſe traditum ab Eccleſia & non poſſe oſtendere vbi, vel quando. Sicut turpe eſſet Theologo dicere aliquid contineri in Biblia, & non poſſe demonſtrare locum, quemadmodum Doctor quidam mihi dixit Iuriſconſultus. Turpe eſt patrono ignorare ius in quo verſatur. Et turpe eſt contrarium pulchro, idem quod deformis. Transfertur etiam ad animum, vt:

Turpe eſt Doctori cùm culpa redarguit ipſum.

Ponitur & pro magno, vt turpe caput, apud Virgilium pro magno legitur. Item pro crudeli, vt apud Saluſtium inuenitur, &c. Sed de Grammaticis, Poëtis, & Oratoribus vel Hiſtoricis, non eſt nobis in hoc opere cura præcipuè.

Turpiloquium eſt filia luxuriæ, quia luxurioſi quorum eſt cor turpibus delectationibus plenū, & concupiſcentiis, de facili ad turpia verba prorumpūt, ex S. Tho. ij. ij. q. cliij. ar. j. &c. Et turpiloquiū eſt cauſa deſtructiua caſtitatis, ſecundum Antoni. parte iiij. Summæ.

Tutus, a, um. idem quod ſecurus, & actiuā & paſſiuā habet ſignificationē, vt tuta vrbs, quæ nos defendit. Tutus ſum ab hoſtibus, id eſt munitus, & ſine periculo ſum. Nihil autem in hac vita eſt tutū, vt vult Magiſter Ioannes Gerſon part. ij. in quæſtionibus quibuſdā cū ſuis reſponſionibus: cū nec ipſa vel virtutū (vt dicitur) tuta eſt victoria, &c.

De litera V.

VAgari eſt inutiliter peragrare, ſiue ſparſus eo. Et differt ab erro, quia vagari eſt per diuerſa, errare per aliena. Vagari quoq; idem eſt quod vanè agis vt interpretatur Gerſon tract. ix. ſuper Cantico Mariæ. A quo Vagatio. Et vagi qui dicuntur, qui ſunt ſine negotio; modò huc, modò illuc inutiliter diſcurrunt: dicti quod vacui, hoc eſt ſine negotiis agantur: & vagabundi, qui modò huc, modò illuc diſcurrentes, tempus inutiliter cōſumunt.

Vah eſt interiectio inſultantis. Hierony. ad Dama. Sicuti nos in lingua Latina habemus interiectiones quaſdā, vt inſultando dicamus vah, & in admirando papæ, & in dolendo hei, &c. Plautus: Vah homo imprudens. Et in Euangelio Matth. 27. Vah qui deſtruis templum Dei, &c.

Vanus, a, num. adiectiuum, accipitur modò pro vacuo, modò pro ſtulto, quaſi mente vacuo, & qui in rebus inanibus ſtudium collocat. Modò pro mentiente & infido, & leuia, inaniaq; pro grauibus & veris aſtutiſsimè componente. De quo apud Grammaticos videatur. Vanũ ſecundũ S. Bona. d. xxxvij. li.iij. circa tex. quantũ eſt de ſe & de propria intentione. Aliquãdo eſt aliquid vanũ ex accidenti. Tunc autẽ nomẽ Dei aſſumitur in vanũ, quãdo aſſumitur ad confirmationẽ alicuius ſermonis falſi. Et qui hoc modo aſſumit, peccat cõtra mandatũ illud: Non aſſumes nomẽ Dei tui in vanũ. Quãdo verò aſſumitur ad confirmationẽ alicuius veri, quãuis ſermo ille ſit vitioſus, tamẽ aſſumptio illa nõ eſt vſquequaque in vanũ: quia ordinatur ad hoc, vt quis adhibeat fidem verbo loquentis; quã & ſi quis nõ aſſequitur in altero, nõ tamẽ operatur fruſtra, ſicut nec orator ſi per cõpoſitos & ordinatos ſermones non ſemper perſuadeat verũ: tamẽ frequens iuratio nominis Dei vbi nulla eſt neceſsitas vel vtilitas expreſſa, non omnino caret culpa: imò valde eſt reprehenſibilis, maximè in viris perfectis. Hæc S. Bona. A quo vanitas, quod idem eſt quod fallacitas, leuitas & mendaciũ: & idem eſt vanitudo. Eſt autẽ vanitas aliqua mala (vt ſcribit Gerſon parte j. ſerm. facto Conſtantiæ in die ſancti Antonij) ſicut ibi: Vani ſunt omnes homines, in quibus non eſt ſapientia Dei. Eſt & vanitas laudabilis, quæ ex humilitate fundatur. Beata prorſus & rara vanitas huiuſmodi quam docet, tradit & efficit per viõũ ſacræ ſcripturæ Chriſtus. Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde. Alioquin euenit illud de Mariç cãtico. Diſperſit ſuperbos mẽte cordis ſui. Eſt autẽ hæc humilitas parens diſcretionis & cuſtos, dũ nõ proprio quaſi vano ſanctorũ Patri cedit iudicio, &c.

Vanum ſiue vanitas capitur quadrupliciter, vt ſcribit Bruleſer d. xj. q. iiij. li. iij. Vno modo aliquod dicitur vanũ vanitate corruptionis quod eſt corruptibile, & ſic omnis creatura eſt vana. Et ſic intelligitur hæc auctoritas Pauli Rom. 8. Vanitati ſubiecta eſt omnis creatura. Alia eſt vanitas variationis, qua aliquid poteſt mutari de vno accidente in aliud accidens: & ſic accipitur in prædicta auctoritate. Alia eſt vanitas vitioſitatis, qua aliquid dicitur vitioſum & culpabile: & ſic peccator dicitur vanus. Vnde vani ſunt filij hominum, &c. inquantum, ſcilicet peccatores. Alia eſt vanitas ocioſitatis, qua homo ocioſe viuit. Ezech. 16. Hęc eſt iniquitas ſororis tuę Sodomæ. Bruleſer.

Vana gloria. Vno modo dicit appetitum dignitatis & excellentiæ, & ſic eſt idem cum ſuperbia, & eſt vitium capitale, quia animus directè mouetur ad dignitatem & excellentiam appetẽdam. De qua vide in dictione *ſuperbia*. Alio modo dicit appetitum laudis, & ſic eſt filia ſuperbię: ex ſancto Bona. ij. ſenten. d. xlij. q. ij. Vana gloria eſt voluptas ſtultè oſtentando quæ non ſunt, aut iactando quæ minimè vera ſunt, & imprudenter mentiendo. Quod ſanè vitium ſummæ eſt ſtultitiæ argumentum. Vide & in dictione *inanis gloria*.

Vber quid ſignificet, notũ eſt. Vbera Dei ſunt amor vel amores, vt ſcribit Gerſon tract. ij. ſuper Cantic. Mariæ, quoniam omnia ſortitur amor vocabula in ſtar Dei; quia Deus charitas eſt: amor eſt os, oſculum, ipſe vbera; ipſe vnguentũ fragrans, ipſe oleum effuſum, ipſe nardus, ipſe faſciculus myrrhæ, ipſe equitatus Dei, ipſe botrus Cypri: ipſe lectulus, ipſe flos campi & lilium conuallium, &c.

Vbique capitur dupliciter, vt ſcribit Brule. d. xxxvij. q. j. li. j. Vno modo ſtrictè & propriè, & ſic eſt terminus diſtributiuus pro omnib⁹ locis aduerbialiter & affirmatiuè, quia tantũ valet ſicut in omni loco. Alio modo largè, vt eſt terminus diſtributiuus pro omnibus rebus, & eſt diſtributio accõmoda, id eſt in omnibus alijs à ſe, ſicut hic: Cœlũ tegit omnia. Et eſſe ſic in omnibus rebus vel vbiq;. Vno modo eſt præſentialiter, vel per præſentiã. Alio modo eſſentialiter. Tertio potẽtialiter. Præſentialiter, quod cognoſcit clarè & diſtinctè omnes res. Sic Deus neceſſariò eſt in omnibus rebus præſentialiter, quia illud dicitur præſens vbiq;, in cuius cõſpectũ omnia ſunt præſentialiter præſentia; ſed Deus eſt huiuſmodi. Secũdo modo per potẽtiã ſeu potentialiter, & eſt ipſum cauſare & cõſeruare omnes res in eſſe. Tertio modo per eſſentiã ſeu eſſentialiter, & eſt ipſum vel naturã eius eſſe in omnibus rebus verè realiter, vt Deus. Vnde Pſal. Si aſcendero in cœlum, tu illic es: ſi deſcendero ad infernum, ades. Corollarium. Deus nõ verius eſt per eſſentiã & potentiam in Paradiſo quàm in iſta ſtuba. Item Deus nõ verius eſt in Eccleſia quàm in coquina per eſſentiã, potẽtiam & præſentiam. Nec ſequitur: ergo in Eccleſia non debeo magis Deum adorare quàm in coquina, quia ſunt etiam alij modi eſſendi in. Vnde Deus eſt in Eccleſia per ſanctificationem ſpecialiter. Item Deus vniformiter eſt in omnibus rebus per eſſentiam, per præſentiam, & potentiam, quia Deus æqualiter intelligit muſcam & Angelum, & ſic de aliis. Item ſolus Deus eſt vbique primo & per ſe, ſic quod nulli alteri conuenit.

Væ, dolentis eſt interiectio, quãdoq; & perſæpe in ſcriptura eſt interiectio imprecãtis malũ. Vnde Gabriel di. xv. q. vj. art. iij. dub. iij. lib. iiij. Væ (inquit) nõ imprecatur ſcriptura regulariter, niſi ex proceſſu mortalis peccati: vnde Iſa. 10. Væ, qui cõdunt leges iniquas, & ſcribẽtes iniuſtitiã, ſcripſerunt vt opprimerẽt in iudicio pauperes, & vim facerẽt cauſę humiliũ populi mei, vt eſſent viduæ præda eorũ & pupillos diriperent: quid facietis in die viſitationis & calamitatis, &c. Et Mat. 18. Væ mundo à ſcandalis: ſequitur: Væ homini per quem ſcandalũ venit. Et præmiſit: Si quis ſcandalizauerit vnum ex puſillis iſtis, expedit ei vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Sed væ non imprecatur à Domino niſi peccãtibus mortaliter (vt ſcribit Dominus Præpoſitus Gabriel di. xvj. qu. iij. artic. iij. dub. vj.) quibus debetur væ æternum, nec pœna iſta dimerſionis niſi mortaliter peccanti. Væ autem perſæpe in ſcriptura imprecatur malis. Vnde Iudith. 16. Væ genti inſurgenti cõtra genus. Et Iob 10. Et ſi impius fuero væ mihi. Et Eccleſ. 4. Væ ſoli, quia cùm ceciderit, non habet ſubleuantem. Eccleſ. 2. Væ duplici corde. Eſa. 1. Væ genti peccatrici populo. Et Ierem. 13. Væ tibi Hieruſalem. Threnor. 5. Væ nobis, quia peccauimus. Ezech. 13. Væ Prophetis inſipientibus. Et 24. Væ ciui-

Vę ciuitati ſanguinum, & 34. Vę paſtoribus Iſrael. Item Luc. 6. Væ vobis diuitibus. Ep. 1. Corin. 9. Væ mihi ſi nõ Euangelizauero. Et S. Iudas in ſua Epiſtola: Væ illis qui in via Cain abierunt. Et Apoc. 8. Væ, væ, væ habitantibus in terra, & in multis aliis ſcripturæ locis. Imprecatur Chriſtus Scribis & Phariſæis octo væ, vt habetur Matth. 23. à quibus debent Eccleſiaſtici præcauere. De quibus vide Gerſon. parte ij. ſerm. facto in cęna Domini de vita clericorum. Quæ væ octo in Euangelio contenta optantur Eccleſiaſticis. De quibus idem Gerſon ibidem. Primum væ eſt claudere viam cœli peruerſis moribus. Hoc fit dum imperiti & ſimplices ex populo arguunt ſibi licere ea quæ vident patres & paſtores ſuos facientes. Secundum væ, ſub prætextũ longarum orationũ viduas & ſimpliciores ſpoliare. A quo væ nõ ſunt immunes hi qui obitus & ſeruitia multa in Eccleſia pollicentur, & ea vel non exſoluunt, vel imperfectè & negligenter exſoluunt. Tertium væ traduci poteſt appropriatè ad Eccleſiaſticos, quærentes promotionem alicuius ad ſtatũ Eccleſiaſticum vel cõtra eos qui affectu carnali vel alio faciunt eum peruerſis exemplis & moribus duplo filium gehennæ, quàm futurus erat in ſtatu ſeculari. Quartũ vę contra malos interpretes Chriſti. Quintum væ contra eos qui decimas vſque ad minimum eſſe ſoluendas decreuerunt, & grauiora ipſi derelinquunt. Sextum væ, mundare diligenter id quod foris eſt in vaſis quibus Deo miniſtratur, vt eſt calix, & conſcientiam dimittere rapinis & immunditia pleniſſimam; vt faciunt qui in conſcientia peccati mortalis & in continuo propoſito non relinquẽdi peccata ſua neque occaſiones peccatorum miniſtrare præſumunt. Septimum vę contra hypocriſim eorum qui ſanctitatem fingũt extrinſecis ſignis, intus autem ſunt pleni hypocriſi & iniquitate, cõparati meritò ſepulchris dealbatis. Octauum væ, eſt qui ſanctis reuerentes eſſe videntur, colẽtes eorum ſepulchra, memorias atque reliquias, ipſi tamen eos nequaquam imitãtur in ſanctitate, immo præſentibus inimicantur & inſidiantur qui ſanctorum vitam atque mores quęſierant imitari. Ad quæ omnia væ ſubiungitur horrenda concluſio. Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Domus hæc domus erat ſynagogæ, cui ſuccedit domus Eccleſiæ quam iam pœnæ deſertioni vicinam intuemur, vt olim ſynagogam. Hæc Gerſon, qui & latiùs de illis væ ſcribit ibidem.

Vectigal eſt id quod pręſtatur ex his rebus quę venduntur. De quo vide in dictione, *Præſtatio*. Eſt etiã vectigal quod ſoluitur portitori. Et vectigalia ſunt nerui reipublicæ, ſecundum Ciceron. & poſt eum meminit hoc Gerſ. parte ij. de contractibus part. ij. ante propoſitiones.

Vehementia eſt quædam acritudo, dicta à vi & impetu mentis ſecundum Gelliũ, & vehemens, graue, magnum, vrgens, acer. Omnis autem vehementia (vt dicit Gerſ. par. j. de diſtinctione veratũ viſionũ à falſis) eſt ad virtutẽ periculoſiſſima comes; vt ad dilectionẽ, ad zelũ, ad correctionẽ, & ſimiles veriſſime. Propterea quidã enũciauit qui dixit. Malè cuncta miniſtrat impetus, & vt alibi dicit, vehemẽs animi niſus volũtatis ad aliquid ſit tibi ſemper ſuſpectus.

Velle eſt in ſe volitionem habere, vt dicit Gabr. di. xxvi. q. vnica, ar. iij. lib. ij. Et Deus (vt idem ait) non poteſt cogere voluntatem vt inuitè velit, quia videtur implicare contradictionem. Nam inuitus habet nolle: Nolle, eſt non velle. Sic inuitè velle, eſt velle & nõ velle. Et illo modo voluntas eſt libera à coactione. Et ille dicitur inuitus velle, qui volẽdo vult, aut nolendi vult, & talis diceretur cogi, ita quod eodem actu quo vult, cogeretur nolle quod ſimpliciter eſt impoſſibile. Et velle in duo tendit. (vt idẽ ſcribit Dominus Præpoſitus Gabr. di. xxvij. q. vnica, art. j. libr. iij.) ſcilicet in bonum illud quod quis vult alicui ſibi vel alteri, & in illud cui vult huiuſcemodi bonũ. Verbi gratia. Si amicus amando amicum ſuum vult ei ineſſe diuitias vel honores. Amor amici (qui eſt quoddam velle) in vtrumque tendit, amat enim amicum cui vult ineſſe talia bona, amat & ipſa bona quę vult ineſſe amico, amicum quippe propter ſe amat, & vult, diuitias verò & honores vult, & amat propter amicum. Sic volens ſibi bonum equum per amorem qui eſt velle, in ſeipſum tendit & in equum, vult enim equum eſſe ſanum, fortem, & velocem, non propter equum ibi ſiſtendo, ſed propter ipſum.

Velle in nobis accipitur dupliciter. Vno modo vt nominat actum potentiæ affectiuæ, vt eſt quædam potentia naturalis. Alio modo vt nominat actum lib. arbit. Primo modo velle aliquid idem eſt quod affici circa illud. Alio modo velle idem eſt quod eligere, ita ſcribit ſanct. Bonauen. di. xxviij. li. ij. circa textum. Vnde ſecundum hos duos actus diſtinguitur in nobis voluntas appetitus, & voluntas eligentiæ, non quia in nobis ſint iſtæ duæ voluntates eſſentialiter differentes, ſed quia modus volendi eſt aliter & aliter. Vnde Augu. & habet Magiſter di. xxviij. Cum enim hoc ſit in poteſtate, quod cũ volumus facimus, nihil tam eſt in poteſtate noſtra quàm ipſa voluntas, ſed præparatur à Domino voluntas, eo ergo modo dat poteſtatem. Non intelligit Augu. de voluntate appetitus (vt ſentit Bonau.) quæ aliquando adeo adhæret alicui rei, vt vix vel nunquam poſſit ab ea ſeparari, ſed hoc intelligitur de voluntate eligẽtiæ qua aliquis vult ſe velle quod vult, vel nolle: & hoc ſemper in noſtra poteſtate eſt, nõ tamẽ ſequitur ex hoc quod iuſtitia ſit in noſtra voluntate, quia nõ eſt efficax niſi inquantũ præualet voluntati appetitus, & illi non præualet niſi per gratiã. Vnde multi ſunt peccatores qui vellent eſſe iuſti, & vellent quod nunquã affectarent mala, nihilominus tamen in ſua remanent iniuſtitia, quia non adiuuãtur à gratia diuina. Et velle & nolle ſunt actus ipſius voluntatis, & vterque eſt actus poſitiuus, vt ſcribit Scotus di. xlvij. lib. j. Et ſi ſint circa idem obiectum, ſunt cõtrarij actus qui exprimuntur aliis vocabulis, quæ ſunt amare, & odire. Et nolle vt ſcribit Brulefer di. xlvij. q. iij. lib. j. eſt actus poſitiuus voluntatis, quo volũtas refugit vel reſilit ab obiecto ſibi diſcõueniente. Velle autẽ eſt actus poſitiuus voluntatis, quo voluntas acceptat obiectum ſibi aliquo modo conueniens. Et vtrumque velle & nolle poteſt diſtingui in velle efficax, & in velle remiſſum, vt dicitur velle efficax quo voluntati nõ tantum complacet eſſe volĩti, ſed ſi poſſet ſtatim

ponere volitum ineſſe, ſtatim poneret. Ita etiam nolitio efficax eſt qua non tantum nolẽs impedit aliquid, ſed ſi poſſet omnino deſtruit illud. Voluntas autem remiſſa, eſt qua ita placet volitum quod tantum voluntas non ponit illud in eſſe, licèt poſsit ponere illud in eſſe. Nolitio etiam remiſſa eſt qua ita diſplicet nolitum, quod nõ prohibeat illud eſſe, licèt poſsit in nobis. Hæc Scotus vbi ſupra. Vide eundem di. vj. qu. ij. lib. ij. De velle & nolle, vide & in dictione, *Actus voluntatis*, ſupra & in dictione *Volitio*, infra.

Velle eſt duplex, ſecundum Scotum, ſcilicet. Abſolutum, & conditionatum. De quo videatur & Dominus Præpoſitus Gab. di. xv. q. vnica, lib. iij. Vnde nolle abſolutum, eſt quando aliquis ſimpliciter obiectum oſtenſum non vult actu poſitiuo ſine quacunq; cõditione, vt dum vult nõ mori. Sic velle abſolutum oppoſito modo, quando quis ſimpliciter vult obiectum oſtenſum ſine conditione. Nolle conditionatum, eſt dum quis vult aliquid propter certam conditionẽ exiſtentem, quod tamẽ quantũ in ſe eſt nollet ſublata conditione tali, vt ſi mercator in periculo maris exiſtens, proiicit merces vt euadat periculum, reſpectu proiectionis mercium habet nolle conditionatũ, licèt enim ſimpliciter loquendo vult proiicere, quia non coactus ab aliquo extrinſeco proiicit, tamen nollet proiicere quantum in ipſo eſt, ſi aliàs non proiiciendo periculum poſſet euadere. Volitio ergo qua vult proiicere merces, exprimitur per volo, & nolitio conditionata per nolle, ſcilicet ſi poſſem aliàs euadere. Et talis nolitio conditionata ſufficit ad triſtandum de ſic nolito eueniente. Sicut mercator cum triſtitia eiicit mercès, nec ibi velle oppoſitum facit tantum habere gaudium, ſicut nolle conditionatum triſtitiam. Talis enim nolitio & volitio conditionata ſufficit ad peccatum mortale, quale fortè fuit peccatum angelorum non prius deceptorum quàm peccarent, quia voluerunt quantum in eis erat eſſe æquales Deo, ſed noluerunt ſimpliciter, quia hoc viderunt eis impoſsibile. Similiter qui metu pœnæ mortis idola colit, mortaliter peccat, licèt nollet, ſi aliàs mortem euadere poſſet. Similiter qui vellet occidere proximum, ſi impunè poſſet, licèt ſimpliciter nolit, tamen ſic volendo conditionatè, peccat mortaliter, & tamen ſufficit voluntas conditionata ad meritum, quale eſt in miſerante corde proximo non potente ſubuenire in opere. Hæc Dominus Præpoſitus Gabriel. diſtinction. xv. quæſt. vnica, artic. j. libr. iij. ſententiarum.

Velle aliquid eſt dupliciter (vt ſcribit S. Bonauen. di. xviij. q. ij. lib. ij.) Vel exiliter & ſemiplenè, ſicut dicitur, vult & non vult piger. Vel plenè & ſufficienter, ſicut dicit Apoſtolus Phil. 2. Deus operatur in nobis velle & perficere. Primo modo poteſt eſſe in peccatore, & talis voluntas non facit aliquem iuſtum. Secundo modo non poteſt eſſe ſine gratia præueniente & adiuuante voluntate. Hoc autem ſecundo modo non poteſt voluntas iuſtitiæ reddere animam iuſtam. Et ſic ſecundũ Rich. di. xxxviij. ar. ij. qu. ij. lib. iiij. duplex eſt velle, ſcilicet. Plenum quod eſt velle deliberatiuum. Et ſemiplenũ, quod eſt velle ex ſurreptione. Sic duplex eſt votum, vt ibidem declarat.

Velle deliberatiuum (vt ſcribit Rich. di. xlix art. ij. qu. ij. libr. iiij.) dupliciter poteſt accipi. Vno modo pro velle libero poſt liberam & certam rei cognitionem ſeu cogitationẽ. Alio modo pro velle poſt intellectus reconciliationem, ſecundum quem modum cõmunius videtur accipi à Philoſ. Primo modo dico (inquit Rich.) omnes homines de neceſsitate volunt beatitudinem in generali voluntate deliberatiua. Quantò enim homo magis cogitat beatitudinem, tantò magis videt in ea cõtineri omnem rationem appetibilitatis, & nullam rationem fugibilitatis, ſed ſicut voluntas nihil poteſt appetere niſi ſub ratione alicuius boni, ita nihil poteſt refugere niſi ſub ratione alicuius mali. Loquendo verò de velle libero poſt intellectus conſiliationem, quod quidem velle propriè loquendo dicitur deliberatiuum. Sic dico (inquit Richard.) quod in ipſo eſt aliquid perfectionis: & hoc eſt liberè velle aliquid imperfectionis, ſcilicet dependentia libertatis ex intellectus conſiliatione. Accipiendo ſic velle deliberatiuum pro velle libero poſt intellectus conſiliationem, ſic homo ex deliberatiua voluntate non appetit beatitudinem nec contingenter, nec de neceſsitate, quia ſic deliberatiua voluntas includit imperfectionem in intellectu, quæ in ipſo eſſe non poteſt reſpectu finis. Sed ſi accipiatur velle deliberatiuum ratione huius quod eſt perfectionis, in eo quòd eſt liberè velle, illud quod intellectus verè & determinatè dictat eſſe volendum. Sic dico inquit Rich. quod omnes homines de neceſſitate beatitudinem appetunt ex deliberatiua voluntate, &c. Quandoque volumus quæ non poſſumus. Hinc dicunt doctores aliqui, quibus aſſentit Gerſon parte ij. de pollutione nocturna, conſid. iij. quod aliquando non eſt tam meritorium credere, ſicut velle credere, nec dolere ſenſualiter de peccatis ſicut velle dolere & non poſſe. Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus (inquit Propheta) præparationem cordis eorum audiuit auris tua. Deus itaque vt ait Gerſon, iudicat nos & noſtra ſecundum ſuperioris rationis arbitrium, voluntatem, & iudicium, & non ſecundum ea quæ nobis inuitis atque cõtradicentibus portio ſenſualitatis inferior aduehit & producit, qualia ſunt volubilitas imaginationum & phantaſiarum, ſtimulus inſuper carnis illecebroſus & vindicatiuus: vacillationes præterea timidæ & incertæ ſuper agẽdis aut ſuper eis credendis, quæ noſtris nequaquam ſenſibus attingimus, & ſimilia. Decipiuntur in hoc multi ex ſimplicibus diſtinguere neſcientes inter ea quæ portio animæ ſuperior agit per cõſenſum, & ea quę portio animę inferior patitur abſque ſuperioris aſſenſu, darent ſæpè aliis bonum conſilium, qui neſciunt illud præſtare ſibi. Quare ſic? certè inquit Gerſon ob turbam hanc paſsionum ſimul irruentium tumultuantem & rixantem, &c.

Venatio eſt triplex, vt poſt Alexand. qu. cix. parte iiij. memb. j. notat Gabr. diſt. xvj. quæſt. iij. art. ij. dub. ij. libr. iiij. Quædam oppreſsiua, quædã arenaria, quædã ſaltuoſa. Venatio oppreſsiua eſt, qua opprimuntur pauperes, de qua Geñ. 10. Cœpit Nemroth

robuſtus

robuſtus eſſe venator coram Domino, id eſt hominum oppreſſor & exactor, vt exponitur di.vj.& non eſt peccatum. Arenaria eſt cũ quis pugnat cum beſtia dentata in arena, & ad hoc locat operas ſuas, & hæc illicita eſt ſicut prima, & qui eã exercet ſub precio locatus, peccat mortalirer, & efficitur infamis iij.qu.vij. Infamis. Venatio ſaltuoſa eſt, quæ fit in ſiluis & ſaltibus montium, hæc eſt illicita, fit tamen illicita ex tempore, vt in quadrageſima, & ex perſona, quia clerico non eſt licita, ſaltem illa quæ fit cũ canibus & clamore. Ponere autẽ laqueos vel rete ſine ſtrepitu & clamore, nõ eſt illicitũ clerico.

Venditio (vt ſcribit Gerſon parte ij. operum de contractibus, parte j. conſid. iiij.) eſt contractus per quẽ fit trãſlatio dominij alicuius rei de vno ad alterum precio legitimo mediante, ita quod ibi eſt merx & precium, & emens & vendens. Vide latiùs ibi, & plura de venditione. Idem in regulis moralibus. Remitto & te ad iuriſperitos.

Venter differt ab aluo & vtero, vt notat Brulef. di. xiij.q.v.li.iiij. Venter eſt qui cibos digerit & mittit ad ſingulas partes corporis, & eſt illa pars quæ eſt à fundo infimo ſtomachi vſque ad inguinem. Aluus eſt illa pars interior quæ non videtur, in qua reponuntur ſordes. Vterus verò pertinet ad mulieres, in quo ponuntur infantes.

Venus Dea putata eſt, quod ad omnia veniat, hæc contra virtutes efficaciſsimè pugnat, vt & in triũpho Veneris Bebelij amplius de ea ſcripſimus. Dicitur & ſtella. A quo venereus, vt furor venereus, qui plus cedendo, fugiendoque vitatur & reprimitur, quàm vtendo, vt ſcribit Gerſ. de celibatu ſiue caſtitate Eccleſiaſticorũ, & præcipuè fuga inertis otij. Vnde Ouid. *Ocia ſi tollas, periere Cupidinis arcus.*

Aſsit ſobrietas, familiaritas abſit. Gerſon.

Veniale peccatum. Vide ſupra in dictione, *Peccatum veniale*, & plura de hoc Gerſon.

Verbum. Quo vocabulo frequenter vtitur Aug. in ſuis ſcriptis, & dicitur à verbo, as, quod eſt dico, is. Vnde Poëta: Verba dat omnis amãs, id eſt dicit. Vel (vt aliqui volunt) à verberatu, quod verberato lingua intra palatũ aëre omnis oratio promatur. Vnde pro qualibet dictione ponitur, ſiue illa ſit nomen, ſiue pronomen, ſiue vna aliarum partium. Et verbum accipitur quintupliciter. Accipitur enim verbũ largiſsimè, pro actu intelligendi genito ſiue producto, ſiue cõplexo, ſiue incõplexo, vt ſcribit Gab. di.xxvij.qu.ij.lib.j. Hoc modo accipit Augu.xix. de trinit.ca.ix. cùm dicit. Et ſi verba non ſonant in corde ſuo, dicit vtique qui cogitat. Et cùm contingit cogitare complexè, & incõplexè, ſequitur quod quælibet cogitatio ſiue intellectio eſt verbum. Secundo accipitur pro quolibet actu complexo mentali indicatiuo, quo, ſcilicet alicui aſſentitur vel diſſentitur, ſiue vero, ſiue falſo. Et hoc modo propoſitio ipſa vera vel falſa non eſt verbum neque actus dubitatiuus, ſed duntaxat aſſenſus vel diſſenſus. Illa clarè eliciuntur ex verbis Augu.xv. de trinit.c.xvj. Nónne multa dicimus, etiam quæ neſcimus, nec dubitantes ea dicimus, ſed verá arbitrantes. Et ſequitur. Cùm dubitamus, nondum eſt verbum de re de qua dubitamus, ſed de noſtra dubitatione verbum eſt. Et ſequitur, cum mentimur volentes & ſcientes, falſum verbum habemus. Tertio modo accipitur verbum pro actu indicatiuo vero, nato gigni ex habitu ſcientifico, vel ſaltem habitu vero. Hoc modo accepit Augu.xv. de trinit. cùm dicit. Neceſſe eſt cùm verbum loquimur, id quod ſcimus loquimur, ex ipſa ſcientia quam memoria tenet naſcatur verbum. Et ſequitur, formata quippe cognitio ab ea re quam ſcimus, verbum eſt quod in corde dicimus, quod neque Græcum eſt, neq; Latinum, nec linguę alicuius alterius. Et c.xiij. Omnia quę per ſeipſum, & quæ per ſenſum corporis ſui, & quæ teſtimoniis aliorum percepta ſunt ſcit, animus theſaurus memoriæ condita tenet, ex quibus gignitur verbum, quod quando ſcimus, loquimur ante omnem ſonum, ante omnẽ originem ſoni. Quarto modo accipitur verbum pro notitia vera cũ amore prolata. De hoc dicit Aug. ix. de trinit. Verbum amore concipitur, ſiue creaturæ, ſiue creatoris. Et in eodem li. quærit, an omnis notitia verbũ ſit an tantũ amata? Et ſoluit tantummodo duplicem verbi ſignificationem. Vnam, qua verbum dicitur, dum quod placet mente concipitur, ſecundum quod genus verbi eſt illud Apoſtoli. Nemo dicit Dominus Ieſus niſi in Spirituſancto. Aliam verò cum omne quod notum eſt verbum dicitur animo impreſſum quamdiu de memoria proferri poteſt, quãuis res ipſa diſpliceat, ſecundum quod genus verbi Dominus ait. Nõ omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum. Et ſequitur. Verbum quod nunc inſinuare volumus eſt cum amore notitia. Ex quo patet quod verbũ ſic dictũ dicit duos actus, ſcilicet intellectus & volũtatis, alioquin nõ pertinet ad ſecundã partẽ imaginis pręciſe, ſed includit tertiã partem, quod eſt contra beatum Augu. qui partes imaginis dicit cõſiſtere in mente, notitia, vel verbo & amore. Quinto modo accipitur verbum pro conceptu mẽtis, ſiue ſit ſubiectiuè in anima, ſiue tantũ obiectiuè, ſiue ſit actus intelligẽdi ſiue nõ. Hoc modo vult Augu.xv. de trinit. quod omne ſignum poſterius notificatũ quod adhiberi poteſt aliquo modo ad ſignificandum illud, quod intelligitur per notitiam eſt verbum: huiuſmodi autem eſt conceptus, &c. ſecundum hanc verbi diſtinctionem opiniones contrariæ poſſunt concordari, atque auctoritates ſanctorum Anſelmi & aliorum poſt Auguſtinum ſcribentium facilius intelligi. Et omnibus modis præfatis verbũ dicitur gigni de memoria, & eſt qualitas mẽtis. Item verbũ importat aliquid, quod dicens loquendo format. Nam dicere loqui eſt ſecundum ſanctum Bonauent. in primo di.xxvij.q.j. Et quid eſt loqui niſi exprimere, id eſt formare vel producere verbum eius, quod nouit expreſsiuum. Loquitur autem dicens quandoque apud ſe, quandoque ad alterum. Ad ſe, quando ſibiipſi quę cogitat vel voluit manifeſtat gignẽdo in ſe notitiam ſimillimam rei alicuius (ſui vel alterius) cognitæ. Loquitur ad alterũ, dũ alteri ſigno exteriori exprimit, vel notificat quæ mẽte cõcipit. Primę locutioni reſpondet verbum menti immanens & conceptum. Secund; verbũ tranſiens & prolatum. De hoc Aug. xv. de trinit.c.x. Verbum quod foris ſignat, ſignum eſt verbi quod intus latet. Vbi tangit vtrumq; verbum, &c. Et verbum dicitur quod loquimur. Vnde Iacob. in ſua cano. Qui in verbo non offendit hic

perfectus

perfectus eſt vir. Et quidam dixit, quod verbum prius debet venire ad limam quàm ad linguam. Et cùm dicitur: Omne verbum non eſt impoſsibile apud Deum, intelligitur verum, omne verbum nõ implicans poſsibile eſt apud Deum: non enim omne conceptibile eſt Deo poſsibile. Poſſum enim aliquid concipere quod eſt ſimpliciter impoſsibile, ſiue quod implicat, ſicut multis imponitur opinio, quæ implicat. Sed omne verbum ſimplex quod, ſcilicet ſimplici cognitione concipitur, poſsibile eſt Deo. Gab. di. j. q. ij. lib. iij.

Verbum immanens eſt aliquid in intellectu productum, expreſsiuũ eius quod actualiter dicẽs, noſcit: & quia eſt expreſsiuum, ideo ſimile expreſſo repręſentatiuè. Expreſsio enim & manifeſtatio fit ratione ſimilitudinis. Gabriel di. xxvij. q. ij. li. j. Et quod aliquid ſit verbum mentale, requiruntur quatuot conditiones. Prima, quod ſit aliquid in intellectu xv. de Trinit. cap. x. per ſigna corporalia, verbum quod mente gerimus, innoteſcit. Secunda, quod ſit aliquid in mente genitum, vt ſit proles quædam ix. de Trinit. cap. vij. Conceptum rerum veracem notitiam tanquam verbum apud nos habemus, & dicendo intus gignimus, nec à nobis naſcẽdo deſcendit. Tertia quod ſit ſimilitudo rei & imago eius ix. de Trinit. cap. xj. Notitia verbum eſt, & cùm habeat notitia ſimilitudinem ad eam rem quam mens nouit: ideoque & imago & verbum eſt. Item xv. de Trinitat. cap. xij. Verbum eſt ſimillimum rei notæ & imago eius. Quarta conditio, quod ſit expreſsiuum ſiue manifeſtatiuũ rei cuius eſt verbum, & notitia hæc ſequitur ex tertia, quia ſimile repræſentatiuum eſt ſui ſimilis. De hoc dicitur vij. de Trinit. cap. iij. Verbum quod non proferimus temporale & tranſitorium ſeipſum oſtendit, & illud de quo loquimur. Et Gloſſ. Matth. 11. ſuper illud: Nemo nouit niſi pater, &cæ. Verbo enim ſuo pater ſe declarat, & verbum ſeipſum declarat, quia mentis noſtræ lumen eſt. Et quoniam hæ conditiones conueniunt omni actuali cognitioni in nobis: ideo omnis talis in nobis eſt verbum. Vnde xv. de Trinit. cap. x. Et ſi verbum non ſonat in corde, dicit vtique qui cogitat: Quicquid igitur cogitatur, verbũ mentis eſt: licet adhuc verbum mentis quandoque largius, quãdoq; ſtrictius accipiatur, quia omnis mentalis cognitio noſtra in mente gignitur, & eſt naturalis imago rei repræſentatiua, & per hoc rei quam repræſentat expreſsiua & declaratiua. Ex quo conditiones prædictæ de verbo verè & propriè reperiuntur in Deo: verè & propriè eſt ibi verbum non tranſſumptiuè. Eſt enim ibi ſapientia ſeu notitia genita, patri ſimillima, & omnis paternæ perfectionis expreſsiua, & ita propriè verbum. Vnde Hebr. 1. Nouiſsimè Deus pater locutus eſt nobis in filio: & ſequitur: qui eſt ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius. Et ad Colloſ. 1. Imago inuiſibilis Dei. Et Sapien. 7. de ſapientia genita dicitur. Candor eſt lucis æternę, & ſpeculum ſine macula maieſtatis Dei, & imago bonitatis illius. Quia autẽ in diuinis non omnis cognitio eſt producta, ſed eſt ibi notitia & ſapientia eſſentialis non producta, quæ eſt omnibus modis diuina ſapiẽtia ſiue eſſentia eadẽ tribus, non enim pater ſapit ſapiẽtia genita. vij. de Trinit. ca. j. prope finem. Siquidem nihil recipit pater à filio, ideo non omnis notitia diuina eſt verbum, ſed ſolùm notitia genita. Et ideo ſolus filius eſt verbũ, qui ſolus eſt genitus. Vnde Augu. vj. de trinit. ca. ij. Verbum ſolus filius accipitur non ſimul pater & filius tanquam ambo vnum verbum, hæc de verbo immanenti & æterno Gabr. ſcribit di. xxvij. q. iij. lib. j. de quo & infra amplius videbitur.

V E

Verbum vocale eſt aliquid in voce, ſubordinatum verbo mentali, quod non ſignificat verbum mentale, ſed ſignificat rem illam ad placitum, quam verbum mentale, cui ſubordinatur ſignificat naturaliter. Gab. di. xxvij. qu. ij. li. j. & ar. iij. & in fine dicit, omne verbum quod eſt notitia complexa & adhæſiua gignitur per præuias cogitationes & inquiſitiones ac diſputationes.

Verbum tranſitorium & prolatum. Eſt creatura à Deo producta, ſpiritus Dei manifeſtatiua (vt dicit ſanct. Bonauen.) & ſic capiendo verbum eſt eſſentiale, quantum ad terminum à quo producitur, quia æqualiter à qualibet perſona producitur, & æqualiter omnes manifeſtat.

Verbum imperatiui modi multipliciter accipitur in ſcriptura. Aliquando præceptoriè. Aliquando conſultoriè. Aliquando inſinuatoriè, & aliquando permiſsiuè, quorum ſumi poſſunt exempla ex diuerſis locis ſcripturæ. Vnde 3. Reg. vlt. dicitur: Quis ſeducet Achab regem Iſraël, & poſt ſubiũgitur quod Dominus dixit ſpiritui mẽdaci. Egredere & fac, ibi imperatiuus, egredere & fac non intelligitur imperatiuè, ſed permiſsiuè, &c. Hæc ſanct. Bonauen. di. xxxvij. ar. ij. q. j. lib. ij. Et verba fidem Chriſtianam exprimentia, vt idem vult Bonauen. di. iiij. qu. vlt. lib. iij. debent eſſe ab errore longinqua, & deuotioni approximantia, maximè illa in quibus eſt ſermo de virgine Maria. Ipſa enim cunctas hæreſes interemit in vniuerſo mũdo, veritatem in ſeipſa concipiendo & pariendo. Ipſa etiam reconciliationem toti generi humano promeruit, & ideo erga eam debet omnis ardere Chriſtianorum deuotio. Et propterea quia beata virgo illum concepit, qui nõ tantum eſt Chriſtus propter vnionẽ, ſed etiã Deus verus propter æternã generationẽ, Dei genetrix debet dici, vt ex ipſo vocabulo honoretur & impietatis error extinguatur, qui dixit Mariã cõcepiſſe hominẽ. Ad cuius erroris fomentũ Neſtorius (vt narrat Damaſc. vetus doctor) voluit eam Chriſti genetricẽ nõ Dei genetricẽ appellare, quaſi purũ hominẽ genuiſſet, vt latiùs ibidẽ declarat S. Bona. vbi ſupra, & paulò pòſt cõcludendo. Beata itaq; virgo eſt Dei genetrix appellanda, iuſtè & veraciter & deuotè. Et quod dicitur mater Dei, non eſt propter hoc quod genuerit eum ſecũdum diuinam naturam, ſed propter idiomatum communicationem, & myſterij incarnationis expreſsionem & ipſius virginis honorificationem. Liberis autem verbis vtuntur Philoſophi, & in rebus ad intelligendum difficillimis offenſionem piarum aurium non pertimeſcunt. Vobis autem, ſcilicet Theologis ad certam regulam loqui fas eſt (vt ſcribit Gerſon part. j. ſer. pro Viagio regis Romanorum parte ij. directione iij.) Omnia præterea verba cuiuſcunque temporis ſiue præteriti ſiue futuri ſiue important actus eſſentiales ſiue notionales, dicuntur verè de Deo, & eſt regula om-

nium

nium Theoogorũ generalis. Et iſta regula fundatur in dicto Aug. ſuper illo verbo. Quæcunque audiui à patre. Et licèt iſta verba dicantur de Deo, nõ tamen dicut diuerſas differẽtias. Verba igitur diuerſorum temporum nõ dicunt differentiam temporis prout dicuntur de Deo. Item idem ſunt præſens, præteritum, & futurum in Deo. Verba quoq; diuerſorum temporum vt dicuntur, important nũc æternitatis, nõ tamen abſolutè, ſed prout coëxiſtit pluribus partibus temporis (ita ſcribit Bruleſet di. iiij. q. j. lib. j.) Et verba prædicabilia de Deo quædã ſunt eſſentialia, vt communicatur, quædam perſonalia, vt generat generatur, ſpirat ſpiratur. Quædam communia, vt eſſe, exiſtere, creare, gubernare, intelligere, amare, &c. Gabr. di. iiij. qu. j. libr. j. Et Petrus de Aliaco q. v. lib. j. ſentent.

Verbum ocioſum ſecundum ſan. Bonauen. eſt illud quod non ordinatur in finem, & quod caret omni vtilitate, dum tamen aliquam deberet habere. Et ſic intelligendum eſt illud Gregor. Verbum ocioſum eſt quod caret ratione iuſtæ neceſſitatis & intentione pię vtilitatis. Et inter tale otioſum & meritorium cadit medium, quando aliquis aliquid loquitur, quod nõ eſt omnimoda vtilitate priuatum, nec tamen eſt ordinatum in Deum tanquam in finem vltimum. Frequenter autẽ verba quæ vidẽtur inutilia vtilia fiunt dum ordinantur ad recreationẽ aliquam ſpiritus, & ad excluſionem acediæ ſecundum quod refertur beatum Bernard. dixiſſe cum quẽdam fecit ceſpitare. Ocioſum inquit fuit factũ, ſed non ocioſe factum, fecerat enim hoc ad lætificandum illum quem viderat mœſtum.

Verbum diuinum eſt perſona ſeu notitia genita de ſcientia dicentis quæ eſt Dei & omnium creaturarum tanquam obiectorum cognitorum, ſicut dicit Aug. in lib. lxxxiij. qu. In nomine verbi ſignificatur non ſolum reſpectus ad patrem ſed ad illa quæ per verbum facta ſunt operatiua potentia. Connotat enim verbum id quod manifeſtat. Manifeſtat autẽ omne quod intelligitur. Vna autem diuina ſcientia de qua gignitur verbum omnia Deus & creaturæ intelliguntur, ideo connotat reſpectiuè creaturas. Gab. di. xxvij. q. iij. li. j. Et diuinũ verbum (vt ait S. Bonauen. di. xxvij. ſerm. ij. q. iiij. lib. j.) eſt veriſſimum, placentiſſimum, omnipotentiſſimum, &c. Et ſolus filius eſt verbum in diuinis, quia omne verbum eſt genitum, ſolus filius eſt genitus, ergo ſolus filius eſt verbum, vt dicit Gabr. vbi ſupra. Et verbũ omnibus modis eſt filius. Et ſola intellectio genita, quæ ſolus eſt filius, eſt verbum. Et in fine vbi ſupra dicit Gabr. Verbum Dei non naſcitur de omnibus cognitis ſciẽtia patris, ſed naſcitur de ſciẽtia patris, quæ eſt vna omnium cognitorum, & hæc eſt patris ſubſtantia. Et verbum eſt purum notionale, quia cõuenit ſoli filio. Et illud verbum factum eſt caro: de quo Aug. de trinit. c. xix. Cùm lego, verbũm caro factum eſt & habitabit in nobis. In verbo intelligo verum Dei filium, in carne agnoſco verum hominis filium & vtrumq; ſimul in vna perſona Dei & hominis ineffabili gratiæ largitate coniunctum. De quo Gerſon parte ij. ſerm. in die natiuitatis Domini per plura ſcribit, & aliàs dicitur. Illud verbum patris ex tempore incarnatum non eſt aliquo modo compoſitum. Omnis enim cõpoſitio repugnat ſummæ ſimplicitati (vt dicit Gab. di. vj. q. j. lib. iij.) verbum ſicut quælibet perſona diuina eſt ſummæ ſimplex, ergo nullo modo compoſita, vt latiùs ibi probat. Et per verbum filium Dei pater notificauit ex tempore ad extra multitudinem perfectionum diuinarum, quam habet ab æterno ab intra. Et per conſequens filius Dei per quem facta ſunt, & notificata omnia habet dici nomen Dei. Item per verbum filium Dei fuerunt non ſolum nobis notificatæ diuinæ perfectiones eſſentiales in opere creationis, ſed etiam myſterium trinitatis, de quo latiùs ſcribit Iacobus de Valentia ſuper illud Pſalm. 148. Ignis, grando, &c. quæ faciunt verbum eius, &c. Filius autem & verbum non ſunt nomina ſynonyma. De quo vide ſupra in dictione *Filius*.

Verecundia poteſt accipi tripliciter ſecundum Rich. di. xxxiij. ar. v. q. viij. lib. iij. Vno modo pro paſſione, & ſic nõ eſt virtus ſed paſſio laudabilis, dicente Philoſ. 4. Ethic. c. 1. quod verecundia eſt laudabilis: paſſiones autẽ nõ ſunt virtutes: quia virtus eſt habitus, vt dicitur 2. Ethi. Secũdo modo verecũdia accipitur pro actu, & ſic eſt actus virtutis. Tertio modo pro habitu habilitante ad talem actum, & ſic eſt virtus ſecundum ſanctum Thom. ij. ij. q. cxliiij. per quam aliquis refugit turpitudinem tẽperantiæ contrariam. Idem verecundia ponitur pars temporãtiæ vna, & alia honeſtas per quam aliquis amat pulcritudinem temperantiæ. Nam inter virtutes pręcipuè temperantia vendicat ſibi quendam decorem & intemperantiæ vitia habent turpitudinem. Et ſecundũ Anto. in ſumma par. iiij. titu. iiij. verecũdia dicitur virtus largè accipiẽdo nomẽ virtutis, prout omne quod eſt laudabile in humanis actib' vel paſſionibus dicitur virtus, ſed propriè non eſt virtus, quia deficit à perfectione virtutis inquantum eſt timor alicuius turpis, vel inquantum eſt timor ingloriationis ſecundum Philoſophum 4. Ethic. ſcilicet opprobriorum, paupertatis, ignobilitatis, ſeruitutis. Nam ex imperfectione prouenit quod quis de huiuſmodi verecundetur. Virtuoſus enim talia nõ curat ſed cõtemnit, quia indignè ſibi irrogantur, ſicut legitur de Apoſtolis Act. 5. quod ibant gaudentes à conſpectu, &c. Verecundia ſecundũ Paulum Corteſium lib. iij. ſentent. di. viij. eſt culpę ſpectatrix & tenerrimus oculorum pudor qui à criminum genere infamiæ metu arceatur. Et ſecundum B. Thom. ij. ij. q. cxvj. ar. ij. verecundia eſt timor turpitudinis exprobrabilis. Et principaliter reſpicit vituperium, Sed reſpicit culpam cõſequenter & hoc dupliciter, ſcilicet ceſſando & celãdo. Et dicitur à vereor, quod idem eſt quod timeo. Quid autem apud Deũ, quid apud homines gratioſius quàm humilis verecũdia, &c. vt ſcribit Gerſon tract. x. ſuper Magnificat. Et Ambroſ. lib. ij. offic. Pulchra virtus eſt verecundia & ſuauis gratia, quæ non ſolum in factis, ſed etiam in ipſis ſpectatur ſermonibus ne modum progrediaris loquendi, ne quid indecorum ſermo reſonet tuus. Speculum enim mentis plerumque in verbis refulget, ipſum vocis librat modeſtia, ne cuius offendat aurem vox fortior. Denique in ipſo cauẽdi genere prima diſciplina verecundia. Et vt ſcribit Hierony. Ingenia liberaliter educata facilius verecundia quàm metus ſuperat, & quos tormenta non vincunt,

vincunt, interdū vincit pudor. Greg. ſuper Ezech. homel.10. Sicut verecundia laudabilis eſt in malo, ita reprehenſibilis eſt in bono. Erubeſcere enim malum ſapientiæ eſt, bonum vero erubeſcere fatuitatis. Qui erubeſcit mala pœnitendo quæ fecit, ad vitę libertatem peruenit. Qui verò erubeſcit bona facere, à ſtatu rectitudinis cadit, itaque ad damnationem tendit, ſicut per redemptorem dicitur. Qui me erubeſcit & meos ſermones, &c. Et ſecundum Bernard. verecundia eſt ſoror continentiæ, & bonum ſignū, vt inquit Seneca, in adoleſcente, &c.

Veritas eſt adæquatio rei ad intellectum, vt Philoſ. deſcripſerunt, de quo Gabr. ſerm. ij. dominicæ Exaudi. Et veritas dicitur dupliciter ſecundum Rich. di.xlvj.ar.ij.qu.ij. in fine lib.iiij. Vno modo ſecundum quod cōſiſtit in quadā adæquatione rei ad intellectū, cuiuſmodi eſt veritas intellectus. Alio modo pro voluntate manifeſtandi ſe exterius in ſignis & operibus ſecundū rectum iudiciū rationis, ſecundū quē modū loquitur de veritate Philoſ. 4. Ethic. ca.13. Veritas ad ſimilitudinē primi modi dicta in Deo, differt ſecundū rationem intelligēdi à iuſtitia, quamuis idē ſint re, ſed dicta ad ſimilitudinē modi ſecūdi in Deo pertinet ad rationē iuſtitiæ. Eſt enim voluntas conformandi opera ſua ad iuſtitiæ rationem ſeu regulam, quæ regula eſt veritas primo modo dicta. Veritas primo modo dicta prior eſt ſecundum rationem intelligendi quàm miſericordia, eſt enim eius regula, ſic non eſt de veritate ſecundo modo dicta, &c. Richard. Et veritas rei dupliciter accipitur (vt ſcribit Gabriël diſt. xiiij. qu. iij. artic. j. libr. iiij.) poſt Alexand. parte iiij. qu. iij. membro j. Vno modo vt refertur ad exiſtentiam rei. Alio modo ad efficaciam. Veritas exiſtentiæ eſt, cùm res habet quicquid ad eius eſſentiam pertinet. Veritas efficientiæ eſt, cùm res habet effectum ſuum ad quem ordinata eſt, quomodo homo carens rationis vſu aut non viuens ſecundum rationem, dicitur non eſſe verus homo, ſed beſtia vt vult Boët. iiij. de conſol. proſa. iij. quod transformatum viciis hominem æſtimare non poſsis.

Veritas vt dicit Petrus de Aliaco qu. j. prologi eſt propoſitio vera, nec eſt quid diſtinctum à propoſitione, vt ibidem patet, oſtendit & probat.

Veritas ſermonis poteſt eſſe duplex, & ſimiliter duplex falſitas ſecundum Bonauen. poſt Alexad. parte ij. qu. cxxix. membro j. ſecundum quod ſermo poteſt referri ad rem ſignificatam, vel ad intentionem proferentis. Nam referendo ſeu comparando ad rem ſignificatam, ſi fuerit adæquatio rei ad ſignum quod res ita ſe habeant, quomodo ſe habere ſignificantur, dicitur ſermo verus. Si ſignificantur non ſic habere, quàm ſe habeant, aut aliter ſe habere, quàm ſe habeant, dicitur ſermo falſus. Comparando autem ad intentionem proferentis, ſermo dicitur verax aut fallax. Verax ſi hoc quod verba foris ſonant, etiam mente credendo intendat. Si verò aliud credit, ſermo dicitur fallax, etiamſi verus fuerit, vt ſi quis falſum putat, quod verū eſt, credēs falſum aſſerit pro vero, fallax eſt illa aſſenſio, licèt ſit vera, ſic differunt mendacium & mentiri. De quo ſuo loco dicitur. Gabriel hæc diſt. xxxviij. qu. vnica, art. j. libr. iij.

Veritas Theologica eſt veritas neceſſaria viatori ad æternam ſalutem habendam, hoc eſt, veritas Theologica eſt veritas, cuius notitia adhæſiua neceſſaria eſt ad ſalutem explicitè, vel implicitè habenti vſum rationis & eam apprehendenti, vt omnes veritates in canone bibliæ contentæ ſunt veritates Theologicæ, & ſufficit ad ſalutem ea credere implicitè, ſicut omnia reuelata in genere à Deo in ſenſu per ſpiritumſanctum intento. Item omnis propoſitio ſeu veritas formata, vel formabilis de Deo, vel etiam de creaturis, vt referuntur ad Deum ſecundum rationem gubernationis, creationis, conſeruationis, iuſtificationis, redemptionis, remunerationis & ſimilia quæ conſiderantur in Theologia, vt paſsiones ſubiecti dicuntur veritates Theologicæ. Gabriël quæſt. j. prologi. & Aliacenſis qu. j. prologi. artic. ij. Et aliquæ veritates ſunt naturaliter notæ, vt Deus eſt bonus, viuens, ſapiens. Aliæ ſupernaturaliter cognitæ & tantum creditæ, vt Deus eſt trinus & vnus, Deus eſt incarnatus. Gabriël vbi ſupra.

Veritas catholica eſt veritas reuelata à Deo in ſe, vel ſuo antecedente pertinens ad religionem. Dicitur, veritas reuelata à Deo, quia veritas humano ingenio adquiſita, puta per demonſtrationem vel experientiam, vt talis non dicitur veritas catholica, quia omnis veritas catholica, eſt articulus fidei. Fides autem non innititur euidentiæ naturali, ſed diuinæ reuelationi. Dicitur in ſe, propter, veritates ſacri canonis bibliæ, quæ omnes immediatè ſiue ſecundum ſe ſcriptoribus eius ſunt reuelatæ. Ipſi enim fuère calamus ſcribæ, id eſt ſpiritusſancti velociter ſcribentis. Dicitur, vel in ſuo antecedente propter veritates quæ ex contentis in biblia poſſunt deduci, vel inferri in conſequentia neceſſaria: vt eſt illa, Deus eſt verus homo ex anima rationali & carne ſubſiſtens, quæ ſub hac verborum forma non habetur in ſcriptura, ſed ex eis poteſt deduci in conſequentia neceſſaria. Dicitur, ad religionem pertinens, propter veritates religionem ſiue pietatem non reſpicientes, quæ non dicuntur veritates catholicæ quamuis fuerint à Deo reuelatæ. Pertinet autem ad religionem quicquid ad pietatem, id eſt Dei cultum, aut ad finem beatitudinis conſequendo ordinatur. Ex quo ſequitur quod multæ veritates quæ in ſcriptura canonica non habentur, nec ex eis ſolis deduci poſſunt in cōſequentia neceſſaria, ſunt catholicæ. Patet primum de his quæ ab Apoſtolis ad nos per ſuccedentium relationem, vel ſcripturas fidelium fide dignas ad nos peruenerunt, & tamen in ſcriptura canonica non continentur, hæc Apoſtolis per ſpiritumſanctum reuelata (à quo docti ſunt omnes veritatem) non dubitatur. Patet & de his quæ ex pręmiſsis coaſſumpto aliquo vero euidentiæ, vel certè deduci poſſunt. Patet etiam tertio de his veritatibus quæ aliis fidelibus à Deo reuelatæ eſſe ſufficienter oſtenduntur. Patet & quarto de his quæ ab Eccleſia vniuerſali vt credenda accepta ſunt, quæ ſupponitur in fide errare non poſſe, cuius fidem deficere non poſſe oratio Chriſti pro fide Petri (Luc. 22. & eius promiſſa aſsiſtentia vſque in finem ſeculi Matth, vltim.) certam reddiderunt.

Patet

Patet quinto de veritatibus à generalibus cōciliis & Romanis pontificibus ritè determinatis. Hęc enim omnia vel reuelata ſunt vel ex ſolis reuelatis ſunt deducta, vel ex reuelatis & illis veritatibus certis coaſſumptis, neq; aliud determinat ritè conciliū vel Romanus Pontifex. Hæc Gabriel di. xiij. q. ij. ar. j. li. iiij. Veritas catholica ſic deſcribitur à Gerſ. par. j. in declaratione quæ veritates ſunt credendę de neceſsitate ſalutis. Veritas catholica (inquit) eſt veritas habita per diuinam reuelationem immediatè vel mediatè, explicitè in propria forma verborum, vel implicitè in bona & certa conſequentia. Et veritates catholicæ (vt ſcribit Gabriel di. xxv. q. vnica, ar. iij. dub. iij. lib. iij.) abſque omni approbatione Eccleſiæ ex natura rei ſunt immutabiles & immutabiliter veræ, ita ſunt immutabiliter catholicæ reputādæ, ſicut hæreſes abſq; omni reprobatione & damnatione ſunt falſæ, ita abſque omni reprobatione, ſunt hęreſes putandæ, &c. De veritatibus catholicis latiùs Gabr. vbi ſupra.

Veritas eſt triplex vt notat Gerſon parte iiij. ſermone dominicæ paſsionis,) ſcilicet, Veritas doctrinæ, Veritas vitæ, & veritas iuſtitiæ. Hanc triplicem veritatem Chriſtus nobis prędicauit. Prima nos docet cognoſcere verum & falſum, & præcipit nobis vt credamus verum, falſum verò relinquamus. Secūda, ſcilicet veritas vitæ, bonum diſcernit à malo, & præcipit nobis vt inſequamur bonum, & malum dimittamus. Tertia veritas nos docet facere vnicuique iuſtitiam, cuilibet reddendo quod ſuum eſt. Et hæc iuſtitiæ veritas præcipit nobis vt patienter feramus mala, & tribolationes, quę nobis Deus mittit ſecundum noſtra demerita. Hi qui non imitantur aut non credunt has tres veritates, ſunt maledicti per os Eſaiæ Prophetæ. Eſa. 5. Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucē tenebras: & ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. De quo amplius videre potes apud Gerſonem vbi ſupra.

Verum contingenter & verum determinatè differunt. Nam determinatè verum eſt, quod eſt verum, ſic quod nō eſt falſum, eſt tamen cōtingenter verū, quia poteſt eſſe falſum, & nunquam fuiſſe verum Gabr. di. xxxviij. q. vnica, ar. j. lib. j.

Veritas Dei erga nos conſiſtit in ſeruando promiſſa & nō fallēdo in reuelatis in lege (vt ſcribit Iacobus de Valentia ſuper illud Pſal. 142. In veritate tua exaudi me in tua iuſtitia.) Et tota eius iuſtitia cōſiſtit in ſeruādo veritatem promiſsis & reuelatis in lege, & tribuendo vnicuique quod ſuum eſt, ſcilicet remunerando bona & puniendo mala. Et ſic patet qualiter iuſtitia diuina includit veritatem in promiſsis & reuelatis, quia quaſi iniuſtus reputaretur Deus, niſi impleret promiſſa & reuelata in lege & Prophetis. Et ideo in ſacra ſcriptura ſæpè per veritatem intelligitur diuina iuſtitia.

Vermis (vt ſcribit Brulifer diſt. l. ar. vltim. lib. iiij.) dicitur tripliciter. Primo modo dicitur quaſi veritas miſſa. Iſto modo filius Dei qui miſſus eſt à patre in mundum pro ſalute generis humani, dicitur vermis, ſecundum illud Pſal. 21. Ego ſum vermis & nō homo. Aug. Vermis, id eſt veritas miſſa & non homo, quia non ſum conceptus ex ſemine viri & mulieris ſicut cæteri homines. Alio modo dicitur vermis animal. Et ſic vermes dicuntur quędam animalia parua ſuper coſtas ſuas ambulantia, & ſi habeant pedes, ſunt valde parui, ſicut pediculi & cęteri vermes generati ex corruptione, ſiue ſint in terra ſiue in aqua, & iſto modo etiam ſerpentes dicūtur vermes. Tertio modo dicitur vermis à rodendo, quia corrodit & remordet, & ſic vermis ſpiritualis, ſcilicet ſynderesis dicitur vermis, & capitur vermis ibi Metaphoricè, & eſt quædā triſtitia & cōtinuus remorſus cōſcientię, qui oritur ex putrefactione peccati & cōcurſu duorū mouentiū, ſcilicet voluntatis naturalis, & volūtatis liberę ſibiinuicē obuiantiū & ſibiinuicē reſiſtentiū. Vnde triplex triſtitia eſt in dānatis. Prima eſt carētia beatitudinis. Secūda erit de igne affligēte eos. Tertia triſtitia eſt vermis, & peccatum dicitur putrefactū & putridum, quando homo moritur in illo. Sic patet quod vermis ſpiritualis eſt in dānatis, de quo & vide in dictiōe *pœna vermis*. Et vermis ille in damnatis iuſto Dei iudicio eſt inuariabilis, mali enim ſimul omnia peccata memorantur, vt de omnibus continuè torqueantur. Erit itaque vermis iſte inuariabilis, ita quod continuè mordebit, nec minuitur, nec augmētabitur, quia ita intenſiuè mordebit in vna hora ſicut & in alia, vt in fine dicit quod vermis iſte intēſius erit in aliquibus ſecundum quod aliqui plura peccata commiſerunt, in aliis autem minus intenſe mordebit ſecundūm quod minus peccauerunt.

Veſtigium propriè eſt impreſsio pedis, id eſt ſignum quod à pede relinquitur. Dictū quod veluti indumentum ſit pedis. Hinc peruestigo atque inueſtigo quæ ſignificant quærendo inuenio. Et ſecundum beatum Thom. in primo ſcripto di. iij. art. ij. & in j. parte q. xcv. ar. vij. Veſtigium eſt impreſsio derelicta ex tranſitu alicuius ſuperuacuum, vel plenum imperfectè repræſentans, & ideo imperfectè, quia veſtigium reprǽſentat aliquid cōfuſe & ſub ratione ſpeciei, imago perfectè quia ſub ratione indiuidui, ſicut per veſtigium diſtinguitur equus à boue, & cognoſcitur quod tranſiens eſt equus non bos. Nō autem diſtinguitur hic equus ab alio, ſed imago diſtinguit ſub ratione indiuidui, quia imago Iouis nō repræſentat Cæſarem.

Veſtigium in creaturis tripliciter capitur, vt ſcribit poſt Aliacenſem q. iiij. lib. j. Et Occam Gab. qu. ix. diſt. iij. lib. j. Vno modo largè, & ſic eſt effectus derelictus ex aliqua cauſa, rememoratiuus ipſius ducens ex communi lege in adhæſionem alicuius propoſitionis cōtingentis enunciātis eſſe fuiſſe vel alicuius talis de ipſa cauſa. Hoc modo fumus vel aduſtio derelicta ex igne dicitur veſtigium ignis. Et odor aliquando derelictus ex animali tranſeunte dicitur veſtigium. Vnde canis habet excellentem olfactionem, qua inſequitur leporem. Nam omnis beſtia ſilueſtris relinquit poſt ſe odorem, qui eſt veſtigium eius. Secūdo modo capitur veſtigium magis ſtrictè pro impreſsione alicuius in aliquod ſibi cedens, remanens in ſui abſentia ducens, &c. Hoc modo in cera relinquitur ſigilli veſtigium. Et in luto quo ſus totus ſe voluerat veſtigium porci. Dicitur tamē impreſsio ſigilli in cera, etiam imago licèt non propriiſsimè capiēdo imaginem. Tertio modo

capitur

capitur ſtrictiſsimè & propriè veſtigium. Sic eſt im preſsio partis alicuius totius in aliquod ſibi cedens remanens in abſentia eius rememoratiuũ eius, &c. vt ſupra. Differunt autem imago & veſtigium (vt ſcribit Gabr. vbi ſupra) de quo videatur & in dictione *imago*, & ſupra tactum eſt paulò ante. Et remotiores ſimilitudines creaturæ ad Deum dicuntur veſtigium, propinquiores verò imago.

Veſtigium ſic notificatur. Eſt ſimilitudo Dei imperfecta reperta in creatura nata ducere in cognitionẽ recordatiuam appropriatorum vel alicuius proprij, ſed non propriorum trium perſonarum. Et omne ducens in notitiã Dei vel eſt imago vel veſtigium. Poſſumus autem (vt ſcribit Gabr. lib. j. di. iij. q. ix.) in creatura conſiderare quædam quibus ducimur in notitiam rememoratiuam appropriatorum diuinorum. In perfectioribus verò creaturis poſſumus cõſiderare aliqua quibus poſſumus duci in notitiam rememoratiua propriorum, id eſt aliqua diſtincta, quorum vnum producit non producitur. Aliud ab illo vno producitur: tertium ab vtroque, vt mens, notitia, amor, quæ quia ſunt ſimul in eodem, habet aliquam conſubſtantialitatem. Et ita ducunt in memoriam propriorum, id eſt patris nõ producti, filij à ſolo patre geniti, & ſpirituſſancti procedentis ab vtroque qui ſunt verè cõſubſtantiales, quia vna eademq; eſſentia. Primum in creatura dicitur veſtigiũ. Secũdũ imago, quæ tũc magis propriè dicitur imago, quando ea quæ in ea conſiderantur, habent ordinem ad diuina; ita quod pro ea creatura poteſt capere Deum intelligendo & amãdo. Et ſic propriè non inuenitur niſi in creatura rationali & eius parte quæ capax eſt æternorum. Qualibet igitur creatura poteſt eſſe veſtigiũ trinitatis. Verbi gratia habens in ſe conceptũ pulchritudinis abſtractũ à ſpecie ſiue pulchritudine creaturæ (quæ eſt appropriatum diuinæ perſonæ) dum occurrit pulchra creatura incipit intellectus cogitare de pulchritudine diuina. Sed propriè loquendo nulla creatura eſt veſtigium trinitatis, ſed ſolum impropriè metaphoricè & tranſſumptiuè, quia conuenit cum veſtigio corporali in multis (vt ſatis bene declarat Gabr. vbi ſupra.) Nam ſicut veſtigium corporale eſt aliqualis ſimilitudo, & non omnimoda veſtigiati, ita creatura reſpectu Dei. Et ſicut veſtigium corporale tantum eſt ab eo cuius eſt veſtigium, ita creatura cauſata eſt à Deo. Vide latius Gabr. art. ij. vbi ſupra, & art. iij. notat in quibus proprietatibus quæ ſunt in creatura conſiſtit ratio veſtigij, &c.

Veſtigium Dei in ſacra ſcriptura tripliciter accipitur vt notat Pelbartus poſt doctorem ſuum Guil. Scoti imitatorem & Scotorellum. Aliquando enim accipitur pro prouidentia occulta Dei, ſicut cùm dicitur Ioann. 11. Forſitan veſtigia Dei comprehendes, id eſt occulta Dei iudicia non poteris comprehendere tu homo. Secundo modo veſtigiũ capitur pro opere Chriſti in mundo vel pro exemplis eius ſanctæ vitæ, iuxta illud Iob: Veſtigia eius ſecutus eſt pes meus. Vnde 1. Pet. 2. dicitur. Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplũ vt ſequamini veſtigia eius. Tertio modo accipitur pro radio creaturæ, qui nos ducit in cognitionem creatoris, ſicut enim veſtigium ducit nos in cognitionem aliquam illius cuius eſt ſecũdum partem, & in quadã elongatione, id eſt remota cognitione, ſicut veſtigium equi, ita omnis creatura dicitur veſtigium, quia ducit nos in cognitionẽ Dei ipſius tãquam effectus in cognitionem cauſæ, quaſi ſecundum partem inferiorem ſecundum eſſe, ſcilicet: Homo autem tanquam imago Dei de propinquo repræſentat, & cognoſcere facit Trinitatẽ. Hęc Pelbartus poſt Scotorellum. de quo Gerſon tract. vij. ſuper cantico Mariæ. Conſiſtit inquit in re qualibet quantumcunque modicum habeat entitatis, & in accidentibus & in materia prima veſtigium Trinitatis &c.

Veſtis veſtimentum à veſtio dicitur. Veſtem iuriſconſulti diffiniunt eſſe quicquid induendi, pręcingendi, amiciendi, inſeruiendi, tegendi, accubandi gratia paratum eſt. Veſtes, quibus vtitur in Miſſa ſacerdos quid ſignificẽt oſtendit Rich. di. xiij. ar. iiij. qu. iiij. libr. iiij. Amictus in capite repręſentat diuinitatem amictam humanitate. Caput enim Chriſti, Deus eſt. Alba nouitatem vitæ ſignificat, quam Chriſtus habuit, & docuit, & tribuit in Baptiſmo. Zona Chriſti iuſtitiam, iuxta illud Eſa. 11. Erit iuſtitia cingulum lumborum eius. Manipulus poſitus in lęua ſignificat, quod Chriſtus in via brauium obtinebat, per manipulum enim brauium deſignatur, iuxta illud Pſal. Venient cum exultatione portãtes manipulos ſuos. Per lęuã vita præſens intelligitur. Stola quæ collo ſacerdotis incumbit obedientiam ſignificat, quam Chriſtus propter ſalutem humanĩ generis ſubiit, factus obediens vſque ad mortem. Caſula quæ aliis veſtimẽtis ſupponitur Chriſti charitatem ſignificat, quę omnes alias virtutes excellit. Vel aliter, vt ſcribit Gabr. lect. xj. canonis. Amictus quo caput tegitur ſacerdotis, velamẽ ſignificat, quo perfidi Iudæi in domo Caiphę Chriſti faciem velabant, percutientes, & illudentes, & dicentes: Prophetiza nobis Chriſte, quis eſt qui te percuſsit. Mat. 26. Alba veſtem ludicram & albam, qua velut ſtultus ab Herode illuſus remiſſus eſt ad Pilatum, Luc. 23. Planeta ſiue caſula veſtem purpuream repręſentat, qui in Pilati pręrorio poſt flagellationem à militibus irriſus, contumelioſe ſalutatus ac percuſſus inimicis ſuis eſt oſtenſus, dicẽte Pilato: Ecce homo. Ioan. 19. Zona, manipulus, ſtola, tria ligamina quibus in captione, in flagellatione, in crucis baiulatione Dominus ligatus legitur. Amplius legitur de his veſtimentis Gabriël in cano. lect. xj. & xij. quid ſignificent tropologicè, & quid ſignificent allegoricè, qui pulchra & notanda & plura de his veſtimentis ſcribit.

Via eſt locus per quem habere iter omnibus licet. Aliquando accipitur pro ipſo itinere, hoc eſt actu ambulandi. Interdum pro ratione. Virgilius:

Inueni germana viam.

Via autem ad cęlum eſt via mandatorũ quam Propheta non modò iuiſſe, verùm etiã cucurriſſe gratulabatur, dicens: Viam mandatorum tuorum cucurri, conformiter ad ſequens iuſſum Chriſti: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata Matth. 19. Ab hac via quiſquis aberrauerit duce abiecto per abrupta vitiorum, per lubrica, per petroſa, per tenebroſa, in inuia, & non in via laxatur, impingitur in barathri pręceps, ad vltimum deiicitur ab illa domo

quam

quàm longiſsimè raptus: de qua præcipit Chriſtus, dicens: Vade in domum tuam. De hac via legito Gerſonem parte ij. in ſermone quodam Dominicæ xix. poſt Pentecoſt. in collatione eiuſdem. Et lectione ij. ſuper Marcũ. De hac via Domini Iſaias ait: Hæc eſt via Domini, ambulate in ea: non declinantes ad dextram per indiſcretum feruorem, neque ad ſiniſtram per remiſſum torporem. Habet (vt ait idem Gerſon lectione ij. vbi ſup.) mundus viam ſuam: & hæc eſt lapidoſa, & vndique ſpinis, vepribus, vrticiſque curarum mordacium & ſolicitudinum animas noſtras ſuis aculeis lacerantium atque diſsipantium reſperſa, quanquam aurea à quibuſdam, argenteaque videatur. Habet & caro viam ſuam, & hæc herboſa, iocundaque nitet introëuntibus eam, ſed latet anguis in herbis: anguis, ſcilicet doloroſæ pœnitudinis, anxietatis, ſed & lutoſa colluuione tota intus reſpergitur. Habet dæmon viam ſuam, quæ eſt tenebiæ, & lubricum & præruptis circumquaque cautibus pompaticorum ſtatuum vallata, vbi ſuperbi tolluntur in altum, vt lapſu grauiori ruant. Et Propheta: Alliſiſti eos dum alleuarentur. Habet autem Dominus viam ſuam, hæc eſt munda, decens & pulchra. Prouerb. 3. Viæ eius, viæ pulchræ. Et Iſa. 35. Erit ibi ſemita & via ſancta, & non tranſibit pollutus per eam. Et in Pſalm. Ambulans in via immaculata hic mihi miniſtrabat. Eſt etiam via iſta, via æquitatis & iuſtitiæ, quam Sapiens expoſtulabat, Eccleſ. 17. Da nobis Domine, viam iuſtitiæ. Et ne ab ea diuertemus, monebat Propheta: Apprehendite diſciplinam ne pereatis de via iuſta. Et præterea viam veritatis elegi, iudicia tua non ſum oblitus. Hæc eſt via mandatorum, quam Propheta (vt ſupra dictum eſt) cucuriſſe dicit, cùm ait: Viam mandatorum cucurri. Et bene ait cucurri. Nam non eſt pigritandum cùm dies ſit parua, & diæta magna, ne ſit infra Paradiſum manſio ſecura. Eſt & via humilitatis, magnanimitatis & frugalitatis. Eſt & via impiorum, quæ dicitur via peccatorum. De quo Pſalm. Beatus vir qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, &c. De quo latiùs Gerſon vbi ſupra. Et dicitur via iniquitatis. Et illa eſt duplex in homine, vt ſcribit Iacobus de Valentia ſuper illud Pſalm. 138. Et vide ſi via iniquitatis in me eſt. Via dicitur in anima, quæ dicitur culpa peccati, altera dicitur in carne, quæ dicitur in concupiſcentia, & fomes peccati inflicta in nobis ex peccato primi parentis, quæ concupiſcentia dicitur dupliciter via iniquitatis. Vno modo, quia eſt veſtigium, quaſi impreſſum, & relictum ex peccato primi parentis. Alio modo dicitur via iniquitatis, inquantum tendit in culpam formaliter in anima exiſtentem, vt latiùs declarat Epiſcopus ibidem, &c.

Viator ſecundum ſanctum Thomam in iij. parte quæſt. xv. dicitur ex eo quod tendit ad beatitudinem. Comprehenſor autem dicitur ex hoc, quod iam beatitudinem obtinet, ſecundum illud 1. Corinth. 9. Sic currite vt comprehendatis. Chriſtus autẽ fuit viator & comprehenſor ante paſsionem, nam ſecundũ mentem plenè videbat Deũ. Corpus verò erat mortale & paſsibile. ergo. Vnde Gabr. di. xviij. q. vnica, art. j. li. iij. ait: Chriſtus in carne mortali fuit verus comprehenſor & viator. Verus comprehenſor, quia verè beatus, nam intuitiuè & clarè, facie ad faciem anima eius vidit diuinã eſſentiã perfectiſsimè. Etiam ea fruebatur non in ſpe, ſed in re. In his autẽ duobus actibus cõſiſtit eſſentialis beatitudo. Eſt etiam verus viator quantum ad virtutes, & potentias inferiores: & quantum ad corpus, quia quantum ad illa non fuit in termino perfectionis. Expectabat enim quantũ ad illa perfici dotibus gloriæ. Erat enim mortalis, quo ad corpus: & paſsibilis, quo ad animam, à quibus tranſiturus erat ad perfectam eorum gloriam.

Viator ſecundum Cameraceñ. q. j. prologi, ſeu creatura viatrix eſt rationalis natura, quæ nec eſt beata, nec damnata: & ſecundũ eũ Chriſtus nunquã fuit viator, quia ipſe ab inſtanti ſuæ cõceptionis, ſecundum naturã humanã fuit beatus. Et Paulus in raptu, ſecundũ eundẽ, fuit viator: quia licèt tunc viderit arcana Dei, tamen per illam viſionẽ nõ fuit beatus: ſtat enim aliquẽ eſſe viatorẽ, & tamẽ ipſum habere notitiã intuitiuã Dei. Patet de Paulo ſecũdum Aug. in quæſt. ad Oroſiũ, & ſimiliter ſuper Geñ. ad literã. Anima Pauli in raptu clarè, & ſicuti eſt diuinam eſſentiã vidit. Hæc Aliaceñ. Vnde patet contra Occã, quod intellectus viatoris non bene deſcribitur, quod eſt ille, qui nõ habet notitiã intuitiuã deitatis, ſibi poſsibilẽ de potẽtia ordinata. Per primum intellectus excluditur, qui habet notitiã intuitiuam Dei. Per ſecundũ intellectus dãnati, cui de potẽtia ordinata nõ eſt poſsibilis illa notitia, de quo videtó Gabr. latiùs q. j. prologi, art. j. vnde viator, ſecundũ eum, eſt quiſq; qui neque beatus eſt, neq; finaliter damnatus. Vel qui nõ eſt in termino ad quẽ tendit: ſunt autem duo termini rationalis creaturæ, ſcilicet beatitudo finalis, & miſeria finalis, & datur diffinitio de puro, qui non eſt ſimul cõprehenſor propter Chriſtum, qui fuit viator & cõprehenſor, vide latiùs Gabr. vbi ſupra, & an in raptu Paulus fuerit viator. Si dicitur viator, qui non habet notitiã intuitiuã deitatis permanẽter ſibi poſsibilẽ de potentia Dei ordinata, tunc Paulus fuit in raptu viator. Gabriel. Malè ergo notat Cardiñ. Occam, de intellectu viatoris, &c. Notitia autem Dei intuitiuã beatificat, vt vult Occam. Alij ſic deſcribunt (vt Brulefer diſtinct. j. quæſt. j. libr. iiij.) Viator purus dicitur, qui nõ habet præmium beatificum ſibi poſſibile de lege communi, & eſt in ſtatu merendi & demerendi: aut poteſt eſſe de lege communi, per hoc quod dicitur, qui non habet præmium, excluduntur beati in patriã. Per hoc quod dicitur, ſibi poſsibile, &c. excluduntur damnati, tanquam in termino. Per hoc quod dicitur, in ſtatu merẽdi, &c. excluduntur exiſtẽtes in Purgatorio. Per hoc quod dicitur, aut poteſt eſſe, &c. excluduntur furioſi, & paruuli, & huiuſmodi, carentes vſu rationis: tales enim cùm nõ poſsint vti ratione, nec per cõſequens mereri vel demereri poſſunt. Sumus autem viatores. Quamdiu enim ſumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino. ſecundę Corinthiorum quinto. Sunt autem tres gradus viatorum in Eccleſiã militante (vt ſcribit Iacobus de Valentia ſuper illud Pſal. 118. In quo corrigit adoleſcẽtior viam ſuam.) nam quidam dicuntur incipientes: puta, illi qui continuè certant, & pugnant contra vitia in prin-

cipio ſuæ conuerſionis & pœnitentiæ. Secundus gradus eſt ipſorum proficientium, qui peracta pœnitentia, iam proficiunt in bonis operibus erga Deum & proximum. Tertius eſt gradus perfectorum: puta, illorum qui totaliter mundum reliquerunt, & ſeparati à populis, viuunt in ſola vita contemplatiua: ſicut Anachoritæ & veri religioſi in eremo viuentes. De hac re vide & in dictione *Status*.

Videre propriè importat actum quo ſenſus viſus cognitiuè tendit in obiectum viſibile, ſed ſecundum vſum ſcripturæ accipitur pro quolibet actu cognoſcendi: & præſertim pro cognitione certa & intuitiua. Sic dicitur Exod. 20. Videbat populus voces. Hæc Gabriel diſt. xxxiij. quæſt. j. li. ij. Hinc Gerſon de myſtica Theolog. & eius elucidatione, & tract. de oculo, & de verbo & hymno gloriæ: vult quod videre & intueri pertineant ad omnes ſenſus.

Videri dicitur aliquid oculo corporali quadrupliciter (vt notat Gabriel diſtinct. x. quæſt. vnica, artic. iij. dubio j. libr. iiij.) Vno modo per ſe quod non per aliud viſibile à ſe diſtinctum videtur, quo remoto non videretur, ſicut tantum lux & color videntur. Secundo modo per accidens, quod accidenti per ſe viſibili ſubiectatur, ſic corpus coloratum vel lucidum videtur. Tertio modo propter ſpecialem coniunctionem cum viſo altero priorum duorum modorum. Sic Deus viſus eſt in terris viſa Chriſti humanitate, cui ipſa diuinitas ſpeciali vnione, ſcilicet hypoſtatica eſt vnita. Quarto modo propter ſpecialem ordinem ipſius ad viſum per ſe, vt contenti ad continens, vel annixi aut adhærentis non inhærentis: hoc enim pertinet ad ſecundum modum. Et iſto quarto modo corpus Chriſti videtur oculo corporali, ſicut contentum in continente, & non aliis tribus modis: nec dubium eſt quin fidelis videns hoſtiam conſecratam videat Chriſtum oculo fidei, quod nihil aliud eſt niſi credere quod ſub viſis ſpeciebus continetur realiter Chriſtus. de quo latius Gab. vbi ſupra. & lect. xlv. canon. Et cùm dicitur: Video corpus Chriſti, vel tango corpus Chriſti. Et (vt vulgò dicitur) hodie vidi corpus Chriſti: iſtæ propoſitiones non ſunt veræ (vt ſcribit Dominus Cardinalis Cameracenſis quæſt. v. art. iij. in fine libri iiij.) niſi ad iſtum ſenſum: video & tango ſpecies, ſub quibus eſt forma Chriſti. Plura Gabriel in canone vbi ſupra.

Videre Deum tripliciter dicimur (vt ſcriptis nobis reliquit ſanctus Bonauentura diſtinct. x. artic. iij. quæſt. ij. libr. ij.) ſcilicet viſione corporali, imaginaria & intellectuali. In viſione intellectuali videtur Deus in ſeipſo lucens. Viſione autem imaginaria & corporali videtur Deus in ſubiecta creatura apparens. Sic etiam tripliciter dicimur audire, aut per aliquod ſignum exterioribus auribus oblatum, ſicut pluries auditum fuit & in veteri & in nouo teſtamento, aut per aliquod ſignum in interiori ſenſu, vel in interiori imagine formatum, aut per aliquod inſpirationis verbum noſtris mentibus inſtillatum. Et ſicut tripliciter auditur, ita etiam tripliciter dicitur loqui, ſecundum quod in nobis triplicem excitat auditum. Sicut enim ſenſum noſtrum ad ſuiipſius apprehenſionem excitat mediante ſigno ſenſibili, in quo apparet Angelus ex perſona Dei, vel Deus apparet ex miniſterio Angeli, mentem autem noſtram per ſemetipſum informat, vt ipſum videat & cognoſcat. Sic in locutione intelligendum eſt. Nam locutio illa qua Deus loquitur per ſignum ſenſibile, ſiue exterius ſiue interius, aut ſemper aut frequenter fit per Angelum, ſicut dicit Gregorius in Moral. Ait enim: Cùm loquitur Deus nobis per Angelum, aliquando vocem ſuam rebus indicat, aliquando imaginibus oculis cordis oſtenſis, aliquando imaginibus ante corporeos oculos ex aëre aſſumptis, aliquando ſubſtantiis cœleſtibus, aliquando terrenis, aliquando ſimul cœleſtibus & terrenis, & de omnibus exemplificat. Locutio autem qua Deus inſpirat aliquid cordibus noſtris, & ſi fieri poſſit per Angelum excitantem ab inferiori, ſicut dicit Gregorius, quod nunquam Deus humanis cordibus ita per Angelum loquitur, vt ipſe mentis obtutibus præſentetur: ſit tamen principaliter ab ipſo Deo. Primus igitur & ſecundus modus loquendi & Angeli & Dei, ſed Dei tanquam imperantis, Angeli verò tanquam exequentis, ita quod ſermo exequentis referatur ad perſonam imperantis. Hoc autem poteſt eſſe dupliciter, vel cùm Angelus loquitur in perſona Dei: ſicut cùm formauit illam vocem Lucæ tertio: Hic eſt filius meus dilectus. ſiue locutus eſt ad Moyſen Exodi tertio: vel cùm loquitur vt nuncius Dei, perferens illud verbum quaſi à Deo, per quem etiam modum dicitur Dominus loqui per Prophetas. Tertius verò modus loquendi eſt proprius ipſius Dei: & ideo non poteſt eſſe eadem locutio Dei & Angeli, ſecundum nullum modum. Et vt idem dicit Bonauentura diſtinct. xiiij. quæſt. iij. libr. iij. Verè & catholicè dicendum eſt, quod anima Chriſti beatiſſima, & aliæ beatæ animæ vident ipſum luminis fontem in quo reficiuntur, quieſcunt, delectantur, & quodammodo à claritate illius luminis abſorbentur, vt Deus ab eis vndique conſpiciatur & videatur, etiam in ipſis, hoc potiſſimè verum eſt in anima Chriſti, ſed auctoritates, quæ contrarium ſonare videntur, quinque modis habent exponi, quæ videntur dicere Deum in ſua ſubſtantia non poſſe videri primo modo, ſic non poteſt videri viribus noſtris, poteſt tamen munere Dei. Vnde ſuper illud primæ Timoth. 6. Lucem habitat inacceſſibilem. Gloſſ. inacceſſibilis eſt viribus noſtris, acceſſibilis muneribus ſuis. Secundo ſic non poteſt videri ſubſtantia, ſcilicet in via. Vnde ſuper illud primæ Timoth. ſexto: Quem nullus hominum videre poteſt. Gloſſ. poterit autem aliquando. Et ſic illud Exodi 33. Non videbit me homo & viuet. Tertio modo ſic non poteſt ſubſtantia videri, id eſt plenè comprehendi. Vnde ſuper illud Iob vndecimo: Forſitan veſtigia Dei comprehendes. Gloſſ. eius eſſentia à nullo plenè videbitur, ſcilicet circumſcribendo. Quarto modo ſic non poteſt videri ſubſtantia, id eſt ratio ſubſtantiæ. Vnde Romanorum primo: Quod notum eſt Dei. Gloſſ. Ratio ſubſtantiæ eius latet omnem creaturam,

creaturam, & hoc modo poteſt dici ſibi ſoli nota eſſe. Quinto modo ſic nemo Dei ſubſtantiam nouit vel aliquid tale, quia non facit noſſe. Matth. 24. De die autem illa & hora nemo nouit, neque Angelus, &c. ſicut fouea cæca dicitur, quia non manifeſtat quod habet in ſe. Et ſic dicit Chryſoſtomus, quod Angeli non vident quid ſit Deus. Hæc ſanctus Bonauent. di. xiiij. q. iij. lib. iij.

Videre Dei, & Deus dicitur videre peccata noſtra, quãdo imputat ea ad pœnã, vt ſcribit Gabr. d. xiiij. q. j. libr. iiij. Non videre vel tegere peccata, eſt non imputare. Auertere autem faciem à peccatis, eſt ea ad pœnam non ſeruare (vt ſcribit beatus Auguſtinus ſuper Pſalm. 31. Beati quorum, &c. Et ita dicit peccata ab eo tecta, non vt non videat, ſed vt nolit animaduertere. Idem autem eſt tegere peccata & remittere peccata, &cæ. De quo amplius Gabriël vbi ſupra.

Vidua propriè ex ſignificatione vocabuli dicitur quælibet mulier ſine viro, etiam ſi nunquam virum habuiſſet, quaſi ſine duitate ſecundum etymologiam. Et modò accipitur pro ea quæ viro quem habuit eſt priuata, quaſi idua, id eſt diuiſa. Iduare enim Ethruſca lingua diuidere eſt. Hinc viduare idem eſt quod priuare. Regula viduarum eſt ſecundum Gerſonem tract. de modo viuendi omnium fidelium, vt contineotiam diligant, & in veſtibus humiliter ſe habeant, & orationibus libenter inſiſtant, homines ſuſpectos in hoſpitio ſuo non recipiant, de cõſilio proborum ſe gubernent & viuant, ſanctam Annam & Elizabeth viduas cogitent, familiam caſtam habeant, parum per vicos currant.

Vindicare nihil aliud eſt (vt ſcribit Brulefer diſtin. xiiij. quæſt. j. libr. iiij.) quàm velle punire, vel velle pœnam infligere alicui pro peccato. Exemplum: vt Deus vindicat peccata, quia infert pœnam pro peccatis. Vel vindicare eſt vlciſci, & eſt compoſitum à vim, & dico. Vnde vindex, vltor iniuriæ, & vindicatio ipſe actus vltionis, & vindicta iniuriæ, contumeliæ've illatæ punitio. Et vindicatio ſecundum Ciceronem in Rhetor. eſt per quam vis aut iniuria, & omnino omne quod ob futurum eſt defendendo, aut vlciſcendo propulſatur. Cuius contrarium eſt abiectio, ſuique contemptio. Et ſecundum beatum Thomam ſecunda ſecundæ quæſt. lxxx. artic. ij. eſt virtus ſpecialis vindicatio, quia ad hoc natura inclinat & conſiſtit in medio duorum vitiorum, ſcilicet crudelitatis & ſeuitiæ ſecundum exceſſum & remiſsionis ſecundum defectum.

Vinea locus vitibus conſitus. Quandoque pro Eccleſia accipitur, vt legitur in Euangelio Dominicæ Septuageſimæ. Et ſi plures vineas myſticas ſcriptura loquitur, duæ tamen ſunt præcipuæ, ſcilicet vinea mentis humanæ. de qua Canticorum 8. Vinea mea coram me eſt. Et vinea ſacræ ſcripturæ, de qua ad literam Eccleſ. 24. Ego quaſi vitis fructificaui. Et neutra ſine alia feliciter excoli poteſt, vt vult Gerſon part. ij. ſermone Dominicæ Septuageſimæ. De quo plura legito ibidem. Et vinea ſpiritualis, vt idem dicit parte iiij. ſermone Dominicæ Septuageſimæ eſt conſcientia hominis.

Vinum aliqui dictum volunt à vi, quod vim inferat menti. Alij verò volunt Græcum eſſe, & ab οἰνωμαι, quod eſt puto: quoniam qui copioſius bibunt, multa quæ non ſunt imaginantur. A vino fit vinolentus, hoc eſt ebrioſus, vino ſe ingurgitans: & vinoſus eiuſdem ſignificationis.

Vinum eſt duplex (vt ſcribit Brulefer diſtinct. xj. quæſt. vij. lib. iiij.) Quoddam naturale, & eſt ille liquor precioſus qui naſcitur ex vinea, & ab ipſo vite diſtillatur ad vſum hominis. Aliud eſt vinum ſpirituale. Et iſtud eſt quadruplex. Quoddam eſt vinum ſpirituale bonum & delectabile, vt eſt vinum gratiæ ſpiritusſancti, & eſt vinum ſcientiæ, Cantic. 5. Bibi vinum meum cum lacte meo. Bibi vinum, id eſt gratiã Dei cum lacte, id eſt cum ſcientia. Secundum vinum eſt ſummum & delectabile, & eſt vinũ æternę gloriæ, quę eſt ipſemet Deus. Pſalm. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ: & vinum lætificat cor hominis. Tertium vinum eſt vinum vanum & deteſtabile, & eſt vinum delectationis humanæ & luxuriæ. ad Ephe. 5. Nolite inebriari vino in quo eſt luxuria. Quartum vinum eſt durum & execrabile: & eſt pœna æterna. Pſalm. Fæx eius non eſt exinanita, bibent omnes peccatores terræ. Brulefer. Vinum ſpirituale ac Theologicum intelligimus prorſus optimum, iocundiſsimum & ſanatiuum. Hoc eſt vinum ſacræ ſcripturæ: ad quod inuitat Sapientia: Venite, inquit, comedite panem & bibite vinum. Huius vini fortitudinem ex effectibus ſuis, quos decem eſſe dicit Gerſon parte j. ſermone facto Conſtantiæ in die ſancti Antonij, qui incipit: Nuptiæ factæ ſunt, &c. Eſt & vinum vitale Dominici ſanguinis. De quo in figura Geneſis 14. dicitur: Melchiſedech obtulit panem & vinum. Eſt & vinum ſcientiæ ſecularis. Cantic. 1. Meliora ſunt vbera tua vino, id eſt doctrina Philoſophica. De vino ſpirituali intelligentiæ ſalutaris dicitur Canticorum 8. Dabo tibi potum ex vino condito, & muſtum malorum Granatorum meorum. Vinum condimus, dum ſpiritualem intelligentiam ipſi literali coniungimus. Eſt & vinum medicinale pœnitentiæ ſalutaris. Pſalm. Potaſti nos vino compunctionis, ſcilicet veræ pœnitentiæ. Eſt & vinum carnale affluentiæ temporalis. Ioëlis 1. Væ vobis qui bibitis vinum in dulcedine, quia perit ab ore veſtro. Eſt vinum letale æternæ damnationis. De quo Deuteronom. 32. Fel draconum vinum eorum. & hoc de hęreticorũ doctrina accipitur. Eſt & vinum culpabile ſuperfluę potionis. Prouer. 23. Ne intuearis vinũ quando flaueſcit, & ſplendet in vitro color eius: ingreditur blandè, ſcilicet immoderatè potum, ſed in nouiſsimo mordebit vt coluber, & ſicut regulus venena diffundet, ſcilicet vitiorum granum luxuriæ & infirmitatum corporalium. Et vt dicunt Medici, ex multi vini potatione graues paſsiones frigidæ accidunt, vt ſubita mors, apoplexia, ſpaſmus, epilentia, obſtupefactio, & ſimilia. Hieronymus ad Euſtochium: Sponſa Chriſti fugiat vinum pro veneno: nam luxurioſa res eſt vinum. Prouerbiorum 20. Et patet de Loth. De quo videto Gerſonem copioſe ſermone Septuageſimæ. Et plura quoq; nocumẽta ſcripſimus ex Medicis vini immoderatè ſumpti aliàs. Sed moderatè ſumptũ charitati aſsimilatur, vt ſcribit frater Pelbart. lib. ij. Roſarij, in dictione *Vinum* §. iiij.

 propter

propter eius bonas proprietates. Nam cor hominis lætificat, audaces reddit, fortificat, obliuionem facit. Sic charitas exhilarat conſcientiam, & audaces ac fortes facit in bello ſpirituali contra diaboli tentamenta, obliuiſci facit tranſitoria ſpe cœleſtium & amore, &c.

Vinacea ſunt grana vuæ iam preſſæ. Et eſt plurale ſubſtãtiuum, adiectiuũ vinaceus, a, um. Vnde acinus, vinaceus, &c. Et per vinacea vuarũ intelligũtur dęmones, qui creati ſunt in magna pinguedine ſpiritusſancti. Sed per ſuperbiã areſacti de cœlo ceciderunt. Pinguedo autẽ ſpiritusſancti, gratia eſt ſpiritusſancti. Vnde Oſee 3. Dilexerũt vinacea vuarũ: vt refert Gab. d. iiij. q. vnic. li. ij. & Hiero. ſuper Oſeã.

Violentum vno modo opponitur naturali. 5. Phiſic. Alio modo opponitur voluntario. 3. Ethic. Primo modo violentũ eſt quod ſit cõtra naturalẽ inclinationem rei: vt motus grauis ſurſum. Secũdo modo violentũ eſt, quod eſt inuoluntariũ. Gab. di. xvj. q. vnica, libr. iij. Accipiendo violentum primo modo, paſſio Chriſti fuit violẽta animę, vt naturaliter inclinatur ad perficiendum corpus: fuit & contra inclinationem naturalem corporis, vt naturaliter habet perfici ab anima. Accipiendo autem violentum ſecundo modo pro innoluntario, paſſio fuit volita, & tamẽ euenit: fuit violenta, ſed vt accepta à voluntate & volita, ſic non fuit violenta. Gabriel di. xvj. q. vnica, art. iij. dubio ij. & di. præcedenti. Sic Martyres, licèt violenter occiſi ſunt, metuerunt tamen acceptando pœnam propter Dei honorem: ita & Chriſtus meruit acceptando voluntariè paſſionem propter bonum ex ipſa cõſequens. Et quia fuit placita Deo, licèt tertio modo fuit violenta. Gabr.

Violentum eſt duplex. Vnum ſimpliciter, alterum mixtum. Violentum ſimpliciter ſecundum Philoſophum 3. Ethic. quando aliquis cogitur abſoluiè, vtputa, quando trahitur vel pellitur alicubi contra omnem voluntatem ſuam. Violentum mixtum eſt illud, quod quamuis ſecundum ſe non placeat homini, tamen in ipſum cõſentit, ne eueniat ei maius malum, vt homo proiicit merces in mare, ne totaliter patiatur naufragium. Et iſtam eandem diſtinctionem intendunt Theologiæ Doctores circa di. xxix. libr. iiij. ſentent. cùm dicunt, quod duplex eſt coactum ſeu coactio: quædã abſoluta & quædam conditionata. Quod enim Philoſophus appellat violentũ ſimpliciter, hoc iſti appellant coactionem abſolutã, & quod ipſe appellat violentũ mixtum, eò quòd aliquid ſit ibi de voluntario, & aliquid de inuoluntario, hoc iſti appellant coactionem conditionatam, eò quòd homo non conſentiat in huiuſmodi factum, niſi ſub illa conditione, vt poſſit euitare maius malum. Et quia ſecundum Iuriſconſultos metus eſt mentis trepidatio ratione inſtãtis, vel futuri periculi apparet: quod idem intelligunt Iuriſconſulti per metum, quod Theologi per coactionem conditionatam, Thom. Argen. & cæteri Doct. diſt. xxix. lib. iiij. ſententiarum.

Vir (vt ſcribit Bruleſer diſt. xvj. qu. v. lib. iſ. capitur multis modis. Primo modo dicitur vir ætate. Vnde 1. Corint. 13. dicitur: Cùm factus ſum vir euacuaui ea, quæ ſunt paruuli, &c. Secundo, vt diſtinguitur contra ſexum fœmineum. Tertio modo pro marito. Quarto modo pro quocunque homine virtuoſo ſiue ſit maſculus ſiue fœmina. Pſalm. Beatus vir qui non abiit. Quinto modo metaphoricè, vt ſic dicit ſuperiorem partẽ rationis. 1. Corinth. 11. Vir eſt imago & gloria Dei: quia quando homo reſpicit æterna, eſt vir: quando terrena, eſt mulier. Mulier dicitur vir mollis & de facili ad peccatum flexibilis. Vnde vocantur effœminati. Hoc modo exponitur illa auctoritas. Melior eſt iniquitas viri, quàm mulier benefaciens: & ſic vir pro ſuperiori parte rationis & mulier pro inferiori accipitur, vt notat ſanctus Bonauentura diſtin. xvj. artic. ij. quæſt. ij. lib. ij. Ita etiam exponit Auguſtinus xiij. de Trinit. Et vir quandoque dicitur à vigore & virtute animi. Vnde Ierem. 31. Mulier circũdabit virum: quod intelligitur de Chriſto & beata Virgine: vt & hoc notat ſanctus Bonauentura diſtinct. iij. libr. iij. & ita Chriſtus vir dictus eſt in vtero matris: non ab ætate corporis, ſed à vigore animi: quia plenus fuit virtutibus & ſcientia ab inſtanti conceptionis: imò vt ait Gabriel diſtin. xviij. quæſt. vnica, artic. ij. concluſione v. libr. iij. Chriſtus in ipſo conceptionis inſtanti fuit vir perfectus omni gratia & virtute in meritoria operatione, ſecundum illud: Mulier circundabit virum, vbi ſupra. Virum non ætate & membrorum quantitate, ſed virtutum & meritorum perfectione. De quo vide eundem in ſermone de Annunciatione, ſerm. qui incipit: Hęc eſt dies quam fecit Dominus. Scriptura præterea (vt ait Gregorius xxviij. Moral.) ſolet viros vocare, qui vias Domini fortibus & non diſſolutis greſſibus ſequuntur. Vnde Prouerb. 8. Sapientia ait: O viri ad vos clamito: acſi apertè diceret: Ego non fœminis, ſed viris loquor, quia hi qui fluxa mẽte ſunt, verba mea percipere nequaquam poſſunt, vt & habet Gabr. ſerm. ij. de ſancto Martino.

Virginitas (vt ſcribit Richardus diſtinct. xxxiij. artic. iiij. quæſt. j. libr. iiij.) poteſt accipi impropriè, ſcilicet pro negatione actualis concupiſcentiæ cuiuſlibet venereæ delectationis cũ carnis integritate: & ſic qualibet mulier naſcitur virgo, ſed ſic virginitas non eſt virtus. Carnalis enim integritas non eſt virtus, nec eſt pars eſſentiæ virtutis: tota enim eſſentia cuiuſlibet virtutis in anima eſt ſecundum Auguſtinum j. de Ciuit. Dei, cap. xvij. Et de bono coniugali dicitur, quod continentia non corporis, ſed animi eſt virtus. Prædicta etiam negatio actualis cõcupiſcentię nullam eſſentiam dicit. Omnis autem virtus aliqua eſſentia eſt (vt dicit Richardus.) Alio modo poteſt accipi virginitas pro habitu, quo niſi aſſit carnalis neceſſitas vacandi carnali copulæ, determinatur volũtas ad promptè & faciliter reſpuendum omnem veneream delectationem, non tantùm illicitam, ſed etiam licitam, vt mens liberius vacet ſpiritualibus: quis ſicut ait Apoſtolus 1. Corinth. 7. Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini ſunt, vt ſit corpore ſancta & ſpiritu: & ſic virginitas eſt virtus. Sic enim eſt habitus bonus habentem perficiens, & opus eius bonum reddens. Eſt enim habitus rationi conſentaneus: nec tamen eſt virtus per eſſentiam diſtincta à caſtitate coniugali, vt idem vult Richard. Vtranque enim voluntatem determinat ad illud, quod dictat ratio recta circa voluptates venereas obſeruandum,

uandum, ſed perfectius ad hoc determinat voluntatem virginitas quàm coniugalis caſtitas. Vnde virginitas vltra coniugalem caſtitatem addit perfectionis ſtatum, vnde differre videntur ſicut virtus imperfecta & perfecta per eſſentiam non diſtinguuntur. Hæc Richardus. Et actus virginitatis (vt inquit Gabriël diſtin.xxxvj.quæſt.vnica,artic.iij. libr.iij.) eſt abſtinere à concubitu propter Deum, hoc eſt illo modo quo Deus vult talem abſtinere. Et vt ibidem dicit, ad virginitatem requiritur abſtinentia ſeu velle abſtinere ab omni actu carnis eo modo quo Deus vult, quia eo modo quo recta ratio dictat, quæ non aliter dictat quàm eo modo quo Deus vult: & hoc ſtat ſimul cum actu coniugali ſi hunc præciperet Deus. Sed cùm dicitur, virginitas exigit carnis integritatem. Dicendum quod caſtitas virginalis quatenus eſt virtus perfecta, non exiſtit in carne, ſed in mente. Vnde ſi aliqua neſciens vel inuita aut in furia violaretur, nullo accedente conſenſu dum ratione vteretur, non amitteretur virtus caſtitatis. Vnde beata Lucia ad Paſcaſium tyrannum: Si me inuitam violari feceris, caſtitas mihi duplicabitur ad coronam. Non intelligendo per hoc (vt dicit Richardus diſtinct.xlix. artic.v. quæſt.iiij. libr.iiij.) quod duas virginitatis haberet auriolas, ſed quia non tantùm præmium reportaſſet de virginitate cuſtodita, ſed etiam pro iniuria, quam in hoc fuiſſet paſſa. His concordat Auguſtinus de Ciuitate Dei cap.xix.de violenter oppreſsis, &c. Sic etiam econuerſo volens abſtinere ab actu carnali contra dictamen rationis, licèt habeat integritatem carnis, non tamen habet virtutem caſtitatis. Hæc Gabriël. Ex prædictis videri poteſt (vt dicit Richardus diſt.xxxiij. artic.iiij.quæſt.j.libr.iiij.) integritatem carnis non pertinere ad virtutis virginitatis eſſentiam, cùm virginitas ſit in anima (vt dictum eſt) ſed eſt quoddam ornamentum & decor eius accidentalis extrinſecus aſsiſtens: & ideo perdi poteſt carnis integritas abſque diminutione virtutis virginitatis: videlicet in virginibus per violentiam carne corruptis. Et vt idem dicit in fine tertiæ rationis: Si modò neceſsitas immineret vacandi copulæ carnali per diuinum præceptum explicita, ſicut antiquitus. Si virgo propter hanc neceſsitatem purè vacaret copulæ carnali, firmiter proponens hac neceſsitate tranſacta ab omni delectatione venerea abſtinere, in ea virginitatis habitus nec corrumperetur, nec minueretur: & per cõſequens non cadit ab illo ſtatu mentis, quem virginitas ſuperaddit caſtitati coniugali, quamuis caderet à ſtatu integritatis carnis. Et iſta adhuc verè mente diceretur virgo, ſecũdum quod virgo dicitur ab habitu virginitatis, ſecundum tamen vſum communem (qui non vocat virginem mente, niſi illam, quæ in carnalem copulam nunquam conſenſit) verè virgo dici non poſſet. Et vt idem ait quæſt.ij.vbi ſupra: habitus virginitatis maioris eſt meriti quàm habitus continentiæ coniugalis, quia ille habitus eſt perfectus, hic verò imperfectus: ſemper autem maioris eſt meriti virtus perfecta quàm imperfecta. Latiùs Richardus.

Virginitas deſcribitur ſic: Eſt abſtinentia ab omni coitu tam illicito quàm licito, & integritas mentis & carnis (vt ſcribit Bruleſer diſtinct.xxxiij.quæſt.iiij.libr.iiij.) Poteſt & ſic diffiniri ſecundum eundem: Virginitas eſt habitus continentiæ perfectus & decorus. Virginitas ſecundum Auguſtinum diffinitur penes id quod eſt in virginitate formale & principale, cùm ait: Virginitas eſt in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio. Quam deſcriptionem ita explanat Petrus Paludenſis diſtinct.xxxiij.quæſt.ij.libr.iiij. In carne dicit. Vnde in Angelis propriè non eſt virginitas, quia oppoſita nata ſunt fieri circa idem; in illis autem non eſt luxuria: ergo nec virginitas propriè, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet. Corruptibili, tantò difficilius per naturam, ſcilicet; vnde & poſt reſurrectionem virginitas erit purior, ſed non difficilis. Incorruptionis dicitur, vnde virgines vi oppreſſæ, non videntur perdere virginitatem. Perpetua meditatio: vnde pueri qui non habent vſum rationis, & neſciunt quid faciunt, non perdunt virginitatem. Hæc Paludenſis. Hinc eſt quod ait Gerſon parte iiij. ſermone tertiæ Dominicæ Aduentus contra luxuriam: Quod quiſquam poteſt perdere virginitatem ſuam per ſolam cogitationem, quantum ad virginitatem animæ, & erga Deum; & hoc ſit per malum conſenſum ad opus carnale: Et quo ad corpus perſona ſe ſola virginitatem ſoluere poteſt. Quo ad primum caſum pœnitẽtia reſtituit ſtatum virginitatis, nõ autẽ quantum ad ſecundũ ſi corpus eſt violatum. Mulierem non tetigi, virgo non ſum ait Baſilius. Solẽt vocari omnes mulieres virgines, quæ nõ habuerunt coniunctionẽ viri. Ambr. ſic diffinit: Virginitas eſt expers cõtagionis integritas. Et virginitas (vt ait Gerſ. part.ij. de cælibatu ſiue caſtitate Eccleſiaſticorum) tenet mediũ quo ad nos, quoniã abſtinet, quãdo oportet, & quantũ oportet, & vbi oportet, omni circunſtantiarũ qualitate penſata, prout ſapiẽs iudicabit. Virginitas quoq; (vt ibidẽ dicit) implet cœlũ, fœcunditas carnalis mũdum. Salubriter autẽ prouiſum eſt (vt idẽ inquit) ſtatui Eccleſiaſticorũ de beneficiis viuentiũ, quod nõ habent vxores: quibus ſi darẽtur vxores, ſi liberi naſcerẽtur, quis poſt eorũ mortẽ ſuas paſceret vxores & filios, &c. Et vt idẽ Gerſon dicit part.iij.de conſiliis Euangelicis & ſtatu perfectionis. Virginitas ſecundum illud quod addit vltra continentiam, & ſi ſit quidam decor virtutis, non tamen eſt virtus nec gradus virtutis, aliàs coniugati non poſſent habere omnes virtutes: imò quia virtutes neceſſariò ſunt connexæ, nullam omnino virtutem haberent, quibus deeſſet virginitas. Item nulla virtus tollitur niſi per peccatum: virginitas autem abſque peccato perdi poteſt, vt in actu coniugali. Item omnes virtutes & actus earum pro loco & tempore ſunt in præcepto: virginitas autem nulli ſeruanda præcipitur. Item omnis virtus perdita vel amiſſa, per pœnitentiam poteſt reparari, ſola virginitas perdita vel amiſſa, nunquam reparatur. Hæc Gerſon qui & de virginitate aliàs multa ſcribit, &c.

Virgo à viridiore ætate, hoc eſt validiore appellata eſt. Vnde & matres ſæpè virgines dicuntur. Vnde Virgilius de Paſiphaë, quæ triũ filiorũ mater erat;

Ah virgo infelix, quæ te dementia cœpit?

Nunc verò virgo generis eſt cõmunis, & tam marẽ quàm fœminã ſignificat rei venereæ expertẽ, ſicut mulier à mollicie dicitur, quę amplius virgo nõ eſt.

Auguſtinus ſaliuã virginem dixit,quę nondum cibo,potuque corrupta fuit. Dicit enim: Quanta ſit orandi differentia inter vacuum ventrem & refertum, inter rubentem faciem & ora pallentia, inter ſaliuam virginem & labra crapulis diſſoluta. A virgo venit virginalis & le. quod eſt dignum virgine, quamuis & pro virgineo quandoque accipiatur: quale eſt illud: Deus qui virginalem aulam beatæ Mariæ, in qua habitares eligere dignatus es. Et virgo propriè & modò accipitur, quę thori eſt expers vel venereæ rei (vt dictum eſt.) Virginibus dat regulam Gerſon parte j. tractatu de modo viuendi omnium fidelium hanc: Non ſint loquaces, ſed ſimplices corde & habitu ad virginitatem matris Chriſti cogitent, & eam diligant: choreas vitent, inter iuuenes non ſedeant, nec ſe ab eis palpari permittant: non ament aliquem illicito amore, adulatores, neque adulatrices recipiant nec audiant, orationes libenter dicant, ſordida verba & inhoneſta fugiant.

Virtus multipliciter accipitur in ſcriptura (vt ſcribit Gabriël diſtin.xxiij.q.j.lib.iij.) Aliquando pro potentia, vt in Pſalm.33. Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Et 1.Paralip.29. In manu virtus & potẽtia. Quandoque pro fortitudine corporali, vt in Pſalm.21. Aruit tanquam teſta virtus mea. Quandoque pro victoria. Iudith.13. Nobiſcum Deus qui fecit virtutem in Iſraël. Quandoque pro armatura bellica. 1.Machab.1. dicitur de Alexandro Magno: Congregauit virtutem & exercitum fortem. Quandoque pro fructu rei. Ioël.2. Lignum attulit fructum ſuũ, ficus & vinea dederunt virtutẽ ſuã. Quandoq; pro operatione aut actu exteriori. Matth.6. Non poterat ibi vllam virtutem facere, niſi paucos infirmos impoſitis manibus curauit. Et in Pſalm.111. Virtutem operum ſuorũ annuntiabit populo ſuo. Quandoque principali agente, vt Matth.24. Virtutes cœli mouebuntur. Aliis quoque multis modis ſparſim in ſcriptura poſitis. Accipitur deniq; (vt capit Gabriël loco vbi ſupra) pro qualitate accidentali principio operatiuo inhærenre, ipſum & opus eius ad quod inclinat perficiente. Et ſecundum hanc acceptionem dicitur in Pſalm.83. Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion. Et ſecundum hanc acceptionem communiter fit ſermo de virtute. Et ſecundum hanc acceptionem Philoſophus 2.Ethic. inueſtigans diffinitionem virtutis moralis, præſupponit eam eſſe aliquid in anima. Vbi tria aſſerit eſſe in anima, ſcilicet paſsiones, potentias & habitus, inferens virtutem eſſe habitum. Gabriël. Et virtutes, (vt ait Gerſon parte iij. de conſiliis Euangelicis & ſtatu perfectionis) aliquando latent in habitu, aliquando manifeſtantur in opere. Virtus accipiendo pro qualitate (vt dicit Gabriël vbi ſupra.) perficiente operantem, & eius opus bonum reddit. Vnde virtus ſecundum Occam in iij. ſententiarum, quæſt.x. nihil aliud eſt quàm habitus inclinans ad actum virtuoſum. Cùm enim ex actibus generetur habitus, ex actibns virtuoſis generatur habitus virtuoſus, & ex vitioſis vitioſus, &c. Ex quo ſequitur, quod virtuoſum eſſe primò conuenit actibus, & per actus habitibus. Vnde 2.Ethic.cap.1. Oportet operationes quales reddere, ſecundum harum enim differentias ſequuntur habitus, &cæ. Plura Gabriël vbi ſupra.

Virtus in genere (vt ſcribit Gerſon part.iiij. in deſcript.term.ad Theolog.vtilium) eſt bona inclinatio creaturæ rationalis ad operationes naturæ ſuæ congruas laudabiliter exercendas.

Virtus ſecundum Ariſtot.2.Ethic.cap.7. eſt habitus electiuus in mediocritate exiſtens quo ad nos, determinata ratione: & vt vtiq; ſapiẽs determinabit. Quæ poteſt ſic exponi ſecundum Gabriëlem diſtinct.xxiij.quæſt.j.libr.iij. Virtus moralis adquiſita eſt habitus electiuus ex actibus ex electione voluntatis elicitis, vel imperatis, mediũ inter abundantiam & defectum tenens, quo ad nos, id eſt ſecundum congruentiam obiectorum & circunſtantiarum determinata ratione, prout ſapiens determinabit, id eſt ſecundum determinationem prudentiæ, prout ſapiens, id eſt recta ratione vtens dictabit. Multis verbis eam declarat Gabriel. Et habitus ponitur pro genere, quo excluduntur actus virtuoſi paſsiones & potentiæ. Dicitur electiuus propter habitus intellectuales, ſcientiam, prudentiam, artem, &cæ. Hi enim habitus non generantur ex actibus electiuis. Non enim eligit voluntas cui vero aſſentiat intellectus, ſiue ſpeculatiuo ſiue practico. Dicitur immediatè conſiſtens. Immediatè, ſcilicet abundantiæ & defectus, propter vitia quæ exiſtunt in extremis, dum, ſcilicet vel plus quàm oportet, vel minus agitur. Dicitur, determinata ratione, quia illud medium ſumendum eſt, ſecundum quod ratio recta ſiue prudentia, ſingula conſiderans determinat ſiue dictat: & per hoc excluduntur actus indifferentes, qui eliciuntur ad nudam apprehenſionem obiecti, nullo rationis dictamine directiuo præcedente. Horum habitus etiamſi medium tenerent, non eſſent virtutes. Et illud mediũ non eſt accipiendũ ſecundũ rem ſiue proportionem Arithmeticã: ſed quo ad nos, hoc eſt quo ad obiecta, fines, & cęteras circunſtantias, ſecundum quod nobis cõueniunt. Poteſt diffinitio ſic breuius poni in forma. Virtus moralis adquiſita, eſt habitus inclinans ad actum voluntariũ elicitum vel imperatum conformiter ad dictamen rectæ rationis. Virtus autem non eſt potẽtia, quia potẽtia nõ dicimur boni vel mali, nec laudamur neq; vituperamur. Virtute autem dicimur boni & laudamur: & vitiis dicimur mali ac vituperamur. Nec virtus eſt paſsio, quia virtus eſt ſecundum electionem, paſsiones verò non: quia frequenter præueniunt deliberationem & voluntatis electionem. Nec virtus eſt actus, quia actus trãſeunt & virtutes manent firmæ & immobiles, id eſt difficulter mobiles. Sed virtus eſt habitus ad rationem rectam cõformiter elicitus vel imperatus. Vide latiùs Gabriëlem vbi ſupra.

Virtus poteſt accipi vno modo pro qualibet qualitate genita ex actu virtuoſo nata inclinare ad ſimilem, ſiue intenſe ſiue remiſſe: ſic ex vno actu virtuoſo ſiue intenſo ſiue remiſſo generatur virtus: quia aliquid virtutis. Secundò accipitur ſtrictius pro qualitate genita ex actu vel actibus virtuoſis, difficulter mobili tantæ intentionis quod ſufficit inclinare potentiam perceptibiliter ad

ſimiles

ſimiles actus delectabiliter, faciliter, prõptè & expeditè eliciendos: & ita communiter accipitur tam à Philoſopho quàm a Doctoribus. Vnde dicit Philoſophus 1. Ethic. cap. 8. Vna hyrundo Ver non facit, neque vna dies calida Æſtatem, ita nec beatum vna dies, nec paucum tempus, & ita virtutem non facit operatio vna vel paucæ. Et 2. Ethic. frequenter declarat ex multis operationibus virtutem generari, cuius ſignum dicit eſſe voluptatem, id eſt delectationem ſuperuenientem operibus. Sic accipiendo virtutem virtus ex pluribus actibus frequentatis generatur, & non ex vno ſolo, niſi (quod rarum eſt) valde intenſo: ſic non quælibet pars virtutis eſt virtus, quia gradus remiſſus eſt pars virtutis, ſed non eſt virtus. Sic nomen virtutis connotat intentionem habitus propter quam perceptibiliter & promptè inclinat ad actus ſimiles, quo connotato deficiente, deficit & ſuppoſitio. Vnde ſicut lapis non dicitur cauus donec multis minimis partibus ablatis apparet cauitas: ita gradus virtutis per ſingulas operationes adquiſiti non dicuntur virtus donec intenduntur, vt modo dicto inclinent. Sicut dicitur de virtute, ita dici poteſt de habitu, quod non quælibet pars habitus dicitur habitus, ſed ſolùm intenſa difficulter mobilis. Et ſecundũ hæc oportet diffinitiones tam virtutis quàm habitus moderari, vt dicit Gabriël diſtin. xxiij. q. j. artic. iij. dubio iiij. lib. iij.

Virtus accipitur adhuc quadrupliciter. Primò communiſsime, ſecundum quod diuiditur in virtutem moralem, politicam & gratuitam. Secundò communiter, vt diuiditur in politicam, quæ eſt habitus adquiſitus, & gratuitam, quæ eſt habitus infuſus. Tertio modo ſtrictè pro habitu infuſo tãntùm, ſiue ſit gratis datus, ſiue gratum faciens. Quartò ſtrictiſsimè pro habitu gratuito gratum faciente, determinatiuo ad operabilia. Et hoc modo ſolus habitus charitatis aut charitate formatus eſt virtus. Ita Magiſter ex his verbis Auguſtini diſtin. xxiij. libr. iij. diſtinguit fidem in id quo creditur, & eſt virtus, & in id quod creditur & nõ eſt virtus, & in id in quod creditur, quod eſt aliud ab eo quod creditur. Gabriël diſtin. xxiij. quæſt. ij. artic. iij. dubio iij. libr. iij. vbi & dicit, quod fides infuſa informis, quæ etiam eſt in malis Chriſtianis, eſt virtus primo modo & tertio modis: quia habitus infuſus gratuitus gratis datus, ſed fides formata virtus eſt quarto modo. Fides autẽ adquiſita eſt primo modo & ſecundo modis accipiendo virtutẽ pro quolibet habitu adquiſito dirigente potentiam ad aliquam actus ſui rectitudinem, qui etiam habitus intellectualis dicitur virtus. Videatur ad hoc ſanctus Bonauentura diſt. xxiij. lib. iij. &c.

Virtus corrumpitur duobus modis, vt ſcribit Gabriël diſtin. xxiij. quæſt. j. artic. iij. dubio vj. libr. iij. Vno modo per habitum contrarium genitum ex actibus vitiuoſis. Vnde introducto errore circa aliquã concluſionem ſcientia eius corrumpitur. Similiter in virtute morali introducto habitu vitioſo per frequentatos actus vitioſos corrumpitur præexiſtens virtus. Habitus enim vitioſus contrariatur virtuoſo, ideo ſimul ſtare non poſſunt. Sicut enim medium extremis contrariatur, ita habitus inclinans ad medium contrariatur habitui inclinanti ad extrema. Ex operibus itaque vitioſis frequentatis generatur vitium contrariũ virtuti, per quod immediatè virtus corrumpitur, non autem actus vitioſus ſtat cum virtute, ſicut ecõuerſo actus virtuoſus ſtat cum vitio adquiſito. Primum patet in virtuoſo in peccatum lapſo, talis adhuc ſentit inclinationem ad actum virtuoſum, licèt non ſequatur ſenſualitatem ſuam. Hæc autem non eſt niſi ab habitu virtutis priùs adquiſitæ. Secundum patet de nouiter conuerſo, qui graues patitur inclinationes ad actus vitioſos, quibus cũ difficultate & magno conatu reſiſtere oportet: tales autem inclinationes ſunt ab habitu vitioſo priùs adquiſito, & manente cũ actibus virtuoſis. Nec ſolũ habitus vitioſus ſtat cum actu virtuoſo moraliter, ſed etiã ſtat cum gratia & actu meritorio. Longior eſt Gabr. vbi ſupra. Vitia autem corrumpunt virtutem. Sed quot virtutum genera numerantur, totidem vitiorũ paria opponuntur, vt ſcribit & Corteſius lib. iij. ſent. di. viij. Siquidẽ parſimoniæ bellũ eſt naturale cum gula, & maximè luxuria prælũ cum caſtitate init. Iram cum manſuetudine pugnare dicimus, pugnaciſsimè ſuperbiã cum humilitate præliari affirmamus. Vide latiùs eum ibi in fine vbi ſupra. Sic fides, vt ſcribit Brulef. di. xxiij. q. ij. li. iij. perditur per peccatũ hæreſis. Vel vt inquit Gabr. di. xxiij. q. ij. ar. iij. dub. ij. li. iij. fides quo ad actũ corrumpitur per errorem contrariũ circa eundẽ articulũ: vel quo ad habitum corrumpatur per habitũ erroris cõtrarij, vel per longã negligentiã eliciendi actũ ſuũ circa proprium obiectũ, &c. Spes perditur, inquit Brulef. per peccatũ deſperationis. Charitas perditur per omne peccatũ mortale. Secundò corrumpitur virtus quaſi priuatiuè per negligentiã & longã ceſſationẽ actuũ virtuoſorum. Nam ſicut habitus generatur ex actibus, ita etiam ex eiſdem cõſeruatur: manet tamen vnus diutius, alius corrũpitur citius ſecundũ quod fuerit magis vel minus intenſus: & ratio nõ eſt alia quàm naturæ habitus. De quo latiùs conſulas Gabriëlem di. xxiij. quæſt. j. dubio vj. libr. iij. Et ſicut ex operibus frequentatis generatur habitus, ita ex eis neglectis corrumpitur. Et ſicut ex operibus bonis generatur habitus laudabilis, ita ex contrariis contrarij, vno autem contrariorum genito in aliquo ſubiecto neceſſe eſt alterum cedere in eodem. Hinc eſt quod dicitur, Ex eiſdem & per eadem fit omnis virtus & corrumpitur. Similiter autem & ars ex eiſdẽ & per eadem intellige contrario modo ſe habentibus vel habentia.

Virtus eſt mediocritas duorum vitiorum, alterius ſecundũ exceſſum, alterius ſecundũ defectũ, ſecundum Ariſtot. 2. Ethic. Virtutẽ autem conſiſtere in medio ſecundũ Scotum cõtingit dupliciter. Vel ex parte obiecti, vel ex parte actus ſecundũ quod exceſſus & defectus, quandoq; contingit circa obiectum, vt in obiecto temperantiæ poteſt eſſe exceſſus & defectus. Nam quod vni eſt multum, alij eſt paucum, 2. Ethic. quandoque autem contingit exceſſus & defectus in actu ſiue in modo actionis circa idem obiectũ, ſicut temperãtia moderatur appetitum circa cibũ, non ſolum ne nimis multũ, aut nimis paucum ſumatur, ſed ne cibus proportionatus nimis voraciter, aut nimis leuè ſumatur, ac

tædioſe ſumatur. Nunc ergo virtus moralis eſt in medio vtroque modo, quia moderatur appetitum circa vtrunque exceſſum & defectũ, vt, ſcilicet tendat in obiectũ proportionatũ, & etiam actione moderata, ne vtroque modo quid nimis. Sed virtus Theologica non ſic, non enim eſt circa obiectũ excedens vel deficiens, quia eſt circa obiectũ vnicum infinitũ, & immutabile, ſcilicet Deũ, qui nec poteſt eſſe maior, nec minor, poteſt tamẽ actus quo tendit in obiectũ eſſe immoderatus, & ſic virtus Theologica moderatur, vt medio modo tendat in obiectum Theologicũ. Et ſic cõcedi poteſt, quod fides eſt mediũ quoddã inter leuitatem qua quis faciliter nimis aſſentit ei, cui credendũ non eſt, iuxta illud: Qui citò credit, leuis eſt corde. Et inter pertinatiam qua nimis reſiſtit credendis, nolens alicui aſſentire, niſi per rationẽ naturalẽ oſtẽdatur, ſic nimio amore quis poteſt tendere in bonũ cõmodum, vel bonum in ſe aut amore nimis remiſſo, vel circunſtãtia non neceſſaria, aut ſine circunſtantia neceſſaria. Sic ſpes mediare poteſt inter præſumptionẽ & deſperationem. Et charitas inter amorẽ omnia alia diligibilia à Deo contemnentẽ, & amorem diligibilibus æquè inhærentẽ, licèt virtutes Theologicæ non ſint circa nimis verũ, aut nimis bonũ honeſtũ in ſe, aut nimis bonũ, niſi quia ſunt circa ſummũ verũ, & bonũ ac cõmodum, applicando ſingula ſingulis. Temperãtia autẽ vtroq; modo requirit medium, quia poteſt in obiectũ excedens vel deficiẽs tendere, poteſt etiam actu deficiente tendere vel excedente. Hæc Gabr. poſt Sco. di. xxvj. q. vnica, dub. vj. lib. iij. vbi etiam dicit, quod nullus actus virtutis alterius à charitate de ſe eſt meritorius, niſi eliciatur à gratia, quæ identificatur charitati, vt aliàs dicitur. Elicitur autem actus alterius virtutis à gratia, quãdo per actũ gratiæ in finẽ vltimũ ordinatur. Nam actus gratiæ eſt actus quo diligitur Deus ſuper omnia, & cætera propter Deũ, ſecundũ illud 1. Cor. 10. Siue manducatis ſiue bibitis, ſiue quid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite. Vnde actus virtutis formatur à charitate, quando imperatur ab actu charitatis, ſic actus ſpei eſt meritorius, quando imperatur à charitate: plura Gab. vbi ſupr. Et vt ait Gerſ. trac. viij. ſuper cantic. Mariæ) virtutes veræ nõ ſunt niſi quas gratiæ gratificãtis radix profert, viuificat, fouet, & roborat, quia non habet aliquid viriditatis ramus boni operis, niſi maneat in radice charitatis, &c.

Virtus quædam eſt intellectualis, quædam moralis, vel cardinalis, quædã Theologica, quibus nemo malè vtitur. Vnde nulla virtus (vt ſcribit Brulef. q. vlt. in fine lib. j. diſt. j.) quantũ eſt de ſe, eſt occaſio ſuperbiæ vel peccandi mortaliter. Sed potiùs virtus quantum eſt de ſe, eſt occaſio profunda humilitatis, & diſponit hominẽ quantũ de ſe eſt ad reddendum gratiarũ actiones. Quo modo autẽ ſcientia dicitur inflare, tali modo omnis virtus dicitur inflare. Vnde homo non cõfirmatus in gratia habens virtutes ex peruerſitate ſuæ voluntatis, poteſt habere occaſionem acceptam ad hoc, vt ſuperbiat, glorietur de virtutibus. Virtutes ergo, id eſt homines habentes virtutes, cùm referunt illas ad ſe, gloriantes de eis, ſuperbæ ſunt, id eſt tales homines ſunt ſuperbi & elati. Et ſic ſemper debet exponi abſtractũ per concretum. Brulefer.

Virtus intellectualis eſt virtus ſeu habitus derelictus ac cauſatus ab actibus intellectus apprehenſiuis vel adhæſiuis, inclinans intellectum ad obiecti cognitionẽ, aut ad veri inquiſitionẽ. Gabr. d. xxiij. q. ij. art. iij. dub. iiij. lib. iij. Et virtutes intellectuales ſunt ſapientia, intellectus, ſcientia, ars, & prudẽtia. Et dicuntur intellectuales, quia ſunt in intellectu, vt in ſubiecto, & perficiunt ipſum. Sapientia, intellectus, & ſcientia, ſunt in intellectu ſpeculatiuo: ars verò & prudentia in intellectu practico, qui coniungitur operationi & affectioni quodammodo. Et ſecundum Gerſonem part. iiij. in deſcript. terminorum ad Theolog. vtilium, virtus intellectualis ádquiſita ſumpta generaliter, eſt habitus cognitiuus verus, inclinans animam ad operationes ſuas, vt intellectiua eſt exercendum.

Virtus moralis in genere (vt dicit Gerſon part. iiij. in deſcriptione terminorum ad Theolog. vtilium) eſt habitus adquiſitus laudabilis, iuuans & eleuans animã ad operationes ſuas intellectuales vel effectiuas, elicitas vel imperatas laudabiliter exercẽdum. Et quidã diſtinguunt ſecundũ quod mos dicitur à cõſuetudine, vocantes generaliter & cõmuniſſimè virtutẽ moralẽ omnẽ habitũ ex frequẽtia actuũ derelictũ: & ſic ex cõſuetudine cauſatũ perficientem ſubiectũ. Et ſic omnis virtus adquiſita eſt virtus moralis. Et ſic nõ diſtinguitur virtus intellectiua à morali, ſed illa acceptio nimis communis eſt & larga. Alio modo accipitur pro virtute ex actibus volũtatis cauſata, quę reddit hominẽ laudabilẽ atq; bonũ. Et quia duplex eſt actus voluntatis. Vnus elicitus, qui eſt velle & nolle. Alius eſt imperatus, & eſt actus cuiuſcumque potentiæ ad imperium voluntatis (quod eſt velle) productus. Virtus igitur moralis quandoque accipitur ſtrictiſsimè pro virtute ex actibus elicitis voluntatis derelicta: & talis virtus eſt virtus intrinſecè (vt dictum eſt.) Alio modo largiùs pro virtute cauſata ex actibus voluntatis elicitis vel imperatis. Et illa non ſemper inhæret voluntati, vt talis eſt: ſed quandoque intellectui, quandoque ſenſui, quandoque potentiæ executiuæ. Vnde generaliter omnis habitus illi potentiæ inhæret, cui inſunt actus à quibus cauſatur. Et hæc virtus non eſt virtus moralis intrinſecè, ſed contingenter & denominatione extrinſeca. Hæc Gabriẽl diſt. in. xxiij. quæſt. ij. art. iij. dubio iiij. lib. iij. capiendo virtutem moralem ſtrictè pro virtute morali per eſſentiam, nulla virtus intellectualis eſt moralis. Sed accipiendo virtutem moralem communiter & ſecũdo modo aliqua virtus intellectualis, eſt moralis. Aliqui enim actus intellectus poſſunt imperari à voluntate, & habitus illorum ſunt morales illo modo. Poteſt namque voluntas imperare intellectui, vt ſpeculetur, diſcurrat, veritatem arguendo inquirat, &c. qui ſunt actus intellectus eliciti: & ſunt actus voluntatis imperati, & per conſequens habitus ad huiuſmodi actus inclinantes ſunt habitus intellectuales ſimul & morales, &c. Item omnis fides acquiſita eſt virtus intellectualis, quia omnis talis cauſatur ab actibus intellectus elicitis, ſcilicet aſſentire certo vero ex auctoritate teſtis. Item omnis adquiſita virtus eſt virtus moralis ſecundo modo, quia adquiritur ex

actibus

actibus voluntatis imperatis. Sed fides infuſa propriè, nec eſt virtus moralis, nec intellectiua, ſed gratuita. Philoſophus enim diuidens virtutem in moralem & intellectualem, loquitur de virtutibus adquiſitis, non de infuſis. Gabr. vbi ſupra.

Virtus moralis infuſa ſic diffinitur ab Auguſtin. (vt habetur in ij. diſtin. xxvij.) eſt qualitas bona mentis qua rectè viuitur, & qua nullus malè vtitur, quam ſolus Deus in nobis operatur. Et cùm Dei perfecta ſunt opera, ideo cùm hominem iuſtificat, non tantũ infundit virtutes Theologicas, ſed etiam morales. In iuſtificatione itaque impij omnes illæ virtutes ſimul infunduntur, licèt non exeunt in actum ſine adquiſitis, ſicut dicitur de Theologicis infuſis: & communiter proportionabiliter dicitur de iſtis ſicut de illis. Nulla autem ratio naturalis (vt ſcribit Gabriël diſt. xxxiij. quæſt. vnica, artic. iij. dubio ij. libr. iij.) probat virtutes infuſas eſſe ponendas, ſed ſola auctoritas ſcripturæ & ſanctorum. Virtutes autem morales adquiſitæ ponendæ ſunt. Et hoc modo ratio probat & experientia, &c. Diffinitionem Auguſtini prædictam ita explanat Gerſon parte ij. tractatu de ſeptem virtutibus, dicitur bona qualitas, ad differentiam malarum qualitatum, cuiuſmodi ſunt prodigalitas, auaritia. Addit mentis, ad differentiam corporalium qualitatum, quales ſunt albedo, nigredo. Subiungit, qua virtute rectè viuitur, ad differẽtiam ſcientiæ: quæ quamuis ſit bona qualitas mentis, non tamen neceſſariò ea rectè viuitur, ſed potius ea rectè intelligitur. Et additur, qua nullus malè vtitur, ad differentiam potentiarum naturalium, quibus contingit & bene vti & malè vti, cuiuſmodi ſunt rationabilitas & concupiſcibilitas, & iraſcibilitas, quæ propriè potentiæ dicuntur. Dicitur, quam ſolus Deus in homine operatur, quod ponitur ad differentiam virtutum politicarum, quæ (vt vult Philoſophus in Ethicis) generantur ex frequenti bene agere, cùm virtutes Theologicæ à Deo infundantur. Ex quo apparet (vt inquit Gerſon vbi ſupra) quod præcedens diffinitio eſt propriè virtutis Theologicæ. Sed prout virtus comprehendit tam quatuor virtutes cardinales quàm tres Theologicas, ſic poteſt diffiniri. Virtus eſt amor habendi ſe ad omnia, vt debetur. Vnde Auguſtinus in lib. de moribus Eccleſiæ ſingulas diffiniens virtutes in omnibus diffinitionibus ponit amorem tãquã genus, & adiungit diuerſos actus quaſi differentias diuerſas. Virtutes autem morales (vt ſcribit Gabriël fidelis) ex actibus meritoriis cauſatæ; non ſunt eiuſdem rationis cum virtutibus Philoſophorum, quia virtutes morales diſtinguuntur ſecũdum diſtinctionem obiectorum partialium. Finis autem eſt obiectum partiale. Cùm ergo ſunt diuerſi fines in illis, quia in iſtis Deus eſt finis, qui non eſt finis in illis. Nam Philoſophus (exempli cauſa) abſtinet per temperantiam propter ſalutem corporis, & eius bonam diſpoſitionem ad operationes rationis fortiter agit propter bonum reipublicæ, aut alios ſimiles honeſtos fines: & ita habitus adquiſiti inclinabant ad opera ſimilia propter eoſdem fines. Sed Chriſtianus vt talis operatur fortiter, abſtinet temperanter, corpus caſtigat & in ſeruitutem redigit propter Deum: quia ſic Deus præcipit, vel quia Deo placuit huiuſmodi opera: ideo virtutes ex illis operationibus genitæ habent alium finem, & per hoc aliud obiectum partiale, & per conſequens ſunt alterius rationis à virtutibus Philoſophorum. Et hoc etiam verum eſt circunſcripta charitate infuſa: puta, ſi eſſet charitas adquiſita ſiue infuſa. Hæc Gabriël diſtin. iiij. quæſt. j. artic. iij. dubio ij. lib. iiij. Vbi & dicit paulò antè, virtutes morales non ſufficere ad ſalutem ſine Theologicis. Sed adquiſitæ morales ſufficiunt cum charitate ad ſalutem, & ad omnem actum meritorium eliciendum, quia charitas inclinat immediatè ad actum cuiuſlibet virtutis. Ideò dicit beatus Gregorius, quia omnia præcepta ſunt vnum in radice charitatis, quod charitas ad obſeruantiam omnium præceptorum inclinat. De omnibus autem actibus virtutum quatenus ſunt neceſſarij ad ſalutem dantur præcepta. Et ideo nullus actus eſt perfectè virtuoſus vel meritorius ſine actu charitatis. Verùm faciliùs inclinatur homo ad virtuoſa & meritoria concurrente cum charitate virtute morali adquiſita, quàm à ſola charitate. Hæc Gabriël vbi ſupra. Virtutes autem ſine charitate (vt ſcribit Brulefer diſtin. xxvj. quæſt. iiij. libr. iij.) ſunt ſicut precioſiſsimi cibi poſiti in vaſe immundo & fœtido, quia virtutes ſine charitate ſunt informes, nec poſſunt placere Deo, quia offeruntur in diſco immundo, id eſt à conſcientia immunda, licèt omnes de ſe ſint bonæ & optimæ. Et ideo charitas dicitur forma virtutum. De quo aliàs dictum eſt.

Virtus Theologica (vt ſcribit Gerſon parte iiij. in deſcriptione termin. ad Theolog. vtil.) eſt habitus à Deo ſolo infuſus, eleuans liberum arbitrium, id eſt facultatem rationis, aut bonitatis, aut vtriuſque ad Deum immediatè obiectaliter & laudabiliter attingendum, &cæ. Et ſecundum Gabriëlem xxvj. quæſt. vnica, artic. j. libr. iij. accipitur dupliciter. Vno modo ſtrictè, & ſic tres requiruntur conditiones ad hoc quod ſit aliqua virtus Theologica. Prima quod reſpiciat Deum pro primò obiecto & principali. Secunda quòd habeat veritatem pro prima regula actuum ſuorum ad quos inclinat, & non regulam aliquam adquiſitam humanitus: puta, prudentiam. Tertia quod immediatè à Deo infundatur ſicut à cauſa efficiente. Harum conditionum prima reſpicit obiectum, ſecunda regulam directiuam, tertia cauſam efficientem: illo modo fides, ſpes, charitas, adquiſitæ non ſunt virtutes Theologicæ, quia deficit tertia conditio. Secundo modo accipitur virtus Theologica largiùs pro virtute reſpiciente Deum pro obiecto principali innitẽs primæ veritati tanquam regulæ ſiue ſit à Deo infuſa ſiue naturaliter adquiſita. Et ſic fides, ſpes, & charitas, adquiſitæ reſpectu Dei, vt obiecti primi & principalis ſunt virtutes Theologicæ. Per primas enim duas conditiones virtus Theologica ſufficienter diſtinguitur à morali, quia moralis non habet Deum pro obiecto primo: licèt habere poſſet Deum pro fine. Similiter moralis innititur regulæ humanæ, ſcilicet prudentiæ ſiue rectæ rationi naturali: Theologia verò veritati diuinæ. Ideo enim fides credit, quia Deus reuelauit. Ideo ſpes deſiderat, quia ſic deſiderandum eſſe Deus reuelauit: ſic charitas diligit,

quia ſic diligere Deus præcepit. Habitus verò harum virtutum Theologicarum ſupernaturales (vt ſcribit Dominus Cardinalis q.vnica, art.ij.lib.iij.) ſunt nobis neceſſarij de potentia Dei ordinata ad conſequendum beatitudinem, & hoc præciſe tenetur propter fidem & ſanctorũ auctoritatem. Et ſecundum eundem obiecta virtutũ Theologicalium immediata ſunt cõplexa: nam obiectũ fidei eſt hoc cõplexũ. Omne reuelatũ à Deo eſt verũ eo modo quo reuelatur à Deo. Obiectũ autem ſpei eſt quod beatitudo eſt nobis conferenda à Deo propter merita. Obiectum autem charitatis eſt hoc cõplexum, Deus eſt diligendus, & omne quod Deus vult diligi à nobis charitatiuè. Et vt idem dicit Aliacen. licèt Deus ſit obiectũ mediatũ cuiuſlibet virtutis Theologicæ, tamẽ hoc cõplexum eſt immediatũ obiectũ ſpei, ſcilicet viſio & fruitio diuina ſiue beatitudo eſt homini cõferenda propter merita. Quod credo ſic eſſe intelligendũ (inquit Cardinalis) quod beatitudo homini cõferetur, ſi ſecundũ legem Dei meritoriè operetur. Non autẽ omnes virtutes (inquit Gerſon part.iij.de vita ſpirituali animæ, lect.ij.corollario ij.) Theologicas & diuinas nominamus, ſed eas duntaxat, quæ ad Deũ immediatè dirigunt, ſcilicet fidem, ſpem, & charitatem. Et fides (vt ſcribit Iacobus de Valent. ſuper illud Pſalm.4. Quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe, &c.) eſt quædã virtus Theologica deſuper infuſa, qua mens eleuata & confortata credit & aſſentit rebus ſupernaturalibus & nõ viſis. Charitas eſt alia virtus infuſa, qua volũtas eleuatur ad diligendũ Deum ſuper omnia. Spes verò quædam virtus eſt infuſa qua cõtemptis terrenis ſpiritualia bona & inuiſibilia appetuntur & expectantur. Hæc Epiſcopus vbi ſupra.

Virtus Theologica deſcribitur ſic ab Auguſtino: Eſt recta ratio perducens ad vltimum finem, & ſic ſunt tres (vt dictum eſt) fides, ſpes, charitas. Aliter diffinit Auguſtinus: Eſt bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, & qua nullus malè vtitur, & quã Deus operatur in nobis. De qua dictione ſupra dictum eſt. Et ſecũdum eundem virtus Theologica eſt ordinatus amor quo nullus malè vtitur. De ſingulis harum virtutum Theologicaliũ ſuis locis amplius dictum eſt. Et virtutes Theologicæ ſunt perfectiores moralibus (vt ſcribit Gabriël) & inter Theologicas perfectior eſt charitas quæ intimius vnit obiecto beatifico quàm ſpes aut fides. Et inter morales iuſtitia dicitur perfectior ſecundum Philoſo.5. Ethic. Gabriël diſt.xxxvj.q.vnica, art.iij.dub.iiij. lib.iij. vbi & de virtutum æqualitate tractat.

Virtus cardinalis. Sunt autẽ quatuor virtutes cardinales, quibus (vt ſcribit Auguſtinus & Magiſter di.xxxiij.lib.iij.) in præſenti bene viuitur, & poſt ad æternã vitam peruenitur, ſcilicet iuſtitia in ſubueniendo miſeris. Prudentia in cauendis inſidiis. Fortitudo in perferendis moleſtiis. Temperãtia in coërcendis delectationibus prauis, quibus nihil in vita vtilius hominibus, vt dicitur Sapiẽ.8. De quibus ſingulis ſuis locis dictum eſt. Dicuntur autem ſecundum quoſdã cardinales, quaſi cordiales, ad differentiam virtutum corporalium. Cardo enim ſecundũ Iſidor. à corde deriuatur, quia à cordian Græcè, quod eſt cor Latinè. Vel vt alij volunt, dicuntur cardinales, quia in eis ſicut in cardinibus omnis alia virtus maximè ciuilis, voluitur. Secundum autem Philoſophos dicuntur cardinales (qui de ipſis tractauerunt) quia in his ſicut in cardine eſt reuolutio totius vitæ humanæ ſecundum ſtatum honeſtum & ciuilem. Ciuiles autẽ dicuntur, quia conſtituunt bonum ſtatum vnius cum altero in ordine ciuium. His enim virtutibus ſecundũ Plotinũ Philoſophũ & Macrobium boni viri reipublicæ conſulunt, vrbes tuentur, parentes venerantur, proximos amãt. Politicæ autem dicũtur eadem de cauſa, quia idem eſt polis Græcè, quod eſt ciuitas Latinè: & ideo politicæ dicuntur quaſi ciuiles (vt inquit Gerſon in compendio Theologiæ de quatuor virtutibus cardinalibus.) Vel dicuntur cardinales ſecundum Gabriëlem diſt.xxxiij.quæſt.vnica, art.j. lib.iij. à cardine in quo voluitur ianua, quia in his vita humana verſatur, & quibuſdam regulis quaſi in cardinibus regolariter dirigitur & voluitur. Ad quas virtutes reliquæ reducuntur: & ideo principales dicuntur. Et ſicut generaliter habitus, ita & virtutes diſtinguuntur penes actus ex quibus generantur, & ad quos inclinant. Actus verò diſtinguuntur ſecundum potentias & obiecta 2. de Anima. Obiectum eſt circa quod operatio verſatur, ſicut artifex circa materiam. Potentia autem vis eſt animæ eliciena actum ſeu operationem. Cùm ergo omnis operatio animæ rationalis verſatur circa finem tanquam circa obiectum, immediatè autem circa medium ad finem. Et ſecundum hoc virtus diuiditur diuiſione immediata in Theologicam & moralem, accipiendo moralem largè, vt non diſtinguitur cõtra intellectualem. Obiectum verò quod eſt ad finem duplex eſt. Aut eſt veritas practica cognoſcenda. Aut eſt materia circa quam ſunt aliqua operanda, &c. Et ſecundum hanc diuiſionem ſumuntur virtutes cardinales. De quo latiùs Gabriël vbi ſupra. Et ſecundum ſanctum Bonauen. virtutes ponũtur principaliter ad rectificandum & vigorandum potentias in eliciendis actibus virtuoſis, ad rectificandum contra obliquitatem, ad vigorandum contra difficultatem. Virtus enim facit potentiam rectam & vigoroſam. Vide latiùs Bonauenturam, & poſt eum Gabriëlem artic.ij. vbi ſupra. Et ſicut homo per virtutem cardinalem rectificatur quo ad creaturam, ita per Theologicam quo ad creatorẽ Deum. De actibus illarum virtutum idem ſcribit Gabriël concluſione ij. vbi ſupra. Actus prudentiæ eſt dictare agenda. Iuſtitiæ reddere omnibus debita. Temperantiæ refrænare appetitum circa concupiſcibilia. Fortitudinis repellere aut ſuſtinere aduerſa. De his plura in libro Ethic. Obiecta illarum. Prudentia dirigit circa verum practicum. Iuſtitia circa proximi debitum. Temperantia circa delectationes & triſtitias. Fortitudo circa pericula & aduerſitates vincendas. Per hoc, ſcilicet per actus & obiecta poſſunt diſtingui virtutes cardinales etiam ſecundum potentias. De quo latiùs legito Gabriëlem. Et virtutes cardinales (vt ſcribit Richardus diſtinct.xlix.artic.j.quæſt.v.in fine libri quarti) quæ ſunt reſpectu paſſionum & operationum humanarum aliquo modo corpus reſpiciunt, non quod earum eſſentia aut eius pars ſit in corpore ſicut in ſubiecto, ſed quia moderant corporis paſſiones

ſiones & equant corporales operationes in comparatione ad alterum, ſed & ſi in perfectis actibus talium virtutum perfectarum conſiſtit fœlicitas politica, de qua tractat Philoſophus 1. li. Ethic. tamen fœlicitas vera in illis virtutibus non conſiſtit, ſed in actu charitatis patriæ, & in actu habitus qui in patria ſuccedit fidei. Rich. Et quia (vt dicit Gabr. di. xxxiij. q. vnic. ar. iij. dubio iij. lib. iij.) virtutes Cardinales perfectiones quædam ſunt animæ non includentes eſſentialiter imperfectionem, ſicut fides & ſpes, ideo manent in patria. Habent etiam actus in patria ſecundum alios ab actibus quos habent in via. Nam ſecundum ſanctum Bonauen. q. vj. li. iij. di. xxxiij. Omnes actus noſtri in gloria erunt fortes, iuſti, prudẽtes, caſti, vt iuſtitia excludit obliquitatem, prudentia errorem, fortitudo moleſtiã, temperantia omnem libidinem. Actus autem quos habent in via, non habent in patria. Non enim ibi prudentia cauet inſidias quæ ibi nullæ ſunt, nec ibi iuſtitia ſubuenit miſeris, nec fortitudo perfert moleſtias, nec temperantia coërcet delectationes prauas, ſed manent ibi excellentiori modo quàm fuerunt in via. In via pugnant contra vitia. In patria gaudent de victoria pleniſsimè adepta. Bona. & Gabr. Virtutes quoque dona, beatitudines & fructus ponuntur habitus quidam naturales, vel ſupernaturales animam quantũ ad actus ſuos in via perficientes aut paſsiones: puta, gaudium vel delectatio actus cõſequentes, quod additur quo ad fructus aliquos; hoc ſcribit & probat Gabr. xxxiiij. qu. vnica, art. j. lib. iij. Differunt tamen dona & virtutes, de quo legito ſanctum Bonauen. di. xxxiiij. q. j. li. iij. Quomodo autem virtutes connectantur vide ſupra in dictione *Connexio*. litera C. De quo & legito Gab. di. xxxvj. q. vnica, art. ij. lib. iij. qui ponit iſtum appendicem. Omnis habens vnam veram virtutem, habet omnem ſibi poſsibilem ſecũdum cordis præparationem, & omnis habens vnum vitium ſecundum cordis præparationem eſt omni vitio irretitus, & idem eſt de habente actum verè virtuoſum vel vitioſum. De actibus enim hoc primo habet veritatem, & de habitibus non niſi ratione actuum. Habere autem actus virtutum ſecundum præparationem cordis, nihil aliud eſt quàm habere diſpoſitionem vel principium inclinãs ad actus virtutum. Et irretiri vitio ſecũdum cordis præparationem, eſt habere diſpoſitionem vel principium inclinans naturaliter ad vitium. Et per nullam veram virtutem à tali vitio refrænari. Sic adulterium Dauid impulit eum ad homicidiũ Vriæ militis ſui fidelis, qui enim vult efficaciter adulterari, vult omnia ſine quibus adulterium non poteſt perficere & amouere impedimenta per actus quorũcunque vitiorũ, niſi aliunde retrahatur, & horum conſideratio multum valet ad vitiorum deteſtationem, & ad generãdum horrorem cuiuſcũque vitij. vide latiùs Gabr. vbi ſupra. Et ſicut charitas inclinat ad omnes actus virtutũ, ita ira ad cõtumelias, rixas, detractiones, homicidia, & habens vnum vitium habet diſpoſitionem malam inclinantem ad actum vitij contrarij, niſi impediatur aut deficiat aliquid ad actum vitij contrarij requiſitum. Sicut prodigalitas & tenacitas ſunt vitia contraria, & tamen tenax poteſt habere prodigalitatem ſecundum cordis præparationem, quia in tenace eſt deſiderium acquirendi, ideo tenax cõſiderat quod per actum prodigalitatis poteſt multa acquirere, ex deſiderio acquirendi exibit in actum prodigalitatis. Sicut etiam videmus quod vitia & virtutes cõtrariantur, & tamen ſæpe vitioſus habet actum virtutis ſecundum præparationem cordis. Sæpe enim mendax vt ſibi credatur loquitur veritatem, & ambitioſus vt magnos honores conſequatur, paruos honores ſpernit & reſpuit. Quod verũ eſt de actibus virtutum exterioribus, qui tamen dũ procedunt ex inclinatione vitij non ſunt virtuoſi, multa de hoc Gabr. dub. j. vbi ſupra.

Virtutes Cardinales ſeu morales, & virtutes Theologicę differunt, vt ex prędictis patet. Et etiam ſcribit Brulef. di. xxvj. q. iij. lib. iij. Primò quia virtutes Theologicæ habent Deum pro obiecto. Charitas, habet Deum inquantum ſummum bonum. Fides, inquantum eſt ſumma veritas. Spes, inquantum eſt ſumma largitas. Aliæ virtutes ſunt de obiectis creatis, vt obedientia, caſtitas. Secundò differunt. Virtutes Theologicæ habent ſuperiorem portionem animæ pro obiecto, virtutes autẽ aliæ ſubiectantur in anima ſecundum portionem inferiorem. Tertiò differunt quod virtutes Theologicæ non habẽt exceſſum in actibus ſuis per nimietatem ſuorũ actuũ. Virtutes autem morales bene habent exceſſum in actibus ſuis per intentionem nimiam. Exemplũ de primis, vt nullus poteſt excedere in amãdo Deum, in credẽdo in Deum, & in ſperãdo, & in cõfidendo in Deũ. Exemplum de ſecundis, vt patet de liberalitate & aliis. Quarta differentia eſt, quia primæ nõ mediant inter duo mala. Aliæ autem mediant vt patet de liberalitate, &c.

Virtus dicitur vera dupliciter, vt ſcribit S. Bonau. parte ij. di. xiiij. q. j. li. iiij. Vno modo dicitur virtus vera, quæ habet verũ virtutis opus, vel nata eſt habere quantum eſt de ſe, & veritas eſt de eſſentia virtutis. Alio modo dicitur virtus vera, quæ perducit ad finẽ, & hæc veritas non eſt eſſentialis virtuti, ſed tamen ducit virtutis ſtatum ſine continuatione. Sic etiã dicitur de pœnitentia: quod ſi primo modo dicitur pœnitentia, eſt vera, quæ verum habet virtutis actum, ſic de veritate pœnitentiæ eſt deteſtari malum commiſſum, & pro illo tempore nullum committere, & de futuro proponere, non committere, & ab omnibus his poteſt homo cadere, & ita à pœnitentia vera primo modo dicta. Si autem dicitur vera, quia perducit in finem vt finalis & continuata ab hac non eſt cadere. Sed hanc non eſt dicere hominem habere niſi in fine, & pòſt non cõtingit cadere. Hæc Bona. Nec virtutes veræ ſunt ſine charitate, vt & habet Gerſ. tract. viij. ſuper Magnifi. Nec placemus Deo per bona naturalia, ſed per virtutes ſolum, vt inquit Brulef. di. xxiij. q. j. lib. iij. &c.

Virtus eſt adhuc duplex, ſcilicet virtus ſanatiua & virtus operatiua. Vnde ſecundum S. Bonauen. ſpirituiſancto non appropriatur virtus ſimpliciter, ſed virtus ſanatiua. Et hoc quia gratia ſanitatum eſt donum ſpiritusſancti, cuius gratia eſt animę medicina. Sed filio appropriatur virtus operatiua, quia per ipſum omnia facta ſunt, id eſt per verbũ, quod eſt Dei filius. Ioan. 1. Vnde virtus ſanatiua nõ appropriatur filio, ſed virtus operatiua. Et verũ virtus operatiua

 non appro-

non appropriatur ſpirituiſancto, ſed ſatiatiua. Et ſic debemus intelligere illud: Prædicamus Chriſtū Dei virtutem. 1. Cor. 1. Et illud: virtus quę de eo exibat, ſanabat omnes, Lucæ. 6.

Virtus naturalis ſeu naturaliter inſita (vt ſcribit Gerſon parte iiij. vbi ponit diffinisiones termi. ad Theo. vtilium eſt bona inclinatio creaturæ rationalis, non acquiſita, ſed innata ad operationes naturæ ſuæ congruas laudabiliter exercendum, vitium naturale per oppoſitum, &c.

Virtus heroica (vt ſcribit Gerſ. vbi ſupra) conuenit cum beatitudine, & eſt virtus excellens, ad quā cōmunis hominū vita nō attingit. Beſtialitas per oppoſitum vitiū eſt excedēs cōmunem hominū malitiā ex cōſuetudine peruerſa & vitio corporis inclināte. Et de virtute heroica vide in dictione *gradus*. Quintus actus virtutis. Et virtutes heroicæ dicūtur virtutes purgati animi, vt dicit Gerſ. trac. iiij. ſuper cantico Mariæ. Ariſt. 7. Ethic. tract. 1. vult heroicam virtutem dici quæ eſt ſupra nos. Heroicam inquam quandā atq; diuinā, vt Homerus de Hectore propterea quod eximia bonitate præſtabat, dicentem Priamū induxit, nec iam hominis ſane mortalis illius eſſe videbatur, ſed diuo ſemine natus. Quare ſubiungit Ariſt. ſi ex hominibus ob virtutis excellentiam dij fiunt (vt aiunt) talis quidam is habitus fuerit, qui feritati opponitur. Sic etiam Philoſophi morales homines excellentiſsimę virtutis, qui communē hominum ſtatū excedūt, vt qui magis mortē corporis quàm vitioſam eligerent actionē. Eroicos aliter heroicos ſiue diuinos vocitabant, de quo legito, & Gab. ſerm. j. de S. Petro & Paulo qui incipit: Dij fortes terræ &c. Huic concordat dictū Prophetæ in Pſalm. Ego dixi dij eſtis & filij excelſi omnes. Excelſi dicit, vt nō quicūq; iuſtus Deus vocetur, ſed qui quadā virtutū excellētia cæteros antecellit, & præcipuè Apoſtoli diuini vel dij appellātur & magis præcipui Petrus & Paulus, vt videre licet apud Gab. vbi ſup. de virtutibus & ſpeciebus latiùs ab alijs tractatur. Hæc pauca ex multis ſufficiunt.

Vis quandoque ſignificat virtutem; quandoque poſsibilitatem; interdum violentiam, item copiam, vt vis auri, &c. Et vt ſcribit Brulefer diſtinction. iij. quæſtion. ix. libr. iiij. Vis poteſt capi quadruplicìter. Vno modo capitur pro violentia ſiue coactione. Et ſic diffinitur à Iuriſtis. Vis eſt maioris rei impetus qui repelli non poteſt. Secundo modo capitur pro fortitudine, vt iſte habet magnam vim, id eſt fortitudinē. Tertiò modo capitur pro potentia animæ, vt vis intellectiua, vis viſiua. Quarto modo capitur pro virtute aliqua ſiue corporali ſiue ſpirituali, vt ſancti viri, id eſt virtute fidei fecerunt miracula, & ſic conuertuntur vis, & virtus. Differunt tamen ſecundùm eundem Bruleferum di. j. q. iiij. li. j. vis, vires & virtus etiā ſecundū Grammaticos, vt ipſe dicit. Nam vis propriè eſt potentia tā corporis quā animę. Vis enim idē eſt quod potētia. Vires autem pertinet ad ſolum corpus, ſed virtus ad ſolam animam. Et vires (vt idē dicit) poſſunt capi dupliciter. Vno modo largè, & ſic capiuntur pro omnibus potentijs, & ſic vires non ſunt niſi potentiæ quibus exequimur aliquid. Vnde & in ſpiritualibus fortitudo & potētia idē ſunt. Alio modo ſtrictè, & ſic reſtringitur ad duo, quę tamen etiā ſunt potentiæ in moralibus, ſcilicet concupiſcibilis & iraſcibilis. Vis concupiſcibilis & iraſcibilis ſunt duæ vires ſiue duæ potentiæ animæ organicæ, habentes duo organa circa cor, & ambæ natę ſunt triſtari & delectari circa ſuum obiectum. Et duo ſunt actus concupiſcibilis, vt latè declarat Scotus in iij. ſententiar. diſtin. xxxiiij. Iſtæ duæ vires reſpiciunt obiecta appetibilia & fugibilia. Et vis concupiſcibilis & iraſcibilis dicuntur vires appetitiuæ, quæ diſtinguuntur ex obiectis, vt vult Gerſon parte iij. tractat. de paſsionibus animæ, conſiderat. iiij. Nam vis concupiſcibilis reſpicit bonum vel malum, non ſub ratione aliqua difficultatis vel arduitatis, ſed quoniam multa ſuperueniunt nata impedire concupiſcibilem in ſua inclinatione vel tendentia vel quiete circa bonum, & in odio, fuga vel inquietatione circa malum. Hinc data eſt ei tanquam propugnatrix ipſa virtus iraſcibilis, quæ tendit in bonum adipiſcendum, vel malum depellendum, non vt ſimpliciter tale, ſed vt arduum & difficile adipiſci vel euadi, quale nullum in Deo reperitur, ideo nec iraſcibilē habet vllam. Hæc Gerſ. Vis ſecundum beatum Thomam iij. ſentent. diſt. xxiij. quæſt. j. art. iij. eſt omne quod eſt principium operationis, ſed virtus importat principium operationis perfectæ.

Viſus: ſecundum B. Tho. nō eſt forma oculi ſed anima ſecundū quod ab ea fluit viſus, Tho. ſuper li. de anima. & nomē viſionis extenditur ad ſignificandū omnē cognitionē ſenſuū, & intellectus propter dignitatem viſus, & certitudinē eius ſecundū eūdem j. par. q. lxvij. ar. j. Quomodo autē fiat viſio tā interior quàm exterior, vide apud Philoſ. Et Gerſ. par. iij. tract. de oculo. Et ſecundum eūdem ibidē. Viſio Dei mētalis habetur triplex, quia quædā eſt facialis & intuitiua, quædā ſpecularis & abſtractiua, quędā nubilaris & ænigmatica. Conformiter ad triplicem cognitionem meridianam, matutinam, & veſpertinam. Additur quarta quàm poſſumus anagogicam ſeu myſticam nominare, quæ conſiſtit in amoris vitali perceptione. De quibus permulta ſcribit Gerſ. & in fine concludit, viſio Dei qualiſcunque non ſufficit viatoribus ad glorię conſecutionem, ſed neceſſaria magis eſt diuinorum impletio mādatorum. Qui enim dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt. Qui autem ſic fecerit & docuerit homines, hic magnus vocabitur in regno cœlorum, vbi viſio & tota merces & gaudium plenum. Et viſio tota merces ſecundùm Auguſtinum intelligitur, vt ſcribit Gerſon parte ij. ſermo. facto in ſolemnitate omnium ſanctorum. Nam amorem & dilectionem cum delectatione. Hoc modo viſio in ſe claudit, & hoc modo qui plura diligit plus cognoſcit, hoc modo contēplatio ad fœlicitatem ſufficit integrandam, &c. Nec viſiones omnes, etiam quibus apparet Chriſtus ſunt acceptādæ, de quo vide Gerſonem parte j. tract. de probatione ſpiritus. Quare quidam ex ſanctis patribus dum ſibi dæmon transfiguratus in Chriſtum diceret: Ego ſum Chriſtus perſonaliter te viſitans, quia dignus es, confeſtim clauſit oculos, vtraque manu vociferans: Nolo inquit hic videre Chriſtum, ſatis eſt ipſum in gloria ſi videro, moxque diſparuit.

diſparuit &c. Legito eundem parte iiij. quid ſentiat de quibuſdam viſionibus.

Viſibile dicitur quod videri poteſt. Inuiſibile, quod non poteſt videri. Eſt autem triplex cauſa quare aliquis non videt viſibile, vt ſcribit ſanctus Bonauentura di.j. libr.j. Aut enim non videt quia non vult reſpicere. Aut ſi vult, impeditur propter defectum organi. Aut propter abſentiam lucis, & hoc manifeſtũ eſt. Similiter in ſpiritualibus intellectus frequenter aliqua non intelligit, quia non vult conſiderare. Aliquando verò non intelligit propter impedimentũ ex parte corporis, vt patet in phreneticis & ſtultis. Aliquando propter abſentiam lucis. Licèt enim lux increata ſe non ſubtrahat quantum ad eſſentiam, vel quantũ ad qualemcunque influentiam, ſubtrahit tamen ſe homini cũ peccauit quantum ad influentiam perfectam. Vnde dicitur influxiſſe ei ignorantiam. Vnde ſicut oculus in tenebris errat, ſic hodie miſer humanus intellectus: cùm autẽ plenè reſtituetur in lucem, ſicut oculus videre poterit omne viſibile, ſic intelligit omne intelligibile.

Vita capitur multis modis, vt ſcribit Brulefer diſt. xxxvj. art. ij. q. j. lib. j. Primò pro principio formali viuendi, ſic anima dicitur vita, & ſecundũ quod triplex eſt anima, triplex eſt vita, ſcilicet intellectiua, ſenſitiua, & vegetatiua. Secũdò capitur pro natura viuente. Vnde Scot. q. i. quoli. Si diffiniretur Deus, vita intellectualis poneretur in ipſius diffinitione. Hoc modo vita dicitur quidditatiuè de Deo, angelis, & hominibus. Et differt à primo modo, quia natura humana non eſt vita primo modo, ſed ſecũdo modo. Et eſt duplex, ſcilicet merè ſpiritualis, & merè corporalis. Merè ſpiritualis eſt duplex, ſcilicet increata, & creata. Corporalis eſt duplex, ſcilicet vegetatiua, & animalis. Animalis eſt duplex, ſcilicet ſenſitiua & rationalis. Tertiò capitur vita pro operatione alicuius viuẽtis inquantum viuẽs eſt. Et dicũtur operationes vitales omnes, ſcilicet operationes quæ ſunt à viuente inquantum viuens. Vnde Ariſto. 2. de anima. Intelligere eſt vita, ſic operatio exterior in qua occupatur quiſquam, dicitur eius vita: puta, potare eſt vita ebrioſi: & peccare dicitur vita peccatorum: & agere bonum vita virtuoſi, & ſic de aliis, vt ſcribit Pelbar. li. ij. Roſa. Theol. in diction. *Vita*. §. viij. poſt Lyrã ſuper Rom. 6. Quartò capitur vita pro viuere, vt inquit Brulef. vbi ſupra. Eſt autem quadruplex viuere, ſcilicet viuere per augmentum & ſuſceptionẽ alimenti, hoc modo omnia vegetabilia viuunt. Secundò eſt viuere per ſenſum, hoc modo ſentire eſt viuere. Sic omnis operatio animalis inquantum animal eſt vita, & cõuenit omnibus animalibus. Tertiò eſt viuere per motum progreſſiuũ, & ſic conuenit ſolũ animalibus perfectis. Quartò eſt viuere per intellectũ. Et vita ſecundũ Bona. d. xliij. ar. j. q. ij. li. iiij. accipitur dupliciter. Vno modo largè, & eſt viuificatio corporis. Alio modo propriè, & eſt viuificatio corporis cũ ſalute. Sic & reſurrectio, & ſecũdo modo promittit Deus reſurrectionẽ bonis ad ſe veniẽtibus. Et vita ſecundũ eundẽ d. xv. l. ij. circa text. maximè manifeſtatur per ſenſum & motũ, & ideo anima viuẽs appellatur, quę viuit vita manifeſta, & hæc eſt illa quę dat corpori motũ & ſenſum, & talis nõ eſt in plãtis, ſed in

animalibus. Vita ſecundũ Ariſt. li. de morte & vita, eſt manſio animæ in corpore. Et ſecundũ eundem. Vita eſt manſio animę nutritiuæ in calido. Vita ſecundum Dionyſ. in reſpectu ad rationalẽ, eſt theophaniatum, id eſt diuinarum apparitionum proceſſio, ab ente quieto & ſempiterno, id eſt à Deo qui cuncta mouens manet immobilis, & talis vitæ eſt principium. Vnde ab Ariſt. & Comen. li. intelligentiarum, vita generaliter diffinitur ſic. Vita eſt primus mobilis & cõtinuus actus viuentis, ac primus motus procedens ab ente quieto & ſempiterno, id eſt à Deo. Vnde res creabiles vel creatæ ſunt in Deo, vt ſcribit Bruleſ. di. xxxvj. ar. ij. q. j. l. j. tanquã in exemplari exprimente, ideo habent vitam in ipſo. Vel ſecundum Scotum, res inquãtum in intellectione diuina, & intellectę à Deo ſunt vita in ipſo. Etiam omnia poſſibilia fieri dicuntur vita in Deo. Vnde Ioan. 1. quod factum eſt in ipſo, vita erat.

Vita eſt triplex ſecundum Gerſonẽ parte iiij. ſer. ad regẽ Franciæ nomine vniuerſitatis Pariſieñ. dicit enim: Tam in naturæ libro, quàm ſcripturæ triplicem reperio vitam. Vitam corporalem, carnalem, & perſonalem; vitam ciuilem, politicã, aut vniuerſalem. Vitam gratiæ diuinæ ſiue ſpiritualem. Prima defectibilis eſt. Secunda permanſibilis. Tertia perdurabilis. Prima vita corporalis, ſcilicet in coniunctione animæ & corporis manu tenetur. De quã Gen. 2. Factus eſt homo, &c. Et Propheta. Quis eſt homo qui viuet. Vita ciuilis in cõiunctione & vnitate Domini & ſubditorum in vna lege & iuſta ordinatione conſeruatur. De hoc Philoſophus in politicis ponit quod in legibus eſt vita ciuitatis. Et Apoſtolus comparat corpus myſticum ad verũ eadem ratione ad Rom. 12. & 1. Cor. 13. & ad Eph. 4. Tertia vita ſpiritualis manu tenetur per cõiunctionem Dei & animæ in charitate & amoris vnitate. De qua ad Galat. 2. Viuo ego iam non, viuit verò in me Chriſtus: Bruleſ. di. xxj. q. iiij. li. iij. diſtinguit vitam ſic. Quædam eſt vita naturæ. Alia gratiæ, & tertia glorię. Prima eſt triplex, quædam vegetatiua, alia animalis & ſenſitiua & rationalis. Prima eſt communis nobis & herbis & animalibus irrationabilibus. Vnde anima eſt principium quo viuimus, mouemur, nutrimur, augemur, & ſentimus, & intelligimus. Tertia eſt triplex, quędã eſt increata quę eſt Deus, de qua Aug. de fide ad Petrum dicit: Deus naturaliter eſt vita, hæc per eſſentiã ſuam, id eſt per ſeipſa eſt vita. Vnde Dionyſ. Laudãda eſt vita æterna quæ per ſeipſa eſt vita. Omniſque vita & vitalis motus eſt ex ipſa vt à principio. Alia eſt vita creata, & eſt duplex, quædam angelica, alia ſpiritualis, quæ eſt in anima noſtra. Vita gratiæ ſolùm cõuenit exiſtentibus in gratia, & eſt ipſa charitas, & hæc vita eſt tantum bonorum in hac vita; mali enim non viuunt hac vita, ſed mortui ſunt. Vnde Maximus in ſermone de martyribus. Iuſtus ex fide viuit. Chriſtus autem in cordibus fidelium per fidem habitare dignatur, diſcedente fide diſcedit ab homine Chriſtus: diſcedẽte Chriſto diſcedit ab homine vita. Vnde Apoſtolus docet quod Chriſtus eſt vita noſtra, dicens: Chriſtus apparuit vita veſtra. Vita gloriæ eſt clara viſio Dei & fruitio ſequens, & hæc vita ſuccedit vitæ actiuæ & contemplatiuæ.

Vita ſpiritualis eſt vita animæ qua viuit per gratiam. Hæc vita quandam habet conformitatem ad vitam corporalem, de quo vide Gabr. di. ij. q. j. ar. j. libr. iiij. Et (vt idem dicit) vita ſpiritualis eſt per fidem, ſicut ſcriptum eſt. Iuſtus ex fide viuit. Gabr. di. iiij. q. j. ar. ij. concluſione vj. lib. iiij. Et vita animę dilectio eſt & amor. Vnde Petrus de Palude, diſt. xxxiij. q. j. ar. iij. lib. iiij. Vita animæ inquit conſiſtit in charitate & amicitia ad Deum & proximũ. Ideo omne illud quod tollit fœdus amicitię ad Deum & proximũ, tollit vitam animę, & ſic eſt peccatũ mortale, ſicut eſt fornicatio vel aliud peccatom. Et ſicut vita corporalis conſiſtit in calido & humido, ita & vita ſpiritualis. Vicem calidi tenet charitas ſeu gratia, vt ſcribit Gerſon tract. ix. ſuper cantico Mariæ, prout charitatem nominamus feruorem charitatis in agendo. Vicem humidi quaſi paſsiuam ſibi vendicat affectio bona voluntas. Porro (vt idẽ inquit) dicimus vitam animæ Chriſtianæ vitá amoris. De quo latiùs legito eundem vbi ſupra. Et vt idem dicit tract. de conſiliis Euangelicis & ſtatu perfectionis vitale, eſſentiale, intrinſecum & perfectiuum vitæ humanæ eſt charitas & eius mandata, id quod & vult doctor ſanctus ſecunda ſecundæ qu. clxxxiiij. ar. iij. &c. De hac animæ vita ſpirituali idem Gerſ. per plures lectiones tractat parte iij. quem videre potes. Et vitá animæ (vt ſcribit ſanctus Bonauen. di. xvij. in dubiis literalibus libr. iiij.) Deus eſt, ſicut anima corporis. Similitudo autem in hoc conſiſtit (vt ipſe ait) quod quemadmodum corpus indiget anima, & ab ipſa viuificatur quamdiu illi coniungitur, & per eius ſeparationem vileſcit, ſic quamdiu anima vnitur Deo per charitatem, viuificatur, & quando ſeparatur ab eo, moritur & vileſcit. In hoc autem eſt diſsimilitudo, quia anima cõiungitur naturaliter, & naturaliter ex corruptione naturæ ſeparatur, ita quod appetitus & indigẽtia eſt in vtroque, quia conſtituunt tertium. Ex Deo autem & anima non fit vnum. Et præterea coniunctio illa eſt voluntaris ex vtraque parte. Et hinc eſt, quia voluntas noſtra naturaliter eſt vertibilis, & diuina miſericordia prompta eſt miſereri, quod reſuſcitatio animæ non eſt miraculoſa, ſed vt proprius loquamur, eſt mirabilis. Hæc ſanctus Bonau. Eſt inſuper quędam vita actiua, quædam contemplatiua, quædam pręſens & caduca, quędam futura & æterna, de quo vide Gerſonem & aliàs, quæ ibi omitto, &c. Et de vita ſolitaria quàm triplicem eſſe dicit, ſcilicet celibalem, monachalem, heremitalem, & ſapiẽtialem. Vide eundem Gerſ. tract. xj. ſuper Magnificat.

Vita Dei eſt ſcientia Dei, qua nouit omne producibile productũ, & eſt eſſentia diuina. Vnde Ioan. 1. dicitur. Quod factum eſt in ipſo, vita erat, id eſt cauſa productiua & cognitiua rei factæ ad extra eſt in Deo intranſitiuè, & eſt diuina eſſentia, itaque quæ facta ſunt nõ viuunt formaliter in Deo, ſed ſunt in Dei cognitione, & recipiũt vitam effectiuè à Deo: Sic omnia ſunt in Deo intelligibiliter, id eſt cognita à Deo ſiue producibilia ab eo. Item Deus eſt vita viuentium cauſaliter & effectiuè. Hæc Gabr. poſt Occá di. xxxvj. q. vnic. ferè in fine. Et (vt idẽ ſcribit di. xxj. q. vnic. ar. j. li. iij.) quod ſecundũ duplicẽ naturam in Chriſto duplex fuit vita in Chriſto. Vna diuina ſumma & æterna, qua perſona Chriſti, quæ & perſona eſt verbi, vniuit ſe ipſo neceſſario inalterabiliter, & immutabiliter, quæ ab illa perſona tolli non poteſt. Secunda eſt vita naturæ humanæ aſſumptæ, qua anima Chriſti viuit immediatè eſſentialiter. Caro mediatè formaliter, & verbum earum aſſumptione per coniunctionem idiomatum contingenter. Et verbum viuere ſic non eſt aliud, quàm verbum in natura viuente ſubſiſtere. Vide latiùs Gabr. vbi ſupra.

Vitalitium ſunt redditus empti ad vitam. teut. leib ding. vt habet Gab. di. xv. q. xij. ar. iij. dub. ij. li. iiij.

Vitium propriè dicitur quod virtuti opponitur, à vito quod vitandum ſit ac fugiendum, & eſt habitus aut affectio animi in tota vita inconſtans, & à ſeipſa diſſentiens, ſecundum Tulliũ ex beato Tho. prima ij. q. lxxj. ar. j. Capitur & pro errore & morbo corporis, perpetuò tamẽ vt eſt cœcitas, claudicatio, vecordia, &c. Et ſecundum ſanctum Bonauen. di. xlix. q. vltim. in fine libr. iiij. dicitur omne quod imponat imperfectionẽ. Vitium in genere (vt ſcribit Gerſon de diffinitionibus ter. ad Theolog. vti.) eſt mala inclinatio creaturæ rationalis ad operationes naturæ ſuæ incongruas vituperabiliter exercendum, aut à bonis deſiſtendum. Vitium intellectuale (vt idem ait) eſt habitus erroneus impediens animam ab operationibus ſibi cõgruentibus, vt intellectiua eſt exercendis. Vitium morale opponitur virtuti morali. Expellere autem vitia (vt ſcribit ſanct. Bonau. di. xiiij. ar. ij. q. j. in ſolutione argu. lib. iiij.) eſt dupliciter. Vel per modum deteſtantis, vel per modum informantis: per pęnitentiam expelluntur omnia vitia per modũ deteſtantis, & ſatisfacientis. Sed per modũ informãtis vnũquodq; vitiũ expellitur per virtutẽ ſibi oppoſitã, quod primo modo expellit neceſſe eſt eſſe in eadẽ potẽtia, ſed quod ſecũdo modo nõ Cõtra vitia quoq; magis nobiſcum & frequẽtius adueniũt, vt eſt ira, ſuperbia, cõcupiſcẽtia, quibus cor hominis tribulatur & vehemẽter inflammatur, ſed ſcuto orationis aut gemitu cordis aut inuocatione ſancti nominis Ieſu eſt occurendum, & in cœlum reſpiciẽdum, vnde veniet omne auxilium, vt ſcribit Gerſon part. iij. in epiſtola quadam de cuſtodia habenda ad ſeipſum.

Vitium capitale dicitur dupliciter (vt ſcribit ſanctus Bonauen. di. xlij. circa textum lib. ij.) Aut quia pręcipuum & magnũ eſt in genere vitioſo, aut quia caput eſt & principium aliorum. Primo modo accipitur in Gloſſ. Prouer. 6. vbi vocãtur vitia illa capitalia, quia magna ſunt, & homo dignus eſt magna pœna. Secundo modo hoc dicitur vitium capitale, quod eſt ratio principiandi multa peccata. Vnde Gregor. cuicunque capitale peccato aſsignat filias. Peccatum enim hoc ipſo ponitur eſſe caput & principium alterius, quo eius motiuum adeo cadit in animæ appetitum quod poteſt præſtare fomentum & motum à Deo, vt ex ipſo conſurgat quoddã peccati corpus, quodammodo metaphoricum continens varietatem ramorum, & membrorum, filiorũ & filiarum. Et hinc eſt quod infidelitas quæ opponitur fidei, nõ ponitur eſſe capitale peccatum, quia error non cadit primo in animæ appetitum, ſimiliter nec prodigalitas quæ eſt oppoſita auaritiæ. Inanis autem

nis autem gloria vno modo eſt capitale vitium, alio modo eſt filia. Nam prout inanis gloria dicit appetitum dignitatis & excellentiæ, ſic eſt idem cum ſuperbia, & eſt capitale vitium. Ita accipit Magiſter di. xlij. cùm inter alia vitia capitalia nominat inanē gloriam, quia animus directè mouetur ad excellentiam & dignitatem appetēdam, prout inanis gloria dicitur appetitus laudis, & ſic eſt filia, quia non deſideratur laus humana niſi propter excellentiam. Hæc Bonauen. qui & ponit ſufficientiam & numerum vitiorum capitalium vide vbi ſupra. Ponit Gerſon octo vitia principalia parte ij. ſerm. de verbis Domini. Venite ad me omnes qui laboratis, &c. ſcilicet gulam, luxuriam, vanam gloriam, ſuperbiā, auaritiam, inuidiam, acediam, iram. Horum octo vitiorum duo ſunt carnalia, reliqua ſex ſpiritualia. Illa carnalia, quia in corporis membris eorum operatio conſiſtit. Illa vocantur ſpiritualia ſiue corporalia, quia in corde actitātur, de quo amplius Gerſ. Vitia autem naturæ ſunt ſeptem, ſcilicet excellentia ſeu præſumptio, duritia, ignorantia, timiditas, præcipitatio, hebetudo, ſtultitia. De quibus plura legito apud Gerſ. tract. de vitiis naturę & voluntaris parte ij. Vitia voluntatis ſunt mala culpę ſeu peccata, de quibus idem Gerſ. & de vitiis plura videantur in dictione *peccatum*.

Vitium & peccatum differunt (vt ſcriptis reliquit Gabr. lect. xxviij. canon.) Nam vitium generalius eſt peccato. Dicitur namque vitium omnis inordinatio potentiæ reſpectu actus ſibi debiti ſecundum ſuam naturalem inſtitutionem. Sic vitium ponitur in natura, vt in effectibus monſtroſis. Similiter in brutis, in furioſis, in infirmitatibus corporis. Sic generaliter omnis defectus debiti ordinis vitium dicitur. Item omnis primus motus vitium dicitur, ſicut & quilibet actus ſurreptitius. Peccatum autem eſt vitium imputabile ad vituperium. Duo enim dicit peccatum, ſcilicet vitium ſeu inordinationem quandam & imputabilitatem. Primō eſt quaſi materiale ſecundum quod inuenitur in actu cuiuſlibet potentiæ. Secundum quaſi formale, ſecundum hoc eſt primo in voluntate, & propter voluntatem denominat actus aliarum potentiarū pro quanto ſubſunt regimini voluntaris, ſic non omnis motus primus eſt culpandus, id quod probat Gabr. vbi ſupra, &c. Nec carnis motus peccatum inducit ſi omnino voluntas non conſentit, vt idem probat Gab.

Viuificare dicitur viuum facere, & aliquid dicitur viuificare quadrupliciter (vt ſcribit ſanctus Bona.) ſcilicet effectiuè, & ſic ſolus Deus viuificat formaliter, ſic gratia expellens peccatum, animæ mortem. Viuificare affectu, ſic fides operans per delectionem viuificat. Exercitij vſu, ſic mandata quibus exercetur iuſtitia viuificant ſic. Legi autem nouę cōuenit viuificare tripliciter. Formaliter, ratione gratiæ ſacramētalis. Affectu ratione amoris ſpiritualis ad quē excitant promiſſa. Exercitio ratione multiplicitatis bonæ operationis, tam præceptorum quàm conſiliorum. In lege autem veteri promiſſa erant temporalia præcepta exterius regulantia ſacramenta figuralia, & ſic promiſſa non excitabant ad amorem ſpiritualem, præcepta non dirigebant ad iuſtitiam interiorem. Sacramenta nō adiuuabant ad faciliorem legis impletionem, & ita nō viuificabant, quia erat ibi oſtenſio culpæ, & non erat adiutorium gratiæ, & per conſequens dabatur occaſio concupiſcentiæ quæ traheret ad mortem, & ideo lex illa ſecundum ſenſum literalem erat occidens, non ſecundum ſpiritualem. Vide latiùs Gabriēl. diſt. vltima, dubio ij. libr. iij.

Vnctio eſt triplex Eccleſiæ, vt notat Paludenſis diſt. xxiij. ar. iij. qu. j. lib. iiij. Et Guil. Epiſcopus in ſuo rationali lib. j. titu. de conſecrationibus & vnctionibus. Vna eſt vnctio, quæ nec eſt ſacramētum, nec aliquid ſacramētale, quia nec per ſe gratiam cauſat, nec ad aliquod ſacramentum ſuſcipiendum vel perficiendum ordinatur, & hæc eſt vnctio regū. Vnde non oportet quod fiat de materia conſecrata. Nec obſtat quod dicitur de rege Dauid: Oleo ſancto meo vnxi eum, quia hoc refertur ad vnctionem inuiſibilem, quę fit ſpirituſancto, non ad viſibilē, quę fit exterius oleo. De quo latiùs Paloden. vbi ſupra. Secunda vnctio eſt ſacramentalis, ſed non ſacramentum: quia, ſcilicet ad ſacramentum ordinatur, vel dignè ſuſcipiendus, vel perficiendus, vt illa quā oleo ad cathecuminos inungitur baptizandus, vel perficiendus, vel dignè cuſtodiendus ſeu exhibendus, ſicut inūctio qua baptizatus ſtatim inungitur chriſmate in vertice, in qua Epiſcopus chriſmate in capite & in manib⁹ presbyter oleo, & altare chriſmate. Vnde omnes hæ vnctiones fiunt de materia conſecrata, & vnctio quidem capitis Epiſcopi, & altaris chriſmate, & aliæ vero oleo conſecrato. Et ſicut eſt eadem cōſecratio chriſmatis qua inungitur altare & Epiſcopus confirmandus in fronte & in vertice baptizatus, quia non eſt niſi vnum chriſma, ita videtur eſſe vnum oleum & vna conſecratio ad cathecuminos & manus ſacerdotum. Vnde dicitur oleum ſacrum cōmuni nomine. Tertia vnctio eſt per ſe & proprium ſacramentum, ſcilicet illa quā inungitur cōfirmandus per Epiſcopum chriſmate, & illa quæ per ſacerdotem oleo ad hoc conſecrato per Epiſcopum fit infirmo, quia agit vel auget procul dubio quod deſignat, hæc Paludenſis. Et videatur latiùs Guil. in rationali diuinorum vbi ſupra, & de vnctione extrema paulò pòſt dicetur. Et vnctio principalis dicitur confirmatio (vt ſcribit S. Bonau. circa text. diſt. xxiij. lib. iiij.) & hoc quadruplici de cauſa, ſcilicet, à loco, quia in fronte quę eſt pars nobilior in corpore. Ab epiſcopo. Ab elemento ſiue materia, quia de oleo mixto cum balſamo. Poſtremo ab effectu, propter abundantiam gratiæ. Vnde ibi paracletus in magna abundantia traditur, ſicut patuit in Apoſtolis, & hæc eſt vnctio principalis, vt dicit ſanct. Bonauen.

Vnctio ſpiritusſancti, eſt ſapientia diuinitus inſpirata, docens de omnibus, vt ſcribit Gerſon parte ij. in quibuſdam quæſtionibus cum ſuis reſponſionibus, & tract. de non eſu carnium. Vnctio ſancti ſpiritus docet nos fugere & non fugere perſecutores, ſi hoc enim fieri ſemper liceret, nec fugiſſet Chriſtus, nec dixiſſet Apoſtolis. Cùm vos perſecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Vide & Gerſonem tract. viij. ſuper Magnificat.

Vnctio extrema, quæ ideo dicitur extremum ſacramentum ſicut nomen ſonat, quia poſt id, aliud non ſperatur.

ſperatur. Vnde ſolùm infirmis & periculoſe ægrotantibus, ita quod de vita eorum deſperetur, debet dari. Vnde quãdiu probabiliter ſperatur de euaſione (vt dicit Paluden. di. xxiij. q. iij. ar. j. lib. iiij.) non debet dari, & eſt per ſe vltimum, per accidens tamen, vt ſi conualeſcit, poteſt eſſe poſt ipſum aliud, vt dicit Palud. Et ordinatur hoc ſacramentum principaliter & per ſe cõtra ſpirituale infirmitaté, vt dicit Tho. de Argen. di. xxiij. li. iiij. Hoc tamẽ nõ obſtãte ordinatur cõtra infirmitaté corporalé ex cõſequenti. Nam quandoque infirmitas corporalis cauſatur ex infirmitate ſpirituali, ſicut patet in Gloſſ. Ioann. 5. vbi Saluator ait ad illum quem curauerat: Vade & amplius noli peccare, ne deterius tibi cõtingat. Hoc ſacramentũ datur infirmis, per alia enim ſacramẽta ſufficiẽter ꝓuiſum eſt ſanis. Et ſecũdũ Gerſ. diffinitur in cõpendio Theolo. de ſacramento illo. Extrema vnctio eſt ſacramentũ ex vnctione infirmis per oleum ſanctificatũ facta, cõferens infirmis remediũ cõtra peccati reliquias, & ſi expedit alleuiationé ferẽs corporis infirmitati. Et ſecundũ Sco. diffinitur ſic di. xxiij. li. iiij. Vnctio extrema eſt vnctio hominis infirmi pœnitentis, facta in determinatis partibus corporis cum oleo ab Epiſcopo conſecrato miniſtrata à ſacerdote, ſimul verba certa cum intẽtione debita proferẽte ex inſtitutione diuina efficaciter ſignificans curationem finalem venialiũ peccatorum. Materia huius ſacramenti eſt oleum oliuę cõſecratum. Et quia inter omnes liquores olei oleũ oliuæ cæteris præſtat & excellit, ideo quãdo in ſcriptura dicitur oleũ ſine additione, tũc ſemper debet intelligi de oleo oliuæ, de quo vide latiùs Paluden. Forma huius ſacramẽti eſt forma verborũ quib' traditur hoc ſacramentũ. Et ſecũdum vſum Romanæ Eccle. ſacerdos in vnctione ſic dicere debet. Per iſtã ſanctã vnctioné & ſuã piiſſimã miſericordiã indulgeat tibi Deus quicquid oculorũ vitio deliquiſti, & eadẽ verba repetet vngẽdo nares, addẽdo quicquid nariũ vitio deliquiſti, & ſic de aliis mẽbris vngendis, ſcilicet labiis, auribus, manibus, renibus, & multiplex inunctio ſignat eliminationé ex diuina miſericordia membrorum ſingulorum, vt dicit Gerſ. in compendio Theolo. de ſacramento extremę vnctionis. Loca autem quinque ſenſuum principaliter inungenda ſunt (vt idem Gerſon inquit & cæteri) ſicut oculi, aures, nares, pedes, & manus: quidam addunt pectus & renes & vmbilicũ, in quibus delectatio eſt venerea, licèt non oporteat. Mutilati verò in loco mutilationis, quia licet mẽbro careant, nõ tamen carent potentia, qua complerur actus peccati ab intra, licèt non ab extra, & ideo vt expietur peccatum cùm membrum non ſupereſt in loco inciſionis, vel in loco illi mẽbro maximè vicino inungendus eſt. Vnctio antẽ fieri debet cũ ſigno crucis, vel inſignatione membrorum in forma crucis, vt vult Rich. di. xxiij. li. iiij. & Gerſ. vbi ſupra. Nec omnes corporis partes inungendæ ſunt, vt & vult Paulus Corteſ. lib. iiij. di. iiij. in fine cùm ait. In quo intelligendũ eſt omnes corporis partes illiniri nõ placere, cùm id ſacrum curatio quædam dicatur, corporisq; curatio haud cunctis corporis partibus ſed morborum tantũ ſibris medicamenta adhibeat. Cũ autem omnis noſtra notio (vt idem ait) à ſenſibus oriatur, vbi facinorũ, ſcelerumque ortũ eſſe dicimus ibi hoc luſtrale per vnctionis fomentum eſſe volumus, ob eamque cauſam à flamine ſenſuum ſedes obliniri. Effectus huius ſacramenti (vt habet Magiſt. in litera ex dictis B. Iaco. concludit) eſt duplex, quorũ vnus eſt peccatorum remiſsio, alter eſt corporalis infirmitatis alleuiatio. Iſtorum primum reſpicit iſtud ſacramentum tanquam principalem effectum. Secundum reſpicit ex cõſequenti. Sanitas enim ſpiritualis eſt principalis effectus. Corporalis ſanitas eſt acceſſorius vel ſecũdarius, vt ait Rich. di. xxiij. ar. j. q. vj. libr. iiij. Aſtipulatur Palud. dum ait: Effectus iſtius ſacramenti eſt ſpiritualis hilaritas mentis, per quam mens alleuiatur à grauedine & depreſsione, qua tunc cõmuniter homines patiũtur (vt dicit Palud.) Et vt dicit Gerſon vbi ſupra. Sacramentũ ſecũdum aliquos eſt ipſe vſus olei ſine conſignatio cum oleo, Res autem eſt ipſa gratia ſpiritusſancti, quæ dicto modo efficit ſanationem mentis, & etiam quando corporis, quãdoq;, ſcilicet expediẽs fuerit, ſecũdum alios ſacramentũ eſt ipſum oleũ. Res autem gratia ſpiritusſancti, &c. Et ſacramẽtum vnctionis extremę eſt vnum ſacramentum vnitate integritatis, ſed nõ vnitate indiuiſibilitatis (vt dicit Scotus) quia remiſsio omniũ veniali ũ. Et quia omnia ibi ad principalé effectũ per ſe ordinantur, ſcilicet ad ſpiritualé animæ & corporis ſanationem, vt ait Palud. art. iij. concluſi. ij. di. xxiij. qu. j. lib. iiij.

De inſtitutione huius ſacramẽti. Inſtituit hoc ſacramentũ Dominus Ieſus Chriſtus per ſe ſicut & omnia alia (vt aliàs dicitur.) Nã ab eo habẽt virtuté & efficaciã. Et cũ Magiſt. dicit iſtud ab Apoſtolis inſtitutũ. Et Bona. d. xxiij. q. ij. li. iiij. ſpiritusſanctus per Apoſtolos hoc ſacramentũ inſtituit, intelligendũ eſt inſtrumentaliter & executiuè, non principaliter & auctoritariuè, ſed cùm dicitur quod non legitur in Euangelio, hoc nihil obſtat. Dicitur enim Ioan. vlt. Sunt auté & alia multa quæ fecit Ieſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula nec ipſum arbitror mundũ poſſe capere eos, qui ſcribendi ſunt libros, de quo Thom. Argent. & Gerſon vbi ſupra. Solus autem ſacerdos eſt idoneus huius ſacramẽti diſpẽſator & miniſter, & nõ requiritur Epiſcopus propter ſtatũ infirmorũ, qui nõ poſſunt Epiſcopos adire, nec eũ occupationibus aliis impediti ad omnes lãguidos ire poſſunt, vt dicit Rich. di. xxiij. ar. ij. q. j. li. iiij. Vnde Iacob. 5. dicitur. Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Eccleſię, & orent ſuper eum vngentes eum oleo in nomine Domini, &c. Quamobrẽ ſenatus cõſulto cauetur ne quis profanus aut miniſter flamẽ, qui à Græcis diaconus nominatur (vt inquit Paulus Corteſ. li. iiij. d. iiij.) illiniẽdi facultatẽ vſurpet. Debet autẽ illud ſacramentũ dari infirmis ratione vtentibus, & in periculo mortis exiſtẽribus, nec debet dari infantibus nec furioſis à natiuitate, nec carentibus ratione, niſi prius quæſierit, nec damnatis etiã ad mortem, quia ſunt infames corã Eccleſia, nec debet dari qualitercunque expoſito periculo mortis, quia (vt inquit Scotus di. xxiij. li. iiij.) non debet dari ei cui imminet mors ex periculo extrinſecę violẽtię, vt ad morũ vel ſubmerſionis vel huiuſmodi, nec qualitercunq; infirmo ſed periculoſe: ita quod probabiliter immineat ſibi exitus de ſtatu viatoris ad terminũ, vt inquit Scotus. Concordat cum prædictis Corteſius cùm dicit. Néve etiam inſani illiniantur niſi qui ſtoli-

qui ſtolidæ amentes ſint, quique interpoſito ſpatio ita reſipiſcant, vt ſentiant vi ſacramẽti ſceletum veſtigia dilui. Eodemque modo infantes repelluntur, qui nondum ſunt vim præſtauriamque intelligendi cõſecuti, qui&q;(vt præclarè ait Rich.) nõdum ignoſcibili tabe inquinentur. Atque illud etiam ſancitum eſt, ne valentibus aut in quocunque ægritudinum genere adhibeatur, quandoquidem id ſacrũ extimum dicatur, quod ſenatus adhibeat homines præparans, aut perpoliens ad gloriam, & propterea eos tantum illiniẽdos eſſe dicimus (inquit Corteſ.) qui in ipſo ſint vitę exceſſu cõſtituti. Poteſt autem hoc ſacramentum (vt ſcribit Tho. de Argent.) licitè iterari, quia ſacramentum nõ derelinquens effectũ perpetuum & indelebilem licitè poteſt iterari, ſed iſtud ſacramentum eſt huiuſmodi, quia nullum effectũ ita indelebilẽ imprimit recipienti. Et Hug. lij. de ſacramentis parte xv. ca. iij. Si vnctio iterari non poteſt, nec oratio iterari poteſt, ſed oratio iterari poteſt, & vnctio. Et Magiſter di. xxiij. ca. vltimo conſentit quod hoc ſacramentum eſt iterabile. De quo conſulas Rich. di. xxiij. ar. ij. q. lvj. lib. iiij. Et ſanct. Bonau. q. iiij. ar. ij. eadem di. & Gerſonem in compẽdio Theol. de iteratione ſacramentorũ. Et (vt idẽ dicit) extrema vnctio obligat nõ contemnere, dum finis vitæ ſecundum probabiles coniecturas per infirmitatem expectatur, quæ iterari poteſt ſimili cauſa rurſus veniente. Et extrema vnctio ritè ſuſcepta delet venialia: imò videtur quod abſoluit ab omni culpa coniuncta petitione recipiẽtis, ita quod dignè recipiẽs etiam ab omni pœna, liberetur tum virtute ſacramenti, tum quia petit piè perſeueranter pro ſe & iuſtè. Gerſon. Vide aliàs de ſacramento extremę vnctionis plura apud alios.

Vnde capitur dupliciter (vt ſcribit Bruleſer di. xviij. q. j. lib. ij.) Vno modo localiter. Alio modo cauſaliter. Secundo modo dicit cauſam, & quia ſunt quatuor cauſę, capitur quadrupliciter. Primo modo poteſt dicere cauſam efficientẽ, vt vnde eſt omnis creatura? Reſpondetur, à Deo. Vnde venit quòd Deus voluit creare hominem? reſpondetur, propter bonitatem ſuã, & vt faceret participare gloriã beatitudinis æternę quãtum ad finẽ. Vnde eſt quod homo eſt riſibilis? reſpondetur, quia rationalis quãtum ad actionem formalem. Vnde eſt cultellus? reſpondetur, de ferro, quantum ad cauſam materialem, &c.

Vniformiter quandoque excludit ordinem (vt ſcribit Gabr. di. xij. q. iij. art. j. lib. j.) Eſt autem duplex ordo in diuinis. Vnus in perſonis producentibus, qui eſt ordo originis. Alius in ipſa productione ſiue in producendo. Et ſecundum hoc vniformiter poteſt excludere hunc ordinem, vel iſtum vel vtrumque. Vnde pater & filius non ſpirant vniformiter, quantum ad ordinem perſonarum producentium, quia inter perſonas eſt ordo originis, qua pater eſt prior filio, quia pater genuit & non econtrà. Item quod pater ſpirat hoc habet à ſe. Quod verò filius ſpirat habet à patre. Pater verò & filius omnino vniformiter ſpirant, ſpirituſſanctus per excluſionẽ ordinis in producendo. Ita, ſcilicet quod in ſigno vel inſtanti, aut quocunque imaginabili diſtincto à perſonis producentibus, ſpirat pater in quo non ſpiret filius, quia omnino habent illud vnũ ſpirandi principium, ſcilicet conſtitutum ex eſſentia & ſpiratione actiua cui primo conuenit ſpirare ſecundum doctores. Vide latiùs Gabr. & Petrũ de Aliaco q. viij. ar. j. lib. j. Et cùm in oppoſitum adducitur Aug. qui dicit, quod ſpirituſſanctus principaliter procedit à patre (vt dicit Magiſter in textu.) Et Hierony. dicit quod ſpirituſſanctus procedit à patre per filium. Et idem dicit Hilar. & Rich. Spirituſſanctus procedit à patre immediatè, à filio autem mediatè tantum, ergo ibi non eſt vniformitas. Ad hoc dicitur quod omnia illa dicta & ſimilia nihil aliud volunt à prædictis, ſcilicet quod pater ſicut habet eſſe à ſe, & ponitur trinitatis principium, ita & ſpirare habet à ſe, filius verò ſicut genitus eſt à patre: ita habet ſpirare à patre. Pater ergo principaliter ſpirat, & non per alium, id eſt ſpirare habet à ſe, filius autem naſcendo, accepit à patre. Hęc Gab. ar. iij. vbi ſupra. Aſſentit Aliacen. vbi ſupra.

Vnio ſignificat concordiam. Auguſt. Nam hoc fieri poſſe in tanta animorũ vnione quis dubitet. Modò ſignificat margaritam, quod in conchis nulli duo reperiantur indiſcreti inquit Plinius. Modo coniunctionem ſignificat & eſt multiplex vnio (vt notat Gabr. di. j. q. j. lib. iij. & di. xxx. q. iiij. lib. j.) Exempli cauſa partis ad totum continuum. Contigui ad contiguum, vt in ſertione ramuſculi ad truncum, locati ad locum, miſcibilis ad mixtum, illabentis ad illapſum. Vnio formæ vitalis ad materiam propter quam. Compoſitum dicitur ſubſtantia vniens. De quo latiùs vide apud Gabr. vbi ſupra.

Vnio quædam eſt corporalis, quędam ſpiritualis. De vnione corporali aliàs dicitur. Vnio ſpiritualis & illa fit ſecundum Gerſ. parte iij. de myſtica Theologia ſpeculatiua, parte viij. conſideratione xl. per inhęſionem, per informationem, per actiuationem, per aſsiſtentiam principalitatis, per illapſum, per ſuſtentationem hypoſtaticã, vbi plures naturæ in vna perſona cõueniunt. Sed omnium ſuprema vnio eſt in diuina eſſentia ſeu natura, in qua tres perſonæ ſumma vnitate ſubſiſtunt. Eſt & vnio amantis cũ amato, de qua & Ariſt. in Ethic. ait: Amicus eſt alter ego. Cuius vnionis ratio exprimi videtur cum ab eodem dicitur. Amicorum eſt idem velle & idẽ nolle. Spiritus ergo noſter cum Deo adhæret per intimum amorem vnus ſpiritus eſt cum eo per voluntatis cõformitatem. Solus enim amor perfectus & perfectè Deo adhærens, veraciter orat. Fiat voluntas tua, & qui ſic orat, orat in ſpiritu & veritate, ſicut Chriſtus docuit eſſe orandum in Euãgelio. Nam & ipſe patrem adorauit, dicens: Veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Itaque qui ſic vnitur Deo, & adhæret per amoroſam voluntatis conformitatem vtique ſtabilitur in eo (vt ſcribit Gerſ. vbi ſupra.) Experimẽtalis autem vnio mentis cum Deo, vt idem dicit tract. vij. ſuper cantico Marię, eſt ſimplex & actualis perceptio Dei gratię ſuæ gratũfaciẽtis dono, qualis hic incipit & perficitur in gloria per gratiam conſummatam. Eſt igitur hæc vnio experimentalis prægustatio quædam glorię pignus, & arra fęlicitatis ęternę, cui cõtraria eſt diſperſio, & auerſio ſuperborũ mẽte cordis ſui, &c. Et tract. viij. ſuper Magnifi. ait. Omnes & ſingulę volũtates quę per charitatem vniuntur cum vno tertio, quod eſt Deus,

Deus, ipſæ vniuntur inter ſe quantumcunque viſæ fuerát diſcordare, ſicut de diſperſione legimus Pauli & Bernabæ. Felix & mirabilis vnio plurium in Deo quaſi in vnico medio connexorum, &c. Et tractatu.ix.ſuper cantico Mariæ. Magna eſt & ſingularis vnitas omnium electorum inter ſe & cum Deo, &c.

Vnio naturæ humanæ ad verbum. Et ſi de hac per multa ſunt nobis relicta ſcriptis, pauca tamé colligo ex aliis quæ prodeſſe arbitror Theologiæ ſtudioſis. De illa ſupermirabili vnione quá & ſi credere poſſumus, intelligere non valemus. De quo Gabr. ſer. annunciatoois Mariæ, qui incipit. Hæc eſt dies quá fecit Dominus. Sed opiniones de vnione relinquo, quas videto apud Gabr. di.j.q.j.lib.iij. Illius autem vnionis ſupermirabilis, difficultas intelligendi & exprimendi modum eius ex duobus conſurgit. Vnum, quia nulla ſimilis vnio inuenitur in natura creata. Ad cognitionem autem diuinorum non niſi ex creaturis aſcendimus. Quæcũque autem vnio in creaturis inuenitur, ibi maior eſt diſsimilitudo quàm ſimilitudo ad illam vnioné benedictam. Secundum, quia non eſt certum quid dicat vnio illa hypoſtatica ſiue perſonalis, qua natura humana aſſumitur ſeu vnitur verbo, an ſcilicet dicat aliquid diſtinctum ab extremis vnitis qua formaliter fiat illa vnio, an nihil diſtinctum. De qua re Gabr. recitat opiniones ſatis diffuſe, quas vide apud eum. Et vt idem dicit ar.iij.dub.iiij. Vnio qua formaliter natura humana vnitur verbo, eſt qualitas abſoluta de prima ſpecie qualitatis, quia diſpooit naturam humanam ad melius, non ad meliorem operationem, ſed ad maiorem dignitatem.

Vnio ad totam naturam humanam quam aſſumpſit eſt triplex, vt ſcribit Brulefer di.j.q.j.li.iij. ſcilicet. Quædam gratuita, quædam beata, quædam hypoſtatica. Prima eſt illa qua verbom diuinum vnitur naturæ humanæ quam aſſumpſit per gratiam gratumfacienté, immediatè enim repleuit Deus illá animam quá aſſumpſit ſumma gratia in primo inſtanti ſuæ creationis. Secunda eſt illa quę fit per claram viſionem Dei. Iſtam etiá habuit ab inſtanti ſuę creationis, nec magis videt modò quàm tunc in cruce. Ex quo ſequitur quod non fuit viator ſimpliciter, ſed comprehenſor, vt ſupra patuit. Tertia hypoſtatica, & tantum valet ſicut vnio ſuppoſitalis. Et capiendo vnionem hypoſtaticam largè, eſt triplex, vt idem ſcribit Brulefer, ſcilicet perſonalis, ſuppoſitalis, & ſuſtétificabilis. Vnio perſonalis eſt illa in qua aſſumitur aliqua natura in vnitatem perſonæ, vt aſſumptio naturæ humanæ, &c. Vnio ſuppoſitalis eſt illa qua aſſumitur aliqua natura in vnitatem ſuppoſiti, vt ſi Deus aſſumeret naturá lapidum vel aſini. Vnio ſuſtentificabilis eſt illa qua aſſumitur aliqua natura in vnitatem indiuidui, vt ſi Deus aſſumeret materiam primam, quæ nec eſt ſuppoſitabilis, nec perſonabilis, tamen Deus eam ſuſtétaret. Sed ſtrictè capiendo vnionem hypoſtaticam, ſola vnio ſuppoſitalis dicitur vnio hypoſtatica, inquit Brulefer. Vnio perſonalis & hypoſtatica ſecundum Gabr. di.j.qu.j.notab.ij.lib.iij. non eſt quę facit aſſumptum eſſe perſonam. Alioquin natura humana non vniretur hypoſtaticè verbo, quia non eſt perſona verbi, quia natura aſſumpta non eſt verbum. Sed vnio perſonalis & hypoſtatica eſt vnio, qua natura quę ſibi dimiſſa eſſet perſooa ſuſtentificatur ab alia perſona, communicans ſibi denominationem concretiuam, quam ſibi demiſſa proprio ſuppoſito communicaret. Sic natura humana in Chriſto quæ ſibi dimiſſa eſſet perſona, ſubſiſtit iam non io ſe, ſed in ſuppoſito verbi, vnde verbum dicitur homo.

Vnis ſuppoſitalis (vt innuit Dominus Præpoſitus Gabr.di.j.q.ij.lib.iij.) eſt quædam entitas poſitiua recepta in natura aſſumpta, ſiue ſit relatio ab omnibus abſolutis diſtincta, ſiue qualitas quædam abſoluta qua formaliter ſit huiuſmodi aſſumptio, qua poſita io natura aſſumpta ipſa eſt vnita, & ea remota deſinit eſſe vnita, quá entitaté poſitiuá doctores & ſancti nominant gratiam vnionis. Eſt eoim donum ex ſumma charitate datum nullis meritis pręcedentibus, ſecundum illud Ioan.3. Sic enim Deus dilexit mundum vt vnigenitum ſuum daret. Dedit autem per eius incarnationem ſiue naturę humanę aſſumptionem. Fuit auté in Chriſto duplex vnio, vt idem ſcribit Domious Præpoſitus Gabr.di.xxj. qu.vnica, ar.j.lib.iij. Vna partium humanæ naturæ inter ſe. Animæ, ſcilicet vt formæ, & carnis vt materiæ, per quam ex ipſis conſtitutum eſt compoſitum ſubſtantiale viuum in natura humana. Secunda fuit ſuppoſitalis ſiue hypoſtatica naturæ humanæ, & vtriuſque eius partis cum natura diuina in perſona verbi. Et quod ſit homo Deus, hoc habet per vnionem, vt dicit Alexan.q.xij.memb.j.art.j. & poſt eum Gabr.di.j.qu.ij.lib.iij. qui & de gratia vnionis plura ſcribit. De quo in dictione, *Gratia* videatur. De hac vnione idem Gabr. ſcribit diſt.xxx. q.iiij.lib.j. De qua (vt ipſe oſtendit) vnione naturæ humanæ ad verbum tantò difficilius eſt diſſerere aliquid vel affirmare, quantò minus vnio illa ſupermirabilis à nobis intelligitur, nedum enim ineffabilis eſt, ſed à nobis etiá pro ſtatu illo intellectu incõprehenſibilis. Vnde Magiſter libr.iij.di.ij. Illa vnio inexplicabilis eſt adeo, vt etiam Ioannes ab vtero ſanctificatus, non eſſe dignum fateatur ſoluere corrigiam calciaméti Ieſu, quia illius vnionis modum inueſtigare, aliiſque explicare non erat ſufficiens. Vide latiùs Gabr. in primo vbi ſupra. Et Alexand. parte iij.q.ij.memb.iiij. Difficillimó itaque eſt exprimere qualis ſit hæc vnio, eam eſſe qua verbum caro factum eſt, id eſt Deus homo, & homo Deus indubitata fide credimus, & catholice confitemur. Certè ergo habemus naturam humanam à verbo aſſumptam ac naturæ diuinæ in perſona verbi vnitam, & vna eademque perſona Chriſti, quę & perſona verbi ſubſiſtit in duabus naturis, non in duabus perſonis. Vnde aſſumpta natura non eſt perſona, nec in ſe ſuppoſitata, dependens ſuppoſitaliter ad perſoná verbi. Quid auté dicat hæc voio, & naturę aſſumptę ſuppoſitatio, difficile eſt. Vide Gabr. vbi ſupra. Eſt enim vnio iſta maxima vnioo6 poſt illam ſummam & diuinam vnionem perſonarum trinitatis io vna eſſentia, vt dicit ſanct. Bernardus. Quomodo ſicut in illa tres perſonæ diſtinctæ realiter vniuntur in vna eſſentia per identitatem veriſsimam cum eſſentia. Ita in iſta vniuntur tres naturæ eſſentialiter diſtioctæ in vna perſona, corpus, ſcilicet, anima, & deitas, per idiomatum communicationem.

cationem. Vnde ait Bernard.libr.v. de conſider. ad Euge. Inter omnia quæ rectè dicuntur vnũ, arcem tenet vnitas trinitatis, qua tres perſonæ ſunt vna ſubſtãtia. Secũdò præcellit illa vnitas qua tres naturæ ſunt vna perſona. Vide de hac benedicta vnione Gabr.di.xxx.qu.iiij.lib.primo. Quomodo aſsimilatur vnioni per modum inſertionis ſecundũ Alex. & ſecundum Dominum Cardinal. Cameracenſem qu.vnica,ar.j.lib.iij. in Chriſto eſt multiplex vnio verbi ad animam, ſiue ad naturam humanam, vt & prius tactum eſt. Vna eſt quæ vocatur realis, & eſt vnio hypoſtatica, id eſt vnio ſuppoſitalis, qua verbum vnitur naturæ humanæ in vnitate ſuppoſiti ſeu perſonę, ita vt ſuppoſitum verbi ſit ſuppoſitum humanum. Alia eſt vnio quę vocatur intenſionalis, & eſt vnio qua verbum vnitur animæ per aliquam qualitatem intenſibilem. Et iſta eſt duplex. Quædam eſt per gratiam gratumfacientẽ. Alia per gloriam beatificãtem. Plura Aliacen. quę & ſupra tacta ſunt. Aliàs plura de illa vnione ſupermirabili à doctoribus ſcribuntur, &c.

Vniri alicui & ſuppoſitári ab aliquo differunt, ſicut ſuperius & inferius. Nam vniri ſuppoſitaliter ſiue ſuppoſitati nihil aliud eſt quàm dependentiam ſuppoſitalem terminari ad ſuppoſitum extrinſecum. Vnde patet quod nihil poteſt terminare dependentiã ſuppoſitalem niſi ſuppoſitũ. Gabr.di.j.q.j.ar.iij. dub.vltim.lib.iij. Diuinam verò naturam humanæ vniri in vnitate perſonæ, non eſt aliud (vt ſcribit Brulefer di.j.q.j.libr.iij.) quàm diuinam perſonam quæ ab æterno fuit hypoſtaſis reſpectu diuinæ naturæ, eſſe hypoſtaſim reſpectu humanæ naturæ in tempore, hoc autem non dicit imperfectionem, ſed potius dignitatem & nobilitatem, vt ibidem latiùs ipſe declarat. Et ſicut humana natura vnitur verbo (vt dicit Gab.q.j.di.j.ar.ij. concluſione.iij.lib.iij.) ita vniri poteſt cuilibet diuino ſuppoſito, hoc eſt patri vel ſpirituiſancto, quia nõ eſt maior impoſsibilitas reſpectu vnius ſuppoſiti diuini quàm alterius. De facto autem naturam humanã perſonaliter vniri verbo actualiter, articulus fidei eſt indemonſtrabilis naturaliter, vt idem ait concluſi.iiij. vbi ſupra, quia articulus fidei eſt verbum factum eſſe carnem, id eſt hominem, vt patet Ioan.1.& ad Gala.4. Nec non in ſymbolis fidei, hoc autem intelligi non poteſt ſine vnione humanæ naturæ cum verbo. Et nõ eſt ibi vnio eſſentialis, per quã natura humana fiat verbum, vel natura diuina: quia nulla eſt ibi naturarum confuſio, neque aliqua alia vnio in formatione vel compoſitione. Ille autem articulus (vt dictũ eſt) eſt indemonſtrabilis, quia verbum eſſe hominem, non poteſt euidenter probari ex principiis per ſe notis, neque notis per experientiam. Si enim poſſet euidenter ex principiis deduci, tunc ſequitur quod ad aſſentiendum illi articulo, poſſet euidenti ratione cogi quicũque intellectus humanus cuiuſcunque ſectæ, tam Iudæus quàm Gentilis, conſequens eſt falſum, ergo. Natura itaque humana (vt idem dicit concluſione l.) neque patri nec ſpirituiſancto hypoſtaticè vnitur, ſed tantum verbo. Non enim pater nec ſpiritusſanctus, ſed tantum filius eſt homo factus, vt ſufficiẽter probat Magiſt. in textu per plures diſtinctiones li.iij. Et vnire perſonaliter, vide & in dictione, *Perſonari*.

Vniri & aſſumi differunt: vnire & aſſumere, loquẽdo de vnione & aſſumptione ſuppoſitali. Nã vniri eſt cum aliquo alio in eodem ſuppoſito eſſe, nõ curando an ipſum ſit terminus dependentiæ alterius ſiue non. Sed aſſumi, eſt ad aliud ſumi. Et eſt dependentiam ſuppoſitalem ab alio terminari. Et aſſumere in dependentiam ſuppoſitalem alterius terminare. Vnire verò actiue eſt vnionem aliquorum efficere, ſiue ipſum terminet vnionem, ſiue nõ, vt ſi faber coniungit ferrum ferro, vnit quidem duo ferra, ſed nõ terminat vnionem. Dominus Præpoſitus Gabr.di.v.q.vnica,lib.iij. Videatur & S.Bonauen. de differentia verbi vniendi & aſſumendi di.v.q.j. lib.iij. Aſſumere autem aliquid ad vnionem naturæ vel perſonæ, non eſt aſſumptum fieri hanc naturam vel hanc perſonam, ſed aſſumptum dependere ſuppoſitaliter ad hanc naturam, vel hãc perſonam eius dependentiam ſuppoſitalem terminãtem. Quidam tamen aliter notificant perſonari & ſuppoſitari, ſeu vnio hypoſtatica, vt dicit Gab.di.v.q.vnica,lib.iij. Vnio autem deitatis & humanitatis in Chriſto facta eſt non in natura, ſed in ſuppoſito. Vnio enim illa (vt dicit S.Bonauen.di.v.qũ.j.lib.iij.) non terminatur ad vnitatem naturæ, ſed potius ad vnitatẽ perſonæ, ideo aſſumere non conuenit diuinæ naturæ, diuina enim natura non aſſumpſit humanam in vnitatem naturæ, ideo vnio deitatis, & humanitatis in Chriſto facta eſt, non in natura, ſed in ſuppoſito, quia vt inquit Dominus Præpoſitus Gabr. vbi ſupra, in eo facta eſt vnio quod terminat dependentiam naturæ vnitę ſuppoſitalem, hanc autẽ non terminat natura diuina, ſed hypoſtaſis ſiue perſona. In perſona itaque facta eſt vnio, & non in natura, & ſicut natura humana naturæ diuinæ eſt vnita, ita viceuerſa, diuina humanitati eſt coniuncta. Ambæ autẽ naturæ verè & realiter ſunt in ſuppoſito Chriſto, ſed ſola humana natura, non diuina verè dicitur aſſumpta. Et quamuis natura diuina naturam humanam ſibi vniuit, nõ tamen eam aſſumpſit. Patet primum, quia vnionem humanæ naturę cum diuina actiuè fecit diuina natura, quia principium effectiuum omnium operationum ad extra eſt diuina eſſentia eadem in tribus propter quod operationes ad extra ſunt indiuiſæ, ſicut & eſſentia eſt indiuiſa. Secundum patet, quia eſſentia diuina non terminat vnionem naturæ aſſumptæ, vt dictũ eſt. Et quamuis humanam naturam aſſumpſit duntaxat verbi ſuppoſitum, non tamen ſolum fuerat incarnatum. Probationem huius vide apud Gab. vbi ſupra, quia incarnari eſt carnem aſſumptam in eodem ſuppoſito vniri, ſed natura diuina vnitur carni aſſumptę à verbo in eodem ſuppoſito verbi, ergo. Primum autem ſupra patet. Hinc illa à multis cõceditur, eſſentia eſt incarnata, de quo aliàs dicitur. Item diuina natura nec eſt homo facta nec ex virgine concepta, neque temporaliter nata, quia quod factum eſt homo, aliquando fuit homo, ſed diuina natura nec eſt nec fuit homo. Similiter diuina natura per incarnationem verbi nihil noui recepit ex virgine. Non enim diuina natura de nouo ſubſiſtit in natura humana, ſicut perſona verbi. Illa verò perſona verbi per incarnationem incepit de nouo ſubſiſtere in natura humana, quæ æternaliter ſubſiſtit in diuina.

Diuina autem natura non ſubſiſtit ſubſiſtẽtia ſuppoſitali

poſitali niſi æterna, non formaliter, ſed identicè in ſuppoſito diuino. Et vt ibidem dicit Gabr. concluſione vij. accipiendo hominem concretiuè, impoſſibile eſt aſſumere hominem in vnitatem perſonæ, quia accipiendo concretiuè hominem, ſupponit pro perſona, ſed impoſſibile eſt aſſumere perſonam, vt aliàs dicitur. Vnde in omnibus auctoritatibus ſanctorum vbi dicitur, verbum aſſumpſiſſe hominem, hominem debet accipi abſtactiuè pro natura humana. Et hæc eſt de intentione Magiſtri cap. vltim. di. v. dicentis: Cùm dicitur homo aſſumptus, referendum eſt ad naturam, id eſt natura humana, in qua ſubſiſtit perſona Dei, & perſona hominis eſt aſſumpta. Gabr. vbi ſupra.

Vnire refertur & ad alia. Hinc vnum dicitur magis vnire, quàm alterum. Et hoc contingit tripliciter, vt ſcribit ſanctus Bonauent. di. xij. parte ij. qu. iij. libro iiij. Aut quia quis vnitur maiori vinculo, vt ille magis vnitur, qui maioré habet charitatem. Aut quia eodem vinculo vnitur ſtrictius, vt ille, qui ſecundum eundem habitum feruentius amat. Aut quia eadem firmius, vt ille, qui in eodem habitu eſt magis radicatus. Vnde Sacramentum Euchariſtiæ magis dicitur vnire, quia accedentem dignè, reddit feruentiorem, vt carbo ignitus, & iterum reddit fortiorem, vt bonus cibus. Et ex hoc, quod reddit charitatem magis ignitam, adiuuat ad conſumendam peccati venialis rubiginem. Ex hoc quod magis firmat, adiuuat ad vitandum omnia ſcelera, & ratione vtriuſque valet ad augmentum virtutum, & maximè charitatis, quæ eſt vinculũ nõ quantum ad eſſentiá, ſed quátum ad feruorem, vel radicationem. Feruor enim minuitur quotidie per venialia, & radicatio, ideo oportet per hunc cibum reſtaurari deperditum. Hæc ſanctus Bona. & ideo hoc ſacramentum dicitur ſacramentum vnionis. Vnde effectus eius primus aut eſt vnire, aut magis vnire.

Vnibilia eſſe proportionata poteſt intelligi dupliciter. Vno modo quantum ad gradum perfectionis, ita quod vnum perfectionaliter diſtet ab alio, ſecũdum certum gradum proportionis, vt ſit duplo, vel triplo perfectius alio, aut aliqua alia certa ſpecie proportionis, & illo modo finiti ad infinitum nulla eſſe poteſt proportio. Alio modo poteſt intelligi aliqua eſſe proportionata quantum ad aliquam habitudinem, qua vnum poteſt dependere ad aliud, vel aliquid recipere ab alio, aut agere in aliud, & huiuſmodi. Et hoc modo infinitè diſtantia perfectionaliter bene ſunt adinuicem proportionata. Gabr. di. j. qu. j. ar. iij. lib. iij. dub. j.

Vniuerſus quaſi omnis ad omnes, ad imum, id eſt ſine aliqua exceptione, & in ſingulari idem eſt quod totus, vt vniuerſus ager, vniuerſus exercitus, in plurali ſignificat omnes coniunctim. Nam ſi dicimus, Omnes ſibi domicilium conſtituerunt, intelligitur domicilium ſibi vnumquemque conſtituiſſe. Si verò dicimus, vniuerſi, &c. ſignificatur omnes ſimul vnum ſibi pro omnibus domicilium feciſſe. Hinc fit in vniuerſum, quod ſignificat vniuerſaliter.

Vniuerſale quod ad vniuerſos pertinet. Vniuerſalitas, generalitas. Vel vniuerſale eſt, quod de pluribus aptum natum eſt prædicari. Vel vniuerſale eſt vox vel ſcriptum, aut quodcunque aliud ſignum ex

inſtitutione, vel voluntario vſu, ſignificans plura ſingularia vniuocè. Et eſt ſecundum veriorem opinionem conceptus mentis, id eſt actus cognoſcendi, qui eſt vera qualitas in anima, & res ſingularis ſignificans vniuocè plura ſingularia, quorum eſt naturalis ſimilitudo. Plura de vniuerſali videantur apud Occam & Gabriël. di. ij. qu. iiij. libr. j. ſentent. & ſequentibus vij. quæſt. & de hoc in logica ſcripſimus amplius.

Vniuocum eſt conceptus vnus naturaliter propriè ſignificatiuus. vel ſignum vni conceptui naturaliter propriè ſignificanti ſubordinatum, & propriè ſolùm voci attribuitur, ſcilicet quæ vni conceptui ſubordinatur. Sic enim vocabulum ſonat, quaſi vox vni conceptui ſubordinata. Sicut æquiuocum dicitur vox vna diuerſis conceptibus ſubordinata. Largius tamen etiam conceptus dicitur vniuocus, quia vnicus eſt, & vno modo ſignificatiuus. De quo vide latiùs Gabriëlem di. ij. qu. ix. lib. j. Et di. vij. qu. vnica, art. iij. dubio ij. libr. iij. Sed quia hæc & alia ſicut quid ſit vniuocum, prędicatio vniuoca, denominatiuum, &c. ſunt logicæ conſiderationis, ideo hæc ibi relinquuntur, &c.

Vnum negat omnem multitudinem. Et ſecundum hoc multipliciter accipitur, vt notat Gab. di. xxiiij. qu. j. art. j. Et di. xxx. qu. iiij. libr. j. & di. viij. qu. ij. libr. iiij. Vno modo propriiſsimè, vt dicit vnitatem indiuiſibilitatis, & hoc modo nullum diuiſibile eſt vnum, ſed ſolùm indiuiſibilia, vt Deus, angelus. Alio modo propriè, vt dicit vnitatem compoſitionis, & ſic homo & compoſita ſubſtantialia dicuntur vnum. Tertio modo impropriè, vt dicit vnitatem aggregationis, vel collectionis, quomodo multa ſeparata ab inuicem loco, & ſubiecto dicuntur vnum, vt vnus populus, vnus cumulus. Et regnum dicitur vnum propter Regem, & Mundus vnus. Vide latiùs Gabriëlem vbi ſupra. Dicuntur & aliqua vnum per conformitatem voluntatis. Vnde ſecundum ſanctum Auguſtinum, & refert ſanct. Bonauen. di. xxxj. art. ij. qu. j. libr. j. Ad hoc quod aliqua ſunt vnum, non ſufficit conformitas voluntatis, ſed neceſſe eſt præſupponi conuenientiam in natura, quoniam ergo Deus & creaturæ, ſummè differunt in natura, ideo non debent dici vnum. Quia verò vir iuſtus conformatur per charitatem voluntati diuinę, & ei magis adhęret, quàm alicui, rectè dicitur vnum cum determinatione, vtputa vnus ſpiritus. Spiritus enim voluntas dicitur & amor. Vnde qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt, quia vnius & conformis voluntatis eſt. Vnde Apoſtolus 1. Corint. 6. Qui adhæret Deo vnus ſpiritus eſt, ibi vnus dicit vnitatem, non per indiuiſionem ſiue vnitatem naturæ, ſed per conformitatem volũtatis. Et quod dicitur, quod membra Chriſti, ſunt vnum verum non ſimpliciter, ſed vnum corpus, ſic etiam Chriſtus eſt vnum conmembrum, ſed hoc eſt ratione humanitatis aſſumptæ. Conſonat prædictis Gerſon parte prima, in Epiſtola quadam ad fratrem Bartholomæum Carthuſienſem. de ornatu ſpiritualium nuptiarum, vbi & refert illud Apoſtoli verbum. Qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt. Et multa (vt ibidem dicit) Chriſti dicta ſunt in hanc ſententiam, imprecantis Patrem, vt

fideles

ſideles vnum ſicut & pater & filius ipſi ſunt vnum. Illá vnitatem dixerunt ſancti patres non vnitatem eſſentialem, nec præciſam ſimilitudinem, ſed ſola ibi notatur aſsimilatio & participatio, quemadmodum dicit Lucas, quod multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna. Et de duobus amicis itidem dici vulgaris vſus habet, quemadmodum etiam carbo ignitus, & aër illuminatus vnum appellantur cum ſuo igne & lumine. Hoc tropo probat Boëtius hominem bonum eſſe Deú. Iuxta illud Pſalmi: Ego dixi dij eſtis, non quidem per veritatem & vnitatem diuinæ eſſentiæ, & locutionem propriam, ſed participatiuè & aſsimilatiuè, imitatiuè, nuncupatiuè, &c. Dicitur inſuper aliquod vnum in natura (vt ſcribit ſanctus Bonauen.diſt.xxxj.art.ij.quæſt.ij.libr.j.) ſicut Petrus & Paulus in natura erant conformes, quia vterque homo. In voluntate, quia eadem voluntate fidelium ſalutem procurant. Actione vel operatione, vt fornicator cum meretrice poteſt dici vnum corpus, tamen non poteſt dici vnũ ſimpliciter ſicut vir & vxor. Nec viri mali ita vnũ ſunt, ſicut viri boni, quia diſconueniunt in volitis principaliter intentis, quilibet enim malus bonum propriũm quærit, non commune.

Vnum accipitur adhuc qoinque modis, vt notat Gabriël.diſt.viij.qu.ij.art.j.libr.iiij. Vno modo vt dicit vnitatem ſacramenti, & ſic quęcunque referũtur ad conſtitutionẽ ſacramẽti, ſine quibus nõ eſſet ſacramentũ, dicũtur vnũ ſacramentũ. Secũdo modo vt dicit vnitatẽ ſignificationis, & ſic multa idẽ ſignificãtia, vel ad idẽ ſignificandũ ordinata dicũtur vnũ ſignificãs, tertio modo vnitatẽ cõtinentiæ, ſic dicuntur vnũ, quę idẽ cõtinent. Quarto modó vnitatẽ effectus, ſic vnũ dicũtur quę idẽ efficiũt. Quinto modo vnitatem ordinis ſeu finis, ſic vnũ dicuntur quæ ad idem ordinãtur tanquam ad finẽ. Et ſicut ſpecies panis & vini nõ ſunt vnũ per ſe & propriè, ita nec ſunt vnũ ſacramentũ vnitatẽ. Quo ad primũ patet, quia nõ ſunt vnũ indiuiſibile, nec cõpoſitum per ſe vnũ, ſed accidentia plura inter ſe realiter diſtincta: puta, color, ſapor, &c. Quo ad ſecundum probatur, quia ſpecies panis ſine ſpeciebus vini ſunt ſacramentum. Similiter ſpecies vini ſine ſpeciebus panis ſunt ſacramentum, vt dicit Gabr.ar.ij.vbi ſupra. Et licèt ſpecies (vt idem ait) panis & vini nõ ſunt vnũ ſacramentũ vnitate ſignificati, & cõtenti per ſe & primo modo, ſunt tamen vnũ vtroque modo, loquẽdo de totali ſignificato & contento. Patet primum, quia ſpecies panis & vini habent diuerſa & nõ vnũ ſignificatũ & contentũ per ſe & primo. Nã ſignificatum per ſe & primo ſpecierũ panis eſt corpus Chriſti, vt corpus nõ includit ſanguinẽ, ſed vt tantũ dicit ſubiectũ animę immediatũ. Et ſpecierũ vini eſt tamẽ ſanguis, quæ ſunt diuerſa & nõ vnũ. Probatur ſecunda pars, quia vtrarũq; ſpecierũ panis & vini, eſt vnũ ſignificatũ & contentũ totale, ſcilicet corpus Chriſti, accipiendo corpus, vt includit ſanguinẽ, quia vtrobique cõtinetur corpus & ſanguis, deitas & anima, non quidem per ſe primo, id eſt vim cõſecrationis, ſed quædã per ſe, quędã per concomitantiã. De quo vide eundem lect.liij.cano. Et (vt idem dicit in iiij. vbi ſupra) non ſolùm ſpecies panis & vini, ſed ipſę ſimul cum euchariſtiæ conſecratione & ſumptione ſunt vnum ſacramentum finis proprij, & ordinis vnitate, quia omnia hæc ordinantur in ſpiritualem hominis refectionem & nutritionem tanquam ad finem proprium, ergo ſunt hac vnitate vnum, vt inquit Gabriël. &c.

Vnitas ab vnus, a, um, eſt duplex, vt ſcribit Brul.di. xxiiij.q.ij.li.j. ſcilicet eſſentialis & perſonalis. Vnitas eſſentialis, eſt illa qua eſſentia formaliter dicitur vna inquantũ eſſentia; & ſicut vnica eſt eſſentia, ſic non ſunt plures vnitates eſſentiales, ſed vnica. Perſonalis eſt illa, qua formaliter perſona dicitur vnitas inquantum perſona; & ſicut tres ſunt perſonæ in diuinis ſic tres ſunt vnitates perſonales, &c. Eſt & vnitas creata, de quo aliàs. Vnde Chriſtus non eſt vnum vnitate creata, quia non eſt vnitas creata, vt dicit Gabr. diſt.vj.quæſt.ij.art.iij.dubio ij.libr.iij. Non eſt enim natura humana, quæ eſt vnitas creata, ſed eſt vnum & vnus vnitate naturæ diuinæ, & vnitate perſonæ, quæ ſunt vnitas increata. Nihil enim creatum eſt eſſentiale Chriſto; ſicut albedó non eſt eſſentialis albo. Et tres perſonæ diuinæ dicuntur vnum, non præciſe propter vnitatem naturæ, ſed propter vnitatem naturæ, quæ eſt eadem cuilibet perſonæ, & non vnus propter realem diſtinctionem perſonarum. Hæc Gabriël. De vnitate Dei permulta ſcribit Gerſon tractat.ix.ſuper Cantico Mariæ, &c.

Vnitas membrorum Eccleſiæ eſt triplex, vt ſcribit Gerſon parte j.lib.de auferibilitate Papę, ab Eccleſia conſideratione xvj. Vna eſt vnitas charitatis, & ita ſoli habentes charitatem dicuntur verè membra Eccleſiæ. Alij quantumcunque fideles ſint, vel vt præciſa, vel vt arida & emortua membra, immo ſunt proditores Domini ſui, nec de familia eius hoc modo dici poſſunt, nec ſunt digni pane quo veſcuntur. Alia eſt vnitas in donis naturæ, ſicut omnes homines connectuntur in intellectu, & in ratione. Alia eſt vnitas in ſimili participatione ſacramẽtorũ, & præſertim in vnitate baptiſmatis, in quo character imprimitur, in qua vnitate connectuntur omnes qui baptiſma ritè ſuſceperunt, etiam vbi fidem actualem vel habitualem perdidiſſent. Et hæc vnio videtur abſolutè ſufficere ad hoc quod aliquis ritè in papam electus maneat caput Eccleſiæ quouſque fuerit per ſententiam diffinitiuam depoſitus. Gerſ. vbi ſupra, &c.

Vocabulum dicitur quo res ſingulæ nominantur. Et frequenter ad cognitionem rei perducimur per conſiderationem vocabulorum, vt ſcribit ſanc.Bonauen.di.xxxviij.ar.ij.q.ij.lib.ij. Qui enim prima vocabula impoſuerunt, proprietates rerũ potiſsimè conſiderauerunt, iuxta illas vocabula impoſuerunt. In vſu autem vocabulorum imitandi ſunt auctores & ſancti, vt vult Gabriël. in primo lib. ſentent.di. xx.qu.vnica, nota iij. Et vt ſcribit Bruleſer qu.ij. diſtinction.iiij.libr.j. In diuinis ſunt triplicia vocabula. Quędam ſunt quę important omnimodam diſtinctionem, quędam verò omnimodam vnionẽ: alia verò partim important diſtinctionẽ, & partim vnionẽ. In diuinis nõ admittũtur vocabula quæ omnimodã importãt diſtinctionẽ, ideo illa nõ admittitur, imò eſt falſa, Deus generat alium Deum. Similiter vocabula omnimodam vnionẽ importantia

non admittuntur in dioinis: ideo illa eſt falſa: Deus genuit ſe: propter illum terminum ſe, qui importat omnimodam vnionem. Vocabula verò medio modo ſe habentia, quæ videlicet important partim diſtinctioné, & partim voionem, admittuntur in diuinis. Illo modo admittitur illa: Deus genuit Deũ. Hæc Stephanus Bruleſer.

Vocare Dei, eſt producere rem in eſſe. Vnde Sapien. 2. dicitur: Quomodo poſſet permanere, niſi tu voluiſſes? aut quid à te vocatum non eſſet, conſeruaretur? vbi vult Sapiens, nihil cooſeruari, niſi vocatum à Deo. Gabr. di. xxxvij. q. vnic. lib. ij. Vocat & nos Dominus ad ſe cõmonitione, afflictione, inſpiratione. Vnde Gerſ. part. ij. ſer. de verbis Domini: Venire ad me omnes qui laboratis. Tres, inquir, ſunt modi quibus à Domioo vocamur, & ad Dominum vocamur. Afflictio, cõmonitio, inſpiratio. Commonitio fit extrinſecus, inſpiratio auté intrinſecus, afflictio verò vtrobiq;. Afflictio tamé alia fit in rebus, alia in corpore, alia in mente. Afflictio in rebus eſt paupertas, afflictio in corpore infirmitas, afflictio in mente peruerſitas. De quibus ſingulis latiùs ibi ſcribit Gerſon.

Vocatio differt ab electione, ſecundum effectũ finalis gratificationis, vt ſcribit ſanctus Bonauent. diſtinct. xl. artic. ij. quæſt. ij. libr. j. Et quamuis hæc ſit ſignum certum ſimpliciter, tamen non eſt certum nobis: & ideo differt à vocatione, quia multis datur gratia, qui non perſeuerant: ideo dicuntur vocati, ſed oon electi. Et de his dicitur Mat. 22. Multi ſuot vocati, pauci verò electi. Et ſicut nullus eſt inueotus ſine ooere & labore, ita nullus pretermiſſus eſt abſq; vocatiooe, vt ſcribit Gerſon ſer. Venite ad me, &c. Omnes itaq; ſunt vocati, &c. ſcilicet populus Iudaicus & Gentilis, vir & molier, diues & pauper, religioſus & ſecularis, innocés & peccator, ſubditus & prælatus, cõtemplatiuus & actiuus, tentationibus carẽs, & tentationibus grauatus, idiota & literatus, ſanus & infirmus, ſenex & iuuenis, quos intelligit Gerſon per laborãtes & oneratos. Ita inexcuſabilis eſt omnis homo cuiuſcunque ſit ſectæ, conditionis, ætatis, ſexus.

Volitio quandoque generaliter accipitur pro omni actu voluntatis, tam affirmatiuo q̃ negatiuo, id eſt pro velle & nolle. Sic omnis intétio eſt volitio, & viceuerſa, &c. Gab. d. xxxviij. q. vnic. li. ij. Et vt dicit Holkot q. ij. primi, art. v. Videtur, inquit, quod omnis volitio vel nolitio eſt quædam oratio mentalis optatiui modi, vel æquiualens tali: ſicut iſta, Volo habere beatitudinem: valet tantũ ſicut hæc, Vtinam ego habeam beatitudinem, &c.

Volitio eſt duplex, vt ſcribit Bruleſ. d. xlvij. q. iij. ll. j. ſcilicet efficax, & remiſſa. Volitio efficax eſt illa, qua voluntati nõ ſolũ placet volitũ, ſed etiã ſi poteſt ſtatim ponit in effectũ. Volitio remiſſa eſt illa, qua volontati placet volitũ, non tamé intantũ vt ponat in effectũ, etiã cũ poſsit. Similiter nolitio eſt duplex, ſcilicet efficax, vt illa qua volontas nõ ſolũ odit nolitum, ſed etiã ſi poſsit omnino impedit & deſtruit ipſum, vt eſt reſpectu infirmitatis in probo Medico. Alia eſt nolitio remiſſa, & eſt illa qua voluntas odit nolitũ: ita tamen quod nõ deſtruit ſeu impedit nolitũ, vt eſt infirmus, qui poſſet ſibi prouidere de

remediis, & tamé non facit. Et permiſsio in nobis eſt nolitio remiſſa reſpectu alicuius mali, quod ſcimus fieri & nõ prohibemus dũ tamé poſſemus. Et ſecundũ hęc poſſet dici, quod permiſsio eſſet nolitio Dei remiſſa reſpectu peccati, quod nõ cohibet dum tamen poſsit. Bruleſ. Et ſecundũ Sco. volitio diuiditur in volitioné efficacem, & ſimplicem, ſeu conditionalem, diſtin. xlix. quæſt. x. li. iiij. in ſolu. argũ. Volitio efficax eſt reſpectu finis per media ordinata ad illum finem conſequendum. Volitio ſimplex ſeu conditionalis, eſt reſpectu alicuius finis non exequendo media ad illum finem conſequendum: ſed ſimpliciter appetitur finis ille, & vellet tendere in ipſum ſi poſſet, & obiectum eſſet ſecundũ ſe præſens. Primo modo non eſt volitio alicuius apprehenſi ſub ratione impoſsibilis, ſed tantũ ſub ratione poſsibilis. Exemplũ de ſanitate oſtenſa diuerſis infirmis. Secũdo modo poteſt eſſe reſpectu impoſsibilis, & maximè inteoſa: & in tali volitioné poteſt eſſe meritũ vel demeritũ, vt ſi aliquis appetat fornicari, quãdo ipſum impoſsibile eſt habere opportunitaté: & ſic damnati maximè volunt beatitudinem vt bonũ cõmodum, & fortè inteoſius q̃ nos in via, licèt eam apprehendãt vt impoſsibile eis, & maximè delectarẽtur in cõſideratiooe obiecti ſi dimitterentur. Et in hoc fortè habẽt maximã pœnã, quia ſic detinẽtur ab igne in cõſideratione ſua, quod non permittuntur cõſiderare Deum, vti eſt obiectũ naturalis beatitudinis, & etiam ſeipſos in quibus maximè delectarentur. Hæc Scotus.

Volitio reſtringẽdo eam ad volitioné Dei, poteſt ſumi vno modo (vt ſcribit Dom. Cardi. Came. q. xij. art. ij. lib. j.) largè ſeu cõmuniter, hoo quidé attendendo iſtam cõmunitatem ſecundũ multitudinem per ſe inferiorũ vel ſingularũ, quaſi ſint plures Dei volitiones, quoniã volitio Dei eſt ſimplex & vnica: ſed attẽdendo ſecundũ multitudiné volitorũ reſpectu quorũ dicitur volitio. Et ſic generaliter ſumẽdo reſpectu cuiuſlibet à Deo voliti, poteſt vocari volitio efficax ſeu beneplacitũ, &c. Alio modo poteſt ſumi minus generaliter ſolũ reſpectu futurorũ, & ſic poſſet vocari prænolitio. Alio modo reſpectu præſentis aut futuri: & ſic fortè ſumẽdo nõ ſunt nomina impoſita, quæ ſint in vſu. Alio modo poteſt ſumi ſpecialiter reſpectu eorũ, quæ dicũtur dona gratuita: ſicut ſunt fides, ſpes, charitas. Alio modo ſpecialius reſpectu eorũ, quæ dicuntur gratuita, nõ quæcuoq;, ſed iuſtificantia: ſicut charitas, vel gratia, vel gloria, & reſpectu talium poſſet vocari volitio gratuita vel beneplacitũ gratũ faciens. Alio modo ſpecialiſsimè reſpectu bonorum gloriæ, & talis poſſet vocari volitio æterna, ſiue dilectio æterna gratificatiua, non quia volitio. Alio modo ſumpta ſit temporalis, ſed ab effectu iſtius volitionis, quia Deus vult tale bonum, ſcilicet gloriæ in æternum manere: & talis volitio communiter vocatur prædeſtinatio. Hæc Aliacenſis.

Voluntas eſt appetitus boni cum ratione, ſecũdum Ariſtotelem libr. 1. Rhetor. Et voluntas completa non eſt niſi de poſsibili, quod eſt bonum volenti. Velleitas verò ſecundum quoſdam incompleta de impoſsibili: quia, ſcilicet aliquid vellet illud ſi eſſet poſsibile, ex ſancto Thoma prima ſecundæ quæſt. xiij. artic.

xiij.artic.v. Et nomen voluntas (vt ſcribit Gabriël diſt.xxxviij.quæſt.vnica,artic.j.libr.ij.) aliquando accipitur pro potentia appetitiua rationali, id eſt pro anima rationali, nata obiectum ſibi per rationem oſtēſum appetere vel refutare. Et ſic poteſt accipi Luc.1. Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis, id eſt voluntatis bene habituatæ. Aliquando accipitur pro actu appetitiuo, ſcilicet pro ipſo velle vel nolle. Sic dicitur 1.ad Timoth.4. Voluntas Dei eſt ſanctificatio veſtra, id eſt hoc vult Deus, ſiue hoc eſt velle Dei, ſanctificatio veſtra. Et Luc.12. Seruua qui cognouit voluntatem Domini ſui, & non fecit ſecundum voluntatem eius, vapulabit multis. Accipitur quãdoq; pro obiecto volito, vt ibi: Non mea, ſed tua voluntas fiat. Matth.26. Et voluntas quædam eſt increata & diuina, quædam creata & humana. Videamus primò de voluntate increata, poſteà de creata.

Voluntas diuina quandoque accipitur propriè pro diuina eſſentia, qua Deus vult aliquid fieri vel non fieri, & tunc ſignat diuinum beneplacitum, quod non eſt aliud quàm Deus volens, vt dicit Dominus Cardinalis Cameracenſis quæſt.xiiij. artic.j. libr.j. Alio modo impropriè, tropicè, vel metaphoricè, pro aliquo habente aliquo modo ordinem ad diuinam voluntatem: & ſic ſecundū Aliacenſem vbi ſupra ſupponit non pro beneplacito vel voluntate Dei, ſed pro aliquo alio, quod eſt eius ſignum. Et ſecundum hoc communiter diſtinguitur in voluntatem beneplaciti, & voluntatem ſigni. De qua plura videto Gabriëlem lect.lxviij.& lxix.canon. & diſtinct.xlvj. quæſt.j. libr.j. & diſtinct.xxxij. quæſt.ij.libr.j. dicit quod voluntas diuina eſt concors & mutua charitas ſiue dilectio, & amor iocundus & mutuus, communis patri & filio & ſpiritui ſancto. Nec plus diſtinguitur ab eſſentia diuina communi tribus perſonis, quàm eſſentia à ſeipſa, ſed ſunt idem omnibus modis. Hæc voluntas diuina, ſola eſt prima regula omnis iuſtitiæ, & eò quòd vult aliquid fieri, iuſtum eſt fieri, & eò quòd vult aliquid non fieri, non eſt iuſtum fieri. Vide ad hoc Cameracenſem quæſt.xiij. artic.ij. & Gregor. Item S.Thom.quæſt.j.de potentia, artic.v.& quæſt.iij.de creatione, artic.xv.& vj. Hæc voluntas diuina, vt ſcribit ſanctus Bonauentura diſtin.xlv. artic.ij.quæſt.ij.libr.j. eſt cauſa prima & vniuerſaliſsima & actualiſsima: ideo poteſt in totum effectum, & in totam rei ſubſtantiam etiam ſine adminiculo alterius cauſę, nec aliqua cauſa poteſt aliquid vel modicum ſine ipſa: & ideo neceſſe eſt quod ipſa ſit cauſa immediata in omni actione & re. De quo aliàs, &c.

Voluntas Dei diuerſimodè accipitur in ſcriptura. Vnde Magiſter libr.j. diſtinct.xlv. cap. vij. Sacra ſcriptura, inquit, de voluntate Dei variis modis loqui conſueuit, & tamen non eſt Dei voluntas diuerſa: ſed locutio diuerſa eſt de voluntate Dei, quia nomine voluntatis diuerſa accipit. Nam voluntas Dei verè & propriè dicitur, quæ in ipſo eſt, & ipſius eſſentia eſt. Et hæc vna eſt, nec multiplicitatem recipit. Hæc Magiſter. Vnde ſolet voluntas Dei diſtingui in voluntatem beneplaciti, & in voluntatem ſigni, Voluntas beneplaciti duplex eſt, ſcilicet, voluntas antecedens & conſequens. Voluntas ſigni quintuplex, ſcilicet, prohibitio, præceptio, conſilium, impletio, ſiue operatio. Permiſsio, hoc eſt, ille terminus voluntas aliquando idem eſt quod prohibitio. Quandoque idem ſignificat quod præceptum. Vnde patet quod hæc diſtinctio non eſt diſtinctio rerum, ſed eſt diſtinctio huius vocabuli voluntas, ſecundum diuerſas ſuas ſignificationes, quibus accipitur in ſcriptura, vt vult Magiſter. Et propriè accipiendo vocabulum voluntas, dicit ſolùm voluntatem beneplaciti conſequentem. De hoc legere potes latiùs Gabriëlem lect. lxviij.canonis. Occam diſtinct.xlv. libr.j. & Gabr.diſtinct.xlvj. libr.j. Dominum Cardinalem Camerac.quæſt.xiiij.lib.j.&c.

Voluntas Dei antecedens, non eſt aliquid in Deo quomodocunque diſtinctum à voluntate Dei conſequente: ſed ille terminus voluntas antecedens, eſt terminus connotatiuus, ſignificans multa, Deū, ſcilicet & creaturam. Et poteſt ſic deſcribi: Voluntas antecedens eſt voluntas diuina, dans alicui antecedentia ad cōſequendum aliquid cum præcepto & conſilio exequendi, ſine reuelatione contrarij parata ei coagere ſi velit. Et velle antecedenter, eſt ſeu dicit Deum dare antecedentia (hoc eſt neceſſaria) ad aliquod præceptum vel conſilium exequendū. Et Deus antecedēter vult omnes viatores iuſtè viuere, quia dat potentiam, intellectū, & affectum cum præcepto: nec ideo præcipit bona, quia bona ſint, vel prohibet mala, quia mala ſint: ſed ideo hęc bona ſunt, quia præcipiuntur: & mala, quia prohibentur. Item Deus non vult antecedenter aliquem peccare, quia nec præcipit nec cōſulit peccare. Item Deus non voluit Abraham antecedenter immolare filium, quia licèt dederit potētiam immolandi cum præcepto, tamen oppoſitum reuelauit. Item Deus vult præſcitos ſaluari. Pater diſcurrendo omnes particulas. Sed non vult dæmones vel damnatos ſaluari voluntate antecedente, quia non vult illis coagere ad opera meritoria, quibus conſequantur ſalutem, neque ſine meritis conferre ſalutem. Sed vult omnes viatores ſaluos fieri voluntate antecedente, quia dedit potentiam merendi cum præcepto, paratus coagere ſi velint, nec reuelat contrarium. De quo vide ſanctum Bonauent. diſt.xlvj. quæſt.j.lib.j. Vel vult omnes homines ſaluos fieri voluntate conditionata, ſi non peccauerint mortaliter, vel ſi pœnituerint. Poteſt autem illa auctoritas Apoſtoli 1.ad Timoth.2. Deus vult omnes ſaluos fieri, exponi de voluntate ſigni, vt intelligatur, vult, id eſt præcipit vel obligat vt omnes ſalui fiant. Si verò auctoritas exponitur de voluntate beneplaciti, poteſt intelligi de volūtate antecedente. Si exponitur de volūtate beneplaciti propriè dicta, debet intelligi, ſicut dicit Magiſt. id eſt nulli ſaluantur, niſi quos Deus vult ſaluari. Ideo orādus eſt vt velit, ſicut & illud: Illuminat omnē hominē venientē in hūc mundū. Poteſt etiā exponi nō ſecundū diſtributionē propriè dictā, ſed ſecundū diſtributionē accōmodam, ita quod ly homines diſtribuitur nō pro ſingulis generū, ſed pro generibus ſingulorum, id eſt de omni genere vult aliquos ſaluari, & de Græcis & Latinis, de Prælatis & ſubditis, & de omni gente. Ideo dicit Apoſtolus pro omnibus eſſe orandum.

orandũ. Ita ſcribit Domious Cardi. Camer. q.xiiij. ar.j.in fine li.j. Vide & Bona.d.xvj.q.j.lib.j.

Voluntas Dei beneplaciti cõſequens, eſt volũtas diuina ſibi efficaciter in eſſe alicuius cõplacens ipſum diligẽdo eſſe, aut producẽdo ſeu cõſeruando, hac volũtate immediatè fertur in volitũ: & ſic dicitur Deus velle omne poſitiuũ, ſine hac volũtate nihil fieri poteſt in mundo: quia (vt dictũ eſt) ipſa eſt prima & ſumma cauſa omniũ cauſabiliũ: & hęc voluntas beneplaciti cõſequens ſemper impletur. De hac enim dicitur in Pſal. Omnia quæcunq; voluit Dominus fecit io cęlo & in terra. De quo vide latiùs Gab. lec. lxviij. canon. & di.xlvj. libr.j. quia voluntas operis volẽs efficaciter aliquid, nõ poteſt impediri. Et talis eſt volũtas Dei beneplaciti cõſequens. Et hęc volũtas cõſequens dicitur à Doctoribus Pariſiẽ. abſoluta, qua, ſcilicet Deus aliquid efficaciter vult, quod nouit certitudinaliter euenire. Et illa neceſſe eſt vt impleatur, nec poteſt impediri. Et vt vult & ſcribit S. Bona.di.xlvij.q.j.li.j. Voluotas verò antecedens dicitur condirionata, qua Deus vult aliquid fieri quantũ eſt in ſe: ſi, ſcilicet creatura rationalis velit, & illa volũtas poteſt impediri: quia nõ quilibet elicit actũ meritoriũ, imò multi eliciũt actus demeritorios: & Deus dat cuilibet naturalia, quibus poteſt cõſequi actũ meritoriũ, & paratus eſt coagere cuilibet ad huiuſmodi actũ, & dat pręceptũ & conſiliũ, vt exequatur. Propriè autẽ loquẽdo, volũtas Dei nõ ſignificat niſi voluntatẽ Dei efficacẽ & æternã, quę impediri nõ poteſt. Sed q; accipitur pro volũtate antecedẽte vel ſigni, eſt ſecundũ metaphoricã & figuratiuã locutionẽ, vt dicit Magi.d.xlv. vt dictũ eſt, &c.

Voluntas ſigni eſt creatura aliqua ſiue effectus diuinæ volõtatis, ſignificãs vel manifeſtãs nobis diuinã voluntatẽ. Sępe enim ſigna nominãtur nominibus ſignatorũ, vt dicit Aliacẽ. q.xiiij. & Dominus Prępoſ. Gab. lec.lxviij. cano. ſicut eleẽmoſyna impenſa pauperi, vocatur miſericordia vel pietas. Sic teſtamentũ vocamus vltimã voluntatẽ, quia ſignum eſt voluntatis vltimæ teſtatoris. Sic etiã aliqua quibus nobis volũtas (quę Deus eſt) ſignatur, vocantur in ſcripturis diuina voluntas. Et huiuſmodi ſigna ſunt conſiliũ, prohibitio, operatio, vel impletio & permiſsio. Et dicũtur in ſcriptura pluraliter voluntates Dei. Iuxta illud Pſal. Magna opera Domini exquiſita in omnes volũtates eius, quãuis vnica & ſimplex ſit Dei voluntas. Huiuſmodi autẽ ſigna ſic diſtinguũtur, vt idẽ oſtẽdit Camerac. vbi ſup. Nã quinq; modis poſſum⁹ imaginari Deũ aliquid velle. Primo modo vult aliquid debere fieri à creatura, & huius ſignum eſt pręceptum. Secundo modo vult aliquid debere nõ fieri, & huius ſignũ eſt prohibitio. Tertio modo vult aliquid nec debere fieri, nec debere non fieri, ſed expedire fieri, & huius ſignũ eſt conſiliũ. Quarto modo vult aliquid nec debere fieri, nec debere nõ fieri, ſed licitè fieri, & huius ſignũ eſt indulgentia vel permiſsio. Quinto modo vult aliquid ſimpliciter eſſe vel fieri, & huius ſignũ eſt impletio vel operatio. Vnde qualibet ad extra Dei operatio eſt ſignũ voluntatis diuinæ, ſicut effectus ſuæ cauſæ, &c. Sic igitur voluntas diuina præcipit bona, ſicut Deũ honorare, proximũ amare: & phibet mala, ſicut Deũ odire, proximũ lędere; & cõſulit maiora bona, ſicut eſt virginitas, & paupertas: & permittit minora bona, ſicut ſunt coniugiũ, & dominiũ, ſed operatur generaliter omnia, &c. Hæc Do. Cardi. Cam. Et volũtas ſigni diuini in cœlo apparuit, vt creatura Angelica ſibi cõformaretur, dũ in mẽte Angelorum lux creata fuit, dictãs Deo obediendũ per omnia, à qua receſsit Lucifer & angeli eius, qui noluerũt ſubeſſe Deo, nec cõfirmari in volũtate diligendo Deũ. Secũdò apparuit in Paradiſo terreſtri, vbi à voluntate diuini pręcepti receſſerũt primi parẽtes. Tertiò in hac valle miſeriæ, qua recedũt à Dei præceptis & volũtate peccatores. Hęc Guil. Scoti imitator d.xlv. li.j. ſent. & Pelbar. Hæc autẽ volũtas ſigni etiã non ſemper adimpletur: quia nõ ſemper fit quod Deus præcipit fieri, nec ſemper nõ fit quod Deus prohibet ne fiat. Sed multa ſunt cõtra pręcepta & prohibitiones ac cõſilia, vt manifeſtũ eſt. Vnde Aug. in de ſpiritu & litera. Infideles, inquit, cõtra Dei voluntatem faciũt, cùm eius Euãgelio nõ credũt. Cùm ergo nõ impletur pręceptũ, nec volũtas ſigni. Voluntatẽ autẽ poſſe impediri à creatura, non eſt aliud dicere quàm homo nõ ſeruat præceptũ Dei, vel homo nõ viuit voluntati diuinę: homo nõ ſequitur diuinum conſiliũ. Ex quibus ſequitur, quod Deus nõ ſemper vult voluntate efficaci id quod vult volũtate ſigni, vel antecedente: imò quandoq; vult oppoſitũ, quia quod nõ fit, non vult efficaciter, ſed multa præcipit quę nõ fiunt. Patet etiã de oblatione Abrahę Iſaac, quẽ præcepit Abrahæ, & tamẽ eã noluit fieri. Vide latiùs Gab. in canone. & li. ſent. vbi ſupr. Et vt idẽ ait d.xlvj. ar.iij. lib.j. Nullum bonũ vniuerſi euenit præter voluntatẽ Dei. Nam omne bonũ fit ſecundum Dei voluntatẽ. Hinc eſt quod dicit Aug. iij. de Trinit. Voluntas eſt prima & ſumma cauſa omniũ ſpecierum, atque motionum. Nihil enim fit quod non de interiori atq; intelligibili aula ſummi Imperatoris egrediatur, ſecundũ ineffabilem iuſtitiam. Malum verò culpæ quantum ad formale euenit in vniuerſo pręter voluntatem Dei, quia reſpectu deficientię vel deformitatis mali culpę, Deus non habet actum voluntatis efficacem: ſicut nec natura vniuerſalis intendit monſtrum, nec ad hoc habet voluntatẽ, quia tunc nullo modo poſſet fieri actus aliquis deformis: & per conſequens fit præter voluntatem Dei, ita quod Deus non habet reſpectu eius actum poſitiuum, nec velle nec nolle, ſed non velle. Hæc eſt intentio Magiſtri diſt.xlvj. Vide latiùs Gabriẽlem vbi ſupr. Vnde illud dicitur fieri ſecundum voluntatem, quando euenit aliquid ſecundum determinationẽ volontatis per actũ volendi. Quãdo verò accidit quod eſt cõtra determinationẽ voluntatis per actum volendi, dicitur illud accidere contra voluntatem. Cùm autẽ fit hoc ad quod voluntas ſe habet, neutraliter dicitur fieri, non contra vel ſecundũ voluntatẽ, ſed pręter voluntatem. Hęc Gab. vbi ſup. Voluntatẽ autẽ aliquã impleri nõ eſt aliud quàm effectum voluntatis poni io eſſe ſi vult eum poni in eſſe, vel nõ poni ſi nõ vult eum poni. Et hoc poteſt eſſe dupliciter: quia poteſt velle eum poni à ſe vel ab alio, & tunc ſi ponatur à ſe (ſi vult eũ poni à ſe) impletur, aliter nõ. Similiter ſi ponatur in eſſe ab aliquo, à quo vult eum poni in eſſe, impletur, & aliter non. Eodẽ modo proportionabiliter poteſt dici de nolle etiã poni in eſſe à ſe vel ab alio.

alio. Gabriel diſtinct.xlvj. quæſt.ij. libr.j.&c.

Voluntas creata. Nomen voluntatis, vt ſcribit Gab. di.xvij.q.voic.ar.j.lib.iij. accipitur quãdoq; generaliter vel largè,pro quolibet appetitu,ſiue rationali,ſiue ſenſitiuo, ſiue naturali. Alio modo ſtrictè & propriè tantũ,pro appetitu libero qui ſequitur cognitionem intellectiuã,ſiue rationis. Vnde in homine tot pooũtur appetitus,quot potẽtię apprehenſiuæ. Et ita ſicut alia eſt apprehẽſiua guſtus,alia viſus,alia auditus, alia odoratus, alia tactus. Ita eſt alia virtus appetitiua propria huius, & illius. Alia quoque eſt delectatio propria conſequens hanc apprehenſionem,& illam.

Voluntas naturalis accipitur tripliciter, vt ſcribit Dominus Præpoſitus Gabr.d.xvij.lib.iij. Vno modo pro inclinatione naturali rei cuiuſlibet ad ſuam propriam perfectionem: & hæc inclinatio eſt ipſamet res: ſic dicitur quod materia appetit formã, & agens inclinatur ad agendum. Vel iſta inclinatio dicitur proprietas rei, vel forma accidentalis rei naturam cõſequens,& grauitas per quam graue mouetur deorſum vel ad locum ſuum naturalem. Iſta voluntas naturalis non diſtinguitur à voluntate libera in homine, licèt alia ratione dicatur libera, alia naturalis. Libera enim dicitur in ordine ad actũ elicitum, quem habet in ſua poteſtate. Naturalis, inquantũ nata eſt recipere perfectionẽ aliquã, aut receptam cõſeruare à contrario. Secũdo modo accipitur voluntas naturalis, vt diſtinguitur contra potentiam ſupernaturalẽ,& ſic voluntas naturalis ſiue in puris naturalibus exiſtens, eſt voluntas non informata donis gratuitis. Tertio modo accipitur voluntas naturalis pro voluntate eliciente, vel recipiente actum cõformem inclinationi naturali, quæ eſt ſemper ad commodum, ſiue illum eliciat liberè ſiue neceſſariò, ad oſtenſionem commodi.

Voluntas (vt notat Guil.Sco.imitator in primo di. x.) dicitur à volito, as. quia ſicut res quaſi ad animam veniunt, quãdo intelliguntur: ſic anima quaſi ad res volitat, quando hanc vel illam rem vult & amat. Vnde eſt illud Auguſt. Anima verius eſt vbi amat, quàm vbi animat. Voluntas autem (vt ſcribit Gab.diſt.xxiij.q.j.art.iij.dub.vij. li.iij.) nõ poteſt elicere actum aliquẽ circa obiectũ, niſi priùs per intellectũ apprehenſum & ipſi voluntati oſtenſum. Inuiſa enim amare poſſumus, incognita verò nequaquã, vt ait Aug.x.de Trin.ca.j. & ita nec habitus inclinare poteſt ad actũ voluntatis, niſi obiecto per actũ intellectus præſente, quo præſente inclinat voluntatẽ ad eliciendũ actum, non autẽ neceſſitat. Poteſt enim voluntas liberè elicere actũ ſecundum inclinationẽ habitus, vel cõtra: licèt vnũ delectabiliter, aliũ triſtabiliter, & cum quadã difficultate; &c. Voluntas ſecundũ Alexã.de Ales part.j.ſummæ.eſt vis cognoſcens, domina ſui actus. Et quod dicitur, vis cognoſcens, differt à parte ſenſitiua in quã non eſt cognitio propriè: licèt ſit aliqualis ſui obiecti perceptio. Per hoc autem quod dicitur: domina ſui actus, differt ab intellectu, qui merè naturaliter mouetur ex parte ſui in obiectũ ſuũ, nõ ſic volũtas ſeu noſtra, ſeu diuina, ſed liberè mouetur. Voluntas, vt ſcribit Brule.d.xvij.q.j.li.iij. eſt appetitus liber, vel eſt appetitus rationalis, & ſic volũtas nõ eſt in brutis: ſed quia eſt appetitus naturalis, qui præſupponit cognitionẽ io appetẽte, & eſt appetitus cognitiuus qui præſupponit cognitionẽ appetentis. Et hic eſt duplex, ſecundũ duplicẽ cognitioõẽ, ſenſitiuã & intellectiuã. Ideo etiam voluntas accipitur quandoq; largiſsimè, pro quolibet appetitu, vt ſcribit Gab.d. xxiij.q.vni.li.ij. ſiue ſit ſenſitiuus, ſiue rationalis, ſiue creatus, ſiue increatus, quo modo accipit Doctor ſubtilis in iij.di.xvij. vbi diſtinguit triplicẽ voluntatem in Chriſto, ſcilicet, voluntatẽ increatã, & voluntatem creatã rationalẽ, & appetitũ ſenſitiuum, quem quandoq; vocat voluntatẽ: hoc enim modo & vſus habet, quia dicimus: hic canis vult comedere cùm non habeat niſi appetitũ ſenſitiuum, vt inquit Scotus. Et ſic volũtas diuiditur (vt dicit Gab. vbi ſupra) in voluntatẽ naturalẽ ſenſitiuã, rationalem vel intellectiuã. Alio modo accipitur largè voluntas pro quolibet appetitu cognitiuo, vt & ſupra dictũ eſt: ſic dicit Magiſt. in iij.di.xvij.ca.ij. Humana volũtas eſt affectus rationis vel affectus ſenſualitatis. Et alius eſt affectus animæ ſecundũ rationẽ. Alius ſecundũ ſenſualitatẽ, vterq; tamẽ dicitur humana voluntas. Tertio modo accipitur propriè pro ſolo appetitu rationali ſeu intellectiuo; hoc eſt pro appetitu præſupponẽte cognitionẽ intellectiuã, & ſic diſtinguitur contra appetitũ ſenſitiuũ, & naturalẽ ad ſanũ intellectũ: quia illi appetitus in homine realiter nõ diſtinguũtur, licèt actus differãt: ſimiliter & rationes nomioũ. Gabr. Et ſecundũ Philoſophũ, potentiæ animæ rationalis principaliter ſeu primaria diuiſione, diuidũtur in cognitiuam quam Theologi intellectũ vocãt, & in motiuã quã Theologi affectũ nominãt. Tunc enim potentia animæ intellectus dicitur, quando eſt apprehenſiua: & voluntas dicitur, quãdo eſt motiua, vt ſcribit Gerſon in cõpend. Theo. de peccato veniali. Et vt idẽ dicit: Vis motiua animæ rationalis diuiditur per imperatiuã in conſiliatricẽ; in affectiuã, & in cõſiliatricem & affectiuã ſimul: prima eſt liberũ arbitriũ & ſinderesis, ſecunda eſt ratio, tertia eſt voluntas, quarta dicitur ipſe intellectus practicus: de quibus latiùs ibi ſcribit. Sed ſuis locis de his ſcripſimus. Voluntas verò quãdo eſt coniuncta appetitui ſenſitiuo: natã eſt cõdelectari ſibi, ſicut intellectus cõiũctus ſenſui natus eſt intelligere ſenſibilia. Et ſi volũtas multis ſenſitiuis appetibilibus cõiungitur, nata eſt condelectari illis omnibus. De quo latiùs legito Gabr. di.xxx.q.j.li.ij. Poteſt tamen appetitũ retrahere à ſuo appetibili, vt nõ delectetur in appetitu ſenſitiuo. Nihil enim eſt magis (vt inquit Aug.libr.iij.de lib.arb.) in poteſtate voluntatis quàm ipſa volũtas. Quod nõ eſt intelligendũ quo ad eſſentiã, ſed quo ad actũ elicitũ, quáuis (vt idẽ dicit in lib. de perfectione iuſtitiæ) voluntas noſtra nil boni agit niſi diuinitus adiuuetur. De quo aliàs, &c. Vnde voluntas humana varijs modis ad varia volẽda aut nolẽda inclinari & perſuaderi poteſt, quibus & ſi nõ neceſſitatur, nonnunquã tamen nõ niſi cum magna difficultate reſiſtit. Licèt enim naturaliter inclinatur ad bonũ, tamen frequenter ſeducitur, nunc errore intellectus operante malorũ ſatorẽ diabolo, nunc illecebra ſenſus, cui coniuncta naturaliter eſt inclinata, nunc terroribus aut blandimentis ſeculi circunſtantibus, quæ omnia ad malum trahunt. Quis

enim fraudes & fallacias ſpiritualium nequitiarum diaboli, ſcilicet mille artificis, eius quoque tentationes occultiſsimas poteſt deprehendere? qui ſe de pugna ſenſualitatis cōtinua ſuſtinere & à carnis inclinatione ſemper auertere? Quis tot uplices mundi laqueos euadere poteſt? Huc accedit quod peccato originali vulnerata eſt voluntas in ſua naturali potētia, ita q; licèt ſimpliciter ſit libera: tamē prona eſt ad malū ab adoleſcētia. Gen. 8. Propter hæc voluntas mutabilis eſt & inſtabilis, & ex peccati fomite infirma ac vulnerata prona ad malū, difficilis ad bonū. Hinc Apoſt. ad Rom. 7. Video aliam legē in membris meis repugnantē legi mentis meæ. Et ad Gal. 5. Caro cōcupiſcit aduerſus ſpiritū, & ſpiritus aduerſus carnē. hęc enim ſibiinuicē aduerſantur, vt nō quęcunq; vultis illa faciatis. Vide ad hoc pulchra & notanda: Gab. d. xxviij. ar. iij. dub. ij. li. ij. ideo vt ipſe cōcludit: Deus orandus eſt in omnibus operibus noſtris, vt rationē illuminet ne erret, voluntatē refrænet ne rationi diſſentiat, &c. Vide latiùs ibi.

Voluntas rationalis poteſt dupliciter ſumi, vt ſcribit Gab. d. xxiij. q. vnic. li. ij. Vno modo, vt includit eſſentialiter libertatē, id eſt vt ſupponit pro intellectiuo appetitu, connotando eū eſſe liberū ad oppoſita cōtradictoriè, ad bonū, ſcilicet, & ad malū. Alio modo vt includit libertatē, ſed duntaxat præſupponit rationē cognoſcentē, ſiue ſit determinata ad ſequendū rationis iudiciū, ſiue nō. Vnde licèt volūtas non poſsit in actū, niſi prius obiectū ſibi oſtendatur per rationē. Non enim poteſt in incognitū, non tamen cogitur ſe conformare iudicio rationis, imò poteſt actū elicere ad oſtenſionē obiecti per rationē cōtra dictamē rationis, accipiendo voluntatē propriè, vt includit libertatē. Deus nō poteſt facere voluntatē impeccabilē per naturā. Probatur auctoritate Hieron. de filio prodigo: Solus Deus eſt in quē peccatū cadere nō poteſt. Et Aug. li. iij. cōtra Maximū: Cuicunq; rationali creaturæ præſtatur, vt peccare non poſsit, non eſt hoc naturæ propriæ, ſed Dei gratiæ. Anſel. Cur Deus homo, li. ij. ca. x. reſpondens diſcipulo quęrēti, cur Deus nō potuit facere naturā impeccabilē per naturam? Dicit, quia nō potuit facere Deū. Probatur & ratione. Omnis volūtas quę non eſt regula ſua in agēdo & operando, nec neceſſario ſe cōformat regulę inobliquabili, poteſt peccare per naturā: ſed omnis voluntas creabilis libera contradictoriè ad bonū & ad malū eſt talis: ergo omnis voluntas creabilis eſt peccabilis per naturam. Vt & probat Gabr. vbi ſupr. art. ij. Accipiēdo autē voluntatem, vt nō includit eſſentialiter libertatē (quæ dicta eſt) ſed pro appetitu rationali, id eſt pro appetitu præſupponēte cognitionē intellectiuā ſimpliciter, Deus poteſt facere voluntatē per naturā impeccabilē. Probatur, quia Deus poteſt creare voluntatē neceſſario ſe conformantē regulæ ſuæ, & talis non poſſet peccare. Volūtas enim faciēdo id ad quod eſt neceſſario determinata, nō peccat. Siquidem nemo peccat in eo quod vitare nō poteſt, & Deus creare poteſt appetitū rationalē, qui nō poteſt declinare à iudicio rationis. Vnde Magiſt. di. xxiij. lib. ij. dicit: Concedimus quidē meliorem naturā, quę omnino peccare nollet, id eſt velle nō poſſet, quæ reſponſio præſupponit talem naturā eſſe poſsibilē: nec includit contradictionē eſſe voluntatē neceſſario determinatam ad dictamen rectæ rationis, & talis per naturam peccare non poſſet. Sed omne quod non includit contradictionem, Deus poteſt creare; vide latiùs Gabrielem concluſ. ij. vbi ſupra.

Voluntas deliberatiua (vt ſcribit Gab. di. xvij. q. ij. lib. iij.) eſt ipſa potentia rationalis volitiua, inquantum eſt domina ſuorū actuum, quæ, ſcilicet ſecundum quod liberè elicit actum volēdi, vel nolendi, amandi, vel odiendi, & penes iſtam reſidet peccatum, vel meritum vel demeritum. Vnde Bern. Tolle volūtatem, & infernus nō erit. Et (vt ſcribit Iacobus de Valēt. ſuper illud Pſal. 81. Neſcierūnt neq; intellexerunt, in tenebris ambulant) voluntas hominis tenet mediū inter voluntatem Dei & diaboli, ratione cōſultationis & electionis. Nam voluntas Dei eſt omnino immutabilis in ſua electione, cùm nō indigeat cōſultatione, eò quòd ſua duratio ſit interminabilis, & tota ſimul: & ſic omnia videt & prouidet ſimul: & ſic peccare nō poteſt, Sed quia voluntas diaboli non elegit ſine præuia cōſultatione, ideo per totā morā conſultationis potuit errare in ſua electione, dum fuit viator, ſecundū quod fuit mutabilis ad vtrumlibet. Sed poſtquā ſemel elegit, manſit immutabilis in ſua electione. Et ideo boni Angeli fuerunt confirmati in gratia poſt electionē, & mali manſerunt obdurati, & irreuocabiliter obſtinati in peccato ſuo. Et illud peccatum eſt eis irremiſsibile: ſicut eſt in eis irreuocabile, eò quòd peccauerunt in termino ſuæ vitæ. Sed quia voluntas hominis tenet medium inter voluntatem Dei & Angeli, ideo eſt mobilis poſt electionem: ſicut ante ad retractandū quod elegit, & eligendum oppoſitum bonum vel malum, quia tota vita hominis eſt via vſq; ad terminum mortis, vt poſtea dicetur: & ſic nunquam peccat in termino vſq; ad mortem incluſiuè. Et ſemper peccatum eius perpetratum in vita eſt remiſsibile. Et ideo peccatū primorū parentum fuit remiſsibile, quia peccauerunt in via. Et ſic peccatum cuiuſlibet Chriſtiani eſt remiſsibile vſq; ad mortem excluſiuè, eò quòd vſq; ad illū terminum comitatur ipſum gratia Chriſti in virtute rationeque characteris quē accepit in baptiſmo. Secùs autē eſt de Iudęis, vt ibidē oſtendit Epiſ. Chriſtopolitanus.

Voluntas eſt duplex, ſcilicet abſoluta & conditionata (vt notat Brulefer di. l. lib. iiij. q. j.) Abſoluta eſt, quandò aliquis actu vult aliquid, vt velle fornicari ſimpliciter, vel furari etiam abſque conditione. Voluntas verò conditionata eſt, quandò quis vult aliquid cum conditione, vt ego bene vellem furari, ſi Deus non prohibuiſſet: ego bene vellem manere de Matutinis, ſi ego non punirer. Et hęc dicitur voluntas mala, de qua & S. Bonauen. diſt. eadem vlt. art. j. q. j. lib. iiij. Et in damnatis pœna infernalis aufert à voluntate ipſorum actum volendi peccare, ſiue voluntatem abſolutam peccandi, vt ſcribit Brulefer vbi ſupra: quia reuera damnati non appetunt luxuriari nec ſuperbire, & hęc propter pœnas, quas ſe ſentiunt ex hoc incurriſſe, tamen habitu & voluntate conditionata vellent peccare. Vnde bene vellent luxuriari ſi non eſſent puniti, vel crederent ſe puniri: & hæc eſt opinio S. Bonauen. vbi ſupra. ſed non tenetur à modernis Doctoribus: Nam dicunt, quod ſicut ſancti continuè laudabunt Deum: ita

damnati

damnati continuè blaſphemabunt Deum, & non ſolùm vellent peccare, ſed actu peccabunt, & etiam erunt obſtinati in peccato, ſecundum illud Pſalm. Superbia eorum qui te oderunt, aſcendit ſemper. Et licèt ſemper peccent, tamen non demerentur, ſed illa voluntas peccandi eſt eis pro pœna, ſecundum illud Apocal. Qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc. Item bene vellent damnati ſe nõ peccaſſe, nõ quod peccatũ eis diſpliceat, quia iniuſtũ & cõtra Deum, ſed quia diſplicet eis pœna pro peccatis eis inflicta. Vnde dæmon bene vellet non ſuperbiſſe, & Iudas prodidiſſe Chriſtum, & in hoc concordant Doctores cum Bonauent. Et vt ſcribit Paulus Corteſius lib.iiij. ſuarum ſententiarum d.xj. Nequiſsimorum reorum, inquit, nefaria voluntas oſtenditur in hoc. Nam primũ eos dicimus orcum velle humano genere compleri, proboſque omnes dæmonum carnificum animaduerſione ſempiterna vexari; eodemque modo illis odioſum eſſe Deum. Cumque primus naturæ motus finis vniuerſi appetitio ſit, eam ob cauſam putandum eſt ab his ſuapte natura finem vniuerſum experi. At cùm extremum & vltimum felicitas dicatur, manifeſtum eſſe poteſt, ab hoc perditorum hominũ grege felicitatem experi, ſed ita eam appetitioné leuem & imbecillem eſſe dicimus, vt magis cumulãdarum ærumnarũ, quàm conſolandi cauſas afferre videatur, cùm appetitio eius opinati boni, quod adquiri nullo modo queat, angor ſit potius & ærumna expetentis, atq; etiam intelligendũ eſt eas adeptæ ſcientiæ reminiſci poſſe: propterea quod impetratorum ſcelerum meditatione, ac in acerbiſsima animaduerſione ponderanda verſentur: & tamen cogitationes ad prætermiſſorum præclarorum munerum memoriam traducant, tum bonorũ genera expendant, quibus ſe priuatos eſſe intelligant: quæ amara meditatio acrius mœrorum, miſeriarumq; luctum exagitat. Et cùm omnia ærumnarum genera complectantur, tamen nihil acerbius ex omni calamitatum genere ferunt, quàm quòd à parente rerum Deo contuendo arcentur. Hæc Corteſius.

Voluntas peccans eſt voluntas mala, quæ poteſt ſe habere ad rationem tripliciter. Aut quia elicit actũ peccati cõtra rationis dictamé, ſiue rectũ ſiue erroneũ, ſit ratio culpabilis ſiue nõ, aut elicit actũ præter dictamé rationis, aut elicit actũ ſecundũ dictamen rationis errore vincibili. In primo eſt grauiſsima temeritas & cõtemptus cùm ratio dictat, & volũtas regulã ſuã cõtemnit. In ſecũdo minor eſt temeritas & cõtemptus pro quanto nõ facit cõtra dictamé. Eſt tamé in hoc cõtemptus & præſumptio volũtatis quod agit incõſulta ratione. In tertio eſt minima temeritas & cõtemptus, quia agit ſecundũ dictamé rationis. In hoc auté eſt cõtemptus, quia nõ præcipit rationi vt ſufficiẽter ſe informat de omnibus neceſſariis circũſtantiis. Vide latiùs Gab. vbi ſupr. Illa autem voluntas, quę minus peccato grauatur, liberior eſt illa, quæ grauibus opprimitur ſceleribus. Vnde volũtas liberior (vt ſcribit ibidé Gabr. di.x. q.ij. ar.iij. dub.j. li.j.) eſt voluntas cõfirmata in bono, non reſpectu illorũ actuum ad quos neceſſariò determinatur, ſed reſpectu aliorũ actuũ. Nam voluntas non potens peccare, eſt liberior, non ad peccandũ, ſed ad actus bonos, quia minus impedita per ſeruitutẽ peccati, alioquin ſi neceſsitas cui adiicitur volũtas, augeret libertaté, etiã volũtas damnati eſſet liberior. Nõ ergo intẽdunt ſancti quod volũtas reſpectu illius actus ad quẽ neceſſariò ſe habet liberè operetur, ſed voluntas beati ſit libera ſimpliciter & liberior q̃ prius, ex eo minus poteſt impediri in executione malorũ actuũ à cauſis extrinſecis quàm in via propter illã confirmationé in bono. Poterat etiã prius cogi ad actus indecẽtes imperatos: nunc verò cogi nõ poteſt. Facit ad hoc dictũ B. Aug. v. de Ciuit. Dei, ca.x. vbi vult, quod ſicut minus dicitur Deus omnipotens, quãuis nõ poſsit mori nec falli, Ita nõ minus dicitur volũtas libera, quãuis neceſſariũ ſit eã velle quod vult. Neceſſe, inquã, neceſsitate ineuitabilitatis, ſed nõ coactionis. Sic enim voluntas cogi nõ poteſt. Voluntaté auté cogi dupliciter poteſt intelligi, vt ſcribit Gab. d.xxv. q.vnic. li.ij. Aut impediẽdo ab actu ne velit, aut cõpellendo ſeu neceſsitãdo, vt velit. Alio modo intelligitur voluntaté cogi, vt inuitè velit vel nolit. Simpliciter voluntaté cogi ad actũ volendi, cõtradictio eſt (vt dicit Scotus d.xxix. li.iiij.) Et voluntas coacta nunquã ſufficit ad faciendũ bonum (vt habet S. Bona. di.xxix. q.j. li.iiij.) Nec etiam ad contrahendũ matrimoniũ, pro eo quod Dominus voluit hoc ſacramentũ contrahi per cõſenſum liberũ, nõ coactum.

Voluntas. Differũt voluntaté induci, & voluntatem mutari, & voluntaté cogi (vt ſcribit Gab. di.xxv. q.vnic. ar.iij. dub.j. lib.ij.) voluntas inducitur perſuaſione, qua inclinatur ad aliquod, ad quod nõ inclinaretur niſi perſuaſa. Mutatur quãdo ſit de voluntate nõ volẽs, aut ecõuerſo, vt cũ Deus de amatore temporaliũ, facit contemptoré eorũ. Cogitur, dũ inuita aliquid vellet, id eſt dũ repugnãte actu ſuæ voluntatis, ad oppoſitũ compelleretur. Et quãtum ad actus imperatos volũtas cogi poteſt, non tantum à Deo, ſed etiã à creatura. Certũ eſt enim quod quis poteſt nolens trahi ad Eccleſiã, & ſimilia. Et Chriſtus ad Petrũ Ioan. vlt. Cũ ſenueris alius te cinget, & ducet quò nõ vis. Quantũ verò ad actus elicitos induci poteſt, & timore vel permiſsione mutari, & ab actu elicito recedere, & oppoſitũ eius velle. Hęc patent per experientiã: poteſt & per diuinã immiſſioné, & illuminationé, ac ſpiritusſancti ſpecialé motionem, gratiæq; infuſioné recedere à vicioſis volitionibus, & elicere bonas. Et hæc dicitur tractio diuina, quãto ſic voluntas diuino adiutorio ſeparatur ab his, quibus per amoris glutinũ fortiter adhæſit, & æternis incipit adhærere. Sic dicit B. Bernar. hoc intẽdit Deus cũ terret aut percutit, vt faciat volũtarios, nõ ſaluat inuitos: quatenus dum ſe de malo in bonũ mutat, voluntaté trãsferat in libertaté. Poteſt & volũtas libera cogi à Deo, vt nõ poſsit velle obiectũ volubile, quia poteſt annihilari, poteſt & ab ea rationis vſus tolli. Ité poteſt Deus nõ cõcurrere coagẽdo ad eliciendũ volitioné: & ita ſuſpẽdere & voluntaté ab eliciẽdo, ſicut omné potentiã creatam actiuam concurrendo ſe cùm ſuſpendit ab actione ſua. Omnia enim hæc indubia ſunt Chriſtiano. Cũ enim nulla cauſa ſecunda poteſt agere niſi coagente prima. Prima verò cauſa agit cõtingenter ad extra, ideo poteſt nõ coagere, & ita voluntaté à ſuo actu impedire, ſiue eã ſuſpẽdere, quod eſt cogere vt non agat, ſeu vt non liceat. Gabriël vbi ſupra. Articulus

quoq; fidei arctat, id eſt cogit vel trahit nos ad credendũ. Vnde Gerſ. in cõpend. Theol. de artic. fidei. Quãuis, inquit, in volẽdo & cõſentiendo nõ poſſit volũtas cogi, quia quo ad hoc eſt libera, poteſt tamen allici & trahi in cognoſcẽdo: quoniã ſi intellectui bene diſpoſito infundat ſe veritas ipſum intellectũ illuminãs, neceſſe eſt veritatẽ cognoſcere, & per cõſequens allicere, & tunc trahitur ad conſentiendũ agnitę veritati. Vnde Aug. Herba trahit ouẽ, hoc modo arctat nos articulus ad credendũ. Vnde quidã, arctãs, id eſt trahẽs. Et part. iij. idem Gerſ. in Centilogio de impulſib. decad. iiij. ait: Diuinus illapſus etſi nõ poſſet cogere liberũ arbitriũ, vt liberũ eſt, quoniã hoc implicat contradictionẽ, vt idẽ fiat violẽter & nõ violenter: poteſt tamẽ inducere neceſſitatem ad illud, quod ſi placuerit, vt de anima non voluntaria, poteſt reddere ſpontaneam, docuit hoc Pauli conuerſio.

Voluntas pietatis eſt quo quis alteri compatitur, & hac volũtate pietatis poſſumus quandoq; velle oppoſitũ illius, quod Deus vult, vt vult Tho. ac Bona. & Guil. Scoti imitator. Vnde Aug. in Enchir. dicit: Aliquãdo homo bona volũtate vult, quod Deus nõ vult: hoc intelligendũ eſt volũtate pietatis pręcipuè. Hinc Iere. lib. Thre. dolebat ex pietate deſtructionem Hieruſalẽ, quã tamẽ Deus volebat. Et Dominus Ieſus pietate humanitatis flebat ſuper Hieruſalẽ, quã tamen volũtate deitatis deſtrui volebat. Iſto modo etiã ſancti aliquoties inter ſe volũt oppoſita. Nã Act. 21. Paulus volebat in Hieruſalẽ alligari pro nomine Ieſu, & diſcipuli nolebãt, & nõ erãt cõformes Deo. Iſto modo etiã B. Virgo nolebat & flebat mortẽ filij ſui cũ maximo cordis dolore, quã Deus volebat: in quo & ipſa ſe conformabat. Non enim eſt dubitandũ quin ratio cõſtantiſſima vellet eundẽ pati pro ſalute generis humani, vt per omnia cõformiter vellet Deo patri, &c. & hoc voluntate rationis deliberatæ, ita & ſancti patres voluerunt. Sic bonũ eſt cõdolere Chriſto paſſo, & piè affici. Sic & nos voluntate pietatis triſtari debemus de paſsione Chriſti. Et ſic afficiũtur viri ſancti, qui gratias agũt de paſsione Chriſti, & cõmouentur ad dolorẽ & fletũ cõpaſsionis in cõſideratione vulnerũ & dolorũ Chriſti. Eſt & alia volũtas in nobis, ſcilicet rationis deliberatiuę, & hac tenemur velle, quod Deus vult, quia recta ratio dictat, vt Deo ſubiiciamur. Eſt & alia in nobis voluntas, ſcilicet charitatis, id eſt, charitate informata, & hac tenemur conformari. Iſtis modis Chriſtus mortẽ ſuã volebat, ſicut & mater eius, licèt volũtate ſenſualitatis oppoſitũ volebat, ſi tamẽ Deus vellet: & ſic debem⁹ & nos. Pelbar. &c.

Voluntas creata tripliciter poteſt ſe cõformare voluntati diuinæ, ſcilicet in volito, volendo, volitũ. In actu, ſcilicet volẽdi, volẽdo id q̃ Deus vult ipſum, ſcilicet ex charitate velle. In modo, quia eodẽ modo vult, quo Deus vult: de quo vide plura apud Gab. lec. lxviij. & lxix. cano. & di. xlviij. q. vnic. lib. j. & S. Bona. eadẽ di. per plures quęſtiones. Vnde breuiter quilibet tenetur ſe conformare voluntati diuinę, ſigni præceptiuæ vel prohibitiuæ habitualiter ſibi notæ. Prohibitiuæ ſimpliciter, præceptiuæ pro loco & tempore: ſed nõ tenetur ſe cõformare voluntati ſigni, quæ eſt conſiliũ. Itẽ tenetur ſe cõformare voluntati diuinę volẽdo id quod vult eã velle volũtate beneplaciti vel pręcepti: ſecùs de volũtate cõſilij. Dom. Cardi. Came. q. xiiij. ar. ij. li. j. de cõformitate voluntatis creatę ad diuinã, ponit tres concluſiones. Prima eſt quod voluntas creata ſic, tenetur ſe voluntati diuinæ beneplaciti vniuerſaliter conformare, vt velit vel nolit quicquid Deus tali voluntate vult eum teneri velle. Secunda eſt, quod voluntas creata non ſic tenetur ſe voluntati diuinæ beneplaciti vniuerſaliter conformare, vt velit quicquid Deus vult tali volũtate, vel quicquid ipſe vult eum velle. Tertia eſt quod volũtas non ſic tenetur ſe voluntati diuinæ beneplaciti vniuerſaliter cõformare, vt velit quicquid ſcit, aut videt tali voluntate Deũ velle. Has cõcluſiones diffuſe probat Aliac. Id verò tenemur velle, quod Deus vult nos teneri velle: de quo apud Theol. multa legere potes, de quo aliàs plura ſcripſimus ex aliis. Et ſi Deus velit aliquid: vtputa, patrem tuum mori, vel tibi non dare gloriam, tamen tu non es obligatus illud velle: quamuis etiam ſcias Deum illud velle: quia tale velle non eſt lex obligans, vt ait Cardinalis vbi ſupra. Nec quis tenetur credere quod damnabitur, etiam ſi reueletur à Deo, non tenetur credere, quod illud ſit ſibi reuelatum à Deo, ſed quod ſit illuſio, vel quod ſit conditionalis & non abſoluta reuelatio. Quia propter nullius præceptum tenetur agere contra legem Dei, & non credere maximè, vbi illud non eſt diſpenſabile: quare & licet, imò tenetur orare pro ſua ſalute, & velle ſe eſſe ſaluandum, quia ex tali reuelatione non abſoluitur à priore obligatione, nec pòſt minus tenetur ad præcepta Dei de dilectione ſui, & oratione quàm prius. Hæc Aliaceñ. Videatur ad hoc Gabriël lectione lxviij. canon. & Occam diſtinct. vltim. libr. j. ſenten. & plura aliàs. Eſt autem maxima conformitas voluntatum cum diuina in beatis, vt ſcribit idem Gabr. aliàs.

Voluntas dicitur contingenter cauſare. Vnde voluntatem contingenter cauſare (vt ſcribit Gabriël diſtinct. xxxviij. quæſt. vnica, libr. j.) eſt quod liberè ſine omni variatione ſibi vel alteri adueniente, & non per ceſſationem alterius cauſę poteſt ceſſare ab actu in alio inſtanti. Non ſic eſt de cauſa naturaliter agente, quia cauſa naturaliter ſemper agit, niſi ipſa mutetur, vel aliqua nouitas ſiat circa ipſam, vel quia aliqua cauſa correquiſita ceſſat cauſare, & ſimilia. Sed omnibus illis æqualiter ſe habentibus volũtas ſua propria libertate poteſt ceſſare ab actu, non in eodem inſtanti quo agit, ſed in alio: nihilominus in eo inſtanti quo cauſat, contingenter cauſat, & non neceſſariò, non quod habeat potentiã ad oppoſita in eodẽ inſtanti: ita quod poſſit in eodem inſtanti cauſare & non cauſare, ſed quia in inſtantĩ quo cauſat, habet potentiam ceſſandi, & non cauſare pro alio inſtãti cęteris omnibus paribus, & hoc eſt cõtingenter cauſare, & nihil aliud. Et ita nunq̃ eſt potentia ad oppoſita ſine ſucceſſione. Gabriël.

De volũtate Chriſti. Et quia in Chriſto ſunt plures naturæ intellectuales: videlicet, diuina & humana, neceſſe eſt in Chriſto plures eſſe voluntates, vt ſcribit S. Bona. d. xvij. q. j. & iij. li. iij. Et ſecundũ quod voluntas tripliciter habet conſiderari, aut ſecũdum naturalẽ voluntatẽ, aut ſecundũ potentiã per quam

quis vult, aut ſecundũ modũ volendi, ſecundũ hoc tripliciter diuiditur voluntas in Chriſto. Duplex enim eſt in Chriſto volũtas, diuina, videlicet & humana, ſecundũ duas naturas, & hoc ſecundũ cõſiderationẽ, quo ad naturã. Si autẽ conſideretur volũtas ſecundũ potentias per quas quis vult, ſic tripliciter diuiditur. Nam in Chriſto fuit potẽtia diuina, & potẽtia rationalis creata, & potẽtia ſenſitiua, per quarum quãlibet in actũ volendi exibat, ſic diuidit Magiſter in textu. Per comparationẽ autem volũtatis ad modũ volẽdi, habet multiplicari volũtas in Chriſto. Sic cõſiderauit Magiſter Hugo voluntatẽ Chriſti, cùm eam per quatuor membra diuiſit. Ait enim ſic: In Chriſto fuit volũtas diuinitatis, & volũtas rationis, & volũtas pietatis, & volũtas carnis. Voluntas diuinitatis per iuſtitiã ſententiã dictabat. Voluntas rationalis per obedientiã veritatẽ approbabat. Voluntas pietatis per cõpaſsionem in malo alieno ſuſpirabat. Voluntas carnis per paſsionem in malo proprio murmurabat. Et in Chriſto fuit voluntatũ cõcordia & cõſonantia (vt idẽ ſcribit S. Bonauen. & concordat Brulef. di. xvij. q. iij. lib. iij.) Quamuis ex parte volũtatis nõ eſſet identitas, quia vnaquæq; volũtas, quod ſuũ erat voluit, ſecundũ diuinam voluntatẽ (vt dicit Magiſter Hugo) quod iuſtũ erat voluit, ſecundũ voluntatẽ rationis iuſtitiæ, conſenſit & iuſtitiã approbauit: ſecundũ autẽ voluntatem pietatis ſiue odio intimè cõdoluit miſeriæ, quemadmodũ ſecundum voluntatẽ carnis iuſtitiã nõ accuſabat, ſed pœnã recuſabat. Et licèt diuerſa eſſent volita, voluntates tamẽ in Chriſto habuerunt conſonantiã. Vide latiùs ibi S. Bonauen. & per conſequẽs voluntates in Chriſto nõ fuerunt repugnãtes; nec humana voluntas diuinæ, nec ſenſualis rationali, alioquin ſequeretur in Chriſto fuiſſe peccatũ tranſgreſsionis & vitiũ corruptionis. Et quando Chriſtus orauit: Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. In quo verbo inſinuatur voluntas in Chriſto. Vna, videlicet rationis, quæ erat ſimilis & ſubiecta diuinæ voluntati. Altera verò ſenſualitatis, quam ratio ſubiiciebat voluntati diuinæ: licèt ipſa ſenſualitas cõtrarium appeteret. Et ita quãuis non erat ſimilis, erat tamen ſubiecta, ac per hoc non erat contraria. De hac etiã volũtate ſcribit idem S. Bonauen. d. xlviij. ar. ij. q. ij. lib. j. Et non parũ multa Gabr. di. xvij. q. vnica, lib. iij. qui cæteris eſt clarior: videatur de hoc Iacobus de Valentia ſuper illud Pſal. 21. Quoniam tribulatio proxima eſt, &c. qui perpulchrè notat & ſcribit de voluntate Chriſti, & quomodo diuinæ ſemper fuit conformis. Vide eum ſi placet.

Voluntarium dicitur quod eſt ſecundum inclinationem voluntatis. Et hoc dupliciter, ſcilicet ad agendum & patiendum: ex beato Tho. j. part. q. lxxxij. art. j. Et voluntariũ eſt duplex (vt ſcribit Gabr. di. xv. q. iij. ar. j. lib. iiij.) Eſt enim voluntariũ ſimpliciter, & quandoq; ſecundũ quid, ſiue ex conditione, vt patet 3. Ethic. & per oppoſitũ de inuoluntario. Vnde ablatio rei eſt ſimpliciter inuolũtaria, & quãdoq; ex cõditione, quia nollet eam fieri ſi prohibere poſſet ſine maiori damno, vt dum ſubditi patiuntur oppreſsiones à ſuis dominis iniuſtas, &c. Et ſecundum Alexan. de Ales part. ij. q. cxxv. membro j. & poſt eum ſcribit Gab. lect. lxxviij. canonis. Voluntarium ſimpliciter eſt, quod eſt à voluntate ſecundum quid: ſeu interpretatiuè eſt illud quod oritur voluntate cõcomitante nõ prohibente vel præcauente, dum præcauere potuit: ſicut ſubmerſio nauis ex negligentia nautæ dicitur quodammodo & interpretatiuè voluntaria. Similiter quædam peccata omiſsionis purè pro eo quod voluntati talia imputantur. Et hoc modo multa venialia ſunt voluntaria. Omne enim peccatum actuale eſt voluntarium. Mortale eſt voluntariõ ſimpliciter, veniale autem eſt voluntariũ ſimpliciter, ſicut illud, quod fit ex deliberatione, vt mendacium iocoſum. Aut ſecundum quid & interpretatiuè, ſicut quod fit ex ſurreptione. Et ſecundum ſanctum Bonauenturam diſt. xlj. lib. ij. circa tex. Nouem ſunt gradus voluntarij ſecundum quos peccata dicuntur, ſecundum plus & minus. Primò enim & principaliter dicitur voluntarium, quod eſt à voluntate, nullo inclinante, nec exterius, nec interius: ſicut fuit peccatum Luciferi voluntarium. Secundo modo voluntarium dicitur, quod eſt à voluntate aliquo ſuggerente exterius, ſed nullo inclinante interius: & ſic fuit peccatum primi hominis voluntarium. Adam enim (inquit Bruleſer) voluntaria tranſgreſsione corrupit ſe & totam poſteritatem. Tertio modo dicitur voluntarium, quod eſt à voluntate, aliquo tamen inclinante interius & exterius, & ſic eſt peccatum mortale quod aliquis perpetrat ex deliberatiõne & intentione poſt lapſum naturæ. Omne autem peccatum oritur à volũtate (inquit Bruleſer.) Vnde mala voluntas eſt cauſa omnium malorum, vt vult Gerſon ſermone facto in die circuncisionis Domini, conſiderat. iiij. vt ſublata mala voluntate, nos adiutores gratiæ Dei ſumus, qui piis conatibus nõ deerit. Vide eundẽ Gerſ. ſer. facto corã concilio Conſtantienſi de mala voluntate quæ mala pariat & eundẽ de ſenſu literali ſacræ ſcripturæ de cauſis errorum. Quarto eſt aliquid voluntariũ, quod eſt à voluntate non mouente ad illud directè, mouente tamen illud ex conſequenti: ſicut eſt peccatũ omiſsionis, quo quis omittit ad matutinũ ſurgere, quia voluntariè ſe inebriauit. Quinto modo aliquod eſt voluntarium, quod eſt à voluntate non manẽte ad illud directè, nec appẽtente, ſed aliud refugiente, ſic eſt peccatũ quod homo facit mortis timore. Sextò modo eſt aliquid voluntárium, quod eſt à voluntate non plenè idem quod agit cognoſcente: & ſic peccatũ ex ignorantia, dicitur voluntariũ. Septimò modo dicitur aliquid voluntariũ, quia conſequitur ad aliquid quod voluntariè factũ eſt ab illo eodem à quo illud fit: & ſic peccata quæ cõſequuntur ebrietatẽ in quã homo ſe ſciẽter induxit, dicũtur aliquo modo volũtaria. Octauo modo dicitur aliquid voluntariũ, quia eſt ab aliquo potẽte prohibere, nõ tamen prohibẽte: & ſic peccatũ veniale, quod eſt primus motus, dicitur eſſe voluntariũ. Nono dicitur aliquid voluntariũ quod introductũ eſt à volũtate aliena, ſicut à cauſa prima, & ſic peccatum originale dicitur voluntarium. In omnibus iſtis modis prædictis aliquo modo ſaluatur ratio voluntarij, propriè tamen & principaliter in duobus modis primis. Et propterea dicit Auguſtinus, quod illud, quod dixerat, ſcilicet omne peccatum voluntarium de peccato primi parentis eſſe intelligendum, non quia illud ſolum ſit volũtarium, ſed quia illud inter

cætera merè eſt voluntarium. Alia enim aliquo modo voluntaria ſunt: licèt non ita plenè, ſicut illud, quod fit per neſcientiam & per coactionem, nec coactio tollit rationem voluntarij. Hæc ſanctus Bonauentura. Vide & in dictione *Inuoluntarium* ſupra. In inuoluntariis autem neque laudamur, nec vituperamur. de quo aliàs.

Voluptas eſt iucundus motus in ſenſu ſecũdum Ciceronem lib.2.de fi.bonorum & malorum. Vel voluptas eſt elata pręter modum lętitia opinione præſentis alicuius boni. Et dicitur voluptas, quod talia maximè volumus. Vnde quicquid cum delectatione animũ demulcet, voluptas dicitur: refertutq; & ad animũ & ad corpus, quamuis nõnulli velint eſſe ſolius corporis & turpẽ. Sed de honeſta ſcribitur in Pſalm. Torrente voluptatis tuæ potabis eos. De turpi, Cicer. diuinus Plato eſcã malorum appellat voluptatem. Voluptas ſecundum Iſidorum eſt cum quadam lubrica ſuauitate ad illicita ſordidæ mentis inclinatio. Vel ſecundum Ariſtotelem lib.1. Rhetor. Voluptas eſt motus animæ quidam & affectio tota ſimul, & ſenſibiliter in naturam proficiſcens: cuius contrarium eſt dolor. Et voluptas dicitur quaſi volubilitas, nunc hac, nunc illac circa rem dilectam apprehẽſam, vt dicit Gerſ. part.iij. trac.ij. de Canticordo. Et ſemper voluptas famem ſui habet, & tranſactanõ ſatiat, inquit Hieron. ad Damaſum. Hinc Ambroſ. Nihil prodigę ſatis eſt voluptati, ſemper famẽ paritur ſui, quę alimentis perpetuis neſcit impleri. Epicurus collocans hominis felicitatem in voluptate animi, ſi conſequenter locutus eſt, poſuit eam ſimiliter in luctu pro ſtatu præſenti. Itaq; dici nequit (inquit Gerſon part.ij. in ſer. facto in ſolennitate omnium ſanctorum, qui incipit: Beati qui lugẽt.) quod felicitas noſtra ſit in voluptate niſi comitante: non enim ipſa eſt finis vltimus, ſed ſolus Deus per dilectionem & cognitionem apprehenſus. Eſt & voluptas venerea & libidinoſa, quæ aduerſa eſt cõtemplantibus veritatem. Vnde Sophia apud Gerſonem parte ij. de caſtitate & cælibatu Eccleſiaſticorũ. Nihil credo, inquit, plus obeſſe veritati, vel acquirẽdæ, vel ſpeculandæ (potiſſimum de cauſis altiſſimis) quàm voluptatẽ veneream, quàm contractum illum corporũ, ſine quo vxor cum liberis haberi non poteſt, vbi ſorbetur & abſorbetur rationis iudicium, vbi nihil virile, nihil altum, nihil cœleſte, mens quæ tali dederit paſſionis finitur meditari, &cæ. A voluptas venit voluptuarius, a, um. hoc eſt voluptatis plenum: & voluptuoſum, idem.

Votum quandoq; dicitur firmum propoſitũ. Vnde Caſſiod. & refert Magiſter di.xvij. libr.iiij. Magna pietas Dei, quod ad ſolam promiſſionẽ peccatum dimiſerit. Votũ enim pro operatione iudicatur. Et hoc cõputatur pro operatione, non quia tantũ valeat omnino, ſed quia hoc Deus acceptat. Et ſi adſit votum, & deſit facultas, Deus excuſatũ habet. Hæc S.Bona.d.xvij. in dub. literal. li.iiij. Et votũ dicitur à volũtate, quaſi à primo mouẽte rationẽ ad promittendũ, ſecundũ S.Tho.ij.ij.q.lxxxviij.art.j. Quoniam verò ea quæ vehemẽter deſideramus, quæ voto à Deo poſcimus, ſit vt aliquãdo votũ pro deſiderio capiatur. Vnde voti cõpos, qui deſideriũ ſuum aſſecutus eſt. Deſcribitur autẽ votũ ſic ſecundũ Iuriſconſultos: Votũ eſt alicuius boni cum deliberatione facta promiſſio. Vide declarationem apud Paludenſem. Et obligatio voti, vt idẽ dicit, ſit Deo principaliter & finaliter, vt & vult Richar. licèt fiat in manu hominis, quia Deus intuetur cor, & ſibi ſit obligatio voti: ideo nõ per ſolam ſtipulationẽ, ſed per nudam promiſſionem & pollicitationem homo efficaciter obligatur: imò etiam ſola cordis promiſſione, ſiue oris expreſſione, vt dicit Paluden. Votum ſecundũ Magiſtrum eſt teſtificatio quędam promiſſionis ſpontaneæ, quæ Deo & his quæ Dei ſunt propriè fieri debet. Sunt tamẽ & vota ſtultorũ quæ frangẽda ſunt, vt idẽ ait. Votũ, vt ſcribit Hugo de ſancto Vict. eſt ſpõſio animæ volũtaria, & Deo facta pollicitatio, vt votũ quaſi volũtario factum. Vide alias diffinitiones apud Paludenſem diſtinct. xxxviij. quæſt.j. libr.iiij. Et vota ſecundum eundem in tribulatione & perturbatione facta, ſunt tenenda. Votum ſecundum Richar. di.xxxviij. ar.iij. q.ij. lib.iiij. ſic deſcribitur: Votũ, inquit, propriè dictum eſt propoſiti ſupererogatiuè boni promiſſio, Deo facta propter bonum finem ex deliberatione firmata. Addit Brulefer diſt.xxxviij. per intentionem obligãdi ſe ad implendũ promiſſum. Dicitur, ſupererogatiuè boni, dictum eſt ad differentiã voti quod eſt de bono neceſſario ad ſalutẽ, vbi nõ inuenitur plenè ratio voti. Vnde ſecundũ S.Bona. diſt. xxxviij. q.ij. lib.iiij. generaliter loquendo: votũ eſt de eis, quæ promouent ad ſalutẽ vltra ſtatũ communem. Sed quę ad diſpendiũ ſalutis vergũt, ſub voto cadere nõ poſſunt, quũ votũ debet habere comites quos habet iuramentũ, ſcilicet veritatẽ, iudiciõ, & iuſtitiam, vt paulò pòſt videbitur. Sed propriè accipiendo eſt de bono ſupererogationis, vt ſunt cõſilia Chriſti, & omnia bona opera ad quæ non tenemur: ſicut eſt peregrinatio, ieiuniũ, &c. Et accipitur ibi propoſitum, vt inquit Rich. non pro actu proponendi, quia ille præſens eſt: promiſſio autem eſt reſpectu futuri, ſed accipitur pro re propoſita. Deo facta dicitur, ad differentiã promiſſionis homini factæ, quæ nõ habet rationẽ voti propriè dicti. Dicitur, propter bonũ finem, ad excludendũ vota facta propter finẽ malũ tantũ, quãuis ſint facta de re bona, quæ propriè loquendo nõ ſunt vota. Dicitur, ex deliberatione firmata, ad differentiã votorũ, quę ſiũt ex ſurreptione, quæ plenã rationẽ voti nõ habent. Hęc diffinitio cõmunis eſt voto tam publico, quàm priuato, ſiue per vocem ſenſibilem expreſſo, ſiue per interiorẽ locutionẽ tantũ: ſola enim interiori locutione poteſt homo ſe obligare Deo. Illa autẽ diffinitio voti: Votũ eſt cõceptio melioris propoſiti animi deliberatione firmata, eſt diffinitio voti taciti, quod ſit Deo per interiorem locutionẽ tantũ, vt dicit Richar. vbi ſupra. Diffinitio verò voti quam ponit Magiſter in tex. conuenit voto per ſenſibilem locutionẽ expreſſo, ſiue ſolenni, ſiue priuato. Tantę autem altitudinis eſt votum religionis, quod omnia alia in ipſum cõmutari poſſunt, vt idem ait Richar. ar.iij. q.j. li.iiij. Item carens vſu liberi arbitrij vouere nõ poteſt, quia nõ poteſt cõſentire, vt idem vult q.ij. vbi ſupr. Habẽs autẽ vſum lib.arb. poteſt vouere, & quilibet, nec aliquis poteſt vouere ea quę prohibẽtur. Nõ enim acceptat Deus obligationem

contra ſiuum præceptum, vel Eccleſię factam. Multi autem ſunt qui prohibentur vouere. De quo vide Rich. ibidem. Sicut mulier in his, in quibus viro ſubeſt abſque conſenſu viri: ſic vxor non poteſt vouere ire ad ſanctum Iacobum ſine licentia viri, nec vir poteſt vouere caſtitatem abſque conſenſu mulieris, quia vir in debito carnis ſubeſt vxori. Item filiusfamiliàs in regimine vitæ nihil ſine auctoritate patris vouere poteſt. Nec ſeruus, nec religioſus quod ad ſeruitium corporale, vel ſine prælati voluntate quicquam vouere poteſt. De quo aliàs multa legere potes, &c. Opus verò factũ cum voto magis meritorium eſt, quàm ſine voto, vt idē probat & vult ar. vj. q. ij. Nam cùm Deus acceptet opus propter operantem, tãtò magis acceptat opus quantò eſt ab homine ad ſeruitium ſuum ſpecialius dedicato, ſed cæteris paribus homo ſpiritualius dedicatur ad ſeruitium Dei per votũ, quàm ſine voto. Vide latiùs Rich. Sic ſeruitium religioſi, magis eſt Deo acceptum quàm hominis ſecularis, quia dat totam arborem cum fructu, &c. Videatur ad hoc Paludenſis di. xxxviij. qu. v. libr. iiij. Debet autem votum habere tres comites, quos habet & iuramentum, vt ſcribit Bruleſer di. xxxviij. qu. ij. lib. iiij. ſcilicet veritatem, iudicium, & iuſtitiam. Primò namque neceſſe eſt vt ſit iuſtitia, ſcilicet vt illud quod vouetur, ſpectet ad ſalutem, & ſit bonum & honeſtum. Secundò eſt iudicium, vt vouens deliberatè voueat, & non præcipitanter. Tertiò eſt veritas, vt diſcretè & iuſtè quod vouit, perſoluat. Vouentibus enim lex poſita eſt de reddendo.

Votum eſt duplex, ſicut dicit Magiſter diſt. xxxviij. libr. iiij. Quoddam commune, quoddam ſingulare. Cõmune eſt illud, quod omnes in baptiſmo faciunt cùm ſpondent renunciare diabolo & pompis eius. De quo habetur de conſecra. di. iiij. prima. & tale votum eſt de his quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem. Ibi tamē diminutiuè inuenitur ratio voti, quia votum propriè eſt, quid voluntarium, & reſpectu principij à quo procedit, & reſpectu eius quod vouetur. Singulare eſt, cùm aliquis ſpõtè promittit ſe ſeruaturum aliquod bonum, ad quod aliàs non tenetur, quamuis teneatur poſt votum tale. Et votum non poteſt fieri de bono neceſſario ad ſalutem, vt ſcribit Rich. di. xxxviij. ar. iij. q. ij. li. iiij. Et de his duobus votis dicitur, xvij. q. j. c. j. Accipiendo autem votum largè (vt idem dicit Rich.) vt extendit ſe ad commune & ſingulare, poteſt fieri votum de omni bono vtili ad ſalutem. Sed votum ſingulare quod propriè habet rationem voti, non poteſt fieri de bono vtili neceſſario ad ſalutem.

Votum continentiæ eſt duplex, ſcilicet ſolenne, & ſimplex. Quando autem votum continentiæ dicitur ſolenne, quamuis de hoc variæ ſint opiniones apud aliquos iuriſperitos, tamen ſecundum communem doctrinam Theologorũ, & ſecundum maiorem partem iuriſperitorum, ſolùm duobus modis ſolennizatur votum continentiæ, ſcilicet per ſacri ordinis ſuſceptionem, & per certæ regulæ profeſsionem in manu eius qui poteſt recipere huiuſmodi profeſsionē: pura, in manu prælati ipſius, qui profitetur, vel vicem eius gerens, vel ſi manſit in religione approbata. Si quis autem alio modo vouet continentiam quàm bis duobus modis, hoc dicitur votum ſimplex. Iſtud ponunt Iuriſconſulti cum Theologiæ doctoribus. Et votum continentiæ ſolenne prohibet matrimonium contrahendum, & dirimit contractum. Prohibet & votum continentiæ ſimplex matrimonium cõtrahendum, non tamen dirimit matrimonium contractum. De quo multa apud Iuriſconſultos & Theologos. Vide & de hoc Tho. Argent. di. xxxviij. libr. iiij. Et Magiſtrum Ioannem Gerſonem in regulis moralibus, & de matrimonio. Et Rich. di. xxxviij. ar. vij. qu. ij. vbi ſupra.

Votum dicitur à volendo, vt ſcribit Rich. q. ij. art. ij. vbi ſupra. Vnde ſicut nobis eſt duplex velle, ſcilicet Plenum quod eſt velle deliberatiuum. Et ſemiplenum, quod eſt velle ex ſurreptione, ſic dico (inquit Richard.) quod duplex eſt votum, ſcilicet votum quod habet plenam rationem voti. Et de ratione talis voti, eſt quod ſit factum ex deliberatione. Et eſt votum quod non habet plenam rationem voti, & de ratione voti talis non eſt quod fiat cum deliberatione, tale enim fieri poteſt ex ſurreptione, & quia plenam rationem voti non habet, ideo nõ obligat de neceſsitate, ſed tantum ex quadam cõgruitate. Et ideo venire contra tale votum etiam propria auctoritate non eſt peccatum mortale. De re quoque inutili ad ſalutem, vt eſt malum culpæ, non poteſt fieri votum de iure, quia Deus reſpuit obligationem ſibi oblatam contra ſeipſum. Plura videto de hoc Rich. art. iij. qu. j. vbi ſupra.

Votum ſolenne & publicum differunt (vt ſcribit Rich. di. xxxviij. ar. vij. q. iij. lib. iiij.) Nã quodlibet votum corã multis in publico factum, publicum dici poteſt, ſed nõ quodlibet tale poteſt dici ſolenne. Non enim dicitur votum ſolenne, niſi quod in ſe habet aliquid annexum, vt in publicum debeat venire, & per quod vouens ponitur ſub alterius hominis poteſtate, & tale eſt votum in ſuſceptione ordinis, per quem ſuſcipiens conſtituitur miniſter Eccleſiæ, Deo publicę ſeruiendum, & ponitur aliter quàm ante ſub Epiſcopi poteſtate, vnde tale votum eſſet ſolenne, etiamſi prædictum ordinem ab Epiſcopo ſuſciperet in ſecreto, profeſsio etiam in religione facta in manu eius, qui eam poteſt recipere in ſe aliquid habet annexum, quo in publicum debeat vnire. Vnde talis profeſsio ſolennizat votum, etiamſi in manu eius qui eam poteſt recipere fieret occultè, quia talem oportet ſecularem vitam dimittere, & in clauſtro cum aliis ſui ordinis conuerſari, & ad hoc per prælatum cogi poteſt, nec aliter quàm aliquo prædictorum modorum votum ſolennizari poteſt. Suſceptio enim habitus profeſſorum vbi diſtinguitur ab habitu nouitiorum, votum non dicitur ſolennizare, niſi inquantum talis habitu ſuſcepto eſt quædam præſumpta profeſsio. Plura alia de voto & eius cõmutatione & diſpenſatione in voto legito apud Richar. & alios, & Gerſonem. Et quamuis Paludenſis duodecim ponat diuiſiones voti di. xxxviij. q. ij. lib. iiij. Sed hæc ſufficiant. Qui plura legere velint de voto cõſulant alios, compendio ſtudemus.

Vouere eſt ſpontè, vel ſanctè, vel Deo aliquid ſanctè promittere, & qui vouit, vt dicitur debitor voti

efficitur. Vouere eſt conſilij reddere præceptum.

Vox eſt percuſſio aëris inſpirati, ad vocalem arteriam moti ab anima quæ eſt in illis partibus ſecundum Ariſtot.libr.2.de anima. Vel vox eſt aëris per linguam percuſſio quæ per quaſdam gutturis partes, quæ arteriæ vocantur ab animali profertur, ſecundum Boëtium ſuper li.periherme. Vel(vt idem dicit.)Vox eſt ſonus cum quadam imaginatione ſignificandi. Petrus Hiſpanenſis in principio ſuæ logicę dicit vocem eſſe ſonum ab ore animalis prolatum,naturalibus inſtrumentis formatũ.Sunt autem naturalia inſtrumenta quibus vox formatur nouẽ, ſcilicet Guttur,lingua,palatum, quatuor dentes,& duo labra.Dicitur & vox quicquid ſonat, & dicitur ἀπὸ τῦ βοᾶν quod eſt ſono, eius diminutiuum eſt vocula.Et beatus Ioannes dicitur vox Domini, & nõ verbũ.Cõſtat enim(inquit Beda)quod vnigenitus Dei filius verbũ vocatur patris:Ioãne atteſtãte qui ait:In principio erat verbum,&c.Ex iſta noſtra locutione cognoſcimus quod prius vox ſonat quàm verbum,poſtmodum poſsit audiri. Ioannes verò vox à Propheta dicitur, quia verbum præcedit.Aduentum itaque dominicum Ioannes pręcurrens vox dicitur, quia per eius miniſterium patris verbum ab hominibus auditur. Hæc Beda. Et reperit Gerſ.lect.ij.ſuper Marcum in principio,&c.

Vox tuba, de qua dicitur di.xliij.lib.iiij.ſententiarum non erit principalis efficiens cauſa reformationis corporum,nec vnionis animarum ad illa,ſed virtus diuina, erit tamen cauſa inſtrumentalis. De hac tuba dicit Apoſtolus 1. Corint. 15. Canet tuba & mortui reſurgent incorrupti. Erit autem vox tubæ vox Ieſu Chriſti, qua præcipiet mortuos reſurgere, quod patet per illud quod dicitur Ioan.5. Mortui audient vocem filij Dei. Vide latiùs de hoc Rich.xliij.ar.iij.q.iij.li.iiij. Et eadẽ vox Chriſti ſecundum ſanctum Bonauen eadem di.circa literam ſecundum diuerſas proprietates iſta tria ſortitur nomina. Vox enim Chriſti erit virtuoſa, ideo dicitur iuſſus,quia præceptum, dicit enim & fiet. Erit authẽtica,& ideo dicitur,vox Archãgeli,id eſt principis. Et erit nihilominus ſeuera,& ideo vox tubę dicitur. Et ſic idẽ multiplici vocabulo exprimitur, ad inſinuandum illius vocis proprietatem multiplicem & dignitatem. Non diſcrepat Rich.vbi ſupra. Tantã autem virtutem habebit illa vox (vt ſcribit Brulefer diſt.xliij.qu.vj.libr.iiij.)quod audietur in paradiſo, in inferno, in purgatorio, & per vniuerſum orbem, ita quod ad illam vocem omnes comparebunt,&c.Fuit & Chriſtus vox Domini ſuper aquas,per quam vocem conſtituit baptiſmum, vt ſcribit Iacobus de Valentia ſuper illud Pſalm.28. Vox Domini præparantis ceruos,&c. Fuit & vox Domini in virtute per quam conſtituit confirmationem,in qua datur robur, & virtus ad reſiſtendum diabolo,& pugnandum contra eum. Tertiò Chriſtus fuit vox Domini in magnificentia conſtituendo Euchariſtiam, quod eſt ſacramentum magis magnificum, & nobilius cæteris. Quartò fuit vox Domini confringentis cedros cõſtituendo ſacramentum pœnitentię,per quam confregit dęmones & ſeptem vitia capitalia. Quintò fuit vox Domini intercidentis flammam ignis, conſtituendo matrimonium, per quod extinguitur & excuſatur flamma libidinis.Sextò fuit vox Domini cõcutientis & commouentis deſertum Cades, conſtituendo extremam vnionem, per quam ſubmerguntur peccata & tranſmittuntur fideles ab hac vita mortali in vitam æternam. Septimò fuit vox Domini præparantis ceruos,conſtituendo prælatos & ſacerdotes in Eccleſia per ſacramentum ordinis,qui quidem ſacerdotes & prælati figurantur per ceruos in canticis Salomonis. Et ſic patet qualiter Chriſtus per ſeptem voces, inſtituit ſeptem Eccleſiaſtica ſacramenta, vt ſcribit Epiſcopus Chriſtopolitanus vbi ſupra.

Vrſus in ſcriptura plura ſignificat, vt ſcribit Pelbart. lib.ij.Roſarij Theolo.in dictione *Beſtia*. Quandoque ſignificat iram & vltionem Dei in peccatores Thren.3. Vrſus inſidias factus eſt mihi Dominus, ſcilicet per Caldæos qui occultè inſidiantes & ſequientes rapuerunt illos, ſcilicet Iudæos Dei iudicio, vt dicit ibi Gloſſ.& Lyra.Et Oſee 13.dicit Dominus. Occurram eis,ſcilicet peccatoribus, quaſi vrſa raptis catulis. Gloſſ. Nil vrſa dicitur ſeuius cùm catulos perdiderit,vel cùm eſurierit. Vnde quãdoque ſignificat etiam principem iracundum, & crudelem in ſubiectos.Prou.28. Vrſus eſuriens ipſius ſuper populum pauperem.Et quandoque ſecũdum Ambr.ſignificat pietatem,quam omnes debent habere erga fœtus ſuos,vt vrſa habet,&c.

Vſura eſt lucrum ex mutuo principaliter intentum, vt ſcribit Gabr.di.xv.qu.xj.ar.j.lib.iiij. Eſt autem lucrum incrementum pecuniæ vel pecunia menſurabile ſiue ſit munus à manu,à lingua ſiue ab obſequio, quod quis habet ex voluntaria commutatione,vltra ea quæ prius ſua erant.Et illa quæ ſua erãt dicuntur ſors.Eſt enim ſors res iuſtè poſſeſſa. Vel vt legiſtæ dicunt debita quantitas mutuatæ rei in materia occurrẽti.Vel ſors dicitur capitale.Et quicquid accedit ſorti,ſiue veſtis,ſiue eſca,ſiue pecunia, vſura eſt.Et dicitur, quicquid pecunia commenſuratur.Sunt enim quædam quæ ſorti accedunt,quæ nõ faciunt vſuram,vt amicitia,gratitudo,&c. Nam mutuans ad captandum amorem, aut beneuolentiam,non committit vſuram,vt vult ſanct.Tho.ij. ij.q.lxxviij.ar.ij.Quod verum eſt,niſi ſpes vlterius procederet ad lucrum,vt ſi quis Papæ,aut Principi mutuaret ad captandum beneuolentiam, vt poſtea poſſet conſequi beneficium vel caſtrum aut huiuſmodi,tunc enim eſſet ſpes lucri, & per conſequens vſura.Sic qui mutuatur ſpe alicuius habendi, cuius vſus inter amicos concedi ſolet ſicut commodatio libri. Iniuriæ remiſsio ab illo qui me iniuſtè perſecutus eſt,cum multo meo damno. Secus ſi iuſtè, quia non liceret ſine vitio vſuræ mutuum dare ſub tali ſpe,illud non eſt vſura. Hæc angelus. Lucrum verò ex aliis commotationibus acceptum non eſt vſura,etiam ſi fuerit illicitum, vt dum quis ſuperueniat,& in hoc diſtinguitur vſura à turpi lucro.

Item quicquid accipitur pro dilectione ſolutionis pretij, ad vſuram pertinet. Nam perinde eſt acſi acciperetur pro pretij mutuati dilatione. Vſura in ſua ratione propria includit iniuſtitiam,quia eſt recipere rem alienam manente aliena inuito domino. Sic recipere vſuram ſtante hoc quid nominis

termini

termini ſimpliciter iniuſtum eſt, quia diuinæ voluntati contrarium, nec poteſt Deus diſpenſare, vt recipiatur vſura licitè in ſenſu compoſito. Attamen ſi de ſua abſoluta potentia concederet alicui recipere vltra ſortem ex mutuo, vnde non reciperet alienum, nam recipiendo faceret ſuũ, nec inuito domino, quia ſuperiore domino iubẽte, vel cõſentiente, & ſic nõ eſſet vſura. Sic ſpoliatio Ægypti per Iudęos nõ fuit furtũ, quia nõ fuit factũ Domino ſuperiori inuito, &c. Accipiendo autẽ propriè vſuram eſt cõtra legem naturæ, contra diuinam legem & humanam (vt & ſcribit Gab. vbi ſupra, poſt ſanct. Tho.) Hinc Gerſon in regulis moralibus dicit. Vſura propriè dicta quæ iuri diuino & naturali contrariatur, & de ſe moralem culpam habet, eſt aliquid recipere ex pacto vltra ſortem. Et ſic contractus vſurarius repugnat legi diuinæ & naturali, ſic quod ex ſuo genere malus eſt, nec poteſt bene fieri (vt idem Gerſ. dicit de contractibus parte j. conſid. xiij.) Et ad hoc eſt ſententia communis doctorum. Vnde & Philoſophus naturale iudicium ſequens poſuit contra naturam eſſe vt nõmus nũmum pariat. In Pſalmis quoque & Prophetis ſatis innuitur. Si quis ad beatitudinem velit introire, quod pecuniam ſuam non det ad vſuram. Chriſtus denique dixit: Date mutuum, nihil inde ſperantes. Et ad hoc ſunt cõgruentiæ plures datæ per doctores propter inconuenientia, quę reipublicæ prouenirẽt ex vſuris ſi licitè dicerentur. Vnde & homo naſcitur ad laborem, ſicut habetur in Iob. Eſt ergo contra naturam hominis, vt ſine labore velit viuere, quod fit in vſuris, de quo vide plura apud Gerſ. de contractibus.

Vſura quandoque accipitur multum largè pro omni acceptione vltra ſortem in mutuo, & ſic nõ omnis vſura eſt illicita. Ita accepit vſuram Alexand. de Ales parte iij. qu. lxvj. qui dicit, quod recipere præter ſortem, eſt vſura. Et cõſequenter ponit quatuor caſus, in quibus vſura eſt permiſſa, & hos clarius ponit Scotus, & ad duos reducit generales. Vnde ait diſt. xviij. qu. ij. lib. iiij. Excipiuntur in mutuo duo caſus in genere. Quandoque enim aliquis poteſt licitè vltra capitale accipere ex pacto, quandoque nõ ex pacto. Et primum tripliciter. Primo ratione pœnæ conuentionalis, dum tamen non fiat in fraudem vſurarum. Verbi gratia: Si alicui mutuo pecuniam ad certum terminum, poſſum adiicere pœnam pecuniariam, quam ſoluet, ſi in termino non ſolueret, quia poſſum indemnitati meæ conſulere, & dilatio ſolutionis vltra terminum eſt mihi damnoſa, vt pono, poſſum ergo adiicere pœnam metu cuius terminum ſolutionis non tranſgrediatur. Et pœnam ſi incidit, licitè poſſum exigere & recipere. Et dicitur notanter, dum non fiat in fraudem vſurarum, quia ſi in fraudem vſurarum pœnã adiicit, vſurarius eſt. Præſumitur aut in fraudem adiecisse, ſi magis vellet debitorem terminum tranſgredi, vt pœnam acciperet, quàm vt in termino ſolueret ſine pœna. Item ſi veriſimiliter tempore mutuationis putabat ſe in termino nõ ſoluturum. Item dum immoderata pœna apponitur, quæ excedit intereſſe. Si non ſperat, vel deſiderat pœnam eam in caſu recipiendo & exigendo, vſuram non committit, &c. Secundo modo poteſt recipere vltra ſortem ratione intereſſe. Debitor enim ex cuius non ſolutione creditor notabiliter damnificatur, tenetur de iuſtitia ſatisfacere creditori de intereſſe, & hoc in foro conſcientię, etiam ſi creditor non poſſet contra eum habere actionem in foro exteriori, quia deficiunt pacta, vel iuramẽta. Intereſſe autem (vt notat Panor. in c. Conqueſtus. de vſuris) conſiſtit non ſolum in damno habito, ſed etiam in lucro ceſſante, dũmodo lucrum ceſſans eſſet in actu, vel quaſi in actu, hoc eſt quod probabiliter fuiſſet. Latiùs Gabr. vbi ſupra. Tertio poteſt mutuans recipere vltra ſortem ratione dubij, quando, ſcilicet vtrumq; tam capitale, quàm illud ſuperfluum ponitur ſub incerto. Exemplum, emens rem minore pretio, quàm valet tempore emptionis, recepturus eã ex pacto poſteriori tempore quo veriſimiliter plus, vel minus valere poteſt, nõ erit vſura, ſi caſus acciderit quod tempore receptionis plus valeret, quia tam emptor, quàm venditor, ęqualiter tam commodum, quàm incommodum ex dilatione expectat. Secùs ſi illo tempore accepturus eſſet, quando veriſimiliter multo plus valebit, & nõ minus, niſi in modico, tunc enim eſſet vſura, aut ęſtimatio in fraudem vſurarũ. Prolixior eſt poſt Scotũ Gabr. vbi ſupra. Vnde Scotus ponit duas regulas. Prima: Commutans non cõmutet, vel vendat tempus, quia tempus non eſt ſuum. Secunda, quod nõ ponat ſe in tuto de lucrando, & illum cum quo cõmutat de damno. De tuto ſemper, vel in pluribus ex iſtis regulis poſſunt reſolui plures caſus. Plurà vide de hoc Gabr. vbi ſupra art. j. Et vſurarius omnis tenetur ad omnium reſtitutionem, quæ acquiſiuit per vſurariam prauitatem. Et non ſolùm vſurarij, ſed etiam eorum filij, & hæredes extranei tenentur ad reſtitutionem vſurarum quantũ ſe extendit hæreditas. Multis hoc probat Gab. ar. ij. vbi ſupra, etiam cooperatores & participantes per vſuram acquiſita (vt idem probat diffuſe.)

Ad vſuram accipere, contingere poteſt dupliciter (vt ſcribit idem Gabr. di. xv. qu. xj. ar. iij. dub. xiiij. li. iiij.) Vel ad opus illicitum, vt ad pompam, luxuriam, aut alia illicita perpetranda, & ſic non licet ſecundum Rich. hoc enim prohibetur propter damnum reipublicæ, & ad reſtitutionem malorum, aut recipit pecuniam ad vſuram ad ſuam neceſſitatem, vel ad opus rei licitę, & ſic accipiendo mutuum nõ peccat. Non enim conſentit directè in vſuram, ſed in mutuum, quod maximè verum eſt dum mutuãs etiam aliàs paratus eſt dare ad vſuram, & frequẽter exercet vſuram, quoniam ſi paratus non eſſet dare ad vſuram, nullo modo licet inducere eum. Et ratio eſt, quia quamuis non licet inducere ad peccatum, licet tamẽ peccato alterius quod ipſe ſua ſponte cõmittit vti ad bonum, non ad malũ, ſicut ſecundum Augu. in Enchi. cap. x. & xcix. Deus vtitur peccato hominum ad bonum, neque enim Deus omnipotens (cum ſummè bonus ſit) vllo modo ſineret malũ fieri, niſi vſque adeo eſſet omnipotens, & bonus, vt benefaceret de malo. Sic ergo licet malo vti ad bonum, non ad malum. Gabr. longior eſt. Vſurarij autem manifeſti vltra pœnas quibus puniuntur à Deo, multas pœnas incidunt à iure inflictas (vt ſcribit Gabr. dub. xviij. & vlt. vbi ſupra,) ſcilicet infamiam iuris, repulſionem à communione altaris, & oblationis, priuantur Eccleſiaſtica ſepultura, repelluntur à ſacramento pœnitentiæ, donec ſecundum

ſuam

Vti ſecundum Occam ſtrictiſsimè eſt actus qui exiſtens vnus tendit in aliquid propter aliud, per quod videtur velle quod quandoque vno actu voluntas poteſt aliquid diligere propter aliud, quum eiuſdem actus poſſunt eſſe plura obiecta ad ſe inuicem ordinata, ita non eſt inconueniens ſecundum eundem, eũdem actum numero eſſe reſpectu finis vltimi & reſpectu eorum quæ ſunt ad finem. Poteſt & in genere ſumi vti pro acceptare aliquid vel deacceptare, ſic ſumit Augu. j. de trinit. ca. xj. Habemus & ex his quod vtimur potentia, quã operamur: habitu, quo regulamur: obiecto, ad quod inclinamur: actu, quo mouemur. Occam & Gabr. vide latius.

Vtile dicitur quod eſt appetendum propter aliud conſequendum. Et vtile dicitur quatuor modis, vt ſcribit Brulefer di. vj. q. ij. lib. iiij. Primo modo pro illo quod eſt appetibile propter aliud tantũ, & non propter ſe, ſine quo, illud quod appetitur poteſt haberi, vt potio amara, quæ eſt inutilis ad ſanitatem, non tamen neceſſaria. Secundo modo capitur vtile pro illo quod eſt appetibile propter aliud tantum, & non propter ſe ſine quo illud quod appetitur nõ poteſt haberi, vt eſt amputatio tibiæ, quando quis habet ignem ſacrum in ipſa tibia. Tertio modo pro illo quod eſt appetibile propter ſe & propter aliud, ſine quo illud quod appetitur poteſt haberi, vt eſt ingreſsio religionis, quæ eſt appetibilis propter ſe, quia eſt bonum & propter aliud, ſcilicet beatitudinem. Quarto modo quod eſt propter ſe appetibile & propter aliud, ſine quo illud non poteſt haberi. Iſto modo character dicitur vtilis, quia de ſe eſt bonus, & etiam diſponit ad gratiam. Vtilis inquam ad ſignandum, ad præparandum, & aſsimilandum & diſtinguẽdum. Vtile dicitur dupliciter, ſcilicet ſicut via ad finem, vt meritum ad beatitudinem, & ſicut pars ad totum, vt miniſteria angelorum ad beatitudinem eorum ſecundum beatum Tho. j. par. q. lxij. ar. ix. & vtilitas, vtiliter, & vtilis ab vtor dicuntur.

Vulgus propriè ignobilior multitudo. Et dicitur (vt quidam dicunt) à voluendo quod ſtultè huc atque illuc voluitur. Hinc vulgaris hoc eſt vilis atque communis. Et vulgo aduerbialiter poſitum ſignificat paſsim per omnes cateruatim. Et vulgus fallaciſsimè cauſas infortuniorum aſsignat. Vnde Gerſ. par. j. tract. contra ſuperſtitioſam dierum obſeruationem ait: Nihil eſt fallacius vulgi traditionibus, qui vt ſæpius faciunt de non cauſa cauſam, & aſsignant cauſas fortunij, vt ibidem latiùs oſtendit. Vulgus quoque errans multa mala prouerbia adinuenit, ſicut illud. Obſequium amicos, veritas odiũ parit. Et illud. Angelicus iuuenis ſenibus ſathanizat in annis quod prouerbium blaſphemum adinuenit errans vulgus, vt reliqua multa, vt dicit Gerſ. part. ij. tract. de paruulis ad Chriſtum trahendis, conſid. prima. Nec vulgarē conſuetudinem & opinionem nos curare oportet vt idem ait. Non enim populari rumore vel conſuetudinis errore ſed purę veritatis conſideratione id quod iuſtum eſt & religioſe factum diiudicent, nec quid animus in præſenti ſentiat, ſed quid ſentire debeant attendant. Gerſon.

Vulpes eſt animal aſtutum, ingenioſum & doloſum ac fœtidum. Et per vulpes quandoque in ſcriptura ſignificantur doloſi homines, & hæretici, & etiam dæmones decipientes animas. Canti. 2. Capite vulpes, ſcilicet occidendo hæreticos, qui demoliuntur vineas, id eſt Eccleſias. Et Pſal. 62. Partes vulpium erunt, id eſt dæmonibus ſociabuntur in inferno, vt ſcribit Pelbartus in dictione *Beſtia*, libr. ij. Roſarij Theologiæ. Vulpeculas vocat Gerſon parte tertia, ſuper Cantico Canticorum ſympſalmate iiij. tentationes, quæ cùm videntur mortuæ ex improuiſo incautos arripiunt, &c.

Vxor dicitur mulier poſtquam contraxit per verba de præſenti, licet nondum conſummauerit, & hoc in omnibus fauorabilibus, ſed in odioſis appellatione vxoris venit ſolùm illa quæ matrimonium conſummauit, & dicitur ab vngẽdo quaſi vnxor. Nam puellæ cùm nuberent apud veteres, ac mariti domũ intrarent axungia poſtes vngebãt, putantes ex hoc omnia mala ab ea domo arceri, vel quod lotio maritos vngebãt. Multa de vxoribus legito apud Gerſonem. Et vt ipſe dicit parte iiij. ſermone de modo viuẽdi coniugatorũ Dominica infra octa. Epiphan. cuſtodiri non vult. Nam bona non debet, mala non poteſt. Multa de viris & vxoribus quomodo ſe habere debeant ad inuicem ibidem oſtendit. Nec quiſquam putauerit (vt idem dicit parte ij. de cælibatu ſiue caſtitate Eccleſiaſticorũ) multitudine vxorum (dum etiam legaliter multis fas eſſet vti) libidinis ignem, furorem, fomitem, tyrãnidem excutere, ſed crebrius in malũ augere, quo palã fit venereũ furorē plus cedẽdo, fugiẽdoq; vitari quã viẽdo. Ab vxor venit vxorius quod eſt vxoris, vel quod ad vxorē pertinet, vt res vxoria. Augu. lib. ij. confeſ. non curauit hæc, quia metus erat ne impediretur ſpes mea compede vxoria. Aliquando vxorius dicitur, qui vxori nimis inſeruit vel deditus eſt vxori.

De litera X.

X*enodochium* eſt hoſpitium vel receptaculum, & eſt Græca dictio, & Latinè dicitur hoſpitale. Et vt ſcribit frater Oſualdus in fine libr. iiij. Roſarij Theologiæ. Xenodochium eſt locus in quo pauperes & peregrini ſuſcipiuntur & cõuerſantur, vt hoſpitale vel ipſa collectio & ſuſceptio pauperum & peregrinorum. Et ritè vt idem dicit ſignificat Eccleſiam catholicam, vbi peregrini & aduenæ conuerſantur, nos reficiẽtes antidotis & ſuauibus confectionibus, id eſt ſacroſanctis ſacramentis Eccleſiæ per Deum, Dei filium Ieſum Chriſtum Dominũ noſtrum mira vtilitate diſpoſitis, ac diuina pietate animarum noſtrarum medelis collatis, quorum ſuffragio freti, & adminiculo ſuffulti, imbecillitatis noſtræ incolatum miſerum digna gratiarum actione tranſigere valeamus illuſtrati fidei luce ſedentem ſuper ſolium intentà mente contemplantes. De quo Magiſter in fine lib. iiij. Hęc inquit de pedibus ſedẽtis ſuper ſolium excelſum quos Seraphin duabus alis velabant ſcriptori, & ſi non auditori commemoraſſe ſufficiat.

Xps ſic quidam ſcribunt imperitè, cùm debet hoc nomen ità ſcribi Chriſtus, ſed Græcam literaturam, quam ignorant, imitari volentes, ſcribunt Xps. Sic enim Græcè ſcribitur χς vel χριστός. Et dicitur Chriſtus à Chriſmate, vt dicit Augu. in Pſalm. 26. Non ſolùm

ſolùm autem caput noſtrũ vt ipſe dicit vnctum eſt, ſed & corpus eius & noſipſi. Rex autem eſt, quia nos regit & ducit. Sacerdos, quia pro nobis interpellat. Et habet plura nomina Chriſtus. De quo vide in dictione *Nomen*. Et de Chriſto plura ſupra in litera C. Et à Chriſtus, deriuatur Chriſtianus. Dicuntur autem Chriſtiani potius à Chriſto quàm à Ieſu, & ideo, quia Ieſus eſt nomen diuinitatem Chriſti reſpiciens. Dicitur enim Ieſus, id eſt ſaluator, ſaluare autem Dei proprium eſt. Sed nomen Chriſtus, id eſt vnctus conuenit Chriſto ratione humanitatis, in quo communicat nobiſcum. Vnde Chriſtiani ſunt vncti tanquam pugiles contra mundum, carnem & diabolum pro Chriſto rege. Alias ponit rationes ſecundum doctores frater Pelbartus lib. ij. Roſarij. Theol. In dictione *Chriſtus*. Item Chriſtianus eſt imitator Chriſti, ſed quod poſsibile eſt homini verbis & operibus & intentione rectè & ſine querela credens in Deum & ſanctam trinitatem. Sed non tenemur Chriſtũ imitari in operibus diuinis: puta, miraculis faciẽdis, ergo nõ denominamur à Ieſu, quod ratione diuinitatis conuenit Chriſto. Sed quia tenemur in operibus bonis & virtuoſis, ideo à Chriſto nomen habemus, quod eſt competens ratione humanitatis. Et ſicut habemus nomen à Chriſto vt dicamur Chriſtiani, Ita opere & non nomine ſolùm ſimus Chriſtiani, vide & Hierony. in teſta. Fruſtra nomen Chriſtianũ habet qui operibus diabolum ſequitur. De nomine Chriſtus vide aliàs plura. Et Chriſtianus ille eſt (vt refert Præpoſitus Gabr. ſermi. j. de dedicatione poſt beatũ Aug.) qui vitam Chriſti ſequitur, qui Chriſtum in omnibus imitatur, ſicut ſcriptum eſt, qui ſe dicit in Chriſto manere, debet ſicut ille ambulauit & ipſe ambulare. Chriſtianus eſt qui Deo die noctuq; ſeruit, qui eius præcepta indeſinenter meditatur & cogitat, cuius omnis ſpes in Chriſto, qui cœleſtia potius quàm terrena deſiderat, qui humana ſpernit vt poſſit habere diuina. Plura ibi Gabr.

De litera Y.

Y *Græca* eſt litera, & in Græcis ſcribitur dictionibus, non Latinis, & vocatur ypſilon. Idcirco paucæ ſunt dictiones quibus vtimur in Theologia ſcriptæ litera y. Quidàm ydeam ſcribunt y, ſed reperio ſcriptum litera Latina I. de quo ſuo loco dictum eſt.

Ypoſtaſis quidam ſic ſcribunt, ego cum aſpiratione ſcriptum inuenio, ideo quære in litera H. in fine.

De litera Z.

Z*Elotypia* eſt ægritudo animi ex eo proueniens quòd timeas ne aſsit alteri, quod cum nemine velis habere cõmune, ſecundum Chryſippum. Qui igitur ita amat, vt ſolicitus ſit ne quis amore ſuo perfruatur, zelotypus eſt. Et zelotypia oritur ex amore non patiente conſortiũ in re àmatà, ſecundum Beatum Tho. j. ij. q. xxviij. art. iiij. Et zelotypia ſecundum Gerſ. in regulis moralibus de ſuperbia aſt vehemens amor, ſuſpicioſus non ſatis fidens de re amata, & aliæ ſuſpiciones maleuolæ, vt dum aliquis ſemper putat irrideri & falli, in quales quidam melancholici & quidam ex religioſis faciliter cadunt ſi non reprimantur, ſed ſi addatur conſenſus liber, ſunt vt plurimum mortalia delicta, aut mortalium delictorum vehemens cauſa. Deũ quoque eſſe plenum zelotypia idem oſtẽdit Gerſ. part. iiij. ſerm. de conceptione Marię virginis. Non enim vult te vllam aliam rem amare plus quàm ſe, ne in præſentia ſua facias fornicationẽ vel ſpirituale adulterium diligẽdo infernalem inimicũ, & iaceas inter brachia eius per iniquã delectationẽ peccati mortalis, videtur ei quod merito ſuper oẽs alios dignus ſit amari, &c. Vel dicitur zelotypus vel zelotes hoc eſt æmulator vel amator Dominus noſter, quoniã ita nos amat vt nolit fornicari poſt deos alienos.

Zodiacus & ſi poſt diffinitionem zelus ſecundum ordinem literarum poni deberet, ſed quia vocabulum plus Aſtrologicum eſt quàm Theologicum, nõ claudat hoc opus Theologicum. Et dicitur zodiacus circulus in cœlo. Et dicitur zodiacus ſecundum Bedam de imagine mundi, vbi ait: In medio firmamanti inquit ſunt duodecim ſigna per trãſuerſum poſita, aliqualiter per circuitum diſtincta. Horum diſpoſitio inquit Gręcè dicitur zodiacus, Latinè ſignifer, eo quòd in ipſo circulo ſunt ſigna quæ animaliũ habent nomina. Zodian enim Græce animal dicitur. Hæc duodecim ſigna iuxta qualitates elementorum Aſtrologi quidam in quatuor diuiſerũt, aſſerentes Arietem, Leonem, & Sagittariũ, calidos & ſiccos, ſicut eſt ignis. Taurum, Virginem & Capricornum frigidos & ſiccos, vt eſt terra. Geminos, Libram & Aquariũ, calidos & humidos, vt aër eſt. Cancrum, Scorpionem & Piſces, frigidos & humidos, vt eſt aqua. Hæc ex Guil. de Conchis. De circulo illo zodiaco & eius ſignis plura apud Philoſophos, Aſtrologos & Thaologos aliquos, & frater Pelbartus libr. iij. Roſarij Theologiæ, &c.

Zelus Græca dictio eſt ζῆλος & eſt amor, beatitudo, æmulatio, iuſta ira, felicitas. Et ſumitur quandoque pro feruenti dilectione, & quandoque pro inuidia non ęquiuocè, quia ſecundum procedit à primo, ſecundum B. Tho. ſuper 1. ad Corin. 14. Quandoque ſignificat odium, aliquando imitationem. Quandoque vt ſcribit Gerſ. parte iij. de conſolatione Theologiæ lib. iij. proſa. j. eſt deſiderium vehemens quo quis incitatur ea tollere quæ rei ſibi dilectæ videntur aduerſa, ſic homo zelat pro vxore, ne mœchus abutatur ea. Et hinc Zelotypa, mater pro filia ne violetur, iuſtus pro domo Dei volens ab ea tollere quicquid viderit ſcandalorum. Vnde iſtud eſt: Zelus domus tuæ comedit me. Cuius recordati ſunt diſcipuli Chriſti dum eiicerẽt vendentes & ementes de templo ſeu domo Dei. Zelum hunc vltimum laudauit qui dixit. Nullum eſſe Deo acceptius ſacrificium quàm zelum animarum. Verè quidem inquit Gerſon, ſi comitetur ipſum beneuolentia, diſcretio & conſtantia, quæ tria ſi deſerat aut contemnat zelus rectè comparaueris ipſum gladio bicipiti in manu furioſi, igni rurſus & fulmine ſiue obice peruaganti. Zelus (vt ſcribit ſanct. Bonauen. diſt. j. libr. j. in dubiis literalibus) eſt amor nolens habere conſortium in amato: Zelus malus vitat omne conſortium, ſed Zelus bonus vitat tantum malos.

malos. Vnde viri zelatores domus Dei non poſſunt videre in Eccleſia vitia quæ inſurgunt cōtra ipſam, Vnde Iacob.2.dicit Gloſſ. Zelus bonus eſt quo animus obiecto humano timore accenditur, & eo tēdit vt quęlibet praua quę viderit corrigere ſatagat, & ſi nequiuerit, tolerat & gemat. Sic Magiſter in Eccleſia zelabat fidem, & ideo accendebatur contra fidei corruptores. Et zelare & zelari, vtrumque enim dicitur, ſignificat ęmulari, quandoq; iraſci, ſecundum illud. Neque zelaueris facientes iniquitatem. Et zelus (vt ſcribit frater Pelbartus in fine li.iij. Roſarij Theol.) propriè eſt motio animi ſiue in bonum, ſiue in malū. Et diffinitur alio modo à Philoſopho, alio modo à Theologo. Nam ſecundum Philoſ.2. Rhetor. Zelus eſt propriè triſtitia de bono alterius, ex eo quòd nobis deeſt illud bonum. Secūdum verò Tho. ſecunda ſecundæ qu.xxxvj.ar.ij. Zelus eſt quidam feruor mentis, quo quis debet incitari ad proficiendum cum melioribus. Et differūt inuidia, miſericordia, nemeſis & zelus. Nam ſecundum S. Tho. vbi ſupra. Cùm aliquis triſtatur de bono alterius, prout exiſtimat illud bonum vt malum proprium, inquantum eſt diminutiuum propriæ glorię & excellentię, ſic illa triſtitia eſt inuidia. Secùs ſi triſtaretur de excellentia alterius, timēs ne eum lædat, quia tunc eſſet effectus timoris, vt dicit Philoſophus 2. Rheto. Cùm autē triſtatur homo de aliena miſeria inquatum apprehendit, vt propriam per vnionem affectus, ex eo quòd amans reputat amicum tanquam ſeipſum, & etiam malum amici, tanquam malum proprium, & ſic talis triſtitia, dicitur miſericordia, ſecundum ſanctum Thom. ſecunda ſecundę q.xxx. Nemeſis verò eſt triſtitia, de his qui proſperātur indignè, ſcilicet cùm proſperātur mali. Zelus autem eſt triſtitia de bono alterius, non propter hoc quod nollemus ei tale bonum, ſed ex eo quòd deeſt nobis tale bonum. Et eſt duplex zelus, vt & ſupra tactū eſt, ſcilicet bonus & malus. Zelus bonus eſt diuini feruoris & iuſtitiæ. Et hoc dupliciter. Primo modo quo quis debet incitari ad proficiendum cum melioribus, ſecundū illud 1.Cor.12. Æmulamini chariſmata meliora, vbi Gloſſ. Ambr. id eſt ardenter deſiderate ſpiritusſancti bona, in bonitate excellentiora & perfectiora, & maximè charitatem. Ideo ſubdit. Adhuc excellentiorem viam demonſtro vobis. Secundo zelus bonus diuini feruoris & iuſtitię, quo quis debet animari ad peccata, propter honorem Dei, quo zelo Dauid ſuccenſus ait: Zelus domus tuæ comedit me. Idem iterum.

Tabeſcere me fecit zelus meus, vbi Gloſſ. Auguſt. Corpore tabeſcit Dauid. Zelus iſte eſt amoris, non liuoris. hoc zelo arſit Phinees filius Eleazari. Numer.25. commotus contra Iſraëlitem & mulierem Madianitam coēuntes ſimul, qui accepto pugione, ingreſſus poſt eos in lupanar, perforauit ambos ſimul. Et ceſſauit plaga à filiis Iſraël, & occiſa ſunt 24. milia hominum. Vnde dicitur ibidem à Domino. Zelo meo, id eſt magno ardore honoris mei ſuccenſus & commotus eſt contra eos. Et 3.Reg.19.dicitur de Helia. Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituū, quia dereliquerunt pactum Domini filij Iſraël. Secundo zelus malus eſt, qui ab amore malo cauſatur, & talis eſt zelus liuoris vel inuidię, de quo Iacob.3.dicitur: Vbi enim zelus & cōtentio, ibi inconſtantia & omne opus prauum. Vnde zelus inuidiæ eſt cauſa contentionis, non contra rem amatam, ſed pro re amata, contra impedimenta conſecutionis & perfectæ fruitionis ipſius. Et ſequitur ibi inconſtantia, id eſt progreſſus de malo in peius, quia ex indignatione cordis oritur malum oris. Ex quo ſequitur peius malum opus, ideo dicitur, & omne opus prauum, ſcilicet interius & exterius, hęc ſanct. Tho. ſummatim j.ij.qu.xxviij.art.iiij. & ſecunda ſecundæ qu.xxxvj.ar.ij. Vtinam ſinguli (inquit frater Pelbart.) fidelium Dei zelo feruido igniti indocta corda eruditēt, neglecta corrigerent, collapſa erigerent ac ſtabilirent, vt adoptionem filiorum Dei gratularentur, quū teſte Apoſtolo Rom.8. Quicunque ſpiritu Dei aguntur, hi filij Dei ſunt. De quorum numero nos faciat Ieſus Chriſtus Deus optimus, maximus, benedictus, vna cum patre & ſpiritusſancto per infinita ſecula. Cui ſit laus & honor, & gloria, & gratiarum actio, qui me per magnos ſudores & labores ad portum optatum reduxerit, quem rogo maximè vt & nobis gratiam, charitatem & patientiam tribuat in hac vita, & veram criminum expiationem & pœnitentiam, qua tanquam tabula naufragij de hoc periculoſo mari multis procellis & fluctibus tentationum, & periculorum, & Syrtibus fluctuanti & laboranti eruamur, & perducat ad portum æternæ ſalutis,
quam nobis præſtare dignetur tri-
nus & vnus, in ſecula ſe-
culorum laudandus.
Amen.

Deo gloria.

Vocabularium hoc Theologicum à Ioanne Altenſtaig ante quinquaginta octo annos concinnatum & doctè ſcriptum, & vtiliſsimum iudicamus & dignum cenſemus quod ad ſtudioſorum vſum recudatur.
Antuerpiæ 7.Id. Ianuariis 1575.

B. Arias Montanus.

ANTVERPIAE,

Excudebat Theodorus Lindanus ſumptibus & impenſis Petri Belleri, Anno humanæ redemptionis 1576. 5. nonas Iul.